IOANNIS ÆGIDII
TRVLLENCH
VILLÆ-REALIS
REGNI VALENTIÆ S.T.D.
ET INSIGNIS COLLEGII
CORPORIS CHRISTI PRIMARII,
ET PERPETVI COLLEGÆ,
OPERIS MORALIS
Tomus Tertius,
PRAXIM SACRAMENTORVM
COMPLECTENS:
CVI IN HAC LVGDVNENSI EDITIONE ADIECTI
sunt varij eiusdem Authoris tractatus, nimirum: de iure Parochi,
de obligatione assistendi, & canendi in Choro, &
Expositio Bullæ sanctæ Cruciatæ.

Editio nouissima, à mendis innumeris expurgata.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX
CAPITVM, ET DVBIORVM,
PRAXIS RESOLVTORIÆ
DE SANCTISSIMIS
NOVÆ LEGIS
SACRAMENTIS.

LIBER I.

De Sacramentis in genere.

LIBER II.

De Baptismo & Confirmatione.

Liber III.

De sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

Liber IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

*Dub.*1

Capitum & Dubiorum.

Liber V.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

Liber VI.

De Sacramento Ordinis.

Liber VII.

De Sacramento Matrimonij.



INDEX

INDEX
CAPITVM, ET DVBIORVM, DE IVRE PAROCHI.

Capvt I.

De institutione parochiæ, seu parœciæ, & parochorum, eorumque præeminentia.

Capvt II.

In quibus ius Parochiale consistat.

Capvt III.

De prima conditione, seu iure parœcialem Ecclesiam constituente, quod est ius ministrandi Baptismum.

Capvt

Capvt IV.

De secundo iure Parochi, quod est ministratio Pœnitentiæ.

Capvt V.

De tertio iure Parochi, quod est ministratio Sacræ Eucharistiæ.

Capvt VI.

De quarto iure Parochi, quod parochiani diebus festis in propria parochia Missam audiant.

& Dubiorum.

Limita-

D V B. V.

Vbinam sepeliendi sint, qui sepulturam elegerunt.

D V B. VI.

Qui non possint eligere sepulturam.

D V B. VII.

Qui nam careant Ecclesiastica sepultura.

D v b.

Dub. Vltim.

In quo aliqua circa sepulturas resolutiones referuntur.

Capvt X.

De iure Parochiali quod est perceptio decimarum.

Capvt XI.

De iure Parochali, quod est primitiarum perceptio.

Capvt XII.

De iure Parochi, quod est oblationum perceptio.

Capvt XIII.

De iure parochi, quod est ius accipiendi canonicam portionem.

Dub. I.

Quid, & quotuplex sit canonica portio, & quibus debeatur.

Dub. II.

Cui debeatur quarta parochialis.

Dub. III.

Quomodo, & quo iure teneantur regulares, soluere quartam ratione sepulturæ ibi electa.

Religiosi

DVB. IV.

Quomodo consuetudo excuset à solutione quartæ Canonicæ.

DVB. V.

De quibus soluenda sit quarta Parochialis.

DVB. VI.

Quid disponat circa canonicam portionem, siue quartam, synodus Valentina.

CAPVT XIV.

De vltimo iure Parochi.

DVB. VNICVM.

In quo ius hoc consistat.

CAPVT. VLTIM.

De Vicariis perpetuis, & temporalibus.

DVB. I.

Quid & quotuplex sit Vicaria.

DVB. II.

A quo, in qua Ecclesia, & quibus de causis possit Vicarius perpetuus constitui.

DVB.

DVB. III.

An Vicarius perpetuus habeat beneficium Ecclesiasticum, seu an vicaria perpetua sit beneficium Ecclesiasticum.

DVB. IV.

An Vicarius perpetuus habeat ius percipiendi decimas.

DVB. V.

A quo debeat fieri præsentatio & institutio Vicarij perpetui.

DVB. VI.

Quibus de causis soleat Vicarius temporalis constitui.

DVB. VII.

An vicaria temporalis sit beneficium.

DVB. VIII.

An Vicarius temporalis parochi, seu Vicarij perpetui possit suam facultatem, & potestatem quam habet ex commissione, & ratione vicariatus alteri demandare seu delegare.



INDEX DVBIORVM DE OBLIGATIONE ASSISTENDI, ET CANENDI IN CHORO.



INDEX

INDEX LIBRORVM, PARAGRAPHORVM, & Dub. Expoſitionis Bullæ S. Cruc.

PROOEMIVM.

LIBER I.

De Bulla viuorum.

Index Librorum,

11 An

LIBER II.

De facultate Commissarij Bullæ Cruciatæ.

LIBER III.

De Bulla Compositionis.

LIBER


LIBER IV.

De expositione Bullæ Defunctorum.

APPENDIX



PRAXIS



PRAXIS RESOLVTORIA

DE

SANCTISSIMIS NOVÆ LEGIS SACRAMENTIS.

PRÆFATIO.



CVM Sanctissima nouæ legis Sacramenta sint verissimi, & vberrimi Saluatoris nostri fontes, ex quibus nos aquas salutis cum gaudio haesturos *Isai cap.12. vers.3.* ratiocinatus est, dum dicit, *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris*: ex quibus omnis vera iustitia, vel incipit, vel incepta augetur, vel amissa recuperatur, vt Trident. *sess.7. initio* Cumque eorum sit vtilissimus vsus, fructuosa cognitio, & ignorantia periculosissima, vt quotidiana demonstrat experientia: operæ pretium duxi, post absolutissimam, & resolutoriam Decalogi, & Ecclesiæ mandatorum expositionem, de iis etiam resolutoriè tractare, & omissis quæstionibus scholasticis, solum ea, quæ ad praxim conducunt, attingere. Et cum Sacramenta veteris legis per Christi D.N. gloriosissimam, & pretiosissimam mortem, & passionem, vim suam ac valorem amiserint, omninoque cessauerint proinde his prætermissis, de solis nouæ legis Sanctissimis Sacramentis erit noster sermo. Equidem materiam hanc grauem, difficilem, & obscuram esse, meumque captum superare, non inficior: diuino tamen afflante numine (quod misericors Deus enixe, humiliterque implorantibus denegare non solet) omnia fiunt possibilia, & facillima redduntur, Beataque, ac semper Virgine Dei Genitrice Maria intercedente, sacræ Scripturæ authoritati, Conciliorum, præcipuè Florentini in decretis Eugenij IV. §. 5. *& seqq.* & Tridentini statutis, & doctissimorum virorum vestigiis inhærendo, ea qua potero breuitate, & perspicuitate interpretari conabor, ideoque in recensendis authoribus non multum immorabor, solumque vnum, aut alterum ex recentioribus, nisi quæstionis ac difficultatis grauitas aliud exposcit, referam, vbi plures alios, pius ac benignus Lector poterit videre.



LIBER PRIMVS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPVT I.

De diffinitione, numero, & neceſſitate Sacramenti.

DVBIVM I.

Quid ſit Sacramentum.

1 SACRAMENTI nomen ab Eccleſiaſticis, Catholiciſque Scriptoribus quatuor præcipuè modis vſurpatur. Primò ſumitur pro iuramento, fortè quia iuramentum per rem ſacram, nempe per inuocationem diuini nominis fit, proinde Sacramentum meritò nuncupatur; quæ ſignificatio frequentiſſima eſt in iure Canonico, & Ciuili, *l. Sacramenta puberum C. ſi aduerſus venditionem.* & cap. *ſi Sacramenta* 2. 2. *q.* 4. *& alibi ſæpè.* in qua ſignificatione accipit Sacramentum D. Hieronym. *Epiſt.* 1. *ad Heliodor.* & Tertull. *lib. ad Martyres, c.* 3. *& lib. de Corona militis c.* 11.

2 Sacramentum in ſacra Scriptura ſignificat rem ſecretam, occultam, & abſconditam, ad Epheſ. 1. *vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ.* & Iob. 12. *Sacramentum Regis* (id eſt ſecretum Regis) *abſcondere bonum eſt.* Vnde Sacramentum idem eſt Latinè, quod Græcè *myſterium*: myſterium autem præcipuè rem ſecretam ſignificat, iuxta illud Matth. 12. *Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei.*

3 Significat etiam Sacramentum in Scriptura, ſignum rei ſacræ, ſic Paulus ad Epheſ. 5. loquens de matrimonio primorum parentum dixit: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*: id eſt, ſignum fuit coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ. Vide Bellarmin. *lib.* 1. *de Sacram. in genere, cap.* 8. vbi agit de nomine Sacramenti, eius antiquitate, & quod verbum Hebræum, & Græcum ei correſpondeat.

4 Ex vſu Eccleſiæ Catholicæ, Conciliorum, SS. Patrum, & Theologorum, Sacramentum ſignificat ceremoniam, aut rem ſacram, & ſignum ſenſibile à Chriſto inſtitutum, rei ſacræ ſanctificantis nos, nempe ſignum gratiæ, & ſanctitatis internæ, qua apud Deum ſancti reddimur. Quomodo ſeptem Sacramenta ſpecialia ſigna ſanctitatis dicuntur; & ab omnibus Theologis in hac materia vſurpantur. Plura de hac voce vide apud Bellarminum *lib.* 1. *de Sacram. in genere cap.* 8. & Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. quaſt.* 60. *in præfatione.* & Vaſquez *ibi quæſt.* 60. *diſput.* 128. *cap.* 1.

5 Omiſſis variis Sacramenti definitionibus, quæ à DD. adducuntur, quas videre poteris apud Bellarmin. *lib. de Sacram. cap.* 11. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. q.* 60. *diſput.* 1. *ſect.* 4. Coninch *de Sacrament. quæſt.* 60. *art.* 4. *dub.* 1. & Bonacin. *tom.* 1. *diſput.* 1. *q.* 1. *punct.* 1. *initio*, ea videtur magis propria, & exacta, magiſque explicans eſſentiam Sacramentorum nouæ legis, quæ traditur à Catechiſmo ad Parochos à Pio V. iuſſu Tridentini edito, vbi de Sacramentis in genere, videlicet.

6 Sacramentum nouæ legis, eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Chriſti inſtitutione, ſanctitatis, & iuſtitiæ, tam ſignificandæ, quàm efficiendæ vim habet. Cui æquiualet hæc breuior: ſignum, & cauſa rei ſacræ ſanctificantis nos; quarum, quæuis eſt adæquata, & perfecta, conſtat enim genere, & differentia; genus eſt ſignum in quo conuenit cum vocibus, & aliis rebus ſignificantibus: eſſe autem ſignum quid eſſentiale in Sacramentis, docet S. Thom. 3. *p. quæſt.* 60. *artic.* 1. & cum eo communis DD. ideo in ſacra Scriptura *Gen.* 17. Circuncifio, quæ Sacramentum erat, dicitur ſignum fœderis: & Baptiſmus à Paulo *Rom.* 6. vocatur ſignum ſepulturæ, & Reſurrectionis Chriſti, & Euchariſtia ſacra dicitur 1. *Cor.* 11. ſignum Paſſionis Chriſti Domini; differentia verò eſt, eſſe ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos: hoc eſt, vt explicat communia Theologorum cum S. Thom. 3. *part. quæſt.* 60. ſignum gratiæ ſanantis, & iuſtificantis hominem: etenim Sacramentum non ſolùm eſt res ſacra, & ceremonia religioſa, & ſacra in ſe, qua ratione deducitur à ſacro; ſed etiam ex parte rei ſignificatæ, quæ eſt gratia formaliter ſanctificans homines effectiuè; & inſtrumentaliter dicitur res ſacra, quia ſic efficit; & producit rem ſacram, & ſanctificantem homines, qua ratione deducitur à ſacrando, propter quod præcipuè Sacramenta nouæ legis diſtinguuntur à Sacramentis veteris legis; nam illa vetera Sacramenta ſignificabant quidem gratiam, non verò illam efficiebant, nec cauſabant, noſtra verò, & illam ſignificant, ac cauſant, & efficiunt ex opere operato tanquam diuina inſtrumenta, in recipientibus non ponentibus obicem, vt dicemus *infra cap.* 4. *dubitatione* 1. proinde in definitione dicitur ſignum, & cauſa rei ſacræ ſanctificantis nos.

7 Nota ſignum, quod in definitione Sacramenti ponitur, primò debere eſſe ſenſibile, vt cum S. Thom. 3. *part. quæſt.* 60. *artic.* 4. docet communia DD.

DD. Ratio est quia Ecclesiæ corpus est visibile, item homo est visibilis, & sensibilis, oportuit ergo, vt Sacramenta, quibus homines iustificantur, instituerentur in rebus sensibilibus. Secundò debet esse signum practicum, & instrumentale; quia nouæ legis Sacramenta efficiunt, & causant, tanquam instrumenta diuinæ virtutis gratiam, quam significant. Tertiò, debet esse signum significans non ad beneplacitum, sed ex diuina institutione. Quartò debet esse certum, & permanens, & significare cum aliqua similitudine. Vide *in 3. part. quæst.* 60. & Suarez ibi. Est autem signum, vt ad præsens attinet, & docet D. August. *in 2. de Doctrina Christiana, cap.* 1. id quod præter sui speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire, vt vestigio viso, transiisse animal; & viso fumo, subesse ignem cognoscimus: ita etiam ablutio, v. g. exterior in Baptismo significat ablutionem interiorem animæ, per quam in eius cognitionem facit nos venire.

8 Nota etiam ex D. Thom. 3. *part. quæst.* 60. *artic.* 3. quodlibet Sacramentum esse signum rememoratiuum passionis Christi, demonstratiuum gratiæ, quam confert, & prognosticum gloriæ, ad quam gratia ordinatur. v. g. Baptismus est rememoratiuus passionis, demonstratiuus gratiæ regeneratiuæ, quam de præsenti confert, & prognosticus gloriæ. Et de Eucharistia canit Ecclesia, ô sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur: ex his autem tribus sola ratio signi demonstratiui est essentialis Sacramento: quia vt dicitur in eius definitione Sacramenta sunt signa rei sacræ sanctificantis nos intrinsecè, simpliciter, & immediatè; at hoc præstat gratia, quam demonstrant, & causant, ideò dicuntur Sacramenta post lapsum esse instituta tanquam medicina sanans animam per gratiam, quam producunt, & demonstrant; ergo essentialiter sunt signa demonstratiua.

9 Ex his colligitur primò, serpentem æneum & manna, ac alias figuras veteris testamenti non fuisse Sacramentum, quia etsi veram gratiam significarent, nullam tamen sanctitatem in suo vsu conferebant.

10 Secundò, matrimonium legis veteris non fuit Sacramentum; nam solùm fuit signum rei sacræ in se, non autem sanctificantis, nec fuit signum demonstratiuum, sed prognosticum.

11 Tertiò, sacrificium, vt sacrificium non est Sacramentum, quia vt sic non ad sanctificationem sacrificantis, sed vt testimonium diuinæ excellentiæ, & ad protestandum Deum esse auctorem, & Dominum rerum omnium, institutum est, vt docet S. Thom. 3. *part. quæst.* 8. *art.* 1.

12 Quartò, imagines Christi, & sanctorum, tum etiam Crux Domini non sunt Sacramentum; quia tantùm sunt signa speculatiua rei sacræ, non verò intrinsecè sanctificantis, qualis est gratia sacramentalis.

13 Quintò, aqua lustralis, seu benedicta non est Sacramentum, quia non sanctificat proximè, vt Sacramentum, sed tantum est remota dispositio ad sanctificationem. S. Thom. 3. *part. quæst.* 60. *art.* 2. *ad* 1.

14 Sextò, Sacramentalia, quæ sunt in vsu Ecclesiæ, vt benedictio Abbatis, Abbatissæ, prima tonsura, consecrationes, quæ fiunt in lege noua, &c. quia etsi hæc omnia sint signa rerum sacrarum, non verò sanctificantis nos, nec causant gratiam ex opere operato, vt causant Sacramenta, ob idque actus virtutum non sunt Sacramenta, quia tantùm ex opere operantis sanctificant.

15 Septimò, nec fuerunt Sacramentum verba illa à Christo dicta Magdalenæ: *Remittuntur tibi peccata tua. Luc.* 7. Nec linguæ igneæ in aduentu Spiritus sancti; quia non fuerunt signum firmum, & stabile ex Christi institutione, ad sanctificandos homines.

16 Demum martyrium, quamuis ex priuilegio secundùm probabiliorem, ex operato causet gratiam, non tamen à Deo ad hoc institutum est. Vide Coninch *in 3. p. q.* 60. *art.* 4. *dub.* 1.

DVB. II.

Quot sint nouæ legis Sacramenta.

1 SAcramenta nouæ legis non esse plura, nec pauciora septem, Fides Catholica docet, & sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium, ita definitum est à Trid. *sess.* 1. *Can.* 1. vbi dicit anathema iis, qui dixerint esse plura, aut pauciora Sacramenta nouæ legis, quàm septem; aut aliquot eorum non esse Sacramentum. Similiter Concil. Florent. in litteris Eugenij, & tenent SS. Patres, ac Doctores communiter cum S. Thom. 3. *part. quæst.* 65. *art.* 1. quos videre poteris apud Suarez ibi, & Bellarmin. *lib.* 2. *de Sacram. in genere, cap.* 23.

Congruentia autem cur septem numero Sacramenta fuerint à Christo Domino instituta, ex analogia, proportione, & similitudine, quam habent ad vitam corporalem, vt benè obseruant S. Thom. 3. *part. quæst.* 65. *artic.* 1. & cum eo communis DD. apud Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 7. *punct.* 2. *in* 2. sicut enim homo in vita corporali primo generatur: secundò, corroboratur: tertiò, nutritur, & augetur: quartò, curatur à morbo, & infirmitate: quintò à morbo conualescit, & si opus est ad prælium armatur: sextò, operam nauat propagationi humanæ, ad Rempublicam conseruandam: septimò, constituitur in indignitate ad gubernandos homines: ita in vita spirituali primò regeneratur spiritualiter per Baptismum: secundò, corroboratur per Confirmationem: tertiò, nutritur, & augetur per venerabilem Eucharistiam: quartò, curatur à peccati morbo per pœnitentiam: quintò, conualescit à morbo peccati per Extremam vnctionem, & armatur ad luctam mortis: sextò, licitè intendit propagationi per matrimonium: septimò, per Ordinem habet potestatem, & honorificum statum.

2 Ex quo patet, hæc Sacramenta habere connexionem inter se, & quidem si respiciamus ordinem essentialem, Baptismus obtinet primum locum: quia est ianua omnium Sacramentorum: si ordinem necessitatis; Baptismus, & Pœnitentia post lapsum in peccatum; si verò respiciamus ordinem perfectionis, primus locus debetur Eucharistiæ sacræ, qui continet Christum omni veræ sanctitatis authorem, vt docet S. Thom. 3. *p. q.* 65. *artic.* 3. Vide Trident. *sess.* 13. *cap.* 8. *Can.* 3. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst* 1. *punct.* 2. *num.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *q.* 4. & communiter Doctores.

3 Nota, quando Trident. *sess.* 7. *Can.* 1. definit, tantum esse septem Sacramenta, non definite singula esse species infimas; nam controuertitur apud DD. vtrum in ordine sint septem Sacramenta diuersæ speciei, vt suo loco videbimus. Tantum igitur docere vult, nulla esse Sacramenta præter dicta, siue singula dicant speciem infimam siue interiectam seu aliquod genus, sub quo diuersæ species continentur. Coninch *in 3. part. D. Thom. quæst.* 65. *artic.* 1.

4 Quæres, quænam fuerit differentia inter Sacramenta veteris legis, à Sacramentis legis Euangelicæ. Suppone cum communi DD. ante Christi Domini nostri aduentum, in statu naturæ, & in lege scripta fuisse aliqua Sacramenta, vt Circumcisio sacrificium, agnus Paschalis, & alia, de quibus S. Thom. 3. *part. quæst.* 61. *art.* 2. & 3. & ibi communiter DD. quos Suarez ibidem *disp.* 4. *sect.* 4. illaque esse vere, & propriè Sacramenta docent etiam communiter DD. & supponere videtur Trident. *sess.* 7. *Can.* 2. dum dicit, Sacramenta nouæ legis multum differre à Sacramentis veteris, vbi supponit ea fuisse Sacramenta, & differre à nostris.

5 Hinc colligit Coninch 3. *part. quæst.* 60. *articulo* 4 *dub.* 2. Bellarminum *lib.* 1. *de Sacrament. cap.* 12. Suarez *sect.* 2. & cum his, & aliis Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 1. *part.* 3. *num.* 11. Sacramentum in communi vniuoce prædicare de Sacramentis veteris, & nouæ legis, conuenireque in ratione generica Sacramenti; nam poterant dici signa conferentia, & significantia sanctitatem legalem, vt docet Bellarm. *lib.* 2. *cap.* 3. Suarez *disp.* 10. *sect.* 2. Coninch 3. *part. quæst.* 60. *art.* 4. *dub.* 1. & 2. Nec refert quod nostra sint perfectiora; quia non sunt perfectiora in ratione generica Sacramenti, sed in ratione talis Sacramenti, sicut homo, & leo conueniunt in ratione generica animalis, differunt tamen in ratione specifica talis animalis.

6 Respondendo igitur ad quæsitum, nostra Sacramenta in multis differunt à veteribus. Primò, quia illa fuerunt difficiliora, vt patet in Circumcisione. Secundò, illa fuerunt vmbra nostrorum Sacramentorum. Tertiò non conferebant gratiam ex operato: sicut conferunt nostra. Quartò, non introducebant ad gloriam, sicut nunc introducit Baptismus, cum nondum esset aperta cœlorum ianua per Christi Passionem. Quintò, non habebant determinatam verborum formam. Sextò non faciebant de attrito contritum, Henriquez *lib.* 1. *cap.* 2. *numero* 1. Valentia, *tom.* 4. *disput.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 1. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 13. Vide Filliucium *tom.* 1. *tract.* 1. *num.* 16. & 17. Ex quo patet, nostra Sacramenta esse perfectiora veteribus; & ideò vetera à D. Paulo *ad Galat.* 4. vocantur infirma: & egena elementa.

7 Quæres secundò, quod sit discrimen Sacramentorum nouæ legis inter se. Respondeo cum Riualdo *de Sacram. in genere, cap.* 2. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 18. esse multa; præcipua tamen sunt duo. Primò, quòd aliqua non possunt iterari, illa scilicet, quæ imprimunt characterem, vt Baptismus, Confirmatio, Ordo: alia iterabilia, excepta Extrema vnctione in eadem infirmitate: alia consistunt in vsu tantùm, vt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Extrema vnctio, & Ordo: alia etiam sine vsu, vt Eucharistia, & Matrimonium. Tertiò, aliqua exigunt in suscipiente ætatem adultam, & vsum rationis, vt Confessio, Extrema vnctio, Matrimonium; alia non vt reliqua. Quartò, quædam dicuntur Sacramenta viuorum vt Confirmatio, Eucharistia, Ordo, Extrema vnctio, & Matrimonium; alia mortuorum, vt Baptismus, & Pœnitentia. Quintò quædam requirunt dispositionem propriam ad valorem, vt Confessio, Matrimonium; quædam non, vt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, & Ordo si conferatur infantibus; Extrema vnctio si conferatur ægro destituto sensibus. Sextò, in quibusdam contrahitur paternitas, & filiatio, vt in Baptismo, & Confirmatione, in aliis non item. Septimò, Baptismus tantùm confertur infidelibus validè, non verò cætera. Octauò, in Extrema vnctione adhibetur, tantum forma deprecatiua, in aliis est absoluta. Nonò; in sola Eucharistia minister potest sibi conferre Sacramentum, in aliis minimè. Decimò, aliqua conferunt effectum recedente fictione, vt Baptismus, Confirmatio, Ordo, & Matrimonium; alia non item; vt Confessio, Eucharistia, & Extrema vnctio, etiamsi Confessio, & Extrema vnctio, eam conferant, vt suo loco dicetur.

D V B. III.

An in lege Euangelica fuerint necessaria Sacramenta.

1 SVppono tanquam de fide in lege noua Euangelica, aut gratiæ, quod idem est, fuisse instituta Sacramenta, vt est definitum à Trident. *sess.* 7. *Can.* 1. & Florentin. *in litteris Armenorum.* Congruentiæ autem huius institutionis sunt quatuor. Prima, ex parte Dei, quia etiam in hoc statu debetur Deo cultus externus, ipsa natura id dictante: gratia autem perficit, non destruit naturam. Secunda ex parte Christi, qui cum anima constet, & corpore, etiam eius memoria sensibilibus rebus renouanda est, & conseruanda inter homines. Tertia, ex parte Ecclesiæ quæ cum sit visibilis, & maximè vna, maximè etiam signis sensibilibus eget, quibus copuletur. Quarta, ex parte naturæ lapsæ, quæ per Sacramenta sensibilia facilius consequitur remissionem peccatorum, & gratiam; hinc etiam præcipua quadam ratione perficitur Fides, augetur Spes & Charitas. Vide Filliucium *tom.* 1. *tractat.* 1. *cap.* 3. *num.* 46.

2 Ad intelligentiam nota, necessarium dupliciter posse dici. Primò absolutè, simpliciter ex natura rei, illud scilicet, sine quo salus obtineri non potest, neque ex Dei potentia absoluta, vt sunt Fides, Spes, & Charitas. Secundò ex suppositione, id est, supposita Christi Institutione, & voluntate. Rursus necessarium ex suppositione duplex est. Primum dicitur necessitate medij, & est illud sine quo finis nullo modo potest obtineri; etiamsi ex ignorantia, vel obliuione prætermittatur. Alterum dicitur necessarium ratione præcepti quod etsi simpliciter obliget, tamen sine eo finis haberi potest: vnde si quis, vel ignorantia, vel impotentia excusetur, vt potest, habeat autem necessario ex medio, poterit obtinere finem illum, atque adeò salutem in Sacramentis: quæ duæ necessitates sæpè iunguntur; nam quod est necessarium, vt medium, id etiam est præceptum, non tamen è contra. Hoc posito.

3 Dico primò. Sacramenta non sunt necessaria ad salutem æternam, ex natura rei, simpliciter, & absolutè S. Thom. 3. *part. quæst.* 60. *art.* 4. & communis DD. Ratio est, quia Dei potentia, & eius infinita virtus in homine saluando non est alligata Sacramentis, cum possit sine illis, aliis mediis illum saluare, & ad gloriam perducere, sunt tamen ad melius esse, & vt rectiùs, ac conuenientiùs homines salutem consequantur; quo pacto dixit Augustinus *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 10. Incarnationem fuisse necessariam ad salutem, quod probari potest ex congruentiis allatis *num.* 1.

4 Dico secundò. Supposita Christi institutione, Sacramenta necessaria sunt necessitate medij ad salutem, non omnia sed aliqua, vt Baptismus, & Pœnitentia; ille quidem saltem in voto pro adultis, & re ipsa pro paruulis: hæc verò posito actuali peccato, eo modo quo de singulis agentes explicabimus,

sicque

ſicque concluſio intellecta, eſt de fide; vt habetur in Tridem. *ſeſſ. 7. cap* 5. Probatur; quia illud eſt neceſſarium neceſſitate medij, ſine quo ſalus obtineri non poteſt, ſed abſque Sacramentis non poteſt obtineri, ergo, &c.

5 Dico tertiò. Sacramenta aliqua neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti. Patet, quia aliqua ſunt de neceſſitate medij; ac tale neceſſarium, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti: quæ autem hæc ſint & quæ in re, & quæ in voto ſint neceſſaria, ſuis in locis commodiùs explicabitur. Vide Suar. *tom. 4. in 3. part. S. Thom. q. 61. art. 4. ſect. 1.* Bonacin. *tom. 1. diſp 1. q. 1. part. 4.* & Filliuc. *tom. 1. c. 3. q. 2. & 7.*

Vtrùm in lege naturæ, & in lege veteri ſcripta fuerint aliqua Sacramenta, & quæ & quomodo gratiam conferrent, non pertinet ad noſtram praxim de quo poteris videre S. Thom. *3. part. q* 6. Suarez ibi, & Bonacin. *tom. 1. diſp. 1. q. 1. punct. 3.* vbi plurimos citat.

DVB. IV.

Quis fuerit author Sacramentorum, vel à quo fuerint inſtituta.

1 NOta triplicem eſſe cauſam Sacramentorum. Prima dicitur principalis, & authoritatiua; ſecunda poteſtas excellentiæ, & tertia miniſterialis.

2 Dico primò. Solus Deus eſt cauſa principalis, & authoritatiua omnium Sacramentorum, tam legis naturæ, ſcriptæ, quam legis nouæ, & Euangelicæ. Ita Suar. *tom 4. in 3. part. S. Thom. q. 64 art. 1. diſput. 12. ſect. 1. concl. 2. & 3.* & communiter DD. cum S. Thom. *loc. cit.* Ratio eſt, quia promiſſio gratiæ, & eius collatio tanquam cauſa principalis independenter, & authoritatiuè Deo ſoli conuenit: at Sacramenta nouæ legis ſunt ſigna, & cauſa gratiæ vt inſinuatum eſt *dub. 1.* & dicetur infra, ergo ſolus Deus eſt cauſa principalis authoritatiua Sacramentorum: etenim ſolus Deus eſt cauſa principalis gratiæ, vt docent communiter Doctores. Vide Coninch *de Sacrament. quaſt. 64. artic.* 1. & Bonacina *tom. 1. diſput. 1. q 3. part. 1. num. 2. & 3.*

3 Dico ſecundò. Omnia Sacramenta nouæ legis inſtituta ſunt à Chriſto Domino, eſt de fide definita à Trid. *ſeſſ. 7. can* 1. ibi: *Si quis dixerit Sacramenta noua legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto D. N. inſtituta, anathema ſit.* Quod explicant DD. vt humanitas Chriſti vnita diuinitati fuerit efficiens inſtrumentalis cauſa inſtitutionis omnium Sacramentorum, per poteſtatem excellentiæ, quam habet ratione vnionis, cum diuinitate, & ob quandam omnipotentiam, iuxta illud Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra* Vide Bellarmin. *lib. 1. cap. 23.* Suarez *in 3. part. diſp. 12.* & Bonacin. *tom. 1. diſp. 1 q 3. p. 1. num. 4. & 5.* Quando autem fuerint inſtituta, dicetur de ſingulis ſuo loco.

4 Dico ſecundò. Chriſtus Dominus potuit poteſtatem inſtituendi Sacramenta communicare Apoſtolis, quia nullam inuoluit implicantiam, de facto tamen illam non eis communicauit, vt colligitur ex Trident. loco citato; ſed ipſe Chriſtus inſtituit Sacramenta omnia, illaque tradidit Apoſtolis ſuo tempore promolganda: inde aliqui DD. qui videntur aſſerere, aliqua Sacramenta fuiſſe ab Apoſtolis inſtituta, intelligendi ſunt, quantum ad promulgationem eorum; quo pacto lex vetus dicitur Moyſis, cum tamen ea Moyſes non inſtituerit, ſed tantum promulgauerit. Vide D. Thom. *3. part. quaſt. 64. art. 3.* Suarez *ibi diſput. 12. ſect. 2.* Henriquez *lib. 1. cap. 3. num.* 8. & Bonacinam, *vbi ſuprà, num.* 6. Ratio, ob quam Chriſtus non communicauerit hanc poteſtatem Apoſtolis, fuit. Primò, ne plura eſſent capita in Eccleſia, ſed vnum, quod eſt Chriſtus. Secundò, ne homines ponerent ſpem ſuam in hominibus, ſed in Deo. Tertiò, ne multiplicarentur Sacramenta; vnde poterant oriri diuiſiones, & ſchiſmata. Ita ex Auguſt. *cap 9. contra Iuriſtum, cap. 11.* & S. Thom. *3. part. quaſt. 64. art 4.* Filliuc. *tom. 1. tract. 1. cap. 2. quaſt. 3.*

5 Dico tertiò. Finis ad quem Chriſtus Dominus inſtituit Sacramenta, fuit tum ad ſanctificandos homines, interna, & vera ſanctificatione, vt patet ex dictis *dub.* 1. & magis conſtabit, *infrà*. Tum etiam, ad finem diſtinguendæ religionis, nam vt *dub. 1. citat.* dictum eſt, Sacramenta ſunt ſacræ quædam ceremoniæ ſacræ, & actus religionis, quibus ea ſecta, & natio hominum, quæ vſurpat illa Sacramenta, diſtinguitur ab aliis: congruum enim fuit, & decens diuinæ Sapientiæ, vt ex rebus ſenſibilibus, quæ fuerunt cauſa ægritudinis, medicinam efficeret; & diuinæ omnipotentiæ, vt rebus corporeis vim dederit, rebus corporeis ſanctificandi animas ſpirituales, & diuinæ miſericordiæ, vt homini mutabili iam lapſo, pararet remedia, quibus denuò, ſi vellet, recuperaret gratiam, & pœnam debitam aliquo modo compenſaret. Decuit etiam diuinam iuſtitiam, vt comprimeret hominis elationem, qui ſine modo ſe extulerat, dum cogitur ſe rebus ſenſibilibus ad ſui ſanctificationem ſubdere, ex quo pietas, & deuotio in eo augetur. Alias congruentias vide apud Bellarminum *lib. 1. cap. 22.* & Filliucium *tom 1. tract. 1. cap. 2. quaſt. 7.*

CAP. II.

De materia, & forma Sacramentorum.

DVB. I.

Vtrùm Sacramenta noua legis conſtent rebus, & verbis.

1 NOta idem eſſe quærere, an Sacramenta conſtent rebus, & verbis, ac quærere, an conſtent materia, & forma, nam vt explicauimus, & docent communiter DD in Sacramentis res ſe habent, vt materia, & verba vt forma.

2 Nota ſecundò res, & verba ſeu actiones, quæ in Sacramentis reperiuntur, poſſe ſumi dupliciter. Primò, phyſicè ſeu in genere entis naturalis, v. g. aqua Baptiſmi poteſt ſumi prout eſt totum naturale, & elementale, & ablutio, vt eſt actio naturalis abluendi, & prolatio verborum, vt eſt ſonus naturalis, qua ratione res dictæ, ſi ſumantur ſeorſim, certum eſt vnamquamque habere ſuam materiam, & formam phyſicam, & naturalem, & vnamquamque eſſe vnum ens per ſe in genere rei, conſtans ſua materia, & forma in ſuo genere; ſi verò collectiuè ſumantur, eſſe vnum ens per accidens; vt aceruus lapidum; ſicque Sacramentum, ſi ſumatur pro rebus ipſis in genere rei, erit vnum ens per accidens, compoſitum ex multiplici ente per ſe. Secundò poteſt ſumi Sacramentum, ſeu res, & ea quæ in Sacramentis reperiuntur, in genere moris, prout eſt actus externos Religionis, in quo aliquod diuinum in Dei cultum aſſumitur, vt docet S. Thom. *2. 2. q. artic.* &

& prout omnia quæ in Sacramentis reperiuntur, ordinantur ex diuina institutione ad significandam, & causandam gratiam, quomodò res, quæ in ipso reperiuntur, efficiunt vnum ens per se, de quo Bellarmin. *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *c.* 1. *quæst.* 5. & communiter DD. & hoc modo sumptum Sacramentum est quoddam compositum artificiale morale constans materia, & forma artificiali, & morali, vt asserunt communiter DD. Quod ergo quærimus, est, an res sit materia, & verba sint forma.

3 Nota tertiò, in omni re proprium esse materiæ, esse quid indifferens, indeterminatum, & imperfectum, formæ verò esse, determinare, & perficere; inde in Sacramentis id erit materia, quod indeterminatè, & imperfectè significat; forma verò quod determinat, perficit, ac complet materiam, vt benè Bellarmin. *lib.* 10. *de Sacram. cap.* 18. & cum aliis Bonacina, *tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 2. *p.* 1. *num.* 2. v. g. ablutio in Baptismo est indifferens, & indeterminata ad quamcumque sordium ablutionem, ideò est eius materia, & quia prolatio verborum eam determinat ad abluendas sordes, & peccata animæ dicitur forma.

4 Dico primò. Omnia Sacramenta nouæ legis constant materia, & forma, rebus scilicet, vt materia, & verbis, vt forma. Ita definitum est in Concil. Florentin. in vnione Armenorum, & tenet S. Thom. 3. *part. quæst.* 61. *artic.* 4. 5. 6. *&* 7. & cum eo communiter Doctores, & probatur ratione, quia in Sacramentis illud dicitur materia, quod indeterminatè significat, illud verò forma, quod perficit; & determinat, vt dictum est nor. 3. sed res sunt quid indeterminatum, verba verò determinant, & perficiunt res Sacramentorum; ergo res sunt materia, verba verò forma: dicuntur autem verba forma Sacramentorum, non quia per realem, & physicam actionem informent, & adhæreant, vt fit in rebus naturalibus, sed quia moraliter informent, proportione seruata cum forma naturali, id est, quia ex Christi institutione materiam determinant ad significandam, & causandam talem gratiam. Hinc fit res, & verba debere esse simul, non physicè, quia Sacramentum non est totum physicum, sed moraliter, & consequutiuè, videlicet, vt vnum sit post aliud, vt contingit in Sacramento pœnitentiæ, in quo res præcedunt, & verba subsequuntur. Sanct. Thom. *quæst.* 60. *artic.* 6. Coninch *ibi num.* 40. Quanta verò disiunctio, & distantia sufficiat in Sacramentis inter formam, & materiam, relinquendum est iudicio prudentis viri, & dicetur. *dub.* 3. *concl.* 4. Vide Bonacins *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *part.* 1. *num.* 1.

5 Ad intelligentiam conclusionis nota, nomine rerum intelligi, id quod indeterminatè significat, & quo posito, nondum est completa significatio Sacramenti, siue res illa sit permanens, siue sit actio, siue sint aliqua verba: inde in pœnitentia actus pœnitentis, qui sunt voces, & in matrimonio mutuæ traditiones, habent locum rei, quia indeterminatè, & incompletè significant. Nomine autem verborum intelligitur id, quod complet, determinat, ac perficit significationem, siue sit nutus, siue scriptura, siue sint verba, vnde nutus in Sacramento Matrimonij, prout significant mutuam acceptationem, habent vicem verborum, & sunt in officio verba, & secundum proportionem, quia determinant, complent ac perficiunt indifferentiam mutuæ traditionis.

6 Nota secundò, Sacramentum posse sumi primo ad modum compositi physici, & naturalis, & sic sunt materia & verba forma; sicut in homine, corpus est materia, & anima forma. Secundò potest sumi ad modum compositi artificiosi, prout scilicet res, & verba moraliter, & ex diuina institutione vniuntur, & ordinantur ad totalem significationem sacramentalem, sicuti in domo lapides, ligna, &c. dicuntur materia, & talis dispositio eorum ad habitandum, dicitur forma artificialis completa, & totalis; si ergo sumatur Sacramentum hoc secundò modo, tam res, quam verba sunt materia, significatio verò, quæ ex rebus, & verbis coalescit, erit forma. Ex quo fit, formam Sacramenti esse duplicem, aliam partialem, videlicet verba respectu rerum, aliam verò totalem, nimirum significationem totalem rerum & verborum, quæ ex ipsis oritur: communiter tamen, Doctores nomine formæ intelligunt illam partialem, scilicet verba; ideò asserunt, verba esse formam, & res materiam. Vide Bellarmin. *lib.* 1. *de Sacramentis*, *cap.* 18. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 2. *sect.* 1. & Filliucium *tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 5.

7 Dico secundò. Materia & forma in Sacramentis sunt partes intrinsecæ, & essentiales in quolibet Sacramento nouæ legis. Ratio est, quia in quolibet toto materia, & forma sunt partes intrinsecæ, & essentiales, sed quodlibet Sacramentum est quoddam totum artificiosum morale, ergo, &c. tum etiam, quia supposita Christi institutione, Sacramenta non possunt confici aut esse, sine rebus, & verbis modo explicato; tribus enim perficiuntur Sacramenta, vt decreuit Florentinum in vnionis Decreto, rebus vt materia, verbis vt forma, cum intentione ministri, S. Thom. *quæst.* 60. *art.* 6. Coninch *ibi num.* 34. *&* 37. Suarez *ibid. disput.* 5. *sect.* 5. Vide Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 1. *part.* 2.

Dico tertiò. Materia in Sacramentis secundùm communem DD. duplex est, alia remota, & alia proxima. Materia remota Sacramenti illa dicitur, sine qua non potest esse proxima, & quæ supponitur à proxima, vt sunt res naturales in omnibus Sacramentis, vt in Baptismo, aqua naturalis: in Confirmatione, Chrisma benedictum: in Eucharistia, panis, & vinum aqua mixtum: in pœnitentia, peccata: in extrema vnctione, oleum benedictum: in ordine v. g. sacerdotali, calix cum vino, & patena cum Hostia: in matrimonio, personæ habiles, seu ipsi contrahentes. Materia autem proxima Sacramentorum, in Baptismo, est ablotio, in Confirmatione, & Extrema vnctione, est vnctio, in Eucharistia, sunt species panis, & vini, & in pœnitentia, actus pœnitentis: in Ordine sacerdotali est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum Hostia; in matrimonio, est traditio corporum, vt latiùs constabit, dum de singulis agemus.

D V B. II.

An materia, & forma Sacramentorum sint determinata ex Christi institutione.

1 Conclusio est affirmans, & est communis sententia Theologorum, & absolutè loquendo, est de Fide, quia colligitur ex Scriptura, vnà cum traditione Ecclesiæ, & expositione, de quo Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 2. *sect.* 5. & constabit, dum de singulis agemus. Ratio est, quia cum Sacramenta sint instituta à Christo, totum suum esse, & determinationem materiæ, ac formæ debent habere, ab ipso Christo Domino, vt suum indicarent authorem; item cum futura essent instrumenta gratiæ, debuerunt definiri ab authore gratiæ. Vide Conin. *in* 3. *part. S. Thom. quæst.* 60. *artic.* 5. *&* 7.

&

& Bonacina. *tom. 1. disputat. 1. quæst. 2. part. 1. num. 7.*

2 Nota, determinationem materiæ in Sacramentis posse sumi primò in specie, videlicet, quòd in hac specie rei instituatur Sacramentum, v. g. vt in Baptismo sumatur aqua, & in Eucharistia panis triticeus, & non alius. Secundò, in indiuiduo. v.g. vt hæc Hostia, & non alia sumatur à consecrante. Dum ergo dicimus, materiam esse determinatam in Sacramentis, loquimur quoad determinationem specificam, non verò indiuidualem, nam Sacerdos potest hanc, vel illam Hostiam adhibere, ad conficiendam Eucharistiam. Vide S. Thom. 3 *part. q. 60. artic. 5.* Et ibi Caiet.

3 Ex his colligitur, Ecclesiam non posse mutare materias, & formas Sacramentorum; nam hæ sunt determinatæ à Christo: at Ecclesia non est supra Christum. Ita communis. Quod si dicas Ecclesiam irritasse matrimonia clandestina. Fateor quidem, nego tamen mutasse materiam, aut formam Sacramenti matrimonij, nam in matrimonio duo reperiuntur, & esse Sacramenti, & esse contractus, qui est fundamentum Sacramenti, Ecclesia ergo solum irritauit contractum, in quem habet potestatem, ideò non mutauit formaliter, & propriè materiam Sacramenti, sed tantùm remotè, sicut ille qui corrumperet naturam panis, non ideò diceretur mutasso materiam Eucharistiæ, sic in proposito, & facit, quia Christus Dominus solùm eleuauit contractum ab Ecclesia approbatum ad esse Sacramenti. Respondetur secundò, Ecclesiam solum inhabilitasse personas, circa quas habet potestatem, ad clandestinè contrahendum. Vide Henriquez *cap. 89. per totum*, Coninch, *in 3 part. S. Thom. quæst. 60. art. 6. num. 42.* & Bonac. *tom. 1. disp. 1. q. 1. puncto 1. n. 11. & 12.*

D V B. III.

Quando mutatio formæ irritet Sacramentum.

1 NOta primò verba, aut formam in Sacramentis posse mutari octo modis. Primò, ratione idiomatis, vt è Latino in Græcum, Hebraicum, &c. Secundò, per verba synonyma intra idem idioma. Tertiò, per transpositionem verborum. Quartò, per interpolationem, cum spatium aliquod interponitur inter prima verba, & posteriora. Quintò, additione alicuius verbi. Sextò, substractione. Septimò, corruptione verborum, quando quis non loquitur emendatè, vel committendo solœcismum, vel barbarismum, vel in quantitate, &c. Octauò, mutatio fieri potest in signa, vel nutus: quæ mutationes comprehendi solent his versibus.

Nihil formæ demas, nil ponas, nil variabis.
Transmutare caue, corrumpere verba, morari.

2 Nota, mutationem posse esse, vel substantialem, & essentialem, vel accidentalem tantùm. Tunc dicitur mutatio essentialis, & substantialis, quando scilicet mutatur substantialis, & essentialis significatio formæ, vt si quis diceret, ego baptizor te; nam sic mutatur significatio essentialis formæ. Alia verò est accidentalis, quando scilicet, manente substantia, & essentia Sacramenti, mutatio solum fit in aliquo illius accidenti, vt si quis, pro ego te baptizo diceret, ego te abluo, vel baptizetur seruus Christi.

3 Communis cum S. Thom. *q. 66. art. 4.* tenet, si mutatio sit substantialis, nullum effici Sacramentum. Ratio est, quia mutatur substantialiter significatio, quæ est de essentia Sacramenti: si autem mutatio solùm sit accidentalis, manet verum Sacramentum; quia non mutatur eius substantia, & essentialis significatio. Hoc autem clariùs constabit, discurrendo per octo modos supradictos.

4 Dico igitur primò. Mutatio idiomatis non vitiat Sacramentum; nam solùm est accidentalis, aliter enim omnia essent administranda in lingua Hebræa; debet tamen seruari modus proferendi in Ecclesia approbatus. Quod si Ecclesia præciperet, vt hoc, vel illo modo tantùm vtamur, transgressor quidem peccaret, tamen verum conficeret Sacramentum. Mulieres verò baptizantes, melius est, vtantur forma in lingua materna, non enim perfectè proferunt linguam Latinam. Vide Henriquez *lib. 5. cap. 9.* Ledesma *in sum. lib. 2. c. 1.* & Filliucium *tom. 1. tr. 1. c. 4. q. 7.*

5 Dico secundò. Verba synonyma intra idem idioma non irritant sacramentum, quia non mutant illius substantialem significationem, sed accidentalem tantum; sic tenet Baptismus, si dicat; *ego te abluo*, & Pœnitentia, si diceret, *ego remitto, vel condono tibi peccata tua.* Est commune, & dicetur, vbi de singulis agemus.

6 Dico tertiò. Transpositio verborum regulariter est accidentalis, ideo non vitiat Sacramentum, eo quod non mutet illius essentialem significationem; sic tenet Baptismus, si quis diceret, *ego baptizo te* & Eucharistia, si quis diceret, *meum corpus est hoc.* Quod si aliquando communem tollat sensum, irritum erit Sacramentum, vt si quis diceret. *Ego Patris te baptizo in nomine Filij, & Spiritus Sancti.* ita D D. citati.

7 Dico quartò interpolatio, seu interruptio verborum si tanta sit, vt ex modo proferendi non conficiatur vna oratio, & integer sensus, irritat Sacramentum, vt si inter vnum, & aliud verbum prætereat vna hora, vt existimat cum aliis Bonacin. *tom. 1. disp. 1. quæst. 7. num. 23.* Mihi tamen sufficere videtur præterijsse horæ quadrantem, imò & paulò minus, nam talis mora interrumpit moraliter orationem. Idem à fortiori dicendum, si ipsa verba, intercedente mora dicta, diuiderentur, vt si quis diceret, *ego te bap.* deinde additis aliquibus verbis subiungat, *tizo*, non enim tunc subsistit significatio, nec adest integer sensus formæ. Quòd si posita interruptione, seu interpolatione, mora sit parua, ita vt iuxta communem sensum, verba iungantur, in vnam orationem, efficiatur que integer sensus, interpolatio erit accidentalis, consequenter Sacramentum tenet; vt si baptizans dicat: *Ego te baptizo*, & immediate dicat, *fuge hinc*, vel, *Dominus tecum*; aut, *veni huc*, vel, *illa aqua est nimis frigida*, aut sternutet, aut breuem mentis euagationem patiatur, & deinde subiungat, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, validum erit Sacramentum, vt tenet Bonacina cum aliis supra. Ratio horum est, nam inter formam, & materiam necessariò requiritur coniunctio, & simultas moralis: quare non erit Sacramentum, si quis antequam vinum ex vua extrahatur, dicat, *hic est sanguis*, & postea, eo extracto, dicat, *meus.* Nec est Sacramentum; si baptizans infunderet aquam, & deinde post horam, vel dimidiam, aut quadrantem proferret verba: etenim debet esse aliqua saltem pars formæ cum materia. Esset tamen Sacramentum, si statim post materiam v. g. post ablutionem, proferatur forma, videlicet, *ego te baptizo*: nam sic moraliter materia, & forma sunt simul, & manet integra Sacramenti significatio. Ita communiter DD.

8 Dico quintò. Additio tunc vitiat Sacramentum, quando tollit sensum formæ; nam tollit eius substan

ſubſtantiam, ſecus eſt, ſi maneat ſenſus integer quoad ſubſtantiam. Eſt commune. Hinc fit eſſe Sacramentum, ſi quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, qui te creauit, Filij, qui te redemit: & Spiritus ſancti*, quia huiuſmodi additio non deſtruit ſignificationem formæ. Secus autem ſi dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filij minoris, &c.* quia non manet legitimus ſenſus formæ, eo tamen manente tenet Sacramentum, quamuis ex ignorantia putet verba quæ ipſe addit, eſſe de eſſentia, modò habeat legitimam intentionem Eccleſiæ, vt ſi ex ignorantia putet, vnctionem eſſe de eſſentia Baptiſmi; & verum balſamum de eſſentia Confirmationis, & mixtionem aquæ cum vino de eſſentia Euchariſtiæ, & particula *meum*, de eſſentia formæ panis, & *myſterium Fidei, &c.* de eſſentia formæ ſanguinis; nam falſitas non ineſt in oratione formæ, ſed in opinione miniſtri, qui vere conficit Sacramentum, ſi habeat legitimam intentionem: particularis enim opinio non nocet formæ legitimæ, propter quam rationem qui in Baptiſmo exiſtimaret, verba illa: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non eſſe de eſſentia, ſicut in Pœnitentia, non vitiaret Sacramentum. Vide Suarez *diſput.* 2. *ſect.* 4. & 5. Coninch. *quæſt.* 60. *articul.* 8. *dub.* 1. Ledeſmam *de Sacramentis in ſum. cap.* 1. Henriquez, *lib.* 1. *cap.* 9. & Bonacinam *tom.* 1. *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 28. 29. 30. & 31.

9 Dico ſextò. Subſtractio tunc vitiat Sacramentum, quando tollit legitimum ſenſum formæ, vt ſi in forma Baptiſmi omitteret vnam perſonam, in Euchariſtia in forma panis, ſubſtraheret verbum, *meum*, in forma ſanguinis omitteret *ſanguinis mei*, hoc eſt certiſſimum: ſecus autem ſi particula prætermiſſa non tollit ſenſum formæ; ſic valet Sacramentum, ſi in conſecratione panis diceret: *Hoc eſt corpus meum*, omiſſa particula, *enim*, & Baptiſmus prætermiſſo pronomine, *ego*, nam cum illæ particulæ non ſint de eſſentia formæ, illis prætermiſſis ſaluatur illius legitimus ſenſus. Bonacina cum aliis, *tom.* 1. *diſputat.* 1. *quæſt.* 2. *part.* 1. *numer.* 19. Similiter valet Sacramentum, ſi verbum ſubſtrahat, quod priuato errore putat eſſe de eſſentia formæ, modò re vera non ſit, licet decipiatur ipſe ſpeculatiuo errore, aut ignorantia priuata, vt dictum eſt, *concluſ.* 5. nam vt ſupponimus, concurrunt materia, forma, & intentio ſufficiens ſaltem virtualis. Vide D D. citatis *numer.* 8. & Bonacin. *vbi ſup. num. citatis.*

10 Hinc fit, ſi miniſter ponat legitimam materiam, & formam, quamuis intendat in Eccleſia introducere nouum ritum, & errorem, ſi agit, vt Chriſti miniſter, intendens facere, quod Chriſtus inſtituit, & facit Eccleſia, verum conficit Sacramentum, vt ſi Græcus ſic in fermentato conſecraret: credens, quod non poſſet fieri in azimo, & hunc errorem introducere intenderet. Item ſi hæreticus putaret, formam Euchariſtiæ ſignificare, panem eſſe figuram Corporis Chriſti; vel Baptiſmum externum non regenerare, vel non niſi ſub forma Græcorum valere. Non tamen valet Sacramentum, ſi errorem ſuum in forma exprimat, vt ſi dicat: *Baptizo te in nomine Patris maioris, &c.* quia tunc forma non ſubſiſtit: ſimiliter non teneret Sacramentum, ſi quis baptizaret: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & B. Mariæ Virginis, ſi intendat quaternitatem perſonarum; vel B. V. Mariam concurrere effectiuè ad Sacramentum; ſecus verò ſi ſolum adducat B. Virginem deprecatiuè ad effectum conſequendum. Quod ſi ignarus videns illum ſic baptizantem baptizaret illis verbis, putans omnia eſſe de eſſentia formæ, vitiaret Sacramentum, quia error exprimitur in forma, & eſt contra illius eſſentiam, propter quod Sacramentum non ſubſiſtit, quamuis habuerit legitimam intentionem. Vide Suarez *diſputat.* 2 *ſect.* 5. vbi de his late, & DD. citatos *in* 5. *concl.*

11 Dico ſeptimò. Verborum corruptio tunc ſolum vitiat Sacramentum, quando tollit eius legitimam ſignificationem, vt de aliis mutationibus ſæpè dictum eſt; ſic non eſſet Baptiſmus ſi quis diceret: *Ego te baptizor*, vel *Ego te baptizo in nomine Matris, Filij, &c.* quia non ſubſiſtit legitimus ſenſus formæ; tenet tamen Baptiſmus, *in nomine Patria, Filia, & Spiritua ſancta.* Ita Zachar. *in capitul. retulerunt de conſecrat. diſt.* 4. S. Thom. 3 *part. quæſt.* 60. *artic.* 7. *ad* 3. & communiter DD. nam illæ voces, quamuis rigore habeant aliam ſignificationem, communiter tamen ibi pro tribus perſonis ſumuntur; intellige tamen, modò ſic baptizans haberet intentionem Eccleſiæ, ſecus ſi credat, in Trinitate eſſe filiam, in cuius nomine vult conficere Sacramentum, vt benè Ledeſma *in ſum. cap.* 1. *de Sacrament. concluſ.* 10 *in fin.* nam tunc exprimit in forma errorem ipſi contrarium. Valet tamen Baptiſmus, ſi quis in nomine Spiritus præponat, è, & dicat ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nam hæc corruptio, non eſt ſubſtantialis. Coninch. *in* 3. *part. S. Thom. quæſt.* 60. *artic.* 8. *num.* 77. Propter eandem cauſam verè conſecraret, qui diceret; *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Bonacina videndus *tom.* 1. *diſputat.* 1. *quæſt.* 2. *part.* 1. *num* 20. & 21.

12 Dico octauò. Mutatio verborum in ſigna, & nutus, excepto matrimonio, eſt ſubſtantialis, ideo irritat Sacramentum, nam adhibenda eſt forma, quam Chriſtus inſtituit, quæ in verbis conſiſtit vt clarius conſtabit dum de ſingulis agemus. Vide Suarez *diſp.* 2. *ſect.* 1. *circa medium, &* 4. *ad fin.* Bonacinam *vbi ſup. num.* 27.

13 Ex his colligitur primò, validum eſſe Sacramentum per verba æquiuoca, modò miniſter habeat rectam intentionem ſignificandi, quod per verba formæ ſignificatur, & non inducendi nouum ritum contra Catholicam Eccleſiam: patet exemplo baptizantis, *in nomine Patris, &c. B. M. Virginis* de quo ſupra *verſic. hinc fit, num.* 10. Ratio eſt, quia mutatio hæc non cenſetur ſubſtantialis, cum hic, & nunc verba illa accipiantur ad eum ſenſum quem important verba formæ. Suarez *ſup. ſect.* 4. & 5. *fin.* S. Thom. *quæſt.* 60. *art.* 8. Coninch. *ibi n.* 63. & alij apud Bonacin. *loco citato n.* 25.

14 Colligitur ſecundò, non poſſe aliquem valide fingere verba in adminiſtratione Sacramentorum, illiſque vti ad ſignificandum id, quod ſignificant verba formæ, vt docet S. Thom. 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 7. *ad* 3. & communiter D D. apud Bonacinam; nam verba, quæ aſſumuntur in Sacramentis, debent eſſe humana, publica, & accommodata ſecundum communem vſum hominum, ſic non valeret conſecratio corporis Domini, ſi quis tantum prima nominis elementa *H. c. e. c. m.* vſurparet. Reginald. *tom.* 2 *lib* 26. *cap.* 1. *n.* 23. Vide Suarez *diſp.* 2. *ſect.* 4. *in explicat. ſecunda mutationis.*

15 Colligitur tertiò, quacumque formæ mutationem, ſi eius legitimam ſignificationem tollit ex genere ſuo eſſe peccatum mortale ſacrilegij? quod tanquam certiſſimum ab omnibus admittitur; eſt etiam peccatum mortale, ſi mutatio dubiam reddit ſignificationem, ſecundum viri prudentis arbitrium, erit etiam ex ſe peccatum mortale, quia exponit ſe periculo faciendi Sacramentum inualidum. Eſt

etiam

etiam ex se peccatum mortale accidentalis verborum mutatio, quia licet integritas accidentalis non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti, vt de singulis constabit. Dixi semper, ex se, quia aliquando potest esse peccatum veniale. Primò: vt si manente sensu vero, mutatio sit leuis. Secundò, si absit plena deliberatio. Tertiò, si negligentia sit leuis, dum præceps fuit prolatio quamuis mutet sensum. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 15. & infra citandi. Ignorantia autem iuris, moraliter loquendo, non potest ab hoc peccato excusare, quia omnes ministri huiusmodi scire tenentur: per ignorantiam verò facti poterit quis sæpe excusari quia non est in nostra potestate, semper aduertere omnes facti circunstantias, & quilibet etiam alioqui diligens, ex aliqua distractione, vel perturbatione potest omittere aliquod verbum, vel consecrare in aqua, v. g. pro vino, & similia, vt docet Caietan. *in sum. verbo Missa celebratio*, & cum eo Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 9. Quotiescum que ergo quis adhibuit debitam diligentiam, qualis ordinarie à viris prudentibus, ac timoratis adhiberi solet, excusatur à peccato mortali. Vide Coninch. *quæst.* 60. *articul.* 8. *dub.* 2.

16 Colligitur quartò, exclusa necessitate, nunquam licere vti materia, vel forma dubia, vel probabili, relicta omnino certa, v. g. baptizare in brodio, relicta aqua naturali clara, & certa, vel in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, quia se exponeret periculo nihil agendi, cum possit illud vitare, adhibendo certam formam, & materiam. Quod si necessitas adsit, & non sit possibilis forma, aut materia certa, tunc poterit adhiberi dubia, aut probabilis: vnde in articulo mortis poterit in aqua dubia baptizari, tum etiam in forma, quando non adest, qui nouerit formam certam Filliuc. *sup. q.* 10. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 2 *punct.* 1. *n.* 32. qui *n.* 33. cum Henriquez *lib.* 1. *cap* 9. *lit B.* Coninch *q.* 60. *art.* 8. *n.* 81. & aliis tenet, non videri illicitum, ex graui metu formam dubiam adhiberi, præsertim si adhibeatur sub conditione, si forma valeat, modò metus non incutiatur ob contemptum Ecclesiæ, qui præsumitur adesse, si metus ab hæretico, vel infideli incuteretur, vt benè Coninch. *vbi supr.* Notant DD. facilius posse adhiberi materiam dubiam, quam formam dubiam; ratio est, eo quòd forma vera sit magis in nostra facultate, quam materia.

17 Colligitur quintò. Quando rationabiliter dubitatur per mutationem sensum formæ periisse, eam iterandam esse, & quidem sub conditione, maxime in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quæ iterabilia non sunt, eo quòd imprimant characterem: secus autem si tantum sit scrupulus, nam hic deponendus est, maximè ab eo qui Sacramenta ritè, & rectè administrare solet. Hinc fit, posse Sacramentum iterum administrari sub conditione, quando dubitatur de ipsius validitate, vt quando adhibita est forma dubia, seu quando sunt opiniones vtrinque probabiles de validitate Sacramenti, vel quando, adhibita sufficienti diligentia, remanet dubium v.g. an aliquis sit baptizatus, vel quando mens manet dubia, & neutra pars potest determinare, an Sacramentum sit validum; datur enim sufficiens, & rationabilis causa geriturque vtilitet negotium suscipientis, cum fieri posset vt iterata Sacramenti administratione salueiur. S. Thom. 3 *p q.* 66. *art* 9 *ad* 4. Bonacina cum aliis *tom.* 1. *disp.* 1 *q.* 2. *part.* 1. *num.* 35. & 36. Secus autem si dubium leue sit aut scrupulus vt dictum est, quia iteratio Sacramenti sine causa videtur quædam ipsius irrisio, & graue peccatum ex genere suo, vt cum communi DD. tenet Valentia *tom.* 4 *disp.* 4. *q* 1. *p.* 4. & Bonacina supra citatus, & latius constabit dum de singulis agemus.

18 Colligitur sextò. Quid dicendum de materiæ mutatione, videlicet tunc materiæ mutationem vitiare Sacramentum, quando est substantialis, secus si tantum sit accidentalis, vt de mutatione formæ dictum est. Dicitur autem mutatio materiæ substantialis quando moraliter in materia non manet eadem ratio signi à Christo instituti in ordine ad vsum humanum, ad quem materia fuit à Christo assumpta: quare aqua artificialis tollit Baptismum, quia non est apta ad lauandum, ad quem vsum assumitur à Christo in Baptismo; nec massa cruda est materia Eucharistiæ, quia non est apta ad comedendum. Quando vero mutatio materiæ solum est accidentalis, nimirum quando in materia adhuc remanet eadem ratio signi à Christo instituti, in ordine ad vsum humanum, non vitiat Sacramentum; sic tenet Baptismus in aqua naturali calida, vel frigida, & Eucharistia in azimo, vel fermentato quia aqua calida, vel frigida naturalis est, & apta ad lauandum secundum vsum communem, & panis azimus, vel fermentatus ad comedendum: hæc patent ex dictis, & vbi de singulis tractabimus.

19 Colligitur septimò. Manente substantiali & essentiali significatione in forma, valere ipsam vbique terrarum, propterea Baptismus in forma Græcorum administratus valet etiam extra Græciam, Suarez *disp.* 2. *sect.* 4. & 6. Bonacina eum aliis *tom.* 1. *disp.* 1. *q* 2. *punct.* 3.

20 Colligitur octauò, totam formam necessariò esse proferendam ab vno ministro, excepto Sacramento Extremæ vnctionis, aliter enim mutaretur substantialiter eius sensus: sic non tenetet Baptismus si quis diceret: *Ego te baptizo*, & alius prosequeretur *in nomine Patris, &c.* sicut nec teneret, si quis solum diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris*, quia in vtroque casu deficit substantialis sensus. Dixi excepto, &c. quia speciale est, vt hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus simul, vel successiuè possit ministrari, vt suo loco dicetur, Henriquez *lib.* 1. *c.* 9. *num.* 9. Bonacina *sup. puncto* 4.

CAP. III.

De ministro Sacramentorum nouæ legis.

DVB. I.

Quis sit minister Sacramentorum nouæ legis.

1 NOta triplicem esse causam Sacramentorum Prima dicitur principalis, & authoritatiua. Secunda dicitur per potestatem excellentiæ, de quibus dictum est, *capit.* 1. *dub.* 4. Tertia dicitur ministerialis, de qua hoc dub.

2 Communis, & certa sententia tenet cum S. Thom. *quæst.* 64. *articul.* 27. ex Christi institutione de lege ordinaria solos homines esse ministros Sacramentorum: nam cum Sacramenta sint à Christo instituta; ille erit eorum minister quem Christus instituit; at Christus instituit homines illorum ministros, vt constabit agendo de singulis: ergo, &c. Ratio congruentiæ est, quia iustificandus est homo visibilis, & viator: ergo minister debet esse homo visibilis

visibilis. Vide Suarez *disput.* 13. *sect.* 2. & S. Thom *artic.* 7.

3 Hinc fit Angelos, aut animam separatam Sacerdotis, non posse administrare Sacramenta absque diuina dispensatione, nam sermonem sensibilem, ac vitalem formare non possunt, Deo autem dispensante, certum est posse, quia virtus Dei non est alligata. Quare si certò constaret, bonum Angelum ministrasse, v. g. Baptismum, verbis prolatis per corpus assumptum, illud habendum tanquam verum Sacramentum, S. Thom. 3. *p. quæst.* 64. *art.* 7. Quod si aliquod Sacramentum de potentia ordinaria administraretur à diabolo, inualidum est censendum, quia non est credibile Deum vnquam daturum (etsi possit) diabolo facultatem conferendi vera Sacramenta, cum dæmon potius perditionem, quam salutem hominis intendat. S. Thom. *artic.* 7. Coninch *ibi num.* 55. & alij apud Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 3. *part.* 1. *propositione*, 3.

4 Non tamen omnis homo est legitimus Sacramenti minister, sed is tantum, qui ritè in Ecclesia ordinatus est, excepto Baptismo, & Matrimonio, probabitur vbi de singulis. Debet etiam homo habere vsum rationis: nam ad Sacramentorum administrationem requiritur intentio, quam vsu rationis carentes habere nequeunt, ideò nec infantes nec amentes possunt esse ministri. Non verò requiritur, vt minister sit viator; nam si Sacerdos resurgeret, & consecraret, fructum teneret. Vt docet S. Thom. *art.* 7. *ad* 2. Syl. *Baptismus.* 3. *dub.* 2. Secus Angelo in corpore assumpto, nam nec habet caracterem, nec potest proferre voces vitales, ideò absque dispēsatione minister esse non potest. Vide Henriq. *lib.* 1. *c.* 26.

D V B. II.

An, & qua intentio ministri requiratur ad conficienda Sacramenta.

1 NOta, intentionem in communi esse actum liberum voluntatis in finem, vnde actus, quo quis determinat ire Romam, dicitur intentio, quia est actus voluntatis in finem; & actus, quo quis intendit, & vult conficere Sacramentum, dicitur intentio. Hinc fit in rigore intentionem non esse idem cum attentione, vt dixi in Decalog. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 17. vbi de intentione, & attentione ad horas Canonicas requisita: nam attentio est actus intellectus considerantis ea, quæ homo agit; intentio verò est actus voluntatis, quo homo se determinat ad aliquid faciendum.

2 Nota secundò, triplicem communiter à DD. constitui intentionem, actualem, & habitualem, & virtualem. Actualis est, quando quis actualiter aduertens intendit, & vult conficere Sacramentum, ad quam sufficit, si quis animo sit præsens, & attendat, nec opus est corde, vel ore dicere, intendo, volo hoc facere, vt agunt scrupulosi. Intentio habitualis est habitus, facilitas, & animi præparatio ministrandi Sacramenta, data quacumque occasione, nulla actuali intentione præcedente, qualis reperitur in dormientibus; vel si actualis præcessit, non amplius virtute perseuerat in aliquo opere externo, eo quod moraliter sit interrupta, vt si quis hesterna die habuit intentionem baptizandi infantem, quem hodie baptizat absque noua intentione. Intentio virtualis est, quæ, postquam præcessit actualis, adhuc virtualiter durat, & manet in aliquo opere inchoato, virtute actualis intentionis prius habitæ, nec est moraliter interrupta per contrariam intentionem, aut per interpositam longam temporis moram. Seu breuius, quæ promanat ab actuali prius habita non reuocata, nec interrupta per longum tempus. v. g. si quis habens actualem intentionem baptizandi, accedat ad Ecclesiam, præparet necessaria, incipiat ceremonias & postea proferat formam Baptismi absque noua intentione, dicitur baptizare cum intentione virtuali: quæ ideò dicitur virtualis, quia actualis, quæ præcessit, videtur manere, tanquam in semine, & virtute in opere illo inchoato ratione actualis intentionis præcedentis ordinato ad Sacramenti ministrationem, modò tamen actualis prius habita non fuerit moraliter interrupta, videlicet, per contrariam intentionem, aut per longam temporis moram. Deinde intentio alia est absoluta absque vlla conditione, alia verò conditionalis, vt si quis intendat baptizare, si non es baptizatus.

3 Dico primò. Communis Catholicorum tanquam de Fide tenet ad conficiendum Sacramentum necessariò requiri intentionem ministri, sine qua non conficitur Sacramentum. Habetur expresse in Trid. *sess.* 7. *can.* 11. & tenet communis cum Sanct. Thom. 3. *part. quæst.* 64. *articul.* 8. Ratio est primò, quia actio conficiendi Sacramenta est humana; ergo debet more humano, & cum intentione exerceri. Secundò, quia sensus verborum est indeterminatus ac indifferens, v. g. ablutio in baptismo est indifferens ad abluendum sordes; vel refrigerandum; ideo debet per intentionem baptizantis determinari ab abluendas animæ sordes, & peccata: quare non sufficit intentio faciendi illam rem externam, & indifferentem, sed requiritur intentio faciendi Sacramentum: vt pluribus Suarez *disp.* 13. *sect.* 2. v. g. in Baptismo non sufficit lauare, vel verba tantum proferre, sed illa facere, prout ordinantur ad esse Sacramentale. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. & Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 3. *part.* 2. *num.* 6.

4 Dico secundò. Intentio necessariò requisita in conficiente Sacramentum est vt intendat facere Sacramentum, seu id quod Christus instituit, & intendit Ecclesia, & faciunt alij fideles. S. Thom. 3. *part. q.* 64. *art.* 8. Suarez *ibi disp.* 13. *sect.* 2. Coninch *ibid. dub.* 1. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 10. & cum aliis Bonacina *supr. num.* 5. Ratio est, quia ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad esse sacramentale, & tollat indifferentiam verborum, & actionum: talis autem est intentio faciendi Sacramentum, aut faciendi quod Christus instituit, aut intendit Ecclesia, aut alij fideles. Et quamuis sufficiat intentio generalis faciendi, quod facit Ecclesia, vt habet communis Doctorum, melior tamen est intentio particularis, v. g. Baptizandi, Confirmandi, &c.

5 Dico secundò. Non requiritur necessario intentio faciendi id, quod facit Ecclesia Romana, vel alia particularis, sed sufficit ad validitatem Sacramenti, vt intendat facere, quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit: patet quia hæreticus verè baptizat, & tamen non credit Romanæ Ecclesiæ. Hinc fit primò. Validè conficere Sacramentum qui intendit facere, quod Christus egit, non quod Romana Ecclesia. Secundò; validè baptizat intendens facere, quod facit Ecclesia Geneuensis, aut Caluinista, exclusa Romana, modò tamen intendat facere quod facit vera Ecclesia, quamuis existimat suam esse veram, nam hic etsi erret circa veram Ecclesiam, non tamen errat intentione generali; cum habeat intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, sicque error ille particularis non nocet validitati Sacramenti. Secus dicen-

dum

dum intendens facere quod faciunt Caluinistæ, & & non quod facit Ecclesia Romana, credens Romanam esse veram, & Caluinisticam falsam, quia hic non habet intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 1. *part.* 5. *num.* 75. Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 1. *q.* 3. *tract.* 1. *p.* 2. *n.* 9. & latius Suar. *disp.* 13. *sect.* 1.

6 Dico tertiò. Etsi actualis intentio omnium sit perfectissima, & sufficientissima, non tamen est necessaria, vt docet S. Thom. & communis cum eo 3. *part. quæst.* 64. *articul.* 9. quia non est in potestate nostra, quin aliquando distrahamur; & nimis durum esset, eam ab hominibus exigere; tum etiam, quia, vt dicemus, sufficit intentio virtualis. Curare tamen studiosè debet minister, vt actualem habeat intentionem, & attentionem; non quidem vt semper in sua mente dicat, volo conficere Sacramentum, aut facere quod Christus instituit, vel Ecclesia intendit, sed rectè verba proferat, deuotè attendat ad sensum verborum, & ad actionem ipsam externam. Sotus *in* 4. *cap.* 1. *quæst.* 5. *artic.* 8. *ad fin.* Suar. *disput.* 13. *sect.* 3. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 1. *quæst.* 3. *part.* 2. *numer.* 11.

7 Dico quartò. Intentio habitualis non sufficit ad conficiendum Sacramentum: est commune apud DD. quia talis censetur interrupta, & manet in dormientibus: & actus inde proueniens, non est humanus, nec deliberatus. Doctores autem, qui videntur asserere hanc sufficere, loquuntur impropriè sumendo intentionem habitualem pro virtuali. Vide Henriquez *lib.* 1. *cap.* 72. *num.* 1. Ledesmam *de Sacram. lib.* 1. *cap.* 16. Quod si dicas valere applicationem sacrificij, quam minister hodie facit, per voluntatem applicandi illam, quam hesterna die habuit, & eam non reuocauit. Respondeo cum Suar. *disp.* 13. *sect.* 3. *concl.* 2. ideò esse, quia applicans sacrificium applicando illud, non conficit sacrificium, ideo secus dicendum de ministrante Sacramentum, nam tunc illud conficit, propterea voluntas, & intentio conficiendi Sacramentum debet concurrere, & cooperari ad ipsum Sacramentum. Inde fit, quod etsi voluntas habitualis sufficiat, vt quis valide suscipiat aliqua Sacramenta, vt infra suis locis dicetur; non autem sufficere ad ea ministranda. Primò, quia suscipiens habet se passiuè, conferens verò actiuè; maior autem perfectio, requiritur in agente quam in patiente. Secundò, quia etsi sapientem aliquando deceat bona dispensare in amentes: non verò per illos ea distribuere. Ita Coninch. *in* 3. *part. D. Thom. q.* 64. *art.* 8 *dub.* 2. *n.* 76.

8 Dico quintò. Intentio virtualis necessario requiritur, & satis est ad conficiendum Sacramentum; ita communiter DD. Probatur primò, vsu, & consensu totius Ecclesiæ. Secundò, quia in aliis operationibus humanis illa satis est; ergo etiam sufficiet ad Sacramenta. Tertiò, quia aliqua intentio requiritur: actualis autem non est necessaria, habitualis non sufficit; ergo sufficit virtualis; aliter enim aperiretur via infinitis scrupulis; nam sæpè dubitaretur, ministrum non habuisse intentionem actualem, cum hæc difficilis sit. Vide Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 11. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1 *c.* 5. *q.* 4.

9 Dico sextò. Intentio absoluta necessaria est ad valide conficiendum Sacramentum. Caietan. *in sum. verb. absolutio*, & infracitandi: nam sola hæc efficax est, quia conditionalis intentio, qua talis est, manet suspensa, & nihil operatur; sicut propositio conditionalis nihil ponit in esse: quare absolutio data sub conditione de futuro non valet; quia conditio de futuro est propriè conditio, & suspendit actum vsque ad ipsius impletionem, & est contraria substantiæ Sacramenti (excipe matrimonium, vt suo loco dicetur) ideò non validè sic conficitur; non enim est in voluntate ministri Sacramentum, & illius effectum suspendere, de quo late Coninch 3. *parte. quæst.* 64. *artic.* 8. *dub.* 2. & Suarez *disputat.* 13. *sect.* 3. Quod si conditio sit de præsenti, vel præterito: si res ita sit, valet Scramentum, secus si non; nam hæ conditiones non sunt vere conditiones, nec suspendunt actum, sed illis existentibus est validus, & sic transit in absolutam; si vero non existant, intentio destruitur, vt patet in exemplo, si non es baptizatus, ego te baptizo. Hinc fit esse peccatum mortale, apponere conditionem de futuro in conficiendis Sacramentis. Similiter de præsenti, vel præterito, quia exponit se periculo ministrandi Sacramentum inualidè, si res non sic se habeat. Limita tamen nisi adsit iusta causa, nam tunc licite potest ministrari Sacramentum sub conditione de præterito vel præsenti: vt quando prudenter dubitatur, an puer sit baptizatus, vel an Sacerdos absolutionem impenderit, Suarez *supra conclus.* 3. Bonacin. *supra n.* 20. & alij.

10 Dico septimò. Ea quæ diximus de intentione, eodem modo dicenda sunt de attentione, nam hæc duo mutuo se includunt, vt dixi in Decalog. *lib.* 1. *c.* 7. *dubio.* 17. est enim attentio aduertentia eius quod agitur, estque triplex, actualis, habitualis, & virtualis: actualis perfectissima, & sufficientissima, virtualis omnino necessaria, si habitualis, insufficiens ad valide Sacramentum conficiendum, vt diximus de intentione, Bonacina *sup. n.* 12.

11 Dico octauò. Intentione necessaria deficiente, Deus non supplet effectum Sacramenti. Vt docet S. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 8. Sotus *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 8. Suarez *art.* 8. & *disp.* 13. *sect.* 2. Ratio est, quia quod Deus suppleat, non fundatur vlla lege, promissione, aut necessaria ratione: & ex alio capite, intentionem requiri, est de Fide, vt dixi *concl.* 1. Vide Henriquez *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 3. *litt. V.* & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 80. & Dian. 3. *p. tract.* 4. *resolut.* 7. vbi meritò, non recedit à nostra sententia, quicquid aliqui ab eo citati opinentur.

12 Dico nonò. Intentio mere interpretiua non sufficit ad validitatem Sacramenti, v. g. quando aliquis vult tantum in causa, ministrare aliquod Sacramentum, vt si Sacerdos sciens se ebrium, obuium panem consecrare, ea intentione se omnino inebriaret, ac obuio loco panem poneret, vt eum ebrius consecraret, & postea omnino ebrius super eum formam consecrationis proferret, nihil efficeret: quia cum ministratio Sacramenti sit dispensatio mysteriorum Dei, debet fieri à natura rationali, & modo rationali, & non brutali, ad quod requiritur, vt talis actio sit voluntaria: non solum in causa, sed dum actu fit: ebrius enim magis agit brutali modo, quam humano. Ita Coninch. *in* 3. *part. S. Thom. quæst.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. *n.* 74. vide infra vbi de sponsalibus *cap.* 1. *dub.* 3. Nec obstat, homicidium in ebrietate commissum imputari ad culpam, & inducere obligationem restituendi: nam ad conficiendum Sacramentum requiritur quod illa actio sit libera, & humana ad incurrendam autem culpam, & obligationem restitutionis, sufficit, quod actio sit voluntaria in causa: malum enim ex singulis defectibus, bonum verò ex integra causa. Hinc fit, vt verè baptizet, qui post actualem intentionem, inuoluntarie distrahitur tempore quo baptizat; quia exercet actionem humanam: ebrius autem minime. Hinc etiam fit, ebrium valide recipere Baptismum, quem antea petierat: quia vt dictum est *conclus.* 4. plus requiritur

quiritur ad conficiendum Sacramentum, quam ad illud recipiendum.

13 Sequitur ex dictis valide consecrare Sacerdotem, qui secum tulit hostiam ad altare, quam antequam se indueret, intenderat consecrare, vel habuit intentionem celebrandi, seque continuò recepit ad Ecclesiam ad hunc finem, quamuis tempore consecrationis non recordetur, nec aduertat, quia adest virtualis intentio promanans ab actuali prius habita, quæ virtute, & tanquam in semine manet in illis actionibus ab eâ prouenientibus, & ordinatis ad illius finem, scilicet ad consecrationem. Nec est interrupta per contrariam intentionem, vt supponimus, nec per temporis moram. Secus dicendum, si mane hora octaua domo exiens habuit intentionem, & se immediate conferat ad forum, vel alium locum ad alia negotia; & redeat ad Ecclesiam hora vndecima, & absque alia intentione, non aduertens consecraret, quia actualis illa intentio est moraliter interrupta: hæc patent ex dictis

14 Sequitur secundò. Non valide baptizare eum, qui absque vlla intentione diceret: *Ego te baptizo*, & postea cum intentione prosequeretur, *in nomine Patris, &c.* quia priora verba sine intentione dicta, ita se habent, ac si non fuerint dicta. Bonacin. *tom.*1. *disput.*1. *quæst.*3. *part.*2. *num.*14. Nec validè baptizat ille qui die qua natus est puer, habuit intentionem illum baptizandi, quem die sequenti absque alia intentione inaduertenter baptizat, quia iam non remanet intentio virtualis. Bonacina *sup. num* 16.

15 Sequitur tertiò, non sufficere intentionem, qua quis suscipit Ordines, hoc animo, vt fiat Sacerdos, & minister Ecclesiæ, ad Sacramenta conficienda, ratione cuius intentionis absque vlla alia postea alia conficit Sacramenta, quia talis intentio, non virtualis, sed habitualis censenda est, vt bene Bonacina *sup. num.*15.

D v b. III.

An probitas, seu bonitas ministri sit necessaria.

1 Dvbium hoc duplicem potest habere sensum. Primus est, an vt validum sit Sacramentum, requiratur, quòd minister si bonus, & in gratia. Secundus est, an gratia sit necessaria in ministro, ne peccet ministrando; seu an minister peccator peccet ministrando Sacramenta.

2 Nota, duplicem esse ministrum Sacramentorum. Alter est, qui dicitur per se, & ex officio, quia scilicet est consecratus ad administranda Sacramenta, qui dicitur minister consecrationis, vt sunt Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi. Alter dicitur minister per accidens, seu necessitatis, vt est quilibet homo respectu Baptismi, & ipsi contrahentes in matrimonio, qui non sunt consecrati ad tale ministerium; ideo dicuntur ministri per accidens, ratione scilicet necessitatis.

3 Quoad primum sensum dubij, dico. Bonitas, seu sanctitas ministri non est de necessitate sacramenti: hoc est, vt Sacramentum validum sit, suumque operetur effectum, non requiritur, quod minister sit in gratia, ita Trident. *sess.*7. *Can.*4.6.7.*&* 12.& probati potest Matth.23. *super cathedram Moysi, &c.* & tenet S. Thom.3. *part. quæst.*64. *art.*5. Suarez *ibi disp.*12.*sect.*4.& communis Theologorum. Et probatur primò, quia aliàs maxima perturbatio esset in Ecclesia, cùm sanctitas ministri persæpe desit. Secundò, quia minister non operatur authoritate, & virtute propria, sed virtute, & authoritate diuina, & tamquam Christi minister, ideo potest dare gratiam quam non habet, & valide conficere Sacramentum. Vide Filliuc. *tom.*1 *tract.*1.*cap.*5 *quæst.*8. & Bonacina *tom.*1. *disputat.* 1. *quæst.*3. *part.*2. §.1.*n.*1.

4 Quoad secundum respondeo, & dico secundò, Minister per accidens, ne peccet ministrando Sacramenta, non tenetur esse in gratia. S.Thom.3.*p.q.*64. *art.*6.*ad* 3. Suar.*ibi disp.*16.*sect.*3. & Doctores communiter. Ratio est, quia hæc obligatio præcipuè oritur ex eo, quod minister se gerit, vt persona ex officio deputata, & consecrata ad illud munus, vt infra constabit, at personæ priuatæ non tam censetur illi commissa administratio quam consuli necessitati patientis, & ideo non debuit tantum onus imponi, sed satis est, quod sine contemptu, & cum debita fide, & debita reuerentia exteriori Sacramentum administret. Inde fit, laicum existentem in peccato mortali, & baptizantem in necessitate non peccare mortaliter; nam etsi sit minister Christi, non tamen ad id munus est deputatus, & consecratus (quæ consecratio facit, vt peccet minister, vt infra) sed solum illi est permissa administratio Baptismi ex accidenti, vt subueniatur necessitatis indigentis. Ita cum S.Thom.3. *p.q.*64 *art.*6.*ad* 3.Suarez *disp.*16 *sect.*4.Syl.*verbo Baptismus.num.*4. & Doctores communiter. Secundò, nec peccat mortaliter Sacerdos sic baptizans, ob eandem rationem, modò tamen in necessitate non ministret solemniter Baptismum, vt docent Doctores citati, & alij sicque intellige Coninch 3. *p. q.* 64. *art.*6. *dub.*1.*n.*36. quia Baptismum in necessitate absque solemnitate administrans Sacerdos, agit vt laicus, ideo non peccat mortaliter; si autem cum solennitate, geritur tanquam minister consecratus; ideo existens in peccato mortali peccat mortaliter. Vide Bonacinam *tom.*1. *disp.*1. *q.*3.*part.*2.§.1.*n.*11.*&* 12.

5 Dico tertiò. Minister ex officio deputatus, & consecratus tenetur, si est in peccato mortali, se ad gratiam disponere, ne ministrando peccet, aliter in peccato mortali ministrans mortaliter peccat. Sanct. Thom. 3.*part.quæst.*64 *art*..... Caietanus ibi, Suarez *disput.*16.*sect.*3. & communis apud Bonacina.*tom.*1. *disput.*1. *quæst.*3. *part.*2.§.1. *num.*2. Primò probatur ex Scriptura, Leuit.21. *Sacerdotes incensum, & panes offerunt Deo, & ideo sancti erunt*, & cap.22. *Omnis qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino* & Isai.52. dicitur: *Mundi estote, qui fertis vasa Domini.* Igitur si in Sacramentis veteris legis requirebatur sanctitas, à fortiori in nostris quæ perfectiora sunt. Secundò probatur ex decretis Pontificum, primum S. Greg. *in can. Necesse est, vt munda sit manus, quæ diluere sordes curat.* Secundum Augustini *in Can. Omnia* 1. *quæst* 1. *Omnia Sacramenta, cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus* Tertium Nicolai Papæ *Can.vltim.*15.*quæst.*8. *Mali bona ministrando se tantummodo lædunt.* Ratio horum est, quia minister deputatus, & consecratus ad Sacramenta ministranda, speciale auxilium, & gratiam recipit ad illud munus obeundum; ergo indignè ministrando infert iniuriam huic gratiæ, & committit irreuerentiam contra Sacramentum, imò & contra ipsum Christum, quem repræsentat, eiusque merita, ac sanguinem distribuit. Igitur cum in re graui faciat contra id, ad quod specialiter est deputatus, peccat mortaliter indigne ministrando. Quare vt à peccato liberetur malus minister, tenetur conari, vt in gratia constituatur, & habere contritionem, saltem existimatam. Non tamen tenetur præmittere confessionem, si bona fide existimat se esse in gratia per contritionem. Sotus *in* 4. *dist.* 17. *quæst.*

quæst.2. art.6. conclus.4. Nauarrus *cap.12. numero 3.* Suarez *disp.16. sect.3.* Henriquez *lib. 1.capitul.39.* & cum aliis Bonacina *tom.1. disput. 1. quæst. 3. part. 2. §.1. num.3.* vbi tenet, quòd si talis existens in peccato mortali aduertat, se non posse actum contritionis elicere, debet Sacramentum pœnitentiæ recipere: quia inquit (& bene) debet assumere media, quibus ad gratiam sanctificantem disponatur; ne Sacramenta indignè pertractet. Quod limita, si commodè id facere possit; aliter existimo sufficere, vt Deo adiuuante, conetur, quantum in se est, ad contritionem eliciendam.

6 Ex dictis sequitur primò, exercentes præcisè, sine Sacramentorum confectione, functiones, & actiones Ordinum, existentes in peccato mortali, non peccare mortaliter, secluso scandalo, vt docent Sotus *in 4. dist.24. quæst.1. art.4.* Suarez *disp.16. sect.3.* & cum aliis Bonacina *tom.1. disput. 1. quæst. 3. p.2. §.1. n 4.* Tum quia non extat aliqua specialis prohibitio. Tum quia non sunt hæ functiones Ordinum immediatè sanctificatrices, ideo earum indigna tractatio non videtur esse materia grauis: vnde non peccat mortaliter exercens in mortali ordines minores; peccat tamen venialiter, vt existimat Suarez *dict. sect.3.* quia aliqualis reperitur irreuerentia, etsi Sotus *dist.1. quæst. 5. art 6.* eos à culpa veniali excusare nitatur. Nec peccant mortaliter Diaconi, & Subdiaconi suos Ordines in mortali exercentes, quia eorum actus non sunt consecrati eo modo speciali, quo Sacramentorum actus. Ita cum Suarez, Valentia, Soto, & aliis Bonacina *sup.* contra Sylu. & Angel. *verb. Clericus.* Quod procedit, etiamsi hos actus in mortali existentes frequenteur, modò absit scandalum, vt bene cum Vasq. *tom.3. de Sacram. disp.136. num.41.* & Coninch *3. p. q. 63. art.6. dub.1. n.40.* tenet Bonacina *vbi suprà* quia isti actus videntur separati, & simul non coalescere ad constituendam vnam materiam ad peccatum mortale sufficientem.

7 Secundò sequitur, Episcopum conferentem primam tonsuram, aut benedicentem sacras vestes, aut consecrantem Ecclesias, aut conficientem chrisma, aut habentem concionem ad populum in peccato mortali; non peccare mortaliter, non enim videtur hæc materia grauis, cum hæ actiones non sint Sacramenta, nec sint ordinatæ immediatè ad sanctificationem animæ. Ita cum Suarez, Vasquez, Coninch, Soto, Bonacin. *1. tom disput.1. quæst.3. p.1. §.1. num.8.* Ob eandem rationem Sacerdos in mortali existens, benedicendo aquam non peccat mortaliter. Bonacina *num 9.* Item tertiò sequitur, parochum existentem in peccato mortali non peccare mortaliter assistendo matrimonio, aut benedicendo sponsis; nam parochus non est minister Sacramenti matrimonij, sed ipsi contrahentes, vt dicemus. Henriquez *lib.1. cap.19.* Sanch. *lib.2. disp.6.* & alij apud Bonacinam *vbi sup. num.10.* Ipsi autem contrahentes, si in peccato mortali existant, peccant mortaliter, non ex eo quòd sic contrahunt, quia non sunt ad id ministri consecrati, & deputati, sed eo solùm, quia recipiunt indignè Sacramentum, ideo vnum peccatum tantùm committunt Bonacina *loco citato.* Nec ministrans, aut exercens Sacramentalia, vt cum Suarez, Caiet. & Soto tenet Filliuc. *tom.1. tract 1. cap.5. num.87. vers 4.* Ob eandem rationem peccator non peccat mortaliter, exercendo iurisdictionem spiritualem in foro exteriori. Vide Ledesmam *in summ. lib.1. cap.6. concl. 6. dub.10.* quia non est Sacramenti ministratio.

8 Quartò sequitur, ministrum consecratum, & deputatum conficientem, aut ministrantem Sacramentum, si existit in peccato mortali, peccare mortaliter, & fieri irregularem: si peccat mortaliter baptizans solemniter, item conficiens sacram Eucharistiam: item ministrans Pœnitentiam, aut Extremam vnctionem occultè, vel in extrema necessitate: similiter peccat mortaliter Episcopus, si in mortali existens conferat Confirmationem, & Ordines Ita citati, vide Henriquez *lib.1. cap.29. num.4.*

9 Quintò sequitur, peccare mortaliter Sacerdotem, qui dum existit in peccato mortali, ministrat, seu dispensat Eucharistiam iam consecratam, vt docent Suarez *disput. 16. sect. 4.* Coninch *q.64. art.6. dub.1. num.35.* & communiter Theologi *in 4. dist.5. & 3 part. quæst.6. art.6.* Ratio est, quia etsi non sit confectio Sacramenti, est tamen proximè ordinata ad gratiam recipientis, & grauissimum ministerium. Ideo Diaconus ministrans in necessitate Eucharistiã in peccato mortali peccat mortaliter, quia tunc id præstat ex officio, ad quod est specialiter consecratus, vt suo loco dicetur. Bonacin. *tom.1. disputat.1. quæst.3. part.2. § 7. 11. 13. & disput 4. q.5. punct.2. num. 1.* & Filliucius *tom. 1. tract. 1. cap.5. num. 87. vers 5. & tract.4. capitul.9. num.271.* Aliqui tamen existimant, sic ministrantem Eucharistiam non peccare mortaliter, quia non facit Sacramentum, nec aliquid gratiæ causatiuum, sicut nec peccat mortaliter confirmatus si in mortali existens fidem confiteatur: quod existimat probabile Ledesma *in summ. lib.1. cap.6. dub.5.* Probabilius, & verius videtur oppositum, ob rationem dictam, nec valet exemplum de confirmatione; quia ille actus non est tam grauis, nec tam proximè ordinatus ad gratiam recipientis, sicut est actio ministrandi Eucharistiam. Adde, ministrantem Eucharistiam in culpa lethali, toties peccare mortaliter, quot sunt numero hostiæ, quas singulis distribuit, vt existimat Coninch *vbi suprà* quem sequitur Bonacina *loco citato* quia sunt plures actiones completæ, & determinatæ, etiam si fiant successiuè; valde tamen probabile est, solùm peccare in singulis distributionibus, etiamsi vna vice mille hostias distribuat, vt docet Henriquez *lib. 1. cap. 29. num. 24. lit. S.* & cum eo Fillinc. *sup.* quia moraliter tunc est vnus actus. Conueniunt omnes, conferentem plures hostias vni personæ, si conferens existat in peccato mortali, tantum vnum peccatum mortale committere: excusatur tamen à peccato mortali, Sacerdos existens in peccato mortali, & transferens Eucharistiam ab vno loco in alium, qui parua est actio, nec est Eucharistiæ ministratio. Henriquez, Bonacina cum aliis *locis citatis.* Item nec peccat mortaliter laicus peccator de terra reuerenter eleuans Eucharistiam, sicut nec peccasset mortaliter, qui Christum in hac vita degentem, extensa manu, lapsum eleuasset. Bonacina *dict. §.1. num.12.* vide Henriq. *loco cit.* & Coninch *3. part. quæst. 64. art.6. dub.1. num. 39.* vide etiam Suarez *tom.3. quæst.82. sect 4.* vbi dicit non esse peccatum mortale, sed rem reprehendendam, tangere manu Eucharistiam, ferendo in processione, vel ab vno loco in alium. Nec videtur peccare mortaliter Sacerdos existens in mortali, consecrans Eucharistiam contritus, eo præcisè quia consecrat, vt ait Ledesma *sup. dub. 4.* quia non tenetur confiteri ad præcisè consecrandam Eucharistiam.

10 Nota, ministrum, quando peccat mortaliter indignè Sacramenta ministrando, non committere duplex peccatum, alterum de non conuertendo, & alterum indignè ministrando, sed tantum vnum peccatum sacrilegij: esse peccatum sacrilegij docet S. Thom. 2. 2. *quæst. 99. art. 3.* esse verò vnum peccatum, tenet Sotus *dist.17. quæst.1. art.1.* Nauar *c.22. n.3.* Henriquez *lib. 1. cap.29. n. 3.* quia pœnitentia,

ſeu contritio non obligat tunc per ſe, niſi ratione Sacramenti miniſtrandi, ideo indigna miniſtratio ſolum eſt ſimplex ſacrilegium.

11 Sequitur vltimò, fide non eſſe neceſſariam ad validam, ſed ſolum ad licitam Sacramenti adminiſtrationem. Conſtat ex dictis: nam ad validam Sacramenti adminiſtrationem ſolum requiritur materia, forma, & intentio, ad hoc autem ne peccet peccator, & licitè miniſtret, requiritur gratia, ſeu contritio ſaltem exiſtimata, vt latè *ſup.* ideo ad licitè Sacramenta miniſtranda requiritur fides, non vero ad validè. Ita citati, & cum multis Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 1. *quaſt.* 3. *part.* 2. §. 2.

D v b. IV.

Vtrùm miniſter teneatur ſeruare ritus Eccleſiaſticos in Sacramentis administrandis.

1 Nota, ritum, alium eſſe ſubſtantialem, & eſſentialem, qui conſiſtit in legitima applicatione materiæ, & formæ cuiuſque Sacramenti, cum debita intentione: qui ritus abſque dubio ſub peccato mortali, eſt ab omnibus obſeruandus. Alius eſt accidentalis qui conſiſtit in certis ceremoniis (quæ dicuntur ſacramentalia) quibus religioſè, deuotè, & ornatè Sacramenta miniſtrantur iuxta Eccleſiæ præceptum. De quo Bellarmin. *lib.* 2. *de Sacram. c.* 16. Suarez *tom.* 3. *diſp.* 15. *ſect.* 1. & cum aliis Bonacina *tom* 1. *diſp.* 1. *q.* 7. *part. vnic.* Inſtitutus eſt autem ritus accidentalis, ſeu ceremoniarum, primò ob decorem & ornatum, vt conſtat in veſtibus ſacerdotalibus. Secundò, vt fideles conueniant in modo colendi Deum. Tertiò, vt per ceremonias augeatur deuotio fidelium. Vide Suarez *vbi ſup.*

2 Dico igitur. Sacramenta validè adminiſtrantur, ſed non licitè ſine ritu accidentali. Prima pars probatur, quia accidentalia non ſunt de eſſentia Sacramenti. Secundò patet ex Trident. *ſeſſ.* 7. *Can. vlt. de Sacram.* vbi impoſitum eſt præceptum miniſtris de ritu ſeruando ab Eccleſia inſtituto; & conſtat ex ipſa conſuetudine, & ſenſu fidelium, & multis decretis, quæ ſuis locis afferentur: ideò illum non ſeruare, ex contemptu, ſemper eſt peccatum mortale vt ſi negligeret obſeruantiam ceremoniarum, putans, vel eſſe rem ſuperfluam, vel impertinentem, vel quid ſimile. Abſque contemptu verò, eſt mortale pro grauitate materiæ, vnde excuſat leuitas, vt ſi quis baptizat lingua vulgari. Bonacin. *ſuprà n.* 4. qui *num.* 5. cum Henriquez *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. Coninch *vbi ſup.* & Suarez *loco cit. diſput.* 16. addit, & bene, ritus à Summo Pontifice præſcriptos non poſſe mutari per Epiſcopos, aut alios Prælatos inferiores Papa; nam inferior non poteſt legem ſuperioris abrogare. Poteſt tamen Epiſcopus in ſua Diœceſi mutare ritus, qui non fuerint præſcripti à Pontifice: nam Epiſcopus poteſt ea facere, quæ ad rectam ſuæ Eccleſiæ gubernationem, modò non impediatur à Summo Pontifice.

C A P. IV.

De effectu Sacramentorum.

1 Duplex eſt effectus Sacramentorum: alter primarius, alter verò ſecundarius. Primarius eſt gratia; ſecundarius verò, character. Gratia eſt donum, & qualitas ſupernaturalis faciens nos Deo gratos, & Regni cœleſtis hæredes, ac diuinæ naturæ conſortes. Seu breuius: eſt qualitas ſupernaturalis, qua homo formaliter iuſtificatur. Character verò eſt ſignum, ſeu poteſtas quædam ſpiritualis indelebilis impreſſa intellectui medio Sacramento. De quibus ſigillatim, & primo de gratia.

D v b. II.

An Sacramenta nouæ legis conferant gratiam.

1 Nota cum communi Theologorum, gratiam duplici modo obtineri poſſe. Primò, ex opere operato; ſecundò, ex opere operantis. Tunc conferunt ex opere operantis, quando conferunt ſolum propter meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis, vt quando peccator elicit actum contritionis, ſeu dilectionis Dei ſuper omnia. Tunc verò dicitur gratia conferri ex opere operato, quando confertur non propter ſolam diſpoſitionem ſuſcipientis, ſed propter aliquid aliud externum inſtitutum à Deo ad conferendum gratiam vltra meritum, & diſpoſitionem operantis: vnde idem eſt, Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipſius actionis ſacramentalis, à Deo ad hoc inſtitutæ, non ex merito agentis, vel operantis. Vide Coninch 3. *part. quaſt.* 62. *artic.* 1. & Bonacin. *tom.* 1. *diſput.* 1. *quaſt.* 4. *part.* 1. *num.* 1.

2 Dico primò. Omnia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, ſeu gratia eſt effectus Sacramentorum nouæ legis. Eſt de fide, & habetur expreſsè in Trid. *ſeſſ.* 7. *Can.* 6. 7. & 8. Idem ſtatutum eſt in Concilio Florent. loco ſæpè citato, & aliis Conciliis, vt Nicæno, Mileuitano, & Arauſicano, vt habetur *cap. quod autem cap. filius, capitul per aquam capit. nunquam de conſecrat. diſt.* 4. & fundatur in ſacra Scriptura. De Baptiſmo, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* & ad Epheſ. 5. *Mundans eam* De Euchariſtia, Ioan. 6. *Qui manducat*, &c. De Confirmat. Actor. 8. *Per manuum impoſitionem dabatur Spiritus Sanctus.* De Ordin. 2. Tim. 2. *Vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te, per impoſitionem*, &c. De Pœnitentia Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* De extrema vnctione Iac. 5. *Oratio fidei ſaluabit infirmum.* De Matrim. Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt*, &c. Ratio autem nulla alia eſt, quam Chriſti voluntas expreſſa in Scripturis allatis, cum communi conſenſu, & traditione Patrum, quos refert Suarez *de Sacram. diſput.* 7. *ſect.* 1. Hoc autem fuit decens, ac congruum ad oſtendendum virtutem, & efficaciam meritorum Chriſti, Dei potentiam, eiuſque liberalitatem in homines, in commodum, & vtilitatem noſtram: igitur, cum hoc fuerit poſſibile, & decens, cur negandum? Vide S. Thom. 3. *p. quaſt.* 62. *art.* 1. & ibi Doctores. Errant igitur toto cœlo hæretici, dum efficaciam gratiæ non tribuunt Sacramentis, ſed fidei. Et ad illud, in quo fundantur, Marci vltim. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c* & ad Rom. 1. *Iuſtus ex fide viuit.* Reſpondetur, fidem non eſſe cauſam gratiæ formaliter, & proximè, vt ſunt Sacramenta; ſed fundamentaliter, & remotè, quatenus fides requiritur in ſuſceptore Sacramentorum, vnde dicitur, iuſtum ex fide viuere, non proximè, ſed remotè, quatenus fides diſponit ad iuſtificationem, & conſequenter fides dicitur iuſtificare. Vide Bonacinam *tom.* 1. *diſput.* 1. *quaſt.* 4. *part.* 1. *num.* 3.

3 Dico ſecundò. Gratia iuſtificans eſt effectus Sacramentorum. Patet, quia ſic loquuntur Patres, & Concilia, dum dicunt, ea eſſe cauſas gratiæ: quod quidem de Baptiſmo, & Pœnitentia clariſſimum eſt,

est; quia non possent remittere originale, vel mortale peccatum, nisi conferrent gratiam iustificantem, & sanantem animam à peccati morbo. Quod si recipiens Sacramenta sit iam in gratia constitutus, recipiet augmentum gratiæ; cum enim habeat gratiam, & noua gratia producatur, negari non potest quin recipiat augmentum gratiæ. Ita ex Trid. *sess.7. Can* 7. Vide Bonacin. *vbi sup. num.4.*

4 Dico tertiò, Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato. Ita Trident. *sess.7. Can.8. & 9.* & probatur ex prima conclusione; Concilia enim, & Patres dicunt Sacramenta esse causas gratiæ ex se præter meritum operantis: & præterea infantibus, surdis, amentibus ritè applicantur Sacramenta, qui tamen nihil operantur, requiritur tamen vt non ponatur obex, vt dicetur conclus. seq. vide Filliuc. *tom.1. tract.1. cap.6. q.3.* vbi dicit omnia hæc concurrere ad iustificationem, fidem, pœnitentiam, & Sacramenta, suo quæque modo, fides enim concurrit, vt est fundamentum reliquarum virtutum; pœnitentia autem, & dilectio, vt est dispositio: denique Sacramenta, vt instrumenta gratiæ, quod optimè declarauit Trid. *sess.7.* vnde ineptè hæretici dixerunt, solam fidem iustificare, quos pluribus refellit Bellarmin. *lib.2. à cap.3.* & Suarez *disp.7. sect.1.*

5 Dico quartò, Sacramenta ex se, & ex parte sui semper conferunt gratiam, modo obex non ponatur à pœnitente. Ita definitum est à Trident. *sess.7. Can.7.* ibi: *Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta, semper, & in omnibus, &c. anathema sit.* & ita tenet communis Catholicorum. Ratio est, quia Sacramenta, supposita diuina institutione, operantur ad modum causæ naturalis, quæ semper, positis requisitis ad agendum ex parte subiecti, suum operatur effectum, *Dixi modo obex, &c.* nam si suscipiens ponat obicem seu impedimentum, non recipit gratiam: obicem autem ponit, qui suscipit Sacramenta sine debita dispositione, aut cum peccato mortali actualiter tunc commisso, vt infra constabit.

6 Dico quintò, vnumquodque Sacramentum distinctam causat gratiam Sacramentalē, propter quod inter se distinguuntur, eo quod diuerso modo eam causant. Ita communis, & ratio est, nam vnumquodque Sacramentum institutum est ad finem proprium; ergo debet causare gratiam suo fini correspondentē: sic Baptismus causat gratiam regeneratiuam; Confirmatio roboratiuam; Eucharistia nutrimentalem; hæc autem distinctio non est essentialis, hoc est, gratia sacramentalis non distinguitur essentialiter à gratia gratum faciente, vt docet S. Thom. *3.p. q 62 art.2.* Coninch ibi. Suarez, *disp. 7. sect.3.* & communiter DD. nam vna gratia per vnum Sacramentum accepta, per susceptionem alterius augetur, quod fieri non posset, si essentialiter differrent; calor enim non potest augeri, nisi per calorem eiusdem speciei; ergo nec gratia differunt: ergo solum accidentaliter, quæ differentia in eo consistit, quod gratia sacramentalis addat gratiæ gratum facienti, & iustificanti ex diuina institutione, speciale auxilium, vt obtineatur finis, ad quem Sacramentum est ordinatum, v. g. Baptismus dat speciale auxilium ad suscipienda alia Sacramenta dignè, & seruanda Christi præcepta, Christianeque viuendum: Confirmatio addit auxilium robotans ad Fidem profitendam: in Sacramento Pœnitentiæ tribuitur gratia cum speciali auxilio ad peccata detestanda, & satisfaciendum pro delictis patratis: in Sacramento Eucharistiæ datur gratia cum speciali auxilio ad præcauendas, & superandas tentationes, & ad crebros virtutum actus eliciendos: in Sacramento extremæ vnctionis, datur gratia cum speciali auxilio ad facilius resistendum tentationibus in periculo mortis: in Sacramento Ordinis confertur gratia, cum speciali auxilio ad rectè obeunda sacri Ordinis munera: in matrimonij Sacramento impenditur gratia, cum speciali auxilio ad fouendum mutuum amorem, & fidem inter ipsos seruandam. Est igitur gratia sacramentalis eadem cū gratia gratum faciente, cum extensione tamen ad particularem effectum Sacramenti, connotando auxilium necessarium ad illum consequendum, vt docet S.Thom. *vbi sup.* Quemadmodum enim Episcopatus non est Sacramentum distinctum à sacerdotali Ordine, sed idem character sacerdotalis, cum extensione ad munera Episcopalia; ita similiter gratia gratum faciens non est essentialiter distincta à Sacramentali, sed eadem cum extensione ad fines Sacramentorum. Vide Henriq. *lib.1.c.1a.* Suar. *disp.7.sect.3.concl* 2. & cum aliis Bonacin. *tom.1. disp 1. q.4. p.5.* & Filliuc. *tom.1. tract.1. cap. 6. q.2.* inde fit de lege ordinaria (secus de potentia absoluta) gratiam Sacramentalem non posse haberi absque Sacramento: quia est Sacramenti effectus, aliter frustra essent Sacramenta.

7 Nota triplicem esse gratiam quæ confertur in Sacramentis. Prima dicitur iustificans, & habitualis secunda, sacramentalis de quibus hucusque dictum est, tertia dicitur gratia virtutum, & donorum, vt Fidei, Spei, charitatis, Pœnitentiæ, Iustitiæ, Temperantia, &c. quæ dicuntur infusæ, quia infunduntur, vel augentur simul cum gratia. Patet ex Trid. nam *sess.6. c.7.* dicit homines iustificari per susceptionem gratiæ, & donorum, quæ deinde vocat iustitiam, & huius causam instrumentalem dicit esse Sacramentum Baptismi & *sess.7.* definit omnia Sacramenta conferre gratiam vtrique iustificantem: & consequenter, virtutes, & dona sunt quasi proprietates gratiam consequentes, etenim qui dat formam, quæ est gratia, dat consequentia ad illam. Filliuc. *to.1.tr.1.c.6.q.2.n.94.*

DVB. II.

An omnia Sacramenta conferant æqualem gratiam.

1 NOta comparationem fieri posse, vel inter Sacramenta diuersa specie, vt inter Baptismum, & pœnitentiam, &c. vel inter diuersa solo numero, vt inter duo Baptismata, duas pœnitentias, &c. deinde suscipientes, vel habent æqualem dispositionem, vel inæqualem.

2 Dico primò, idem Sacramentum, seu Sacramenta eiusdem speciei causant æqualem gratiam in subiecto æquè disposito. S. Thom. *3.p q.69. art.8.* Suarez *disput.7.sect.5.* & communis Theologorum apud Henriq. *lib.1.c.14.n.1.* & Bonac. *tom 1. disput.1.q 4. p.3.n.1.* Ratio est, quia vnumquodque Sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & dispositione diuina, vt dicit Trident. *sess.7. Can.7.* ergo si ex parte suscipientis sit æqualitas, etiam effectus erit æqualis: hinc fit, in pueris Baptismum æqualem gratiam causare: nam idem est specie Sacramentum, & eadem dispositio.

3 Dico secundò, Sacramenta eiusdem speciei, seu idem Sacramentum eiusdem rationis in subiecto melius disposito confert maiorem gratiam. Probatur ex Trident. *sess. 6. Can. 7.* vbi dicit, nos iustificati, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque secundùm suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam vniuscuiusque dispositionem, & cooperationem. Id enim pertinet ad suauem Dei prouidentiam, & iustissimam distributionem; tum quia sic homines excitantur ad

ad recipienda Sacramenta, cum maiori dispositione; tum quia causæ naturales in subiecto melius disposito, melius operantur; decuit ergo, causas gratuitas eandem proportionem seruare. Ita DD. citati, & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 4.

4 Nota, magis dispositum recipere maiorem gratiam, non solum ex opere operato, & ex vi Sacramenti, sed etiam ex vi præcisè ipsius dispositionis, si alias extra Sacramentum sufficiunt ad conferendam gratiam, vt sunt contritio, & dilectio Dei super omnia; nam hæ non debent esse deterioris conditionis, eo quod cum Sacramento coniungantur. Secus dicendum si illa dispositio non est sufficiens ad obtinendam gratiam extra Sacramentum, vt est attritio, quia vt docet Suarez *disput.* 7. *sectio* 5. *conclus.* 3. idem actus non potest simul: & in eodem instanti esse dispositio ad gratiam, & meritum ad nouam gratiam. Hinc sequitur, contritum accedentem ad pœnitentiam recipere maiorem gratiam non solum ex vi Sacramenti, sed ex vi dispositionis, quam recipiat attritus tantum. Vide Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 3.

5 Dico tertiò, si comparentur Sacramenta inter se, quatenus vnum ab alio specie differt, non conferunt ex se æqualem gratiam, sed sicut Sacramenta specie, & perfectione differunt, ita similiter gratia; inde Sacramentum perfectius perfectiorem causat gratiam; ideò Eucharistia perfectiorem causat gratiam; quia omnium Sacramentorum est perfectior. Sotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *art.* 6. ex S. Thom. 3. *part. q.* 65. *art.* 3.

6 Dico quartò, suscipiens Sacramentum à meliori ministro non recipit maiorem gratiam Sacramentalem, quam sit suscipera ab improbo. Ratio est quia gratia non confertur ob meritum ministri, sed ob merita Christi; etenim vt ait Nazianz. *oration.* 4 *in sanct. Baptism.* bonus, & malus minister, sicut sigillum ferreum, & aureum, & sicut sigillum vtrumque eandem figuram imprimit, ita bonus; & improbus minister eandem gratiam conferunt. Potest tamen bonus minister impetrare aliquod auxilium seu motum, quo recipiens Sacramentum se præparet, & disponat ad gratiam. S. Thom. 3. *part. q.* 64. *art.* 1. *ad* 2. Coninch ibi cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 3. *part.* 4.

D V B. III.

Vtrùm Sacramenta producant primam gratiam.

1 NOta illam dici primam gratiam, quæ nullam aliam supponit in subiecto, aut illa quæ post peccatum mortale recipitur per Sacramentum. Secūda vero dicitur illa, quæ aliam supponit in subiecto.

2 Dico primò, duo Sacramenta primò, & per se, & ex sua institutione conferunt primam, & sunt Baptismus, & pœnitentia: nam Baptismus est institutus ad delendum peccatum originale, & pœnitentia ad delendum peccatum mortale commissum post Baptismum, sed peccatum originale, & actuale mortale non tollitur nisi per primam gratiam, cum nulla alia supponatur in subiecto; ergo ex se conferunt primam gratiam: ideo hæc duo Sacramenta vocantur à Theologis Sacramenta mortuorum, quia supponunt hominem mortuum per peccatum. Dixi *ex se, & ex primaria institutione*; nam, per accidens, & ex secundaria institutione hæc Sacramenta conferunt secundam gratiam, seu augmentum gratiæ, vt contingit, quando adultus contritus baptizatur, aut habens solum peccata venialia accedit ad pœnitentiam; nam tunc hæc duo Sacramenta augent gratiam quam iam inueniunt in recipiente. Ita Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 4. *part.* 2. *num.* 7. de quo Suarez *disp.* 7. *sect.* 4. *&* *disp.* 63. *sect.* 1. & Henriquez *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 2.

3 Dico secundò, reliqua quinque Sacramenta ex sua primaria institutione per se dant secundam gratiam, seu augmentum gratiæ, ita citati. Ideò vocantur hæc Sacramenta viuorum, quia supponunt hominem viuere per gratiam, ob idque Ecclesia non solet hæc Sacramenta præbere iis, quos credit esse in peccato mortali, sed iis quos credit esse in gratia: ideoque ille qui ea recipit, sciens esse in peccato mortali, committit peccatum mortale sacrilegij. Dixi *ex se, & per se*: nam ex secundaria quadam institutione hæc Sacramenta quinque aliquando conferre possunt primam gratiam sicuti Sacramenta mortuorum secundam: inde si quis existens in peccato mortali, bona fide recipiat Sacramentum Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, &c. cum attritione, recipiet primam gratiam; nam vt sæpè dictum est. Ex Trident *sess.* 7. *Can.* 7. Sacramenta infallibiliter conferunt gratiam non ponentibus obicem, sed attritus non ponit obicem, imo conatur obicem, siue peccatum expellere; ergo omnia Sacramenta conferre possunt primam gratiam. Deinde omnia Sacramenta de attrito faciunt contritum; sed hoc nihil aliud est, quam Sacramentum simul cum attritione conferre gratiam, ergo. Quam sententiam, vt magis piam, magisque ostendentem liberalitatem Dei, & misericordiam, & secum afferentem conscientiæ pacem, & tranquillitatem amplectuntur (merito) DD. citati. Vide Suarez *disput.* 7. *sect.* 4. Coninch 3. *p. q* 62. *art.* 1. *dub.* 2. & Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *part.* 2.

D V B. IV.

Quo tempore Sacramenta conferant gratiam.

1 DIco primò. Sacramenta nunquam conferunt gratiam ex opere operato, antequam sint, vt habet communis DD. ex Suar. *disp.* 8. *sect.* 1. tum quia quod non est, operari non potest, tum quia non est promissio effectus Sacramenti nisi reali sumptione. Patet de Baptismo. Ioan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* & de Eucharistia Ioan. 6. *Nisi quis manducauerit, &c.* tum quia character in Baptismo non confertur, nisi realiter suscipienti; ergo nec gratia, quæ non confertur sine charactere. Nec obstat, quod Baptismus in voto susceptus deleat originale peccatum, & infundat gratiam, idem de pœnitentia in voto; nam gratia, quæ tunc recipitur, non est effectus ex opere operato illorum Sacramentorum, sed contritionis, & dispositionis ipsius operantis, quem effectum habet contritio in ordine ad aliquod Sacramentum ex dictis, quod in voto, seu desiderio includit. Vnde etsi effectus, qui cum voto Sacramenti suscipitur, sit eiusdem rationis, cum illo qui ex Sacramento in re suscipitur, non tamen est idem. Sicut dicimus, effectum ignis fieri interdum à Sole, vel lumine, sine igne, non quia tunc etiam fiat ab igne, sed quia est eiusdem rationis cum eo, qui fit ab igne.

2 Dico secundò. Sacramenta conferunt suam gratiam in eo tempore, quo actu suscipiuntur, si non sit obex, hoc est in eo instanti intrinseco terminante successionem motus, in quo verum est dicere, iam est completa, & perfecta significatio Sacramenti. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 8. *sect.* 2. Henriq. *lib.* 1. *c.* 19. *num.* 1. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *q* 4. *p.* 7. *n.* 1. est

est Ratio, quia tunc Sacramenta causare debent gratiam, quando sunt in esse completo, seu quando habent perfectam significationem tam res, quam verba, sed materia, & forma habent completam, & perfectã significationem in illo instanti intrinseco terminante successionem motus; ergo in illo instanti causabunt gratiam. Vnde Baptismus tunc causat gratiam in instanti, in quo est cõpleta significatio Sacramẽti: siue materia præcedat formam, siue subsequatur, modo moraliter coniungantur, vt dictum est *c.2. dub. 1. n.3.* idem dic de aliis, & de Eucharistia quoad consecrationem, nam de eius sumptione dicetur suo loco.

3 Hinc sequitur, non recipere Baptismum, aut pœnitentiam illum, qui moritur in eo instanti, in quo perficitur Baptismus, aut finitur absolutio; quia in illo instanti adhuc significatio non est completa, & perfecta, & quando est perfecta; iam non est homo seu subiectum Sacramenti. Ita citati contra Sotum *in 4. dist. 9. q. 1. art. 7. ad fin.* quod etsi non sit improbabile, probabilior tamen est nostra sententia.

Dub. IV.

An Sacramenta conferant, seu producant gratiam moraliter, an physicè.

1 NOta causam physicam esse illam, quæ mediante aliqua actione, reali videlicet influxu, effectum immediatè attingit, quomodo ignis media calefactione producit alium ignem. Causa moralis dicitur illa, quæ scilicet, non reali influxu effectum attingit, sed morali modo, quatenus mouet id à quo effectus re ipsa producitur. Seu causa moralis est illa, cuius intuitu causa physica operatur, & effectum producit: sic qui precibus, consilio, aut imperio alicui suadet homicidium, dicitur causa moralis homicidij sequuti; sic etiam qui meretur suis operibus gratiam, vel gloriam, dicitur causa moralis gratiæ vel gloriæ; item preces dicuntur causa moralis remissionis debiti, quando debitum remittitur à creditore: & chyrographum dicitur causa moralis solutionis. Deinde sicut causæ physicæ aliæ sunt principales, & aliæ instrumentales ita & morales.

2 Dico primò. Sacramenta sunt causa moralis instrumentalis gratiæ: quia illa est causa moralis, instrumentalis, cuius intuitu causa physica aliquid producit, sed Deus intuitu Sacramentorum repræsentantium merita Christi, producit gratiam; ergo Sacramenta sunt causa moralis gratiæ. Ita Coninch *3. p. q. 12. art. 1.* & alij apud Bonacinam, quod adeo verùm existimant, vt reputent Sacramenta, solùm esse causas morales gratiæ, non vero physicas, quod probabilius existimat Filliuc. *tom. 1. tract. 1. cap. 6. num.* 108. Nihilominus tamen.

3 Dico secundò. Probabilius videtur, Sacramenta non solum esse causas morales instrumentales gratiæ, quam immediatè producunt, sed etiam physicas, & reales, ita vt physicè, & realiter tanquam instrumenta, diuina virtute eleuata ipsius gratiæ productionem immediatè attingant. Ita Bellarmin. *lib. 2. de Sacrament. capitul. 16. numer. 4.* Suarez *disput 9. sect. 2.* Henriquez *lib. 1. capitul. 16. numero 4.* & cum aliis Bonacin. *tom. 1. disput. 1. quæst. 4 part. 6. num. 3.* quod colligit Henriquez ex pluribus Scripturæ locis, qualis est ille, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et confirmatur, tum quia non implicat, Sacramentis tribuere talem efficiam cum non implicet, Deum vti creatura ad aliquid supernaturale, & ad faciendum id, quòd ipsa creatura viribus naturæ facere non potest, vt patet in Christi humanitate, quæ fuit instrumentum physicum efficiendi gratiam, & miracula: & in intellectu, & voluntate, quæ licet sint potentiæ naturales, eleuantur ad elicitendos actus supernaturales, & in igne inferni, & purgatorij, qui cum corporalis sit eleuatur ad torquendas animas spirituales. Tum quia id redundat in maiorem Christi gloriam, & honorem Sacramentorum, cur ergo de facto non est tribuendum ipsi, Etenim maiorem virtutem, & efficaciam tribuere debemus Sacramentis, quam simplici alio signo, & chirographo cum Sacramentum non solum sit signum remuneratiuum, & repræsentatiuum, sed etiam infallibiliter effectiuum: ergo physicè instrumentaliter attingunt productionem gratiæ per potentiam obedientialem, qua à Deo eleuantur. Est autem potentia obedientialis quædam aptitudo in creatura per quam Dominus vti potest ea ad faciendum quidquid non implicat contradictionem; vnde non est quid distinctum ab ipsa creatura, sed esse eandem creaturam, non absolutè sumptam, sed prout est subiecta Deo, vt inseruiat illi, ad faciendum quidquid, non implicat contradictionem. Vide Suarez *vbi suprà*, & Bonacina *loco citato*.

4 Quæres, vtrum gratia, quæ producitur per Sacramenta, dicatur educi de potentia animæ, an vero creari. Nota cum Philosophis illud dici creari quod ex nihilo fit, quod scilicet in esse, & fieri à nullo dependet tanquam à causa materiali: sicque anima rationalis dicitur creari. Illud verò dicitur educi, quod in esse, & fieri dependet ab alio tanquam à causa materiali. Respondeo igitur gratiam non creari, sed educi de potentia animæ, quia in esse, & fieri dependet ab anima tanquam à causa materiali, cum accidens non posset esse realiter sine subiecto, & animæ subiectum sit gratia. Ita Henriquez *lib. 1. c. 17. num. 5.* ex S. Thom. *q. 27. de veritate art 3.* Vide Bonacin. *tom. 1. disp. 1. q. 4. p. 6. num. 7. &* 8.

5 An & quomodo Sacramenta veteris legis conferrent gratiam, vide Bellarmin. *lib 2. cap. 14.* Suar. *tom. 3. in 3. p. disp. 10. sect. 1.* Filliuc. *tom. 1. tract. 1. cap. 6. num.* 109. & cum aliis Bonacin. *tom. 1. disp. 1. q 4. part. 1. num.* 6. qui cum S. Thom. *3 part. q. 61. art. 6.* concludunt vetera Sacramenta ex opere operato, & propriè non conferre gratiam, sed tantum conferebant ex opere operantis, videlicet ratione fidei in Christo, & dilectionis, & contritionis, quæ cum ipsis coniugebantur tanquam causis, sine quibus non. Ita enim definitum à Florentino in decreto vnionis, vbi habetur, nostra Sacramenta multum differre à Sacramentis veteris legis, quod nostra continent gratiam, eamque conferunt dignè suscipientibus: Sacramenta vero antiquæ legis non conferebant gratiam, sed eam conferendam per Christi Passionem præfigurabant. Idem definitum est à Trident. *sess. 7. Can. 2. & 6. & 7.*

Dub. V.

De charactere secundo effectu Sacramentorum.

1 QVæres primò, an aliqua Sacramenta conferant characterẽ. Respondeo, tria Sacramenta nouę legis, videlicet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem, est de fide, ex Trid. *sess. 7. Can. 9.* & ex Florent. *in decreto Eugenij*, & ita sentit Mater Ecclesia, vt bene Suar. *disp 11. sect. 1* colligitur *ex. 2. Cor. 1.* vbi dicitur, *vnxit nos, & signauit*, id est vnxit nos per gratiam, & signauit nos charactere, vt explicant PP. & DD. & Ephes. 4. vbi habetur, *in quo signati estis*, id est charactere. De quibus Suar. *vbi sup.* & Filliuc. *to. 1. tr. 1. c. 7. q. 3. n. 117. &* 118. per characterẽ

Baptismi Christianus à non Christiano distinguitur per characterem Confirmationis Christi miles fortis ab infirmo separatur, & per characterem Ordinis, perfectus à non perfecto, seu Ordinatus à laico secernitur. Alia autem quatuor Sacramenta characterem non imprimunt, vt habet communis Theologorum ex Suar. *vbi sup.* & colligitur ex Trid. *vbi sup.* dum enim de tribus affirmat, de aliis tacitè negat; nec vlla sufficienti ratione probari potest, alia quatuor imprimere characteré. Hinc colligunt DD. tria Sacramenta, quæ imprimunt characterem iterari non posse, bene verò alia; Sacramenta autem veteris legis nullum imprimebant characterem, vt probant DD. citati.

2 Quæres secundò, quid sit character. Nota characterem esse vocem Græcam, & significare formam figuram, aut signum, quo res tali signo munita discernitur ab aliis, sicut ouis ferro candenti signata distinguitur à non signatis: vnde veteres Patres, & Scholastici, accipiunt pro signo aut signaculo, seu nota distinctionis.

3 Dico igitur. Character est qualitas spiritualis realiter ab anima distincta, eique diuinitus infusa, qua homo redditur aptus ad Sacramenta suscipienda, vel administranda, & ad alia diuini cultus opera. Ita Val. *tom.* 3. *disp* 3. *q* 4. *p.* 1. Suar. *disp.* 11. *sect.* 2. & communiter DD. ex S. Thom. 3 *part. q.* 63. *art.* 2. Dicitur primò. *Qualitas spiritualis.* Quia in hoc conuenit genericè cum aliis qualitatibus supernaturalibus, siue reducatur ad qualitatem, quæ dicitur potentia. Vt vult S. Thom. *vbi sup.* quia per characterem redditur homo aptus ad operandum, siue reducatur ad habitum, & dispositionem, vt existimat Suarez *sup. sect.* 3. quem sequitur Filliuc. *tom.* 1 *tr.* 1. *c.* 7. *n.* 123. existimat enim Suar. & alij characterem esse habitum, vel dispositionem quandam, difficile mobilem, conuenientem ipsi animæ, ipsamque perficientem sine ordine vllo ad operationes, sicut pulchritudo, & sanitas est bona corporis dispositio, verior tamen videtur opinio S. Thom. quia character d tur ad recipiendum, & operandum.

4 Dicitur secundò; *anima diuinitus infusa*, ad significandum subiectum characteris, quod est anima rationalis; ideo Trid. & Florentin. asserunt characterem imprimi in anima, difficultant tamen DD. an immediate in anima imprimatur, an vero in ipsios potentiis. Sotus *in* 4. *dist.* 6. *q* 1. existimat imprimi in volontate. S. Thom. 3. *p q.* 63. *art.* 4. *ad* 3. & cum eo Val. & alij asserunt, imprimi in intellectu. Suarez vero *tom.* 3 *disp.* 11. *sect.* 4 Coninch & alij existimant imprimi immediatè in anima, verior tamen videtur opinio D. Thom. nam cum character sit fundamentum operationum, poni debet in potentia, in qua est fundamentum totius ædificij spiritualis, quod est fides: at fides est in intellectu, ergo & character.

5 Dicitur tertiò, *Qua homo redditur aptus ad Sacramenta recipienda*, vt ostendatur munus, & finis characteris, nam si character baptismalis disponit baptizatum ad recipienda alia Sacramenta, ideo dicitur Baptismus ianua Sacramentorum: character Confirmationis disponit ad eliciendos actus fidei, & ad reliqua Sacramenta suscipienda, character vero Ordinis disponit ad exercenda munera, & opera cuiusque ordinis propria, S. Thom. *q.* 63. *art.* 6. ex his character baptismalis dicitur potentia passiua, quia datur ad recipiendum: alij vero potentia actiua, quia præcipuè dantur ad operandum.

6 Nota characterem non reperiri in Angelis, etsi illius sint capaces: quia non recipiunt Sacramenta: Nec in Christo Domino; quia non recipit Sacramenta à se instituta, excepta Eucharistia; deinde quia character est signum ouium, seruorum, & militum, Christus autem est pastor, Dux, & Dominus: inde ratione suæ diuinitatis excellentiori quodam modo est designatus in Ducem, & Principem. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 1. *c.* 7. *n.* 126. & Bonac, *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 5. *p.* 2. *n.* 4. Fuit autem in B. V. & Apostolis: in illa quidem, quia suscepit Baptismum, & Confirmationem: in his autem, quia præter illos duos characteres habuerunt etiam illũ ordinis, vt dicetur cùm de ordine. Filliuc. *vbi sup.*

7 Nota. Etsi character Baptismi, Confirmationis & Ordinis differant inter se specie, sicut ipsa Sacramenta, & quia ad diuersos fines ordinantur, habere tamen inter se quandam connexionem; nam character Confirmationis, & Ordinis necessariò supponit characterem Baptismi: ideo si Confirmatio, vel Ordo conferatur non baptizato, inualidè confertur, *c. veniens, de Presbytero non baptizato.* Character verò ordinis non habet necessariam connexionem cum charactere Confirmationis ideo si conferatur non confirmato, tenet: imo recipiens Ordines, absque Confirmatione, non peccat mortaliter, vt existimat Henriq. *lib.* 10. *c.* 14 de quo suo loco. Characteres autem ordinũ non habent necessariam connexionem inter se; ideo ordinatio per saltum tenet, & sufficit, vt ordines prætermissos suscipiat Vide Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 5. *part.* 3.

8 Nota etiam, characterem habere quinque præcipuas proprietates, quas recenset Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 7. *q.* 8. Primò, quod consecret animam Deo, veluti templum quoddam; vnde sicut in templo Dæmones ab ea arcentur, faciliùs exauditur oratio, excitatur deuotio, fit immunis à vi Dæmonis, nisi adsit peculiaris dispensatio. Secundò, quod per illum transit homo in ius Dei, 1. Cor. 6. *Non estis vestri, &c.* Tertiò, per eum assimilamur Christo, eiusque membris, & distinguimur ab aliis. Quartò, per illum disponimur ad alia Sacramenta, vel recipienda, vel ministranda. Quintò, quod sit signum indelebile, quia non habet contrarium, & est in subiecto incorruptibili, nempe anima, & quia est quædam animæ consecratio quæ durat æterno tempore, similiter, & character, qui nec amittitur per peccatum, aut per degradationem, vel mortem, vt patet ex Trident. *sess.* 3. *can.* 9. & Florent. *in instructio. Armenorum*, & docet S. Thom. *q.* 63. *artic.* 5. & communis cum eo: ex quo fit, vt Sacramentum Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, non sint iterabilia, eo quod imprimant characterem, qui semper permanet. Sequitur etiam mortuum antea baptizatum, vel confirmatum, vel ordinatum, si diuina potentia resurgat, non esse iterum baptizandum, confirmandum, vel ordinandum, quia prior character semper durat. Anima autem Sacerdotis, etsi habeat characterem, non potest consecrare, quia non est viator, nec vitales voces efformare potest; matrimonium verò morte dissoluitur: secundum D. Paul. Roman. 7. *Si dormierit, &c.* ideo non tenetur mulier iterum redire ad virum miraculosè suscitatum. Vide Henriquez *lib.* 1. *cap.* 13. & Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 5. *punct.* 3.

CAP. V.

De suscipiente Sacramenta.

DVB. I.

Quinam sit capax suscipiendi Sacramenta.

1 Communis, & certa sententia est, solos homines in hac vita mortali degentes esse capa-

ces

ces Sacramentorum. Ratio est quia vt docet Sanct. Thom. *quæst.* 60. *art.* 1. *& quæst.* 61. *art.* 1. cum quo reliqui sentiunt, Sacramenta instituta sunt ad salutem hominis. & in remedium peccati, idcoque esse signa sensibilia; ergo solus homo est subiectum capax Sacramentorum, quamdiu degit in hac vita, in qua eget remedio contra peccatum. Inde.

2 Colligitur primò, Angelos non esse capaces Sacramenti: nam Angeli, qui sunt spirituales, non recipiunt gratiam per signa sensibilia. Tum quia Angelorum malorum peccatum est irreparabile, nec habent liberum arbitrium flexibile. S. Thom. 1. *part. quæst.* 63. dicuntur autem Angeli Psalm. 77. *manducare panem*, id est Christum, spiritualiter, eo quod vniuntur tanquam capiti in propria specie, eoque in æterna beatitudine fruuntur. Vide Henriq. *lib.* 1. *cap.* 21 *num.* 1.

3 Secundò. Beati non sunt capaces Sacramentorum, sicut dictum est de Angelis, tum etiam quia non possunt crescere in gratia, cum tamen Sacramenta, vel conferant gratiam, vel eam augeant. Non tamen implicat, quin Deus possit dispensare, vt beatus recipiat Sacramenta, non enim hoc implicat. Bonacina. *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 6. *p.* 1. *num* 2. Beata autem Virgo fuit capax Sacramenti, quia erat viatrix, & poterat in gratia crescere. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *c.* 7. *n.* 128.

4 Tertiò. Animal irrationale non est capax Sacramenti: quod si mus, vel brutum comedat Eucharistiam non recipit eam spiritualiter, & Sacramentaliter, sed tantum materialiter, & dato quod mus sic comedat Eucharistiam, non statim corpus Christi desinit ibi esse, sed in illius stomachum traiicitur Christus, qui non horruit Virginis vterum, nec ad inferos descendere, manetque ibi Christus sub speciebus, donec corrumpantur, absque suæ dignitatis dispendio, & diminutione, ita vt contrarium asserere sit error damnatus in Direct. Inquisit. 3. *part. q.* 10. vide S. Thom. 3 *p. q.* 80. *art.* 3. *ad* 3. cuius est hæc doctrina, & Henriq. *lib.* 1. *c.* 21.

5 Sed dubitabis, an omnes homines sint capaces Sacramentorum. Respondeo negatiuè, vt de singulis latiùs constabit: nam aliqui sunt incapaces matrimonij propter impotentiam perpetuam, aut defectum vsus rationis. Alij sunt incapaces ordinis, vt fœmina. Alij sunt incapaces Extremæ vnctionis, vt puer qui non peruenit ad vsum rationis. Henriquez *sup. n.* 2. *&* 3. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 6. *par.* 1. *n.* 5. & aliis. Amens verò à natiuitate potest recipere Baptismum sicut infans: si verò amens habeat lucida interualla, dum illa habet, capax est ad omnia Sacramenta: imò amens circa vnam materiam, & non circa aliam capax est omnium Sacramentorum, nisi circa Sacramentum, quod vult suscipere amens sit. Vide Sanchez de matrimon. *lib.* 1. *disp.* 8. *n* 24. vbi assignat quasdam regulas, ad dignoscendum hunc vsum rationis circa aliàs materias; pueri autem sunt capaces omnium Sacramentorum præter Pœnitentiam, Extremam vnctionem, & Matrimonium.

DVB. II.

Quid requiratur in suscipiente Sacramentum.

1 Dubium hoc duplicem habet sensum. Primus, quid requiratur in susceptore, vt validum sit. Secundus, quid ad hoc, vt sit fructuosum, gratiam conferat, eamque suscipiens recipiat.

2 Quantum ad primum, dico primò. In adultis, vt validum sit Sacramentum, requiritur intentio illud suscipiendi, vt docet Sanct. Thom. 3. *p. q.* 68. *art* 7. & communis cum eo, quia actus suscipiendi Sacramentum est liber, & humanus, & ex alio capite, qui non intendit, & non consentit, censetur contradicere: hæc autem intentio sufficit, quòd sit virtualis, vt de conferente Sacramentum diximus *cap.* 3. *dub.* 2 *num* 8. imò aliquando sufficit habitualis, vt si quis aliquando petierit, v.g. Baptismum vel aliquod Sacramentum saltem implicitè, & non constat reuocasse voluntatem, vt suis locis dicemus, & docet Coninch. *quæst.* 64. *art.* 8. *dub.* 5. *n.* 107. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 6. *part.* 2. *num.* 8. intentio autem neutralis non sufficit, sicque suscipiens est sacrilegus. Ita Henriquez *lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 1. & communiter Theologi, apud Suarez, *disput.* 14. *sect.* 1. contra Caietan. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 7. Nec sufficit voluntas merè interpretatiua, ad validè suscipiendum Sacramentum, quia non est humana, & libera; vnde si quis sponte credens, se in ebrietate baptizandum, & ordinandum, sponte se inebriaret, inualide susciperet Sacramentum. Item nec sufficit velle suscipere Sacramentum sub conditione de futuro, sicut dictum est, *dub* 2. *cit.* & *num* 8. de conferente sub hac conditione, de quibus vide Coninch *dict. dub.* 5.

3 Dixi *in adultis*, nam in pueris nulla requiritur intentio, vt valida sit susceptio Sacramenti, cuius sunt capaces iuxta dicta *hoc cap. dub.* 1. & dicenda suis locis. Idem dic de adulto perpetuò amente, in iis enim satis est ea, quam minister habet nomine Christi, & Ecclesiæ. S. Thom. 3. *p. quæst.* 68. *art.* 10. & communis cum eo.

4 Dico secundò. In adultis præter dictam intentionem, nulla alia requiritur dispositio, vt Sacramentum teneat (excepta pœnitentia) vt Fidei, vel iustitiæ S Thom *sup. art.* 8. non enim requiritur ad Baptismi validitatem, vt illum recipiens, habeat Fidem, sed sufficit vt habeat intentionem suscipiendi illum, eo modo quo fideles accipiunt. Patet, quia nec hæretici ordinati, aut baptizati sunt iterum ordinandi, aut baptizandi, si iuxta ritum Ecclesiæ ea Sacramenta suscipiunt. Dixi *excepta pœnitentia*? nam hæc, vt suo loco dicetur, pro parte essentiali requirit actum, quo se pœnitens disponit, nempe dolorem aliquem: quod non contingit in aliis Sacramentis, vt latius constabit dum de singulis.

5 Ex his colligitur primò, eum, qui recipit Eucharistiam ad famem expellendam, aut hostiam nesciens esse consecratam, non recipere fructum, Sacramenti, quia non habet intentionem recipiendi Sacramentum. Ita cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disput.* 1. *q.* 6. *part.* 2. *num.* 3.

6 Secundò inualide recipit Sacramenta, qui illa omnino inuitus suscipit, & animo repugnante secus si voluntarie mixte, vt per metum grauem, aut leuem Suar *disp.* 14 *sect.* 2. *ver. dico* 1. Coninch *q.* 64. *art.* 8. *dub.* 5. *n.* 99. & alij.

7 Tertiò. Non recipit Sacramenta, qui habuit voluntatem nunquam recipiendi Sacramenta, & postea illa suscipit in amentia, antequam aliquo modo reuocauerit voluntatem. Nec ille adultus, qui nulla ratione Sacramentum petiit. Ita citati.

8 Aduerte tamen, ad hoc vt adultus valide Sacramenta suscipiat, non opus esse, vt actu intendat, dum suscipit, sed sufficit, vt aliquando intenderit virtualiter saltem, aut habitualiter modo dicto & in singulis dicendo, & hoc nunquam reuocauerit, quia sic implicite peterent Sacramenta necessaria, vel vtilia saluti: sic qui vult fieri Christianus, aut habet veram contritionem, vel attritionem, censetur im-

plicite petere Baptismum, quamvis de eo nihil audierit, quia talis dolor virtualiter includit propositum servandi omnia præcepta. Item qui catholice vixit, censetur velle sibi morienti Sacramenta ab Ecclesia morientibus conferri solita; ideo si subito destituatur vsus rationis, debet inungi, nisi sciatur certo esse in peccato mortali, de quo non sit saltim attritus, quod non debet facile præsumi, nisi quis in ipso actu peccandi ita subito destituatur ratione, vt humanitus impossibile sit, eum doluisse de peccatis, quod si aliquandiu post peccatum commissum vsus sit ratione, potest præsumi saltem attritus esse. Vt bene colligit Coninch. *dict. dub.* 5. *n.* 112. ex D. August. *lib.* 1. *de adulterinis coniugiis. cap. vlt.* Vide Bonac. *dict. punct.* 2. *num.* 8. *&* 9.

9 Quantum ad secundum conueniunt etiam Doctores requiri primò, vt Sacramentum fructum faciat, ne recipiens ponat obicem, hoc est, ne peccet mortaliter in ipsa susceptione, vel ne accedat scienter cum peccato mortali, absque contritione, vel saltem attritione, sic enim accedens est sacrilegus, & nullam recipit gratiam; nam hæc cum peccato mortali stare nequit, & sancta sanctè tractari debent.

10 Secundò, requiritur certa præuia dispositio, quænam autem hæc sit, exacte constabit dum de singulis agemus: loquendo tamen in communi dico esse, duplicem alteram quæ se tenet ex parte intellectus, alteram parte voluntatis. Vt docet S. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 8 Suar. *disput.* 7. *sect.* 4. & communiter DD. Prior est Fides, quæ est omnino requisita ad gratiam, cum sit fundamentum omnis iustitiæ, & sine qua ait Apost. ad Hebr. 11. *impossibile est placere Deo.* Posterior, quæ se tenet ex parte voluntatis, est contritio, vel attritio supernaturalis, id est auxilio supernaturali elicita propter metum gehennæ, vel turpitudinem peccati, quia non remittitur peccatum sine pœnitentia, iuxta illud Luc. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, & nisi reuocata sit voluntas peccandi, quæ non censetur reuocata, donec adsit dolor seu attritio. Vide Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 1. *c* 8. *num.* 134. & Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 6. *p.* 2. *n.* 9. 10. 11. *&* 12.

11 Quod si quæras, an suscipiens Sacramenta vt fructum assequatur, requiratur quod sit in gratia. Respondeo breuiter cum DD. supra citatis, si suscipiat Sacramenta per se instituta ad dandam primam gratiam, vt sunt Baptismus, & Pœnitentia, non requiri præuiam gratiam, sed sufficere contritionem, vel attritionem supernaturalem, vt clarius constabit, dum de singulis agemus, ideo dicuntur Sacramenta mortuorum; quia adhuc supponunt hominem mortuum, idest sine gratia: si autem suscipiat alia quinque Sacramenta, quæ sunt per se instituta ad dandum augmentum gratiæ, debet esse in gratia, seu habere gratiam habitualem qui accedens sine illa ponit obicem ad gratiam, nisi per attritionem, & bonæ Fidei titulum excusetur. Quare accedens ad illa Sacramenta, si habet conscientiam culpæ lethalis tenetur se in gratia constituere per contritionem, saltem existimatam, non tamen tenetur confiteri, nisi suscepturus sit Eucharistiam. Dixi *saltem existimatam*, nam si hic existimat habere contritionem cum reuera non habeat nisi attritionem; recipiens hæc Sacramenta recipiet primam gratiam, nam hic non ponit obicem, imò conatur illum expellere, & ex alio capite Sacramenta viuorum per accidens dant primam gratiam, ex quo fit eum, qui inculpabiliter non aduertit se esse in peccato mortali, recipere gratiam, si actum attritionis eliciat, Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *q* 6. *p.* 2. *n.* 13 14. *&* 15. vide *sup. cap. antecedenti dub.* 3. *num* 3.

D V B. III.

An Sacramenta fictè suscepta, recedente fictione, suum producant effectum.

1 NOta duplicem posse reperi fictionem in suscipiente Sacramentum. Prior est, quando illud suscipiens non habet intentionem suscipiendi. Posterior est, quando habet quidem legitimam intentionem, sed tamen non illud suscipit cum dispositione requisita ad gratiam conferendam, suumque operandi effectum. Quod potest contingere dupliciter. Primò, quando suscipiens scienter cum peccati affectu recipit Sacramentum, cum legitima tamen intentione. Secundò, quando suscipiens caret debita dispositione, hoc tamen ignorat, vt si suscipiens Baptismum, vel Confessionem putet saltem habere attritionem, quam reuera non habet. His positis.

2 Dico primò. Sacramentum fictè susceptum priori modo, nunquam reuiuiscit, nec vllum operatur effectum, est commune. Ratio est, quia fuit nullum, & nunquam fuit Sacramentum, nec habuit vitam, ideo non potest reuiuiscere; non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit regula non firmatur *de regul. iur. in 6.* Excipe tamen matrimonium; nam hoc sine consensu celebratum roborari potest per subsequentem consensum, vt suo loco dicetur. Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 6. *p.* 3. *num.* 2.

3 Dico secundò. Sacramenta fictè secundo modo suscepta, recedente fictione, suum producunt effectum, vt de aliquibus saltem communiter sentiunt DD. non enim hoc repugnat Sacramento, obice sublato, vt de Baptismo apertè docet D. August. *lib.* 1. *de Baptismo cap.* 12. *lib.* 3. *cap.* 13. quem sequuntur omnes Theologi. Sed difficultas est, an omnia hunc producant effectum, in quo varij sunt DD. sed placet nobis sententia. Suar *tom.* 3. *in* 3. *p. disput.* 18. *sect.* 6. videlicet, omnnia Sacramenta ficte suscepta, si valida sint, fictione recedente, suũ operari effectũ, excepta sacra Eucharistia. Et sentiunt Henriquez *lib.* 1. *cap.* 24. *&* 27. Bonacin. *supra num.* 3. Coninch 3. *par. quæst.* 62. *artic.* 1. *dub.* 6. *num.* 92. & alij, quos ipsi, & quidem de Baptismo, Confirmatione, & Ordine præter citatos tanquam probabilius, tenet etiam Couarruu. *in c. alma mater*, *p.* 1. §. 4 *num.* 13. Ratio est, quia cum hæc Sacramenta non sint iterabilia, & imprimant characterem, in quo virtualiter permanere censentur, decet infinitatem Dei, bonitatem ac misericordiam, qui Sacramenta instituit ad subleuandam hominum necessitatem, & hæc Sacramenta fictè suscepta, fictione recedente, suam conferant gratiam, aliter ea fictè suscipientes perpetuò gratia illis debita carerent, quod non videtur conueniens, Propter quam rationem idem probabiliter dicendum de Extrema vnctione, & Matrimonio, nam illa in eadem infirmitate, & hoc coniuge superstite, iterari non possunt. Idem etiam videtur dicendum de pœnitentia, in opinione asserentium posse dari Sacramentum pœnitentiæ informe, quam tenet S. Thom. vt dicemus suo loco, quia cum validum sit, & tunc non operetur suum effectum, institutumque sit ad delenda peccata, debet hoc præstare sublata fictione. Ita citati.

4 Dixi, *excepta sacra Eucharistia*, nam hæc sola non videtur conferre effectum suum, vt docent citati

citati contra Henriquez *lib. 1. capit 25. num. 7.* Ratio est, quia Eucharistia exigit in suscipiente moralem certitudinem suæ gratiæ habitualis: inde si dubitet de peccato mortali, teoetur præmittere confessionem: quòd si sic dispositus accedat, illico confert effectum suum, etiam illi qui aliàs esset in peccato mortali, modò bona fide, & sufficienti diligentia accesserit, vt suo loco dicemus. Si verò habeat conscientiam peccati mortalis: sumit quidem Sacramentaliter Christum, si habuit intentionem, &c. sed ob maximam indignitatem, eo quod iudicium sibi manducat, & bibit, carebit perpetuò illius effecto: aliàs sequetur Sacerdotem, qui toto vitæ curriculo indignè celebranit, in fine illius recipere per contritionem ingentem gratiæ cumulum correspondentem omnibus Missis præteritis: quòd esse absurdum, ait Filliuc. *sup. n. 143.* & Bonac. *loc. cit. n. 3. in fin.*

5 Difficultas tamen est, an vt Sacramentum fictè susceptum reuiuiscat, & suum operetur effectum, sufficiat attritio sola, vel an requiratur contritio sula, vel attritio simol cum aliquo Sacramento. Respondeo cum Henriquez *lib. 1. cap. 24. num. 2.* & Bonacin. *tom. 1. disp. 1. quæst. 6. part. 2. num. 3.* ex hoc tamen si sic suscipiens peccauit in ipsa susceptione, vel si in ipsa non peccanit, tamen postea de nouo peccauit antequam eliceret contritionem, vel aliquod Sacramentum reciperet, non tollitor fictio, nec reuiuiscit Sacramentum per solam attritionem; sed requiritur contritio vel attritio simul cum aliquo Sacramento, nam attritio sola, etiam cum voto Sacramenti, non tollit peccatum, vt communiter Doctores. Quod si ficte suscipiens ignorabat inuincibiliter fictionem, eo quòd bona fide existimabat, se esse dispositum, & sic recepit Baptismum, vel pœnitentiam; & post eam susceptam non peccauit de nouo mortaliter, satis videtur attritio cum voto Sacramenti, vt reuiuiscat sic fictè susceptum, quia hæc subsequens attritio quasi retrotrahitur ad præcedens Sacramentum, & fit illios pars sufficiens. Ita Henriquez *loco cit.* cum Soto *dist. 6. quæst. 1.* & colligitur ex D. Thom. *quæst. 69. art. 9.* Generaliter tamen loquendo dicendum est, Sacramentum fictè susceptum reuiuiscere per contritionem cum voto Sacramenti; vel per subsequens Sacramentom Pœnitentiæ, vel aliud Sacramentum. Dixi *per aliud*, nam si qois bona Fide fictè suscepit pœnitentiam, & postea cum sola attritione putans se contritum, suscipiat Eucharistiam, reuiuiscit pœnitentia per Eucharistiæ sumptionem iam contritione sic susceptam.

6 Nota, quando Sacramentum, recedente fictione reuiuiscit, conferri duplicem gratiam, videlicet eam, quæ correspondet præsenti dispositioni, nempè contritioni, aut Sacramenti præsenti per quod fictè susceptum reuiuiscit, & Sacramento fictè suscepto, quod tunc reuiuiscit. Ratio est; quia Sacramentum reuiuiscens suum producit effectum & ex alio capite præsenti dispositioni sua correspondet gratia; ergo, &c. non enim præsens dispositio debet esse deterioris conditionis, eo quòd coniungatur cum Sacramento præterito fictè suscepto. Ita Bonacin. *tom. 1. disp. 1. q. 6. part. 2. n. 4.* Vide Coninch *3. p. quæst. 62. art. 1. dubit. 6. concl. 5. n.*

DVB. IV.

An possint licitè peti Sacramenta ab indigno ministro.


1 EX duplici capite potest esse minister indignus. Primò, quia est excommunicatus, aut alia censura innodatus. Secundò quia etsi liber sit à censura, est tamen in aliquo peccato mortali publico vel occulto. De primo dixi *in expositione Bullæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 11. à n. 4.* & agunt DD. in materia excommunicationis, inter quos videre poteris Henriq *lib. 1. cap. 29. & 30.* Suarez *tom 3. in 3. p. disp 18. & tom. 5. de censuris disp. 11. sect. 4.* Coninch *3 part. quæst. 64. art. 6. dub. 2.* proinde sermo hic solum erit de secundo modo.

2 Dico igitur breuiter. Quando minister est indignus seu impeditus, eo solùm quia est in peccato mortali, possum ab eo petere Sacramentum, etiam si sciam ministraturum in peccato mortali, siue sit paratos ad illa ministranda, siue non, siue sit meus Parochos, siue non; modò adsit necessitas, vel iusta, & rationabilis mea vtilitas, v.g. impletio præcepti; vel mihi vtile est non multum differre vsum illorum Sacramentorum: modò etiam non possim aliquem æquè mihi vtilem inuenire. Ita ex Sanct. Thom *3. part. quæst. 64 artic. 6.* Coninnich *ibi dub. 2.* Suar. *disp. 18. sect. 2.* Henriq *lib. 1. cap. 30 num. 1.* & cum aliis Bonacin. *tom. 1. disp. 1. quæst. 6. par. 5. num. 1.* Ratio est, quia vtimur iure nostro petendo sic Sacramenta, & ex alio capite minister potest sancte, & religiosè ea ministrare, & sibi imputandum, si indignè ministrat, qui autem vtitur iure suo, nemini facit iniuriam, *l. iniuriarum ff de iniuriis*, sicut enim licet petere iuraturum ab eo, quem scio per falsos Deos iuramentum, vt dixi in Decalogo *lib. 2 c. 1. dub. 14. num. 4.* & propter aliquem lucessum petere mutuum ab vsurario, quem scio esse peccaturum, vt etiam dixi in Decalog. *lib. 7. cap. 19. dub. 24.* ita in proposito.

3 Dixi primò; *siue sit paratus, siue non, siue Parochus sit, siue non*, nam iusta existente causa, eadem est ratio de vno, ac de alio, Vasquez de pœnitentia *quæst. 93. art. 1. dub. 2. num 24.* Bonacin. *sup. numer. 4.* & alij.

4 Dixi secundò, *modò adsit necessitas, vel rationabilis vtilitas*, nam altero ex iis deficiente, est peccatum mortale Sacramenta petere ab eo quem scio in peccato mortali ministraturum, siue Parochus sit siue non, siue paratus sit, siue non; quia ex charitate tenemur impedire ruinam, & peccatum proximi, nisi habeamus necessitatem, vel rationabilem causam non impediendi, Reginald. *lib. 1. numer. 165.* Sotus *in 4 dist. 1 q. 5. art. 6.* Bonacin. *sup. num. 2.*

5 Dixi tertiò, *modò non possim aliquem mihi vtilem inuenire commodè*, nam quilibet tenetur ruinam proximi euitare quoties non habet iustam, & rationabilem causam permittẽdi illam, vt contingit in hoc casu, & ita docent Nauarr. *cap. 14. num. 28.* Sotus *6. de iust. q 5. art. 1.* & cum iis Bonacin. *dict. part. 5. n. 2.* Ratio est, quia si aliquem possum æquè vtilem inuenire, cessat tunc necessitas, & iusta causa petendi etiamsi ministrans sit meus Parochus, cum ex lege charitatis tenear vitare peccatum proximi, quantum commodè possum, ideò inducendo illum ad Sacramenta ministranda cooperor peccato mortali illius. Quod etiam procedere, ait Bonac. *n. 3.* etiam si Parochus seu alius minister expositus, seu paratus sit. At seclusu scandalo, solùm esse veniale peccatum; eligere illum paratum, seu expositum: etiamsi non sit Parochus, & adsint aliæ æquè vtiles, dixi cum Soto, Rodrig. Henriq. & Reginaldo *in exposit. Bullæ, lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 11. n. 7.* quia cùm sit expositus, non videor cooperari illius malitiæ.



6 Nota, eum, qui vult suscipere Sacramenta ab aliquo ministro, non teneri inquirere, an sit improbus, vel probus: imò præsumere debeo benè administraturum; cùm non sit de aliquo temere iudicandum

dum. Ideò etsi viderim eum paulò antea peccasse, possum ab eo petere Sacramenta; nam credere possum, sine peccato administraturum, eùm facilè possit,se per contritionem præparare, modò tamen aliàs non constent moraliter ipsi petenti, Sacerdotem indignè ministraturum, vt si certus sit de concubinatu, vel alio vitioso statu illius,nam tunc præcisa necessitate, vel rationabili causa, non potest ab eo Sacramenta petere,cum vnicuique mandauerit Deus de proximo suo. Suarez *disp.18.sect.1.versu finem*. Coninch 3.*part. quæst.64.artic.6.dub.2*.& cum aliis Bonacin.*tom.1. disp.1.q.6.p.5.n.5. & 6.*

7 Vtrum autem Sacramenta possint indignè petenti administrari, commodius exagitabitur in materia Eucharistiæ, vbi de ministro Eucharistiæ, vbi de hoc tractant DD. Suarez *tom. 3. de Eucharistia, disp.66.* Conineh 3.*p q.80.art.6.*& alij apud Bonac. videndum, *tom.1.disp.1.quæst.6.punct.4.*

LIBER SECVNDVS

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

CAPVT I.

De Sacramento Baptismi.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit Baptismus, & quando fuerit institutus.

1 BAPTISMVS est vox Græca, & significat ablutionem, seu immersionem in aquam; ita enim solebat fieri olim ad repræsentandam Christi sepulturam, iuxta illud Colos. 2. *Consepulti ei per Baptismum*. Vocatur autem variis nominibus Baptismus apud Patres, de quibus Fillitucius. *tom.1. tract.1.cap.1. quæst.1.* Vide Belarm. *lib.1.de Baptismo,in principio.*

2 Baptismus in rigore, & proprie loquendo, vnus est, iuxta illud ad Ephes.4. *Vnus Dominus, vna Fides,vnum Baptisma.* Minus tamen propriè,& metaphorice, triplex constituitur à D D. primus est fluminis, seu aquæ, qui propriè, & anthonomasticè dicitur Baptismus,& de quo nos hic cum Theologis agemus. Secundus dicitur flaminis, id est pœnitentiæ, & contritionis, quæ quoniam sit instinctu Spiritus sancti, qui dicitur flamen, ideo ipsa quoque dicitur flamen: hæc contritio in adultis cum voto Baptismi,quando illum suscipere non possunt, habet vicem Baptismi, & delet etiam peccatum originale, & pœnam omnem, si valde feruens sit, quamuis communiter partem tantum eius, deleat, vt docet Belarm. *lib de Baptisma, cap.6.* Henriquez *lib.2.de Sacram.cap.1.§.2.* Colligitur *Luc.3.* vbi dicitur, prædicans Baptismum, pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et Acto. 10. ex Cornelio, qui ante Baptismum fuit iustificatus. De hoc Baptismo, seu de contritione agemus vbi de pœnitentia, differt autem à Baptismo aquæ. Primò, quia contritio non confert gratiam ex operato, quam confert Baptismus aquæ. Secundò, quia Baptismus aquæ delet totam culpam, & pœnam, contritio verò remittit quidem culpam, non verò totam pœnam, sed secundum proportionem contritionis. Tertiò, quia contritio non imprimit characterem, sicut imprimit Baptismus aquæ. Vide Henriquez *sup.lib.2. c.20.n.1.* Tertius, dicitur Baptismus sanguinis, id est martyrium, quo propria sanguinis effusione quis baptizatur, de quo Matth. 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizari*, id est ipsa morte, & effusione sanguinis. Dicitur martyrium Baptismus, quia si quis nequeat Baptismum suscipere, & rapiatur ad martyrium, consequetur remissionem omnis culpæ, & totius pœnæ de quo in fine huius capitis.

3 Baptismus aquæ qui propriè dicitur Baptismus definitur à S. Thom.3. *part. quæst.66.art.1. ad 2.* & communiter DD. exterior corporis ablutio, facta sub præscripta verborum forma, à Christo instituta in regeneratione spiritualem,quæ definitio optima est; constat enim materia, quæ est ablutio, & forma,quæ sunt verba vt dicemus. Tum etiam constat causa efficienti,quæ est Christi institutio,& finali,quæ est spiritualis regeneratio. Vide Bonacin. *tom.1 disp.2.q.2 p.1.n.1.*

Nota in Baptismo, sicut in aliis Sacramentis tria reperiri. Primum Sacramentum tantum, quod est materia, & forma: nam hæc significant interiorem ablutionem, & nullo modo significantur. Secundum est res Sacramenti tantum, & hæc est gratia baptismalis, nam significatur per res & verba, & nullo modo significat. Tertium est res & Sacramentum simul & hic est character, nam significatur per materiam & formam, & ipse etiam significat gratiam.

4 Certa Fide tenendum est. Baptisma esse vnum è septem nouæ legis, Sacramentum à Christo Domino institutum; vt ex Trident. dictom est *lib.1. c.1.dub.2.* & patet Ioann.3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ita habet communis Theologorum, variant tamen D D. circa tempus institutionis, verior & communior sententia est. D. Thom.3 *p.q.66. art.2.* institutum fuisse Baptismum à Christo in quantum Sacramentum, & quoad eius essentialia Matth.3. quando fuit in Iordane à Ioanne baptizatus:ibi enim fuit assignata materia, & forma: nam materia fuit aqua,forma vero expressio trium Personarum Trinitatis,quia persona Patris fuit manifestata illis verbis: hic est Filius meus dilectus, &c. Persona Filij, per carnem assumptam; & Persona Spiritus sancti, per speciem, & figuram columbæ per descensum verò columbæ

columbæ, & cælorum apertionem prædemonstratus fuit esse actus Baptismi. Quantum vero ad promulgationem, fuit institutus. Ioan. 3. illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire Regnum Dei.* Illis autem verbis Matth. 28. *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Christus non instituit Baptismum, sed tantum mandauit illius prædicationem, & susceptionem. Vide Bonac. *tom. 1. disp. 2. q. 2. p. 1. n. 2. & 3.*

5 Baptismus Ioannis non habuit eandem virtutem cum Baptismo Christi, vt de Fide definitum est à Trident. *Can. 1. de Baptismo* nec fuit Sacramentum præsertim nouæ legis: tum quia non fuit ceremonia permanens, tum quia non fuit institutus ad sanctificandos homines sed tantum ad præparandos ad Christi Baptismum. Nec habuit vim ad conferendam gratiam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. Nec imprimebat caracterem, ideo poterat iterari, imo erant iterum baptizandi Baptismo Christi, vt patet ex Act. 26. Nec erat in præcepto, sed tantum in concilio pro adultis, & durante tantum prædicationis tempore ipsius Ioannis. Ex quo patet maxima differẽtia inter illum Baptismum, & Christi; nam Baptismus Christi est ab eo institutus, verum Sacramentum dans gratiam ex opere operato, imprimit characterem, non potest iterari, & est omnino necessarius, tam paruulis, quam adultis. Vide Bellarm. *de Baptismo, cap. 19 20. 21. & 22.* Henriquez *lib. 2. cap. 3. & 32.* Filliuc. *tom. 1. tract. 2. c. 1. q. 9.* & Bonac. *tom. 1. disp. 2. q. 1. inprinc.*

Dvb. II.

An Baptismus sit necessarius.

1 Nota, necessarium esse duplex, aliud ratione medij, aliud ratione præcepti, vt diximus *lib. 1. cap. 1 dub. 3. num* 1. Rursus, Baptismus potest suscipi in re vt quando reuera applicatur materia & forma: vel in voto, id est, quando quis non potest habere Baptismum in re, habet tamen Intentionem, propositum, seu desiderium illud accipiendi si posset. Deinde votum hoc potest esse explicitum, quando scilicet explicitè, & actu elicit vnum ex dictis actibus, aut implicitum, quando nimirum votum continetur implicite in actu aliquo includente propositum recipiendi Baptismum, vt est actus contritionis, & dilectionis Dei: in quo implicitè continetur propositum vitandi omnia peccata, & voluntas adimplendi omnia præcepta, & consequenter recipiendi Baptismum. Quod contingere potest in eo, qui inuincibiliter ignorat Baptismũ; aut si subdito ad martyrium rapiatur, ita vt de Baptismo expresse non recordetur: hic enim si eliciat actum contritionis, & dilectionis Dei, censetur habere votum implicitum recipiendi Baptismum. Denique aut loquimur de paruulis; aut de adultis.

2 Dico primò. Baptismus in re susceptus est medium simpliciter necessarium paruulis ad salutem æternam. Ita Trid. *sess. 7. de baptismo, Can. 5. & sess. 21. cap. 4.* Colligitur ex verbis Christi, Can. 3. ibi: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Et habet communis Catholicorum cum S. Thom *quæst. 68. art. 2.* Ex quo fit, pueros sine actuali susceptione Baptismi, aut sine martyrio, si præoccupentur morte, non saluari, etiamsi parentes omnia præparassent ad Baptismũ necessaria, & voluntatem habuissent conferendi Baptismum, vt tenent communiter DD. apud Suar. *disp. 27. sect. 1. & 3.* Vide Filliucium *tom. 1. tract. 2. cap. 6 quæst. 4.*

3 Dico secundò. Baptismus est necessarius necessitate medij adultis in re, si haberi potest, & quando non est facultas in voto: quia illud est necessarium necessitate medij ad salutem, sine quo salus nequit obtineri, sed sine Baptismo in re, vel in voto non potest salus obtineri, vt patet illis verbis Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non poterit introire in Regnum Dei.* Vbi notanda illa particula, *nisi*, quæ denotat necessitatem: ergo Baptismus necessarius est necessitate medij in re, vel in voto. Vt tenent communiter Concilia, Patres, & Doctores, vt videre est apud Suar *disp. 22. sect. 27.* Henriquez *lib. 2. capitul. 1.* refert Bonacin. *tom. 1. disput. 2. quæst. 2. part. 2. num. 3.* & Filliuc. *tom. 1. tract. 2. cap. 6. quæst. 3.* Quare non est audiendus Caietan. 3 *part. quæst. 68. art. 2* asserens infantes in aliquo casu posse saluari per Fidem parentum, iis applicatam aliquo signo religioso, vt signo Crucis, cum inuocatione Trinitatis: cuius sententiam vt nouam, & parum tutam Pius V. iussit expungi in Romana impressione, & eam Suarez *disp. 27. sect. 1. & 3.* vt temerariam damnat, de qua vide Castrum *de iust. hæreticorum punit.* & Henriq. *lib. 2. cap. 21. n. 5.* & infra *dub. 6.*

4 Dico tertiò. Non solum Baptismus est necessarius necessitate medij, sed etiam necessitate præcepti diuini, quod colligitur ex verbis Christi, Matth. 28. vbi dicitur: *Euntes in mundum docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Quo loco præcepit Christus Apostolis, vt cogerent omnes gentes ad Fidem, & Baptismi obseruantiam, eisque Baptismum reciperent. Communis Theologorum, ex Suarez *disp. 31. sect. 1.* Ratio est quia, quod est necessarium necessitate medij, est etiam necessarium necessitate præcepti, vt dixi *lib. 1. cap. 1. dub. 3. num. 5.* & docent DD. citati. Hoc autem præceptum obligat adultos, vt quamprimum, moraliter loquendo, commodè possint, & digne Baptismum recipiant, vel saltem non multo tempore differant, ne se exponant periculo damnationis, & priuationis maximorum fructuum Baptismi Suarez *disp. 31. sect. 2.* Henriq. *lib. 2. cap. 4.* & cum aliis Bonacin. *sup. num. 5.* Hinc sequitur primò, hoc præceptum obligasse eos, qui erant eo tempore, quo Christus eam legem tulit, etiamsi essent iusti: vnde Apostoli, & B. Virgo obligati fuerunt. Secundò, obligare etiam infideles; nam Christi potestas ad omnes se extendit. Tertiò, non obligare paruulos ante vsum rationis, quia sunt incapaces præcepti; obligat autem parentes, instante necessitate ex charitate, & pietate, & vi etiam legis Baptismi.

5 Dico quartò, Ecclesia non determinauit tempus pueris ad suscipiendum Baptismum: tenentur tamen parentes curare, vt filij, & domestici (idem de patre familias, ac tutore) quam primum baptizentur, quia ex officio his competit consulere necessitatibus familiæ, vt dixi in Decalogo *lib. 4. cap. 1. dub. 2.* Peccabunt igitur ij, si absque causa differrent illorum Baptismum per longum tempus, v. g. per duodecim dies, vt sentit Sotus *in 4. dist. 3. art. 10.* aut per 15. dies, vt putat Ledesma *in sum. lib. 1. cap. 8.* Vide Henriq. *lib. 2. cap. 4.*

6 Dico quintò. In primitiua Ecclesia tempus Paschæ erat determinatum ad Baptismum catechumenorum: at consuetudo iamdiu obtinuit, vt aliis temporibus baptizentur, qui sunt per 40. dies aut minus tempus sufficienter instructi, maxime vbi viget periculum mortis S. Thom *quæst. 66. artcul. 3.* iniustus vero esse, qui adultum, & filium, vel seruum baptizari cupientem impediret, & hic iure posset vim vi repellere; sicut iniustus est Princeps qui non sinit suis subditis pacifice promulgari Euangelium, & illum impedientem posset Pontifex, illato bello compellere, vt prædicari sinat Euangelium,

Euangelium, & libere acceptati, vt docet S.Thum. 2.2.*quaest*.2.*art*.5. & dixi in Decalog.*lib*.1.*c*.3.*dub*.10. *n*.10.*&* *lib*.5.*c*.2.*dub*.3.*num* 6. Sed si audita pacifice prædatione nulint Euangeliom suscipere, non reliquit Christus Pontifici, aut Regi vim compulsiuam vt per bullam, aut pœnas cugat recipere, vt idem D.Thum.2.2.*quaest*.10.*art*.8. Henriquez *lib*.2.*c*.4. & dixi *locu citatu*.

10 Et dictis colligitur, adultum, siue catecbumenum iustificatum per votum Baptismi teneri ad realem susceptionem Baptismi: similiter si aliquis puer in vtero matris esset iustificatus, postea natus est baptizandus: tum vt impleat præceptum suscipiendi Baptismum, tum vt fiat actu, & numeru Christianus, & membrum Ecclesiæ visibilis, extra quam non est salus, & vt fiat capax Sacramentorum: ob quam rationem B. Virgo, & Apostoli, si qui ante ordinationem non erant baptizati, tenebantur iure diuinu baptizari post promulgationem Euangelij. Sotus *in* 4.*dist*.5. *art*.1. Henriquez *vbi sup*.*n*.5. cum autem de facto B. Virgo, & Apostoli ante promulgationem baptizati fuerint, vt explicat Glossa in illa verba. *Qui locutus est*, *&c.* sequitur non teneri post promulgationem baptizati, quia obligatio fuit præuenta, sicut præuenit ille qui anticipate soluit debitum. Vide Bonac. *tom*.1 *disp*.2.*q* 2.*p*.2.*n*.7 *&* 9. Christus Dominus Matrem suam, & B. Petrum dignatus est Baptizare, vt cum aliis tenet Bañez 2.2. *q*.10.*art*.10. Deinde Petrus Andræam, & filios Zebedei baptizauit; & ij reliquos Apostolus, discipuloa vero septuaginta baptizauit Petrus. Apostolus vero fuisse ante institutionem Eucharistiæ baptizatus colligitur ex verbis Christi, ibi, *Vos iam mundi estis*, vt dictum est. Fuit baptizata B. Virgo, vt per characterem fieret membrum Ecclesiæ visibilis, & capax fructus Eucharistiæ, & Sacramenti Confirmationis & extremæ Vnctionis. Iuannes vero Baptista fuit à Christo baptizatus, cum Iuann.3. dixit Christu: *Ego à te debeo baptizari*. Et Iesus dixit *Sine modo*. ita S.Thom. 3 *p*.*q*.36. *art*.6. *ad* 3. Bonus autem latru non fuit aquæ, nec sanguinis Baptismu baptizatus, sed Baptismo flaminis, atque ita non fuit martyr. Henriq. videndus *lib*.2.*cap*.5.*n*.4.

11 Sed quæres, quando cœperit obligatio Baptismi. Respundeo, non cœpisse statim ac Baptismus fuit promulgatus, Ioan 3. ibi: *Nisi quis renatus fuerit*, *&c.* ante Christi mortem, nam ante illam, lex vetus durabat, non est credibile Christum voluisse obligare homines duplici lege; obligauit igitur post Christi mortem, quia tunc cessauit lex veteris vt significat scissiu veli templi, & verba illa Christi; *Consummatum est*. Sed restat difficultas, an Baptismus cœperit statim post Christi mortem obligare. Respundet Sotus *in* 4.*distinct* 3.*articul*.11. & Henriquez *lib*.2.*cap*.2.*numer* 4. non obligasse ante resurrectionem, consequenter vsque ad eam adhuc obligasse legalia; quæ vt docent ij DD. cessacunt per mortem Christi, & eius Passionem consummatam; consummatio autem facta fuit per resurrectionem, per quam mortis triumphus adeptus fuit. At probabilius videtor, in ipsa morte Christi cessasse legalia, & incœpisse Baptismum, & legem nouam obligare; quod videtur docere Sanct. Thum. 1.2. *quaest*.105.*articul*.3. *articul*.4. *ad* 1.*&* 3. *part*. *quaest*.37. *articul*.1. *ad* 1. *&* *quaest*.66. *articul*.2. *ad* 3. Hoc autem intellige respectu eorum, quibus Baptismus fuerat promulgatus: respectu verò omnium non obligauit Baptismus, nisi post sufficientem promulgationem Euangelij: quæ promulgatiu facta fuit in die Pentecostes, vt aliqui existimant. Alij veru putant, vniuersalem obligationem cœpisse paulò post excidium Hierosolymitanum quod accidit annu quadragesimo post Christi Passionem, quu tempore Apostoli obierant, & toto orbe Euangeliom prædicauerant: & vsque ad hoc tempus, asserunt, Baptismum fuisse tantum præceptom, non tamen medium salutis & illu in tempore ignurantes inuincibiliter legem Euangelij potuisse, & debuisse adhibere Circumcisionem tanquam remedium naturæ. Ita Henriquez videndus *loco citato*, & com aliis Bonacina, *tom*.1.*disp*.2.*q*.2.*p*. 2.*n*.13.*&* 14. post vero Euangelij sufficientem promulgationem, nullo modo licitum fuit vti Circumcisione; quia Baptismus tunc obligat, vt præceptom, & medium simpliciter necessarium in re, vel in voto; vnde etiam inuincibiliter nunc Baptismum ignorantes absque Baptismo saluari non possunt. Quòd si legem naturæ seruauerint, illuminabuntur à Deu, vt docet S.Thum.2.2.*quaest*.10.*art*.4. & tenet Bonacin. *sup*.*n*.15. & communiter recentiores, & dixi in Decalog. *lib*.1.*cap*.1. *dub*.2. *n*.9. estque conforme summæ pietati, & misericordiæ diuinæ.

DVB. III.

Quanam sit materia Baptismi.

1 DVplex communiter assignatur à DD. materia Baptismi: altera remota, altera proxima.

2 Dico primò. Materia remota Baptismi est vera aqua, ita definitur à Trident *sess*.7.*Can*.2.*de Baptismo*, & aperte colligitur ex Scriptura, Matth. 3. quando in Iurdane Christus à Iuanne Baptizatus fuit. Et Iuan.3.ibi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *&c.* Et ad Ephes. 5. *Mundans lauacro aquæ*; verba autem scripturæ, nisi absurdum contineant, explicari debent in proprio sensu. Ita cum aliis Bellarm. *lib*.1.*de Baptismo*, *capitul*.4.*&* *lib*.2.*capitul*.1. Suarez 3. *part*. *disput*. 20. *sect*.1. Congruentia huius est, quia aquæ est facillimus vsus, & commoditas facilis, & aptitudu magna ad significandam internam munditiam, perspicuitatem, refrigerationem ardoris concupiscentiæ, regenerationem, velut humidi seminalis ex Matre Ecclesia, & vi Spiritus sancti; quæ ferè sunt proprietates aquæ in ordine ad corpoream ablutionem. Est igitur vera materia Baptismi vera aqua, cuiussuis generis sit, vt aqua maris fluminis, paludis, putei, fontis, pluuiæ, balnei, etiam sulphurei. Item aqua resoluta ex niue, gelu, rore, grandine, glacie, & sale, nam sal fit ex vera aqua maris, vel putei salsa. Ita ex S.Thom. 3 *part quaest*.66.*artic*.3. Henriquez *lib*.2.*cap*.6.*num*.2 *&* 3. & cum aliis Bonacina *disp*.1.*quaest*.2.*part*.3.*num*.3.*&* 4. & Diana 3.*p*.*tract*.4.*resol*.5.

3 Non tamen tenet Baptismus in sale, niue, grandine, gelu, & glacie: quia in iis non manet vsus aquæ aptus ad lauandum, Filliuc.*tom*.1.*tract*.2.*c*.2.*num*.29. Doctores citati, & alij communiter. Item nec tenet Baptismus in aqua non naturali; vt in aqua artificiali, vt rosacea, cereuisia, aut alia simili, nec in vino, aut lacte, nec in aqua ardenti, nec in sudore, lachrymis, aut flegmate, saliua, aut vrina. Itē, nec tenet Baptismus in aqua naturali, quæ ita alterata est, & mixta cum alio corpore, vt amplius non sit apta ad abluendum, vt brodium, lotum, lixiuium, aut vinum modica aqua mixtum Bonacina cum aliis *sup*.*n*.6. At lixiuiom videtur sufficiens materia, quia per cineres non videtur corrumpi aqua, S. Thom *supr art*.4.*ad* 4. Idem videtur dicendum de brodio, nisi maior sit altera liquoris pars: teneret tamen Baptismus in aqua ex brodio carnium, vel pisciom liquefacta, sicut in aqua ex luto extracta. Sanct. Thom. *dict*. *artic*.4. Henriquez

riquez videndus *cap 6. citat.* Nec valet Baptismus in liquore distillato ex vite, aut arboribus, aut ex herbis expresso, quia non est vera aqua elementaris. Ita Henriquez sup. Filliuc. *tom.1 tract.1.cap 2. n.6.* & cum aliis Coninch *q.66.art.4. dub 1.num.23.* contra Frai Ioan de la Cruz, *in directorio consc p.2.de Sacramt. Baptism q.1.dub.1.conclus.2.* at quia de hoc est dubium non videtur improbabile posse in extrema necessitate conferri Baptismus in hac aqua. Diana 3.*part.tract.4.resol.5.* vbi cum Fernandez *in exam. Theolog mor.part.cap* 11.§.1.*num.*3.notat esse aquam sufficientem & elementarem illam, quæ colligitur ex vaporibus densatis, qui ex ollæ ore euaporantur, & in testaceo tegmento reperiuntur: item illam, quæ hyemali tempore ex parietibus, lapidibusque fluit, nam vapores essentialiter aqua sunt; nam aqua è parietibus manans aqua est, aëre humido in aquam verso.hæc ille: ego verò maximè dubito has esse veras aquas, ideo nullo modo in iis esse conferendum Baptismum, nisi in extrema necessitate, & tunc sub conditione.

4 Nihil tamen nocet, vt aqua naturalis sit calida (immo potest calefieri, si frigiditas nocitura sit paruulo) vel frigida, tincto colore, vel densa, nam hæc mutatio est accidentalis. Nec aqua benedicta est de necessitate Sacramenti, sed ad excitandam Sacramenti, reuerentiam, quæ si congelata fuerit, non est postea iterum benedicenda. Non licet tamen absque necessitate in aqua non benedicta baptizare, aliter sic baptizans peccaret item, peccaret grauiter qui, relicta aqua naturali pura, baptizaret in aqua alterata, vel fœda, vel dubia; in necessitate tamen liceret in aqua dubia baptizare; nam potest prodesse, & non obesse, postea tamen rebaptizandus est sub conditione cum aqua naturali. Ita Bonacin. *tom.1.disp.2. quæst.2.part.3.num.*8.9.*&* 10. cum Coninch 3.*p.q.66.art 4.dub.*1.& aliis, vide Henriq.*lib.2.c* 6.

5 Dico secundò. Materia proxima Baptismi est ablutio. Sanctus Thomas 3.*part. quæst.*66.*articul 6.* & communis Doctorum Patet Matth. vlt.ibi. *Baptizantes eos*, id est abluentes: & ad Ephes.5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et probatur quia ex ablutione, & verbis componitur Sacramentum. Nomine ablutionis intelligunt DD. contactum illum quo aqua per actionem ministri tangit corpus baptizati, siue fiat per immersionem, siue per effusionem: debet tamen baptizans suæ Ecclesiæ ritum seruare, aliter grauiter peccaret, nisi necessitas aliud suaderet. Quid si minister trinam immersionem intendens moriatur ante vltimam, vel vnam ex obliuione omittat. Respondeo, si iste legitimam habuit intentionem, seu religiosam, id est Christi, & Ecclesiæ quamuis ex ignorantia putet, trinam immersionem esse de necessitate Sacramenti, & vnam relinquat, si protulit perfectè formam simul cum aliqua immersione, tenere Baptismum; nam adest forma vera, & legitima materia, ac intentio: quod si habuit sacrilegam, & irreligiosam intentionem, coarctando, & determinando suam intentionem ad vltimam immersionem ita vt aliter non intendat baptizare, non tenet Baptismus, ex defectu legitimæ intentionis. Ita Henriq. *lib.2.c.7.n* 4.Ledesm.*in sum. l.2.c.3.*& Bonac *tom.1.disp.2.q.2.p.3.n.*30.

6 Ex secunda conclusione sequitur primò, non esse Baptismum, si existente aliquo in aqua & non applicando ei aquam minister diceret: *Ego te baptizo*, quia contactus illius aquæ non fit a ministro, consequenter non est ablutio in Baptismo requisita, quæ consistit in contactu aquæ, & corporis per actionem, & motionem ministri, *vt dict. cap.num.*5. & docet Coninch 3. *part. quæst.66. articul.4 dub.2.*

7 Sequitur secundò, paruam aquæ quantitatem vt tres guttæ, aut duæ, immo, & vnam guttulam, aut scintillam sufficere ad Baptismi validitatem, vt docent Henriq.*lib.1.de Sacrament.capitul.21.numer. 5.litter.L.*& cum Vasquez, Bonacin.*tom.1.disputat.2. quæst. 2. part.3. numer.* 18. quia vna guttula sufficit ad moralem ablutionem, ex quo fit, valide Baptizasse fœminam illam, quæ signo Crucis impresso in fronte infantis moribundi, digito aquæ madefacto, exprimendo simul formam illum baptizauit, Filliuc.*tom.1tract.2.c.3 n* 34.& Diana 3.*part.tract.4. resol.*5.

8 Sequitur tertiò, ad validitatem Baptismi requiri, vt illa corporis pars abluatur, qua abluta verum sit dicere, hominem esse ablutum, vnde inualidus est Baptismus, si aqua contingat tantum vestes, aut pileum, aut si quis in vtero, vel arca inclusus baptizetur. quia nulla pars corporis abluitur. Henriquez *lib 2. capitul.7. numer.* 2. Bonacina *suprà numer.*20. qui *numer.* 21. existimat non esse validum Baptismum, si aqua solum capillos attingat, nam putat non esse partes hominis, sed superfluitates, & excrementum carnis: sed probabilius videtur, esse Baptismum, vt tenet Henriquez *vbi suprà.* Vasquez, Coninch, Sotus, & permulti apud Bonacinam *loco citat.* Ratio est, quia capilli sunt partes hominis ad ornatum, & secundum Aristotelem viuunt, & vegetantur, nam crescunt, & canescunt; idem dicendum si contingat aqua tantum vngues, vel pellem infantis, quæ dicitur secundina vt tenet Rosella *ver. Baptismus.* Syl. *eod. verb.n.*4. quia quodlibet horum reputatur corporis pars.

9 Sequitur quartò, validum esse Baptismum, si aqua tangat reuera aliquam corporis partem, etsi minimam, vt brachium, pedem, manum, vel digitum, & à fortiori caput, quia cum in omni parte sit anima rationalis, censetur absolute homo ablutus: sicut dicitur vulneratus, quacumque in parte vulneretur, vt docent Vasquez *disput. 145. num.* 28. & Henriquez, etsi Bonacina *supra num.*23. oppositum existimet verius, nisi forte caput abluatur. In qua re ad tollendos scrupulos, & quia de aliis partibus corporis dubitant D D. existimo cum Sancto Thom. *in 4. distinct. 6. quæst. 1. articul.* 1. *&* 3.*part. quæst.* 68. *articul.* 11. & Bonacina loco citato, & aliis. Baptizatum in aliis corporis partibus à capite esse rebaptizandum sub conditione, secus si in capite, quia est præcipua corporis pars in quo vigent omnes sensus. At existimat Filliuc. *tom.1.tractat.2. capitul.*3. cum Nauarro, quando quis est Baptizatus in scapulis, pectore, humeris, manu, vel pede; posse quidem sub conditione rebaptizari, non tamen esse necessarium: quod existimo valde probabile, & tutum propter rationem superius allatam. Vide de his *infra dub.6 n* 4.

10 Sequitur quintò, non esse baptizatum infantem, qui è vita decessit, antequam finiretur forma inter abluendum. Ita Bonacin. *sup.n.*25. & communiter DD. contra Syl. *Baptismus 4.quæst.*2. quia cùm forma non sit perfecta, nequit constare Sacramentum Baptismi

11 Sequitur sextò, si infans morti iam proximus proferendo formam proiiceretur in fluuium, aut puteum animo baptizandi, non esse baptizatum, vt existimat Sotus *in 4. distinct.3. quæst. vnic. articul.*8. Henriquez *lib.2.cap.7.numer.*4. & alij, quia non ordinatur ad vitam, vt significat Christi resurrectionem, sed ad subuersionem, & necem, nec est ablutio, sed suffocatio. Ledesma tamen *in sum.c.4. de Baptismo.* & Bonac.*tom.1. disp.2.q.2.part.3.num.*26.

est de essentia formæ Baptismi, vt docet S Thomas *quæst.96.art.6.* & communis apud Suarez *disput.21. sect.3.* & Bonacina *tom.1. disput. 2. quæst. 2. part. 4. n.5.* Deducitur apertè ex verbis Christi, Matth.28. *baptizantes eos in nomine Patris, &c.* quod ideò factum est, vt ostenderetur vnitas essentiæ, vna virtus trium personarum, vna substantia, & maiestas, hæc enim omnia comprehendit dictio, *nomine.* Vnde non esset Baptismus, si diceret, *in nominibus*, quia in diuinis non est multiplex, sed vna essentia. Quid si diceret, *in virtute*, Henriquez *lib. 2. cap. 8. n. 2.* & cum eo Bonacina *supra num 5. citat.* dicit formam esse dubiam, verius tamen videtur esse nullam, vt tenet Reginald. *tom 1. lib.27. cap. 4. num. 30.* quia non datur vox quæ æquivaleat huic, *in nomine*, quid si baptizaret ita, *in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus sancti.* vt existimat Henriquez *vbi suprà*, & alij apud Bonacinam, etsi ipsi contrarium sentiant, Baptismum esse validum, nam trina nominis repetitio non multiplicat essentiam: tum etiam, quia semel affertur nomen, virtute intelligitur replicari in qualibet repetitione personæ diuinæ, vt de verbo, *baptizare* diximus *num.6.* Non tamen esset Baptismus, si diceret loco particulæ, *in nomine*, ego te baptizo cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu sancto; aut in verbo Patris, Filij, &c. quia non exprimitur vnitas diuinæ essentiæ. Coninch *3. part. quæst.66. art.6. dub.2. num 45.* Bonacin. *suprà num. 5. vers. Rursus.* Nec si dicatur, baptizo te in nomine Patris maioris, & Filij minoris, quia est mutatio substantialis, & indicatur inæqualitas personarum, qui est error manifestus, ita citati, & omnes communiter. Quid si diceret, ego te baptizo in nomine Patris, &c. & B. M. Virginis. Vide *sup. cap.2. de Sacram in genere, dub.3. n.10.*

8 Dico sextò. Expressio trium personarum sanctissimæ Trinitatis est de necessitate Baptismi: colligitur apertè ex verbis Christi. Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* ita Concil. Florentin. S.Thom. *3. part. quæst.66. art. 5.* & communiter sancti Patres, & DD. apud Suarez *disp.21. sess.3.* Ratio est, quia Fides explicita Trinitatis est ad salutem necessaria per se loquendo, vt dixi in Decalog. *lib.1. cap.1. dub. 2. num. 6.* at Baptismus est Sacramentum Fidei, & ianua Ecclesiæ, ideo in eo oportuit, fieri expressam Trinitatis mentionem. Vnde non erit Baptismus collatus in nomine solius Christi, aut in nomine Trinitatis, aut Dei, aut sanctæ Crucis, eo quod tres personæ diuinæ non exprimantur. Ita citati, & cum multis Bonacina *tom.1. disp.2. q.2. part.4. num 6. 7. & 8.* Vide Henriquez *lib. 2. cap.8. num.1.* valet tamen Baptismus, si diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius Iesu Christi, vel Christi, &c.* nam sic satis exprimuntur tres personæ, vt magis infra constabit. Quod si dicas, Apostolos baptizasse, in nomine Christi, vt patet in Actis Apostolorum. Respondet S. Thom. *quæst.66. art. 6.* & cum eo alij, pro eo tempore dispensatum fuisse à Deo, vt Christi nomen magis commendabile gentibus redderetur, vel vt existimat Bellarmin. *cap. 3. de Baptism.* & alij apud Bonacinam *suprà num.8 in fin.* & Suarez *disput.21. sect.2.* Apostolos nunquam baptizasse in nomine Christi tantum, sed positum fuisse, *nomen Iesu Christi*, loco illius particulæ; *Filij*, dicendo. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti.* Si autem obiicias, Nicolaum I. *in c. a quodam Iudæo de consecrat distinct.4.* respondisse, non esse rebaptizandos eos, qui a quodam pagano fuerunt baptizati in nomine sanctissimæ Trinitatis, vel in nomine Christi tantum, respondeo cum Suarez *disp.21. sect.4.* Filliucius *tom.1. tractat.2. cap 3. num.57.* & Bonacina *vbi sup. num.8. vers Respondeo ex.* baptizatos ab eo paganos in nomine Trinitatis, non esse rebaptizandos, si expressæ sunt tres personæ; vel si loco Filij, nomen Christi fuerit positum, dicendo. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus sancti,* quomodo baptismum valere, dictum est hoc num.

9 Dico septimò. Exprimenda est Trinitas nominibus relatiuis, id est, sub nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ita communis cum S.Thom. *q.66. art.5. ad 7.* apud Suarez *disput. 21. sect.4.* quia sicut Christus determinauit materiam, scilicet aquam, ita etiam verba, & voces formæ, dicens Matth.28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; vnde non tenet Baptismus in nomine Trinitatis, vel trium personarum, vel primæ, & secundæ, & tertiæ personæ, vel genitoris, & splendoris gloriæ eius, & flaminis: quia non explicantur personæ per proprietates personales. Item, propter eandem rationem probabilius non esse Baptismum, *In nomine genitoris, geniti, & spirati*, vt communiter tenent DD. cum S. Thom. *supra art. 5.* contra Caiet. & aliquos apud Suarez *loco citat* & quamuis sententia Caiet. probabilis speculatiuè sit, sententia tamen S. Thom. & aliorum tutior est, & omnino in praxi sequenda, ne baptizandus periculo damnationis exponatur; vnde si fortè aliquis ea forma fuisset baptizatus, esset rebaptizandus sub conditione; eo quòd esset valde dubium Sacramentum, valet tamen Baptismus, si loco *Filij*, dicatur *Verbi.* Item si dicatur: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij vnigeniti, & Spiritus sancti paracliti.* Item si dicatur: *In nomine Patris te baptizo, &c.* Aut si dicatur: *Te baptizo in Filij Patris, &c.* quia in iis retinetur sensus formæ: propter quam rationem validè baptizat; qui omittit tres illas particulas, *ego in*, & *Amen*; quia non sunt de essentia formæ, & cum non sit materia grauis, illas omittens non peccat mortaliter, vt dixi *sup.num.4.* & tenet Bonacina cum aliis *tom.1. disp. 2. q.2.p.4. n.16.* & cum aliis Diana *1 p. tract.15.resol.14.* & Henriq. *tom. 1. lib.2. c.9. n 4.* existimat scienter hæc omittere, esse peccatum mortale ex genere; quod intellige si adsit scandalum: qui autem omitteret coniunctiones, *&* secundum Syl. *Baptismus 1. q 11. conclus.4.* non validè baptizat; verius tamen est oppositum, quod tenet Reginald. *lib.17. cap.4. sect. vlt.num.19.* Coninch *3. part. quæst.66. art. 6. dub. vnic.* Filliuc. *tom.1. tractat.2. cap.3. num.63.* & Diana *sup.* Ratio est, quia hac sublata, remanet sensus, idem est, præcipere nomine Regis, ac in nomine Regis.

10 Ex dictis sequitur primò, verba essentialia formæ esse: *Baptizo te nomine Patris, & Filij, Spiritus Sancti*, aliæ verò particulæ, *Ego, in*, & *Amen*, sunt de præcepto, & de facili, ac clara intelligentia formæ, ideò apponendæ, aliter eas omittens peccat, vt dictum est supra.

11 Secundò, inualidè baptizat, qui diceret: *Intendo te baptizare*, quia mutatur sensus formæ; aliud enim est, actum baptizandi exercere, aliud verò proponere, seu intendere actum. Bonac. *tom.1. disp.2. quæst.2. part.4. num.14.*

12 Tertiò, valet Baptismus lingua vulgari, & secluso scandalo, non peccat mortaliter, imò qui non benè nouit linguam Latinam, meliùs faceret sic baptizando. Bonacin. cum aliis *sup.num.17.*

13 Quartò, non est Baptismus, si puer moriatur, antequam Sacerdos proferat tertiam personam, quia non adsuit integra forma, piè tamen D. Thom. *distinct.3. quæst.2. artic. 2. ad 4.* & cum eo Syl. *Baptismus 1. n.5.* existimant, esse Baptismum, & Deum

supplere effectum, consequenter puerum sepeliendum in loco sacro. Vide Henriquez *lib. 1. cap. 11. ad finem*, & Bonacin. *sup. num.* 18.

14 Quintò, inualide baptizat *in nomine Patris, &c. & Beatæ Virginis*, aut alicuius Sancti, si Beata Virgo, aut Sanctus adducantur effectiuè, secus si deprecatoriè ad facilius consequendum effectum Sacramenti, vt dixi *lib. 1. cap. 2. dub. 3. numer.* 10. & cum aliis tenet Bonacina *sup. num.* 19. & Diana 1. *p. tract.* 15. *resol.* 48.

15 Sextò, nemo potest se ipsum baptizare, vt dictum est *num.* 6. vnde se in articulo mortis baptizans non saluabitur ratione Baptismi à se dati, quia nullus fuit; poterit tamen saluari per Baptismum in voto: possunt tamen duo se inuicem baptizare. Henriquez *lib. 1. cap.* 26. *num. 2. & lib. 2. cap. 8. num.* 4. & Bonacina *distinct. num. 20. in fin.*

16 Septimò, potest quis vnica aspersione plures validè baptizare dicendo: *Ego vos baptizo*, sicut confessarius vnica absolutione plures absoluere dicendo: *Ego vos absoluo*. S. Thom. *quæst. 66. artic. 5. ad* 4. & communiter DD. Sensus est, *ego baptizo te*, esse, quo in caso dantur plura Baptismata nimirum tot, quot sunt subiecta, seu personæ, quæ baptizantur, à quibus indiuiduatur Baptismus, & quamuis forma formaliter sit vna, virtualiter tamen censetur multiplex. Vide Coninch 3. *part. quæst.* 67. *art. 6. dub. 2. num.* 53. & Bonacin. *tom. 1. disputat. 2. quæst. 2. part. 4. num.* 21. & 22. Sic similiter Sacerdos vno verbo consecrat multas hostias: & Episcopus vna prolatione formæ, dicens *accipite potestatem*, ordinat multos qui simul, aut successiuè tangunt eandem materiam. Multos autem sic baptizare, secluso scandalo, non videtur peccatum mortale. Vt tenent Sotus *dist. 5. art.* 6. & Henriq. *lib. 2. cap. 30. num.* 1.

17 Octauò, non valet Baptismus, si mutus infundat aquam, & carens manibus proferat formam, etiam Græcorum, vt docet S. Thom. 3. *part. q.* 67. *art.* 6. DD. citati, & alij communiter; quia vt formæ sensus sit verus, oportet vnum per se ministrum repræsentare vicem vnius Christi. Deinde quia sensus formæ est falsus, cum reuera ille non abluat vnde non est audiendus Fernandez de Heredia *de Baptismo part. 5. lib.* 9. asserens, teste Diana *part.* 3. *tract. 4. resol.* 11. id licere sub conditione in articulo necessitatis, nam est dictum sine fundamento, & contra communem. A fortiori non valet Baptismus, si vnus incipiat formam, & alter perficiat. Vide Henriquez *cap. 30. citat.* Suarez *disp.* 23. & Bonacin. *supra num.* 23. & 24.

18 Nonò quando multi vnum baptizantes dicunt *nos te baptizamus*, si illa forma reddat hunc sensum: *Ego te baptizo, & iste te baptizat*, vnusquisque totaliter, ita vt intentio vnius non dependeat ab intentione alterius, est Baptismus, quia dantur omnia requisita: quòd si dicat: *Ego te baptizo, & iste te baptizat*, vnusquisque partialiter, & ambo, vt minister totalis, ita vt intentio vnius dependeat ab intentione alterius, non est Baptismus, quia minister non est nisi vnus, sicut Christus instituens, nec integratur ex duobus (quamuis de potentia absoluta fieri possit) ita D. Thom. *quæst. 66. art. 5. ad* 4. Nec valet Baptismus, si dicat quisque simul baptizantium. *Baptizo te, si alter nunc baptizans non baptizat*, quia dum additur conditio, tunc forma non est vera, cum sit se falsificans. Henriquez *vbi sup. num.* 2. Quando verò multi vnum baptizantes, vnusquisque vt causa totalis, & intentione independenti profert verba, & simul aquam infundit, ille qui prius perfecerit, baptizat, reliqui verò non baptizant, nec sunt in foro conscientiæ irregulares, quia ad rebaptismum oportet, vt circa plenè baptizatum applicetur integra forma, & materia: sic non peccant Sacerdotes, qui quando initiantur, proferunt formam consecrationis; postquam Episcopus finiuit, & consecrauit. Vide D. Thom. *q. 67. art.* 6. Ledesmam *in sum. lib. 2. cap.* 6. Henriquez *dict. c.* 30. *num. 4. & cap. 12. num.* 1. Bonacina *tom. 1. disput. 2. quæst. 2. part. 4. num.* 25. & Filliucium *tom. 1. tract. 2. cap. 4. q. 4. &* 5.

19 Hoc autem pro certo habeo, valere Baptismum ab Episcopo dicente: *Nos te baptizamus*, quia *nos*, authoritatiue ponitur pro, *ego*, item valet, si baptizans principalem personam dicat: *Ego vos baptizo*, quia *vos*, ponitur pro *te*, & talis mutatio non est substantialis. Bonacina cum aliis *supra num.* 11.

20 Decimò, mutatio in verba synonima non vitiat Baptismum, nisi tollat sensum formæ, iuxta superius dicta. Sic valet Baptismus datus his verbis: *Abluo te, intingo te*: quando verò fit per infusionem aut aspersionem satis est dicere, *infundo aquam, vel aspergo*. Sotus *dist. 3. artic. 5. & art. 7. ad* 2. vel *mergo*, cum eodem Soto. Si tamen mergendo baptizans dicat, *asperge te*, vel baptizans aspergendo dicat, *mergo te*, dubia est forma, Sotus *art.* 7. magis dubia *balneo te*, aut *mitto in aquas*, Sotus *dist. 3. art.* 5. at non valet, si dicat, *purgo te*, aut *emundo te*, nisi confessarius absoluens dicat, *ego te abluo*. Henriq. *lib. 2. cap. 9. num. 3. lit. O.*

21 Baptizans cum formis dubiis peccat mortaliter, peccato sacrilegij, quia exponit se periculo irritandi Sacramentum, vt diximus *lib. 1. c. 2. dub. 5. num.* 9. vbi etiam diximus, etsi licitum sit in necessitate vti materia dubia, non tamen forma; quia semper vera forma est possibilis: quod si quis metu mortis (absque scandalo tamen, & contemptu fidei) cogeretur ad baptizandum sub hac forma: *In nomine Genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*, excusari potest à peccato, sed propter dubium rebaptizetur sub conditione, si tempus adsit, Henriq. videndus *lib. 1. cap. 9. num. 7. lit. B. & lib. 2. cap. 9. numero* 3.

22 Dico vltimo, formam Baptismi conditionalem esse: *si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine, &c.* habetur *cap. 2. de Baptismo*, & vti debemus hac forma, quando Baptismus est incertus, ac dubius publicè, & coram aliis. At si mihi tantum dubius, aut incertus est, debeo vti forma absoluta exterius, conditione tantum mente intellecta, si dubium deponere non possum. Filliuc. *tom. 1. tract. 2. cap. 3. num.* 65.

D V B. V.

Quisnam sit minister Baptismi.

1 Duplex minister Baptismi communiter à DD. assignatur: alter solemnitatis, alter vero necessitatis.

2 Dico primò. Minister solemnitatis est solus Sacerdos. Ita Concil. Florentin. *in instruct. Armenorum, & cap. constat de consecrat.* & patet ex communi vsu Ecclesiæ, & tenet S. Thom. 3. *p. quæst.* 67. *articul.* 2. & communis DD. apud Suarez *tom. 1. de Sacramentis, disput.* 31. *sect.* 2. Ratio est, quia solus Sacerdos habet potestatem in Corpus Christi verum, id est, ad consecrandam Eucharistiam; ergo solus etiam in mysticum, maximè quia per Baptismum fit homo particeps Eucharistiæ. Ex officio autem non competit omnibus Sacerdotibus baptizare, sed pastoribus animarum, vt sunt Episcopi, & parochi:

chi: alij autem Sacerdotes etsi ex vi suæ consecrationis id munus eis competat, non tamen possunt illud exercere absque licentia pastoris, eo quod non habeant subditos, idque expostulat bonum regimen Ecclesiæ, Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 69.

3 Dico secundò. Diaconus ex vi suæ ordinationis non est ordinarius Baptismi minister, est tamen capax huius ministerij, ex concessione, vel iussu Episcopi, vel parochi, saltem vbi id consuetudine receptum est, *cap. Baptisma de consecrat. distinct.* 4. & patet ex ipsius ordinatione: quamuis hoc tempore non videtur vsu receptum, vt Diaconus solemniter baptizet, cum adsit copia Sacerdotum. Suar. *disp.* 26. *sect.* 2. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disput.* 2. *quæst.* 2. *part* 5. *num* 3. Nullus autem Diacono inferior est capax talis delegationis, & commissionis, vt tenent communiter DD.

4 Ex his colligitur, Clericum non Sacerdotem, baptizantem solemniter (idem dic de Diacono, si non adest licentia proprij Sacerdotis) peccare mortaliter, & fit irregularis, *ex cap. de Clerico non ordinato ministrant.* Laicus autem solemniter ministrans Baptismum etiam extra necessitatem, non fit irregularis, vt valde probabiliter tenet Henriquez *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 1. & cum Nauarro Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *num* 85. sicut nec fit irregularis laicus absoluens à peccatis, fundatur in *dict. cap. & titulo*, qui est, *de Clerico ministrante in ordine quem non habet*; at mere laicus, non est Clericus. At Clericus sine solemnitate baptizans, etiam extra necessitatem, & prohibente Parocho, non fit irregularis; quia non exercet actum Ordinis sacri. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 7. *& cap.* 27. *num.* 242. Parochus autem in aliena Parochia extra necessitatem sine licentia proprij, solemniter baptizans peccat quidem mortaliter, sed non fit irregularis, nec excommunicatus, idem Nauarr. *cap.* 22. *n* 7. *in fine*, quia hæc pœna nullibi reperitur expressa. Si verò ministret solemniter in necessitate Sacerdos, quando Parochus abest, sine proprij licentia, non peccat, quia quilibet Sacerdos per se institutus est ad ministrandum hoc Sacramentum. Suarez *disp.* 23. *sect.* 2. *& disp.* 31. *sect.* 4. & cum aliis Bonacina *tom* 1. *disp* 2. *quæst.* 2. *part.* 5. *num* 9.

5 Dico tertiò. Minister Baptismi in necessitate est omnis homo habens vsum rationis potensque, & sciens debitam formam proferre, & materiam applicare S. Thom. 3. *part. quæst.* 67. *art.* 3. 4. *&* 5. & cum eo communis DD. & habetur in Concil. Florentin. *in instructione Armenorum*, & definitum est in cap. *in necessitate, & seqq. de consecrat. distinct.* 4. & habet traditio Ecclesiastica, quæ demonstrat propter tantam Baptismi necessitatem, Christum Dominum voluisse, pro ministro Baptismi constituere quemlibet hominem rationis vsum habentem, siue sit fidelis, siue infidelis, siue sit vir, siue fœmina, siue sit excommunicatus, aut non; dummodo omnia alia requisita adsint. Vnde baptizatus à laicis, ab hæreticis, aut fœminis, quamuis sit adultus, & extra necessitatem baptizatus, si cætera adsint, non est rebaptizandus, nam etsi extra necessitatem baptizando peccauerint, validus tamen fuit Baptismus, vt cum multis tenet Henriquez *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 1.

6 Hinc colligitur, fœminam posse licitè in necessitate baptizare, ob idque obstetrices obligandas esse ad ediscendam formam Baptismi, saltem lingua vulgari, vt in necessitate subueniat infanti periclitanti, ad quod ex charitate tenentur, non existente ibi tunc ministro magis idoneo, vt non rarò continget. Suarez *disput.* 31. *sect.* 1. Nauarr. *cap.* 22. *num* 6. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 2. *quæst* 2. *part.* 5. *num.* 5. probabile tamen est obstetrices non obligari sub mortali ad sciendam formam Baptismi, & modum baptizandi, vt ex Suarez: *part tom* 3. *disp.* 21. *sect* 5. tenet Diana 1. *part. tract.* 15 *resol.* 46. quia circa hoc nullum extat præceptum positiuum, neque naturale, quia obstetrix iure naturali non obligatur ad curandam salutem animæ pueri, sed solum ad rectè cooperandum natiuitati corporali eius: opposita autem sententia non solùm magis pia, sed etiam probabilior, & verior videtur propter rationes ibi adductas.

7 Secundò hæreticum, & paganum posse validè conferre Baptismum, modo intentionem habeat baptizandi, *cap Romanus dist.* 50. Quamuis peccet adultos ab iis suscipiens baptismum, propter periculum non recipiendi illum, defectu intentionis, aut propter scandalum. Suarez *vbi sup sect.* 4. Henriquez, & alij apud Bonacinam *num* 6.

8 Tertiò, Angeli, aut anima separata, absque dispensatione diuina, non possunt validè baptizare, quia cum non sit homo non potest vitaliter verba proferre. Homo verò beatus validè baptizaret. Vide Henriquez *vbi sup.* & Bonacina *num.* 7. *&* 8.

9 Nihilominus tamen, etsi verum sit, in necessitate omnes validè baptizare, tamen vt id licitè fiat, seruandus est ordo aliquis, si possibilis sit: hoc modo, vt fœmina non baptizet præsente viro sciente baptizare, nec laicus præsente Clerico, nec Clericus etiam Diaconus præsente Sacerdote, nec Sacerdos præsente proprio Pastore: verùm si proprius Pastor, aut Sacerdos nolit baptizare, debet Clericus, aut laicus baptizare in extrema necessitate, imò in tali casu laicus, deficiente Clerico, ad id ex charitate tenetur, vt occurrenti subueniat necessitati. Henriquez *dict. cap.* 28.

10 Sed rogabis, quale peccatum sit, prædictum ordinem non seruare Respondeo, & dico, præferre infidelem fideli, saltem ratione scandali videtur peccatum mortale à fortiori si hæreticus præferatur, similiter si præferatur excommunicatus, præsertim si sit denuntiatus, quamuis non excommunicatus sit laicus, vt contra Henriquez *lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 3. tenet Coninch 3. *p. q* 67. *art.* 5. *dub.* 2. inter fideles autem non excommunicatos omittere Sacerdotem volentem baptizare, etiam est peccatum mortale, vt cum multis tenet Bonacina *tom.* 1. *disp* 2. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 10. *in fin.* Videtur etiam mortale, absente Sacerdote, omittere Diaconum volentem baptizare, vt docet Coninch *sup.* Ratio horum quia dictum ordinem subuertere, videtur res grauis: in aliis autem ordinem supradictum non seruare, ex se solum videtur peccatum veniale, quia non videtur res grauis; ita DD. citati; probabile tamen est laicum baptizantem præsente Diacono in casu necessitatis non peccare mortaliter, vt tenet Diana 3. *part. tract.* 4. *resolut* 4. cum Suarez *tom.* 3. *disp.* 31. *sect.* 4. Villalobos 1. *part. tractat.* 5. *differ.* 8. *num.* 10. & aliis, erit ergo solum peccatum veniale, non enim videtur res grauis. Addi Valentiam *tom.* 4. *disput* 4. *q.* 2. *punct.* 1. asserere laicum baptizantem in tali casu præsente Sacerdote secluso contempto, & inuitè renuente Sacerdote, peccare tantum venialiter.

11 Quæres secundò, quæ seruare teneatur baptismi minister. Respondeo primò, debet habere legitimam intentionem, de qua *lib.* 1. *cap* 3. *dub.* 2. Secundò, debet applicare legitimam materiam, & formam, iuxta dicta *hoc cap. dub* 3. *&* 4. Tertiò, si solemniter baptizat, requiritur vt sit in gratia, aliter solemniter baptizans, peccat mortaliter, & si sit excommunicatus, fiet irregularis. Qui verò

vrgente necessitate baptizat, sine solemnitate cum conscientia peccati mortalis, aut in excommunicatione, non peccat mortaliter, quia tunc non ministrat, vt minister consecratus. Vide Suarez *disp.* 31. *sect.* 5. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 4. Filliucium *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 8. & Bonacinam *vbi sup.* *n.* 12 & Diana 3. *p. tract.* 4. *resol.* 10. vbi cum aliis nostram tuetur sententiam. Quartò debet seruare ritus Ecclesiæ, & de recepta consuetudine (de quibus *infrà dub.* 9.) quod præceptum colligitur ex Trident. *sess.* 7. *Can.* 13. ideoque si cæremonia, quam prætermittit, est grauis peccat mortaliter. Hoc tamen intellige, extra casum necessitatis, in quo sine peccato prætermitti possunt cæremoniæ. Demum peccat, si det Sacramentum indispositio; nam sancta sanctè tractanda sunt. Tunc autem censetur indispositus adultus, quando vel inuoluntariè accedit ad Baptismum, vel sine sufficienti instructione, vel sine signis pœnitentiæ, vel in morali periculo recedendi à fide, quod vltimum suo modo habet locum in infantibus, vt dicetur *dub seq. vers. sed quæres.* vide Filliuc. *vbi sup*

12 Nota, vrgente periculo, licere Baptismum petere à quocumque, siue Christiano hæretico, aut degradato, nullo alio existente idoneo, modo non sit periculum peruersionis, adsitque vera intentio. Ita S. Thom. *q.* 82 *art.* 5. *ad* 3. & *art.* 7. *ad* 2. & ibi Caietan. ac DD. communiter. Vide Emmanuel Sà *verbo Sacramentum, num.* 3. vbi air: quouis tempore licet accipere ab eo, qui non est denuntiatus, aut notorius clerici percussor, quoduis Sacramentum, si non potest commodè ab alio habere, & suæ necessitati, aut vtilitati spirituali prouidere.

13 Dico quartò, peccat mortaliter minister, qui baptizat illum, quem morali certitudine constat esse baptizatum, etiam domi ab obstetrice, S. Thom. *q.* 67. *art* 9. *ex cap. non licet* 2. *de consecrat. & seqq* & Trid. *sess.* 7. *de Sacramento Can.* 9. quia fit contra substantiam Sacramenti, dum confecti tentatur in subiecto incapaci: quod procedit ob eandem rationem, quamuis rebaptizet sub conditione, quia est impertinens, & habetur pro non adiecta. Quare Sot. *dist.* 3. *art* 6. meritò carpit parochos qui facilè rebaptizant baptizatos domi à fœmina; fides enim adhibenda est mulieri, vbi non est rationabilis causa dubitandi vt tenet Sotus, & communis: examinanda tamen est, an rectà intentione applicuerit necessaria Baptismi. Quando vero dubium est probabile, aliquem non esse baptizatum tunc licitum, & expediens est baptizare sub conditione quam satis est mente retinere, *ex c. paruulos, & seq. de consecrat. dist.* 4. nam tunc non fit iniuria Sacramento, cum non conferatur animo reiterandi, nec exponitur homo periculo salutis æternæ, relinquendo illum sine Baptismo ob idque sic baptizans nullam contrahit irregularitatem, Vide Ledesma *in summ. cap.* 5. *de Baptismo.*

14 Dico quintò, rebaptizans absolutè, eum, quem scit esse baptizatum, fit irregularis, etiamsi delictum sit occultum, vt cum aliis docet Suar. *disp.* 31. *sect.* 6. vbi dicit hanc irregularitatem impedire tantum ascensum ad superiores Ordines, fundatur in *cap.* 2. *de Apost.* vbi Accolytus, qui ministrauit rebaptizanti prohibetur ascendere ad superiores Ordines. Ex quo vsus, & consuetudo declarauit, etiam rebaptizantem esse irregularem, Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 2. *cap.* 4. *num.* 90. Dixi, *rebaptizans absolutè*, nam si id faciat sub conditione, probabile est, non esse irregularem vt docent Nauarr. *cap.* 17. *num.* 141. Henriq. *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 1. Ledesma *cap.* 5. *de Baptismo*, & cum multis Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 9. quia vere non rebaptizat. Dixi, *quem scit, &c.* nam secundum omnes ignorantia inuincibilis excusat ab hac irregularitate, secus si culpabiliter ignorat esset baptizatum, Ledesma *supra*, probabilissimum tamen est, excusari eum, qui ex ignorantia culpabili, modo non sit multum crassa, bona fide putans non esse baptizatum, rebaptizat. Vt docet Henriquez *cap.* 4. *de irregularitate*, ex Nauarro *cap.* 27. *num.* 41. quia hic non intendit imitari factum hæreticorum, & implicitè retinet in mente conditionem, *si non es baptizatus*; sic ego non iudicarem irregularem parochum, qui ex obliuione, vel inaduertentia ignoranter rebaptizaret iam baptizatum, præsertim si solitus erat sciscitari ab obstetrice, & patrinis an puer erat baptizatus, ad quod fauet doctrina Caietani *verbo præcepti transgressio*, à qua excusat bona fides. Nec fit irregularis, qui metu rebaptizat, modo non habeat intentionem; ita enim credi potest de pia matre Ecclesia. Henriquez *cap.* 31. *num.* 2.

14 Eandem pœnam irregularitatis incurrit adultus, qui sciéntet rebaptizari, tam quoad susceptionem, quàm visum ordinum, *ex cap. qui in qualibet* 1. *q.* 7. à qua irregularitate excusat ignorantia inculpabilis, non vero culpabilis. Vt docet Suarez *disp.* 31. *sect.* 6. Nec incurrit eam, qui ob metum absque intentione rebaptizatur, nec tenetur pati mortem, potius quam permittere, se rebaptizari, nisi id fieret in odium Religionis Christianæ. Vt tenet Henriquez *vbi sup.* contra Sylu. *irregularitas*, §. 4. *fin.* Nec fit irregularis nesciens se rebaptizatum, si postea id sciens factum ratum habeat. Nec qui solo verbo baptizat, aut rebaptizatur, quia non verè rebaptizat, nec imitatur hæreticos. Vide Henriquez *vbi sup.*

15 Nota, in hac irregularitate, si publica sit, solum dispensare Papam: si autem occulta sit, potest Episcopus, ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. quia contrahitur ex delicto occulto. Vide Henriquez *dict. c.* 31. & Filliuc. *vbi sup. num.* 91. & 92. cum Suar. *disp.* 31. *sect.* 6. *citata.*

Dvb. VI.

Quodnam sit Baptismi subiectum.

1 Dico igitur, Subiectum Baptismi, seu qui baptizari potest, & debet, est quilibet homo natus existens in hoc mortali corpore, siue sit infans, siue adultus, siue vir, siue fœmina. Vt latè probant Bellarm. *lib.* 1. *de Baptismo*, *cap.* 8. & Suarez *disp.* 25. *sect.* 1. Ratio est, quia Baptismus est omnibus necessarius, iuxta illud Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* ergo quilibet homo natus est capax Baptismi. Et quidem paruulos esse capaces, tum eos, qui sunt orti ex fidelibus, quam infidelibus; est de fide, ex Concil. Lateranens. *in cap. Martyres de Baptismo*, & Trident. *sess.* 5. *in decreto de peccato originali cap.* 4. & *sess.* 7. *Can.* 12. & 13. & latè probat Bellarmin *sup. cap.* 8. & 9. Ratio est, quia possunt saluari, & ex alio *cap.* non possunt saluari nisi renascantur; ergo infans etiam ex Christianis, & iustis natus debet baptizari, vt salutem obsequatur, & à peccato originali manderetur. Vide Trident. *sup.* & *sess.* 7. *Can.* 2. & D. Thom. 1. 2. *quæst.* 81. *art.* 1. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *q.* 7. & *sup. dub.* 2.

2 Hinc colligitur primò, satyrum, aut genitum, ex fœmina, & bruto, & pigmæum, non esse capacem Baptismi, quia non sunt homines, nec contrahunt peccatum originale, eo quod non descendant ab Adamo per virilem virtutem. Henriq. *c.* 21. *num.* 1. ex D. Thom. 1. 2. *q.* 85. *art.* 1. & Trid. *sess.* 5. *Can.* 3. & *sess.* 6. *Can.* 3.

3 Secundò, monstrum genitum ex viro, & fœmina baptizandum est; quia homo constat corpo-

re, & anima rationali: imo si constet habere duplicem animam, vt si habet duo capita, & duo corpora diuisa bis baptizandum est, semel in vtroque capite; vel saltem vnico actu baptizandum est dicendo: *Ego vos baptizo,&c.* si periculum sit in mora, & necessitas vigeat. Quod si dubitetur an constet duplici anima rationali, vt si habeat duo capita cum vno pectore, vel duo pectora sub vno capite, duplex Baptismus conferendus est, vnus absolute in ea parte, in qua perfectus caput, vel pectus apparet, alter sub conditione in alia parte. Tolet. *lib.2. cap.21. num.6. ver. Quartò notandum,* & cum aliis Bonacin. *tom.1. disp.2. quæst.2. part.6. num.4.* vide Henriquez *lib 1. cap.21. num 6.* denique si dubitetur, habere animam rationalem, vt si habeat caput ferinum, & cætera membra humana, ad summum est baptizandum sub conditione. Nauarro *consil.3. de Baptismo,* Filliuc. *tom.1. cap 6. num.150.*

4 Tertiò. Mortuus non potest baptizari, nam subiectum Baptismi est homo natos, qui saluari possit, ita DD. citati.

5 Quartò. Infans in vtero matris non potest baptizari, quia cum natus sit, renasci non potest, nec potest attingere ad illum aqua, vnde non sufficit aspergere matrem, quia per illam aspersionem puer inclusus in vtero, & à matre distinctus non abluitur. Ita S. Thom. 3. *part. quæst.68. art.11. ad 1.* Bonacin. *sup. n.7.* & alij. At si aliquo modo ibi in aliqua sui corporis parte lauari possit, existimo valdè probabile esse, posse validè baptizari, quia potest dici quod renouatur, & renascitur. Suarez *tom.3. in 3. part. q.68. artic.11.* Coninch *ibidem num.90.* & cum aliis Diana *1. part. tract.15. resol.43.* Quod si eduxit puer caput, & periclitatur, baptizandus in eo est, & postea plenè natus, non est baptizandus sub conditione, vt docet S. Thom. *quæst.68 art. 11.* nam tunc censetur simpliciter natus: si verò solam manum, pedem, aut brachium eduxit, & in altero ex his baptizatur, valet Baptismus, vt dixi *sup. dub.3. num.9.* At quia aliqui dubitant de hoc baptismo, ideò multi DD. tenent (& hoc est tutius) cum S. Thom. *supra*, postea plenè egressum, esse baptizandum sub conditione. Si verò mater, & fœtus ex morbo, aut vulnere periclitentur, viua mater non est scindenda, vt puer baptizetur, quia non vult Deus, vt cum morte naturali vnius detur vita spiritualis alteri. Ita cum S. Thom. Henriquez *cap 11. num.5.* indo iudex tenetur differre sententiam mortis mulieris prægnantis, donec pepererit. Mortua tamen mater, si fœtus credatur viuere, aperienda est, vt fœtus extrahatur, & baptizetur. Henriquez *sup.* & cum aliis Bonacin. *tom.1. disp.2. q 2. part.6. num.8 & 9.*

6 Nota, licere ab iniquo nolenti aquam dare, eam, etsi benedictam, emere, ne infans periclitetur; vel si pater pueri esset mutus, vel sine manibus, vel nesciret formam baptismi, & improbus minister nollet eum baptizare, nisi dato pretio, licet pro puero offerre pecuniam, ne in æternum pereat, nec est propriè emptio, sed redemptio vexationis, dummodo benedictionem aquæ, nec actionem Sacramenti, nec ipsum Sacramentum intendat verè emere: est enim hæc redemptio vexationis quasi iusta defensio, ideo non est simonia, cum non adsit intentio emendi rem spiritualem. Sanct. Thom. 2.2. *quæst 102 art.2 ad 2.* Syl. *simonia, § 4.* Caietan. *opusc. de simonia. quæst.3.* Nauarr. *cap.21. num 101.* Quod procedit, quamuis pater ab eo compulsus iuret, se emere Baptismum, vt si alter dicat, non baptizabo nisi iures te emere Baptismum vera intentione, modo iurans, late sumat internè, emere pro eo quod est, redimere vexationem. Henriquez *cap.23. n.1. & 2.* Pro adulto tamen D. Thom 2.2. *quæst.100. artic.2.* & communiter DD. negant, licitum dare pecuniam iniquo ministro, vt baptizet, aut absoluat à peccatis, quia adultus non censetur esse in necessitate simpliciter extrema damni irreparabilis constitutus, cum facile possit cum auxilio Dei, habere remedium contritionis. At si quis sibi persuadeat, difficulter habere contritionem, & sit morti proximus, existimo, cum Henriq. *sup. n 3.* vbi citat Bartholomæum Medin. & alios, licitam esse tunc oblationem pecuniæ. Vide D. Thom *d art.2. ad 5.* Sed quæres, vtrum liceat baptizare filios infidelium inuitis eorum parentibus.

7 Certum est tenere Baptismum filiorum infidelium, si de facto inuitis eorum parentibus baptizentur, vt tenet communis cum S. Thom *quæst 68. artic. 11.* Ratio est, tum quia ad valorem Baptismi, tantum requiritur materia, & forma, & intentio ministri, & nulla authoritate probari potest, requiri parentum consensum; ideò Ecclesia non reiterat Baptismum eius, qui inuitis parentibus fuit baptizatus, tum quia ad validitatem baptismi infantis non est necessaria intentio propria, vel parentum, vt dicetur *dub seq* sed sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ, vt docuit D. August. *Epist 23.* vbi inquit: offeruntur ad recipiendam gratiam, non tam ab ipsis, quorum gestantur manibus, quam ab vniuersa societate sanctorum, atque fidelium. Vide Bonac. *tom.1. disp.2. quæst.2. p.6. n.11* & Filliuc. *tom.2. tract.2 cap.6. n.13.*

8 Difficultas ergo est, an id non solum validè sed etiam licitè fieri possit: ad cuius intelligentiam nota, tria posse considerari genera infidelium, primum eorum in quos Ecclesia habet iurisdictionem spiritualem, vt sunt omnes ij, qui receperunt fidem & ab ea per hæresim, Iudaismum, vel Paganismum recesserunt. Secundum eorum, qui sunt subditi Ecclesiæ, vel Principibus Christianis quoad iurisdictionem temporalem, & politicè tantum. Tertium est eorum, qui nullo modo sunt subditi, nec spiritualiter, nec ciuiliter. Rursus aut filius infidelis est adultus aut carens ratione: his positis.

9 Dico primò, filius cuiuscumque infidelis habens vsum rationis, si petat Baptismum, baptizari debet, etiam inuitis parentibus, & ab illis substrahi propter periculum peruersionis: habet enim ius petendi necessaria ad salutem, nec tenetur obedire patri in iis, quæ sibi, & Deo contraria sunt Henriqu. *lib.2. cap.25. n.1.* & cum aliis Bonacin. *tom.1. disp.2. quæst.2. part 6. num.11. vers. Respondeo primò*, ex S. Thom. 3. *part. quæst.68. artic.15.* Si autem dubitetur an habeat vsum rationis, & non adimpleuit septennium, non est baptizandus, modo vt infra: si verò adimpleuit, baptizandus est, nam tunc præsumitur rationis vsum habere. Ita Bonacina *sup. vers. Ego vero*, vide Suarez *disp.25. sect.3.*

10 Dico secundò, filius infans infidelis primo modo potest inuitis parentibus baptizari. Ratio est quia Ecclesia habet ius cogendi parentes ad fidem quam susceperunt seruandam, & afficiendi pœna mortis, si pertinaces sint; ergo multò magis poterit priuare potestate in filios, in quos directè habet ius, vt possit eos in fide instruere. Filliuc. *tom. 2. tract. 2. cap.6. num.141.* Bonac. *supr. n.11. vers. Hac doctrina cum S. Thom. 3. p q.68. art.10.*

11 Dico tertiò, filij infidelium secundo modo si tales infideles sunt serui fidelium, possunt inuitis parentibus de consensu dominorum baptizari. Sanct. Thom. *quæst.68. artic.10.* Caietan. *ibi* Filliuc. *supra num.142.* & cum aliis Bon. *n.11. cit. vers. Filios vero.*

Ratio, est, quia domini possunt filios seruorum suorum à parentibus separare, & vendere, cum habeant ius in filios, & parentes, cessatque ius paternum in hos filios; ideo ipsis inuitis filij possunt baptizari, præsertim cùm separatione facta non immineat periculum peruersionis, & possunt vendere in longinquum parentes filiorum suorum Baptismum impedientes. Vide Sotum *in 4 d. 5. art.* 10. & Henriquez *lib* 2. *c.* 25. addit Vasquez *tom.* 1. *in* 3 *part disp.* 155. *cap.* 40. *num.* 50. quem sequitur Diana 1. *p. tract.* 15. *resolut.* 45. posse dictos filios baptizari antequam à parentibus separentur; nam ante adultam ætatem possunt separari; tenenda tamen est communis sententia, nam ex sententia Vasquez, si tales filij baptizati remanent apud parentes infideles sequuntur multa incommoda contra nostram Religionem, & recenter baptizatum.

12 Dico quartò, filij infidelium, qui non serui, sed tantùm politicè subiecti, tributarij, & vassalli Principum Christianorum, quales sunt Iudæi commorantes ex concessione Principum in aliquibus ciuitatibus, non possunt inuitis parentibus baptizari, Suar. *disp.* 25 *sect.* 4. Filliuc. *sup. num.* 142. & cum aliis Bonac. *d. punct* 6. *num.* 11. *vers. respondeo sexto.* Ratio est, quia vel eripiendi sunt à parentibus, & fieret ipsis iniuria, cum ij non amiserint ius in filios, iure enim naturæ pater habet ius in filios, vt eos instruat & regat, cum ex vi originis filius sit quid patris, vel relinquendi sunt in eorum potestate, & fieret iniuria Sacramento ob periculum apostasiæ.

13 Dico quintò, filij infidelium tertio modo, qui scilicet nullo modo sunt subditi, non sunt parentibus inuitis baptizandi: ita DD. citati, & omnes communiter ex Suar. *vbi sup.* & patet ex præcedenti conclusione: si enim filij infidelium subditorum tantum ciuiliter non sunt baptizandi, multò minus filij infidelium nullo modo subditorum, sequerentur enim eadem incommoda, & multo maiora.

14 Nihilominus tamen filius cuiuscumque infidelis in duobus casibus potest parentibus inuitis baptizari. Primus si esset in extremo periculo mortis, & moraliter desperatus; quia in hoc casu cum cesset periculum peruersionis subueniendum est extremo spiritualiter indigenti. Secundus, si esset extra patriam potestatem absque spe restitutionis separati vt per iustum, aut iniustum bellum, aut compositionem, ita vt non sint ad eos, redituri, imo possunt emi eo fine vt baptizetur. De quo vide Sotum *in* 4. *dist.* 5. *art,* 10. Henriq. *lib* 2. *c.* 25.

15 Dico sextò. Baptizandus est filius ex matre Christiana consentiente, etsi pater dissentiat, nam filius sequitur ventrem, à fortiori si pater Christianus consentiat, matre infideli dissentiente, nam vir caput est, & præcipua causa filij: imò baptizari potest filius infidelium, si altero parente infideli tantum consentiat, quamuis vterque parens sit infidelis; nam cum hic actus cedat in fauorem religionis, & salutem infantis: maximè fauorabilis est, consequenter præferendus dissensui alterius parentis, etiam infidelis, Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 2 *cap.* 6 *num.* 144. Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 2. *quæst.* 2. *part.* 6. *num.* 11. *ver.* 4. *Respondeo quartò*, *& seqq.* & DD. alij apud Henriq. *dict. cap.* 25.

16 Sed rogabis, an Christiani teneantur aliquando baptizare filios infidelium. Respõdeo, & dico primò, si infideles non sunt subditi vllo modo, vel tantum ciuiliter, constat ex dictis non obligari, nisi ad summũ in necessitate extrema, quãdo non esset amplius spes, quod maneret in eorum potestate, vt diat *vers. Nihilominus.* Dico secundò, si infantes sint serui, & mancipia, siue domi, siue natura, siue iusto bello in infantia capta, per se loquendo, tenentur Domini curare seruos suos baptizare; nam succedunt loco parentum, vt existimat Bonacin. *sup. num.* 12. cum Coninch. *q.* 68. *ar.* 10. *num.* 87. per accidens tamen excusantur ab hac obligatione, vt quando non possunt id facere sine magnis difficultatibus, & incommodis: hinc facilè excusantur Domini, parentes, aut alij vendentes seruos nõdum baptizatos, aut faciunt compensationem cum Christianis captiuis, nam cum ij pueri non sint in extrema necessitate, non tenentur domini his succurrere cum magnis difficultatibus quas aliàs subirent in illis alendis, & educandis. Ideò Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 2 *cap.* 6. *n.* 147. dixit communiorem esse sententiam, non adesse huiusmodi obligationem circa filios infidelium qui sunt serui, quia nisi separentur à parentibus, non expedit ob periculum Apostasiæ, ad quam separationem charitas non obligat, cum non sit semper commodum illis retinere horum filiorum curam: & alio capite, sic consulitur maiori reuerentiæ Baptismi, & libertati nostræ religionis. Denique dico, si filij sint hæreticorum, nisi spes concipiatur probabilis fore, vt suo tempore possint instrui in vera fide, nunquam adesse obligationem tales baptizandi, nisi sit extrema necessitas; imò expedit etiam, eos non baptizare, nisi concipiatur spes prædicta, Filliuc. *sup. num.* 148. & fusè Suar. *disp.* 25 *sect.* 5. vide Henriq. *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 155. *c.* 7. & Diana 3 *part. tract.* 4. *resol.* 14. *&* *resol.* 7. vbi refert sententiam Layman in Theologia morali *l.* 5. *tract.* 5 *c* 6. *n.* 12. existimantem filios hæreticorum sub parentum cura existentes posse licitè baptizari, cum periculum peruersionis non sit adeò propinquum, & certum, quia fieri potest, vt moriantur ante vsum rationis, & quia est non parua; quod aliquando ij in fide instruantur. At quia omnia hæc sunt incertissima & periculum peruersionis moraliter est certum, ideo non est recedendum à communi sententia.

17 Rogabis etiam, quid dicendum de expositis aliisque, quorum Baptismus ignoratur. Respondeo breuiter, si id accidat inter Christianos, & expositi ferant scriptum quod sint baptizati, non prodito nomine testis, vel ex ætate iudicentur nati ante mensem vel circa, præsumi debere eos esse baptizatos Syluest. *verb Baptismus* 4 *n.* 7. Sotus *dist.* 3. *q. vnic. art* 9. Filliuc. *sup. n.* 149. si vero accidat inter infideles (vel quamuis sit inter Christianos) si tamen ex colore, vel aliis signis iudicentur nati ex infidelibus, tunc possunt baptizari absolute, nisi aliunde constet de eorum Baptismo. Quando vero dubium esset, possent sub conditione baptizari. Filliucius cum aliis *supr. numer.* 150.

DVB. VII.

De intentione, & dispositione Baptismum suscipientis.

1 Dico primò, in pueris, vt Baptismus teneat, suumque operetur effectum, nulla intentio, nullaque dispositio ex parte ipsorum requiritur: idem de amente perpetuò à natiuitate. Ita S. Thom. 3. *part. quæst.* 68. *art.* 12. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 1. Bonacina *tom.* 1. *disput* 2. *quæst.* 2. *part.* 6. *n.* 14. & communiter DD. sufficit in iis Christi, & Ecclesiæ intentio, & capacitas, ac indigentia ipsius pueri. Etenim vult Christus pueris libere sua applicare merita, dum ipsi per receptionem Baptismi assimilantur. Trid. 5. *de Baptismo Can.* 13. itaque pueri dicuntur credere, & velle Baptismum in fide, & voluntate Christi, & Matris Ecclesiæ. Ratio est, quia sicut volũtas Adami sufficit ad contrahendum peccatum origi-

nale,

nale, ita etiam sufficit voluntas, & fides Ecclesiæ respectu infantum, qui actum voluntatis nequeunt eligere.

3 Dico secundò, in adultis, vt Baptismus validus sit, requiritur consensus proprius,& intentio actualis, aut virtualis suscipiendi Baptismum,est communis Theologorum apud Suarez. *disput.* 24. *sect.* 1. ex August. 4 *de Baptismo, cap.* 24. & Innocent. *c. maiores de Baptismo.* Ratio est, tum quia Deus non iustificat impium de lege ordinaria absque proprio consensu; ideo dixit August. *qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*, id est non saluabit te,nisi consentias;& intendas.

3 Ex hac conclusione sequitur primo adultū non manere Baptizatum nec characterem recipere si nunquam voluit baptizari, vel si aliquando baptizari voluit, hanc voluntatem reuocauit; vel si neutraliter se habet ad suscipiendum, nam vt dixi *supr. lib.* 1. & docet Henriquez, *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 2. contra Caietanum volūtas, & intentio neutralis non sufficit ad validè suscipiendum Baptismum;suscipit enim baptizatus multas obligationes; ideoque requiritur actualis, vel virtualis consensus, seu intentio. Ita cum Henriquez & aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 22.

4 Sequitur secundò, validum esse Baptismum collatum dormienti, qui baptismum petierat ante somnom & non constat voluntatem retractasse; idem dic de furioso, & amente qui dum haberet lucida intetualla petiit Baptismum, etiamsi dum baptizatur resistere videatur: idem dic de Extrema vnctione quia talis resistentia iam non est actus humanus Henriq *vbi sup.* & cum aliis Bonac. *sup. n.* 17. Ratio est,quia virtualiter,seu habitualiter manet prior voluntas,prior intentio, quæ sufficit, vt sit virtualiter negatiuè, vt ait Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 2. *c.* 6. *n.* 133. & cum aliis Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 12. id est, quod non fuerit alia intentio contraria, per quam prior retractata sit.Etenim etsi ad ministranda Sacramenta non sufficiat intentio habitualis; sufficit tamen ad illa suscipienda, vt dixi *lib.* 1. *c.* 5. *dub.* 2. *num.* 2.& docent Filiuc. & Bonac. locis citatis, nam plura requiruntur ad agendum, quam ad recipiendum. Vide Suarez *disp.* 24. *sect.* 1. Quod si dubitetur, an amens petierit Baptismum ante amentiam, baptizandus est sub conditione; modo non constet permansisse in statu peccati mortalis,quia sic prodesse, & non obesse poterit Bonac.cum aliis *sup. n.* 20.

5 Tertiò sequitur, validum esse Baptismum administratum illi, qui per metum grauem illum recipit,vt si quis metu seruitutis recipit baptismum,modo tamen veram habeat intentionem illum,recipiendi,quod tanquam de fide tenet Fili,*sup. n.* 134. ex Innoc. III. *in c. maiores de Baptismo*;quia talis consensus simpliciter dicitur voluntarius:secus de mattimonio & voto,nam hæc iute positiuo,facta metu graui sunt irrita. Vide Bonacin,*sup n.* 21.

6 Quartò,ministrari potest Baptismus iis,qui rationis vsum habent sed tenuem, vt quando infirmus videtur phreneticus,aut caducate,& potest de sua salute intelligere, si antea petierit, & non constat iacuisse in peccato mortali. Ita Henriq. *lib.* 2 *c.* 24. *n.* 4. vbi idem dicit de confessione, & interdum de communione in Pascha; & aduertit in iis non esse scrupulosius agendum, Vide D.Thom. *quæst.* 68 *articul.* 10. Sotum *distinct.* 3. *art.* 12. Sylvester *Baptism.* 4 §. 2. & *cap* 4.

7 Dico tertiò. Adultus si habeat legitimam intentionem recipiendi Baptismum, vt alij fideles recipiunt, & vt est à Christo institutus, quamuis fidem non habeat, verum recipit Sacramentum: etenim ad valorem Sacramenti(benè verò ad fructum vt infra) nec fides,nec alia dispositio requiritur;nam hæreticus suscipiens Baptismum, neque credens, verum suscipit Sacramentum, modo habeat intentionem illum suscipiendi, vt tenet cōmunis DD.cum S.Tho. 3. *p. q.* 68. *art.* 6. Hinc fit consequenter, hunc suscipere characterem baptismalem: nam hic consequitur validitatem Sacramenti nec ad eius impressionem requiritur alia dispositio præter legitimam intentionem. Filliuc. *tom.* 1 *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 100.

8 Dico quartò. Adultus, vt recipiat fructum Baptismi,id est gratiam baptismalem, præter intentionem supradictam, debet habere fidem supernaturalem.Est communis. DD. cum S.Tho. 3. *p. q* 68. *art.* 8. etenim sine fide impossibile est placere Deo. Ad Heb. 11. Hinc fit, hunc non recipere fidem infusam cum non sit sufficienter dispositus ad illam. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 2 *p.* 6. *n.* 23.

9 Dico quintò. Adultus qui reciperet Baptismum cum solo peccato originali (si talis casus dari possit) præter intentionem, & fidem, non tenetur elicere actum pœnitentiæ,& detestationis formalis peccati, sed sufficit, vt gratiam consequatur baptismalem,voluntas suscipiendi Baptismum, & propositum obediendi Deo,& seruandi illius legem. Prima pars probatur, quia cum supponatur non peccasse actualiter noo requiritur prioris vitæ detestatio. Secunda patet,quia,vt docet S.Thom *quæst.* 69 *art.* 9. Deus non iustificet adultum nisi consentientem, & voluntate sua iustitiam amplectentem. Vide Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 103.& Bonacin. *d. p.* 6. *n.* 26. Dixi, *si talis casus dari possit*: nam vt docet S.Thom. non est possibilis, eo quod ipse existimet in adulto non posse reperiri peccatum originale, sine actuali. Vide Suarez *disp.* 28. *sect.* 1. & Henriquez *lib.* 2. *c.* 24. *n.* 3. & *c.* 26. *n.* 1.

10 Dico sextò. Adultus qui peccatum mortale coniunctum habet cum originali, vt communiter contingit, præter fidem, & legitimam intentionem vt fructum Baptismi consequatur, debet conuerti ad Deum cum detestatione prioris vitæ,id est,debet detestari peccata, est commone, & patet Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis,&c.* & Act. 2. *Pœnitemini,& baptizetur,&c.* Trid. *sess.* 6. *c.* 6. & 7. dicente ad primam iustificationem in adulto, quæ fit per Baptismum in re vel in voto, requiri detestationem peccatorum,& conuersionem ad Deum. Hæc autem conuersio satis est si habeatur per verā attritionem, etiam cognitam quæ tamen supernaturalis sit, id est, vt sit dolor non ob motiuum naturale alicuius damni,vel pœnæ temporalis, sed ob motiuum supernaturale, videlicet damnum æternum, & carentiam visionis Dei: vnde non sufficit attritio mere naturalis,v.g.propter ignominiam ex peccato ortam,aut pœnam à iudice infligendam; sicut,nec non sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ, vt dixi,vbi de eius partibus, non enim est attritio naturalis sufficiens,& proportionata ad dispositio ad gratiam supernaturalem. Quare non est audiendus Pitigian. apud Diana 3. *p. tr.* 4. *resol.* 23. existimans hanc attritionem sufficere. Sufficere veram attritionem est sententia communior S. Thom. *distinct.* 6 *quæst.* 1. *art* 3. *quæst.* 1 & *quæst.* 68. *art.* 3. apud Suar. *disputat* 28 *sect.* 2. deducitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi dicit ea sufficere ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ,ergo multò magis in Sacramento Baptismi,vt omnes concedunt. Ratio efficax est, quia Baptismus est regeneratio, & Sacramentum mortuorum:ergo non supponit hominem viuum; ergo non est necessaria contritio;sed sufficit attritio. Quòd sufficiat cognita attritio; docet Sot. *dist.* 6. *q.* 1. *art.* 7. & colligitur ex Sanct. Thom. *quæst.* 68. *articul.* 4. & *quæst.* 69. *articul.* 3. *ad* 2. vbi inquit, non inconuenienter

peccati mortalis, & cum aliis Filliuc *tom.1.tract.2, c.5. num.*105. & ratio est, quia contritio non est necessaria, *vt sup.* ergo nec existimatio, quæ per se nihil confert, cum sit iudicium falsum, & erroneum. Debet autem attritio esse vera, vnde existimata nihil confert: ratio est; quia huiusmodi attritio est necessaria vi medij, non tantum præcepti; nam aliqua pœnitentia vera, & supernaturalis est necessaria ex medio; ergo si non habeatur, finis obtineri nulla ratione poterit. Filliuc. *vbi sup.* Non tamen requiritur confessio sacramentalis ad recipiendum Baptismum S. Thom. *q.*68 *art.*6. & communiter DD. quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorũ; imò si confiteatur absolui non potest, quia est extra Ecclesiam. Henriq. *lib.2.cap.*26. ideo nulla est pœnitentia iniungenda, quia per Baptismum remittitur omnis pœna peccatis debita, vt infra dicetur; tenetur tamen, si quid debet, ratione damni, aut iniuriæ, satisfacere, quia est præceptum naturale. Vide Henriquez *suprà*, qui *num.*4. ait, in Baptismo aquæ, vel sanguinis, propositum peccandi venialiter, quamuis ipsum peccatum non remittatur, non impedire effectum illius.

11 Ex dictis constat ad suscipiendum validè Baptismum, & characterem, sufficere veram intentionem, ad recipiendum vero effectum, & gratiam requiri fidem, & attritionem supernaturalem, quamuis notam.

D V B. VIII.

De Baptismi effectibus.

1 QVinque effectus primarij Sacramenti Baptismi communiter à DD. assignantur. Primò, enim Baptismus delet omnem culpam Secundò, omnem pœnam peccato debitam. Tertiò, confert gratiam iustificantem. Quartò, gratiam Sacramentalem. Quintò, characterem: de quibus sigillatim breuiter dicemus.

2 Dico primò, Baptismus delet omnem culpam originalem, id est, delet peccatum originale, est de fide ex Trid. *sess.5. Can.5*, colligitur aperte ex sacra Scriptura, Roman.6. *Consepulti, &c. nihil ergo, &c. nunc damnationis.* Tit.3. *Saluos nos fecit, &c.* Ratio est, quia regeneratio spiritualis, sicut ergo carnalis Adami generatio omnes inficit originali peccato, vtique spiritualis Christi regeneratio omnes emendabit ab eodem peccato. Vide Bellar. *lib.*1. *de Bap.c.*13 *& seqq.* & Suar. *d.*26 *sect.*1.

3 Dico secundò, Baptismus in adultis delet omnem culpam actualem, tam mortalem quam venialem, nisi ponatur obex, est definitum in Concil. Florentino, & colligitur ex Trident. *sess.*6. vbi dicitur, iustificatione deleri omnia peccata, & hanc iustificationem conferri per Baptismum: & ratio est, quia vnum peccatum non potest deleri sine alio, nam gratia, quæ peccatum delet, omnibus est contraria; ergo etsi Baptismus sit principaliter institutus ad delendum peccatum originale, ordinatus etiam est ad delenda peccata actualia commissa ante Baptismum, sicut pœnitentia ad delenda commissa post Baptismum, vt suo loco dicetur. Dixi *in adultis*: nam in infantibus non reperiuntur peccata actualia, nisi solum originale: dixi etiam *peccata venialia*: nam si mortalia delet, à fortiori venialia. Vide D. Thom. *q.69. art.* 1.4. *&*.6. Henriquez *lib.*2. *c.*17. & Filliuc. *tom.1.tract.2.c.5.n.95*.

4 Dico tertiò, baptismus delet omnem pœnam peccatis debitam, est definitum in Florentino, in decreto Armenorum, vbi habetur non esse imponenda satisfactoria opera pro peccatis ante Baptismum commissis. Idem docet Trid *sess.5.Can.5.* illis verbis: *Innocentes, immaculati, puri, innoxij, ita vt nihil eos ab ingressu cælorum remoretur*: expressius *sess.6.cap.*14. dum dicit in Sacramento Pœnitentiæ non semper remitti totam pœnam temporalem, vt in Baptismo fit. Idem *sess.*14.*cap* 8. confirmatur Ecclesiæ traditione, & perpetuo consensu, vt fuse docet Suarez *disp.*26. *sect.*1 Ratio est, ipsa Christi institutio, quia enim per Baptismum homo Christo commoritur, vt inquit S. Paul. Roma.6. & Ephes.4. & 5. ideo perfectissimè applicatur eius passio, ad plenam totius pœnæ remissionem. Hinc sequitur, eum qui suscipit Baptismũ absque vllo obice si moriatur antequam vllam culpam admittat, statim euolare in cœlum.

5 Dixi *pœnam peccatis debitam*: nam pœnalitates toti naturæ communes & defectus contractos propter peccatum Adam, vt sunt concupiscentia inordinata, ægritudines, mors, &c non tollit Baptismus, vt experientia testatur, & habet communis: tum quia etiam Christus, cui per Baptismum incorporamur, eas habuit excepto fomite, quia non decebat: tum quia nobis vtile fuit eas relinqui ad exercitium virtutum, ad fidei meritum, ad propriam indigentiam cognoscendam, ad afferendũ semper nobiscum testimonium nostri lapsus. Vide S. Thom. 3. *part.q.*69. *artic.*8. Henriquez *lib.2.c.*16. Filliuc. *tom.1 tract.2. cap 5.num.*96.

6 Dico quartò, Baptismus paruulis, & adultis non ponentibus obicem confert gratiam iustificantem, & simul cum ea reliqua dona, & virtutes, quæ cum ipsa coniunguntur: conferre autem gratiam definitum est à Trident. *sess.7. cap.*6 7. *&* 8. *de Sacram. & sess.6. cap.*7. & de aliis virtutibus constat, ex dictis de Sacramentorum effectu in genere. Et ratio est, quia culpa non deletur nisi per infusionem gratiæ, vt DD. in materia iustificationis, at dictum est Baptismum delere omnem culpam, ergo confert gratiam iustificantem. Filliucius *sup.n.*59.

7 Dico quintò, confert etiam gratiam Sacramentalem constat ex dictis de effectu Sacramentorum in genere: hæc autem gratia non est habitus distinctus à gratia habituali, seu gratum faciente vt ibi diximus, sed vel ipsamet iustitia Baptismi, quatenus secum affert remissionem culpæ, & pœnæ per modum regenerationis spiritualis: vel aliquid maius, & speciale auxilium, quo homo frequentius, & vehementius excitatur, ad superandum concupiscentiæ fomitem; vel vtrumque simul, Filliuc. *sup.n.*99.

8 Dico sextò, baptismus etiam à pagano collatus, & cum obice receptus, modo adsit vera intentio imprimit characterem: est definitum in Trident. *sess.7.can.9. de Sacram.* & alibi sæpè, S. Thom *q.*63. *art.* 1. & omnes *d.* 4. quo signo in anima impresso distinguitur fidelis ab infideli; fit potens; & aptus ad recipienda Sacramenta. Et cum character sit indelebilis, ideo Baptismus iterari non potest; & manet etiam in hæreticis, & animabus separatis, etiam damnatorum, & est res, & Sacramentum simul, nam efficitur, & significat gratiam S. Thom. *art.*3. Filliuc. *sup.num.*100. Vide Suarez *disp.*22. *sect.*3. *& disp.*31. *sect.*6. Hinc fit, quod si baptizatus (idem de confirmato, & ordinato) resurgeret, non esset iterum baptizandus, sed retinet pristinam dignitatem, ita vt beatus reassumpto corpore posset absoluere, vel consecrare, sed id non faceret de lege, quia vsus potestatis solis viatoribus est concessus Henriq. *lib.*2.*c.*17.*n.*4 Coniugatus vero, si resurgat, ita solutus est à lege matrimonij; vt aliam, viuente priori, possit ducere sine bigamia. Syl. *diuortium* §. 2. &

colligunt

colligunt DD. ex Roman. 6. ibi: *Si autem dormierit vir, &c.* Similiter professus, si post mortem resurgat non tenetur redire ad Monasterium: nec Episcopo suscitato debetur Ecclesia, quam sponsam duxerat. Vide Henriquez *vbi sup.*

9 Dico septimò, præter hos effectus primarios habet Baptismus alios secundarios, qui sunt tres præcipui. Primus est apertio ianuæ cælestis, eo quod remoueat impedimentum omnis culpæ, & pœnæ. S. Thom. *quæst.* 63. *artic.* 7. Secundus est coniunctio hominis cum Christo Sanct. Tho. *ibidem*, illuminat enim, & fœcundat spiritualiter conferendo gratiam, & virtutes. Tertiò, subiicit hominem iurisdictioni Ecclesiæ, & obligat illum ad seruanda Ecclesiæ præcepta, per Baptismum enim fit membrum Ecclesiæ: colligitur ex 1. ad Corin. 5. *Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare?* Quarto, tollit irregularitatem contractam ex delicto, vt homicidio culpabili, vt habetur *cap. si quis viduam*, tum etiam ex homicidio iusto ex defectu lenitatis, vt iudicis, & militis iustè pugnantis, secundùm Syl. *irregularitas*, §. 28. *Baptismus* 6. §. 1. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 209. alias autem irregularitates vt bigamiam, illegitimitatem, &c. non tollit, vt communiter DD. in materia irregularitatis. Addunt aliqui causare aliquando sanitatem corporis, vt accidit in Constantino à lepra per Baptismum mundato: at hoc non fuit ex certa lege, aut promissione, sed ex miraculo, & priuilegio. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *numer.* 101. Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 2. *part.* 7. *proposit* 3.

10 Quæres, an Baptismus fictè susceptus, recedente fictione, suum producat effectum. Loquimur quando Baptismus fuit validus, vtpote susceptus cum legitima intentione, cum obice tamen peccati: nam si fuit inualidus, iam diximus *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 2. nullo modo reuiuiscere. Respondeo igitur affirmatiue. Ita S. August. *lib.* 1. *de Baptismo, cap.* 11. & referuntur *cap. tunc valere de consecrat d.* 4. idem Theologi *dict.* 5. S. Tho. 3. *part. quæst.* 69. *artic.* 10. Ratio est, quia proprius effectus Baptismi est regenerare, remittere peccatum originale, & mortalia commissa ante illum. Ergo cùm non possit reiterari, dicendum est, hæc omnia præstare recedēte fictione, quare non solùm tunc remittit originale, & mortalia omnia post Baptismum commissa, sed etiam tollit omnem pœnam peccatis debitam, remittit venialia, & confert etiam gratiam ratione contritionis, seu dispositionis, per quam tollitur fictio.

11 Si roges quomodo tollatur hæc fictio, seu obex, & impedimentum gratiæ. Respondeo breuiter, si quis bona fide putans esse bene dispositum suscepit Baptismum, cum reuera non fuerit dispositus, tollitur fictio per subsequentem attritionem, si postea non peccauit mortaliter, nam vt diximus *dub.* 3. *citat. numer.* 5. talis attritio retrotrahitur ad tempus suscepti Baptismi: si verò suscepit Baptismum cum conscientia, & complacentia peccati mortalis, vel post susceptum Baptismum peccauit mortaliter, tunc requiritur ad tollendum obicem, seu fictionem, contritio, vel attritio simul cum Sacramento. Ita cum aliis Henriquez *lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 6. *artic.* 8. Filliuc. *tra.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 10. & Bonac. *tom.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 2. *part.* 7. *num.* 14. & Diana 3. *part. tractat.* 4. *resol.* 14. Ratio est, quia in hoc vltimo casu tam fictio, quàm alia peccata sunt commissa post Baptismum; ergo non possunt per illum deleri, nisi subsequatur contritio vel attritio simul cum Sacramento; quoniam autem vnum peccatum deleri non potest sine aliis, ideò Baptismus non poterit delere commissa ante illum, nisi etiam deleatur id quod commissum est post Baptismum. Etenim fictio seu peccatum commissum in susceptione Baptismi, & perseuerās in ipsa susceptione censetur posterius ipso Baptismo saltem natura, cum sit sacrilegium commissum ob indignam Baptismi susceptionem, vt docet S. Thom. 3. *part. quæst.* 69. *art.* 10. Suarez *disp.* 28. *sect.* 4. DD. citati, & alij communiter: ideo ad illius remissionem requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento. Vide dictum dubium tertium.

DVB. IX.

De ritibus obseruandis in administratione Baptismi.

DE hoc diximus *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5. vbi de Sacramentis in genere, proinde nunc breuiter.

1 Dico primò, certum esse apud Catholicos, conuenientissimè adhiberi ceremonias ab Ecclesia in Baptismo publico, tum ad instructionem, tum ad efficaciam; operantur enim aliquem effectum supernaturalem, tum ad reuerentiam Sacramenti. Vide D. Thomam *quæst.* 71. *artic.* 2. & 3. Coninch. *ibidem*, Henriquez *lib.* 2. *cap.* 13. & 15. Suarez *disp.* 30 *sect.* 1. & 2. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 7.

2 Dico secundò, seruandæ sunt ceremoniæ toti Ecclesiæ communes; vel quæ consuetudine sunt in aliqua Ecclesia approbatæ: laudabile tamen est Episcopos, & Visitatores curare, vt quoad fieri potest, toti Ecclesiæ conformes sint. Hinc fit, vt omittere ritus, quamuis accidentales ex suo genere sit peccatum mortale, vt diximus *dicto dub.* 5. & tenet Bonacina *tom.* 1. *disp* 2. *quæst* 2. *part* 7. *num.* 18. aliquando tamen paruitas materiæ poterit excusare, dixi *loco citat.* Erit igitur peccatum mortale solemniter in aqua non benedicta, vel in chrismate alterius anni extra necessitatem, Bonacina cum aliis *numer.* 19. & 20.

3 Dico tertiò, ex ceremoniis, aliæ antecedunt Baptismum, vt catechismus, exorcismus, & dæmonis adiuratio, ac olei vnctio, aliæ sequuntur Baptismum, vt chrismatis vnctio, &c. quæ continentur in Rituali baptizandorum. Etenim catechismus debet præcedere Baptismum, iuxta illud Christi, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Habent autem prædictæ cæremoniæ effectum supernaturalem, alterum extrinsecum, scilicet expulsionem dæmonis, alterum intrinsecum, videlicet apertionem sensuum propter expulsionem dæmonis, hunc verò effectum operantur cæremoniæ ex opere operantis, vt existimat Henriquez *sup. cap.* 13. *num.* 8. sed Christum ad illarum præsentiam causare dictum effectum, eo quod non sunt institutæ à Christo, sed ab Ecclesia, at D. Thom. *q.* 71. *art.* 3. & cùm eo Soto *distinct.* 6. *q.* 2. Ledesma de Sacramento Baptismi *c.* 12. probabilius asserunt producere suum effectum ex opere operato ad modum Sacramenti, quia ab Ecclesia authoritate Christi sunt institutæ.

4 Nota, quando quis absque solemnitate domi baptizatur, postea esse in Ecclesia supplendas cæremonias, vt statuit Trid *sess.* 7. docet S. Thom. 3. *part. quæst.* 66 *artic.* 3. & comprobat praxis, vt Baptismus etiam quoad accidentalia sit completus. Quid si Baptismus cum solemnitate fuit inualidus, Henriquez *lib.* 2. *cap.* 15. *num* 4. & alij existimant, solemnitates, seu cæremonias esse etiam repetendas; quia destructo subiecto, destruitur etiam accidens, at Bonacina non improbabiliter id negat, nisi aliàs sit vsu receptum, & confirmat à simili de benedictionibus adhibitis in matrimonio inualido: atque idem etiam censisse Henriquez *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 1. *lit.* N.

5 Dico quartò, præter baptizantem, & baptiza-

tum

tum statutum esse ab Ecclesia, vt sit alius qui baptizatum de facto fonte suscipiat, qui dicitur susceptor, sponsor, aut patrinus, *ex cap ex catechismo, & seqq. de consecrat. d.* 4. & Tridentin. *sess.* 24. *de reformat. matrim. cap.* 2. quod procedit, etiam si baptizandus sit adultus. Ratio est, quia vt docet Sanct. Thom 3. *part. quæst.* 67. *artic.* 7. homo nuper baptizatus est veluti paruulus nuper genetatus, qui pædagogo indiget, vt instruatur. Munus autem susceptoris, est puerum sub sua tutela suscipere, in rebus ad salutem spiritualem pertinentibus, vt patet ex textibus citat. Vnde tenetur, baptizatum instruere in rebus fidei, & morum, *capit. vos ante de consecrat. d.* 4. & hoc tantum obligat, si baptizatus indigeat, vt si habeat parentes infideles, vel valde negligentes. Inter Catholicos autem vix viget hæc obligatio, & tamdiu durat, quamdiu baptizatus sit sufficienter instructus, & hoc modo explicandum est, *cap. vas cit.* Quando verò in necessitate priuatim puer baptizatur, non est adhibendus ex præcepto aliquo patrinus, quia nullibi extat, quo in casu si aliquis adhibeatur, & infantem ex proposito vt patrinus teneat, non contrahit cognationem spiritualem, vt dixi *infra lib* 8. c. 8. *dub.* 8. *n.* 12. & docent Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 62 *n.* 25. Diana 3. *par. tract* 4. *resolut.* 17. & alij.

6 Requiruntur autem quædam conditiones in susceptore, Primò, debet habere vsum rationis, & vim tanti Sacramenti, & quid pro aliis spoponderit intelligere *cap. vos citato.* Secundò, non debet esse publica pœnitentia mulctatus, nisi esset iam reconciliatus. Tertiò, debet esse baptizatus, & non hæreticus, quia talis non est aptus ad instruendum alios in fide. Nec Monachus, eo quod hæc cura aliena sit ab eorum statu, *cap. non licet de consecrat. d.* 4. Quartò, debet scire orationem Dominicam, ac symbolum. Quintò, susceptor debet esse vnus, aut vna, vir, vel fœmina, & ad summum duo, vir, & fœmina, ex Trident. *vbi supra*, modo non sint parentes baptizati: & quamuis sint maritus, & vxor, nam quod dicitur 30. *quæst.* 4. maritum, & vxorem non posse eundem suscipere, iam vsu receptum non est: eo quod in Nicæn. apud Turrit. *cap.* 52. dicitur, vt viri non teneant fœminas, neque hæ mares, prodentet cautum est de adultis: sed circa infantes non seruatur. Filliucius. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 7. & 8. Vide Ledesma *in sum. cap.* 3. *de Baptismo.*

7 De cognatione spirituali orta ex Baptismo dicetur, vbi de impedimentis matrimonij: solùm aduerte susceptores inter se nullum impedimentum contrahere, sed tantum cum baptizato, ac parentibus illius, debereque, vt hanc contrahant, tenere baptizatum, dum baptizatur, vel è sacro fonte leuare, seu suscipere, vt ex Tridentr. *loco citato.* Quare ex præcisa sententione in catechismo nulla cognatio, nullumque impedimentum oritur, post Trident. à quo esse sublatum, docet Henriq. *cap.* 15. *num.*... & Ledesma *de Baptismo concl.* 5. *dub.* 2. *cap.* 13. Vnde Parochus aduertat quando patrini tantum sunt patrini catechismi, & non Baptismi, eo quod iam puer domi baptizatus erat, vt scribat in libro baptizatorum, illos fuisse patrinos, non Baptismi sed catechismi tantum, eo quod aliàs ritè, & rectè puer erat baptizatus domi à tali persona.

8 Nota, si pater in necessitate, vel extra illam, modo adsit ignorantia iuris, vel facti, teneat in Baptismo proprium filium, non contrahit cognationem spiritualem cum sua vxore, ideò potest reddere, & petere, si autem scienter teneat, & peccat mortaliter, & non potest petere, secundum communem, tenetur tamen reddere At probabile est posse petere, & nullam inde contrahi cognationem, vt pluribus docet Suarez *quæst.* 67. *artic.* 8. nam *in cap peruenit* 30. *q.* 1. supponitur esse licitum petere, eo quod permittatur cohabitatio, vt coniugum. Vide Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 2 *c.* 7. *n.* 162. & 163. & infra *lib.* 8.

Dub. X.

De Baptismo sanguinis, seu de martyrio.

1 Quæres primò, quid sit martyrium, & quot requirat conditiones. Dico primò. Martyrium est passio, seu cruciatus lethalis susceptus pro Christi fide integra, aut si pro vera virtute suscipit vulnus, seu cruciatum de se illatiuum mortis, dicitur martyr, Græcè, & Latinè testis; eo quod sua morte confirmat fidei veritatem. Sic D. Marcellus adscribitur in numero martyrum, eo quod in stabulo coniectus, tabe confectus fuit. Dicitur, *pro Christi fide integra, aut vera virtute*, ad denotandum motiuum martyrij esse honestum, & supernaturale: vnde non esset martyr hæreticus, qui pro vno articulo fidei mortem pateretur, aut si aliquis ob ambitionem mortem obiret, S. Thom. 2. 2. *q.* 124. *artic.* 5. Suarez *disp.* 29. *tom.* 3. *sect.* 1. & 5. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 37. *num* 2. communiter DD. qui docent, martyrium esse actum elicitum à fortitudine, imperatum tamen à charitate, iuxta illud Christi: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ponat quis pro amicis suis.* Vide Bonacinam *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 1. 5. & 3.

2 Dico secundò, martyrium non est Sacramentum, quia Sacramentum est quædam cæremonia facta instituta ad Dei cultum: martyrium verò, vt prouenit à tyranno, non est pia cæremonia ad cultum Dei ordinata, sed actio praua, in Dei odium, quamuis ex parte martyris sit actus virtutis fortitudinis, vt dictum est; & conferat gratiam, vt dicetur. Vide Suarez *vbi suprà sect.*... & DD. supra citatos.

3 Dico tertiò, ad martyrium requiruntur quinque conditiones. Prima est pœna, & passio, seu cruciatus lethalis, vt dictum est *concl.* 1.

4 Secunda est consensus voluntatis, & intentio suscipiendi illud actualis, vel virtualis in adultis vt diximus de Baptismo, cui assimilatur Baptismus: nam Deus non saluat nolentes, in infantibus autem non requiritur intentio vlla, aut aliqua dispositio sufficit enim, vt occidantur in odium Christi, aut Religionis Christianæ: patet in innocentibus, qui ab Ecclesia, tanquam martyres coluntur, vt testantur etiam D. Cyprian. *lib.* 4. *quæst.* 6. Chrysost. *summ.* 2. *in varios Euangelistas*, Bernard. *sermone de innocentibus*, Augustin. *lib.* 3. *de symbol.* & alij apud Suarez *tom.* 3. *disput.* 50. *sect.* 1. *concl.* 1. & 5. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 18. qui *numer.* 19. obseruat in iis martyrium non esse actum virtutis, sed mors, & passio ad gloriam. Hinc fit, vt infantes qui in vtero matris in contemptum fidei, & Religionis occiduntur, sint verè martyres; nam ad quos aqua non potest peruenire, potest martyrium, & vulneris in flictio: etenim cum proles reputetur vnum quid cum matre, par est, vt sit particeps eiusdem martirij, si cum matre occidatur in contemptum fidei. Henriquez *lib* 2. *capit.* 38. *num.* 2. Coninch. *quæst.* 66. *articul.* 2 *dub* 1. *num.* 123. & cum aliis Bonscina *tom.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 1. *part.* 2. *num.* 5. & 6. Sequitur secundò, non esse martyrem illum, qui interet dormiendum occideretur in odium Christi, si nihil antea cogitauerat de martyrio. At si talis sit vir iustus, videtur martyr, quia interpretatiuè in Deum retulit quidquid boni

feeerit

fecerit, aut mali sustinuerit. Est etiam verè martyr qui præuidens martyrium illud consensit, siue vigilans, siue dormiens occidatur: modò tamen non tacuerit, & dormierit in peccato. Henriquez *sup. c.34. num* 2. Coninch *sup. dub.2. num.*136. cum aliis.

5 Tertia conditio est, vt adultus existens in peccato mortali, & sit catechumenus, adestque tempus, tenetur baptizari: si autem est baptizatus, si habet copiam confessoris, tenetur confiteri; si non adest talis copia, tenetur conteri; nam ad hæc obligatur in articulo mortis: sufficere tamen in hoc casu attritionem supernaturalem, & probabilius, & communius est, vt docent Suarez *disp.24. sect.3. concl.2.* Henriquez *cap.34. num.3. & cap.36. num.1.* & cum aliis Bonacina *tom.1. disput.2. quæst.1. part.2. num.7.* nam generale est, vt omne quod dat augmentum gratiæ ex operato, iustificet impium obice carentem; at martyrium confert gratiam ex operato, vt dicemus, & ex alio capite, habens supernaturalem attritionem non accedit cum obice, eo quod per illam reuocat virtualem affectionem ad creaturam, & peccandi voluntatem retractat: imò sufficere attritionem supernaturalem quamuis notam, sicut in Baptismo aquæ, & in pœnitentia, tenet Sotus *distinct.6. art.7. concl.6.* teste Henriquez *dict. cap.34. num. 3. lit. T.* nam sancti Patres comparant, imò anteponunt martyrium Baptismo: at in Baptismo sufficit attritio supernaturalis nota; ergo & in martyrio: hæc autem omnia procedunt per se, & regulariter loquendo; nam etsi regulariter requiratur pœnitentia, seu dolor formalis, modo dicto, aliquando tamen sufficit pœnitentia virtualis actus scilicet dilectionis Dei, in quo includitur displicentia peccati, vt si ob vehementem passionem ex oblituone, aut inaduertentia non recordatur peccatorum, nec obligationis pœnitendi, hoc enim in casu, sola voluntas mortis pro Christo reputatur actus summus charitatis, atque adeò sufficiens dispositio ad dilectionem Dei. S. Thom. 77. *articulo* 1. *ad* 2. Suarez *vbi suprà sect.3. conclus. 3.* Filliucius *tom.1. tract.2. cap.2. numero* 17. & cum multis Bonacina *vbi suprà num.9.* Hinc sequitur primò ad effectum martyrij non requiri, vt martyr sit in gratia; nam est in gratia maximè per contritionem & characterem; at diximus contritionem, & charitatem antecedenter non requiri ad martyrium, sequitur ergo, non requiri, vt martyr sit in gratia ante susceptionem baptismi. Secundò, sequitur attritionem cum voto martyrij non sufficere ad iustificationem impij, sicut nec sufficit cum voto Baptismi, vt dixi *suprà* & docet Henriquez *cap.36. num.1.*

6 Quarta conditio ex parte patientis martyrium est, vt illud patiatur ob honestam causam. Prima est defensio fidei Catholicæ integræ, & illæsæ. Secunda, defensio alicuius virtutis, vt castitatis; propter quam fuerunt multæ virgines occisæ. Tertia, vtilitas Ecclesiæ, pro qua occisus fuit martyr Thomas Cantuariensis. Ex parte verò tyranni requiritur, vt inferat mortem, seu cruciatum in odium Christi, vel in contemptum fidei, aut alterius virtutis: ideò damnati ad supplicium non dicuntur martyres. Bonus autem latro appellatur martyr nam si à principio ob sua scelera fuerit condemnatus, postea tamen ob illius confessionem fuit à Iudæis in odium Christi mors accelerata, vt ex S. Thom. cum Henriquez, & Coninch tenet Bonacin. *tom.1. disp.2. q.2. p.1. n.12. in fin.* Vide Henriquez *lib.2. cap.37. num.3. & 4.*

7 Ex dictis constat ad effectum martyrij requiri. Primò, intentionem in adulto. Secundò, attritionem supernaturalem. Tertiò, passionem, seu cruciatum lethalem. Quartò, vt adsit honesta causa ex parte patientis martyrium. Quintò, vt inferatur martyrium in contemptum Christi, vel fidei, vel alterius virtutis.

8 Quæres secundò, quem effectum præstet martyrium, quomodo, & quando.

9 Quoad primum dico, martyrium duplicem præstare effectum. Primus est gratia, & remissio omnis culpæ, ac pœnæ, Suar. *3. p. disp.29. sect.2. concl.1.* Henriq. *lib.2. cap 34. n.4.* & communiter DD apud Bonacin. *tom.1. disp. 2. q.1. p.2. n.1.* quia August. *1. de Baptismo cap.21.* & alij sancti Patres comparant, & anteponunt martyrium Baptismo; ac Baptismus omnia supradicta præstat; ergo & martyrium, modò aliquod peccatum actuale non committatur in ipsa susceptione martyrij: vnde si quis suscipiat martyrium cum actuali peccato veniali; v.g. ambitionis non obtinet remissionem illius culpæ, etsi effectus substantialis gratiæ non impediant, Henriquez *c.36. n.3.* Secundus effectus est laureola, id est, præmium quoddam accidentale, quod martyribus tribuitur, consistens in quibusdam insignibus, & decoribus cicatricum, & in quodam gaudio accidentali, de qua re vide Sotum *distinct.46. q.5. art.2.* S. Thom. *3. p. q 90. art.4.* Henriquez *lib.2. cap.36. num.3.*

10 Quoad secundum dico, martyrium conferre gratiam ex opere operato; quia eam confert vltra meritum, & dispositionem recipientis. Patet primò in infantibus, qui absque præuia dispositione martyrio coronantur, & peccati originalis remissionem obtinent. Secundò, in adultis qui cum attritione, & martyrio iustificantur, qui aliàs cum attritione sola, etiam cum voto martyrij, non iustificarentur, vt diximus *suprà*: nam vt docet S. Thom. *3. part. quæst.68. art.2. ad 1. & 87. art.1. ad 2.* attritio sola non est sufficiens dispositio ad gratiam, nisi Sacramento adiuuetur; ergo cum martyrium cum attritione præstet idem, quod Sacramentum, & Sacramentum causet gratiam ex operato, similiter, & martyrium: cum hac tamen differentia, quod Sacramenta præstant hunc effectum de lege ordinaria, martyrium vero ex priuilegio speciali ipsi concesso à Christo Domino. Matth. 10. *Qui me confessus fuerit, &c. Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Confert autem martyrium gratiam moraliter, quatenus Deus intuitu martyrij confert eam: nec inde inferas esse Sacramentum, nam vt diximus *dub. anteced.* non est martyrium actio, & ceremonia religiosa in Dei cultum destinata. Ita cum aliis Bonacin. *tom.1 disp.1 q.1. p.2.4. & 5.* Vide Henriquez *lib.1. cap.34. num.3. & cap.39. num.4.*

11 Quoad tertium respondeo, martyrium præstare suum effectum in instanti mortis, vt existimat Caietan. *2. 2. quæst.25. art.4. ad 4* & alij: probabile tamen est illum præstare, quando martyr accipit vulnus de se mortiferum, ita vt mors nequeat amplius vitari; quia tunc martyr dicitur mortuus in causa; ergo par est, vt tunc recipiat effectum martyrij. Hinc sequitur eum, qui recipit vulnera illatiua mortis, non priuari fructu martyrij, si postea à morte naturaliter ineuitabili miraculosè liberetur à Deo. Quo in casu, etsi certum non sit; piè tamen credi potest, manere confirmatum in gratia. Ita Bonacina *vbi suprà part.3. num.1. 2. & 3.* cum Suarez *vbi sup. sect.3.* Henriquez *lib.1. cap.39. num.1. & lib. 2. 9. num.1.* Probabile etiam est, priuilegium martyrij non solùm extitisse post Christi aduentum, verum etiam antea; quia Machabæi, qui ante Christi aduentum obierunt in numerum martyrum referuntur; ait enim Nazianz. *oration. 22. de Machabæis*, illos in fide Christi consecutos esse iustitiam, & effectos esse niue candidiores. Ita Tertull. & alij, quos citant,

& sequitur Henriquez *lib* 2. *c* 36 *n*. 1. At ante Christi aduentum non statim in cœlum euolarunt, quia ianua cœli non fuit ante Christi passionem aperta.

12 Quæres, an martyrium sit in præcepto. Respondeo, solum esse in præcepto, quando grauis causa, & necessitas sese offert, vt quando opus est martyrio ad tuendam fidem: bonum enim fidei, & Reipublicæ Christianæ præponderat vitæ nostræ; quod rarò contingit; ideò rarò est sub præcepto, & propterea regulariter sufficit martyrium in animi præparatione, id est, vt homo ita sit affectus, & animo paratus, vt mortem pateretur si necessitas, & occasio se offerret, quamuis illam quærere non teneatur. D. Thom. *in* 4. *dist*. 49. Bonacina *sup. num*. 5. & alij apud Henriquez *lib*. 2. *cap*. 39. *num*. 4.

13 Ex quo fit, vt qui sunt prædicto modo affecti, dicantur martyres quoad affectum, reuera tamen non sunt propriè martyres. Sequitur etiam, grauiter peccare eum, qui temerè sese offert martyrio absque iusta causa, quæ vim habeat præcepti, aut saltem consilij, quia aliter tentat Deum. Iusta autem causa se offerendi censetur, quoties adest Dei gloria, & fidei exaltatio consequitur. Vide Sanct. Thom. 2. 2. *quæst*. 124. *art*. 1. *ad* 3. Sanchez *in summ. lib*. 2. *c*. 34. *num*. 15. Henriquez *loco suprà cit*. & Bonacina *dict. punct*. 3. *num*. 5. *&* 6.

14 Conueniunt autem Baptismus aquæ, & sanguinis; quia vterque consistit in receptione passiua; dat gratiam ex opere operato, & in adulto requirit dispositionem; & remittit, etiam ex operato, omnem culpam, & pœnam; differunt tamen, quia actio Baptismi bona est, & per se quærenda est sub præcepto, & Sacramentum: at actio tyranni martyrium inferentis, non est sacra, nec Sacramentum, sed impia, & contra Dei cultum, nec temere quærenda, sed illata, est patienter ferenda: denique martyrium in re vix est sub præcepto, vt diximus, nam loquendo regulariter, satis est in præparatione animi, velle sustinere martyrium. Henriquez videndus *lib*. 2. *cap*. 39. *in fin*.

C A P. Vnic.

De Confirmatione.

1 QVIA ea, quæ de hoc Sacramento tractantur à DD. parua sunt? ideo hoc capite breuiter, quibusdam conclusionibus positis, restringemus; antequam nota, hoc Sacramentum variis nominibus donari. Primò enim in Scriptura Actor. 1. dicitur Baptismus, quia est complementum illius, vel receptio Spiritus sancti. Actor. 1. *Vos autem baptizamini Spiritu sancto, &c.* & Actor. 8. *Et accipiebant Spiritum sanctum*, id est, Confirmationem, ex consensu Patrum. Secundò; manus impositio, ex modo quo olim conferebatur. Actor. 8. & 19. Tertiò, perfectio, quia perficit aliquomodo Baptismum, & respondet roborationi in vita spirituali. Quartò, confirmatio ab effectu, siue quia confirmet fidem, & gratiam collatam contra tentationes, siue ius quod habet baptizatos ad regnum. Quintò, dicitur signatio, siue consignatio, ex verbis quibus confertur, *cap. nouis. de consecrat. dist*. 5. Sextò, Sacramentum Chrismatis, ex materia in qua conficitur: sic Dionys. *cap*. 4. *de Eccles. Hierarch*. Vide Filliuc. *tom*. 1. *tract*. 3. *cap*. 1. *num*. 1.

2. Prima conclusio. Confirmatio est Sacramentum nouæ legis à Christo Domino immediatè institutum, est de fide, vt ex multis Conciliis, probat Bellarmin. *cap* 4 *de Confirmat*. præcipuè ex Florent. *in decret. Eugen*. & Trident. *sess*. 7. *de Sacram. Can*. 1. *& de Confirmat. cap*. 2. *& sess*. 23. *cap*. 4. est enim signum sensibile gratiæ sanctificantis nos, vt infra patebit. Congruentia huius institutionis adducitur à D. Thom. 72. *art*. 1. ex proportione vitæ corporalis, & spiritualis, de qua diximus *lib*. 1. *cap*. 1. *dub*. 2. *n*. 1. Secunda, ex Melchiade Papa, & habetur *cap. Spiritus sanctus, de consecrat. dist*. 5. quia ad Imperatorem spectat, non solum signare militem, quod fit in Baptismo, sed etiam armis instruere, & id fit in confirmatione. Denique sicut pater pupillo prouidet tutorem, ita in confirmatione regeneratis per Baptismum datur paracletus, qui sit tutor, consolator, & custos: vnde inquit Papa, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in confirmatione augmentum præstat ad gratiam, in Baptismo abluimur; post Baptismum roboramur.

3 Secunda conclusio. Hoc Sacramentum, probabilissimum est institutum fuisse in nocte Cœnæ, in qua Christus Dominus multoties Apostolis promisit Spiritum sanctum, & nouum Testamentum condidit: in ea enim nocte Christus Dominus designauit materiam, & formam, & Chrisma consecrauit. Vt habetur in Epist. 2. Fabiani Papæ *cap*. 1. vbi inquit, *In illa die Dominus Iesus postquam cœnauit cum Discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à sanctissimis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit*. Potest tamen quodammodò dici completa, & perfecta huius institutio. Ioan. 20. vbi data fuit Apostolis plena potestas ordinationis Sacerdotalis, & Episcopalis. Matth. verò 19. solum fuisse obumbratam in paruulorum oblatione Christo facta. Ita Suarez videndus 3. *part. disp*. 32. *sect*. 2. Filliuc. *tom*. 1. *tract*. 3. *cap*. 1. *n*. 5. *&* 6. & cum aliis Bonac. *tom*. 1. *disp*. 3. *q*. 1. *p*. 1. *n*. 2. 3. *&* 4.

4 Conclusio tertia. Confirmatio est vnctio Chrismatis in fronte signo Crucis facta sub præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum. Ita communiter DD. quæ definitio optima est, constat enim materia, & forma: materia designatur per illa, *vnctio Chrismatis, &c.* forma verò per illa *sub præscripta, &c.* effectus verò per illa, *ad fidei robur, &c.* quæ omnia clarius ex dicendis constabunt. Vide Henriquez *lib*. 3. *cap*. 1. *num*. 4. & DD. supra citatos.

5 Conclusio quarta. Hoc Sacramentum, etsi vtilissimum non tamen est necessarium, nec sub præcepto, vt tenet communis DD. nullibi enim reperitur tale præceptum: vnde non peccat, nec venialiter, etiam qui data occasione omittit confirmationem, modo tamen absit contemptus, tunc enim esset peccatum grauissimum, vt si ex superbia nollet ipsum sumere, dicens nolle suscipere illud, quod suscipiunt pueri, & viles homines, aut si hoc Sacramentum parui, aut nihil faciat. Henriquez *lib*. 3. *cap*. 1. *num*. 6. *&* 7. Ledesma *in summ. cap*. 8. *lib*. 3. Diana *part*. 3. *tract*. 4. *resol*. 25. vbi addit cum Nauarro, Caietano, Soto, & Victoria, non censeri hoc Sacramentum contemnere, eum, qui ex mera negligentia illud, data opportunitate, non suscipit, quia multa omittimus, quia cogitamus absolutè ad salutem necessaria non esse, & cum aliis Bonacina *sup. part*. 2. *num*. 2. vbi addit, & bene peccare Episcopum, si negligens sit in conferendo confirmationem; quia hoc illi competit ex officio sicut parocho alia Sacramenta administrare.

6 Quinta conclusio. Materia remota Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo oliuarum, & balsamo saltem adulterino, vt indico, consecratum ab Episcopo. S. Thom. *quæst*. 72. *articulo* 2. *&* 3. & colligitur ex Trident. *sess*. 7. *Can*. 2. *de confirmat*. Bracarensi,

earensi, Florentino, & aliis apud Bellarmin. *lib. de Confirmat. cap.8.* & Suarez *disput 33. sect.1. &* 2. & habet vsus, & traditio Ecclesiæ non tamen est improbabile, solum oleum benedictum esse materiam remotam, vt tenent Caietanus *in D. Thom. suprà art.1.* Sotus *dist.7. art.2.* Nauarr. *cap.22. num.* 8. & Diana *suprà* cum aliis *resol.23.* quia *capitul.1. de Sacram non iter.* Innocent. III. in eo qui tantum oleo fuerat confirmatus, respondet, nihil esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum; verius tamen est oppositum, vt tenent DD. supra citati, & alij communiter apud Bonacinam *tom.1. disput.3. quæst. vnic. part 3 num. 2.* & Henriquez *de Confirmat. cap.2.* quod patet ex traditione, & consuetudine Ecclesiæ, esset enim forma falsa, *Consigno te, &c. & Confirmo te Chrismate salutis.* hoc enim absque balsamo verificari non potest, nam Chrisma est vnguentum confectum ex oleo, & balsamo; Debet etiam Chrisma esse benedictum ab Episcopo. Ita citati: an autem possit Papa simplici Sacerdoti committere huiusmodi benedictionem, affirmat Caietanus *quæst.72. artic 2.* Sotus, & Victoria, oppositum probabilius vt tenet Henriquez *sup.* Filliuc. *tom.1. tract.3. cap.1. num.13. vers. Attamen*; quia ex iure diuino data est huiusmodi potestas solis Episcopis ex multis Conciliis, sed præcipuè ex Vuormasiensi *cap. 2.* his verbis: *Chrisma conficere nullus præsumat præter Episcopum, nam illi soli hæc dignitas concessa est.* Vide Filliuc. *vbi suprà.*

7 Sexta conclusio. Materia proxima est vnctio Est communis Doctorum apud Suarez *disp. 33. sect.1.* patet ex vso, & traditione Ecclesiæ, quia hoc Sacramentum consistit in vsu, sicut Baptismus. De necessitate Sacramenti est, vt fiat hæc vnctio Chrismatis in fronte, vt sine rubore, & verecundia Christi nomen confiteatur, & per modum Crucis, aliter non verificarentur verba formæ, necessario etiam facienda est, non penicillo, aut alio instrumento, sed digito, vel mano; & de præcepto Ecclesiæ facienda est pollice dexteræ: quid si fieret alio digito quam pollice? Respondeo, Sacramentum tenere, vt de se patet, peccare tamen sic vngens, quia ita præcipit Pontificale, hoc tamen peccatum non existimat mortale Nuñus *in 3. part. tom.1. quæst.62. articulo 4. different. 3. conclus.4.* quem sequitur Diana *3. part. tractat 4. resolut.22.* vbi dicit: difficulter de peccato mortali damnarem Episcopum, qui indice, v. g. vngeret, & Nuñus dicit, videtur parum referre quod vnctio fiat indice, vel pollice, quod fiat manu dextra, vel sinistra. Hinc fit esse nullum hoc Sacramentum, si vnctio non fiat manu Episcopi sed penicillo, aut alio instrumento: quidquid Fernandez de Heredia, apud Dianam *vbi suprà resolut. 28.* Ad vnctionem autem sufficit parua quantitas Chrismatis; ea scilicet, qua possit quis digito inungi in fronte. Præter vnctionem vero non requiritur de essentia manuum impositio, quia in vnctione consistit tota materia: quod si dicas Apostolos confirmasse imponendo manus. Respondet Bellar. *cap.9. de Confirmat.* illam actionem, quam nos dicimus vnctionem, appellatam fuisse manus impositionem; vel cum S. Thom. *quæst 72. articul.2. ad 1. & art.4. ad 1.* & Suarez *supra sect.5.* Apostolos confirmasse vtroque modo, & sola manus impositione quando Spiritus sanctus dabatur visibiliter cum dono linguarum, & præterea vnctione, quando cessarunt signa visibilia: hoc autem fecisse Apostolos ex speciali priuilegio, & dispensatione, vt docent Suar. *sup.* Henriq *cap.1. n.3.* Filliuc. *tom.1. tract.3. c.1. n.18.* & cum aliis Bonacina *tom.1. disp 3 q vnic. p.3 num.6.*

8 Conclusio septima. Forma huius Sacramenti est, signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti, constat ex Florentino, & vsu, ac traditione Ecclesiæ: de necessitate Sacramenti est vt exprimatur explicitè Trinitas, sicut in Baptismo per nomina relatiua. S. Thom. *quæst. 72. articul.4.* & communis apud Suarez *sect. 5.* patet ex Florentin. & vsu Ecclesiæ; congruentia est, quia confirmatio est perfectio Baptismi. Necessario etiam exprimendus confirmandus, sicut in Baptismo baptizandus. Mutatio autem substantialis formæ tollit Sacramentum, vt diximus, vbi de Sacram. in genere: vnde non esset confirmatio, si non inuocatur Trinitas explicitè, vel si non geminaretur, *consigno, & confirmo*: vel si vox, *salutis omittatur*: est tamen, si mutatio fiat in verba sinonyma, *vt corroboro te, & confirmo te vnguento, & oleo sanctificationis*: videtur etiam tenere Sacramentum, si dicat in forma Græcorum *confirmetur seruus Christi.* vel *confirmet te Deus* vt tenet Henriquez videodus, *lib. 3. capitul. 3. numer.5. & 6.* verum existimo cum Bonacina *supra numer. 8.* hanc formam non esse tutam, cum dubium sit, an contineat mutationem substantialem. Vide Suarez *dict. sect.5.* & Coninch *3. part quæst.72. artic 4* Hinc fit peccare mortaliter eum, qui confirmaret sic; *confirmetur seruus Christi.* Vt cum Nuño tenet Diana *3. part. tract.4. resol.27. in fin.*

9 Octaua conclusio. Præcipuus, & primarius effectus confirmationis est, dare augmentum gratiæ, cum iure ad diuina auxilia, quibus confirmatus intrepidè, audacter, & constanter fidem profiteatur: quod conferat gratiam, commune est cum aliis Sacramentis, & definitum à Tridentino *sess. 7. Canon.2. de Confirmat.* & cum hoc Sacramentum institutum sit ad profitendam fidem, debet per ipsum conferri gratia cum talibus auxiliis quibus confirmatus valeat fidem profiteri: cumque sit Sacramentũ viuorum, supponit hominem viuum per gratiam, ideo primò, & per se non dat primam gratiam, sed augmentum gratiæ corroborantis gratiam baptismalem. Per accidens tamen conferre potest primam gratiam, vt si adultus sit in peccato mortali, & accedat cum attritione supernaturali, putans tamen bona fide habere contritionem. Vt docet S.Thom. *3. part. quæst.72. articul.7. ad 2.* Caietanus ibi: Sotus *dist.7. quæst. 1. articul. 7.* & communiter DD. apud Henriquez *cap.4. de confirmat. num. 1.* Gratia, quæ datur in confirmatione in ratione gratiæ, maior est ea, quæ datur in Baptismo, quia confirmatio est perfectius Sacramentum: etsi Baptismus sit magis necessarius: tum etiam quia gratia Baptismi est puerorum; confirmationis verò adultorum; generatio enim dat minorem quantitatem infanti quam solet augmentatio, qua fit perfectus vir. Henriquez *vbi sup.* ex D. Thom. *quæst.65. articul.3.* quantum verò ad remissionem pœnæ, maior est gratia Baptismalis, quia hæc remittit totam pœnam, non verò confirmatio. Filliuc *tom.1. tract.3. cap.3. num.47.* Dicitur autem confirmatio à Patribus complementum Baptismi, non quia iuuet Baptismum ad tollendum peccatum originale, sed quia ad fidem, cuius Sacramentum est Baptismus, protestandam dat robur. Vide Henriq. *vbi sup.*

10 Conclusio nona. Secundus effectus minus principalis est character distinctus à charactere Baptismi, est de fide, ex Florentin. & Tridentin. *sess.7. Can.9. de Sacram.* docet S.Thom. *q.72. art 2.* & communis D D & patet ex dictis de Sacramentis in genere. Est autem hic character dispositio quædam, & qualitas hominem consignans, deputando illum partim ad agendum, partim ad patiendum, quod necessario

necessario supponit characterem baptismalem; vnde non baptizatus, quamuis id ignoret inuincibiliter, non recipit hoc Sacramentum, nec illius effectum; etenim Confirmatio, vt ipsius nomine significatur, supponit Baptismum, nam illius gratiam roborat, & firmat. Inde fit, hoc Sacramentum non posse iterari, est de fide, ex Trident. *sess. 7. Can.* 2. *de Sacrament. in genere*, & antea definitum erat, *cap. dictum est de consecrat. distinct.* 5. & alibi. Non tamen incurritur irregularitas, si in eodem homine iteretur, quia non habetur hoc in iure: nemo autem censendus irregularis, nisi in iure exprimatur, *cap. is qui de sentent. excommunicat. in* 6. Filliucius *tractat.* 3. *quæst.* 4. *&* 5. in dubio autem morali, & prudenti iterari potest sub conditione, vt diximus de Baptismo adhibita tamen conditione modo ibi dicto. Suarex *disput.* 31. *sect.* 1. & alij.

11 De cognatione spirituali orta ex hoc Sacramento, dicemus, vbi de impedimentis matrimonij.

12 Conclusio decima. Subiectum capax huius Sacramenti est quilibet baptizatus, siue sit vir, aut fœmina, siue adultus, siue infans: expedit tamen confirmare pueros habentes vsum rationis, nisi sint in articulo mortis; seruanda tamen est Diœcesis consuetudo: hoc tamen existimo tanquam mihi certum, non peccare mortaliter confirmare infantem ante septennium, sine aliqua iusta causa, vt cum Nuño tenet Diana 3. *part. tract.* 4. *resolut.* 19. Perpetuò amentes confirmari possunt, sicut infantes; nam per accidens est, nunquam esse spiritualiter pugnaturos, & possunt sine pugna ad præmia militantium peruenire, S. Thom. *quæst.* 72. *art.* 8. *ad* 2. *&* 4. Henriquex *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. Suarex *disputat.* 35. *sect.* 2. & cum aliis Diana *suprà resol.* 20. Danda etiam Confirmatio amentibus, quia aliquando habuerunt vsum rationis, si in vltimo actu sanitatis non constat fuisse in peccato mortali, nam quilibet præsumi debet bonus, cum malus non probatur, & ex alio capite, eo quod Christianè vixerit, censetur saltem virtualiter petiisse. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 37. cum Syluest. & Henriquez. Adulti, vt validè recipiant hoc Sacramentum, tenentur habere intentionem, sicut in Baptismo; vt autem illius effectum suscipiant, præter intentionem, tenentur habere fidem; & si in peccato mortali existant non teneantur confiteri (etsi vtilius, & tutius, sit) tenentur tamen conari ad contritionem, ita vt existiment eam habere, quia est Sacramentum viuorum ordinatum per se ad augmentum gratiæ; per accidens tamen dat primam gratiam, quando scilicet existimat habere contritionem, cum reuera solum habeat attritionem, sicut contingit in aliis Sacramentis viuorum; imò non est improbabile, vt docet Filliuc. *suprà cap.* 3. *num.* 56. aliquando sufficere attritionem notam, vt si quis ex ignorantia existimet, non requiri maiorem dispositionem; nam cum attritio excludat affectum, & complacentiam peccati, non dicitur talis obicem ponere, sicut nec ille, qui existimat habere contritionem, cum eam non habeat. In paruulis autem, nec intentio, nec vlla requiritur dispositio: ita citati, & communis DD. vide Bonac. *to.* 1. *disp.* 3. *q. vnic. p.* 4. *n.* 4. 5. 6. *&* 7.

13 Nota, peccare eum, qui primam tonsuram recipit, vel ordines ante confirmationem, patet ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. *de reformat.* quia facit contra consuetudinem, & præceptum; quod peccatum non esse mortale docent Suarex *disp* 38. *sect.* 1. Coninch 3. *p. q.* 72. *art.* 8. *num.* 9. Nauarr. *cap.* 72. *n.* 9. *vers.* 5. & cum aliis Bonacina *suprà num.* 8. asserunt enim ex verbis Tridentini non colligi grauem obligationem, nec consuetudinem Ecclesiæ videri esse introductam sub mortali, ideo sic omittentes, præciso contemptu, non videntur peccare mortaliter. Vide *infra lib.* 7. *cap. vnic. dub* 11. *n.* 8. & Dianam 3. *p. tract.* 4. *resol.* 24. qui idem sensit.

14 Vndecima conclusio. Solus Episcopus est ordinarius minister huius Sacramenti: est de fide ex Trident. *sess.* 7. *cap. vlt. de confirmat.* S. Thom. 3. *p. q* 72. *art.* 11. & communis Doct. *ex cap. Presbyt. de consecrat. dist.* 4. Deducitur ex Act. 8 & 19. vbi soli Apostoli, quorum successores sunt Episcopi, baptizabant; debet tamen necessariò Episcopus esse consecratus, seu habere characterem Episcopalem: vnde non sufficit, si tantùm est electus, quamuis sit confirmatus. Episcopus verò consecratus, quamuis non susceperit Sacramentum Confirmationis, validè confirmare potest, nam habet characterem Episcopalem, in quo fundatur potestas confirmandi. Episcopus autem hæreticus, schismaticus, aut degradatus, siue aliqua censura ligatus, si consecratus est, validè confert hoc Sacramentum; nam etsi talis amiserit vsum Ordinum; non tamen perdidit characterem, & potestatem. Suarex *disp.* 36. *sect.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 2. *num.* 29. & cum aliis Henriq. videndus *cap.* 6. *de confirm.* Hinc fit, Diaconum, quamuis sit Cardinalis, imò nec Presbyterum, authoritate propria, nec Episcopi posse validè hoc Sacramentum conferre. Potest tamen Sacerdos (secus si non sit) etiam non confirmatus, de licentia solius Papæ, cum oleo tamen ab Episcopo benedicto, hoc Sacramentum administrare, vrgente maxima necessitate, vt dicitur à Patribus olim Presbyteros ministrasse Confirmationem. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 5. Filliuc. *sup. q.* 2. & cum aliis Bonacina *loco cit. part.* 2. *n.* 3. *vsque ad* 10.

15 Episcopus non potest alienos subditos in sua Diœcesi confirmare; esset enim mittere falcem in messem alienam; factum tamen teneret, sicut ordinatio, nam est actus Ordinis, ad quem essentialiter non requiritur iurisdictio. Peccaret tamen, & fieret suspensus, si id faceret absque licentia proprij, vt probabilius tenet Ledesma *in fin. cap.* 9. *concl.* 7. & cum aliis Bonacina *dict. part.* 2. *n.* 11. verùm Henriquez *suprà num.* 6. quem sequitur Diana 3. *part. tractat.* 17. *resol.* 17. *&* 24. eum à culpa, & suspensione excusare nititur, quia inquit, præsumendum est, hoc ratum, & gratum fore proprio Episcopo: & quidem si hoc moraliter certum sit, certiam existimo illius sententiam; communiter tamen verior est opposita. Nec potest Episcopus in alterius Diœcesi confirmare suos subditos, vel pontificiales actus exercere absque licentia Episcopi proprij, ex Trident. *sess.* 6. *c.* 5. *de reform.* vbi expressè cauetur sub pœna suspensionis ipso facto, ne vllus Episcopus in alterius Diœcesi Pontificalia exerceat absque Ordinarij expressa licentia, & in personas alteri Ordinario subiectas. At Episcopos ad confirmandum indui debet sacris vestibus, vt habetur in Pontificali Romano. Vide Bonacinam *suprà num.* 13. & Henriquez *dict. numero* 6. vbi addit, posse Episcopum in alterius Diœcesi sine illius licentia dare subditis suis tonsuram, benedictionem solemnem, & celebrare Missam de Pontificali; nam tonsura conferri potest domi priuatim sine Pontificalibus; & benedictio, ac Missa solemnis non videntur comprehendi à Tridentino sub nomine Pontificalium. Nota, posse Episcopum confirmare aliquem afferentem dimissorias sui Episcopi, vt ordinetur, si non erat confirmatus, quia qui concedit finem, concedere censetur media ad finem, at Confirmatio præmittenda est Ordinibus, ergo. Ita Layman *libro* 5. *tractat.* 3. *cap.* 6. *num.* 2. Fagundez *præcept.* 5. *lib.* 3. *cap. num.* 8. & cum aliis Diana *sup. resol.* 24.

16 Tenetur

16 Tenetur minister Confirmationis habere intentionem actualem, vel virtualem, vt dictum est agentes de Sacramentis, & esse in gratia, ne peccet: vnde si est in peccato mortali, etsi non teneatur confiteri, tenetur tamen habere contritionem saltem existimatam; nam est minister ad id deputatus, & consectatus. Non tamen tenetur esse ieiunus, sicut nec confirmandus, nec in die festo confirmate, quia hæc nulla lege præcipiuntur. Conuenienter hoc Sacramentum in Ecclesia ministratur: extra illam verò conferre non videtur mortale, obseruanda tamen consuetudo de quo vide Coninch 3. *part. quæst.* 71. *art.* 7. *num.* 75. Henriquez *dict. cap* 6. *n.* 7. & Bonacinam *vbi suprà num.* 15. Confirmare autem poterit Episcopus tempore interdicti; quia Confirmatio est quoddam complementum Baptismi, qui licitus est omni tempore pro paruulis, & pro adultis cum solemnitate. Licet etiam tempore interdicti conficere chrisma intra Ecclesiam. Vide Henriquez *dict cap.* 6. *num.* 7. & Ledesmam *in sum. cap.* 9. *de Confirm.*

17 Conclusio prima. Ritus, & cæremoniæ, quæ habentur in Manuali Episcoporum, quamuis essentiales non sint, sed ad ornatum, & solemnitatem, conuenientissimæ sunt, & seruandæ, vt statuit Trident. *sess.* 7. *de Sacram.* docet S. Thom. 3. *part.* 9.72. *art* 12. & communis Doctorum, & tenet vsus Ecclesiæ, de quibus vide S. Thom. *sup.* & Coninch *ibid.* Suarez *disp.* 37. *sect* 1. & 2. Bellarm. *cap. vlt. de Confirmat.* & Henriquez *cap.* 3. Breuiter tamen dico circa alapam, quæ impingitur, illius omissionem non esse peccatum mortale, quia non videtur res grauis: impingitur autem alapa, vt confirmatus recordetur se esse confirmatum; & vt intelligat se debere pati iniurias pro Fide Christiana confitenda. Ob eandem rationem non est peccatum mortale omissio oblationis cerei, Henriquez *cap.* 3 & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disput.* 3. *quæst. vnic. part.* 4. *num* 9.

18 Circa patrinum aduerte, eius omissionem esse peccatum mortale, quia est res grauis; est enim cæremonia antiquissima, ad significandum quasi tyronem esse in spirituali militia, & indigere alterius consilio. In patrino hæc potissimùm consideranda sunt. Primò, non debet esse idem, qui in Baptismo, nisi in necessitate, *cap. in Catechismo de consf. distinct.* 4. Secundò, debet esse tantùm vnus, vel vna, *cap seq.* Tertiò, debet esse confirmatus, *cap. item seq.* Quartò, contrahit cognationem spiritualem, *ex cap. si quis cap. de his* 30. *quæst.* 1. iuxta limitationem Tridentini. *sess.* 24 *cap* 2. *de reform. matrimon.* eo modo, quo diximus de Baptismo vbi de impedimentis matrimonij. Quintò, ad nihil tenetur regulariter, sed tantum adhibetur ad ornatum in aliquo casu necessitatis posset esse aliqua obligatio. Sextò, si non est confirmatus, non contrahit cognationem spiritualem, imò nec est verè susceptor, cùm non habeat conditiones ad id requisitas, ideo ex genere suo peccat mortaliter, quia est res adeò grauis. Filliucius *tom* 1. *tractat.* 3. *cap.* 3. *num.* 63. & cum aliis Diana 3. *p. tract.* 4. *resolut.* 26. & dixi *lib.* 8. *cap.* 8. *dub.* 8. *num.* 9. Septimò, non licet Religioso vt fiat patrinus, *cap. non licet de consecr. distinct.* 4. *cap placuit* 16. *quæst.* 1. Octauò, vir confirmatus, si tanquam susceptor in Confirmatione teneat filium suum, peccat, & non potest ab vxore petere debitum (nisi inuincibili ignorantia excusetur) nulla enim necessitas potest obligare, vt hic fiat susceptor, vt potest obligare, vt quis filium suum baptizet. Vide Henriquez *cap.* 3. *de Confirm.* & Ledesmam *in summ. ibid. cap. vlt.*

19 Demum nota in Sacramento Confirmationis Sacramentum tantùm esse materiam, & formam illius; nam significant, & non significantur. Res Sacramenti tantum est gratia roborans; nam significatur per materiam, & formam, & non significat. Res, & Sacramentum simul est character; nam significatur per Sacramentum tantùm, & significat gratiam.



LIBER TERTIVS DE SACROSANCTO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAPVT I.

De Eucharistia, vt est Sacramentum.



Vppone cum communi Catholicorum, sacram Eucharistiam, & esse Sacramentū & esse sacrificiū, est Sacramentum, quatenus corpus Christi in ea contentū, est cibus spiritualis animæ ordinatus ad eius refectionem, & nutritionem spiritualem. Est autem sacrificium, quatenus idem corpus Christi sub speciebus panis, & vini offertur in Missa omnipotenti Deo in remissionem peccatorum, & remedium humanæ infirmitatis, vt suis locis constabit. Nunc de Eucharistia, prout est Sacramentum: quod, & meritò, à D. Dionysio *cap. Eccles. Hierar.* dicitur consummatio omnium Sacramentorum, tum quia vitam gratiæ in Baptismo receptam, in Confirmatione perfectam, sua quadam vi munit, & consummat Euchari-

ristia: tum, & præcipuè, quod ipsum fontem, & authorem gratiæ sub speciebus panis, & vini quodam quasi velo latentem in se continet. Multa de hoc ineffabili, & augustissimo Sacramento disputantur à Theologis Scholasticis: nos tamen iuxta nostrum institutum solùm de iis, quæ ad moralem Theologum practicè spectant, breuiter tractabimus.

DVB. I.

Quid sit Sacramentum Eucharistia, & quando institutum.

1 ADeò admirabile est hoc altissimum Sacramentum, vt illius mysteria, sicut nec diuina substantia, vno nomine explicari nequeant: ideo à Patribus, & Doctoribus variis nominibus donatur. Dicitur ergo primum mysterium, quia infinita penè mysteria in se continet, vt infra constabit. Secundò, viaticum infirmorum, quia viam parat ad gloriam, quam præfigurat, iuxta illud Psalm. 49. *sacrificium laudis* (id est Eucharistia) *honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Tertiò appellatur Eucharistia Græcè, & Latinè bona gratia, vel quia continet Christum, qui est plenitudo gratiæ, iuxta illud Ioan. 1. *plenum gratia, & veritatis*: vel quia in gratiarum actionem consecratur; nam per illam, vt est sacrificium, reddimus Deo summum cultum, & gratiarum actionem pro susceptis beneficiis, ob idque sic eam vocat Trident. *sess.* 22. *Can.* 3. ac proinde dicitur Christus ab Euangelistis in ipsius institutione gratias egisse vel quia confert vberiorem gratiam, quàm alia Sacramenta: vel quia significat futuram gloriam quæ dicitur Dei gratia, vel quia ipsamet est magnum donum, & magna gratia. Quartò, dicitur corpus, & sanguis Domini. Quintò, Sacramentum corporis, & sanguinis Domini, *cap. multi* 1. *quæst.* 1. *cap. omnia de consecrat. dist.* 2. Sextò, caro Domini Iesu. Septimò per antonomasiam, Sacramentum, vel sanctissimum Sacramentum. Octauò, sacrosanctum mysterium. Nonò, consummatio Sacramentorum. Decimò, panis vitæ. Vndecimò, panis, qui de cœlo descendit. Duodecimo, cibus verus. Decimò tertio, esca spiritualis. Decimo quarto, panis Dei. Decimo quintò, conuiuium Dominicum. Decimo sextò, cœna Domini. Decimò septimò, fons bonorum omnium. Decimò octauo, carbo ignitus purgans animam, Decimò nono, pharmacum immortalitatis. Vigesimò, mortis antidotum. Vigesimo primò, charitas, & vita æterna. Vigesimo secundò, metalepsis, id est assumptio, quia per illud assumimus Deitatem Filij; siue magis propriè, participatio, vel transmutatio. Vigesimo tertiò, dicitur Græcè synaxis, Latinè communio, collecta, & societas; quia Christi fideles per Eucharistiæ Sacramentum, tanquam vnius corporis membra, cum Christo capite vniuntur. S. Thom. *quæst.* 72. *art.* 4. Quo sensu etiam dicitur à Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis, & concordiæ symbolum. Vigesimo quartò, dicitur gloria Dei, & pax Christi: de quibus omnibus latè Suarez 3. *part. quæst.* 73. *art.* 4. & breuius Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *quæst.* 1. Ex quibus constat, quanta sit huius Sacramenti dignitas, & excellentia non solùm in se, verùm etiam respectu cæterorum Sacramentorum, ita vt meritò nuncupetur sanctissimum Sacramentum, venerabile Sacramentum, augustissimum Sacramentum, &c.

2 Fuit autem, hoc augustissimum Sacramentum in veteri lege ob illius nimiam excellentiam variis figuris obumbratum. Primò quoad materiam, per panes propositionis, & præcipuè per oblationem panis, & vini factam a Melchisedech. Secundò quoad rem contentam, per sacrificia, expiationes, & holocausta illius legis. Tertiò quoad effectum suauissimum figura fuit; primò manna datum hominibus peregrinantibus in deserto, vt possent pergere ad terram promissionis. Etenim manna illud habebat primò omnem saporis suauitatem. Secundò, licet varij varias mensuras colligerent, eandem postea inueniebant. Quartò, fuit cibus de cœlo demissus, qui optimè nutriebat. Quintò, manna fuit expositum dubitationi, Psalm. 77. *nunquid poterit Deus parare mensam in deserto.* Ita hoc Sacramentum ea omnia in se continet. Secundò robur ipsius significatum est in pane Heliæ. Tertiò, victoria in hordeacco, qui castra Madian euertit. Quartò testamentario spiritus in ligno vitæ. Quintò lumen interius ad diuina cognoscenda in melle Ionathæ. Verùm præcipua figura quoad rem contentam, & effectus fuit agnus paschalis, qui cum pane azimo comedebatur; nam significauit Christum vt hostiam, & vt cibum; eius sanguis effectum redemptionis exprimebat; panis azimus effectum huius Sacramenti; vna domus Ecclesiam significabat. Vide D. Thom. 3. *part. q.* 73. *art.* 6. Suarez *ibid.* & Henriquez *cap.* 1. *de Eucharist.* His positis.

3 Dico primò, Eucharistia est Sacramentum, quod sub speciebus panis, & vini continet corpus, & sanguinem Christi ad nutritionem vitæ spiritualis per Baptismum datæ. Vel est Sacramentum consistens sub speciebus panis & vini consecratis significans Christum, & refectionem spiritualem. Ita colligitur ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. & DD. *in* 4. *distinct.* 8. estque adæquata, nam constat genere, & differentia: genus est Sacramentum, quod est commune huic, & aliis Sacramentis; differentia sunt omnia verba, per quæ hoc diuinissimum ab aliis Sacramentis distinguitur. Esse autem Eucharistiam Sacramentum à Christo institutum, Fides Catholica docet, vt definitum est in Conciliis, præcipuè Trident. *sess* 13 *cap.* 2. 3. *&* 6. & tenent omnes Catholici cum S. Thom. *q.* 73. *art.* 1. apud Suarez *disput.* 39. *sect.* 1. Et ratio est, quia species sacramentales sunt signum sensibile corporis, & sanguinis Christi sub illis contenti, & conferunt gratiam dignè sumentibus, vt infra constabit.

4 Dico secundò, in hoc Sacramento sunt illa communia omnibus Sacramentis, nempe Sacramentum tantùm: res tantùm; res, & Sacramentum. Sacramentum tantùm sunt species consecratæ; quia significant Christum sub eis contentum, & non significantur: vnde fit, vt hoc Sacramentum, prout Sacramentum tantùm, solùm dicat in recto species consecratas, seu species, vt continent, & significant corpus Christi: quare corpus in recto non est de essentia huius Sacramenti, nam in illo sensibiliter non existit, benè verò in obliquo quod est dicere, species consecratæ, prout continent, & significant Christum contentum in hoc Sacramento, sunt de essentia huius Sacramenti; vel Ordo ad Christum contentum pertinet essentialiter ad hoc Sacramentum. Res Sacramenti tantùm, est gratia per modum refectionis, & nutritionis spiritualis, de qua *cap.* 4. *dub.* 1. quia significatur per Sacramentum, & nullo modo significat. Res, & Sacramentum simul est Christus Dominus, quia ex modo, quo continetur in speciebus, significatur per ipsas, & per seipsas aliquo modo fit signum refectionis spiritualis. S. Thom. *q.* 73. *art.* 1. *ad* 2. sicque interpretandi sunt Patres dicentes corpus Christi esse Sacramentum.

5 Ex quibus sequitur primò, non solas species præcisè

præcisè sumptas, sed compositum ex corpore Christi, & speciebus modo explicato, esse Eucharistiam. De quo S. Thom. *dist.*8. *quæst.*1. *art.*1. *quæst.*1. *ad* 2 Caietan. *quæst.* 73. *artic.*1. *in fine.* Henriquez *lib.*8. *cap.*29. Conincb.3. *part. quæst.*73. *art.* 1. *&* *n.*10. *& quæst.*74. *num.*16. & cum aliis Bonacin. *tom.*1 *disp.*4. *quæst.*1. *punct.*1. *num.*5. *&* 6. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.*4. *cap.*1. *q.*5. *&* 6.

6 Sequitur secundò, sacramentum Eucharistiæ non consistere in consecratione, quia hæc non manet prolatis verbis; Sacramentum autem manet post verba consecrationis; nec est proximum signum efficax gratiæ sanctificantis, sed ad summum sanctificans materiam, Sacramentum verò est signum efficax gratiæ: potest autem dici consecratio forma extrinseca, & efficiens, vt dicetur cap.3. dub.1. nam ordinatur ad conficiendum corpus Christi magis, vt est sacrificium. Sancti autem Patres vocantes consecrationem sacramentum, vel largè loquuntur, vel intelligunt nomine consecrationis species consecratas. Neque consistit Sacramentum hoc in sumptione, quia hæc supponit Sacramentum factum, & permanens; erat enim in Ecclesia tam orientali, quàm occidentali immemorabilis consuetudo asseruandi Eucharistiam, illamque adorandi ante sumptionem; ergo &c. aliter sequeretur, hostiam consecratam, & asseruatam ad aliquem communicandum, non esse Sacramentum, si non eam sumeret, quod est plus quàm obseruandum; est tamen conditio necessaria, vt Sacramentum operetur. S. Thom. *quæst.*78. *art.* 1. *ad* 2. Filliucius *sup. num.*18. & cum aliis Bonacina *loco cit. num.*6.

7 Sequitur tertiò, distingui hoc Sacramentum à reliquis in quinque. Primò, quia habet materiam, formam, & effectum ab aliis distinctum, vt ex dicendis constabit. Secundò, quia in aliis materia proxima est aliqua actio, vel passio, in hoc est res permanens, scilicet species consecratæ. Tertiò, quia in aliis Sacramentis materia, & forma sunt res successiuæ, & ideo moraliter sunt simul, & pereunt, in hoc forma tantùm successiua est, & transit, materia verò permanet: imò dici potest etiam forma manere aliquo modo; nam etsi physicè transierit, manet tamen formaliter, & virtualiter, videlicet quoad existentiam corporis Christi sub speciebus consecratis per verba causatam. Quartò, quia alia sunt tantùm in vsu, alia in fieri, & successione, id est, in tantum sunt, in quantum fiunt; hoc verò consistit non in vsu, vt dictum est *num.*6. sed in facto esse, & ante vsum, eo quòd materia sit permanens, & maneat Christus in speciebus consecratis, etiam post verborum prolationem ante sumptionem. Quintò; in aliis præter materiam, & formam nihil aliud est; in hoc præterea est corpus Christi præcipua res huius Sacramenti. Filliucius *tom.*1. *tract.*4 *cap.*1. *n.*23

8 Dico tertiò, hoc Sacramentum est vnum specie atoma seu infima; nam etsi in genere rei, panis, & vinum specie differant; at quia in hoc Sacramento ordinantur ad vnum finem specificum, videlicet ad refectionem spiritualem animæ per modum conuiuij, quod integratur specie ex pane, & vino, pro inde hoc Sacramentum est vnum specie: multiplicatur tamen numero in ordine ad diuersas numero sumptiones, id est, in ordine ad hanc, vel illam sumptionem, & refectionem spiritualem. Ratio est, quia tunc sunt plura numero signa gratiæ, quando multi sumunt hoc Sacramentum; ergo plura numero Sacramenta: dicimus enim, quemlibet suscipere Sacramentum, quod alius non suscipit: deinde in conuiuio corporali non est eadem refectio, qua reficitur vnus, cum ea, qua reficitur alius. Hinc fit, vt quando quis plures suscipit hostias, vnum tantùm numero recipere Sacramentum, quia vnus Christus, & vnica numerica refectio tantùm reperitur. At si sumatur species secundum se, omnes vbicumque reperiûtur sunt vnum numero Sacramentum, quia in omnibus vnus numero Christus continetur: sunt tamen plura numero in potentia, & virtualiter, quatenus scilicet pluribus possunt distribui. Etenim sicut si diuinum Verbum supposítaret plures humanitates, diceretur vnus homo, ita Christi corpus assumens sibi Sacramentaliter plures hostias, constituit cum eis vnum ex se Sacramentum, Filliuc. *tom* 1. *tract.*4. *cap.*1. *num* 27. Villalob. *tom.*1. *tract.*7. *diff* 4. vide Suar. *disp.*39. *sect.*3. *&* 4. & Bonacin. *tom.* 1. *disput* 4. *quæst* 1. *punct.*4.

9 Quoad secundum dico primò, certum esse de fide, hoc admirabile Sacramentum fuisse institutum à Christo Domino, constat Matth.26. & Trid. *sess.*7. *cap.*5. *& sess.*13. *cap.*1. *&* 2 *& cap cum Martha. de celebr. Miss. c. in Sacr. de consecr. dist.*2 conuenientissimum enim fuit, vt in lege gratiæ, quæ perfectissima est, & plenitudinem gratiæ in se continet, Sacramentum institueretur ad consecrationem gratiæ. Eadem fide tenendum est, Christum instituisse Eucharistiam in vltima cœna, ea nocte, qua tradendus erat, vt patet ex Euangelio, & infra magis constabit. Et est definitum in Clem, vnic. *de Reliq. & vener. SS.* & in Trid. *sess.* 13. vbi dicit, hanc esse traditionem antiquorum. Fuit autem facta vltima cœna, & instituta Eucharistia feria quinta, Luna decima quarta mensis Nisan, qui correspondet nostro Martio, in secunda scilicet vespera dictæ feriæ quintæ; nam in illa, iuxta legem Moysis, comedendus erat agnus paschalis, de quo latè Suar. *vbi sup.*

Vt autem scias, in qua parte cœnæ Christus Eucharistiam instituerit, suppone triplicem cœnam egisse Christum in illa nocte. Primò, legalem agni, quæ erat vetus, & figuratina. Secundò, mysticam sui corporis, & sanguinis, quæ fuit noua, & figurata. Tertiò, vsualem, seu communem, in qua Iudas intinxit manum cum Christo in paropside Instituit ergo Christus sacram Eucharistiam post cœnam legalem, ante cœnam vsualem, vt insinuant Euangelistæ dicentes: *cœnantibus illis:* id est, inter cœnandum, seu inter cœná: & cœnam: quod ordinatissimè fuit factum, vt figura præmitteretur veritati. Vide Henriq. *lib.*8. *de Eucharist. cap* 58. *n.*3

10 Suppone secundò, lotionem pedum præcessisse institutionem huius Sacramenti. S. Thom. super Matth. Damasc. *lib.* 1. *cap.*14. & alij apud Suarez *disp.*41. *sect.*2. ad significandum quanta munditia, & reuerentia hoc Sacramentum esset sumendum.

11 Ex his colligitur, Christum Dominum celebrasse in pane azimo, vt tenet Ecclesia Latina, & non in fermentato, vt existimant Græci; nam vt dictum est, instituit Eucharistiam feria quinta ad secundam vesperam, in qua Hebræi tantùm vtebantur pane azimo, iuxta præceptum Exodi 12. & 13. Fuit etiam institutum hoc Sacramentum in loco decenti, in cœnaculo grandi, & parato in Ierusalem, vt constat Luc.22. Marc. 14. & Matth. 26. quod probabilius est fuisse domum patris Ioannis Euangelistæ, vt tenent Nicephor. Hypolit. & Turrian. apud Henriquez *lib.*8 *cap.*2. *num.*5. *lit. P.* vbi soli cum Christo duodecim Apostoli fuisse dicuntur & inter eos Iudas proditor. D Thom. *quæst.*81. *artic.*2. quos omnes Christus communicauit, & cum illis celebrauit primam Missam, instituitque sacrificium incruentum, quod obtulit, simulque sumpsit cum actuali mentis refectione. Vide Henriquez *loco cit.*

D v b. II.

De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

1 POssumus loqui primò, de necessitate medij vel de necessitate præcepti. Secundò, de sumptione Eucharistiæ in re, vel in voto, & tertiò de adultis, aut paruulis.

2 Dico primò, Sacramentum Eucharistiæ in re nec paruulis, nec adultis est necessarium ad primam gratiam obtinendam necessitate medij S. Thom. *quæst.* 80. *art.* 11. Caiet. *cap.* 1. *q.* 73. *art.* 3. ibi & DD. communiter apud Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 4. *punct.* 2. *num.* 1. & 2. Ratio est, quia prima gratia habetur per remissionem peccati originalis, vel mortalis; at Eucharistia non est instituta ad hæc remittenda, vt statuit Tridentin. *sess.* 13. *Can.* 5. vbi damnat dicentes, præcipuum effectum esse remissionem peccatorum: & *cap.* 2. dixerat, eius effectum esse alere vitam, & præseruare à mortalibus. Et probatur, quia si puer, aut adultus suscepto Baptismo statim moreretur, non sumpta realiter Eucharistia, gloriam consequeretur, ergo non est simpliciter necessaria necessitate medij Eucharistia in hoc casu. At si de facto Eucharistia infantibus administraretur, gratiam reciperent, sicut recipiunt in Confirmatione, vel si ordinarentur, quia non habent obicem, Henriquez *lib.* 8. *c.* 3. *n.* 5. Bonac. *sup n.* 7 *vers. obseruant tamen.*

3 Dico secundò, probabilius videtur Eucharistiam in voto, seu desiderio, esse simpliciter necessariam, tam paruulis, quàm adultis ad dandam primam gratiam baptismalem. Ita S. Thom. 3. *part quæst.* 73. & *alibi* & cum aliis Henriquez *lib* 8. *cap.* 3. *num.* 2. & 3. Hoc est, Eucharistia in genere causæ finalis concurrit ad productionem gratiæ baptismalis, ad quam concurrit Baptismus in genere causæ efficientis; etenim certum est, vnum effectum à pluribus causis diuerso modo produci posse, & probari potest primò, quia cum Eucharistia sit perfectissima omnium Sacramentorum, eo quod authorem gratiæ contineat, habet eminenter omnium causalitatem quia significat vnionem fidelium cum eorum capite Christo. Vt dicit Trident. *sess.* 13. *capitul.* 2. ibi: *Signum præterea esse voluit illius vnionis*, &c. Et significat Paul. 1. Cor. 11. *Omnes vnum sumus; qui de vno pane, & calice participamus.* Ideo materia Eucharistiæ remota, vt panis, & vinum efficiuntur ex multis granis, at Sacramenta efficiunt quod significant; cum ergo Eucharistia significet hanc vnionem, causabit illam: non in genere causæ efficientis, cum realiter non sumatur; ergo in genere causæ finalis, seu in voto; & desiderio. Non tamen requiritur, vt hoc votum sit explicitum, sed sufficit implicitum, videlicet voluntas suscipiendi Baptismum, quod est medium per se ordinatum ad Eucharistiam, in qua voluntate implicite continetur propositum seruandi omnia Dei mandata, consequenter recipiendi Eucharistiam suo tempore: in pueris autem sufficit ipsa realis Baptismi susceptio medium per se ordinatum ad Eucharistiam. Dixi, *probabilius*, nam valde probabile est in hoc casu, nec in voto esse necessariam Eucharistiam. Vt cum multis tenet Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 1. & 2.

4 Dico tertiò, probabilius etiam est Eucharistiam in voto in pueris, & in adultis in re, vel in voto esse necessariam ad perseuerandum in gratia, non tamen est sensus, quod omnes qui suscipiunt Eucharistiam, necessario in gratia perseuerent, sed ex his qui perseuerant; nullum in gratia perseuerare, nisi ratione Eucharistiæ in re susceptæ, quando fieri potest, vel in voto, quo modo perseuerantia est effectus Eucharistiæ. Hanc sententiam tenent illi qui affirmant esse simpliciter necessariam ad primam gratiam, consequenter asserunt esse necessariam ad illius conseruationem: conseruat enim hic cibus spiritualis vitam spiritualem, sicut Corporalis corporalem. Dixi, *probabilius*, nam admodum probabile est, non esse in supradictis necessariam Eucharistiam ad perseuerandum in gratia, vt cum aliis tenet Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *capitul.* 2. *quæst.* 4. asserit tamen esse ita efficacem, vt moraliter posset dici esse necessariam: adducit *num* 43. D. Cypriani authoritatem in orat. Dominica in illa verba. *Panem nostrum* (quæ ita habet) *vt manifestū est eos viuere qui corpus eius attingunt; ita timendum est, & orandum, ne dum quis abstinet, procul remaneat à salute, dicente Domino, nisi manducaueritis.*

5 Dico quartò, datur duplex præceptum sumendi Eucharistiam, alterum diuinum, alterum humanum Ecclesiasticum: diuinum est impositum à Christo Domino, Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* Ex quibus Catholici DD. colligunt necessitatem præcepti diuini. Ecclesiasticum est impositum ab Ecclesia *in cap. omnis vtriusque sexus de pœniten. & remis.* vbi sub peccato mortali præcipitur semel in anno tempore Paschali Eucharistiæ susceptio.

D v b. III.

Quando obliget præceptum diuinum sumendi Eucharistiam.

DE hoc dubio vide in Decalogo *libr.* 3. *capitul.* 5. *dub.* 1.

D v b. IV.

De obligatione præcepti Ecclesiastici communionis Paschalis.

DE hoc dubio vide Decalogo *libr.* 3. *capitul.* 5. *dub.* 2.

C A P. II.

De materia, & forma Eucharistiæ.

D v b. I.

Quæ sit materia Sacramenti corporis.

1 DVplex communiter assignatur à Doctoribus materia Eucharistiæ, altera remota, altera proxima.

2 Dico primò, certa fide tenendum est panem esse materiam remotam corporis Christi, constat Matth. 26. ibi: *Accipiens Iesus panem*. idem habetur Luc. 22. estque ita definitum in Concil. Florent. *in instruct. Armenorum* Lateranens. *cap. firmiter.* & Trident. *sess.* 13. *cap.* 21. & 22. sicque habet traditio Ecclesiæ ex Patribus, quos refert Suar. *disput.* 43. *sect.* 1. Ratio à priori est voluntas Christi: conuenientia vero fuit commoditas huius speciei, tum propter facillimum vsum, tum propter decentiam & reuerentiam, tum propter significationem tam corporis Christi veri, quam mystici: quia per panem ostenditur mystica vnio Christi cum Ecclesia

sicut

sicut enim panis conficitur ex multis granis, ita mysticum Ecclesiæ corpus ex multis fidelibus, qui Christo vniuntur tanquam capiti. Tum etiam quia circa alias res melius repræsentat refectionem spiritualem, quæ est effectus huius Sacramenti præter panem.

3 Dico secundò, panis hic debet esse necessariò triticeus. Ita S. Thom. 3. *part. quæst.* 74. *articul.* 1. & communis cum eo apud Suar. *disputat.* 44. *sect.* 1. vbi asserit, esse temerarium asserere oppositum. Probatur primò ex Christi institutione, qui consecrauit in pane azymo, vt infra consequenter, triticeo, vt Ecclesiæ declaratione, & traditione perpetua confirmatum est. Confirmatur ex Florentino dicente, esse panem triticeum, & ex Catechismo addente, esse Apostolicam traditionem. Secundò, quia hic absolutè, & simpliciter dicitur panis, cæteri cum addito vt panis hordeaceus, igitur solus panis triticeus, seu qui conficitur ex frumento, quod est triticum, vel quod non differt specie à tritico est apta materia huius Sacramenti.

4 Ex his infertur, panem ex grano, quod certum est, non esse triticeum, non esse materiam aptam Eucharistiæ, qualis est confectus ex leguminibus, vt ex fabis, castaneis, cicere; item, nec est materia, auena, ordeum, milium, lolium, panicum, nec in farre, quod sit ex ordeo, nec in oriza, quia omnia supradicta specie differunt à tritico, ita Henriq. *lib.* 8 *c.* 9 *de Eucharist. n.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4 *c.* 3. *n.* 77. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 1. *n.* 2.

5 Sequitur secundò, granum de quo est dubium an sit triticum, efficere materiam dubiam, ideoque moraliter esse ineptum consecrationi, talis est speltazea, seuzia, vt tenet S. Thom. 3. *p. q.* 74. *art.* 3. *ad* 2. Ledesm. *in sum. c.* 3. *de Eucharist. dub.* 1. Filliuc *sup.* & alij. At Henriq *vbi sup.* non improbabiliter tenet in quadam delicatissima spelta, vt apud Anglos tenere Sacramentum, refertque secundum quosdam Parisienses, Papam approbasse consuetudinem Lugdunensem qua in spelta conficiunt; quod maximè procedit, si spelta sit alica: *esto es espelta descortezada:* aliqui tamen existimant, alicam, seu alicastrum, esse triticum trimestre, seu martiscum, seu quod seminetur in mense Martij, esseque verum triticum pondere, & bonitate præcipuum. Ita Colum. *lib.* 1. *de rust.* & Filliuc. *dict. n.* 77. similiter de tipha, Hispane, *centeno*, quidam apud Henriquez *vbi sup* dubitant, an esset verum triticum: ipse autem Henriquez cum S. Thom. & aliis, & Ledesm. *loc. cit. dub.* 3. probabilius tenent esse veram materiam; nam in iis non est attendenda physica mutatio, sed moralis; sic vinum album, & nigrum sunt apta materia Eucharistiæ, quamuis specie differant, quia moraliter in ordine ad vsum humanum conueniunt, at moraliter tipha seruit ad vsum humanum comedendi. Esse tamen mortale consecrare in pane nigro tiphæ propter diuersas opiniones. Siligo autem seu scandia Hispane, *candeal*, triticum est electum & verum, & absque dubio vera materia. Infertur verò si significat scandiam, certum, etiam tenere consecrationem, secus autem, vt significat auenam. Filliuc. Bonac. & alij citati.

6 Sequitur tertiò, si vero tritico admisceantur alia grana, si talis additio sit in minori quantitate esse veram materiam, quia maior pars tritici trahit ad se minorem, secus tamen si in maiori, vel æquali quantitate, nam tunc non potest dici panis triticeus, Filliuc *sup. n.* 77. *in fin.* Bonac. *n* 6. cum S. Thom. 3. *p q.* 74. *art.* 3 *ad* 3. & aliis. Sic non tenet in pane, vel vino corrupto, bene verò in eo, qui tendit ad corruptionem. Vide Henriquez *d c.* 9. in dubio tamen non est consecrandum. Vt bene Filliuc *sup. n.* 80.

7 Dico tertiò, panis triticeus debet esse confectus aqua naturali. S. Thom. *quæst.* 74. *articul.* 7. *ad* 3. Sotus *dist.* 9. *quæst.* 1. *artic* 4. Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 4 *cap.* 3. *num.* 78. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disput* 4 *quæst.* 1 *p.* 1. *n.* 5. quia sic fit panis communis, & vsualis, qui est vera materia: inde, fit panes dulciarios confectos scilicet ex oleo, lacte, melle, aqua rosacea, vel simili alio liquore non esse aptam materiam, quia talis panis non est vsualis, sed deliciæ hominum, tenet autem Sacramentum, si aquæ naturali alius liquor, in parua tamen quantitate, admisceatur, secus si in maiori, seu æquali; quia in magna quantitate traheret ad se aquam naturalem, & tam non esset panis vsualis. Ita cum aliis Bonacina citat. & Henriquez *d c.* 9. *n. vlt.* Vnde non est audiendus Caiet 3. *p q.* 73. *art.* 7. existimans, panem coctum cum sola aqua rosacea esse aptam materiam.

8 Dico quartò, panis debet esse coctus igne solo per modum assationis, vt in furno, aut sub cinere aut ferro calido, Filliuc. *sup. n.* 79. Henriq *loco citat* & cum aliis Bonac. *vbi sup n.* 3. Inde fit massam crudam non esse aptam materiam, quia non est panis vsualis, etsi physice ab eo non distinguatur. Item ob eandem causam non est apta materia, mica panis digitis compressa, nam fit massa. Item nec pultes, nec lagana frixa, seu *fruta de farten*, nam hæc potius elixantur, & friguntur, quam coquuntur, quia & moraliter mutantur, ideo non reputantur, panis verus, & vsualis. Ita citati. Nec est sufficiens materia amylon, etsi physicè à pane non distinguatur, quia moraliter mutatur; at si de nouo redigatur in farinam, & compactum aqua coquatur igne videtur sufficiens materia. Ita Bonacina *sup. n.* 7. cum aliis: certè quia etiam, vt sic materia est valde dubia, ideo non est secutum in illa conficere. Vt bene Filliuc *vbi suprà*, ego autem absolutè loquendo existimo amylon non esse materiam aptam, cum Ledesma *in sum. c.* 3. *de Eucharistia dub.* 5. nam pertransit in aliam speciem per quas fit.

9 Dico quintò, tam panis azymus, quam fermentatus est apta materia, & sufficiens huius Sacramenti, est de fide, ex Florent. & Trident. *sess.* 13 *& c ad abolendam de heret* & omnium Theologorum *in* 4. *aist.* 11. ex Suarez *disput.* 44 *sect.* 3. Ratio est, quia vterque est simplex, & verus panis. Quare erroneum est dicere alterum esse de necessitate Sacramenti, in hac, vel illa Ecclesia Latina, scilicet, vel Græca, nam quod est de necessitate in vna, debet esse in omnibus. Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 4 *c.* 3 *n* 81.

10 Dico sextò panem azymum esse materiam magis aptam, & conuenientem. vt docet Sanctus Thom. *quæst.* 74. *art* 4. Conink ibi & tenent communiter DD. Probatur primò authoritate Ecclesiæ Romanæ, quæ creditur à B. Petro accepisse hanc consuetudinem, & continua traditione retinuisse. Secundò, quia Christus Dominus, vt tradunt Patres apud Henriq. *cap.* 11. *de Eucharist num.* 6 in azymo consecrauit, quia vt diximus *sup capit.* 1 *dub* 2. Christus Dominus fecit cœnam legalem; & suum Corpus consecrauit fer. 5. ad 2. vesperam, quæ erat Luna 14. mensis Nisan, seu Martij, & crucifixus fer. 6. seu Luna 15. eiusdem mensis, qui erat dies solemnissimus, & primus, septem dierum azymorum, at quia fer. 5 ad 2. vesperam, iam non erat panis fermentatus, sed azymus, iuxta illud Exod. 12. *Et edent carnes nocte illa, & azymos panes*, sequitur Christum Dominum in azymo consecrasse. Tertiò, quia azymus significat puritatem, tum Christi corporis, tum etiam eorum, qui ad illud sumendum accedunt. Denique azymus facilius, purius, ac decentius conficitur & est magis immunis à corruptione. Non tamen est præceptum diuinum consecrandi in azymo,

nec

nec colligitur ex facto Christi, eo quod in azymo consecrauerit; aliàs enim deberet homo communicare post cœnam, & ablutionem pedum, vt fecit Christus. Henriq. cum aliis *d.c.* 11. *n.* 6. *lit. N.*

11 Ex dictis sequitur, teneri Sacerdotem Græcum, ac Latinum suæ Ecclesiæ consuetudini conformari. Vnde peccat mortaliter Latinus in sua Ecclesia consectans cum fermentato, *cap. literas de celeb. Missar.* S. Thom. *quæst.* 74. *artic.* 4. & communiter DD. imò non licet Latino (idem respectiuè de Græco) ob viaticum alicui dandum consecrare in fermentato, vt docent Henriquez *sup. num.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *capit.* 3. *num.* 84. Suarez *disp.* 44. *sect.* 4. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *punct.* 1. *num.* 11. quia Sacramentum hoc non est simpliciter necessarium, & ex alio cap. maxima cum reuerentia est tractandum hoc Sacramentum; ideo præceptum afficiuum tali tempore communicandi non obligat nisi salus legibus, & seruatis circumstantiis, quæ ad reuerentiam tanti Sacramenti ex pio ritu Ecclesiæ instituuntur, potius ergo infirmus permittendus est decedere absque viatico, quam celebrare in fermentato, vel sine vestibus, aut vasis sacris, aut non ieiunus: ita citati. Item, si Latinus reperiatur in Græcia, & in eo loco sit aliqua Ecclesia pro Latinis constitua, quod fuisse docet Leo IX. *Epist. ad Michael. cap.* 29. non potest in ea Ecclesia cum fermentato celebrare. Quod si ibi nulla sit Ecclesia pro Latinis, potest vtriusque consuetudini se conformare, videlicet consecrare cum azimo de licentia Pastoris illius Ecclesiæ, vel cum fermentato, vt Græci illi faciunt. Idem quod dictum est de Sacerdote Latino in Ecclesia Græca, eodem modo respectiuè dicendum de Græco in Ecclesia Latina; nam quoad hoc Ecclesia approbat vtrumque respectiuè pro Græcis: & Latinis, sicut etiam adhibere alios ritus in Missa.

12 Dico octauo materia proxima Sacramenti corporis Christi sunt species panis consecratæ, seu ipsæ species, prout continent, & significant ipsum Christum: nam materia proxima Sacramenti est ex qua componitur ipsum Sacramentum, & quæ determinatur per formam, vt dixi *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 1. *num* 4. Sed hoc Sacramentum componitur ex speciebus consecratis tanquam ex rebus, & ex verbis tanquam forma, ergo, &c. minor patet ex his, quæ diximus *hoc cap. dub* 1. *concl.* 5. vbi probauimus Eucharistiam, vt est Sacramentum, tantum supponere pro speciebus, seu esse ipsas species consecratas, prout continent, & significant Christum, ergo species consecratæ, seu prout continent, & significant Christum, sunt materia proxima huius Sacramenti.

D V B. II.

Quænam sit materia remota Sacramenti sanguinis.

1 Dico primò, materia remota Sacramenti sanguinis necessaria, & sufficiens est vinum vitis: communis DD. cum S. Thom. *quæst.* 74. *artic.* 5. patet ex Christi facto, adiuncta traditione Ecclesiæ, & communi consensu, ex Suarez *disput.* 45. *sect.* 1. consecrauit enim Christus in illis verbis Luc. 22. ibi: *Non bibam à modò ex hoc genimine vitis.* & Math. 26. ac Marc. 14. idque definitum est in Florentin. & in *cap. firmiter de sum. Trinit.* Ratio à priori est constitutio Christi. Congruentia; quia hoc Sacramentum causat suum effectum ad modum conuiuij, & refectionis, conuiuium autem, & refectio integratur præcipuè ex pane, & vino.

2 Ex hac conclusione sequitur primò vinum vitis, siue nigrum, siue album, esse verum, & sufficientem materiam sanguinis. Communis DD. cum S. Thom. *vbi sup. art.* 8. apud Bonac. *tom.* 1. *disput.* 4. *q.* 2. *punct.* 2. *num* 3. & Henriquez, *lib.* 8. *cap.* 11. nam etsi specie differant, vtrumque tamen est verum vinum vitis.

3 Secundò, mustum expressum ex vuis maturis, esse materiam sufficientem, non tamen conuenientem. Communis cum S. Thom. *sup. art.* 5. esse sufficiens, patet ex *cap. cum omne de cons. dist.* 2. quia est substantialiter vinum, ex Arist. 4. *Meteor. capitul.* 23. & dicitur vinum recens, & est potabile per modum vini: non tamen esse conueniens, patet, quia non est purum, & execotum adhuc: ideoque propter irreuerentiam Sacramenti, & quia contra Ecclesiæ consuetudinem, esset peccatum ex suo genere mortale Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 4. *cap* 3. *num* 87. *vers. Quarto*, & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 4. *punct.* 2. *num.* 3.

4 Tertiò, vinum satis decoctum non est materia Sacramenti sanguinis. S. Thom. *quæst.* 74. *art* 5. & cum eo, & aliis Bonacio. *sup. num.* 3. quia mutat speciem, ideo non est proprie vinum; sic non tenet consecratio in vino ex melle, saccharo, vel aliis speciebus aromaticis, vel floribus condito, nisi talis admistio esset in tam parua quantitate, vt moraliter pro nihilo reputaretur. Henriquez videndus *lib.* 8. *cap.* 2. esset tamen mortale ex genere suo, in eo celebrare propter indecentiam, & quia contra communem vsum.

5 Quartò, potest Sacramentum sanguinis confici cum vino miraculosè producto, quia est verum vinum, ab authore vini, & vitis factum. vt contigit in nuptiis Cana Galileæ. Ita cum Henriquez, Bonacin. *sup. num.* 4.

6 Quintò, sapa, siue *arope*, non est materia, quia vt ait Aristot. 4. *Meteor. capitul.* 9. & 10 non est vinum, & non est potabilis, sed potius comestibilis, Filliucius *sup. num.* 87. *vers. Tertiò.* Item, nec aqua vitæ, seu *agua ardiente*, quæ ex vino distillatur, nec cota, siue vinetum, quod fit ex vuis iam expressis cum aquæ admixtione, Hispanè, *aguadas*, si tamen minor pars esset aquæ, esset materia apta; in dubio esset peccatum graue in eo consecrare. Item, nec est materia apta omphacium, seu agrestum; nec granavox, seu ipsa vua ante expressionem; quia hæc non sunt vinum. A fortiori non est apta materia liquor ex pomis, aut malo granatis, nec ceruicia, nec id quod vocamus, *aloja*, quia non sunt proprie vinum. Henriquez videndus *d. cap.* 12. vide etiam Filliuc. *vbi sup q.* 9. & Bonac. *d. p.* 2.

7 Sextò, acetum non est materia apta huius Sacramenti, quia non est vinum, sic non tenet consecratio, si hostia adeò corrupta est, vt formam panis amiserit, vt docet S. Thom. *q.* 74. *art.* 5. *ad* 2. secus tamen si vinum tantum sit acescens, esse tamen graue peccatum pro ratione dubij, vel irreuerentiæ in eo consecrare: quando scilicet ita vergit ad acetum, vt dubitetur, an sit verè acetum, secus tamen si parum acescat, maximè si adsit aliqualis necessitas. Vide Bonacinam *sup. n.* 5.

8 Septimò, vinum congelatum secundùm Suar. *disp.* 45. *sect.* 1. & cum aliis Bonacinam *tom.* 1. *disp* 4. *punct.* 2. *num.* 10. est apta materia, ita vt in eo possit fieri consecratio, oppositum tamen tenent Henriq. *dict cap.* 11. *num.* 3. Nugnus, Valentia, Angles, & Vasquez: apud Bonacinam, quia dicunt, vt sic non esse potabile, & ad vsum humanum accommodatum, quamuis sit verè vinum; sicut aqua congelata, etsi verè aqua sit, non tamen est apta materia Baptismi,

Baptiſmi, quia vt ſic non eſt apta ad lauandum; vtrumque probabile, & prior ſententia defendi poteſt dicendo, vinum congelatum potabile eſſe lambendo, vel ſugendo, aut ſaltem ſi liquefiat: tum etiam; quia ſi poſt conſecrationem congeletur, conſeruatur ibi corpus Chriſti. Nec obſtat ſimile de aqua cōgelata ad baptizandum, quia Baptiſmus conſiſtit primò, & per ſe in ablutione, & vſu, Euchariſtia vero in re permanente, conſequenter non requirit materiam, quæ actu bibatur: ſic panis adeo durus, qui comedi non poſſet, ſi molle fiat fit aptus conſecrationi, quia ibi verè reperitur ſubſtantia panis: ſic ſufficit, vt vinum bibi poſſit, quamuis actu non ſit potabile, vt eſt congelatum; eo quod ſubſtantiam vini contineat, & aliquo modo bibi poſſit.

9 Dico ſecundò, materia proxima Sacramenti ſanguinis ſunt ſpecies vini conſecratæ, ſeu prout continent, & ſignificant ſanguinem Chriſti, quia ex illis, & verbis componitur hoc Sacramentum, eo modo, quo de ſpeciebus panis diximus *dub. anteced. concluſ.* 8.

D V B. III.

An vino admiſcenda ſit aqua, & quomodo.

1 Dico primò, vino quod eſt materia ſanguinis, admiſcenda eſt aqua; eſt de fide ex Concil. Tiburienſ. *Can.* 32. Florentin. *loco ſæpe cit.* Trid. *ſeſſ.* 22. *Can.* 7. *& aliis*, & habetur *cap. in quodam cap. cum Marthæ de celebrat. Miſſar.* conſtat etiam ex Eccleſiæ vſu, & perpetua traditione, quæ colligitur ex SS. Patribus relatis à Suarez *diſp.* 45. *ſect.* 2. congruentiæ autem ſunt. Prima, Chriſti exemplum, qui creditur ſic feciſſe. Secunda repræſentatio aquæ & ſanguinis è latere Chriſti, *capitul.* 1. *de conſ. d.* 2. Tertia, ſignificatio effectus Sacramenti, nimirum vnio Eccleſiæ cum Chriſto: nam per aquas populi ſignificantur, Apoc. 17. ita Tridentin. *ſeſſ.* 2. *cap.* 17. Quarta, gratiæ ſignificatio, quæ eſt aqua ſaliens in vitam æternam. Quinta, ſignificatio duplicis naturæ Chriſti, diuinæ per vinum, & humanæ per aquam. Sexta, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum cibi, & potus, ſicut enim vinum ſolet ab hominibus bene inſtitutis aqua permiſceri; ita vinum, quod huic Sacramento inſeruit, aqua miſcendum eſt. Vide Suarez *vbi ſuprà.* Filliucius *tract.* 4. *cap* 3. *num.* 88. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 3.

2 Dico ſecundò, huiuſmodi aquæ admixtio non eſt de neceſſitate Sacramenti; eſt commune, quia Chriſtus indicans materiam huius Sacramenti, non indicauit aquam; & Florentinum ſimpliciter dixit, materiam huius Sacramenti eſſe panem triticeum, & vinum, quare omiſſa aqua reneret conſecratio, peccaret tamen eam omittens, vt infra dicetur. Vide Suarez *vbi ſuprà*, & Bonacin. *loco citat. num.* 1. Eſt tamen talis admixtio neceſſaria neceſſitate præcepti, vt omnes admittunt, quod præceptum Henriquez *lib.* 8. *capitul* 12. *num* 3. Sotus *d.* 9. *quæſt.* 1. *artic.* 6. & alij exiſtimant eſſe diuinum, eo quod Chriſtus ita conſecrauerit. Alij verò probabilius exiſtimant tale præceptum ſolum eſſe humanum Eccleſiaſticum; patet ex Concil. Florent. nam cum dixiſſet vinum ex vite eſſe materiam: ſubdit, *cui aqua ante conſecrationem miſceri debet.* & Trident. *ſeſſ.* 13. vbi agens de hoc Sacramento nihil docet de hac mixtione: & tamen *ſeſſ.* 22. dicit Eccleſiam hanc mixtionem præcepiſſe. Hanc ſententiam tenet S. Thom. 3. *part. q.* 4 *eſt* 74. *art* 6. & communiter Theologi apud Suarez *diſp.* 47. *ſect.* 2. Filliuc. & Bonacin. *locis citatis*, quod præceptum ab Apoſtolis emanaſſe, & non ab Alexandro I. probabilius docet Coninch. 3 *part. quæſt.* 74 *art* 7. *num.* 138. & cum eo Bonacina *vbi ſup. num* 1. *verſ. Fuit ante in ſcriptis traditam ab Alexand.* Filliuc *d cap.* 3. *num* 91 Nec obſtat factum Chriſti, nam non omnia, quæ Chriſtus fecit ſunt de præcepto diuino, cum Chriſtus multa fecerit; quæ non ſunt vſu recepta. Bonacina *loco citato.* Hinc ſequitur poſſe Pontificem in hoc præcepto diſpenſare: imò id fieri poſſe abſque diſpenſatione vrgenti neceſſitate; tenet Ledeſma *in ſum.* c 4. *de Euchariſt. poſt.* 10. *concluſ.* quod non probat & merito Suar. *diſp* 45 *ſect* 2. & eum ea Villalob. *tom* 1. *tract.* 7. *diff.* 7. *n.* 3. *verſ. De lo qual.*

3 Dico tertiò, aqua, quæ admiſcetur, debet eſſe naturalis, quia talis de Chriſti latere fluxit, & talis cum vino admiſceretur communiter: tenet tamen Sacramentum, ſi roſacea, aut alia artificialis miſceatur, quia admixtio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti, vt dictum eſt *n.* 2. peccaret tamen grauiter, quia faceret contra præceptum Eccleſiæ in re graui Coninch, *vbi ſup. n.* 141. Bonac *dict. punct.* 4. *n.* 1. *verſ. Dixi.* & communiter DD.

4 Hinc patet peccare grauiter, qui vino aquam non admiſcet: & qui ſciemer id fecerit, præcipitur priuari officio, & Beneficio, *cap literas de celeb. Miſſ. & c.* 7. *cum omne crimen de conſecr. d.* 2. ſuſpenditur ipſo facto ab officio: tum etiam ille qui in ſacrificio aliud adhibetet præter panem, & vinum, aqua permixtum, vt ibidem habetur, & tenet Azon *tom* 1. *lib.* 10. *c.* 29. *q.* 1. & Bonac. *ſup. n.* 2.

5 Dico tertiò, adhibenda eſt aqua in modica quantitate, ne Sacerdos exponat ſe periculo conficiendi Sacramentum in materia indebita; vnde curare debe Sacerdos, ne excedat tertiam vini partem, vt habetur in Concil. Tiburienſi *c.* 19. & in Florentino dicitur, miſcendum eſſe paulum aquæ, & aquam modiciſſimam; aliqui DD. relinquunt, id arbitrio prudentis, vt vult Dur. *lib.* 4. *rationalis capit.* 30. in qua re non eſt nimis ſcrupuloſe agendum, an ſcilicet vnam, duas, tres aut quatuor aquæ guttas infuderit. quod ſi effundendo aquam exceſſerit, poteſt vinum addere, aut totum illud effundere, & nouum apponere: ſufficit autem quælibet guttula ſenſibilis, S. Thom. *quæſt.* 74 *artic.* 8. & communiter DD. nam modica quantitas facilius vertitur in vinum, & ſub qualibet gutta ſaluatur ſignificatio, propter quam aqua adhibetur. Proinde DD. admoneut, adhibendum eſſe vinum generoſum vt facilius aquam in ſe conuertat: ideoque conuenientiſſimum eſt, aquam eſſe modiciſſimam. Non eſt autem miſcenda aqua in amphora vini, ſed in calice, antequam Miſſa incipiatur; vel in Offertorio ante calicis oblationem, iuxta patriæ conſuetudinem, Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 4. *q.* 2 *punct.* 4. *n.* 4. *&* 5.

6 Sed dices, quid faciendum ſi, quando Sacerdos ex obliuione aquam non infundit. Reſpondeo, ſi id aduertat ante conſecrationem debet ſtatim illam apponere, ſecus ſi poſt eam, nam non eſt apponenda aqua ſanguini, ſed vino. Ita Coninch. *loco citat. c.* 142. & cum aliis Bonacin. *ſup. n.* 6.

7 Dico quartò, aqua, quæ vino miſcetur non conuertitur immediate in ſanguinem Chriſti, ſed mediate, id eſt, prius conuertitur in vinum, & poſtea per conſecrationem in ſanguinem Chriſti. Ita S. Thom. 3. *part. quæſt.* 74. *articul.* 8. Suarez *d ſtat* 45. *ſect.* 4. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *capitul.* 3 *num* 92. Bonac. *ſuprà, num.* 7. & communiter DD. contra Coninch. *quæſt.* 74. *articul.* 8. *num.* 104. exiſtimantem aquam

aquam non conuerti in vinum, sed immediate in sanguinem euius sententia etsi non sit improbabilis, probabilior, & verior est sententia communis, quam etiam tenet Villalobos *tom* 1. *tract.* 7. *diff.* 7. 5. & Pius V. in suo Catechismo asserit, esse omnium Scriptorum Ecclesiasticorum. Prior pars probatur quia vt ex Conciliis dictum est *hoc cap. dub.* 2. materia remota Sacramenti sanguinis est vinum, & proxima eius species, non vero aqua, at illud vertitur in sanguinem Christi, quod est materia Sacramenti; ergo cum aqua non sit materia non vertetur in sanguinem, nisi conuersa fuerit in vinum. Secunda pars constat, quia si aqua est conuersa in vinum ante consecrationem, iam non est aqua sed vinum, ac proinde mediate, id est medio vino, in quod est conuersa conuertitur in sanguinem. Hinc fit, quod si aqua ante consecrationem non sit conuersa in vinum, post consecrationem non conuerti in sanguinem Christi, sed manere in sua substantia, donec per species vini, in vini substantiam conuertatur: habent enim species sacramentales virtutem ad generandum vinum, ac si substantia vini adesset. De quo Suarez *disp.* 57. *sect.* 1. Hinc etiam constat aquam, quæ in vinum non fuit ante consecrationem conuersa non adorari, quia solum adoratur id, quod Christi sanguinem continet: sicut neque calix adoratur, nisi ratione contenti: at talis aqua etsi coniuncta sit speciebus, non tamen continet corpus Christi. Filliucius *sup. numer.* 93. Bonacina *loco citat. numer.* 9. Nec obstat quod Sacerdos non esset ieiunus post sumptionem talis aquæ: nam credere potest probabiliter semper esse conuersam quando seruantur debitæ circumstantiæ Quod si probabilius credat non esse conuersam, non ideo abstinendum erit à sumptione: quia præceptum de integritate sacrificij, vtpote diuinum est, maius, in die tamen Natalis Domini, non posset celebrare aliā Missam, nisi deposita conscientia contrariam sententiam quis sequeretur aquam scilicet, per consecrationem fuisse in sanguinem mutatam, quæ cum probabilis sit, potest omnium conscientias pacatas reddere. Vt bene Filliuc *sup n.* 93. ex Suar. *disp* 45. *sect* 4.

8 Dices, quid si aqua conuertatur in vinum inchoata iam forma, sed nondum absoluta, quidam non improbabiliter conuertunt in sanguinem quia dum absoluitur forma, iam non est aqua, & pronomen *hic*, non habet absolutam significationem, donec tota forma proferatur: probabilius videtur oppositum, quod tenet Suarez *disput.* 57. *sect.* 1. & cum eo Bonacina *tom* 1. *disput* 57. *quæst.* 2. *punct.* 4. *numer.* 10. quia non potest demonstrari pronomine *hic*, quia tunc non erat præsens materia, nec apta, eo quod tunc non erat in vinum conuersa.

D v b. IV.

An necessarium sit sub vtraque specie consecrare.

1 Dico primò, non est de necessitate Sacramenti vtriusque speciei simultanea consecratio S. Thom. 3. *part. quæst.* 73. *art.* 6. Suarez *disp.* 43. *sect.* 2. Coninch cum S. Thom. Bonacina *tom.* 1. *disput.* 4. *quæst.* 2. *p* 4. *num.* 2. & communiter DD. Probatur, quia prius tempore vna consecratur quam alia vt panis priusquam vinum, & postquam panis est consecratus, adest ibi vere Christi corpus, antequam vinum consecretur; ex Tridentin. *sess.* 13. *capitul.* 3. *&* *Can.* 4. & exemplo Christi, qui statim post consecrationem panis, dedit illum discipulis antequam vinum consecraret. Secundò, quia significatio vnius formæ independens est ab alia; ergo & causalitas. Quare si alterius speciei consecratio omittatur, siue per obliuionem, vel ignorantiam vel malitiam, remanet prima consecrata, & consequenter non est necessaria vtriusque speciei consecratio. Ex quo colligitur de essentia Eucharistiæ solum esse consecrationem panis, vel vini disiunctiuè: consecrationem vero vtriusque speciei coniunctiue solum esse de integritate, & de præcepto, vt statim dicetur.

2 Dico secundò, præceptum est non solum humanum, sed diuinum, vt consecratio fiat sub vtraque specie simul, & coniunctiue: esse quidem præceptum patet ex *cap. comperimus*, *dist.* 2. vbi habetur non posse absque graui sacrilegio, diuidi mysterium. Accedit etiam vsus Ecclesiæ: & ratio, quia vtraque est de integritate sacrificij: quod sit etiam præceptum diuinum, tenet Sanctus Thomas *quæst.* 78. *articul.* 1. *&* 2. *&* 9. *quæst.* 80. *articul.* 12. Sotus *in* 4. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *articul.* 1. Suarez *disputat.* 43. *sect.* 3. Bonacina cum aliis *tom.* 1. *disputat.* 4. *quæst* 2 *punct.* 3. contra Nauarr. *capit.* 25. *num.* 91. & alios quos refert Suarez *supra*, nostra tamen verior & communior sententia colligitur aperte ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 1. vbi dicit, non conficientes, non teneri, sed conficientes teneri ad sumendam vtramque speciem, & clarius *sess.* 22. *initio*, dicit, Christum vtramque speciem obtulisse, & Apostolis præcepisse, vt offerrent: probatur etiam ratione, quia hoc Sacramentum non conficitur nisi in sacrificio, at sacrificium non potest esse integrum, & perfectum absque consecratione, & oblatione vtriusque speciei eo quod repræsentat Christi mortem, in qua separatus & effusus fuit sanguis è corpore; ergo consecratio vtriusque speciei est de iure diuino & de integritate substantiali sacrificij, vt patet vsu, traditione, & decretis. Concil. Tolet. VII *c.* 2. *&* 11. *can.* 14. *ex cap. illud*, *c. nihil* 7 *quæst.* 1. *& de cons. d.* 2. *per duodecim prima capita* Hinc patet, peccare grauissime eum, qui sub altera tantùm specie consecraret etiam si id faceret ad dandum infirmo viaticum. Villalob. 1. *part. tract.* 7. *diff.* 9. *n.* 3. quia præceptum communionis non est tantæ necessitatis, vt propter illud sacrificij integritas omittenda sit. Sequitur etiam, si Sacerdos finita consecratione intereat, perficiendum esse sacrificium ab alio Sacerdote, ne maneat imperfectum DD. citati, & omnes communiter, & dicetur infra capitibus sequentibus.

3 Dices, poterit ne Papa dispensare, vt fiat consecratio sub specie tantum panis. Angelus, Tabiena, & Henriquez *lib.* 8. *capit* 13. *numer.* 2. affirmant id posse non ob bonum priuatum, sed publicum, vt fecit Innocentius VIII. pro Noualtanis. Probabilior & communior est opposita sententia, quam tenent Syluest. *Eucharistia* 5. *numer.* 3. Sotus *in* 4. *distinct.* 9. *articul.* 1. *ad* 3. Suarez *disputat.* 43. *sect.* 4. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 4 *quæst.* 2. *part.* 3. *num.* 13. Ratio est, quia non potest Papa dispensare in iis quæ spectant ad substantiam Sacramentorum, qualis est consecratio vtriusque speciei; sequeretur etiam, posse dispensare Pontificem, vt Sacramentum conficiatur tantum sub specie vini quod non est admittendum Ad rationem Henriq. respondet Suar. *sup. sect.* 4. *concl.* 3. nunquam Papam dispensasse; conciliare tamen possumus has opiniones dicendo Papam non posse proprie, & in rigore dispensare, bene vero declarare, vel interpretari, ius diuinum in tali casu non obligare, vt etiam sentit Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c* 3. *n.* 66.

4 Ex dictis sequitur, non licere, nec ex dispensatione Pontificis, modo dicto, nec ex intentione celebrantis per se, & formaliter hoc Sacramentum dimidiare

dimidiare, conficiendo sub vna tantum specie, etiam ad se ipsum, vel alium infirmum communicandum, etiamsi ad id faciendum metu mortis cogeretur, quia rem intrinsecè malam faceret, vt tenet Suarez *sect.*4. *cit. conclus.*1. & Bonacin. *sup. n.*10. per accidens tameo potest fieri licitum, vt si Sacerdos consecrata hostia comperiat, vinum esse veneno infectum, nec habet copiam alterius vini; aut comperiat non esse vinum in calice, nec posset aliud inuenire, saltem sine magno scandalo, aut sine vitæ periculo: aut si Sacerdoti post consecrationem hostiæ immineat vitæ periculum, vt si hostes irruerent in Ecclesiam ante consecrationem calicis, posset statim, consumpta hostia fugere ad præcauendum vitæ periculum. Suarez *dict. sect.*4 Bonacina *sup. num* 8. vide etiam Villalobos *tom.*1. *tract.*7. *different.*9. *&* 10.

5 Sed dices, an Sacerdos teneatur iterum consecrare, quoties contingit, vt sub vna specie appareat caro vel sanguis Christi. S. Thom. *q.*82. *art.*4. *ad* 3. Henriquez *lib.*8. *c.*16. *n.*7. & cum alijs Bonacina *sup. n.*11. respondent negatiuè, quia cum hoc contingat Deo disponente, præsumitur Deus dispensare in præcepto consecrandi sub vtraque specie, debet tamen Sacerdos, si solus existat, sumere species, si sumptibiles sint, si autem adsint alij, & miraculum perseuerat conseruandæ sunt reuerenter ad deuotionem fidelium. Vide Henriquez *de Missa cap.*38. *n.*2.

Dub. V.

An materia consecranda debeat esse præsens sensibiliter, & à consecrante determinata.

1 Dico primò, materia consecranda debet esse præsens sensibiliter, ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 11. *quæst.*2. *art.*1. Soto *dist.*9. *quæst.*1. *articul.*2. Henriquez *lib.*8. *cap.*14. Bonac. *tom.*1. *disput.*4. *q* 7. *punct.* 6. *num.*2. & cum aliis Suar. *disp.*45. *sect.*5. Ratio est Christi institutio cum Ecclesiæ traditione, fundata in verbis formæ *hoc*, vel *hic*, quæ designant rem præsentem sensibus: & congrue quidem, quia consecratio fieri debet humano more: ideo requirit materiam determinatam, & præsentem. Sufficit autem, vt materia sit præsens morali, & humano more, vt omnes DD. testantur, & ex corollariis constabit: vnde non requiritur, vt sonus verborum attingat materiam consecrandam, aut vt materia manibus habeatur, aut vt à ministro tangi possit: sufficit namque, vt aliquo modo sit coram homine, ita vt digito, vel alio simili signo indicari possit modo vt non sit nimis distans etiamsi oculis videri possit. Quanta autem debeat esse hæc distantia, non potest certò definiri. Henriq. *vbi sup.* non incongrue dicit, esse per viginti passus: at id moraliter iudicatum esse, melius puto cum Filliuc *tom.*1. *tract.*4 *c.*2. *n.*68.

2 Hinc colligitur primò, valide consecrari vinum in calice cooperto contentum, aut dolio inclusum, aut hostias in pixide contentas, aut latentes sub aliis aut sub Corporali, aut mappa, vel etiam in Missali, modo existant coram Sacerdote, nam censetur materia hæc moraliter præsens, & demonstrabilis per pronomen, *hoc*, aut *hic* Bonacin. *sup. n.*4. & aliis cit.

3 Secundò, cæcus valide consecrat hostiam, quam coram se habet, modo tamen per tactum certificatus fuerit, ibi adesse: item valide consecrat quis, quam à tergo manibus tenet: secus si non teneat, nam tunc non censetur moraliter præsens. Suar. *d. sect.*5 & alij.

4 Tertiò, non potest consecrari hostia existens post parietem, nec intra tabernaculum clausa, nec distans per triginta passus, nam non potest demonstrari pronomine, *hoc*, sed, *illud*, & ita non est moraliter præsens. Quid si Sacerdos intendit duplicem materiam consecrare, vnam præsentem alteram absentem Bonac. *supr n* 8. asserit videri sibi materiam præsentem esse consecratam Nuñus autem 3. *p q* 74 *a.* 1. *diff* 3. id negat: existimo tamen dicendum cum Bonacin. modo tamen non determinet suam intentionem ad vtramq; materiam simul coniunctiuè, & per modũ vnius, sed habeat religiosam intentionem consecrandi, scilicet rem præsentem. A fortiori non tenet consecratio in materia, quæ non est realiter sed tãtum per operationem intellectus præsens. Nec si inchoata, forma adhuc non erat præsens; quia non demonstrata fuit pronomine, *hoc*, Henriq. vidẽdus *d c.*14 Bona. *d p.*6 *à n.*8.

5 Dico secundò, materia consecranda non solum debet esse præsens, sed necessario requiritur, quod sit determinata secundum intentionem consecrantis: ita citatis *in* 1. *concl.* & cum aliis Bonac. *vbi sup. puncto.*5. *n.*3. Ratio est, quia actio consecrandi est singularis, & practica: ergo debet esse rei cognitæ, & determinatę Sufficit tamen intentio, seu determinatio virtualis, vt si quis plures hostias consecrandas detulit ad altare & in actu consecrationis solum recordatur illius, omnes manent consecratæ, propter virtualem intentionem, quæ moraliter perseuerat. Filliuc. *tom.*7. *tract.*4. *c.*3. *n.*71. & cum aliis Bonacina, *supr. n.*6. Sic etiam si duas, vel tres hostias propter coniunctionem reputet vnam, omnes consecrat, ex virtuali intentione consecrandi, quidquid habet coram se nisi contrarium explicite intenderit. Nauarr. *c.*25. *n.*91. Filliuc. *sup.* & cum aliis Bonac. *sup n.*3. *in fin*

6 Dico secundò, intentio in confuso nihil efficit, vt si quis ex decem præsentibus, tantum intendat octo consecrare, non determinando illas, non enim est maior ratio vnius, quam alterius. Suarez *sup sect.* 6. Filliuc. *loc cit. n.*72. & Bonac. *loc. cit. n.*5. Idem dic de eo, qui intendit consecrare dimidiam in confuso, non determinando qualem illius partem, secus si dexteram, & non aliam intendat consecrare, etiamsi cum alia sit coniuncta, quia iam est materia determinata. Nec tenet consecratio, si ex decem hostiis, quas præsentes habet, solum intendit consecrare sex in confuso non determinando has vel illas, secus si dicat volo consecrare sex priores, scilicet superiores. Henriq. *lib.* 8. *c.*14. videndus cum Ledesma *in sum. c.*4. *de Euchar.*

6 Sequitur ex dictis, quando quis intendit consecrare decem hostias, si post consecrationem inueniat fuisse octo, aut duodecim, omnes esse consecratas, propter virtualem intentionem, qua intendere debet consecrare omnem materiam præsentem. Non tamen teneret consecratio, si sacrilege suam intentionem determinauit pręcise ad decem, excludendo alias nam non existentibus decem, deficit intentio. Valet tamen consecratio, quando quis afferens è sacristia hostiam ad illam consecrandam, si alius occultè aliam illius loco posuit; nisi præcise & irreligiose illam, & non aliam intenderit consecrare. Henriquez, & Ledesma *vbi sup.*

7 Sequitur secundò, non esse consecratas hostias quas quis, me non vidente, & omnino inscio, etiam in Corporali apposuit, nam non sunt determinatæ, cum voluntas non feratur in incognitum Bonacin. *tom.*1. *disput.*1 *quæst.*2 *punct.*5. *num.*8. cum Coninch 3. *part. quæst.*74. *articul.*1. *dub* 3. *num.*39. quidquid Nuñus *tom.*1. *in* 3. *part. quæst.*74 *artic.*2. *differ. vltim.* Nec tenet consecratio, quando quis ex decem hostiis, quas præsentes habet, intendit tantum consecrare quinque, quas potius designabit post consecrationem, quia sic antea non erant determinatæ, sed confusæ: imò nec tenebit, etiamsi ante consecrationem fiat à Petro determinatæ, nisi talis deter-

à Christo prolata, sed tantum Euangelistæ exprimunt per illa, quid Christus fecerit: minus, & à fortiori, totus Canon est de essentia formæ cum forma Sacramenti in illius verbis, non consistat, sed in supradictis, quia totus Canon non fuit à Christo recitatus, & quia Canon non fuit semper idem quoad omnia, cum auctus aliquando fuerit, & aliquando diminutus; nam illa verba: *pridie quam pateretur* non dicebantur tempore Apostolorum, vt patet ex multis Patribus, quos refert Suarez *disputat.* 58. *sect.* 3. Henriquez *cap.* 16. *num.* 8. Nec sunt essentialia illa verba: *Accipite, &c.* quia omittuntur à S. Luca, signum quod non pertinent ad essentiam. tum quia, vt recte S. Thom. ea solum significant, aliquid extrinsecum; nempe vsum, & distributionem. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 4. *n.* 105.

6 Sequitur secundò, illa verba subsequentia; *Quod pro vobis tradetur*, quæ adduntur in Euangelio non esse de essentia, vt Græci putant, nam sine illis Ecclesia Romana consecrat, & Matthæus, & Marcus illa non referunt: quare neque sunt de præcepto. Idem multo magis dicendum de aliis: *Hoc facite in meam commemorationem*: tum quia omittuntur ab Ecclesia, tum quia tantum significant potestatem & præceptum consecrandi. Filliuc. *vbi sup.*

7 Sequitur tertiò, particulam, *enim*, non esse essentialem: nam ex communi sententia tantum reddit causam verborum præcedentium; *accipite, & comedite, &c.* ad quod fuit apposita à B. Petro, nec Euangelistæ illius meminerunt, vt docet S. Thom, *quæst.* 78. *artic.* 2. *ad* 5. Bellarm. *de Eucharistia, lib.* 4. *cap.* 14. Suarez, Henriquez, & alij, apud Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 9. & quamvis illa particula dicta sit à Domino, tamen cum Euangelistæ, & Paulus illam omiserint, signum est, non esse de essentia, maxime cum illius omissio non variet sensum. Addunt Suarez *disp.* 59. *sect.* 1. Henriquez *cap.* 16. Coninch. 3. *part. q.* 68. *art.* 3. *num.* 72. & cum his Bonacin. *loco citato num.* 10. omittentem particulam, *enim*, absque contemptu non peccare grauiter, sed tantum venialiter, vt etiam existimat Filliucius *sup. num.* 105. & Diana *part.* 2 *tract.* 17. *resol.* 14 addit Cabrera *in* 3. *part. quæst.* 60. *art.* 8. *disput.* 2. *num.* 2. solum peccare venialiter, etiamsi omittat particulam, *enim*, ex contemptu dummodo contemptus sistat intra limites illius leuis materiæ, quia ait, contemptum diuinæ legis determinatum ad materiam peccati venialis, solum esse culpam venialem: verius tamen existimo, illam scienter omittentem, etiam præciso contemptu peccare mortaliter. Vt etiam tenet Ledesma *in sum. capit.* 5. *de Eucharistia concl.* 2. & communiter Thomistæ, quia videtur res grauis. In aliis autem præcedentibus verbis probabilis est sententia Soti *d.* 11. *quæst.* 1. *art* 8. etiamsi omittantur ex contemptu, esse veniale, quia vt etiam tenet Filliuc. *suprà*, contemptus materiæ leuis est, verba autem saltem seorsim sumpta, sunt materia leuis: oppositum existimo verius, quia in re tanti momenti non videtur id materia leuis, vt fusius dicemus infra de sacrificio Missæ.

8 Nota, quamuis totus Canon non sit necessarius necessitate Sacramenti, est tamen necessarius necessitate præcepti, nam spectat ad solennem ritum ab Ecclesia præscriptum, vt patet ex vsu Ecclesiæ quæ autem pertinent ad solemnem ritum necessaria sunt necessitate præcepti, vt diximus vbi de Sacramentis in genere *cap.* 3. *dub.* 4. vide Suarez *vbi sup.* quale autem peccatum sit, aliqua in Canone omittere, infra vbi de sacrificio Missæ.

9 Nota illa verba, quæ diximus esse formam consecrationis panis (idem de forma vini) non informate physice per realem vnionem, & compositionem cum materia sed moraliter, determinando scilicet materiam, ex Christi institutione ad talem rem significandam, & causandam, vt diximus de Sacramentis in genere *c.* 2. *dub.* 2.

10 Nota etiam, verba consecrationis non esse formam huius Sacramenti in facto, id est, dum habet esse permanens, sed in fieri, id est, dum conficitur Sacramentum, & efficitur, vt sit ibi Christus realiter, & substantialiter præsens, vt cum Gabriel Suarez *tom.* 3. *disput.* 42. *sect.* 2. Victoria, & alii tenet Villalobos *tom.* 1. *tract.* 7. *diff.* 11. *num.* 1. Ratio est quia hoc Sacramentum, prolatis, & finitis verbis, permanet, non autem verba. Ideo Florentinum in instructione Armenorum dixit, *Sacramenta nouæ legis tribus perficiuntur*: ac si diceret, tria concurrere ad Sacramenti confectionem; & infra de hoc Sacramento ait, *perficitur pane quasi materia, & verbis quasi forma, & ministro*; igitur sicut panis non est materia huius Sacramenti in facto esse, sed tantùm circa quam, consecrationis; ita similiter verba, quibus hoc Sacramentum conficitur, non debent esse forma Sacramenti in facto esse sed in fieri, seu ipsius consecrationis; est ergo forma in facto esse huius Sacramenti significatio specierũ qua significatur Christus in ipsis contentus, & gratia, quæ per Sacramentum datur, vt tenent Doctores citati. Nihilominus tamen probabile est, verbum etiam esse formam huius Sacramenti in facto esse, quia etsi non maneant physicè, manent tamen moraliter, & virtualiter in effectu à se producto, & quoad determinationem specierum ad talem significationem, & effectum; quod sufficere ad rationem formæ moralis, diximus *loco cit. de Sacram. in gen.* & significare videtur D. Thom. *in* 4. *dist. quæst.* 1. *art.* 1.

11 Quæres, an validè conficiatur Sacramentum, quàndo verba consecrationis variantur. Respondeo pondeo iuxta ea, quæ dixi *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 3. si mutatio sit substantialis, non confici Sacramentum; benè verò si tantùm sit accidentalis; peccabit tamen grauiter sic mutans, nisi forrè excusetur ob paruitatem materiæ, præciso contemptu, vt patet ex dictis, & docet latè Suarez *disp.* 59. *sect.* 2. *& disp.* 60. *sect.* 2. Henriq. *c.* 16. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 6. *& seqq.*

12 Hinc sequitur primò, validam esse consecrationem, si dicatur, *hic cibus est corpus meum*, vel *hæc res est corpus meum*, vel *istud est corpus meum*, vel *hic est est corpus meum*, modò particola, *hic*, non accipiatur aduerbialiter sed loco pronominis. Ratio est quia subsistit significatio substantialis, quamuis erretur contra grammaticæ præcepta. Henriq *d c.* 16. *n.* 2. & cum Suarez, & aliis Bonacina *sup. n.* 7.

13 Sequitur secundò, validum esse Sacramentum, si quis dicat, *hoc est caro mea*. Coninch *suprà numer.* 38. Henriquez *loc citat.* & cum alis Bonacina *sup. num.* 8. quia non fit mutatio essentialis, eo quod etiam in scriptura, *caro*, accipiatur, vel pro toto homine, vel pro toto corpore hominis, Ioann. 1. *& Verbum caro factum est*, id est, homo, & Psalm. *caro mea*, id est corpus *requiescet in spe*. Item valida est consecratio calicis, si quis dicat, *hic est calis, &c.* sumendo S, pro X; nam non mutat substantialem sensum formæ, quia secundùm intentionem proferentis, & communem modum percipiendi vox illa *calis* habet eandem significationem, quam *calix*; peccabit tamen hic tantùm venialiter, secluso scandalo, & contemptu, vt docet Prigian *in* 4 *sentent. part.* 2. *dist.* 3. *q.* 2. *articul.* 14. & cum eo Diana 2. *part. tractat.* 17. *resol.* 14. Sequitur tertiò, non confici Sacramentum his verbis *hoc corpus Christi*: tum quia

ſtantia formalitet. Filliuc. *ſup. n.* 114.

4 Es quibus ſequitur, in praxi conſecrantem non debere habere intentionem conſecrandi, vel cum ſolis primis verbis, quæ diximus eſſe de eſſentia, vel cum omnibus; nam vtrumque dubium eſt, ſed debet intendere conſecrare cum verbis, quæ Chriſtus inſtituit, & ſecundum intentionem Eccleſiæ: ſic enim nullo periculo ſe exponit, vt benè aduertit Gabriel *lect.* 53. *ſuper canonem*, & cum eo, & Scoto Filliuc. *ſup. n.* 115. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *diſp.* 4 *q* 3. *punct.* 2. *n.* 3.

5 Sequitur ſecundò, peccare grauiter, qui vtitur in conſecratione calicis his verbis: *hic eſt calix ſanguinis mei*, omiſſis aliis, *noui, &c.* quia facit contra præceptum, & ritum coſecrationis in re graui, & exponeret ſe periculo non conſectandi, cùm non ſit omnino certum, ſolis primis verbis confici conſecrationem, eo quod prior ſententia ſit probabilis, & in materia Sacramentorum eligenda eſt via certior, ne nos periculo exponamus inualide conficiendi Sacramenta, vt bene Henriquez *c.* 17 *n.* 2. & alij. Hoc autem præceptum non eſt diuinũ, ſed humanum, ſi enim diuinum eſſet, obligaret etiam Græcos, & conſequenter peccarent omittentes illa verba. Vide Henriq. *ſup.*

6 Sequitur tertiò, ſi finitis illis verbis: *hic eſt calix ſanguinis mei*, Sacerdos moriatur, calicem conſecratum adorandum eſſe ſub conditione, etiam ab authoribus prioris ſententiæ, alioquin exponerent ſe periculo irreuerentiæ contra Sacramentum, cum probabilius ſit, illa ſola verba eſſe de eſſentia formæ, & conſequenter illis finitis adeſſe ſanguinem Chriſti; at quia hoc non eſt omnino certum, ideo addendus eſt ſub conditione. Bonac. cum aliis *ſup. n.* 4.

7 Sequitur quartò, validam eſſe conſecrationem calicis, etſi ſupradicta verba mutētur, modò mutatio non ſit ſubſtantialis. ſic tenet conſecratio his verbis, Luc. 22. *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Item, ſi Sacerdos diceret: *Hic eſt ſanguis meus* S. Bonacina cum aliis *ſup. n.* 5. vide Henriq. *cap.* 13. *n.* 2. & Suarez *diſput.* 60. *ſect.* 2. *ad fin.* peccaret tamen grauiter, tum propter periculum, tum quia ageret contra Eccleſiæ conſuetudinem in re grauiſſima.

8 De ſignificatione verborum huius formæ late Suar. *diſp.* 60. *ſect.* 1. & breuius Fill. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 4.

DVB. III.

Quid deſignetur in forma per illa pronomina. hoc, & hic.

1 OMiſſis variis modis dicendi, ſolum referam duos probabiliores Primus modus illa pronomina ſignificare aliquid ſingulare, ſub conceptu tamen communi communitate prædicationis ad panem, vel vinum, & ad corpus Chriſti; ita vt horum ſignificatio ſit vaga, & indifferens ad panis ſubſtantiam, & ad Chriſti corpus, quorum vaga ſignificatio determinatur per attributum, *meum*, ad corpus Chriſti: ſenſus ergo eſt, *hoc*, id eſt, contentum ſub ſpeciebus, quodcumque illud ſit, eſt corpus meum. Ita ſentire videtur S. Thom. *queſt.* 78. *articul.* 5. & tenent Coninch. ibi *num.* 42. Henriquez *cap.* 19. *num.* 1. & alij, quos ſequitur Suarez *diſp.* 58. *ſect.* 2. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *diſp.* 4. *q* 3. *punct.* 4. *num.* 1. Fundamentum eſt, quia hic modus eſt valde aptus, & accommodatus ad exprimendam ſignificationem, & veritatem horum verborum, & conuerſionem, quæ per illa fit. Confirmatur, & declaratur, nam quando profertur pronomen, *hoc*, licet in principio prolationis reuera ſit ſubſtantia panis tamen ea non deſignatur, cum ſignificatio illius, pronominis ſit ſuſpenſa, donec addatur prædicatum, ſeu attributum, *corpus*; nam, vt Logici dicunt, talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis: ſignificat ergo pronomen, *hoc*, tantum contentum ſub ſpeciebus, quodcumque illud ſit; in fine tamen prolationis determinatur ratione prædicati, ad ſupponendum pro corpore Chriſti.

2 Secundus modus eſt, vt per illa verba deſignetur corpus Chriſti, non quidem prout in principio, vel medio prolationis eſt præſens; ſed prout in termino prolationis eſt præſens accidentibus panis, & vini: vnde hic erit ſenſus pronominis, *hoc*, in forma panis, hoc, quod ſignificatur præſens realiter his accidentibus, eſt *corpus meum*, vel, hoc, in quod conuertitur ſubſtantia panis, eſt *corpus meum*. Idem, proportione ſeruata, dicendum eſt in forma vini. Ita Gabr. Ricard. Marſ. Aug. & alij apud Suarez *diſput.* 58. *ſect.* 1. & videtur ſentire Bonacina *vbi ſuprà*, *num.* 1. *verſ. Hinc* vbi dicit pronomen, *hoc* ſignificare contentum ſub ſpeciebus, ſeu corpus Chriſti, non pro eo ſigno, & tempore quo profertur, ſed tanquam determinatur à prædicato, tanquam ſubiectum propoſitionis: & immmediate antea dixit; ſequitur illam particulam, *hoc*, ſignificare corpus Chriſti, & ſupponere pro corpore Chriſti, quod continetur ſub ſpeciebus: Ita vt ſenſus ſit, hoc quod continetur ſub ſpeciebus, eſt corpus Chriſti. Poteſt probari hic modus: quia in propoſitionibus practicis, & effectiuis, ſubiectum, ſi ſit pronomen demonſtratiuum, demonſtrat ipſum prædicatum, vt patet ſi quis deſcribendo circulum dicat, hic eſt circulus; vel ſi Deus creaturas, dixiſſet, hic eſt mundus: verba autem conſecrationis ſunt effectiua; ergo, &c. Nec inde ſequitur, propoſitionem eſſe identicam: nam in ſubiecto confuſe tantum ſignificatur, quod ſub prædicato diſtinctè exprimitur, vt accidit in duabus propoſitionibus aſſignatis. Vide Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 495.

3 Es dictis ſequitur, per pronomina. *hoc*, vel *hic*, neque ſubſtantiam panis, vel vini, nec animam Chriſti deſignari; quia de iis non poteſt verificari prædicatum in iis propoſitionibus, *hoc eſt corpus meum*, vel *hic ſanguis*, nam neque ſubſtantia panis, nec anima eſt corpus Chriſti, vel ſanguis: at illud debet deſignari, de quo verificatur prædicatum: ergo ſupereſt, vt deſignetur tertium, nempe corpus Chriſti, per hæc, *hoc eſt corpus meum*, vel *ſanguis*, pronomine, hic, Filliuc. *vbi ſup. num.* 101. quod tanquam certum ſupponit, & bene, Villalobos *tom.* 1. *tract.* 7. *diff.* 14. *n* 1.

4 Sequitur ſecundò, verba conſecrationis eſſe vera practicè, & ſpeculatiuè, practicè, quia reuera efficiunt quod ſignificant, videlicet corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, ſpeculatiuè, quia ſuppoſita Chriſti exiſtentia cauſata per ipſa verba, vera, & conformis eſt oratio intellectus rei ſignificatæ per verba, ſcilicet Chriſti præſentis, & exiſtentis. Vnde veritas practica, ſeu formæ cauſalitas, & efficientia prioritate naturæ præcedit veritatem ſpeculatiuam; nam prius natura eſt, Chriſtum eſſe præſentem ſpeciebus, quam orationem eſſe Chriſto exiſtenti conformem, ſunt tamen ſimul in eodem inſtanti reali, in quo idem eſt verba ſignificare, efficere, & eſſe vera. Ita ſentire videtur D. Thom. *q.* 78. *art.* 5. *ad* 3. Filliucius. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 100. & alij cum Suarez *diſp.* 58. *ſect.* 6.

5 Dices, quando dicantur vera verba, conſecrationis hoc eſt, in quo inſtanti erit verum dicere, corpus Chriſti effici, & eſſe præſens ſub ſpeciebus, Huic dubio ſatisfactum eſt *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 1. *n.*... Reſpondeo

breuiter,in illo instanti,io qoo verum est dicere,iam verba consecrationis fuot prolata,& figoificatio verborum completa. De quo late Suarez *suprà,disp.*58. *sect.*5.vide dictum dubium,vbi diximus,verba consecrationis producere,& causare suum effectum physice,& moraliter,sicut alia Sacramenta.

C A P. IV.

De effectibus mirabilibus formæ, seu de continentia corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento.

D v b. I.

Quid fiat per formam consecrationis.

1 Dico primò, verba consecrationi foa vi tanquam instrumentum consiciunt hoc Sacramentum Hoc est certum apud Catholicos,constat ex capite antec. denti, ex his,quæ diximus de effectu Sacramentorum in genere: illis enim probatis infallibiliter fit hic effectus, & quasi applicatur virtus diuina ad illud efficiendum, & hoc est esse instrumentum physicum, tum motale, vt dictum est de Sacramentis in genere.

2 Dico secundò, corpus,& sanguis Christi vere,& substantialiter continetur sub speciebus consecratis panis,& vini. Ita tenent omnes Catholici, comprobat vniuersalis Ecclesiæ consensus,& traditio, & est tanquam de fide definitum in Trid.*sess.*13. *cap.*1. *& Can.*1. de quo late Bellar. *toto lib.*1. *de Euchar.* & Suar. *disp.*46.*sect.*1.2.*&* 3. Hoc enim apertè indicant verba Christi, *hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, &c.*quæ non possunt aliter explicari,nisi dicamus sub speciebus panis, & vini existere Christum verum Deum, & hominem. Et confirmatur, quia in hoc Sacramēto debet esse illud corpus,quod pro nobis traditum fuit, vt constat ex verbis consecrationis, vt in Canone habetur ; sed corpus, quod pro vobis traditum fuit,est verum Christi corpus;ergo in hoc Sacramento debet esse verum corpus Christi,sicut est verè,realiter,ac substantialiter,prout definitum est à Trid.*vbi sup.*& habetur *c. Berengarius de cons.dist.*2.vide Bonac.*tom.*1. *disp.*4.*q.*3. *punct.*5.*n.*1.

3 Potest probari ex cōgruentiis, quarum præcipua est, quia pertinebat ad diuinam bonitatem omnibus modis se communicare ; ad sapientiam, facere summam suorum mirabilium : ad omnipotentiam, opus facere,quod esset aliorum operum confirmatio : ad diuinam liberalitatem, & misericordiam, vt Christo iungeremur realiter, tanquam fonti, vnde cætera haurire possemus. Denique id erat aptissimum medium ad perfectionem omnium virtutum. Primò,ad gratiam : secundò, ad Fidem : tertiò ad spem:quartò ad charitatem, tam erga Deum, quàm proximum: quintò, ad religionem: sextò ad virtutem moralem, vt latè prosequitur Suarez *sup sect.*7.

4 Dico tertiò, substantia panis, & vini nullo modo maner in hoc Sacramento, est de fide in Lateran. & habetur *cap. firmiter de sum. Trinit.*& Trid.*sess.*13. *cap.*4. *Can.*2. & fundatur in Christi verbis, *hoc est corpus meum*; nam si maneret substantia panis, non posset dici,hoc in manibus meis est,est corpus Christi, sed tantùm hic, id est,in hoc loco. Communis apud Suarez *disp.*49. *sect.*1.& Bonacin. *tom.*1. *disp.*4. *quæst.*3. *punct.*6. §.2. & infra magis constabit. Ex quo patet primò, non manere materiam panis,quia Trid. *loco citat.* dicit, totam substantiam panis conuerti;materia autem est substantia;tū quia dicit manere accidentia, materia autem non est accidens: quare Durand. *dist.*11. *q.*3. secundùm Paulum, Sotum, & Caietan. errauit in fide. Filliucius *tom.*1. *tract.*4. *cap.*5. *num.*113. Patet secundò, nec manere subsistentiam, aut existentiam aut eamdem numero entitatem, quæ fuit panis,tum quia fuot idem re cum substantia panis ; ergo illa non manente,neque ipsa manere possunt; tum quia manent tantum accidentia, at illa foot substantiæ, cùm sint modi substantiales. Filliuc. *sup. loco citat.* remanent ergo solùm panis, & vini accidentia,vt tenet Catholica Ecclesia,modo, quo infra dicemus.

Contra hanc conclusionem obiiciunt hæretici, Eucharistiam in sacra Scriptura appellari panem iuxta illud : *Panis, quem ego dabo, caro mea est : Hic est panis, qui de cœlo descendit.* & Matth. 26. *Non bibam à modò de hoc genimine vitis* Respondeo hoc Sacramentum appellari panem, non quia reuera sit panis, sed quia antea fuit panis (idem de vino) & modò conuersus est in corpus Christi, sicut in Scriptura serpens, qui conuersus fuit in virgam, appellatur virga, & homo, qui ex terra creatus est,dicitur terra,Gen.8.Hoc etiam modo intelligendi sunt sancti Patres, qui hoc Sacramētū appellant panem ,dicentes panem esse in sacra mensa, & corpus Christi dari nobis in pane,aut cum pane, aut sub pane. Vide Villalob *tom.* 1.*tract.*7.*diff.*16.& Bonacin.*tom.*1.*disp.*4.*q.*3.*punct.*6.§.2.*num.*2.

5 Dico quartò ; Christus sit præsens in Eucharistia, seu constituitur sub speciebus per veram conuersionem substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; quæ conuersio ab Ecclesia transubstantiatio appellatur : est de fide ex Concil. Florent. & Trident *sess.*13. *capit.*4.*& Can.*2. Ideo persuasum semper in Ecclesia fuit (ait Trid. *cap.*4.) idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiā corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius, quæ conuersio conuenienter, & proptie à sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata. Vide Suarez *disp.*50. *sect.*1. Coninch.*q.*75.*art.*2.*n.*49. & cum aliis Bonac.*tom.*1. *disp.*4.*q.*6.*punct.*6.§.2.*num.*1. Constat etiam hæc veritas ex traditione,ex Patribus, quos vide apud Suarez *dict.sect.*1. & fundatur, in eo, quia ad veritatem verborum Christi, necesse est,vt panis desierit, & vice illius successerit corpus Christi: hoc autem fieri non potest, nisi quia panis conuertatur io eius corpus,vt ex dicendis patebit.

6 Ad intelligentiam huius conclusionis nota, ad veram conuersionem quatuor requiri. Primò, vt id, quod conuertitur, desinat esse simpliciter ; vt cùm aqua conuertitur io vinum, aqua desinat esse ; sic quando quis ex albo fit niger, non dicitur conuerti in nigrum, quia non desinit substantia ; pari ratione suscipiendo Verbum diuinum carnem humanam, non dicitur conuersum in humanam naturam, quia per humanæ carnis assumptionē non desit esse Verbum ; ideoque quando Christus desinit esse sub speciebus, non dicitur io aliud conuerti quia non desinit esse simpliciter. Secundò,vt aliquid succedat in locum eius,quod esse desinit, vt in exemplo allato de aqua, & vino, nam vinum successit in aquæ locum, per quod differt conuersio ab annihilatione, quia hæc terminatur ad nihil. Tertiò, vt sit quædam connexio inter hæc duo, id est vt ideo vnum incipiat esse, quia aliud desinit. Quartò, vt tam res,

quæ

quæ relinquit esse, quam ea, quæ accessit, sint aliquid teale, & positiuum, vt aqua, quæ amisit esse, & vinum, quod accepit, sunt aliquid positiuum. Quæ omnia reperiuntur in casu nostro; primò enim substantia panis, & vini desinit esse. Secundò, eorum loco succedit corpus, & sanguis Christi. Tertiò, ideò hæc succedunt, quia illa esse desinunt. Quartò, tam illa, quàm hæc, sunt quid teale, & positiuum. Ex quibus constat, conuersionem panis in corpus esse perfectissimam, & ab aliis omnibus distinctam, tum quia in aliis supernaturalibus, probabile est, sub vtroque termino mansisse eandem materiam primam, vt in aqua, & vino eadem materia; tum quia accidentia mutata sunt, hîc neque prima materia manet, neque vllum accidens perit. Constat etiam, Concilia, & Ecclesiam congruentissimè dixisse, hanc conuersionem esse transubstantiationem; nam tota substantia in totam conuertitur, quod est proprium conuersionis: cùm ergo habeat rationem à cæteris conuersionibus distinctam, habebit etiam diuersam vocem. Cætera enim nomina sunt communia aliis conuersionibus, hoc est proprium huius, & explicat specificam rationem huius conuersionis; nam transubstantiatio est conuersio, seu transitus totius vnius substantiæ in aliam; quod propriissimè repetitur in hac admirabili conuersione, in qua tota substantia panis, & vini conuertitur, & transit in corpus, & sanguinem Christi. Vide Bonacinam *tom.*1. *disp.*4. *quæst.*3. *punct.*6. §.5. & 2. & Filliucius *tom.*5. *tract.*4. *cap.*5. *q.*2.

7 Ex dictis sequitur, hanc conuersionem non esse annihilationem, vt docet S.Thom. 3.*part. quæst.*75. *art.*3. omnes eius discipuli, & Doctores communiter; nam terminus ad quem annihilationis est merum nihil, absque eo quòd aliquid succedat illi, sicut terminus à quo creationis est etiam nihil, at terminus ad quem huius conuersionis non est nihil, sed est ipse Christus, prout sit præsens speciebus sacramentalibus, modo vt infra: & ex alio capite panis substantia non desinit esse, nisi eo quod conuertatur in corpus Christi; igitur cùm tam terminus à quo, qui est panis, & ad quem, qui est corpus Christi illi succedens, sint quid positiuum, vt supra dictum est, fit inde hanc conuersionem non posse vocari annihilationem, sed propriè transubstantiationem; taliter quòd Sotus *in* 4. *dist.*9. *q.* 2. *art.*4. existimet erroneum, eam appellare annihilationem; at etsi id minùs probabiliter afferat, si tamen fideliter confiteretur, totam hanc conuersionem esse propriè transubstantiationem, nihilque panis substantiæ remanere, non erraret in fide, si diceret esse panis decisionem annihilationem, si pro annihilatione sumeret substantiæ decisionem, siue ei aliquid succedat, siue non vt tenet Villalob. *tom.*1. *tract.*7. *differ.* 17. *num.*4, cum Suarez *disp.*50. *sect.*7.

8 Sequitur secundò, transubstantiationem, seu conuersionem esse actionem accidentalem, vel illam includere. Ratio est, quia id, quo aliquod ponitur, est actio, vel illam includit; sed conuersio est id, quo ponitur Christus sub speciebus, sub quibus antea non existebat; ergo est actio, vel illam includit. Henriquez *lib.*8. *cap.*22. *num.*1. Bonacina *tom.*1. *disputat.*1. *quæst.*3. *punct.*6. §.2. *num.*3. Est autem hæc actio non solùm adductiua, sed etiam productiua, id est, non solùm facit, quòd corpus Christi sit præsens speciebus, verùm etiam producit aliquem modum accidentalem; quo Christus habeus iam suum esse substantiale vnitur per modum contenti sub speciebus, sicut antea substantia panis sub illis continebatur. Bonacina *suprà num.* 4. cum Henriquez *cap.*23. Coninch 3. *part. quæst.*75. *art.*4. *dub.*5. *numero* 152. & aliis. Est enim tantæ efficaciæ huiusmodi actio, & conuersio, & ita attingit substantiam corporis, & sanguinis Christi, vt dicant multi Theologi eam productum iri, si non esset iam producta, & existens, cùm sit sufficiens ad producendum terminum, si aliter non esset; quia verò de facto iam est Christus existens in se, solùm efficit hæc actio, vt sit præsens speciebus sub certo modo, de quo *dub.*4. sed de hoc Suarez *disp.*50. *sect.*4. vide Filliucium *tom.*5. *tract.* 4. *cap.*5. *num.* 127. qui *num.*128. dicit, hanc diuinam actionem efficientem conuersionem, partim recipi in pane, sicut in subiecto, partim in corpore Christi, quod producitur sub speciebus, modo explicato, & addit: producitor autem, sed sit hæc actio productiua per prolationem verborum consecrationis, quæ ad illam producendam instrumentaliter concurrunt; nam Sacerdos concurrit ministerialiter ad conficiendum Christi Sacramentum; cùm autem concurrat per prolationem verborum, sequitur, prolationem verborum instrumentaliter concurrere ad actionem productiuam, & ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum. Quid autem sit hæc præsentia sacramentalis, infrà dub.4.

D V B. II.

An in hoc Sacramento sint præsentia omnia, quæ Christus in se continet.

1 Dico primò, in hoc Sacramento est præsens tota Christi substantia, seu Christus verus, Deus, & homo: totus quoad eius substantiam existit sub qualibet specie. Est de fide ex Ioann.6. *Ego sum panis viuus, qui manducat me, viuet propter me.* Definita etiam est in Concilio Constan.*sess.*13. Florent. loco sæpè citato. Trident. *sess.* 13. *Can.*1. & 3. & habetur *cap qui manducat. cap. singuli cap. vbi pars, & aliis de consec. distinct.*2. Ratio est, quia, vt supra dictum est *dub.*1. in hoc Sacramento verè, & realiter continetur Christi corpus; at corpus Christi est perfectum, & ornatum; ergo, &c. & cùm Christus dicat secundùm substantiam humanitatem, & diuinitatem, hinc fit, vt sub qualibet specie sint partes essentiales Christi humanitati vnitæ, id est, corpus, anima, & diuinitas, & sanguis, & prætetea omnes integrantes vnà cum capillis, & barba. Vide Henriquez *lib.*8. *cap.* 27. Coninch *q.*75. *n.*49. Bellarmin. *lib.*3. *de Eucharist.cap.*22. Filliuc. *tom.*1. *tract.*4. *cap.*5 *num.*130. & cum aliis Bonacin. *tom.*1. *disp* 4. *quæst.*3. *punct.*4. *num.*2.

2 Dico secundò, totum Christi corpus non solùm est præsens quod substantiam, sed etiam quoad quantitatem, quam habet in cœlo. Communis cum S. Thom. *quæst.*76. *art.*4. apud Suarez *disput.*51 *sect.*1. Ratio est, quia in hoc Sacramento est Christi corpus quod pro nobis traditum fuit, & quale est in cœlo, sed hoc est verè organicum, & habens partium distinctionem; ergo continetur in Sacramento, etiam quoad quantitatem, vnde sententia Durandi *dist.*10. *quæst.*2. asserentem, esse probabile, tantùm Christi substantiam, nimirum materiam animæ informatam sine quantitate, contineri in hoc Sacramento, saltem temeraria, & absurda censetur, quia

3 Dico tertiò, quantitas corporis Christi in hoc Sacramento existit per modum substantiæ: pro quo aduerte, quantitatem habere duplicem extensionem, seu modum: prior extensio est intrinseca, sine qua intelligi non potest, & est ordo partium in ordine ad totum, & inter se, ratione cuius totum quantitatiuum habet partes extra partes, ita vt vna pars non sit alia, vt in homine manus non est pes, nec

caput. Posterior extensio est extrinseca, quæ à priori separari potest, saltem per diuinam potentiam, & est extensio, & ordo partium locati in ordine ad locum, ratione cuius vna pars quanti est in distincto loco ab alia, sic manus non est in loco vbi est pes, aut caput, &c. In hoc Sacramento Christi corpus est extensum in ordine ad se priori modo, non vero in ordine ad locum, hoc est, caput non est manus, nec pes; at vbi est caput, ibi est manus, & pes, &c. ob idque dicitur totus Christus in tota hostia, & totus in qualibet parte illius, vt infra patebit. Est igitur in hoc Sacramento Christus diuisibiliter tantùm in ordine ad se, indiuisibiliter verò in ordine ad locum, consequenter in ordine ad locum erit per modum substantiæ, quia ideo est hîc quantitas, quia est substantia corporis Christi, cui extra Sacramentum naturaliter quantitas iungitur, ergo etiam sequetur modum existendi substantiæ. Hæc sententia sic explicata est omnium Theologorum. Vide Henriquez *lib.8. cap.25. num.2. & cap.27.* Filliucius *sup. quæst.3. num.132.* & cum aliis Bonacina *tom.1. disp.4. quæst.3. punct.5. num.1.*

4 Dico quartò, Christus Dominus, facta diuisione specierum, continetur totus sub earum qualibet particula. Est de fide definitum à Trid. *sess.13. Can.3.* dicente: *Sub singulis cuiuscumque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri.* quia Christus post fractionem, & separationem specierum non desinit ibi esse; aliter enim Sacerdos nunquam sumeret Christi corpus, quia semper sumit post fractionem specierum in partes tres. Certum etiam est, totum Christum esse in tota hostia ante eius diuisionem, & totum in qualibet parte hostiæ etiam in illis partibus minoribus minimis, in quibus facta diuisione non conseruaretur modo dicto *dub.1. numer.1.* Probatur primò, ex Trident. *cap.3.* totus Christus est sub qualibet ipsius speciei parte, totus sub specie vini, & sub eius partibus, *& cap. vbi pars, de consecrat. distinct.2.* idem habetur. Secundò, quia post diuisionem est Christus in singulis partibus; ergo iam antea erat: nam sola diuisio non mutat consecrationem, non constituit corpus. Tertiò, quia Christi præsentia in Sacramento est indiuisibilis, id est, vbi est pars ipsius Christi; ibi est totus Christus: ideo dicitur à Theologis, Christum existere in Sacramento per modum substantiæ; non quidem, vt modus existendi, seu præsentia in Sacramento sit substantialis, nam vt dicemus, est accidens, sed quia existit modo indiuisibili, eo modo quo substantia, id est, totus in toto, & totus in qualibet parte; sicut Angelus dicitur esse in loco per modum substantiæ, quia est totus in toto, & totus in qualibet parte, sicut substantia, non autem per modum substantialem, quia est in loco per vbi intrinsecum, quod est accidens. Vide S. Thom. *dist.10. quæst.1. art.3. & 3. part. quæst.76. art.4.* Filliuc. *tom.1. tract.4. cap.5. quæst.5.* & cum aliis Bonacina *tom.1. disp.4. quæst.3. punct 5. num.5.* & Henriquez *lib.8. cap 25. num 2. & cap.27.*

5 Dubitant tamen DD. an Christus existat totus in punctis, & indiuisibilibus hostiæ. Respondeo affirmatiuè cum Soto *in 4. dist.40 quæst 4. art.9.* nam Christus Dominus præsens est speciebus continuè, sed non potest dici præsens modo continuo, nisi sit etiam præsens indiuisibilibus hostiæ; ergo dicendum est, esse illis intimè præsentem. Declaratur, nam duratio Angelica non diceretur intimè præsens alteri durationi temporali, nisi illius indiuisibilibus intimè esset præsens, sic in proposito. At etsi Christus Dominus sit intimè præsens indiuisibilibus hostiæ, non tamen primo, & per se; nam sic tantum est præsens quantitati, & ratione huius, secundario, & per quandam consecutionem, est præsens intrinsecè indiuisibilibus quantitatis. Nec obstat tantam molem esse in puncto; non vt dictum est, Christus est præsens modo indiuisibili. At qui existimant in continuo non dari indiuisibilia copulantia, vt est Magister meus Pla. *in sua Logica cap. de quantit. & 6. Physicor.* facilè se possunt ab hoc dubio expedire; tenendum tamen censeo cum communi, & dicendum modo quo explicatum est.

Dub. III.

Quænam ex vi verborum, & quænam per concomitantiam contineantur in hoc Sacramento.

1 Certum est ex D. Thom. *q.76. art.1.* & Trident *sess.13. cap.3.* in hoc Sacramento aliquid contineri ex vi verborum; aliquid verò per concomitantiam. Illud autem dicitur contineri, & poni in hoc Sacramento ex vi verborum, quod præcisè necessarium est ad veritatem verborum demonstrandam, seu quod præcisè, & primario per verba significatur, & in quod substantia præexistens primario conuertitur. Illud verò poni per concomitantiam, seu connexionem, quod à parte rei habet realem vnionem cum eo, quod primario & præcisè per verba significatur, & est terminus primarius conuersionis. Ita communiter DD. cum S. Thom. *vbi suprà.*

2 Dico primò, ex vi verborum formæ panis ponitur Christi corpus, cætera per concomitantiam, est de fide, ex Trident. *sess.13. cap.3. & Can.1 & 3.* & communis Catholicorum, ex Suarez *disp.51. sect.3.* Ratio est, quia illud ponitur ex vi verborum quod primo per verba significatur, & in quod substantia præexistens conuertitur, sed per verba consecrationis corporis primario significatur corpus Christi, in quo substantia panis præexistens conuertitur; ergo ex vi verborum ponitur corpus Christi sub speciebus. Quod autem cætera sint per concomitantiam patet: quia vt probatum est *dub. præced.* totus Christus est in hoc Sacramento; at ex vi verborum in speciebus panis tantum est corpus Christi: ergo cætera erunt per concomitantiam. Nomine autem corporis intelligitur corpus compositum ex materia, & forma substantiali dante esse corporeum aptum ad recipiendam animam rationalem abstrahens à viuo, vel mortuo. Ita Caiet. cum S. Thom. *quæst 75. art.6. ad 2.* & communiter DD. etenim in consecratione nulla fit mentio viui, vel mortui, sed de corpore tantum, præscindendo à viuo, vel mortuo: vnde sicut dixit Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* poterat dicere: *quod sepelietur, & resurget.* Sic sancti Patres asserunt illud corpus esse in Eucharistia, quod natum est ex Virgine, pependit in Cruce, & gloriosum resurrexit. Continetur ex vi verborum illud corpus, quod communiter appellatur corpus constans partibus heterogeneis, seu diuersæ rationis vt carne, ossibus, neruis, brachiis, pedibus, &c. siue sit mortuum, siue viuum, organizatum organizatione substantiali apta ad recipiendam quantitatem, ita vt in eo non possit recipi, nisi forma hominis, vel cadaueris. Et confirmatur; quia si Apostoli in triduo mortis Christi consecrassent, non fuisset corpus Christi viuum sub speciebus, sed mortuum; ergo verba abstrahunt à corpore Christi viuo, vel mortuo: vnde illo tunc non fuisset anima in corpore, quia ab eo per mortem erat separata, fuisset tamen diuinitas, quia hæc nunquam separata fuit,

fuit. Vide Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4 *cap.* 5. *num.* 133. & Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 3. *punct.* 5. *num.* 11.

3 Ex hac conclusione sequitur primò, animam rationalem, si sumatur secundum gradum corporeitatis, prout tantum dat esse corporeum, contineri ex vi verborum, nam ex vi verborum continetur corpus humanum indifferens ad viuum, & mortuum; si verò sumatur, vt rationalis est, continetur per concomitantiam; quia est intimè vnita corpori Christi: & ex alio capite præsentia Christi in Sacramento supponit ipsius Christi præsentiam in propria specie; at sic est corpus informatum anima rationali; ergo, &c. Non verò continetur anima rationalis, vt sic ex vi verborum, eo quod præcisè non significetur per verba; quæ, vt diximus, supponunt pro corpore abstrahente à viuo, & mortuo. Similiter quantitas Christi, & alia accidentia sunt in hoc Sacramento per realem concomitantiam; quia sunt naturaliter vnita corpori Christi, quod significatur ex vi verborum, S. Thom. *quæst.* 75. *art.* 2. *ad* 4. & eius discipuli. Vide Ledesmam *in summ. cap.* 4. *de Eucharistia* verba enim præcisè ad solam substantiam terminantur: tùm etiam, quia conuersio fit substantiæ in substantiam, & non in accidentia, ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 4. Quòd si dicas, in hoc Sacramento contineri ex vi verborum corpus organizatum; sed organizatio est à quantitate; ergo. Respondeo, organizationem; aliam esse substantialem, quæ est ipsa substantia corporea materialis apta ad recipiendam quantitatem, per quod distinguitur à substantia spirituali, & hæc organizatio est, quæ continetur ex vi verborum: aliam verò esse quantitatiuam, ratione cuius substantia habet partes extra partes, & hæc est, quæ non ex vi verborum, sed per concomitantiam continetur.

4 Sequitur secundò, diuinitatem non contineri ex vi verborum, nam non significatur formaliter per verba: *Hoc est corpus meum*, nec per hæc: *Hic est sanguis*, &c. S. Thom. 3. *p. q.* 76. *art.* 1. continetur verò per concomitantiam, nam est vnita hypostaticè, seu personaliter humanitati. Similiter sanguis non continetur in corpore ex vi verborum: quia non significatur per *illa*, sed per concomitantiam naturalem, eo quod naturaliter vnitus sit corpori viuo, quale est corpus Christi, quod continetur in Sacramento. Idem dic de aliis tribus humoribus. Sanct. Thom. *sup. q.* 76. *art.* 1. Tres personæ non continentur ex vi verborum, vt de se patet, nec propriè per sacramentalem concomitantiam, nam non sunt Pater, & Spiritus Sanctus vniti hypostaticè humanitati, sicut est verbum: ponuntur tamen, & sunt in hoc Sacramento per naturalem concomitantiam; quia idem numero Deus cum Filio, at vbi est Deus, ibi sunt tres diuinæ personæ, Ita Ledesma *in summ. cap.* 4. *de Eucharist. conclus.* 2. *dub.* 2. & 3. cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 3. *part.* 5. *n.* 14. & 15. Vide Henriq. *cap* 26. *num.* 2. & 3. & Coninch *q.* 76. *art.* 2. *num.* 30.

5 Sequitur tertiò, quod si fieret consecratio in triduo mortis Christi, postquam eius latus lancea aperuit, & exiuit sanguis, & aqua, sub speciebus panis tantum contineri corpus exangue, & sub speciebus vini, tantum contineri sanguinem sine corpore; nam secundum veriorem opinionem, Christus totum sanguinem effudit, & corpus remansit separatum à sanguine; at existentia sacramentalis supponit existentiam Christi in propria specie, sed tunc corpus Christi erat exangue; ergo S. Thom. *q.* 76. *art.* 2. Si verò antequam aperiretur latus, in corpore esset sanguis per concomitantiam, & in sanguine corpus; quia hæc erant inter se realiter vnita. Ita Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 4. *punct.* 2. Coninch *q.* 76. *art.* 1. *num.* 5. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 1. & cum aliis Bonacina *suprà num.* 11.

6 Dico secundò, sub speciebus vini ex vi verborum tantum ponitur sanguis Christi, vt patet ex Trid. supra cit. quia per verba primario significatur sanguis Christi, & in ipsum conuertitur vinum, cætera verò, quæ sunt coniuncta cum sanguine, vt corpus, anima, & diuinitas continentur in calice per concomitantiam propter vnionem, quam habent cum sanguine, ea verò quæ nullam habent vnionem cum Christi corpore, vt saliua oris, aut quod in excrementa naturæ, per nutritionem defluxit, non sunt in hoc Sacramento. Ita Bonacina *num.* 13. DD. citati, & alij communiter.

7 Aduerte tamen, corpus Christi, quod de facto ponitur sub speciebus ex vi verborum, esse corpus Christi viuum informatum anima cum sanguine, & humoribus, & cæteris partibus, non solum spectantibus ad substantiam, sed etiam ad ornatum vt sunt vngues, capilli, &c. imò, & aër quo solet homo respirare, quia hic videtur spectare ad complementum corporis humani, vt innuit S. Thom. *quæst.* 76. *art.* 1. *ad* 3. Coninch ibi, Henriquez *cap.* 26. *num.* 1. & cum his Bonacina *dict. punct.* 5. *num.* 12. & cum Christi corpus sit hypostaticè vnitum diuinitati, & vbi est Deus ibi reperiantur tres personæ; hinc fit sub speciebus panis de facto reperiri totam Trinitatem. Similiter de facto sub speciebus panis ponitur sanguis corpori vnitus, consequenter ponitur, & est sub sanguinis speciebus corpus Christi cum omnibus recensitis, vt omnes Catholici confitentur, & patet ex dictis.

Dub. IV.

Quinam, vel quid sit præsentia Christi sub speciebus consecratis.

1 Dico primò, certum est, & commune, hanc præsentiam esse quid reale realiter in rerum natura existens: colligitur apertè ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. *Can.* 6. vbi definitum est, Christum Dominum verè, & realiter esse in hoc Sacramento. Igitur si Christus verè, & realiter est in hoc Sacramento; ergo per aliquid reale. Ex quo fit, non esse ibi per solam denominationem extrinsecam; nam virtute istius denominationis non est maior ratio, cur sit in Sacramento, quam in lapide, eo quod denominatio extrinseca nihil ponat in re denominata, vt contingit in pariete viso: erit ergo hæc præsentia aliquid reale, saltem ex natura rei distinctum à substãtia corporis Christi, & ab omnibus accidentibus, quæ habet in cœlo, quia acquiritur per nouam actionem realem, & potest adesse, & abesse à corpore Christi. Quod si dicas per consecrationem corpus Christi mutari, respondeo, mutari quidem, non mutatione qua aliquid deperdat, sed qua aliquid acquirat. Ita Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 128. vbi dicit, quando autem S. Thom. & aliqui dicant, corpus Christi incipere esse non per sui mutationem, explicandum est de mutatione deperditiua; qua nimirum aliquid amittat, quod antea haberet, non autem de quacumque, qua videlicet acquirat esse sacramentale, quod antea non habebat, ex quo sequitur acquirere nouam relationem præsentiæ. Hæc ille.

2 Dico secundò, præsentia corporis Christi sub speciebus non est modus substantialis, sed accidentalis. S. Thom. *in* 4. *dist.* 10. *art.* 3. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 6. §. 1. *num.* 4. Filliuc. *vbi sup.*

&

& alij. Probatur prior pars, nam hic modus non pertinet ad compositionem, & complementum substantiæ Christi, eo quod supponat illam perfectam, & completam, licet non præsentem, solum enim hic modus facit Christum præsentem. Quando verò Doctores dicunt Christum esse in Sacramento per modum substantiæ, intelligendum est, non per modum qui sit substantia, sed eo modo quo substantia existit, scilicet tota in toto, & tota in qualibet parte, quo modo Christum existere sub speciebus diximus *dub. 2.* Igitur cum hic modus sit quid reale, & non sit substantia, restat esse accidens eum omne ens, aut sit substantia, aut accidens, ex quo manet probata posterior pars.

3 Dico tertiò, hic modus secundum Fillíucium *num.* 28. *citat.* reducitur ad relationem: at non est propriè, & verè relatio, nam si Deus corrumperet species, posset conseruare corpus Christi immutatum cum eadem præsentia intrinseca, cum eadem propinquitate, & distantia ad omnes mundi partes, quam antea habebat; ergo hæc præsentia non est relatio ad species, cùm corruptis speciebus manere possit, at relatio non manet corrupto correlato. Nec est actio consecrandi; nam hæc non est causa formalis, sed effectiua præsentiæ; nos verò inquirimus de causa formali. Pertinet ergo hic modus ad cathegoriam, *vbi*, nam habet maximam similitudinem cum, *vbi*, vt docet S. Thom. *cit.* Nam quemadmodum, *vbi*, resultat ex eo quod corpus existens in loco, ambiatur, & contineatur à superficie aliqua; ita hic modus præsentiæ resultat in corpore Christi, ex eo quod contineatur, & quasi ambiatur sub speciebus. Attamen quamuis hic modus sit absolutus, connotat tamen relationem propinquitatis ad species, nam sub ipsis continetur, & ab ipsis signantur, tum etiam quia corpus Christi, est sub ipsis vnitum.

4 Sed quæres, in quo consistat vnio corporis Christi cum speciebus. Certum est dari aliquam vnionem inter corpus Christi, & species: difficultas est in quo consistat. Variis omissis respondeo primò, hanc vnionem non esse dicendam formalem; nam vnio formalis, vel est substantialis, vel accidentaria; sed hæc vnio non potest esse substantialis, quia terminus vnitus in hac est substantia; at vnitum ex Christo, & speciebus non est totum substantiale. Nec potest esse accidentaria: nam in hac subiectum habet se, vt potentia respectu accidentis; at in hac vnione, nec Christus habet se, vt potentia respectu specierum, nec in ipso recipiuntur tanquam in subiecto, imò per se existunt modo, vt infra dicetur. Dicendum igitur existimo hanc vnionem esse effectiuam; intercedit namque inter Christum, & species vnio realis effectiua, seu reale vinculum per efficientiam, & attractionem vnius ad alterum; attrahit enim Christus (non verò species Christum, vt existimat Suarez) species: efficit enim Deus per Christum tanquam instrumentum quod species per se existant, & sic permaneant vnitæ vnione reali effectiua corpori Christi, sicut vnitur ferrum magneti per vnionem effectiuam, qua magnes ad se ferrum attrahit, non verò ferrum magnetem. Attamen hæc vnio non est de ratione Sacramenti, nam ad rationem illius pertinet præsentia Christi, quæ supponitur vnioni, solùm ergo est ad hoc vt Christus sacramentaliter existens conseruetur: vnde terminus consecrationis, seu conuersionis non est hæc vnio, sed Christus præsens, nam vnio supponit Christum sacramentaliter præsentem. Ideo Suar. *disp.* 50. *sect.* 4. dixit, actionem, seu consecrationem, aut conuersionem terminari ad substantiam. Hic modus explicandi videtur accommodatissimus, & supponitur à Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 3. *punct.* 6. §. 2. *num.* 4. *in fin.* vbi cum Henriquez *lib.* 8. *cap.* 23. Coninch 3. *part. quæst.* 75. *art.* 4. *dub.* 5. *num.* 152. dicit, Christum Dominum sustentare accidentia efficienter, vt *infrà dub.* 6. dicemus. Videturque hæc effectiua vnio sufficiens ad verificandas has propositiones: corpus Christi supplet vicem substantiæ, species sunt instrumentum coniunctum Christi, in quantum ab eo detinentur: Christus mouetur ad motum specierum & aliæ: inde fit, vt destructis speciebus desinat corpus Christi esse sub ipsis, non per efficientiam specierum, quæ superflua est, nisi concedas corpus Christi pendere ab speciebus, quod negat S. Thom. *quæst.* 76. *art.* 6. *ad* 3. sed quia cessat efficientia Christi in species. Nota tamen hanc efficientiam non esse aliquam qualitatem speciebus impressam (quamuis hoc affirmare non sit improbabile) sed esse immediatam causationem impulsus, seu adhæsionis ad ipsas species.

5 Quæres secundò, an Christus Dominus ratione huius præsentiæ dici possit esse in loco. Respondeo, & dico primò, certum est non esse in loco circumscriptiuo, nam ea quæ sic sunt in loco, circumscribuntur, & ambiuntur à corpore continente, habentque situm, positionem, seu ordinem partium in ordine ad locum, v. g. vt brachium sit in loco distincto à capite, & pars aëris ambientis caput non ambiat brachium; at Christus in hoc Sacramento; non sic se habet, nam est totus præsens toti hostiæ & totus cuilibet parti, vt diximus *suprà dub.* 2. Dico secundò, nec est propriè in loco definitiuo, nam quod sic præsens est, ita præsens est determinato corpori, vel spatio, vt non possit esse sub maiori, v. g. Angelus habet ratione suæ finitæ substantiæ determinatum spatium, ita vt non possit esse sub maiori: at corpus Christi ita est sub hac parua hostia, vt possit esse sub maiori, & maiori in infinitum. Dicendum igitur est, Christum non esse in loco circumscriptiuo, nec definitiuo propriè, sed esse sub speciebus excellentiori modo, & ineffabili seu, vt communiter dicitur, modo sacramentali; quod potest ita describi, nempè non esse in loco circumscriptiuo, vt substantia naturalis, nec definitiuo, vt Angelus, nec vbique vt Deus, sed esse sub speciebus per modum substantiæ, ita vt possit esse sub maiori, & maiori in infinitum. Potest tamen Christus dici esse in loco, si loquamur impropriè, pro eo quod est esse aliquid alicui præsens; nam Christus per substantialem præsentiam ita est hic, potius quam alibi, atque ita hæc præsentia largo modo dici potest localis. Hæc quæ diximus, colliguntur apertè ex D. Tho. *quæst.* 76 *art.* 5.

6 Ex dictis sequitur primò, propter vnionem & efficientiam, quam habet corpus Christi, cum speciebus, ea prædicata, quæ concernunt purum motum specierum, & existentiam in loco verificari de corpore Christi, sic corpus Christi dicitur esse in sacrario, esse sursum, vel deorsum, aut sinistrorsum, deferri ad infirmos, eleuari, sumi ore, pertigi, aut traiici in stomachum, sicut ipsæ species dicuntur esse sursum, vel deorsum, vel deferri, vel traiici, &c. Ratio est quia Christus præsens est speciebus, sub illis continetur, & cum illis vnitum est, moto autem continente, dicitur etiam per accidens moueri contentum, sic moto dolio dicitur moueri vinum in eo contentum. Ex Arist. 2 Phys. *Motis nobis, mouentur omnia quæ sunt in nobis* S. Thomas q 76. *art.* 6. Coninch *ibid. num.* 80. 83. & 85. Henriquez *cap.* 20. *num.* 5. & *cap.* 27. *num.* 4. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 3. *punct.* 5. *num* 6. prædicata verò, quæ sunt propria, & absoluta specierum,

non

non prædicantur de corpore Christi, vt quod species sint albæ, rotundæ, molles, liquidæ, vel calidæ, &c. non potest hoc prædicare de corpore Christi, sicut vnum contentum in calice aureo, vel argenteo, non dicitur aureum, vel argenteum. Ratio est, ait Henriquez *suprà cap.* 10. *num.* 5. quia huiusmodi prædicata supponunt pro ipsamet quantitate panis relicta, quæ tanquam subiectum accidentium denominatur alba, &c. non verò supponunt pro contento sub speciebus, seu pro ipso Christi corpore. Nec verificantur de Christo secundum proprium loquendi modum ea prædicata, quæ ostendunt actionem, & passionem specierum, quia hæc supponunt extensionem, Christus autem non est in Sacramento modo quantitatiuo, vt dictum est *sup. dub.* 1. Possunt tamen verificari hæc prædicata de corpore Christi secundum denominationem extrinsecam ipsarum specierum, qua ratione corpus Christi dicitur frangi, videri, &c. S.Thom. *q.* 77. *art.* 7. Conincb ibi Henriquez *cap.* 20. *num.* 5. & *cap.* 16. *ad fin.* & Bonacin. *suprà num.* 8. Dicitur autem corpus Christi, comedi, & manducari propriè, & sanguis bibi, vt dictum est in principio confutati, & DD. communiter.

7 Quæres tertiò, quænam actiones aut passiones conueniant Christo, vt existenti in hoc Sacramento. Respondeo breuiter, & dico primò; motus localis non conuenit per se corpori Christi, sed per accidens S.Thom. *q.* 76. *art.* 7. quia non est per se in loco sed ratione specierum, atque ita ratione illarum, consequenter per accidens conuenit illi talis motus. Hinc fit, vt motis speciebus propter vnionem earum, & connexionem cum Christi corpore; etiam moueatur Christi corpus, vt dictum est *num.* 6. qui motus recipitur etiam in Christi corpore. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 139. Secundò dico, corpus Christi non potest alterari ab agentibus naturalibus, quia alteratio requirit contactum corporeum, & quantitatiuum; Christi autem corpus est in Sacramento inuisibiliter. Filliucius *num.* 140. Dico tertiò, actiones sensuum externorum, vt visio, auditio non possunt Christo, vt est in Sacramento conuenire, quia hæ actiones sunt naturales, & exercentur per species, quæ deberent recipi in substantia diuisibili. Corpus autem Christi hic est indiuisibiliter, vt sæpè dictum est; idem dic de actibus sensuum internorum, & intellectus, nisi supponatur aliquod aliud miraculum. Filliucius *suprà n.* 141. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 7. *differ* 20. *num.* 9. Dico quartò, corpus Christi, vt est in hoc Sacramento, non potest videri ab oculo corporeo; quia hic non potest videre nisi res, quæ modo diuisibili existunt, at Christus est indiuisibiliter. Item, nec intelligi cognitione naturali, quia nullus datur effectus sensibilis, ex quo colligi possit hæc præsentia; Beatus autem per visionem in verbo illum videt. Et etiam per mysterium videre potest; sicut piè credendum est, præter cognitionem beatificam videri à B. Virgine in statu gloriæ, vt pluribus probat Suarez *disp.* 53. *sect.* 5. De potentia tamen absoluta potest Christus, vt est in Sacramento, videri ab oculo corporeo, quia id non implicat S.Thom. 3. *part. quæst.* 76. *art.* 7. *ad* 2. Villalob. *suprà num.* 10.

Dvb. V.

Quandonam Christus incipiat & desinat esse sub speciebus consecratis.

1 DVb. 1. dictum est, Christum incipere esse sub speciebus panis, & vini in eo instanti intrinseco, in quo completur significatio verborum, & verum est dicere, verborum prolatio iam est finita; quia tunc est perfecta verborum significatio. S. Thom. 3. *part. q.* 77. *artic.* 7. Coninch *ibi num.* 174. idem D.Thom. *q.* 78. *art.* 4. *ad* 3. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 3. *part.* 6. §. 3. *num.* 1.

2 Dico primò, tamdiu Christi corpus sub speciebus conseruatur, quamdiu conseruaretur panis, si sub illis speciebus existeret. S.Tho. *q.* 80. *art.* 3. Henriquez *num.* 1. Coninch 3. *part. q.* 76. *artic.* 8. *dub.* 1. *num.* 131. & *q.* 77. *lib.* 8. *cap.* 18. *art.* 3. *num.* 56. Suar. *disp.* 52. *sect.* 1. & cum his, & aliis Bonacin. *sup. n.* 1. Ratio est, quia Christus ex institutione huius Sacramenti succedit in locum panis, ergo tamdiu perseuerare debet sub speciebus panis, quamdiu conseruaretur panis, si substantia illius sub speciebus existeret, ex quo fit tunc, & non antea Christum desetere species, & desinere esse sub illis, quando succedit alia substantia, id est, quando ita alterantur species, vt desineret esse sub illis substantia panis, si ibi adesset, & produceretur de nouo alia substantia, v. g. quando vermes ex speciebus generantur; quia tunc sicut non maneret substantia panis, ita nec Christi corpus, quod eius loco successit. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 144. & DD. citati, & alij communiter. Vnde non desinit Christus, esse sub speciebus per quamlibet alterationem specierum, nisi talis sit, vt sub ipsis desineret esse substantia panis. Bonac. *sup. num.* 3. Errant igitur dicentes Christum desinere statim, atque in os recipitur, aut in ventre traiicitur: tum quia non ita statim desineret substantia panis: tum quia *cap. si quis per ebrietatem*, decernitur, vt si quis per ebrietatem non valeret retinere Sacramentum, sed species integras, reiiciat, species conseruentur tanquam continentes corpus Christi. Quare curare debent sumentes Eucharistiam, ne statim post illius sumptionem cibum corporalem capiant, etsi de hoc nullum extet præceptum, de quo infrà *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 2. Vide Bonacin. *sup. num.* 4. Fit etiam inde, quando fiunt apparitiones miraculosæ in hostia, si illis positis remaneret substantia panis sub speciebus, remanere etiam corpus Christi, vt si appareat caro, vel sanguis, qua apparitione facta, salua remaneret substantia panis maneret etiam tunc Christi corpus Bonac. *num.* 5.

3 Dico secundò, sanguis Christi desinit, esse sub speciebus vini, quando per admixtionem alterius liquoris specie distincti corrumpuntur, vel quando species vini permiscentur cum alio humore, vt posita tali mistione substantia vini non remaneret si vinum sub illis speciebus existeret, tunc enim est vera mixtio, quæ ab Arist. 1. *de gener. text.* 48. definitur, miscibilium alteratorum vini, vt si vinum, & aqua in partibus æqualibus misceantur, ad inuicem corrumpuntur, & generatur tertia entitas, secus verò si aqua in parua quantitate, vt vna vel alia gutta in amphora vini mittatur, tunc non resultat tertiom, sed aqua in vinum conuertitur; è contra sanguis Christi non desinit esse sub speciebus, quando posita tali mistione, substantia vini sub speciebus adhuc remaneret: patet *ex* 1. *con.* ex quo fit, vt si gutta specierum vini consecratarum misceatur cum alio vino, etiam maioris quantitatis, sanguis Christi non desinat esse sub illa gutta, quia per huiusmodi mistionem substantia vini non corrumperetur, sed potius conseruaretur, si mistio fieret cum vino eiusdem speciei: tum quia mistio rerum eiusdem speciei non est propriè mistio, sed vnio, tum quia si duo vina consecrata miscerentur, sub illis remaneret sanguis Christi; ergo, &c. Dixi, *cum vino eiusdem speciei*, nam aliqui apud Henriquez *lib.* 8. *cap.* 18. *n.* 3. existimant

existimant vinum albom specie differre à nigro, quo in easu si ex mistione vini albi cum nigro noua substantia producatur, desineret esse ibi sanguis Christi. Bonacina *suprà num.* 7. qui ait idem procedere, siue speciei differat à nigro, siue non, quod verum est, dato quod noua substantia ex tali mistione produceretur. Cum autem non omnino certum sit vinum album differre specie à nigro, imo Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 1: absolutè negat specie differre, quod vt certum supponit. Villalob. 1. *p. tract.* 7. *differ.* 18. *num.* 2. ideo dicit non esse propriè mistionem, sed tantum mutari colores, consequenter non omnino constat, si vinum album misceatur nigro, desinere esse sob illo Christi sanguinem. Ideo Filliucius *suprà num.* 150. absolutè dicit, quando species consecratæ miscentur vino non consecrato, manere sub eis sanguinem Christi, sicut maneret vini substantia. Idem tenet Villalobos *suprà num.* 4. Addit Filliucius, & benè, si gutta specierum misceatur cum vino non consecrato in magna quantitate, vt in dolio vini, totum illud vinum esse separandum, & reseruandum ad sacros vsus, v. g. pro Missis celebrandis, vt etiam tenet Suarez *disp.* 57. *sect.* 4. Coninch *quæst.* 77. *art.* 8. & cum his, & aliis Bonacina *vbi suprà*, *num.* 8. Henriquez verò *cap.* 18. *numer* 4. Sotus *dist.* 10. *quæst.* 2 *art.* 4. & alij, apud Bonacinam *vbi sup.* tenent illud vinum bibi posse, quia cum talis gutta ignoretur, haberi potest pro amissa; tum quia si particula hostiæ decidat super tapetem pretiosum, nec discerni queat vbi sit, non tenetur Dominus comburere totum tapetem illumque non adhibere in suos vsus; ergo neque tenetur abstinere à vino, in quo immissa fuit gutta vini consecrati: sententia tamen Suarez, & aliorum est magis pia, & fauorabilis reuerentiæ debitæ tanto Sacramento, consequenter in praxi tenenda, nisi aliud cogat, necessitas, vel incommoditas.

4 Quæres tamen primò, vtrum sanguis Christi dicatur misceri cum vino, quando vinum consecratum permiscetur cum non consecrato. Respondet Sanct. Thom. *quæst.* 77. *art.* 8. & cum Henriquez *lib.* 8 *c.* 28. *lit. L*, & aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 3. *punct.* 6. §. 3. *num.* 9. negatiuè: sed manere circunfusum cum speciebus consecratis. Ratio est, quia ea dicuntur misceri, quorum extrema coniunguntur cum extremis alterius, sed extrema sanguinis Christi non miscentor cum extremis vini, eo quod Christus non sit sub speciebus modo quantitatiuo; ergo sanguis Christi non potest misceri cum vino, tum etiam quia vinum non conuertitur in sanguinem: nisi per consecrationis verba, at tempore prolationis verborum non aderat vinum illud additum iam consecrato; ergo.

5 Quæres secundò, an quando Christus desinit esse sub speciebus ad desitionem illarum mutetur Christus. Respondeo, non mutari substantialiter, quia sicut per præsentiam ad species non acquirit aliquid substantiale, vt supra dictum est hoc *cap. dub.* 4. ita nec per decisionem, & absentiam ab illis deperdit aliquam substantiam. Mutatur tamen accidentaliter, quia desinit in Christo quando corrumpuntur species, ille modus, seu relatio præsentiæ ad species, quem per consecrationem, & vnionem cum speciebus acquisiuit, vt dictum est *dub. cit.* Ita Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 143. Suarez *vbi sup.* Bonacina *loco cit.* cum aliis *num.* 10.

6 Nota, quando desinit esse Christus sub speciebus corruptis, v. g. panis, creari de nouo, vel præcedente materiam panis, vel quod probabilius, aliam nouam materiam cum præcedens omnino desierit per transsubstantiationem, nec frustra multiplicanda sint miracula. Bonacina *sup. num.* 12. & hoc ideo fit, vt possit fieri noua generatio illius rei, quæ corruptis speciebus generatur. Vide D. Tho. *q.* 76. *art.* 7. variant tamen DD. an corruptio specierum sit naturalis, vel supernaturalis. Scotus existimat esse supernaturalem, sed verius D. Thom. *q.* 77. *art.* 4. & eius discipuli dicunt esse naturalem; nam si hostia consecrata applicaretur igni, sine dubio comburetetur, sicut non consecrata: at ignis est agens naturale, ergo: Deus enim sic conseruat species consecratas; sed non consecratæ naturaliter corrumpuntur; ergo & consecratæ. Dicitur autem hæc corruptio substantialis, non quia substantia aliqua corrumpatur, sed quia corrumpuntur accidentia, quæ habent vicem, & virtutem substantiæ, & dicunt ordinem ad illam. Et quamuis Scotus quem sequitur Villalob. 1. *p. tract.* 7. *diff.* 27. *n.* 3. non admittat ad corruptionem specierum generari substantiam naturali generationem; oppositum tamen verius tenet D. Tho. *sup. art.* 5. & Thomistæ: nam experientia constat, ibi tunc fieri generationem ab agente naturali, consequenter esse veram generationem, seu productionem naturalē quam Caiet. cum S. Tho. *vbi sup.* explicat hoc modo: quantitas habet vicem materiæ recipiens omnes dispositiones antecedentes, vltima excepta, quia non est capax vltimæ, sicut nec formæ substantialis; deinde in instanti generationis Deus producit materiam primam, vel de nihilo, vel ex quantitate panis, & tunc agens naturale ad productionis vltimæ dispositionis producit formam, vel educit ex potentia materiæ, & sic naturaliter fit generatio: sicut generatio hominis, in qua Deus, supposita vltima dispositione ex parte hominis, creat animam, & tamen generatio hominis dicitur naturalis; sic similiter quamuis materia in nostro casu à Deo creetur, dicetur productio naturalis, nam agens naturale vltimam produxit dispositionem, & totum generauit.

D V B. VI.

Quomodo existant accidentia panis, & vini in hoc Sacramento.

1 Dico primo, certa fide tenendum est, post consecrationem accidentia panis, & vini manere sine substantia, vt diffinitur à Trid. *sess.* 13. *Can.* 2. & tenet communis Catholicorum, cum S. Tho. *q.* 77. *art.* 1. Quòd maneant aliqua accidentia, patet etiam sensibus, cum nulla sit facta mutatio circa quantitatem, odorem, saporem, colorem, figuram, & huiusmodi, quare manent eadem, ideò dicitur mysterium fide quia aliud est quod sensu percipitur, aliud quod fide creditur: quod etiam reliqua maneant, vt est calor virtualis in vino, & si quæ sunt alia intrinseca in pane, & vino, est probabilius, & conformius doctrinæ Conciliorum, & sanctorum: quam latè probat Suar. *disp.* 56. passiones verò panis, & vini non manent in hoc Sacramento, vt existimat Villalobos 1. *p. tract.* 7. *differ.* 24. *num.* 3. quia hi existere absque substantia non possunt, aut quia sunt idem cum substantia, vt aliqui existimant, aut quia dicunt ordinem intrinsecum ad illam: ob quam rationem, ait, nec existunt relationes, quæ in substantia fundantur, vt relatio identitatis specificè, & creaturæ ad Creatorem. Concilia enim (ait Villalobos) non dicunt omnia accidentia, quæ in pane existebant, manere hîc sine subiecto, sed solum illa quæ remanent, existere absque subiecto; aut quod species sacramentales existūt sine subiecto, at hæ passiones, & relationes non sunt species panis, & vini, nam species propriè significant illud, ratione cuius in cognitionem rei alicuius venimus, ideò sola accidentia panis, & vini, quæ sensibus percipiuntur,

percipiuntur, vorantur species panis, & vini, hæc Villalobos. Maneor igitur accidentia post consecrationem sine subiecto substantiali, consequenter existunt per se; quia non existunt in substantia panis, vel vini, quia hæc per conuersionem desierunt esse, nec in corpote Christi inhærent; quia in accidentibus non fit transitus à subiecto in subiectum. S.Tho. *q.77. art. 1.* & communis. Dixi, *absque substantia, seu subiecto substantiali*, nam etsi hoc modo omnia accidentia post consecrationem sint absque subiecto, & per se existant, nihilominus tamen quantitas respectu aliorum accidentium est subiectum accidentale, & supplet vices subiecti immediati respectu aliorum. S.Thom. *sup. art. 2.* Coninch *ibidem*, Bonacin. *tom. 1. disp. 4. q. 3. punct. 6. §. 2. n. 2. Respondeo negando.* Hinc fit in quantitate fieri talem mutationem, vt cum antea ipsa inhæret in substantia, postea ex se existit, illique inhærent cætera accidentia, in aliis verò accidentibus in opinione probabili asserente etiam antea in quantitate inhærere, nulla fiet in illis mutatio: in opinione verò, quam probabiliorem reputat Filliuc. *tom. 1. tract. 4. cap. 5. num. 148.* existimantium ea inhærere antea in materia prima, ea pereunte mutabitur subiectum, & erunt in quantitate.

2 Dico secundò, huiusmodi accidentia panis, & vini agunt, & patiuntur fere vt antea. Primo enim agunt in sensus nostros, & imprimunt eandem sui notitiam sicut antea, vt visum disgregare, &c. Secundo possunt alterare, vt calefacere, & refrigerascere, sicut antea, nutrire, item corrumpere substantiam, & generare, idque faciunt, vel virtute substantiæ cuius sunt accidentia, vel Dei supplentis vicem substantiæ. Tertio, quoad passiones possunt mutari secundum locum, alterari ab agente naturali, & corrumpi eo modo, quo dictum est *n. 1.* videlicet producente Deo materiam primam, vel diuersam numero à præcedente, vel eandem, nam vtrumque respectu Dei æquè facilè est, neque est nouum miraculum, sed necessariò annexum præcedente mysterio. Vide Filliuc. *tom. 1. tract. 4. cap. 5. num. 149.*

D V B. VII.

An, & quomodo Christus sit adorandus in hoc Sacramento.

1 DIco primò, Christus in hoc Sacramento est adorandus interno, & externo cultu, ac si esset in propria specie, est definitum à Trident. tanquam de fide *sess. 13. cap. 5. & Can. 6.* Ratio est, quia lege naturali, & diuina tenemur adorare Deum; at hîc est Deus, ergo, &c. Est autem adorandum totum Sacramentum vnico actu, vt habet vsus Ecclesiæ dicentis: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.* & Trid. dicit: *Sub nomine Sacramenti esse adorandum.* Ratio est, quia ex Christo, & speciebus fit vnum quid, quare vnico actu adoratur totum, in quo primò, & per se adoratur Christus vnicum suppositum huius Sacramenti: secundò, species quasi cum Christo coniunctæ adorantur. Quod autem interno, & externo cultu sit adorandum, patet, quia sic docet vsus Ecclesiæ, *ex cap. sanè de celebr. Miss.* vnde colligitur laudabilis vsus publicè interdum proponendi hoc Sacramentum adorandum, & circumferendi per vias solemni pompa, & cultu. Filliuc. *tom. 1. tract. 4. cap. 5. num. 151.*

2 Dico secundò, est adorandum Sacramentum hoc latria absoluta, & perfecta id est cultu soli Deo debito, vt dixi in Decalogo *lib. 1. cap. 9. dub. 3. num. 6.* Ratio est, quia est Sacramentum vnum constans ex Christo, & speciebus; ergo, adorandum est eadem

adoratione qua Christus; sed Christus adoratur latria; ergo: intelligitur autem primo, & per se esse adorandum Christum, & secundò species coadorandas, quia verò semper sunt hæc duo coniuncta, sicut humanitas Christi cum Verbo, ideò non oportet adorationem esse respectiuam, sicut est adoratio Crucis. Præterea sunt adorandæ species, sine conditione, *si sunt consecratæ*; sufficit enim moralis certitudo, & satis est, conditionem habitu retinere, id est animo intendere, & adorare verum Christum, & verum Sacramentum, quando verò ex circumstantiis occurreret probabilis ratio dubitandi, tunc potest sub conditione adorari. Filliuc. *num. 152.*

3 Dico tertiò, datur duplex præceptum de adoratione huius Sacramenti, primum negatiuum, quo prohibemur iniuriam, aut irreuerentiam facere huic Sacramento, & hoc semper, & pro semper obligat, ad naturam præcepti negatiui, & in particulari explicatur multis decretis, *de celebr. Miss. de custod. Euch. de consec. d. 1. & 3.* præsertim c. *si per negligentiam, si quis per ebrietatem.* vbi etiam pœnæ, quæ nec sunt in vsu, nec incurruntur, donec à superiore imponantur. Filliuc. *n. 152.* Præceptum verò affirmatiuum exhibendi honorem Eucharistiæ obligat tantum aliquo tẽpore, vt alia præcepta affirmatiua. Primò, quando occurrit occasio, ita vt eam prætermittere, sit virtualis quidam contemptus, & irreuerentia moraliter in hoc genere. Secundò, in particulari est, quando accedimus ad sacrificandum, quando fideles communicant, quando proponitur publicè adoranda, vt cum eleuatur in Missa, vel occurrit in via, &c. secluso, autem formali contemptu, & scandalo huiusmodi omissiones, non sunt peccata mortalia regulariter loquendo propter materiæ leuitatem. Filliuc. *sup. num. 152.* vide de his Suar. *in 3. part. D. Thom. q. 79. disp. 65. sect. 1. & 2.*

4 Dices, quid sentiendum sit de mutationibus apparentibus, quæ fiunt aliquando in Sacramento. Respondeo, quando Christus apparet in hoc Sacramento, non videtur Christus, in se, nec caro eius, aut sanguis, sed tantum color, & figura illum referẽs, nam vt docet D. Thom. *q. 76. art. 8.* Suar. *ibi disp. 55. sect. 2.* & Filliuc. *sup. n. 145.* probabilius est huiusmodi mutationes tantum esse apparentes in figura, & colore, quia si sit realis mutatio obiecti, vel diu permanet hæc mutatio, & non est decens claudi pixide carnem Christi, tangi enim potest, & contrectari ab hominibus, imò diuturnitate temporis, vel breui tempore mutatur. Quis enim credat, aut sanguinem Christi verum ab hostia fluere, aut calicem repletum esse vero Christi sanguine. Adoranda sunt autem hæc adoratione latriæ, vt dixi *dub cit.* cum Azor *tom. 1. lib. 9. c. 6. q. 3.* eo quod carnem, vel sanguinem Christi repræsentant. Quando verò contingunt huiusmodi mutationes, primò conseruãdæ sunt huiusmodi res, quia sine horrore non possunt sumi sub illa forma; non enim proponuntur sub speciebus panis, & vini, sub quibus voluit Christus sumi, & ita habet Ecclesiæ consuetudo; seruandæ tamen sunt in loco decenti, quamdiu sunt sub illa forma, si verò redeant ad priorem, iam sumi possunt. S.Tho. *q. 76 art. 8.* Quod si in aliqua parte nihil est immutatum, illud consumi potest, & satis erit ad perfectionem sacrificij: si verò nihil consumi potest, D. Anton. *1. p. tit. 13. c. 6. §. 14.* dicit iterum ex præcepto esse consecrandum. Syl. *verb. Eucharist. 3. in fin.* ex S. Thom. *q. 82. art. 4. ad 3.* dicit id esse tantum consilium; quia in speciebus consecratis præceptum impleri non potest, aliàs consecrare non est prius sacrificium consummare, sed inchoare aliud, quod non est necessarium, quod existimat probabilius Suar. *disp. 55. sect. 4.* & cum eo Filliucius *sum. n. 136.* vide Villalob. *p. 1. tract. 7. disput. 23.*

CAP. V.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

DVB. I.

Quot sint effectus huius admirabilis Sacramenti.

1 CVM supra dictum sit de mirabilibus formæ effectibus respectu conuersionis, & consecrationis, nunc videndum est, quot sint totius Sacramenti effectus respectu illud suscipientis.

2 Quamplures, & ferè innumerabiles sunt huius admirabilis Sacramenti effectus, nos autẽ præcipuos attingemus: ad cuius intelligentiam nota, vt colligitur ex S.Tho. 3.*p.q.*80.*art.*1. & 2. & tenent Henriq. *lib.*8.*c.*40. & 41. Conioch *q.*74.*art.*1.*n.*29. & *q.*80. *art.*1.*n.*3. Ledesm. *in sum.c.*11. *de Euchar concl.*1.& cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.*4. *q.*4. *in initio*, quatuor modis posse manducari Christum in Eucharistia. Primò realiter tantum, seu materialiter, vt si infidelis nõdum baptizatus suscipiat Eucharistiam; hic enim cũ sit incapax Sacramentorum, non suscipit Eucharistiã formaliter, sed tantum materialiter, quatenus scilicet recipit species continentes corpus Christi, consequenter nec recipit effectus huius Sacramenti. Secundò; sacramentaliter tantum, vt quando fidelis baptizatus existens in peccato mortali recipit Eucharistiam: in quo etiam casu certissimum est, nullum recipere affectum, eo quod ponat obicem: imo peccare grauissimè, vt *c.seq.* dicetur. Tertiò, spiritualiter tantum, & in desiderio, vt quando quis desiderat actu Christum sumere, quo quidem casu, si talis iustus est, recipit gratiam, non quidem sacramentalem, vt dictum est *lib.*1.*cap.*4.*dub.*1. *num.*6. *in fin.* quia reuera non recipit Sacramentum. Quartò, sacramentaliter, & spiritualiter simul, quod fit, quando existens in gratia, reuera recipit Eucharistiam; quo in casu talis recipit Sacramentum & rem illius, aut ipsius effectum, & de hoc quarto modo procedit dubium.

3 Dico primò, primus effectus Eucharistiæ, & per se, est augmentum gratiæ, est de fide ex Trid. *sess.*13. *c.*2. & antea *in c. firmiter de sum. Trin. c. cum Martha de celebr.* & alibi; fundatur in Scriptura, Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me* Item, *qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in eo.* Item, *qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Sic intelligunt Patres, & consentiunt DD. apud Suar. *disp.*63. *sect.*1. Ratio præcipua est, quia est institura per modũ cibi & potus; at cibus, & potus conferunt ad vitã corporis augendam; ergo similiter Eucharistia ad vitam animæ, quæ gratia est, igitur institutum est hoc Sacramentũ primò, & per se ad conferendum augmentum gratiæ quando autem illud conferat, dicetur *dub.seq.*

4 Dico secundò, Eucharistia simul cum gratia actuali confert animi deuotionem, & feruorem charitatis cum speciali dulcedine, delectatione, & lætitia spiritus. S.Tho. *q.*79.*art.*1 .*ad* 4. & communis apud Suar. *disp.*63. *sect.*9. Ratio est, quia cibus corporalis non solum nutrit, sed etiam delectat, & lætitiam ac suauitatem parit; ergo similiter, & perfectius hic cibus spiritualis animæ. Ideò fuit figurata Eucharistia in manna, quod habebat omne delectamentum: impeditur tamen hæc lætitia spiritualis per peccatum veniale: impedit enim hoc peccatum debitam attentionem. Aliquando verò sine vllo peccato impeditur, saltem quod non deriuetur ad appetitum sensitiuum, vt contingere solet in iis qui cura animarum gerenda occupati sunt, vel in vacantibus studiis: aliquando etiam fit, vt maximè spirituales humilientur, Ledesm. *lib.*8.*de Eucharist.c.*10. *concl.*3. & 4.

5 Dico tertiò, confert Eucharistia speciale auxilium ad peccata vitanda. S.Thom. *q.*79. *art.*3. *ad* 3. & 4. & Trid. *sess.*13.*c.*2. docet, hoc Sacramentum esse institutum, vt antidotum quo à peccatis præseruamur: colligitur ex Ioan.6. *Nisi manducaueritis, &c. non habebitis vitam.* & Cyprian. *in expositione orationis Dominicæ*, vt manifestum, inquit, est eos viuere, qui corpus Christi attingunt, ita contrario timendum, & orandum, ne dum quis abstinet, procul maneat à salute, & Bernard. *in Cœna Domini*, ait, hoc Sacramentum minuit sensum in minimis, & in grauioribus tollit omnino consensum, id autem fit per auxilia specialia, & actualia, quæ Deus confert ad peccata vitanda, quia hic effectus pertinet ad donum perseuerantiæ, cum sit eius participatio; perseuerantia autem datur, per auxilia actualia, vt dicitur in 1. 2. *in materia de gratia*, ita Filliucius *tom.* 5. *tract.*4. *cap.*6. *n.*155. qui *n.*156. docet hunc effectum esse infallibilem in iis, qui debitè disponuntur; non tamen dari semper statim, sed tempore opportuno, in quo non debet, qui dignè suscipit, reddere se indignum, alioquin, inquit, non recipiet: ex quo fit perseuerãtiam esse effectum huius Sacramenti. Quod intellige, non quod omnes qui Eucharistiam sumunt, perseuerent vsque ad gloriam; nam Iudas, qui eam sumpsit, fuit reprobatus, similiter & multi, sed quod illi qui perseuerant, perseuerent propter huius Sacramenti dignam sumptionem; sicut cibus corporeus dat perseuerantiam in vita corporali, hoc est, quod illi qui in ea perseuerant, eo tempore, quo perseuerant, per illum perseuerant, ita in proposito ob rationem dictam, vide hoc *lib. cap.* 1. *dub.*2. Hinc etiam fit, vt hoc Sacramentum præseruet à mortalibus futuris. S.Thom. *q.*69. *art.*6. vt habetur in Trid. *loco cit.* & ratio quia est cibus spiritualis animæ, ideo conferre debet robur ad vitam spiritualem, & consequenter præseruationem à mortalibus. Ideo Ioan. 6. dicitur: *Vt si quis ex eo manducet, non moriatur*: non mori autem, est præseruati à mortalibus, quæ mortem animæ inferunt. Bonac. *tom.*1. *disput.*4. *quæst.*4. *punct.*1. *num.*4. præseruat etiam propter eandem rationem à venialibus. Suarez *disp.*65. *sect.*10. & multi apud Bonac. *sup. num.*5. ex S.Thom. *quæst.*79 *art.*5. & 6. & Trident. *sess.*13. *cap.*1.

6 Nota existentem in gratia, si sumat Eucharistiam cum actuali peccato veniali, vel cum eius actuali cũplacentia, recipere augmentum gratiæ, vt docet S. Thom. *q.*79. *art.*8. *ad* 1. & 2. Sotus *d.*11.*q.*2. *art.*8. Henriq. *lib.*8. *cap.*45. & cum aliis Bonac. *vbi suprà n.*3. Ratio est, quia peccata venialia non sunt incompatibilia cum gratia, & charitate; non tamen sentiet illam dulcedinem, & suauitatem de qua *suprà concl* 1.

7 Dico quarto, remissio venialium est effectus ex operato Eucharistiæ S.Thom. *q.*79. *art.*4. & reliqui Theologi *dist.*12. ex Suar. *disp.*63. *sect.*10. & apertè docent Concil. Colon. & Catechismus Rom. dum agunt de Eucharistia, *&c. vtrum sub figura, cap. quid sit sanguis de consecr. dist.* 2. fauet Trident. *sess.*13.*c.*2. dum dicit de hoc Sacramento, quod liberamur à culpis quotidianis, ideo Ambros. *lib. de Sacrament.* dixit: iste panis quotidianus, sumitur in remedium quotidianis infirmitatibus. Ratio est, quia datur per modum cibi, qui restaurat deperdita; cum ergo per peccata venialia aliquid in nobis sẽper deperdatur, hinc fit, vt hoc pane quotidiano restauretur. Hoc autẽ præstat primò, ex opere operato, conferendo remissionem

missionē absque actuali dispositione, quæ per se sufficiat ad illa tollenda; sicut cum tollit per accidens peccatum mortale, vt infra. Secundò, mediatè excitando feruorem charitatis, vt colligitur ex S. Tho. *vbi sup.* & docet Filliuc. *loco cit. num.* 138. inde patet, omnia venialia remitti, si nullius adsit complacentia; quod si alicuius sit; illud non remittetur.

8 Dico quinto confert etiam Eucharistia auxilium ad rectè operandum, & temperandum fomitem peccati, & ad repellendas tentationes, & ad bonus motus in appetitu excitandum. Ita S. Tho. 3. *p. q* 79. *art.* 1. *ad* 3. Coninch. *ibid. art.* 8. Suar. *disp.* 63. *sect.* 10. & *disp.* 64. *sect.* 1. Henriq. *cap.* 57. & cum aliis Bonacin. *sup n.* 7. & Filliuc. *vbi sup. num.* 177. tum quia dæmones effugiunt Christum præsentem, & cœtum Angelorum Christum comitantium: tum quia cibus corporalis confert robur, & vires ad operandum, ita etiam cibus spiritualis in Eucharistia.

9 Dico sextò, est etiam effectu Eucharistiæ, vnio spiritualis cum Christo, & fidelibus, ita cum S. Tho. Suar. *disp.* 64. *sect.* 3. cum aliis Bonac. *sup. n.* 8. & Villalob. *part.* 1. *tract.* 7. *diff.* 29. *num.* 3. vbi dicit esse de fide definitum à Concil. Lateran. vt habetur *in c. firmiter de summ. Trin. & fide Cath.* vbi dicitur, hoc Sacramentum institutum esse ad perficiendum vnitatis mysterium, & Innocent. III. *in cap. cum Martha de celebr. Missar.* inquit, rem huius Sacramēti esse vnitatem, id est perfectionem vnitatis: deducitur etiā apertè ex Paul. 1. Cor. 11. vbi dicit: *Vnum corpus sumus qui de vno pane participamus.* fauet Trid. *sess.* 13. *c.* 2. ibi: *Signum præterea esse voluit illius spiritualis vnionis, cuius ipse caput exstitit, &c.* & Sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant, ergo, &c.

10 Dico septimò, consecutionem gloriæ esse effectum huius Sacramenti: nam quamuis generaliter hic effectus pertineat ad omnia Sacramenta, nam omnia conferunt gratiam, quæ est semen gloriæ nihilominus tamen assecutio gloriæ speciali modo attribuitur huic Sacramento, colligitur Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum, & qui manducat meam carnem habet vitam æternam,* & à Trid. *sess.* 13. *c.* 2. dicitur pignus fœlicitatis, & gloriæ, & ab Ecclesia vocatur pignus gloriæ, de quo Suar. *disp.* 64. *sect.* 1. Ratio est, quia gloria præcipuè correspondet primæ gratiæ, quæ vt diximus *hoc lib. cap.* 1. *dub.* 2. in genere causæ finalis datur per hoc Sacramentum. Secundò, quia consecutio gloriæ consistit in quadam coniunctione, & vnione beati cum Deo; at Dei coniunctio formaliter fit per Eucharistiam, per quam omnes vnū corpus sumus, cuius caput est Christus, qui in hoc Sacramento continetur, & manducatur S. Thom. *q.* 79. *art.* 2. Ledesma *in sum. cap.* 10. *de Eucharist concl.* 6. Similiter rectè dicitur, & consequenter resurrectionem corporis esse effectum huius Sacramenti, colligitur Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, &c.* & *ego resuscitabo eum in nouissimo die,* & à Concil. Niceno dicitur symbolum resurrectionis, à Cyril *c.* 4. *in Ioan. cap.* 6. cibus nutriens ad immortalitatem, Suarez *vbi supra,* & cum eo Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 4. *cap.* 6. *num.* 179.

11 Quæres tamen primò, an remissio pœnæ temporalis sit effectus huius Sacramenti. Respondeo breuiter, si Eucharistia sumatur, vt sacrificium, certū est dimittere pœnam; quia vnus ex effectibus sacrificij, vt dicemus, est eam dimittere: si verò sumatur vt Sacramentum, non remittit pœnam ex operato, & immediatè, quia nec Scriptura, nec Concilia, nec Patres huius effectus meminerunt, ideò sine fundamento, non debet asseri. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 6. *n.* 15. & 160. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 4. *punct.* 1. *n.* 9. remittit tamen illam mediatè, & ex opere operantis, iuxta valorem actus, & dispositionem sumentis; ex eo scilicet, quod excitat actum charitatis, per quem remittitur pœna, non semper, sed iuxta quantitatem feruoris. S. Tho. *q.* 79. *art.* 4. & 5. Filliuc. & Bonac. cit. Remittit etiam aliquando saltem secundario pœnam temporalem, videlicet, quādo per accidens, & ex quadam secundaria institutione dat primam gratiam, vt dicemus: nam ad infusionem primæ gratiæ, sequitur remissio alicuius pœnæ. Bonac. *vbi sup. num.* 7.

12 Ex hac conclusione sequitur, actum communicandi oblatum pro aliis, & pro animabus purgatorij, valere tantum ex opere operantis. Filliuc. *sup. n.* 160. Ledesma *loco cit. concl.* 13. est enim actus religionis satisfactorius, meritorius de congruo, & per modum impetrationis, in quo habet hoc Sacramentum specialem efficaciam, excitando feruorem charitatis, vt dictum est *n. anteced.* ex opere autem operato, & vt Sacramentum solum prodest sumentibus. S. Thom. *q.* 79. *art.* 7. nam ex sui institutione ordinatur solum ad sanctificandum sumentem, Ioann. 6. *Qui manducat me, &c.* sic Baptismus solùm prodest baptizato igitur Eucharistia solum prodest aliis, si consideretur, vt bonum religionis opus à iusto procedens, sicut & alia bona opera, & hoc ex opere operantis, quoad satisfactionem, & meritum de congruo vt dictum est.

13 Quæres secundò, an Eucharistia conferat primam gratiam: per primam gratiam in hoc casu intelligunt DD. eam, quæ sequitur post peccatum immediatè: vnde idem est ac quærere, an Eucharistia remittat aliquando peccatum mortale. Dixi *aliquando,* nam primò, & per se, & de lege ordinaria, iam dictum est *concl.* 1. esse institutam ad conferendum secundam gratiam, seu augmentum gratiæ.

14 Dico igitur, etsi Eucharistia primò, & per se instituta sit ad conferendum gratiæ augmentum; per accidens tamen, & quasi ex secundaria institutione potest dare, & aliquando dat primam gratiam S. Tho. *q.* 79. *art.* 3. Caiet. ibi Ledesm. *c.* 10. *de Euchar. concl.* 8. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 6. *n.* 162. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 4. *punct.* 1. *n.* 5. *vers. vtrum vere,* & alij apud Suarez *disp.* 63. *sect.* 1. *concl.* 3. Ratio est, quia ex Trid. *sess.* 7. *cap.* 7. omnia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem, potest autem existens in peccato, cuius non habet memoriam accedere inculpabiliter ad Eucharistiam, existimando bona fide esse bene dispositum consequenter non ponendo obicem, cum non sit in conscientia peccati, nec habeat illius affectum: ergo recipiet gratiam primam & peccati remissionem: id enim expostulat excellentia Sacramenti, in quo continetur Christus ipse, qui est fōs vitæ, vt scilicet possit viuificare mortuos non resistētes. Hoc autem contingere potest in his casibus; primus, quando quis attritus tantum non fuit absolutus à confessario, defectu scilicet intentionis vel iurisdictionis, quod pœnitens bona fide ignorat; imò reputat, se absolutum, eo quod verba absolutionis audierit, Secundus, quando celebrans ex necessitate ad scandalum vitandum, non habens copiam confessarij & in mortali existens, reputans tamen esse contritum cum re vera solum habeat attritionem, hoc conficit, & recipit Sacramentum. Tertiò, quando reuera fecit confessionem informem, id bona fide ignorans, & postea cum attritione reputans benè esse dispositum, accedit ad Eucharistiam: in iis enim casibus Eucharistia dat primam gratiam per accidens; quia sic accedentes non ponunt obicem.

15 Dubitabis tamen, an quis possit sumere Eucharistiam neutraliter, hoc est sine nouo peccato, & absque augmento gratiæ. Respondeo affirmatiuè, vt probabilius tenet Caiet. 3. *part. q* 79. *art.* 1. Ledesm. *in sum. c.* 10. *de Euchar. concl.* 9. declarant his exem-

plis. Primum, peccauit quis mortaliter, & naturaliter oblitus accedit ad Eucharistiam sine confessione, contritione, & sine vllo dolore,& absque vllo actu charitatis reputans se esse dispositum, hic non peccat mortaliter; quia inuincibiliter ignorat indispositionem: & peccatum,vt supponimus, nec recipit gratiam quia habet obicem, scilicet peccatum mortale, quod non tollitur, nisi per pœnitentiam formalem, vel virtualem,quam hic,vt supponimus, non habet;ergo recipit Eucharistiam neutraliter.Secundum est, rusticus volens inimicum occidere scit, hunc animum esse peccatum,ignorat tamen,hoc animo accedere ad Eucharistiam,esse peccatum, ad quã ignorantiam vincendam consulit doctos, vel parochum,vel Episcopum,qui consulti dicunt, licere ita accedere,hic enim propter eãdem rationem nec peccat,nec recipit gratiam,ignorantia enim inuincibilis non facit incapacẽ capacẽ,nec inhabilẽ habilem, sed tantũ cum illa agentẽ excusat à peccato: idem dic de habente motum deliberatum de aliqua re turpi committẽda,qui consilio hominis docti,& pij putat esse esse indeliberatum, & accedit ad Eucharistiam cum hoc proposito,putans esse indeliberatum, eum aliàs ex se sit peccatum mortale: denique idem dicẽdum de illo,qui ad Eucharistiã accederet cum nota attritione motus authoritate hominis docti asserentis id licere, hic enim nec peccat mortaliter,nec gratiam recipit.

D V B. II.

Quandonam Eucharistia suos producat effectus.

1 RËspondeo breuiter,&dico,Eucharistiam conferre suum effectum in primo instanti, in quo verum est dicere,aliquid Sacramẽti manducatum esse, & traiectũ est in stomachum, vt ex cõmuni S Tho. & aliorum docent Henriq.*lib.*8.*de Euc.c.*43. Filliuc. *tom.*1.*tract.*4.*c.*6.*n.*172. & cum aliis Bonac. *tom.*1. *disp.*4.*q.*4.*punct.*2.*n.*1 Ratio est quia Scriptura manducationi tribuit effectum huius Sacramenti.Ioan.6. *Qui manducat meam, &c. qui manducat me, &c.& nisi manducaueritis: &c.* Tum,quia Eucharistia producit suos effectus per modicum cibi,& nutrimenti, sed cibus tunc nutrit, quando traducitur in stomachum, eo scilicet instanti, in quo verum est dicere, nunc deglutitum est aut potatum:vnde si manducata prima parte mortaliter hostiæ moriatur homo,antequam reliquas manducet quæ coniunctæ sunt cum illa prima,recipiet totam gratiam Sacramenti.Ratio est,quia in illa prima est totus Christus,& est verum Sacramentum propter eandem rationem idem dicendum, si deglutita prima parte hostiæ euomit reliquas partes.Quando vero manducantur plures species eiusdem rationis, totus effectus datur in prima, per se loquendo;quia per accidẽs est alias subsequi,& in prima sunt omnia requisita. Dixi *per se loquendo*, quia ex maiori dispositione posset etiam in aliis dari aliqua gratia, quæ non est data in prima etiamsi species sint diuersæ rationis, vt eum Sacerdos celebrat: nam tunc post sumptionem corporis datur tota gratia ex operato conferenda, posteatantum ex maiore dispositione substantiali, ideo æqualem gratiam,cæteris paribus, recipiunt sub vna, & duplici specie. Vt docet S. Thom. *quæst.*80. *art.*12.Sotus *d.* 12.*q.*1. *art.*12. Filliucius *sup.n.*172.*in fin.* Nec inde inferas esse superfluum, vel nihil conferre sumere reliquas partes hostiæ: conferunt enim multum, quatenus scilicet constituunt vnam refectionem, & vices gerunt vnius conuiuij. Dicendum igitur est, effectum Eucharistiæ produci, deglutita prima parte per ordinem etiam ad reliquas partes,nam hoc Sacramentum est per modum vnius refectionis, & conuiuij, & est vnum indiuiduum Sacramentum, quod integratur non solum ex parte deglutita, verum etiam ex deglutienda Bonac.*sup.num.*3.

2 Dico secundò, probabilius, & verius videtur, si detur casus, quo quis existens in mortali deglutiat aliquam partem hostiæ, & antequam alias partes manducet, conferatur, recipere gratiam per reliquas partes. Ita docent Suarez *tom.*3. *disp.*63.*sect.*8. Coninch & alij apud Bonacin. contrarium sentientem *dict. punct.*2. *n.* 4. Ratio est quia sumendo reliquas partes sumit verum Sacramentum absque obice. Nõ tamen admitto sententiam Caiet.*q.*79.*art.*1.asserentis, species conferre gratiam ex opere operato, toto illo tempore, quo corpus Christi sub eis in stomacho conseruatur; nam vt dictum est,effectus Eucharistiæ manducationi promissum fuit, tunc autem non manducatur, tum etiam quia fieret, vt qui debilioris est complexionis, vel qui plures sumeret hostias, supposita æquali dispositione ex parte recipientis,maiorem gratiam reciperet,quod in Theologia non admittitur. Quod si dum manent species in stomacho, efficiar dispositio ex parte subiecti; probabilissimè Suarez *vbi sup. sect.*7. docet augeri tunc gratiam non solum ex opere operantis,sed ex opere operato, etsi oppositum probabilius existimet Filliuc. *sup. num.*175. Hoc autem intellige, quando benè dispositus communicauit; nam si existens in mortali sumpsit,& postea durantibus speciebus contritionis actum elicuit, probabile videtur, cum adhuc existat Sacramentum, recipere illius effectum ex operato, & hoc modo intelligi potest Caietanus. A fortiori dicendum, hoc Sacramentum non conferre effectum, dum tantùm est in ore,quia adhuc non perfectè manducatur, nec est in stomachum traiectum. Ita citati, vide Filliucius *d. cap.*6. *quæst.*3.4.& 5.

3 Sed quæres, an fiat aliqua vnio specialis inter Christum, & suscipientem certum est, dari veram & realem propinquitatem, & contactum inter corpus nostrum, & Christum, mediis speciebus Sacramentalibus in quibusdam partibus, per quas feruntur. Certum etiam est dari vnionem specialem cum Christo per effectus supradictos *dub.*1. difficultas est,qualis sit hæc vnio. Placet nobis sententia Henriquez *cap.* 36. *de Eucharistia*, nullam aliam esse in hoc mysterio vnionem, quam inter mobile, & motorem illi intimè assistentem, tanquam causam immediatione suppositi. Sic corpus Christi intimè immediatione suppositi assistit corpori dignè sumentis, & eum eo Christus fit vnum principium, & caput cum viuo membro mobilium operationum, & effectuum huius Sacramenti Declaratur exemplo Angeli mouentis cœlum; ex quo intimè assistente, & cœlo fit vnum principium motus, & influxus in inferiora,sic ex Christo intimè assistente sumenti,& sumente fit vnum principium spiritualium operationum. Secundum,exemplum potest esse matrimonij: sicut enim in matrimonio ex viro,& vxore fit vnum principium generationis, sic ex Christo, & sumente fit vnum principium ad effectus Eucharistiæ producendos: propter quod Apost. Ephes. 5. comparat vnionem Christi cum Ecclesia, & membris eius, desponsationi, & fiunt duo in carne vna,tanquam membra de carne, & ossibus Christi formata, & qui sic adhæret, hic secundum Paul. 1. Cor.6. in anima fit vnus spiritus cum eo, & in corpore simul dicitur membrum Christi, & templum eius. Tertiò potest declarari exemplo ferri candentis, in quo ignis manens in sua natura penetrat totum ferrum,

rum, & ex ferro; & igne fit vnum principium producendi calorem, sic Christus manens in sua natura immediatè vnitur animæ sumenti, & totam illam quasi penetrat, & ex duobus fit vnum principium producendi effectus sacramentales. Non ergo oportet inter corpus Christi, & corpus manducantis fingere aliquam vnionem physicam, & naturalem: vnde si aliqui Patres id asserere videantur, interpretandi sunt, vt per *naturaliter*, intelligant, idem quod realiter, & verè: ac si dicerent, corpus Christi verè, realiter, ac substantialiter continetur sub speciebus, ac verè, & realiter, ab homine sumitur, ac manducatur: sic Apost. Colos. 2. ait: *In Christo inhabitare plenitudinem diuinitatis corporaliter.* id est verè, ac realiter. Vide Henriquez *vbi sup.* Suarez *disp.* 64. *sect.* 3. & Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 10.

CAP. VI.

De suscipiente Eucharistiam.

DVB. I.

Quæ personæ sint capaces Eucharistiæ.

1 NOta, Eucharistiam posse sumi tripliciter: primò, sacramentaliter tantum: secundò spiritualiter tantum: tertiò, sacramentaliter, & spiritualiter simul; de quibus *cap. antecedent. dub.* 1. *num.* 2. & D. Thom. *q.* 80. *artic.* 1. *&* 2. & Trident. *sess.* 13. *cap.* 8.

2 Dico primò, solus homo est capax Eucharistiæ: est res certa, & communis; nam solis illis fuit dictum Ioann. 6. *Nisi manducaueritis*, *&c.* & pro illis solis fuit instituta: vnde excluditur primò Angelus quia non habet corpus, & si illud assumat, in eo non manducat vitaliter: spiritualiter autem dicitur manducare tantum ratione rei contentæ, cui per charitatem, & beatitudinem vnitur. Secundò, excluditur quælibet res, quæ non sit homo, nam mortuus non potest comedere: bruta verò tantum materialiter, non verò sacramentaliter, vt etiam dixi *lib.* 1. *cap.* 5. *dub* 1.

3 Dico secundò, solus, & omnis baptizatus est capax huius Sacramenti: quod solus baptizatus sit capax, patet, quia vt sæpè dixi, Baptismus est ianua Sacramentorum, & absque illo non est in homine potentia passiua ad Sacramenta suscipienda: consequenter non est capax sumptionis Sacramentalis, nec vllius effectus Eucharistiæ, sed ad summum sumptionis materialis, sicut brutum; sumeret enim species consecratas, sed nullum effectum illius, vnde catechumenus, nec sacramentaliter tantum sumere potest Eucharistiam. Henriquez videndus *cap.* 40. *&* 41. Innocentius autem *cap. veniens de Presbytero non baptizato*, vbi videtur sentire, catechumenum posse sumere Eucharistiam, loquitur de sumptione materialiter tantum. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 184.

4 Quod autem omnis baptizatus sit capax huius Sacramenti, probatur inductione per singulos. Primò, Infantes sunt capaces, possunt enim manducare, vel saltem bibere, reciperent etiam fructum, & effectum Sacramenti, eo quod non habeant obicem: hoc patet vsu Ecclesiæ antiquæ tum Græcæ, tum Latinæ, ex Dionysio 2. Eccles. Hierar. *part.* 2. *&* 3. Clement. VIII. *constitut. cap.* 20. & Trident. *sess.* 21. *cap.* 4. dicente: *Omnes Patres pro sui temporis ratione probabilem causam sui facti habuisse.* Hoc autem tempore non datur illis ob decentiam, & reuerentiam, quæ præferenda est alicui vtilitati infantis. A fortiori pueri statim ac perueniunt ad vsum rationis, sunt capaces huius Sacramenti, non tamen statim eis dandum, sed expectanda est discretio, vt discernere valeant corpus Christi sumendum esse puro corde, præmissa confessione, & ieiunio; discernereque sciant panem diuinum ab vsuali. Non tamen datur tempus determinatum, sed relinquitur prudentiæ confessarij: communiter expectandi sunt quatuordecim anni. At Sotus, & benè *dist.* 12. *artic.* 9. tenet puerum viuacissimi ingenij posse communicare anno decimo; cura autem hæc, ad parentes, patrinum, tutorem, aut parochum spectat. At si puer aduertat, debet consulere confessarium, vt iudicet an teneatur ad communionem. Qui excusatur, si in mortis articulo, vel vbi maximè viget præceptum diuinum, vel in Pascha, pater, vel parochus non permittant, illum recipere Eucharistiam, eo quod dubitant de sufficienti discretione. At interdum, vt in mortis articulo, vel tempore iubilei expediret puero indulgere. De quibus vide Henriquez *lib.* 8. *de Eucharistia c.* 42. & ea quæ dixi de iis puesis in Decalogo *lib.* 3. *cap.* 5. *dub.* 2. vbi Corduba *casu* 60. Castro Palao *tract.* 3. *de legib. disp.* 1. *punct.* 24. dixi pueros ante duodecimum, aut decimum quartum annum non incurrere excommunicationem latam contra non sumentes Eucharistiam tempore Paschali.

4 Secundò, capaces sunt ex se Eucharistiæ perpetuo amentes sicut pueri ante vsum rationis: non tamen est illis danda etiam in articulo mortis, vt obseruat sancta Mater Ecclesia; verba enim illa Christi, Ioann. 6. *Nisi manducaueritis*, *&c.* solis adultis conueniunt. Suarez *disp.* 69. *sect.* 2. Quod si amens aliquando habuerit vsum rationis, & amentia non sit continua, sed habet lucida interualla, expectandum est tempus vsus rationis, & tunc, & non antea administranda est Eucharistia, hoc enim expostulat reuerentia tanto Sacramento debita. Si verò amentia sit continua, potest eis Eucharistia administrari, si absit periculum vomitus, sputionis, aut alterius irreuerentiæ, & hoc solum in articulo mortis, propter reuerentiam, quam Ecclesia, seclusa necessitate, præcipuè respicit. Sanct. Thom. *quæst.* 80. *articulo* 9. & colligitur *ex cap. qui recedunt* 26. *quæst.* 6. *& cap. is qui* 26. *quæst.* 6. *cap. quod in te, de pænitent. & remiss.* & tenet Syluester *Eucharistia* 3. *num.* 7. Bonacina cum aliis *tom.* 1. *disputat.* 4. *quæst* 6. *punct.* 1. *num.* 4. & Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *quæst.* 2. qui *num.* 189. ait, teneri parochos in articulo mortis, administrare huiusmodi amentibus Eucharistiam secluso periculo irreuerentiæ, vt colligitur ex *dict. c. quod in te*, nam cum sint in necessitate positi, & capaces, habent ius ad illam, ideò absque iniustitia ea non potest priuari: ad quam administrandam sufficit, quod amens antea petierit formaliter & expressè, aut saltem implicitè, & virtualiter: censetur autem petitio virtualis, quando quis antea, vel dedit signa contritionis, vel saltem Christianè vixit, nec constat ante amentiam iacuisse in notorio peccato; nam præsumendus est vnusquisque bonus, si malus fuisse non probetur. Ita citati, quo in casu non requiritur confessio, quia vt supponimus, non est possibilis, & ex alio capite instat præceptum communionis, quod impleri potest.

5 Aduertendum, in Rituali iussu Pauli V. edito, prohibitum esse, his amentibus dari Eucharistiam extra mortis articulum, vt refert Victorellus *in addit. in summ. Tolet. lib.* 6. *cap.* 15. §. *quod si.*

6 Adoette etiam, idem quod dictum est de huiusmodi amentibus, dicendum esse de phreneticis, verùm tamen his tutius est nunquam date, oam fere semper adest periculum. Pussenius *de offic. car. c.8. num.32. §. sed si phreneticus*, qui *num. 35.* tenet, & bene rabido nunquam esse dandam Euchatistiam, quia nihil deglutire potest: ex dictis patet posse Sacerdotem præbere viatieum infirmo deliranti, qui propter febrim in amentiam incidit, si absit periculum irreuerentiæ, vomitus, aut sputionis, quod probari, seu experiri poterit dando illi prius hostiam non consecratam, quam si decenter suscipiat, poterit illi dari consecrata, vt ex Zambrano aduertit Diana 1. *part. tract. 4. resol.78.* qui *resol. 79.* bene, & consequentet tenet perpetuò, & absolute fatuis, & amentibus sanis, non esse dandam Eucharistiam, nisi sint semifatui, vt dicetur *num.7.* quidquid dicat Sancius *in suis se lect. disp.26. num.5. & 34. num.9.* nam illi obstat communis sententia, & prohibitio Ritualis Pauli V. *vbi suprà*.

7 Tertiò sunt capaces communionis, & admittendi ad Eucharistiam, non tamen frequenter, sed tantum tempore Paschalis, & in articulo mortis, habentes imperfectum vsum rationis, *Æ*tiopes, & semifatui, secluso irreuerentiæ periculo, ita eum Soto & aliis Henriquez *lib.8. cap.42. num.3.* & Bonacin. *supra num.7.* nullo enim iure constat, eis esse denegandam.

8 Quartò, obsessi, & vexati à dæmone, si non sint priuati rationis vsu sunt capaces Eucharistiæ, estque eis administranda, quoties prudens confessarius iudicauerit, eo quod nullo iute priuati existant, & potest illis multum prodesse, aliter daretur afflictio afflicto: si autem careat vsu rationis, tunc obseruandum est id, quod dictum est de amente, S. Thom. *quæst.80. art.6. ad 2.* Suatez *disp.69. sect.2. §. quarto loco.* At si probabiliter credatur, hæc ficta esse, denegauda est confessio, & communio, vt resipiscat. Ita Gonzalez de Losada, è Societate Iesu *in tract. de purgator. cap. vltim. in fin.* vbi agit de dæmoniacis, & quomodo cognoscantur.

9 Nota, quamuis tempore Apostolorum apud quasdam Ecclesias fuerit in more positum, conferre Eucharistiam laicis sub vtraque specie; iure tamen optimo talis consuetudo derogata est. Vnde secundum fidem ex Trident. *sess.13. c.1. 2. & 3 & Can.1. 2. & 3.* non est laicis necessarium, sumere vtramque speciem, sed sufficit sumere panis species; poterant enim species vini effundi, vel cortumpi, proindeque Ecclesia supradictum morem abrogauit, nullum enim extat nunc præceptum de communione sub vtraque specie respectu laicorum: patet ex Trident. *suprà sess.21. cap.1. & Can.1.* de quo latè Bellarmin. *lib 4. cap. 24.* vnde verba illa Ioann.6. *Nisi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem.* Intelligenda sunt sub distinctione: *Nisi manducaueritis, vel biberitis*, sicut Exod.15. & 21. *Qui occiderit patrem, & matrem*, id est, *vel matrem*. Vide Bellarmin. *sup.* Suarez *disp.71. sect.3.* & Filliucius *tom.1. tractat.4. cap.7. quæst.7.8. & 9.* qui *num.* 204. ait posse Papam dispensare, & de facto dispensauit cum Boëmis, vt possint communicate sub vtraque specie, & nunc Imperator dum coronatur, communicat sub vtraque specie. Nec sic defraudantur laici, quia tantum gratiam sacramentalem ex opetato recipiunt per vnius speciei sumptionem, quam tam recipiunt Sacerdotes per sumptionem vtriusque speciei; nam sub specie panis tota virtus huius Sacramenti continetur, scilicet corpus, & sanguis Christi, & quamuis ibi sanguis contineatur per concomitantiam, non ideo est minoris efficaciæ, quam ille qui in calice continetur ex vi verborum, vtetque enim est sanguis Christi; vnde fit, per sumptionem sanguinis non dari ex opetato nouum gradum gratiæ, vt dixi *cap. anteced. dub. 2. num.1.* æquatur ergo sumptio vnius speciei sumptioni vtriusque speciei in efficacia virtutis, & quoad rem significatam: differunt tamen in ratione signi formalis, & expressi, non virtualiter, & quoad efficaciam omnia continentur sub vna specie. Dixi *ex operato*, nam ex opere operantis potest maiorem gratiam recipere sumens vtramque speciem, secundum dispositionem maiorem, vel minorem, vt dixi *dub. citat.* Sacerdotes autem celebrantes (secus si non celebrant) tenentur communicare sub vtraque specie, vt omnes Catholici, & Concilia multa consitentur: Imò nunc Cardinales Diaconi de manu Papæ communicantes, communicant sub vtraque specie, de quo vide Henriquez *de Eucharistia cap.44.* & Ledesmam *in summ. cap.16. de Eucharistia.*

DVB. II.

Quinam, & quando teneantur præcepto diuino sumendi Eucharistiam.

HAnc difficultatem exagitaui in Decalogo *lib.3. cap.5. dub.1.* vide ibi.

DVB. III.

Quando obliget præceptum Ecclesiasticum sumendi Eucharistiam, & qui nam eo teneantur.

VIde in Decalogo *lib.3. cap.5. dub.2.*

DVB. IV.

Quæ dispositio requiratur in anima ad dignè suscipiendum Eucharistiam.

1 DIco primò, commune, & certum est, ad suscipiendam dignè, & cum fructu Eucharistiam requiri, quod suscipiens non habeat conscientiam peccati mortalis, sed sit in gratia: oam vt sæpè diximus, est Sacramentum viuorum, & supponit hominem viuum: dicitur autem habere conscientiam peccati mortalis, non solum si habeat affectum peccandi, verum etiam si habeat peccatum mortale antea commissum. Hinc fit, communicare cum peccato mortali, esse mortale grauissimum: est de fide, ex illa 1.Cor.11. *Probet autem se ipsum homo* nam talis indignè mandocat, ergo iudicium sibi manducat, quod est nouum culpam committere, ex Trident. *sess.13. cap.7.* sic exponente, & aliis Patribus apud Suarez *disp.66. sect.1.* Adde cum S. Thom. *quæst.80. art.5.* Suarez *loco citat. sect.1. & 2.* Henriquez *lib.8. cap.45.* Ledesma *in summ. cap.11. de Eucharist. concl.4.* & Bonacina cum aliis *tom. 1. disp.4. quæst.60. punct.2. num.9.* grauius peccare, quo grauius peccatum, cum quo sumit Eucharistiam, oam quo grauius est peccatum, maiorem habet repugnantiam cum authore gratiæ, qui est Christus contentus in hoc Sacramento.

2 Etenim grauissimum omnium peccatorum est odium Dei; secundum hæresis, seu apostasia, tertium desperatio; quartum contra Christum in propria specie, vt peccatum Christum crucifigentium: quintum contra Christum in aliena specie videlicet: indigna illius susceptio. Ita D. Thom. & Ledesm.

vbi sup. grauius tamen peccaret, qui in locum immundum, aut canibus proiiceret Eucharistiam. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *capit.* 8. *num.* 209. ex D. Thom. *supr. artic.* 5. *ad* 3. indigne enim communicans est reus corporis, & sanguinis Christi, ac si Christum occidisset, & effudisset eius sanguinem, vt cum D. Ambrosio, sentit D. Thom. à Villanou. Archiepisc. Valent. *concione* 3. *de Sacramento Altaris*, quare ex se, & ratione obiecti, grauius peccatū est in peccato mortali communicare, quam hominem interficere; nam primum est contra virtutem Religionis, & reuerentiam debitam Christo, secundum vero contra purum hominem.

3 At ratione damni irreparabilis, & per accidens, secundum grauius censetur. Item, indigna Sacramentorum susceptio causa est cur Deus permittat homines vexari à dæmone, sicut contigisse suo tempore refert D. Cyprian. *serm. de lapsis in fin.* vbi affert alia peccata, propter quæ Deus permittit, homines vexari à malis spiritibus.

4 Obiter aduerte, Sacerdotem in peccato mortali celebrantem, vnum peccatum tantum mortaliter committere sacrilegij, multis tamen titulis, ex eo videlicet, quod consecrat, offert sacrificium, ministrat sibi, accipit Sacramentum, & absque confessione, tum quia recitat Epistolam, & Euangelium at quia omnes istæ actiones vnum tantum efficiunt, eo quod procedant ex eadem specie irreuerentiæ, qua indigne tractatur hoc Sacramentum, proinde moraliter vnum tantum sacrilegium censetur. Vide Ledesma. vbi sup.

6 Dico secundò, communicans ob finem, qui est peccatum veniale, ob inanem gloriam, vel cum distractione voluntaria, aut vna aliqua cogitatione: vel si grauatum sentiat multis venialibus, ideoque indispositum, & sine vllo dolore accedat, vel si habeat affectum ad peccatum veniale, aut propositum illud committendi, non peccat mortaliter, tum quia non est grauis iniuria, nec ponitur obex effectui principali, qui est gratia, vt dictum est, *cap* 4. *dub.* 1. *num.* 6. tùm quia nullum est circa hoc præceptum speciale: peccat tamen venialiter, tùm quia adest aliqua irreuerentia: tum etiam quia ponit obicem aliquibus effectibus non principalibus, vt eorum remissioni, feruori charitatis, & spirituali dulcedini, vt diximus *dub. cit.* At si peccatum veniale sit tantum in habitu, licet sine eius dolore accedat ad Eucharistiam, vel quia non recordatur, vel quia ob humanam fragilitatem non potest voluntatem auertere ab illo affectu leui, curat tamen cum reuerentia, & deuotione communicare, hic nec peccat venialiter, Sotus *dist.* 12. *quæst.* 1. *artic.* 4. & aliis cum Suarez *disp.* 66. *sect.* 1. & cum his Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 208. quia culpa hæc non est circunstantia actus: neque ab hominibus exigenda est maior dispositio, alioqui soli sanctissimi viri ad hoc Sacramentum accedere possent absque peccato.

7 Dico tertiò, habens probabilem conscientiam peccati mortalis tenetur ex præcepto diuino præmittere confessionem Sacramentalem, etiamsi contritus sibi esse videatur. Quod teneatur ex præcepto patet ex Trident. *sess.* 13. *capit.* 7. vbi dicitur: *Ecclesiasticam consuetudinem declarare eam probationem esse necessariam, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad Sacramenti Eucharistiam accedere debet.* Et subdit: *quod à Christianis hominibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac Sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit* Et Can. 11. addit: *Si quis contra docere prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando, defēdere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Quod autem hoc præceptum sit diuinum à Christo latum, & per Apostolos Ecclesiæ traditum, fundatur in verbis Apost. 1. Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo*, in quibus dicit Trident. *loco citat.* contineri præceptum Christi, idem docent Patres apud Suarez *disp.* 66. *sect.* 3. & DD. antiqui apud Henriquez *capitul.* 45. *num.* 3. *lit. V.* Congruentia autem huius præcepti, est dignitas, excellentia, & sanctitas tanti Sacramenti, ex quo fit vt plusquam temerarius existimandus sit, qui asseruerit, non esse præmittendam confessionem, ante sumptionem Eucharistiæ, vt docet Suarez. *vbi sup.* & cum multis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *cap.* 10. *vers. Ex quo fit.* Ex dictis constat, accedentem ad Eucharistiam, non præmissa confessione peccati mortalis, peccare contra ius diuinum, cum probatum sit, præceptum præmittendæ confessionis esse diuinum, Vide Coninch *quæst.* 80. *art.* 4. *n.* 13. & cum aliis Bonacin. *loco cit. n.* 35.

8 Dico quartò, dubitans peccasse mortaliter tenetur præmittere confessionem, si magis propendeat in hanc partem, vt credat se mortaliter peccasse, vel mortale peccatum confessum non fuisse, vel confessum peccato, quamuis habeat aliquam suspitionem, vel formidinem in oppositum. Suarez *de pœnit. disput.* 22. *sect.* 9. *num.* 1. Sanchez *in sum. libr.* 1. *cap.* 10. *num.* 66. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 6. *punct.* 1. *num.* 12. quia vt ij docent & dixi in Decalog. *lib.* 3. *cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 3. hic tenetur præcepto confessionis. Idem existimat dicendum. Bonacin. *sup.* cum Nauarr. *capit.* 10. *num.* 7. & Sanchez *loco citat.* quando quis æqualiter dubitat, se mortaliter peccasse, vel mortale peccatum confessum fuisse, tum quia possessio stat, pro præcepto obligante: tum etiam ne se exponat periculo sumendi Eucharistiam in peccato mortali, nec diceretur se probasse iuxta præceptum Apostoli 1. Cor. 11. *Probet autem se, &c.* At Suarez *vbi suprà*, *num.* 6. cum Tabiena, Palud. & aliis existimat, hanc posse practice deponere conscientiam dubiam, nec teneri ad confessionem illius peccati; quod etsi probabile sit, probabilius tamen, & tutius est oppositum, & in praxi sequendum. Secus tamen dicendum, si probabiliter opinatur se non peccasse mortaliter, vel se confessum fuisse peccata mortalia, quia licet sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, vt docet Sanchez *vbi sup. num.* 76. & dixi in Decalogo cum aliis *lib.* 8. *cap.* 1. *dub.* 6. Ex quo fit, cum qui probabiliter credit, se non consensisse alicui peccato mortali, vel se non peccasse mortaliter, vel se confessum fuisse, vel confessionem fuisse validam, vel tales circunstantias non esse confitendas, non teneri ad confessionem, etiamsi forte probabilius sit consensisse, vel peccasse mortaliter, &c. ita Suarez Sanchez, Bonac. loco citat. & alij.

9 Dixi *semper in superioribus, habens conscientiam peccati mortalis*; quia habens solum peccata venialia, nec ad sumendam Eucharistiam, nec tempore præcepti confessionis tenetur confiteri, vt docent communiter DD. & dicemus vbi de pœnitentia, tum etiam, quia vt dictum est *conclus.* 1. peccata venialia non impediunt effectum substantialem, huius Sacramenti: peccat tamen venialiter, si cum distractioné voluntaria, aut cum affectu alicuius peccati venialis suscipit Eucharistiam, quia aliqualis illi irrogatur irreuerentia, vt docet Filliuc. 1. *p. tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 206. & communiter DD. apud Laymam *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 3. non tamen est improbabile non peccare de nouo venialiter, nisi ipsam communionem referat in finem venialem, vt si commu-

nicet ob inanem gloriam. Ita Ledesma *in sum. capit.*11.*de Eucharist.concl.*5.*& suprà, verbo, Eucharistia, num.*22. & Sancius *in select.disp.*23 *num.*37. apud Dianam 3.*p tract* 4.*resol.*31.

10 Dico quintò, etsi communiter, & regulariter loquendo, verum sit, habentem conscientiam peccati mortalis, teneri præmittere confessionem ad sumendam Eucharistiam, excusator tamen quando non est copia confessoris, & necessitas viget communicandi, vel celebrandi; id enim colligitur ex Tridentin. *vbi suprà*, ita limitante prædictam obligationem, tunc tamen is tenebitur habere contritionem. Ita communiter DD. apud Suarez *disputat.* 66. *sect.* 5. quod probatur, & declaratur casibus sequentibus.

11 Primò, Sacerdos qui inchoata Missa recordatur alicuius peccati mortalis, non tenetur Missam relinquere, vt confiteatur, non enim dimittenda Missa inchoata, nec vocare confessarium si adsit periculum scandali: imò nec eo secluso, etiamsi commode illum vocare possit, vt docent Suarez *disput.*66.*sect.*4. Coninch *q.*80.*art.*4.*dub.*2.*n.*16. Henriquez *lib.*8 *cap.*46.*num.*3. & alij apud Bonac.*tom.*1. *disputat.*4. *quæst.*6. *punct.*1. *num.*15. etsi ipse oppositum iudicet probabilius, quod mihi non displicet, nam si illum vocare potest absque scandalo, & vllo incommodo, non censetur adesse necessitas, aut causa communicandi absque confessione; secus autem si adsit scandalum: Tenetur tamen hic conari ad eliciendum actum contritionis, *vt infra n.*18. quod existimo indubitatum quando ante Missam non præmisit confessionem; quod si eam præmisit, & postea in Missa recordatur peccati mortalis commissi, & obliti probabile est non teneri de illo conteri, vt tenet Diana 1.*part. tract.*14. *resolut.* 48. eo quod illud peccatum oblitum iam in confessione fuit virtualiter vere remissum, tutius tamen, & verius est teneri de illo conteri; nam si posset illud tunc commodè confiteri teneretur ad id; ergo cum non sit possibilis confessio tenebitur ad contritionem, vt digne accedat.

12 Secundò, Sacerdos qui, inchoata Missa meminit esse excommunicatum, vel non ieiunum, tenetur dimittere Missam ante consecrationem, si id facere possit absque scandalo; quia excommunicatio, & non esse ieiunum, non potest tolli per contritionem, sicut tollitur peccatum. Secus si non possit dimittere Missam sine scandalo, nec commodè possit habere copiam confessoris pro absolutione excommunicationis, tunc enim poterit eam contritus perficere. S. Thom.*quæst.*81.*art.*6.*ad.*2. Coninch *ibi art.*8.*num.*64 & cum aliis Bonac.*sup.num.*16. vbi aduertit S. Bonauent. tenere, inchoatam Missam semper esse perficiendam, quia ferè nunquam dimitti solet absque scandalo, quod probabile putat Sotus, Angelus, & alij, quos sequitur Reginaldus *lib.*29. *cap.*6. Quod si recordatur post consecrationem, non tenetur vllo modo Missam dimittere propter sacrificij integritatem, sicque eam perficiet contritus: quo in casu non fiet irregularis. Sanct. Thom. *q.*83. *articul.*6.*ad.*2.

13 Tertiò, laicus, qui post confessionem positus ad linteum altaris, paratus communicare cum aliis, recordatur alicuius peccati mortalis, non tenetur reddere, & adire confessarium; nam se exponeret periculo infamiæ, sicque contritus poterit communicare. Nauarr. *cap* 21. *num* 49. Coninch *q.*80. *artic.*4 *num.*24. Henriquez *lib.*8 *capit.*46. *num.*3. & cum eo Reginald. excusant huiusmodi laicum, etiam præcisa nota, & scandalo, ob reuerentiam Sacramenti; nam hic dicitur iustificatus & iam probatus per confessionem præmissam. Hoc tamen non probat Suarez *disp.*66. *sect* 4. & cum eo Bonacina *sup. num.*17. & merito, quia non censetur adesse iusta causa omittendi confessionem, cum possit, vt supponimus, accedere ad confessarium absque nota, & scandalo, & ita etiam sentit Villalobos *tom.*1. *tract.*7. *differ.* 37. *num.*4. *in fin.* Verum tamen est, quod si coram aliis communicet, præcipuè si iam Sacerdos in manibus sacram Eucharistiam teneat, nunquam aut rarò deest nota, & murmuratio, quod sufficit ad illum excusandum, vt bene cum Suarez, & Corduba, Villalobos *vbi supra*. Obiter adoerte optimum consilium D. Bonau.*dist.*13. vt antequam ad communionem accedas, fiat diligens probatio, postea ne cogites de propria dispositione, sed de altitudine mysterij, & id cedit in maiorem reuerentiam Eucharistiæ.

14 Nota pro dictis, & dicendis, ea quæ diximus militare, quando sequitur scandalum, intelligi de scandalo proprio accepto, & in rei veritate, non verò si tantum modo sequatur quædam admiratio absque scandalo, & infamiæ periculo. Tunc enim dicitur sequi scandalum, quando datur occasio detrahendi, vel temere iudicandi, vel proximum infamandi, &c. non verò quando solum datur occasio admirationis, quod est diligenter aduertendum, nam aliqui accipiunt admirationem pro scandalo. Vide Coninch. 3.*part. quæst.*80.*artic.*4.*num.*15. Suarez, *disp.*67. *sect.*7.

15 Nota etiam non expedire, vt Sacerdos ad altare audiat reconciliationes alicuius communicaturi: nam experientia docet, nonnullos casus aliquando euenire, à quibus confessarios non potest se expedire, nisi cum difficultate, & aliqua adstantium animi commotione, Suarez *disp* 66. *sect.*4. *versic. Sexta causa*, & cum Soto, Henriquez, & aliis Bonac. *sup.num.*20.

16 Quartò, Sacerdos morti proximus potest celebrare, vel accedere ad sacrarium, & se cum contritione, communicare, si non adest copia confessoris. Henriquez *lib.*8. *cap.*46. *num.*4. Ledesma *in sum. cap.*11. *de Eucharistia post concl.*8. & cum aliis Bonacin.*tom.*1.*disp.*4.*quæst.*6. *punct.*1. *num.*21. adest enim necessitas.

17 Quintò, parochus non habens copiam confessarij potest præmissa contritione celebrare ad communicandum infirmum, nam necessitas proximi tanquam propria reputatur. Henriquez *capit.*46. *num.*5 vbi addit, in hoc casu posse celebrare secundam Missam, quod cum non sit in vsu, non videtur ad praxim reducendum, vt infra dicetur, & tenet Bonacina *sup num.*23. *in fin.* Item, parochus non habens copiam confessarij, potest cum contritione celebrare in die festo, vt parochiani audiant Missam; nam videtur sufficiens necessitas. Henriq. *cap.* 47. *num.*2. & communiter DD. apud Suarez *disput.* 66. *sect.*4. & Bonacinam *sup num.*23. qui refert, aliquos id extendere ad eos, qui celebrant ex onere capellaniæ, vel ex indigentia stipis, vel eleemosynæ ad necessariam sui sustentationem, quod ait, esse (& merito quidem) cum grano salis intelligendum, nec huiusmodi tanta licentia concedenda, cum onera capellaniæ intelligenda sint salua decentia, & honestate: quia Sacerdos potest aliunde de necessariis sibi consulere, & oneri capellaniæ per se, vel alium alio die satisfacere. Quod si Sacerdos non sit parochus, cui non incumbit ex officio Sacrum facere, necessitas populi non eum excusaret à celebratione in peccato mortali, nisi ex alio capite vt infamia, vel nota excusetur, Filliuc *tom.*1. *tract.*4. *cap.*8. *num.* 216. vbi cum Suarez *disp.* 66. *sect.*4. tenet quando licet

patocho

parocho absque confessione celebrare, posse id facere non solum bis, aut ter, vt existimat Sotus sed etiam pluries iuxta arbitrium prudentia si toto eo tempore non potest commodè habere confessarium. Probabile etiam est Sacerdotem iter facientem, si est in mortali, posse celebrare cum contritinne, vt ipse adimpleat præceptûm audicodi Missam in die festo, si non adest alius Sacerdos à quo illum audiat, vt tenet Toletus *lib.2. c.15.* Henriquez *lib.8. c.48. n.8.* Sylu. Adrian. & Vega, & cum his Diana *1.p.tract.14. resol.63.* & dicit probabile Suarez *3.p tom.3.disp.67. sect.4.* etsi Coninch Filliuc. Sotus, Corduba, & alij apud Dianam oppositum sentiant non tamen tenetur in hoc casu celebrare cum contritione quia potest sequi opinionem negantem. Diana *supra*, qui *resol.64.* coosequenter tenet satis probabiliter contra Suarez *supr.* posse Sacerdotem non parochum in die festo contritum celebrare, si noo adest alius, vt populus Missam audiat, quia necessitas proximi reputanda est, vt propria.

18 Sextò, si quis ad vitandum scandalum, vel alia iusta de causa cogitur commonicare, vel celebrare, & non adest confessarius approbatus, aut si est excommunicatus vitandus & communicaturus est extra articulum mortis, potest sine confessione cum contritione communicare, vel celebrare, adest enim iusta causa omittendi confessionem. Si autem sit in articulo mortis, tenetur confiteri cum simplici Sacerdote, vel cum excommunicato etiam vitando, si non adest alius; nam tunc qoilibet horum habet iurisdictionem, vt dicemus agentes de ministro confessionis, censeturque adesse copia confessarij. Azor *tom.1.lib.10.c.31 q.2.* & cum aliis Bonac. *tom.1.disp.4.q.6 punct.1.n.24.* vide Henriq. *lib.8.c.45.litt.P.& 46.n.5.*

19 Septimò, si existens in stticulo, vel probabili periculo mortis existena non habeat confessarium, habet tamen Diaconum, vel Sacerdotem mutum, qui potest Eucharistiam ministrare. Filliuc. *tom.1. tr.4. c.8.n.214.* & communiter Doctores. Vel si Sacerdos potatn veneno sentiat se morti propinquare, potest contritus celebrare, vel sibi Eucharistiam mmistrare.

20 Octauò, si laicus tempore præcepti communionis habeat ministrum Eucharistiæ, non verò confessionis, posset contritus communicare, vt præceptum cómmunionis adimpleat; similiter Sacerdos celebrare, vt existimant Henriquez *cap.46.num.4.* & Ledesma *in sum.cap.11. post concl.8.* At probabilius id negant Suarez *disp.66.sect.4.* & cum alis Bonacina quia tunc præceptum diuinum præmittendæ confessionis ante communionem præualet præceptn annualis communionis; proindeque, vt ij Doctores asserunt, non posse Sacerdotem celebrare absque confessione, vt præcepto Missæ audiendæ satisfaciat, quia tunc non obligat præceptum, cùm debito modo non possit adimpleri. Bonacina cum aliis *vbi sup.* & Filliuc. *loc. cit. n.217.* vbi dicit secure posse sequi opinionem Sylu. & Palud. oppositum sentientium, præsertim si multo tempore cessandum esser illi à sacrificio. Hoc tamen existimo certum, non posse lethalis culpæ conscium Eucharistiam sumere, prætermissa confessione, quoties non tenetur ex præcepto diuino, vel naturali communicare, sed solùm vult communicare ex deuotione, vel propter magnum fructû, quem ex communione percipi cognoscit Suarez *sup.* Henriq & alij apud Bonac. *n.26.* nulla enim vrget necessitas ideo præualere debet præceptum diuinum de præmitteoda confessione. Idem à fortiori dicendum, si præsens in Ecclesia, vel in vrbe sit confessarius satis idoneus, vult tamen cummunicare sine confessione, quia expectat confessarium magis idoneum, Vide Suar. *disp.66.sect.4.* Henriq. *c.47.* & cum aliis Bonacina *sup.n.26.& 27.* Idem etiam dic, si ex eo vult commonicare, quia occurrit dies valde solennis, vt Natalis Domini, vel quia pro defuncto sit sacrum faciendum. Filliuc. *sup. num.218.*

Non ille, qui solùm habet vnum peccatum mortale, & tantùm habet vnum confessarium, timetque rationabiliter, ab eo peccatum reuelandum, vrgetque necessitas communicandi iam superiùs dicta, potest prætermissa confessione sumere Eucharistiam: si autem habeat alia peccata, tenetur illa confiteri, tacito illo, quod rationabiliter putat manifestandum, vt dicemus agentes de integritate confessionis. Ita Suar. *vbi sup.* & cum aliis Bonac. *n.28.* Filliuc. *tom.1.tr.4 cap.8.n.212.*

21 Decimò, ille, qui habet necessitatem communicandi, adest tamen Sacerdos, sed non est approbatus, potest sine confessione commonicare, nisi habeat priuilegium eligẽdi sibi confessarium non approbatum; tunc enim non dicitur esse in necessitate communicandi absque confessione. Bonac. cum aliis. *num.29.*

22 Quæres primò, quanta distantia pœnitentis requiratur vt dicatur non habere confessarium. Respondeo, hoc relinqui prudentis arbitrio, habita ratione circunstantiarum loc, temporis, & personarum, fieri enim potest, vt quatuor, aut quinque millia oon sufficiant respectu vnius, & non respectu alterius. Quare illa distantia sufficit, qua ob difficultatem itineris, vel breuitatem temporis vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum scandali, vel infamiæ, Sacerdos non potest hic, & nunc confessarium adire sine magno incommodo. Bonac. *sup.n.30.* vide Coninch *3.p. q.80.a.4.dub.2.n.23.*

23 Quæres secundò, an habens peccatum aliquod reseruatum, teneatur præmittere coofessionem ante communionem, si tantùm Sacerdos habeat facultatem absoluendi à non reseruatis. Loquimur in casu, quo teneatur ex necessitate communicare, iuxta superiùs dicta. Respondeo, & dico, si præter peccatum mortale non reseruatum habeat alia peccata mortalia reseruata absque excommunicatione, non excusatur tunc à præmittenda confessinne, vt docet Nauar. *c.7.n.3.& 6.* & cum Suarez, & aliis Bonac. *tom.1.disp.4.q.6. punct.1. n.31.* & dicemus vbi de pœnitentia, *dub.7.* vbi de absolutione à reseruatis, *vers. Sequitur secundò.* quia in hoc casu potest absolui directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis: tenetor tamen sic absolutus habere propositum adeundi reseruatorem, vt directè à reseruatis absoluatur, vt Doctores citati & dicemus *loco cit.* Quod si casus reseruatos habeat annexam excommunicationem reseruatam, Caietan. *verb. Absolutio, c.2.* tenet non posse absolui, à casu, & excommunicatione reseruata extra articulum, vel periculum mortis, secluso priuilegio, posse tamen, si adsit periculum scandali, aut infamiæ, aut alia causa iusta ex superiùs dictis cum contritiooe communicare; si absit confessarius habens facultatem absoluendi à reseruatis, nec excommunicatus sic celebrans fiet irregularis, nam præceptum Ecclesiasticum non tam strictè videtur obligare. Hanc sententiam Caiet. sequuntur multi recentiores, dicentes in hoc casu non dari copiam confessarij, eo quòd careat facultate absoluendi à reseruatis. Potest ergo secundùm hanc sententiam, quam vt probabilem sequitur Diana *1.p. resol 65.* ille, qui habet casus reseruatos, à quibus præsens confessarius absoluere non potest, contritus sine præuia confessione Sacrum conficere, si aliàs non poterat illud omittere absque scandalo, aut infamia, iuxta superiùs dicta. Nihilominus tamen probabilis, & tuta est sententia, quam sequitur Henriquez *de pœnit. lib.4. cap.13. num.6. cap.15. n.6.& 7.* Coninch *disp.8. de minist. pœnit. dub.13. num.104.* nam præstat ob

ob reuerentiam Eucharistiæ sic absolui; quam sine confessione communicare, præsertim cùm contritio sit difficilis: videturque maior Prælatus tacitè concedere talem facultatem. Item Doctores absolutè asserunt, posse in huiusmodi casibus indirectè à reseruatis absolui, vt latiùs suo loco dicemus.

24 Si verò præter mortale reseruatum, solùm habeat venialia, Bonacina *vbi sup.* cum Coninch. & aliis existimant, sic communicaturum, per se non teneri præmittere confessionem, eo quod non teneatur venialia confiteri; tenetur autem, inquit, per accidens, vt si existimet se esse tantùm attritum. At crederem, teneri absolutè propter rationem dictam, quæ etiam militat in hoc casu; nam cùm venialia sint materia apta pœnitentiæ, eaque habens simul cum mortali reseruato, & illa subiiciens absolutioni, possit ab iis directè, & à reseruato indirectè absolui, reuerentia tanti Sacramenti videtur expostulare, vt confessio, sicut in primo casu, præmittatur.

25 Quæres tertiò, an committat duplex peccatum, qui sumit Eucharistiam non præmissa confessione, casu, quo eam præmittere tenebatur. Respondeo, si tunc confessio solùm obligabat ratione communionis tantùm vnum committere peccatum, quia, vt supra ponimus, non per se confessio, sed per accidens obligat, & in ordine ad aliud. Secus autem si per se, & alio titulo confessio tunc obligabat, v. g. tempore Paschatis; nam tunc duplex peccatum committeret, alterum omissionis contra præceptum confessionis; alterum verò commissionis per indignam Eucharistiæ sumptionem, vt cum Azot, & aliis contra Sotum tenet Bonacina *sup. num.* 33. qui *num.* 34. cum Suarez 3. *part. disput.* 66. *sect.* 1. *concl.* 1. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. addit, etiam duplex peccatum committere excommunicatum, non præmissa confessione, sumendo Eucharistiam, facit enim contra religionem indignè, communicando, & contra obligationem censuræ, qua prohibetur recipere Sacramenta, ideoque hæc exprimenda sunt in confessione. Vnde non consentio Dianæ 3. *part tract.* 4. *resol.* 35. asserenti, communicantem tempore Paschatis in mortali, non præmissa confessione, tantùm committere vnum peccatum sacrilegij, quia hic dantur duo præcepta distincta, & non subordinata. Admitto enim, qui in Quadragesima facit confessionem inualidam, vnum tantùm peccatum committere, quia præceptum diuinum, & Ecclesiasticum subordinantur.

26 Quæres quartò, an qui vrgente necessitate sumpsit Eucharistiam, non præmissa confessione peccati mortalis, teneatur postea quamprimum confiteri. Respondeo, Sacerdotem, qui vrgente necessitate celebrauit, non præmissa confessione peccati mortalis, teneri, quamprimum commodè poterit, confiteri, vt expressè præcipit Trident. *sess.* 13. *capit.* 7. quod præceptum, vt docent Nauarr. *cap.* 2. *num.* 10. Suarez *disp.* 66 *sect.* 6. non est diuinū, sed Ecclesiasticum; non enim habemus locum in Scriptura in particulari, ex quo probetur esse diuinum. Quòd autem sit Ecclesiasticum, patet ex Trident *sup.* ibi: *Quod si necessitate vrgente Sacerdos absque prauia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur.* Ex quibus colligunt Doctores præceptum obligans sub mortali, quia materia grauis est, vt tenet Suar. *sect.* 7. Hoc autem præceptum solos Sacerdotes, non verò laicos obligat, quia Trident. de solis Sacerdotibus loquitur, in expositione autem legis, præsertim onus imponentis, standum est verbis propriè sumptis: igitur laicus, vrgente necessitate, absque confessione communicans non tenetur postea quamprimum confiteri, sed tempore ab Ecclesia statuto, vt docent Suarez *disp.* 66. *sect.* 7. Coninch. *quæst.* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 24. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 128. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 37. contra Nauarr. *cap.* 2. *num.* 10. Henriquez *capit.* 45. *num.* 4. & alios asserentes extendi etiam ad laicos. Nota, per illud, *quam primum*, intelligi, *triduum*, nam illud dicitur quam primum fieri, quod fit intra triduum, vt docent Gonzal. *in* 8. *regul. Cancel glos.* 43. *num.* 51. Riccius *par.* 2. *decis.* 88. *num.* 9. Sanchez *de matrim tom.* 1. *disput.* 51. *num.* 14. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 2. *num.* 6. *ex cod. de error. aduoc. vbi in continenti primo triduo. & l. fin. cap. de iudic.* ibi: illo autem, id est, intra triduum. Vnde non est audiendus Fagundez *de præcept. Eccl. tract.* 3. *capit.* 10. *num.* 18. nec Molfesius, ac Binsfeldius citati à Diana 1. *p. tract.* 14. *resol.* 60. asserentes, satis esse pro adimplendo præcepto Concilij, si Sacerdos, qui sic celebrauit, confiteatur suo tempore ante aliam celebrationem; quia potest non celebrare ante sex menses; quo in casu confessio tunc facta non potest dici, quòd sit facta quamprimum. Nihilominus tamen Diana existimat, hanc opinionem esse probabilem, quia illud, *quam primum*, potest exponi, quam primum iterum celebrauerit.

27 Hinc colligitur primò, Sacerdotem, qui non vrgente necessitate sed ex sua malitia celebrauit in peccato mortali, non teneri statim, sed tempore statuto confiteri. Item, nec si more laicorum communicauerit, quia se gerit vt laicus. Nec celebrans cum ignorantia peccati mortalis, cuius ante celebrationem, vel in ipsa celebratione non meminit. Ratio est, quia Tridentinum loquitur de Sacerdote celebrante, vrgente necessitate, absque confessione; ignorans autem peccatum non dicitur celebrare sine confessione. Secus si recordatur post consecrationem, sed ante sumptionem, aut illud commisit post consecrationem, hic enim dicitur celebrare, vrgente necessitate, sine confessione, consequenter comprehenditur præcepto Trident. Bonacina *num.* 3. cum Suarez *sect.* 7. & aliis, quidquid cum Vasquez Diana *sup. resol.* 61. nostram sententiam tenet etiam Filliuc. *vbi sup. n.* 123. vbi cum Suarez cit. dicit, etiam illo comprehendi Sacerdotem celebrantem Missam in Parasceue, etiam si non consecret, aut si perficeret sacrificium ab alio inchoatum. Non autem comprehenditur Sacerdos celebrans in peccato ex malitia, hic enim peccauit quidem indignè sumendo, sed nullo præcepto tenetur confiteri statim, sed suo tempore, sicut quicumque alius peccatur. Bonacina *sup. num.* 41. Filliucius *loco cit.* & alij. Secus verò de illo, qui dignè communicat, & non confitetur; hic enim non peccat, sed tantùm remanet obligatus faciendi postea illud, quod ante non potuit: in illo autem, qui ex malitia indignè communicauit, eadem obligatio manet, quæ de aliis peccatis. Non tamen est improbabile, Sacerdotem celebrantem sine confessione non teneri quam primum postea confiteri, sicut nec tenetur laicus, vt tenet Ledesma *in sum. cap.* 21. *de Eucharist. ante* 9 *concl.* vbi ait, verba Tridentin. non esse de præcepto, sed de consilio; quæ opinio vt probabilis sequi potest, vt sentit etiam Vill. *part.* 1. *tract.* 7. *diff.* 37. *num.* 7. opposita tamen, meo explicato, & probabilior, & verior est.

28 Quæres quintò, an communicaturus ob vrgentem necessitatem, si non possit confiteri, teneatur saltem conteri. Respondeo teneri ad contritionem saltem existimatam. Ita communis. Ratio est, quia tenetur ad se probandum: & quia est Sacramentum viuorum, & omnium sanctissimum, institutum ad dandam nutritionem, & augmentum per modum cibi: ergo requirit, vt sumens viuat in vita spirituali

per

per gratiam. Fauet Tridentinum *session.* 13. ibi: *Cauere quisque debet, ne absque magna sanctitate ad hoc Sacramentum percipiendum accedat.* Quare qui cum nuta attritione communicat, peccat mortaliter, consequenter nullum fructum recipit. Ille verò qui eum contritione existimata, vel cum attritione cognita; quam putat ex ignorantia inuincibili sufficere, accedit, recipit, effectum; quam bona fides excusat à peccatu, & cum non ponat obicem, recipiet, effectum, quem per accidens causant Sacramenta viuorum, nimirum remissionem peccatorum, & primam gratiam. Præceptum autem de habenda contritione in hoc casu est de lege naturali consequens institutionem Sacramenti, nam dignitas, significatio, modus gratiæ, quæ confertur, & natura ipsius Sacramenti requirunt hominem viuum per gratiam. Filliuc. *sup. num.* 220. cum Suarez *disput.* 66. *sect.* 7. debet etiam habere propositum confitendi communicans ex vrgenti necessitate, modo explicato quæsito 4.

29 Quæres sextu, an qui peccauit mortaliter, debeat aliquantulum temporis abstinere à communione. Respondeo cum S. Thom. 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 2. *ad* 1. eum, qui contritus est, & confessus, posse per se communicare, etiamsi præcedente nocte, vel aliquu temporis spatiu antea mortaliter peccauerit. Ratiu est, quia id nulla lege prohibetur, & ex alio capite accedit probatus per confessionem, vt supponimus, & cum sanctitate, & iustitia, fortè maiore quam antea. Dixi, *per se*, quia ratione scandali, contemptus, periculi reincidendi, non esset communicandum. Ideo est bonum consilium, vt ait Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 224. saltem abstinere per diem commissu peccato mortali, vt animus à peccato distrahatur, præsertim si inhoneste peccauerit, statim enim tunc accedere, videtur indecentia, & irreuerentia, & peccatum veniale, vt cum aliis Villalobos *part.* 1. *differ.* 37. *num.* 11. nisi rationabilis causa intercedat. At talis irreuerentia, & indecētia videtur tolli per pœnitētiam, & cōfessionē bene circūstātionatā, quā supponimus præcedere vt benè Filliuc. *vbi sup.* & hic *dub. seq. n.* 4. vbi de hoc latius.

30 Quæres septimò, quænam dispositio requiratur in eo, qui non habet conscientiam peccati mortalis, & probabiliter existimat esse in gratia, vel quia non recordatur, se aliquod peccatum mortale commisisse, vel si illud commisit de illo ritè, & rectè confessus est. Respondeo breuiter sufficere, quod velit suscipere hoc Sacramentum, cum intentione saltem virtuali placendi Deo, propter finem à Deo institutum: optima autem, & vtilissima dispositio, in existimante se esse in gratia est, vt eliciat actum fidei, spei, & charitatis, vel saltem maximè in charitate, & amore tanti Sacramenti ferueat: sed de iis videre inter alios poteris Molinam *de sacerdotio tract.* 6. *de la consideracion para celebrar.*

31 Nota, ad vitandum peccatum mortale in communione, non requiri necessariò, verè, & realiter esse in gratia, aliter enim nemo ad Eucharistiam accedere auderet: ita tenent communiter DD. apud Sanct. Thom. *q.* 80. *art.* 4. sufficit enim, se fideliter probare, & probabiliter existimare, se esse in gratia, sicque accedens, qamuis reuera sit in peccato mortali, non peccat mortaliter, vt dictum est, *cap. anteced. dub* 1. *versic. Dubitabis tamen.* ex quo fit, maiorem requiri dispositionem ad recipiendam Eucharistiam cum fructu, quàm ad recipiendam eam sine fructu, & absque peccato, vt *loco cit.* dictum est.

Dub. V.

Quænam corporis dispositio requiratur in suscipiente Sacramentum Eucharistiæ.

1 AD duo capita reduci potest dispositio, quæ requiritur ex parte corporis ad sumendam Eucharistiam: prior est munditia à macula corporis, posterior est ieiunium naturale, hoc est abstinentia ab omni cibo, & potu. Macula autem corporis potest esse triplex, prima, est lepra, secunda, fluxus seminis, vel sanguinis, vel alterius humoris ex infirmitate, vel natura proueniens: tertia, pollutio, quæ potest esse voluntaria siue peccatu, vt in coniugibus, vel cum peccato, vt in aliis: aut inuoluntaria, siue naturalis, siue ex negligentia, & euagatione mentis interdiu, siue à dæmone.

2 Quantum de macula corporis dico primò, lepra impedit tantum, ne quis publicè celebret, propter horrorem circunstantium, quasi leprosus sit irregularis, *cap. de Rectoribus, & c. tua nos de Cleric. ægrot.* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 202. priuatim autem non prohibetur recipere communionem ob hanc maculam. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 226.

3 Dico secundò, fluxus sanguinis, aut seminis, aut menstrua impediunt tantum ex decentia, præcipuè cum expectari possit tempus, in quo cessauerint. Idem de fœminis, quæ paulo antea pepererunt. Consuetudo verò non ingrediendi Ecclesiam per aliquot dies, est ex ægritudine, & corporis debilitate, non quia speciali præcepto prohibeatur, vt patet *capit.* 1. *de purificatione post partum*, & docet pluribus Suarez *disput.* 68. *sect.* 2. & cum eo Filliucius *sup. num.* 227.

4 Dico tertiò, pollutio, quæ est peccatum mortale, ex se impedit sumptionem Eucharistiæ, sicut alia peccata: vnde si confessione deleatur, non est peccatum mortale, accedere post eam ad Eucharistiam, nullo enim iure id prohibetur. Nihilominus tamen qui peccatum carnale commisit, vt fornicationis, vel pollutionis, debet saltem per diem sub veniali abstinere à communione, nisi aliàs adsit iusta causa communicandi; videtur enim, aliquam irreuerentiam irrogare Christo castitatis, & puritatis authori, qui maximè à peccatis carnalibus abhorret, tum etiam quia indecens est, vt pollutus, etiam si lotus sit per pœnitentiam, accedat ad mensam tanti Principis, & admirabilis Sacramenti. Ita Sanct. Thom. *quæst.* 80. *artic.* 7. Henriquez *lib.* 8. *capit.* 51. *num.* 3. Suarez *disput.* 68. *sect.* 2. & cum iis, & aliis Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 4. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 3. non tamen est improbabile, nullum esse peccatum, præmissa confessione, post illam accedere, vt tenent Azor. 1. *partic. lib.* 19 *cap.* 3. *ad fin.* Coninch. *quæst* 80. *artic.* 7. *num.* 42. Sancius *in selectis, disputat.* 23. *num.* 10. Diana 3. *part. tract.* 4. *resolut.* 30. & alij apud Bonacinam *vbi sup. num.* 4. quia, inquiunt, nullus adest textus, vel ratio sufficienter probans, illum repellendum à celebratione, vel communione post confessionem, cum peccatum carnis non magis repugnet sumptioni Eucharistiæ, quam repugnet peccatum, v. g. hæresis. Imò facere videtur Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. vbi dicit, illum accedere dignum, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, digne accedet, se per confessionem probando. Nec, inquit Diana *sup.* obstat distractio, quia est per pœnitentiam interrupta, & sufficit, quamuis faciat, quod in se est, ad eam expellendam. Tenenda tamen est prior sententia, quam etiam tenent

Ledesma

Ledesma *in sum. cap.* 13. *de Eucharist. concl.* 5. & alij apud Bonac. *sup.* asserentes vno die abstinendum esse, saltem ex decentia, ab Eucharistia, quoties pollutio contingit ex propria culpa, nisi aliter rationabilis causa suadeat, iudicio prudentis confessarij. Ex quo patet nimis rigorose Nauarr. sentire esse peccatum mortale accedere ad suscipiendam Eucharistiam ante diem integrum post quodcumque peccatum mortale, etiamsi homo sit de illo contritus, & confessus. Ita ille *de pœnit. dist.* 6. *c.* 1. cui adhæret Marsil. *in* 4. *q.* 6. *art.* 4. apud Dianam 3. *p. tract.* 4. *resol.* 30. vbi fecit refellendam esse hanc sententiam.

5 Dixi, *nisi adsit iusta causa communicandi*, ea enim intercedente, nullum erit peccatum post voluntariam pollutionem, præmissa confessione, communicare. Ita S. Thom. *q.* 80. *art.* 37. & Doctores citati. Censetur iusta causa solennitas festi, dies Iubilei, aut si commodè communio non possit differri in sequentem diem, aut si eo die maxime expediat saluti spirituali pœnitentis communicare. Item obligatio vel obseruantia legis, periculum leuis scandali, aut admirationis, & alia huiusmodi, Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 231. *vers. Quartò*, conari tamen debet cum maxima humilitate, deuotione, & contritione ad Eucharistiam accedere.

6 Dico quartò, quando pollutio contingit absque culpa, saltem mortali, si post eam manet distractio, & euagatio mentis, cogitatio turpium, recordatio illius delectationis, &c. erit etiam sub veniali abstinendum à communione per diem, vt dictum est *concl.* 3. & tenet Ledesma *sup. c.* 13. *concl.* 1. propter rationem ibi dictam. Probari etiam potest conclusio, quia Eucharistia recipienda est cum actuali deuotione, & reuerentia, quam si quis negligit, peccabit venialiter sed effectus dicti, vt plurimum impediunt actualem deuotionem, & reuerentiam; ergo, &c. Laudabile ergo, & consilium optimum erit, vt tales eodem die à communione abstineant, nisi iusta causa communicandi intercedat, vt dictum est *loc. cit.* imò aliquando laudabile erit, eodem die communicare, vt si vir perfectus passus est in somniis pollutionem vel in vigilia omnino inuoluntarie, mouente dæmone imaginationem, vt arceat à communione. Quod si nulla remaneat distractio, nec affectus, &c. nullum erit peccatum, eodem die pollutionis inuoluntariæ, & quæ non est peccatum mortale, accedere ad Eucharistiam. Bonac. *sup. n.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 230. & alij quia cessat ratio supradicta. Vide Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 51.

7 Ex dictis colligitur primò, quando dicti effectus coniuncti sunt cum peccato mortali præcedente iam confesso consultissimum esse, abstinere à communione eodem die; quando cum veniali, consilium bonum; quando cum nullo ferè liberum, præcipuè si caret, quantum in se est, deuotè, & reuerenter accedere. Secundò, quando licet venialis est ex negligentia, magis impedit; quando mere naturalis, minus, quando ex dæmonis illusione, contemnenda; cuius signum erit, si eo præsertim die accidat, quo communicare consueuerat. Consideranda in iis est qualitas personæ, vt si sit Sacerdos, præcipuè regularis, vt Parochus, cuius Sacrum quotidie a multis solet exaudiri; aut vir spiritualis, qui rerum spiritualium vsum habet, & scit excutere huiusmodi mentis euagationes, & in iis faciliùs poterit dispensari, difficiliùs verò cum homine rudi, vulgari non exercitato in spiritualibus bellis. Vide Nauarr. *c.* 21. *n.* 51. Gerson 2. *p. opusc.* 37. & 38. *de preparat. ad Miss.* & cum aliis Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 231.

8 Dico sextò, coniuges communicantes die sequenti copulam coniugalem nunquam peccant mortaliter, vt nunquam certum tenent Doctores; regulariter tamen peccant venialiter iuxta superius dicta, nisi adsit vna ex supradictis causis, aut tempus præcepti, quo instante, poterit coniunx negare debitum petenti, non verò eo, quo ex deuotione vult communicare. Vide Ledesmam *vbi sup. concl.* 5. Ex quo fit, quando affectus relati *concl.* 4. oriuntur ex actu coniugali habito ex nimia concupiscentia carnis, & voluptate, consultissimum esse abstinere; quia signum est animi parum dispositi ad tractandas res diuinas: si ex pura intentione prolis, consilium bonum est abstinentia; si cum bona intentione reddendo tantum debitum, non petendo, tunc liberum erit facere quod quis velit, quia copula fuit ex obligatione iustitiæ, præcipuè si curet, quantum in se est, deuote, & reuerenter accedere. Vide Angel. *verb. Eucharistia* 3. *num.* 30. Sylu. *cap.* 3. *num.* 13. & Filliuc. *loco sup. cit.*

9 Quantum ad secundum, respondeo, & dico, primò, ex præcepto Ecclesiæ sumens Eucharistiam tenetur esse ieiunus, à media nocte immediatè antecedente sumptionem Eucharistiæ, est commune, & certum *ex can. liquido de consecrat. distinct.* 2. & 6. *Synodo c.* 29. *Tolet.* 7. *c.* 2. *Constant. sess.* 13. & comprobatur Eucharistica consuetudine ab Apostolorum tempore, vt ex sanctis Patribus docet Suarez *disp.* 68. *sect.* 3. & habetur *cap sacra de consecrat. dist.* 1. Congruentia est, reuerentia Sacramenti, & quod Christus debet esse primus fidelium cibus: periculum vomitus, & vt mens sit liberior, & expeditior. Nec obstat Christi factum post cœnam: quia illud congrue fuit factum post escam agni figurani huius, & fuit res singularis, quam imitari non debemus; sicut nec cœnare ante. Quod autem hoc præceptum sit Ecclesiasticum, constat ex iuribus citatis. Quòd non sit diuinum, patet ex Christi facto, qui communicauit post cœnam, & ex vsu antiquo (reuocato iam per Synodum sextam, & Toletan. *vbi sup.* in quo in feria quinta cœnæ Domini, post cœnam sumebatur) Deinde quia tale præceptum diuinum non reperitur, neque traditum; neque scriptum. Vide Suarez *vbi sup.* & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 8. *q.* 9.

10 Dico secundò, hoc ieiunium debet esse naturale, vt communis DD. & approbata consuetudo tenet: est enim ieiunium duplex, aliud Ecclesiasticum, quod est abstinentia, non ab omnibus, sed a certis cibis, & horis statutis, de quo late in Decalogo *lib.* 3. *capitul.* 2. *dubium* 1. aliud vero naturale, quod est abstinentia ab omni cibo, & potu etiam in modica quantitate, quamuis per modum medicinæ sumatur. S. Thom. *quæst.* 80. *art.* 8. & communis cum eo. Hinc fit, violari hoc ieiunium, etiam in minima quantitate, modò fuerit per modum cibi, & potus, vt quando accipitur aliquid, quod propria actione vitali per os traiicitur in stomachum; ideo violatur per medicinam, quæ sumitur per modum cibi, vel potus. Quare qui saccharum in os ponit paulatim tota nocte degluriendum, si ante mediam noctem somnus occupauit, debet se reputare tanquam non ieiunum; est enim eiusmodi sumptio per modum cibi, & quasi successiua quædam manducatio. Suarez *disputat.* 68 *sect.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 4 *cap* 8. *num.* 236. & cum aliis Bonacina *tom* 1. *disputat.* 4. *punct.* 2. *num.* 7. limita, nisi moraliter certus sit post mediam noctem nihil deglutisse; secus si dubitat se aliquas partes post mediam noctem traiecisse: quidquid Tabiena *verb. Communicare* §. 49. apud Dianam 1. *part. tract.* 14. *resol.* 51. quia obligatio præcepti ieiunij naturalis est certa, & possidet; ergo causa excusans debet esse certa, ideo à fortiori non poterit communicare mulier,

quæ

quæ post mediam noctem terram, aut quid simile comedit. Diana *sup. resol.* 52.

11 Ex hac conclusione colligitur primò, non violari ieiunium hoc. Primò, quando quis deglutit sanguinem, aut alium humorem à capite in os descendentem, aut ex ore manantem ex gingiua, quia hoc non fit per modum cibi, nec ab extrinseco. S. Thom. *dist* 8. *q.* 1. *art.* 4 *q.* 2. *ad* 3. Filliuc. *vbi sup.* & Bonacin. *n.* 6. Item, nec qui abluendo os deglutit aquæ, vel vini guttam quasi imperceptibilem per modum saliuæ, vt pote illi admixtam, & incorporatam, aut qui degustat ius solum, vt saporem percipiat, etiamsi remaneat aliquid, quod deglutiatur per modum saliuæ. Item, nec qui reliquias cibi ex cœna remanentes casu traiicit; quia censetur per modum saliuæ: si tamen aduertantur antequam deglutiantur, debent expui, quia tunc videntur de nouo comedi, vt ex S. Thom. Suarez aduertit *loco citato.* & cum his Filliucius *vbi supra.* quia aliter viderentur de nouo comedi. Probabile tamen est idem licere, etiamsi dictæ reliquiæ aduertenter traiiciantur, modo non sint ita magnæ, vt dentibus conteri possint, vt sentit idem Suarez, & cum eo, & aliis tenet Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 37. quia talium deglutitio potius ad præcedentis, quàm præsentis diei manducationem spectat; consulendum tamen est, vt illas expuant: addit Diana *supra*, non esse impeditum à sumptione Eucharistiæ eum, qui aliquantulum aquæ per nares attrahit, quæ in stomachum transmittitur, quia id non fit per modum cibi, aut potus: quod autem ego non admitterem, nisi esset in parua quantitate, ita vt si per os immissa fuerit, censeatur factum per modum saliuæ, vt dixi. Item, nec violatur hoc ieiunium, quando casu quis per modum respirationis attrahit parum terræ, aut pulueris, aut si musca volans in os apertum intret. Bonacina *vbi supra numero* 6. Henriquez *libr.* 8. *capitul.* 50. *numer.* 4. Item, nec soluitur hoc ieiunium per paruam papyrum inaduertenter (secus si scienter traiectam, vt probabiliter tenet Ledesma *in summ. capitul.* 13. *de Eucharist. conclus.* 4. & cum Ioann. de la Cruz, tenet Diana 2. *part. tractat.* 14. *resolut.* 52. *&* 3. *part. tractat.* 4. *resolutionum* 38. Nec soluit hoc ieiunium ille, qui aromata ori imponit, eaque dentibus tenet ante sumptionem Eucharistiæ, causa vitandi noxij aëris, modo nihil deglutiat. Bonacina *supra numer.* 9. cum Coninch *quæst.* 80. *artic.* 8. *numer.* 48. Denique non est necesse, vt sumpturus Eucharistiam digesserit cibum, aut post cœnam dormierit. S. Thom. *quæst.* 80. *articul* 8. & communis D D. quia nullo iure id cautum est, & ex alio capite is potest dici ieiunus à media nocte. Ex quo sequitur eum qui in vigilia Natiuitatis cœnauit prope mediam noctem, posse post mediam noctem celebrare, quamuis non dormierit, vel cibum digesserit: consultius tamen faciet, si id prudentis arbitrio differat, propter Sacramenti maximam reuerentiam. Nec obstat *cap. tribus de consecrat. dist.* 2. nam ibi tantum dicitur, non esse prophanos cibos statim ingerendos post communionem. Item, nec *cap. si constiterit de accusat.* quia ibi solum punitur Sacerdos, qui fuerat tota nocte in taberna, & inde ierat ad publicè celebrandum: vnde propter scandalum, irreuerentiam, & præsumptionem cibi, vel potus sumpti post mediam noctem iure punitus est, Filliuc. *dict. cap.* 8. *n.* 237.

12 Sed difficultas est, an sumptio tabachi in folio, puluere, & fumo frangat ieiunium naturale, & consequenter impediat communionem.

13 Antonius de Leone *in qq. moral. de chocolate, part.* 2. *§.* 4. *n.* 10. *& seqq.* relatus à Diana *tom.* 3. *part.* 5. *tract.* 13. *miscellan.* 1. *resolut.* 1. respondet affirmatiuè, nam ait, quocumque ex his modis sumatur, semper aliquid eius substantiæ traiicitur in stomachum, & consequenter violat ieiunium naturale, existimat enim violari hoc ieiunium per quodcumque, quod in stomachum traiicitur, etiamsi non sit comestibile, aut potabile: aliàs enim mulieres, quæ comedunt terram, aut carbonem, aut quid simile, non frangerent ieiunium naturale, quod non est admittendum: deinde in confirmationem suæ sententiæ adducit Concilium Prouinciale Limense *artic.* 3. *capit.* 20. & Mexicanum *lib.* 3. *titul* 15. *§.* 13. in quibus strictè præcipitur Clericis, ne ante Missæ sacrificium tabachi fumum, seu tabachi puluerem, etiam prætextu medicinæ, sumant. Quæ Concilia, etsi extra prouinciam non obligent, afferunt tamen magnam authoritatem huic sententiæ, maximè cum fuerunt approbata à sacra Cardin. Congregat.

14 Anton. Diana *vbi suprà*, cum Alphonso de Leone *de offic. capell. quæst.* 8 *sect.* 17. *casu* 2. *n.* 134. & Præposito *in* 3. *part. quæst.* 80 *artic.* 8. *dub.* 1. *n.* 39. resoluit sumptionem tabachi, ore in folio, aut naribus in fumo, aut puluere non violare ieiunium naturale, nec impedire communionem. Quod autem tabachus sumptus in folio, & puluere per nares non soluat tale ieiunium, sic probat; quia vt docent Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 68. *sect.* 4. *§. quæres rursus*, & Fagund. *part.* 3. *lib.* 3. *capit.* 5. *num.* 6. Coninch. *de Sacram. quæst.* 80. *artic.* 8. *num* 47. Bonacin. *de Sacram. disp.* 4. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 16. & alij, duo requiruntur, vt ieiunium naturale soluatur, & impediat Eucharistiæ sumptionem. Primum, quod sumatur aliquid cibi, vel potus. Secundum, quod talis cibus, vel potus sumatur per actionem, quæ sit comestio, vel potatio, at sumptio tabachi per nares non fit per actionem comestiuam, quæ solo ore efficitur; ergo, &c. ideoque asserunt Suarez, & Fagundez, *vbi suprà*, quod si quis per nares aliquantulum aquæ sumat, non frangit ieiunium naturale, quia illa aqua non potest dici sumi per modum potus, quæ tamen, certum est, quod frangeret ieiunium, si per os sumeretur. Vnde consequenter Celestinus *in capit. Theolog. moral tract.* 8. *capit.* 5. *dub.* 5. & Barthol. à S. Fausto *de Sacrament. Eucharist. lib.* 1. *quæst.* 382. consequenter affirmant hunc non manere impeditum ad sumendam Eucharistiam; ergo similiter non eam impedit sumptio tabachi per nares, licet aliqua pars traiiciatur in stomachum, vt dictum est de aqua attracta per nares. Quòd non impediat sumptionē Eucharistiæ sumptio tabachi in fumo, patet etiam ex ratione supra allata: tùm etiam, quia fumus tabachi non descendit in stomachum, sed statim per nares exit: & dato quod aliquid ex fumo tabachi in stomachum traiiceretur, adhuc non frangeret ieiunium naturale, quia recipitur in stomachum per modum respirationis, non autem per actionem, quæ sit comestio, aut potatio; quod autem per modum respirationis attrahitur, licet possit nutrire, non impedit sumptionem Eucharistiæ. Vt docet Suarez *vbi suprà*, Villalobos 1. *part. tract.* 7. *differ.* 39. *num* 5. Bonacin. *vbi suprà*, *punct.* 2. *numer.* 6. & alij; quia hoc non est comedere, nec bibere: aliter sequeretur, quod si quis de industria aperto ore fumosum halitum carnium in magna quantitate, tempore v. g. Quadragesimæ respirando attraheret, non solùm ieiunium naturale, sed Ecclesiasticum solueret, quod videtur absurdum. Demum quod folia tabachi apposita in ore non impediant communionem, nisi traiiciantur, potest probari rationibus supradictis, & confirmari, quia vt docet Bonacina *supra num.* 9.

& alij, licet aromata ori imponere ante communionem ad vitandum noxium aerem, eaque dentibus conterere, modò de illis nihil deglutiatur, & Faustus *vbi supra quæst.* 381. docet, si quis aliquid aromaticum circumferet ore, sed nihil ex intentione deglutit, nisi minimum quid per modum succi inseparabiliter salinæ immixtum, posse sumere Eucharistiam. Et Lorichius *in thesauro, verbo Missa num.* 21. §. 3. asserit non impedire communionem, si quis granum aliquod paruum in os sumeret ad masticandum pro confortatione capitis, sine intentione comedendi, si casu in stomachum descenderet.

15 Ad rationes primæ sententiæ responderi potest dicendo, res non comestibiles non frangere ieiunium, etiam si in stomachum traijciantur, vt cum aliis tenet Sancius *in select. disp.* 42. *num.* 23. Lugo *de Sacrament. disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 29. & cum aliis Diana *vbi sup.* quia reuera non sunt cibus, nec potus, vt supponitur, & Concilia, ac Canones solos cibos prohibent; ergo de illis cibis loquuntur, qui in stomacho alterari, & concoqui possunt. Vnde colligit Diana *resolut. 1. citat.* in fine, non frangere ieiunium naturale eum, qui plures nummos aureos deglutiret, aut fructuum ossiculos, fragmentum metalli, vitri, aut capillulum, aut lignum, aut quid simile; quæ omnia admodum probabiliter sustineri possunt propter rationea dictas.

Ad authoritatem Conciliorum Prouincialium, responderi potest, ideò in illis partibus, tam strictè prohiberi tabachum, quia forsan ibi tali modo sumebatur, vt ferè semper ad vomitum prouocaret: quod colligitur ex Synodo Episcopatus Canariarum relata ab ipso Leone, vbi statuitur, vt tabachus sumi non possit à Clericis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per duas horas ante Missam, vel post Missam, quo significatur causam prohibitionis fuisse vomitum; nam aliter post Missam, non solum tabachus, sed cibi, & potus sumi possunt.

16 Ego autem, etsi in rigore Theologico existimem veriorem secundam sententiam: nihilominus tamen ob reuerentiam, & decentiam Sacramenti, & maximum abusum, qui non solum inter laicos, sed etiam Clericos, & Religiosos in sumptione tabachi introductus est consultum fore reputo imò & rem maximè Deo gratam, si nostri superiores talem sumptionem Clericis prohiberent, aut saltem moderarent, sicut piissimè, & sanctissime fecerunt Concilia Prouincialia desuper memorata: ego, Deo gratias, nec illum sumo, nec vnquam sumpsi.

17 Excipiuntur tamen aliqui casus à Doctoribus, in quibus licet non ieiuno sumere Eucharistiam. Primus est necessitas sumentis, id est, si infirmus existat in probabili mortis periculo. Ratio est, quia tunc obligat præceptum diuinum communicandi, quod præualet Ecclesiastico de seruando ieiunio. Quod intelligendum est primò, nisi facilè, & sine periculo sequenti die ieiunus non possit communicare, in quo non est scrupulose agendum nam simpliciter loquitur, *capit. liquide, capit. Sacramento, de consecrat. distinct.* 2. Nauarr. *capit.* 25. *numer.* 83. & Doctores communiter. Secundò, non tantum hoc licet semel, sed etiam bis, & ter, cum hac tamen limitatione, quod si infirmitas variata non fuerit, & taliter non potest esse ieiunus interponatur saltem hebdomada inter communionem & communionem, id est, sex, aut octo dies, ita Suarez *disputat.* 68. *section* 5. Henriquez *lib.* 8. *capit.* 4. *numer.* 1. *& capit.* 50. *numer.* 1. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 238. *versic. Tertio.* & cum Tabiena, & aliis Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 23. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 7. *diff.* 39. *n.* 9. & cum multis Diana 1. *p. tract.* 14. *resol.* 75. contra Medinam, Vasquez, & alios. Tum primò, quia semper habet rationẽ viatici. Tum secũdò, quia Concilium Constantiense cõcessit, vt infirmus non ieiunus communicet, & cum non restrinxerit ad vnam vicem, non videtur negandum, quin infirmus non ieiunus possit post sex, vel octo dies iterum ad Eucharistiam admitti. Non enim videtur credibile, piam Matrem Ecclesiam velle infirmum priuare tot commodis, & fructibus non solùm in prima vice quam communicauit, sed etiam in omni statu infirmitatis, ad vincendas tentationes occurrentes, & peccandi pericula superanda, quibus auxiliis, & præsidiis, indiget infirmus in statu mortis constitutus. Aduertunt tamen, & bene Doctores citati, non licere quotidie infirmum non ieiunum communicare, propter reuerentiam Sacramenti; Quod si sit diuersus casus status infirmitatis, intra pauciores dies poterit communicare, Suarez *vbi suprà*, Filliucius *loco citato* Dixi semper, *non ieiunus*, nam si ieiunus existere posset, nullus extat textus, nec ratio, cur infirmus, non posset iterum, atque iterum ad Eucharistiam accedere. Vide Bonacin. *vbi suprà*, *numer.* 32. & Coninch. *q.* 80. *artic.* 8. *n.* 73.

18 Secundò, condemnatus ad mortem, si communio nequeat anticipari, nec differri commodè, potest non ieiunus communicare. Bonacina *suprà*, *num.* 12. Doctores citati, & alij communiter, quia hic etiam est in articulo mortis; & sicut tunc potest à reseruatis absolui, ita ad Eucharistiam admitti: & ita factum esse, refert Henriquez *capit.* 50. *litera E.* Tenetur tamen reus, si sciat eo die morte plectendum, esse ieiunum, si id commodè fieri possit. Vide Bonacinam *vbi suprà*, Tolet. *lib.* 2. *capit* 28. *num.* 6. & ea quæ circa hoc dixi in Decalogo *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 5.

19 Tertiò, Sacerdos, qui post sumptam ablutionem habet reliquias hostiæ palato affixas, potest nouam ablutionem sumere. Idem dic, si aliqua particula adhæsit calici. Syluest. *Eucharistia* 3. *numer.* 3. Suarez *disput.* 68. *sectio.* 6. Henriquez *cap.* 49. *lit. F.* & cum aliis Bonacina *suprà*, *num.* 12. Villalobos *suprà*, *num.* 4. & Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 259. Ratio est, quia magis decet reliquias traijcere per nouas, & iteratas ablutiones, quàm digitum in os apponere: ob idque dicendum de infirmo, qui ob nimiam siccitatem non potest deglutire solam particulam, censentur hæc omnia vna moralis actio: propter eandem rationem Sacerdos, qui post ablutiones, aut post dictas orationes reperit in patena aliquam particulam, vel particulas hostiæ à se consecratæ, etiam magnæ quantitatis, potest statim eas sumere cum enim sint complementum, & partes eiusdem sacrificij ad ipsius integritatem pertinent. Per *statim* autem intellige, totum illud tempus, quo non est expletum adhuc ministerium Missæ: sicque non poterit eas sumere si iam recessit ab altari. Quare si contingat multo tempore morari celebrantem in dispensatione Eucharistiæ, potest purificare vasa, & sumere reliquias, si pertineant ad illud sacrificium: secus autem si essent præconsecratæ, nam tunc essent consecrandæ, si id fieri reuerenter possit. Laicis verò dandæ non sunt vllo modo post ablutionem, nec ante illam, si iam communicauerunt; nam ipsorum actio est consummata in priori sumptione: licèt tamen eas illis dare cum priori hostiola. Suarez *disput.* 68. *sect.* 3. Filliucius *supra quæstio.* 11. Henriquez

cap. 50.

cap. 50. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *n* 13. 14 *&* 15. Quod si Sacerdos reperiat aliquas particulas, quas dubitat esse consecratas, potest eas etiam post ablutionem sumere, nam hæc reputatur vnica actio, quæ fuit inchoata cum ieiunio. Nauarr. *c* 25. *n.* 89. & cum aliis Bonacina *sup. n.* 16. Dixi', *hostia n se consecratn*, quia si dictæ reliquiæ sint hostiæ ab alio Sacerdote in altera Missa consecratæ, non poterunt ab alio in hoc casu sumi, vt existimat Diana, quia harum sumptio non est complementum sacrificij & conuiuij à Sacerdote patati. Ita Diana 2. *p. tract.* 14. *resolut.* 66.

20 Quarto, potest sumi Eucharistia à non ieiuno quando id expostulat necessitas, & reuerentia Sacramenti. Quod contingere potest in iis casibus. Primus si aduertat Eucharistiam ad manus infidelium deueniendam, aut alia similis causa superueniat. Suar. *disp.* 68 *sect.* 1. Coninch *q.* 80. *art.* 8. *n.* 21. & cum aliis Bonac. *sup. n.* 18. Secundus est, quando Sacerdos loco vini inaduertenter aquam consecrauit, & sumendo simul cum particula, comperit esse aquam, non tenetur extrahere particulam, & euomere aquam, sed debet de nouo vinum consecrare, & non ieiunus sumere propter sacrificij integritatem: ob idque, qui post consecrationem aduertit se non esse ieiunum, aut sumpto iam cibo consecrauit, tenetur sacrificium perficere, quia arctius obligat integritas sacrificij, quam præceptum ieiunij. Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 33. *quæst.* 3. Henriquez *cap.* 50. Bonac. *sup num.* 19. & alij communiter. Si autem ante consecrationem recordatur, & potest omittere Missam cœptam absque scandalo (quod rarò contingere potest) tenetur eam relinquere. Item, ob supradictam causam, si Sacerdos peracta consecratione, pereat, nec adsit Sacerdos ieiunus, poterit non Ieiunus, & tenetur perficere sacrificium. Ita Bonacina *supr. num.* 20. & Doctores communiter: si autem pereat ante consecrationem, nullus non ieiunus tenetur perficere sacrificium; aliqui existimant tunc posse: verius tamen puto oppositum, nam cum nulla species sit consecrata, nec sacrificium inchoatum, cessat ratio, & causa perficiendi sacrificium, idem dic, si pereat post sumptionem, quia non relinquit sacrificium imperfectum.

21 Quintò, potest non ieiunus ex Pontificis dispensatione communicare, nam vt dictum est *hoc dub.* præceptum hoc est Ecclesiasticum, ideo à Papa dispensari potest.

22 Demum potest quis sumere Eucharistiam non ieiunus ad scandalum, & infamiam vitandam si aliter vllo modo vitari non possit, patet ex dictis, quia in hoc casu etiam non præmissa confessione contritus celebrare, vel Eucharistiam sumere potest.

23 Quæres primò, vtrum Sacerdos non ieiunus possit consecrare ad communicandum infirmum, si caret hostiis consecratis. Maior *in* 4. *distinct.* 5. *quæstio* 3. cuius sententiam existimat probabilem. Suarez *disputat.* 68. *sect.* 1. affirmat: quam opinionem probabilem reputat Layman in *Theologia morali lib.* 5. *tractat.* 4 *cap* 6. *numer.* 21. & aliqui apud Dianam 3. *part. tract.* 4. *resolut.* 33. quia præceptum diuinum communionis tunc præualet præcepto Ecclesiastico ieiunij. Probabilius tamen, & verius est, id non licere, vt tenent Nauarrus *cap.* 21. *num* 53. Suarez *vbi supra*, Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *numer* 142. & communis Doctorum apud Bonacinam *tom.* 1. *disputat* 4. *quæst.* 6. *puncto.* 2. *num.* 24. Ratio est, quia maior est habenda ratio reuerentiæ, & dignitatis Sacramenti, quàm necessitatis proximi alicualis, quo in casu excusatur infirmus à præcepto communionis, quod tunc præsumitur non obligare, eo quod celebrari non possit sacrificium reuerentia debita tanto Sacramento: ob idque non licet ad communicandum, conficere hoc Sacramentum in azimis, vt supra dictum est *cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 11. aut si non essent vestes sacræ: idque totum probat Ecclesiastica consuetudo: potest autem quis aliquando non præmissa confessione communicare; quia confessio potest suppleri per contritionem, non verò ieiunium.

24 Quæres secundò, an dubitans, an aliquid cibi vel potus post mediam noctem sumpserit, possit eo die communicare, vel Missam celebrare. Huic quæstioni satisfeci in Decalogo *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 4. *n.* 8. Breuiter dico, esse probabilem partem affirmantem, quando facta debita diligentia dubium vinci non potest, vt post ibi citatos docent Layman *in Theolog. moral lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 36. & Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 29. vbi etiam dixi, quando sunt plura horologia, posse quem comedere in media nocte, donec aliud sonuerit, & posse die sequenti communicare quia sequitur quasi opinionem probabilem. Ita etiam Diana *sup. resol.* 36. cum Fagundez *præcepto* 4 *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Sancio, & Villalobos, quod si tantum sit vnum horologium, hora completur in primo pulsu, seu sonito, vnde tenetur statim, & in continenti de eo eiicere buccellam, aliter non poterit die sequenti communicare, aut celebrare; postquam verò buccellam eiecerit, non tenebitur esse nimis anxius ad abluendum os: si tamen masticat buccellam carnis & dies sequens sit ieiunij, non tenebitur eam eiicere, etiam sub veniali (modò non sit communicaturus) non enim cum tanto rigore illud præceptum positiuum obligat. Diana *supra resolut.* 36. cum Sancio *in selectis*, *disputat.* 42. *numero* 20.

25 Nota, comedere statim sumpta Eucharistia, si absit causa esse aliquam irreuerentiam, & peccatum veniale: si adsit causa, aut gratias egerit, nullum. Ledesma *cap.* 13. *de Eucharistia*, *concl.* 5. *dub. vltim.* Henriquez *lib.* 8. *c.* 49. *n.* 1. communiter tamen ob maiorem Sacramenti reuerentiam expedit post communionem aliquantulum abstinere à cibo, & potu. Bonacina *vbi sup. n.* 23.

D V B. VI.

Quæ frequentia huius Sacramenti licita sit, & & conueniens.

1 Dico primò, prohibitum est, non solum laicis, sed etiam Sacerdotibus eodem die bis sumere Eucharistiam, constat apertè, *in capit. consuluisti de celebratione Missarum & cap. sufficiat, de consecrat. distinct.* 1. vbi id Sacerdotibus prohibetur, & à fortiori laicis, idque approbat vsus Ecclesiæ: posset tamen in hoc Pontifex dispensare, sicut in sacrificio: imò ad impediendam sacrificij iniuriam, vel irreuerentiam posset bis sumi, vt dictum est *dub. antecedenti*, *num.* 20. ne videlicet in manibus hæretici deueniat, vel comburatur. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 7. *num.* 197.

2 Dico secundò, laudabilius, & vtilius est ex se, frequentius communicare, quàm rarius. Ita communis apud Suarez *disputatio.* 69 *sect.* 4. ex D. Thoma 3. *part. quæst.* 80. *articul.* 10. & dixi in Decalogo *lib.* 3. *cap.* 5. *dub.* 2. *numero* 17. & tenent sancti Patres, apud Suarez *loco citato*. Fundatur in Tridentino, *sessio.* 13. *capitulum.* 8. *& sessio* 22. *capitulum sextum* ibi: *Optaret sancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes communicarent.*

Probari potest primò, quia digna communio per se bonum est, abstinentia verò per accidens, ratione scilicet indispositionis, vel irreuerentiæ. Secundò, quia frequentatio prouenit ex charitate, virtute nobiliore; abstinentia vero ex timore. Tertiò, quia abstinens priuatur vbertimis fructibus, qui ex augustissimo Eucharistiæ Sacramento percipiuntur: fieri tamen potest, vt aliquando melius sit abstinere à communione, vt quando id expostulat decentia, & honestas, vt patet ex dictis *dub. antecedent.* de dispositione corporali ad euitandam irreuerentiam Sacramenti. Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 4. *quæst.* 7. *punct.* 2. *num.* 16. vel si hoc Sacramentum frequentans aliquando abstineat præ maxima humilitate, & deuotione, ac reuerentia.

3 Dico tertiò, nullo iure prohibitum est, communicare ter, vel etiam quotidie in hebdomada: patet exemplo nascentis Ecclesiæ, in qua ex Actor. 2. quotidie fideles communicabant, qui mos diu viguit, ex D. Hieronym. *Epist.* 28. *ad Lucium.* Filliuc. *sup. num.* 197.

4 Dico quartò, præter tempus communionis paschalis, non est ab Ecclesia determinatum tempus ad frequentandam Eucharistiam, nullo enim iure id probari potest: imò nec posse Episcopum communionem ad certum tempus, v. g. ad dies Dominicos, vel ad quartam, aut sextam feriam limitare: refertur declaratum à S. Congreg. Cadio. supra Trident. *sess.* 22. *cap.* 6.

5 Dico quintò, vniuersaliter non potest assignari certa regula pro frequentatione huius Sacramenti: sed pro diuersitate statuum, & personarum præscribenda est; nam Religioso expedit frequentiùs communicare, quam sæculari: Sacerdoti, quàm Clerico: soluto quàm coniugato. Bonacina *suprà, num.* 16. *in fin.* Suarez *loco cit.*

6 Dico sextò, loquendo in particulari, Sacerdotibus licitum est quotidie celebrare, vt comprobat laudabilis consuetudo: ipsis enim ex officio competit sacrificium offerre pro fidelibus viuis, & defunctis: consilium tamen est aliquando abstinere, vt maiori feruore, & deuotione postea accedant, de qua tamen certa regula dari non potest. Villalob. 1. *p. diff.* 41. *num.* 2.

7 Dico septimò, laicis, regulariter loquendo, non est danda communio, nisi singulis mensibus, aut singulis quindecim diebus, aut singulis Dominicis, vt maiori cum deuotione, & reuerentia discernant cibum à cibo, Suarez *disputat.* 69 *sect.* 4 *conclus.* 3. Bonacina *suprà, num.* 16. *in fin.* Filliuc. *loco citat. num.* 199. vbi tenet, & rectè quidem, optimam videri consuetudinem communicandi singulis Dominicis, atque hoc esse commune apud sanctos, & prudentes viros: addit, vix enim suppositis curis humanæ vitæ, & necessariis occupationibos, moraliter frequentior communio consuleoda est, quia sic, & fructus sufficiens percipitur, & conseruatur reuerentia. Neque, inquit, omittenda propter venialia, aut quia minorem quis feruorem sentiat; tum quia difficile est, id cognoscere, & sæpè accidere potest, vt solidior adsit deuotio nobis non aduertentibus, id enim sæpè Deus abscondit ob maiorem vtilitatem: tum quia non exiguus est ille fructus, *vt in magnis quis non consentiat, & in minimis sensus minuatur*, atque ita exponendum est, *cap. si non sunt de consecrat. dist.* 2. Hæc ille.

8 Dixi *regulariter loquendo*, nam de consilio docti & prudentis confessoris posset laicus, etiam præter Dominicum diem, iterum in hebdomada, si in ea festum incidat, Eucharistiam sumere: imò si probatissimæ sit vitæ, & notabili sanctitate præditos, posset quotidie communicare, vt solebat facere sancta Catharina Senensis. Villalobos *suprà. num.* 3. & cum aliis Henriquez *cap.* 53. *num.* 4. vbi ait, rigidus esse confessor, qui laicis vitæ probatissimæ non permitteret quotidie communicare. Non tamen facilè concedenda est quotidiana communio, caueatque confessarius, an pœnitens sit maximè prouectus in charitate feruore erga Deum, & proximum, & in maxima deuotione, & reuerentia huius Sacramenti. Sumatque confessarius aliquando experimentum de humili obedientia, iubens aliquando ad probationem abstinere; quòd si pœnitens id ægrè ferat, signum est, vt ait Medina *in sua institut. pagin.* 166. non esse dignos quotidianæ communionis; si verò cum humilitate, deuotione, & reuerentia, obediant, signum est, posse conferri eis frequenter Eucharistiam. Temperandus est etiam quarūdam personarum nimius, & imprudens feruor, ac intemperata sitis communionis, nec facile danda est licentia singulis diebus communicandi, nisi rarissime. Henriquez videndus *dicto cap.* 53. Ledesma *in sum. cap.* 14 *de Eucharistia.* vide etiam F. Molin. *in sua institution. Sacerdot. tractat.* 7. vbi de hoc pie, & doctè, & in nostro Decalog. *lib.* 3. *capit.* 5. *dub.* 2.

9 Dico octauo, quamuis communio ex consuetudine dari soleat vsque ad meridiem, quia opportunius est id tempus, tamen seruato ieiunio, & secluso scandalo, qualibet diei hora potest dari, neque consuetudo induxit præceptum, vt tenent Syluest. *verbo Eucharistia* 3. *q.* 14. & cum aliis Villalob. *sup. n.* 5. & Filliuc. *loco cit. n.* 197.

10 Nota, sicut Eucharistia in Ecclesia est conficienda *cap. sicut, cum aliis de consecrat. dist.* 1. ita in Ecclesia est à fidelibus sumenda, *cap. si quis intra, cap. qui intrant, de consecrat. distinct.* 2. Nec pro infirmis est in priuatis domibus consecranda, sed ab Ecclesia deferenda, *cap. Presbyter Eucharistiam, de consecrat. distinct.* 2. *& vncap. officium, de offic. Archidiacon. & in cap.* 1. *de custodia Eucharistiæ cap. sanè de celebrat. Missar.*

CAP. VII.

De Ministro Eucharistiæ.

Dvb. I.

Quinam sit Minister Eucharistiæ.

1 Dvplex datur minister huius Sacramenti, alter consecrationis, ille scilicet qui consecrando conficit hoc Sacramentum: alter verò dispensationis, seu administrationis, nimirum ille, qui fidelibus Eucharistiam dispensat, seu administrat.

2 Dico primò, minister ordinarius, & necessarius consecrationis Eucharistiæ, est solus Sacerdos. Est de fide ex sensu Ecclesiæ, ac traditione, & definitum est in Concil. Nicæno primo *cap.* 14. Lateranensi *cap. firmiter*, Tridentin. *session.* 13. 3. *& sess.* 22. *Canon.* 8. hine Clementin. *lib.* 2. *constit. cap.* 31. dicit, laicum qui sine Sacerdote tentat sacrificare nihil facere. Ratio est, quia solis Sacerdotibus data est potestas consecrandi, & conficiendi hoc Sacramentum, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, vt semper Ecclesia ab Apostolis edocta intellexit, congrue quidem, quia ad tale ministerium

tium oportebat, ministros esse singulari ratione consecratos: contra hæreticos autem contendentes omnes Christianos esse Sacerdotes, lege Bellarmin. *lib. 4. de Eucharistia, capit. 16.* vide etiam Suarez 3. *particul. disputat.* 61. *sect.* 3. Henriquez *lib.* 8. *capitul.* 44.

Hinc fit primò, Angelum non posse esse ministrum huius Sacramenti, nisi ex dispensatione. Constat ex dictis de Sacramentis in genere, *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 3. Secundò, neque hominem Diaconum tantum; quia de iure diuino solum habens Ordinem sacerdotalem est minister huius Sacramenti, Sotus *distinct.* 13. *quæst.* 2. *articul.* 3. & colligitur ex 1. ad Corint. 4. *Sic nos existimet homo: vt ministros. &c.* Patet etiam Ecclesiæ vsu, & traditione perpetua. Tertiò, quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, vel degradatus, potest validè consecrare; quia retinet Ordinem sacerdotalem, consequenter potestatem consecrandi fundatam in charactere sacerdotali indelebili. Ita communiter DD. cum S. Thom. *quæst.* 82. *art.* 7. *&* 8.

3 Dico secundò, vt validè conficiatur hoc Sacramentum, requiritur ministri intentio, patet ex dictis de Sacramentis in genere, *capit.* 3 *dub.* 2. non tamen requiritur fides, aut alia bonitas, vt ibidem constat; vnde errauit Magister *distinct.* 13 vt omnes Theologi affirmant, asserens consecrationes hæreticorum esse irritas, & nihil efficere, est enim contra Tridentin. *sess.* 7. *Can.* 9. quia cum maneat character in eis, manet etiam potestas consecrandi. Quare quando dicitur *in cap. accedens. dist.* 50. *de degradat.* & multis decretis 1. *quæst.* 1. consecrationes hæreticorum esse irritas, intelligendum est, vel quoad debitum vsum, quia sunt suspensi, sic ex *capit. ordinationes* 9. *quæstion.* 1. vel quoad ad ipsas ordinationes, quæ non sunt factæ debito, & essentiali ritu; persæpè enim habent prauam intentionem, non habent debitam materiam, &c. quo pacto concedimus esse irritas. De qua re plura Suarez *disp* 61. *sect.* 3.

4 Dico tertiò, quando plures Sacerdotes eandem materiam, v. g. eandem hostiam consecrant, si omnes partialiter concurrant, nihil efficiunt, patet ex dictis de Baptismo, *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 18. si autem vnusquisque totaliter, & integre, & eodem tempore absoluat formam, omnes conficiunt quia omnia necessaria concurrunt, & non est maior ratio de vno, quàm de alio, Suarez *disput.* 61. *sect.* 4. & Filliuclus *tom* 1. *tract.* 4. *capit.* 9. *num.* 149. At si vnus prius, quam alij, absoluat formam, ille solus consecrat, quia cum prior forma cadat super debitam materiam, illa solùm perficiet Sacramentum, cum aliàs, vt supponimus, intentio primi proferentis formam, sit independens ab aliis. Vide Suar. *loco citato.*

5 Ex dictis sequitur, quid dicendum de nouis Sacerdotibus, qui simul cum Episcopo eos ordinante proferunt verba consecrationis, ij enim si absoluant verba in eodem instanti morali simul cum Episcopo, omnes consecrant; nam Pontificale Romanum ait, nouos Sacerdotes teneri dicere Canonem, & verba consecrationis, eo modo quo Episcopus; consequenter sequitur proferre formam non materialiter tantum, vt existimat Caietan. 3. *part. quæst.* 82. *artic.* 2. sed formaliter, & propriè vt insinuat dictum Pontificale. Quod si proferant verba antequam Episcopus finiat, vel post, solus Episcopus consecrat; nam respectu Episcopi habent se, velut concausæ consecrationis; ergo omnium intentio referenda est ad instans, in quo Episcopus absoluit verba, vt colligitur ex Sanct. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *articul.* 2. & tenet Ledesma *in sum. tractat de Eucharistia, capit.* 9. *conclus.* 3. Nec inde infertur peccare, & esse sacrilegos præuenientes, vel postponentes verba; quia non habent intentionem consecrandi, nisi finiant simul cum Episcopo: debent enim recenter ordinati intendere, & velle facere, id quod vult Ecclesia, eos in tali casu facere, vt bene Ledesma *supra.* Et quidem quoad praxim, vt docet Suarez *dict. sect.* 4. huiusmodi Sacerdotes, vel non habeant determinatè intentionem consecrandi, neque non consecrandi, sed habeant debitam tantum, quam Deus scit esse habendam; vel habeant intentionem consecrandi quidem, si possunt finire simul cum Episcopo, si vero non possunt, tantum intendant proferre illa verba materialiter, vt dicit Caietan. & ita omnia absurda vitantur. Filliuc. videndus *tract.* 4. *cap.* 9. *q.* 3.

6 Dico quartò, minister ordinarius, & deputatus ad ad hoc Sacramentum dispensandum, seu administrandum est solus Sacerdos, S. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *artic.* 3. & communis Doctorum patet *ex cap. peruenit de consecrat. distinct.* 2. & vsu Ecclesiæ, est enim hæc administratio annexa potestati consecrandi, quam solus habet Sacerdos, & sicut potestas consecrandi est de iure diuino, ita, & administrandi. *tract.* 4. *c.* 9. *n.* 277.

7 Minister autem extraordinarius, in necessitate tamen, potest esse Diaconus, hic enim potest infirmis ministrare corpus, de licentia tamen Episcopi, vel Parochi impediti, si autem Parochus sit absens, satis est illius interpretatiuè ratihabitio: in casu ergo necessitatis posset Diaconus dare communionem, quamuis proprius Parochus prohiberet. At si præsens Parochus resisteret, non debet cum eo litigare, vt eo inuito cum scandalo ministret, vt benè aduertit Henriquez *de Eucharistia. caput.* 54. & cum aliis Villalobos *part* 1. *tractat.* 7 *different.* 46. *numer.* 4. Hoc tamen tempore ob Sacerdotum copiam, & multitudinem non videtur in vsu, vt Diaconus Eucharistiam ministret: in primitiua autem Ecclesia Diaconi, (forsam ob paucitatem Sacerdotum) sanguinem ministrabant, quod officium exercuit Beatus Leuita Laurentius, & nunc de facto Cardinalis Diaconus Papæ celebranti sanguinem ministrat. Inferior autem Diacono, vt Subdiaconus, aut laicus non possunt in necessitate, nec sibi, nec aliis ministrare Eucharistiam, vt cum Henriquez *vbi suprà*, & aliis tenet Bonacin. & Villalobos *suprà numer.* 5. *tom.* 1. *disputat.* 4. *quæst.* 5. *puncto* 1. *numer.* 6. *versic. Sed contrarium.* Quia non est tanta necessitas Eucharistiæ, vt Laicus, aut alius, qui non est Sacerdos, vel saltem Diaconus, possit in tali articulo propria authoritate sibi Eucharistiam ministrare, non seruata solemnitate, & ritu consueto Ecclesiæ, sic Sacerdos non potest, vt se ipsum, vel alium communicet in articulo mortis, celebrare sine vestibus sacris. Non tamen est improbabile, posse Subdiaconum, aut etiam laicum Sacramentum Eucharistiæ in articulo mortis administrare sibi, vel aliis, vt docent Valentia *tom.* 4. *disputat.* 6. *quæst.* 10. *puncto.* 1. *ad finem.* Suarez *disputat.* 12. *sect.* 3. *ad finem.* Coninch. *quæstio.* 82. *articul.* 3. *numer.* 25. rationem afferunt, quia solùm iure humano prohibitum est laico attingere Eucharistiam, *cap. peruenit, de consecrat. distinct.* 2. ius autem humanum non videtur in hoc euentu obligare, sed ius diuinum communicandi. Tum etiam quia olim permissum fuit fidelibus, secum deferre Eucharistiam sumendam sequenti

die: & laicis eam tempore necessitatis ad infirmos deferre. Tenenda tamen prior opinio, quam vsus Ecclesiæ comprobat: etenim hoc tempore non videtur in vsu, vt Diaconus Eucharistiam administret, ergo multo minus id concedendum est aliis non Diaconis. Vide Bonacinam *vbi supra*.

7 Dico quintò, licet cuius Sacerdoti ratione ordinis aliqua ratione competat distributio, & dispensatio Eucharistiæ, non tamen potest licitè quilibet eam administrare, sed ille tantum, qui habet iurisdictionem ordinariam, vel facultatem ab eo, qui iurisdictionem habet, vt cum Nauarro, Rodr. Coninch. & Reginaldo, dixi *in exposit. Bull. Cruciatæ, lib.*1. §.3. *dub.* 8. *num.* 2. & cum aliis docent Filliuc. *tom.*1.*tract.*4 *capit.*9. *num.*259. & Bonacin. *tom.*1.*disp.*4.*quæst* 5.*punct.*1.*n.*6.*in fin.* Vide Suarez *disp.*72.*sect.*2. Requiritur enim ad huius Sacramenti dispensationem iurisdictio, vt statuit Concil. Mileuitanum *cap.*18. & Carthaginense primum *cap.*7. & ex *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnis & remiss.* in his enim prohibetur, ne Clerici, aut laici Eucharistiam ab alienis accipiant; consequenter prohibetur, ne quis Sacramenta ministret nisi suis subditis, vel de licentia proprij; mutua enim est obligatio, & suscipientium, & ministrantium. Etenim Sacramenta ministrare munus est pastoris; ideo peccat mortaliter, qui sine licentia, saltem tacita proprij pastoris, aut priuilegio, etiam in articulo mortis ministrat hoc Sacramentum, vt docent DD. citati, & omnes communiter, quia in re graui alienum officium vsurpat. Si tamen bona fides, vel Pastoris voluntas, saltem interpretatiua intercedat, vel nullum, vel tantum peccatum veniale erit. Satis etiam est ratihabitio de futuro, quia hæc non requiritur ad substantiam actus, sed ad debitum modum tantum; ideo sufficit voluntas probabiliter præsumpta pastoris. Filliuc. *sup. num.*260. & dixi in Bulla *vbi sup. dub.*8.*num.*7. Secus in Sacramento pœnitentiæ, quia hoc ad sui validitatem requirit, dum actu ministratur, actualem, & de præsenti iurisdictionem in ministro. Bonac. *supra, num.*7. cum Suarez, & aliis. Similiter, & eodem modo peccat, vt docet Nauarr. *cap.*21.*num.*52. qui scienter a non suo Parocho, vel alio sine proprij licentia, saltem tacita, vel priuilegio, hoc Sacramentum suscipit, quia non est ei liberum à quocumque, sed à suo pastore illud suscipere, sed de eius licentia.

8 Sed quæres, an ministrans Eucharistiam sine licentia Episcopi, vel Pastoris incurrat aliquam censuram. Respondeo, & dico primò, si sic ministrans sit Sacerdos sæcularis, seu non Religiosus, nullam incurrit censuram, nec irregularitatem; nullo enim iure id cautum est: si verò non sit Sacerdos Clericus sic ministrans, & ministrat eam solemniter, incurrit irregularitatem impositam Clericis ministrantibus in ordine, quem non habent. Filliuc. *tom.*1.*tractat.*4.*cap.*9 *num.*261. Dico secundò, Sacerdos Religiosus præsumens ministrare Eucharistiam laicis, aut Clericis sæcularibus (non autem Religiosis) siue in necessitate, siue extra illam, siue publice, siue priuatim, ipso facto incurrit excommunicationem latam, *in Clementina Religiosi, de priuilegiis*, vbi excommunicantur Religiosi (& reseruatur Pontifici) sacram Eucharistiam, & extremam vnctionem laicis ministrantes, aut eorum matrimoniis assistentes, sine proprij licentia. De qua vide Suarez *disp.*72. *sect.*2. Nauarr. *cap.*27.*num.*102. & Sayrum *in thesaur. lib.*3.*cap.*29.*à num.*26. Aduerte tamen, non incurrere hanc excommunicationem Religiosos, qui ex ignorantia, vel ratihabitione probabiliter præsumpta Eucharistiam ministrarent laicis: quia ibi habetur hoc verbum, *præsumpserint*, at qui dicto modo ministrarent, non agunt præsumptuosè. Filliuc *suprà*, & Bonacina *citat. num.*9. qui cum Suarez *vbi suprà*, Soto, Coninch. & aliis tenet etiam excusari ab hac excommunicatione Religiosos communicantes infirmos in articulo mortis, quamuis Parochus sit inuitus; quia præsumitur adesse ratihabitio Summi Pontificis & præceptum Ecclesiæ non videtur obligare cum tanto proximi periculo; contrarium tamen tenet Nauarr *cap.*21.*num.*52. cum Syl. quia inquit, Eucharistiam non esse Sacramentum necessitatis: vtrumque probabile, cum Bonacina sentit etiam Filliuc. *supra, num.* 266. Hæc autem omnia intellige de iure communi, seclusis priuilegiis, Religiosis, quo ad confessionem, & communionem concessis: etenim regulares ob sua priuilegia, de quibus Compendium, *verbo familiares fratrum*. Portel. *dub regul verbo, Sacramentorum administratio.* Rodrig. *tom.*2.*quæst.*56. possunt administrare Sacramentum Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, & Pœnitentiæ familiaribus Conuentus, ibi habitantibus, quod procedit, ait Villalobos *part.*1.*tract.*7.*diff.*47. *num.*5. etiam in famulo coniugato, qui ob id non dormit in Monasterio, si in ipso Monasterio ægrotaret, quia est continuus commensalis: vt ait Portel. *sup. num.*9. addit Villalobos, posse regulares in suis Ecclesiis sepelire famulos intra Monasterium habitantes, etiamsi ibi non elegerint sepulturam; non tamen posse regulares dare Eucharistiam tempore Paschatis, nec in articulo mortis Tertiariis suis in domibus habitantibus, quia vt refert Rodrig. *sup. quæst.*56. *artic.*10. nullum datur eis priuilegium circa hoc concessum. Villalobos videndus *vbi suprà*, nota Rodriguez 1.*tom. quæst.*56. *artic.*1. Ioann. de la Cruz *de statu Religioso l.*2.*cap.*4.*dub.*4.*concl.*3. existimare regulares posse tempore Paschali ministrare Eucharistiam sæcularibus vt impleant præceptum annuæ communionis, per priuilegium concessum à Nicolao V. Monasterio B. Mariæ Virginis de Guadalupe, Ordinis D. Hieronymi, & extensum à Pio IV. ad omnia Monasteria eiusdem Ordinis, & per communicationem ad Ordines etiam mendicantes, quod satis probabile existimat Diana 1 *part. tractat* 14. *resol.*73. consulit tamen regularibus, vt faueant Parochis, & deducant ad vsum tale priuilegium. A tamen existimo hanc sententiam nullo modo esse tenendam, quia opposita communi consensu Doctorum, & fidelium vsu est recepta quod à fortiori magis constabit, *quæst seq.*

9 Quæres secundò, an regulares possint die Paschatis in suis Ecclesiis Eucharistiam laicis ministrare. Ratio dubitandi est, quia Nicolaus V. Sixtus IV, & Leo X. concesserunt Religiosis, vt omnibus Christi fidelibus in Ecclesiis regularium possint Eucharistiam ministrare sine licentia proprij, excepto die Paschatis Hoc supposito Suarez 3.*part q.*82.*disp.*72. *sect.*3. quem sequitur Filliuc. *tom.*1.*tract.* 4.*capit.*9. *num.*264. & Villalob. *part.*1.*tract.*7. *diff.*47. *num.*4. & alij apud Barbos. *de offic. & potest. Parochi, c.*20. *n.*10. per diē Paschatis intelligit formaliter tēpus cōmunionis Paschalis, quod continetur quindecim diebus, consequenter licere Religiosis in suis domibus ministrare Eucharistiam in die Paschatis laicis ex deuotione, non autem ex præcepto ibi communicantibus. At Nauarr. *c.*21.*num.* 52. & Azor. 1. *tom. lib* 7.*cap.*30 *quæst.*7. quos secutus sum in expositione Bullæ *lib.*1.§.3. *dub.*7. *num.*8. intelligunt materialiter ipsum diem Paschatis, ita vt eo die laici ibi non possint, etiam ex deuotione sumere Eucharistiam: quod colligunt ex illis verbis Sixti IV. & Leo. X. *præterquam in die Resurrectionis Dominicæ*. & Nicolao

Nicolao V. *præterquam in festo Paschæ Resurrectionis Dominicæ*. De quo vide latius in Bulla *loco cit*. Quod si dicas in nostra Diœcesi Religiosos ministrare laicis Eucharistiam in die Paschatis. Respondeo, id eos facere non ratione suorum priuilegiorum, nec ratione Bullæ, sed ex tacita, & præsumpta Parochorum licentia; id interpretante consuetudine: ob quam etiam rationem Parochus alienis ouibus in sua parochia Eucharistiam administrat de præsumpta proprij liceotia, vt diai in *Bulla loco citato*.

10 Quæres tertiò an per Bullam Cruciatæ concedatur facultas suscipiendi sacram Eucharistiam à quocumque Sacerdote, omni tempore, præterquam in die Paschatis; huic quæstioni abundè satisfeci, in expositione Bullæ *lib. 1. §. 3. dub.* 8. vbi secutus sum partem negantem.

11 Quæres quartò, an concessa alicui facultate ministrandi Sacramentum confessionis, censeatur etiam concessa Eucharistia. Respondeo negatiuè, ita Filliuc. *sup. num.* 163. quia sunt duæ actiones separabiles, & distinctæ; tum etiam, quia confessio est maioris necessitatis, quàm Eucharistia, ideò in concessione vnius non comprehenditur altera.

12 Ex dictis colligitur, neminem posse alienis ouibus sacram Eucharistiam ministrare, etiam ratione Bullæ, sine Pastoris proprij licentia. Hanc autem licentiam potest concedere Pastor, v. g. Parochus cuilibet simplici Sacerdoti respectu suarum ouium, quamuis ille non sit ab ordinario approbatus ad Sacramenta administranda, vt diai in Bulla, cum Suar. & aliis *dub.* 8. *cit. num.* 6. & docet etiam Filliuc. *sup. num.* 163.

13 Quæres quintò, an Sacerdos sanus, præciso Missæ sacrificio, possit se ipsum ex deuotione communicare. Respondeo affirmatiuè, secluso tamen scandalo, & modò non sit alius Sacerdos, qui sibi ministret. Suarez *disp.* 72. *sect.* 3. Possevinus *de communione cap* 8. *num.* 13. & cum Coninch & aliis Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 4. *quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 128. & Diana 2. *part. tractat.* 14. *resol.* 53. nullum enim sibi ius vsurpat, cum Sacerdos sit ordinarius huius Sacramenti minister, casu autem quo Diaconus deferret Eucharistiam Sacerdoti ægrotanti, tunc Sacerdos suis manibus si potuerit, non autem Diaconi manibus sumere tenetur illam. Villalob. *part.* 1. *tractat.* 7. *diff.* 48. *num.* 2. quod colligitur ex Concil. Nicæno *cap.* 24. & cum aliis Diana *vbi suprà*. Poterit ergo hic Sacerdos sanus, in casu dicto, se communicare in qualibet diei hora post meridiem, modo absit scandalum, & sit ieiunus. Azor 1. *p. lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 7. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 54. *num.* 5. Diana *sup. resolut.* 54. nam confectatio Eucharistiæ, non verò eius sumptio, prohibita est post meridiem. Nihilominus tamen censeo cum Coninch *quæst.* 80. *art.* 10. *num.* 85. propter reuerentiam tanti Sacramenti, non esse extra necessitatem permittendum, vt aliquis sub vesperam, & qualibet hora diei communicet. Laicus vero in casu extremæ necessitatis non posse se ipsum communicare, eo quod non sit ita necessarium sumere Eucharistiam tempore mortis, vt laicus possit eam sibi ministrare, ita Bonacina *suprà num.* 6. Valde tamen probabile est oppositum, vt docet Suarez *in* 3. *part. tom* 3. *disp.* 72. *sect.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 285. Coninch *quæst.* 82. *artic.* 1. *num.* 21. Layman *in Theolog. moral. lib.* 5. *tract.* 4. *cap* 7. *n.* 4. & cum his Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 47, modo absit scandalum, & non habeat ministrum idoneum. Addit Diana cum Coninch & Layman, & Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 1. posse laicum in tali casu etiam aliis sacram Eucharistiam ministrare, quia id nullo iure naturali (nec diuino repugnat; nec prohibetur iure Ecclesiastico, quia *caput peruenit de consecrat. dist.* 2. loquitur extra casum necessitatis. Non tamen hoc facile est admittendum eo quod vniuersales Ecclesiæ sint in contrarium: addit Bonacin. *suprà* cum Coninch hoc idem licere Diacono in articulo mortis existenti, si alioquin discedere deberet sine viatico, nam iure antiquo in Concil. Nicæno, *cap.* 4. ait, concessum erat Diacono, vt sibi communionem præberet, absente Sacerdote.

14 Quæres sextò, an sacerdos, qui non habet aliam hostiam consecratam præter suam possit partem suæ hostiæ præstare infirmo, aut etiam sano. Respondeo affirmatiuè, si adsit rationabilis causa, quia nulla datur in hoc irreuerentia; nec sacrificium ob id definit esse perfectum. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 46. *num.* 2. *litt. E.* & cum aliis Bonac. *sup. num.* 13. & cum aliis Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 34.

15 Quæres septimò, quandonam teneatur parochus suis ouibus Eucharistiam administrare. Respondeo, per se teneri non solum quando subditi tenentur communicare, vt voluit Syluest. *verbo, confessor* 2. *quæst.* 8. sed etiam quoties subditi rationabiliter petunt, vt si eam petunt non nimis frequenter, sed quatenus postulat eorum conditio, & Sacramenti reuerentia; nam parochi tenentur oues suas pascere, quod maximè fit verbo, & Sacramentis, & par non est, vt paruuli panem petant, & non sit qui eis frangat. Suarez *disp.* 72. *sect.* 3. Nauarr. *cap.* 25. *n.* 131. & cum aliis Bonacina *sup. num.* 14. excusati autem potest parochus, si irrationabiliter petant; aut si illos mittat ad coadiutores, vel ad alios legitimam potestatem habentes, modo id fieri possit sine dispendio, & detrimento spirituali subditorum, & modo subditi in hóc consentiant. Addit Possevinus *de administratione Sacramentorum, cap.* 5. *num.* 8. excusari Parochum ab administratione Sacramentorum, quando habet rationabilem causam ea negandi, qualis esset infirmitas, lassitudo grauis collationem Sacramenti impediens, vel si fœminæ velint de nocte confiteri etiam in Ecclesia. Vide Filliucium *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 8.

D V B. II.

Quanam dispositio requiratur in ministrante Eucharistiam.

1 Respondeo, & dico primò, Minister conficiens, aut ministrans hoc Sacramentum, ne peccet, debet esse in gratia; nam ex officio ad hoc munus est deputatus, & cum speciali gratia consecratus; ex quo fit, peccare mortaliter, si in peccato mortali existens Sacramentum hoc conficiat aut ministret, vt diximus *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 4. & cum aliis docent Suarez *disput.* 72. *sect.* 4. Bonacina *disp.* 4. *q.* 5. *punct.* 2. *num.* 1. & Filliuc. *tractat.* 4. *cap.* 9. *num.* 271. vbi, & rectè quidem, addit eo grauius peccare, quo peius fuerit ministrantis status, vt si publicus peccator fuerit, aut si excommunicatus existat, in quo vltimo casu præter peccatum, incurrit in irregularitatem, eo quod censura innodatus ministrat Sacramentum, vt docet Nauarr. *cap.* 27. *num.* 244 & communiter DD. in materia de irregularitate: inde sequitur, Sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis, teneri antequam ministret Eucharistiam, præparare se ad gratiam per veram contritionem, aut saltem existimatam: non tamen tenetur confiteri (et si tutius sit) nisi sumpturus sit Eucharistiam, vt dictum est, *sup. hoc lib. cap* 5. *dub.* 4. Non tamen est improbabile Sacerdotem ministrantem Eucharistiam in peccato mortali non peccare mortaliter, vt tenet

Diana *part.* 2 *tract.* 17. *resol.* 13. cum Henriquez *quolibet.* 6. *quæst.* 30. Martin. de Ledesm. *in* 4. *part.* 1. *q.* 5. *artic.* 6. *dub.* 3. & Petr. de Ledesm. *in summ. cap.* 16. *concl.* 8. *diff.* 5. de Sacramentis in genere, quia hæc ministratio non est actio causatiua gratiæ nec Sacerdos tangit, nisi species materiales, quæ in se sanctitatem non habent, nisi sicut signa gratiæ, & quia si quis corpus Christi tetigisset, dum super terram ambulabat, non peccaret mortaliter tangens illud existens in peccato mortali. Tenenda tamen est prior sententia propter rationes dictas, irrogatur enim maxima irreuerentia sanctissimo Sacramento omnium Sacramentorum maximo, & excellentissimo, ob idque requiritur in ministro sanctitas, & puritas à peccato.

2 Dico secundò, præter gratiam in Sacerdote ministraturo Eucharistiam, nulla alia dispositio requiritur, nullo enim iure id colligitur; vnde non requiritur, quòd sit ieiunus. Suarez *disput.* 72. *sect.* 4. Bonacin. *sup. num.* 6. & alij. Tenetur tamen ministret sacram Eucharistiam administrare cum reuerentia tanto Sacramento debita, & cæremoniis ab Ecclesia ordinatis: videlicet, ne ministret eam tempore, & loco interdicto, non in priuata domo sine facultate, & approbatione Episcopi, non sine vestibus necessariis, vt superpellico, saltem, & stola, in iis enim deficere, est peccatum mortale ex suo genere, ex *cap. sanè de celebrat. Missar.* Syluester *verbo, Sacramentum, num.* 3. Possevinus *cap.* 5. *num.* 39. Filliuc. *suprà num.* 170. & Bonacin. *loco cit. num.* 8. Item ministranda est Eucharistia cum debito cultu, apparatu, & cæremoniis, vt luminis accensi, confessionis generalis, absolutionis communia, & aliarum orationum, quæ secluso scandalo, & contemptu, voluntariè omittere non esset peccatum mortale, sed tantum veniale ob aliquam irreuerentiam, vt cum Suarez *loco citat.* docet Filliucius *vbi suprà*; in necessitate tamen, maximè noctu, si non adsint, qui comitentur sacram Eucharistiam cum pallio, &c. potest solus curatus indutus superpelliceo, & stola, cum solo sacrista eam ad infirmum deferre, cum lumine tamen. Possevinus *vbi suprà num.* 38. *ex dict. cap. sanè*

3 Ex his infertur primò, Parochum non posse Eucharistiam ad infirmum deferre, quoties ferre eam nequit cum habitu decenti, id est cum stola, & superpelliceo, præcedente lumine, iuxta *cap. sanè, de celebrat. Missar.* Possevinus *cap.* 5. *num.* 39. Bonacina *suprà num.* 8.

4 Secundò, non teneri parochum deferre Eucharistiam ad infirmum prope moriturum, currendo valde festinanter; quia hoc repugnat reuerentiæ tanto Sacramento debitæ, ac honestati clericali; nec videtur præceptum ministrandi Eucharistiam introductum cum periculo, vt parochus fatuus videatur, & irrideatur. Secus autem dicendum de Sacramento Baptismi, aut pœnitentiæ, propter eorum maximam necessitatem, tenetur enim parochus instante mortis periculo, festinanter currere etiamsi nondum integrè vestitus sit, aut cœlum pluuiam mitteret, aut frigus acriter prædominetur, aut periculum sit, vt Sacerdos fatuus habeatur, quia proximos est in extrema necessitate spirituali (vt supponimus) cui subuenire tenemur, non solum famam, sed vitam prodigendo, vt docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *artic.* 5. Possevinus *suprà*, & alij, & dixi in Decalog. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. præcisa autem necessitate, Parochus satisfacit, si quamprimum curet adire infirmum festinando, & non currendo. Bonac. *disp.* 4. *punct.* 5. *num.* 9.

5 Tertio sequitur, Sacerdotem, qui ob aliquam infirmitatem nequit Eucharistiam pollice, & indice administrare, non posse aliis digitis conferre, quamuis tota manus sit consecrata, vt tenet Bonac. *sup. num.* 10. cum Possevinus *cap.* 5. *num.* 50. quia consuetudine, inquit, receptum est, vt illis, & non aliis digitis ministretur: oppositum enim existimo probabile cum Toleto *lib.* 5. *cap.* 58. *num.* 2. non enim videtur notabilis irreuerentia, cum tota manus consecrata sit, & ex alio cap. necessitas intercedat.

6 Quartò, tempore pestis, etiamsi adsit periculum infectionis, teneri Sacerdotem, non medio instrumento, sed propria manu infirmos communicare, quia id expostulat reuerentia Sacramento debita, & rationabilius est, mortis periculum subire communicando, seruata reuerentia Sacramento debita, quàm Eucharistiam infectis peste denegare, vel eam administrare non seruando præscriptam formam, vt tenet Bonacin. *sup. num.* 10. & innuit Suarez *tom* 4. *disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 17. Existimo tamen, probabile esse, cum Possevino *cap.* 8. *num.* 35. excusari posse à peccato, præciso scandalo, & periculo, lapsum Eucharistiæ in terram, si instrumento ritè confecto, & apto administret. Vide in Decalog. *lib.* 1. *cap.* 5. *dub* 6. *num.* 13. & 14. An vero excommunicatus possit Sacramenta ministrare, tractant DD. in materia excommunicationis.

Dub. III.

An Eucharistia administrari possit indignè petenti, seu peccatori.

1 Quæstio hæc potest exagitari de omnibus Sacramentis, vt eam sic exagitat Bonac. *tom.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 4. sed quia sacta Eucharistia dignior omnibus est, & publicè administratur, ideò specialiter de ea procedit hæc quæstio. Ad cuius intelligentiam.

2 Nota eum, qui Sacramenta petit indignè, aut esse peccatorem publicum, aut occultum. Rursus aut publicè petit, aut occultè. Dicitur autem peccator publicus tripliciter. Primò, quando de illius delicto constat in iudicio per ipsius delinquentis confessionem, aut per depositionem testium, aut per sententiam Iudicis, qui dicitur peccator publicus iure. Secundò quando delictum commissum est in præsentia multorum, ita vt non possit vlla tergiuersatione celari, & hic dicitur peccator publicus facto, seu notorius notorietate facti. Differunt tamen Doctores, quot personæ requirantur, nam Sotus requirit præsentiam decem hominum, Suarez verò relinquit prudentis arbitrio: placet tamen nobis sententia Syluest. *verb. Notorium.* Azor. Henriquez, Sayri, & Sanchez, quam secutus sum *in exposit. Bullæ lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 1. & *dub.* 7. *num* 3. notorium quoad præsens illud dici, quod sciturt à maiori parte viciniæ, Collegij, vel communitatis, dummodo in communitate, vel Collegio ad minùs decem reperiantur personæ: vnde in magna ciuitate, quatuor, quinque, aut sex vidisse, non satis videtur ad notorium, vt docent Hentiq. Sayr. & Sanchez in locis in Bulla citatis, Attamen, communiter loquendo, ad notorium sufficit, sex vidisse, aut quod in oppido, parochia, vicinia, &c. sit omnibus notum, vel publicè diffamatum: vnde quamuis sit notum aliquibus, potest dici occultum, quandiu peccator non laborat publica infamia, vt benè Nauarr. *cap.* 17. *num.* 255. vide Castro Palao *de legib. tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 15. §. 1. *num.* 1. & Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 55. 56. 57. & 58. & in nostro Decalogo *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 11. *num.* 1. & 2.

Tertiò,

Tertiò, quando fama alicuius delicti, & delinquentis orta ex sufficientibus indiciis, innotuit maiori parti populi, vel Parochiæ, vel Collegij, in quo peccator degit. Ex his patet, quando peccatum, vel peccator dicatur occultus videlicet, quando non est publicus aliquo ex modis supradictis.

3 Dico primò, peccatori publico semper est deneganda Eucharistia (idem de aliis Sacramentis respectiuè) siue publicè siue occultè petat, donec publicam pœnitentiam agat, & publico scandalo satisfaciat. Ita communis ex Suarez *disput.67. sect.2.* cum S.Thom. *quæst.80. art.6.* quod colligunt Patres, & Doctores ex Matth. 6. *Nolite sanctum dare canibus*, & ex cap. *multi* 2. *quæst.1.* non enim ij habent ius petendi, cùm eorum status sit manifestus, & ius diuinum exigat, vt ipsis non detur, & ex alio capite teneatur minister fideliter, & prudenter Sacramenta administrare. Idem dic de eo, qui grauiter suspectus est de graui crimine, modò suspicio non sit leuis, sed grauis, ita vt moralem quandam certitudinem inducat. Possevinus *cap.5. n.13. & cap.8. num.6.* Suarez *disp.66. sect.6.* Coninch *quæst.80. art. 6. num.39.* & cum iis, & aliis Bonacina *tom.1. disp.4 q.6. punct.4. num. 3.* in hoc enim eadem ratio militat. Procedit etiam hæc doctrina, quamuis hic peccator videatur secretè emendatus; si tamen manet adhuc infamia, & scandalum, nam huic etiam tenetur Sacerdos in publico denegare, donec scandalo satisfaciat, & constet de emendatione vitæ. Inde fit, Sacerdotem publicum peccatorem, si sibi ipsi ministraret Eucharistiam, committere vnum peccatum duplici malitia affectum, vt cum Suar. *disp.67. sect.1.* tenet Villalob. *tom.1. tract.7. differ. 38. num.2.* In articulo autem mortis, vt possint huic peccatori publico ministrari Sacramenta, sufficit, vt confiteatur, vel vt ostendat signa contritionis; nam in tali articulo, & periculo sufficit talis diligentia, præsumendumque est in tali tempore omnes facere, quod possunt, vt debitè disponantur.

4 Dices, quæ satisfactio necessaria erit, vt hic publicus peccator admittatur ad Eucharistiam. Respondeo, si occultè petat, & communio occulta diuulganda non sit, sufficit occulta pœnitentia. Filliuc. *tom.1. tract. 4. cap.9. num.277.* Vnde hic in secreta capella, vbi cessat scandalum, posset communicare, sicut absoluitur in occulto foro. Syluest. *Eucharist. 3. §. 5.* Si verò publicè petat, etiam publica pœnitentia, vel saltem conuersio, & dispositio esse debet *cap. si peccaueris 2. quæst. 1. cap. scenicis, cum precedentib. de consecr. dist. 1.* Filliuc. *sup.* Huic autem scandalo aliquando satisfit, si Parochus de rei licentia, publicè moneat populum de vera illius pœnitentia. Nauarr. *cap.8. num.11. cap.21. num. 55.* videndus, & Caietanus *verb. confessor.* Hinc fit, histrionem (de quo infra) absoluendum non esse, nisi officio dimisso. Nec meretrix, nisi è periculo, & loco publico tollatur, & in loco tuto collocetur: & vsurarius, non nisi præstita cautione iuris, quàm pro occurrentia dare potest, si sit in articulo mortis, de quo dixi *in Decal. lib.7. cap.19. dub.22.*

5 Publicus autem peccator censetur primò, histrio, qui recenset turpes comœdias, & prouocat spectantes ad peccatum, hic enim non est absoluendus, nec minùs communicandus, nisi officio dimisso; si tamen exerceret sine peccato mortali, non esset arcendus à communione, vt benè cum Palud. tenet Filliuc. *sup. num.176.* Secundò, parasytus, qui cum aliorum præiudicio vtitur mordacibus dicteriis, & facetiis. *cap. tres sunt de pœnitent. 11.* Nauarr. ibi *num.16. & cap.14. num.31.* Tertiò, Beneficiarius vel sacris initiatus, taxillis, vel aleis notabilem quantitatem ex consuetudine ludens, iis enim sic ludere prohibitum est sub peccato mortali, vt dixi *in Decal. lib.7. c.19. num.22.* Nauarr. *cap.29. num.5.* Quartò, qui torneamenta exercent in equo, ex quo vt plurimum sequuntur cædes, & vulnera; nam hastiludus, ludo Troiano, & similibus, quibus equites tecti clypeis ludere solent, licet sine peccato. Nauarr. *cap. 15. num.9.* Summistæ *verb. Torneamenta.* Quintò, qui communiter cum periculo exercet choreas cum fœminis. Nauarr. *cap.23. num.123.* Sextò, fœminæ, quæ vtuntur fuco, minio, & ornatu ex prauo fine. Nauarr. *ibid. num. 19. & 20.* Septimò, meretrices, & publici vsurarij, vt *num superiori* dictum est. Octauò hæretici, quibus Sacramenta ministrari non debent, nisi facta priùs abiuratione hæresis apud legitimum iudicem, de quo *in Decalog. lib. 1. cap.3. dub.4.* Denique concubinarij, & omnes, qui exercent publicam actionem, quæ vel ex obiecto, vel ex modo, quo fit, publicum sit, non fieri absque peccato. Filliucius *num. 276. citat.* vide Henriquez *de Eucharist. cap. 57. num.4. & 6.* & Bonacinam *dict. punct.4.*

6 Adde, arcendum esse à communione illum de quo est publica, & vehemens suspicio, esse in statu grauis peccati, donec legitimè constet de rei veritate, & innocentia, siue emendatione. Ita citandi. Ratio est, quia talis suspicio facit moraliter rem certam, quando nihil adest in contrarium; vnde æquiualet scientiæ, ideo sufficit ad negandam Eucharistiam: si tamen leuis est, admittendus est, nam in dubiis non est spoliandus possessione, sed melior est conditio possidentis suam famam. Suarez *disput.67. sect.6.* Coninch *q.80. art. 6. num.34.* Henriquez *vbi sup. num.5.* & cum aliis Bonac. *tom.1. disp.4. quæst.6. punct.4. num.10.* & Villalob. *part.1. tract.7 diff.38. num. 5.* vbi addit, etsi suspicio probabilis sit, nisi tam vehemens, & violenta sit, vt generet moralem certitudinem. Addit Henriquez, in articulo mortis non videri denegandum Sacramentum, non solùm quando adest leuis suspicio, verùm neque quando vehemens suspicio intercedit; nam infirmus ob denegatum sibi Sacramentum exponitur periculo grauis incommodi, & detrimenti, cui non videtur exponendus in articulo mortis, ob solam suspicionem, Bonacina *vbi sup.*

7 Dico secundò, si peccator sit occultus, & occultè petat, & illius peccatum sciatur à ministro (quamuis sit eius Parochus) extra confessionem deneganda est ei communio: patet *ex cap. si tantum 6. q. 2.* vbi dicitur, Episcopum, qui nouit aliquem esse peccatorem, debere, si solus ipse nouit, secretè eum monere, & communione priuare. Et ratio est, quia non habet ius, & nulla sequitur infamia, vel scandalum. Filliuc. *tom.1. tract.4. cap.9. num.278.* & communiter Doctores, vide Suarez *disp. 72. sect. 3.* Coninch *quæst. 80. art.6.* Henriquez *lib.1. cap.30. n.5. & de Eucharist. cap.59. num. 3.* & Bonacina *tom.1. disp.4. quæst.6. punct.4. num.4.* Dixi, *si delictum sciatur extra confessionem*, nam si minister illud sciat in confessione, non licet ei denegare Eucharistiam occultè petenti, vt docent communiter Nauarr. *cap. 25. num.55.* Syluest. *verb. Eucharistia 3. num.7.* Henriquez *lib.8. cap.59. num.3.* Coninch *q.80. art.6.* Sanchez *de matrim. lib.3. disp.36. num.14.* & cum iis, & aliis Diana *3. part. tract.4. resol.46.* contra Vasquez *3. tom. disp.299. cap.5. num.51.* Suarez *tom.5. in 3. part. disp.33. sect.6. num.2.* & alios apud ipsum Dianam, quidquid dicat Tabiena *verb. cõmunicare n.59.* ne scilicet confessio reddatur odiosa, & ne ab ea fideles retrahantur; ideo non licet in hoc casu vti illius scientia. Et quamuis demus, Parochum occultè negantem

negantem cum quadam dissimulatione, excusando se prætextu alterius causæ, non dici violatorem sigilli, vt cum aliis aliis tenet Henriquez *sup. num.* 3. non tamen debere occultè petenti deuegare Eucharistiam, propter rationem dictam, quia moraliter pœnitens intelligeret causam illius negationis; tum quia Sacerdos peccatum illud scit, vt Deus, denique quia vix caueri potest omne scandalum, infamia, & suspicio saltem teuelationis, vt benè Filliucius *sup. num.* 279. ideo moraliter ita practicandum. Poterit tamen confessarius, etiam extra confessionem, monere huiusmodi pœnitentem, vt abstineat à Sacramento modo prius ab ipso obtinuerit licentiam loquendi de rebus auditis, alioquin offenderet sigillum confessionis. Bonacina *sup. num.* 1. *cit.*

9 Dico tertiò, si peccator occultus publicè petat, nullo modo deneganda est ei communio à Parocho, vel ab alio Sacerdote. Ita citati *in* 2.*concl.* & Doctores communiter apud Bonacinam *tom.* 1.*disput.*4.*q.*6. *punct.*5. *num.*4. nam quamuis hic in foro Dei non habeat ius petendi, habet tamen in foro Ecclesiæ ratione baptismi, cùm adhuc sit in possessione bonæ famæ, ea ratione, qua Sacramentum petit, nempe publicè, & ideo repelli non potest, nisi debito modo, id est, nisi adsit publica scientia peccati. Pertinet enim ad bonam Ecclesiæ gubernationem; vt bona communia dispensentur à ministro communi, non secundùm priuatam scientiam, sed publicam; alioquin sequerentur multa scandala, perturbatio, & iniuria: nam ministri possent infamare quos vellent, & fingere peccata, & fideles semper formidarent, ne à ministris infamarentur. Nec inde infertur, ministrum cooperari indignæ sumptioni Eucharistiæ, sed tantùm illam permittere ex iusta causa, quam non tenetur vitare, quia non constat de indignitate, ea ratione, qua opus est, nimirum, quia non constat publicè, vt communio denegari possit. Non enim minister cooperatur receptioni, quatenus mala est, sed quatenus receptio, quæ ex obiecto bona est, etsi suscipiens ea malè vtatur; ideo minister dicitur dare operam rei licitæ, vt consulat famæ proximi. Sic nec peccat, qui à parato accipit vsuras, vt dixi *in Decal lib.*7. *c.*19. *dub* 24. vide Henriquez *cap.*58.*num.*4. Non tamen licet comedere Eucharistiam illi, quem nouit minister eam petere ad incantationem, vel conculcandam, aut proiiciendam in lutum, vt benè D. Thom. *quæst.*80. *art.*5. *ad finem.* est enim illud peccatum grauissimum; ideo grauior obligatio denegandi Eucharistiam ad eum finem. Bonacina *sup.num.*6.

10 Ex dictis sequitur secundùm Henriquez *c.*57. *de Eucharist.* Sotum *dist* 12 *q.*1. *art.*6. Coninch.*vbi sup. num.* 34. non esse negandam ei, qui publicus peccator est, Romæ v.g. & venit Mediolanum, vbi bonus existimatur, & petit eam à Sacerdote cui constat illum Romæ esse publicum peccatorem nisi probabiliter credatur esse manifestandum peccatum Mediolani, quia, inquiunt, ibi retinet bonam famam, consequenter censetur peccator occultus. Idem sentit Suarez *disp* 72. *sect.*5. quando delictum solùm fuit publicum factu, non verò iuridicè, At Bonacina *vbi sup. num* 12. quocumque modo sit infamatus Romæ, siue iuridice, siue de facto, existimat posse ei denegari Eucharistiam, quia etiamsi de facto infamatus sit, amisit ius ad famam, vt ipse existimat, & est probabile, vt dixi *in Decal. lib.*7. *capit.*10. *dub.*11. ideo denegando nulla fiet ei iniuria. Vtrumque probabile; ideo existimo, Sacerdotem non peccare eam denegando, nec illam concedendo, cùm potuerit, quam maluerit, ex his opinionibus amplecti. Quòd si peccator occultus petat coram paucis, qui omnes eius delictum norunt, nullis aliis præsentibus, deneganda est Eucharistia, sicut denegatur peccatori occulto; nulla enim in tali euentu sequitur infamia, nullum scandalum, vel aliud incommodum ea denegatione Sacramenti, cùm perinde sit, ac si peteretur occultè. Adde, etsi absolutè peccatum illud non sit publicum, respectiuè verò, & respectu illud scientium, dici potest publicum. Si verò aliqui eorum, qui adsunt, ignorant delictum petentis Sacramentum, denegari non potest, quia censetur delictum occultum; peccatori autem occulto publicè petenti non potest Sacramentum denegare. Ita cum Suarez, & Coninch. Bonac. *tom.*1. *disp.*1.*q.*6.*punct.*4 *n.*13.

11 Quæres primò, vtrum Sacerdos possit ob metum mortis, vel notabilis infamiæ, administrare Sacramentum peccatori publico. Respondeo affirmatiue, secluso tamen scandalo actiuo, vt tenet Bonac. *tom.* 1.*disp.*1.*quæst.*6. *punct.*4. *num.*14. & sentit Suarez *disput.* 67. *sect.*1. *ad fin.* & tenet Villalobos *part.*1. *tract.*7.*diff.*38. *num.*6. quia sicut licet administrare peccatori occulto publicè petenti ad vitandam ipsius infamiam, ita licebit administrare peccatori publico ad vitandam ipsius administrantis mortem, aut notabilem infamiam; in hoc enim Sacerdos videtur exercere actionem ex se bonam, & potiùs ex iusta causa permittere alterius peccatum, quàm ad illud cooperari.

12 Quæres secundò, vtrum peccatori occulto publicè petenti liceat dare hostiam non consecratam. Respondeo negatiuè, etiamsi sit confessarius pœnitentis, nam ea se dat occasionem maioris peccati, videlicet idololatriæ Etenim falsa sunt abiicienda remedia, quæ veris sunt periculis grauiora, vt benè Innoc. *cap. de homine de celebr. Miss.* Ita Doctores communiter. Quod procedit, etiamsi minister sciat per confessionem, velle pœnitentem hostiam ad incantationes, aut conculcandum, aut proiiciendum in lutum. Ledes *cap.* 12. *de Eucharistia*, *in fin.* At si extra confessionem id sciat, nec consecrata est ei danda, quamuis peccator sit occultus, & publicè petat. Henriquez *cap.*57.*num.*2.& dixi *supra.* Hinc fit, Sacerdotem celebrantem in peccato mortali grauius peccare simulando consecrationem, quam se ingerēdo ad illam cum conscientia peccati mortalis. S.Thom.3.*p.q.*80.*art.*6.*ad* 2. Suarez *disp.*67.*sect.*4.& cum aliis Bonacina *sup.n.*16.

13 Quæres tertiò, vtrum Sacerdos administraturus Sacramentum debeat adhibere diligentiam ad inquirendum, an petens habeat dispositionem, & digne petat. Respondeo, debere adhibere eam diligentiam, quam materia, & conditio cuiusque Sacramenti expostulat, iuxta viri prudentis iudicium. Vnde si quis petat Ordines, aut matrimonio coniungi, præmittendæ sunt inquisitiones, quæ in huiusmodi Sacramentis fieri solent iuxtà Tridentini decretum, si quis petat Baptismum, inquirendum est de fide, & aliis dispositionibus ad Baptismum requisitis. Si verò petat Eucharistiam, quam aliàs suscepit, potest admitti absque alia præuia diligentia, modo constet, petentem non esse in statu peccati mortalis nam præsumitur debitam habere dispositionem, cum nullus præsumatur malus nisi constet, & quilibet præsumitur bonus, nisi constet esse malus. Suar. *vbi suprà*, Sotus *in* 4. *dist.*12.*p.*1.*art.*6. Henriq.*c.*30. *n.*6.& Bonac.*vbi sup.n.*17.

14 Quærea quartò, vtrum liceat suspecto de crimine dare Eucharistiam, in probationem criminis, vel innocentiæ. Respondeo negatiuè, tum quia *in cap. dilecti de purgatione vulgari*, *& cap. tuarum de*

purgatione

purgatione Canonica. hoc prohibetur. Tum, quia hoc est tentare Deum, petendo miraculum, quod recta ratio non dictat, in eo casu peti. Ita Suarez *disput.67.sect.6.* S.Thom. *quæst.80. art.6. ad 3.* Bonacin. *sup. num.11.* & alij.

15 Quæres quintò, quid dicendum in particulari de excommunicato petente Eucharistiam. Respondeo breuiter, si publicè sit denuntiatus, & vbi est publicus, petat, arcendus est à communione, quamuis timeat Sacerdos mortem, quia hic priuatus est Sacramentorum perceptione, & hoc cedit in contemptum Religionis Christianæ: sic metu mortis licet sine vestibus sacris celebrare. At si absit contemptus Religionis, Henrique *cap.60. num.3.* probabiliter tenet, licere ob metum mortis tali conferre Eucharistiam, sicut secluso contemptu, licet ob dictum metum denuntiato celebrare. Etenim nec Christus, nec Ecclesia obligare videntur, vt cum tanti damni periculo teneamur obstare alieno peccato. Quod si petat publicè in loco, vbi toleratur ob ignorantiam, si Sacerdos potest testibus reum de excommunicatione conuincere, neganda videtur Eucharistia propter publicam Sacramenti reuerentiam; nam reus denuntiatus priuatus est communione. At si eas probationes non habet, nec habere potest sine suis expensis, & periculo honoris, permittat eum communicare, quia correctio, & vitatio alieni peccati non obligat cum tanto detrimento proprio. Nauarr. *cap.24. num. 12.* cum S. Thom. 2.2. *quæst.33. artic.2.* vide Caietan.2.2.*q.26. artic.5. ad 3.* Poterit tamen nominatim denuntiatus, si occultus sit, per Bullam aut aliud priuilegium in foro conscientiæ absolui, & ita absolutus petere communionem, & vbi cessat periculum scandali, poterit ei ministrari, quia verè absolutus est. Couarr. *cap. alma mater, 1. part.§.11. num.16.* & cum aliis Henriquez *cap. 50. num. 4.* Quam absolutionem benignus iudex acceptare poterit, pro foro exteriori, quod probabile iudicat Med. *instit. lib.2. cap.51.ad fin.* de quo dixi in Bulla *lib.1.§.7. cap.2. dub.10.n.10.& dub.11.n.3.* Siverò excommunicatus denuntiatus non sit, si tamen est publicus peccator, vt dictum est *n.3.* si autem est occultus, & occultè petit, & Sacerdos extra confessionem id nouerit, secluso scandalo negare tenetur ei communionem; quia excommunicatus quicumque ipso iure priuatus est Sacramentorum perceptione. Vide Henriq. *cap.60.*& in hoc dub. *concl.2.*

CAP. VIII.

De Eucharistia, quatenus est sacrificium, siue de sacrificio Missæ.

Cum duplex ratio, & consideratio reperiatur in Eucharistia, vt diximus, & tenent omnes Catholici: nimirum, & Sacramenti, & sacrificij & hucusque actum sit de ea, quatenus Sacramentum, agendum nunc est de illa, quatenus sacrificium, siue de Missæ sacrificio. De quo Sanct. Thom. 3. *part. quæst.* 86. & ibi expositores, vbi Suarez late, Magister *in 4. distinct.* 13. & ibi Sotus *quæst. 2. & lib. 6. de instit.* Bellarmin. *lib.1. de Missa.* Azor *tom. 1. lib. 10. à capit.* 17. Henriquez *lib.9. de Missa*, Villalobos *part. 1. tractat.8.* Filliucius *tom.1.tract.5.* Bonacina *tom.1.disp.4.quæst. vltim.* & Summistæ *verbo, Missa.*

D V B. I.

Vtrum Missa sit verum sacrificium.

1 Suppono primò, ex doctrina D. Thom. *3.part. quæst.85.art.1.2.& 3.* sacrificium vniuersaliter, & in communi sumptum, prout amplectitur sacrificia veteris, & nouæ legis, ita posse describi: Sacrificium est oblatio rei sensibilis à legitimo ministro facta per realem immutationem ad testandum supremum illius dominium, & nostram subiectionem. Lessius *lib.2.c.38. dub.2.n.19.*

2 Dicitur primò, *oblatio*, quia vt docet D. Thom. *q.85. art.3.ad 3.* oblatio est genus sacrificij, in quo conuenit sacrificium in aliis rebus, quæ offerebantur Deo in veteri lege, quæ non erant sacrificium, vt primogeniti, primitiæ variarum frugum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, & similia, de quibus Exod.25.& 35.& nunc offeruntur, quæ non sunt sacrificium, vt sunt oblationes, quæ à fidelibus in Ecclesia eius ministris dantur, tum etiam decimæ, & primitiæ, quæ ipsis in Dei honorem soluuntur.

3 Dicitur secundò, *rei sensibilis*, vt excludatur interna oblatio, qua mens se, suaque omnia Deo subiicit, & offert, quæ non est propriè sacrificium, etsi perfectius fructum sacrificij præstet, quam sacrificia externa, & idcirco sacrificium vocetur, sic etsi impropriè, & largo modo, contritio à Dauid *Psalm.50.* dicitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, & Psalm. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Ratio est, quia cultus, & honor interior quem Deo in sacrificio exhibemus, est veluti ipsius sacrificij anima, sine qua externum sacrificium nullius esset valoris, nec Deo acceptum: ideò Deus Isa.1. *Sanguinem hircorum, & taurorum nolo.* & *Psalm.50. Holocaustis non delectaberis*, quia, ait ipse Deus Isa.1. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine.*

4 Nota, in scriptura aliquando vocari sacrificium, impropriè tamen, & largo modo quodlibet opus bonum, quod refertur in Dei honorem; non quia verè, & propriè sacrificium sit, sed quia illi assimilatur, & ratio sacrificij, quæ consistit in cultu exteriori, ad illud opus aliquo modo se extendat; ideoque illa bona opera externa aliquo modo vocantur, etsi impropriè sacrificia, vt *Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* vbi laudes exteriores vocantur sacrificium. Et à D. Paulo ad Hebr. 6.de eleemosyna dicitur: *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Vide D. Chrysost. *in Psalm 55.* vbi decem genera talium sacrificiorum enumerat: primum, sacrificium martyris: secundum, deprecationis: tertium, iubilationis: quartum, iustitiæ: quintum, eleemosynæ: sextum, laudis: septimum, compunctionis: octauum, humilitatis: nonum, prædicationis: decimum, beneficentiæ in sanctos. Quando autem D. August. *lib.10. de ciuit. capit 6.* dixit: *Sacrificium verum esse, omne opus bonum: quod agitur, vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo beati esse possimus*, accipit, *sacrificij*, nomen latè pro omni opere, quo assequimur sacrificij finem, seu effectum, qui est adhærere Deo, eique placere: vocat autem Augustin. tale opus, *sacrificium verum*, vt distinguatur à sacrificio externo animalium, non quod perfectiorem rationem sacrificij habeat, sed quia effectum sacrificij perfectiùs præstat; melius enim Deum placat, quam externum solùm; sic Dominus Ioann.15. dicit:

ego

Ego sum vitis vera, nimirum quia mysticè præstat excellenter ea, quæ vitis sunt. Sic etiam tyrannus dicitur vetus leo: & abstinere à peccatis verum ieiunium. Ita Lessius videndus *lib.2.c.38.dub.2.n 9.*

5 Dicitur tertiò, *à legitimo ministro*, quia sacrificium dicit ordinem ad Sacerdotem, cum enim sit excellentissimus, & publicus Dei cultus, par est, vt non fiat nisi à persona ad hoc publica authoritate deputata: etenim sacrificium, & sacerdotium habent se inseparabiliter, & mutuo se consequuntur, vt paret ex Trident. *sess.23.cap.1. Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege steterit.* & Paul.1.Corinth.5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Ex quibus constat sacrificium esse coniunctum cum Sacerdotio, taliter quod sacerdotium sit propter sacrificium, & sacrificium non possit offerri nisi à Sacerdote: quare cum priuata persona non possit Sacerdotem instituere: ita nec sacrificium; debet enim sacrificium institui à Principe, seu Republica: in lege autem naturæ fuerunt instituta sacrificia à Republica, eo quod ea non designauerit Deus: in lege veteri instituta fuere à Deo: in noua verò ab ipso Christo, vt infra constabit. Vide D. Thom.2.2.*quæst.73.sect.3.& 4.*

6 Dicitur quartò, *per realem immutationem*: tum quia perfectissimus cultus: tum quia aliàs non distingueretur à simplici oblatione S.Th.*vbi sup.art.3. ad 3.*& communiter DD. in veteri enim lege animalia mactabantur, panis frangebatur, edebaturque: vnde ad sacrificium non sufficit sola benedictio materiæ, vt existimat Suarez *vbi supr. sect. 5.* nam si res, quæ offertur, taliter immutetur, vt aliquomodo desinat esse, & consumatur, erit sacrificium, vt significat. D. Thom.*sup.*& cum Theoph.D.Hieron.Chrysostom.& aliis tenet Villalob. *part.1.tract.8.differ.1. num.7.* quo modo autem hoc contingat in sacrificio Missæ dicetur *infra*. Hinc patet differentia inter oblationem, & sacrificium; nam omne sacrificium est oblatio, non autem omnis oblatio est sacrificium: oblatio enim propriè, & strictè est, quod offertur sine aliqua mutatione sui, vt pecunia, panis, &c. S.Thomas *vbi sup.*

7 Dicitur quintò, *ad testandum supremum illius dominium, & nostram subiectionem.* Duo enim sacrificio significamus, & testamur diuinum principatum, & nostram subiectionem, & hæc significatio est essentialis sacrificio; ideo. S.Thom.2.2 *quæst.85. art.1.ad 2.* dixit sacrificium esse in genere signi. Præter hanc significationem, quædam sacrificia habent aliam accessoriam, quæ mystica, vel allegorica dici potest, vt sacrificium sanctissimæ Eucharistiæ significat oblationem Crucis, vt sacrificium Melchisedech præfigurabat sacrificium Eucharistiæ; & omnia sacrificia veteris legis præfigurabant oblationem. Crucis, vel Eucharistiæ, omnia enim erant vmbræ Christum obscure insinuantes, & mentes hominum ad illum excitantes. Hæc tamen significatio non pertinet ad rationem sacrificij, vt sacrificium est, vnde non fuisset, si Adam innocentiam conseruasset; potest tamen dici, pertinere ad sacrificium, vt est propria huius, vel illius status cæremonia. Lessius *lib.2. cap.38. dub.2.n.19.*

8 Ex his constat, quatuor requiri ad rationem sacrificij, vt docet D. August 4.*de Trinit.cap.14.* Primò, offerens, qui est Sacerdos. Secundò, persona, cui offeratur, quæ est Deus, pro quo offertur, quæ sunt peccata; & quod offertur, quod est victima. Quibus addendum est altare, quod non nisi propter sacrificium erigitur, vt docet D. August. 20 *contra Faustum, cap.21.* & colligitur *Genes.8.* vbi de primo altari fit mentio. Quæ omnia etiam in sacrificio inuisibili, & interno reperiuntur, in eo enim altare est cor nostrum; victima cruenta est quando nostram propriam voluntatem propter Dei amorem sacrificamus, & vsque ad sanguinis effusionem pugnamus; ibique incensum, quod est amor, quo inflammamur, aliaque dona, vt obedientiam humilitatem, laudes, &c. Deo offerimus. Villalob.*p.1.tract.8.diff.1. num.12.13 & 14.*

9 Colligi etiam potest ex dictis hæc exacta sacrificij diffinitio: Oblatio exterior facta soli Deo, qua in remedium humanæ infirmitatis, & professionem diuinæ maiestatis, à legitimo ministro res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur.

10 Suppono secundò, cum Doctoribus supra citatis, in veteri lege varia reperiri sacrificiorum genera. Diuiditur ergo primò sacrificium ex parte causæ efficientis in sacrificium legis naturæ, veteris, & nouæ. In lege autem naturæ regulariter institutio sacrificiorũ fuit immediatè per humanam potestatem in veteri à Deo per Angelos: in noua à Christo Domino. Secundò, ex parte materiæ diuiditur in rem animatam, qualia erant animalia oblata in honorem Dei, & mactata, quæ appellabantur victimæ, tum quia offerebantur, causa victoriæ obtentæ, vel quia animal victum offerebatur. Appellabantur etiam hostia, quia offerebãtur ad reportandam victoriam contra hostes, vel quia tale sacrificium fiebat in ostio templi. Aliæ res quæ offerebantur, erant animatæ, ex quibus aliæ erant solidæ, & tale sacrificium vocabatur immolatio (quamuis hoc nomen ad omne sacrificium etiam extendatur) tale sacrificium erat fructus terræ, vt panis, simila, sal, thus manipulus spicarum virentium, & triticum, patet Leuit. 2. & 6. & dicitur *immolatio*, ab immolatione, de mola. Aliæ erant liquidæ, & hoc sacrificium vocabatur libamen, talia erant sacrificia, quibus liquores offerebantur, vt vinum, oleum, sanguis, aqua. Confunduntur tamen hæc nomina sæpè in sacra Scriptura, de quorum etymologia, vide D.Isidorum *lib 6.de etymol.* Tertiò, diuiditur partim ex forma, siue actione offerendi, & partim ex fine, in holocaustum, sacrificium pro peccato, & hostiam pacificam. Holocaustum erat quando totum sacrificium comburebatur, ideo vocabatur holocaustum eratque sacrificium perfectissimum, quia in eo tota res in fumum resoluta, sursum, ad Deum, ascendebat, nihilque ex eo vsibus cedebat humanis. Vnde expressiùs per hoc significabatur omnia ipsius esse, & ab ipso prouenire: quare potissimum ad hunc finem fiebat, quamuis interdum fieret pro peccato populi, & Sacerdotum. Sacrificium pro peccato partim cremebatur, partim cedebat in vsum Sacerdotum qui in atrio templi ex eo vescebantur offerebaturque non pro pecatis internis, sed pro externis quibusdam vt pro peccatis commissis per ignorantiam circa cæremonias, vt patet Leuit.4.& 5. Item furti, periurij, & calumniæ vt patet *cap.6. & 7.* Hostia pacifica partim cremabatur, partim edebatur, tum à Sacerdotibus, tum ab iis, qui obtulerant, offerebatur, vel in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, & tunc eodem die comedi debebat, vel ad noua beneficia impetranda, & tunc differri poterat eius consumptio in diem posterum, non tamen vlterius Vide D. Thom. 1.2.*q.*102. Quarta diuisio (quæ parum differt à tertia) sumitur à fine; vel enim primò sacrificium offerebatur pro venerandu Deo, eiusque excellentia

pro

protestanda, quod potissimùm fiebat holocausto, ideo Græcè [illegible]. Vel secundò pro expiatione peccatorum, & sic appellabatur *hostia pro peccato*. Vel tertiò pro gratiarum actione pro beneficiis acceptis, vt hostia pacifica, sacrificium laudis, & hoc vocatur εὐχαριστικόν. Vel quartò pro impetratione beneficij, vt sacrificium impetratorium. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 38. *dub.* 1. *&* 2. Filliucium *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *quæst.* 4. & Villalobos *p.* 1. *tract.* 8. *diff.* 2. Prædictæ autem sacrificij rationes in vnico legis nouæ, & gratiæ, omnes continentur; est enim holocaustum, quod fit in recognitionem diuinæ excellentiæ. Secundò, est Eucharisticum, quia fit in recognitionem passionis Christi, quæ maximum fuit beneficium. Tertiò, est impetratorium, quia in eo offertur Christus, per quem omnia beneficia speranda sunt. Filliuc. *sup. num* 11. *cit.*

11 Suppono tertiò, Missam dici à verbo Hebræo *Minchа* quod significat oblationem spontaneam. S. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 4. *ad* 9. & à Latino *Mitto*, vel quia Sacerdos mittit ad Deum preces per Angelos, sicut populus per Sacerdotem, vel quia oblatio iam fit missa ad Deum, vel quia populus & Congregatio sit iam dimissa, vel quia Christus est huius sacrificij oblatio à Deo missa. Vnde cùm dicitur, *Ite Missa est*, significatur tempus dimissionis, & sensus est: *Ite*, iam enim est dimissionis tempus, vel: *Ite*, iam enim est oblatio ad Deum missa, ideo dicitur in Canone: *Iube hæc perferri per manus Angeli tui*, vel tota actio sacra est completa. Communiter tamen Missa sumitur pro tota actione sacra à principio vsque ad finem. Filliucius *sup. num.* 14. Villalob. *loco cit. diff.* 3. *num.* 1. vide Isid. *lib.* 2. *etymol. cap* 19. D. Bonauent. *opusc. de myst. Missæ.* & Innocent. *lib.* 3. *de Missa cap.* 12. Est autem hoc nomen, *Missa*, antiquissimum, constat ex multis Conciliis, Carthag. 2. *c. part.* 3. Carthag. 3. *Can.* 84. & Mileuit. *cap.* 12. & aliis pluribus, & communiter vsurpatur apud Patres, vt refertur *cap. omnis de consecr. dist.* 1. vide Suar. *in* 3. *part. disp.* 74. *sect.* 3. Græcè autem Missa dicitur λειτουργία, liturgia, id est, publicum munus, & ministerium sacrificij cruenti Christi. Vide Henriquez *lib.* 9. *cap.* 10. *num.* 20.

12 Dico primò, in noua lege datur verum sacrificium, quod dicitur Missa, seu Missa est verum sacrificium nouæ legis, est de fide definitum in Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. *&* Can. 1. *&* 2. ait enim Trid. *dict. cap* 1. *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit, &c.* Constat etiam ex communi consensu Ecclesiæ, & Patrum traditione, de quo latè Suarez *de Sacrament. disp.* 74. *sect.* 1. *&* 2. Et potest probari primò, quia sacrificium, sacerdotium, & lex inseparabiliter ambulant, & mutuò se includunt, patet ad Hebr. 7. ideoque, vt ait Paul. *translato sacerdotio, necesse, est vt legis translatio fiat.* & ad Hebr. 5. & 8. dicit Apost. officium Sacerdotis esse offerre hostias; igitur cùm in Christi Domini Ecclesia detur lex, & sacerdotium, necessariò debet dari particulare sacrificium. Secundò, quia nos in Missa nihil aliud facimus, nisi quod ipse Christus gessit, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*: cùm ergo Christus in cœna obtulerit sacrificium, vt definit Trident. *sess* 22. *cap.* 1. sequitur, nos etiam offerre. Tertiò, quia definitio sacrificij propriissimè nostro adaptatur; est enim oblatio exterior, & sensibilis, scilicet corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini Deo facta à legitimo ministro, qui est Sacerdos, ad protestandum supremum illius dominium, & nostram subiectionem, in remedium humanæ infirmitatis, ideoque offertur pro fidelibus viuis, atque defunctis. Aduertendum, hostiam consecratam vocari sacrificium, similiter nostram actionem, sed hæc magis propriè, ideo non duo, sed vnum tantum datur sacrificium: quæ omnia clarius ex dicendis constabunt.

13 Dico secundò, in noua lege nullum aliud datur sacrificium, nisi Missa: colligitur ex Trident *sess* 22. *in proœmio*, vbi appellat hoc sacrificium *singulare*, quo etiam nomine vocatur à Concilio Tolet. 12. *cap* 5. Constat ex communi sanctorum consensu, præcipuè ex August. *lib.* 10. *de ciuit. Dei* & Ecclesiæ vsu, in qua nullum vestigium, aut signum alterius sacrificij reperitur. Rationem huius singularitatis assignat D. Thom. 3. *part. quæst.* 74. *art.* 2. *ad* 1. quia datur in Ecclesia hostia viua, infinita, & perpetua, quam semper offerre Deo possumus, ideo nullum aliud sacrificium fuit necessarium. Vide Suarez *disput.* 74. *sect* 4. Oblatio autem incensi, luminum, & similium non sunt sacrificium, sed purè oblationes, vt dictum est supra, & quædam cæremoniæ ad ornatum, & reuerentiam sacrificij, vt docet Trid. *sess* 22. *cap.* 5. *Cæremonias adhibuit (scilicet Mater Ecclesia) vt mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent contemplationem excitarentur.* Vide Suar. *vbi sup. sect.* 4. vbi in fine concludit, non esse relictam à Christo Domino Ecclesiæ suæ facultatem instituendi sacrificia, eo quòd institutio hæc pertineat ad caput communitatis, & aliàs iam sit ab ipso capite Christo institutum. Ait tamen, probabile esse, si Christus non instituisset, relicturum Ecclesiæ potestatem ad sacrificia instituenda. Fuit autem hoc sacrificium necessarium, vt nobis valor mortis, ac Passionis Christi sacrificijque cruenti applicaretur: etenim etsi Passio Christi Domini sit infiniti valoris, & sufficiens ad totum genus humanum redimendum, requisit tamen, quoad efficaciam, applicationem, quæ fit per hoc incruentum sacrificium, sicut non obstante Christi satisfactione requiritur nostra satisfactio, quæ nullius esset valoris, nisi propter Christi satisfactionem, ad modum quo causa secunda operatur cum subordinatione ad primam. Fuit etiam necessarium, vt cultus exterior, quo Deum colimus, iterari posset, cùm Christi sacrificium non indigeat reiteratione, eo quod semel oblatum sufficientissimum fuerit. Villalob. *part.* 1. *tractat.* 8. *differ.* 3. *num* 4.

14 Ex dictis colligi potest, Missam posse ita definiri: Missa, seu sacrificium Missæ, est cæremonia sacra, qua res aliqua sacratur aliquo modo, consumitur, & soli Deo offertur in ipsius cultum, & recognitionem supremæ Maiestatis, & excellentiæ. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct* 1. *num.* 3. dicitur, *cæremonia sacra, seu actio sacra*, quia sacrificium propriè, & in rigore non est res ipsa, quæ offertur, sed potius consistit in actione circa rem oblatam: ideò dicitur sacrificium, *oblatio*. Dicitur, *sacra*, quia spectat ad religionem cum per ipsam colatur Deus, & ipsa versetur circa rem sacram, quæ offertur. Dicitur, *qua res aliqua sacratur, & consumitur aliquo modo*, ad denotandum sacrificium Missæ in his tribus actionibus consistere, videlicet in consecratione, oblatione, & consumptione, vt constabit ex dicendis *dub. seqq.* Dicitur, *denique in ipsius cultum, & recognitionem*, quia ratio formalis sacrificij in hoc consistit, vt per ipsum Deus colatur, & recognoscatur.

15 Sed quæres, à quo Missa sit instituta. Respondeo breuiter, & dico primò. Missa quoad substantiam sacrificij est à Christo Domino instituta, est de fide, patet ex prima, & secunda conclusione; Christus enim in vltima cœna obtulit hoc sacrificium, & tulit legem de illo, vt perpetuò in Ecclesia duraret, congrue quidem, quia ad Christum vt nouæ legis authorem, pertinebat substantiali institutore, cuiusmodi est sacrificium; in quonam autem sita sit substantia sacrificij, dicetur *dubio seq.* Dico secundò. Missa quoad totam actionem vt includit omnes cæremonias, est instituta ab Ecclesia; nam Canon Missæ, & aliæ cæremoniæ ab Ecclesia sunt compositæ, ex Trid. *sess.* 22. idem est certum de aliis cæremoniis, & Collectis, vt in Clemente, & aliis Pontificibus, ac Conciliis, & ex Isidoro *lib.* 1. *de officiis*, colligitur Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 74. *sect.* 3.

D V B. II.

In quo consistat essentia sacrificij Missæ.

1 Ad intelligentiam supponendum est cum Tridentin. *sess.* 22 *cap.* 1. Christum Dominum in nocte Cœnæ se Patri æterno in sacrificium obtulisse, præcepisseque Apostolis, & Sacerdotibus, vt idem facerent, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: vnde ad decisionem huius dubij recurrendum est ad ea, quæ in illa nocte Christus gessit. Accepit enim primò Dominus Iesvs panem, illum benedixit, ac fregit: secundò, consecrauit: tertiò, distribuit: quartò, sumpsit, vt docet S. Thom. *quæst.* 91 *artic.* 3. & cum aliis Suar. *disput.* 75. *sect.* 2.

2 Supponendum secundò, in Missa sex potissimum actiones interuenire, quæ videri possunt concurrere ad eius rationem. Prima, est oblatio panis, & vini, quæ fit ante consecrationem, in ea parte, quæ dicitur Offertorium, quæ oblatio fuit obumbrata, quando Christus Dominus gratias agens benedixit panem. Secunda, est consecratio ipsa, cui correspondet Christi Domini consecratio. Tertia est oblatio post consecrationem, illis verbis: *Vnde, & nos memores, &c. offerimus præclaræ, &c.* & hæc non reperitur facta à Christo Domino. Quarta, est fractio hostiæ & mixtio cum speciebus vini, quod fecisse Christum non inuenitur in Euangelio, quia fractio, quam fecit Christus, fuit ante consecrationem. Quinta est sumptio facta ab ipso Sacerdote correspondens sumptioni qua Christus Dominus se ipsum sumpsit. Sexta, est distributio Sacramenti, quæ in Cœna Christi Domini fuit facta post consecrationem, in Missa verò fit vltimo. His positis.

3 Dico primò, prima oblatio, quæ fit illis verbis: *Suscipe sancte Pater, &c.* non est de essentia Missæ. Ita Suarez *disput.* 75. *sect* 2. *&* 3. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 5. *cap.* 1 *num* 21. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 8. *diff* 5 *num* 2. & communiter Doctores. Probatur primò, quia non fuit semper ab Ecclesia obseruata, vt testatur Suarez *vbi supra.* Secundò, quia non vsus fuit expressè ea Christus Dominus. Tertiò, quia per eam nihil fit, nisi merè extrinsecè circa rem oblatam: vnde etiamsi omittatur, sacrificium erit perfectum essentialiter.

4 Dico secundò, oblatio quæ fit post consecrationem, non est de essentia sacrificij Missæ. Suarez *supra sect.* 3 DD. citati, & alij contra Bonacinam *tom.* 1. *disputat.* 4. *quæst. vltim. punct.* 2. *numero* 6. & probatur primò, quia eam Christus non adhibuit. Secundò, quia non constat, ea semper Ecclesiam vsam fuisse,

vt testatur idem Suarez *loco cit.* Tertiò, quia non requiritur, vt oblatio sit verbalis, & explicita, nempe, vt sacrificans verbo exprimat, se offerre, sed sat est, vt sit realis, & implicita, videlicet eam opere exercere, ex intentione colendi Deum: exercetur, autem in ipsa consecratione vt dicetur *concl.* 5.

5 Dico tertiò, nec fractio pertinet ad essentiam Missæ, Sanct. Thom. *quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 6. & communiter DD. tum quia ea Christus non est vsus post consecrationem; credibiliusque eam fractionem, de qua in Euangelio: *Fregit, deditque Discipulis suis*, fuisse factam ante consecrationem, antequam Christus panem in tot particulas diuisit, quot erant Discipuli communicaturi: & de calice dixit: *Accipite, & diuidite inter vos.* tum quia de ea non fit mentio in Liturgia S. Basilij: tum denique quia si omittatur ex ignorantia, vel naturali obliuione, vel casu hostia in calicem cadat, esse tamen perfectum sacrificium. Est tamen cæremonia sacra, & mysticè significat Passionem Christi: mixtio autem Resurrectionem, vt ex Concil. Ephes. docet Suarez *disput.* 75. *sect.* 3.

Quantum autem ad distributionem, seu dispensationem Eucharistiæ respectu fidelium, adstantium Missæ, & in ea communicantium, attinet, certum est apud omnes, non esse de essentia Missæ, quia est quid consequens, & extrinsecum Missæ, cum sæpissimè celebretur hoc sacrificium Missæ, absque eo quod fidelibus distribuatur.

6 Dico quartò, sumptio ipsa in re non spectat ad rationem essentialem huius sacrificij, ordo tamen ad illam videtur de essentia. Ita Suarez *sup. sect.* 5. & cum eo Filliuc. *tom* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 24. contra Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 1. *n.* 6. existimantem sumptionem realem esse de essentia Missæ. Prior pars probatur, quia etiamsi post consecrationem Christus non sumatur, adhuc tamen dicitur Christus perfectè sacrificatus & immolatus. Vnde si post consecrationem contingat, apparere carnem, aut sanguinem, non est sumendum, nec iterum aliud consecrandum, ergo, &c. Posterior patet, quia licet hoc sacrificium per se primo ordinetur ad cultum diuinum, consequenter etiam ordinatur ad hoc, vt sit cibus fidelium: at non est cibus, nisi per sumptionem; præceptum autem factum Sacerdotibus, vt sumatur, non est factum, vt per sumptionem sacrificent, sed vt participent de sacrificio iam perfecto. Filliuc. *vbi sup.*

7 Dico quintò, consecratio, & sola illa, est de essentia sacrificij Missæ, ita Suarez *disp.* 75. *sect.* 4. & 5. & cum eo Filliuc. & alij, & sumitur ex D. Tho. *quæst.* 37. *art.* 4. Prior pars probatur ex Christi facto, qui ex patribus dicitur consecrando sacrificasse. Secundò, ex potestate Sacerdotum quam præcipuè habent consecrandi, ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. & 4. Tertiò, exemplo diei Parasceues, in quo non sacrificatur, quia non consecratur. Posterior pars constat ex sufficienti partium numeratione, in quibus probatum est huius sacrificij essentiam non consistere; ergo cum illis exclusis sola maneat consecratio, fit inde, vt in ea sola sua sit ratio essentialis sacrificij Missæ: & confirmatur quia vt pluribus, probat Suarez *sect.* 5. sancti Patres sola consecratione explicarunt rationem huius sacrificij: etenim per solam consecrationem res sit sacra, & mutatur, consecrantur enim species, & panis substantia, ac vini in corpus, & sanguinem Christi transmutatur, & transubstantiatur.

8 Vt autem clarius hæc conclusio pateat, aduertendum est, consecrationem dupliciter posse considerari. Primò, quatenus per eam fit præsens corpus, & sanguis Christi sub speciebus, in qua ratione præcisè non consistit sacrificij essentia, sed Sacramenti. Secundò, potest considerari, quatenus per consecrationem repræsentatur passio, & mors Christi Domini, nam per panis consecrationem corpus, & per vini consecrationem sanguis separatus à corpore mysticè repræsentatur, quod dicitur mystica, seu spiritualis mactatio, seu mors victimæ Christi: est enim hoc sacrificium incruentum memoriale, & repræsentatiuum sacrificij cruenti Crucis, in quo sanguis realiter à corpore fuit separatus, ergo cum hoc mysticè repræsentetur per consecrationem, in quantum scilicet, per eam sanguis separatim consecratur à corpore, etsi aliàs reuera hæc per comitantiam coniuncta sint, fit inde vt in consecratione, seu in mystica mactatione, essentia huius sacrificij constituatur. Repetitur etiam in consecratione oblatio, non quidem verbalis, & expressa, sed realis, & implicita, quæ vt dictum est, sufficit ad essentiam sacrificij, & consistit hæc in exercitio consecrationis factæ intentione colendi Deum: quatenus corpus Christi per verba consecrationis fit præsens speciebus, & mutatur mysticè in Dei cultum, & hoc modo explicato.

9 Dico sextò, de essentia sacrificij est vtriusque speciei consecratio; S. Thom. *quæst.* 80. *art.* 12. *ad* 5. Bellarmin. *lib.* 4 *de Eucharistia cap.* 22. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 25. & alij contra Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 2. *num.* 7. Ratio est, quia vt dictum est, consecratio habet rationem sacrificij sub ratione mysticæ mactationis, quatenus ex vi verborum corpus, & sanguis sacramentaliter separantur, at id non fit nisi per consecrationem vtriusque speciei, quæ expressè repræsentat separationem corporis, & sanguinis, & ipsum sacrificium cruentum Confirmatur, quia sacrificium est expressa repræsentatio mortis, & passionis Christi; at hæc requirit vtriusque speciei consecrationem. Inde infert Petrus Ledesma *in sum. vbi de Eucharist. cap.* 3. *post.* 1. *conclus.* incolas regionis, vbi vinum, aut panis non inuenitur, non teneri communicare in re, nec sacrificare. Attamen valde probabile est, vt dixi *c.* 2. *dub.* 4. *de Eucharistia*, in hoc casu posse Pontificem dispensare, seu vt propriè loquamur, interpretari posse, fieri consecrationem sub altera tantum specie.

10 Sed quæres, an sacrificium, quo Christus se ipsum patri obtulit per passionem, & mortem suam differat à sacrificio, quo in Missa offertur. Respondeo breuiter, & dico primò, certum esse, non differre specie; quia idem Christus est, qui se obtulit in Cruce, & qui nunc in Missa offertur. Dico secundò, propter eandem rationem, nec differre hæc sacrificia numero quoad substantiam, nam idem numero Christus est, qui in vtroque offertur: differunt tamen secundum modum, & circumstantias, quia in primo idem Christus fuit offerens, & res oblata, & se obtulit in propria specie cruenter, & per veram mortem, & passionem, illatam à peruersis, & perfidis Iudæis. Hic verò offertur per Sacerdotem, in aliena specie, scilicet panis, & vini, incruenter, non per veram mortem, sed mysticam mactationem, modo explicato *in* 5. & 6. *conclus.* Hinc est vt nec differat specie, imò nec numero quoad substantiam à sacrificio quod in Cœna Christus gessit; sed solùm quoad circunstantias, ibi enim Christus immediatè se obtulit, hic verò per Sacerdotem, tum etiam quia aliæ circunstantiæ ibi inueniuntur, quæ hic non concurrunt, vt videre est apud Euangelistas.

D V B. III.

Quis sit offerens in sacrificio Missæ.

1 SVppone, quatuor reperiri in Missæ sacrificio, & sunt res oblata, is coi offertur, persona offerens, & pro qua offertur. De primo, dictum est *dub.* 1. & de secundo, *dub.* 2. de tertio dicemus *hoc dub.* & de quarto *dub. seq.* suppone etiam, personam offerentem aliam esse principalem, aliam verò minus principalem, quod clarius ex dicendis constabit.

2 Dico primò, principalis offerens est Christus Dominus Sacerdos summus. S. Thom. *quæst.* 83. *artic.* 1. *ad* 3. *& quæst.* 81. *art.* 7. *ad* 3. & communiter Theologi apud Suarez *disput.* 77. *sect.* 1. Probatur primò ex Scriptura, Psalm. 109. quæ Christum vocat Sacerdotem in æternum. Secundò, ex Conciliis Lateranensi. *in cap. firmiter de summ. Trinit. & fid.* & Florentin. *in decret. de vnione*, & Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. vbi inquit de Christo, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans.* Igitur cum Christus sit verus, & æternus Sacerdos, fit inde, vt etiam offerat: non enim esset conueniens, vt dignissimus Sacerdos, qualis est Christus Dominus, perpetuò vacet à munere offerendi; cum hoc pertineat ad maiorem gloriam Dei, dignitatem offerentis, & sacrificij. Hoc idem confirmant verba consecrationis, eo quod in persona Christi proferantur.

3 Nota, Christum Dominum quinque modis posse dici offerri. Primò ratione institutionis, eo quod hoc sacrificium instituerit. Secundò, ratione virtutis, quæ fundatur in ipsius Christi meritis. Tertiò, ratione concursus quem habet Christi humanitas tanquam instrumentum coniunctum ad transubstantiationem, per quam hoc sacrificium conficitur. Quartò, ratione authoritatis; nam in eius persona Sacerdos conficit, eomque repræsentat. Quintò, ratione concursus actualis, quo Christus totam huiusmodi oblationem ordinat ad cultum Dei, eamque Patri repræsentat in memoriam suæ passionis cogitando de illa, & volendo illam. Ex quibus quartus, & quintus modos sunt proximiores, & magis propriè pertinent ad rationem oblationis, & personam sacrificantis.

4 Dico secundò, solos Sacerdotes legitimè ordinatus habet potestatem offerendi, est de fide, ex Concil. Niceno *cap.* 4. & Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. vbi dicitur: *Christum Apostolis, & eorum successoribus præcepisse, vt offerrent vti semper Ecclesia docuit, & intellexit.* Idem *Can.* 1. *& sess.* 23. *Can.* 1. Ratio est, quia vt diximus *sup. c.* 6. *dub.* 1. solos Sacerdos potest consecrare; at sacrificium consistit in consecratione, vt dictum est *dub.* 2. ergo, &c. Confirmatur ex traditione Ecclesiæ, & communi consensu Catholicorum.

5 Dico tertiò, omnis Sacerdos legitimè ordinatus, quamuis sit ab Ecclesia præcisus, vt excommunicatus, suspensus, interdictus, depositos degradatus, schismaticus, & hæreticus, verè offert hoc sacrificium, ita S. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 7. Bonac. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 1. Suar. *vbi sup. sect.* 1. & communiter Catholici: nam certum, & de fide est, posse validè consecrare, eo quod retineant characterem indelebilem, & potestatem consecrandi, vt dixi *lib hoc c.* 6. *dub.* 1. *n.* 2. quæ facultas non dependet à iurisdictione, ideoque ab Ecclesia auferri non potest, & hoc sensu Trid. *sess.* 13. *Can* 4. definiuit, eum, qui semel Sacerdos consecratus est, non posse fieri laicum.

6 Dico quartò, omnes fideles possunt offerre hoc sacrificium, non per ipsos solos, sed per Sacerdotem, ita omnes Catholici, ex Suarez *suprà sect.* 3. cum D. Thom. *q.* 82. *art.* 6. *&* 5. *ad* 1. & colligitur ex illis verbis Canonis, *& omnium circumstantium, &c. pro quibus tibi offerimus.* Id est pro laicis non sacrificantibus, *vel tibi offerunt* id est non solum Sacerdotes, sed etiam omnes fideles: vt explicat Innoc. *lib.* 3. *de huiusmodi mysterio, cap.* 5. *&* 6. & habet communior expositio. Idem colligitur ex aliis verbis: *Hanc igitur oblationem, &c. quam tibi offerimus.* Ratio est, quia sacrificium debet esse commune omnibus, eo quod sit publicus cultus, & solemnis totius populi, & sit quodammodo quiddam naturale, ad omnes ergo pertinebit illud offerre. Dixi, *per Sacerdotem*, nam hoc modo tantum possunt offerre, nam soli Sacerdoti concessa est potestas offerendi, vt dictum est *conc.* 2. Ad hoc autem, vt fideles non Sacerdotes dicantur propriè, etsi minus principaliter, offerre, debent moraliter cooperari, & speciali concursu concurrere, vt petere Missam, procurare sacrificium, dare eleemosynam, aut stipendium Sacerdoti, inseruire illi, assistere, quod est moraliter cooperari; & eò magis dicetur offerre, & participare fructum is, qui magis cooperabitur, & pluribus modis: sic qui inseruit, magis offert eo qui assistit, & sic de aliis: hinc fit non dici offerre propriè, eo tantum quod sint membra Ecclesiæ, nisi aliquo ex modis concurrant Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 3.

7 Dico quintò, Ecclesia militans potest etiam dici quod offert hoc sacrificium, idque tribus modis: Primò, quia instituit multas orationes, & alios pios ritus Missæ. Secundò, quia huiusmodi orationes retinent maiorem vim satisfaciendi, etiamsi ab iniquo ministro dicantur; quia Ecclesia offerens semper est Deo grata. Tertiò, quia de ea fit mentio specialiter in Can. ibi: *Imprimis pro Ecclesia sancta Catholica, &c.* & etiam de præcipuis ipsius membris, vt Papa, Antistite, Rege, &c. Henriquez *de Missa*, *cap.* 17.

D V B. IV.

Quæ sint personæ, pro quibus possit offerri, seu applicari Missæ Sacrificium.

1 DIco primò, Sacerdos potest pro se offerre sacrificium, est de fide, & patet ex illo ad Hebr. 5. *Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Ratio est, quia generaliter id fieri potest in sacrificio: igitur quilibet Sacerdos si egeat impetratione, aut propitiatione, potest, & debet pro se ipso sacrificium offerre. Idem etiam facere possunt reliqui fideles, quos diximus posse esse offerentes: quia etiam ipsi possunt indigere impetratione, & propitiatione, quare poterunt etiam pro se ipsis offerre: Christus autem Dominus qui principalis offerens est, non potest pro se ipso offerre; quia ex Paulo ad Hebr. 5. non habet vllam necessitatem, quemadmodum Sacerdotes.

2 Dico secundò, Sacerdos potest offerre Missam pro aliis: patet ex Canone: *Pro quibus tibi offerimus*, & ad Hebr. 5. *Propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam, &c.* Et quia in omni lege Sacerdos offerebat sacrificia pro populo, hinc fit, eum, qui simul aliqua ratione est offerens, & is pro quo offertur, duplicem fructum referre duplici titulo, quia debito modo assistit Missæ, & quia pro eo Sacerdos offert. Aduertendum tamen, quod quando offertur pro aliis, solum potest offerri iuxta capacitatem eius, pro quo offertur: vnde si Sacerdos offerat pro multis, inter quos est aliquis incapax,

incapax, non comprehenderetur; quia offerentis intentio honesta, & licita existimanda est. Non solum Sacerdos, sed quilibet alius offerens potest offerre pro alio, modo quoad ipsum spectat; quia potest quilibet generaliter quæcumque opera pietatis alteri applicare, sicut orare, & impetrare pro aliis. Hoc autem intelligendum est de fructu ex parte operantis, nam de operato dicetur infra.

3 Dico tertiò, Sacerdos potest offerre Missam, imò, & tenetur pro Ecclesia militante, seu pro omnibus fidelibus generaliter; vt habet communis ex Suarez *disput.* 77. *sect.* 2. & colligitur primò *ex cap. visum de consecrat. distinct.* 1. ibi: *Nulla dies excipitur, in qua non pro viuentibus Dominus deprecetur.* & Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. *& Can.* 3. vbi simpliciter dicitur debere offerri pro viuis. Confirmatur etiam ex vsu Ecclesiæ, ex verbis illis Canonis, *Imprimis pro Ecclesia, &c.* Quod autem id facere teneantur Sacerdotes, probatur, quia tenentur se conformare Canoni Missæ, non quidem applicando pro illa (scilicet Ecclesia) aliquem fructum satisfactionis, sic enim vix sufficeret pro aliis, cum sit finitus, modo vt infra; sed vniuersaliter deprecando pro omnibus, sicut est vniuersalis oblatio. Quare neminem in particulari debet Sacerdos excludere, cum sit oratio communis, ex S.Thom. *quæst.* 35. *artic.*8. *&* 9. Nauarr. *lib. de Orat. cap.* 19. *n.*110. Quòd si quem excludat, & peccat mortaliter, vt docent DD. citati, & factum non tenet quoad fructum, qui prouenit potest ex parte Ecclesiæ impetrantis, & offerentis: licet quoad illum, qui posset prouenire, vel absolutè ex opere operato, vel ex priuata Sacerdotis intercessione, requiratur eius intentio. Filliuc. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*1. *num.*43.

4 Dico quartò, potest etiam offerri pro infantibus; nàm ij etiam sunt capaces fructus saltem impetrationis, ex Clem.VIII. *constit. cap.*10.Idem dic de peccatoribus, pro quibus potest offerri, vt conuertantur. Denique energumeni fideles etiam fructus ex opere operato capaces sunt, ideo pro ipsis Missa offerri potest, ex Clem. *cap.*8. Filliuc. *sup. num.*44. & alij apud Suarez.

5 Dico quintò, offerri etiam potest Missæ sacrificium pro catechumenis fidelibus, quia substantialiter sunt per fidem vniti, idque confirmat antiqua consuetudo, ex Clem. *cap.* 4. 5. *&* 6. fiebant enim olim publicæ orationes pro illis: item vsus Ecclesiæ in die Parasceues. Nunc autem cum dicitur Missa, sufficit generalem intentionem habere offerendi pro omnibus fidelibus, iuxta Ecclesiæ intentionem; sic enim absque periculo potest redundare in eorum commodum: prodest autem iis quoad fructum impetrationis, vt scilicet Deus illis inspiret desiderium regenerationis, & conuersionis, non verò quoad fructum satisfactionis, vt constabit ex infra dicendis. Filliucius *suprà quest.*8. *num.* 45. *&* 46. Vide Suarez *disp.*78 *sect.*1.Coninch *quæst.*83.*art.*1.*dub.*9. *concl.*2. & Bonacin. *tom.*1.*disp.*4. *quæst. vlt punct.*5. *num* 4. *vers. Ex quo*

6 Dico sextò, potest Missæ sacrificium offerri pro infidelibus, non excommunicatis, quatenus est impetratorium; & hoc duplici modo. Primò indirectè, vt cum offertur pro augmento Ecclesiæ, quod fit ex infidelibus conuersis. Secundò directè, vt cum offertur pro bono ipsorum spirituali in communi, vel in particulari: non tamen licet expressè. Probatur tum ex vsu veteris legis, in qua offerebantur sacrificia pro gentibus: vt pro Dario, 1. Esdr. 6. pro Spartiatis, 1. Mach. 12. pro Eliodoro, 3. Mach. 3. Tum vsu nouæ Ecclesiæ, Clement. VIII. *constitut. cap.* 18. vt pro Regibus, & exercitibus eorum, qui tunc infideles erant. Tum quia in die Parasceues fit oratio pro ipsis: & ratio est, quia sacrificium Crucis est oblatum pro omnibus, etiam infidelibus; & in Concil. Florent. & Trident. dicitur hoc sacrificium offerendum esse pro omnibus necessitatibus, hæc autem maxima est necessitas. Dixi, *quatenus est impetratorium*, videlicet quatenus impetrare possumus illis eorum conuersionem, & alia bona spiritualia, & temporalia; quia quatenus est satisfactorium ex opere operato, non potest pro ipsis offerri, vt dicetur infra: quo modo intelligendus est sanctus Augustin. *lib.*1. *de dignitate prima cap.*8. dum dicit, non posse offerri sacrificium corporis Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi. Filliuc. *sup. n.*46. *&* 47. Vide DD. citatos *concl.*5.

7 Dico septimò, pro excommunicatis, maiore excommunicatione, offerri non potest, vt habet communis Doctorum prohibitumque est *in cap. à nobis* 2. *& cap. sacris, de sentent. excommunicationis.* Est enim hic vnus effectus excommunicationis, vt impediat, & priuet excommunicatum participatione suffragiorum communium, vt docent Doctores agentes de effectibus excommunicationis: possunt tamen Sacerdotes in *Memento*, orare pro illis priuata oratione, & intentione, quia de hoc nulla est prohibitio. Vtrum vero Missæ sacrificium ce ipsa prosit excommunicatis, si pro ipsis offeratur in persona priuata. Vide Bonacinam *de censuris, disputat.*2. *quæst.*2. *punct.* 1. §.3. Suarez *tom.*5.*disput.*9. *sect.*3. Sayrum *in thesauro, lib.*8. *cap.* 35. & Henriquez *de excommunicat. lib.*9. *cap.*15. *num.*13. *& libro* 13. *de excommunicat. cap.*11. *num.*2. *& cap.* 32. *num.*3. vbi tenet, si excommunicatus, non denunciatus, contritus sit, nec in mora absolutionis, prodesse ei suffragia, & Missam ad satisfactionem, non enim, ait, videtur pia Mater Ecclesia filios iam obedientes his suffragiis sine culpa priuare. Ita etiam Nauarr. *de oratione, capit.*19. *num.*68. A fortiori ergo prodest Missa non denuntiato, si Sacerdos sponte, vel data stipe ab amico excommunicato, pro ipso excommunicato celebrat. Nec peccat pro sic excommunicato, etiam non contrito celebrans, excusatur enim propter vtilitatem celebrantis, & eius pro quo celebrat: tum etiam quia, vt ait ipse Henriquez *dict. cap.* 11. *numero* 2. post Concilium Constantiens. non tenemur vitare, nec in humanis, nec in Sacramentis non denuntiatos. Neque in hoc suffragatur directè excommunicatis, sed Sacerdoti accipienti stipem pro Missa. Ita etiam Sayrus *lib.*2. *in Thesauro, cap.* 4. *num.*6. Imò pro excommunicato, qui nec notorius, nec denuntiatus est publicè, posse orare docet Hugolin. *tabul.*2. §.2. *numero* 3. Peccat autem mortaliter Sacerdos, pro excommunicato denuntiato, etiam contrito offerens Missam; est enim prohibitum à Concilio Constantiens. At si de facto orat Sacerdos pro tali excommunicato, peccat; prodest tamen excommunicato, si contritus est, quoad eum ad satisfactionem, ex pia interpretatione voluntatis Matris Ecclesiæ. Henriquez *lib.*13. *de excommunicat. capit.*12. *numero* 3. Vide Coninch *quæst.*82. *articulo* 1. *dub.*9. *numero* 159. vbi dicit, validè offerri hoc sacrificium pro excommunicatis, illisque prodesse secundum eam rationem, qua effectus huius sacrificij capacea sunt; quia etsi Ecclesia possit prohibere, ne pro talibus offeratur, efficere tamen nequit, ne pro iis validè in persona Christi offeratur; quia hæc potestas est potestas ordinis, nec pendet à iurisdictione, & consequenter non magis ab Ecclesia potest impediri, quàm potestas consecrandi, aut confirmandi: peccatet tamen grauiter, modo explica-

co

to, qui vt persona publica in persona Christi, aut Ecclesiæ, pro talibus sacrificium offerret.

8 Dico octauò, offerri posse pro defunctis existentibus in Purgatorio. Est de fide in Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *& Can.* 3. patet vsu fidelium, & traditione Ecclesiæ, & communi DD. sententia, vt testatur Suarez *disput.* 78. *sect.* 3. *in fin.* Henriquez *lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 1. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *q. vltim. punct.* 5. *num.* 7. potest autem pro iis offerri, non solum vt est laudis, & actionis gratiarum, verum etiam, vt est impetratorium, & satisfactorium ex opere operato pro pœnis, quas patiuntur: quomodo autem, aut quantum valeat, dicetur infra.

9 Dico nonò, sacrificium Missæ non prodest beatis, vt est satisfactorium, sicque pro illis offerri non potest, quia non habent pœnam delendam nec vt propitiatorium, quia iam sunt in gratia, nec prodest illis, prout est impetratorium, quantum ad gloriam essentialem, quia iam fruuntur summo bono. Nec intrinsecam accidentalem directè, quia hæc in singulis beatis habet determinatam legem, quæ non pendet ab orationibus nostris: consistit autem hæc in illuminationibus quibusdam, & gaudiis accidentalibus, indirectè verò potest esse illis quoad hanc gloriam impetratorium, quatenus scilicet ex nostris actibus potest bonor aliquis accidentalis redundare in ipsos sanctos. Quòd si sermo sit de gloria accidentali extrinseca ipsis sanctis, & nobis intrinseca, quod nihil aliud est, quàm offerre sacrificium pro nostra vtilitate, & commodo, vt scilicet glorificemus sanctos, & beatos, sic etiam directè potest esse impetratorium, & offerri: quo pacto etiam in oratione Dominica petimus, vt Deus magis glorificetur in terris, quæ nostra vtilitas est directè, indirectè tamen honor Deo extrinsecus. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *q.* 11. & alij citandi. Vt autem est sacrificium gratiarum actionis, & honoratiuum, potest Deo offerri in gratiarum actionem pro beneficiis à Deo ipsis collatis: probatur tum ea illis verbis Missæ: *vt illis proficiat ad honorem, & gloriam.* Tum quia id est ipsis gratum: optant enim Deo gratias agi à nobis, etiam pro beneficiis ipsis collatis. Tum quia ita est intelligendum offerri in honorem sanctorum, nimirum, vt sacrificium ipsum quoad substantiam Deo offeratur in cultum, sed in honorem sanctorum, vt scilicet Deus faciat sanctos honorari. Quoad orationes verò, quæ sacrificio adiunguntur, potest sacrificium directè offerri Deo in honorem sanctorum, quia sanctis fundi possunt orationes, vt pro nobis orent, vt autem inde augeatur honor sanctorum, orationes illæ coniunguntur cum sacrificio, & inde habent maiorem vim impetrandi. Filliucius *vbi sup.* vide Suarez *disp.* 78. *sect.* 3.

10 Dices, qua de causa dicatur Missa de sancto Petro, de sancto Ioanne, &c. si Missa non prodest sanctis in cœlo degentibus. Respondeo, quia colitur, inuocatur, & honoratur sanctus, & prodest illis ad gaudium accidentale modo in superiore conclusione explicato; gaudent enim sancti honore, qui in sui memoriam exhibetur. Ita Henriquez *lib.* 9. *cap.* 14. *num.* 2. Coninch *quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *concl.* 1. *numero* 158. Suarez *disput.* 78. *sect.* 3. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 5. *numer.* 8. Vide in expositione Bullæ *lib.* 4 *dub.* 5. *num.* 7. *& dub.* 9. *num.* 7.

11 Dico decimò, Missæ sacrificium offerri non potest pro damnatis: probatur *ex cap. pro obeuntibus* 13. *quæst.* 2. *cap. placuit* 23. *quæst.* 5. ex Augost. *in enchirid. cap.* 109. *& lib. de origine animæ, cap.* 9. *& lib. de cura pro mortuis agenda, cap.* 1. & communi DD. apud Suarez *disp.* 78. *sect.* 3. & ex sensu vniuersalis Ecclesiæ, qui est non esse pro damnatis orandum, vt diximus in Decalog. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 9. *num.* 1. quia desperatur eorum correctio, & in inferno nulla est redemptio, nam vt ait scriptura, vbi ceciderit lignum ibi remanebit. Quid de anima Traiani. Vide *loco cit.*

12 Dices, cui proderit fructus satisfactorius sacrificij, quem quis applicauit defuncto incapaci, vt pote apud inferos existenti. Respondeo cum Bonacina *tom.* 1. *disput.* 4. *quæst. vltim. punct.* 2. *num.* 12. si ipse offerens eo indigeat, sitque illius capax, habeatque intentionem illum sibi applicandi in defectum alterius, sibi ipsi proderit: si verò non indigeat, aut non intendat sibi applicare, reponitur in thesauro Ecclesiæ, vt cum aliis tenet Henriq. *lib.* 9. *cap.* 18. *num.* 7.

14 Hinc colligitur, sacrificium Missæ non prodesse paruulis ex hac vita cum solo originali decedentibus, vt probat Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa, cap.* 6. Quoad paruulos verò baptizatos morientes ante vsum rationis, idem est dicendum, quod de aliis beatis, & sanctis cum Christo regnantibus, nam ij statim post mortem euolant in cœlum. Possunt tamen Missæ celebrari quando ij paruuli moriuntur; quia etsi non prosint paruulis, prosunt tamen animabus Purgatorij. Syluest. *verbo, Missa*, Bonacina *vbi sup. num* 12. & alij, vide in Decalog. *lib* 1. *c.* 7. *vbi de oratione dub.* 9. *n.* 1. *& in exposit. nostra Bulla lib.* 4. *dub.* 9. *num.* 7.

DVB. V.

De effectibus sacrificij Missæ.

1 QVioque possunt esse effectus Missæ. Prima gratia, augmentum gratiæ, remissio venialium, condonatio pœnarum, & collatio bonorum temporalium, de quibus in sequent. conclusionibus.

Ad intelligentiam nota, Missam habere aliquem effectum ex opere operato, hoc est, vi ipsius sacrificij vltra meritum operantis conferri infallibiliter aliquid non ponenti obicem; quod aliqui vocant per modum solutionis ea thesauro meritorum Christi. Ita S.Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 5. *& q.* 82. *art.* 1. *& in* 4. *distinct.* 12. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 2. Suarez *disput.* 79. *sect.* 1. & communis Catholicorum, & confirmat communis Ecclesiæ sensus, & indicat Trident. *sess.* 22. *c.* 1. *&* 2. dum dicit: *Christum huiusmodi sacrificium instituisse, vt virtus sacrificij Crucis in remissionem nostrorum peccatorum quotidie applicaretur.* Igitur si applicatur vi institutionis Christi; ergo non ex merito operantis, sed ex opere operato: aliter enim sequeretur Missam mali Sacerdotis nihil prodesse, nec magis conducere ad Christi passionem applicandam, quàm conduceret quæuis oblatio, quod minimè est admittendum.

2 Aduertendum secundò, Missam præter effectum ex opere operato habere etiam aliquem effectum per modum impetrationis, seu ex opere operantis, nam habet vim ad impetrandum illa, pro quibus celebratur Missa: est commune, constatque ea vsu Ecclesiæ instituentis, vt in Missa Sacerdos pro viuis, & defunctis oraret, ideoque deprecationes illæ nomine Ecclesiæ offeruntur, & prædictum effectum operantur. Tria enim possumus considerare in Missa. Primum, id quod habet, vt est oblatio à proximo offerente, id est, Sacerdote, & ita si ipse est in gratia, meretur de condigno, sicut si faceret aliud opus bonum, & consequenter potest applicare satisfactionem, sibi correspondentem. Secundum, vt est oblatio à Christo

à Christo principali offerente, & sic ad summum potest habere aliquem effectum per modum impetrationis, quatenus cum oblatione huius sacrificij coniungitur Christi oratio: nunc enim Christus non est in statu amplius merendi, id est, satisfaciendi, sed tantum orandi, & impetrandi; & cum sit in statu orandi, & impetrandi credibile est, quando offertur hoc sacrificium, Christum specialiter orare pro illis, pro quibus offertur. Dixi, *credibile*, quia hoc non est certum: vt rectè Suarez *loco cit. sect.* 2. quia non extat de hac re promissio: at si fiat, certum est infallibiliter effectum secuturum. Tertium est, id quod habet ex vi institutionis, quo pacto non solum habet aliquem effectum ex operato, vt dixi, verum etiam alium per modum impetrationis, pro his rebus obtinendis, pro quibus offertur; nam impetratio fit per orationem, & alia opera adiunguntur ad dandum illi vim: hoc autem sacrificium est opus maximè Deo gratum; ergo adiunctum orationi, quæ in Missa fit pro viuis, & defunctis, pro Ecclesiæ pace, &c. aliquid impetrabit, de quo latè Suarez *dict. sect.* 2.

3 Dico primò, Missa ex sua institutione primò & per se ac immediatè non confert primam gratiam & remissionem peccatorum, est communis DD. *in* 4. *dist.* 12. quia non constat de tali institutione, & promissione: & sequeretur confessionem non esse simpliciter necessariam, & non dici secundam tabulam post Baptismum. Henriquez videndus *lib.* 9. *cap.* 14. *n.* 3. Quod autem dicitur in consecratione calicis: *Qui pro vobis, & pro multis, &c.* debet intelligi de effusione cruenta, idque mediatè per Sacramenta applicata: de mystica autem tantum quoad venialia ad summum, & remissionem mortalium per modum impetrationis, vt mox dicemus, Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 5. *cap.* 2. *num.* 59. Vide Suarez *disp.* 79. *sect.* 3.

4 Dico secundò, hoc sacrificium ex sua institutione confert primam gratiam, & remissionem mortalium per modum impetrationis, & mediatè, quatenus scilicet, Deus intuitu sacrificij tribuit donum pœnitentiæ id est auxilium ad contritionem, qua remittitur peccatum mortale. Ita S. Tho *in* 4. *dist.* 12. *q.* 2. *art.* 2 *q.* 2. *ad* 4. Suarez *d. disp.* 79. *sect.* 3. *concl.* 4. Filliuc. *loco cit n.* 60. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disput.* 4. *q. vlt. punct.* 3 *n.* 3 Ratio est, quia habet aliquam vim ad remissionem mortalium, & consequenter ad infusionem primæ gratiæ, cum ex vsu Ecclesiæ pro his offeratur. Vt colligunt ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. dicente. *Huius quippe sacrificij oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Hanc verò remissionem non confert directè ex sua institutione, vt dictum est *concl.* 1. quia hæc non constat: neque etiam immediatè, conferendo v. g. non contrito per modum impetrationis primam gratiam, quia id esset præter legem ordinariam, qua constat neminem iustificari sine Sacramentis, vel contritione; ergo tantum mediatè modo explicato, quia alius modus non est. Iste autem effectus, siue hæc impetratio auxilij, & remissionis mortalium non est efficax, & infallibilis, vt docent Suarez *loco cit. sect.* 3. Filliuc. *n.* 61. & cum aliis Bonacina *n.* 4. quia non adest certa promissio: nec experimur peccatorem statim conuerti, aliquando enim non conuertitur, neque specialiter mouetur ad conuersionem; nec erat id necessarium, cum sint alia media: interdum tamen potest efficaciter impetrare, vt patet ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *per ipsumque fieri, vt gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* & illis: *donum pœnitentiæ concedente, &c.* Quoad sufficientiam verò, & ex parte potest dici infallibilis, vt bene docet Bellarmin. *lib.* 2. *de Missa, cap.* 4. Item, si quis offerat pro se ipso, vel oret, nisi ponat obicem, est infallibile saltem ex promissione facta orationi; si vero pro aliis offeratur expedit (ait Filliuc.) eos intelligere, non ita esse, ne nimium fidant. Sunt igitur hæc auxilia ex se sufficientia, sicut illa, quæ conferuntur per Sacramenta: respectu verò eorum qui actualiter conuertuntur, & contritionem eliciunt, erunt efficacia. Bonac. *n.* 4. *cit.*

5 Dico tertiò, hoc sacrificium non confert augmentum gratiæ ex opere operato: ita citati, & habent communiter DD. quia non constat hoc priuilegium ipsi esse concessum, sicut concessum est Sacramentis: de quo vide Suarez *disp.* 79. *sect.* 4. potest tamen conferre augmentum gratiæ per modum impetrationis, & mediatè, quia vt dixi *conclus.* 2. potest hoc modo conferri prima gratia peccatori; ergo multò magis illius augmentum iusto. Hoc autem fiet, si per hoc sacrificium impetretur alteri auxilium, vel sufficiens, vel efficax, ad eliciendum actum, quo in gratia crescat.

6 Ex his patet, neque posse per hoc sacrificium remitti peccatum mortale ex opere operato; quia ad hoc necesse est, vel conferri primam gratiam, vel augmentum eius, quorum neutrum habet ex opere operato, vt dictum est. Colligi etiam potest hominem attritum, cui Missæ sacrificium applicatur, non iustificari, nisi contritionis actum eliciat, ad quē eliciendum confertur speciale auxilium per sacrificium.

7 Infertur etiam, remittere peccata venialia mediatè, quatenus scilicet confert speciale auxilium ad eliciendum perfectum amoris, vel contritionis actum, per quem remittuntur peccata venialia: est commune, & patet, quia sic habet vim ad remittenda mortalia, vt dictum est; ergo à fortiori ad remittenda venialia. Et probatur *ex cap. sub figura, cap. iteratur, cap. quid sanguis, de consecrat. distinct.* 2. & Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. ibi: *Pro fidelium viuorum peccatis, & in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum.* Quod intellige saltem per modum impetrationis: probabile tamen est, remittere venialia immediatè, & ex opere operato, sicut sacramentalia, non verò sicut Sacramenta, immediatè producendo talem effectum, & infundendo gratiam; id enim non concedit immediatè, sed mediatè, vt dictum est *conclus.* 2. sed alio modo, quia scilicet infallibiliter illa remittit, & independenter à bonitate ministri, mouendo Deum ad producendum illum effectum remissionis. Henriquez cum aliis *lib.* 9. *cap.* 13. *num.* 2. *lit. S.* Vide Suarez *disp.* 79. *sect.* 5. Conioch *quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 8. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 3. & Bonacina *tom.* 1. *disput.* 4. *quæst. vlt. punct.* 3. *num.* 5.

8 Dico quartò, Missæ sacrificium remittere ex vi suæ institutionis, & ex opere operato pœnas, quæ debentur tam pro mortalibus, quàm pro venialibus. S. Thom. *quæst.* 79. *artic.* 5. quod etsi non sit de fide, est tamen certissimum. Suarez *disput.* 79. *sect.* 3. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 3. *num.* 8. vbi dicit, hunc esse primarium sacrificij effectum. Ratio est, quia vt dictum est, *not.* 1. hoc sacrificium confert aliquem effectum ex operato, non remissionem culpæ mortalis, vel venialis, vt dictum est; ergo saltem pœnæ, quia non superest alius. Ad quem effectum obtinendum non requiritur specialis petitio, quia hoc ipso, quod offertur, pro aliquo applicatur; datur enim hic effectus remissionis pœnæ animabus defunctorum vi sacrificij; ergo signum est dari ex opere operato, hic namque modus est proprius talis rationis causandi. Potest etiam conferre remissionem pœnæ per modum impetrationis. Ratio est, quia cum non

semper

ſempet remittat totam pœnam ex oparato, ſed tantum pro cuiuſque deuotione, vt docet S.Thom. *vbi ſupra*. tum pet modum finitæ applicationis ex ſatisfactione Chriſti, vt infra dicemus; ſi quid ergo ſuperſit condonandum, id præſtabit per modum, impetrationis; quem modum cauſandi retinet cum priore ſimul, eo quod per ſe ſufficiens ſit, ad impetrandum quodlibet bonum ſpirituale; igitur & hoc impetrabit. Quod fieri poteſt duobus modis: primò, immediatè, nullo actu hominis mediante, qui modus licet poſſibilis ſit, eſt tamen incertus; Secundò, mediatè, quatenus impetrat vires ſpirituales ad agenda opera pœnitentiæ, quibus Deo ſatisfaciamus, & hic eſt certior, nam ſi impetrat auxilium pro culpis, vt dictum eſt *ſup*. multò magis probabile eſt, impetrare pro pœnis: vt pluribus Suar. *ſect*.6.

9 Nota pœnas temporales, quibus iuſtiſſime à Deo affligimur, vt ægritudines, &c. ſæpiſſimè nobis euenire propter peccata noſtra, *vt ex cap. cum infirmitas de pœnitent. & remiſſ.* ad quas liberandas extenditur etiam virtus huius ſacrificij, & ad liberandum nos ab aliis, quas propter noſtra peccata eramus paſſuri.

10 Dico quintò, bona temporalia poſſunt eſſe effectus huius ſacrificij. Suarez *diſp*.79 *ſect*.4. Bonacin. *tom.1. diſp.4. quæſt. vltim. punct.3. num*.6. & communiter DD. Probatur ex vſu Eccleſiæ, nam inter alia offerimus, *pro noſtra, & totius mundi ſalute*, pro incolumitate, pro communi pace; ergo hæc erunt effectus Miſſæ, alioquin inutiliter offeretur pro his, niſi vim haberet ad ea. Non tamen habet vim ad ea ex opere operato, tum quia hæc bona nō ſunt digna, vt infallibiliter obtineantur per ſe: quatenus autem conferre poſſunt ſpiritualibus, id eſt valde remotum; quia vel nihil vel parum ad illa conferunt: tum quia nullus eſt, qui id aſſerere auſus ſit; ergo à ſufficienti partium enumeratione habebit ſuam vim ad ea per modum impetrationis; oratio enim ſe extendit ad illa. Ex S.Thom 2.2. *quæſt*.83. *artic*.15. & 16. ergo etiam Miſſa, quæ omnem iuſtam orationem iuuare poteſt. Filliuc. *tom.1. tract.5. cap.3. quæſt*.5. Ex dictis patet hoc ſacrificium dici, & eſſe propitiatorium, quatenus ſcilicet confert gratiam, & remittit peccata, modo explicato *in* 1. & 2. *concluſ*. impetratorium, quatenus impetrat nobis bona ſpiritualia, & temporalia: & ſatisfactorium, quatenus remittit pœnas, vt explicatum eſt: qui ſunt tres effectus præcipui, & generales huius ſacrificij.

Dub. VI.

In quibus perſonis effectus ſacrificij Miſſæ locum habeant.

1 Huius dubij ſolutio facilè conſtat ex dictis *dub*.4. claritatis tamen gratia breuiter loquimur de fructu, quem ſacrificium confert, prout habet rationem ſacrificij ex ſe, ſeu ex opere operato; non verò de fructu, quem aliquis poſſet acquirere per modum meriti, quatenus ſcilicet aliqua ratione hoc ſacrificium offerens exercet actum virtutis; nam per hunc actum eodem modo poteſt quis mereri, atque per alios.

2 Dico primò, huiuſmodi effectus habent locum in iis, qui offerunt ſacrificium: offerentes autem, vt patet ex dictis *dub*. 3. quatuor eſſe poſſunt. Primò, Chriſtus: ſecundò, Eccleſia, ſub qua comprehenduntur eius membra, nempe fideles: tertiò, Sacerdos miniſtrans: quartò, alij ab eo ſimul cum ipſo Sacerdote offerentes, modo dicto *dub*.4 *citat*. Concluſio hæc non procedit de Chriſto, quatenus eſt principaliter offerens, ſimul offert cum ipſo Sacerdote, nam huic ſacrificio, prout à Chriſto offertur, præciſè non correſpondet aliquis fructus diſtinctus ab oblatione Sacerdotis: quatenus verò perſonaliter ſe offert in cœlo, tantum habet vim, vt poſſit applicari per modum impetrationis, vt dictum eſt *dub. anteced. not*.1. de quo vide Coninch. *quæſt*.83. *dub*.9. *num*.149. & Filliuc. *tom.1. tract.5. ca.3. num*.72. Concluſio igitur procedit de miniſtro, qui proculdubio recipit prædictos effectus, quia eſt inſtrumentum, per quod ille fructus applicatur, ex S. Thom. *q*. 38. *artic*.5. & 7. Alios autem, qui cum Sacerdote offerunt, vt ſunt aſſiſtentes, & miniſtrantes, qui dicuntur à Doctoribus, medij, probabile eſt, participare etiam aliquem fructum ex operato, eo quod aliquo modo cōcurrant oblationi factæ per Sacerdotem, idque credi poteſt de diuina pietate, miſericordia, & liberalitate. Ita Caietan. *tom.2. opuſcul. tract.3. q*.2. & alij, etſi Coninch. *ſup. num*.162. exiſtimet probabilius, ſoli oblationi, quam Sacerdos facit in perſona Chriſti, reſpondere fructum ex opere operato. Illos autem qui ſecundo modo offerunt; nempe Eccleſis, & membra eius, vt ſunt omnes fideles viatores, qui etiam cenſentur offerre per Sacerdotem, probabilius eſt communiter ex eo nullum in particulari fructum recipere (niſi pro eis Sacerdos particulariter offerat, aut oret) ſed tantum in genere, quatenus bonum, quod Eccleſiæ confertur, etiam ſingulis membris prodeſt. Ratio eſt, quia eodem modo illius fructum percipiunt, quo illud offerunt; atqui illud non offerunt niſi remotè, quatenus ſunt membra Eccleſiæ: ergo etiam ſimili modo percipiunt eius fructum: ſufficit enim quod generalem aliquem fructum Eccleſiæ communem percipiant, qualis eſt quòd Deus Eccleſiæ prouideat de bonis Prælatis, eoque melius dirigat in Eccleſiæ regimine: quòd Eccleſiæ pacem promoueat, eiuſque hoſtes comprimat. &c. Dixi *communiter*, quia ſæpè Prælatis, aliiſque perſonis publicis, à quibus bonum Eccleſiæ multum pendet, ratione ſacrificiorum, dantur particulares aliquæ gratiæ propter bonum commune Eccleſiæ, cui multum expedit, eiuſmodi perſonas à Deo dirigi. Coninch. *vbi ſup. num*.149. & 64. Dixi etiam *probabilius*, quia vt ait. Filliuc. *ſup. n*.72: poteſt oppoſitum probabiliter teneri, quia fauet pietati.

3 Dico ſecundò, hoc ſacrificium habet ſuum effectum in iis, pro quibus offertur. Ita communis Doctorum, apud Suarez *diſp*.79. *ſect*.9. & confirmat vſus communis Eccleſiæ, & patet ex illis verbis Canonis: *Pro quibus tibi offerimus*: requiritur tamē (vt dicemus) applicatio, & intentio Sacerdotis, vt detur illis, pro quibus offertur, nam Sacerdos eſt publicus diſpenſator huius myſterij, & mediator inter Deum, & homines. Vide de hoc *dub.4. per totum*.

4 Dico tertiò, fructus, qui ex operato pendet ab hoc ſacrificio, prout offertur in perſona Chriſti, omnino pendet ab applicatione Sacerdotis, eique confertur, cui hic eum applicauerit, ſi modò ſit eius capax. Ita Doctores communiter, & patet, quia celebrans eſt conſtitutus à Chriſto diſpenſator huius fructus, vt eum, cui voluerit, per ſacrificium applicet: ex quo fit, vt ſi Sacerdos, aut nulli omnino, aut alicui incapaci applicet, eum nulli conferri, ſed remanere in theſauro Eccleſiæ. Notandum tamen, quoties Sacerdos eum nulli alteri applicat, cenſeri eum ſibi applicare per generalem voluntatem, qua quiſque ſemper intendit ſibi prodeſſe, quantum poteſt. Vt autem hic fructus applicetur alicui, ſufficit voluntas virtualis, & implicita (etſi actualis ſit melior) vt in confectione Sacramentorum diximus *lib.1. cap.3. dub.2. num*.8. In illa verò generali vo-

luntate, qua Sacerdotes communiter mouentur ad celebrandum, implicitè continetur voluntas applicandi, sibi fructum sacrificij, quando ipsi non intendunt contrarium. Fit etiam, consultissimum esse vt quoties pro aliquo celebramus, simul habeamus conditionatam voluntatem applicandi saltem illum fructum in totum, vel in partem, si fortè is, pro quo celebramus, eius sit incapax, aut eo non indigeat: vt si beatus sit, aut damnatus, vel saltim in peccato mortali, aut etiam nullam habeat pœnam temporalem persoluendam pro præteritis peccatis: quo casu est incapax remissionis pœnæ. Coninch *vbi supra, num.* 165.

5 Dico quartò, Sacerdos dum celebrat debet habere saltem virtualem, aut implicitam intentionem, seu voluntatem applicandi alicui hunc fructum, alioqui frustra eum postea conatur applicare. Ratio est, quia tantum potest applicare hunc fructum, dum repræsentat personam Christi, quam solum sustinet, quando celebrat; vnde si tunc illum non applicauit, non poterit postea applicare. Vt bene Corduba *lib. 5. de indulgent. c* 42. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 8. *diff.* 11. *n.* 2. de quo Suarez *tom.* 3. *disput.* 79. *sect* 9. non enim potest Sacerdos suspendere effectum sacrificij, sicut Sacramenti.

6 Hinc est primò, vt sacrificium iam præteritum non applicatum, non possit amplius applicari, quia non est institutum vt operetur, nisi dum fit: ergo tunc solùm potest applicari.

7 Secundò sequitur, non posse sacrificium offerri pro iis, qui dabunt eleemosynam in futurum, vel quos scit Deus post aliquot dies, hoc vel illud facturum; est contra Henriquez *lib.* 9. *c.* 21. *num.* 1. *litt. H.* Nostram tamen sententiam sustinent Suarez *disp.* 79. *sect.* 9. Coninch *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *n.* 168. & cum aliis Villalobos *part.* 1 *tract.* 8. *difficult.* 12. *num.* 2. vbi refert quandam declarationem Cardinalium de consensu Clement. VIII. tenoris sequentis. *Est eiusdem Congregationis sententia, quæ huiusmodi consuetudinem, tanquam pluribus nominibus periculosam fidelium scandalis, atque offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem explosit, atque improbauit.* Qua declaratione extante, sententia Henriq. nunc nullo modo sustineri potest. Fundamentum est, quia Sacerdos non habet ius applicandi sacrificium nisi dum illud offert, vt dictum est, nec potest reseruare, aut suspendere illius effectum in futurum. Deus enim sicut nec ponit, nec remunerat ex his quæ præuidet futura, ita nec confert effectum Sacramentorum, vel Sacrificij. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 3 *num.* 79.

8 Sequitur tertiò, si Sacerdos referat intentionem suam ad intentionem alterius, si hic tempore, quo offertur, applicauerit, valet, sin minus carebit effectu suo; quia non potest manere suspensus effectus, & pendere à conditione futura. Vide Cordubam *loc. cit.* & Suarez *disp.* 79. *sect.* 11.

9 Hinc fit Religiosum extra Conuentum commorantem non posse Missas pro commoditate celebrare & postea eas, quando voluerit, accipere: quia hoc idem est ac pro futuris intentionibus celebrare: potestque accidere tunc nullas reperiri Missas in Conuentu, aut Monasterio, consequenter non interuenire formatam intentionem, quando ab illo celebratur. Ideo vt ritè procedatur, debet dicere Prælato, antequam è Monasterio egrediatur, quod pro illius intentione celebrabit, & postea poterit Missas accipere. Villalob. *loc. cit diff.* 12. *n.* 4. potest tamen valide (an vero licitè infra) Missas pro sua Capellania certo tempore celebrandas anticipare, quia habet certam intentionem. Villalob *sup. n.* 3.

10 Dico quintò, Ecclesia, vel superior potest me obligare, sicut ex pacto possum me obligare, aut ex stipendio, vt alicui in particulari hunc fructum sacrificij applicem, etsi alteri applicauerim, valebit applicatio contra dictam obligationem. Coninch *quæst.* 83. *articul.* 1. *dub.* 9. *numer.* 169. Villalob. *part.* 1 *tract.* 8. *different.* 10. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 3. *numer.* 76. & alij. Ratio est, quia hæc applicatio est actus potestatis ordinis, & fit immediatè in persona Christi, ideoque non pendet à voluntate Ecclesiæ, aut superioris, aut alterius, sed à libera celebrantis voluntate; quare quantumcumque superior tenetur fructum, eiusve partem alicui applicare, si tamen celebrans eum non applicet, ille nihil efficiet. Hinc est, quod si offerat pro quo non debet, teneatur vel reddere stipendium, vel aliam Missam pro illo celebrare, sequitur etiam regularem valide applicare Missam (etsi malefaciat) contra voluntatem sui superioris, vt docent citati, & Suarez *tom.* 3. *in* 3 *part. disp.* 79. *sect.* 9. Henriquez *lib.* 9. *c.* 21. *n* 6. Sylu. *verbo Missa* 1. *num.* 12. & alij apud Dianam 1. *p. tract.* 14. *diff.* 72. vbi cum Gauanto *in comment. Rubr. Missalis,* 3. *part. tit.* 12 *num.* 28. censet oppositum non minus esse probabile, quia, inquit, etsi intentio sit essentialis consecrationi, & sacrificio, at quod valor sacrificij huic, vel illi applicetur, non est de essentia sacrificij, ideoque si à Prælato applicatur alteri quàm ei cui applicat inferior regularis, validum est sacrificium, & eius applicatio: tenenda tamen est communis, & vera sententia ob rationem dictam, quia validior est.

11 Dico sextò, nulla est obligatio generalis, qua omnes Sacerdotes teneantur hunc fructum, qui ex operato confertur, sui sacrificij, vel aliquam eius partem alicui certo, vel Ecclesiæ applicare, quia nulla adest lex Ecclesiastica ad id obligans. Coninch *sup. num.* 169. *concl.* 12. Filliuc. *num.* 77. satis enim est Ecclesiam referre aliquem fructum per modum impetrationis, hoc enim ad summum ait Filiuc. Probatur ex verbis Canonis, quæ profert Sacerdos, *imprimis pro Ecclesia Sancta, &c.*

12 Sed quæres quænam dispositio requiratur ad percipiendos fructus huius sacrificij, quos causat ex opere operato. Respondeo quatuor requiri. Primò, requiritur capacitas, id est, quod sit baptizatus; quia Baptismus est ianua etiam huius sacrificij. Vt docet Sanct. Thom. *quæst.* 79. *art.* 7. *ad* 2. vnde ex D. Chrysostom. *homil.* 3. *ad Philip.* non potest offerri pro catechumeno defuncto quoad fructum ex operato, benè tamen quoad impetrationem, eo quod in Canone addatur, *qui nos præcesserunt cum signo fidei,* id est, Baptismi. Secundò, requiritur status viatoris, & quidem de damnatis, & beatis iam dictum est *dub* 4. vbi etiam diximus, prodesse animabus Purgatorij, nam hæ censentur esse in via, aliqua ratione, nempe, quoad remissionem pœnarum, cum nondum peruenerint ad terminum vltimatum, ideoque iis confertur infallibiliter hic fructus ex opere operato. S. Thom. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 7. Bellarmin. *in lib.* 2. *de Purgatorio, c.* 18. Couarr. *cap. alma mater, part.* 1. §. 5. *num.* 11. Nauarr. *cap. inter verba, notab.* 22. *num.* 10. & communiter DD. ex Trident. *sess.* 22. *c.* 2. dicente, eodem modo offerri pro viuis, & defunctis. Vide *dictum dubium* 4. & Suarez *disputat.* 79. *sect.* 10. Tertiò, requiritur gratia habitualis, quod intellige de fructu satisfactionis; nam existens in peccato mortali non est capax satisfactionis, quia hæc est tantum beneficium animarum: an autem reuiuiscat postea per pœnitentiam, dicetur vbi de pœnitentia. Quartò, requiritur, vt talis indigeat huiusmodi fructu, nam si non indigeat,

nec

lis indigeat huiuſmodi fructu, nam ſi non indigeat, nec pro alio applicetur, manebit in theſauro Eccleſiæ; nec reſeruatur pro tempore quo indigebit; nam ante commiſſam culpam non reſeruatur, ex ordinatio modo prouidentiæ, alioquin poſtea peccare poſſet impunè, ex certitudine ſatisfactionis applicandæ. Filliuc. *tom.1. tract.3. cap.3. num.*83. Hinc fit optimè facere Sacerdotem, qui hoc ſacrificium applicat ſub conditione, hoc eſt, quod ſi hic eius fructu non indigeat, ex tunc illud applicat huic, vel illi, aut alteri, cui voluerit Deus applicari. Vide Villalobos *part.*1. *tract.*8. *differ.*9. Coninch. *quæſt.*83. *artic.*1. *dub.*9. *num.*166. *& ſup. concl.*3.

13 Ex quibus patet præter dicta nullam aliam diſpoſitionem requiri; quia actualis diſpoſitio, vel deuotio, vel alius bonus affectus non requiritur, ſicut in Sacramentis: vnde etiamſi dormiat, neſciat, aut nihil cogitet, obtinebit fructum ſi ſit in gratia habituali, ſicut cum applicatur alia quæuis ſatisfactio, ratio eſt, quia fit per intentionem alterius, & donationem. Sic etiam ſuppoſita gratia, non eſt hic effectus maior in melius diſpoſito, ſed omnis quantitatis fructus pendet ex intentione applicantis: de quo vide Suarez *ſup. ſect.*10. & hic *infra.*

14 Sequitur ex dictis, hoc ſacrificium ex opere operato conferre remiſſionem pœnæ ipſis offerentibus, & iis pro quibus offertur, ſi ſunt in gratia, vt dictum eſt *ſup. ſed quæres.* augmentum verò gratiæ non conferre ex opere operato, ſed per modum impetrationis, vt dictum eſt *dub.*5. *concluſ.*3. nec ſic confert illud omnibus, ſed illis tantum, qui ad eius oblationem aliquo modo cooperantur vt ſunt proximè offerentes, vt Sacerdotes, & alij offerentes, qui dicuntur medij, vt ſunt Miſſæ aſſiſtentes, ei miniſtrantes, aut ſtipendium dantes, non verò illis, qui tantum remotè concurrunt, vt eſt populus. Ratio eſt, quia augmentum gratiæ non datur ſine actu aliquo, at remote offerentes, vt populus per Sacerdotem, non exercent actum circa huiuſmodi ſacrificium; ergo, &c. quomodo autem proſit populo, ſeu Eccleſiæ, dictum eſt *hoc dub. concluſ.*1. Quod ſi is pro quo offertur, ſit in peccato mortali, certum eſt, non prodeſſe illi, quoad augmentum gratiæ; nam augmentum gratiæ ſupponit gratiam; at exiſtens in peccato mortali ea caret. Deinde non prodeſt ad remiſſionem pœnarum; quia hæc vt dictum eſt, ſupponit peccatum eſſe condonatum. Confert tamen peccatori ex ſua inſtitutione primam gratiam, & remiſſionem mortalium mediatè, & per modum impetrationis modo explicato *dub.*5 *concluſ.*2. Vide dictum dubium quintum.

Dvb. VII.

Vtrum valor ſacrificij Miſſæ ſit infinitus.

1 NOta, valorem dupliciter poſſe dici infinitum: primò, intenſiue; ſecundò, extenſiue. Ille valor dicitur infinitus intenſiue, quia ita infinitus eſt, vt maior eſſe non poſſit, ſeu qui habet valorem ita intenſum, & magnum, vt termino, & fine careat; ſic paſſio, & merita Chriſti Domini dicuntur infinita intenſiue. Ille verò dicitur infinitus extenſiue tantùm, qui quamuis producere poſſit certos gradus intenſionis, vt ignis, quatuor, vel octo gradus; poteſt tamen extendi ad producendos in multis ſubiectis numero diſtinctis, vt patet in igne, qui calorem ſuum poteſt producere in hoc, & in illo ſubiecto in infinitum ſucceſſiue, quod dicitur infinitum ſyncategorematice, id eſt, non tot, quin plura.

2 Nota ſecundò, triplicem eſſe Miſſæ fructum & valorem, vt communiter DD. apud Suarez *diſp.*79. *ſect.*9. Primus dicitur generalis, ille ſcilicet, quem Eccleſia intendit applicare non ſolum omnibus fidelibus viuis, & defunctis, verum etiam Summo Pontifici, Imperatori, Regi, Epiſcopo, & aliis fidelibus, quorum meminit Sacerdos in ſacrificio, ſiue ſint præſentes, ſiue abſentes, quem quidem fructum quiſque recipit maiorem, vel minorem, iuxta Chriſti determinationem, intentionem Eccleſiæ, & propriam vniuſcuiuſque comparationem ad ſacrificium, vt dictum eſt *ſup. dub.*5. *&* 6. & bene obſeruant Valentia *tom.*3. *diſp.*6. *quæſt.*11. *punct.*1. *§.*25. Azor. 1. *p. lib.*10. *cap.*20. *quæſt.*9. & alij apud Bonacinam *tom.*1. *diſp.*6. *quæſt. vlt. punct.*4. *num.*2. Secundus eſt ſpecialis, ſeu vt aliqui dicunt, ſpecialiſſimus, & hic eſt proprius ipſius Sacerdotis, qui ita proprius illius eſt, vt exiſtiment quidam apud Azor *vbi ſuprà*, non poſſe illum alteri applicare, Tertius eſt medius, quem aliqui appellant ſpecialem, talis eſt ille qui confertur per Sacerdotem illis, pro quibus ſacrificium ſpecialiter offert, & applicat, iuxta praxim Eccleſiæ, quæ ſacrificium modo pro vno, modò pro alio ſpecialiter offert.

3 Nota tertiò, valorem huius ſacrificij poſſe conſiderari dupliciter. Primò, ſecundum ſe, ex parte operis operati, ſeu rei quæ offertur, & principalis offerentis, qui eſt Chriſtus Dominus. Secundò, ſecundum effectum, quem operatur in offerente Sacerdote, & in iis pro quo offertur. Rurſus, ſacrificij huius valor poteſt conſiderari, vel quoad effectum impetrandi, ſeu quatenus eſt impetratorium, vel quoad effectum ſatisfaciendi, ſeu quatenus eſt ſatisfactorium. His obſeruatis.

4 Dico primò, valor huius ſacrificij ex parte rei operatæ, ſeu quæ offertur, eſt infiniti valoris intenſiuè: hæc concluſio eſt certiſſima apud Catholicos; nam res quæ offertur, eſt ipſe Chriſtus, qui eſt perſona infinita, eius merita, paſſio, ac ſatisfactio, quæ ſunt valoris infiniti, vt cum S. Thom. 3. *part. q.*1. *art.*2. docent communiter Theologi. Quare ſi Deus decreuiſſet ratione huius ſacrificij quoduis, etſi maximum, præmium conferre, poſſet illi correſpondere, etiamſi infinitum eſſet ſyncategorematicè, hoc eſt, poſſet Deus magis ac magis conferre, prout ipſe voluerit.

5 Dico ſecundò, valor huius ſacrificij quoad effectum ſatisfactionis ex opere operato, quatenus ſacrificium offertur à Sacerdote, non eſt infinitus intenſiuè, ſed eſt finitus, & determinatus, ſiue ſacrificium ſumatur, iuxta valorem generalem, ſiue ſpecialem, ſiue medium. Bonacina cum aliis *ſupra num.*3. Ratio eſt primò, quia offerens proximus, & oblatio prout ab ipſo procedit, ſunt finitæ dignitatis, & Chriſtus noluit, per eam conferri infinitum effectum, ſed tantum determinatum, & finitum, quem ipſe ſolus nouit. Quod autem ita Chriſtus inſtituerit, colligimus ex communi conſenſu Eccleſiæ, quo conſtat, vnam Miſſam ſic oblatam pro iuſto non ſempe conferre ſatisfactionem totius pœnæ, & applicatam pro animabus Purgatorij, non illud euacuate; ergo ſignum eſt, applicationem ſatisfactionis Chriſti eſſe finitæ quantitatis, quod eſt, eſſe finitum valorem intenſiuè. Secundò, quia ſacrificium eſt inſtrumentum, quo nobis applicatur paſſio Chriſti, at inſtrumentum non habet tantum valorem ac Chriſti paſſio. Tertiò, quia Sacramentum Euchariſtiæ, quamuis contineat Chriſtum gratiæ authorem, confert ſuſcipienti effectum finitum; ergo. Quartò, quia ſequeretur, vno ſacrificio poſſe totum Purgatorium exhauriri. Etenim ſicut paſſio Chriſti eſt infiniti valoris, quoad ſufficientiam, non tamen

tamen quoad efficaciam; ita etiam credendum est, efficaciam huius sacrificij ex diuina ordinatione esse determinatam.

6 Hinc sequitur primò, sacrificium, quatenus offertur in persona Ecclesiæ; habere valorem finitum ad impetrandum; quia fundatur in eius sanctitate, quæ finita est: inde fit, vt possit minui, & crescere, iuxta fidelium sanctitatem. Gabriel *lect. 26. in Canon.* dicitur autem hic valor ex opere operantis. Sequitur secundò, respectu Sacerdotis offerentis esse etiam valorem finitum intensiuè, tum ratione meriti, & satisfactionis, tum ratione impetrationis. Ratio est, quia actio simpliciter finita est; nam persona offerens est finita, & finitæ dignitatis. Filliuc. *tom. 1. tract. 5. cap. 9.*

7 Dico tertiò, valor medius, seu fructus, qui confertur ex opere operato illis pro quibus offertur, est finitus quoad meritum, & satisfactionem, ideoque si pro multis offeratur, minuitur in singulis. Ita cum S. Thoma. & aliis Suar. *disp. 79. sect. 12.* & Bonacina *tom. 1. disp. 4 q. vlt. punct. 4. n. 6.* Ratio fundamentalis est Christi institutio, quæ ita videtur facta, vt vni oblationi respondeat determinatus effectus, v. g. centum gradus satisfactionis, qui omnes vel possunt vni applicari, vel multis; non autem multiplicari in singulis, sed diuidi pro eorum multitudine. Quod comprobat praxis Ecclesiæ, quæ cum sit interpres institutionis Christi, & ab Spiritu sancto regatur, offerre consueuit multas Missas ad eandem rem obtinendam, consequenter indicans valorem Missæ finitum esse. Deinde, quia si multiplicaretur in singulis nunquam deberet pro vno tantùm applicari; cum tamen applicetur, & omnes putent hanc magis prodesse, quam si multis applicaretur. Item posset Sacerdos vno sacrificio satisfacere multis stipendiis, si tantum applicaretur pro omnibus, quam pro singulis. Denique plura sacrificia pro eadem persona plus proderunt, quàm vnum; ergo etiam duabus plus proderunt duo, quàm vnum; ergo vnum non tantùm proderit duabus; quàm vnum tantum. Filliuc. *tom. 1. tract. 5. cap. 3. num. 90.* & alij.

8 Ex hac conclusione apertè colligitur, Missæ sacrificium minùs prodesse singulis, si pro multis offeratur, quàm si pro paucis; nam res finita, & limitata quanto magis diuiditur, tanto minùs vnicuique contingit, eo quòd omne finitum oblatione finita tandem consumitur. Coninch *q. 82. art. 1. dub. 3. n. 64.* Suarez, & alij. Quare peccant mortaliter Sacerdotes, qui vnico sacrificio pluribus stipendiis satisfacere conantur; defraudant enim dantes eleemosynam, cùm Missæ sacrificium quoad valorem medium non æquè prosit omnibus, ac vni. Bonac. *n. 6. cit.*

9 Dico quartò, quoad effectum impetrandi Missæ sacrificium habet valorem infinitum, ideoque oblatum pro multis quoad hunc effectum non minùs prodest singulis, quam si pro vno tantùm offerretur S. Thom. *in 4. dist. 45 q. 2. art. 4 q. 2.* & communiter Doctores apud Suar. *disp. 79. sect. 12. vers. Dico tertiò.* & Coninch. *q. 83 art. 1 dub. 10. n. 187.* Ratio est, quia hoc sacrificium est infinitè Deo gratum, quod fundatur in eius dignitate, quæ infinita est, consequenter sufficiens ad impetrandum quodlibet beneficium, aut multitudinem beneficiorum, tam in singulis, quàm in vno; semper enim superabit valor rei oblatæ. Etenim Christus, qui est principalis offerens, etsi non sit in statu merendi, & satisfaciendi, vt dictum est *supra, hoc lib. cap. 7. dub. 5.* est tamen in statu orandi, & impetrandi quod voluerit. Quia verò in actu exercito non applicatur ad impetrandum, nisi vt coniungitur orationi; nam illud impetratur, quod petitur; & oratio, cæteris paribus, eò efficacior est, quo magis specialiter fit pro aliquo, ex *concil. Constant. sess. 8. & aliis:* hinc est, vt etiam sacrificium magis impetratiuum sit, si pro iis applicetur, pro quibus oratio specialis facta est, quàm si pro iis, qui comprehenduntur sub generali petitione, & magis efficacius sit ad impetrandum quod petitur pro vno, quàm quod petitur pro pluribus, facilius enim aliquando à Principe obtinetur gratia, quæ pro vno petitur, quàm si plures pro pluribus petantur. Bonacina *vbi sup. n. 6. vers. Dixi tertiò.*

10 Aduerte tamen diligenter differentiam, quæ reperitur inter satisfactionem, & impetrationem videlicet, quod satisfactio respicit æqualitatem inter debitum, & solutionem, seu compensationem; ideo si multis applicaretur, minueretur: & minus singulis contingeret. Impetratio respicit liberalitatem eius, à quo petimus, & cùm Dei liberalitas non minuatur, & magis grata sit illi oratio, quando ab eo pro pluribus, quam pro vno petimus, eo quod à maiore charitate procedat, ideo impetratio non minuitur, eo quod pro pluribus fiat.

11 Dico quintò, si loquamur de fructu, quem referunt offerentes simul cum Sacerdote, vt sunt assistentes Missæ, siue sint plures, siue pauciores, semper referunt integrum fructum, nec is minuitur, eo quòd sint multi assistentes, seu offerentes cum sacerdote, & in hoc sensu dici potest hoc sacrificium esse infinitum syncategorematicè, & extensiuè. Ita communiter Doctores: alioquin enim audientes Missam ob solam multitudinem minorem fructum reciperent, ac si solus audiret. Probatur conclusio, quia hic fructus nec minui potest ex re oblata, cùm sit infinita: nec ex oblatione, eo quòd cùm plures personæ sunt, eo etiam sunt plures oblationes: nec ex persona offerente proximè, quia sicut multiplicantur personæ, ita etiam dispositiones, & oblationes. Nec denique ex persona offerente remotè, quæ Christus est, cùm potiùs respectu huius sit infinitus. Ex quo sequitur, plures Sacerdotes consecrantes eandem hostiam, vt fit in ordinatione Sacerdotum, quia vnusquisque offert integrum sacrificium referre etiam singulos totum integrum fructum, ac si vnus sacrificaret. Non enim obest vnitas rei oblatæ; nam etiam vna est, & eadem in distinctis sacrificiis, & tamen diuersi fructus referuntur. Vide Suar. *disp. 79. sect. 12.* & cum aliis Bonac. *sup. n. 6. in fin.* vbi infert, hoc sacrificium magis prodesse viuis quam defunctis, non solùm quatenus viuis prodest ad satisfactionem, impetrationem, & propitiationem, vt notat Tolet. *lib. 1. c. 8. n. 2.* verum etiam, quatenus viuentes simul cum Sacerdote concurrunt ad oblationem, & sacrificium, vt sæpè dictum est, & docent Doctores citati.

DVB. VIII.

Quis sit minister sacrificij Missæ, & de eius intentione.

1 Dico primò, minister huius sacrificij est Sacerdos & solus Sacerdos: hæc conclusio patet ex dictis *capite antecedenti dub. 6. conclus. 1. & hoc cap. dub. 3. concl. 2. & 3.* & ratio est, quia vt probauimus *hoc cap. dub. 2. concl 5.* essentia huius sacrificij consistit in consecratione corporis, & Sanguinis Christi Domini nostri, at solus Sacerdos consecrare potest; ergo.

2 Dico secundò, Sacerdos celebrans Missæ sacrificium debet habere intentionem celebrandi: hæc conclusio patet ex dictis *lib. 1. c. 3. dub. 2. & hoc lib. c. 6. dub. 1. conclus. 2. & hoc c. 6. dub. 6. n. 12. & 13.* vide *ibi.* Quænam autem dispositio requiratur, vt validè,

&

& licitè Sacerdos offerat,& celebret hoc sacrificium, constat *ex cap.6. dub.* 1. *&* 2. in qua re certum est, debere habere fidem, & gratiam, eo quod sit minister consecratus,& deputatus. Vide *c.3.de Sacram.in genere.dub.3.& c.6.de Eucharist.dub.1.cit.*

3 Sed quæres, vtrum sacrificium Missæ oblatum à Sacerdote existente in peccato mortali prosit aliis, pro quibus offertur: certum est in hac re, tale sacrificium esse validum; quia ad hoc sufficiunt legitima materia, forma, intentio, & potestas, quæ, vt supponimus, reperiuntur in tali Sacerdote; ergo, &c. Vide *hoc lib. cap.6. dub.1. num.1.* Difficultas est an aliis prosit. Dico igitur prodesse aliis,quatenus nomine Christi,& Ecclesiæ offertur: tum quia in Trident. dicitur, sacrificium esse oblationem mundam, quæ nulla indignitate,& malitia offerentium inquinari potest: tum, quia fructus, qui respondet sacrificio ex institutione Christi, & meritis Ecclesiæ,non potest impediri, vel minui propter improbitatem Sacerdotis, eo quod huiusmodi fructus conferatur ex opere operato, & non dependeat à dispositione, seu probitate, aut improbitate Sacerdotis, si Missa consideretur, vt sacrificium est. Si verò Missæ sacrificium consideretur, secundum merita ipsius Sacerdotis,seu secundum valorem quem habet ex opere operantis, ex meritis Sacerdotis, minus valet si offeratur ab improbo, & malo, quàm si à probo & iusto; nam Deus magis proboa, & iustos exaudit, quàm improbos. S. Thom. *3.part.quæst. 82.artic.6.&* communiter DD. apud Bonacinam *tom.1. disp.4. q. vltim.punct.6.num.3.* Ex quo fit, preces Sacerdotis celebrantis in peccato mortali,si considerentur quatenus sunt preces personæ particularis,non prodesse aliis secundum valoren respondentem precibus, vt sic, vt patet ex his quæ Doctores docent de suffragiis. Si verò considerentur quatenus Sacerdos repræsentat Ecclesiam,& offert eius nomine, prosunt, vt patet ex dictis *hoc dub.*Bonac.cum aliis *sup.n.4.*

4 Quæres secundò, an Sacerdos qui stipendium accepit pro Missæ celebratione, satisfaciat Missam celebrando in peccato mortali. Respondeo affirmatiue,vnde non tenetur sacrificium iterare. Ratio est, quia applicat illum fructum,seu illam partialem portionem satisfactionis, quam tenetur tanquam minister publicus applicare: etenim Missa Sacerdotis celebrantis in peccato mortali, si consideretur secundùm valorem ex opere oprato, & secundum valorem quem habent preces, quatenus Sacerdos illas offert nomine Ecclesiæ, æqualiter valet ac boni Sacerdotis, vt dixi *quæst.1.*quamuis non æqualiter valeat, si consideretur secundùm preces dictas à Sacerdote, vt persona particulari. Suarez *disp.86.sect.1.ad fin.* Henriq. *lib.9. cap.11.n.4.* & cum aliis Bonacina *tom.1.disp 4 q vltim punct.6.n 5.*

5 Quæres tertiò,vtrum Missamali Sacerdotis pro se offerentis prosit ipsimet Sacerdoti. Respondeo negatiuè, quia ponit obicem ad fructum sacrificij sibique iudicium manducat & bibit. Coninch. *q. 83. art.1.dub.8.n.*414 Suat. *de ecusuris, disp. 9.sect.4.n.8. & 3.p disp.68.sect.1.vers.Sed quæres tandem.*

6 Quæres quartò, vtrum sacrificium factum ab excommunicato prosit aliis fidelibus. Respondeo, sacrificium ab excommunicato non vitando prodesse, non solum quatenus sacrificium fit nomine Christi, verum etiam quando fit nomine Ecclesiæ. Quod prosit quatenus fit nomine Christi,probatum est *quæst.1.* Quod verò prosit, quatenus fit nomine Ecclesiæ, probatur,quia Ecclesia tolerat excommunicatos occultos, nec irritat ipsorum acta, vt docent DD. in materia de censuris, & dixi in Decalogo *lib.8.cap.1.dub.9.* Peccat tamen grauiter Sacerdos sponte se ingerendo diuinis Officiis, quia violat censuram in re graui. Quod si sacrificium fiat ab excommunicato vitando non prodest quoad valorem, quem sacrificium habet ex parte Ecclesiæ, eo quod Ecclesia non tolerat huiusmodi Sacerdotem, nec velit per ipsum orare. S. Thom. *quæst.82. art.2. ad 3.* Sotus *dist.23.quæst.1. artic.7.* Henriquez *lib.9. cap.18.num.6.* Azot. 1. *part. lib.10. cap.21. quæsit.6.* & cum aliis Bonacina *sup. num.7.* Quoad valorem verò, quem habet sacrificium ex virtute Christi,prodest,etiamsi fiat ab excommunicato vitando;nam hic valor cum proueniat à Christo, & non à ministro, non impeditur per indignitatem ministri. Azot,Bonacina citati, & alij. Hinc patet, quid dicendum sit de hæretico,vel schismatico celebrante.

7 Nota, ligatum excommunicatione occulta, vel suspensione, vel irregularitate, non solum prodesse aliis pro illis celebrando modo explicato *quæsit.4.* verùm etiam aliquando excusari posse à peccato, videlicet,quando alioquin incurret grauem infamiam, vel: mortis periculum, vel aliud graue detrimentum non celebrando, vel non communicando. Ratio est, quia excommunicatio priuat celebratione, vel sumptione Sacramentorum ex præcepto Ecclesiæ,Ecclesia verò non videtur obligare cum tanto incommodo. Nazianz. *c.27. n.339.* Henriq.*lib.3.de pœnit.cap.25.n.2.*& cum Azot,Sayto,& aliis Bonac. *disp.4.q.vlt.punct.6.num.8.*

DUB. IX.

An, & quando teneatur Sacerdos Missam celebrare.

MVltæ difficultates sub titulo huius dubij continentur, quas sigillatim claritatis gratia explicare conabor.

1 Prima igitur difficultas est, an Sacerdos teneatur aliquoties in vita celebrare, seu an Sacerdos qui nunquam in vita celebrat, peccet mortaliter: & loquimur de simplici Sacerdote; nam de cura animarum habente,dicetur difficultate secunda.

2 D. Bonauentura, Gabriel, Ricardus, Vict. Caiet.& alij relati à Suarez *disp.80.sect.1.*& Henriquez *lib.9.cap.23.* asserunt, simplicem Sacerdotem,nullo detentum impedimento, non peccare mortaliter nunquam celebrando, modò absit scandalum, vel contemptus, & communicet in Paschate. Fundantur, quia, vt aiunt,nec diuino, nec humano præcepto obligantur ad celebrandum. Quæ sententia non est improbabilis,vt sentiunt Suar. *vbi sup.* Filliucius *tom.1.tract.5.c.4.n.96.in fine.* & Bonac.*tom.1.disp.4. punct.7.n.1.*& Diana 1.*p.tract.14.resol.19.* hanc existimat probabilem. Nihilominus tamen

3 Dico primò, probabilius, veriua,& securius est, Sacerdotem legitimè non impeditum teneri ex præcepto obligante sub mortali aliquando in anno celebrare, ideoque peccare mortaliter, si nunquam celebret toto anno. Ita sentire videtur S. Thom.*3. part.quæst.82. art.* 10. Nauarr. *cap.25. num.88.* Suarez *disp.80. sect.1.* Filliuc. *tom.1. tract.5. cap.4.n.96.* & cum aliis Bonacina *sup. num.1.* Colligitur hæc obligatio ex illis verbis Chisti: *Hoc facite in meam commemorationem*: quæ verba continere præceptum diuinum, videtur declarasse Trident.*sect.22. Can.1.* dicens,Christum illis verbis præcepisse,vt offerrent, vti semper Ecclesia intellexit, & docuit: quæ verba non solùm ad communitatem, sed ad singulos dirigunturr; quia Christus æquè ad omnes Apostolos, & ad singulos dixit: *Hoc facite, &c.* Facit etiam Trident. *sess.23.c.14.de refor.* vbi præcipit Episcopis, vt

vt curent Sacerdores, saltem Dominicis, & festis solemnibus, si aut curam animarum habuerint, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. Confirmarique potest *ex cap. dolentes de celebr. Miss.* vbi inter alia peccata, ob quæ imponitur pœna suspensionis, etiam numeratur, quod vix quater in anno celebrabant. Et ex Pio V. qui opinionem Caiet. *quæst.* 82. *art.* 1. dicentis, transgressionem huius obligationis esse tantùm sub veniali, iussit expúgi in impressione Romana, quasi sentiret, non esse dignam, quæ teneatur. Secundò, potest fundari in præcepto ex natura rei, quia omissio sacrificandi in habente tale munus est contra rationem; nam in vacuum gratiam Dei videretur accepisse; materia enim grauis est, ergo ex suo genere obligat ad mortale.

4 Sed rogabis, quoties in anno teneatur Sacerdos celebrare ad vitandam culpam mortalem. S. Thom. *vbi sup.* Syl. & Sotus apud Suarez *loco sup. cit.* docent teneri ad celebrandum in præcipuis festis, & iis, quibus fideles communicare solent, sicque teneri in anno saltem decies, vel duodecies celebrare, quia toties communiter fideles communicant communiter. At cum hæc obligatio nec iure diuino, nec humano certa sit, vt probat Filliuc. *sup. num.* 68. nec de ea constat inter Doctores, ideo cum Nauarr. & Suarez *locis cit.* Henriquez *lib* 9 *cap.* 23. *num.* 1. & Bonacin. cum aliis *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. *n.* 2. ac Villalob. *part.* 1. *tract* 7. *diff.* 49. *num.* 1. existimo probabile, & tutum, sufficere ter, vel quater in anno celebrare, quia cùm non extet præceptum celebrandi singulis festis præcipuis, sic fit satis præcepto naturali, & diuinæ obligationi celebrandi aliquoties; & confirmatur *dict. cap. dolentes.* & vitatur scandalum, nullumque sic incurritur detrimentum spirituale, præsertim si id faciat bona intentione, vt etiam concedit Suar. *loco cit. in fin.* & tenet Diana cum aliis *part.* 1. *tract.* 14 *resol.* 10. ideoque satis esse, si celebrat, præcipuè in die Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes.

5 Nota, vt refert Bonacina *vbi sup. n.* 3. in Prouincia Mediolanensi simplicem Sacerdotem teneri sub mortali, ratione solius Ordinis celebrare Missam singulis Dominicis, & festis solemnibus, nisi iure impediatur; excusari tamen ibi posse à mortali, si sex, aut septem diebus festis Sacrum non facit quia, inquit, non videtur præceptum receptum esse cum tanto rigore, sicque declarasse Congregationem Pœnitentiariæ Mediolanensis, in nostro autem Archiepiscopato nullum de hac re extat præceptum.

Secunda difficultas est, quibus diebus teneantur Parochi, & curam animarum habentes celebrare.

6 Respondeo, teneri per se, vel per alios celebrare iis tantùm diebus, quibus fideles audire Missam tenentur, Nauarr. *cap.* 25 *n.* 135. & cum Azor, & Vasquez Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4 *quæst vlt. punct.* 7. *num* 4. Ratio est, quia ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 14. Sacerdotes curam animarum habentes tenentur tam frequenter celebrare Missas, vt satisfaciant muneri suo, at non videntur illi satisfacere, si non celebrent per se, vel per alium in diebus festis; aliter enim non posset populus eo die Missam audire, ad quam celebrandam censetur, curatorem animarum conduxisse: tenetur ergo hic diebus festis Missam celebrare. Non autem tenetur Parochus quotidie celebrare, cùm ipsius munus non ad id obliget, neque teneatur populus singulis diebus Missam audire. Limita tamen, nisi forte ex speciali statuto, aut decreto Ordinarij sit ad hoc obligatus, vt benè Sua. 3. *part. quæst.* 83. *disp.* 86. *sect.* 1. *vers de benef. circa fin.*

& Bonacina *vbi sup. vers. Ex quo.* Quod posse facere Episcopum colligunt ex Trident *sess.* 23 *cap.* 14. ibi: *Curet Episcopus, &c. si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* iure ergo possunt Episcopi certum numerum Missarum præscribere curatoribus animarum. Quod si alicubi esset obligatio celebrandi quotidie, intelligenda est moraliter, & regulariter, quia aliàs esset onus intolerabile; nisi fortè tale sit Beneficium, vt obliget ad prouidendum quotidie de Beneficio per se, vel per alium. Syl. *verb. Missa* 1. *quæst.* 7. Nauarr. *cap.* 25 *num.* 140. & Suarez *loco cit.* vide Bonacin. *sup.* vbi refert, in Archiepiscopatu Mediolanensi esse cautum in Concilio Prouinciali *part.* 2. vt curati præter dies Dominicos, & reliquos festos, ter in hebdomada, aut etiam sæpius, quo vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem diuini sacrificij vsum postulabit, Missam celebrent: in nostro autem Archiepiscopatu Valentino nullum onus impositum est Curatis circa celebrationem quotidianam. Quando autem Parochi teneãtur non solùm celebrare, sed offerre sacrificium pro populo, difficultate sequenti.

7 Tertia difficultas est, an & quando Parochi teneantur sacrificium offerre pro populo, illud illi applicando. Sotus *lib.* 6. *de iust. quæst.* 3. *artic.* 1. & *in* 4 *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. existimat, Parochum teneri quotidie proprijs ouibus sacrificium offerre, eo quod ab ipsis alatur. Quod sine fundamento dici tenet Suarez *disp.* 86. *sect.* 1. *vers. de Benefic. in principio*, & rectè quidem, quia nullo iure positiuo cauetur obligatio, vt etiam docent Nauarr. *capit.* 25. *num.* 140. Coninch. *quæst.* 83 *art.* 1. *dub.* 11. *num.* 199. & alij apud Suarez, & Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. *num.* 5 *vers. Sed mihi, & seqq.* quia decimæ dantur illis propriè, vt suis Sacramenta ministrent, & animas doctrina pascant, concionentur, ac diuina Officia debito tempore celebrent, non autem vt pro his, aut pro illis orent, aut sacrificia offerant. Quare Parochi non modò singulis diebus, imò nec vllo die ex vi Beneficij, seclusa consuetudine, aut statuto, seu decreto synodali, tenentur pro populo offerre, vt docent Suarez, & Coninch. *vbi sup.* & Diana 1. *part. tract.* 14 *resol* 16. Et confirmatur, quia nec Papa, nec Episcopi tenentur quotidie pro populo celebrare; ergo nec Parochus.

8 Dixi, *ratione Beneficij parochialis non teneri offerre pro populo*, nam ex charitate videtur aliquando teneri pro populo offerre sacrificium, iuxta prudentis arbitrium, vt docent Coninch. & Bonacina *vbi sup.* qui *vers. Quamobrem.* ita ait vir autem prudens meo iudicio iudicabit Parochum præcisa alia constitutione, teneri in præcipuis solemnitatibus Domini, & Dominicis diebus, aut semel saltem in hebdomada sacrificium pro populo applicare; sic enim mihi dictare videtur æquitas, & recta ratio; posita obligatione Parochi, & indigẽtia populi; hæc Bonacina. Quam moderationem, & determinationem libenter admitto, cum hoc, quòd Parochi ratione sui Beneficij habeant sufficientem sustentationem, ob cuius defectum in Diœcesi Valentina Parochi earum Parochiarum, quæ olim fuerunt nouiter conuersorum, *de los Moriscos*, quorum fructus, siue stipendia non excedunt summam centum librarum, nullo die tenentur pro populo offerre, sed satisfaciunt, si diebus Dominicis, & festis colendis Missam celebrent, & in illa pro populo ad Deum preces fuderint, etiamsi alteri, à quo eleemosynam habuerint, applicauerint. Ita in Synodo Valentina *Anno* 1631. *decret.* 36.

9 Dixi etiam, *seclusa consuetudine*, nam ea extante, approbata,

approbata, & non reuocata, certum est, iuxta illius formam, & consuetudinem esse obseruandam. Quam consuetudioem non obligare sub mortali asserit Diana 1. *part. tract.* 14. *resol.* 26. cum Posseuino *de offic. Curati. cap.* 2. *num* 4. quando de hoc onere non constat ex tabulis Ecclesiæ, vel ex præcepto Episcopi, eo quòd in præiudicium alicuius non sit inducẽda obligatio siue claris probationibus. Dixi demum, *secluso aliquo decreto synodali*, nam eo existente, certum etiam est, illi esse standum, In Diœcesi Valentina circa hanc obligationem, in Synodo *Anno* 1631. *decret* 36. ita habetur.

10 Ne fidelis populus suffragiis spiritualibus, quæ potissimùm ex Missæ sacrificio proueniunt, omnino destituatur, decernimus, & statuimus, vt Curati earum Ecclesiarum, ex quarum fructibus, aliis emolumentis perpetuis, & amortixatis, deductis oneribus, & obligationibus ordinariis, ducentarum librarum, quas vere ipsi in vsum suum recipiant, quotannis valor superterit, ij quotidie per per se, vel per alium Missam pro populo celebrent, præterquam quod cum pro defuncto, præsente illius corpore, vel pro nouis nuptis, aut qualibet feria secunda, & Sabbato cuiusuis hebdomadæ Missam celebrauerint, dummodo in ea pro populo orent; tunc enim illius Missæ celebratione erit illo die populo satisfactum. In ita verò Ecclesiis, in quibus, dictis oneribus deductis, ducentarum librarum certus valor reliquus non fuerit, teneatur Curatus diebus Dominicis, & festis colendis tantùm pro populo Missæ sacrificium offerre, & applicare. In illis verò Parochialibus, quarum dotatio centum librarum extiterit, siue Curatus in pecunia numerata, siue in pecunia, & fructibus eas accipiat, dummodo diebus Dominicis, & festis colendis Missam celebrauerit, & in illa pro populo preces ad Deum fuderit, etiamsi alteri, à quo eleemosynam habuerit, applicauerit, suo pleno functus erit officio. Constitutionibus quoad omnia supradicta, & constitutionibus in contrarium non obstantibus quibuscumque.

11 Aduerte tamen, Parochum in die, quo de iure, vel consuetodine pro sua Parochia, seu pro populo celebrare, & offerre tenetur, non posse accipere stipendium ad celebrandum pro fidelibus alterius Parochiæ; nam cùm teneatur populo applicare, non poterit idem sacrificium alteri applicare, quin populus defraudetur: poterit tamen si à suis omnibus accipiat, vt pro ipsis, vel aliquo celebret, vt docet Reginald. 2. *tom. lib.* 23. *cap.* 17. *num.* 238. ait enim consuetudine introductum esse à parochianis dantibus eleemosynam pro commemoratione sui facienda in Missa. Quod limita, modò Parochianus sciat, suum Parochum aliàs teneri offerre pro populo: nam tunc videtur consentire, & contentum esse, vt solùm pro eo fiat commemoratio. Limita secundò cum Henriqoex *libr.* 9 *cap.* 22. *num.* 6. si Beneficium Parochi esset adeo tenue, vt illum non alat congruè, nec aliunde à Parochianis prouideatur de congrua sustentatione. Addit Henriquez idem licere Parocho diuiti, si Parochiani scientes illum non posse omnes Missas celebrare, ei alias Missas commodent; nam tunc consentire videntur, vt dictum est; & iuxta dicta intelligendus est Diana 4. *part tract.* 4. *resol.* 232. vbi tenet, Parochum illis diebus, quibus tenetur celebrare, vt populus Missam audiat, non posse eleemosynas ab alio accipere; quod refert declaratum à Congregatione die 1. Septembris 1629. Idem Diana *resol.* 236 *ibid.* tenet, Parochum, cessante scandalo, in die Natiuitatis non teneri celebrare tres Missas. Hoc tamen pro certo habe, Parochum, qui tenetur pro populo offere, posse illis diebus facere celebrare minori stipendio, quam sibi ex fructibus correspondet, modò det stipendium, quod à lege, vel consuetudine taxatum est. Suar. *disput.* 86. *sect.* 3. *in fine* Henriquez *lib* 9. *cap.* 22. *num.* 7. Posseuin. *de offic. Curati. cap.* 2. *num.* 18. & Ledesma *de Euchar. cap.* 18. *concl.* 13. *vers. A esta rabo.* vbi id doceot de quocumque alio Beneficiario, aut Capellano. vide *infra. dub.* 11. *diff.* 10

12 Quarta difficultas, an quotidiana celebratio sit in præcepto. Suppone, licitum esse quotidie celebrare, nisi adsit prohibitio incontrariũ, qua non existente, non peccat, imò melius facit quotidie celebrando. Ita communis Theologorum, & constat ex vsu Ecclesiæ recepto, & approbato inter sanctos, & fundatur in necessitate, quam habent fideles fructus passionis Christi, qui ipsis per hoc sacrificium applicatur.

13 Dico primò, non tenentur singuli Sacerdotes, per se loquendo singulis diebus celebrare. Patet, tum quia nullibi extat tale præceptum, vt refert Suarez *disp.* 80. *sect.* 2. & communiter Doctores. Tum quia multi etiam valde timorati, & pij aliquando intermittunt ob maiorem reuerentiam Imò nec Parochi tenentur per se quotidie celebrare, sed vel per alium modo explicato *diff.* 3. Vel si solus sit, potest aliquando omittere, vt dictum est, & docet Suarez *vbi sup.* Dixi, *per se loquendo*, nam per accidens potest esse ad id obligatus v. g. per votum, regulam, aut aliquod statutum, aut fundationem Capellaniæ, vt infra constabit, aut si aliorum necessitas immineret.

14 Dico secundò, quotidiana celebratio est in consilio, & ex se melior. Ita communis apud Suarez *dict. sect.* 2. & patet ex consuetudine Ecclesiæ, ex Doctoribus, & ex historiis. Sic S. Andræas de se ipso dicebat: *Ego quotidie immolo, &c.* Et probari potest, quia vt dictum est in suppositione *n.* 12. non est malum sua natura, imò bonum, cùm cedat in honorem Dei, sit vtile Ecclesiæ, & congruat dignitati sacrificij, iuxta tamen personarum diuersitatem potest interdum intermitti sine vllo peccato, imò & cum merito ob bonum finem. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 102.

15 Dico tertiò, esse præceptum non diuinum, sed Ecclesiasticum in singulis Cathedralibus, Collegiatis, Conuentualibus, & Parochialibus, vt quotidie celebretur, si sit conueniens numerus Sacerdotum. Quòd non sit præceptum, patet, quia nullibi extat tale præceptum, & patet in feria sexta Parasceue, in qua non celebratur in vlla Ecclesia, de quo Suar. *disp.* 80 *sect.* 2. Quod autem sit præceptum Ecclesiæ, constat ex communi Doctorum, & significatur *inc. cum creatura, de celebr. Missa.* Secundò, ex vsu Ecclesiæ habente vim legis, vnde si omitteretur, fieret cum scandalo, & cùm res grauis sit, esset graue peccatum, ideoque non omittenda, nisi vrgens, & rationabilis causa intercedat, vt benè Villalobos *p.* 1. *tract.* 8. *diff.* 19 *n.* 3. & Filliuc *sup. n.* 104. Hæc autem obligatio primò, & per se spectat ad Rectores huiusmodi Ecclesiarum, nam tenentur saltem curare, vt non desit quotidianum sacrificium: quare si non adsit iusta excusationis causa, erit mortale eius omissio. Nota tamen, in dicto capite *cùm creatura* haberi, vt etiam dicantur duæ Missæ, altera pro viuis, altera verò pro defunctis, sed hoc non esse præceptum, vt benè Sotus *in* 4 *dist.* 13. *q* 2. *art.* 1. Filliuc. & Villal. *vbi sup.* solùm enim intendit textus, quod ob Missam defunctorum, vbi dicitur, non omittatur Missa conuentualis. Nota etiam, in feriis Quadragesimæ, quatuor temporum, in Vigiliis, & Rogationibus, si illis diebus occurrat sanctus duplex, aut semiduplex; in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis cantandas esse duas Missas, vnam de sancto post Primam, & alteram

tertiam de feria post Nonam, iuxta regulas Missalis. Quod tanquam res grauissima declaratum refert à sacra Congregatione Gauantus *in comm. ad Rubric. Missalis tom. 1. part. 3. tit. 10. num.* 80. Oppositum verò docet P. Andreas Castaldus *in sua praxi cerem. lib. 2 sect. 6. c. 3. n. 10.* At dato quòd dicta declaratio sit authentica, illi standum erit; consequenter contrafacientes peccabunt grauiter, nisi aliud habeat approbata consuetudo. Regulares autem non tenentur ad id, quia eorum Ecclesiæ non sunt Collegiales, vt tenet Rodriguez *tom. 1. qq. regul quæst. 43. art. 12.* & cum eo Villalob. *sup. num. 4.*

16 Ex his colligitur, Capellanum teneri iuxta institutionem Capellaniæ, & intentionem fundatoris Missas celebrare. Quare si Capellaniæ instituta sit ad celebrandum quotidie, tenetur quotidie sub mortali celebrare, nisi iusta de causa, vel ob legitimum impedimentum Missæ sacrificium prætermittat Syl. *verb. Missa* 2. Henriquez *lib. 9. cap. 23. num. 5. & c. 24. n. 4.* Suarez *disp. 80. sect. 2.* & cum aliis Bonacina *tom. 1. disp. 4. quæst. vlt. punct. 7. n. 6.* alioquin faceret contra institutionem Capellaniæ, & contra conuentionem & defraudaret institutoris mentem. Dixi, *nisi iusta causa, &c.* nam ea existente potest Capellanus aliquando omittere, v. g. ob infirmitatem, aut ob grauia negotia, aut ob honestatem, & decentiam; nam onus celebrandi quotidie intelligitur, salua honestate, decentia & deuotione debita vt bene obseruant. Nauarr *cap. 25. n. 135.* Henriquez *d. c. 24. n. 4.* Panorm. *in c consuluisti de celebr. Missar. & c. significasti de Præb.* & communiter DD. & Bonac. *d. punct. 7. n. 6.* qua de causa ait vsu receptum, vt Capellanus, qui tenetur onere Capellaniæ quotidianæ, possit semel in hebdomada, ratione honestatis Sacrum prætermittere. An autem illud teneatur per alium supplere, dicetur *infra dub. 11. n. 1. & 2.*

Colligitur etiam hæc regula generalis, nempe Sacerdotem peccare, qui per se ipsum, vel per alium non celebrat Missas, quot & quales, & quo in loco, vel tempore tenetur ex fundatione, vel ex pacto celebrare, nisi aliud constet ex interpretatiua voluntate fundatoris, vel nisi aliud suadeat honestas, & debita deuotio, vt clariùs constabit ex infra in particularibus dicendis.

17 Quinta difficultas, an sint aliqui dies, in quibus non liceat celebrare. Difficultas solùm est de feria quinta in cœna Domini, feria sexta, & Sabbatho sancto.

18 Respondeo, & dico primò, in feria quinta cœnæ Domini omnes Sacerdotes possunt celebrare Missam, vt tenet Nauarr. *cap. 15. n.* 88. Suarez *tom. 3. disp. 80. sect. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 5 cap. 4. n. 105.* Villalobos *tom. 1. tract. 8. diff. 20. n. 1.* vbi dicit esse valdè certum, & communiter Doctores. Ratio est, quia nullum est præceptum in contrarium, nec communis, & generalis consuetudo, imò plures in contrarium faciunt. Vbi tamen est consuetudo, vt primarius Sacerdos tantùm celebret, cæteri communicent, seruanda est publicè; quia habet sufficiens fundamentum; ob mœrorem Ecclesiæ, qui eo die incipit; tùm ob repræsentationem Christi, qui Apostolos communicauit: & præterea esset nonnihil scandali, & admirationis, saltem respectu pusillorum ob ignorantiam: priuatim autem, secretè, & absque concursu sæcularium quisque posset, saltem antequam ligentur campanæ. Vnde vt refert Filliucius *sup.* summo mane omnes celebrant ianuis etiam apertis, deinde suo tempore sola Missa principalis celebratur, vt Neapoli, alibi verò tantùm ianuis clausis, vt Romæ, & in Hetruria.

19 Dico secundò, feria sexta celebrare Missam licet: est commune, prohibetur expresse, *cap. Sabbatho, de consecrat. distinct. 3.* nam eo die Christi Domini nostri passio recolitur, prout est gesta, & ideo non repræsentatur mysticè, & illa cæremonia, seu officium, quod illo die fit, non est Missa, verè, & propriè, vt dixi *supra hoc cap. dub. 2. num 7.* quia eo die non sacrificatur. Dispensari autem posset eo die communio; quia vt docent Ledesma *in sum. tom. 1. cap. 19. de Eucharist conclus. 5.* Suarez *supr.* Filliuc. Ioan. Sanchez *disp 22. num. 21.* vbi ait ita practicari publicè Matriti in Ecclesia S. Martini, & S. Placidi illi annexa, & alij, quia ius eo die solum prohibet Missam celebrare: seruanda tamen consuetudo saltem ratione scandali: ideo non est faciendum absque necessitate, aut in infirmitate, vt moris est in Ecclesia non tamen condemnarem eum, qui illo die communicaret secreto; nam sic nullum est scãdalum, nec itur contra aliquam prohibitionem. Quod si in aliqua Diœcesi ab Ordinario sit prohibitum, seruanuandum est saltem publicè aduertendum tamen, anno 1622. 19. Februarij, responsum fuisse à sacra rituum Congregatione, seruandam esse consuetudinem, quæ iamdiu obtinuit, vt non nisi infirmis die veneris Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum conferatur. Quod absque dubio seruandum est, vbi fuerit talis consuetudo.

20 Dico tertiò, quoad Sabbathum sanctum, Nauarr. *vbi supra.* & cum eo Villalobos *different. 20. citat. numero 5.* existimant, tantum posse celebrari vnam Missam solemnem, non verò priuatas, qui inquiunt *dict. cap. Sabbatho*, æque prohibet celebrare in feria 6. ac in Sabbatho, quod declarat consuedo generalis, eum nemo priuatus audeat, saltem publicè, celebrare, & anno 1606. & 1617. cum incideret festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis in Sabbatho sancto, consulti Salmanticenses responderunt tantùm posse Missam solemnem celebrare: quod videtur comprobare Missale Romanum in quo assignatur Missa solemnis absque introitu; innuens tantum posse illam Missam solemnem celebrare, non vero priuatas. At Ledesma, Suarez *vbi supra.* Sotus *in distinct. 13. quæst. 2. articul* 2. & Filliucius *loco citato, numer.* 107. existimant, licere Missas priuatas celebrare, quam opinionem non condemnat Villalob. *supra num. 4. in fin.* Ratio est, quia lex, seu dictum *capit. Sabbatho*, non videtur tam aperte loqui de Sabbatho, ac de feria 6. aut saltem non esse receptum eum tanto rigore sicut in feria sexta nam ex eo quod cessauerit prohibitio quoad Missam solemnem, similiter videtur cessasse quoad priuatas; proindeque vt ait Filliuc. secluso scandalo, priuatim celebrare non esse peccatum mortale, & cum causa rationabili, neque veniale incipiendo ab illa hora, in qua potest incipere Officium Paschale, seu Gloria in excelsis Deo: in praxi tamen seruanda est loci consuetudo, & non nisi ex causa, secluso omni scandalo, vt dictum est, & priuatim celebrandum. Et quidem vsus obtinuit, vt non celebretur communiter, nisi vna Missa in singulis Ecclesiis, & in Monasteriis ad summum duæ, vna priuatim pro officialibus domus in corporalibus ministeriis occupatis, alia publicè hora conuenienti: aliqui tamen, etiam timorati viri, celebrant post pulsationem campanarum, in qua Missa poterit sumi Introitus de Resurrectione, vel poterit dici Missa votiua de Beata Maria, præsertim si eo die cadat festum Beatæ Mariæ Virginis.

21 Quantum ad dandam eo die communionem, existimo certum posse hoc die conferri, quia nullibi reperitur prohibitum: nec contrarium generali consuetudine introductum: & potest probari, quia

si

ſi in die Veneris licet modo dicto : ergo à fortiori in Sabbatho ſancto.

22 Aduertit, & benè, Villalob. *ſup. n. 4.* caſu quo continget feſtum B. Mariæ Virginis incidere in Sabbathum ſanctum, vt prouideat ſuperior, quod Miſſæ ſolemnes eo in loco celebrentur horis diuerſis, & interpolatis, modo, eſt forma, vt omnes Miſſam audire poſſint, remanentibus domi cuſtodibus, aut alia hora Miſſam audire queant.

D v b. X.

An ſæpius in die celebrare liceat.

1 CONueniunt DD. iure Eccleſiaſtico ordinario ſemel tantum in die licere ſacrificare. Probant primò, *ex cap. ſufficit de conſecrat. diſt. 1. capit. conſuluiſti, cap. referente, de celebr. Miſſar.* in quibus id præcipitur. Secundò, ex conſuetudine fundata in ratione, tum myſtica ad repræſentandum ſufficientiam vnici ſacrificij æterni, tum morali, quia vix poſſunt homines ſe præparare ad vnum, Excipiunt tamen aliquos caſus quos doctè examinat Suarez. *diſp. 80. ſect. 3.* ex quibus ſolùm referemus eos, qui ſunt in vſu, & magis à DD. approbantur.

2 Dico igitur, licet primò in die Natiuitatis Domini tres Miſſas celebrare, *ex cap. conſuluiſti, & cap. Nocte ſancta, de conſecr. diſt. 1.* & comprobat conſuetudo Eccleſiæ, propter triplicem generationem Chriſti, diuinam, ſpiritualem, & humanam, quam repræſentant tres Miſſæ. Prima repræſentat generationem æternam Verbi diuini à Patre, quæ nobis occulta eſt, ideo celebratur media nocte, & Introitum incipit : *Dominus dixit ad me, &c.* Secunda generationem Chriſti ſpiritualem in anima per Fidem, Spem, & Charitatem ſignificat; per quam Chriſtus lux mundi, & Sol Iuſtitiæ oritur in animabus noſtris, 2. Petri 1. ideò Introitus incipit : *Lux fulgebit, &c.* Tertia natiuitatem temporalem præfigurat, per quam ex ſacratiſſima ſemper Virgine natus fuit; ideò Introitus incipit : *Puer natus eſt nobis, &c.* Dicuntur etiam tres Miſſæ eo die propter tres ſtatus hominum ſignificandos ante legem, ſub lege, poſt legem. *gloſſ. cap. conſuluiſti*, Aduerte tamen, etſi licitum ſit, non tamen teneri tres Miſſas celebrare, ſed ſufficit vnam dicere, quia non datur de hoc præceptum, & comprobat conſuetudo; quid autem dicendum de Parocho, dictum eſt *ſup dub. anteced. q. 2.* Poſſunt etiam dictæ tres Miſſæ celebrari in nocte ante lucem, vt communiter vſu eſt receptum.

3 Dico ſecundò, ex conſuetudine ſcita, & approbata à Summo Pontifice poteſt pluries in die celebrari: nam cũ hæc prohibitio ſit de iure Eccleſiaſtico, certum eſt, in ea Papam poſſe diſpenſare; cenſetur autem diſpenſare, ſi pluries in die illo ſciente, & conſciente, celebratur. In noſtro Regno Valentino eſt in more poſitum, vt Clerici ſæculares poſſint bis in die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebrare.

4 Dico tertiò, quando Sacerdos habet duas, vel tres Parochias, poteſt duas, vel tres Miſſas in die celebrare, ita communis DD. hoc autem intellige, modo Parochus non poſſit commode habere coadiutorem; in quo tamen ſtandum erit conſuetudini : vt benè Villalob. *p. 1. tract. 8. diff. 21. n. 4.* intellige etiam id procedere in diebus feſtis, non vero in feriatis; vnde non placet, quod dicit Suarez, nimirum, etiam id licere in diebus feriatis, ſi populus ſit ſufficiens, nam tunc nec ex parte Sacerdotis, nec populi reperitur magna neceſſitas, quod requirit dictum *cap. conſuluiſti*, & ſufficit vt alternatiue Miſſam in vna Parochia vna die, & alteram in alia Parochia: admitterem tamen ego ſententiam Suarez in aliquo die feriato, in quo populus abſtinet ſe ab opere ſeruili in honorem alicuius ſancti, illiuſque feſtum celebrant, & ex alio cap. occurrit neceſſitas celebrandi in altera Parochia. Vide Suarez *diſp. 80. ſect. 3.*

5 Ad hunc caſum reduci poteſt penuria Sacerdotum, vt in Anglia, de quo Nauarr. *conſ. 2. de celebrat. Miſſar.* affirmat poſſe, & ex multis probat.

6 Aduerte tamen, in hoc caſu Sacerdotem duas Parochias habentem, in feria 5. Cœnæ Domini ſolum poſſe reſeruare Sanctiſſimum Sacramentum in vna Parochia, nam feria 6. ſequenti ſumitur vna particula vino mixta, & cum iam non ſit ieiunus, non poterit idem facere in illa Parochia. Quod ſi inaduertenter in duabus Parochiis Sanctiſſimum Sacramentum reſeruauit, ait Suarez *ſuprà*, & benè, vt in priori Eccleſia ſumat ſacram Euchariſtiam ſine vino, vt maneat ieiunus, & ſic poterit in altera Parochia ſacram Euchariſtiam ſeruatis ſeruandis ſumere. At ſi in priori ſumpſit particulam cum vino; in ſecunda non ſumat Sacramentum, ſed illud reſeruet in ſacrario. Ita etiam Villalobos *ſup. n. 7.*

7 Dico quartò, poteſt bis celebrari, ſi ob populi multitudinem in feſto ſolemni Eccleſia totum ſimul capere non poſſit, & non adeſt alius Sacerdos, qui celebrare poſſit; ita Suarez, Villalobos citati, & alij : tunc enim adeſt vera neceſſitas, in quo caſu refert Strabo. *de ritib. Eccleſ cap. 21.* Leonem Papam altera die ſepties, & altera nouies celebraſſe: hoc autem intellige, caſu quo commode Miſſa extra Eccleſiam in altari portatili celebrari nõ poſſit, aliter enim non poſſet pluries celebrari, quia ceſſat neceſſitas, vt bene Ledeſm. *in ſum. tom. 1. c. 19. de Euchariſt. poſt 7. concl.* & cum eo Villalobos *ſup. n. 8.* Ad hunc caſum reduci poteſt, ſi Sacerdos, antequam ſumat ablutiones, ſcit gentium multitudinem tunc ex itinere aduentaſſe, ſitque dies feſtus, & non alius Sacerdos, poſſe iterum celebrare, vt probabiliter docet Villalobos *ſup. n. 9.* cum Suarez *loco cit.*

8 Dico quintò, ſi ſit dies ſolemnis Paſchæ, vel ſimilis, & oporreat dicere Miſſam pro defuncto in die defunctionis, tunc ait probabile Suarez *dict. ſect. 3.* ſi vnus tantum ſit Sacerdos, poterit aliam dicere de feſto, quia *in dict. cap. conſuluiſti*, habetur, vt in caſu neceſſitatis eodem die poſſit celebrari ſacrum de die occurrenti, & alterum pro defuncto : nihilominus tamen hoc non eſt in vſu, quia vel poteſt dici Miſſa de corpore præſenti, vel ſepeliri abſque Miſſa, & dici ſequenti die.

9 Alij caſus, qui à DD. adducuntur, non ſunt in vſu, ideoque nec admittendi, & ſunt primò Aduentus magnæ perſonæ. Secundò, neceſſitas communicandi infirmum. Tertiò, ſi eodem die duplex Officium occurrat, de feſto, & de vigilia, vel rogationibus. Quartò, ſi neceſſe ſit ad benedicendas nuptias. Quintò, quando eſt conſuetudo in vna Parochiali bis celebrandi, & alter Sacerdos ægrotat. Sextò, propter paupertatem Sacerdotis : de quibus Suarez *diſp. 80. ſect. 3.* In noſtra autem Diœceſi Valentina, ſolùm eſt in vſu, vt ter celebretur in die Natiuitatis, & bis in die commemorationis omnium defunctorum, & quando quis præficitur duabus Eccleſiis. Non tamen condemnarem Sacerdotem, qui ſumpta hoſtia antequam ſumat ablutiones, admonetur, eſſe communicandum infirmum, & non reperitur hoſtia conſecrata, iterum celebraret, at ſi non ſumpſit hoſtiam, non poterit ſed debet ſuæ hoſtiæ particulam reſeruare : hoc autem intellige, modò non adſit alius Sacerdos. Ita Henriquez *lib. 5. capit. 30. num. 7.* & cum aliis Bonaci-

na *tom.1.disp.4.quæst.vltim.punct.7.§.5 num.* 10.

10 Aduerte tameo, ad hoc vt Sacerdos possit bis, aut,ter celebrare in casibus,in qoibus id licet, iuxta soper ius dicta,requiri quòd sit ieiunos;vnde in priori Missa non debet sumere ablutiones, aliter dicere non poterit secundam.Ita DD. communiter.

Dvb. XI.

In quo varia difficultates resoluuntur circa obligationem celebrandi Sacerdotum.

1 PRima difficultas, an Capellanus,qui celebrare tenetur,possit per alium supplere. Respondeo affirmatiuè, quia sic censetur satisfactum voluntati fundatoris:& qui per alium facit per se ipsum facere videtur.Limita tamen,nisi expresse constaret fundatorem voluisse, obligare Capellanom ad Missæ celebrationem per se ipsum,& non per alium.Ita Gonzalez *ad regul.*8. *Cancellar. gl.*5. *n.* 84. Emanuel Sa. *verbo Beneficium, num.*28.

2 Hinc colligitur, peccare eum, qui non est Sacerdos, recipiendo Beneficium, aut Capellaniam, quando expresse cautum est in fundatione, vt Missa celebretur à titulari, quia fecit contra voluntatem fundatoris:si autem per alium satisfecit,non est obligandus ad restiturionem: poterit tamen Beneficio priuari, si in Capellaniæ fundatione adiecta est pœna priuationis. Bonacina *tom.*1 *disputat.*4. *quæst. vltim.punct.*7.§.1. *num.*2.

3 Secunda difficultas, an Capellanus, qui tenetur per se ipsum ter, vel quater in hebdomada celebrare, si negotiorum mole occupatus sit, possit in aliud tempos differere Respondeo affirmatiue, si fundator tantùm spectauit pietatem, & diligentiam ipsius Capellani: secus si exigebat, vt citissimè sacrificia persoluerentur, quod in dubio præsumendum est, tunc enim melius est curare, vt sacrificium celebretur per alium in eadem hebdomada,sic enim adimpletur mens testatoris, quæ tanquam lex habenda est. Bonacin. *sup. num.* vide Azor 1. *part. lib.*10. *cap.*24.*quæst.*7.

4 Tertia difficultas, vtrum Missæ, quas tenetur Titius celebrare, vel curare celebrandas, possint ab alio Sacerdote celebrari, & applicari pro obligatione, quam Titius habet ipso insciente. Respondeo affirmatiuè, imò & recipere eleemosynam, nisi gratis intenderit celebrare. Ratio est, nam satisfacit oneri Titij, & Missam applicat ei, cui Titius tenetur applicare. Bonac. *sup.num.*4 cum Corduba *lib.*1. *quæst.*4.*dub.*6. & aliis.

5 Quarta difficultas, vtrum Sacerdos, qui titulo Capellaniæ, aut eleemosynæ, aut promissionis, aliave de causa tenetur vni Missæ sacrificium applicare; possit, si paupertate laborat, aliam stipem,seu eleemosynam accipere, & vnico sacrificio omnibus satisfacere. Sotus 9, *de iust.quæst.*3.*art.*1. *responsione* 1.& 2. Henriquez *lib.*9. *cap.*22.*n.*4. Angelus, Rodrig, & alij apud Bonacinam *tom.*1.*disp.*4.*q. vlt. punct.*7.§.2.*num.*1, respondent affirmatiuè,saltem si stipendia simul sumpta non excedant quantitatem necessariam ad strictam vnius diei sostentationem; quia, inquiunt, tum qui altari seruit, de illo comedere debet: tum quia, vt ipsi asserunt, valor Missæ est infinitus extensiuè. Contrariam tamen sententiam in praxi tenendam puto quam tuentur Suarez *disp* 86 *sect.*2.& 3. Nauarr.*cap.*25. Filliuc.*tom.*1.*tractat.*5. *cap.*6.*num.*188. & cum multis Bonacina *vbi sup.vers. Verum his.* & *punct.*8. *num.*14. Tum quia opposita sententia non modicam ingerit suspicionem sordidæ cupiditatis. Tum quia faciunt contra fidem datam, & contra voluntatem offerentium eleemosynam, qui si cognoscerent totum Missæ valorem non sibi applicari,non offerent illi eleemosynam. Tum quia,vt diximus *sup dub.*7. valor Missæ, prout offerenti à Sacerdote applicatur, est valoris finiti. Tum denique quia sicut excessus pretij in contractibus redolet inæqualitatē, & iniustitiam,ita excessus stipendij supra taxam lege, vel consuetudine præscriptam æqualitati, & iustitiæ aduersatur, nisi vltro, sponte,& liberè tradatur,vt benè Suar.*tom.*3. *disp.*86.*sect.*2.*colum.*3.*vers. Dico quartò*, vbi asserit, hanc esse communem Doctorum sententiam. Igitur prior sententia, vt falsissima, vt ait Villalobos *p.*1. *tractat* 8. *diff* 16. *num.* 1.*vers. Esta opinion*,& tanquam maximè præiudicialis animabus reiicienda est, nisi fortè Sacerdos extrema laboraret necessitate, quia tunc omnia sunt cōmunia. Etenim,si non negemus eum, qui altari seruit, de illo viuere debere, intelligendum est pro rata,& pro portione obsequij, & ministerij; alioquin Clerico deferenti vrceolos ad altare liceret accipere, quantum ad congruam vnius diei sustentationem necessarium est. Adde, quòd si id liceret Sacerdoti pauperi, etiam liceret diuiti; nam fundamenta oppositæ sententiæ ad vtrosque se extendunt. Quare licitum solùm est accipere tantum stipendij quantum ab Ecclesia per legem, aut consuetudinem præscriptum fuerit. Aliæ rationes ex dictis solutæ manent. Vide Nauarr.*conf.*8.*de celebr. Missar.* vbi addit, sacrificantem posse partem sacrificij sibi debitam applicare iis, pro quibus teneretur; sed quia nescitur, quanta sit, addit, arbitrare partem trium Missarum posse supplere vni,quæ dicenda esset, & applicanda tota vni, quod seruare poterunt ij, qui cùm receperint multa stipendia,non possunt omnibus satisfacere, vt ait Filliucius *tom.*1. *tract.*5.*cap.*6.*num.*181.

6 Sed dices, licitum est sequi opinionem probabilem, & consequenter licebit sequi priorem sententiam, cùm non sit improbabilis, eo quòd habeat pro se rationes, & Doctores. Respondeo primò intelligendum, quoties non est periculum faciendi iniuriam alteri, seu quoties aliter non postulat prudentia, vel iustitia, vel charitas; in hoc autem casu periculum est iniustitiæ, & iniuriæ proximi tradentis eleemosynam, cùm eam tradiderit, vt sibi omni meliori modo consuleret. Bonacina cum aliis *sup. num.*1.*vers. Respondeo iuxta.*

7 Hinc sequitur peccare, & non esse tutos in conscientia eos, qui plures à pluribus colligunt stipes, illisque vniquo sacrificio satisfacere arbitrantur, tenerique sub mortali ad restitutionem Missarū non celebratarum. A fortiori peccat, qui accepta eleemosyna pro Missæ celebratione,non applicat sacrificium,sed tantum modo Collectam, & orationes, nisi Sacerdos manifester offerenti eleemosynam, se iam teneri valorem Missæ alteri applicare, & tantùm posse pro eo Collectam recitaturum,vel in memento specialiter rogaturum; volenti enim, & scienti nulla fit iniuria.Suarez *vbi sup*, Posseuin. *cap.*2.*n.*25. & cum aliis Bonacina *sup. n.*2.3. & 4. modò tamen, vt benè Posseuinus, ille qui nouam offert eleemosynam, non teneatur ex legato, aut alia obligatione ad Missæ celebrationem; hæres namque tenetur voluntatem testatoris adimplere.

8 Quinta difficultas, an qui non accepit stipendium iustum, & taxatum,sed tantùm exiguum pro vna Missa,vel pluribus,v.g.vnum regalem, teneatur pro vno regali Missam celebrare, & illam totam pro dante applicare, vel possit numerum Missarum minuere ad ratam eleemosynæ taxatæ, vel aliam eleemosynam

mosynam accipere, donec perueniat ad eam, quæ taxata est, sicque eandem, vel easdem Missas omnibus applicat. Azor 3. *part. lib.* 12. *cap.* 8. *quæst.* 3. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 4. affirmatiuè respondent, quia constat, iustum stipendium deberi Sacerdoti, ideoque posse Sacerdotem à diuersis tot parua stipendia exigere quæ respondent debitæ eleemosynæ, & vno sacrificio omnibus satisfacere, aut posse minuere numerum Missarum. Oppositum tamen mihi videtur dicendum, si Sacerdos contentus fuit illo exiguo stipendio, & expresse promisit Missam, vel tot Missas celebraturum, vt benè docent Suar. *disput.* 86. *sect.* 4. Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 1. *quæst.* 41. *art.* 13. *concl.* 1. Posseuinus *c.* 2. *num.* 23. *&* 24. & cum Fraxinello, Henriquez, Maldon. Coninch, Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. §. 2. *n.* 8. *vers. Sed mihi.* Ratio est, quia cum promiserit valorem Missæ, & non eius partem, tenetur conuentioni, & promissis stare, aliter defraudaretur, ille vel illa anima, pro qua offertur Missa. Quòd si nihil promisit sed tacuit, Corduba, Nuñus, Fraxinellos, & alij stant in priori sententia. Censeo tamen teneri totum valorem Missæ applicare, nec posse numerum Missarum minuere quia communiter (nisi aliud expresserit) mens tradentis eleemosynam est, vt totus Missæ valor applicetur, consequenter ad id tenetur Sacerdos, nec potest numerum Missarum diminuere; & sibi imputet accepisse exiguum stipendium, quo accepto censetur iuri suo cessisse. Et confirmatur, quia qui tenuem acceptauit Capellaniam quotidianam, tenetur ad onera illius, donec numerus Missarum reducatur à legitimo superiore, vt benè Azor 3. *part. lib.* 12. *cap.* 6. *quæst.* 4. Henriq *lib.* 9. *cap. vltim.* & alij; ergo similiter qui promisit Sacrum exigua stipe contentus, tenetur totum Missæ valorem applicare vsque ad numerum petitum. Ita Idem Henriquez *sup. cap.* 22. *numer.* 5. Coninch. *quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 10. *num.* 193. Suarez *disp.* 86. *sect.* 4. & cum iis, & aliis Bonacina *supr. vers. Ego verò.* aliter enim quisque propria authoritate posset numerum Missarum reducere, quod nullo modo admittendum est. Nihilominus tamen probabile est posito etiam pacto, posse talem Sacerdotem supradictam reductionem, & applicationem facere, vt docet Suarez *sup.* quia coactus necessitate, cum tali pacto acceptauit stipendium minus; sicut potest famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, damnum suum resarcire; hanc tamen sententiam non admittit Diana *part.* 1. *tr.* 14. *resol* 7. quia, inquit, oppositum est declaratum à sacra Congratione, qua stante, illi standum erit, si authenticè, & iuridicè constat.

9 Obiter nota, stando in iure communi, & iuxta decretum Trident. *sess.* 25. *capit.* 4. *de reformat.* posse Ordinarium, etiam extra Synodum (etsi probabilius sit in Synodo id facere) numerum Missarum non celebratarum ad minorem summa, reducere ex causa, vt docent Nauarr. *cap.* 25. *num.* 138. & cum aliis Henriquez *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 6. quia, vt docet Nauarr. Tridentinum quoad Episcopos non constituit ius nouum, eo quòd aliàs de iure communi hanc facere possunt reductionem: sicque fuit in Synodo Valentina *Anno* 1631. concordatum, & ad praxim reductum. Quod procedit (imò & practicatur) in Missis relictis non solùm ante, sed post Tridentinum; quia Concilium absolutè loquitur, & ita tenent Riccius *in praxi decis.* 406. Posseuinus *cap.* 2 *quæst.* 9. *num* 25. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 89. *num.* 5. & Gratian. *de Benef. part.* 7. *cap.* 1. *n.* 132. Nec obstant declarationes Cardinalium relatæ à Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. §. 2. *n.* 10. *&* 11. vbi tuetur oppositam sententiam, & Barbosa *dict. n.* 5. & Diana *part.* 1. *tract.* 14. *resol.* 2. *de celebr. Missar.* quia nobis non constant iuridicè, nec habent solemnitates requisitas, vt iuridicæ, & authenticæ sint, modo quo dixi in expositione Bullæ *dub. vlt. procemiali in fine.* Potest etiam Episcopus non solum Missas, sed & anniuersaria ad minorem summam reducere, vt docent Quaranta *in sum. Bull. verb. Missa. pag. mihi* 303 Barbosa *sup. n.* 4. & cum aliis Diana *loco cit. resol.* 5. qui referunt, ita à sacra Congregatione declaratum. Ratio est, quia vt dictum est, Concilium Tridentinum indistinctè loquitur, militatque eadem in omnibus ratio. Probabile etiam est & tutum, posse Episcopum reducere Missas perpetuas, non solùm testamentarij, seu ex dispositione defunctorum relictas, sed etiam in fundatione alicuius Beneficij, seu Capellaniæ collatiuæ, vt tenent Henriquez *vbi sup.* Miranda *in Man. Prælat. tom.* 1. *q* 41. *art.* 14. & Ledesma *in sum. cap.* 18. *de Euchar. post concl.* 16. etsi contrarium sentiant Barbos *sup. n.* 10. Garcia, & Diana *sup. resol.* 1. Ratio est, quia Concilium simpliciter, & absolutè videtur concessisse Episcopis facultatem reducendi Missas; & cùm eadem ratio militet in iis Missis, ac in aliis militabit etiam eadem iuris dispositio. Iuxta quam doctrinam Dominus meus Doctor Ioannes à Ribera Archiepiscopus Valentinus, & Patriarcha Antiochenus, *Anno* 1582. in Parochiali Sancti Stephani reduxit Missas perpetuas, non solùm ex dispositione defunctorum relictas, sed etiam in fundatione Beneficiorum appositas, quæ celebratæ non fuerunt ex negligentia Beneficiatorum præteritorum, & incuria Ecclesiarum, propter quam celebratio earum spectabat ad Ecclesias parochiales, & non extabant pecuniæ ad earum celebrationem, ideoque has Missas, & alias perpetuas reduxit ad anniuersaria quædam perpetuò celebranda: & multoties, dum fœlicissimè vixit, in Synodis Missarum reductiones absolutè concessit.

10 Dixi, *de iure communi*, nam anno 1625. die vigesimo primo Iulij, iussu Vrbani Octaui, à sacra Congregatione emanauit quoddam decretum, quod ego vidi, & refertur à Diana *vbi supra, resolutione prima.* & ab aliis, in quo prohibetur fieri reductio Missarum ab Episcopis, tam in Synodo, quàm extra, & à Generalibus Religionum, absque Romani Pontificis licentia; nam in hoc casu, si de tali decreto constat authenticè, sitque acceptatum, vsuque receptum, certum est, neque ab Ordinariis, neque à Regularium superioribus posse fieri Missarum reductiones absque Pontificis licentia, cùm id expresse ipsis in dicto decreto prohibeatur. Quare stante dicto decreto non possunt Religiosi dispensare, vt vnica Missa cum multis Collectis satisfaciant pluribus Missis, prout ipsis concesserant Iulius Secundus, & Leo Decimus, apud Rodriguez *tomo* 1. *quæstione* 43. *articulo* 13. At quia non constat de eo iuridicè, & authenticè, vt probat quidam Doctor, nec sit vsu receptum in hoc, & in aliis in dicto decreto contentis, nec executioni mandatum, vt visum fuit in dicta Synodo Valentina: ideo eo non obstante, in dicta Synodo decreta, & facta fuit Missarum reductio. Etenim communiter receptum est, legem, constitutionem, motum, proprium aut decretum vsu non receptum, in totum, aut in parte non obligare, pro ea parte, qua non est receptum. Et quidem quantum ad decretum Tridentini citati Garcia 7. *parte de Benefic. capit.* 2. *numero* 136. refert in aliquibus Episcopatibus, vt in Abulensi, non esse vsu receptum, & semper fieri reductiones extra Synodum, non solùm Missarum, Capellaniarum, sed etiam anniuersariorum; & dotationum Ecclesia-

rum. Dictum autem decretum Congregationis non esse in his partibus vsu receptum, maximum argumentum est, quòd in eo multa alia circa acceptationem, & celebrationem Missarum, & Religiosos continentur, quæ non sunt vsu recepta.

11 Dixi, *ex causa*, nam voluntas testatoris non potest absque causa mutari, aut violari. Bonacina *suprà, numer.* 12. & cum multis Barbosa *dict. alleg.* 19. *num* 2. Causæ autem iustæ censentur, si temporis cursu Clericorum, aut Religiosorum numerus est diminutus, aut Ecclesiæ, seu monasterij reditus extenuantur, vel impensæ maiores fiunt. In qua re Ordinarij cautè, & prudenter se gerere debent; ita vt, quàm minimum fieri possit, dispositioni, & voluntati testatorum cedatur. Dixi etiam, *Missas perpetuas*, nam particulares, & votiuæ absque offerentium consensu reduci non possunt, vt docent communiter Doctores, & innuitur *supra hoc dub. num.* 14. & 15. quia conuentione particulari facta, ad eas sic celebrandas Sacerdotes stipem accipientes se obligarunt. Reductio autem, quando est licita, propriè, & directè in celebratione Horarum Canonicarum, & in anniuersaria fieri poterit, vt communiter hic practicatur.

12 Sexta difficultas, vtrum obtinens Capellaniam, de cuius fundatione non constat, sed solum constat, ipsum Capellanum teneri quotidie celebrare in tali Ecclesia; vel Choro, teneatur Missæ valorem applicare pro fundatore. Respondeo affirmatiuè; nam talis præsumitur testatoris voluntas, qui censetur sibi consulere voluisse omni meliori modo, cum agatur de salute animæ, & communiter Capellaniæ hoc modo instituantur. Etenim quoties dubitatur de voluntate testatoris, præsumendum est, quod vero similius est, & quod ipse interrogatus responderet: quis dubitat dubitat responsurum velle sibi valorem Missæ applicari? Præsumptio namque desumitur ex assuetis, & communiter accidentibus, vt Bonacina *tom.* 1. *disput.* 4 *quæst. vltim. punct.* 7. §. 2. *num.* 13. cum Sanchez *in sum. lib.* 4. c. 1. *n.* 3. & aliis, & cum pro fundatore stet præsumptio, consequenter pro eo stat possessio, vt benè Bonac. *num.* 14. Hoc autem intellige, modò fructus Capellaniæ sufficiant pro quotidiana celebratione; aliter solum tenebitur pro rata fructus. Hinc colligitur teneri Capellanum Missæ sacrificium applicare fundatori, nisi clare constet, testatorem in institutione Capellaniæ respexisse solum Ecclesiæ, vel altaris cultum, & venerationem, ita cum Fraxinel, Bonacina *loco cit.* Colligitur secundò teneri Sacerdotem, Missæ valorem applicare iuxta intentionem illius, qui tradidit eleemosynam, & simpliciter petiit Missam pro se, vel pro defunctis, vel pro alia necessitate, quia petens simpliciter Missam censetur petere id, quod solet applicari offerenti eleemosynam (nisi illud exprimat) vt communiter practicatur. Ita cum multis Bonacina *sup. num.* 15. Quare, qui accepit eleemosynam ad celebrandum Missam pro defuncto, & aliam eleemosynam ab alio, non satisfacit applicando fructus satisfactionis defuncto, reliquos verò fructus alteri, nam vt patet ex dictis, petens Missam censetur petere omnes fructus, qui illi competere possunt. Bonac. *vbi sup.* Colligitur tertiò, eum qui semel in hebdomada potest titulo honestatis à celebratione Missæ abstinere, non posse alibi, aut pro alio, celebrare, aut abstinere à celebratione oblectationis, aut itineris causa, vt latè probat Bon *sup. n.* 16. quia à diuersis non fit illatio, consequenter cessatio concessa vno die causa honestatis, non est extendenda ad alias causas.

13 Septima difficultas, an Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, si frequentem Missæ celebrationem velit semel in hebdomada titulo honestatis, aut alia iusta de causa intermittere, teneatur per alium eo die supplere. Respondeo teneri, si in fundatione Capellaniæ non fuit electa persona, sed solùm fuit habita ratio loci, aut Missæ celebrandæ, quod contingit, si dicatur in fundatione, volo quotidie Missam celebrari in tali altari, vel obligo hæredem, vel Sacerdotem ad prouidendum de Missæ sacrificio; vel si dicatur, Capellanus quotidie celebret per se ipsum, aut prouideat per alium. Si verò electa sit persona, vt si dicatur, eligatur Sacerdos, qui quotidie celebret, aut volo, vt Sacerdos electus ad hanc Capellaniam quotidie celebret, non tenetur Capellanus, qui semel in hebdomada iusta de causa Missæ sacrificium intermittit, Missam per alium supplere: nam obligatio Missæ quotidianæ imposita sacerdoti intelligitur, salua decentia, & honestate, alioquin videretur induci obligatio ad rem illicitam. Ita cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q. vltim punct.* 7. *n.* 17. Vide Azor. 1. *p. lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 7. Sotum *lib.* 9. *de iust. q.* 3. *art.* 1. Henriq. *lib.* 9 *cap.* 24. *num.* 4. Suarez *disput.* 86. *sect.* 1. & Diana 1. *p tract.* 14. *resol.* 28. vbi dicit posse causa maioris honestatis vnam Missam in hebdomada omittere, modò non celebret eo die pro alio, & accipiat stipendium.

14 Octaua difficultas, cuinam obligationi satisfaciendum erit, quando Sacerdos duplici obligatione tenetur, nec potest vtrique satisfacere per se, vel per alium. Respondeo priori, quia in huc casu valet illa regula, qui prior est tempore, potior est iure: tum quia sicut priora sponsalia præualent posterioribus, ita prima obligatio præualet posteriori. Azor *loco citat.* Posseuin. *cap.* 2. *num.* 25. *quæsit.* 3. & Bonacin. *vbi sup. n.* 18.

15 Nona difficultas, an qui tribus promisit tres Missas, singulis singulas, satisfaciat, si ter celebrando applicet singulis tertiam partem. Negatiuè respondet Syl *verb. Missa* 1. *q.* 8. quem sequitur Posseuin. *sup. quæst.* 5. Bonacina vero, *loco cit.* §. 3. *n.* 1. existimat satisfacere, quia tantum tradit, quantum promisit, cum valor Missæ sit diuisibilis, & possit pluribus applicari. Addit, & benè, hoc tamen in praxi non consulerem. Vide hoc *dub. diff.* 4. *in fin.*

16 Nona difficultas, an Sacerdos teneatur sacrificare ex iustitia ob stipendium acceptum. Respondeo affirmatiuè; quia interuenit contractus onerosus, do vt des, facio, vt facias, & sicut qui promittit stipendium tenetur soluere, ita Sacerdos qui promittit offerre, & recipit stipendium, tenetur satisfacere. Nec in hoc committitur simonia, vt bene Sotus *de iustitia lib.* 9. *q.* 6. *art* 1. Nauarr. *cap.* 23. *n.* 102. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap* 6. *n* 175. & alij, quia non datur stipendium pro sacrificio, & fructu spirituali, sed pro labore, & occupatione: seu melius, non datur stipendium, vt pretium operis, sed ob sustentationem necessariam & naturali lege ministris debitam. Hinc fit posse Sacerdotes constitutas, & consuetas eleemosynas, aliosque prouentus post celebrationem authoritate legitimi superioris exigere ab iis, qui eos iniuste renuunt soluere. Ita etiam cum multis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q. vlt. punct.* 8. *n.* 2.

17 Decima difficultas est, vtrum Canonici, aut Parochi, alij vè Sacerdotes, qui ex titolo, vel ex conuentione tenentur Missas quotidie celebrare, & pro aliquo offerre, possint nouas eleemosynas accipere pro celebratione Missarum, & omnibus vnica, vel paucioribus Missis satisfacere. Huic dubio ex parte satisfactũ est *dub.* 9. *vers. Adduerte tamen*, & hoc *dub. diff.* 4. & 5. ideo breuiter. Respondeo negatiuè, quia iam receperunt stipendium iustum, & debitum, & ex alio capite defraudant Missas petentes,

tes, & offerentes aliud ioſtum, & adæquatum ſtipendium, com non recipiant integrum fructum Miſſæ, etiamſi Sacerdos moltas Collectas pro illis reciter in Miſſa, quia omnes non æquiualent valori Miſſæ, ideoque tenetur alterum ſtipendium reſtituere, celebrando ſcilicet Miſſam, vel celebrare faciendo per alium, vt benè P. Nauarr. *lib.*5. *cap.*2.*n.*319. *&* 382. & cum aliis Bonac. *tom.*1. *diſput.*4. *q.vltim. punct.* 8. *num.*4. *&* 5. violat enim iuſtitiam commutatiuam, conſequenter tenetur ad reſtitutionem. Limita id primò, niſi offerentibus eleemoſynas conſtet ipſos Sacerdotes habere onus applicandi aliis ſacrificium, vt benè Sotus *lib.*9. *q.*6. *artic.*1. Nauarr. *cap.*25. *num.*92. Suar. *tom.*3. *diſp.*86. *ſect.*3. Henriq. *lib.*9. *cap.*23. *num.*6. & cum aliis Bonacin. *ſup. n.* 3. *verſ. Dixi*, *aut ſi*, quia ſic nullam offerentibus faciunt iniuriam, eum ſcienti, & volenti nulla fiat iniuria, videnturque contenti eo fructu, quem poſſunt percipere, exponuntque ſe voluntariè periculo non recipiendi integrum fructum. Limita ſecundò, niſi hoc faciat ex peculiari ſolius Summi Pontificis priuilegio; nam Pontifex concedere poteſt, vt liceat plures eleemoſynas colligere, & omnibus vna vel paucioribus Miſſis ſatisfacere, qua ratione excuſari poſſunt Religioſi aliqui muniri quibuſdam priuilegiis, qoibus vna Miſſa ſatisfaciunt pluribus. Ratio eſt, tum quia Summus Pontifex habet poteſtatem commutandi voluntatem offerentis ſtipes, ex iuſta cauſa: tum, & melius, quia offerentes eleemoſynam non videntur detrimentum pati, eo quod ſacrificium Miſſæ æquè prodeſt omnibus quoad impetrationem, vt dixi *dub* 7. *num.*9. quoad ſatisfactionem verò ſuppletur per indulgentias; & per theſaurum Eccleſiæ, aut per communicationem bonorum operum illius Monaſterij, ſeu Religionis, quæ fruitur tali priuilegio: tum denique, quia Summus Pontifex poteſt ex iuſta cauſa Miſſas reducere, ergo, & concedere tale priuilegium. Ita Syluest. *verb. Miſſa*, 1. *num.*20. Henriq. *lib.*9. *cap.*12. *num.*3. & cum aliis Bonac. *vbi ſup. verſ. Dixi ſecus.* Filliuc. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*6. *num.*189. etſi Azor 3. *part. lib.*12.*c.*6. *q.*5. oppoſitum ſentire videatur. Dixi, *ſolius Summi Pontificis*, nam alius inferior Prælatus id concedere non poteſt, vt bene Nauarr. *conſ.*8. *de celebrat. Miſſar.*

18 Hoc tamen pro certo habet Parochum (idem de aliis illis) diebus, quibus non tenetur pro ſuis ouibus Miſſæ ſacrificium applicare, poſſe ab aliquo ſtipem accipere; & pro illo offerre, ſacrificium: nam cum nemini tunc faciat iniuriam, non debet eſſe deterioris conditionis cæteris Sacerdotibus. Nauarr, *cap.*23. *num.*101. Suarez *diſput.*86. *ſect.*3. *concluſ.*1. Filliuc. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*6. *num.* 184. & alij apud Bonacin. *ſup. num.*6. Imò non exiſtimo improbabile cum Diana 4. *part. tract.*4. *reſol.* 86. obligatum quotidie pro aliquo celebrare, poſſe pro ſe quater vel ſexies in anno celebrare, taliter enim poteſt interpretari voluntas fundatoris, addit etiam, non teneri in die Natiuitatis tres Miſſas pro illo applicare; nec teneri in die commemorationis defunctorum pro inſtitutione Capellaniæ celebrare, ſed poſſe pro aliquo celebrare, quod vltimum mihi non probatur; nullam enim rationem affert Diana, nec ego illam inuenio. Imò ſibi contrariatur, dum ibidem dicit, in tali die non poſſe Sacerdotem pro aliquo defuncto, ſed pro omnibus celebrare, quod etiam ego non admitto, quoad Miſſas priuatas nam eo die, conſuetudine approbante, plures Miſſæ pro particularibus defunctis, iuxta pietatem fidelium celebrantur; bene verò quoad Miſſam conuentualem, quæ eo die pro omnibus defunctis offertur.

19 Vndecima difficultas, vtrùm habens pingue patrimonium, aut Beneficium, poſſit pro Miſſarum celebratione eleemoſynam accipere. Reſpondeo affirmatiuè, ita Suarez *d. ſect.*3. Sotus *lib.* 9. *quaſt.*6. *art.*1. Bonac. *vbi ſuprà num.* 7. & communiter DD. quia cum altari ſeruiat, ex illo viuere debet; nec debet eſſe deterioris conditionis cæteris: & ſicut miles, qui aliunde habet, non tenetur gratis militare, ita neque Sacerdos diues tenetur Miſſam, ſine eleemoſyna applicare. Ex quo fit, nec teneri ex iuſtitia illud ſtipendium dare pauperibus, quia illius eſt dominus. Filliuc. *tom.*1. *tract.* 5. *cap.*6. *num.*183. ex charitate tamen poſſunt obligari, ſi fortè ſuperfluum ſit congruæ ſuſtentationi. Filliuc. *tom.*1. *tract.*5. *c.*6. *n.*185.

D V B. XII.

Quodnam ſit iuſtum Miſſæ ſtipendium.

1 SVppono primò, tanquam certiſſimum iuſtum Miſſæ ſtipendium non eſſe taxandum, habita ratione congruæ ſuſtentationis Sacerdotis, ita vt illud dicatur iuſtum, quod ſufficiat integrè ad ſuſtētandum Sacerdotem, illius famulum, aut famulam. Ita Cord. *lib.*99. *q.*4. *dub.*5. & cum Medin. Nauarr. & aliis tenet Suar. 3. *tom. in* 3. *part. q.* 86. *ſect.*2. & Villalob. *p.*1.*tract.*8.*differ.*15 *n.*1. quid quid Aragon. 2.2. *q.*85. *art.*3. Ratio fundamentalis eſt conſuetudo Eccleſiæ, quia non ſolent illius Prælati taxare Miſſæ ſtipendium iuxta dictam congruam ſuſtentationem: tum quia actio ſacrificandi non exigit diem integrum, & multa alia ſunt opera, in quibus Sacerdos poteſt occupari, vt lucretur, & habeat vnde ſuſtentetur, vt funera, confeſſiones, cantus, &c. Ex quo fit, eum, qui petit pro ſe celebrari, non teneri ex iuſtitia integrè alere celebrantem; aliter poſſet Sacerdos id ex iuſtitia petere. Fit etiam ratione vnius Miſſæ non poſſe ſumi niſi vnum, & adæquatum ſtipendium, vt ſæpè dictum eſt *dub. ſup.* Vide Filliuc. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*6. *num.*180. *&* 181.

2 Suppone obligationem celebrandi oriri poſſe ex titulo Eccleſiaſtico, vt ratione Beneficij, ſeu Capellaniæ: vel ex ſtipendio voluntariè dato à fidelibus priuatis.

3 Dico primò, quando obligatio celebrandi oritur ex titulo Eccleſiaſtico, illud cenſetur iuſtum, quod tali Beneficio annexum eſt, vel eam ob cauſam relictum eſt Eccleſiæ, vel Capellæ, vel Beneficiario, ſeu Capellano, quantumuis maximum illud ſit. Fundamentum eſt voluntas teſtatoris, cui liberum erat pinguiores vel tenuiores redditus aſſignare, nam totum id ſubit rationem ſtipendij iuſti. Quod ſi ſtipendium hoc eſſet ita tenue; vt non attingeret mediocre, vel minimum ſtipendium pro eo loco ſufficiens, tunc pertinet ad Epiſcopum minuere etiam onus, & reducere Miſſas ad minorem numerum, iuxta proportionem ſtipendij moderati, vt docent Suarez *diſp.*86. *ſect.*2. Villalobos *p.*1. *tract.*8. *diff.*15. *num.*3. & Filliuc. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*6. *num.*177.

4 Dico ſecundò, quando obligatio oritur ex ſtipendio voluntariè à fidelibus oblato, illud eſt iuſtum, quod à ſuperiore taxatum eſt, vt docet communis DD. Ratio eſt, nam etſi ſtipendium, non ſit verè pretium, ſeruat tamen pretij proportionem; quatenus in eo etiam ſeruanda eſt ratio iuſtitiæ; ergo ſi in temporalibus iuſtum pretium eſt illud, quod authoritate Principis eſt taxatum, ita etiam illa eſt iuſta eleemoſyna, & iuſtum Miſſæ ſtipendium quod ab Epiſcopo erit præſcriptum. Poteſt ergo legem condere, vt tantum ſtipendium tradatur, ita vt laici non debent minus, nec Sacerdotes maius exigant

imò expedit hæc facere ad euitanda scandala, quæ facilè possunt oriri in exigẽdis stipendiis. Non tamẽ per hoc prohibatur, quominus fideles possint dare maius, & Sacerdotes recipere minus si velint, sed tantum, vt non possint fideles dare minus, nec Sacerdotes exigere maius ex iustitia sicque intelligendus Sotus *lib. 9. de iust. q. 6. art. 1. ad* 2. Nauarr. *c.* 23. *n* 106. vt docet Filliuc. *tom. 1. tract. 5. cap. 6. n.* 278. vide Bonacin. *tom. 1. disput. 4. q. vlt. punct. 8. num.* 8. & Villalob. *part. 1. tract. 8. differ.* 55. *num.* 4. vbi in fine ait, & benè, non posse Episcopum præcipere, vt non celebretur minori stipendio à se taxato, nam quilibet sicut potest dare quod suum est, aut gratis celebrare, ita remittere, aut minus celebrare. Aliter enim vt cum aliis docet Bonacin. *sup. num.* 10. occluderetur via liberalitati, charitati, & pietati, cum Sacerdotes exercere possint in remittendis eleemosynis sibi debitis. Suarez *disput.* 86. *sect.* 2. & ita cum Villalobos sentit Diana 1. *p. tract.* 14. *resol.* 13. ex his apertè colligitur, peccare illum, qui supra taxam aliquid accipit, nisi fortè excusetur ratione laboris extraordinarij, aut si liberaliter omnino donatum.

5 Dico tertiò, si stipendium non fuerit taxatum, illud erit iustum, quod communiter receptum est, seu solet dari à viris timoratis, ita Suar. *dict. sect.* 2. DD. citati, & alij communiter. Ratio est, quia seclusa lege, sicut consuetudo indicat iustum pretium, ita iustum stipendium, quod habet proportionem cum pretio. Ex quo fit, in hoc casu institutum stipendium non consistere in indiuisibili, sed sicut in aliis rebus, distingui poterit infimum, medium, & summum. Non tamen debet Sacerdos summum, & rigorosum exigere, contendendo cum fidelibus more sæcularium negotiorum, sed contentus esse mediocribus pretiis. Quod si mediocre acceperit, pacto inito, deinde non potest suo arbitrio reducere ad rigorosum, minuendo Missarum numerum, & augendo stipendia, esset enim contra voluntatem rationabilem dantis, ideoque contra iustitiam, vt benè Suarez *suprà*, & cum eo Filliocius *loco citato num.* 179.

6 Ex dictis, sequitur, peccare mortaliter (posita materia notabili) contra iustitiam, consequenter teneri ad restitutionem Sacerdotem, qui pro Missa celebranda accipit stipem, aut eleemosynam supra taxam ab Episcopo præscriptam, aut legitima consuetudine receptam; facit enim contra iustitiam augendo pretium iustum. Suarez *disput.* 86. *sect.* 2 & cum multis Bonacin. *tom. 1. disput. 4. q. vlt punct. 8. n.* 11. limita, nisi ille excessus sit omnino gratis, & liberaliter datus, hinc fit eos, qui se offerunt plus danti, deserentes priorem Ecclesiam, mulctari, & puniri debere, vt bene Azor *part. 1. lib. 10. cap. 14. q.* 9. quia pariunt scandalum, & sapit sordidam lucri cupiditatem.

7 Quæres tamen primò, vtrum Sacerdos satisfaciat duplici obligationi, accepta à duobus stipe, si vnus eorum tradidit eleemosynam pro Missa ad rem aliquam impetrandam, & alter dedit stipem pro Missa in satisfactionem, v. g. pro mortuo, & Sacerdos intendit, primo applicare sacrificium, vt impetratorium, secundo verò, vt satisfactorium. Respondeo negatiuè, nisi dantes stipem in id consentiant. Ita Nauarr. *consil. 8. de celebrat. Missar.* Sà *verbo Missa, num.* 4. & cum aliis Bonacin. *suprà n.* 15. tum quia excedit taxam, tum, quia defraudant tradentes eleemosynam, cum petens Missam non solùm censeatur petere partem fructus, & valoris, sed integrum illius fructum, qui offerentibus stipem applicari consueuit.

8 Quæres secundò, vtrum Sacerdos possit valorem, qui sibi specialiter debetur, applicare tradenti eleemosynam, sicque pro eadem Missa duas eleemosynas accipere, vnam quatenus applicat valorem medium, alteram quatenus valorem, qui sibi debetur. Affirmant Nauarr. *cap. 25. num.* 91. Miranda *in Manuali Prælator. q. 41. art. 4. conclus.* 1. Henriquez *lib. 9. cap 21. num. 7. litt. O.* & aliqui apud Bonacin. *tom. 1. disp. 4. q. vltim. punct. 8 num.* 16. existimant enim ij DD. valorem Sacerdoti correspondẽtem, posse eum alteri applicare. Negat tamen Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 79. sect. 9. ad fin. & disput. 86. sect. 1. vers. Sed quæres tandem.* Rodriquez 1. *part. cap.* 250. *num* 2. & Bonacin. *tom. 1. disp. 4. quæst. vlt. punct. 8. num.* 16 Fundatur, tum quia, vt asserunt, valor specialis Sacerdoti correspondens non potest alteri applicari, sicut nec valor, qui Ecclesiæ debetur, eo quòd effectus ex opere operato, sit Beneficium proprium, & personale. Tum quia ignoratur, an valor specialis respondens Sacerdoti, sit æqualis valori medio correspondenti eleemosynam tradenti. Tũ, quia cum Sacerdos non certò sciat, se esse in gratia, seque capacem esse fructuum sacrificij, non potest valorem sacrificij alteri certò applicare, qui certam tradidit eleemosynam, & certum petiit valorem: hanc posteriorem sententiam existimo probabiliorem, & sequendam; non tamen prior tanquam improbabilis est reiicienda, quia non constat, valorem specialem esse inapplicabilem, & dato, quòd hic applicabilis sit, videtur prodesse posse alteri, capaci tamen quamuis Sacerdos non sciat se esse in gratia, cum valor hic non pendeat ex opere operantis Sacerdotis, sed potius ex opere operato ipsius sacrificij: quo in casu nullam vlli facit iniuriam, quia valor correspondens Sacerdoti, est eiusdem rationis, & æqualitatis cum valore medio qui competit illi, pro quo offertur, propter stipendium sacrificij Missæ, vt docet Henriquez *loco cit.* Quam sententiam non reputat improbabilem Diana 1. *p. tr.* 4. *resol.* 14. secluso decreto Congregationis sub Vrbano VIII. emanato *de celebr. Missar.* in quo dicitur Sacerdotes, qui ratione Capellaniæ, aut salarij tenentur celebrare, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere: ob idque idem Diana *sup. resol.* 80. existimat priorem opinionem non esse tenendam, cui libenter consentio, vbi supradictum Decretum receptum est, aliter censeo priorem opinionem relinqui posse in sua probabilitate.

9 Quæres tertiò, an Sacerdos, qui ratione Capellaniæ tenetur celebrare quotidie, si non potuit per aliquod tempus propter infirmitatem celebrare, teneatur per alium supplere ad ratam temporis Sylo. *verbo Missa*, 1. *quæst. 7. num. 7. ad fin.* Azor 1. *part. lib. 10. cap. 14 quæst.* 3. Henriquez *lib 9 cap. 24. num.* 4. & alij apud Bonacina *tom. 1. disputat 4. quæst. vltim. punct. 8. numer.* 17. respondent affirmatiuè, dicentes, voluntatem fundatoris esse adamussim adimplendam. Petr. verò Nauarr. *lib. 2. numer. 226. &* 227 *pag. mihi* 192. tenet, eum posse excusari per spatium vnius, aut duorum mensium: quam opinionem, vt nimis laxam limitat Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 14. *num.* 31. & Genuen. *in praxi Archiepiscop cap* 42. *num.* 2. ad octo, aut decem dies Bonacin. autem *vbi sup. vers. Sed mihi.* moderatur vsque ad quindecim; quam moderationem tanquam æquitati consonam amplector, sicut, & Dian. 1. *part. tract.* 14. *resol.* 28. Fundamentum est, quia rationabiliter talis potest interpretari voluntas fundatoris: non enim credibile videtur; voluisse testatorem tam strictè Sacerdotem pro modico infirmitatis tempore obligare;

obligate: & roboratur, quia vt desumit glos. *ex leg. arboribus §. de illa ff de vsufruct.* salarium non est denegandum famulo, qui exiguo tempore ægrotauit, ergo neque Missæ stipendium est denegandum Sacerdoti ægrotanti pro exiguo tempore quindecim dierum, alioquin esset peioris conditionis famulo ægrotanti. Limita tamen primò, nisi expresse in fundatione habeatur, vt Sacerdos incidens in infirmitatem suppleat per alium: aut si non sit electa persona, sed tantùm sit habita ratio Missæ celebrandæ, vt si dicatur in fundatione Capellaniæ: volo quotidie Missam celebrari in altari tali, aut obligo Sacerdotem ad prouidendum Missam per se, vel per alium, vt patet à simili ex dictis *dub. anteced. diff. 7.* & docent Riccius *in praxi fori Eccles. decis.* 403. *n.* 6. & cum aliis Bonacin. *sup. num.* 17. *vers. Hoc tamen*, Limita secundò, vt solum procedat, quando ob infirmitatem, non vero ob aliam causam celebrare non potest, aliter enim non censetur consentire fundator, cùm cederet in magnum illius præiudicium. Bonacin. *sup. vers. Secundò hoc.* Limita tertiò, nisi aliud per aliquod decretum, vel consuetudinem legitimè introductum sit, tunc enim his standum erit, vt de se patet. Bonacin. *vbi sup. vers. Dixi in responsione.* Aduerte tamen, seclusis dictis limitationibus, non videri improbabile, dictam indulgentiam posse extendi ad vnum mensem, prout eam cum Hurtado, & Mercero extendit Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.* 232. nam respectu totius anni, mensis vnus non videtur pars valde excessiua: ex quo concludi potest, Sacerdotem qui modico temporis spatio, v. g. quindecim dierum, & ad summum vnius mensis infirmitate laborauit, posse sibi integram eleemosynam retinere, nec teneri per alium celebrare modo explicato.

20 Quæres quartò, an Capellanus, qui plures acceperit Missas, possit eas dare alteri ad celebrandum minori stipendio, quam acceperit. Non loquimur de Beneficiario seu Capellano, qui ratione Beneficij, vel Capellaniæ tenetur Missas celebrare, nam hunc, certum est, posse eas facere celebrare minori stipendio, illo quod sibi correspondet ex fructibus Beneficij, modò det stipendium, quod à lege, vel consuetudine est approbatum, nisi alias omnino libere, & gratis alius Sacerdos minori pretio vellet celebrare. Igitur Beneficiarius, qui ex Beneficio recipit fructus valentes centum aureos cum obligatione celebrandi centum Missas, quibus singulis correspondet vnus aureus, potest illas facere celebrare stipendio ordinario, nam sic satisfacit voluntati testatoris, & illud maius stipendium correspondet Capellano ratione Capellaniæ, & oneris illius. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 86. *sect.* 3. *in fin.* Henriquez *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 7. Possevinus *cap.* 1. *num.* 18. Ledesma *de Eucharistia cap.* 18. *concl.* 13. *versic. A esta razon.* Villalobos *part.* 1. *tract.* 8. *differ.* 17. *num.* 5. & DD. communiter.

21 Difficultas ergo procedit de Capellano non Beneficiario, sed de illo, qui à fidelibus plures Missas colligit ad celebrandum, an scilicet possit eas facere celebrare minori stipendio, quàm acceperit, Ledesma *vbi suprà*, quem sequitur Villalobos *sup. num.* 5. absolutè negat, consequenter tenet eum, qui accepit librum valentem viginti dragmas pro quinque Missis, teneri dare librum alteri Sacerdoti celebranti, vel viginti dragmas, poterit tamen Parochus, aut alius (vt asserunt ij DD.) modicam quantitatem accipere pro labore colligendi & recuperandi pecunias, vel eas aliò transportandi. Suarez vero *sect.* 3. *citat.* absolutè affirmat, siue colligens Missas sit Parochus, siue non, siue Sacrista, siue non, ait enim, hunc posse inscijs dantibus, & Sacerdotibus, facere eas celebrare minori stipendio quàm acceperit, modò Sacerdotibus celebrantibus tantam tradat eleemosynam, quantam fert communis taxa, quia sic non facit iniuriam danti, cum tot celebrentur Missæ, quot petierit; nec accipienti, cum ei ordinaria eleemosyna tribuatur. Idem cum Nauar. Soto, & aliis tenet Bonacin. *sup. num.* 18. idque probabilius putat Diana 1. *part. tract.* 14. *resol.* 10. cum Vasquez, & aliis; modò tamen accipiens illas eleemosynas factus sit dominus pecuniæ, sibi traditæ, vnde, ait, Sacrista, vel alius, qui stipes colligit, vt per alios faciat celebrari, non potest sibi partem retinere, nisi hoc ei lege aliqua, vel consuetudine permittatur. Ita etiam Barbos. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 24. *num.* 11. & Possevinus *cap.* 5. *num.* 19. qui & bene, consulit esse ab iis abstinendum, quia sapit negotiationem, & sorditatem: ex his opinionibus probabiliorem, & tutiorem iudico priorem, non propter rationem Bonacinæ; nam omnes colligentes has Missas fiunt domini stipendij accepti, quia possunt illud expendere, & si periit, etiam absque culpa ipsorum periit: sed quia hoc sapit turpe lucrum: nihilominus tamen posterior sententia non est improbabilis, nec temere damnanda, iuxta quam dici posset, accipientem librum valentem viginti drachmas, pro quinque Missis, satisfacere dando eleemosynam ordinariam pro quinque Missis; ego tamen non id consulerem; præsertim stante decreto sacræ Congregationis, id prohibente, vt refert Diana *loco citat.* quod quidem Decretum, vt bene Diana *resol.* 11. non extenditur ad Capellanum, cui pro paucis Missis pingue stipendium respondet ratione Capellaniæ, aut Beneficij, vt *d. cap. num.* 10. Nec illum, qui ratione amicitiæ ab amico, vel coniuncto duplicatum stipendium accipit, idem *resolut* 12. Potest etiam retinere Sacerdos excessum, si alter per quem consueto stipendio facit Missam celebrare, illam scienter, & libere remittat, quod est certissimum cum Diana *suprà resol.* 13. nam totum stipendium potest retinere, si alter gratis voluerit celebrare.

22 Quæres quintò, an peccet Sacerdos, qui accepta stipe notabiliter differt celebrationem Missarum. Respondeo affirmatiuè, ita Sylvest. *Missa* 1. *quæst.* 10. Ledesm. *cap.* 18. *de Eucharist. conc.* 17. Villalobos *part.* 1. *tract.* 8. *differ.* 18. & cum aliis Bonacin. *tom.* 5. *disput.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. §. 5. *num.* 1. Ratio est, quia si Missa offerenda erat pro defuncto, fieri potest, vt iam sit in cœlo purgata, ideoque ea non indigeret, tempore quo celebratur. Item, si celebranda erat pro infirmo, aut alia necessitate, fieri etiam potest, vt celebretur tempore, quo ea opus non sit, quia scilicet infirmus iam obierat, quo in casu existimat Bonacina, præter peccatum quod commisit, teneri ad restitutionem stipendij accepti, quia quamuis tunc prodesse possit quoad satisfactionem, non vero quoad impetrationem, quam intendit is, qui tradidit eleemosynam: at non videtur, ita rigorosè in praxi acceptum. Tempus autem per quod acceptari possint Missæ, relinquitur prudentia arbitrio: vnde existimo cum Ledesma, & Villalobos *suprà*, posse Sacerdotem acceptare quinquaginta, aut sexaginta Missas, & non amplius, nisi adsit scientia, & consensus eas petentium. Quando peccent testamentorum executores differentes eorum executionem, dixi in expositione Bullæ *lib.* 4. *dub.* 8. *à num.* 3.

D v b. XIII.

Qua hora sit celebranda Missa.

1 Dico primò, regulariter loquendo Missam dici non posse ante auroram, & tempus legitimum ad illam incipiendam esse auroram. Ita Sanct. Thom. *3. part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 4. *& in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. & cum eo communis DD. apud Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 80. *sect.* 4. & Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 1. per auroram intelligunt initium crepusculi diei, seu primam lucis irradiationem, quod plus, minus est prius ortu solis per horam cum dimidia. Ante horam ergo cum dimidia ortus solis non licet celebrare, tum primò, quia ante tale tempus, communiter homines non sunt dispositi ad talem actionem: tum secundò, quia in Missa offertur Christus, qui est candor lucis æternæ: tum denique quia ita habet vsus Ecclesiæ. Potest autem Missa inchoari per horam, & dimidiam ante ortum solis, seu per dimidiam ante crepusculum, ita vt finis Missæ sit sub initium crepusculi plus, minusve, vt tenet Suarez *vbi suprà*, Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 111. ego ipse in expositione Bullæ *lib.* 2. *§.* 5. *dub.* 3. *num.* 3. & pluribus allegatis Barbosa *lib.* 2. *de iure vniuerso*, *cap.* 11. *num.* 25. & comprobat communis vsus fidelium: addit Diana 1. *part. tract.* 14. *resol.* 34. ex Rodriguez *in sum. p.* 4. *cap.* 47. *num.* 1. Fernandez, Victoria, Palud. & Pitigiano posse incipi Missam per duas horas ante Solis radios manifestos, quod non reputo improbabile propter tantorum DD. authoritatem. Nec obstat *cap. nocte sancta de consecrat. distinct.* 1. vbi dicitur, non esse Missas celebrandas ante horam tertiam diei, quia vel loquitur de Missa solemni, seu conuentuali; vel, & melius, dici potest, esse consuetudine abrogatum.

2 Dixi, *regulariter*, nam in his casibus licet ante auroram celebrare. Primus, in nocte Natiuitatis, & quidem primam Missam ea nocte dici posse omnes fatentur; quoad alias duas variant Doctores; nam Syluest. *Missa* 1. *quæst.* 8. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 87. Villalobos *part.* 1. *tract.* 8. *difficult.* 22. *num.* 3. & alij apud Bonacinam *vbi supra num.* 5. existimant, tunc solum primam Missam dici posse, eo quod in ea solum dicatur, *Communicantes*, *& noctem sacratissimam*, *&c.* Suarez verò *disput.* 80. *sect.* 4. Coninch *quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 4. & alij apud Dianam 1. *part. tract.* 14. *reso.* 35. vbi hanc opinionem existimat probabiliorem, tenent omnes tres Missas dici posse ante auroram. In hac ergo veritate consuetudini standum censeo, cum Bonacina, & Filliuc. *vbi suprà*, vbi ergo id in more positum est, licebit; aliter non. In nostro autem Archiepiscopatu consuetudine introductum est, vt omnes tres noctu celebrari possint, sicque practicatur à viris doctis, & timoratis. Secundus erat in nocte Resurrectionis, secundùm vsum antiquum, sed hic iam cessauit, ideo hic casus non est in vsu, & Missa translata est ad vigiliam. Tertius est necessitas, sic celebrari poterit ante auroram: primò, si Sacerdos sit iter facturus: secundò, vt operarij ad laborem profecturi Missam audiant: tertiò, ad communicandum infirmum morti proximum, quæ quidem licent sine licentia Episcopi, si absens sit; communiter autem non aditur Episcopus. Ita Ledesma *cap.* 19. *de Eucharistia*, *conclus.* 8. *&* 9. non tamen hæc licent media nocte, vt cum aliis Posseuinus *cap.* 8. *num.* 28. & Bonacina *suprà num* 5. ego autem limitarem ad tempus, quod magis accedit ad auroram, quam ad mediam noctem, maximè si infirmus communicandus sit. Quartus est priuilegium, hoc autem priuilegium Solus Papa, qui est supra ius commune positiuum, concedere potest. Episcopus verò solùm potest circa hanc materiam in hoc, vel illo casu dispensare, quod ei competit, vt ait Suarez, & Ledesma citati, vel iure ordinario, eo quòd non sit specialiter reseruatum, aut quia res leuis videtur. Ita etiam Villalobos *vbi suprà num.* 8. vbi, & consequenter tenet, posse Episcopum in hoc secum dispensare. Idemque dicit de Prælatis habentibus quasi Episcopalem authoritatem.

3 Dico secundò, tempus legitimum celebrandi Missas est ab aurora, modo explicato, vsque ad meridiem, post meridiem communiter non licet celebrare licet autem incipere Missam ante meridiem, etiamsi post meridiem finiatur. Ita Suarez *disp* 80. *sect.* 4. & communiter DD. & quidem quòd sit tempus legitimum ante meridiem, patet ex Rubricis Missalis in quibus id habetur: & ex Trident. *sess.* 22. *cap. de obseruandis in ritu huius sacrificij.* vbi præcipitur, vt Sacerdotes statutis horis celebrent, & denique vsus ipse testatur. Quòd autem præceptum etiam sit, probatur ex consuetudine, quæ vim legis habet, & ex scandalo, quod ex contrario facto sumunt, & ex priuilegiis dicendi Missam vna hora, vel duabus post meridiem. Quare quod dicit Nauarr. *cap.* 25. *num.* 81. posse etiam vsque ad nonam, quæ tres horas durat post meridiem, quia olim fiebat, non videtur tutum, nec regulariter seruari debet, vt docent Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *c.* 4. *num.* 113. & Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 9. *n.* 6. *vers. Verùm hac.*

4 Dixi, *communiter*, quia aliquando poterit dici Missa post meridiem. Primò, quando Missa solemnis finitur post meridiem, solet enim hoc aliquando ob solemne festum, & concionem protrahi ad vnam, vel duas horas post meridiem; tunc enim si Sacerdos aliquis non celebrauerit, poterit celebrare, maximè, vt aliqua pars populi Missam audiat. Ledesma *cap.* 19. *de Eucharistia*, *post concl.* 7. Villalobos *loco citat. num.* 5. & cum aliis Bonacina *suprà num.* 6. sicque videtur vsu receptum. Secundò, ratione itineris in die festo potest dici Missa post meridiem, modò non excedat tempus vnius horæ à meridie, Sotus *lib.* 10 *de iust. quæst.* 5. *art.* 4. Villalobos *sup. num.* 6. Filliucius *loco citato num.* 113. *in fin.* & aliis, & videtur fauere regula Missalis, vbi consultò, & non sine causa ponitur illud verbum, *communiter*: nec obstat constitutio Pij V. *quæ sanctè in Christo Pater*, quæ est secunda ibi, quocumque prætextu, quia ibi loquimur de Missis vespertinis, quæ tunc dicebantur post tres horas post meridiem, non verò in hoc casu, & quando adest legitima causa. Tertiò, ex priuilegio Summi Pontificis, quod de se patet, quia id tantum est de iure humano; Episcopus verò non potest generale concedere priuilegium, potest tamen in casu particulari ex rationabili causa dispensare, sicut diximus in anticipatione, & docent Suarez *suprà*, Filliuc. *loco citato*, *verb. quod denique*, vide Ledesmam *vbi suprà*, & in nostra Bulla *lib.* 2. *§.* 5. *dub.* 3. *num.* 5.

5 Dices, quantum temporis spatium requiratur, vt Sacerdos dicatur grauiter peccare, differendo Missæ celebrationem absque causa post meridiem Nauarr. *cap.* 25. *num.* 87. & sequitur Viuald. *in candelabro*, *cap. penultim. de Eucharistia*, *num* 50. putat, absque priuilegio celebrari posse, vsque ad horam nonam, quæ per tres horas durat post meridiem sed hanc sententiam tanquam non tutam reiicimus *conclus.* 2. Azor verò *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæst.* 6. existimat sufficere tertiam partem horæ post meridiem

diem differre: tamen rigida videtur hæc opinio. Vnde existimo cum Bonacina *tom.1. disput.4. quæst. vlt. punct. 9. num.6. in fin.* requiri ad mortale spatium trium quadrantum, vel etiam horæ; itaque à mortali non est excusandus; qui absque iusta causa per horam à meridie non perficit Missam: in quam sententiam inclinat. Diana 1. *part. tract.* 14. *resol.* 34. vbi cum Syluest. *in 3. part. quæst.* 83. *artic.* 2. asserit Sacerdotem posse celebrare post meridiem dummodo non attingat spatium vnius horæ, hoc enim tempus videtur pars notabilis, facta comparatione ab aurora, vsque ad meridiem; nam sicut laborare per duas horas in die festo est pars notabilis sufficiens ad mortale, vt dixi in Decalogo *lib.3. cap.1. dub.*10. *num.*2. ita respectu medietatis diei vna hora censenda est notabilis pars. Idem proportionabiliter dici potest de anticipatione ante auroram.

6 Dico tertiò, inter hos duos terminos, videlicet, ab aurora, vsque ad meridiem pro Missis priuatis nulla est hora præfixa, patet ex communi vsu. Vide Nauarr. *de Orat. cap.* 21. *num.* 31. *& seqq. &* 25. *num.*28. idem de solemni, quæ potest anticipari seu postponi secundum populi commoditatem, & aliquando quando alicuius magni Principis obsequiæ celebrantur, solet Missa incipere ante horam duodecimam, & deinde illam prosequi: congruè tamen celebratur hora tertia. Filliuc. *tom.1. tract.5. cap.4. num.*114. Villalob. *part.1. tract.*8. *diff.*22. *n.*8.

7 Nota, quando ratione alicuius priuilegij conceditur celebrare per vnam horam ante auroram, vel post meridiem, intelligendum esse respectu temporis, in quo sine priuilegio potest dici legitimè, vt si ex priuilegio concedatur vnius horæ anticipatio, hæc adiicienda est, duabus ante ortum Solis. Filliuc. *sup. num.* 112. & dixi *in expositione Bullæ Cruciatæ lib.*2. *§.5. dub.*3. *num.*4. Ratio est, quia aliàs priuilegium nihil operaretur.

8 Quantum ad priuilegia circa horas anticipandi, aut postponendi in celebratione Missæ, vide Emmanuelem Rodriguez *tom.1. quæstion. regularium, q.*42. Fr. Iuan de la Cruz *de priuileg. lib. 2. cap. 5. dub.*6. *concl.* 2. & Villalobos *p.1. tract.*8. *diff.*22. *n.*10.

Dvb. XIV.

Quo loco dicenda sit Missa.

1 Dico primò, de iure communi, & ordinario sacrosanctum Missæ sacrificium non potest celebrari nisi in templo, seu loco sacro ab Episcopo consecrato: habetur expressè *in cap. nullus Presbyter, cap. sicut Missarum, cap. hic ergo, cap. Clericos de consecrat. distinct.*1. & in Trident. *sess.* 22. *cap.*2. *de obseruat. in celebrat. Missar.* & habet communis apud Suarez *tom.3. in 3. part. disp.*81. *sect.*3. Idque ob honorem, & reuerentiam tanti Sacramenti, & merito ab Ecclesia præceptum: & cum materia hæc grauis, sit consequenter obligatio præcepti ex genere suo est, sub mortali; ideoque extra Ecclesiam celebrans peccaret, mortaliter, vt colligitur ex iuribus citatis, & tenet S. Thom. 3. *part. quæst.*83. *art.*3. & communis cum eo; etenim *in cap. nullus citat.* hoc prohibetur sub periculo amissionis status, quæ pœna cum grauis sit, grauem supponit culpam. Quare non est admittendus. Sotus *distinct.*13. *q.* 2. *artic.*3. dicens, secluso contemptu, & scandalo non esse mortale, quia *ex dict. cap. sicut*, si non est necessitas, & summa, id non licet. Notandum tamen, quòd licet iura antiqua citata requirant Ecclesiam consecratam, quia tamen hæc rara est, & difficilis, ideo vsus obtinuit, vt sufficiat benedicta fundata authoritate Papæ, vel Episcopi: Glossa, & Doctores communiter *in cap. vltim. de consecrat. Eccles.* Notandum secundò, celebrantem extra Ecclesiam (modò ille locus non sit interdictus) nullam incurrere censuram, non enim reperitur in iure; pœna autem prohibitionis ab ingressu Ecclesiæ, est tantum lata contra eos, qui celebrant in loco interdicto, ex *cap. Episcop. de priuil. in 6.*

2 Dico secundò, de licentia Episcopi, etiam sine necessitate, licitum erat Missam celebrare in domibus priuatis, vel in Oratoriis etiam non benedictis, patet *ex cap. Missarum, cap. hic ergo de consecr. distinct.*1. *cap. de his de priuileg.* Dixi, *etiam sine necessitate*, quia hoc non est dispensatio, sed vsus suæ potestatis, Nauarr. *cap.*25. *num.* 85. Dixi etiam, *licitum erat*, quia illa potestas restricta est, per Trid. *loco cit.* ita vt modò non possint concedere licentiam in priuatis domibus, sed tantum in Ecclesiis, & Oratoriis dedicatis ad diuinum tantum cultum, ab Episcopis designandis. Hæc autem restrictio intelligenda est, extra casum necessitatis, ea enim existente, posset Episcopus concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam in altari portatili, hoc est, in Ara, seu petra consecrata, quamuis ille locus non sit deputatus cultui diuino. Nauarr. *suprà num.*81. Suarez *disput.*81. *sect.*3. Filliuc. *tom.1. tract* 8. *cap.4. num.*119. Villalob. *part.1. tract.*8. *diff.*23. *num.*2. ego ipse *in exposit. Bull. lib.1. §.3. dub.4. num.3. & 4.* vide *ibi, & num.5.* vbi dico, ex illo loco Tridentini colligere Doctores, concessam fuisse Episcopis facultatem concedendi Oratoria priuata, qua potestate suffulti multa Oratoria priuata concesserunt. Sed tamen Paulus V. suo decreto anno 1615. die 25. Octobris, omnes licentias celebrandi in Oratoriis ab Episcopis concessas reuocauit: insuper declarat concessionem huiusmodi licentiæ spectare, & semper pertinuisse, ad solum Summ. Pontificem, & nunquam Ordinarium potuisse eas concedere, rigore Trident. *sess.*22. *decreto de obseruand.* imò potius in indebitum sensum ea verba Concilij retorquentes hanc sibi licentiam vsurpasse: postmodum vero anno 1618. die 30. Iulij, idem Paulus de consilio Cardinalium concessit Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, facultatem designandi, visitandi, & approbandi Oratoria, & licentiam celebrandi in dictis Oratoriis cum quibusdam limitationibus, de quibus in *dict. dub* 4. *Bull. num.*5. vbi etiam dixi, hoc decretum tantum comprehendere Oratoria in priuatis domibus existentia, non verò Capellas, & Ecclesias publicas, ab eisdem priuatis domibus seiunctas; ad quas liber patet accessus, & habent ostium patens in via publica prout refert declaratum, factæ Congregatione Cardinal. Barbos. *lib.1. de iur. vniuers. cap.*11. *n.*28. Quid autem intelligatur nomine Oratorij, & quomodo in eo per Bullam celebrari liceat, dixi *eodem dub. num.*6.7. *&* 9.

3 Dico tertiò, in casu necessitatis liceat extra Ecclesiam, aut Oratorium legitimè approbatum Missam celebrare in altari portatili, seu petra consecrata, in quocumque scilicet loco terræ decenti, *cap.*1. *& cap. concedimus de consecrat. dist.*1. Bonac. *tom.*1. *disput.4. quæst. vltim. punct.*9. *num.*9. DD. citati, & alij communiter. Vnde in bello licet sub dio celebrare, petenda tamen est licentia Episcopi, si adest: item si concursus populi, ita magnus sit, vt eum Ecclesia capere non possit. Dixi, *loco terræ*, nam in flumine, aut mari dici Missa non poterit, propter periculum effusionis sanguinis. Eo tamen cessante, & necessitate existente, non est improbabile, ibi posse celebrari, vt tenet Sà *verbo Missa*, Henriquez *libro* 9 *cap.* 27. *numero* 2. & alij apud

Bonacinam

Bonacinam *suprà numero* 11. etsi ipse id non approbet.

4 Dico quartò, licere etiam extra Ecclesiam celebrare ex priuilegio Papæ, quod de se patet, cum possit in iure Ecclesiastico dispensare, & de facto multa priuilegia circa præsentem materiam concessit regularibus, de quibus Villalob. *part.* 1. *tr.*8. *diff.* 23. *num.*7. Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 43. *art.*4. *& 5. & quæst.*28. *art.* 3. Ioann. de la Cruz *de stat. Religios. lib.*2. *cap.*5. *dub.*7. & Suarez *tom.*3. *in* 3. *p. disp.*81. vbi docet talia priuilegia per Trident. *sess.*22. *in decret. de vitandis*, sunt reuocata. Idem tenent 2. *part. lib.*10. *cap.* 26. *quæst.* 7. Coninch *in* 3. *part. quæst.*82. *art.*3. *dub.*1. *n.*226. & fauet Nauarr. *cap.*25. *num.*82. contra Rodriguez *supra quæst.* 43. *art.*4. *&* 3. Hoc autem intellige, nisi sint post Trident. reuocata, de qua renouatione, vide Rodrig. *locis cit.*

5 Sed rogabis, vtrum qui ex titulo, vel ex conuentione tenetur in aliqua Ecclesia, vel altari celebrare, possit licitè in alia celebrare. Respondeo, non posse absque peccato mortali, nisi hoc faciat ex iusta, & rationabili causa. Ita Henriquez *lib.*9. *c.*23. *num.*3. Pusseoinus *cap.*2. *num* 25. & cum aliis Bonacin. *tom.*1. *disput* 4. *quæst. vlti. punct.*7. §.4. *num.* 2. Ratio est, quia non adimpletur in re graui voluntas testatoris, non præstando id, ad quod fuit electus, & assomptus; quod procedit etiamsi hæres consentiat, nam hic non potest voluntati testatoris derogare. Bonacina *suprà num.*3. secus autem dicendum, si adsit iusta causa, aut legitimum impedimentum, nam talis censetur testatoris voluntas. Riccius *in praxi Capellan.* Azor *tom.*1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.*8. & cum aliis Bonacin. *sup. num.*3. Potest etiam Episcopus ex iusta causa concedere, vt Missa in alio loco celebretur; sicut potest commutare legata in alios vsus pios, vt dixi, in Decalogo *lib.*7. *cap.*18. *dub.*12. *vbi de legatis num.*31. Vide Henriquez *lib.*7. *cap.*13. *num.*2. *lib.*9. *cap.*22. *num.*6. Riccium *loco citat.* Bonacina *vbi suprà num.*4. & Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.*24. *num.* 33. 35. *&* 36. *lib.*3. *de iur. vniuersa cap.*5. *num.*36. & Dianam 1. *part. tract.*14. *resolut.* 19. vbi dicit, si bis, vel ter in anno in tali altari, vel sacello non celebrat, non peccare mortaliter, videtur enim parua materia respectu obligationis totius anni. Attendenda tamen est in iis consuetudo, & praxis approbata, quæ legitima censenda est, quando viri probi, & docti illud sine scrupulo non obseruant. Et dato quod obseruetur, non existimarem, esse peccatum mortale aliquoties in alio loco celebrare, præsertim si aliqualis causa intercedat; non enim videtur testatorem tam strictè voluisse obligare.

6 Maior tamen difficultas est, an non solùm peccet mortaliter, si sæpius hoc faciat sine causa, sed etiam teneatur iterum in eodem altari, vel Ecclesia celebrare. Azor *tom.*2. *lib.*6. *cap.* 24 *quæst.* 7. affirmat: probabile tamen censeo, absolute loquendo, ad nullam teneri restitutionem; quia non priuauit fundatorem fructibus sacrificij alibi celebrando: sicut Clericus qui tenetur singulis annis ratione Beneficij aliquas Missas celebrare, si eas aliquo anno non celebrauerit, etsi peccauerit grauiter, tamen satisfacit eas postea celebrando, vt bene Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.*4. *cap.*29. *num.*11. & cum eo Bonacina *suprà num.*5. *verb. mihi tamen* Dixi, *absolutè*, nam si fortè maximè interest fundatori, vt Missa in certo altari, v. g. priuilegiato celebretur, tunc alibi celebrans tenetur aliud Sacrum facere pro fundatore; nam violauit fidem datam, cum detrimento alterius, nam magis prodest Missa in altari priuilegiato celebrata, ratione indulgentiæ plenariæ illi annexæ, quàm prosit in alio non priuilegiato. Quod procedit, ait Bonacina, quamuis putauerit, se priuilegio calculi, vel imaginis benedictæ ereptiurum animam è pœnis purgatorij, pro qua tenebatur in altari priuilegiato celebrare. Existimo tamen probabile, & tutum, Sacerdotem, qui obligatur in altari priuilegiato celebrare, satisfacere per æquiualens, v. g. si habet calculum Diui Caroli liberantem animam è purgatorio, vel sit adscriptus alicui confraternitati simili priuilegio gaudente: modo tamen Missam postulans non petat expressè, vt dicatur in tali altari propter singularem deuotionem, vel quia suum est. Ita Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.*40. cum Alfonso de Leon *tract. de Iubilæo, p.*3. *num.*29.

Dub. XV.

An liceat celebrare in Ecclesia polluta, aut violata.

1 NOta, pollutionem Ecclesiæ, seu Ecclesiam esse pollutam, nihil aliud esse, quàm prohibitionem Ecclesiasticam, per quam prohibentur fieri diuina Officia in Ecclesia, propter quædam crimina, seu impedimenta. Etenim in Ecclesia polluta, seu violata solùm prohibentur Officia diuina, *ex cap. si Ecclesia de consecrat. Eccles.* & sepultura Ecclesiastica, *ex cap. si Ecclesiam vnica de consecr. in* 6. quare licet ibi baptizare, audire confessiones ministrare Eucharistiam, eamque, & extremam vnctionem ad infirmos deferre: confirmatur quia omnes DD. dum de Ecclesia polluta loquuntur, & de iis, quæ in ea fieri prohibêtur, solùm mentionem faciunt de diuinis Officiis, & de sepultura, odia autem sunt restringenda. De quo vide Sylu. *consecrat.*2. *num.*9. Suarez *tom.*3 *in* 3 *p. disp.*81. *sect.*4. Henriquez *lib.*9. *cap.*27. *& lib* 13. *cap.* 51. Sayrum *in Thesaur. lib.*3. *cap.*16 Barbosam *de offic. & potest Episcopi alleg.*28. Villalobos *tom.*1. *tract* 8. *diff.*24. & Bonacin. *tom.* 1. *q.*4. *de matrim. punct. vlt. à num.*119.

2 Nota secundò, nomine Ecclesiæ hîc intelligi Ecclesiam tam consecratam, quàm benedictam, dummodo sit locus ad diuina peragenda deputatus vnde casus violationis, aut pollutionis Ecclesiæ non habent locum, nisi in locis sacris, aut benedictis; iura enim citata loquuntur de Templis benedictis, aut consecratis, aut de cæmeteriis, vt docet Emanuel Sà *verb. Ecclesia num.*13. & colligitur ex cap *Ecclesiam cap. consuluisti cap. si Ecclesia de consecration.* vide Suarez *dict. sect.* 4. Dicitur autem Ecclesia pollui, quia propter irreuerentiam per crimina infra dicenda quodammodo eius loci sanctitas violatur.

3 Dico primò, celebrans in Ecclesia polluta, durante impedimento, siue antequam reconcilietur, peccat mortaliter. Ita Nauarr. *cap.* 25. *num.* 83. *&* 26. *num.* 250. Syluest. *consecr.*2. Doctores citati, & alij communiter. Fundamentum est, quia agit in re graui contra Ecclesiæ prohibitionem iustè introductam, ob reuerentiam loci sacri, pollutio enim Ecclesiæ nihil aliud est, quàm prohibitio celebrandi in ea diuina Officia, vt dictum est, ergo qui contra facit, agit contra hanc prohibitionem; & cùm res grauis sit, peccat mortaliter.

4 Dico secundò, celebrans in Ecclesia violata, seu polluta, durante impedimento, etsi peccet mortaliter, vt dictum est non tamen fit irregularis, nec incurrit aliquam censuram. Ita DD. citati: tum quia non habetur in iure: tum quia pollutio Ecclesiæ non est censura, nec interdicit. Vide Bonacin. *vbi sup. num.* 26.

5 Dico

5 Dico tertiò, in Ecclesia polluta ante reconciliationem potest de licentia Episcopi celebrari Missa. Ita Doctores citati: tum quia potest Episcopus concedere licentiam celebrandi extra locum sacrum, vt dictum est *dub. anteced.* Tum quia ita colligitur *ex capit. Missarum, & cap. his ergo de consecrat. distinct.* 2. requiritur tamen grauis causa ad talem dispensationem, vt benè Sotus *in 4. distinct.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 3. & Villalobos *num.* 11. vbi addit, quod ita grauis, & vrgens potest esse necessitas celebrandi, quod absque Episcopi licentia posset tunc celebrari. Hac ergo de causa, ait Villalobos cum Suarez *disputat.* 81. *sect.* 4. & Ledesma *tractat. de Eucharistia, capit.* 10. posse excusari in terris septentrionalibus degentes, & Missam celebrantes in locis, seu Ecclesiis, vbi sepulti sunt hæretici. Tum quia necessitas est tanta, vt non adsit locus Missam alibi celebrandi. Tum quia id fit videntibus, & consentientibus Episcopis, quod est concedere licentiam. Excusantur etiam, quando hæretici denuntiati non sunt. Ita Villalobos.

6 Dico quartò, quando inter celebrandum Ecclesia violatur, debet Sacerdos Missam inchoatam intermittere, si nondum inchoatus est Canon; si verò Canon iam inchoatus est, debet Missam absoluere; nam sacrificium inchoatum iure diuino perficiendum est; censetur autem inchoatum, incepto Canone, eo quòd hostia tunc præparetur ad consecrationem. Bonacina *suprà num.* 24. *vers. Si quæras.* Suarez *dict. sect.* 4. & communiter Doctores.

7 Sed quæres primò; à quo possit Ecclesia polluta reconciliari. Respondeo cum distinctione: aut enim Ecclesia est consecrata, aut tantùm benedicta. Dico igitur, si Ecclesia sit consecrata, quod constat ex crucibus, quæ sunt in pariete, vel aliqua scriptura, vel saltem ex vno teste fide digno, reconciliari debet ab Episcopo, cum aqua, vino, & cinere à se benedictis, & verbis, ac cæremoniis contentis in Pontificali. Idem etiam poterit Sacerdos simplex; de licentia tamen Papæ, vt cum aliis tenet Saytus *in thesaur. lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 31. & cum aqua per Episcopum benedicta. Non tamen est improbabile, vt docet Sà *verb. Ecclesia n.* 20. posse Episcopum hanc licentiam simplici Sacerdoti concedere.

8 Quod si Ecclesia benedicta tantùm sit, potest à simplici Sacerdote per aspersionem aquæ simpliciter à se benedictæ reconciliari, *ex cap. si Ecclesia de consecr. dist.* 2. expedit tamen, vt docet Henriquez *lib.* 9. *de Missa, cap.* 7. *num* 6. obtinere licentiam ab Episcopo, vel eius Vicario Generali. In nostra autem Diœcesi Valentina existimo necessariam dictam licentiam; nam vsus obtinuit, quòd in tali casu ab ipsis petatur. Idem refert esse in vsu Bonacina *suprà num.* 27. in Diœcesi Mediolanensi. Curandum tamen est, vt Ecclesia polluta statim reconcilietur. Glossa *in cap. vlt. de consecrat.* & insinuat textus ibi, *aqua protinus exorcizata lauetur citò.*

9 Quæres secundò, quibus modis polluatur Ecclesia. Respondeo breuiter sex modis præcipuè violari, Primò, homicidio voluntario, & iniurioso Ecclesiæ, vt quia in ipsa factum sit, *ex cap. proposuisti, cap. si motum de cons. dist.* 1. Secundò per iniuriosam sanguinis effusionem, *cap. si Ecclesia de cons. Eccles. & cap Ecclesia de cons. dist.* 1. Tertiò, per humani seminis effusionem voluntariam, & publicam, etiam coniugalem, si illicitè in Ecclesia facta sit. Dixi, *publicam*, quia occulta, dum est occulta, non polluit Ecclesiam, quod idem dicendum est in aliis casibus, si occulti sint, vt communiter DD. apud Suarez *disp.* 81. *sect.* 4. & Bonacin *disp.* 4. *q. vlt. punct.* 8. *n.* 8. Per publicum autem intellige, quod tale est, vel per euidentiam facti, vel per iuridicam probationem. Dixi, *dum occulta est*, nam si fiat delictum publicum, reputanda est Ecclesia pro polluta. Quartò, si sepeliatur in ea excommunicatus, *cap. consuluisti de consecrat. Eccles. cap. vnico eodem in* 6. intellige de excommunicato nominato, vel manifesto percussore Clerici. Quintò, si in ea infidelis sepeliatur, vel iaceat iam sepultus, *cap. si Ecclesia* 1. *&* 2. *de consecrat. dist.* 1. Sextò, quando parietes Ecclesiæ combusti sunt, vel ita destructi, vt reædificanda sit integrè, *cap. ligneis de cons. Eccles.* & alibi *de cons. dist.* 1. Aliqui, vt Nauar. *c.* 27. *n.* 158. Henriq. *lib.* 9. *c.* 27. *n.* 5. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 27. & Bonac. addunt septimum quando scilicet Ecclesia consecratur, aut cæmeterium benedicitur ab Episcopo nominatim excommunicato, & publicè denuntiato, argumento, *cap. consuluisti de consecrat. Eccles.* Oppositum tamen existimo dicendum cum Suarez *dict. disp.* 81. *sect.* 4. & Coninch 3. *part. q.* 83. *art.* 3 *dub.* 1. *num.* 228. nam cùm sit pœna, consequenter odiosa, non est extendenda à casu in casum, nisi habeatur expressè in iure, vt dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 56. *&* 60. *in exposit. Bullæ lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 3. *&* 6. pleniorem suorum casuum explicationem, Deo fauente, adducemus, vbi de censuris in fine materiæ interdicti: interim vide Doctores *supra* citatos.

10 Aduerte tamen, polluta Ecclesia, censeri etiam pollutum cæmeterium contiguum (secus si sit discretum) non verò è contra, quia magis nobile, & dignum trahit ad se minùs dignum; non autem contra: consequenter reconciliata Ecclesia, censetur reconciliatum cæmeterium contiguum. Quando verò duo cæmeteria contigua sunt, vno polluto non polluitur aliud, licet de vno transeatur ad aliud per ostium, quia non militat ratio supra adducta, & ita tenent Zerola *in praxi, verb. Pollutio.* Saytus *in thesauro lib* 5. *cap* 16. *num.* 77. & alij, vide Henriquez *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 5. & Suarez *disput.* 81. *sect.* 4.

Dub. XVI.

An in altari sit celebrandum, & an sit ornandum.

1 NOta, altare dici, quasi alta ara, quia propter reuerentiam, & commoditatem celebrantis erigi solet in loco alto, & eminenti. Ara autem dicitur, vel à precationibus, quæ sacrificio coniunguntur, quæ Græcè dicuntur ἀραι aut ab ardere, seu ardore, quia in ara solebant victimæ ardere, & cremari. Per altare igitur intelligitur locus, in quo hostia sacrificanda immolatur: sumitur autem altare dupliciter. Primò, pro tota mensa illa, super quam ministerium integrè fit, quod solet esse figuræ quadrangularis altera parte longioris, & hoc communiter vocatur altare. Secundò, pro lapide consecrato, qui priori altari supponitur, & hoc propriissimè dicitur mensa altaris, siue ara consecrata, siue altare portatile, & petreum, ad differentiam prioris; quod potest esse ligneum, & debet esse fixum: & de hoc altari procedit quæstio.

2 Dico primò, altare lapideum, siue sit fixum, siue portatile, necessariò requiritur ad celebrandum. Probatur *ex cap. altaria de consecrat. distinct.* 1. & communi Doctorum ex Suarez *disp.* 83. *sect.* 5. & vsu Ecclesiæ, & consuetudine antiquissima à tempore Syluestri Papæ; nam antea ob persecutionem ligneis altaribus vtebantur. Ratio est; quia firmior est, & durabilior talis materia. Tum quia repræsentat Christum, de quo dicitur, *petra autem erat Christus.*

fixu. Dixi, *siue sit fixum*, *&c.* quia potest esse hoc altare, seu hic lapis, aut petra consecrata, connexa, seu ædificata cum aliis lapidibus, qui concurrunt ad erigendum altare primo modo dictum: & potest esse portatile, quando scilicet lapis consecratus potest auferri, vel quia reliqua mensa sit lignea, vel etiam terrea, aut lapidea, sed non connexa cum lapide consecrato. Non ergo requiritur, quod totum altare, seu tota mensa altaris sit lapidea; sufficit namque, vt ara consecrata, quæ propriissimè altare dicitur, sit lapidea.

3 Dico secundò, altare lapideum, seu ara, debet esse consecrata, *ex cap. cit altaria*, est enim consecratio quasi illius quædam forma. Ad consecrationem autem requiritur vnctio chrismatis benedicti aquæ aspersione, & signo crucis ab Episcopo, *cap. nullus Presbyt. de cons. dist.* 1. Figura autem qualibet esse potest; aliquando enim contingit, vt tota mensa altaris sit vnus integer lapis totus consecratus, sed communi vsu est quadrata propter aptitudinem, & tantæ longitudinis, & latitudinis, vt capere possit pedem calicis, & patenam. Quando verò totum altare fixum est consecratum, non est opus altari portatili. Consecratio autem altaris de iure solùm fieri potest ab Episcopo, *dict. cap. nullus* ex priuilegio autem Pontificis Religiosi è societate IESV, & cæteri, qui eorum gaudent priuilegiis, possunt in locis remotissimis infidelium aras consecrare, vt refert Suarez *disp.* 81. *sect.* 5. & cum eo Villalob. *p.* 1. *tract.* 8. *diff.* 25 *num.* 2. Tamdiu autem durat consecratio quandiu lapis integer manet, & quidem si altare sit fixum, consecratio perit per remotionem ab alia structura altaris, *cap. si motum de consecr. dist.* 1. Suarez *suprà* & alij communiter: si verò sit mobile, & portatile, non perit, nisi frangatur, ita vt nulla remaneat pars, quæ possit capere calicem, & patenam neque amittit altare portatile, quando seorsum à fixo est consecratum, suam consecrationem, quamuis ab altari amoueatur, aut è capsula extrahatur, nam hæc accidunt illi. Neque sunt necessariæ Reliquiæ ad consecrationem altaris, vt patet ex vsu, quo est abolitum præceptum, si quod erat, *ex cap. si placuit de consecrat. dist.* 2. non enim possent commodè tot altaribus prouideri Martyrum Reliquiis. Vide Suar *dict. sect.* 5. & Coninch *vbi sup. n.* 141.

4 Ex his colligitur, hoc sacrificium non posse celebrari sine peccato graui, nisi in altari consecrato, siue fixo, siue portatili, quia est præceptum à iure: potest tamen in eo Pontifex dispensare, quia est ius Ecclesiasticum.

5 Notandum tamen, altare fixum nunquam consecrari, nisi sit intra Ecclesiam saltem benedictam, ideoque si eo remanente Ecclesia destruatur, non potest in eo celebrari, saltem absque licentia Episcopi: Portatile verò consecratur seorsum ab altari fixo, ideo potest collocare in loco benedicto, & in loco non benedicto: & quidem si collocatur in loco benedicto, potest quilibet absque priuilegio in eo celebrare, vt ex vsu, & *cap. concedimus de consecr. dist.* 1. in loco autem non benedicto requiritur priuilegium, vt colligitur ex cap. *in his de priuil. & cap. vlt eod. in* 6. & dixi dubio proximo.

6 Notandum secundò, hoc altare, si sit maius, olim solere erigi versus Orientem; nunc autem nullum est præceptum de hac re, sed tantùm conuenientia quædam, seruanda tamen est consuetudo. In hac autem Diœcesi non est in vsu, ideoque indifferenter eriguntur talia altaria. Altaria verò minora possunt indifferenter respicere quamcumque mundi plagam; sic etiam Oratoria, vt S. Thom. 2. 2. *quæst.* 84. *art.* 3. & alij, quos sequitur Suarez *loco cit.* videndus de omnibus his, & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 4. *q.* 9. *per totam.*

7 Nota tertiò, non posse nos celebrare in altari, in quo eo die Episcopus celebrauit, absque eius licentia; id enim postulat reuerentia dignitatis Episcopalis, *cap. fin. de consecrat. dist.* 2. Bonacina cum aliis *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 15.

8 Quantum ad secundum, nempe qui ornatus requiratur in altari, vt in eo legitimè, & ritè celebrari possit. Respondeo, ex præcepto Ecclesiæ requiri primò mappam, vel tobaleam lineam extensam super altare, hæc autem debet esse duplex, vel vna plicata, & quamuis mappæ benedici alicubi soleant, vt in Rubrica Missalis §. 20. & de defectibus §. 10. *ex cap. altaris palea*, *de consecrat. dist.* 1. hoc tamen non est necesse, vt tenet Suar. *tom.* 1. *disputat.* 81. *sect.* 5. Ledesma *cap.* 10. *de Eucharist. conclus.* 6. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 5. *cap.* 5. *numer.* 124. Villalobos *part.* 1. *tract.* 8. *diff.* 26. *numer.* 1. quibus addit Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 4. *quæst. vltim. punct.* 9. *numer.* 24. ex necessitate posse adhiberi mappas laicorum non benedictas, & postea ipsis laicis eas restituere, & quamuis dicatur esse ex lino, sufficit ex alio linteo, vt ex canabo, *olanda*, *ò ruan*, *&c.* Villalobos *sup.* dicere autem Missam sine mappa duplici, est graue peccatum, tum quia est contra Ecclesiæ præceptum in re graui: tum quia irrogaretur maxima irreuerentia tanto sacrificio, ita DD. citati, & alij communiter. In necessitate autem excusari potest à mortali, qui cum simplici tobalea celebraret, modo adsint alia necessaria, vt infra. Ita Filliuc. *sup. n.* 127.

9 Secundo requiritur corporale ab Episcopo consecratum ex linea tela, vel canabea, *ò de olanda*, *ò ruan*, *&c.* saltem quoad eam partem interiorem, qua corpus, & calix collocatur: ora autem potest esse serica, aut ex filo serico, & aureo contexta. Remanet autem consecratio, quandiu manet integrum, & non consutum notabiliter, ita vt non possit capere hostiam, & calicem. Sanct. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *ad* 3. *ad* 7. Syluest. *verb. Corporalia*, Bonacina *tom.* 1. *disput.* 4. *quæst. vltim. punct.* 9. *numer.* 12. DD. citati, & alij communiter: ex quo fit post lotionem non esse iterum corporalia benedicenda. DD. citati. Ad hoc corporale pertinet parua palea (quæ cum corporali dicuntur corporalia) qua calix cooperitur, quæ ex parte inferiore debet esse linea, vel canabea, *ò de olanda*, *ò ruan*, *&c.* in exteriori serica, vel aurea esse potest. Filliucius *suprà num.* 125. imò tota potest esse aurea, vel serica: vt cum Soto, & Ledesma tenet Villalobos *part.* 1. *tractat* 8. *different.* 16. *num.* 3. contra Suarez *dict. sect.* 6. hoc autem intellige, quando est pars distincta à corporali. Dicere ergo Missam sine corporali est peccatum mortale, *ex cap. consuluisti de consecrat. distinct.* 1. & communi Doctorum, item si corporalia essent notabiliter immunda, peccaretur mortaliter contra reuerentiam tanto Sacramento debitam. Doctores citati. Si autem non sint enormiter immunda, tantum esset peccatum veniale. Filliucius *suprà num.* 127. idem de aliis ornamentis. Similiter vix posset à peccato excusari Sacerdos secularis, qui sine parua palea celebraret, videtur etiam res grauis, & contra communem Ecclesiæ praxim, potest tamen excusari, si & vbi est in vsu, vt parte corporalis calix cooperiatur, vt faciunt aliqui Religiosi, aut adsit alia causa rationabilis. Villalobos *vbi suprà num.* 3. Dixi, *Sacerdotes seculares*: nam multi Religiosi, vt Dominicani, vtuntur parte corporalis pro palea. At semoto scandalo, & contemptu non videtur mortale, celebrare cum mappa, & corporali absque palea, vt tenet Villalobos *suprà num.* 1.

cum

cum Suarez *loco citat.* quia, inquit, talis omissio non videtur res grauis.

10 Tertio requiritur in altari Missale, in quo saltem Canon integer contineatur. Nauarr. *c.25. n.84. & 85.* Suarez *vbi suprà*, & DD. citati: est enim instrumentum necessarium, nam memoria est labilis, & non licet in actione publica se exponere periculo, in necessitate autem excusari potest à mortali celebrans, absque Missali, modò moraliter confidat de sua memoria Filliucius *suprà num.127.* Ledesma *cap.20. de Eucharistia, post octauam conclus.* & Villalobos *suprà num.5.*

11 Quartò requiritur lumen ardens, *ex cap. vlt. de celebrat. Missar.* debet etiam ex consuetudine esse ex materia cerea, vnde non potest esse ex alia materia: si quis autem in necessitate, sine scandalo, & contemptu, cum lucerna ex oleo sacrificaret, non esset damnandus peccati mortalis. Suarez *sect.6.* Filliuc. *sup. num.126.* & Villalob. *loco cit. num.4.* idem tenet Diana *1.part. tract.14.resol.57.* vbi addit: ego in tali necessitate constitutus, secluso scandalo, cum lumine olei celebrarem. Idem tenet de candela sebacea, Bonacina *tom.1. disp.4. quæst. vltim. punct.9. num.30.* cum Vasquez *3.part. disp.233. cap.4. n.15. & 16.* contra Ledesmam *cap.20 de Eucharist. post 7. conclus.* In rigore autem præcepti vna sufficit: communiter autem duæ adhibendæ sunt.

12 Quintò Crux, ex regulis Missalis, & cæremoniis Missæ collocanda est in altari, & ita seruant timorati: secluso tamen contemptu, non est mortale sine ea sacrificare, sicut nec esset mortale celebrare sine frontali, & aliis rebus dictis, quibus altaria ornantur. Nam vltra ea, quæ diximus, non est necessarius alius ornatus ad sacrificium; patet, quia nec ex natura rei, nec ex iure antiquo Ecclesiastico, aut ex consuetudine aliud habemus. Filliuc. *tom.1. tract.5. cap.5. num.128.* Ledesma *cap. 20. de Eucharist. concl.9.* Imagines verò, & frontalia adhibendæ sunt in templis, & altaribus ad eorum ornatum, Villalob. *suprà num.6.*

Dub. XVII.

Quæ vasa sint necessaria ad celebrandum.

1 Dico, ad celebrandum Sacrum requiruntur patina, seu patena, & calix, sine quibus Missa offerri non potest: habetur *cap. vasa de consecrat. dist.1.* de calice quidem patet; quia aliter vinum consecrari non poterat; & quia sic fecit Christus, patena verò non est ita necessaria, quia poterat suppleri corporali, vel manibus; est tamen valde accommoda, ne aliquæ reliquiæ, seu particulæ amittantur: fuitque eius vsus antiquissimus fundatus in exemplo Christi, qui creditur in catino, seu patina consecrasse; quare omissio calicis, & patinæ esset peccatum mortale. Filliucius *tract.5. cap 5. n.129.*

2 Dico secundò, einsmodi vasa esse debent argentea, vel aurea, vel saltem stannea, si Ecclesia valde egeat, *cap. vasa, & cap. vt calix, de consecrat. distinct.1.* Vnde non possunt esse ex ære; aurichalco, ferro, aut plumbo, quia recipiunt æruginem, & ad vomitum prouocant: neque ex ligno, quia porosum: est olim tamen in eo offerre licebat. Non tamen necesse est, vt totus calix sit aureus, vel argenteus; nam sufficit, vt cuppa sit ex dicta materia nam illa solum seruit immediatè ad Sacramentum, ideo tota alia materia potest esse ex ære, aut aurichalco: patena itē debet esse ex eadē materia qua calix, quanquam etiam ex aurichalco inaurato confici soleat. Filliucius *suprà num. 130.* forma patinæ orbicularis communiter est, & bene quidem, quamuis posset esse alterius figuræ. Significat autem calix sepulchrum Christi Domini, patina verò lapidem sepulchro superpositum. Vide de iis Suarez *tom. 3. in 3. part. disp.81. sect.7.*

4 Dico quartò, si patena, & calix post consecrationem iterum deaurentur ex parte, qua corpus, & sanguinem contingunt, amittunt consecrationem, consequenter sunt iterum benedicenda, quia per deaurationem fit noua superficies, & quasi nouus calix, contra Coninch *quæst. 83. art.3. dub.3. n. 246.* & Layman *in Theolog. moral. lib.5. tractat.5. cap.6. num.7.* quorum opinionem Diana *part.1. tractat.15. resolut. 3.* probabilem reputat, & meritò, quia moraliter censetur idem calix, & retinere suam consecrationem, sicut Ecclesia, quando paulatim reficitur, in qua pars noua censetur consecrata, hoc ipso, quo consecratæ additur, si verò deauratio paulatim amittatur, non ideo perit consecratio; quia tota materia est consecrata per modum vnius. Quid si cuppa calicis à pede separetur? Respondeo, si est fixa pedi, & non potest separari, nisi per fractionem, perit consecratio separatione: si verò est mobilis, & ex artificio tornatilis, non perit. Syluest. *verb. Calix.* Suarez *dict. sect. 7.* Doctores citati, & alij communiter apud Bonacinam *tom.1. disput.4. q. vlt. punct.9. num. 18. & 19.*

5 Sed dices, an arcula, vasculum, seu pixis, in qua reseruatur Eucharistia, seu particulæ, aut hostiæ consecratæ, debeat esse consecrata, DD. citati, & cum aliis Diana *suprà resolut. 2.* communiter respondent negatiuè, quia de hoc nullum datur præceptum, ideoque inter doctos, & timoratos ita practicatur. At quia oppositum est securius cum Filliuc. *suprà num. 133.* consulerem, vt benedicatur; hoc enim securius est, & magis decens: imò existimo cum Ledesma *cap.11. de Eucharist. post concl.3. dub. vltim.* probabilius esse, huiusmodi vas debere esse consecratum. Nam si ideo calix, patena, & corporale consecrantur, quia immediatè tangunt corpus, & sanguinem Christi, & hoc vas etiam illud immediatè tangat, videtur etiam egere consecratione; nam vbi est eadem, & omnimoda ratio, est eadem iuris dispositio, & iura expressè præcipientia calicis, & patenæ consecrationem, virtualiter etiam præcipiunt huius vasculi consecrationem, seu benedictionem. Hoc autem vas debet esse ex materia, qua calix, & patena confici possunt; non tamen esset damnandum pro mortali, si essent ex auro, aut aurichalco, vt docet Ledesma *suprà vers. Tambien.* modò mundum conseruetur, quia non prohibetur in iure, nec ratio calicis militat in hoc vasculo. Addit Ledesma, intra hoc vasculum ponendum esse aliquod linteum ad modum corporalis benedictum; at etsi hoc decentissimum sit, non tamen est necessarium, nec illud omittendo committitur peccatum. Diana *suprà resolut.2.* & alij, & consuetudo in multis locis approbata; quia nullibi est præceptum proinde tutissimè potest stari consuetudini, qualiscumque illa sit: laudanda tamen est consuetudo conformis opinioni Ledesmæ.

Dub. XVIII.

An sit conueniens vsus sacrarum vestium in Missa.

1 Dico primò, Ecclesiam conuenientissimè instituisse vsum sacrarum vestium in Missa. Probatur ex *cap. vestimenta de consecr. dist. 1.* & ex

Tridentino *sess.* 22. *capit.* 5. exemplo veteris legis, *Exod.* 28. in qua erant peculiaria vestimenta, & communi consensu Catholicorum, & in praxi Ecclesiæ. Id enim postulat dignitas tanti sacrificij, ad cuius splendorem, & decorem huiusmodi vestes pertinent, vltra propriam significationem, quam singulæ habent, de qua in fine dubij.

2 Dico secundò, vestes sacerdotales, quibus ornantur Sacerdotes ad Missam celebrandam, sunt sex, Amictus, Alba, Cingulum, Manipolus, Stola, siue Orarium, & Casula, siue Planeta. Patet ex vsu, & praxi communi Ecclesiæ, & consensu Doctorum apud Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 9. *num.* 25. Amictus, & Alba debent esse ex lino, aut canabo, aut *olanda, ruan, ò otro lienço*, cætera verò possunt esse ex serico, lino, lana, aut quid simile, iuxta vsum Ecclesiæ. Omnia autem vestimenta hæc debent esse benedicta ab Episcopo; patet ex *cap. vestimenta de consecrat. dist.* 1. ex Pontificali Romano, & vsu Ecclesiæ. Quam benedictionem retinent, quoad manet figura exterior, etiamsi paulatim reficiantur: eam verò amittunt, quando ita franguntur, vt non sint aptæ ad vsum, ad quem non sunt destinatæ, aut non ampliùs priorem retinet figuram. Ex quo fit, Albam non indigere noua benedictione, si ad eam reficiendam addantur aliqua, quorum additione adhuc remanet prior figura, etiamsi quæ adduntur, non sint benedicta, accessorium enim sequitur naturam sui principalis. E contra verò amittit benedictionem, si ex ipsa abscindatur manica, quamuis postea ei eadem manica assuatur; nam facta abscisione, iam non manet apta ad vsum, ad quem fuit assumpta. Ita cum aliis Bonacin. *suprà n.* 26. & DD. communiter. Item Cingulum indiget noua benedictione, si ita perstringatur, vt nulla eius pars sufficiat ad cingendum: secus si aliqua ipsius pars ad cingendum apta remaneat, quamuis ei addatur alia pars minùs aptè, Bonacin. *sup.* Vnde si per medium frangatur, & duæ partes postea colligentur, non amittit consecrationem. Emanuel Sà *verb. Missa num.* 12. Diana 1. *part. tract.* 15. *resol.* 4. Vide Coninch *quæst* 83. *art.* 5. *dub.* 3. *num.* 251. Item Casula non amittit benedictionem, etiamsi ab ipsa pars interior, *el aforro*, separetur, imò, si hæ duæ partes fuerunt simul benedictæ, facta separatione adhuc remanebit benedictio. Vide Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp* 82. *sect.* 2. *in fine.* quia vtraque pars est integra Casula. Idem dic de Stola, si duplex sit, id est *si tiene aforro.* Aduertunt tamen DD. Stolam deseruire posse pro Cingulo, & sito Manipulo, & Manipulum pro Stola, quia hæ vestes non habent formam determinatam Villalob. *part.* 1. *tract.* 8. *different.* 18. *num.* 3. Sunt etiam benedicendæ Dalmaticæ, & habetur in Pontificali. An autem hoc sit necessarium, dubito, quia non pertinent ad vestes sacerdotales: quantum ad capam, existimo certum non esse benedicendam, vt comprobat communis vsus.

3 Dico tertiò, est peccatum mortale celebrare absque aliqua ex dictis vestibus, etiamsi vna sola omittatur. Ratio est, quia est præceptum Ecclesiæ de iis vestibus ferendis, vt ex *cap. Ecclesias dist.* 23. *& cap. vestimenta de consecrat. dist.* 1. & probat consuetudo vniuersalis Ecclesiæ obseruantis talem ritum, tanquam maximè necessarium ad reuerentiam Sacramenti, & communis DD. apud Suar. *disp.* 82. *sect.* 3. & Bonacin. *tom.* 1 *disp.* 4. *q. vlt. punct.* 9. *n.* 27. censetur enim in re graui violati vsus, & consuetudo Ecclesiæ. Idem dic, si adhibeatur aliqua non benedicta; nam tunc perinde est, ac celebrare absque veste benedicta; nam non benedicta non est vestis sacerdotalis, non tamen est excommunicatus, sed excommunicandus, qui sine vestibus sacris celebrat. Ledesma *cap.* 21. *de Eucharist. concl.* 4. *dub* 3. *vers. Digo lo segundo* Peccaret etiam mortaliter celebrans cum vestibus benedictis, si essent valde, & notabiliter immundæ; esset enim tunc maxima irreuerentia. Ita citati, & Doctores communiter.

4 Sed dices, an liceat aliquando sacrificare sine vestibus sacris. Respondeo, & dico primò, sine omnibus in nullo casu licet, etiam ob periculum mortis. Ita Caiet. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Ledesma *cap.* 21. *de Euchar. concl.* 3. *dub* 2. hoc non potest fieri absque scandalo, & periculo magnæ irreuerentiæ.

5 Dico secundò, in necessitate liceret absque vestibus minoribus, vt Stola, Cingulo, Manipulo, aut Amicto, vt si cum Casula, & Alba sacrificaret; deficiente autem aliqua ex minoribus, sine maioribus non liceret. Ledesma *sup. dub* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 5. *cap.* 5. *num.* 149. vide Suarez *suprà sect.* 3. Aduerte Dianam 1 *part. tract.* 14. *resol.* 69. existimare esse probabile, posse Sacerdotem celebrare in patena, & calice nondum consecrato, & cum vestimentis nondum benedictis, quando alter Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebrauit Missam, quia per primam celebrationem ab alio factam iam, bona fide iam illa consecrata remanserunt; sicut Ecclesia polluta censetur reconciliata per celebrationem à Sacerdote, bona fide factam, oppositum verius, vt tenet Fagundez *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 15. *de precept. Eccles.*

6 Dico tertiò, ex materiæ leuitate non potest excusari, quia quælibet vestis est materia per se grauis sufficiens ad peccatum mortale, si voluntariè omittatur. Ledesma citatus *dub.* 4. & Filliuc. *sup. n.* 150. Ex defectu autem volūtarij potest excusari à peccato præsertim in minoribus vestibus; nam si ex inaduertentia, & naturali obliuione omittantur, nullum erit peccatum, præsertim mortale: si ex obliuione culpabili cum aliqua inaduertentia, erit peccatum veniale; si autem crassa, & affectata, erit mortale, vt latè Suarez *vbi suprà* & cum eo Filliuc. *sup. n.* 150. Dixi, *in minoribus*, nam in maioribus vix potest dari inaduertentia, vt benè Ledesma *sup. vers. Tambien.*

7 Dico secundò, an sit peccatum celebrare nudis pedibus, Syluest. & aliqui existimant esse mortale, nam consuetudo videtur introduxisse præceptum: at data tali introductione, etsi decentissimum sit cum calceamentis sine illis autem excederet peccatum eniale graue, vt benè Ledesma *suprà conclus.* 6. & Villalobos *part.* 1. *tract.* 8. *different.* 28. *num.* 10. vbi addit, Religiosos Minorum posse celebrare cum scandalis: hoc autem pro certo habe, calceos non debere esse benedictos.

8 Dices tertiò, an liceat sacrificare capite cooperto. Respondeo negatiuè, ex *cap. nullus Episcopus de consecrat. dist.* 1. vbi iubetur priuari communione eum, qui temerè contrarium facere præsumpserit. Idem præcipitur in Cæremoniali Romano, & tenent Filliucius *loco cit. num.* 152. Villalobos *suprà num.* 11. & Ledesma *conclus.* 7. qui *differ.* 1. ait, hoc peccatum solùm esse veniale graue, si sic celebrat absque dispensatione, & necessitate. Filliucius autem *sup.* cum Sylu. *verb. Missa* 1. *quæst.* 2. §. 1. videtur asserere esse mortale. Ex causa tamen iusta, vt in infirmitate, licet secretò, aut coram illis, quibus nota est, velato capite celebrare, præsertim vsque ad consecrationem, absque dispensatione. Quod etiam cum Ledesma *vbi sup.* vt probabile admittit Diana 1. *p. tract.* 14. *resol.* 58. secluso tamen scandalo, & contemptu. Si autem causa non manifestè sit iusta debet impetrari dispensatio, quam potest pro sæcularibus cōcedere Episcopus, & pro regularibus Prouincialis. Hanc autem dispensationem spectare ad Pontificem

refert

refert declaratum à Sacra Congregatione Gauantus *in com. Rubr. Missalis, tom. 1. part. 1. tit. 2. lit. F.* & refert Diana *suprà*. Verùm tamen in hoc habenda est maximè ratio consuetudinis, & cauendum est est omne scandalum, vt benè Filliuc. *sup.* qui cum Nauarr. *conf.* 7. *de celebr. Missar. num.* 5. consentit posse dici Missam velato capite amictu facto, etiamsi Sacerdos sanus sit, quod non placet Ledesma, nec mihi, præsertim in Sacerdotibus sæcularibus, cùm sit præter eorum consuetudinem. Idem dic de ministro, nam in dicto *cap. nullus*, Diacono prohibetur cooperto capite ministrare. Filliucius *vbi sup.*

9 Dices quartò, an mortaliter peccet Sacerdos, qui cùm se vestibus induit, non recitat preces ab Ecclesia præscriptas, Nauarr. *cap.* 25. *num.* 73. respondet affirmatiuè; contrarium tamen existimo probabilius cum Bonacina *tom. 1. disput. 4. quæst. vlt. punct. 9. num.* 31. & Henriquez *lib 9. cap. 14. ad finem*, quia consuetudo recitandi huiusmodi preces non videtur recepta cum tanto rigore: caueat tamen Sacerdos, ne illas omittat. Ita etiam Diana *infrà resol* 41.

10 Quoad vestes autem communes Sacerdotum nullum datur præceptum; decens tamen est, vt sint ita oblongæ, vt protendantur vsque ad talos.

11 Quantum verò ad Diaconos attinet, aliqui quos, tacito nomine, citat Ledesma *sup. concl. vlt.* existimat solùm peccare venialiter, si absque contemptu, & scandalo siue proprio indumento monus suum exercent; verius tamen, & tenendum est, peccare mortaliter, vt ipse tenet, quia est res grauis.

12 Quantum autem ad priuilegia, quæ habent regulares circa benedictionem Ecclesiarum, & ornamentorum, vide Sorbo in compendio Minorum, *verb. Benedicere, num.* 14. vbi habetur posse illos ex priuilegio Leonis X. benedicere Ecclesias, Oratoria, & ornamenta, in quibus non interuenit chrisma: & compendium Religiosorum Societatis IESV, *verb. Benedicere* §. 3. vbi dicitur: quoad benedictionem tamen extraneorum, non nisi necessitas vrgeat, & Prælati distent, & sine illorum offensione. Vide etiam Rodrig. *tom. 1. qq. regul. quæst.* 19. *per totam.* & Villalobos *part. 2. tract. 8. diff. 28. num.* 7.

13 Nunc autem de significatione sacrarum vestium pauca dicamus, longiorem verò explicationem vide apud Suarez *tom. 3. in 3 p. disp. 82. sect. 2.* cum S. Tho. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 5.

14 Prima igitur vestis, quæ dicitur Amictus, qui litteraliter, siue in ordine ad Christum, significat linteom, seu velum, quo Iudæi, Matth. 26. Christi faciem velabant, cùm eum alapis percutiebant dicentes, *prophetiza nobis quis est, qui te percussit*. vel humanitatem, qua tecta est diuinitas. Quoad mores autem, & nostram instructionem, significat armaturam Fidei, seu ipsam Fidem, fundamentum Religionis Christianæ, quæ non in euidentia rerum credendarum, sed in captiuitate intellectus voluntatis consistit, ob idque optimè per velamen oculorum repræsentatur. Toletus *lib. 2. cap. 2. num.* 3. Significat etiam spem, qua debet Sacerdos accedere ad offerendum sub nomine galeæ, *Thessal.* 5. & etiam fortitudinem operum, ob idque galea salutis dicitur, qua fulciri debemus in omnibus præsentis vitæ calamitatibus. Descendit autem Amictus iste à capite ad humeros, & dorsum: per quod opera significantur, quæ cum fide coniuncta esse debent; in humeris enim, & dorso similitudo laboris consistit. Ab isto duæ chordæ descendunt in pectus per modum crucis, quæ intentionem operum in Deo ponendam ostendunt, *y que no ha de ocupar nuestro coraçon sino las cosas de Dios, y su passion.*

15 Secunda vestis est Alba longa, talaris, & ampla: ad litteram, seu quoad passionem Christi Domini significat vestem illam, qua Herodes induit Regem gloriæ Christum in signum amentiæ, ob idque est longa, vt gressu hominis impedito, hic, illicque caderet, omnibusque in derisum esset. Toletus *sup. vers. Alia vestis*. Significat etiam diuinitatis splendorem, vel gloriam resurrectionis: quoad mores verò significat vniuersalem iustitiam, quæ debet esse in omni opere Sacerdotis, vt quidquid faciat, & operetur, conforme sit rationi, & voluntati diuinæ. Eius autem largitas significat amplitudinem operum Sacerdotis, quæ multa, & magna, & conuenientissimè facta esse debent. Debet esse linea, aut byssina, & non ex pellibus, sed ex herbis, ad significandum morum viriditatem, & vigorem: & albedo significat innocentiam, & munditiam cordis, & vitam immaculatam.

16 **Tertia est Zona**, seu cingulum per renes, quo tota **Alba comprimitur**, & significat primum ligamen, quo **Iudæi in horto** Christum comprehendentes ligauerunt: item funes, & flagella, quæ Christi corpus ambierunt. Quoad mores verò significat castitatem, & continentiam, qua lumbos restringit, & prudentiam, ac discretionem; nam per illud Alba restringitur, ne super pedes defluat. Filliucius *sup. num.* 145. & Tolet. *loco cit.*

17 Quarta est Manipulus, qui secundùm Filliuc. *sup. num.* 144. significat Christi humanitatem, seu pugnam eius pro iustitia: secundùm verò Toletum *sup. num.* 4. & meliùs, significat secundum ligamen Christi, quo in columna ligatus fuit manibus, estque in læuo brachio, quod denotat amorem intimum cordis, quo Christus passionem pertulit; quia cor ad læuam vergit partem, & Sacerdos profitetur se simili amore corresponsurum ipsi Christo. Moraliter verò significat cordis punctionem, veramque pœnitentiam, quæ, significata per læuam manum, in hac vita debet haberi: cui pœnitentiæ postea respondet Manipulus retributionis, iuxta illud Psalm. 125. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient portantes manipulos suos.* Ponitur etiam in sinistra; nam in dextera impedimentum esset, quominus Sacerdos cruces, & alias actiones facere posset.

18 Quinta est Stola, siue Oratium: quoad Christum Dominum significat vltimum ligamen, quo ad crucifigendum ductus est, seu obedientiam Crucis & Christi passionem. Quoad Sacerdotem verò, & mores significat suaue iugum Christi: vnde in ordinatione dicitur, *Accipe iugum Christi*. Et quia per obedientiam ad Christum restituendus est in statu, quem per inobedientiam amisit, ideo dicitur: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, &c.* Ponitur autem super vtrumque humerum, vt denotet obedientiam, & patientiam, quibus iugum portari debet. Descendunt etiam inferiùs duæ partes, ad significandum prudentiam, & temperantiam: & extremitates sunt prope terram, ad significandum perseuerantiam Nota, quòd Diaconus habet etiam Stolam, sed tantùm in humero læuo, per quod significetur vita actiua, eo quòd ille tantùm sit ad ministrandum: Sacerdos verò in vtroque humero, vt complectatur vtramque vitam actiuam, & contemplatiuam. Toletus *lib. 2. c. 2. num 4 vers. quinta est*. Dicitur etiam Stola Oratium, ab eo quòd Oratoribus, & prædicatoribus concedatur, Filliuc. *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num* 145.

19 Sexta est casula, quasi parua, & minor casa, quæ quoad Christum significat tunicam inconsutilem & vestem purpuream, qua indutus fuit in do-

mo Pilati, vt intelligit Gabriel super Canonem, qua exutus fuit, vt crucifigeretur. Quoad mores verò significat charitatem, quæ præcipua omnium est vestis, & virtutibus omnibus supereminet, easque protegit, operitque multitudinem peccatorum, & coniungitur cum Amictu, vt denotet fidem coniunctam debere esse charitati. Vide Toletum *lib. 2. cap. 2. num. 5.*

20 Dalmatica autem, qua vtuntur Diaconi, & Subdiaconi, dicitur à regione Dalmatiæ, & repræsentat passionem Christi, ideo in modum crucis est formata.

21 Expositionem autem, & significationem omnium rerum, & actionum, quæ in Missa continentur vide apud D. Thom. *3. part. quæst. 83. artic. 4. & 5.* Stephanum Durant. *in Rationali diuinorum Officiorum, lib. 4. per totum.* Henriquez *lib. 9. cap. 22. 23. & 24.* vbi de tota Missa. Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 83. sect. 1. & 2.* vbi agit de partibus Missæ. Gabriel *super Canon.* Axor *part. 1. lib. 10. capit. 34.* & breuius Anton. de Literatis *in summa summ. part. 6. cap. 10.*

D v b. XIX.

An locis, vasis, & vestibus sacris debeatur aliqua veneratio.

De hac materia multa dixi in Decalogo *lib. 1. cap. 10. dub. 15. de sacril. & cap. 11. dub. 1.* ibi *de Eccles. immunit.* proindeque nunc pauca dicemus.

1 Dico igitur primò cum communi, prædictis rebus deberi venerationem: hoc enim dicta ratio naturalis, supposita fide mysterij sacrosanctæ Eucharistiæ, ad quam omnia dicta ordinantur, & spectant. Vnde aliquam irreuerentiam eis irrogare, peccatum erit magis, vel minus graue, secundùm materiæ qualitatem, & grauitatem, vt latè dixi *dict. dub. 15.*

2 Est ergo peccatum mortale, Templa, vel altaria sine causa destruere, in illis negotiari, iudicia, præsertim criminalia, exercere, confugientem ad Ecclesiam, ab ea extrahere, & alia, de quibus *dict. dub 15.* Ledesma *cap. 22. de Eucharist.* Villalob. *p. 1. tract. 8. diff 19. num. 1. & 2.* & latiùs Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 81. sect 8.*

3 Prohibetur etiam in iure, *cap. sacratas dist. 23.* & alibi sæpè, laicis, siue viris, siue fœminis tangere vestes, & vasa sacra, sed abiit in dissuetudinem quoad multa, nam omnia ornamenta, quæ immediatè non tangunt corpus, & sanguinem Christi, possunt à laicis, & fœminis tangi, secluso contemptu: tangere verò calicem vacuum, & patenam; corporalia, & altare lapideum sine causa, solùm est peccatum veniale. Quod si vasa contineant actu corpus, vel sanguinem Christi, non possunt tangi nisi à Sacerdote, & ad summum à Diacono. Suarez *dict. sect.* 8. Filliucius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 1* 35. Ledesma *cap. 22. de Eucharist. concl. 2. dub. 2.* & Villalobos *vbi suprà num.* 3. ideo laici ea tangentes peccant mortaliter. Ita citati, quia materia grauis est. Vacua autem possunt tangi etiam à Subdiacono, & ministro in sacrificio, ea cap. *non licet el 1. dist. 23.* quod etiam extenditur ad Acolytum, ea cap. *non licet el 2. eod.* extra ministerium à quolibet ordinato in minoribus etiam tanguntur sine peccato ex cap. *non oportet dist. 23.* non tamen à tonsurato tantùm; quia vt refert Filliuc. *vbi sup.* in Societate Iesv datur priuilegium, vt laici possint ea tangere, modò habeant primam tonsuram.

4 Quantum verò ad modum lauandi corporalia spectat, seruanda est dispositio, *c. nemo de consd. dist. 1.* vbi præcipitur, quòd lauentur à Diacono, & aqua reponatur in piscina. Quod Doctores interpretantur de prima lotione; vnde non Diaconus corporalia lauans in prima vice, aut non reponens aquam in piscina, sed eam in loco profano fundens, peccatet mortaliter, quia res grauis est, & potest contingere, quòd ibi aliquæ remaneant particulæ. Idem dic de purificatorio propter magnam propinquitatem cum sanguine, Suarez, Villalobos, & alij. In secunda autem vice possunt lauari à fœminis, maximè Religiosis, vt communiter practicatur; ad hoc enim munus aptiores sunt hominibus. Quando vero datur alicui Religioni priuilegium, vt laici possint lauare corporalia, intelligendum de prima vice non verò de secunda, Ledesma *sup. post concl. 2. vers. A esto.* Villalobos *sup. num. 5.*

5 Dico secundò, esse graue peccatum vestibus aut vasis sacris vti ad profanos vsus, propter maximam irreuerentiam: imò nec amissa consecratione seu benedictione licet ad eos vsus adhibere; nam in *cap. ligna de consecrat. dist. 1.* disponitur, vt ligna, & lapides Ecclesiæ destructæ tantùm ad aliam Ecclesiam, vel ad monasterium deseruire possint, non tamen ad coquinam, vel similem locum in monasterio. Idem à fortiori dicendum de vestibus, de quo etiam *cap. altaris pala de consecrat. dist. 1.* Ex quibus colligitur quanta reuerentia debeatur rebus sacris; ideo Villalobos *suprà num. 6.* existimat esse peccatum mortale, amissa benedictione, eis vti ad profanos vsus. Ledesma verò *suprà conclus. 4. dub. 2.* solùm putat esse veniale, existimat enim materiam non esse grauem, quod secluso scandalo, & contemptu, probabiliter sustineri potest. Vasa autem argentea, in casibus, quibus vendi possunt, si transmutentur igne, & ferro possunt conuerti in alios vsus. Filliucius *suprà* & alij.

6 Conueniunt tamen Doctores, res profanas posse fieri sacras per benedictionem, & ad vsus sacros adhiberi, etiam in pristina figura, si ea apta sit, & absit scandalum, aut indecentia. Patet ex communi vsu Ecclesiæ; sanctus enim Vrbanus Papa donum S. Ceciliæ in Ecclesiam consecrauit, idque fecere alij Pontifices.

7 Nota, licitum esse sepelire Sacerdotes cum vestibus sacerdotalibus, vt practicatur: nam *cap. nemo de consecrat. dist. 1.* solùm prohibetur, ne sepeliantur palea, id est, corporalibus. Vide Ledesmam *cap. 22. de Eucharist post concl. 3.* & Villalob. *diff. 19. vt in fine.*

D v b. XX.

Quæ dispositio requiratur ad Missam celebrandam.

Hvic dubio magna ex parte satisfactum est *sup. cap. 5. de Eucharist. dub. 4.*

1 Dico igitur, ex parte corporis requiritur, quòd sit ieiunus, vt latè dixi *dict. dub. 4.* nam sumpturus est Sacramentum, quod prærequirit, vt Sacerdos sumens sit ieiunus, aliter Clericus contrafaciens deponendus est, *cap. nihil 1. quæst. 1.* Item dispositio corporis debet esse talis, quæ tollat periculum, vel relinquendi sacrificium inchoatum propter morbum caducum, aut capitis vertiginem, vel cum irreuerentia offerendi propter lepram, aut periculum vomitus. Debet etiam præmitti manuum lotio ex decentia, non autem ex necessitate, quæ inducat præceptum sub mortali, ex Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 82. sect. 1.*

2 Dico

2 Dico secundò, quoad dispositionem animæ certum est, requiri intentionem celebrandi, seu sacrificandi, de qua *lib.1.* vbi de Sacramentis in genere, *cap.3.dub.2.* & vbi de Eucharistia, *cap.6.dub.1.n.2.* Certum etiam est, esse vtilissimum, & perfectissimum recitare psalmos, & orationes, quæ designantur in Missali pro præparatione ad celebrandum: hoc autem non est præceptum, sed consilium, ideoque illa omittens, secluso contemptu, non peccat. Suarez *sup.* Ledesma *cap.23.de Eucharist.concl.4.*& Villalobos *p.1.tract.8.diff.30. num.5.* Item, & præcipuè ex parte animæ, requiritur puritas conscientiæ; quia conficit Sacramentum, illudque sumit Sacerdos; quare si est in peccato mortali, tenetur confiteri, si habeat copiam confessarij, vel saltem conari ad contritionem, si non adest illius copia, & ex alio capite est necessitas celebrandi, modo latè explicato *c.5. de Eucharist dub.4.* Difficultant tamen Doctores, quot peccata committat, qui celebrat Missam in mortali, de quo dixi *dub.4 n.5.cap.5.de Euchar.* Rodrig. *in c.144. concl.26.* existimat tantùm esse vnum sacrilegium, eo quod tota Missa moraliter censetur vnum opus, Ledes. *sup.concl.2.diff.* existimat, esse tria sacrilegia, quia sacrificat, consecrat, & sumit in peccato mortali. Villalobos verò, *sup. num.6.* reputat, tantum esse duo sacrilegia, vnum quia conficit Sacramentum in peccato mortali, alterum quia in eo illud sumit, & hoc existimo verius; quia sacrificium in consecratione consistit, vt dixi *hoc cap. dub.2.n.7.* nihilominus non est improbabilis sententia Rodriguez. Nec peccat duplici peccato, eo quòd sumat vtramque speciem, sicut nec recipit dispositus maiorem gratiam. Nec peccat mortaliter eo quòd dicat Epistolam, & Euangelium, vt tenet Villalobos *suprà*, de quo *lib.1.cap.3. dub.3.* in praxi autem ille, qui in mortali celebrauit, sufficiat, si dicat se Missam in peccato mortali celebrasse; nam sic intelliguntur omnia sacrilegia ibi contenta.

3 Sed rogabis an sit peccatum mortale celebrare Missam ante matutini Officij celebrationem: distinguendum est, aut loquimur de recitatione priuata Officij, quæ fit secretò à persona priuata, quæ Missam dicturus est siue priuatam, siue solemnẽ, vel de publica recitatione matutini, quæ fit in Choro ante Missam solemnem, vel conuentualem. Si sermo sit de priuata recitatione affirmant Gabriel, Angel. Armil. & Nauarr apud Suar. *disput.82. sect.1.* & alij apud Bonacin. *tom.1. disput.4. quæst. vlt.puncto 9. num.7.* Lopez verò *2. part. instruct. capit.79.* Sotus *in 4. dist.13. quæst.1.artic.2.* Suarez *disput.82. sect.1.* & cum his, & aliis Filliucius *tom.1. tract.5. capit. 5. à num. 140.* & Bonacin. *supra. num. 7.* negant esse mortale, quod tanquam verius, & probabilius amplector cum Villalobos *part.1.tract.8. diff. 30. num.1.* Fundamentum est, quia ex natura sua non datur connexio inter matutinum Officium, & Missam, vel saltem non est tanta, vt conuertens hunc ordinem peccet mortaliter: deinde quia in iure non datur præceptum, nec in facto consuetudo sufficiens ad obligandum saltem ad mortale, esset tamen veniale peccatum, si non adest causa (cum ea nullum) videtur enim aliqua irreuerentia, eo quod matutinùm sit Officium nocturnum, & Missa diurnum. Ita Sotus *supra*, Ledesma *cap.23.de Eucharist concl.8. diff.1.* causa autem excusans à veniali sufficit mediocris, illa scilicet, quæ satis esset differendi matutinum absque culpa: aut si instet hora dicendi Missam, & populus, vel alia persona grauis expectet, vel elabatur commodum tempus dicendi Missam. Quòd si Sacerdos male fecerit differendo matutinum, & occasio occurrat dicendi Missam, nec commodè posset expectare, tunc sine culpa posset dicere Missam, vt cum Nauarr. *cap.25. n.83.* tenet Filliuc. *sup. num.142.* Nec obstant Rubricæ Missalis, in quibus asseritur Missam celebrandam post matutinum, nam vel loquuntur de Missis conuentualibus (de quibus statim) vel tantum hic indicant, quid fieri deceat, & fieri solet, ac melius est; sicut etiam ibi dicitur, vt vacent orationi Sacerdotes celebraturi, & tamen nemo dicit, id præcipi. Ita Filliuc. *sup. num. 140. vers. Ad secundum.* vel dic, Rubricas in hac parte non videri receptas cum tanto rigore, ita etiam Bonacin. *vbi sup.* vide Coninch. *quæst.83. artic.2. dub.4. num. 220.* ex quibus constat non recitantem priuatim matutinum ante Missam, etiam conuentualem, sine iusta causa non peccare mortaliter, sed venialiter: imo ex se nullum esse peccatum insinuat Filliuc. *sup.num.142.* vbi dicit, consuetudinem recitandi officium ante Missam, ad summum obligare ad veniale sine iusta; ergo vbi non est consuetudo nullum erit peccatum. Et Villalobos *sup. num.1.* ait: *Por ventura seria venial.* & Bonacin. *loco citato*, dicit quamuis fieri possit, vt peccet venialiter defectu debitæ deuotionis, vt si recitet matutinum tardiùs, quam par sit, quasi dicat, fortè peccabit, non quia ante Missam matutinum non dixerit; sed quia tardius, & minus deuotè recitauerit. Ideo Diana *1. part. tract.14. resol.36.* absolute dicit hanc secundam sententiam esse probabiliorem, & in praxi sine vllo scrupulo amplectendam, & quidem vbi non est consuetudo recitandi matutinum ante Missam, valde probabiliter sustineri poterit, nullum esse peccatum, matutinum non præmittere. Si autem sermo sit de recitatione publica matutini officij, vbi est consuetudo, vt præmittatur ante conuentualem solemnem, existimat Ledesm. *sup.* esse peccatum mortale celebrare, non dicto matutino; idem tenet Villalobos *loco cit.* nisi adsit grauis causa, & absit scandalum. Nihilominus tamen, semoto scandalo, existimo solùm esse veniale, quia vt ait Filliuc. *sup. num.140.* in fine non videtur talis consuetudo cum tanto rigore introducta, idem cum aliis sentit Bonacina citatus.

DVB. XXI.

De ritu quem seruare tenetur Missam celebrans.

1 Ritus, qui in Missæ celebratione obseruantur alij consistunt in actione, alij in verbis. Priores sunt genuflexio, Crucis signatio, pectoris tunsio, aquæ cum vino mixtio, corporis Christi, & sanguinis eleuatio, hostiæ fractio, & Sacramenti sumptio, &c. Posteriores sunt orationes, & verba, quæ in Missa dicuntur, siue publice, siue secretò, quorum explicationem legere poteris, apud Suarez *tom.3.in 3.part.disput.83.sect.1.& 2.* Qui omnes ritus conuenienter in Missa adhibentur, vt tenet communis Catholicorum cum S. Thom. *3. part. quæst.83. artic.4.* quod certa fide tenendum est, vt latè probat Suarez *suprà, sect.1.* omnes enim pertinent ad religiosum cultum, reuerentiam tanti Sacramenti, & deuotionem fidelium; & sunt conformes traditioni Apostolorum; ex Trident. *sess.23. cap.4. & Can.6. & decreto de obseruandis.*

2 Dico primò, Sacerdotes quoad verba tenentur seruare integrum Missæ ritum, prout est in Missali statutum, ita Suarez *disput.83. sect.3.* & communiter DD. & probatur ex Tridentin. *sess.22 decreto de obseruandis in Missa*, & ex constitutione Pij V. initio

Missalis, iis verbis: *Mandantes, & stricte omnibus, & singulis in virtute sancta obedientia præcipientes, vt Missam iuxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à vobis nunc traditur, decantent, aut legant.* Quæ verba, vt de se patet, indicant præceptum, est enim hic ritus res grauis spectans ad diuinum cultum, ideo ab omnibus est, obseruandus nisi fortè aliqui priuilegium habeant.

3 Dico secundò, omittere voluntariè aliquid eorum, quæ præscribuntur, in materia graui erit mortale, in leui veniale. Suarez *d. sect.* 3. Ledesm *c.* 24. *de Eucharist post* 4. *conclus.* Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 155. Villalob. *part.* 1. *tract.* 8. *diff.* 31. *n.* 2. & com. DD. Ratio est, quia tota Missa est quædam actio composita ex variis partibus; ergo eam mutilare iuxta notabilem quantitatis partem, vel leuiorem, erit peccatum mortale, vel veniale. Hinc fit peccare ex se mortaliter Sacerdotem, qui omitteret Epistolam, Euangelium, & à fortiori aliquid notabile Canonis vt *Communicantes, &c.* quia partes notabiles sunt. E contra rem leuem etiam in Canone (etsi maiori cura dicendus sit) vt si omittatur nomen alicuius sancti, vel tempore Paschali, ea quæ interponuntur in Canone, *Communicantes*, aut in actione, *hanc igitur oblationem, &c.* Ita cum Filliuc. Diana *infra resol.* 59. Sic etiam omittere *Credo*, Gloria commemorationem aliquam, quia non sunt partes simpliciter necessariæ ad Missam, facilius excusat à mortali: & quando hæc per obliuionem omittuntur, & paulò post recordatur, repetendæ non sunt regulariter, quia id non potest fieri cohærenter, & absque nota. Nec tenetur Sacerdos Missam solemnem celebrans Epistolam, & Euangelium recitare, quia nullibi reperitur præceptum. Diana 1. *p. tract.* 14. *resol.* 42. Vsus tamen, & bene quidem, est in contrarium: similiter peccaret mortaliter, iuxta grauitatem materiæ, Sacerdos in Missa ex deuotione addens nouas preces quia prohibitum est in Missali. Sylo. *verb. Missa, q.* 2. *&* 3. Sotos *in dist.* 13. *q.* 1. *artic.* 4. Filliuc. *sup. n.* 156. & alij communiter. Præsertim si publicè dicantur: quod si vt priuata persona secretè aliquid recitet, non peccabit directè contra hoc præceptum, faciet tamen imprudenter. Suarez *d. sect.* 3. peccaret etiam mortaliter Sacerdos regularis, qui in Canone Missæ pro nomine Episcopi in Canone Missæ poneret nomen generalis, seu Religionis, prout declaratum à sacra Congregatione. Diana 1. *p. tract.* 14. *resol.* 40. de qua vide Villalob. *p.* 1. *tract.* 8 *diff.* 31. *n.* 3. & Portel *in dub. regul. verb Missa, num.* 14. Peccaret etiam mortaliter, qui sine vrgentissima causa omitteret Missam inceptam propter irreuerentiam, quam irrogaret sacrificio Missæ, sitque suspensus, ex *c. nullus, de consecrat. dist.* 1. non autem excommunicatus manet, vt tenet Nauarr. *de oration. Miscel* 42. & cum eo Ledesm. *c.* 24. *de Euchar. concl* 7. vrgens, & legitima causa censetur, si ob repentinam infirmitatem Sacerdos non potest perficere sacrificium: si inter Missam recordatur, non esse ieiunum, aut excommunicatum, de quibus dixi *hoc c dub vlt.* si ante consecrationem ingrediatur (secus si post) excommunicatus vitandus. Item si dum dicit Missam ante consecrationem imponitur interdictum, aut cessatio, aut violaretur Ecclesia, vt dictum est *hoc c. dub super concl.* 4. de quibus Ledesm. *vbi supra.*

4 Dico tertiò, certum est, dari etiam præceptum de ritu in actione seruando: patet ex ratione primæ conclusionis, potestque violari hoc præceptum omissione, vel commissione, vt supra dictum est de alio ritu. Quare peccatum mortale est ex se si omittatur aliquid, vel addatur animo immutandi vel inducendi nouum ritum pertinentem ad nouum cultum, vel specialem significationem. Quòd si tantùm fiat ex priuata deuotione, licet sit indiscreta actio, & peccatum veniale, non tamen erit mortale omissio autem huius cæremoniæ, si grauis sit, continens specialem significationem, vt mixtio aquæ cum vino, hostiæ, cum calice, eleuatio corporis, & sanguinis, & similia, esset peccatum mortale: nisi vel aliqua ignorantia, vel inaduertentia excuset, Filliucius *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 159. vide Suar *disp* 84. *sect.* 1.

5 Sed dices, an oblatione iam facta, si offerantur Sacerdoti particula, vel hostia pro communicando laico, possit illam consecrare. Posseuin. *c.* 2. *n.* 27. respondet ita: dico vidisse eas offerri, & non offerri, & si vis esse deferendas, credo sufficere esse in altari tempore Offertorij cum animo eas consecrandi suo tempore, hæc ille: nimis quidem lata videtur hæc sententia. Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *q. vlt. punct.* 2. *n.* 6. dicit debere adesse in altari ante primum Offertorium; nam videntur pertinere ad idem Sacrificium, vt disponitur in Rubrica Clementis VIII. Gauantus verò in comm. ad Rubricas Missalis *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 10 *n.* 19. docet oppositum, quod probabile existimat Diana 1. *p. tract.* 14. *resol.* 71. modo apponantur ante Præfationem, & quando fit, efficiatur oblatione eiusdem mente concepta; quæ sententia cum dicta limitatione rectè potest practicari, præsertim si aliqualis adsit causa, probabilior tamen, & sequenda est opinio Bonacin.

6 Sed quæres, an peccet Sacerdos, qui aliàs seruatis omnibus cæremoniis celebrat Missam, sed non eam, quæ eo die est celebranda, iuxta regulas Missalis, sed aliam votiuam ex deuotione. Vel an quilibet possit celebrare quocumque die, & festo Missam aliam votiuam: hæc quæstio quotidiana est, ideo oportet, vt non omittatur. Ad cuius intelligentiam distingue, aut Missa votiua est solemnis, aut priuata.

7 Suppono ex regula quarta Missalis Pij V. à Clem. VIII. recogniti Missam votiuam cum cantu, & solemnitate, solùm dici posse quando Officium sit de feria non priuilegiata, dummodo non sit vigilia, nec resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita: si verò Missa votiua sit priuata dici potest quocumque die, festo duplici, nec Dominica impedita, dummodo fiat commemoratio Officij illius diei. Hæc Rubrica, iuxta cuius dispositionem Missæ votiuæ solum sunt celebrandæ diebus ibi præscriptis Circa quod Alcozer *vbi de ceremoniis Missæ fol.* 18. *&* 19. refert in Hispania per quoddam Breue Greg. XIII. Missis votiuis ex dotatione in festis duplicibus satisfieri Missa diei cum commemoratione Missæ votiuæ ex dotatione, aut quod post Missam diei dicatur illa alia ex dotatione; dicit etiam Alcozer *supr. fol.* 18. petenti Missam votiuam in die, quæ secundum Rubricam dici non potest, satisfieri Missa illius diei, etiam absque commemoratione Missæ votiuæ; nam Ecclesia corrigit intentionem petentis ad Regulas Missalis, quomodo melius satisfit intentioni deuoti. Idem tenet Ledesm. *cap.* 25. *de Euchar. concl.* 6. *vers. A la confirmacion.* Reginald. *lib.* 29 *sect.* 8. *num.* 108. Henriquez *capit.* 23. *numer.* 6. quia institutio contra ordinarium Missalis est inutilis. Addit Henriquez *littera M.* in feria Missa principalis potest esse votiua: si autem festum sit duplex, seu semiduplex, Missa principalis non fiat nisi de die. Subdit, imò de licentia Episcopi interdum fit Missa principalis votiua de Conceptione, aut alio festo Beatæ Mariæ Virginis, nec obstat, inquit, *capite hoc & hoc attendendum, de celebratione Missarum,* quia vt ait consuetudine est derogatum; vt tenet Nauarrus *consil.* 6. *libro tertio. titulo* 41. *de celebratione Missarum.* Quare pro longa de passione

satia

satis implet, si celebret de festo etiam semiduplici, aut infra octauam, vt cum Nauarr. *dict. conf.6. n.*8. tenet Henriq. *loco cit.*

His positis difficultas est, an sit peccatum Missam votiuam celebrare contra ordinem præscriptum in dicta Rubrica, seu in die in dicta Rubrica excepto.

8 Dico igitur primò, dicere Missas votiuas priuatas extra dies præscriptos in Rubrica non est peccatum, ita Ledesm. *vbi sup.* Filliuc. *tom.1 .tract.5. capit.5. num.*154. & latiùs Suar. *tom.3. in 3. part. disp.*83. *sect.*3. & Bonac. cum aliis *tom.1. disp 4. quæst. vltim. punct.7. num.7.* §.2.25. Henriq. *sup. n.5.* Ratio est, nam etsi regulæ Missalis in re graui, nisi aliter ferat consuetudo, obligent sub mortali, vt docent Suarez *vbi sup.* Azor 1. *part. lib.10.c.29. quæst.6.* Posseuin. *cap.2. num.16.* Bonacin. *loco cit. num.3. vers. Respondeo negando*, & alij: distinguendum tamen est, aliud esse mutilare ordinem Missæ omittendo aliquid eorum, quæ dicenda sunt, vel facienda, quod esse peccatum, explicatum est in principio huius dubij; aliud vero dicere Missam alterius diei, seu de alia, quam in Missali præscribitur, & in hoc secundo casu, de quo est quæstio, ait Suarez non semper esse culpam, dummodo integer ritus seruetur, quia tunc in rigore non prætermittitur ritus dicendi Missam; neque videtur esse latum præceptum propriè, & in rigore de dicẽda de feria, aut de festo; nam cum Sacerdos non teneatur hodie Missam dicere, non est cur obligetur ad dicendum hanc determinatinè Missam, si vult eo die celebrare, cum liberum sit à celebratione abstinere. Secus autem de diuino Officio, quia datur præceptum de eo, & tali dicendo singulis diebus: in Missa vero non est ita, & ideo viri docti, & timorati sine scrupulo solent Missas votiuas celebrare. Hanc autem sententiam limitat Villalob. *p.1. tract.8. diff.31. num.5.* vt tantum procedat in diebus ordinariis, non autem in festis solemnibus, sicque esse in vsu, ideò non videri licitum, vt in diebus solemnibus, v.g. Paschæ, &c. dicetur Missa votiua de Passione. Nihilominus tamen non audet (& benè) opinionem contrariam condemnare, eo quòd à viris doctis sustineatur. Vnde non esset reus culpæ, saltem mortalis, ille, qui in diebus Apostolorum, B. M. Virginis, & Domini nostri diceret aliam priuatam Missam, secluso tamen scandalo, vt etiam tenet Dian. 1. *p. tract.14. resol.3.* Rubricas autem Missalis non obligare sub mortali, docet Posseu. *de off. Curati, cap.2. num.26.* & Fagund. *de quinque præcep. tract. 1. lib.3. capit. 21. & seqq.* quod ait probabile Dian. 1. *part. tractat.14. resol.55.* sicque non peccare mortaliter, qui vnam vel alteram Rubricam non obseruaret, secus autem si nullam, aut si in rebus substantialibus sacrificij delinqueret. Idem Diana *ibid. resolut.* 70. & alibi sæpè putat Rubricas Missalis esse doctrinales, & non inducere præceptum, sed tantum instruere, & consilium præbere.

9 Dico secundò, quoad Missam solemnem, & conuentalem, strictior est obligatio celebrandi eam iuxta Rubricam Missalis, vt docent citati: tum quia ita disponitur in *cap. quidem. c. cum creatura, de celebr. Miss.* tum quia id videtur esse in vsu: circa quod aduertendum in Concil. Prouinc. Valent. *sess.4. c.6.* prohiberi, ne in Parochiis, diebus Dominicis, & festiuis, Missæ solemnes votiuæ, quæ, *dupla*, appellantur, celebrentur, aliis autem diebus illas celebrare permittit, dummodo Missa conuentualis, vbi ea de more dici solet, saltem priuatim celebrari non omittatur. Quod quidem Decretum confirmatur in Synodo Diœcesana Valentina *anno* 1631. *Decreto* 17. vbi præcipitur illud stricte obseruari, & additur, vt Dominicis Aduentus, Quadragesimæ, Dominica in Albis, & festis colendis Sanctorum nulla vnquam dupla contra illorum dierum Officij seriem admittatur, aut celebretur, aliàs puniantur pœnis dicti Decreti, insuper mandat duplas iam ad Missas illis diebus prohibitis, celebrari primò die non impedito. Non tamen intendit prohibere celebrationes earum festiuitatum, quas Confraternitates iuxta suas constitutiones authoritate Apostolica, vel Ordinaria roboratas, hactenus celebrare consueuerunt, vt sunt Sodalitates Sanctissimi Sacramenti super Mineruam, quadraginta horarum, & similium. Si autem roges an sit peccatum mortale præscriptum ordinem non seruare, respondeo, me non audere sub mortali condemnare, eo quòd videam alicubi sine tali scrupulo practicari, & Doctores citatos non id expresse affirmare, sed tantum dicere, Rubricas Missalis in hac parte strictiùs obligare. Deinde quia Concilium Prouinciale loco citato, in fine permittit, vt duplæ illis diebus prohibitis iam admissæ possint illis diebus celebrari, alio tempore, quàm quo Missa conuentualis, & Horæ Canonicæ in choro dici solent; quod quidem non permitteret si aliàs esset peccatum mortale. Ad vitandum autem omne scrupulum; vbi adest copia Sacerdotum, poterunt celebrari Horæ Canonicæ, & Missa conuentualis cantu ordinario, aut saltem priorè hora solita, & postea Missa solemnis votiua. Nihilominus tamen in vniuersum loquendo, curandum est, vt Rubricæ Missalis obseruentur.

10 Dico tertiò, quando aliquis ex institutione Capellaniæ, stipendio, aut promissione obligatur ad celebrandam Missam specialem, vt de B. Maria, de Requiem, &c. tenetur id præstare, per se loquendo, aliter infideliter ageret, non stando promissis contra intentionem fundatoris, aut dantis stipendium. Ledesma, Filliuc. Suarez *locis citat.* & cum his & aliis Bonac. *tom.1. disp.4. quæst. vltim. punct.7. §.3. num.4.* Dixi, *per se loquendo*, quia fieri potest, vt non delinquat, si secluso scandalo, aliam Missam, ex iusta causa celebret, vt si in eum diem incidat solemnitas alicuius sancti duplicis, vel semiduplicis, tunc videtur posse eo die de illo sancto celebrari, imò in festis solemnibus melius faciet si illum seruet, tum quia, inquit Panormitan. *in cap. quidam laicorum, de celebrat. Missar.* celebranda est Missa de eo, de quo fit Officium, & reprehensibile est (inquit) Sacerdotibus ad instantiam laicorum dimittere Missas proprias propter peculiares ex deuotione: tum quia seruandus est ritus Ecclesiæ, & quisque debet Missali, & vsui communi se conformare: tum quia, licet Missa de Requiem, quam quis tenetur pro defuncto celebrare, magis prosit defuncto, quàm alia, si ea Missa consideretur secundum preces ab Ecclesia impositas ad hunc finem, nihilominus si consideretur, vt sacrificium est, æqualiter prodest: & defectus Missæ petitæ suppleri potest, & compensari deuotione illius sancti, cuius Missa eo die ritè celebratur. Quo in casu celebrans iuxta præscriptum Rubricæ satisfacit fundationi, & intentioni petentis Missam, cum regulanda sit iuxta Ecclesiæ dispositionem; nec tenetur in Missa diei Collectam, aut commemorationem facere pro mortuis. aut Missæ votiuæ, cum defectus talis Missæ suppleatur per celebrationem Missæ celebrandæ, iuxta præscriptum Missalis ordinem, vt dixi in suppositione, & docent Nauarr. *cap.25. n.*100. & cum aliis Bonacin. *vbi sup.* Vide Suarez *disp.* 83. *sect.3. vers. In quo est magna,* Azor *tom.1. lib.10. cap.32. quæst.6.* Henriquez *lib.9. de Missa, cap.23. n.6.* Nauarr. *sup. n.*134. Tolet. *lib.2. cap.28. num.3.* Posseuin. *cap.2. num.44.*

11 Con-

nat vinum, & consecret. Idem dic, si comperetit vinum esse acetum, si autem per inaduertentiam, ignorantiam, aut perturbationem, quis omiserit dictum defectum supplere donec Sacrum sit absolutum, tunc nullomodo debet iterum consecrare, vt eum suppleat quia tunc esset omnino distincta actio. Coninch 3. p q.83. *art.6.n.*180. *in fine*. Quod si aduertat non apposuisse aquam in calice, si est ante illius consecrationem, infundat illam, non verò postea, sed prosequatur; si verò materia quæ deficit, iam non sit possibilis, quia reperiri non potest, si id aduertit ante corporis consecrationem non debet prosequi, sed si id aduertat facta consecratione hostiæ, aut calicis, debet sacrificium prosequi, & modo, quo potuerit perficere. Ita Missale & DD. communiter.

4 Dubitant tamen DD. casu quo Sacerdos sumendo calicem, aduertit solum esse aquã an teneatur iterum hostiam consecrare; an verò sufficiat solum consecrare vinum, S.Th. 3. *p.q.*83. *art.*6. *ad* 4. Syl. *Euchar.* 4.*q.*10. & videtur approbare Pius V. in Missali, existimant, nouam hostiam esse consecrandam. Sotus verò *dist.*13.*q.*2.*art.*6.*ad* 4. Nauarr. *cap.*25.*n.*91. Suarez *disp.*85.*sect.*1. Coninch.*q.*83.*art.*5.*n.*276. & cum aliis Bonac. *tom.*1. *disput.*4.*q.vlt punct.*10.*num.*5. censent, sufficere de nouo consecrare calicem, quod vt æque probabile docet S.Thom.4. *dist.*11. *in exposit. litteræ in fin.* & tenet Filliuc. *tom.*1.*tract.*5.*c.*5.*n.*161. quod etiam comprobat Missale Clem. VIII. ideoque hoc existimo in praxi sequendum, saltem publicè, sic occurritur meliùs scandalo, suppletur sufficienter defectus, & sacrificium perficitur, & cautè suppletur (vt habetur *c.*1. & 2. *de Sacr. non iterand.*) quod incaute prætermissum fuerat, aliter enim repetenda esset Missa ab illis verbis, *qui pridie quam pateretur*, quod vix absque scandalo fieri posset, ideo hanc sententiam cum aliis amplector Diana 1. *part. tract.*14. *resol.*70. Hoc ergo in casu Sacerdos debet accedere ad cornu altaris, dissimulando se velle purificationem accipere, deinde posito vino in calice cum modica aqua, accedat ad medium altaris, ibique consecret, incipiendo ab illis verbis: *simili modo, &c.* & absque eleuatione omnibus aliis omissis statim sumat, quia in consecratione continetur oblatio, vt dixi *sup. hoc c dub.* 2.*n.* 7. opinio autem D.Thom. potest practicari, casu quo aliquis celebraret secretò. Dian. *sup.*

5 Dico tertiò, quando Sacerdos aduertit, se aliquid essentiale formæ omisisse, aut non habuisse intentionem, siue de hoc moraliter certus, aut prudenter dubius debet iterum consecrare, repetẽdo secretò totam formam super illam materiã cum vera intentione, nam deficiente vno verbo essentiali vel intentione debita, defectus est substantialis, & irritum Sacramentũ, ideò supplendus defectus hoc modo, si defectus fit in vtraque specie, vel altera tantum, tunc iteranda est secretò consecratio, iuxta dicta, si defectus aduertatur ante sumptionem: si verò post illam, tunc si altera tantum est consecranda, omnino est perficienda, ne sacrificium mutiletur; si vtraque, omittenda erit, quia fuit nullum, & cum non sit amplius ieiunus non potest consecrare vt sumat. Quod si dubius sit de intentione, si hoc dubium fuerit rationale notabile, & prudens inuincibile, debet repetere verba consecrationis sub conditione saltem mente retenta quia hic defectus est substantialis. Suar *disp.*83.*sect.*1. Henriquez *sup.cap.*39. & cum his & aliis Bonac. *loc. citat.n.*12.13.& 14. At in hac materia non oportet scrupulosum esse ne via dæmoni aperiatur, vnde scrupulosus, qui non recordatur verba protulisse, aut habuisse intentionem non est turbandus, sed credere debet omnia dixisse, nam hoc facilè è memoria labitur. Villalobos *p.*1.*tractat.*8.*differ.*32.*n.*9.

6 Aduertit tamen Nauarr. *vbi sup.* & cum eo Villalobos *loc.cit.n.*7. Sacerdotem, qui propter ignorantiam, turbationem, aut inconsiderationem, non supplet defectum excusari à peccato.

7 Ex his sequitur, Sacerdotem, qui malitiosè noluit consecrare hostiam, consecrauit tamen calicem sed post sumptionẽ calicis ipsum pœniteret erroris, teneri hostiam consecrare, vt sacrificium sit perfectum, si verò neutram consecrauit, non est opus vllam materiam consecrare, *vt d.c. concl.*3. & cum Suar.& aliis tenet Bonac. *loco cit.n.*6.

8 Sed dices, an Sacerdos, qui in suscipiendo calice aduertit esse acetum, aut aquam tantum, teneatur aquam expuere, an verò possit eam deglutire, & non ieiunus supplere defectum per nouam consecrationem, & sumptionem sanguinis. Respondeo, debere deglutire, cum non videatur posse in calicem expuere absque indecentia, & fortasse non sine scandalo adstantium, præceptum enim celebrandi cum ieiunio non videtur obligare cum tanta indecentia, vel Coninch 3.*p.q.*83. *art.*6.*n.*280. & cum aliis Bonac. *sup. n.*7. Sic similiter si aliquis sumpserit hostiam, sciens non esse consecratam, ante calicis consecrati sumptionem tenetur etiam non ieiunus alteram hostiam consecrare, & sacrificium perficere: & generaliter dici potest, quoties Sacerdos tenetur ob aliquem defectum substantialem sacrificium perficere teneri, etiamsi non sit ieiunus, quia præceptum diuinum integritatis Sacramenti fortiùs obligat, quam Ecclesiasticum de ieiunio. Ita Doctores citati.

DVB. XXIV.

De defectibus contingentibus post consecrationem.

DE quibus in Missali, & late Suarez *disput.* 85. *section.*1.

9 Dico quartò, si post ritè factam consecrationem accidat defectus impediens sumptionem, ille tollendus est, ad hoc vt sacrificium consummari possit, & supplendum, quod defuerat, & si fuerit necessarium, iterum cõsecrare, modo dicto, tenetur enim Sacerdos vtramque speciem sumere: ideoque si præuideat esse aliquid in materia sumptionem impediens, non debet sacrificium inchoare, ne se exponat periculo non conficiendi Sacramentum.

10 Dico quintò, si post consecrationem comperiat, venenum esse mixtum speciebus, non eas sumat Sacerdos, sed iterum consecret, & sumat, species autem illæ seruandæ erunt donec corrumpantur, & siccentur, & proiiciendæ deinde in sacrarium, seu piscinam, si autem fuerint species vini, imbibantur stupa aut panno, & conseruentur donec corrumpantur & postea comburatur stupa, & cineres mittantur in sacrarium. Henriq. *lib.*9 *c.*35.*n.*4. Coninch 3. *part. q.*83.*art.*5. Filliuc. *tom.*1.*tract.*5 *c.*6.*n.*165 Villalobos *p.*1.*tr.*8.*diff.*32.*n.*9. & cum aliis Bonac. *tom.*1. *disp.*4. *q.vlt. punct.*10.*n.*10.

11 Dico sextò, si animal venenosum post consecrationem inciderit in calicem, faciendum est id, quod dictum est *concl.*5. si autem non sit venenosum, vt culex debet sumi, si fieri potest absque periculo vomitus: sin minus, extrahendum diligenter animal, lauandum, comburendum, & ablutio cum cineribus in sacrarium mittenda, & deinde sumendus calix, si adsit periculum vomitus, non sumat calicem, tunc sumat alius Sacerdos, aut de nouo consecret. Villalobos *sup.* & alij communiter ex S. Thn. *q.*83. *art.*6. *ad* 5.

12 Dico septimò, si vinum consecratum congeletur, debet calix circumiri linteis calidis, vt liquefiat

reuerentia; si autem seruari sic non potuerit, laicus poterit etiam vini species sumere, quia præceptum non communicandi sub vtraque specie est Ecclesiasticum, quod in hoc casu non obligaret propter reuerentiam Sacramenti. Villalobos *sup. num.* 15. *in finem.*

22 Dices etiam, an Sacerdos possit Missam inchoatam interrumpere. Respondeo cum Bonac. *tom.* 1. *disp.* 4. *q. vlt. punct.* 10. negatiuè, aliter si interruptio sit notabilis, esset peccatum mortale; nam Missa successiuè mortaliter est celebranda; non tamen peccaret mortaliter, si vrgētissima causa intercederet, v.g. si inter Missarum solemnia infans nasceretur in periculo mortis, & non adesset alius quàm Sacerdos, per quem posset ritè Baptizari. Vide Henriq. *lib.* 9. *c.* 30. *n.* 3. Posseuin. *de sacrif.* 6. 2. *num.* 11. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 86. Syl. *Miss.* 1. *n.* 2. Bonacin. *loco cit. n.* 24. cum S. Thom. *quæst.* 83. *art.* 6. cum Ledesm. *cap.* 25. *de Eucharist. post* 4. *conclus.*

23 Rogabis etiam, an Sacerdos possit repetere Missæ Epistolam, vel Euangelium, vt persona grauis, aut mercenarij audiant Missam. Salzedo *in praxi crimin. c.* 41. Rodrig. *in sum. c.* 244. & alij id negant, & meritò; quia est magna indecentia, & irreuerentia, propter illas personas, recitare Missam. Nauarr. tamen *miscel.* 42. *de Orat. num.* 633. ait licare, præsertim in die præcepti: cuius sententiam non audet sub mortali condemnare. Ledesma *c.* 24. *de Eucharist. post* 7. *concl.* dummodo absit scandalum, & non sit inceptus Canon; nam ob talem causam repetere Epistolam, vel Euangelium, non videtur ideò indecens, & quod scandalum generare possit: addit, & benè, ego autem non consulerem; dicit etiam repetere Epistolam, vel Euangelium sine causa, adminus esse graue veniale, propter grauem indecentiam.

De defectibus accidentalibus.

24 Dico primò, certum est teneri Sacerdotem adhibere moralem diligentiam ad præcauendum hos defectus; tenetur enim hoc sacrificium integrum, & perfectum celebrare: ideoque si defectus fuerit grauis, vt si non adest aqua, vel panis azimus, est omittenda Missa, si id præuideatur ante eam. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *c.* 5. *n.* 170. vbi dicit posse id tolerari si sit necessitas, & nullum adsit scandalum: si post oblationem, eodem modo dissimulandum: si post consecrationem, prudenter curandum, vt defectus tegatur. At si defectus leuis sit vt si hostia non esset omnino integra, aut cum aliqua nigredine, tunc posset Missam inchoare. Villalob. *p.* 1 *tract.* 8. *diff.* 33. *n.* 1.

25 Dico secundò, regulariter loquendo, accidentales defectus, postquam commissi sunt, non sunt supplendi iterando aliquid, vel supplendo præpostero ordine, vt si omisit Gloriam, Credo. Ratio est, quia cum non sint de substantia, non est necesse reiterare, maximè si adsit scandalum, & nota, alioquin si postea repeterentur, non cohærerent. Dixi, *regulariter*, quia si parua esset mora, vel quid aliud statuum esset, tunc posset repeti, conclusio hæc procedit, etiam si defectus accidentalis sit grauis, vt si celebrat cum fermentato, aut si non infundit aquam in calicem; si hoc aduertit post consecrationem, non debet, nec potest supplere, aut si hostia cecidit in calicem. Villalob. *sup. n.* 2. Item, si celebrans recordatur non esse ieiunum, aut esse excommunicatum, si id aduertat facta consecratione, debet prosequi Missam, & supplere defectum per pœnitentiam: si autem non consecrauerit, debet omittere Missam, si id sine scandalo (& non aliter) facere potest. Filliuc. Villalob. *sup.* & communiter DD. & dixi *sup c.* 5. *de Eucharist. dub.* 4. *num.* 12. vide Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 4. *q. vlt. p.* 10. *num.* 1.

LIBER QVARTVS
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPVT I.

De Pœnitentia, & eius partibus in communi.

DVBIVM I.

Quid sit virtus Pœnitentiæ.

1 NOTA nomen pœnitentiæ, quæ Græcè dicitur, μετάνοια, dictum esse à pœna, ita vt idē sit pœnitētia, quod pœnæ tenentia, & pœnitere quod pœnam tenere, ex August. *lib. de vera, & falsa pœnit. c.* 9. quasi semper in se puniat quis quod peccando commisit; & quia pœnitentia præcipua est dolor ipse facti, ideo nomen pœnitentiæ significat dolorem prioris facti.

2 Nota secundò, pœnitentiam sumi quatuor modis: primò, pro retractatione prioris voluntatis, etiamsi mala non fuerit, qua ratione dicitur pœnitere, qui nollet aliquid fecisse; & per metaphoram etiam tribuitur Deo, Genes. 6. *Pœnitet me fecisse hominem.* Secundò, pro cordis affectione & dolore, ex conscientia rerum malè gestarum, quæ si voluntariè assumpta sit, & rationi consona, virtus quædam est. Tertiò, pro Sacramento pœnitentiæ, cuius dolor (qui est actus virtutis) pars quædam est. Quartò: pro satisfactione, quæ imponitur à confessario: aliquando etiam pro ipsa confessione, communis tamen, & magis propria acceptio est secunda, & tertia, sicque DD. communiter diuidunt

pœnitentiam in eam quæ est virtus, & in eam quæ est Sacramentum, de quibus est agendum in sequentibus, & primùm in hoc dubio de pœnitentia, quæ dicitur, & est virtus.

2 Dico primò, pœnitentia, vt est virtus, est virtus specialis supernaturalis inclinans hominem ad detestationem peccati, ad satisfaciendum Deo pro iniuria illi facta, & conseruandum ius diuinum illæsum. Ita ex D. Thom. 3. *part. quæst.* 85. *art.* 2. Suarez *de pœnitent. disp.* 2. *sect.* 3. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 59. Coninch 3. *part. disput.* 3 *de pœnit. dub.* 4. *num.* 23. & cum his, & aliis Bonacin. *tom.* 1 *disput.* 5. *quæst.* 1. *punct.* 1. *numer.* 1. Dicitur primò, *virtus*, quia est habitus honestus, & laudabilis, ac laudatus in sacra Scriptura, Ierem. 31. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam, &c.* & Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c.* Etenim detestari peccatum, vt satisfaciamus Deo, est res bona, & honesta; ergo actus & habitus ex actuum frequentatione genitus erit studiosus, & bonus. Dicitur secundò, *supernaturalis*, nam actus huius virtutis disponunt ad gratiam, & actus ad gratiam disponentes sunt supernaturales ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. *& Can.* 3. ergo habitus à quo procedunt. Dicitur etiam supernaturalis, ad differentiam pœnitentiæ naturalis, de qua non loquimur, quia hæc non prodest ad remissionem peccatorum, & ad vitam æternam, sicut pœnitentia quæ est specialis virtus: dari autem posse pœnitentiam naturalem de peccatis, docent sanctus Thom. *quæst.* 84. *articul.* 7 Coninch *disputat.* 1. *de pœnitent. numer.* 28. Henriquez *lib.* 4 *cap.* 19. *num* 4. Suar. *disp.* 27. *sect.* 7. *num.* 3. Bonacin. *supr. num.* 1. *vers. Nan nega.* & alij; nam lumen naturæ dictat, non esse offendendum authorem naturæ, & Deum placandum esse. Dicitur, *ad destationem peccati*, nam hæc virtus mutat voluntatem, & facit, vt nolit, quod antea volebat, & vt detestetur, & odio habeat illud, quod antea sibi placebat, quod est detestatio, & displicentia peccati. Denique dicitur, *Ad satisfaciendum pro iniuria, &c.* nam proprium munus, & officium huius virtutis est, inclinare voluntatem ad satisfaciendum Deo pro offensa illi illata, & resarcire ius diuinum per peccatum violatum. Etenim Dominus Deus habet ius supra omnes homines, ratione cuius iuris, & dominij, & superioritatis, homo stare debet voluntati Dei, & illius ius seruare illæsum, & integrum; cum autem hoc ius violetur per peccatum, & resarcitur per virtutem pœnitentiæ, sequitur per pœnitentiam habere pro munere, & officio, imò pro obiecto (vt infra) detestationem iniuriæ Deo factæ, & satisfactionem pro iniuria, & offensa diuina, quod ita proprium est huius virtutis, vt nulli alij primo, propriè conuenire possit.

3 Dico secundò, obiectum materiale, seu materia, circa quam versatur hæc virtus pœnitentiæ, est malum culpæ, seu peccatum, siue mortale, siue veniale, siue actuale, siue habituale, siue internum, siue externum, quod homo detestatur, quatenus est contra honorem, & authoritatem Dei, nam vt diximus, hæc virtus inclinat ad detestationem peccati, & detestatio peccati est actus pœnitentiæ; ergo peccatum erit illius materiale obiectum: extenditur etiam ad peccatum non solum proprium, sed alienum, quia hæc virtus est quædam iustitia ad Deum, consequenter odio habet mali peccatum vbicumque sit. Vide Suarez *de pœnit. disp.* 2. *sect.* 1. Henriq. *vbi sup. n.* 4. Coninch *loc. citat. disput.* 1. *dub.* 3. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 3.

4 Dico tertiò, obiectum formale virtutis pœnitentiæ est, seruare ius diuinum ex speciali debito iustitiæ, seu resarcire diuinam iniuriam, & offensam per peccatum ei illatam. Ratio est, quia pœnitentia est quædam iustitia (modo vt infra) ergo sicut obiectum iustitiæ in communi est ius, ita obiectum iustitiæ specialis erit speciale ius, quod ius, dicunt Theologi esse peccatum, vt compensabile, vel vt destruendum. Ad obiectum formale pœnitentiæ etiam spectat; velle satisfacere pro pœna peccatis debita, ideo S. August. *lib de vera & falsa pœnit.* dicit, pœnitentia est doloris vindicta puniens in se quod dolet commisisse. Filliuc. *sup. n.* 14. Bonac. *loc cit. n.* 2. & pluribus Suar. *disp.* 1. *sect.* 3.

5 Hinc colligitur, virtutem pœnitentiæ esse distinctam ab aliis virtutibus, nam obiectum formale illius, quod est recompensatio iniuriæ, & offensæ Deo factæ per actum detestationis peccati, & satisfactionis offensæ, est distinctum ab obiecto, & actibus aliarum virtutum, vt patet inductione, & docet communis; nulla enim virtus detestatur peccatum sub ea ratione, qua pœnitentia detestatur: etenim etsi temperantia, v. g. detestetur ebrietatem, non tamen quatenus est contra ius diuinum, sed quatenus est contra motiuum, & obiectum temperantiæ Item, charitas non detestatur peccata, vt sunt iniuria, & offensa Dei, sed vt sunt contra Deum summè dilectum, adde quod pœnitentia non est virtus Theologica, sicut est charitas, vt dicemus statim.

6 Dico quartò, pœnitentia non est virtus Theologica; quia hæc respicit immediatè ipsum Deum, at pœnitentia immediatè respicit peccatum, vt destruendum, & detestandum, & ius diuinum violatum, vt resarciendum: & si aliquo modo respicit Deum respicit in obliquo tanquam finem cui, sicut religio respicit immediate cultum diuinum, & in obliquo, & tanquam finem cui, ipsum Deum. Est autem pœnitentia virtus moralis per se infusa, & supernaturalis moralis, quia versatur in bonis vitæ moribus, & actionibus, & non est Theologica per se infusa; & supernaturalis, quia per actus frequentatos non potest acquiri, sed infunditur in animam speciali Dei dono; tum quia perficit hominem in statu gratiæ, & coniungitur semper cum charitate: infunditur autem in adultis, quando iustificantur simul cum aliis virtutibus: in pueris quando baptizantur, nam quamuis ij non habeant peccatum, habent tamen naturam, sic Adam in statu innocentiæ habuit hanc virtutem.

7 Dico quintò, pœnitentia non est verè, & propropriè species iustitiæ propriè dictæ. S. Thomas *quæst.* 85. *articul.* 3. & communiter D D. nam inter Deum, & nos non est perfecta iustitia, cum non detur æqualitas hominis ad Deum. Continetur tamen sub iustitia analogicè, & per quandam similitudinem tanquam pars illius potestatis, & potestatiua, sicut religio in Deum, pietas in parentes, & obedientia, etiam reducuntur ad iustitiam tanquam species imperfectæ. Ratio cur ad iustitiam reducatur est, quia sicut per iustitiam reddimus debitum alteri; similiter per hanc virtutem debitum peccati dissoluimus, & per pœnitentiam reddimus Deo aliquam compensationem ad similitudinem iustitiæ commutatiuæ, & quia non æqualiter, ideo non est propriè iustitia.

8 Dico sextò, subiectum proximum, & immediatum est voluntas. S. Thom. *quæst.* 85. *art.* 4. & communiter DD. Ratio est, quia pœnitentia, vel est detestatio peccati, & illius displicentia, & sic est quædam nolitio, quæ est actus voluntatis, vel est intentio satisfaciendi, quæ etiam est actus voluntatis: subiectum verò remotum pœnitentiæ est quælibet creatura quæ potest peccare, & est capax pœnitentiæ. Vnde excepto Christo, & B. Virgine, qui non poterant peccare, ille ex natura sua hæc per gratiam, & exceptis Angelis,

Angelis, qui sunt incapaces pœnitentiæ propriè dictæ, in aliis omnibus reperiri potest hic habitus pœnitentiæ, vt in primo parente, in infantibus, in beatis, in animabus Purgatorij, & viatoribus: ij enim omnes, vel potuerunt peccare, vt primi parentes, infantes, & beati nonnulli; vel de facto peccauerunt, vt Adam post lapsum, beati nonnulli, animæ Purgatorij, & viatores adulti: damnati verò, quia ratione status sunt incapaces pœnitentiæ, ideo illa carent. Vide Suarez *disp.7.sect.1.num.*10.

9 Nota, actus pœnitentiæ diuidi in internos, & externos, interni sunt quatuor: primus est voluntas destruendi peccatum: secundus est odium ipsius peccati, quatenus est quoddam malum: tertius est detestatio, quæ est fuga quædam mali præsentis ex consideratione turpitudinis peccati: quartus est dolor, id est, displicentia quædam orta ex detestatione peccati; de quibus late Suarez *disp.3.sect.*4. & quamuis ij actus sint voluntatis, tamen quia hæc potentia est cæca, supponunt actum intellectus cognoscentia turpitudinem peccati, & habeot etiam regulariter cooiunctum actum appetitus sensitiui, tanquam consequenter actum internum voluntatis. S.Thom. *q.*85. *artic.*4. & Theologi communiter ex Suar *sup. sect.*1. *num.*2. etenim voluntas dum de peccato dolet, trahit secum appetitum inferiorem, vt concipiat aliquem dolorem sensitiuum; non tameo est necesse, vt semper sequatur: quia aliquando potest impediri ex contraria corporis dispositione, vel aliis causis. Hinc Patet distingui detestationem à dolore; nam detestatio est fuga, seu carentia mali, quod est in peccato, ex qua sequitur dolor, nempe displicentia de iis, quæ nobis dolentibus accidunt, vnde dolor supponit actum, quo obiectum nolitum sit, quamuis sæpe pro eodem sumi soleat. Vt ploribus Suarez *dict. sect.*4. Vide Filliucius *tom.*1. *tract.* 6. *capit.* 1. *quæst.*8. Actum autem detestationis esse honestum, diximus *suprà num.*3. & est de fide ex Trident. *sess.*14. *Can.*5. & fundatur in sacra Scriptura, Ezech. 16. 35. Matth. 3. & 4. Item esse supernaturalem, etiam est de Fide, ex Suarez *sup. sect.*6. quia sine gratia supernaturali non potest exerceri, dicitur enim in Scripturuta esse donum Dei, sicut Fides, Spes, & Charitas, ex 2. Timoth. 2. *Ne quando pœnitentiam.* & Trid *sess* 6 *cap.*6. *& Can.*3.

10 Pœnitentiæ actuum duplex est propria diuisio. Prima, in contritionem, confessiooem, & satisfactionem, ex quibus contritio tantùm potest esse actus interior, coofessio verò, & satisfactio etiam exteriores. Secunda in eleemosynam, ieiunium, & orationem: ieiunium comprehendit vsum bonorum corporis; eleemosyna verò temporalium, oratio autem animæ: qui quidem tres actus dicuntur imperari à pœnitentia, etiamsi possint ab aliis virtutibus imperari, à qua etiam imperantur alij actus exteriores, vt tollere occasiones, præsertim proximas peccatorum, moderari affectus, qui possunt impellere ad peccatum, &c. Vide Filliucium *sup. q.*10.

11 Sed quæres primò, in quibus conueniant, & differant pœnitentia, vt virtus est, & pœnitentia, vt Sacramentum. Respondeo breuiter conuenire in quinque. Primò, quia vtraque est vtilis medicina ad delendum peccatum actuale, & necessaria, si peccatum sit mortale, vt patebit ex dicendis. Secundò, vtraque dicitur secunda tabula post naufragium; sic enim appellatur à S. Thoma. 3. *part. quæst.* 84. *artic.*6. & Tridentin. *sess.* 6. *capit.* 14. Etenim prima nauis ad consequendam salutem est innocentia; quando ergo hæc nauis passa fuit naufragium per peccatum originale, liberat nos Baptismus, qui metaphoricè dicitur prima tabula; si autem frangatur per peccatum mortale, ab eo nos liberat pœnitentia, quæ ideo dicitur secunda tabula post naufragium spirituale causatum per peccatum mortale. Tertiò, vtraque versatur circa eandem materiam, nempe peccatum actuale. Quartò, vtraque requirit idem subiectum, nempe hominem adultum, virtus quidem etiam non baptizatum. Quintò, vtraque potest iterari, non modò circa idem peccatum, sæpius videlicet detestaodo illud, vel aperiendo in confessione, vel etiam circa diuersa, quæ post pœnitentiam, & confessionem committuntur. Differunt autem in aliis quinque. Primò, quia virtus pœnitentiæ ponitur in genere habitus, vel actus vt supra dixi: Sacramentum sub signo sacro, seu in genere signi, est enim signum rei sacræ, vt infra dicetur. Secundò, quia virtus est actus interior, ita vt in eo saluetur ratio virtutis, & quando prodit in actum externum, hic non est virtus, nisi vt pendet ab interno: at Sacramentum propriè est actio externa, & sensibilis; quamuis etiam contritio eius pars requirat internum dolorem, qui tamen manifestetur exteriùs. Tertiò, virtus est pars quædam pœnitentiæ Sacramenti, per suum dolorem videlicet; Sacramentum verò est ipsum totum, quod præter dolorem, & alios actus, dicit etiam absolutionem. Quartò, virtus pœnitentiæ est causa gratiæ per modum dispositionis, Sacramentum per modum causæ efficientis, & ex opere operato. Quintò, virtus pœnitentiæ est de iure diuino naturali, non quòd sit naturalis, sed quia est connaturalis nostræ naturæ lumine fidei illustratæ: dictat enim ratio naturalis, detestandum esse peccatum, si commissum sit, ideo hæc fuit necessaria in omni statu: at Sacramentum est de iure diuino positiuo, nempe ex Christi institutione, ob idque tantùm est necessarium in statu gratiæ, seu in noua lege. Vide de iis plura apud Suar. *disp.*1. *sect.*1. *&* 2.

12 Quæres secundò, an virtus pœnitentiæ sit necessaria, & in præcepto. Respondeo, solutiooem huius quæstionis pendere ex his, quæ de necessitate contritionis infra dicemus: vide etiam in Decalogo *lib.*3. *cap.*4. *dub.*1. *num.*14. Henriquez *lib.*4. *c.*15. *n.*7. Coninch. 3. *p. disp.*1. *de pœnit. dub.*4 & cum aliis Bonacina *tom.*1. *disp.*5. *q.*1. *punct.*2. Respondeo breuiter, actum pœnitentiæ esse simpliciter necessarium ad iustificationem expresè, aut saltem implicitè, & virtualiter, seu æquiualenter, Ratio est, quia ad iustificationem necesse est, vt homo odio habeat peccatum, illud detestetur, illique displiceat, velitque pro offensa, & iniuria Deo illata satisfacere; qui actus sunt virtutis pœnitentiæ, vt dictum est *sup. num.*3. *&* 9. Dixi, *saltem implicitè*, nam aliquando sufficit actus pœnitentiæ implicitus, hoc est, actus dilectionis Dei, & contritionis; in quibus æquiualenter continetur actus pœnitentiæ, nempe velle satisfacere Deo, & recompensare iniuriam illi illatam. Nec recipiens Sacramentum pœnitentiæ potest iustificari absque aliquo actu virtutis pœnitentiæ; nam qui vult recipere Sacramentum, vult etiam dolere de offensa, & iniuria Dei, vultque Deo satisfacere, & inæqualitatem per peccatum positam inter Deum, & hominem resarcire, qui sunt actus pœnitentiæ. Aduerte tamen cum Coninch. *vbi suprà, num.* 26. & Bonacina *loco citat.* actum virtutis pœnitentiæ præcisè, & prout tantùm dicit, velle satisfacere pro iniuria Deo illata, aut nolle ampliùs eum cædere, non sufficere ad recipiendam primam gratiam post peccatum; nam etsi sit dispositio ad illam, non tamen est vltima dispositio, sed solus actus contritionis, aut dilectionis Dei est vltima dispositio ad illam extra Sacramentum, vt constabit ex dicendis, & docet S. Thom. 3. *p. quæst.* 84. *art.*10. Coninch,

& Henriquez *vbi sup.* Vnde qui cupit extra Sacramentum iustificari, non solùm debet Deo velle satisfacere pro iniuria illata, sed etiam huic actui actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia coniungere. Dixi, *præcisè ex vi illius actus.* nam si pœnitentia sumatur pro illis quatuor actibus, de quibus *num.9.* certum est, sufficere ad iustificationem; nam in illis continetur contritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam: sed de hoc latiùs, & clariùs, dum de necessitate Sacramenti pœnitentiæ, & contritionis agemus.

D v b. II.

Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ.

1 NOta, hoc Sacramentum vocari à Patribus variis nominibus. Primò, vocatur expiatio, seu purificatio; secundò, renunciatio: tertiò, renascentia, seu reformatio: quartò, absolutio: quintò, Baptismus laboriosus, seu lachrymarum: sextò, secunda tabula post naufragium; septimò, impositio manuum: octauo, confessio, seu exomologesis: nono, & communius, Sacramentum pœnitentiæ, expiationis, & reconciliationis.

2 Supponendum primò tanquam de fide, in noua lege, seu gratiæ, dari verum Sacramentum pœnitentiæ, vt definitum est in Concilio Florent. *in decreto Eugen.* & Trident. *sess. 7. Can.* 1. vbi inter septem Ecclesiæ Catholicæ, & legis nouæ Sacramenta enumerat hoc Sacramentum, & expresè de hoc Sacramento definit *sess.* 14. *cap.* 1. *&* 5. Ratio esse potest, quia vt infra constabit, dantur certi actus pœnitentis, & Sacerdotis, quibus conuenit definitio Sacramenti; nam sunt signa sensibilia gratiæ à Christo eleuata, per quæ remittuntur peccata, & confertur gratia.

3 Supponendum secundò, esse etiam de fide, Sacramentum pœnitentiæ fuisse institutum à Christo Domino: patet ex Conciliis Florent. & Trident. *locis cit.* & communi Catholicorum: instituit autem illud Christus præcipuè, Ioann. 20. quando post resurrectionem insufflauit dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt.* ex Trid. *sess.* 14. *c.* 1. & latè Suar. *disp.* 17. *sect.* 1. Inchoatiuè autem, & minùs præcipuè instituit hoc Sacramentum ipse Christus in nocte cœnæ, quando Christus ordinauit Apostolos, eisque per ordinationem contulit characterem, qui est fundamentalis potestas absoluendi. Illis autem verbis, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, &c* & cap. 18. *Quodcumque solueris, &c.* tantùm promisit Christus facultatem absoluendi à peccatis, seu (& fortè veriùs) iis locis datam fuisse facultatem ferendi censuras, non verò absoluendi à peccatis. Vide Suar. *vbi sup.* & Bonac. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 1. Quòd si dicas, Sacerdotes, dum recipiunt ordinem sacerdotalem, simul etiam recipere potestatem absoluendi; ergo etiam Apostolis collata videtur potestas absoluendi in vltima cœna in qua facti fuerunt Sacerdotes, consequenter videtur Sacramentum pœnitentiæ institutum ante Christi resurrectionem. Respondeo, in sacra ordinatione diuersis actibus recipi facultatem consecrandi, & absoluendi, nam per illa verba: *Accipite potestatem offerendi in Ecclesia, &c.* accipiunt potestatem absoluendi radicalem, quæ continetur in charactere, completam autem recipiunt, dum Episcopus dicit *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* quibus verbis præcedens character extenditur, & perficitur ad completam authoritatem absoluendi conferendam, Henriq. *lib.* 10. *cap.* 6 *n.* 2. & dicemus, vbi de Ordine. Ex quo patet primò, Sacramentum pœnitentiæ præcipuè institutum fuisse illis verbis Christi, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Secundò, eum, qui priorem tantùm acceperit potestatem, non posse à peccatis virtute illius tantùm absoluere, nisi etiam accipiat secundam potestatem illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* adiuncta etiam iurisdictione, de qua infra. Vide Henriq. *loco cit. n.* 3. & Bonacinam *vbi sup. n.* 3. *&* 4.

4 Ex dictis apertè colligitur, in lege naturæ, & in lege veteri scripta non extitisse Sacramentum pœnitentiæ. Ita communiter Doctores. Et patet, quia si hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino, vt dictum est suppositione secunda, constat ante eius aduentum non extitisse, vt expresè definit Trident *sess.* 14. *cap.* 3. vbi habetur, pœnitentiam non fuisse Sacramentum ante Christi aduentum, nec esse post aduētum illius quidquam ante Baptismum. Quando ergo in sacris Scripturis mentio fit pœnitentiæ, cui Deus promisit remissionem peccatorum, intelligitur de interna pœnitentia, quæ est virtus, seu contritio peccatorum, iuxta illud Ioel. 20. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra* & Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum, &c.* & Psal. 33. *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.* quæ quidem pœnitentia fuit necessaria in omni statu, vt dictum *dub.* 1. & dicetur *dub. seq.* vide Suarez *tom.* 4. *disp.* 1. *sect.* 2. His suppositis,

5 Dico primò, pœnitentiam à D. August. & Gregor. definiri sic: Pœnitentia est, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere; vel vt docet Magister: Sacramentum remissionis peccatorum, quæ post Baptismum: alij alias afferunt definitiones; mihi autem sic videtur posse adæquatè definiri: *Sacramentum à Christo Domino institutum, constans ex actibus pœnitentis, & absolutione Sacerdotis in remissionem peccatorum, quæ post Baptismum sunt commissa.* Quæ definitio exacta videtur, nam constat ex quatuor causis; nam prima particula, *Sacramentum*, habet locum generis, per quod conuenit cum aliis Sacramentis. Illa verba, *à Christo Domino institutum*, denotant causam efficientem: illa verò, *constans ex actibus pœnitentis*, exprimunt materiam huius Sacramenti, quæ sunt confessio, contritio, & satisfactio, de quibus infra. Dicitur etiam, *& absolutione Sacerdotis*, per quam significatur causa formalis, seu forma huius Sacramenti, quæ vt dicatur, est absolutio. Denique dicitur, *in remissionem peccatorum, quæ, &c.* quia finis, ad quem institutum fuit hoc Sacramentum, est ad remittenda peccata post Baptismum commissa. Potest breuius sic definiri: *Sacramentum constans ex confessione dolorosa & absolutione Sacerdotis*: quæ definitio comprehendit omnia essentialia, scilicet materiam, & formam; nam, *confessio dolorosa*, est materia, & absolutio Sacerdotis forma: quæ omnia clariùs ex dicendis constabunt.

6 Ex hac conclusione sequitur, hoc Sacramentum essentialiter supponere pro absolutione, tãquam pro sua forma, & pro actibus pœnitentis, qui sunt contritio, confessio, & satisfactio, pro materia proxima; an autem omnes actus pœnitentis sint partes materiales essentiales huius Sacramenti, dicetur *infra cap. seq. dub.* 2.

7 Nota, in hoc Sacramento, sicut in aliis, tria reperiri, Sacramentum tantùm, res, & Sacramentum simul, & res Sacramenti tantùm. Sacramentum tantùm, secundùm communem cum D. Thom. *q.* 84. *art.* 1. sunt actus pœnitentis, & absolutio Sacerdotis; nam significant gratiam, & nullo modo significantur. Commune etiam est, rem tantùm huius Sacramenti

esse

esse gratiam, quia significatur per absolutionem, & actus pœnitentis, & non significat. Res verò, & Sacramentum simul secundum veriorem opinionem Sancti Thom. quem sequitur Ledesma *cap. 4. de pœnitent. conclusion. 5.* est contritio interior; nam significatur per actus externos pœnitentis, & significat etiam gratiam sanantem animam. Quod si dicas, contritionem esse Sacramentum tantum, consequenter non posse esse rem, & Sacramentum. Respondeo esse Sacramentum tantum, in quantum est principium dolorosæ confessionis; in quantum verò significatur per confessionem dolorosam, per quam recipit perfectionem in ratione dispositionis, & significat gratiam, est res, & Sacramentum simul; sicut ramus arboris est effectus, & pars arboris; sic cōtritio diuerso modo est pars, & effectus huius Sacramenti.

8 Hinc patet, hoc Sacramentum distingui ab omnibus aliis; nam habet materiam, & formam ab omnibus aliis distinctam, nullum enim aliud Sacramentum habet pro materia peccata, seu actus pœnitentis, & pro forma absolutionem, nisi hoc Sacramentum. Distinguitur etiam ab aliis ratione finis; nam finis huius Sacramenti est remittere peccata post baptismum commissa, ad quem finem consequendum solùm hoc Sacramentum est institutum; nam etsi Baptismus sit institutus ad diluenda peccata, tamen primò, & per se solùm institutus fuit ad delendum peccatum originale, & secundariò ad delendum actuale, si baptizatus, sit adultus, vt diximus *lib. 1. cap. 1. dub. 1. & dub. 8.* Est etiam hoc Sacramentum vnum tantùm specie infima, seu atoma: tum quia aliter Sacramenta essent plusquam septem: tum quia sicut Baptismus est vnus specie, & sufficiens ad delendum peccatum originale; ita similiter pœnitentia erit vnum specie, & sufficiens ad delendum mortale post Baptismum. Multiplicatur autem numero secundum multiplicitatem personarum illud sumentium: tum etiam quoties in eodem subiecto, seu persona iteratur. Vide Suarez *disp. 1. sect. 4. num. 6. 7. & 8.*

9 Colligitur etiam, in hoc Sacramento formam esse partem præcipuam, sicut est in aliis compositis. Item, non solum formam, sed etiam actus pœnitentis simul cum absolutione causare gratiam; nam ex actibus, & absolutione fit vnum Sacramentum, quod est causa gratiæ, præcipuè tamen absolutio eam causat, eo quòd est pars præcipua: quod innuit Trident. *sess. 14.* dicens, vim causatiuam gratiæ in Sacramento pœnitentiæ suam esse præcipuè in verbis Sacerdotis, significans etiam in aliis partibus, etiam reperiri, quamuis non præcipuè. Ita D. Thom. *q. 84. art. 1.* Consequenter dici potest, hominem Dei auxilio ministerialiter concurrere ad sui iustificationem, & simul cum absolutione Sacerdotis se iustificare, nam materia in hoc Sacramento habet se ex parte pœnitentis.

D V B. III.

Vtrum Sacramentum pœnitentiæ sit necessarium.

1 Dico primò, absolutè, & simpliciter loquendo, hoc Sacramentum non est necessarium omnibus: patet ex Trident. *sess. 14. cap. 1. & Can. 1. & 2.* & diximus dubio antecedenti, quia hoc Sacramentum est institutum tanquam medicina contra peccata commissa post Baptismum; ideoque pueri, & qui post Baptismum peccata non commiserunt, non egent hoc Sacramento; nam vt Christus ait Matth. 9. *Non est opus medico benè habentibus, sed malè habentibus.*

2 Dico secundò, Sacramentum pœnitentiæ necessarium esse necessitate medij in re, vel in voto iis, qui post Baptismum peccauerunt mortaliter. Suarez *disput. 17. sect. 1. n. 3. & sect. 3. n. 3.* S. Thom. *in add. ad 3. p. q. 6. art. 1.* & communiter Doctores. Patet ex Trid. *sess. 14. cap. 2.* vbi asserit, Sacramentum pœnitentiæ ita necessarium esse lapsis post Baptismum, sicut necessarius est Baptismus iis qui nondum illum susceperunt; sed Baptismus est necessarius necessitate medij in re, vel in voto, vt dictum est *lib. 1. cap. 1. dub. 2.* ergo & pœnitentia. Deinde, quia illud est necessarium necessitate medij in re, vel in voto, quo prætermisso in re, vel in voto salus obtineri non potest; sed prætermisso Sacramento pœnitentiæ in re, vel in voto salus non obtinetur à lapsis post Baptismum ergo. Minor patet ex verbis Christi, Ioan. 20. *quorum remiseritis, &c.* & Luc. 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

3 Dixi, *in re, vel in voto:* nam quando currit obligatio confitendi, seu recipiendi, hoc Sacramentum in re, seu realiter, & actu: & sic non potest recipi propter impotentiam pœnitentis, aut inopiam confessarij, sufficit susceptio illius in voto, id est, desiderium propositum, intentio, aut voluntas illius suscipiendi, quando possibile fuerit, aut illud suscipere teneatur. Ita communiter Doctores. Differunt tamen, antequiratur votum explicitum, an verò sufficiat implicitum; nam Canus *p. 5. q. a. de rel. pœnitent.* videtur asserere requiri explicitum, seu expressum: communior tamen, & recepta sententia asserit sufficere implicitum, actum scilicet dilectionis Dei, seu contritionis. Ita S. Thom. *in 4. dist. 16. 17. q. 5. art. 5. q. 1.* Suarez *disp. 17. sect. 3. n. 8.* Bonac. *tom. 1. disp. 5. q. 1. punct. 3. n. 8.* & cum Bonauent. Soto, Nauarr. & aliis Villalob. *part. 1. tract. 9. diff. 7. numer. 4.* Probatur primo ex Tridem. *sess. 14. capit. 4.* vbi dicit, votum hoc includi in contritione; quod autem in alio includitur, non est expressum, sed implicitum. Secundò, quia contritus non habens notitiam confessionis, iustificatur, ergo sufficit votum implicitum, nec requiri explicitum, nec quòd tunc recordetur præcepti confessionis. Filliucius *tom. 1. tract. 6. cap. 2. numer. 49.* Nota, votum pœnitentiæ tunc dici explicitum, quando eliciens contritionem expresse, & explicitè elicit etiam actum, seu habet voluntatem confitendi suo tempore, & de hoc diximus non esse necessarium, ad iustificationem extra Sacramentum. Illud verò dici implicitum, seu virtuale, quod in se non elicitur, sed continetur, & imbibitur in alio actu elicito à peccatore, v. g. in contritione; nam in contritione virtualiter continetur (idem die de dilectione Dei, quæ æquiualet contritioni) voluntas interpretatiua adimplendi omnia diuina præcepta, & exequendi omnia media necessaria ad salutem, consequenter includitur in ea voluntas suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ suo tempore, quod est per se institutum ad remissionem peccatorum. Hoc igitur votum implicitum pœnitentiæ sufficit ad iustificationem impij, sicut in Catechumeno fideli votum implicitum Baptismi, vt diximus *libro secundo. capite primo, dubio secundo.* At si quis dum elicit actum contritionis, memoriam habeat præcepti confessionis, existimat Filliucius *supra numero 53.* requiri votum explicitum præcepti pœnitentiæ, Attamen etsi hoc vtilissimum sit, non tamen puto necessarium; nam Doctores citati absolutè docent sufficere implicitum, nec expliciti obligatio constat ex Scriptura, traditione, aut Concilio

cilio aliquo. Sufficit enim, quòd non habeat propositum non confitendi; nam non excludendo expressè pœnitentiam, seu confessionem, dum conteritur, censetur habere votum implicitum confitendi. Ipsa enim contritio dicitur votum virtuale pœnitentiæ, eo quòd ad ipsam ordinatur, & in ordine ad ipsam, supposita diuina institutione, remittit peccata, ideoque qui vult contritionem, vult saltem virtualiter confiteri suo tempore.

4 Ex his sequitur, iustificatum per contritionem cum voto pœnitentiæ teneri de iure diuino, suscipere Sacramentum pœnitentiæ, seu confiteri suo tempore, nam contritio remittit in noua lege peccata in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, eo quòd Christus Dominus ita instituit, vt peccata omnia post Baptismum commissa subdantur potestati clauium, & expientur hoc Sacramento, ideo enim dicitur vnicum remedium. Suar. *disp.* 17. *sect.* 3. *num.* 7. & 10. sicut enim (ait) quando res aliqua venditur, & traditur emptori ante solutionem pretij, emptor acquirit dominium illius rei, & venditor illam tradit emptori per ordinem ad futuram solutionem, interim habita fide de solutione, qua solutione facta, contractus remanet perfectus, ita qui contritionem elicit, obtinet remissionem peccatorum, non simpliciter, & absolutè, sed per ordinem ad futuram confessionem, cui Deus vult illa peccata subijci; facta autem confessione pœnitens liber remanet ab obligatione, & hoc modo dicitur contritio remittere peccata, seu votum pœnitentiæ necessarium esse ad remittenda peccata. Probatur etiam à simili; nam ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. vbi dicitur ita necessarium esse hoc Sacramentum lapsis, quàm Baptismus non baptizatis, sed iustificati ante Baptismum tenentur ad illius susceptionem; ergo iustificati per contritionem tenentur ad susceptionem realem Sacramenti pœnitentiæ: Vide Bonacin. *suprà*, *num.* 7. Dixi *suo tempore*, quia non tenetur iustificatus per contritionem statim primo quoque tempore confiteri, sed quando instat obligatio. Quare si quis nollet peccata sua in hoc Sacramento detegere, peccaret mortaliter, & non iustificaretur per contritionem Filliucius *suprà*, *num.* 5 t.

5 Sequitur etiam non esse necessariam confessionem ipsa; ad hoc vt peccatum remittatur, consequenter neminem teneri, quoties debet iustificari, ad recipiendum re ipsa hoc Sacramentum, nam per solam contritionem cum voto, modo explicato remitti potest, ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. demum sequitur, extra Sacramentum non iustificari impium per solam attritionem, etiam, si velit suscipere Sacramentum, quia cum non habeat contritionem, nec Dei dilectionem, in quibus includitur votum pœnitentiæ, non censetur illud in voto suscipere, Bonacina *sup. num.* 7.

6 Dico tertiò, Sacramentum pœnitentiæ est etiam necessarium necessitate præcepti diuini: tum quia ita colligitur ex Trid *loco cit.* tum etiam, quia quod est necessarium necessitate medij, est etiam necessarium necessitate præcepti, vt diximus in Decalogo de Fide, Spe, & Charitate, & hoc *tom. lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 3. & *lib.* 2 *de Baptism. cap.* 1. *dub.* 2. Sed pœnitentiæ Sacramentum est necessarium nessitate medij; ergo etiam præcepti: sicque intelligit communis sensus, & vsus fidelium. Vide Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 2. *punct.* 2. *numer.* 2. & Decalog. *lib.* 3. *cap* 3. *dub.* 1.

***

D V B. IV.

An hoc Sacramentum necessarium sit necessitate præcepti.

1 Dari præceptum diuinum, & Ecclesiasticum de confessione peccatorum facienda, seu de suscipiendo hoc Sacramento, concors est Doctorum sententia, sed quia de iis, & de tempore, quo obligant, & de causis excusatiobus. Dixi late in Decalogo *lib.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. 2. & 3. ideo horum explicationem omitto. Vide ibi Bonar. *disp.* 5. *q.* 5. *punct.* 4. & 5. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. & 3. & latius Fagund. *de præcept. Eccles. præcep.* 3. De præcepto autem contritionis, & eius obligatione dicetur infra c. 5. *dub.* 2.

CAP. II.

De materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ.

D V B. I.

Quæ sit materia remota Pænitentiæ.

1 Svppono cum communi, hoc Sacramentum habere materiam, & formam, sicut diximus de omnibus Sacramentis, *lib.* 1. *c.* 2 *dub.* 1. est enim totum compositum morale, & artificiosum habens partes inter se connexas, & diuina institutione ordinatas, vt infra constabit.

2 Secundò suppono, materiam huius Sacramenti aliam esse remotam, aliam proximam; de remota hoc dub. de proxima dub. seq: Illa autem dicitur materia remota, quæ non intrat in compositum, seu quæ non componit rem, seu Sacramentum, sed tantum circa illam versatur, vt aqua in Baptismo, panis in Eucharistia. Proxima verò est illa, circa quam & ex qua componitur Sacramentum, vt ablutio in Baptismo, species non consecratæ in Eucharistia.

3 Tertiò, materiam huius Sacramenti aliam dici, & esse necessariam; aliam verò non necessariam aptam tamen, & sufficientem, quæ dicitur voluntaria. Demum peccatum aliud esse originale, illud scilicet, & quod contrahont omnes descendentes ab Adamo per naturalem propagationem: aliud verò actuale, illud nempe, quod contrahit adultus propria voluntate, & actu: hoc aut est mortale, aut veniale, de quibus dixi in Decalog. *prælud.* 4.

4 Dico primò, materia remota Sacramenti pœnitentiæ sunt peccata mortalia actualia commissa post Baptismum. S. Thom. 3. *p. quæst.* 84. *art.* 2. Suarez *disput.* 18. *sect.* 1. Coninch *disp.* 4. *dub.* 3 *num.* 27. Henriq. *lib.* 4 *c.* 9. & 10. Bonacin. *tom.* 1 *tract.* 5. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 2. & communiter DD. ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. & 2. & latiùs *cap.* 5. Ratio est, quia illa dicitur materia remota, circa quam versatur materia proxima; sed materia proxima pœnitentiæ, vt sunt actus pœnitentis (vt dub. seq. dicetur) versatur circa peccata; ergo, &c. Et confirmatur, quia etiam forma, quæ est absolutio, cadit in peccata, prout per eam remouentur, destruuntur, & remittuntur: dicuntur autem peccata materia remota circa quam, quia hoc Sacramentum exercetur per modum iudicij emendatiui; in iudicio autem materia circa quam sunt crimina delinquentis.

5 Dixi,

5 Dixi, *actualia commissa post Baptismum*, nam peccatum originale, aut actuale post Baptismum commissum, non sunt materia necessaria, nec sufficiens huius Sacramenti, vt tenent communiter DD. & videtur definitum à Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *&* 2. vbi dicitur, pœnitentiæ Sacramentum institutum esse ad reconciliandos fideles lapsos post Baptismũ; sequitur non esse institutum ad tollenda huiusmodi peccata, nam hæc per Baptismum tolluntur, vt suo loco latè dictum est. Ratio est, quia hoc Sacramentum institutum est per modum iudicij; peccatum autem originale, aut etiam actuale commissum ante Baptismum, non subiicitur iurisdictioni Ecclesiæ cum homo, qui ea commisit, non sit subditus iurisdictioni Ecclesiæ de quibus non iudicat Ecclesia 1. Corinthiorum. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt.* Fictio autem Baptismi, id est peccatum sacrilegij eius, qui suscipit indignè: seu cum peccato mortali Baptismum: tum etiam, & peccatum quod consummatur, finita forma Baptismi, vt si adultus dum baptizatur habeat animum furandi, pertinent ad materiam remotam pœnitentiæ. Vt docent Henriquez *suprà cap.* 9. *num.* 6. & Ledesm. *cap.* 1. *de pœnitent. conclus.* 3. nam hæc aliquo modo videntur post Baptismum commissa; tum etiam quia per illum remitti nequeunt.

6 Dico secundò, peccata mortalia post Baptismum commissa sunt materia necessaria huius Sacramenti, patet ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. *& Can.* 4. & ex communi DD. Ratio est, quia materia necessaria dicitur illa quæ non potest tolli, nisi per hoc Sacramentum; aut mortalia non possunt tolli, nisi per Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto, vt dictum est *dub.* 2. nam ad ea tollenda est institutum, etenim venialia possunt aliis modis tolli, vt dicemus; ergo, &c. Dicuntur autem peccata mortalia materia necessaria, non quia sine illis non possit confici Sacramentum, hoc enim falsum est, quia ex solis venialibus constare potest, vt statim dicemus, sed quia illa tolli non possunt, nisi per hoc Sacramentum.

7 Dico tertiò, peccata venialia sunt etiam materia remota sufficiens huius Sacramenti, non verò necessaria sed volũtaria prior pars ex Trid. *sup. c.* 5. Ratio est, quia hæc verè sunt peccata; & ex alio capite hoc Sacramẽtum non est coarctatum ad solam remissionem mortalium; nam verba illa Christi. Ioann. 20. *Quorum remiseritis, &c.* etiam comprehendunt venialia, vt cum aliis docet Suarez *disp.* 18. *sect.* 1. *n.* 5. Posterior pars, quòd tantum sit materia voluntaria, & non necessaria, probatur, quia Trident. & DD. communiter docent peccata venialia voluntariè omitti posse in confessione absque peccato, est enim hoc Sacramentum necessarium post naufragium spirituale; anima autem non patitur illud per venialia, ideo non sunt necessariò confitenda, tum etiam quia aliis modis remittuntur, seu tolluntur. At si pœnitens dubitet, ita vt verè dubius sit, an sint mortalia, tenetur illa in æquali dubio confiteri, ne se exponat periculo transgrediendi hoc præceptum: tum etiam quia potest fieri, vt tantum sit attritus, & per absolutionem fiat contritus. Igitur quando pœnitens est dubius, debet illud manifestare confessario, vt hic absoluat sub conditione, si materia adhuc dubia illi sit. Suarez *disp.* 18. *sect.* 1. *num.* 12. Non autem tenetur illa confiteri: si probabiliter putet, non esse mortalia, quamuis leuem aliquam suspicionem habeat, aut etiam opinionem in contrarium; nam possumus sequi opinionem probabilem, etenim si ratione probabili in fauorem sui magis inclinet, potest deponere dubium, & reputare esse veniale. Ita Nauarr. *capit.* 21. *numero.* 34. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 5. Vide in Decalog. *lib.* 3. *cap.* 4. *dub.* 2. *&* 3. & Henriquez *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 3.

8 Ex hac conclusione sequitur, pœnitentem non teneri confiteri peccata venialia, siue solum habeat sola venialia, siue etiam simul cum illis habeat mortalia; nam vt dictum est, solùm sunt materia sufficiens, non verò necessaria. Nec obstat *cap. omnis vtriusque sexus*, nam intelligitur de omnibus peccatis mortalibus tantum, ex communi Doctorum apud Azor *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 39. *quæst.* 3. & dixi in Decalog. *lib.* 3. *cap.* 4. *dub.* 3. nam Ecclesia solùm determinat tempus faciendi confessionem, quæ facienda est de iure diuino; at ius diuinum non obligat ad confitenda venialia, vt dictum est, ergo. Vide Suarez *disp.* 22. *sect.* 8. *num.* 2. hinc fit eum qui habet peccata mortalia, & venialia, si non potest confiteri mortalia ratione alicuius periculi, aut infamiæ, iuxta dicenda *infrà cap.* 6. *dub.* 7. non teneri tempore Paschæ; vt præceptum adimpleat, confiteri sola venialia, nullo enim præcepto ad id cogitur. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 36 *sect.* 6. *num.* 1. & Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resolut.* 75.

9 Sequitur secundò, habentem plura venialia v.g. decem, posse ex his, quinque confiteri, omissis aliis quinque; Ratio est supra dicta, quia venialia non sunt materia necessaria. At si omnia illa decem confiteatur, tenetur de omnibus decem dolere, & proponere illa deinceps non committere; aliter enim peccat mortaliter, & est irritum Sacramentum; nam committit sacrilegium, eo quòd subiiciat absolutioni materiam non veram, eo quòd peccata absolutè, & nude sumpta non sunt vera materia pœnitentiæ, sed prout delenda, & destruenda, ad quod requiritur dolor de admissis, & propositum non ea iterum committendi; ideoque etsi absolutè sit in nostra facultate venialia confiteri, at dato, quod illa confiteamur tanquam materia pœnitentiæ, tenemur illa cum dictis circunstantiis confiteri. Attamen Reginald. *lib.* 5. *cap.* 4. *sect.* 1. *num.* 4. *vers. Aduerte*, cum Suarez *disp.* 20. *sect.* 6. *num.* 7. tenet peccatum quidem esse non conteri nec emendationem proponere de omnibus venialibus, quæ per sacramentalem confessionem clauibus Ecclesiæ subiiciuntur, sed hoc peccatum non esse mortale: quia integritas (inquit) contritionis de venialibus non est (sicut nec integritas confessionis eorundem) de necessitate huius Sacramenti, quia hoc potest sortiri effectum diuinæ gratiæ sine illa integritate, eo quod peccatum veniale, etiamsi placeat, non est obex diuinæ gratiæ, nec remissionis aliorum peccatorum: vnde sicut non obest Sacramento si nullo modo clauibus supponatur; ita de se obierit, si non supponatur sufficienter, consequenter, ait, tàlis confessio erit valida. Quæ quidem sententia probabiliter sustineri potest, modò doleat pœnitens de aliquo veniali ex confessis, vt supponit Suarez, nam sic iam subiicit veram materiam.

10 Sequitur tertiò, posse Ecclesiam præcipere confessionem venialium ob aliquem bonum finem, vt ad placandum Deum in publica aliqua necessitate, ad maiorem gratiam recipiendam, ad obseruationem disciplinæ monasticæ, &c. S. Thom. *in* 4. *distinct.* 5. *art.* 2. *quæst.* 5. Suarez *disp.* 22. *sect.* 8. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disput. quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 8. & Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 7. Ratio est, quia peccata venialia sunt materia apta, & sufficiens huius Sacramenti; ergo poterit Ecclesia horum confessionem, cùm sit opus bonum, & religiosum, propter ipsos, & fidelium vtilitatem præcipere. Non tamen omnium venialium confessionem præcipere

potest ; nam moraliter hoc est impossibile, eo quòd impossibile videatur omnia venialia in memoriam renocare. Ita citati, vide in nostro Decalogo *lib. 3. cap.4. dub 2. & 3.*

11 Dico quartò, peccata mortalia, siue venialia semel ritè confessa, non sunt necessaria materia pœnitentiæ, seu non tenemur ea iterum confiteri. Ita communis Theologorum ex Suarez *disput.*18.*sect.*1. & habetur extrauagant 1.*de priuil.* & extrauag. *vas electionis de hæret.* oppositum dicitur erroneum. Et Tridentinum *sess.*14. *cap.*5. dicit, ea tantùm peccata esse confitenda, quorum quis habet conscientiam; at semel confessa non sunt amplius in conscientia. Et ratio est, quia circa peccata semel ritè confessa iam sunt impleta verba Christi, *quorum remiseritis peccata, &c.* ergo satisfactum est diuino præcepto. Vide Suarez *suprà disp.*21.*sect.*6. Sunt tamen materia sufficiens, id est, possumus ea iterum, atque iterum, & quoties voluerimus confiteri, & absolutioni subiicere, vt habetur in dicta extrauag. & habet communis Doctorum, & vsus priorum hominum, & Catholicorum Ratio est quia Christus non limitauit potestatem ad vnum actum remissionis, & alioqui congruum erat ad finem Sacramenti, propter maiorem vtilitatem, & securitatem animarum: vnde non solùm cum aliis non confessis, sed etiam per se sola sufficiunt ad Sacramentum. Ratio est, quia datur noua materia proxima, scilicet actus pœnitentis renouati super eandem materiam remotam; etenim etsi absolutio non possit iterari supra eandem materiam proximam, benè verò super remotam, sicut in Baptismo eadem aqua potest esse materia remota diuersorum Baptismorum, non tamen proxima, quæ est ablutio; sic in proposito. Hinc fit, formam esse veram quia nouo titulo, & iure potest quis absolui ab eadem culpa; sicut Christus meruit idem multis titulis, vt docent Doctores 3.*part.* Tum etiam, quia cadit super diuersam materiam proximam, nempe diuersam confessionem, & accusationem. Vide Coninch *disp.*4.*dub.*3. Henriquez *lib.*4. *cap.*9. *num.*4. & cum aliis Bonacina *sup. num.*10.

12 Fit etiam inde, posse pœnitentem aliqua peccata ritè semel confessa manifestare in alia confessione, & alia quæ voluerit, reticere, quia vt dictum est, huiusmodi peccata non sunt materia necessaria; sed voluntaria, & sufficiens, sicut peccata venialia: vnde licet pœnitenti partem peccatorum semel ritè confessorum manifestare hodie, & partem cras in distinctis confessionibus, siue confessiones fiant vni, & eidem Sacerdoti, siue diuersis, Ita cum Soto, & Reginaldo Bonacina *suprà num.*11. Dixi semper, *ritè confessa*, nam si non fuerint ritè confessa, hoc est, si confessio inualida fuerit, certum est, esse iterandam, & peccata iterum confitenda, vt dicetur *infrà cap.*6.*dub.*9 de confessione.

13 Sed quæres, vtrum peccatum dubium sit materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ. Nota, dubium posse esse de facto, an scilicet peccauerit, vel tale commiserit peccatum: aut de iure, quando scilicet certò scit, se peccasse, & commisisse tale peccatum; dubitat tamen, an sit mortale, aut veniale. Quæstio non procedit de hoc dubio iuris, nam in tali casu iam dictum est *concl.*3. esse manifestandum tale peccatum in confessione. Procedit ergo de dubio de facto, quo in casu Suarez *disp.*18. *sect.*1. *n.*12. Sanchez *in sum. lib.*1.*cap.* 10. *num.*70. & cum aliis Bonacina *sup num.*9. respondent negatiuè; nam in hoc Sacramento, sicut in aliis, materia debet esse certa, ideo peccatum dubium, non est materia sufficiens, ita vt confessarius debeat absolutè, & simpliciter impendere absolutionem pœnitenti. Quod si pœnitens non possit vincere dubium, nec certam materiam proponere, aperiat suam conscientiam, & peccatum sub eo dubio confessario, & confessarius tunc pro ratione dubij, & iuxta necessitatem materiæ, & periculum absoluere debet sub conditione, si sit dubia materia; absolutè verò, si illi magis videatur certa, quam dubia. Filliucius *tom.*1. *tract.*6. *cap.*3. *num.*6. ex Suarez *vbi sup.* vide Bonacin. *sup. quæst.*5. *sect.*2. *punct.*2.*diff.*4. *in initio*, & Filliucium *tract.*7. *cap.*4. *quæst.*8. *& infrà cap.*6. *dub.*1. *num.*14. & Diana 3.*part. tract* 4. *resol.*66. vbi cum Coninch *disput.*7. *dub.*10. *num.*97. consequenter tenet, eum qui solùm meminit se peccasse mortaliter, nescit tamen speciem peccati, teneri illud sic confiteri. Idem tenet Villalob *part.*1. *tract.*9. *diff.* 24. *num.* 5. vide *infrà cap.*6. *dub.*1. *num.*14. *& ibid. dub.*3. *num.*15.

DVB. II.

Quænam sit materia proxima Sacramenti pœnitentiæ.

1 COmmunis est, & certa sententia, tres actus pœnitentis esse materiam huius Sacramenti, & sunt contritio (sub qua continetur attritio) confessio & satisfactio. Ita S.Thom. 3.*part.quæst.*84.*art.*1. Suarez *disp.*18 *sect.*3. & constat ex Concilio Florent. *in decret. de vnione.* & Trident.*sess.*14.*cap.*3. & ratione, quia hoc Sacramentum exercetur per modum iudicij emendatiui, seu reconciliatiui, Ioan.20. *quorum remiseritis, &c.* at talis iudicij materia est accusatio rei, dolor delicti, & satisfactio illius; ergo. Et confirmatur, quia materia proxima est, per quam applicatur remota; at per suos actus applicantur peccata, & subduntur absolutioni; ergo. Congruentia huius est, vt sicut offendimus Deum corde, ore, & opere, ita æquum est, vt satisfaciamus pro illius offensa corde per contritionem, ore per confessionem, & opere per satisfactionem, seu opera pœnalia. Nec obstant illa verba Concilij Tridentini *sess.*14.*cap.*3. 2. dicentis, hos actus esse quasi materiam huius Sacramenti. Primò quia illa particula, *quasi*, non minuit rationem materiæ, sed declarat, sicut illa verba Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti, &c.* non minuit gloriam Christi, sed declarat, ipsum esse verè vnigenitum, vt explicant DD. communiter. Secundò, dicuntur quasi materia, quia non componunt totum, sicut materia rerum naturalium sed modo morali per quandam proportionem, & analogiam ad materiam rei naturalis. Tertiò, ad differentiam aliquorum Sacramentorum, quæ habent pro materia rem extrinsecus appositam, & apparentem, vt est aqua in Baptismo, panis in Eucharistia, &c. actus autem pœnitentis non sunt res extrinsecus appositæ, & visibiles, ideo vocantur à Tridentino quasi materia, cum tamen in genere moris, Sacramenti sint vera materia proxima. Vide Coninch 3. *p. disputat.*4. *dub.*4. *num.*35. Henriquez *lib* 4 *cap.*9. & 10. & Bonacinam *tom.*1. *disput.*5. *quæst.* 3. *punct.*2. *num.*1.

3 Differunt tamen Doctores, an omnes ij tres actus sint partes essentiales, seu materia proxima essentialis huius Sacramenti: nam esse omnes partes integrantes omnes concedunt.

4 Dico igitur primò, contritio, seu dolor aliquis, & confessio sunt materia essentialis huius Sacramenti, S. Thom. 3.*part. quæst.*84. *artic.*1. *ad* 1. Suarez *disput* 20 *sect.*3. Bonacina *suprà num.*2. 3. & 4. ex Trident. *sess.*14. *cap.*1. & 5. & communiter Doctores. Ratio est, quia sine istis consistere non potest hoc Sacramentum, cùm sit per modum iudicij emendatiui,

emendatiui, necessariò, & substantialiter requirit delicti manifestationem, quod fit per confessionem; & cùm in hoc iudicio manifestatio peccatorum non sit simplex, & historica narratio, sed sui ipsius accusatio, ad quam requiritur necessariò odium, detestatio, seu aliquis dolor delicti, eo quòd idcirco pœnitens confiteatur delictum, vt auferatur, & illius absolutionem obtineat:ergo confessio seu accusatio sui ipsius cum aliquo dolore sunt partes essentiales huius Sacramenti.

5 Nota, hunc dolorem regulariter debere esse formalem, quod significat apertè Concilium Florentinum, & Tridentinum, quæ dum assignant partes essentiales huius Sacramenti, faciunt mentionem doloris formalis, significando in hoc dolorem formalem esse tanquam materiam necessariam à Christo Domino institutam: ex quo fit, accedentem ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis illud validè non recipere, si accederet ad illud cum solo actu dilectionis Dei, quia non adhibet materiam à Christo Domino institutam. Excusari tamen posset à peccato ob ignorantiam, vel inaduertentiam propter bonam fidem, non tamen reciperet Sacramentum pœnitentiæ. Ita Suar. *disput.* 20. *sect.*4. Coninch *disputat.*4. *dub.*5. *num.*39. Bonacin. *tom.*1. *disput.*5. *quæst.*3. *punct.* 2. *num.* 6. & 7. Hinc etiam fit, non esse validam confessionem venialium sine aliquo dolore, quia dolor est de essentia huius Sacramenti; & quamuis non teneamur venialia confiteri, tenemur tamen de illis, quæ confitemur, dolorem habere:quare ad confessionem venialium non sufficit actus dilectionis Dei absque dolore. Henriquez *lib.*4. *cap.*16. *num.*7. *lit. T.* Bonacina *suprà n.*8. vide Suar. *disput.*20. *sect.*6. *num* 4. & 5. Vtrum autem ad fructum Sacramenti sufficiat dolor virtualis, infra.

6 Nota secundò, Henriquez *lib.*4. *cap.*16. *num.*2. *lit. D.* & *lib.*5. *cap.*11. *num.*1. quem sequitur Bonacina *sup. num.*9. existimatq́ue ad valorem Sacramenti huius absque fructu, sufficere dolorem naturalem: oppositum existimo verius cum Suar. *disp.* 20. *sect* 4. *num.*16. & Coninch *disp.* 4. *dub.* 5. *num.* 4. & aliis, quos ipsi, quia Concilia, dum de hoc dolore loquuntur, dicunt esse donum Dei. Tum etiam, quia hoc Sacramentum est supernaturale; ergo & eius partes, sed de hoc latiùs infrà. Idem Bonacina *n.*12. consequenter tenet, ad validitatem Sacramenti absque fructu sufficere attritionem naturalem; aliter enim, ait, non daretur Sacramentum informe, eo quòd, ait, quælibet attritio supernaturalis sufficiat ad valorem cum fructu:oppositum tamen tenendum, Suarez *suprà num.*6. & Coninch *dub.*5. *numer.*5. & *dub.*11. *num.* 70. & alij, propter rationes allegatas, & dicetur infra, vbi de attritione. Conuenit tamen Bonacina, & rectè quidem, cum Suarez, Henriq. & aliis, dolorem inefficacem, videlicet velleitatem de cætero non peccandi, non sufficere ad validitatem Sacramenti, sed requiri necessariò dolorem efficacem; quia ex Trident. *sess.* 14. ad confessionem requiritur dolor, qui voluntatem peccandi excludat; quod etiam expostulat natura iudicij emendatiui, & reconciliatiui; dolor autem inefficax non excludit voluntatem peccandi; nam potest esse confessio cum sola velleitate non peccandi, cum proposito peccandi mortaliter, cùm non repugnet aliquem nolle inefficaciter peccare, & habere complacentiam peccati, ideoq́ue necessariò requiritur dolor efficax, qui efficaciter, & perfectè excludat propositum peccandi, & auertat voluntatem à peccato.

7 Restat; vt videamus, an satisfactio sit etiam pars essentialis, nam esse integralem constat ex prima conclusione, & communi Doctorum. Ad intelligentiam nota, satisfactionem sumi dupliciter. Primò realiter, actualiter, seu in executione, pro illa scilicet, quæ iniungitur à Confessario. Secundò virtualiter, pro animo scilicet, aut proposito satisfaciendi, contento in actu doloris, & accusationis. Igitur

8 Dico secundò, satisfactio realis, seu actualis non est de essentia huius Sacramenti. S. Thom. 3. *part. quæst.*90. *art.*2. & 3. Suarez *disp.*38. *sect.*1. *num.*3. & alij communiter. Saluatur enim absque illa, essentia Sacramenti, imò confert suum effectum; nam si pœnitens verè absolutus statim moriatur, antequam pœnitentiam adimpleat, Sacramentum, & illius effectum recipetet. Satisfactio verò virtualis intrat essentiam huius Sacramenti;constat, quia hæc includitur in contritione, seu in dolore supernaturali; nam idem est cum dolore, adiuncto proposito satisfaciendi; dolor autem, vt diximus, pars est essentialis huius Sacramenti; ergo & satisfactio virtualis, seu propositum satisfaciendi. Satisfactionem autem realem esse partem integralem patet, quia est pars Sacramenti, non essentialis, vt dictum est; ergo. Tum etiam, quia ad integritatem iudicij spectat punitio, seu satisfactio pro delicto; ergo. Inde sequitur, satisfactionem actualem non causare gratiam essentialem huius Sacramenti; nam homo dispositus statim post absolutionem Deo reconciliatur, quamuis realiter non satisfecerit: satisfactio enim, quando actualiter fit, solùm causat quamdam perfectionem, & integritatem ex opere operato eiusdem gratiæ essentialis; nam cùm hæc tantùm sit pars integralis, inde fit, vt solùm causet gratiæ integritatem. Hinc fit, adimplentem pœnitentiam iniunctam à confessario in peccato mortali, non peccare mortaliter, quia non ponit obicem, nec resistit gratiæ essentiali, sed tantùm illius perfectioni, ideo non falsificat sensum formæ. Ita Ledesma *in sum. cap.*1. *de pœnit. concl.*4. *dub.*1, & 2.

9 Quæres tamen primò, vtrum dolor tempore antecedens confessionem sufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ validè suscipiendum. Respondeo affirmatiuè, si formaliter, aut virtualiter referatur ad confessionem, vt si quis doleat de peccatis cum proposito illa confitendi, aut cum eius dolore recogitet peccata sua, vt ea confiteatur, & deinde virtute illius propositi, seu intentionis confiteatur illa peccata quia moraliter ille dolor censetur saltem virtualiter præsens. Quare qui ante confessionem recogitauit peccata cum dolore, & postea virtute illius præcedentis recogitationis, & doloris confitetur peccata sua, suscipiet Sacramentum pœnitentiæ quamuis postea in confessione ob distractionem,vel ob aliam causam non renouet dolorem, Suarez *disp.*20. *sect.*4. *num.*29. Coninch *disput.* 4. *dub.*6. Henriquez *lib.*4. *cap.*10. *num.*4. & cum aliis Bonacin. *tom* 1. *disput.*5. *quæst.*3. *punct.*2. *num.*17. Limita tamen nisi per longum tempus talis dolor præcedat, ita vt moraliter non censeatur coniunctus cum absolutione, & confessione actuali, vt si per diem, vel dimidium antecedat.

10 Quæres secundò, vtrum dolor præcedere debeat confessionem. Respondeo, vtilissimum esse, quod præcedat, non tamen esse necessarium, sed sufficere ad receptionem Sacramenti, vt eliciatur in ipsa confessione, vel ea facta, antequam pœnitens absoluatur. Ita Suarez *suprà num.* 32. & Bonacina *loco cit. num.*18. contra Coninch *suprà dub.* 6. *n.*44. Ratio est, quia tunc absolutio cadit supra veram materiam, nimirum super confessionem dolorosam; nam ille dolor moraliter coniungitur cum peccatis confessis,

confessis, ratione cuius ista confessio est accusatoria, & dolorosa. Dixi, *ante absolutionem*, nam si ea finita, aut incepta dolorem eliciat, non recipit Sacramentum; quia tunc forma non cadit supra veram materiam, cum deficiat dolor, seu contritio, quæ est pars essentialis. In Sacramento autem Baptismi potest prius proferri forma, & infundi statim aqua, quia non fit per modum iudicij emendatiui, sicut pœnitentia, quod quidem iudicium supponit causæ cognitionem, accusationem rei, seu confessionem, & dolorem delicti, ideoque confessio, & dolor debent præcedere absolutionem. Suarez *num.* 30. & Bonacin. *num.* 20.

21 Quæres tertiò, vtrùm satisfactio debeat præcedere absolutionem, seu an sit iniungenda ante absolutionem: huic dubio satisfaciemus vbi de satisfactione. Vide Bonacinam *vbi sup. num.* 21. breuiter tamen dico, posse confessarium pœnitentiam iniungere ante, vel post absolutionem, modò fiat statim data absolutione, & non timeatur fore, vt pœnitens accepta absolutione non acceptet pœnitentiam. Ratio est, quia sic pœnitentia moraliter coniungitur cum absolutione, sed de hoc latius infra.

D V B. III.

Quanam sit forma Sacramenti pœnitentiæ.

1 NOta, hoc Sacramentum posse sumi prout est quoddam totum morale artificiosum significans remissionem peccatorum per modum iudicij, quo in casu significatio rerum, & verborum dicitur forma totalis, vt dixi *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 5. Potest etiam sumi, vt communiter fit, prout supponit pro rebus tanquam materia, & pro verbis tanquam forma, quæ dicitur forma partialis respectu rerum, de qua nobis est hic sermo, nam de totali dictum est loco citato.

2 Dico primò, forma huius Sacramenti sunt hæc verba: *Ego te absoluo à peccatis tuis*, est de fide ex Concil. Florent. & Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. vbi definitum est, formam huius Sacramenti præcipuè sitam esse in his verbis: *Ego te absoluo, &c.* & patet ex vsu Ecclesiæ, & traditione, & communi DD. colligiturque apertè ex verbis Christi, Ioan 20. *quorum remiseritis, &c.* quæ quoad substantiam, & sensum coincidunt cum verbis formæ; sicut in Eucharistia illa verba Christi: *hoc facite in mei commemorationem*, sunt quoad substantiam, & sensum idem ac illa verba formæ: *Hoc est enim corpus meum.* Et probatur ratione; nam illa verba dicuntur forma in sacramentis, per quæ significatur illorum effectus: sed effectus pœnitentiæ, qui est remissio peccatorum expressè significatur per supra dicta verba; ergo.

3 Dico secundò essentia formæ saluatur in his duobus verbis, *Absoluo te*, siue hæc duo solum verba sunt de essentia formæ pœnitentiæ. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 14 *quæst.* 1. *art.* 3. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 11. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 64. Suarez *disput.* 19. *sect.* 1. *num.* 21. *&* 21. & communis DD Ratio est, quia Trident. *vbi sup.* dicit formam consistere in illis verbis: *Ego te absoluo*; atqui pronomen, *ego*, non est opus quod exprimatur, quia intelligitur in verbo absoluo: sicut *ego*, in verbo baptizo, & ex alio capite illis duobus verbis significatur, & causatur effectus Sacramenti; ergo solum illa duo verba sunt de essentia formæ, & ita sunt de essentia, vt vno verbo deficiente, deficiat etiam Sacramentum; nam actus iudicialis non potest significari sine verbo *absoluo*, & remissio non potest practicè fieri, nisi declaretur is, cui fit, vt etiam infra patebit.

4 Hinc fit esse verum Sacramentum, si omittatur pronomen, *ego*, eo quod non sit de necessitate formæ. At quia est de præcepto: & vsu Ecclesiæ, vt exprimatur, ideò non debet omitti; quod si omittatur, secluso scandalo, & contemptu, non erit plusquam culpa venialis, vt in simili diximus de Baptismo, *lib.* 2. *cap* 1. *dub.* 4. *concl* 3.

5 Sequitur secundò, hæc verba, *à peccatis tuis*, non esse de essentia formæ; nam si essentia, & substantia illius saluatur in illis duobus verbis, *absoluo te*, apertè sequitur, illa alia verba non esse de essentia: & ratio est, quia iis supposita confessione, verba hæc, *absoluo te*, habent satis determinatam suam significationem; sicut in iudicio humano cum profertur sententia, non oportet addi culpam. Caietan. *verbo absolutio*, Nauarr. *cap.* 26. *num.* 2. DD. citati, & alij apud Suarez *sup. num.* 10. contra Paludanum & Gabriel. Non tamen debent hæc verba omitti, tum quia vix potest accidere causa rationabilis; tum quia sic vitatur omne periculum, quia opposita sententia non caret probabilitate: peccaret tamen, qui illa omitteret, quia facit contra vniuersalem vsum Ecclesiæ: hoc autem peccatum existimat Ledesma *cap.* 3. *de pœnitent. concl.* 2. *dub.* 6. solum esse veniale, contemptu tamen, & scandalo secluso. Idem tenet Bonacina cum aliis *sup. num.* 2. Propter eandem rationem supradictam; hæc verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non sunt de essentia, non enim id Christus expressit in forma pœnitentiæ, sicut expressit in forma Baptismi, & confirmatione, in quibus fit professio Fidei. Vnde illa omittens conficit Sacramentum, peccat tamen venialiter, vt de omittente illa verba, *à peccatis tuis*, dictum, etsi Valentia *disputat.* 7. *quæst.* 1. *punct.* 3. cum Soto asserat non peccare, secluso scandalo, & contemptu, eum, qui prætermitteret, *In nomine Patris, &c.*

7 Sed dices, Trident *sess.* 14. *cap.* 3. dicit, formam Sacramenti sitam esse præcipuè in his verbis, *Ego te absoluo, &c.* sed per particulam, *& cætera*, videntur indicari illa verba, *à peccatis tuis, & in nomine Patris, &c.* cùm non videatur aliquid aliud posse indicari; ergo illa verba sunt de essentia. Respondeo cum Valentia *sup. vers. Ad illud.* particulam, *&c.* non addi ad ostendendum alia verba esse de essentia, sed ad indicandum alia posse adiungi, quæ de more adiunguntur, & non sunt de essentia. Respondeo secundò cum Coninch *disp.* 4. *de pœnit. dub.* 3. *n.* 30. & Bonacina *loco cit. num.* 1. illam particulam, *&c.* ideo addi à Concilio, vt indicaret se non definire, an alia verba requirantur, sed relinquere Doctoribus disputandum, an alia requirantur.

8 Sequitur tertiò, à fortiori non esse de essentia huius formæ, neque de eius integritate illa verba antecedentia, quæ laudabiliter solent dici: *Misereatur tui. &c. Indulgentiam, &c. Authoritate, vel potestate mihi à Christo concessa*, & hæc, quæ post absolutionem dici solent: *Passio Domini nostri Iesu Christi, &c.* Ita citati, quia sine illis sufficientissimè saluatur sensus formæ substantialis, ideo illa omittens conficit Sacramentum, & si abest, scandalum, aut contemptus, nullo modo peccat, vt communiter fit, præsertim quando propter temporis angustias, & multitudinem pœnitentium non datur locus ea proferendi. Hinc etiam fit, non esse opus in forma pœnitentiæ addere, *de quibus confessus es, & contritus.* Tum quia substantia formæ consistit in his, *Absoluo te.* Tum etiam, quia absolutio cadit super oblita, ad quæ etiam se extendit contritio. Ita cum Nauarr. Coninch, Henriquez, & aliis apud Bonacinam *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 5.

9 Dico

9 Dico tertiò, pronomen, *te*, est necessariò exprimendum. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 6. cap. 3. n. 66.* & alij. Ratio est, quia absolutio est sententia iudicialis, quæ ad reum dirigitur, & in eum terminatur; sententia enim, quæ non designat personam, nulla est. Etenim in verbo, *absoluo*, non continetur, *te*, aut certè valdè dubiè, nam indifferens est ex se ad absoluendum te, illum, vos, aut illos. Nec sufficit interior intentio, quæ absoluens dirigat absolutionem ad pœnitentem; quia non est sensibilis; alioqui nec verba essent necessaria, sed sufficeret intentio absoluendi, quod dici nequit, vt dicetur infrà.

10 Dico quartò, etsi non sit necessarium, exprimi personam ministri per pronomen, *ego*, requiritur tamen necessariò, vt eius actio exprimatur in absolutione, siue per verbum, *absoluo*, siue *condono*, aut aliud æquiualens, sicut diximus in forma Baptismi. Henriquez *lib. 4. c. 11. num. 4.* Bonacina *tom. 1. disput. 5. quæst. 3. punct. 1. num. 6.* quia confessarius, tanquam iudex impendit absolutionem per modum sententiæ; quod fieri nequit, nisi exprimatur actio, quatenus exercetur à ministro. Hinc fit, validam esse absolutionem his verbis collatam, *absoluatur seruus Christi*; nam sic sufficienter exprimitur actio ministri. Non tamen tenet, si dicat *absoluat te Deus*, quia sic ostendit quod Deus facit, non autem se hoc facere, tanquam iudicem. Bonacin. *sup. num. 7.* Nec est idem de Baptismo, quia in eo baptizans non est iudex.

11 Dico quintò, forma hæc debet proferri per modum indicatiui, seu imperatiui, ita vt non sufficiat, si tantùm sit deprecatoria. S. Thom. *3. part. quæst. 84. art. 3. ad 1. & opusc. 22. cap. 1. & 3.* Sotus *dist. 14. art. 3.* Nauarr. *de pœnit. dist. 16. num. 9.* Ledesma *de pœnit. cap. 3. concl. 2. dub. 1.* & Bonac. *sup. punct. 2. num. 8.* Filliuc. *sup. num. 68.* Suar. cum aliis *disp. 19. sect. 1. num. 541.* Colligitur ex Trid. *sess. 14. Can. 6.* & habet vsus, consuetudo, & traditio Ecclesiæ. Ratio est, quia absolutio est actus iudicialis, qui fertur non deprecatiuè, sed per modum imperantis; sicque valet absolutio his verbis, *absoluaris à me*, quia est per modum imperantis, & sensus est, absoluaris imperio meo, Filliuc. *num. 69.*

12 Sed quæres primò, quis sit sensus huius formæ. Respondeo, verba formæ ex se primò, & per se significare pœnitentem (modo non ponat obicem) esse verè, & propriè à vinculis peccatorum absolutum, remissaque ei esse peccata cum infusione gratiæ reconciliatiuæ; nam confessarius, vt minister, & causa minùs principalis (principalis enim author est Deus) verè, & propriè soluit dispositum à peccato, & liberat à pœna æterna, ex Tridentino *sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 3. & 4. & Can. 9.* & ex verbis Christi, Matth. 18. *Quidquid ligaueris, &c.* & *quidquid solueritis, &c.* & Ioan. 20. *Quorum remiseritis. &c.* Ita communis cum D. Thom. *3. part. quæst. 84. art. 3.* Errauit ergo Mag. *dist. 18. cap. 6.* & alqui eum eo dicentes, confessarium non soluere, sed tantum declarare, pœnitentem esse à Deo solutum, vt refert Henriquez *lib. 4. cap. 12. num. 1.* constat ergo, confessarium non declarare, sed verè absoluere pœnitentem. Vide Coninch *disput. 4. dub. 2. & 8.* & Bonac. *tom. 1. disp. 5. quæst. 3. punct. 2. num. 9. & q. 6. punct. 1. num. 1.* Dixi, *modò non ponat obicem*, nam semper includit hanc conditionem; nam commune est omnibus Sacramentis, vt obex non ponatur, ad hoc vt suos possint producere effectus, de quibus infra. Sensus igitur formæ, *absoluo te*, est remitto tibi peccata, quantum est ex vi Sacramenti, seu, quantum in me est, sacramentalem absolutionem impendo, quæ de se sufficiens est ad remittenda peccata, & gratiam conferendam: seu confero tibi verum Sacramentum, quod efficit, peccata ita remanere absoluta, vt non indigeant noua absolutione. Igitur cùm prædictus sensus semper verificetur in valida administratione Sacramenti pœnitentiæ, sequitur, sensum formæ semper verum esse, & proprium, vt patet inductione. Primò, quando quis recipit absolutionem verè attritus tantùm, quia rè ipsa remissionem obtinet. Secundò, quando quis iam accedit contritus, ac iam iustificatus recipit absolutionem, aut cùm absoluitur à peccatis, aliàs ritè confessus idem est dicere, *absoluo te*, ac dicere, confero tibi beneficium absolutionis, quæ eius est virtutis, vt si peccata inueniat, illa deleat per se, si non reperiat, per accidens gratiam augeat; sicut Eucharistia per accidens aliquando dat primam gratiam: verificatur etiam tunc hæc forma, quia insuper liberat pœnitentem ab obligatione confitendi illa peccata; nam in noua lege contritio delet peccata in ordine ad confessarium, vt dictum est, *cap. 1. dub. 3. & infra cap. 5. dub. 4.* remittit etiam tunc peccata venialia & pœnas temporales, si sint, ita Henriquez vidIendus *suprà num. 2. & 3.* Tertiò, est etiam verus sensus formæ, quando quis recipit Sacramentum informe; quia etsi tunc non recipiat remissionem peccatorum, recipit tamen verum Sacramentum, quod de se est causa efficax remissionis peccatorum; & eam de facto confert obice sublato, verificatur etiam forma, quando pœnitens ratione obicis non recipit Sacramentum; quia re ipsa Sacerdos, quantum est ex se, absoluit; sicut iudex remittens debitum, & ferens sententiam, vt reus exeat è carcere, quantum est ex parte sua, dicitur verè, & propriè remittere, & liberare, quamuis reus, seu debitor ex propria culpa velis, in vinculis detineri. Suarez *disput. 19. sect. 2. num. 19.* Bonacina cum aliis *sup. num. 9.* Vide Henriquez *lib. 4. cap. 12. num. 1. 2. & 3.*

13 Quæres secundò, an Sacerdos, his verbis, *absoluo te*, possit à peccatis, & censuris absoluere. Respondeo affirmatiuè, ita Sotus *distinct. 14. quæst. 1. art. 3.* & cum aliis Bonacina *sup. num. 10.* modò tamen Sacerdos iis verbis intendat à peccatis, & à censuris absoluere, quo in casu absolutio à censuris prior est natura absolutione à peccatis, vt Bonacin. *de censur. disput. 1. q. 3. punct. 5. num. 3. & 4.* adhuc enim in hoc casu verificatur sensus formæ Sacramentalis, & sufficienter indicatur relaxatio vinculi censuræ. Vide Henriquez *lib. 4. cap. 11. num. 3.* & in nostra Bull. §. 7. *lib. 7. cap. 2.*

Dub. IV.

In quo aliqua circa formam pœnitentiæ resoluuntur.

1 Quæres primò, quando mutatio formæ irritet Sacramentum. Respondeo, inualidum esse Sacramentum, quoties mutatio est substantialis; validum verò, quoties solùm est accidentalis, patet ex dictis de Sacramentis in genere, *capit. 2. dub. 3.* Quare validum est Sacramentum si loco verbi, *absoluo*, dicatur, *remitto tibi*, vel, *condono peccata*, vel *beneficium absolutionis impendo*. Item, si absoluendo Regem dicat, *absoluo Maiestatem tuam*, vel si loco, *ego*, dicat authoritatiuè, *Nos*. Item, si in naufragio, vel incendio dicat, *ego vos absoluo*, ea forma plures absoluendo. Item, si dicat, *remittuntur tibi peccata tua*, vel, *tu absolueris à me*. Item, si dicatur, *ego peccator, & indignus Sacerdos absoluo te, non mea potestate, sed authoritate Christi*. Item, si dicatur;

dicatur, *absoluaris à me*, vel, *absoluatur seruus Christi*. Ita cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 3. 4. 5. 6. & 7. Ratio horum est, quia hæ mutationes non tollunt verum, & substantialem sensum formæ, tamen inualidum Sacramentum, si deprecatoriè dicat, *absoluat te Deus*, nam vt diximus, sententia hæc iudicialis debet proferri modo indicatiuo, vel imperatiuo. Bonacin. cum aliis *sup. n.* 8. Item, si dicat, *iubeo te absolutum*, vel, *placet te non teneri*, &c. quia videtur variari sensus substantialis, cum illa verba non liberent, aut soluant, sed tantum ostendant actus circa absolutionem faciendam, aut factam, ita cum S. Thom. & aliis Bonacin. *num.* 9. contra Scotum, & Vasquez, quos videtur approbare Suarez *disp.* 19. *sect.* 1. *num.* 24. *ad fin.* Item, nec valet Sacramentum si omittatur, *te*, vt dixi *concl.* 3. & tenet Bonac. *num.* 10. contra Sotum, Nauarr. & alios, quos citat, & sequitur Henriquez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 1. *litt. P.* & *num.* 3. *litt. T.* existimantes sufficere, dicere, *absoluo*, quia ex antecedentibus, & consequentibus (aiunt) satis apparet, pœnitentem præsentem absolui à peccatis. Nostram tamen sententiam tenendam, vt veram existimo, tum propter rationem loco citato adductam, tum propter authoritatem Florentini, & Tridentini asserentium, formam absolutionis esse, *absoluo te*, tum quia omissa particula, *te*, mutatur substantialiter significatio formæ, quæ instituta est per verba demonstratiua, & non potest esse talis, sublata particula, *te*, eo quod verbum absoluo possit enuntiari non solùm circa peccata alicuius præsentis, verùm etiam absentis, quod fieri non posse, infra patebit.

2 Nota, esse peccatum mortale, vti forma dubia; nam fieri potest, vt non sit sufficiens, consequenter non confici verum Sacramentum, Suarez *disp.* 19. *sect.* 1. *num.* 14. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 4. & cum aliis Bonacin. *sup. punct.* 2. *n.* 11. vbi addit cum Coninch, Suarez, & aliis, esse peccatum, quoties mutatur forma, etiamsi idem remaneat sensus, hoc que peccatum videri esse mortale, sacrilegium ex suo genere contra reuerentiam Sacramento debitam vt docent citati contra Sotum *in* 4. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 5. Valeot. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 1. *punct.* 3. & alios.

3 Quæres secundò, an possit formæ addi aliqua conditio, & dari absolutio sub conditione.

4 Dico primò, conditio de præterito, vel de præsenti non vitiat effectum formæ, vt si dicas, si non es absolutus; ego te absoluo, si doles, si statois restituere, vel si potes absolui, vel si ego possum te absoluere: vel si dubitar esse peccata, saltem venialia ea, quæ pœnitens confessus est: ita citandi. Ratio est, quia hæ non sunt propriè conditio, nec suspendunt in futurum, sed si conditio adest, confertur effectus, si non adest, nihil fit. Non tamen licet sub his conditionibus absoluere, nisi adsit causa, vt in his casibus. Primus, cum Sacerdos dubitat an pœnitens habeat vsum rationis, aut sit amens. Secundus quando dubitat, an sint peccata, ea quæ audiuit, quod contingere potest in confessione viri perfectionem vitæ sanctitatis; melius tamen erit curare, vt talis pœnitens aliquod vitæ ante actæ peccatum confiteatur. Tertius, quando absoluit eum, qui tantum ostendit signa contritionis, in iis enim casibus potest dicere confessarius, si confessus es peccata, vel si præbuisti materiam confessionis, in quantum possum, ego te absoluo. Idem dicendum, si dubitat, an pœnitentem absoluerit, tunc enim poterit sub conditione absoluere. Caueat tamen confessarius, ne apponat conditionem in verbis; nam potest turbare, vel scandalizare pœnitentem, sed quando est apponenda, sufficit, vt mente intelligatur, & retineatur. Vt bene Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 74.

5 Dico secundò, absolutio sub conditione de futuro sacrilega est, & vitiat Sacramentum. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 12. Suarez *disp.* 13. *sect.* 3. Filliuc. *suprà num.* 73. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 5. & cum aliis Bonacin. *tom.* 5. *disput.* 5. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 2. Ratio est, quia non est in potestate ministri suspendere effectum Sacramenti, quod causat suum effectum statim in subiecto disposito, vt dixi *lib.* 1. *cap.* 4. *dub* 4. tum quia actus legitimi non recipiunt conditionem. Regula, actus *de regul. iur. in* 6. id est non possunt fieri sub conditione de futuro, vt absoluo te pro crastina die, quia sensus esset, *absoluam te, si conditionem impleueris*: vnde reuera non absolueret, sed tantum promitteret, se absoluturum cum conditionem, impleuerit. Hinc fit, inualidam esse absolutionem, his verbis, *absoluo te si Episcopus consenserit*, aut *si restitueris*, aut *si Episcopus ratam habuerit absolutionem*.

6 Quæres tertiò, an absolutio, seu hoc Sacramentum possit iterari. Dico primò, absolutio potest iterari super peccata de nouo commissa post receptum semel hoc Sacramentū, & non tantum semel aut bis, sed toties quoties de nouo peccauerit: est de fide, ex Trid. *sess.* 14. *Can.* 1. fundatur in verbis Christi Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* vbi datur potestas sine limitatione. Et Matth. 18. dixit Iesus Petro: *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* vbi ex communi interpretum sumitur numerus finitus pro infinito, id est, toties quoties peccauerit, & absolutionem petierit. Et in *cap. firmiter de sum. Trin. & Fide Cathol.* & in vsu, & traditione Ecclesiæ. Ratio est, quia homines baptizati per institutionem huius Sacramenti, non sunt deterioris conditionis, quàm antea essent, sed antea per pœnitentiam virtutem poterant homines, quoties peccauerunt, veniam obtinere; ergo etiam postea; quia sola virtus pœnitentiæ nunc non sufficit, nisi cum ordine ad Sacramentum, vt supra dictū est.

7 Dico secundò, potest etiam iterari in ordine ad peccata commissa ante receptionem Sacramenti, sed omissa, ex obliuione, vel alia legitima causa, imò necessariò est iterandum. Ratio est, quia omnia peccata debent subiici clauibus per confessionem, ideo oblita remittuntur cum obligatione ea confitendi, quando memoriæ occurrunt, modo quo dicemus infra, & probat pluribus Suarez *disp.* 18. *sectio* 4. *num.* 7.

8 Dico tertiò, in distinctis confessionibus potest repeti absolutio super peccatis legitimè confessis, & absolutis, vt dixi *hoc cap.* 2. *dub.* 1. & cum alis tenent Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *q.* 7. *punct* 4. *num.* 1. & Villalobos *part.* 1. *tract.* 9. *diff* 8. *num.* 2. & comprobat piorum fidelium vsus; & in Extrauag. *cum inter cunctas*, habetur, huiusmodi confessiones salubres esse. Ratio est, quia posita materia proxima, tenentur proximo, qui sunt actus pœnitentis, & possumus de iisdem peccatis sæpius contritionem, habere, consequenter sæpius illa confiteri: debet tamen semper adesse nouum motiuum erubescentiæ, & doloris, & seruanda moderatio, seruatis seruandis. Vt bene Filliucius *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 77.

9 Dico quartò, super eadem confessione peccatorum non potest repeti absolutio absque peccato mortali sacrilegij; Suarez *disp.* 18. *sect.* 1. *num.* 6. & *sect.* 4. *ad fin.* DD. citati, & alij communiter: quia tunc forma caderet supra materiam nullam, quod non contingit, quando renouantur actus pœnitentis: sic similiter eadem hostia consecrata, non potest iterum consecrari.

10 Dico

10 Dico quintò, non datur obligatio generalis confitendi peccata, quorum quis semel directè obtinuit absolutionem. S. Thom. *in 4. dist.* 18. *q.* 3. *art.* 3. Suarez *disp.* 22. *sect.* 6. *num.* 2. Bonacin. *sup. num.* 2. nullibi enim extat tale præceptum, imò ex extrauag. Ioan. 21. *Vas electionis*, colligitur apertè nostra sententia, vbi damnatur tanquam hæretica sententia cuiusdam Ioannis de Polaco asserentis confessos mendicantibus iterum debere proprio Parocho confiteri; ergo signum est, non teneri fideles peccata ritè confessa iterum confiteri. Deinde Trid. *sess.* 14. *cap.* 10. dicit, pœnitentem teneri confiteri ea peccata, quorum habet conscientiam; sed peccata semel ritè confessa non remanent in conscientia cum iam sint remissa; ergo. Dixi, *non dari obligationem generalem*, quia in aliquo casu, & quasi per accidens, potest dari talis obligatio, qualis repetitur in aliqua Religione, vt Cisterciensi, in qua ex regula tenentur eadem peccata, quæ aliis confessariis exposuerunt, semel in anno suis Abbatibus confiteri. Præterea potest quis ex voto se obligare ad ea iterum confitenda, nam cum sit res bona, potest cadere sub præcepto, & voto. Dixi, *directè*, nam si solùm indirectè à peccatis absolutus fuit, vt contingit quando habens reseruata absoluitur ab inferiori cum obligatione confitendi superiori, tunc tenetur illi iterum omnia reseruata superiori confiteri, vt ab iis directè absoluatur, eo quod ab eis ab inferiori indirectè simul cum non reseruatis fuerit absolutus, vt dicemus vbi de reseruatis. Ita Bonac. videndus *d. n.* 2. An autem Ecclesia possit præcipere cófessionem peccatorum, quæ semel ritè, & directè confessa sunt, negant Suar. *vbi sup.* Nauarr. *c. placuit dist.* 6. Reginald. *lib.* 4. *n.* 108. & alij: affirmat Bonac. *d. punct.* 4. *n.* 3. ego autem probabiliorem existimo opinionem Suarez propter rationes, quas ille.

10 Quæres quartò, an absolutio sacramentalis possit validè impendi personæ absenti, Sylu. Nauar. Petrus Soto, & alij apud Suarez affirmant. Dicendum tamen id minimè fieri posse, esseque talem absolutionem inualidam, etiamsi pœnitens existat in articulo mortis. Ita Suarez *disp.* 19. *sect.* 3. *n.* 7. Henriquez *lib.* 5. *c.* 2. *n.* 7. & cum Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 3. *punct.* 5. *n.* 1. Probatur primò, quia Ecclesia nunquam vsu id approbauit, vt pluribus Suarez *loco cit.* quod est signum, id fieri non potuisse, quia si potuisset, iam fecisset. Quòd si aliquando legatur, id factum fuisse, dicendum est, non fuisse absolutionem sacramentalem, vel à censuris vel reconciliationem pertinentem ad publicam pœnitentiam, vel benedictionem aliquam, & concessionem indulgentiæ. Secundò, quia de ratione huius formæ est, quod proferatur voce humana, vt dicetur infra, & dirigatur ad personam præsentem, vt indicat illud pronomen *te*. Tertiò, quia hoc Sacramentum fit per modum iudicij, quod ante absolutionem requirit causæ cognitionem; & cum sit iudicium internum, & voluntarium, in quo pœnitens habet vicem accusatoris, testis, & rei ostendentis suam dispositionem, ex natura rei postulat præsentiam iudicis: propter quas rationes. Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 80. existimat, & bene, priorem sententiam esse falsam, & improbabilem: quidquid autem de eius probabilitate, certum est, id nunc nullo modo licere, ex declarat. Clem. VIII. apud Suarez *suprà n.* 15. qui Pontifex primam sententiam tanquam falsam: & temerariam, & scandalosam damnauit: & præterea prohibuit, præcepitque sub excommunicatione sibi reseruata: ne deinceps talis propositio publicis, priuatisque lectionibus, concionibus, congressibúsque doceatur; neque vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Vide Bonacin. *sup.*

11 Quæres quintò, vtrum absolutio dari possit in scriptis, aut nutibus, vel an necessariò sit voce proferenda. Respondeo, non posse dari in scriptis, vel aliis signis, sed necessariò esse voce proferendam. Ita S. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 5. *ad* 3. Suar. *disp.* 19 *sect.* 1. *num.* 3. Henriq. *lib.* 4. *c.* 11. Coninch *disput.* 4. *dub.* 9. *n.* 66. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 3. *punct.* 6. *num.* 5. Ratio fundamentalis est Christi institutio, quæ constat ex Florentino dicente formam huius Sacramenti esse verba, quæ Sacerdos profert, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. asserente formam positam esse in illis verbis ministri, *ego te absoluo*. Tum etiam ex traditione Ecclesiæ; licet enim ad iudicium in communi non requirantur verba necessariò, sed sufficere nutus aut scripturam, tamen ad sacramentale, quale est hoc, verba etiam requiruntur, propter rationem dictam. Confessio autem potest aliquando fieri nutibus, & signis; quia non est à Christo determinatum, vt fiat verbis. Item matrimonium celebrari potest nutibus absque verbis, quia est contractus, cui non repugnat ita celebrari, & ex alio capite Christus solum eleuauit verum contractum ad esse Sacramenti: denique absolutio à censuris potest fieri solis signis; quia non est sacramentalis; & potest conferri absenti. Ita vera est hæc sententia, vt existimet Sotus *dist.* 3. *art.* 5. contrariam esse erroneam, quamuis eam admittat, Nauarr. *cap.* 21. *num.* 33. Palud. Petr. Sot. & alij apud Henriq. *loco cit. lit. M.* Quòd si in articulo, vel periculo mortis aliquis pœnitens doctus sit constitutus, & solum ibi adsit confessarius mutus, dicatque pœnitens, hæc sunt mea peccata, quibus satisfactio hæc imponenda est, iniungis illam, & absoluis me? Videri alicui posset tenere absolutionem; nam etsi confessio regulariter facienda sit verbo, in casu necessitatis sufficit nutus, vel signis, videtur etiam idem posse dici in hoc casu; sed hoc iudicent docti.

12 Quæres vltimo, quis modus sit obseruandus in absoluendo. Respondeo circa hoc consulendum esse Rituale cuiusque Diœcesis, in nostra autem Valent. Diœcesi pro temporis opportunitate præscriptus est modus sequens: *Misereatur tui omnipotens Deus, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c.* Quæ quidem verba non præmittuntur, vt necessaria, sicut dictum est; sed ad impetrandum à Deo, ne ex parte pœnitentis impediatur Sacramentum; sicut etiam præmittitur absolutio à censuris, ne idem Sacramentum impediatur: postea dicitur: *Dominus Iesus Christus te absoluat & ego authoritate ipsius, qua fungor, te absoluo, in quantum possum, ab omni vinculo excommunicationis, tam maioris, quam minoris, suspensionis, vel interdicti, si fortè incurristi, eadem authoritate ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Deinde dicit: *Passio Domini nostri Iesu Christi, &c.* Quæ omnia, etsi tantum de essentia sint, *absoluo te*, vt dictum est, vtiliter tamen, & laudabiliter dicuntur, & dicenda sunt, pro temporis opportunitate, ad minus dicat: *ego te absoluo à peccatis tuis*, instante autem necessitate, sufficit dicere: *absoluo te*.

CAP. III.

De effectibus primariis Sacramenti pœnitentiæ.

1 QVATVOR assignantur à DD. primarij, & præcipui effectus Sacramenti pœnitentiæ Primus

Primus eſt remiſſio peccati mortalis: ſecundus, commutatio pœnæ æternæ in temporalem: tertius, gratia ſacramentalis: & quartus eſt, ablatio reliquiarum peccatorum; de quibus ſigillatim in dubiis ſequentibus.

D v b. I.

Vtrùm pœnitentia remittat peccatum mortale.

1 AVt loquimur de pœnitentia, prout eſt virtus, aut prout eſt Sacramentum, de quibus dixi *cap.1. dub.5.*

1 Dico primò, pœnitentia, prout eſt virtus ſupernaturalis, ſufficiens eſt ad tollenda peccata mortalia. Eſt de fide ex Trid. *ſeſſ.6.c.14.* ibi: *Qui verò ab accepta iuſtificationis gratia exciderunt, &c.* & Can. 29. *Si quis dixerit eum, qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, &c.* & tota *ſeſſ.* 14. fundatur in promiſſionibus Dei tam in lege naturæ, nam Sapient.1. de Adam dicitur conſecutum miſericordiam per ſapientiam in qua pœnitentia includitur, & *c.*11. generaliter dicitur, Deum diſſimulare peccata hominum propter pœnitentiam: quam in lege veteri, in qua Ierem.18. dicitur: *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego.* Iſai 55. *Derelinquat impius viam ſuam, &c.* Denique etiam in nouo Teſtamento Matth.3. & 4. *Agite pœnitentiam, &c. niſi pœnitentiam egeritis, &c.* Ratio congruentiæ eſt, quia cum actus pœnitentiæ ſit deteſtatio peccati, & conuerſio ad Deum, eſt maximè proportionatus ad hunc effectum, qui eſt remiſſio peccatorum. Illud autem Paul. ad Heb.6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam*, intelligendum eſt de renouatione per Baptiſmum, quia ſemel baptizatus non rebaptizandus eſt, eo quòd hoc Sacramentum iterari non poſſit: quem ſenſum innuunt illa verba, *renouare*, & illa: *iterum crucifigentes.* Ita Filliucius, *tom.1.tract.6. cap.4.num.*82. Vide Suarez *diſp.8. de pœnit.ſect.*1.

2 Dico pœnitentiam eſſe ſufficientem non tantum ſemel, ſed etiam quoties homo peccauerit, vt dixi *cap. antecedent. dub.4. q.3.* & probatur, quia Chriſtus Ioan.20. abſolutè, & indefinitè dixit: *Quorum remiſeritis, &c.* & Matth. 18. *Non dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Et ratio eſt, quia ſecunda contritio non eſt minus efficax quam prima. Nec obſtat in decretis, *diſt.3. de pœnit.* dici, ſemel tantum eſſe concedendam, non iterandam, nam ibi ſolum ſermo eſt de pœnitentia quadam ſolemni, & cæremoniali, quæ ſemel tantum concedebatur, ad maiorem terrorem, & ne contemneretur. Filliuc. *ſup.n.*83.

3 Dico tertiò, nulla eſſe peccata tam grauia, & tam multa in numero, quæ non poſſint deleri in hac vita per veram pœnitentiam, eſt de fide, ex Triden. *ſeſſ.6. cap.14. & Can.19. & ſeſſ.*14. & aliis conciliis, præcipuè Mileuitano, Arauſicano, & Niceno, *Can.*8. & cum ſanct. Thom. *quæſt.86.art.1.* habet communis Catholicorum apud Suarez *diſput. 8. ſect.*1. & patet ex Scriptura, Zachar. 4. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum eius non recordabor.* Ratio autem fundatur in dictis promiſſionibus de remittendis peccatis, quæ factæ ſunt abſque reſtrictione vlla, & limitatione. Et notanda in loco Ezechielis comparatio; ſicut enim omnes iuſtitiæ amittunt vim ſuam, ſi peccata interueniant; ita omnia peccata remittuntur, ſi pœnitentia accedat, deinde datur præceptum pœnitendi de omnibus peccatis; ergo omnia ſunt remiſſibilia.

4 Quòd ſi dicas, blaſphemiam in Spiritum ſanctum non remitti, vt habetur Marc.3. verſ.28. & 29. Matth. 12. verſ. 31. & Luc. 12. verſ.10. dicit enim Marc. *Qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum*; ergo non omnia peccata ſunt remiſſibilia. Reſpondeo primò cum S.Thom. *q.86. art.1. ad 3.* loqui ibi Euangeliſtam de peccato finalis impœnitentiæ, quod vt ſic irremiſſibile eſt, vt ſtatim conſtabit, aut loquitur de peccato commiſſo ex certa malitia, quod dicitur irremiſſibile non abſolutè, & ſimpliciter, ſed per hyperbolem, aut exaggerationem, eo quod difficile remittatur, etenim in Scriptura ſæpè ea, quæ difficilia ſunt, impoſſibilia appellantur. Reſpondeo ſecundò, ibi per blaſphemiam in Spiritum ſanctum intelligi eam, qua quis agnitam fidei veritatem malitiosè oppugnat, & miracula, quibus fidei veritas comprobatur, ad artem magicam refert; quod quidem peccatum dicitur irremiſſibile, non quia ſimpliciter ſit irremiſſibile, ſed quia cum difficultate remitti conſueuit, eo quòd tales peccatores raro conuertantur, quia reſpuunt fundamentum conuerſionis, quod eſt fides: quæ expoſitio videtur conformior textui. Matth. ibi: *Quoniam dicebant, ſpiritum immundum habet.* & quia hoc eſt reſiſtere Spiritui ſancto, ideo hoc peccatum dicitur in Spiritum ſanctum. Ita Villalob. *tom.1.tr.9. diff.9.num.*2. & cum aliis Bonac. *tom.1. diſput.5. q.6. ſect.1. punct. 2. n.1. verſ. Nomine blaſphemia*, vide Bellarmin. *lib. 2. de pœnit c.*16. Henriq. *lib.4.c.13. num.*6. & Coninch *diſp.2. de pœnit. dub.1. num.*9.

5 Nec obſtant illa verba Ioan. 1. cap. 5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt oret quis.* Nam vt docet D. Auguſtin. *de correp. & grat. cap.* 11. D. Ioann. loquitur de peccato finalis impœnitentiæ, cum quo quis in hac vita decedit, & inferno damnatur, & cum hic iam ſit in termino, & in inferno nulla ſit redemptio, ſequitur eſſe peccatum, pro quo non ſit orandum. Non tamen ſequitur dari aliquod peccatum, quod in hac vita per veram pœnitentiam remitti non poſſit. Henriquez, Bonacina citati cum Bellarmino, & Coninch, vide etiam Filliuc. *ſup. num* 8.

6 Dico quartò, ſi loquamur de pœnitentia, prout eſt Sacramentum, verum etiam eſt, imò, & veriſſimum, omnia peccata in hac vita per eam remitti poſſe: tum quia pœnitentia virtus includitur in Sacramento; ideoque Doctores abſque vlla diſtinctione pœnitentiæ promiſcuè aſſerunt, per eam remitti poſſe omnia peccata: tum etiam quia Chriſtus Ioan. 20 quando inſtituit hoc Sacramentum, & facultatem conceſſit confeſſariis, abſolutè, & ſine limitatione dixit: *Quorum remiſeritis peccata remittentur eis.* Filliuc. *ſup.n.*20.

7 Nota, per pœnitentiam, prout eſt virtus, aut Sacramentum, tria tolli: primò inimicitiam Dei, quæ poſita eſt in auerſione contraria charitati: ſecundò, offenſam Dei contra iuſtitiam, præferendo bonum creatum, & commutabile Deo: tertiò, priuationem gratiæ, & iuſtitiæ. Tolluntur autem hæc omnia à pœnitentia conferendo gratiam cum virtutibus, quibus omnes potentiæ rectificantur; vt pluribus docet Henriq. *lib 4.c.30. & 31.*

8 Sed quæres, vtrum homo ſemper poſſit à peccatis reſurgere, ſeque ad Deum conuertere. Reſpondeo affirmatiuè, etiamſi ſæpiùs, & ſæpiſſimè peccauerit, Ita S.Thom. *3.p.q.86.art.*1. & communis apud Suar. *diſp.8.ſect.2.num.*6. & Bonac. *tom.1.diſp.5.q.6.ſect.1. punct.2. n.*2. Probatur 1. ex Scriptura, etenim Ezechiel. 18. & 33. dicitur: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, &c.* & 2. Petr. 3. *Secundùm benignitatem ſuam tolerat peccatores, vt tandem illos pœniteat.* & Matth. 9.

Matth. 9. *Non veni vocare iusto, sed peccatores.* Secundò, quia Deus, quantum est ex parte sua non denegat cuilibet peccatori auxilia sufficientia ad resurgendum cum velit omnes saluos fieri, alioquin non diceretur velle omnes saluos fieri. Tertiò, quia homo quamdiu viuit, est viator tendens ad vitam æternam tanquam ad terminum, & cum hunc obtinere non possit sine diuinis auxiliis, sequitur illa habere, consequenter posse à peccatis resurgere. Quartò, ex Conciliis, quæ sine limitatione definiunt semper in hac vita dari locum pœnitentiæ. Ita Lateran. *in cap. firmiter de summ. Trin.* Trident. *sess. 6. c. 14.* ait: *In hac vita neminem deseri à Deo, nisi prius deseratur.* Ratio autem à priori est promissio orta ex misericordia Dei, fundata in iustitia Christi.

9 Hinc colligitur, non esse legem generaliter statutam, vt quicumque ad talem multitudinem, vel grauitatem peruenerit, omnino priuetur auxilio, vel dari certum numerum peccatorum, quo posito, nequeat homo à peccato resurgere; id enim significant loca Scripturæ superius allegata; esset ergo erroneum asserere oppositum. Quamuis enim multi non resurgant à peccatis, & aliqui postquam certum aliquod peccatum commiserunt, grauissimè puniantur, eisque deneget Deus auxilia necessaria, etsi aliis habentibus similia, vel maiora non deneget, non tamen sequitur, fieri hoc cum omnibus, & respectu omnium assignatum esse certum peccatorum numerum; quo posito nolit amplius Deus homines tolerare, eisque auxilium ad resurgendum concedere: etenim Dominus cuius vult, miseretur, &c. ad Rom. 9. Ita Suarez *dict. sect. 2.* Henriquez *lib. 4. c. 13. n. 4.* Filliuc. *tom. 1. tract. 6. c. 4. quæst. 2.* & cum aliis Bonacin. *tom. 1. disputat. 5. quæst. 6. sect. 1. punct. 2. num. 2.*

Dub. II.

Vtrùm peccatum mortale remitti possit sine pœnitentia.

1 Nota, quæstionem hanc procedere posse, vel de potentia ordinaria Dei, vel absoluta: deinde pœnitentiam, aliam esse formalem, & explicitam, & hæc actus contritionis, seu doloris formalis, & explicitus, quando scilicet quis explicitè, & formaliter detestatur peccata, & de illis dolet, eo quod sint offensa Dei. Aliam verò virtualem, seu implicitam, qualis censetur actus charitatis, & dilectionis Dei in eo, qui non recordatur peccatorum; nam in hoc actu virtualiter includitur actus pœnitentiæ; quia qui diligit Deum super omnia, consequenter, & virtualiter odio habet peccatum, illúdque formaliter detestaretur, si in memoriam veniret.

2 Quantum ad primum, de lege ordinaria regulariter, & per se loquendo sine pœnitentia formali non potest remitti peccatum mortale. Ita Sanct. Thom. *quæst. 86. artic. 2.* & communiter DD. apud Bonacinam *tom. 1. disputat. 5. quæst. 5. sect. 1. punct. 9. numero 1.* & est de fide, vt constat ex Tridentino *sess. 14. cap. 4.* vbi definit, contritionem fuisse omni tempore necessariam, & colligitur ex cap. 13. Luc. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Actor. 2. *pœnitentiam agite.* & Apocalyps. 1. *Age pœnitentiam, sin minus veniam ad te citò,* & faciunt illa verba Ezechiel. 18. *Si pœnitentiam egerit impius.* Etenim verba scripturæ debēt semper, si potest sumi in proprio sensu; & sicut de aliis similibus actibus, vt Fide, Spe, & Charitate, quia scriptura eos exprimit, dicitur requiri eos formaliter, cum ergo idem faciat de pœnitentia, eodem modo dicendum erit de illa. Quòd si aliquando in scriptura tribuatur aliis rebus remissio peccatorum, v. g. eleemosynæ, iuxta illud Sap. 5. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* & Luc. 11. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis;* intelligendum est id, quia etiam hæc conducunt ad remissionem, non formaliter, sed dispositiuè, & per modum impetrationis, aut Sacramenti, hoc sensu Diuus Augustin. 2. *contra Crescen.* enumerat quatuor remedia ad remissionem peccatorum obtinendam, Verbum Dei, cor contritum, eleemosynam, & charitatem. Villalobos *part. 1. tractat. 9. different. 10. num. 1.*

3 Dico secundò, per accidens aliquando peccatum mortale potest remitti absque formali actu pœnitentiæ, cum sola virtuali, & implicita pœnitentia, ita communis apud Suarez *disput. 9. sect. 1. numero 6.* cum S. Thom. *quæst. 87. art. 1.* quod potest contingere in duobus casibus. Primus, quando existens in peccato mortali, eius habet ignorantiam inuincibilem, aut illius inculpabiliter non recordatur, & habet actum dilectionis Dei super omnia, vt potest; tunc enim iustificabitur per illum actum, iuxta illud Ioann. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* & Prou. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ratio est, quia talis actus est perfecta conuersio ad Deum, & virtute continet pœnitentiam; nam qui diligit Deum super omnia ex charitate detestaretur quodcumque peccatum, si ei in memoriam veniret, quod est implicitè, & virtualiter habere pœnitentiam. Nec requiritur ad hoc, vt talis peccator adhibeat diligentem inquisitionem, vt reminiscatur talis peccati, vt existimat Sotus, quia vt benè Villalobos *part. 1. tract. 9. differ. 10. num. 2.* Solum tenemur ad eam diligentiam, quando peccata sunt confitenda, & hoc vt integra sit confessio. Secundus casus, est, qui ferè coincidit cum primo, quando quis rapitur ad martyrium, & illius memoriæ non occurrunt peccata, vel propter perturbationem animi vel temporis breuitatem, vel alia de causa, hic in tali casu absque pœnitentia formali per martyrium actu susceptum iustificabitur, iuxta illud Christi Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo.* & Ioann. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ratio est supradicta, scilicet in hoc actu charitatis, & dilectionis Dei, propter quem suscipitur martyrium, virtualiter, & implicitè includitur actus pœnitentiæ, quo in casu martyrium non solum vices supplet pœnitentiæ, sed etiam Baptismi, quando Baptismus in re haberi non potest, vt dixi *lib. 2. cap. 1. dub. 10.*

4 Nota tamen, si in eo casu martyrij occurrant peccata, tenetur habere pœnitentiam formalem, seu de illis formaliter, & explicitè dolere, quia vt diximus, regulariter loquendo, & quando haberi potest pœnitentia formalis, est dispositio necessaria ad remissionem peccatorum; ergo cum, vt supponimus, in hoc casu haberi possit, consequenter erit omnino necessaria: imò tenebitur ea confiteri si adest opportunitas temporis, & copia confessarij, quia vt dixi in Decalog. *lib. 3. cap. 4. dub. 2.* præceptum diuinum confessionis obligat in articulo, vel periculo mortis. Hinc fit, si adultus aliquis in peccato mortali existens casu occidatur in contumeliam Christi, nulla præcedente peccati detestatione, nec voluntate efficaci suscipiendi martyrium, non iustificari, quia hic vere non fuit martyr, sed reputandus est casu occisus, ac si casu à lapide fuisset occisus. Ita cum Barthol. Ledesm. Villalob. *sup. num. 2. in fin.*

5 Dico tertiò, sine pœnitentia in re, id est sine Sacramento in re suscepto potest remitti peccatum mortale, sed non sine Sacramento in voto post promulgationem legis Euangelicæ: hæc conclusio patet ex dictis hoc *lib. cap.* 1. *dub.* 3.

6 Quantum ad secundum, an scilicet de potentia Dei absoluta possit remitti peccatum mortale, sine pœnitentia formali, vel virtuali, hoc est, an Deus possit remittere peccatum mortale sine vllo actu peccatoris, quicumque ille sit, siue sit pœnitentia formalis, siue virtualis, aut sine vlla mutatione physica ipsius voluntatis peccatoris, videlicet per meram & liberam Dei condonationem. Hæc quæstio nimis metaphysica est, & parum Theologo Morali necessaria de qua latè Suar. *tom.* 4. *disp.* 9. *sect.* 2. qui sequitur partem affirmantem, & cum eo, & aliis Villalob. *part.* 1. *tract.* 9. *diff.* 11. contra Sot. *in* 4 *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 2. *dub. vlt.* & alios cum Suar. etiam tenet. Coninch *de pœnit. disp.* 2. *dub.* 10. *n* 84. & cum his, & & aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 1. *punct.* 5. *n* 2. vbi ait de potentia Dei absoluta posse hominem iustificari à peccato mortali absque vlla pœnitentia, modò cesset actus peccati; nam, ait, non implicat Deum infundere gratiam, & per illam delere peccatum sine alia dispositione; ego autem solùm breuiter quod mihi videtur verius, attingam.

7 Ad intelligentiam nota in peccato mortali hanc reperiri auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam, reatum pœnæ æternæ, seu obligationem ad illam, & denique offensa, quæ duplex est, alia ex parte peccatoris, quæ dicitur actiua, consistitque, in contemptu amicitiæ diuinæ, illiusque violatione: altera passiua, quæ se tenet ex parte Dei, & consistit in eo, quod propter offensam actiuam, quæ semper præcedit passiuam, habeat se Deus tanquam vindicator, & punitor.

8 Nota etiam, peccatorem propter peccatum esse deordinatum, & auersum ab vltimo fine, qui est Deus Opt. Max. & conuersum ad creaturam, siue diabolum, & in peccatore, transacto actu peccandi, remanere aliquam entitatem moralem per modum termini habitualis, quæ dicitur macula, qua homo dicitur formaliter peccator. Quare hominem esse peccatorem non est, solùm esse obligatum ad pœnam, vel esse passiuè ordinatum ad ipsam, vt existimat Scotus: ratio est, quia etiam si nulla esset pœna, adhuc homines violantes præcepta diuina essent peccatores; tantum ergo illa obligatio erit quid consequens secundariò peccatum. Ex quo sequitur, Deũ remittere peccatum, non esse solum relaxare pœnam, vel non ordinare peccatorem ad ipsam, cum peccatum primò, & per se in hoc non consistat, eo quod supponatur auersio à Deo, & illius inimicitia. Igitur Deum remittere peccatum, nihil aliud est, quam sibi ipsi reconciliare peccatorem, & habere illum tanquam amicum, abluendo per charitatem à se infusam maculam ex peccato contractam. Est autem macula conuersio habitualis animæ, & potentiarum ad bonum commutabile contra rationem relicta ex peccato, seu conuersione actuali, ita tamen, vt talis conuersio includat priuationem conformitatis ad legem, nitoris, ac pulchritudinis: per quam habitualem conuersionem homo formaliter intrinsecè, dicitur peccator. Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et Ps. 50. *Asperges me Domine hysopo, & mundabor, &c.* Et Michæas 7. *Proiecit in profundum maris omnia peccata nostra.* Etenim si tantum peccata tegerentur, manerent occulta simul cum gratia, consequenter aliquis simul amicus, & inimicus Dei esset, quod est impium; illa autem verba Psal. *Quoniam tecta sunt peccata* sumuntur methaphoricè prout tegere idem sit, quod remittere: illud aliud verbum, *imputanti* id est reputatur à peccato immunis, & absolutus. Dicitur, peccator transacto actu peccati; quia transacto actu peccati homo formaliter dicitur auersus à Deo, & conuersus ad creaturam; consistit ergo macula in tali habituali conuersione connotando tamen priuationem conformitatis ad legem nitoris, & pulchritudinis à lege & gratia prouenientis, ita tamen vt essentiale illius habitualis conuersio, & priuatio pulchritudinis ipsius maculæ sit proprietas. D. autem Tho. 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. eam per suam proprietatem explicauit, dum dixit maculam esse priuationem nitoris, & pulchritudinis à gratia prouenientis.

9 Aduertendum tamen, hanc habitualem conuersionem, seu maculam in homine peccatore, non esse aliquam entitatem physicam voluntati superadditam, sed esse quendam modum moralem voluntatis relictum ex conuersione actuali, quæ moralitas conuersionis fundatur in voluntate, quatenus fuit malè conuersa. Causat etiam peccatum veniale quandam maculam in anima; nam quamuis non tollat gratiam, & charitatem, tollit tamen illarum feruorem, in cuius priuatione consistit macula huius peccati: sicut enim lutum non tollit omnino pulchritudinem faciei, sed tantum facit, ne appareat pulchritudo, ita macula peccati venialis non tollit ab anima gratiam, & charitatem, sed tamen videtur eas obtenebrare, ne niteant, & splendeant.

10 Supponendum etiam est tanquam de fide, ex Trident. *sess.* 5. *Canone vltim.* remittere peccata, non tantum esse illa tegere, & ad culpam non imputare, sed ea omnino tollere, & delere. Hoc indicant apertè illa verba Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.*

11 Dico primò, benè potest Deus remittere reatum pœnæ æternæ sine vlla pœnitentia. Ratio est, quia hic reatus consistit in ordinatione Dei ad pœnam, quam potest ipse Deus pro libito tollere, sicut eam iustè imposuit: si enim in humanis potest remitti debitum sine vlla actione debitoris, cur Deus, cum sit supremus, non poterit debitum peccatoris remittere sine vlla peccatoris actione.

12 Dico secundò, benè potest culpam, peccatum, seu maculam delere sine pœnitentia, quæ sit habitus infusus. Primò, quia non est de fide dari habitus infusos. Secundò, quia potest Deus iustificare aliquem per actum charitatis, siue pœnitentiæ, medio auxilio diuino, nam ea quæ Deus facit mediis habitibus infusis, potest se solo facere. Ita DD. in materia iustificationis.

13 Dico tertiò, de potentia Dei absoluta benè potest remitti peccatum, sine formali pœnitentia actuali, hæc conclusio constat ex 2. conclusione, prioris partis dubij, exemplo martyrij, aut alterius qui peccatorum non recordatur, quos iustificari posse per virtualem pœnitentiam, seu actum dilectionis, diximus.

14 Dico quartò, implicat contradictionem, quòd verè fiat remissio peccatorum sine interiori mutatione, per quam homo verè, & realiter mutetur à prauitate in rectitudinem, siue absque actu aliquo voluntatis peccatoris, qui sit pœnitentia formalis, aut virtualis; seu breuius, implicat, quòd fiat remissio absque pœnitentia formali, aut virtuali. Ita videtur docere Diuus Thom. 3. *part. quæst.* 86. *articulo* 2. dum ait, impossibile esse peccatum mortale actuale sine pœnitentia virtute remitti, & immutatione voluntatis cum detestatione conuersionis ad creaturam, vbi addit: quamuis Christus remiserit peccata sine Sacramento pœnitentiæ, non tamen sine virtute pœnitentiæ. Et probatur ratio-

ne

ne primò, quia remittere peccata non est ea tegere tantum, sed reuera tollere omnino, & abolere; sed hoc non potest fieri per meram conditionem absque actu dicto voluntatis; ergo. Minor probatur; quia peccatum omne mortale dicit auersionem à Deo, conuersionem ad creaturam, offensam Dei, & maculam ab ipso causatam, & inimicitiam cum ipso; ergo vt peccatum perfectè tollatur, debent omnia hæc auferri; sed non possunt tolli absque dicto actu voluntatis, & ipsius mutatione, si dicas maculam esse quid positiuum, & tolli per remissionem; ergo realiter, & physicè voluntas mutatur: si autem dicas tantum esse extrinsecam denominationem; impossibile etiam est tolli absque vera, & reali mutatione voluntatis; nam cum peccator sit auersus à Deo, & conuersus ad creaturam, & non conatur auertere se à creatura per actum voluntatis, semper manebit auersio, & macula; quia fieri non potest, vt manente auersione non sit aduersus: sicut fieri non potest, vt manente visione parietis, non dicatur paries visus; ergo impossibile est, quòd manente macula, peccator non dicatur peccator; ergo si illa aufertur peccator mutatur. Secundò confirmatur, quia esse peccatorem, nullo modo pendet à Deo, aliter Deus esset causa peccati, sed in esse, fieri, & conseruari pendet à peccatore; ergo si sunt omnia requisita, ex quibus resultat denominatio peccatoris, nequit Deus talem statum tollere, nisi fundendo formam contrariam, seu mutando realiter voluntatem; aliter enim omnia requisita ad peccatum remanerent, consequenter remittere peccata, solum esset ea regere, & non imputare ad colpam, quod est contra fidem. Et vix posset aliter intelligi, quomodo peccatum non penderet, aut conseruaretur à Deo. Secundò probatur, quia per remissionem peccati homo conuertitur ad Deum, fit eius amicus, & illi gratus, qui antea erat auersus à Deo, illius inimicus, & illi ingratus, ergo per remissionem mutatur, sed hæc mutatio non potest fieri sine actu voluntatis; nam peccatum dicit complacentiam voluntatis, at complacentia non potest tolli, nisi per ipsius voluntatis displicentiam, aliter, maneret complacentia, & peccatum, consequenter sine actu voluntatis, seu pœnitentia saltem virtuali non remittitur verè peccatum. Nec obstat dicere, hominem posse alteri remittere offensam, manente inimicitia, & absque actu aliquo offensoris; nam homo non remittit maculam, nec facit conuersionem, & auersionem, quæ requiruntur ad veram peccatorum remissionem, vt dictum est.

15 Ex dictis constat, adultum non posse iustificari sine actu, & renouatione voluntatis per pœnitentiam saltem virtualem. Dixi, *adultos*, nam pueri iustificantur per Baptismum per habitualem pœnitentiam: ratio differentiæ est, quia adulti cum habeant liberum arbitrium, propria voluntate contraxerunt peccatum actuale, pueri autem non per proprium actum contraxerunt originale, sed quia eorum voluntates erant in primo parente, & tanquam in capite, ideo, &c.

16 Dico quintò, si loquamur, vt re vera loquimur, de homine in præsenti statu, impossibile est de potentia Dei absoluta, vt peccatum remittatur sine infusione gratiæ habitualis, per quam homo interius renouetur, & ordinetur in Deum finem supernaturalem. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 203. *art.* 2. Ratio est, quia peccatum, siue priuatio rectitudinis naturalis, & supernaturalis, & ipsa gratia opponuntur priuatiuè, & sine medio in homine in hoc statu sumpto; ergo impossibile est tolli peccatum, & dari priuationem illius rectitudinis, nisi adsit forma contraria, nempe gratia. Et confirmatur, quia peccatum est cæcitas, tenebræ, & vulnus; gratia verò lumen, & salus; ergo sicut cæcitas, & tenebræ tolluntur per lucem, & morbus per sanitatem, ita peccatum per gratiam, quæ est lux, & salus. Deinde, quia mutatio est per aliquam formam, sed per iustificationem mutatur peccator, vt dictum est conclusione proxima; ergo. Dixi, *in hoc statu*, nam sumpto homine in puris naturalibus, & loquendo de remissione imperfecta, poterat fieri remissio peccatorum sine gratiæ infusione, vt docet DD. agentes de iustificatione 1. 2. *quæst.* 103.

17 Sed quæres, an vnum peccatum mortale remitti possit sine alio. Respondeo, si loquamur de facto, & de potentia ordinaria, & de peccato formaliter, quatenus scilicet dicit offensam Dei auersionem ab eo, & conuersionem ad creaturam, de fide est, vnum peccatum mortale non posse remitti sine alio, vt patet ex Trident *sess.* 6. *cap.* 7. *& sess.* 5. *Can.* 5. & habet communis Theologorum. Si verò loquamur de potentia absoluta, probabilior est sententia negans, quam tuetur. D. Thom. 3. *p. quæst.* 86. *artic.* 3. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 4. *litt.* O, & cum Caiet. Vasquez, & aliis. Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 1. *punct.* 3. *num.* 1. contra Suarez *disput.* 9. *sect.* 4. *& disput.* 10. *sect.* 1. *num.* 6. & Coninch. *disput.* 2. *dub.* 10. *num.* 93. *& dub.* 11. *num.* 103. Probatur primò: quia vt ait D. August. *lib. de pœnit. cap.* 6. quædam impietas infidelitatis est, ab illo, qui est iustus, & iustitia, dimidiam sperare veniam. Secundò, quia vt supra dictum est *n.* 15. remissio peccati fieri non potest absque gratiæ infusione; ergo si posset remitti vnum peccatum sine alio, esset quis simul in gratia, & peccato; in gratia quidem ex parte peccati remissi; in peccato verò ex parte non remissi; consequenter esset simul amicus Dei, & illius inimicus; hoc autem implicat; ergo, implicat vnum peccatum absque alio remitti posse: quod videtur non obscure colligi ex Epist. 1. Petri capit. 4. ibi: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Etenim sicut primarius effectus gratiæ est facere amicum Dei, eiusque filium, & hæredem gloriæ, ita primarius effectus peccati mortalis est efficere hominem inimicum Dei, & amicum diaboli; ergo si tollitur vnum peccatum, tolletur inimicitia Dei, & amicitia diaboli; & cum maneat aliud peccatum, remanebit etiam inimicitia Dei; & amicitia diaboli; consequenter idem homo simul, & eodem tempore erit amicus, & inimicus Dei, & amicus, & inimicus diaboli, & cum implicet contradictionem, ita, &c. Secundò probatur, quia peccatum mortale dicit auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam; ergo si remittatur vnum peccatum mortale, non remisso alio, peccator simul, & eodem tempore erit auersus, & non auersus à Deo. Nec valet si dicas multiplicatis peccatis; multiplicari etiam auersiones à Deo; nam respondeo cum D. Thom. supra omnes auersiones esse connexas secundum illud Iacobi: *Qui in vno offenderit, factus est omnium reus.* Id est, ita est à Deo auersus, & à gloria priuatus, qui vnum peccatum commisit, ac ille qui multa. Deinde omnes auersiones ab vltimo fine, quamuis materialiter in ordine ad obiecta particularia distinguantur, formaliter tamen sunt eiusdem rationis in omnibus peccatis, sicut homo, & equus albus in genere albedinis; ergo destructa vna auersione, destruuntur omnes, & vna manente, etiam omnes manent. Confirmatur, quia omnes auersiones consistunt in indiuisibili, eo quòd pœna damni illis correspondens in indiuisibili consistat; ideo dixit Iacobus: *Qui in vno offenderit, &c.* ergo destructa vna auersione, omnes

nes tollantur, vel vna manente, omnes remanent. Confirmari etiam potest, quia sicut per multiplicationem peccatorum multiplicantur auersiones, ita per multiplicationem bonorum operum multiplicantur conuersiones ad Deum; ergo sicut omnes istæ bonæ conuersiones per vnum actum malum mortale deperduntur, ita vt non possit vna manere, altera deperdita, ita etiam impossibile erit, quod acquiratur vna conuersio ad Deum, quin omnes acquirantur, & consequenter deperdantur omnes auersiones ab illo.

18 Dixi, *peccatum mortale*, nam de veniali dicetur infra: dixi etiam, *quoad culpam, & offensam*; nam si agamus de pœna debita peccato mortali, bene potest vnum remitti sine alio; quia bene potest quis satisfacere pro vno, & non alio.

19 Quæres secundò, an pœnitentia deleat peccata tantum confessa, an etiam oblita, & omissa ex causa excusante. Respondeo, per se, & directè tantum delet peccata confessa; quia absolutio, & sententia iudicialis tantum cadit in accusationem factam, per accidens tamen, & indirectè; ratione gratiæ, quæ vi Sacramenti infunditur, etiam delentur oblita; remanet tamen semper obligatio confitendi, & subiiciendi clauibus oblita, vt *supra* dictum est, vt deleantur directè, & per se. Vide Henriquez *lib.4 cap.13. num.8. lit. C.* Dixi, *causa excusante*, nam si culpabiliter oblitus fuit, eo quòd non fecit debitum examen, confessio tota est infructuosa, & sine gratia, vt dicetur *infrà*. Hinc fit, eum qui ob culpabilem ignorantiam non confitetur peccatum, eo quòd ex ignorantia putat non esse peccatum, v. g. fornicationem simplicem, non consequi illius remissionem. Vt cum aliis Villalobos *p. 1. tract.9. differ.13.*

D v b. III.

Vtrùm Sacramentum pœnitentiæ remittat etiam pœnam peccati.

1 Diximus hoc cap. secundum effectum pœnitentiæ esse, commutare pœnam æternam in temporalem, proinde quærimus, an remittat pœnam peccati æternam: duplex pœna correspondet peccato mortali, de quo loquimur, altera damni altera sensus. Pœna damni est carentia diuinæ visionis in perpetuum, quæ correspondet auersioni à Deo causatæ per peccatum: pœna sensus sunt tormenta ignis, &c. quæ in perpetuum patiuntur damnati in inferno propter conuersionem ad creaturam.

2 Dico primò, remissa culpa mortali, nunc de facto, & secundum legem ordinariam remittuntur pœna æterna damni, & sensus, id est, remittitur reatus, seu obligatio carendi vita æterna, & luendi pœnas in inferno. Ita communis cum S. Tho. *q.86 art.4.* & colligitur apertè ex Trid. *sess. 6. cap. 14.* vbi dicitur pœnam æternam, vnà cum culpa remitti per Sacramentum pœnitentiæ, vel eius votum. Ratio est, quia, vt diximus *dub. proximo*, de facto, & lege ordinaria, remissio peccati fit per infusionem gratiæ, per quam ex inimico Dei fit ipsius amicus, ex iniusto iustus, & hæres vitæ æternæ, iuxta illud Pauli ad Roman.8. *Si filij, & heredes*, sed impossibile est aliquem esse hæredem vitæ æternæ, seu dignum vita æterna, & esse dignum pœna æterna; ergo impossibile est remitti peccatum mortale, & remanere reatum pœnæ; ergo remisso peccato mortali, necesse est de potentia. Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ æternæ. Dixi, *de potentia Ordinaria*, nam de absoluta. Henriq. *lib.4. cap.14.* Coninck *disput.2. de pœnit. dub.12. num.13. & num.118.* & cum aliis Bonac. *tom.1. disp.5. q.6. sect.1. punct.4. num.1.* existimant posse culpam, remanente pœna æterna, remitti per aliam qualitatem, quæ non sit gratia, sicut non implicat, vt asserunt, remitti vnum reatum pœnæ pro vno mortali debitæ, non remisso alio.

3 Dico secundò, remissa culpa per pœnitentiam, reatus pœnæ æternæ, qui etiam remittitur, commutatur in pœnam temporalem solum Deo cognitam, luendam opera pœnaria, & satisfactoria hic, vel in Purgatorio, vt communiter Theologi apud Suarez *disputat. 10. sect.3. num. 14.* Ratio est, quia Deus ab æterno singulis peccatis singulas pœnas taxauit, secundum diuersos status eorum, v. g. vt tali peccato, si perpetuò maneret in homine, responderet pœna æterna; si non perpetuò maneret, tunc responderet alia pœna; vnde fit, vt sublata culpa, mutetur status ipsius, sicque iam non debetur illi nisi pœna temporalis: quare vna pœna succedit alteri; hoc autem totum tribuitur ordini diuinæ iustitiæ, vt scilicet post ablatam inimicitiam vindicet in peccatore iniuriam, vt clariùs ex sequentibus constabit.

4 Dico tertiò, remissa culpa mortali, non semper remittitur totus reatus pœnæ temporalis, seu tota pœna temporalis, imò regulariter, & frequenter remanet hæc pœna: ita D. Thom. *sup.* & communis Theologorum, & est de fide, ex Trident. *sess. 6. cap.14.* vbi dicitur, in Sacramento pœnitentiæ iniungi satisfactionem non pro pœna, quæ simul cum culpa remittitur per Sacramentum, vel Sacramenti votum, sed pro pœna temporali; ergo pœna temporalis non semper remittitur. Ratio autem à priori est diuina ordinatio, vt nobis constat per fidem; & congruentissimè id postulat diuina iustitia, vt non relinquat culpam sine pœna; sic etiam prouidentia, ne facilitas veniæ esset homini occasio peccandi: sic etiam demonstrant scripturæ, ex quibus constat Deum voluisse pro delicto, quamuis dimisso pœnam dare; vt patet 2. Reg. 12. & 14. vbi dixit Dominus per Nathan Dauidi: *Transtulit Dominus peccatum tuum, veruntamen filius, qui natus est tibi, morte morietur*, & infra. *Quamobrem non recedet plaga à domo tua, &c.* Et de Moyse, & Aaron, n.14. & 20. vide Suarez *disputat.10. sect.3. num.5.* in hoc differt pœnitentia à Baptismo; nam per Baptismum, eo quod sit regeneratio, renouatur totus homo, & remittitur tota pœna; secus in pœnitentia, per quam homo non regeneratur, sed sanatur, ideo remanere potest pœna temporalis. Vide D. Thom. *3 part. quæst.86. articulo 4.* Et quamuis per Sacramentum pœnitentiæ applicentur nobis merita, & satisfactiones Christi, quæ sunt infiniti valoris, non tamen semper eodem modo applicantur, vt deleant totum reatum pœnæ temporalis. vt pluribus Suarez *suprà numer.6.* Vide Bonacinam *tom.1, disputat. 5. quæst.6. sect.1. punct. 4. num. 2.* Quod confirmatur etiam ex traditione, nam à tempore Apostolorum semper solitum est imponere satisfactionem verè confessis; tum etiam quia frustra esset Purgatorium, si non remaneret pœna, quod est hæreticum dicere. Causa verò ob quam regulariter non remittitur tota pœna temporalis, est ad tollendam facilitatem peccandi: secundò, vt exerceamus nos in operibus virtutis, scilicet obedientiæ, & humilitatis: tertiò, & principalius, quia ita disposuit iustitia diuina; æquum enim est, vt Deus puniat aliquo tempore hominem, qui postquam illuminatus est per sacramentum Baptismi, & multa alia dona accepit à Deo, his tamen contemptis, se conuertit inordinatè ad creaturam.

5 Dico

5 Dico quartò, quotiescumque remittitur culpa, & consequenter commutatur pœna æterna in temporalem remittitur etiam aliquid pœnæ temporalis, vt ferè communis, ex Suarez *disp.10.sect.3.17.* Ratio est, quia contritio pœnitentis, seu eius dispositio, in instanti, in quo est formata per gratiam, est satisfactoria de condigno, & consequenter semper debet aliquid pœnæ temporalis, vt sequenti conclusione elatiùs constabit.

6 Dico quintò, pœna temporalis, quæ remittitur per pœnitentiam, non semper est æqualis, sed maior, aut minor, iuxta proportionem dispositionis, seu contritionis. S. Thom. *quæst.86.art.4. ad 3.* Suarez *disp.10. sect.3. num.7.* & communis Theologorum. Ratio sumitur ex diuina ordinatione, & conuenienti prouidentia Dei; sic enim exigebat debita proportio iustitiæ, vt qui maiorem habet contritionem, maiorem satisfactionem obtineat: imò tanta esse potest interdum contritio, vt deleat totam pœnam, vt contingit in Magdalena, iuxta illa verba Christi, Luc.7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Hoc autem certum est, & de fide, quando tota pœna non est sublata per primum actum pœnitentiæ, posse tolli per subsequentem, ex Trident. *loco cit.* quia iusti satisfaciunt per opera pœnalia, vt communiter Doctores.

D v b. IV.

An pœnitentia causet gratiam, & tollat reliquias peccatorum.

1 SAcramentum pœnitentiæ causare gratiam tanquam de fide diximus *lib.1. de Sacrament. in gen. cap.1. dub.4.* Causat autem hoc Sacramentum suam gratiam sacramentalem per modum reconciliationis peccatoris cum Deo, connotans quoddam speciale auxilium diuinæ assistentiæ, quo præseruatur pœnitens à peccatis, & faciliùs perseuerat in iustitia, & gratia: Fit etiam per huiusmodi gratiam pœnitens humilior, & cautior, & eius potentiæ roborantur, vt fortiùs decertet, & vincat hostem generis humani. Trident. *sess.14. c.1.* Ex quibus patet, hunc effectum esse proprium Sacramenti pœnitentiæ, non autem virtutis pœnitentiæ, quia virtus pœnitentiæ non est Sacramentum, vt diximus *c.1. dub.1.*

2 Commune etiam est cum S. Thom. *3. p. quæst.86. art.5.* hoc Sacramentum tollere etiam reliquias peccatorum. Ratio est, quia habitus, siue consuetudines peccatorum, & propensiones ad malum non possunt vnico actu tolli, atque ita etsi per vnum actum pœnitentiæ remittatur culpa, adhuc tamen remanebunt reliquiæ; manent verò admodum refractæ, & debilitatæ per gratiam collatam per Sacramentum hoc, quod confert maximas vires ad benè operandum, Hinc est, vt licet hoc Sacramentum det vigorem contra tentationes, & fatigationem animi ex peccato relictam, non tamen omnino auferat propensionem ad malum, & difficultatem in benè operando, sed opus sit exercitio, & frequentatione actuum virtutis. Et quidem etsi per contrarios actus virtutum, & exercitia earum tollantur etiam reliquiæ peccatorum, tolluntur etiam per Sacramenta, præcipuè per ea, per quæ remittitur colpa, vt est Sacramentum pœnitentiæ.

3 Aduertendum tamen, has reliquias peccatorum non esse peccata, quia sunt simul cum gratia. Vnde si aliquando dicantur peccata, est quia sunt effectus peccati, & inclinant ad peccatum; quo modo concupiscentia, quæ remanet post Baptismum in baptizatis, solet dici peccatum.

4 Ex his patet, rectè vocari pœnitentiam vestem nuptialem, quia per eam disponitur homo ad cæleste conuiuium communionis, ad quod ex præcepto diuino necessaria est confessio. Item dicitur disponere ad gloriam, remittendo pœnas, vt dictum est dubio proximo, & peccata venialia vt dicetur infra. Item, in viris piis, qui deuotè confitentur, affert pacem, & tranquillitatem conscientiæ, ex Trid. *sess.14. cap.3.* vide Henriquez *lib.4 cap.13. n.3.*

C A P. IV.

De effectibus secundariis Sacramenti Pœnitentiæ.

EFfectus secundarij pœnitentiæ tres communiter assignatur. Primus est remissio venialium. Secundus viuificatio operis, seu Sacramenti fictè suscepti. Tertius est restitutio in pristinam dignitatem, & merita mortificata. De quibus sigillatim in sequentibus.

D v b. I.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ remittat peccata venialia.

1 DAri peccatum veniale, definitum est à Trid. *sess.6. cap.11.* & colligunt Patres, & Doctores communiter ex illo Christi, Matth.7. vbi reprehendens hypocritas dixit: *Festucam in oculo fratris vides, & non consideras trabem, quæ est in oculo tuo,* vbi Patres, & Doctores per festucam peccatum veniale, & per trabem mortale intelligunt: quomodo hæc distinguantur, agunt Doctores in materia de peccatis, & tetigi in Decalogo *prælud.4. n.3.*

2 Supponendum est, transacto actu peccandi venialiter, manere ipsum peccatum veniale, non solùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam, manereque modo morali, seu habitualiter, & quoad maculam quandam, sicut diximus de peccato mortali *c. anteced. dub.2. n.7.* vbi etiam diximus, peccatum veniale causare quandam maculam, etsi non adeò deformem, & nociuam, sicuti est macula peccati mortalis, cùm macula venialis non auferat gratiam, vt ibi diximus, & docet S. Thom. *3. part. q.82. artic.2. ad 3.* Hinc fit, esse res distinctas remissionem peccatorum venialium quoad culpam, & remissionem eorumdem quoad pœnam vt *suprà*, dictum est de mortalibus *dub.2. cit.*

3 Dico primò, peccata venialia remittuntur per Sacramentum pœnitentiæ, ita communiter Doctores, & patet ex Tridentin. *sess.14. capit.5.* ibi: *venialia vtiliter in confessione dici, licet aliis remediis expiari possint.* Et confirmatur, quia vt dixi *hoc lib. cap.2. dub.1. num.7.* & docet Trident. *loco citat.* peccata venialia possunt esse materia pœnitentiæ; ergo remittuntur per illam, iuxta illud Christi Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo, &c. Probatur etiam, quia peccata venialia remittuntur per alia Sacramenta dignè suscepta? ergo maximè per hoc Sacramentum, quod directè est institutum ad remissionem peccatorum. Quòd alia Sacramenta remittant etiam peccata venialia, patet ex his, quæ dicuntur in eorum effectuum explicatione, & probatur breuiter inductione. Imprimis Baptismus tollit omnem pœnam, & culpam, etiam venialem, nam si baptizatus statim moriatur, euo-

deleti possent, posita dispositione, & voluntate efficaci vtendi auxiliis à Deo præstitis. Tertiò, quia ea soo genere, & modo quo fiunt, habent adiunctum aliquem dolorem peccatorum, vel eius significationem, vt confessio generalis, tunsio pectoris, &c. Vide Filliuc. *tom. 1. tract. 6. cap. 5 q. 10.* Bonacin. *punct. 2. cit.* & Suarez *dicta disp. 12. sect. 2. in fin.*

D v b. III.

An peccata venialia deleantur per actum contritionis & dilectionis, & per alios virtutum actus

1 Dico primò, ad remissionem peccati venialis necessarius est, & sufficiens actus pœnitentiæ, vel formalis, vel virtualis. Ita S. Thom. *q. 87. artic. 1.* & communiter DD. ex Suar. *disput. 11. sect. 3. num. 3. & 4.* Quòd sit sufficiens, patet, quia si sufficit ad remissionem mortalium; ergo à fortiori ad remissionem venialium: qoòd aotem sit necessarius, probatur; quia per peccatum veniale voluntas aliquo modo ad creaturam inordinatè conuersa est; ergo requiritur aliqua voluntatis retractatio, ad hoc vt tollatur illa inordinatio; huiusmodi autem retractatio non fit, nisi per actum pœnitentiæ; quia peccatum veniale potest cõsistere cum quolibet alio; ergo. Hinc est, quòd nullum peccatum veniale possit remitti, dum actu voluntas illius habet complacentiam, quia quandiu voluntas complacet de illo, semper manet deordinatio peccati; ideoque requiritur necessariò retractatio, & displicentia illius formalis, vel virtualis.

2 Dixi, *vel virtualis*, quia pœnitentia virtualis etiam sufficit ad delenda peccata venialia, vt docet S. Thom. *quæst. 87. artic. 1. & 3.* Suarez *suprà, num. 4.* Henriquez *lib. 4. cap. 15. num. 6.* & cum aliis Filliuc. *tom. 1. tract. 6. c. 5. num. 110.* & Bonacin. *tom. 1 disp. 5. quæst. 6. sect. 2. punct. 3. num. 5.* Probatur, quia hæc sufficit ad delenda mortalia modo explicato hoc lib. *cap. 3. dub. 2. num. 3.* ergo ad mortalia. Secundò, quia per huiusmodi virtualem pœnitentiam reuocamus voluntatem moraliter auersam per peccatum veniale. Nomine autem pœnitentiæ virtualis intelligimus dilectionem, & amicitiam Dei, in qua implicitè, & virtualiter includitur detestatio peccati, nam si eo tunc in mentem veniret, illud detestaretur. Cum ergo huiusmodi actus dilectionis sit præstantissimus, habeatque cum peccatis venialibus sufficientem oppositionem, cum virtualiter includat detestationem venialium, si in mentem venirent, hinc est quod per hunc actum deleantur venialia. Vt autem hic amoris, seu dilectionis actus deleat venialia, debet esse perfectus, qualis est velle placere Deo etiam in minimis, aut detestari venialia, si in memoriam venirent, vt sunt leuis offensa Dei, vt docet Bonacina cum DD. citatis, quia talis actus tantum est incompossibilis cum venialibus, peccatum verò mortale remittitur per quemcumque actum dilectionis Dei, eo quia quilibet actus dilectionis sit dispositio ad gratiam, quæ est impossibilis cum quouis mortali. Igitur si actus amoris extendatur ad omnia venialia, omnia delebit per modum dispositionis sufficiẽtis, & proportionatæ ad talem remissionem: si ad aliqua tantum, illa sola delebit; quia eorum tantom actus amoris dicetur virtualis contritio, seu pœnitentia, & eorum tantum erit proportionata dispositio. Vide D. Thom. *q. 87. art. 2. & q. 7. de malo, art. 11. & 12.* & Suar. *dict. sect. 3.*

3 Dico secundò, actus pœnitentiæ, qui est contritio, delet omnia illa venialia, de quibus habetur contritio. Caietan. *3. part. quæst. 87. artic. 1.* Suarez *disp. 11. sect. 3. num. 5. & 7.* Henriquez *lib. 4. cap. 15. num. 5.* Coninch. *disput. 2. dub. 14. n. 123.* & communiter DD. Ratio est: quia sufficit ad delenda mortalia; ergo ad venialia, maximè cum præ ceteris virtutibus contritio habeat perfectam cum venialibus oppositionem & sufficiat ad satisfactionem pro huiusmodi peccatis; cum ipsa contritio sit maius bonum, quàm sint mala ipsa peccata venialia. Remittit ergo contritio omnia peccata venialia, ad quæ saltem virtualiter se extẽdit: vnde si se ad omnia extendit, fitque vniuersalis contritio de omnibus venialibus, omnia remittit, vt quando omnia venialia detestatur absolute, & sine restrictione, quia Deo displicent. Non tamen remittuntur venialia ad quæ non se extendit, quia voluntas per illam ab iis nullo modo auertitur; quare manent adhuc saltem interpretatiue voluntaria, & consequenter non remittuntur; quod contingere potest, quando homo propter affectum nimium erga bonum aliquod temporale, aliquo modo sibi complacet in quibusdam peccatis venialibus. Coninch. *disp. 2. dub. 14. n. 123.* & alij. Etenim cum venialia non sint connexa, vt mortalia, potest peccator vnum, & non aliud detestari; vnde si detestatur curiosum aspectum, & non mendacium iocosum, illud, non verò hoc remitteretur; igitur vt omnia remittantur, detestatio debet esse vniuersalis de omnibus. Notandum tamen, etsi per contritionem remittantur peccata venialia quoad culpam omnem, si generalis sit, non tamen semper remitti quoad omnem pœnam, nisi contritio sit feruens, & intensa ac æqualis pœnæ, vt diximus de contritione respectu mortalium, & contingere potest in Sacramentis, in quibus excepto Baptismo, fieri potest, vt omnia peccata deleantur quoad culpam, sed non quoad omnem pœnam. Bonacin. *tom. 1. disputat. 5. quæst. 6. sect. 2. num. 1. vers. Dixi.*

4 Difficultas tamen est, an attritio sola remittat peccata venialia. Bonacina *tom. 1. disput. 5. quæst. 6. sect. 2. punct. 3. num. 8.* cum Vasquez negat: probabilius tamen affirmant in homine iusto Suarez *disputat. 11. sect. 3. conclus. 3.* Coninch. *vbi suprà, num. 124.* & Filliuc. *tom. 1. tractat. 6. capit. 5. numer. 116.* Probatur primò, quia per talem actum quis meretur apud Deum: ergo etiam remitti potest peccatum veniale. Secundò, quia per attritionem auertit se homo à priori culpa, & quamuis non fiat ea supremo motiuo, nempè propter Deum, satis tamen est ad consequendam remissionem; nam gratia id supplet: est tamen necesse, vt attritio sit de tali peccato, quod si sit de omnibus, omnia delebit, vt dictum est de contritione. Quod dicas, sequi Sacramentum pœnitentiæ nunquam delere in homine iusto peccata sola venialia. Respondeo, non esse inconueniens, hoc dicere, & satis esse, vt per Sacramentum hoc tollatur peccatum veniale, quando est cõiunctum cum mortali. Respondeo secundò, aliquam attritionem per se non esse sufficientem ad delenda aliqua venialia, quia non est condigna satisfactio, quæ tamen cum Sacramento, cum fiat perfectior, erit sufficiens.

5 Dico tertiò, omnis pœnitentia sufficiens ad remissionem peccati venialis debet necessariò includere saltem virtuale propositum illud non committendi, sine quo non potest consistere vera pœnitentia, quia non possum detestari ea peccata, à quibus nolo in posterum abstinere: Non tamen opus est, vt hoc propositum excludat omnem habitualem inclinationem ad peccatum, sed sufficit, vt excludat omnem

liucius *tom.1.tractat.6.capit.5.numer.107.*

7 Nota, certissimum esse, peccatum veniale remitti non posse viribus naturæ, sine Dei auxilio gratuito, consequenter remissionem venialium esse beneficium gratiæ, vt probat S. Thom. 3. *part.q.87. art.4.* & tenent communiter Doctores, id probantes ex sacra Scriptura, & Conciliis. Vide Suarez *disput.11. sect.2.* & Filliucius *suprà, quæst.1.* Secundò notandum, remissionem peccati venialis supponere in subiecto gratiam sanctificantem, vel quæ tunc fiat, vt cùm quis iustificatur per Sacramenta, vel extra per contritionem; vel quæ præcesserit, & maneat, quando remittuntur. Ratio est, quia vt dixi *quæst. præced.* nullum actum inimici Deus acceptat ad fructum spiritualem, cuiusmodi est etiam remissio venialis.

8 Quæres quartò, an peccatum veniale remittatur in alia vita. Certum est, nunquam remitti in inferno, vt dictum est *quæst. 3. in fine*; inde ergo procedit de purgatorio, & in casu, quo iustus moritur in aliquo veniali, in aliquo casu repentino, quo in euentu non potest absque illius remissione introire in regnum Dei, cùm in illud nihil inquinatum possit ingredi, Apoc. 13. Omissis variis modis dicendi, dico cum S. Thom. *quæst.7. de malo.* Suarez *disput.11. sect.4. num.13.* Filliuc. *sup.num.153.* Coninch. *loco citat.dub.17.num.137.* quos sequitur Bonacina *vbi suprà, num.7.* deleri tunc veniale in instanti separationis animæ à corpore per actum dilectionis Dei, & contritionis, quem tunc anima elicit. Anima enim cùm decedat in charitate, habet perfectissimam cognitionem sui status, & quia videt habere se etiam venialia, habet formalem actum detestationis illorum, & sic remittuntur. Non tamen illi vlla tunc pœna remittitur, sed tota soluitur in purgatorio, vt docet S. Thom. & citati; quia tunc anima non est in statu merendi, nec satisfaciendi. Deinde, quia sic multiplicatis actibus charitatis, posset anima citiùs liberari ab igne, quod est falsum, & contra communem Ecclesiæ opinionem, cùm constet plures animas in pœnis purgatorij diutius detineri; tollitur ergo illa pœna per satispassiones, & suffragia.

Dvb. V.

An pœnitentia viuificet opus Sacramenti fictè suscepti, seu an Sacramentum pœnitentiæ susceptum cum fictione reuiuiscat.

1 Hoc dubium commodiùs tractabitur infra, vbi de confessione, quando agemus, an detur confessio informis, & quando reuiuiscat. Vide Bonacinam *tom.1.disp.5.q.6 sect.2.punct.5.* vbi tenet partem affirmantem, pluribus adductis.

Dvb. VI.

De tertio effectu pœnitentiæ, qui est restitutio ad pristinam dignitatem, & merita, seu recuperatio meritorum, gratiæ, & virtutum

1 Ad intelligentiam nota, bona opera supernaturalia esse in triplici differentia: alia sunt, & dicuntur viua, & sunt illa, quæ fiunt ab homine existente in gratia, quæ dum perseuerant in homine illa operante, semper dicuntur; quia facta sunt ab homine Deo grato, & ex gratia, quæ est capax præmij talium operum. Alia dicuntur mortua, illa nimirum, quæ fiunt in peccato mortali, vt eleemosyna, ieiunium, & alia pia opera; hæc enim opera cùm fiant ab homine spiritualiter mortuo, ab initio sui carent vita, neque possunt illam vllo tempore deinceps habere; ideo nullius valoris, & meriti vitæ æternæ sunt apud Deum, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 15. *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Item: *Si tradidero corpus meum, &c. & charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Possunt tamen huiusmodi opera prodesse ad obtinenda bona temporalia, ad humiliationem, ad vitanda maiora tormenta in inferno, quatenus per huiusmodi bona opera adimplentur diuina præcepta, quorum violatione maiora tormenta subeunda essent in inferno, quæ omnia his duobus versibus comprehendit Glossa *cap. quod quidam, de pœnit. & remis.*

Quæ cùm mortali bona fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Sunt etiam meritoria de congruo, eo modo quo dixi in Decalogo *lib.1. cap.7. de oratione, dub.6. num.2.* Denique alia bona opera dicuntur, & sunt mortificata, & sunt illa, quæ fuerunt facta in gratia, & ideo fuerunt viua, sed postea per subsequens peccatum mortale mortificantur, quia hoc efficit, vt illa bona opera tunc nullum vitæ effectum habeant, neque præmium mereri, ideo dicuntur mortificata, de quibus loquitur D. Paulus Hebr. 6. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, &c.* de quo latè Suar. *in opusc. de reuiuiscentia merit. disp.1. sect.1.*

2 Dico primò, opera mortua non reuiuiscunt per subsequentem pœnitentiam. S. Thom. *3. p. quæst.89. art.6.* Henriquez *lib.4.cap.16.n.4. & cap.3.n.1.* Coninch. *de pœnit. disp.5. dub.10. num.278.* & cum aliis Bonacio *tom.1.disp.5.q.6 sect.4. punct.1.num.5.* Ratio est, quia opera bona reuiuiscere, est remoto impedimento peccati, accipere vitam, & valorem, quem habebant opera, quando facta sunt; sed illa opera non habebant meritum vitæ, eo quòd non fuerunt facta ab existente in gratia, vt dictum est in notat. ergo non reuiuiscunt.

3 Dico secundò, opera bona per peccatum mortificata valent, seu reuiuiscunt per subsequentem pœnitentiam. Ita communis Theologorum apud Suarez *sup. sect.5.* cum S. Thom. *quæst.89. art.5.* & est conformis sanctis Patribus apud eundem Suarez, & Filliuc. *tom.1. tract.6. cap.6. num.137.* probarique potest ex Scriptura, præcipuè ex loco Pauli, citati: *Non est iniustus Deus, &c.* vbi loquitur Paulus de operibus in gratia factis, & de præmio bonorum operum, quæ in gratia facta sunt, etiam in iis, qui postea peccauerunt, modò auferatur impedimentum præmij, vt Glossa Interlinealis ibi: *Ideo de vobis confidimus, quia olim multa operati estis pro quibus si pœnitemini de malis, benefaciet Deus.* Idem alij Patres ex Suarez *loco cit.* & fauet Trident. *sess.9. capit.6.* ibi. Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: *Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino; non enim est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Facit etiam Glossa Leuit. 5. ibi: *aquè placet Deo, &c.* & Ioel. 2. ibi: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta* vide Trident. *sess.6. cap.16.* ibi: *Si ipsis iustificatis, &c.* Probatur ratione, quia hæc opera reuiuiscere, nihil aliud est, quàm sublato impedimento, iterum recuperare operationem vitalem, quæ est, suo tempore reuocare hominem ad vitam æternam: seu reuiuiscere est, hominem in eo statu poni, vt si in eo moriatur, consequatur eorum præmium; sed hoc fit per pœnitentiam; per eam enim præcedens

meritum

meritum ponitur in tali statu, vt habeat omnes conditiones requisitas ad præmium, vt patet ex Trident. *sup.* ergo. Et confirmatur, quia hæc est differentia inter peccata, quæ non redeunt, & merita, quæ reuiuiscunt per gratiam; quia peccata verè mortua fuerunt, & omnino extincta, ideo non possunt redire, nisi miraculosè, quo in casu talis reuiuiscentiæ author esset Deus, quod est absurdum: merita verò non fuerunt extincta (manent enim in acceptatione diuina) sed tantùm fuerunt mortificata, id est, impedita propter subsequens peccatum ab effectu consequendi gloriam; ideo ex misericordia, sublato impedimento peccati, statim redeunt. Quod adeò verum est, vt sine temeritate, & impietate negari non possit, cùm id negare sit contra probabilia loca Scripturæ, & Tridentinum; denique quia nostra sententia fauet diuinæ prouidentiæ, & pietati, & consentanea hominum fragilitati. Filliucius *suprà, num.* 140. cum Suarez *loco cit.*

4 Nota, hanc reuiuiscentiam esse opus misericordiæ, & iustitiæ: misericordiæ quidem, si intelligatur de ablatione impedimenti, quod est misericordiæ opus: iustitiæ verò si consideretur sola retributio meritorum, vel acceptatio ad retributionem, quatenus durat pro eo statu, quo surrexit à peccato: sic enim dicendum est, esse opus iustitiæ, præsupposita misericordia; omnis enim iustitia, quæ obligat Deum, supponit promissionem ex misericordia, Filliucius *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 6. *quæst.* 3. cum Suarez *vbi sup disp.* 1. *sect.* 3.

5 Dico secundò, omnia merita mortificata redeunt quoad præmium essentiale secundùm totum suum primum valorem, quem habebant ante peccatum, quomodocumque quis resurgat, siue contritio sit intensior, siue remissior, siue resurgat in Sacramento, vel extra. Ita Sotus *dist.* 22. *quæst.* 1. *artic.* 2. Filliuc. *sup. num.* 152. & 153. Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 4 *punct.* 1. *num.* 4. & cum aliis Suarez *de reuiuiscentia merit sect.* 2. *num.* 17. Probatur primò, quia ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. omnibus meritis de condigno redditur infallibiliter essentiale præmium; testatur enim Tridentinum, ita præmianda esse opera antecedentia, sicut quælibet alia bona opera, modò homo moriatur in gratia. Secundò, quia contritio non concurrit ad hoc meritum, tanquam causa per se, & dispositio illius, sed tantum vt remouens prohibens quod est peccatum; sed hoc remouetur per quamcumque contritionem, imò & per attritionem cum Sacramento; ergo per quamcumque contritionem reparantur omnia merita. Denique hæc sententia magis fauet pietati Christianæ, cùm contraria diuertat hominem ab exercitio bonorum operum, quasi frustrentur solito præmio essentiali, vt bene aduertit Henriquez *lib* 4 *cap.* 33. *num.* 6. Restituitur autem tota hæc præcedens gratia statim in ipso instanti, in quo talia merita mortificantur, siue dispositio sit intensa, siue remissa, siue contritio, siue attritio cum Sacramento. Ratio est, quia merita reuiuiscunt quoad totum hunc effectum, qui talis est, vt possit dari statim, in quo differt à gloria, cuius est capax viator in hac vita, sicut est totius gratiæ. Neque ad hoc requiritur specialis dispositio, nam talis gradus non datur gratis, sed ex iustitia ob opera præcedentia. Ita cum aliis Filliucius *sup. num.* 156.

6 Ex dictis colligitur, hominem semper resurgere ad maiorem gratiam. Patet, quia semper accipit nouam gratiam proportionatam suæ nouæ dispositioni, siue in Sacramento, siue extra, & deinde recipit totum cumulum gratiæ, quam antea habebat; ergo semper resurgit cum maiori gratia. Hinc est, vt etiam qui resurgit à peccato, habiturus sit maius præmium essentiale meritorum quam habuisset ante peccatum, nam habebit illud, quod correspondet nouæ contritioni, & præterea integrum præmium correspondens prioribus meritis. Vide Bonacinam *vbi sup. punct.* 2. *num.* 4. Colligitur etiam quid dicendum sit de hac propositione: *Deus semper vocat hominem ab hac vita in optimo statu, quem habuit*: nam si loquamur de homine prædestinato, est verisimilis; absolutè vero loquendo falsa, quia seprobus aliquando poterit esse iustus, & tamen non moritur cum iustitia: & ideo absolutè prolata, fuit condemnata Parisiis, vt refert Suarez videndus *sup. sect.* 3. *in fine.*

7 Dico tertiò, virtutes infusæ, quæ ita connexæ sunt cum gratia, vt simul cum ea amittantur, recuperantur etiam per Sacramentum pœnitentiæ, vel per pœnitentiam virtutem. S. Thom. *quæst.* 89. *art.* 1. & 2. Suarez 3. *part. quæst.* 89. *in comm. artic.* 1. Bonacina cum aliis *vbi sup. num.* 6. & communiter Doctores. Ratio est, quia pœnitentia restituit gratiam, cùm remittat peccata, quæ sine gratia non remittuntur, vt dictum est *hoc. lib. cap præcedenti, dub* 2. *num.* 15. at virtutes infusæ tanquam quid accessorium sequuntur gratiam, tanquam earum principale. Hinc sequitur, per pœnitentiam restitui charitatem, & pœnitentiam infusam, tum etiam fidem, & spem, quando illæ fuerunt amissæ, nam hæ duæ virtutes non amittuntur per quodcumque peccatum mortale, sed tantùm per sua opposita, vt sunt hæresis, & desperatio, vt dixi in Decalogo. Virtutes autem morales, & acquisitæ, cum non amittantur per peccata, possintque cum illis stare, ideo non est opus vt restituantur. Bonacina *dict. punct.* 2.

8 Videndum est iam, an pœnitentia restituat hominem in pristinam dignitatem. Duplex potest considerari dignitas: prima est in ordine ad Deum, & hanc dico pœnitentiam restituere, cum redeant virtutes, merita, & gratia omnis, modò supra explicato, & consequenter idem ius ad gloriam. Non tamen redit innocentia, quia hæc supponit nunquam esse peccatum: nec virginitas per externum peccatum amissa, quia est hæc irrecuperabilis, vt dixi in Decalogo *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 1. mentalis tamen recuperatur. Vide ibi. Secunda dignitas est in ordine ad homines, vt quoad ministerium aliquod, vel statum dignitatis Ecclesiæ, vel quid simile, & hæc non semper comparatur, quia pœnitentia interior non semper iuuat in foro externo: neque propter illam remittitur pœna temporalis, quia ad exemplum, & correctionem aliorum ita expedit. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 160.

DVB. VII.

An peccata semel remissa redeant, quando quis de nouo peccat.

1 Dico primò, peccata semel dimissa non redeunt, nec vlla potentia redire possunt per peccatum de nouo commissum. Ita S. Thom. 3. *p. quæst.* 88. *art.* 1. Sotus *dist.* 16. *quæst.* 1. *art.* 1. Suarez *disp.* 13. *sect.* 1. Coninch. *de pœnit disput.* 1. *dub.* 18. *num.* 146. 147. Henriquez *cap.* 32 *num.* 4. & cum aliis Bonacina *disput.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 3. *punct.* 1. *num.* 1. Probatur primò ex D. Paulo Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* Secundò, quia per pœnitentiam, & gratiam fuerunt omnino extincta; quod autem extinctum est, non potest naturaliter reuiuiscere, imò nec supernaturaliter possunt peccata reuiuisci quoad culpam, quia cùm miraculum principaliter fiat à Deo,

Deu, illa reuiuiscentia fieret à Deo, consequenter Deus esset author illius peccati quoad culpam, quod asserere impium est.

2 Dico secundò, peccata semel remissa de potentia ordinaria Dei non possunt propriè, & formaliter redire quoad reatum pœnæ per subsequens peccatum. S. Thom. *quæst.* 88. *artic.* 3. Henriquez *suprà, num.* 8. Suarez *disp.* 13. *sect.* 2. & cum aliis Bonacina *sup. punct.* 3. *num.* 1. Probatur primò ex Scriptura, Nahum. 1 *Non surget bis tribulatio*, & secundum 70. *Non puniet Deus bis in id ipsum.* & D. Paulus Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* Secundò, quia reatus pœnæ sequitur culpam; sed culpa non redit in se, & formaliter, ergo nec pœna. Illud autem Iacobi 2. *Qui offenderit in vno, factus est omnium reus*, intelligi, primò, fieri aliquo modo omnium reum per accidens ratione ingratitudinis, modo dicendo, non verò formaliter, & per se. Secundò, fit omnium reos quoad priuationem gratiæ, & auersionem generalem à Deo, quæ peccatis omnium mortalibus communis est, hoc est, ita priuatus est gratia, & auersus à Deo, ac si omnia peccata non essent dimissa; non tamen incurrit priuationem, & auersionem, quatenus proueniebat à priori peccato remissio, ideo non redit per subsequens peccatum quoad pœnam, nec quoad auersiones in particulari. Diai, *de potentia ordinaria*, nam de absoluta redire possunt quoad pœnam. Ita citati quia peccata possunt remitti sub conditione, vt si peccator de nouo peccet, redeat idem pœnæ reatus, ac si peccata non essent remissa; hoc enim non impliear.

3 Dico tertiò, peccata præterita dimissa aliquo modo, & quasi per accidens redeunt ratione ingratitudinis, consequenter ratione maioris deformitatis, quę in peccato post remissionem aliorum commissorum continetur. Ita S. Thom. *q.* 88. *art.* 2. *&* 4. Suar. *disp.* 13. *sect.* 3. Coninch. *disp.* 1. *dub.* 19. *n.* 131. Ratio est, quia peccatum de nouo commissum post remissionem aliorum, & quo maiora sunt auxilia, & dona à Deo recepta, grauior est, nam videtur Deus aliqua ratione virtualiter contemni, cùm de nouo offendatur post tanti beneficij collationem, nec ipsius ratio haberi videatur. In quo sensu explicanda sunt illa Christi verba, Matth. 18. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi*, *&c.* idque comprobat iudicum vsus acerbius punientium eum, qui in furtum relapsus est post punitionem.

4 Quæres, an ingratitudo hæc sit circunstantia necessariò in confessione aperienda. Notandum, ingratitudinem, aliam esse formalem, seu specialem, vt quando quis eo animo peccat, vt vilipendantur beneficia à Deo accepta in remissione peccatorum; quæ absque dubio est aperienda in confessione, quia habet specialem malitiam specificam. Alia verò est generalis, seu materialis, vt quando quis non eo animo peccat, sed ea passione, aut vt gustui satisfaciat, & de hac dubitant Doctores; nam Scotus existimat explicandam esse, saltem dicendo, se aliàs peccasse. Sotus verò *dist.* 16. *q.* 1. *artic.* 4. Coninch. *sup. n.* 156. Villalob. *tract.* 9. *p.* 1. *diff.* 18. *num.* 4. & cum aliis Bonac. negant, circunstantiam ingratitudinis, seu residui non esse necessariò confitendam, quorum opinio probabilior est, iuxta sententiam valdè probabilem asserentium, circumstantias aggrauantes, & non mutantes speciem, qualis est hæc, non esse necessariò confitendas: est enim hæc circunstantia nimis generalis vagans per omnia peccata, ideo, confesso peccato principali, censetur sufficienter expressa; ideo non est necessariò exprimenda. At si fuisset frequentissima, & ingens ingratitudo, & reincidentia in peccatum, videtur necessariò explicanda, vt Doctores citati, v.g. si postquam quis sæpissimè peccatorum suorum consecutus est veniam, & postquam eum Deus è multis periculis liberauit, Deum offendit. Hinc sequitur, peccatum de nouo commissum grauiùs puniendum in inferno propter ingratitudinem, quàm alioquin puniendus esset: punitique in inferno non solùm pro nouo peccato, sed etiam pro pœna peccatis remissis debita, modò pro illa in hac vita non satisfecerit, quo in casu illa pœna temporalia per accidens, eo quòd coniuncta est cum mortali non remisso, punietur pœna æterna, vt dictum est de illo, qui discessit cum venialibus, & mortalibus non dimissis. Bonac *sup. punct.* 3. *n.* 2. *&* 3.

5 Nota cum D. Thom. *quæst.* 88. *artic.* 2. Henriq. *vbi suprà*, & Bonacina *loco citat. numer.* 7. grauius peccatum esse quod committitur post remissionem peccatorum, quàm post innocentiam baptismalem, eo quòd illud fuerit maius beneficium. Nota etiam, potissimùm dici redire quatuor genera peccatorum: Odium fraternum, Apostasia à Fide, Contemptus confessionis Sacramentalis, & Displicentia anteactæ pœnitentiæ; singula enim hæc specialem animi ingrati continent ingratitudinem contra remissionis præteritæ beneficium. Filliuc. *tom.* 5. *tractat.* 6. *cap.* 6. *num.* 163.

CAP. V.

De contritione, & attritione.

DVB. I.

Quid sit contritio.

1 ADuerte, dolorem, seu detestationem de peccatis vocari, & esse contritionem, & attritionem: si est perfectus dolor, id est, propter Deum summè dilectum, dicitur contritio: si autem sit imperfectus, id est, non propter Deum summe dilectum, sed propter pœnas inferni, dicitur attritio, vt latiùs infra. Translata autem sunt hæc nomina à rebus materialibus, quæ tunc dicũtur conteri, vt lapides quando frangũtur in minutissimas partes; & tunc dicũtur atteri, quãdo inuicem allidũtur, & aliqua ex parte comminuuntur, & in partes maiores diuiduntur; sic ergo peccator, qui Ezech. 11. dicitur habere cor lapideum, quando dolet perfectè de peccatis, dicitur habere contritionem, quia illius cor præ maximo dolore quasi diuiditur in minutissimas partes, quod est, *conterere.* Quando verò dolor non est ita perfectus, dicitur attritio, & hoc est, *atterere.*

2 Nota etiam, contritionem sumi aliquando largo modo, seu vniuersaliter pro quocumque dolore peccati, qua ratione est quid commune ad veram, & propriam contritionem, & ad attritionem. Sumitur etiam strictè, & propriè, pro detestatione scilicet, seu dolore de peccatis propter Deum summè dilectum, qua ratione distinguitur ab attritione, vt latiùs infra, nunc de contritione. Donatur autem contritio variis nominibus in Scriptura, & apud sanctos. Primò enim dicitur conpunctio: secundo humiliatio, Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*: tertiò reuersio, quasi ab hostibus ad pacem, de regione longinqua ad patriam: quartò conuersio: quintò Baptismus flaminis: sextò, victoria gratiæ dimicantis contra culpam: septimò, medicina sanans per sudorem lachrymarum: octauò, fluxus discretionis: nono abominationis vomitus: decimò, natale: vndecimò, Pascha, quia per peccatores transit Dominus occidens Ægyptios, id est

peccata, &c. & Psal. 146. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, quod de peccatorum contritione intelligit D. August. His positis.

3 Dico primò, contritio in communi prout complectitur attritionem, sic à Trid. *sess.* 14 c. 4. definitur: Animi dolor seu detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.

4 Dicitur primò, *animi dolor*, non propriè formaliter, aut essentialiter, sed effectiuè, & causaliter, ita vt effectus contritionis sit dolor animi, seu voluntatis, in qua residet contritio, causatus ab ipsa contritione; etenim contritio formaliter, & essentialiter est peccati detestatio, & displicentia, vt docet S. Thom. 3. *part. quæst.* 85. *art.* 2. Caietan. *tom.* 1. *opusc. & tract.* 4. *quæst.* 1. & communiter Theologi apud Suarez *tom.* 3. *disput.* 4. *sect.* 1. *n.* 4. Et ratio est, quia vt dixi *supr. capit.* 1. *dub.* 1. *concl.* 2. actus pœnitentiæ consistit in detestatione & displicentia peccati; contritio autem est proprius actus pœnitentiæ; ergo eius essentia consistit in detestatione, & displicentia peccati: quare cum Trid. *vbi sup.* dicit contritionem esse detestationem, & dolorem, debet intelligi, quod sit detestatio formaliter, & essentialiter; dolor verò causatiuè, seu concomitanter. Ad cuius pleniorem intelligentiam reuocandum est quod supra dixi *cap.* 1. *dub.* 1. in pœnitentia quatuor actus reperiri illi proximos, & proprios, vt dixi *dict. dub.* 1. *numer.* 9. *vers. Nota actus.* Primus est, *voluntas destandi peccatum commissum.* Secundus, *odium ipsius peccati*, quatenus est quoddam malum. Tertius, *detestatio*, quæ est fuga quædam mali præsentis ex consideratione turpitudinis peccati. Quartus est, *dolor*, id est displicentia quædam orta ex turpitudine peccati: de quibus latè Suarez *disp.* 3. *sect.* 4. Igitur primus actus non est contritio, sed quid antecedens ad illam, vt docet Sanctus Thomas *vbi sup. part. ad* 1. quia illa sola non disponit ad gratiam, vt facit contritio, ideo Trid. *sess.* 14. *cap* 4. dum agit de contritione, non facit mentionem de huius actu, quia non est de substantia. Nec consistit in secundo actu, qui est odium; nam odium; abstrahit ab eo quòd sit contra peccatum commissum, vel non commissum; & per se non parit tristitiam, neque vindictam, quod tamen efficit contritio. Neque est quartus actus qui est dolor; quia hic vt dixi loco proximè citato, dolor est quid consequens detestationem, & contritionem; ex eo enim quòd quis conteritur de peccato, illudque detestatur; sicut ex eo quòd quis sibi complaceat de re amata, & præsenti gaudet, & delectatur. Præstat ergo, quòd contritio consistat essentialiter in tertio actu, qui est detestatio, vt dictum est.

5 Dicitur secundò, *animi dolor*, ad denotandum subiectum contritionis esse voluntatem, in qua etiam residet pœnitentia, cuius actus est contritio, vt dixi *hoc lib. c.* 1. *dub.* 1. *concl.* 6. est enim contritio actus quidam voluntatis, quo respicit peccatum, tanquam malum illud abominando, & detestando per odium, & detestationem. Nam voluntas circa bonum habet actum voluntatis, qui dicitur prosecutio, seu amor: circa malum verò habet actum nolitionis, qui dicitur fuga, seu odium; & quemadmodum ex boni amore, si illud præsens sit, nascitur delectatio, & gaudium ita ex odio mali, si aliquo modo præsens sit, oritur displicentia, & tristitia; ideò verè dictum est, contritionem esse essentialiter detestationem, ex qua tanquam passio consequitur displicentia, seu peccati dolor, vt pluribus Suarez *disp.* 4. *sect.* 1. vide Filliucium *tom.* 1 *tract.* 5. *c.* 7. *q.* 2. & 3.

6 Dicitur tertiò, *de peccato*, ad denotandum materiã seu obiectum contritionis, seu attritionis, quod est peccatum, per eam delendum, & destruendum, siue mortale, siue veniale, siue actuale, siue habituale, siue internum, siue externum, quia vt diximus *sup. c.* 1. *dub.* 1. *conc.* 2. talia peccata sunt obiectum materiale pœnitentiæ, cuius actus est contritio, & *c.* 2. *dub.* 1. diximus materiam remotam Sacramenti pœnitentiæ esse peccata; at contritio eius est præcipua pars: formale autẽ obiectum cõtritionis est detestatio peccati, quatenus est offensa Dei, vel malum Dei, vel contra amicitiam Dei, vt dixi *loc. cit. conc.* 3. & docent communiter DD. per hoc enim contritio distinguitur ab actibus aliarum virtutum cum ea solum circa peccatum, prout est Dei offensa, versetur. Vide Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *pun* 4.

7 Dicitur quartò, *de peccato commisso*, vt intelligas contritionem non esse de peccatis futuris, sed de iam commissis. Vt docet S. Th. *d.* 13. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 4 & *in add. q.* 2. *a.* 4. & communiter DD. est enim contritio detestatio offensæ factæ, Deo cum proposito non amplius offendendi, ideo respicit peccatum præteritum, quoad actum, remanens tamen quoad habitum seu maculam & habitualem auersionem à Deo, quam conatur destruere, & delere contritio per contrarium actum, scilicet per detestationem peccati, & conuersionem ad Deum. Igitur contritio non potest esse de peccato futuro directè & propriè: benè vero indirectè, hoc est, propositum vitandi peccata futura. Bona. *sup. n.* 8. debet etiam peccatũ, quod iam commissum est, non esse remissum, quia per remissionem cessauit offensa, & inimicitia Dei, ideò de peccato dimisso, prout dimisso, non datur contritio; si autem consideretur, vt fuit ab homine commissum, & vt aliàs fecit hominem Dei inimicum, potest esse materia contritionis; quo pacto viri iusti sæpius contritionis actum eliciunt ob memoriam peccatorum antea commissorum: Bonac. *sup. n.* 1. & 3. vide Henriq. *lib.* 4. c. 19. *n.* 9. At si nesciat esse dimissum peccatum, absque dubio potest esse obiectum contritionis. Bonac. *n.* 4. Debet etiam peccatum esse commissum propria voluntate; vnde peccatum originale non est materia contritionis, vt docet S. Th. *q.* 2. *add. a* 2. quod intellige si iam dimissum sit per Baptismum; nam si consideretur, vt non dimissum, potest de ipso actus contritionis haberi; nam efficit hominem Dei inimicum. Bonacina *supra num.* 6. Hinc fit, peccatum alienum non esse obiectum contritionis; nam actus qui est in me, non potest destruere peccatum, quod est in alio, vt est offensa Dei, cum peccatum alienum, non faciat me inimicum Deo nisi cum eo aliquo modo cooperatus fuerim, ideo si non cooperatus sum, non possum de alieno peccato conteri. Sanct. Thom. *in add. quæst.* 2. *art.* 5. Bonacina *sup. n.* 9. vide Suarez *de pœnit. disp.* 2. *sect.* 8. *num.* 1. An possimus conteri de vno peccato, & non de alio, dixi *sup. c.* 3. *dub.* 1. *n.* 16. & dicetur infra.

8 Dicitur quintò, *proposito non peccandi de cætero*, nam peccator detestando peccatum debet proponere non peccaturum in futurum, vt expresse docet Trid. *sess.* 14 *cap.* 4. & Florent. in Decreto Eugenij & sumitur ex Scripturis requirentibus ad pœnitentiam nouam vitam, vt Ezech. 18. 33. & Psalm. 50. & tenent communiter DD. non enim quis verè, propriè, & perfectè potest dolere de offensa Dei, nisi propositum habeat vitandi peccata in futurum, nam conuersio perfecta requirit recessum à malo per detestationem, & accessum ad bonum per propositum: contritio autem est perfecta conuersio; ergo, &c. Variant tamen D D. an requiratur propositum expressum, seu explicitum, dicendo expresse, propono non peccaturum de cætero; an verò sufficiat implicitum: & virtuale, hoc est an sufficiat perfecta detestatio peccati: prout est offensa Dei,

in

in qua implicitè continetur propositum non peccandi; nam sic detestans peccatum implicitè diligit Deum super omnia, & vult placere ipsi in omnibus, & habet implicitum propositum seruandi omnia Dei præcepta, & faciendi omnia, quæ sunt ad salutem necessaria, consequenter implicitè habet propositum non peccandi de cætero, cum hoc sit de substantia contritionis, & necessarium ad salutem.

9 In hac igitur re Sotus *in 4.d.15. quæst.1 artic.2.* Bellarm. *lib.2. de pœnit. cap.6. & 7.* Henriquez *lib.4. cap.24. num.1.* & alij apud Suarez *disputat.4. sect.3. num.3.* & Bonacina *disput.5. quæst.5. sect.1. p.3. num.2.* existimant, requiri ad perfectam contritionem formale propositum non peccandi de cætero, seu mutandi vitam, & nouam inchoandi. Probant ex Trid. *loco cit. & sess.6. cap.6.* requirente in dispositione ad gratiam & iustificationē hominis hoc propositum. Nauarr. autem *cap.1. num.18.* Coninch. *de pœnit. disput.2.* & alij apud Suarez, & Bonacin. *loco cit.* affirmant sufficere propositum virtuale, & implicitum contentum in vera, & perfecta detestatione peccati. Quod probant, quia aiunt, non posse afferri sufficientem rationem ad probandum, requiri propositum expressum, & explicitum, & sicut Trident. exigit propositum bene viuendi, seu præcauendi peccata in futurum, ita etiam exigit propositum confitendi, sed sufficit ad contritionem propositum implicitum confitendi, vt asserunt multi, & infra constabit; ergo, &c. Concil. Trident. & Florent. & Patres respondent, intelligi posse de proposito implicito, & virtuali, quia hoc est propositum propriè, etsi implicitum, & potest confirmari ex vsu, nam si hominem damnatum ad mortem (idem de alio, qui iam moritur) exhortamur ad pœnitentiam, maximè curamus de dolore vitæ præteritæ: & non multum de proposito vitæ futuræ, quia parum illi superest, & moraliter quasi nihil reputatur. Cui sententiæ fauet D. August. qui postquam retulit illa verba Dauid: *Peccaui Domino.* & Prophetæ: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* ait: *Vide quantum valeant tres syllabæ, nondum proposuerat Dauid mala cauere, & iam sufficientem egerat pœnitentiam.* Ex quo fit formale propositum non esse de essentia contritionis, vt bene Suarez *disput.4. sect.3.* consequenter ait contritionem consistere in simplici actu, quod etiam confirmat ex facto Dauid, qui dixit tantum: *Peccaui Domino,* vbi nulla fit mentio futuræ vitæ. Ideo hanc sententiam Bonacina existimat probabilem sicut primam, imò Villalobos *p.1. tract.9. diff.19. n.7.* eam reputant probabiliorem: asserunt tamen Bonacin. & Villalobos, & bene quidem, priorem sententiam esse tutiorem, & consulendam, ac prædicandam, cum propositum explicitum sit tutius, & securius remedium ad iustificationem, & vsu magis receptum. Quamquam non videtur existimandum inualidum Sacramentum susceptum ab eo qui bona fide detestatur peccatum, illudque confitetur absque formali, & expresso proposito, vt tenet Suarez *disputat.20. sect.4. num.34.* & cum eo, & aliis Bonac. *sup. num.2. vers. Vtraque opinio.*

10 Nihilominus tamen placet nobis moderatio seu conciliatio adducta à Suarez *disp.4. sect.3.* quam sequitur Filliuc. *tract.6. cap.7. num.176.* & Villalob. *tract.9. diff.19. n.8.* videlicet, tunc esse necessarium actuale, formale, & expressum propositum vitandi futura peccata, quando peccator in casu contritionis cogitat de peccatis futuris, alioquin signum est non esse veram contritionem, si autem nihil veniat in mentem de futuro, aut non aduertat, aut bona fide ignoret, teneri ad actuale propositum, tunc sufficiet virtuale, & implicitum, vera, & ex animo detestatio, sicut fecit Dauid; nam in vera detestatione, vt sæpè dictum est, continetur implicitè propositum vitandi futura, & voluntas seruandi omnia Dei mandata. Hoc tamen pro certo habeo, casu quo quis tenetur habere propositum implicitum, aut explicitum non peccandi de cætero, non requiri, vt pœnitens credat, se non amplius peccaturum, sed sufficere, vt habeat propositum non amplius peccandi in futurum, nam potest detestari verè peccata cum proposito non amplius offendendi Deum, licet timeat fore, vt Deum in futurum offendat. Etenim credere se non amplius peccaturū, sapit quandam superbiam Nauarr. *c.1. num.13.* Suarez *disp.4. sect.3. n.5.* & cum aliis Bonacina *supra num.3.*

11 Ex dictis colligitur, propositum confitendi, & satisfaciendi contentum in contritione sufficere, quod sit virtuale, & implicitum, prout scilicet continetur in illo generali proposito, seu voluntate interpretatiua seruandi Dei mandata, vt docent Suarez *dict. sect.3.* & Filliuc. *tract.6. c.7. num.176. vers. Hinc patet.* Si enim propositum non peccandi de cætero, quod magis intimum videtur contritioni, eo quod in omni statu legis fuerit necessarium contritioni, sufficit quod sit implicitum & virtuale modo explicato; ergo similiter, & alia proposita, cum non videātur ita intima contritioni. Nihilominus tamen censet Filliucius, quod si quis dum conteritur est memor satisfactionis, & confessionis, & quod sint remedia instituta ad remissionem; debet expresse proponere eorum vsum: si autem non sit memor, sufficit propositum implicitum, seu generalis, & interpretatiua voluntas seruandi omnia mandata Dei, cum in illa etiam contineantur. Attamen etsi vtilissimum sit, dum recordatur præcepti confessionis habere votum seu propositum explicitum, non tamen puto necessarium, sed sufficere, quod non habeat propositum non confitendi, nam vt dixi *d. dub.3. vers. Dixi in re,* ad iustificationem extra Sacramentum sufficere contritionem cum voto implicito pœnitentiæ, eo quod DD. ibi citati absolute asserant sufficere votum, seu propositum implicitum confitendi, ipsa enim contritio dicitur votum virtuale pœnitētiæ, eo quod ad ipsam ordinatur & in ordine ad ipsam, supposita diuina institutione, remittit peccata, ideóque qui volt contritionem, vult saltem confiteri suo tempore. Vide *d. dub.3. loco cit.* Quòd autem contritio contineat in se votum, seu propositum confitendi, constat ex dictis *c.1. dub.3.* nam vt ibi dixi, in noua lege medium vnicum ad remissionem mortalium est Sacramentum pœnitentiæ; ac proinde secundùm communem, & vt ibi dixi, contritio non remittit peccata, nisi includat votum, seu propositum confessionis, seu suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ. Quòd etiam requiratur propositum satisfaciendi Deo pro offensa, patet; nam vt dictum est loco citato, contritio est actus virtutis pœnitentiæ, cuius officium est Deo satisfacere pro offensa. Tum etiam quia contritio dicit ordinem ad Sacramentum pœnitentiæ, consequenter ad satisfactionem imponendam à confessario. Vide dictum *dub.1. vers. Quæres secundò, & dub.3. cit. concl.2.* vbi de iis latius.

12 Dico secundò, si sumamus contritionem, prout distinguitur ab attritione, sic adæquate definitur: detestatio de peccato, quatenus est offensa Dei seu propter Deum summè dilectum, cum proposito de cætero non peccandi, satisfaciendi, & confitendi. Ita colligitur ex D. Thom. *3. part. quæst.1. add. artic.1.* & ex communi DD. apud Suar. *de pœnit. art.4. sect.1. & 2.* Partes huius definitionis, præter illam, *prout est offensa Dei, seu propter Deū sūmè dilectum,*

explicatæ sunt in prima conclusione, solum ergo explicanda est hæc vltima pars. Ad cuius intelligentiam aduerte primò, ante contritionem veluti vltimam dispositionem ad gratiam præcedere quosdam actus. Primus est propositio obiecti supernaturalis saltem quoad modum, & fides infusa de illo, & quod Deus sit, & remuneret sui visione bene operantes; contra verò pœnis æternis afficiat peccatores. Secundus est fiducia, seu spes in diuinam misericordiam. Tertius est, timor quidam excidendi ab eo bono, & offendendi summum bonum. Quartus, dilectio Dei, & amor, ex quo potest sequi contritio, sic Deus iustificat adultum, & eius voluntatem ante auersam conuertit, & ad se trahit. Secundò, aduerte ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. comitari veram contritionem hæc: primò, inchoatio nouæ vitæ, & non solùm veteris cessatio: secundò reconciliatio hominis cum Deo extra Sacramentum, licet non sine voto Sacramenti in illa inclusi: tertiò charitas perfecta; his igitur animaduersis constat hanc defininitionem differre à superiore, per has particulas, *Quatenus est offensa Dei, & propter Deum summè dilectum*: cum enim detestatio peccati possit oriri ex pluribus motiuis, vera contritio illud detestatur, quia est offensa Dei, saltem præcipuè. Additur *propter Deum, &c.* quia vera contritio semper est charitate formata; charitatis autem proprium est omnia referre in Deum, & operari propter ipsum, præferendo Dei bonitatem omnibus aliis creatis bonis: etenim contritionis actum esse semper formatum gratia, & eum illa coniunctum, est ab omnibus receptum, apud Suarez *disp.* 4. *sect.* 7. *num.* 1. & Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. *&* 5. & colligitur Ioann. cap. 3. *qui non diligit, manet in morte.* Imo radix, & causa cur contritio remittit peccata, est dilectio Dei. S. Thom. *quæst.* 85. *art.* 6. Hoc autem intellige de gratia gratum faciente, à qua contritio habet, vt sit formata, non verò quòd ipsa sit in se forma supernaturalis coniungens hominem cum Deo: nam Trident. *suprà*, posuit hunc actum contritionis, vt dispositionem ad gratiam, & remissionem peccati, nō autem vt formam, quia non est condigna satisfactio pro peccato; ideoque non expellit illud, donec Deus ad hominem conuertatur, illumque amet infundendo gratiam sanctificantem. Huiusmodi contritionis actus non procedit effectiuè à gratia habituali, nam est dispositio ad illam, sed à gratia quadam priori, quæ non est nisi diuina motio, & illustratio, qua voluntas humana adiuta elicit actum contritionis; ideoque prius natura talis actus est informis, quam formatus gratia habituali, vt pluribus Suarez *supra num.* 12. vide etiam Filliuc. *tract.* 6. *c.* 7. *q.* 2. *&* 6.

12 Ex hac conclusione constat, contritionem formaliter, & essentialiter consistere in actu detestationis peccati propter Deum summè dilectum. Dubium tamen est, an ad contritionem requiratur formalis Dei amor super omnia, hoc est, an eliciens actum contritionis teneatur simul formaliter, & expresse elicere actum dilectionis Dei super omnia. Communis sententia, & certa apud Suar. *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 1. tenet ad contritionem requiri aliquem amorem Dei super omnia. Fundatur primò in Scripturis, Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte* & Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen ex toto corde tuo quæsieris eum.* Ideò Luc. 7. charitati Magdalenæ tribuitur remissio, cum tamen etiam doluerit. Secundò, in locutionibus Patrum, Aug. *lib. de vera, & fals. pœn. c.* 1. *Sine amore nemo vnquam gratiam inuenit.* & ser. 2. de temp. *Veram pœnitentiam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Tertiò, in ratione, quia cōuersio disponit sufficienter ad remissionem peccati, at remissio de lege ordinaria non fit, nisi peccator restituatur in amicitiam Dei, & fit in charitate, nam peccator conuertitur amando. Hinc sequitur, etiam ipsam contritionem debere esse super omnia, hoc est, debere detestari peccatum super omne detestabile, hoc enim conuenit perfectissimo actui pœnitentiæ, qualis est detestatio.

13 Dubium ergo est, an hic actus amoris, & dilectionis Dei debeat esse formalis, & expressus. Suarez *de pœnitent. disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 8. quem sequitur Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 6. *c.* 7. *num.* 174. existimat formalem amorem, per se loquendo, esse necessarium ad iustificationem, vt medium, seu quod idem est, amorem hunc per se loquendo debere esse distinctum à detestatione peccati, & constituere illam in esse contritionis, saltem per quandam coniunctionem, nam Scripturæ, quæ illum requirunt propriè loquuntur, & sunt in verborum proprietate intelligendæ. Idem Suarez *num.* 9. & Filliuc. *vbi sup.* posse aliquando iustificari peccatorem, absque formali amore, virtute tamen incluso in detestatione peccati: hoc est potest aliquando esse vera detestatio, & contritio absque formali actu amoris, qui tunc eliciatur: hoc enim est magis conforme humanæ conditioni, quæ ad plura eodem tempore difficilè aduertit, & diuinæ suauitati; quare sufficit virtualis amor, cum detestatione formali, ex motiuo tamen honesto, & supernaturali. Et confirmatur ex facto Dauid 2. Reg. 12. qui postquam dixit, *peccaui Domino*, statim dixit Propheta, *& Dominus transtulit quoque peccatum tuum.* Includit enim perfecta contritio votum formalis amoris Dei super omnia, non quidem quòd necesse sit, explicitè habere hoc propositū, seu votum in particulari, sed quod implicitè includatur in contritione, quatenus cum ea, vel in ea insit debet propositum seruandi, vel faciendi omnia quæ sunt ad salutē necessaria, in Trid. namque *sess.* 14. *c.* 14. nulla fit expressa mentio amoris Dei in definitione contritionis: fortassè eo quod dilectio includatur semper in contritione, & non possit dari vera, & perfecta contritio absque gratia, & Dei amore, vt cum aliis docet Ledes. *in sum. tract.* 6. *conc.* 1. *vers. La vltima palabra, p.* 1. propterea ait Suar. *vbi sup. n.* 18. formalem amorem non esse de essentia contritionis, quia vt dictum est, potest esse sine illo contritio, eum possit quis detestari formaliter peccatum supra omne detestabile, vt est Dei offensa, & quatenus est contra bonum Dei, absque eo quod exerceat formaliter actum amoris Dei super omnia, & cum in hac perfectè detestatione includatur formalis Dei dilectio, hinc fit per illam posse iustificari peccatorem, vt dictum est.

DVB. II.

An sit contritio necessaria ad iustificationem.

1 Nota, necessarium aliud esse ratione medij; aliud verò ratione præcepti, vt diximus *lib.* 1. *c.* 1. *dub.* 3. *n.* 2. & alibi sæpè. Nota etiam loqui nos de peccatore in statu legis nouæ, nam in lege veteri, & naturæ conueniunt DD. fuisse contritionem omnino necessariam ad salutem, seu iustificationem ad tollendum, scilicet peccatum mortale actuale. Ratio est, quia illa antiqua Sacramēta non cōferebant gratiam, vt dictum est *lib.* 1. *c.* 1. *dub.* 2. *n.* 6. & ex alio capite nullum aliud erat remedium, quo se possent peccatores in gratia Dei constituere præter contritionem, iuxta illud Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiā ab omnibus iniquitatibus suis, vita viuet, & non morietur,*

merietur. Ex quo euidenter sequitur, in veteri lege contritionem fuisse necessariam necessitate medij, ad tollendum peccatum actuale. Bonacina *tom.* 1. *disput.* 5. *sect.* 1. *punct.* 1. *n.* 3. loquimur ergo de contritione in noua lege, & de contritione propriè sumpta, vt distinguitur ab attritione (nam de attritione *infra*) & de iustificatione peccatoris extra Sacramentum pœnitentiæ. Procedit etiam quæstio de homine habente peccatum, seu non iustificato; nam si non habeat peccatum; aut iam iustificatus est per contritionem, aut Sacramentum, non indiget hoc remedio, vt latius infra.

2 Dico primò, contritio propriè accepta in noua lege, absolute loquendo, non est simpliciter necessaria necessitate medij ad iustificationem, & salutem, ita cum multis Bonacina *sup. n.* 1. Et probatur primò, quia peccator per Sacramentum pœnitentiæ cum attritione potest iustificari, & saluari; ergo. Secundò, extra Sacramentum potest peccator iustificari per contritionem virtualem, nimirum per dilectionem Dei super omnia, vt docent Nauarr. *cap.* 1. *num.* 10. Suar. *disp.* 9. *sect.* 1. *num.* 7. 10. *&* 11. Coninch *disput.* 2. *dub.* 2. *&* 6. *n.* 51. & cum aliis Bonac. *vbi sup.* Quod contingere potest in his duobus casibus. Primus quando peccatori cogitanti non occurrit memoriæ peccatum quod habet, ob idque non de illo dolet, sed Deum diligit, aliter enim in via remedio careret. Secundus, quando martyr ob perturbationem non recordatur peccatorum. Ita colligitur etiam ex Diuo Thoma 3. *part. quæst.* 82. *articul.* 1. *&* 85. *articul.* 1. *ad* 2. & dixi *supra hoc lib. capit.* 5. *dub.* 2. *conclusione secunda.* colligitur etiam ex Scriptura Prouerbiorum 8. *Ego diligentes me diligo.* Ioann. cap. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* & alibi, vide Valent. *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 2. *vers. Cæterum.*

3 Aduertendum tamen eum, qui extra Sacramentum iustificatus fuit per contritionem, seu pœnitentiam virtualem, per actum scilicet dilectionis Dei teneri ad formalem contritionem peccatorum postquam venerint in memoriam, vt docent Suarez *disputat.* 4. *sect.* 6. *conclus.* 5. *num.* 56. *&* *disput.* 15. *sect.* 1. *num.* 5. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 5. *&* *c.* 28. *num.* 4. Coninch *disputat.* 3. *dub.* 4. & alij communiter apud Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 1. *punct.* 2. *num.* 2. qui *versic. Verum*, etsi existimet hanc communem sententiam esse probabilissimam, & in praxi consulendam, putat tamen cum Vasquez, & Corduba oppositum esse probabilius: probatur tamen nostra, & verior sententia, ex Scriptura Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Quæ verba cum expresse loquantur de pœnitentia, & intelligi possunt de pœnitentia formali, dicendum est illum qui iustificatus fuit per solam pœnitentiam virtualem, teneri adhuc ad contritionem formalem peccatorum, postquam venerint in mentem; sicut qui ex obliuione in confessione prætermisit aliquod peccatum mortale, tenetur suo tempore confiteri. Ratio est, quia actus dilectionis Dei, quo remittuntur peccata, includit votum, & propositum dolendi, quando venerint in mentem; ergo, &c. Vide Suar. *disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 8.

4 Dico secundò, in noua lege contritio formalis, aut virtualis, est simpliciter necessaria necessitate medij ad iustificationem impij extra Sacramentum. Hæc conclusio patet ex dictis *lib. cap.* 1. *dub.* 2. *conclus.* 1. *&* *præcipuè c.* 3. *dub.* 2. vbi probatum est, peccatum mortale non posse remitti absque pœnitentia formali, vel virtuali.

5 Dico tertiò, contritio propriè accepta necessaria est necessitate præcepti extra Sacramentum hoc est peccator, vt extra Sacramentum iustificetur, tenetur ex præcepto elicere actum contritionis. Ita communis Theologorum ex Suarez *disp.* 15. *sect.* 1. *n.* 2. & Bonac. *tom.* 1 *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 1. *punct.* 2. *n.* 4. & probatur Ezechielis 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam.* & Luc. 15. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Oritur autem hoc præceptum ex triplici capite. Primum, quia lege iustitiæ tenetur quisque satisfacere iniuriæ illatæ; hoc autem pertinet ad pœnitentiam, vt pluribus Suarez *vbi sup. n.* 8. Secundum quia lege charitatis, sicut obligatur homo ad diligendum Deum super omnia; ita ad faciendum quantum in se est, vt recuperet amicitiam diuinam amissam. Tertium, quia ex charitate propria tenetur homo habere curam animæ suæ & consequenter curare media ad salutem. Hoc igitur præceptum quantum ad obligationem satisfaciendo Deo pro iniuria illata per peccatum, quantum homini possibile est, est de iure naturali; nam omnis iustitia ad alterum, naturaliter obligat ad satisfaciendum iniuriæ. Quoad modum autem satisfactionis, videlicet, quod fiat per formalem actum contritionis, est determinatum per diuinam voluntatem, sicque hoc præceptum est de iure diuino positiuo, vt pluribus probat Suarez *supra sect.* 3.

6 Difficultas est, quando obliget hoc præceptum affirmatiuum contritionis, circa quam notandum posse obligare per se, & ratione sui ipsius, vel per accidens, seu ratione alterius rei, quam facere, vel omittere tenemur.

7 Dico quartò, contritionis præceptum per se, & propria vi obligat in articulo, vel periculo mortis corporalis, vero, vel putatiuo, vel in periculo amentiæ. Sot. *d* 17. *q.* 2. *art.* 7. Suar. *disp.* 15. *sect.* 4. *num.* 19. Henriq. *lib.* 4. *c.* 6 *n.* 5. & communis DD. apud Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 1. *punct.* 2. *n.* 5. Ratio est, quia hoc præceptum est affirmatiuum, at de ratione præcepti affirmatiui est, vt obliget in necessitate, vt dixi in Decalogo de Fide, Spe, & Charitate, & alibi sæpe: sed in dictis casibus adest maxima necessitas eliciendi actum contritionis; ergo, &c. Etenim in tali euento homo se debet ad Deum conuertere, & illius amicitiam inquirere, alioquin prætermisso contritionis actu, exponit se periculo damnationis; ergo si præceptum contritionis vnquam per se obligat obligabit certè in tali euentu. Quòd si in tali casu peccator suscepit Sacramentum pœnitentiæ cum attritione, quidam non improbabiliter existimant, non teneri ad contritionis actum eliciendū, quia iam obtinuit remissionem peccatorum, cum per Sacramentum fuit factus de attrito contritus, hoc est obtinuit effectum, & finem contritionis, qui est peccatorum remissio, & reconciliatio cum Deo. Vtilius tamen, certius est, ac securius, etiam tunc esse eliciendum actum contritionis, & in praxi hoc esse seruandum: imò si certus sit peccator, se tantum habuisse attritionem, existimat, & benè, Suarez *disp.* 15. *sect.* 4. *n* 5. teneri ex Charitate erga seipsum elicere actum contritionis, quia in tali casu secundum aliquos, talis attritio (etsi communis, & vera sententia sit in contrarium) non sufficit cum Sacramento, ideo ratione charitatis propriæ in eo articulo tenetur viam securiorem eligere, ne se ponat in periculo saluationis. Villalobos *part.* 1. *tractat* 9. *difficult.* 21. *num.* 4. & alij. At si hic in tali casu eliceret actum dilectionis Dei, prout tenetur, probabile est, non teneri ad alium actum contritionis, vt docet Filliucius *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 197. quia obligationi pœnitentię iam satisfactum fuit per attritionem cum Sacramento, & dubitatio de effectu Sacramenti aufertur per amorem Dei, consequenter nihil remanet.

At si voluntariè omitteretur talis actus dilectionis in hoc casu, fieret contra charitatem Dei, & omittendo etiam contritionem, fieret contra charitatem propriam, ideo committeretur peccatum mortale duplicici causa. Quòd si contingeret mori hominem statim recepto Sacramento cum attritione, sine amore, vel contritione, si raptus est priusquam adverteret hanc obligationem, vel omisit ea probabili ignorantia huius obligationis, siue esset iuris, siue facti, quia scilicet ignorabat talem obligationem, vel putauit se habuisse contritionem, cum reuera non habuerit nisi attritionem, saluabitur, quia non est talis actus necessitate medij, sed præcepti, à quo excusatur ob aliquam ex causis dictis.

7 Dico quintò: hoc præceptum solum obligat semel in vita, in casu scilicet quartæ conclusionis, sicque qui semel habuit contritionem de aliquo peccato, non tenetur amplius de illo conteri. Ita Villalobos *part. 1. tract. 9. diff. 11. num. 3.* & alij citati. Ratio est, quia per vnam contritionem fit satis præcepto, vt dicta conclusione dictum est, & ex alio capite cum præcepta affirmatiua obligent in necessitate, & extra articulum, vel periculum mortis, non datur necessitas, ideo fit, extra hos casus non obligare. Nihilominus tamen existimo probabile cum Filliucio *tom. 1. tract. 6. cap. 8. num. 108.* obligare aliquando in vita, vt quolibet septennio, aut quinquennio sicut de charitate diximus in Decalogo *lib. 1. cap. 5. dub. 3. num. 5.* quia inquit *num. 106.* charitas propria non solum obligat ad vitandum extremum periculum, sed etiam graue; at graue periculum inuenitur in dilatione contritionis vsque ad mortem; ergo, &c. Ideo, & merito quidem Sancti Patres reprehendunt dilationem pœnitentiæ, S. August. *serm. 57. de tempore. Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; quæ autem à moriente, timeo ne ipsa moriatur*, & *serm. 47. ad fratres in Eremit. Satis alienus est à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis spectat.* Idem Cyprian. *Epist. 52.* & facit illud Roman. 2. *Tu autem secundum impœnitens cor thesaurizas tibi iram, &c.*

Ex dictis sequitur primò, præceptum contritionis non obligare statim post peccatum commissum, etiam si occurrerit opportunitas, & facilè fieri possit. S. Thom. *dist. 17. quæst. 3. art. 2. q. 4.* Sotus *q. 1. artic. 6.* Nauarr. *cap 1. n. 27. & 29.* & cum aliis Suar. *disp. 15. sect. 2. n. 2.* & Bonacin. *tom. 1. disp. 5. quæst. 5. sect. 1. punct. 1. n. 8.* Ratio est, quia de præcepti affirmatiui ratione est, vt non statim obliget, sed in necessitate, ideoque homines communiter non putant se nouum peccatum committere, si pœnitentiam non agant statim post peccatum, neque solent se de hoc in confessione accusare. Quòd si dicas, legem iustitiæ inter homines obligare ad statim restituendum furtum, & rem ablatam; ergo tenetur etiam peccator ad satisfaciendam statim iniuriam Deo per peccatum illatam. Respondent communiter DD. diuersam esse rationem, nam aliter læditur homo per fructum, quam Deus per peccatum; quia homo ita læditur, vt patiatur damnum in proprijs bonis sibi vtilibus, quibus caret, quamdiu res ablata non restituitur; ideo iustitia obligat statim ad restituendum. Deus autem non læditur, ita vt patiatur damnum in re sibi vtili, solum priuatur honore sibi debito, vt est finis vltimus, ideo post iniuriam nullum damnum ei accrescit, ex eo quod statim non fiat satisfactio. Vide Suarez *vbi sup. n. 4.* Bonac. *num. 8. citat.* & Filliuc. *tom. 1. tract. 6. c. 8. n. 100.*

8 Colligitur secundò, non teneri hominem contritionem habere de peccatis, quoties illa memoriæ occurrunt. Suar, *disput. 15. sect. 4. num. 5.* & cum aliis Bonac. *loco cit num. 9.* ex S. Thom. *3. p. quæst. 84. art. 9.* & communiter DD. quia nullibi repetitur tale præceptum, & ex alio capite hoc præceptum contritionis non est negatiuum, sed affirmatiuum, ideoque solum obligat certo tempore; esset etiam nimis durum obligare peccatorem ad habendam contritionem, quoties illorum recordatur; iugum enim Christi suaue est.

9 Colligitur tertiò, non obligare contritionis præceptum singulis annis in defectum confessionis, ita, vt si quis non possit confiteri, teneatur habere contritionem. Suarez *disp. 15. num. 13.* Villalobos *tom. 1. tractat. 9. diff. 11. num. 6.* Filliuc. *tom. 1. tract. 6. cap. 8. num. 109.* cum Caietan. *verb. Contritio.* quidquid contrà Sotus. Nec obligat singulis festis. Communior apud Suarez *num. 11.* Nec obligat ratione periculi obliuionis peccatorum, Filliuc. *vbi. sup. num. 110. & 118.* Ratio horum est, quia nec iure diuino, nec Ecclesiastico reperitur imposita talis obligatio. Io particulari tamen probatur prima pars; quia ex lege confessionis annuæ tantum tenemur habere eam dispositionem, quæ est necessaria ad suscipiendum Sacramentum verum confessionis, quando illud suscipitur; ad quod tunc sufficit attritio. Ex quo infert, & bene Suar. *sup num. 13.* eum qui tempore Paschatis confiteri non potuit, non teneri tunc ex Ecclesiastico præcepto habere contritionem. Etenim quando Ecclesia obligat ad actum externum, si hic haberi non possit, non tenemur ad internum; quia ad internum secundario obligamur; sicqua qui non valet diuinum Officium persoluere, non tenetur pro illo tempore attendere ad Deum, vt dixi in Decalog. *lib. 1. cap. 7. dub. 5.* Secunda pars probatur, quia licet institutio diei festi sit ordinata ad reconciliationem eum Deo, & eius dilectionem: hic tamen finis non est in præcepto, sed tantum cultus Religionis, abstinendo ab opere seruili, & audiendo sacrum; vt dixi in Decal. *lib. 3. cap. 1.* Tertia pars probatur, quia non obligat contritio ad recogitationem peccatorum, modo vt dicetur infra *dub. seq.* nec ad examen; ergo neque ob periculum obliuionis, nam si hac ratione obligaret, maximè propter recogitationem, quæ esset necessaria: deinde quia præceptum contritionis est de actu interiori, qui per se, & directè sicut non potest ab Ecclesia præcipi, ita nec moderari, vt infra dicetur.

10 Colligitur quartò, nullum esse tempus determinatum in quo obliget contritio ex iure positiuo. Filliuc. *sup. n. 112.* nam obligatio hæc non potest esse à iure humano, cum sit actus internus: à diuino autem tantum habemus ipsum pœnitentiæ Sacramentum, à quo non potest sumi determinatio habendi contritionem extra ipsum. Concludendum igitur est solum per se, & propria vi obligare in articulo, vel periculo mortis, modo in quarta conclus.

Hactenus de obligatione præcepti contritionis per se, & propria vi, videndum iam quando obliget per accidens, seu ratione alterius præcepti occurrentis.

11 Dico sextò, obligat per accidens contritio, primò, quando existens in peccato mortali ministraturus est aliquod Sacramentum, ita DD. citati, & alij communiter apud Suarez *disp. 15. sect. 6. n. 5.* Ratio est, quia tenetur sanctè, & dignè ministrare Sacramenta, quod non potest facere, nisi peccata confiteatur, aut habeat contritionem. Ob eandem rationem tenetur hic conteri, si suscepturus sit aliquod Sacramentum, præter Baptismum, & pœnitentiam; nam ad hæc suscipienda sufficit attritio, vt suis locis dictum est. Bonacin. cum aliis, *tom. 1. disp. 5. quæst. 5. sect. 1. punct. 2. num. 5. vers. Primò quando.* Secundò, quando

quando tenetur quis ad actum dilectionis Dei elliciendum, oam hic fine contritiooe in peecatore haberi non poteſt. Villalob. *p.* 1. *tract.* 9. *diff.* 21. *num.* 7. Tertiò, quando quis eſt iu probabili, & vetoſimili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale, niſi cooteratur de præteritis. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 213. Bonacin. *ſup. num. citat.* & alij quos ipſi. Nam, vt ait Gregor. peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo poodere ad aliud trabit. Quartò, ſecundum Nauart. *cap.* 1. *num.* 31. Valentiam, & aliquos obligatur quis ad eliciendum actum contritionis, quando facienda eſt publica oratio, tatione alicuius mali Reipublicæ imminentis, cui membra teneotur ſubuenire, & Deum orare, atque adeò eſſe in gratia, vt exaudiantur. At ſi vtiliſſimum hoc ſit, non tamen videtur oeceſſarium, eum etiam peccatores Deus exaudiat eum fide petentes. Ita eum Vaſquez Bonacin. *ſup. num.* 6. Nihilominus tamen ſi quis putaret, ſe alia ratiooe non poſſe ſubuenire, oiſi media cootritione, teoeretur tunc ea charitate, ooo autem ex præcepto contritionis. Filiuc. *ſuprà verſ. Secundum.*

12 Circa hanc ſeatam conclusionem aduerte, omiſſionem actus contritionis in caſibus, ibi aſſignatis noo eſſe diſtinctum peccatum ab illo, quod committitur contra præceptum quod tunc per ſe obligat; nam tunc contritiooia præceptum non per ſe, ſed per accidens obligat, ob idque non facit diſtinctum peccatum, quod confirmare videtur praxis fidelium, qui non ſe accuſant de tali omiſſiooe. Vide circa hæc, quæ diai *lib.* 1. *de Sacrament. cap.* 3. *verſ. Nota miniſtrum, lib.* 4. *cap.* 5. *dub.* 4. *verſ. Quares tertio*, & in Decalog. *lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 6. & vbi de præcepto Spei, Charitatis, & Orationis.

13 Aduertendum ſecundò violationem præcepti pœnitentiæ, ſeu contritionis, quando per ſe & propria vi obligat, eſſe peccatum ſpeciale impœnitentiæ: ratio eſt, quia vt patet ex dictis, præceptum pœnitentiæ ſpeciale eſt, ita communiter DD. apud Suarez *diſp.* 15. *ſect.* 2. *num.* 3. Quod procedit, non ſolùm quando omiſſio eſt expreſſe, & directe volita, vt ſi quis nolit pœnitere, quando adeſt debitum tempus: ſed etiam quando volita eſt indirectè, vel interpretatiuè ex negligentia culpabili; quia tale voluntarium ſufficit ad contrahendam malitiam ſpecialem, ſicut in aliis omiſſionibus, & cum talis omittat culpabiliter pœnitere, cum teneatur; inde fit, vt peccet ſpecialiter contra virtutem, & præceptum pœnitentiæ. Vide Suarex *dict. ſect.* 2. *n.* 11. ex quo fit, eum, qui diceret, nolo vnquam pœnitere, peccare mortaliter, vt benè Henriquez *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. quia obiectum eſt malum, cum tempus hoc comprehendat etiam tempus, quo contritio ex præcepto obligat: quod ſi diceret, nolo extra tempus præcepti, volo oune pœnitere, ait Henriquex, ſolum peccaret venialiter. Quando ergo D. Thom. 2. 2. *q.* 14. *artic.* 1. *ad* 3. docet, finalem impœnitentiam non eſſe ſpeciale peccatum, loquitur de impœnitentia, ſeu omiſſione pœnitentiæ, & contritionis in caſu, in quo pœnitentia, ſeu contritio non per ſe obligat. Vide Suar. *vbi ſup. n.* 11. & Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 194.

DVB. III.

Vtrum ad contritionem, & iuſtificationem requiratur conſideratio, & recogitatio diſtincta omnium peccatorum.

1 SVppono, contritiónem debere eſſe primò de omnibus peccatis mortalibus, colligitur apertè ex Scriptura Ezechiel 18. *Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis.* Et 33. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, &c.* ideò communiter id tenent Patres, vt videre eſt iu Decreto, de *pœnit. diſt.* 1. *cap.* 1. *non poteſt, & diſt.* 3. *cap. quem pœnitet, & alijs.* Et ratio eſt, quia vt *dub. anteced.* dictum eſt, contritio eſt diſpoſitio vltima ad gratiam, quæ ſine conuerſione ad Deum, & auerſiooe ab omnibus peccatis obtineri non poteſt: ob quam rationem, cap. 3. *dub.* 1. *num.* 16. diximus vnum peccatum mortale non poſſe remitti ſine alio. At ſi quis ſimul de omnibus peccatis veram habuit cootritionem, poterit poſteà de vno pro libito conteri; quia cum omnia, vt ſupponimus, ſint per veram contritionem remiſſa, non tenemur iterum de illis conteri (& ſi hoc ſit vtiliſſimum) & ſe habent quaſi peccata venialia; at poſſumus de vno veniali, & non de alio conteri; ergo, &c. Vide *ſup. cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 1. & Filiuc. *tract.* 6. *cap.* 9. *quæſt.* 3. & 4.

2 Suppono ſecoodò, ex parte voluntatis non requiri ſingulas contritiones ſingulorum peccatorum ſed ſatis eſſe vnam ſimplicem contritionem omnium peccatorum reſpicientem omnia peccata & deteſtantem illa, vt tenet communis DD. apud Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 6. *num.* 2. & Bonacin *vbi ſup. punct.* 5. *num.* 2. cum D. Thom. 3. *part. quæſt.* 2. *ad d. artic.* 6. & ibi Caietan. Probatur primò, quia non colligitur ex Scriptura, nec ex Decretis Conciliorum, neque vllum extat præceptum naturale, aut diuinum, obligans ad ſingulas contritiones. Secundò, quia peccator in inſtanti poteſt iuſtificari, iuxta illud Ezech. 18. *In quacumque hora ingemuerit peccator amplius non recordabor peccatorum eius.* At ſi requiruntur ſingulæ de ſingulis peccatis contritiooes, non poſſet fieri in inſtanti iuſtificatio hominis multa peccata habentis. Tertiò, quia vna ſola contritio ſufficit ad delenda omnia peccata, nam includit gratiam, quæ cum peccato ſtare non poteſt. Quartò, qoia ſequeretur eum, qui vnum actum contritionis elicuit, non poſſe ſaluari, ſi elicito primo actu contritionis ex hac vita migraret: ſufficit ergo hic motus, ſeu contritio ſimplex, & aliud eſſet onus iotolerabile, & ſæpè haberi non poſſet, vt cum quis breui tempore debet iuſtificari. Quod procedit etiam quando præmeditantur peccata ante confeſſionem ad illa confitenda, propter eaſdem rationes: etenim etſi vtilius ſit de ſingulis ſingulariter conteri; ſufficit tamen vnica contritio, quæ ad omnia extendatur. Ex quo fit ſatisfacere pœnitentem, qui ſe præparat ad confeſſionem, ſi ante exameo, aut facto examine, aut inter examinandam conſcientiam, vno actu deteſtetur omnia peccata. Vt benè Suar. *vbi ſup. aſſer.* 2. Nauarra *cap.* 1. *num.* 25. & cum alijs Bonac. *vbi ſup. num.* 1. *in fin.* Requiritur tamen, vt illa contritio reſpiciat omnia peccata, ſaltem virtualiter, & in confuſo, nam in omnibus complacuit, ideò de omnibus debet diſplicere: ſicut enim vno actu poſſumus ſiogulariter, & io indiuiduo multos videre colores, & vnico verbo millia furta confiteri, & vna ablutione multos baptizare, & vnica abſolutione omnia, & ſingula peccata delere; ita etiam vnica contritione, quæ ad omnia peccata ſaltem in confuſo, & generaliter ſe extendat. Quare etſi ante confeſſiooem ſint omnia peccata præmeditanda, & omnia ſingulariter confitenda, vt confeſſio ſit integra, ſufficit tamen de omnibus illis vnica contritione dolere propter rationes dictas. His ſuppoſitis.

3 Dico primò, ad contritionem ex parte intellectus requiritur aliqua conſideratio, & memoria de peccatis commiſſis, ſeu ad iuſtificationem, per contritionem obtinendam requiritur ſaltem confuſa, & generalis peccatorum conſideratio. Ita Suarez *diſp.*

4. *sect.* 6. *num.* 9, Bonacina *tom.* 1. *disput.* 5. *quaest.* 5. *sect.* 1. *punct.* 6. & Doctores communiter, colliguntque ex Script. Ezec. 18. *Considerans peccata tua.* & Isai. 31. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Ratio est, tum quia contritio est actus voluntatis; voluntas autem non fertur in incognitum. Tum quia nullus dolere potest de offensa alteri facta, illique congruam satisfactionem exhibere, nisi aliqua ratione; ergo ad contritionem requiritur saltem confusa peccatorum consideratio, eo quod homo per contritionem doleat de offensa Dei, illique intendat satisfacere. Intelligenda autem est haec conclusio casu quo quis memor est se peccatum mortale commisisse, nam si illius omnino est immemor, iam dixi *sup. cap.* 3. *dub.* 2. & docet Bonac, *sup.* cum Coninch *disput* 2 *dub.* 6. *num.* 51. & *dub.* 8. *num.* 76. posse in tali casu illum iustificari per dilectionem Dei super omnia.

4 Dico secundò, ad veram contritionẽ, & iustificationem non requiritur per se loquendo, quod praecedat, aut simul habeatur distincta singulorũ peccatorum recogitatio, sed sufficit confusa, & generalis, S. Thom. *quaest.* 28. *artic.* 5. DD. citati, & alij communiter. Probatur primò, quia nullum extat naturale, aut diuinum praeceptum ad distinctam singulorum peccatorum recogitationem ante, vel etiam post contritionem. Secundò, quia si quis posita confusa peccatorum recogitatione, actum contritionis eliciat, statim iustificatur, Ezec. 18. *In quacumque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor amplius.* Quod potest confirmari exemplo Magdalenae, quae cum pluribus peccatorum vinculis obstricta teneretur, subitò iustificata fuit, quae quidem tam breui temporis spatio singula peccata non potuit in mentem reuocare. Tertiò, quia vt ex dicto loco Ezechielis colligitur, contritio, etiam peccatoris famosi, potest fieri in instanti: fieri autem non posset, si singulorum peccatorum recogitatio fuisset necessaria: est tamen optimum, vtilissimumque consilium, si tempus suppetat, vt praecedat haec singulorum peccatorum recogitatio. Vide Suarez *disp.* 4. *sect.* 6.

5 Dixi, *per se loquendo*, nam per accidens, seu ratione alterius in aliquo casu requiritur, quod praecedat distincta singulorum peccatorum recogitatio ad cõtritionem habendam. Primò, quando quis tenetur ad confitendum peccata; tunc enim tenetur omnia, & singula peccata recogitare; & hoc quidem non propter contritionem, si doleat vniuersaliter de omnibus, & posteà recogitet sine nouo dolore, satis est ad contritionem: sed quia confessio facienda est integra de omnibus peccatis mortalibus, ideò praemittendum est examen conscientiae, ad quod requiritur singulorum peccatorum recogitatio. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 9. *num.* 222. & cum Henriquez, Vasquez, Coninc. & alijs tenet Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quaest.* 5. *sect.* 1. *punct.* 6. *num.* 3. Secundò, quando quis ratione damni, aut contractus iniusti tenetur aliquid restituere, tunc enim tenetur diligenter sua peccata recogitare quantum opus est ad integram restitutionem faciendam. Tertiò, quando remedium aliquod assumẽdum est ad curanda peccata, vel quando occasio aliqua auferenda est, patet ex ratione allata. Ita Suarez *disp.* 4. *sect.* 6. *assert.* 2. Addit Filiuc. *suprà num.* 220. quartum, quando scilicet, ob satisfactionem condignam peccatorum, quoad obligationem poenae, requiritur eorum singulorum recogitatio. Vide Suarez *d. sect.* 6. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 27. & 28. & Bonac. *vbi supr.*

6 Dico tertiò, quando habens plura peccata, facta debita diligentia, solùm vnius, aut alterius recordatur, si de illis conteratur verè, iustificabitur. Suarez *disput.* 4. *sect.* 6. *num.* 17. Bonacina *supr. numer.* 4. Filiuc. *loco citat. num.* 225. & communiter DD. Ratio est, quia ille actus contritionis virtualiter, & interpretatiuè extenditur ad alia peccata oblata, & includit eorum detestationem, etenim si illorum recordaretur expresse, illa etiam detestatus fuisset: tamen in hoc casu tutius est dolere de aliis, si forte commisit, vt benè Suarez *sup. n.* 16, cum S. Thom. *quaest.* 80. *artic.* 4. *ad* 1. tenetur tamen hic quando recordabitur peccatorum oblitorum de illis expressè conteri saltem per contritionem. Filiuc. *supr. num.* 225. quia formalis poenitentia de iis per se est necessaria, at prior, quae fuit de vno, vel altero peccato expresse; de aliis tamen solum fuit virtualis. Quando vero homo esset dubius, an aliqua peccata commiserit, deberet illa sub conditione detestari, ne se exponat periculo non habendi veram contritionem. Quod si nullum mortale dubium habeat: non videtur obligandus, quamuis sit optimum consilium, si fiat. Filiuc. *num.* 224.

D V B. IV.

De quantitate contritionis, eiusque effectu.

1 NOta quantitatem contritionis posse sumi, quoad durationem, & quoad intensionem: quoad durationem, vt si duratura sit longo, vel paruo tempore: quoad intensionem, vt si debeat esse magis, vel minus intensa.

2 Nota etiam contritionem dupliciter dici magnam: primò, intensiuè: secundò appretiatiuè. Tunc dicitur contritio magna intensiuè, quando maximo conatu, & feruore elicitur, sicut calor dicitur magnus intensiuè, quando est vehemens, & reddit subiectũ satis calidum; è contra dicitur tenuis, & remissus, ac paruus, quando reddit subiectum parum calidum. Tunc verò contritio magna appretiatiuè, quando quis magis detestatur peccatum, quam aliquod aliud malum, vt si magis detestatur peccatum, quam infirmitatem, vel amissionem bonorum, &c. Igitur detestatio, seu contritio tunc dicitur maxima, quando quis detestatur peccatum super omnia mala, & super omnia detestabilia: sicut etiam amor Dei, tunc dicitur maximus appretiatiuè, quando quis magis aestimat Deum, quam quoduis aliud bonum, etiamsi talis actus amoris physicè sit minor intentione alterius rei amore. Quapropter qui feruentiùs, & intensiùs amat patrem, quàm Deum, dicitur magis intensiuè amare patrem, quàm Deum; qui verò ita amat Deum, vt illum aestimet magis quam patrem, dicitur amare Deum magis appretiatiuè, quàm patrem, quamuis magis intensiuè, & feruentius amet patrem.

3 Dico primò, ad veram contritionem, seu iustificationem non requiritur, quòd duret longo tempore, seu non eget contritio temporali duratione, nam sufficit, si in instanti fiat S. Thom. *quaest.* 89. *artic.* 2 Suarez *disput.* 4. *sect.* 5. Henriquez *lib* 4. *cap.* 27. *num.* 4. & communiter DD. apud Suarez, & Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quaest.* 5. *sect.* 1. *punct.* 7. *num.* 2. contra Sotum. Ratio est, quia homo potest in quocumque momento temporis, seu in instanti iustificari; iuxta illud Ezech. 18. *In quacumque hora, &c.* ergo, & habere in illo contritionem, quae est necessaria dispositio ad iustificationem. Confirmatur, nam sicut in quocumque instanti homo peccare potest, & amittit gratiam in instanti, ita etiam in quocumque habet contritionem, & recipit gratiam, ad quod etiam facit illud. Isai. 30. *Cum ingemueris, tunc saluus eris.* & Zachar. 1. *Conuertimini, & conuertar.*

4 Dico

4 Dico secundò, ad contritionem veram, & consequenter ad iustificationem, non requiritur certus gradus intensionis, & vt contritio sit magna intensione physica, sed sufficit quælibet intensio, licet remissa, modò sit vera contritio. Ita Nauarr. *cap.* 1. *num.* 9. Henriq. *supr. num.* 6. Suarez *disput.* 4. *sect.* 4. *num.* 9. & alij multi apud Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 1. *punct.* 7. *num.* 7. Probatur primò, quia in Scriptura nulla fit mentio vllius intensionis, nec limitatur ad certam intensionem, vt colligitur ex loco Ezech. 18. *In quacumque hora, &c.* ergo sufficit quælibet contritio, quamuis remissa; nam in qualibet intensione saluatur ratio contritionis, cum sit detestatio peccatorum, & conuersio ad Deum, cui conuersioni, absque limitatione in Scriptura promittitur remissio peccatorum. Secundò, quia peccatum mortale, etiamsi tepide, & paruo conatu committatur, destruit gratiam; ergo contritio, etsi remissa sit, sufficienter inducit gratiam, & destruit peccatum. Tertio quia fere semper anxij essemus, dubitantes, an sufficientem doloris gradum habeamus; quod non videtur admittendum, cum iugum Christi sit suaue. Denique quia alia præcepta implentur per actus, sine modo intensionis; ergo etiam hoc pœnitentiæ, & contritionis.

5 Dico tertiò, contritio debet esse magna appretiatiuè, siue debet esse intensior appretiatiuè; quod consistit in appretiatione, & æstimatione Dei super omnia bona; & cum detestatione peccari super omnia mala. Ita S. Thom. 1. 2. *qu.* 12. *art.* 4. Suarez *disp.* 3. *sect.* 9. Coninch *disp.* 2. *dub.* 7. *n.* 68. & cum alijs Bonac. *sup. n.* 3. *vers. Resp. ad.* & Filiuc. *tom.* 1. *tr.* 6. *cap.* 9. *n.* 237. *&* 238. Ratio est primò, quia ea intensione tenemur conteri, qua diligere Deum super omnia: at dilectio Dei super omnia non debet esse maior, nisi appretiatiuè, & nonnisi intensione appretiatiua, vt communis Theologorum tenet in materia de charitate, & dixi in Decalog. *lib.* 1. *capitul.* 3. *dub.* 5. *n.* 10. ergo, &c. Etenim sicut amor Dei, quo diligitur super omnia bona, dicitur maximus appretiatiuè, ita detestatio peccati, prout est offensa Dei, & super omnia mala, & detestabilia, dicitur maxima appretiatiuè, quæ detestatio sufficit ad iustificationem, quamuis in actu iustificationis non reperiatur magis intensio, quam hæc moralis. Quare poterat dolere homo magis intensiuè de morte parentis, vel filij, vel de amissione bonorum, quàm de peccato, non verò appretiatiuè, id est non ea ratione, vt repugnet legi diuinæ, quod tunc fieret, quando propter huiusmodi dolorem offenderetur Deus, vt si magis æstimaret se amisisse Deum, quàm filium, atque ita comparatio facienda est inter Deum, & ea quæ repugnant ipsius legi. Filiucius *sup. num.* 138.

6 Non tamen tenetur peccator in eliciendo actum contritionis, facere comparationem peccatorum cum alijs malis, ita vt dicat, detestor peccatum magis, quàm amissionem vitæ, bonorum, vel honoris, sed sufficit, vt in genere detestetur peccata super omnia detestabilia in communi, cum proposito vitandi omne peccatum super omne detestabile in communi; aut sufficit etiam, si malis, quodlibet malùm subiisse quam offendisse Deum, cum proposito potius subeundi, quodlibet malum, quam offendendi Deum. Imò sæpius expedit, non eas facere comparationes. D. Thom. *quæst.* 3. *add. articul.* 1. quia fieri potest, vt pœnitens descendendo ad mala particularia, magis illa æstimet quam peccatum. Ita cum multis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *sect.* 1. *punct.* 7. *num.* 4. Nec requiritur ad veram contritionem summus dolor sẽsitiuus, vt lachrymæ, singultus, &c. (etsi melius, & optimum sit) sed sufficit dolor, seu detestatio voluntas appretiatiuè: hoc est, detestatio super omne detestabile, vt dictum est, & docent communiter DD. Nec requiritur de necessitate (benè verò de consilio) maior dolor, detestatio, seu contritio de grauiori peccato, quàm de minori, seu leuioris S. Thom. *supr. art.* 3. quia quælibet contritio est sufficiens ad delenda peccata omnia mortalia, eo quod quælibet conferat gratiam, quæ est incompossibilis cum omnibus peccatis, alioquin enim teneretur scire homo omnes species peccatorum, quod videtur moraliter impossibile. Hoc autem intelligit Bonacin. *supr. num.* 5. quando pœnitens non facit comparationem inter maius, & minus peccatum; nam si illam faciat, ait, requiri maiorem dolorem, & detestationem de grauiori peccato, addens *num.* 6. cum Coninch, *disput.* 2. *dub.* 7. *num.* 82. peccare mortaliter eum, qui explicitè magis detestatur peccatũ leuius, quàm grauiùs, si inter duo illa peccata sit notabilis excessus, vt si quis mallit commisisse homicidium, quàm furtum, aut adulterium, quàm simplicem fornicationem. Henriquez tamen *lib.* 4. *cap.* 27. tenet oppositum, & quidem non improbabiliter; nam si omnia verè, & appretiatiuè detestatur non videtur res adeò grauis talis modus detestandi.

7 Quantum ad effectum contritionis attinet, dictum est *sup. cap.* 3. *&* 4. dum de effectibus pœnitentiæ ageremus. Hoc tamen pro certo habendum veram contritionem delere omnia, etsi grauissima, peccata; quia vt sæpè dictum est, non datur sine gratia, & charitate; charitas enim non compatitur secum vllũ peccatum mortale, operit enim multitudinem peccatorum: patet ex cap. 18. Ezech. *In quacumque hora, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor.* & S. Thom. 3. *part. quæst.* 86. *art.* 1. *& in addit. quæst.* 5. *art.* 1. & Trid. *sess.* 6. *cap.* 14. *& sess.* 14. *cap.* 4. & Doctores communiter; nam vt sæpè dictum est, id facit vera pœnitentia, cuius actus est contritio. Aduertendum tamen cum D. Thom. *add. quæst.* 5. *art.* 1. contritionem diuerso modo remittere peccata, vt est pars actualis pœnitentiæ, quando scilicet quis contritus accedit ad pœnitentiam, & diuerso modo, vt tantùm dicit ordinem ad pœnitentiã; nam primo modo causat gratiam ex operato, secundo verò modo, non vt instrumentum diuinum, sed tantùm vt vltima dispositio gratiæ productionem attingit.

8 Notandum etiam, quando per contritionem tollitur peccatum mortale, tolli etiam reatum pœnæ æternæ, secundùm fidem ex *sess.* 6. *cap.* 14. & D. Thom. *quæst.* 86. *art.* 4. *quæst.* 5. *add. art.* 1. quia sublata culpa, tollitur pœna, quæ respectiuè se habet ad illam; non tamen semper tollitur tota pœna temporalis, sed restat in purgatorio soluenda vt fides docet ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 19. S. Thom. *loc. citat.* ob idque datur purgatorium ad luendas pœnas temporales, & conceduntur indulgentiæ, vt à pœnis liberemur. Vide *sup. cap.* 3. *dub.* 3.

Denique tene etiam tanquam certum, & de fide, quemlibet peccatorem, quantumuis maximum, dum viuit, posse habere contritionem. Trident. *sess.* 6. *cap.* 14. *sess.* 14. *cap.* 4. quia semper habet liberum arbitrium, & auxilia sufficientia. Imò vir sanctus, si constaret ei per reuelationem peccata esse condonata quoad culpam, & pœnam, posset iterum de iis conteri; tum quia disponeret illa contritio ad augmentum gratiæ: tum quia peccata riiè confessa possunt iterum de nouo absolui. Ledesma *cap.* 6. *de pœnit. concl.* 10.

9 Quomodo sit quis præparandus ad habendam contritionem, dolorem, & pudorem de peccatis: Reginaldus *de offic. pœnit. cap.* 3. *sect.* 3. *&* 4. vide etiam

Molinam

Molinam *de orat. à pag.* 198. *vsque ad* 319. & ea, quæ dixi in expositione Sacramentorum ad populum, vbi de contritione.

DVB. V.

De attritione.

QVæres primò, quid sit attritio sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ.

1 Nota, nomine attritionis intelligi communiter à Doctoribus dolorem imperfectum de peccatis, qui non attingit ad perfectionem contritionis in superioribus explicatam. Potest autem hic dolor imperfectus contingere multis modis. Primò, quando quis dolet de peccatis ob finem turpem, quæ quidem attritio cùm non sit peccaminosa, est pernitiosa Sacramento, & contraria gratiæ, ideo repugnat, quòd sit illius pars. Secundò, quando quis dolet de aliquibus tantùm peccatis, non verò de omnibus, vt si de peccatis carnis doleat, & non de furtis, & aliis: qui dolor nec sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ, nam ad illud requiritur dolor vniuersalis de omnibus peccatis, quo retractetur voluntas, & tollatur affectus ad omne peccatum; cum illo verò dolore particulari non detestatur omne peccatum, eo quod simul cum illo remaneat affectus ad alia peccata. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 1. *punct.* 3. *vers. Quartò quod.* Tertiò dicitur imperfectus, quando est inefficax attritio, videlicet quando quis dolet de peccatis, sed non habet absolutum propositum formale, aut virtuale vitandi peccata in futurum; aut non adest voluntas relinquendi occasionem peccati, aut restituendi ablatum: qui dolor nec sufficit ad hoc Sacramentum, quia vt constabit ex Trident. *infrà* ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur talis dolor, qui excludat voluntatem peccandi, vel affectum ad peccatum, qui non tollitur per attritionem insufficacem, imò moraliter perseuerat, quoties peccatum non retractatur efficaciter per detestationem efficacem includentem formaliter, aut virtualiter propositum non peccandi in futurum, ob idque non sufficit inefficax attritio. Nauarr. *cap.* 1. *num.* 36. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 23. & cum aliis Bonacina *sup. vers. Tertiò quod.* Propter eandem causam, & à fortiori nec erit sufficiens attritio conditionalis, vt nollem peccasse, vellem cauere futura.

2 Quartò potest esse hic dolor imperfectus, seu attritio naturalis, vt quando quis dolet de peccatis ob motiuum, seu finem naturalem; vt si doleat de peccato, quatenus est contra rationem naturalem, vt contingere potest apud infideles, aut contra Deum, vt est author naturæ, & finis naturalis, aut si de illo doleat propter infamiam, aut quia est morte propter sua delicta plectendus, aut propter morbum &c. Aliqui vt Sotus, & Canus apud Suarez *dist.* 5. *sect.* 1 existimant, hunc dolorem, seu attritionem esse sufficientem ad Sacramentum pœnitentiæ. Veriùs tamen, & tenendum est nullo modo sufficere, vt cum fructu recipiatur. Ita Henriq. *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 6. *&* *cap.* 26. *num.* 5. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 6. *cap.* 7. *num.* 184. Suarez *disp.* 5. *sect.* 1. *num.* 2. Bonacina *loco cit. num.* 3. *vers. Secundò quod.* & alij plures apud Suarez, & Henriquez. Ratio fundamentalis est, quia Concilium Arausic. 2. Mileuitan. & Trid. *sess.* 6. *c.* 6. *sess.* 13. *c.* 3. *&* *sess.* 14. *c.* 4. semper requirût dispositionem supernaturalem ad gratiam; nam cùm gratia sit supernaturalis, illius dispositio debet etiam esse cum ea proportionata. Ideo Tridentin. *sess.* 14. *cap* 4. loquens de attritione requisita ad Sacramentum pœnitentiæ docet, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum; igitur cùm attritio ob finem naturalem non sit supernaturalis, nec eliciatur mediante gratia excitante, neque sit donum Dei, aut Spiritus sancti impulsus, sequitur non esse sufficientem dispositionem ad recipiendam gratiam, quamuis coniungatur cum Sacramento. Ex quo fit, vt attritio naturalis non sufficiat ad hoc vt Sacramentum validum sit, quamuis sine fructu; quod adeò verum existimat Ledesma *in sum. cap.* 7. *de pœnit. concl.* 5. *&* 6. vt oppositum dicat temerarium; nam cùm Sacramentum sit quid supernaturale, debet etiam eius pars esse supernaturalis; aliter enim non daretur proportio. At si pœnitens ignorat, illum dolorem esse naturalem, & bona fide putat esse supernaturalem, seu habere motiuum supernaturale, probabilius est, hunc dolorem sufficere ad validitatem Sacramenti, etsi non sufficiat ad eius fructum, vt cum D. Thom. Nauarr. Soto, Ledesma, & aliis tenet Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 154. vide Henriquez *lib.* 5. *cap.* 11. *&* *infra quæsit.* 4.

3 Quintò, potest esse dolor, seu attritio supernaturalis; dicitur autem supernaturalis, quia procedit ex motiuo, vel fine supernaturali, eliciturque impulsu Spiritus sancti excitantis, & mouentis hominem ad talem actum eliciendum. Est autem hæc attritio duplex: altera, qua quis detestatur peccatum ob turpitudinem ipsius peccati, vel quatenus est iniuria Dei, vel quatenus est malum, vel causa mali: altera, qua quis detestatur peccatum ob timorem gehennæ, seu inferni, aut quia nos priuat beatitudine æterna. Vide Coninch *disput.* 1. *num.* 21. *&* *disput.* 2. *dub* 5. *num.* 37. & cum aliis Suar. *disp.* 5. *sect.* 1. & Bonacin. *sup. punct.* 3. *num.* 1. His positis.

4 Respondeo ad quæsitum. Attritio necessaria & sufficiens ad suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ cum fructu, debet esse efficax, & supernaturalis. Ita Doctores citati, & alij communiter. Quòd debeat esse efficax, patet ex tertio modo attritionis. Quòd autē debeat esse supernaturalis, probatur primò à sufficienti partium enumeratione; nam vt patet ex dictis, non sufficit attritio totpis, nec particularis, nec inefficax, nec conditionalis, nec naturalis; ergo satis erit attritio supernaturalis, cùm non dentur alij modi attritionis. Quod autem supernaturalis sufficiat, probatur etiam ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi de hac dicitur esse donum, & Spiritus sancti impulsum. Item; quia huiusmodi attritio est proportionata cum Sacramento, quod est quid spirituale, & eiusdem rationis cum forma introducenda, & excludit affectum ad peccatum, & tetrahit voluntatem à peccato: ad recipiendum autem Sacramentum cum fructu requiritur, & sufficit attritio proportionata gratiæ, & excludens affectum ad peccatum. Ita Bonacina *vbi suprà* cum Suarez, & aliis.

5 Ex his facilè colligitur, quid sit attritio, quæ est pars Sacramenti, & sufficiens, vt cum illo conferat gratiam, quæ ab aliquibus dicitur attritio Christiana. Attritio Christiana est dolor imperfectus de peccatis, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ pœnarum metu conceptus, cum proposito cauendi in futurum, cum spe veniæ diuinitus obtinendæ. Ita colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap* 4. & habet Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *diff.* 22. *n.* 3. cuius expositio constat ex dictis *hoc quæsit. &* *suprà cap.* 3. *dub.* 1. *de contrit.* & constabit *infra hoc dub. quæs.* 4. vbi de differentiis inter contritionem, & attritionem. Circa propositum autem de cætero non peccandi aduerte, sufficere virtuale, vt diximus, vbi de contritione, & docet Nauarr. *cap.* 1. *num.* 6. & eum aliis Bonacina *tom.* 1. *disput.* 5. *sect.* 1. *punct.* 3. *num.* 9. *vers. Obserua tamen* videlicet quando quis ita detestatur

detestatur peccata, vt si in mentem venirent peccata futura; firmum eliceret propositum illa præcauendi in futuro. Quòd autem requiratur saltem propositum virtuale, patet ea dictis de contritione; & probatur, quia ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur attritio efficax, & vniuersalis, quæ non potest esse talis, nisi excludatur voluntas peccandi in futurum, & includatur propositum non peccandi. Cognoscitur autem huiusmodi propositum non adesse, quando pœnitens aduertens se illud non habere, & admonitus à confessario, vt tale propositum eliciat, hæsitat, vel illud renuit elicere. Bellarmin. *de pœnit. lib.* 2. *cap.6.* & alij. Hinc fit, eum, qui secum deliberauit potius peccare mortaliter, quàm mori, non esse absoluendum, quia non habet propositum vitandi peccata. Etenim etsi attritio non tollat peccatum, debet tollere illius affectum, & abstrahere voluntatem à peccando; hoc autem fieri non potest absque proposito saltim virtuali.

Quæres secundò, quomodo bona sit attritio, & sufficiens, qua homo timore gehennæ dolet de peccato.

6 Nota ad intelligentiam, tripliciter posse hominem dolere de peccatis ob timorem gehennæ, seu pœnæ inferni. Primò excitatiuè, seu ob causam extrinsecam, quatenus scilicet homo timore pœnæ accipit occasionem dolendi de peccatis, & præstandi aliquod bonum opus.

Secundò potest dolere de peccatis ob timorem gehennæ, tanquam ob finem proximum, non excludendo vltimum finem, id est Deum, ad cuius gloriam hoc totum referri potest.

Tertiò, dolere potest de peccatis ob timorem gehennæ, sed cum tali affectu, vt si pœna non esset, non præcaueret peccatum.

7 Dico primò, attritio ex metu gehennæ primo modo est bona, & honesta: ita infra citandi. Ratio est, quia talis timor, qui tunc concurrit tanquam obiectum excitans, est bonus; ergo & attritio ex huiusmodi timore procedens: & hoc est definitum à Trident. *sess. 6. cap.6.* ibi: *A diuina iustitia timore, quo vtiliter concutiuntur.* Est enim hic timor consuetus, & ordinarius modus, quo Deus peccatorem pertrahit ad meliorem frugem, vt patet ex Luc. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* ex quo loco deducitur, hominem excitari ad pœnitentiam timore pœnæ mortis: & S. August. dicit, rarò venire aliquem ad fidem, quin priùs sit commotus aliquo timore Dei. Filliucius *tom.1. tr.6. cap.7. num.185.* Bonacina *tom. 1. disput. 5. quæst. 5. sect.1. punct.3. num.4. vers. Respondeo primò.* & alij communiter.

8 Dico secundò, attritio ex timore gehennæ secundo modo bona, & laudabilis. S.Tho. *quæst.85. art.5. ad* 1. Bonacina *sup. vers. Respondeo secundò.* & communiter Doctores apud Suarez *disp.5. sect.2. num.2.* constat ex Tridentin. *sess.14. cap.4. & sess.6. Can.8.* colligitur ex Psalm.33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* & Psalm. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius.* quem locum de timore pœnarum exponit D.Basilius apud Suarez *disp.5. sect.2. num.4. & 7.* Ratio est, quia voluntas fugiendi pœnam ex se odio dignam bona est: detestari etiam peccatum, est ex obiecto bonum: ordinare etiam detestationem peccati ad vitandam gehennam, non est malum; vitare culpam est medium proportionatum ad vitandam pœnam: & quamuis culpa sit altioris ordinis, quàm pœna, nulla tamen est deordinatio in ordinanda detestatione peccati ad fugam pœnæ, quæ fuga pœnæ est finis proximus, & propterea non excluditur finis vltimus, qui est Deus, & dum non excluditur, ex se in illam tendit., nec tenetur homo intendere semper, quod est optimum. Et quamuis per hunc actum homo magis videatur detestari pœnam, quam culpam, simpliciter tamen per alium actum, & propter alias rationes magis detestatur culpam quam pœnam: non enim tenetur homo facere per omnem actum talem actum, an magis detestetur culpam, quam pœnam, ideoque hic dolor propter hanc causam non desinit esse bonus. Filliuc. *sup. num.187.*

9 Dico tertiò, timorem tertio modo, quo quis scilicet, ita dolet de peccatis ob timorem pœnæ, sed ita est affectus, vt si pœna non esset, non præcaueret peccatum, non esse bonum, sed malum, & peccaminosum, nam includit actualem affectum ad peccatum, & consequenter ipsum peccatum, ideoque talis timor est malus, & peccaminosus. S. Tho. 2. 2. *quæst.19.* & communiter DD.

10 Quæres secundò, an attritio ex turpitudine peccati bona sit, & supernaturalis. Respondeo duobus modis detestari peccatum. Primo propter, supremam malitiam, quæ in ipso est, seu propter Deum secundùm se; quæ detestatio non solum est bona, sed optima, quia hæc detestatio est perfecta contritio. Secundò, potest detestari propter aliam quamcumque malitiam, seu turpitudinem, præter supremam, vtpote quia est contra rationem naturalem, aut quid simile, quæ detestatio etiam bona est, etsi imperfectior priore, & est supernaturalis, & donum Dei ex motione Spiritus sancti, & quamuis habeat pro fine proximo turpitudinem peccati, non tamen excludit vltimum finem, qui est Deus, vt de timore gehennæ dictum est. Filliuc. *sup. n.188.* Villalob. 1. *p. tract.9. diff.55. num 3.* & alij.

11 Quæres tertiò, an attritio supernaturalis, quæ est sufficiens pars Sacramenti, & dispositio, vt simul cum illo producat effectum suum, requiratur quòd sit contritio existimata, an verò sufficiat, quòd sit vera attritio solum, quamuis sit nota. Soto *distinct.18. q.3. art.3.* Nauar. *cap.1. num.30. & 45.* & alij existimant, requiri, quòd sit contritio existimata: verius tamen, & tenendum est, sufficere attritionem notam, vt cum multis tenent Bonac. *tom.1. disput.5. quæst.5. sect.1. punct.3. num.10.* Villalobos *p.1. tract.9 diff.23. num.1.* ex D.Thom. *in 4.dist.17. q.3. art.5. quæst.1.* & Suarez *disp.20. sect.1. num.20.* qui id adeò certum putat, vt oppositum absque errore affirmari non possit, & Filliuc. *tractat.7. cap. 6. n.144.* Probatur primò, ex Trid. *sess. 14. cap. 5.* vbi absolutè dicit attritionem esse dispositionem sufficientem ad hoc Sacramentum & hominem virtute Sacramenti iustificari cum attritione. Secundò probatur, quia hoc Sacramentum institutum est ad peccata remittenda, & homines iustificandos post Baptismum, ideò dicitur Sacramentum mortuorum, consequenter debet habere vim ad remittenda peccata, & dandam primam gratiam, atque ita non est necesse, vt supponat gratiam: aliter enim non remitteret peccata mortalia, si prius supponerentur remissa per contritionem. Tertiò, quia sequeretur, legem Euangelicam esse grauiorem lege antiqua, in qua homines cum sola contritione iustificabantur; ergo ad iustificationem in Sacramento pœnitentiæ non requiritur contritio, sed sufficit attritio, quamuis nota; etenim cum hæc sit supernaturalis, & excludat efficaciter effectum peccati, vt supponimus, fit inde, vt sit dispositio proxima sufficiens cum Sacramento ad iustificationem. Patres, aut DD. asserentes, non posse remissionem peccatorum sine perfecta pœnitentia obtineri, intelligendi sunt de iustificatione extra Sacramentum, ad quam tunc re-

quiritur

quiritur contritio formalis, vel saltem virtualis, vt sæpè dictum est: in Sacramento autem pœnitentiæ non est necessaria contritio, sed sufficit attritio, quamuis nota, sicut, & in baptismo.

12 Ex dictis colligitur, ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum cum fructu non sufficere solam detestationem peccatorum, quæ continetur in voluntate suscipiendi Sacramentũ pœnitentiæ, nisi adsit actualis dolor, seu attritio; quia illa voluntas non est vera attritio, quæ vt diximus, est dispositio necessaria ad fructum Sacramenti suscipiendum. Ita cum Vasquez, Bellarmin. & Bonacina *tom. 1. disp. 5. quæst. 5. sect. 1. punct. 3. num. 5.*

13 Colligitur secundò, non sufficere attritionem existimatam, nisi reuera sit attritio. Ita Henriquez *lib. 4. cap. 16. num. 2.* & cum aliis Bonacina *suprà num. 6.* contra Chamerotam, & alios apud Bonacinam, quia de lege ordinaria ad iustificationem in Sacramento requiritur attritio tanquam dispositio vt mox dictum est. Nihilominus tamen valde probabile est, attritionem existimatam, etsi non sufficiat ad fructum huius Sacramenti, sufficere tamen ad eius validitatem sine fructu, quando scilicet pœnitens bona fide accedit, & credit se esse sufficienter dispositum, facta debita diligentia, vt dicetur *quæsito seq.*

14 Colligitur tertiò, ad suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ non sufficere actum, quo quis dolet, se non habere attritionem peccatorum. Henriq. *vbi suprà num. 5.* Nauarr. *cap. 1. num. 10.* & cum aliis Bonacin. *sup. num. 7.* quia huiusmodi actus non est attritio peccatorum, sed ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum requisita, sed tantum dolor carentiæ attritionis. Aduerte tamen, cum actu quo quis dolet se attritionem de peccatis non habere vt plurimum coniunctum esse dolorem de peccatis, quamuis pœnitens illud non dignoscat.

15 Quæres quartò, an attritio, quæ est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, differat ab attritione requisita ad recipiendum Sacramentum cum fructu. Henriquez *lib. 4. cap. 26.* cum Ledesma, & aliis, quos sequitur Bonac. *tom. 1. disput. 5. quæst. 5. sect. 1. punct. 3. num. 12.* affirmant, & alij admittentes confessionem informem; nam potest dari attritio tam imperfecta in genere attritionis, quæ non attingat veram attritionem, quæ est necessaria dispositio in Sacramento ad gratiam, vt si tantum sit existimata attritio, vt putat Chamerota *vbi suprà*, hoc est, vt pœnitens existimet bona fide habere veram attritionem, cum reuera ad illius perfectionem, & veritatem non attingat, quo ignorante pœnitens, cum illo dolore se accusat, & bona fide recipit Sacramentum, deinde quia vt dixi hoc *dub. numer. 2.* attritio naturalis, si bona fide reputatur supernaturalis, quamuis reuera non sufficiat ad fructum Sacramenti, sufficit tamen ad eius validitatem, & deobligat pœnitentem à confessione iteranda, eo quòd sit valida confessio; talis enim dolor sufficit ad veram accusationem, & ad auertendam voluntatem ab effectu culpæ, quantum satis est ad veritatem Sacramenti, præsertim si sit ex motiuo honesto, & virtutis; vnde hic dolor erit sufficiens dispositio ad veritatem Sacramenti, non tamen ad fructum, nisi sit supernaturalis. Ita Filliuc. cum S. Thom. Sylu. Nauarr. & aliis *tract. 7. cap. 6. n. 154. & 155.* Henriquez *lib. 5. c. p. 11.* Coninch verò *disp. 4. dub. 5. n. 40.* & alij, negant differre, asserentes omnem attritionem sufficientem ad validitatem Sacramenti, sufficere etiam cum illo ad ipsius fructum consequendum, quia Trident. *sess. 14. cap. 3.* docet, contritionem, seu dolorem de peccatis eatenus esse partem huius Sacramenti, quatenus ad remissionem peccatorum requiritur, ergo quotiescumque deest talis dolor qualis requiritur ad remissionem peccati, deest materia, siue pars essentialis huius Sacramenti: vtraque sententia probabilis, & prior videtur valde probabilis, vt constabit *cap. seq. dub. 6.* vbi de confessione informi. Addit Coninch *supra num. 42.* similem attritionem requiri respectu peccatorum venialium, quando quis ea solum confitetur, tam ad valorem, quam ad effectum Sacramenti, quia hæc neque sine pœnitentia remitti possunt; quamuis ex parte propositi ea in posterum vitandi non requiratur tanta perfectio, ac firmitas, vt dixi *sup. cap. 4. dub. 2. num. 5.*

16 Quæres quartò, quomodo differant contritio, & attritio. Respondeo differre primò ratione obiecti formalis, & essentialis, nam contritio est detestatio peccati, quia est offensa Dei summi boni, & summè dilecti, vt *hoc cap.* dictum est: attritio verò, etsi quidem sit detestatio etiam efficax ad auertendam voluntatem ab affectu peccandi, & ex motiuo etiam supernaturali, sed non quòd sit Deus ipse, quatenus est summum bonum, vel etiamsi hic motiuus esset Deus, sed non vt summè dilectus, id est, non est propter Deum summè dilectum. Secundò, quia attritio non includit dilectionem Dei super omnia; ideo se sola absque Sacramento non est sufficiens dispositio ad iustificationem, vt docent communiter DD. contritio verò, quia includit dilectionem Dei super omnia, se sola est sufficiens dispositio ad iustificationem: hinc fit, vt ab August. *de vera, & falsa pœnitent.* & DD. attritio appelletur versio, contritio verò conuersio. Tertiò, contritio est actus, vel à charitate elicitus, vel coniunctus cum illa, non sic verò attritio: contritio enim detestatur peccatum super omnia detestabile; non verò attritio, nam si ex timore pœnæ, plus displicet pœna quàm culpa: si ex motiuo turpitudinis mortalis, non displicet plus quam omne malum culpæ, sub quacumque ratione superiori consideratum. Quartò, quia contritio semper est ex voluntate efficaci destruendi culpam commissam; attritio non semper, cùm possit sæpè esse coniuncta cum peccato mortali. Denique, quia contritio semper iustificat, attritio nunquam ex se, nisi iungatur cum Sacramento: ob has rationes attritio dicitur dolor imperfectus; contritio verò perfectus. Vide Suarez *disp. 5. sect. 1. n. 6.* Filliuc. *tom. 1. tract. 6. cap. 7. num. 183.* & cum aliis Bonacin. *tom. 1. disp. 5. quæst. 5. sect. 1. punct. 3. num. 11.*

17 Quæres quintò, an attritio possit fieri contritio, & quid sit, fieri de attrito, contritum. Quoad primum respondeo, si propriè, & in rigore loquamur, attritio non potest fieri contritio, quia differunt essentialiter specie, sicut homo, & leo; & sicut frigus, & calor; & sicut homo, non potest fieri leo, nec frigus calor, ita nec attritio potest fieri contritio. Ratione tamen subiecti, & in sensu accommodo potest fieri attritio contritio, non quod attritio conuertatur in contritionem; nam hoc, vt dictum est, fieri non potest. Quoad secundum dico, tribus modis dici hominem fieri de attrito contritũ: primò, & propriissimè, quando mutat dolorem, ex imperfecto in perfectum, id est, quando subiectum, seu homo qui antea elicuit attritionem ex eius motiuis, postea elicit contritionem ex motiuo contritionis, non quòd attritio fuit contritio, sed quia subiectum, quod habuit attritionem, mutatur in contritum sicut quando subiectum album mutatur in nigrum. Secundò, minus propriè, quando scilicet dolori imperfecto addit amorem, qui virtualiter est cõtrarius. Tertiò, valdè lato modo, quando sine mutatione

tione actus attritioois illi iofunditur gratia, & fit in Sacramentis, & tunc dicitur homo fieri contritus ex attrito æquivaleoter, & extriosecè, quia recipit gratiam, & remissionem peccati, quæ est effectus contritionis, & à qua potest dici habitualiter contritus: etenim attritio cum Sacramento efficit, quod sola contritio facit. Filliuc. *tom. 1. tr. 6. cap. 7. n. 189.* ex Suarez *sup. sect. 4.*

18 Ex dictis hoc dubio, & antecedentibus constat, contritionem perfectam, seu imperfectam, quæ propriè dicitur attritio supernaturalis, esse partem huius Sacramenti; & quando Patres, aut DD. asserunt contritionem esse partem Sacramenti pœnitentiæ, nomine contritionis comprehendunt perfectam, & imperfectam, modo explicato.

19 Quæres sextò, an positus in occasione sit absoluendos, de hac quæstione egi latè io Decalogo *lib. 6. cap. unico, dub. 9.* vide ibi, & Ledesmam *in sum. cap. 7. de pœnit.* & Villalob. *1. p. tract. 9. diff. 14.*

CAP. VI.

De Confessione.

DVB. I.

Quid sit confessio, & quot conditiones requirat.

1 SVPPONO, confessionem esse partem materialem, seu materiam proximam Sacramenti pœnitentiæ, vt dixi *hoc lib. cap. 2. dub. 2.* fuisseque institutam, quando fuit institutum ipsum Sacramentum, vt dixi *capitul. 1. dub. 2. supposit. 2.* videlicet Ioaon. 20. illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* & Trid. *sess. 14. cap. 1.* & communis DD. tunc enim fuit institura confessio, cum fuit data potestas remittendi peccata, hæc autem data fuit, Ioann. 20. vt *loco cit.* diximus; ergo, &c. Confirmatur, quia non possunt peccata remitti, nisi confiteantur, ergo, &c. quando Christus Dominos dedit facultatem remittendi peccata, consequenter instituit confessionem, seu præcepit peccata confiteri, vt dixi in Decalogo *lib. 1. cap. 4.* vbi egi de præcepto diuino, & Ecclesiastico confessionis, & causis excusantibus.

2 Quoad primum dico, confessio est accusatio legitima, & sacramentalis de propriis peccatis, facta Sacerdoti ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem. Ita ex D.Thom. *in 4. dist. 17. q. 3. art. 2. & 3. part. quæst. 7. add. art. 1.* & communiter DD. apud Suarez *disp. 15.* & Bonacin. *tom. 1. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 1. num. 1.* Dicitur primò, *accusatio*, quia non sufficit quæuis peccatorum manifestatio, vt constat ex his, quæ dixi *cap. anteced.* de dolore requisito ad pœnitentiæ Sacramentum: est enim accusatio tanquam genus substantiale ipsius, & cùm sit pars Sacramenti pœnitentiæ, consequenter debet esse signum sensibile, quod non est aliud, nisi id, per quod manifestantur peccata Sacerdoti. Dicitur secundò, *legitima*, vt aduertas ad confessionem non sufficere quamlibet accusationem, nisi habeat quasdam conditiones, & circunstantias, de quibus hîc, & in sequenti dubio decimo. Dicitur tertiò, *sacramentalis*, qoia potest quis alio fine, quàm ad remittenda peccata, illa Sacerdoti manifestare. Dicitur quartò, *de propriis peccatis*, ad significandum materiam pœnitentiæ esse peccata propria, & non aliena. Dicitur quintò, *facta Sacerdoti*, vt significetur minister Sacramenti, & persona, apud quam fieri debeat confessio. Dicitur sextò, *ad obtinendam remissionem peccatorum*, vt ostendatur finis confessionis, & eius effectus, qui est remissio peccatorum. Denique dicitur; *per absolutionem*, vt ostendatur, & explicetur necessitas formæ, qua Sacerdos vti debet in administratione pœnitentiæ Sacramenti.

3 Potest breuiùs sic definiri: Accusatio sacramentalis suorum peccatorum coram proprio Sacerdote; quibus verbis continentur omnia in superiori definitione explicata.

4 Quantum ad secundum dico cum communi Doctorum ex D.Thom. *quæst. 9. add. art. 2. 3. & 4.* sexdecim conditiones numerari confessionis his versibus comprehensas.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

5 Circa quas coodition es notandum est, omnes quidem esse vtilissimas, non tamen esse omnes essentiales, & necessarias, sed solas tres, ad quas omnes aliæ reduci possunt, & sunt hæ, fidelis, integra, & lachrymabilis. Ad fidelem reducuntur 1. 3. 4. 6. 7. & 15. Ad integram reducuntur 5. 10. 11. 12. & 14. ad lachrymabilem reuocantur 2. 8. 9. 12. & 16. de quo Henriquez *lib. 5. cap. 2. num. 1. 2. & 3.* & ex statim diceodis clariùs constabit.

6 Prima est, *simplex*, id est, vt pœnitens clarè, & distinctè confiteatur sua peccata, ita vt confessarios illa intelligat, & quoad numerum, & species. Item, ne sit nimis verbosa, cum præambulis, & narrationibus historiæ impertinentis; aut ne suaui eloquentia delectetur, vt peccata minora videantur; communiter verò sic confiteri est peccatum veniale; excusantur tamen ab illo scrupulosi, dum non satis putant, aliter quàm longa oratione declarati peccatum. Hæc autem conditio non est necessaria, sed vtilis, & conueniens. Henriquez *lib 5. cap. 3. n. 2.* Bonacin. *tom. 1. disput. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 2. num. 1.* & Doctores communiter.

7 Secunda est, *humilis*, id est, vt pœnitens cum humilitate peccata sua confiteatur, & cum debita corporis compositione, vt genibus flexis, & aperto capite, ita vt intus, & extra constet fateri peccatum, nisi aliud suadeat necessitas; at si aliter absque necessitate fiat, non videtur plus quam veniale. Hæc autem circunstantia non est de necessitate, vt tenent communiter DD. Quòd si quis se iactando, & gloriando in peccatis confiteatur, ex hoc capite confessio erit nulla, tum ob defectum doloris, tum defectu integritatis, cùm non fateatur nouum peccatum, quod tunc committit. Booacina *sup num. 3.* & alij communiter.

8 Tertia est, *pura*, hoc est, vt fiat recta intentione, & non ob prauum finem, sed potiùs spe veniæ, seu placandi Deum, &c. Vnde si confessio fiat ob finem prauum, qui sit peccatum mortale, confessio erit nulla, ob rationes conditione secunda allatas, si verò finis sit venialiter malus, v. g. ob inanem gloriam, confessio subsistit cum fructu, quia cùm adsit finis principalis, finis secundarius cùm sit leuis, non irrogat grauem iniuriam Sacramento, ideo non illud irritat. Tum quia gratia sacramentalis potest reperiri in homine affecto culpa veniali, vt dixi *sup. hoc lib. c. 4. dub 4 n. 5.* & alibi. Ita cum Sanchez Nauar. Reginaldo, & aliis Bonacina *sup. n. 4.* Vide Henriq. *lib. 4. cap. 3. num 3.* & Sotum *in 4. dist. 18. q. 3. art. 1. ad 3.*

9 Ex hac tertia conditione colligitur, non peccare mortaliter, consequenter validè confiteri illum, qui vt bonam retineat opinionem apud confessarium virum grauem, & sibi notum, fatetur illi solum peccata venialia, quæ tunc solùm habet, verùm si fortè incidit in aliquod peccatum mortale accedit ad alium confessarium, relicto primo. Ita Nauarrus *cap.*21. *num.*41. & cum aliis Bonacina *suprà num.*5. & Villalobos *part.*1. *tract.*8. *diff.* 35. *num.*1. vbi asserit non esse ex se peccatum mortale habere duos confessarios, vnum pro leuibus peccatis, quando solùm illa habet, alterum pro grauioribus, quando in illa incidit. Ratio est, quia non tenetur magis cum hoc, quàm cum illo confiteri: & ex alio capite, nolle vt alter illius peccata grauia sciat, non est peccatum. At si hoc faciat, vt a confessario reputetur bonus, erit quidem hypocrisis, verùm non adeò grauis, vt sit peccatum mortale: quòd si hypocrisis esset grauis, vt ob finem mortalem, tunc certum est esse peccatum mortale, consequenter confessionem esse inualidam. Bonacina *vbi suprà* cum Syluest. *verb. Confessio* 1. *quæst.* 7. *num.* 9. Aduertit tamen, & benè, Villalobos *suprà num.*2. sæpissimè conuenire cum altero confiteri, seu, vt ita dicam, mutare confessarium, propter multas rationes, quas quotidie confessarij experiuntur: ob idque sanctissimè Trident. *sess.*25. *capitul* 5. præcipit Prælatis Monialium, vt bis, aut ter intra annum deputent, & offerant illis confessarium extraordinarium: & addit. *Y harian muy bien los que confiessan algunas personas de ordinario, aduertirles, que si alguna vez quisiessen, se confessasen con quien les pareciere.* Quod est valde notandum.

10 Quarta est, *fidelis*, id est vera, sine fallacia, & deceptione, tum etiam ne occultet aliquod peccatum, vel circumstantiam debitam, seu necessariò exprimendam. Circa hanc conditionem communiter, dubitatur, an mendacium, seu mentiri in confessione sit peccatum mortale, & consequenter confessio sit inualida.

11 Dico primò, mentiri in confessione circa res, aut circumstantias ad eam non pertinentes, non est peccatum mortale, sed veniale, grauius tamen, quam si esset extra confessionem. Ita Sylu. *confess.*1. *§.fin.* Nauarr. *cap.* 21. *num.* 37. Suarez *de pœnitent. disput.* 22. *sect.* 10. *num* 3. & communiter DD. Ratio est; quia cum non sit materia confessionis, vt supponitur, sed tantum sit in ea concomitanter, non continet iniuriam grauem, sed aliquam tantum indecentiam, vt si rogatus pœnitens de nomine patriæ, parentibus, an sit diues, an pulchra, &c. mentiatur. Limita tamen nisi aliàs mendacium esset perniciosum; nam cum tale mendacium in materia graui sit peccatum mortale, sic tunc mentiendo peccaret mortaliter, consequenter esset irrita confessio. Ex hac conclusione infertur, non peccare mortaliter, negantem peccatum mortale ritè iam antea confessum; quia tale peccatum non est materia necessaria Sacramenti, & aliàs non tenetur pœnitens illud confiteri. Limita tamen, modò confessarius illud non inquirat ex iusta causa ad cognoscendum statum pœnitentis, & ad debita remedia adhibenda, v. g. si confessarius pœnitentem peccata carnis confitentem interroget, an illa peccata sint reiterata, aut quanto tempore in ea occasione versatus, tunc enim tenetur dicere verum, vt videat confessarius, an pœnitens sit in occasione proxima aut dignus absolutione. Ita cum Nauarr. & aliis Bonac. *tom.*1. *disp.*5. *q.*5. *sect.*2. *punct.*2. §. 5. *num.*8. & Villalob. *part.*1. *tract.*9. *diff* 41. *num.* 2.

12 Dico secundò, mentiri in confessione circa materiam non necessariam Sacramento, vt circa peccata venialia communiter DD. docent non esse peccatum mortale: vt autem hæc sententia intelligatur, distinguendum cum Suarez *disp.*25. *sect.* 10. *num.*4. quem sequitur Filliuc. *tom* 1. *tract.*7. *cap.*4. *num.* 112. & Bonacina *sup. num.*12. hoc mendacium circa venialia dupliciter fieri posse. Primò, negando veniale quod fecit, & sic non est mortale, vt communis apud Suarez *vbi sup* quia tale mendacium, nec est perniciosum, nec grauiter iniuriosum, cum possit consistere cum vera materia, forma, & dispositione necessaria: nec decipitur confessarius in re graui. Secundò, affirmando, & confitendo non factum, vt dicendo peccatum veniale, quod quis non commisit, quo in casu si nullum aliud peccatũ confiteatur, ita vt illud peccatum veniale falsò affirmatum sit tota materia pœnitentiæ, esset sacrilegium, & peccatum mortale, consequenter Sacramentum esset nullum, facit enim, vt forma cadat supra nullam materiam. Quòd si tale veniale sit materia partialis, quia scilicet simul cum aliis peccatis veris affirmat hoc falsum, Caietan. *verb. Confessio*, & alij existimant, etiam tunc peccare mortaliter. Sotus vero *distinct.*18. *quæst.*2. *art.* 4. Nauarr. *cap.*12. & alij ex Suar. *sup. num.*7. putant tantum peccare venialiter, & bene quidem, quia materia leuis est, cum sit de materia non necessaria, & confessarius decipitur in re leui, & ex alio capite, vt supponitur, confitetur vera peccata, consequenter opponit veram materiam cum dolore, &c. Ratione tamen scandali, vel contemptus potest esse peccatum mortale. Filliucius *sup. num.*112.

13 Dico tertiò, mentiri circa materiam necessariam, negando scilicet peccatum mortale, quod fecit, aut dicendo scienter mortale, quod non fecit, est peccatum mortale contra substantiam Sacramenti. Ita citati, & communiter DD. apud Suarez *sup. num.*11. & Bonacin. *loco cit. num.* 7. Tum quia tale mendacium est materia grauis sacrilegij; decipiturque confessarius iudex in materia graui. Tum quia confessio non est integra, deficitque dolor necessarius, implicat enim aliquem habere dolorem, & actualiter peccare.

14 Hinc sequitur primò inualidam esse confessionem, si pœnitens mentiatur circa peccatum mortale nunquam aliàs confessum, secus si iam sit ritè confessum, modo in hoc quæsito iam dicto. Secundò, peccat etiam mortaliter, qui scienter maiorem numerum peccatorum mortalium in confessione exprimit; decipit enim confessarium in re graui. Dixi, *scienter*, nam excusat ignorantia cum bona fide, sic excusantur aliqui simplices, & rudes homines, & à fortiori scrupulosi; qui sic faciendo nulla ratione putant se peccare; imò potius sibi persuadent, se tutiorem viam eligere, & consultius putant, se maiore numero grauare, quam exonerare exprimendo iustum, & probabiliorem numerum peccatorum. Nauarr. *cap.*21. *numer.* 37. Suarez *num.*11. *citat.* & cum aliis Bonacin. *suprà num.*9. Tertiò peccat mortaliter, qui peccata mortalia dubia pro certis exprimit, & certa pro dubiis; nam certa certò, & dubia sub dubio sunt confitenda, alioquin peccatum committitur in re graui. Suarez *sect.*9. Henriquez *lib.*5. *cap.*4. *num.*5. Coninch *disput.*7. *dub.*8. *conclus.*4. & alij communiter. Vide Ledesm. *cap.*10. *de pœnitent. conclus.* 2. An autem sit obligatio confitendi peccata dubia, dixi in Decalog. *lib.* 3. *cap.*4. *dub.* 2. & *hoc lib. cap.*2. *dub.*1. *num.*13. & dicetur infra *dub.* 3. *num.*15. & Diana 3. *part. tract.*4. *resol.* 60. vbi resoluit affirmatiuè, & bene, vt dixi locis citatis. Quartò, illum, qui scit se aliquid fecisse, sed dubitat, an illud

confessus

confessus fuerit, potest illud absolutè confiteri; nec sic mentitur, quia reuera illud commisit, & non negat se illud confessum fuisse: sic ille, qui semel confessus est aliquod peccatum mortale, & certò nouit, se illud confessum fuisse, potest illud confiteri, quamuis non dicat, se illud aliàs confessum fuisse: neque enim hic mentitur, cum non neget à se commissum, & aliàs verè commiserit. Item, qui scit certò se peccasse mortaliter in genere, ignorat tamen speciem peccati, tenetur illud sic confiteri, vt docent Coninch *disp.7. dub.10. num.9.* Villalob. *1. p. tract 9. diff.34. num.3.* Diana *3.p. tractat.4. resol. 66.* & alij, quia tale peccatum est sufficiens, & necessaria materia pœnitentiæ. Vide infra *dub 3.n.15.*

15 Quinta conditio est, vt sit frequens, seu vt sæpè fiat: quam quidem conditionem extra tempus præcepti non esse necessariam omnes profitentur; est igitur opus consilij, & vtilissimum sæpius confiteri, ob magnas vtilitates, & fructus vberes, qui ex frequenti confessione percipiuntur, proindeque homines perfectionem sectantes, eam frequentant, qui, si non habent alia peccata præter rite confessa, solent ea de nouò confiteri, ne vberrimis fructibus tanti Sacramenti careant.

16 Sexta conditio est, vt sit, *nuda*, id est clara, non verborum obscuritate velata, nec palliata colore palliante peccati speciem, vel eius grauitatem, sed ita fiat, vt quælibet res sic existimetur à confessario cum circumstantiis suis, sicut sunt nuda oculis Dei: ita vt confessarius naturam, & qualitates ipsorum peccatorum valeat cognoscere, an sint mortalia, aut venialia. Quare si quis ita confiteatur, vt confessarius, quæ sunt mortalia, reputet venialia, aut leuioris speciei, est irrita confessio. Henriquez *lib.5. cap. 3. num. 5.* quia pœnitens non est fidelis, sed mentitur in re graui.

17 Septima est, *discreta*, hoc est, vt pœnitens confiteatur peccata sua vtendo verbis decentibus, & honestis, præsertim in sexto, explicando species, & circunstantias necessarias, omittendo impertinentes. Non tamen requiritur omnimoda discretio, videlicet, vt sciat, quæ maiora, quæ minora sint peccata, sed sufficit discretio rationis, seu vsus rationis, qui est omnino necessarius. Item, debet esse discreta, hoc est, vt pœnitens eligat confessarium eruditum, & probum, qui sciat discernere inter lepram, & debita remedia adhibere. Henriquez *lib.5. cap.3, num.5.*

18 Octaua est, *lubens*, id est volontaria ex amore salutis spiritualis. Hæc autem conditio dupliciter potest intelligi. Primò, vt adsit voluntas, & intentio confitendi, quo pacto hæc conditio est necessaria, nam Sacramentum absque intentione susceptum inualidum est. Secundò, quòd sit simpliciter voluntaria quamuis aliquo modo, & secundum quid sit inuoluntaria, vt quando quis timore excommunicationis, infamiæ, &c. confitetur; quo modo hæc conditio non est necessaria, si aliàs pœnitens habeat veram intentionem, & dolorem requisitum. Bonacina *tom. 1. disput.5. quæst.5. sect.2. num.18.* & DD. communiter.

19 Nona est, *verecunda*, id est, vt pœnitens præ confusione erubescat de infructuoso peccato. Non quia necesse sit, vt pœnitens, qui sua peccata confitetur, erubescat, sed quia congruum, & conueniens est, ac fructuosum, interius apud se ipsum erubescere, & exterius apud confessarium cum erubescentia, & verecundia prosit ad pœnæ remissionem.

20 Decima est, *integra*, id est, vt omnia peccata mortalia nunquam confessa confiteantur, exprimendo eorum species, numerum, & circunstantias necessarias, vt in dubiis sequentibus explicatur commodiùs, & fusiùs.

21 Vndecima est, *secreta*, id est, auricularis secretò ad aurem Sacerdotis. Hæc autem conditio, quantum ad confessarium attinet, seu quod confessio sit secreta ex parte Sacerdotis, est de iure, & præcepto diuino, tam quantum ad obseruantiam secreti iuxta voluntatem pœnitentis, vt dicemus *infra*, vbi de sigillo confessionis, *cap. 9. dub. 1. & seqq.* quàm quoad hoc vt non possit cogere pœnitentem, vt aliter confiteatur, quàm secretò, de quo Suarez *disput. 21. sect. 2.* Ex parte verò pœnitentis nullum est tale præceptum; est tamen rationi consonum, & consentaneum præcepto diuino, vt confessio fiat secretò, supposita diuina institutione, quia modus iste aptior est ad tollendas omnes difficultates, & scandala: estque honestus, sanctus, & sufficiens ad Sacramentum huiusmodi, vt definitum est a Trident. *sess.14. cap.5.* Quando igitur Trident. *vbi suprà* asserit, modum confitendi secretò non esse alienum à præcepto diuino, loquitur, quantum attinet ad Sacerdotem, seu confessarium. Non tamen est de necessitate Sacramenti confessionis, vt fiat secretò, vt tenet communis apud Suarez *suprà num.9.* & Bonacin. *tom. 1. disputat. 5. quæst.5. sect.2. punct.2. num. 23. vers. Dixi in propositione.* Ratio est, quia etsi fiat publicè, est vera accusatio; nec datur præceptum in contrarium. Nec est contra propriam charitatem, imò possunt dari multi casus, in quibus non solom vtile est pœnitenti, sed etiam necessarium publicè confiteri, supposito quòd quis velit absolutionem, vt quando confitetur per interpretem, quando est in periculo mortis, in naufragio, peste, incendio, &c. & non potest secretò confiteri. Item, quando pœnitens dat facultatem confessario, vt conferat rem cum alio Doctore, etiam nominata persona ipsius pœnitentis, quod apertè insinuat Trident. *loco citat.* docens, Christum non prohibuisse confessionem publicam, si pœnitens ita velit; ergo in institutione non posuit Christus, confessionem debere esse secretam. Filliuc. *tom.1. tract.7.c.1. quæst.7. num.11. & 12.*

22 Ex dictis in hac decima conditione, sequitur primò, non teneri pœnitentem publicè confiteri nullum enim extat tale præceptum. Probabile tamen est, in rarissimo casu ad id teneri, v. g. si existens in articulo mortis aduertit, se non posse actum contritionis elicere de grauibus peccatis non confessis, vt cum Cano, Reginald. Nugno, & Vasq. tenet Bonacin. *suprà loco citat.* Tunc enim periculum animæ præponderat iacturæ famæ: idque videtur expostulare charitas ad se ipsum.

23 Sequitur secundò, non posse ab Ecclesia, per se loquendo, ferre legem generalem (nisi fortè id fiat ex graui aliqua necessitate) qua caueatur, confessionem fieri publicè. Suarez *loco cit.9.* Bonacina *sup. num. 24.* & alij. Ratio est, quia huiusmodi lex difficillima esset, nec per se valde vtilis; lex autem humana non videtur præcipere res adeò difficiles, & arduas. Ob idque aliqui DD. asserunt non posse Pontificem dispensare, nec præcipere, vt absque pœnitentis licentia fiat confessio publicè, quia tenemur omnia peccata interna, & omnino occulta manifestare: Ecclesia autem non habet potestatem, circa mere interna, nec est domina famæ: Christus autem Dominus, quia est Dominus famæ, potuit obligare, vt occulta manifestētur cū pœnitentis vtilitate. Hinc fit, & à fortiori, non posse confessariū pœnitenti præcipere, vt publicè, aut coram teste confiteatur.

24 Sequitur tertiò, peccare peccato sacrilegij confessarium, qui plures pueros rationis vsum habētes in vnum

vnum congregatos simul audit, vt benè docet Nauarr. *cap.* 8. *num.* 13. DD. citati, & alij communiter; seducit enim illos ad se infamandos.

25 Sequitur quartò, peccare saltem venialiter pœnitentem, qui absque iusta causa publicè confiteretur, Suat. *sup. num.* 2. DD. citati, & alij communiter: tum quia agit contra communem vsum Ecclesiæ: tum quia tunc absque iusta causa prodigeretur fama propria, quod est saltem veniale, vt dixi in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 10. *&* *cap.* 10. *dub.* 6. *&* 7.

26 Quæres tamen, vtrum pœnitens teneatur sua peccata confiteri propria voce, & propriis verbis: in hac re certum est, confessionem debere fieri aliquo signo sensibili, & hoc signum esse propriam vocem. Non tamen est necessarium, vt propria voce, vt docent Suarez *disp.* 21. *sect.* 3. *in* 7. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst. vnic.* Coninck *disput.* 6. *dub.* 1. *n.* 1. *&* 2. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 2. *num.* 25. Ratio est, quia peccata possunt sufficienter manifestari per nutus, signa, & scripturam, sicque receptum est, vt nutus per signa confiteatur, quantum commodè potest, & in necessitate datur absolutio infirmo, qui non potest loqui, & solùm ostendit signa contritionis: ex quo fit, vt non sit de necessitate Sacramenti, vt confessio fiat propria, aut humana voce; nec dari de hoc præceptum diuinum, aut Ecclesiasticum, vt cum Suarez *suprà num.* 4. tenet Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 1. *num.* 14. Nec obstat, quòd Concilium Florent. dicat, materiam esse oris confessionem; nam vsus fuit vulgari modo sumpto ab eo, quod frequentiùs accidit, ideo Trident. omisit illud verbum, *oris*, & tantùm dixit, confessionem esse materiam. Esset tamé peccatum per nutus, aut scripturam absque causa confiteri, quia ageret contra communem Ecclesiæ consuetudinem, quod peccatum putat Suat. *sup. num.* 6. & cum eo Filliucius *loco citato* esse mortale: ex leuitate tamen materiæ, vt si fieret in vno, vel altero peccato, ait, fore tantùm veniale: sed si autem tantùm esse peccatum veniale graue sic confiteri, tenent Sotus *suprà* Henriquez *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 6. Villalobos *part.* 1. *tract.* 9. *differ.* 32. *num.* 1. *in fine*. & alij, & non improbabiliter quidem, secluso tamen scandalo, nam non solùm verba, sed etiam scriptura sunt instituta ad exprimêdos animi conceptus; sicut nec peccat contrahens matrimonium per nutus. Limita tamen, modò confessarius sic possit speciem, & numerum peccatorum sufficienter cognoscere. Dixi, *absque causa*, nam si iusta adsit, conueniunt Doctores, sic confitendo nullum peccatum committi, vt si pœnitens loqui non possit, aut si nimia suffundatur verecundia (maximè si sit fœmina) propria voce confitendo, posset tunc confiteri signis, vel nutibus, eo quòd vtrumque sit sufficiens signum humanæ accusationis. Quo in casu sufficeret peccata scripta tradere Sacerdoti præsenti, exhibendo signa contritionis, & petendo ab eo pœnitentiam, & absolutionem, quam Sacerdos lectis peccatis possiet impendere. Filliuc. *loco citato* cum Suat. *vbi sup. nu.* 7.

27 Nota, etsi possit pœnitens nutus, aut alterius idiomatis, confiteri per interpretem, aut scripturam, vt dictum est in hoc quæsito, & Doctores docent communiter apud Suarez *disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 7. non tamen ad hæc tenetur etiam in mortis articulo, vt docent Caietanus *verb. Confessio concl.* 11. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 36. *cap.* 26. *num.* 14. Villalob. *sup. num.* 3. & alij contra Syluest. *confess.* 1. §. 15. & alios existimantes teneri in articulo mortis per scripturam, vel interpretem confiteri. Ratio est, quia talis confessio ex natura sua non est secreta: & ex alio capite non tenemur peccata nostra manifestare aliis à Sacerdote: Syluest. tamen sententia, & aliorum valde probabilis est, imò & tenenda, modo quo dixi in Decalogo *lib.* 4. *cap. vltim. dub. vltim. num.* 6. Hinc fit, neminem teneri scribere peccata, ne memoria decidant; sufficit enim confiteri ea, quorum factâ debita diligentia recordamur, vt dicetur infra, & quamuis liceat ea scribere, non tamen laudat Sotus propter periculum manifestandi aliis peccata, si scriptura amittatur. Vide Henriquez *lib.* 5. *cap.* 2. 7. *&* 8.

An autem pœnitens debeat esse præsens, dum absoluitur, vel possit dari absolutio absenti confitenti per nuntium, aut epistolam, responsum fuit negatiuè *hoc lib. cap.* 2. *dub. vlt. quæsit.* 4.

28 An possit Sacerdos absoluere morti proximum, qui absente Sacerdote petiit confessionem, & antequam veniret, amisit loquelam, & nullum signum doloris ostendit, dicetur *infra cap. hoc, dub.* 7. *à n.* 7. de absolutione in articulo mortis. Vide etiam Suarez *disp.* 19. *sect.* 3. *&* *disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 5. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 10. *à num.* 17. vide in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. & in expositione Bullæ *lib.* 1, §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5.

29 Duodecima conditio est, *lachrymabilis*, non quia ad ipsam requirantur exteriores lachrymæ, sed quia necessarius est internus dolor, qui sit contritio, vel attritio modo explicato, vbi egimus de illis, vnde lachrymabilis, idem est, quod dolorosa: ex quo fit, hanc conditionem esse substantialem, modo ibi explicato.

30 Decima tertia est, *accelerata*, id est, vt peccator quamprimum sua peccata confiteatur: tum ne maneat in statu peccati, & damnationis: tum: vt bona ipsius sint meritoria. Non tamen est necesse, vt peccator statim post peccatum confiteatur, sed sat est, vt extra tempus præceptum habeat contritionem cum proposito confitendi, modo dicto, vbi de contritione.

31 Decima quarta est, *fortis*, id est ne timore, aut prauo pudore omittat confiteri necessaria; & ne sinat se tentationibus superati ad negligendam, & omittendam confessionem.

32 Decimaquinta est, *accusans*, hoc est, vt pœnitens se accuset seriò, imputetque sibi peccata, non sociis, neque dæmoni, & ne prætexat excusationes.

33 Decima sexta est, *parere parata*, hoc est, vt pœnitens paratus sit obedire confessario in iis, in quibus tenetur obedientiam præstare, vt in vitandis occasionibus, & in acceptanda pœnitentia, claue non errante imposita. Quomodo autem teneatur eam acceptare, dicemus infra.

D V B. II.

De integritate confessionis quoad species peccatorum, seu an omnia peccata explicanda sint quoad speciem.

1 DVbio antecedenti in conditione decima diximus, confessionem debere esse integram quoad species peccatorum, numerum illorum, ac circumstantias, & quia quodlibet ex his speciales continet difficultates, ideo oportet eas sigillatim explanare, & primùm de integritate, iuxta titulum dubij.

2 Commune, & certum est, esse omnino necessarium, in confessione explicare peccata quoad species morales, seu in genere moris, non verò quoad species physicas, seu in genere artis. Suarez *disp.* 22. *sect.* 2. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *num.* 2.

num. 2. Fillluciut *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 3. *num.* 76. & communiter Doctores. Patetque ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. Ibi: *& non potius in specie, & sigillatim, & Con.* 7. dicente necesse esse, *omnia, & singula confiteri*, quod secundum communem Theologorum, de distinctione specifica maximè debet intelligi. Ratio est, quia in diuersis speciebus peccatorum sunt etiam malitiæ specie distinctæ; at peccatum explicandum est ob eius malitiam; ergo si sunt distinctæ malitiæ, distinctè etiam aperiendæ erunt. Quod etiam procedit in malitiis distinctis respectu actus interioris; nam desiderium, v. g. occidendi Clericum habet malitiam homicidij, & sacrilegij, & desiderium furandi calicem sacrum, furti, & sacrilegij, ideo sigillatim hæc aperienda sunt in confessione. Intelligenda tamen hæc sunt per se loquendo, & ex natura rei ipsius: nam per accidens ob ignorantiam posset quis excusari, non modò ex parte pœnitentis, qui non tenetur cognoscere omnes species, sed etiam ex parte confessoris, qui tenetur tantum scire species communiores in singulis præceptis: qui tamen cognoscit eas species, debet distinctè confiteri, & confessarius interrogare. Vt cum Caietan. *opusc. de confess. quest.* 3. Filliuc. *sup. num.* 78.

3 Dixi, quoad species morales, seu in genere moris, non verò quoad physicas, seu in genere entis, nam confessarius debet ferre iudicium de moribus, consequenter de peccatis, quatenus sunt distincta in genere moris, non verò in genere naturæ siue entis: vnde in diuinationis peccato, siue diuinatio fiat per ignem, siue aquam, &c. & homicidium siue fiat igne, siue ferro; siue veneno, semper est eiusdem speciei in genere moris, quamuis physicè differat; ideo non sunt explicandæ species physicæ, sed morales, vt dixi in Decalog. *lib.* 1. *c.* 10. *dub.* 3. *n.* 10. vbi de diuinatione, & docet Suarez *disp.* 22. *sect.* 2. Item, ille qui ad occidendum inimicum emit gladium, ascendit equum, suscepit iter, ensem euaginauit, vulnerauit &c. non tenetur has physicas circunstantias aperire, sed satisfacit dicendo in confessione, se hominem occidisse: modò illi actus non sint moraliter interrupti, vt infra dicetur, & ne habeant aliam malitiam adiunctam, vt si dum occidere parat, conculcauit segetes, aut furtum commisit. Bonacina cum aliis *sup. n.* 2. Item, diuinator non tenetur exprimere, se per aquam, &c. diuinasse, sed tantùm peccatum diuinationis, vt dixi *loco cit.* Similiter, qui peccatum bestialitatis commisit, satisfacit, per se loquendo, dicendo in genere, se toties peccatum bestialitatis commisisse, non expressa specie animalium, quibuscum nefarium scelus admisit; nam diuersitas specifica animalium non mutat speciem moralem actus, vt dixi in Decalogo *lib.* 6. *cap. vnico dub.* 8. §. 3. & docet Bonacin. *sup. num.* 4.

4 Hinc sequitur primò, declarandam circunstantiam, quæ transfert peccatum de veniali in mortale, & è contra; etiamsi non variet speciem, vt in furto; etenim etsi furtum leuis momenti dici possit, esse eiusdem speciei cum furto magni momenti, nihilominus in ratione offensæ Dei maximè differt, ideo in confessione explicandum est, an furtum sit in magna, vel parua quantitate. Suarez *loco citat. num.* 7. Filliucius *num.* 80. & cum aliis Bonacina *sup. num.* 6.

5 Sequitur secundò eum, qui in confessione oblitus est declarare circunstantiam mortalem & mutantem speciem, teneri illam in alia confessione aperire, vt si qui occidit Clericum, vel furatus est calicem, omisit circunstantiam sacrilegij. Ita citati. Ratio est, quia talis malitia non fuit remissa directè, sed per accidens, sicut quodcumque peccatum oblitum, & ex alio capite omnes species morales peccatorum sunt confitendæ. Variant tamen Doctores, an sufficiat exprimere circunstantiam amissam, dicendo tantùm commisisse sacrilegium, an verò requiratur, vt simul exprimatur cum actu, cui erat coniuncta, verb. gratia dicendo occidisse Clericum, vel furatum fuisse calicem. Sylu. *confessio* 1. *quest.* 10. asserit vtrumque esse explicandum: placet tamen nobis distinctio allata à Suarez *vbi suprà* Filliuc. *loco cit. num.* 80. Coninch *disp.* 7. *dub.* 7. *num.* 60. & cum aliis Bonacina *vbi suprà num.* 9. videlicet si sola malitia circunstantiæ omissæ explicari possit absque actu, cui erat coniuncta, sufficit illam solam explicare, vt si quis commisisset homicidium ob furtum, & tantum confessus esset homicidium, satis esset deinde dicere commisisse furtum in tanta quantitate, & qui iurauit non occidere Clericum, & confessus est se Clericum occidisse, sufficit deinde dicere, se fregisse iuramentum licitum. Si verò non possit explicari sine actu cui annexa erat, tunc vtrumque esset aperiendum, vt si abstulit rem sacram, & tantum confessus est commisisse furtum, deinde tenetur dicere commisisse furtum rei sacræ. Nauarr. videndus *cap.* 6. *num.* 10. Ego autem consulerem, vt vtrumque simul semper confiteatur; nam aliter non videtur sufficienter explicari malitia actus, seu peccati omissi.

6 Inferri etiam potest, eum, qui se exposuit periculo peccandi, quamuis non fuerit secutus effectus, teneri in confessione aperire speciem, seu circunstantiam peccati, cuius periculo se exposuit, vt si se exposuit periculo adulterandi, tenetur hanc circunstantiam adulterij aperire, & non sufficit dicat, se exposuisse periculo peccandi. Ratio est, quia vt dixi, omnia peccata sunt confitenda quoad species morales; in moralibus autem idem est exponere se periculo peccandi, seu committendi aliquod peccatum, ac illud committere; ergo &c. At si commisit illud peccatum, cui se exposuit, satisfacit confitendo peccatum commissum, quamuis non dicat se periculo illius exposuisse, modò inter periculum, cui se exposuit, & inter actum completum non intercesserit mora, quæ constituit peccata numero distincta, vt benè Suarez *tom.* 5. *de censur. disput.* 18. *sect.* 3. *num.* 16. Sanchez *in sum. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disput.* 5. *quest.* 5. *sect.* 2. §. 3. *num.* 7. Ex hac doctrina infertur eum, qui concupiscit fœminam in communi, aut aliam, cuius statum ignorat, teneri dicere in confessione, se fœminam in communi concupiuisse, aut aliquam, cuius statum ignorabat; nam talis est affectus ad fœminam, cuiuscumque status sit, consequenter se exponit periculo concupiscendi fœminam, cuiuscumque conditionis existat, siue sit soluta, siue coniugata, nisi fortè excusetur ratione inaduertentiæ, non aduertens ad huiusmodi malitiam, vel ad eius periculum; nam inaduertentia excusat à peccato. Bonacina *suprà num.* 8.

DVB. III.

De integritate confessionis quoad numerum peccatorum, seu an omnia peccata mortalia sint distinctè confitenda quoad numerum.

1 SVppono cum S. Thom. 1. 2. *quest.* 72. *articulo* 1. & communi Theologorum cum eo, tunc peccata specie distingui, quando eorum obiecta sunt specie distincta, distinctéque rectæ rationi opponuntur,

opponuntur, ſiue quando diuerſis ſpecie virtutibus opponuntur. Ratio eſt, quia actus ſpecificantur ab obiecto formali, quo, vnde furtum ex obiecto ſpecie differt ab homicidio; quia formale obiectum, quo, homicidij eſt iniuſtitia, quæ fit proximo, adimendo illius vitam; furti verò, eſt iniuſtitia, quæ illi fit ſurripiendo illius bona, & ſic de aliis. Vnde peccata non diſtinguuntur ſpecie per præcepta quibus vetantur, niſi præcepta contineat obiecta formalia inter ſe diſtincta, ſeu niſi eorum obiecta ſpectent ad diuerſas virtutes. Prior pars patet; nam in Decalogo, *Non mœchaberis, non concupiſces vxorem proximi tui*, diſtincta ſunt præcepta, & tamen non differunt ſpecie, quia habent idem obiectum formale: idem de ſeptimo, & decimo præcepto: item, furtum prohibetur lege naturali, diuina, & humana, & tamen eſt eiuſdem ſpeciei, quia obiectum formale eſt vnum. Dixi, *niſi, &c.* nam ſi contineat diuerſas virtutes, iam tunc dantur diuerſa obiecta formalia: vnde fit, ſi ſub vno præcepto reperiantur multæ ſpecies, vt ſub primo præcepto eſt Spes, Fides, & Charitas, ideoque peccata his virtutibus oppoſita diſtinguntur ſpecie, ſicut ipſæ virtutes. Ex quo fit, vt peccata præcisè inter ſe differant ſpecie, quia ſpecialiter ſunt rectæ rationi contraria, ſeu diuerſis virtutibus oppoſita, ſiue diuerſis præceptis, ſiue vno, & eodem prohibeantur. Azor *tom. 1. lib. 4. cap. 2. quæſt. 4. & 5.* Fit inde tunc peccata numero diſtingui, quando obiecta ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſolum differunt numero: vnde tunc tot ſunt peccata numero, quot ſunt actus numero diſtincti; & quia difficile eſt, aſſignare quando peccata numero, & ſpecie multiplicentur, quamuis hoc ſpectet ad materiam de peccatis, ad intelligentiam tamen dubij pauca ſubiiciam. Ad quod ſupponendum eſt ſecundò, peccata alia eſſe cordis, alia oris, alia verò operis.

2 Dico igitur primò, peccata cordis, quæ corde tantum ſine ordine ad aliud complentur, vt odium, hæreſis: peccata oris, quando ore tantum perficiuntur, vt blaſphemia, & operis, quæ opere perficiuntur, vt homicidium, tunc diſtinguuntur ſpecie, quia habent diſtincta obiecta ſpecifica independentia, & non ſubordinata: ſi verò vnum ordinatur ad aliud, vt ſi intentio homicidæ ordinatur ad verba prouocatoria ad illud, & verba ad homicidium reale, non diſtinguuntur ſpecie, nam omnia hæc verſantur circa idem obiectum. Difficultas maior eſt, quomodo hæc peccata inter ſe ſe differant.

3 Dico ſecundò, peccata cogitationis, ſeu cordis circa obiecta ſpecie diſtincta, ſpecie etiam diſtinguuntur, quamuis actus in genere rei naturalis ſit vnus: vt ſi velit quis occidere Petrum parentem, Clericum in loco ſacro, & illius bona ſurripere, eſt homicida, parricida, ſacrilegus duplici titulo, & fur. Diſtinguuntur autem numero cordis peccata quando obiecta eorum ſolum ſunt numero diſtincta, vt ſi quis, v. g. ter odio proſequatur Petrum, tria numero peccata odij committit, ſi ter credat non eſſe purgatorium, tria peccata numero hæreſis committit; ſi ter delectatur de vxorata, tria numero adulteria patrat. Aduertendum tamen, obiecta numerica, vt faciant diuerſa numero peccata, debere eſſe integra, & per ſe, ita vt vnum non ſit pars alterius, nec omnia tanquam partes vnum obiectum conſtituant: quare qui ſimplici actu vult omittere tres Miſſas, quatuor ieiunia, vel occidere centum homines, tot peccata numero committit, quot ſunt Miſſæ, ieiunia, & homines, nam vnaquæque Miſſa, ieiunium, & homo, eſt adæquatum obiectum illius actus mali. At ſi quis velit domum comburere, omnes bibliothecæ libros furari, aut ingentem tritici aceruum, aut cumulum aureorum, aut gregem ouium ſeu boum, ſingula tantum peccata committeret; nam domus, aceruus, aut grex ſecundum ſe vnum ſunt numero totale obiectum. Dices, quid ſi quis velit occidere Petrum cum ſua familia. Nauarrus *in manual. cap 6. num. 18.* exiſtimat, tantum duo peccata committere; nam putat ex Petro, & familia fieri quoddam vnum. Azor autem *lib. 5. cap. 3.* probabilius exiſtimat tot eſſe peccata, quot ſunt perſonæ, eo quod vnaquæque ſit per ſe adæquatum obiectum homicidij ab alia independens.

4 Difficilius tamen eſt explicare, an peccata interna voluntatis eiuſdem obiecti multiplicentur numero per ſolam interruptionem. Nota interruptionem aliam eſſe moralem, illa ſcilicet, quæ fit per actum pœnitentiæ, vt quando ille, qui habuit voluntatem fornicandi, aut occidendi, pœnitet de tali voluntate. Aliam naturalem, quæ nimirum fit per actum naturalem, vt quando volens occidere Petrum, aut potiri tali muliere, dormit, edit, vel ad alia negotia ſe diuertit, & ſic ab illa praua voluntate ceſſat. Caietanus 1. *tom. opuſcul. tractat. 35. reſponſione 15.* vniuerſim tenet, ſolum multiplicari numero peccata cordis per moralem interruptionem, nam inquit, aliter ſemper manet moraliter eadem impœnitens voluntas conſequenter eſt, idem numero actus moraliter; ſicque ait, qui multoties mulierem concupiuit, ſi tantum per naturales occupationes actum interrumpit, vnum peccatum committit, quia lumen additum lumini non illud multiplicat. Quòd ſi voluntatem per contrarium actum pœnitentiæ interrumpit, tot ſunt numero peccata, quot ſunt morales interruptiones. Nauarrus verò *in manual. cap. 6. numero 16.* exiſtimat peccata interna, quæ in ſola voluntate complentur, vt odium, hæreſis, inuidia, delectatio moroſa, &c. ſola naturali interruptione multiplicari numero: peccata verò interna, quæ verbo, vel facto perficiuntur, non naturali, ſed morali interruptione multiplicari; ſicque volens occidere inimicum, ſi iterando multoties repetat voluntatem abſque pœnitentia, tantùm vnum committit peccatum. Demum Bonacina *tom. 1. diſputat. 5. quæſt 4. ſect. 2. punct. 2. §. 3. different. 2. numero 22.* eius eſt ſententiæ, vt exiſtimet numerum peccatorum cognoſci poſſe ex multiplicatione actuum voluntatis moraliter interruptorum: tunc inquit interrumpitur moraliter aliquis actus, quoties aliquis, nec formaliter, nec virtualiter perſiſtit in priori voluntate; continuatur autem actus, ſeu dicitur quis perſiſtere in priori voluntate quandiu aliquid facit virtute illius voluntatis, ſeu intentionis præcedentis, quamuis illa intentio, ſeu voluntas non amplius formaliter perſeueret. Ex quo, inquit, fit, vt ſi quis intendens occidere inimicum, paret gladium, conſcendat equum, iter arripiat, & alia præſtet ad illum occidendum, dicatur vnum numero peccatum committere; quia prior illa intentio, & voluntas occidendi inimicum virtualiter perſeuerat in actionibus inchoatis, virtute illius intentionis primæ, quamuis prima intentio, & voluntas non ſemper perſeueret formaliter, nec ſemper adſit actualis intentio de morte inimici; quandiu ergo prior intentio virtualiter, aut formaliter perſeuerat cenſetur vnum, numero peccatum, quamdiu verò non perſeuerat formaliter, aut virtualiter, multiplicantur numero peccata multiplicatis actibus voluntaris. Vnde ſi quis elicito ſemel actu odij, & deinde aliqua mora interpoſita, nouum

uum actum odij eliciat, dicitur nouum peccatum odij committere, quia prior actus odij nullo modo perseuerat formaliter, aut virtualiter; mora autem non debet esse valde modica: vt tenet Henriq. *lib.5. cap.5.* & Coninch *disp.7. dub.7. num.51.* & *53.* sufficit tamen si sit vnius horæ Filiuc. *tom.1. tract.7. c.3. num.* 83. Qui verò intendit inimicum occidere, & ob id præparat ensem, suscipit iter ad illum occidendum, &c. vnum numero peccatum committit. quamuis sæpius in via repetat intentionem occidendi, quia prior intentio non fuit reuocata, sed virtualiter perseuerat in illa actione externa itineris suscepti ad occidendum inimicum. Hæc Bonacina. Omnes hæ opiniones probabiles sunt; in rigore autem Theologico probabilior videtur opinio Bonacinæ, etsi opinio Caietan. sit fragilitati nostræ fauorabilior, ob idque quando talia peccata sunt numero distincta, & difficile est, tot interruptiones memoria retinere, sufficit in confessione dicere in temporis moram, & diuturnitatem declarare, ac se eo tempore multoties voluntatem moraliter motasse, vt infra magis patebit.

5 Suppono tertiò, peccata, quæ ore complentur, sumere differentiam specificam ab obiecto, sicut alia peccata, sicque qui dicit Petrum esse hæreticum, adulterum, furem, tria peccata specie distincta committit, quia horum obiecta specie differunt: differunt autem hæc peccata numero, quando obiecta solo numero distinguuntur; sic qui ter repetit aliquem esse hæreticum, tria numero peccata committit. Aduertendum tamen, vt hæc peccata numero multiplicentur, repetitionem fieri debere tempore discreto moraliter, vt si modò dicat furem, & posteà repetat idem. At si tempore continuo, & sermone continuato dicat furem, furem millies, tantum vnum numero peccatum committit, nam omnes repetitiones sunt partes vnius iræ, pugnæ, contentionis, aut litis, & peccatum tunc completur, quando vltimum verbum iniuriosum, periurium, aut mendacium profertur, quare qui, continuato sermone, fratri verbo nocuit, solum tenetur dicere in confessione pluralitatem specificam, vt si dixit aliquem esse hæreticum, sodomitam, &c.

6 Suppono quarto, peccata, quæ opere consummantur, tot esse specie, quot sunt obiecta specifica; & tot numero, quot sunt actus numerici: prior pars patet ex sæpè dictis; posterior probatur, quia cum hæc peccata facto consummantur, sequitur tot esse numero, quot sunt facta, & actus; sicque qui ter cum eadem fornicatus est, tria commisit peccata. Ita communis. De multiplicitate peccatorum, seu quando, & quomodo peccata multiplicentur, vide Suarez *disputat. 22. de pœnitent. sect. 5. num.* 17. Henriquez, & Coninch. *locis citatis*, Vasquez *de pœnitent. quæst. 91. artic. 1. dub. 5. num.* 12. Azor *loco suprà citato*, & Doctores agentes de peccatis. His positis sit.

7 Conclusio, pœnitens tenetur necessariò confiteri omnia, & singula peccata mortalia post Baptismum commissa, quoad numerum, quantum moraliter fieri potest, seu quæ facta debita diligentia memoriæ occurrunt. Ita Sanct. Thom. *in 4. distinct.* 47. *quæst.* 3. *articul.* 4. Suarez *disput.* 22. *section.* 1. *num.* 6. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *numer.* 8. Coninch *disputat.* 7. *dub.* 1. *conclus.* 1. & communiter Doctores, estque definitum in Concil. Florentin. in Decreto Eugenij, & in Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 5. & *Can.* 7. quod adeò verum est, vt existimet esse de fide. Ledesma *in summ. tract. de pœnitent. cap.* 17. *conclus.* 1. statuit enim, & definit Tridentin. omnia, & singula peccata mortalia esse confitenda: probarique potest, quia vnum peccatum mortale non remittitur, sine alio, vt dixi *suprà, cap.2. dub.2.* & habetur *cap. sunt plures*, vbi dicitur, impium est, à Deo dimidiam spectare veniam; ergo neque pœnitens potest ab vno absolui, quin ab omnibus absoluatur; consequenter non potest vnum confiteri, quin omnia confiteatur, eo quòd ipsa confessio dirigatur, & ordinetur ad absolutionem obtinendam. Non tamen est necesse singula peccata sigillatim successiuè recensere, sed sufficit vno verbo dicere numerum peccatorum vnius speciei, verbi gratia, decies peieraui, sexies furatus sum, toties ieiunium fregi, aut Missam in die festo non audiui, &c. Caietan. *verbo Confessio*, Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 5. *quæstion.* 4. *sectio.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 2. *num.* 2. & habet communis Doctorum, & vsus fidelium, hoc enim modo sufficientissimè manifestatur status pœnitantis, & peccata censentur sigillatim, & singulariter recenseri: tum quia alioquin confessio nimis onerosa videretur.

8 Dixi, *omnia peccata mortalia*, vt intelligas non teneri pœnitentem numerum peccatorum venialium exprimere, nam vt dixi cum communi *sup. c.2. dub.1.* non tenemur absolutè ea confiteri; ergo neque quoad numerum; sufficit ergo illa in specie confiteri, & in generali, v.g. dicendo, se mentitum fuisse iocosè, verba otiosa protulisse, in impatientias incidisse, &c. Non tamen satisfaceret, si solùm diceret, se venialiter peccasse nulla specie istius peccati explicata, vt benè Suar. *disp.* 23. *sect.* 1. *n.* 10. Coninch *disp.7. dub.3.* & cum his Bonac. *sup. n.15.* nam tenemur materiam certam exhibere, quod non fiet, nisi aliquod peccatum veniale in genere, aut specie confiteatur, quidquid aliqui in contrarium sentiant apud Diana *3. p. tract. 4. res. 67.*

9 Dixi, *commissa post Baptismum*, quia vt dixi *sup.* ante illum commissa non sunt materia confessionis, nec capacia absolutionis.

10 Dixi, *quantum moraliter fieri potest, seu quæ facta, &c.* nam, vt pœnitens possit singula peccata manifestare confessario; & integrè confiteri, requiritur; imò & tenetur de iure diuino, vt præmittat diligentem conscientiæ discussionem, seu examen, discurrendo per ætatis tempora, per loca, personas & conuersationes habitas, ex Trid. *sess. 14. c. 5.* aliter enim non poterit confessio esse integra, consequenter erit irrita, vt dictum est *superiori dub. n.* 20. Diligentia autem hæc debet esse tanta, quantam vir prudens in arduo negotio facere solet, vt quidam existimant: at sufficit mediocris, quam moraliter facere solent docti, & timorati, qua quidem contentus esse debet pœnitens, quamuis suspicetur, facta prolixissima discussione & scrupulosa, se noua peccata repertur um, vt benè Henriq. *lib.5. c.5. n.1. lit. B. & D.* cum Caiet. *confess. condit.* 10. & *in opusc. de conf. q.3.* & aliis colligiturque ex Trid. *sess. 14. c. 5. & Can. 7.* satis enim est (ait Henriq.) in pœnitente ea diligentia, quam adhiberet in negotio, quod optat obtinere. Potest tamen suppleri defectus examinis per interrogationes prudentis confessarij, præsertim vrgente causa, vt quando rustici etiam moniti nesciunt præmeditari peccata. Nauarr. *c.9. n.13.* Quare qui fecit examen parum diligens, quod tamen putat sufficere, quamuis pingui, & crassa minerua, cum præparatione tamen respondendi ad ea, quæ confessarius interrogabit, vt solent rustici, qui non assuescunt refricare memoriam satis videtur, vt fructum recipiant, vt significare videtur. Sylu. *confessio* 1. §. 12. *in fin.* & 13. tenet Henriquez *sup. lit. G.* cum Nauarr. *c. 6. n. 13. c. 9. 12.*

11 Ex dictis sequitur primò, eum qui sæpius fornicatus est, detraxit, aut aliud peccatum commisit, non satisfacere dicendo, se fornicatum fuisse, sed debere numerum fornicationũ, & aliorum peccatorum exprimere, earum scilicet, quarum facta mediocri diligentia recordatur, vt patet ex supradictis. Item, qui decies furatus est decem nummos aureos, vnum singulis vicibus, non satisfacit dicendo, se decem nummos aureos surripuisse, sed tenetur dicere, se decies surripuisse nummum aureum. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 8. Coninch *sup. dub.* 7. *n.* 61. Suarez *disp.* 22. *sect.* 5. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 4. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 2. *num.* 3 & 4.

12 Secundò, is qui sæpius aliquem odio prosecutus est, aut alia peccata interna commisit, debet explicare in confessione numerum actuum repetitorum, & moraliter interruptorum, modò recordetur numeri certi: si verò facto examine non recordetur numeri certi, dicere potest, se toties peccasse peccato odij plus minusue. Bonacina *sup. n.* 5. quòd si nec sic numerum explicare valeat, sufficit aperiat moram, & diuturnitatem temporis, & se eo tempore multoties voluntatem moraliter interrupisse, vt dixi *n.* 4. hoc enim pacto in hoc casu sufficienter exprimit numerum peccatorum, quantum potest, & conscientiæ suæ statum sufficienter aperit confessario.

13 Tertiò, ille qui facto sufficienti examine non recordatur certi numeri, & dicat se decies peccasse plus, minusue, si postea aduertat esse duodecies, aut trecies, non tenetur illum excessum confiteri; nam eo ipso quo in confessione dixit plus, minusue, satis indicauit se duodecies, aut trecies peccasse: secus si postea recordatur fuisse quindecies, aut vigesies, nam tunc tenetur hunc excessum confiteri, cum non censeatur comprehensus in illis verbis, *plus minusue*, Ita Bonacina *sup. n* 6 cum DD. *cit.* & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 3. *n.* 82. At si quis absolute diceret se decies peccasse, si postea comperiat esse vndecies, aut duodecies, tenetur hunc excessum postea confiteri, quia illa peccata posita nullo modo fuerunt confessa. Ita cum Suar. & Coninch, Bonac. *sup. n.* 9.

14 Quartò sequitur, Sacerdotem in mortali existentem pluribus sacram Eucharistiam ministrantem teneri numerum personarum, seu actuum, quantum potest, explicare, quia in quolibet actu, eo quòd in se completus sit, & ab alio independens, peccat mortaliter. Vt tenet Suarez *tom.* 4. *disp.* 22 *sect.* 5. *n.* 25. & cum aliis Bonac. *sup num* 7. Temperari tamen potest hæc sententia, vt dixi *lib.* 1. *cap* 3. *dub.* 3. *vers. Quinto sequitur.* Idem dic de confessario in peccato mortali excipiente confessiones, quia in qualibet absolutione conficit vnum Sacramentum ab alio independens. At si quis expositus, tempore, vno actu moraliter continuato multos audiat, existimo satisfacere, dicendo se fuisse expositum ad omnes audiendos, & audiuisse plurimos, nam sic sufficienter videtur explicare numerum, vt prudens confessarius iudicium ferat: tum quia moraliter potest dici vnica ministratio; consulerem tamen, vt quantum fieri possit, numerum personarum, seu actuum explicet: & vt ad peccatum vitandum se disponat, & eliciat actum contritionis, prout tunc tenetur, & quamuis Henriquez *lib.* 6. *cap.* 18. dicat, vt confessarius euitet peccatum, sufficere, vt tempore absolutionis sit benè dispositus verius tamen videtur peccare mortaliter, si à principio confessionis existat in mortali, & non conetur ad contritionem, quia tota confessio est vnicus actus. Vt bene Suarez *disput.* 28. *de pœnitent. sect.* 2. *num.* 3. Posseuinus *cap.* 5. *num.* 41. & cum aliis Bonacin. *sup num.* 7.

15 Quintò, tenetur pœnitens fateri sua peccata, quamuis aliàs confessario sint extra confessionem nota, nam cum hoc Sacramentum sit institutum per modum iudicij, ideo vt pœnitens reus absoluatur, tenetur sua peccata ad illud iudicium deferre. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. & alij, sufficiet tamen in hoc casu dicere: pater accuso me de illis peccatis, quæ nosti me commisisse, hoc enim pacto sufficienter aperit statum suum confessario, vt rectè iudicet, & medeatur. Ita Reginald. *lib.* 6. *n.* 102. Bonac. cum aliis *sup. n.* 10. Qui autem voto castitatis adstrictus illud violat, si est notum confessario, non tenetur illud exprimere, quia cum votum sit circunstantia actus principalis, expressa actu principali, sufficienter exprimitur accessorium, maximè cum aliàs sit notum confessario: quod non contingit sic in priori casu. Reginaldus *suprà, n.* 101. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 1. & cum aliis Bonacina *sup.*

16 Sextò, quando peccatum consummatur opere externo, v. g. quando quis actu furatus, vel fornicatus est, non sufficit explicare actum internæ prauæ voluntatis, dicendo solum confecisse furtum, aut fornicationem, sed tenetur dicere, se actu toties furatum fuisse, aut fornicatum. Ita Henriquez *lib* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Bonacina *sup. num.* 11. & alij; nam etsi malitia præcipuè sit in actu interiori, extenditur etiam ad actum externum, ita vt etiam actus exterior sit peccatum; ac proinde si actus exteriores sigillatim non manifestarentur, non manifestaretur sigillatim numerus peccatorum. Econtra verò explicato actu externo, non est necessarium explicare actum internum, quia peccatum formale exterius non subsistit sine actu interiori: quare qui fornicatus est, vel surripuit, non tenetur dicere, se fornicatum fuisse cum animo fornicandi, vel surripiendi, sed satis est dicat, se toties fornicatum fuisse, vel surripuisse tantum quantitatem. Hoc autem intellige, quando actus internus coniunctus, est tempore moraliter continuato, & non interrupto cum actu externo, secus autem si ij actus sint moraliter interrupti, nam tunc etiam sunt sigillatim actus interni, & externi exprimendi, eo quòd sint distincta numero peccata, ideo sigillatim exprimenda: vnde qui externa die habuit intentionem furandi, & hodie furatus est, non satisfacit dicendo, se semel furatum esse, sed propter actum furandi debet exprimere intentionem illam, quam habuit, & sic de aliis peccatis, quando ex actu interno, & externo non coalescit vnum numero peccatum. Nauarr. *cap. consideret de pœnitent. distinct.* 5. *n.* 4. Coninch. *disp.* 7. *dub.* 1. *n.* 7. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 7. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 4. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 1. *n.* 11.

17 Septimò, faciens confessionem generalem peccatorum ritè confessorum, non tenetur omnia, & singula peccata aliàs ritè confessa, & absoluta, iterum confiteri, sed post ea, quæ voluerit, exprimere; quia vt dixi *sup. cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 11. hæc peccata non sunt materia necessaria pœnitentiæ, & habent se vt venialia, ideo poterit dicere, aut reticere ea, quæ maluerit, & quotidie obtinere absolutionem à peccatis, quæ paulatim confitetur. Bonacin. *suprà. num.* 14. & alij.

18 Octauò, ille, qui certus est commisisse aliquod peccatum, dubitat tamen an sit mortale, aut veniale, tenetur illud fateri, & debet absolui. Prior pars probata est, *sup cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 7. & 13. Secunda patet, quia præbuit debitam, & certam materiam Bonacin. *num.* 16. vide supra hoc cap. *dub.* 1. *n.* 14. & *infra hoc dub. num.* 15.

19 Quæres tamen primò, an quando peccatum principale, seu actus principalis habet aliquos actus minus principales ipsum comitantes, sufficiat exprimere

mere

mere actum principalem, vel an etiam exprimendi sint actus minus principales, v.g. verum qui fornicatur, non solum teneatur exprimere actum fornicationis, sed etiam oscula, tactus, & amplexus antecedentes, concomitantes, vel subsequentes copulam fornicariam. Huic dubio satisfeci in Decalog. *lib.6. c. vnic. dub.14. num. 25.* proinde nunc breuiter dico primò, si copula fuit secuta, sufficit eam fateri, non explicatis actibus eam antecedentibus, & concomitantibus. Ratio est, nam etsi illi actus ex se sint peccatum, tamen, quia sunt veluti initia, & complementum actus principalis, & ad illum ordinantur, quasi cum eo constituunt vnum numero moraliter peccatum; proindeque explicato actu principali, censentur huiusmodi actus explicati: si verò copula non fuerit secuta, certum est, esse tunc illos actus explicandos, quia tunc ex se sunt peccatum mortale, & per se independens. Suarez *disput.* 22. *sect.5.* Azor. *tom.1. lib.4. c.4. ad fin.* Coninch *de pœn. disp.7. dub.7. n.56.* & cum aliis Bonac. *tom.1. disput.1. q.4. sect.2. punct.2. §. 3. diff.2. n. 12.* sic qui ad obtinendam copulam cum fœmina vsus est opera alterius, non satisfacit, dicendo solum se copulam habuisse, sed tenetur exprimere, induxisse socium ad illam obtinendam, quia hæc inductio non habet cōnexionem cum copula. At qui se periculo fornicandi exposuit, & mora non interposita fornicatus est, satisfacit, explicando solam fornicationem; quia totum est, vnum numero peccatum, & licet periculum sit malum censetur explicatum, explicato actu principali, Azor, & Bonac. *vbi sup.*

20 Dubitant tamen DD. an idem dicendum sit de ijs actibus, seu circunstantiis minus principalibus, v.g. osculis, tactibus, & amplexibus copulā subsequentibus, seu qui post eam habentur. Affirmant Nauarr. *c.6. n.7.* Henriq. *l.5. c.5. n.5. c.8. n.3.* Azor. & alij apud Bonac. *sup. n.13.* & in nostro Decalog. *loc. cit.* Quare copulam adhuc loquitur de re turpi, vel gaudet de peccato commisso, & eius accessoriis, vel eam deosculatur ad maiorem delectationem, non tenetur has circunstantias, seu actus minus principales exprimere. At si tactus, & oscula essent extraordinarij, vt si per totam noctem exerceret mille impudicitias, existimat Rodrig. *in sum. c.* 202. esse explicandos, quod non probat Dian. *p.1. tr. de circ. ref.42.* cum Henriq. *d. n.5.* & Ioan. Sanc. *disp.6. n.3.* quia etsi extra ordinarij sint, habent se materialiter respectu eiusdem formæ. Bonacin. verò *vbi sup.* cum Coninch *sup. n.59.* Vasq. & Suar. existimat, absolutè huiusmodi actus subsequentes esse exprimendos, quia inquit, huiusmodi actus esse initia alterius copulæ, & alterius peccati, consequenter efficiunt nouum peccatum distinctum ab antecedenti, ideoque explicādum; sicut qui modò fornicatur cum vna, & modò cum alia, tenetur id explicare. Quæ sententia etsi tutior sit, tutè tamen sequi potest prior opinio, nam etiam subsequentes actus censentur connexi cum principali, & esse eius complementum, & moraliter efficere vnum peccatum. Limita tamen priorem sententiam, modò post copulam, & ante oscula, vel tactus subsequentes non intercedat interruptio moralis per pœnitentiam, vel longa temporis mora, nam si interrupti sint per pœnitentiam, vel immediatè, moraliter loquendo, non sequantur copulam, non possunt dici illius complementum, sed alterius copulæ initium, quod vt verius amplexus sum in Dec *loc. cit.* cū Cast. Pal. *vbi de pecc. tom.1. tr.2. disp.3. punct.3. n.5. vers. Ad tert. in fin.* Hoc autem pro certo habe eum, qui eodem tempore pluries fœminam deosculatur, vnū tantum numero peccatum committere, quia moraliter reputatur vnicus actus. Castro videndus *sup. n.3.4. & 5.*

21 Quæres secundò, quomodo se gerere debeat pœnitens in explicandis peccatis, quorum propter consuetudinem peccandi, non potest certum numerum explicare, vt si sit meretrix, aut aliquis assuetus iurare. Quoad assuetum ad iurandum, & quomodo circa illum se gerere debeat confessarius, dixi in Decal. *lib.2. cap.1. dub.10.* Nunc de meretrice, & quidem si sermo sit de peccatis internis, sufficiat dicat, se paratam esse, & expositam per decem annos, v.g. ad omnes indifferenter excipiendos, quoties occasio se se obtulerit: si autem loquamur de actibus externis tenetur, si id moraliter facere, & recordari possit exprimere illos per hebdomadas, menses, & annum, & explicare, an rem habuerit cum solutis, coniugatis, Clericis, Religiosis, aut contra naturam: si autem hoc sit moraliter impossibile, sufficit exprimat tempus, quo est illi miserrimo statui exposita, & numerum, ac species possibiles, & esse paratam ad omnes recipiendos. Ex quo fit, concubinarium inueteratum, qui numerum explicare non valet, sufficere, vt dicat, se vsum fuisse concubina loco vxoris per tantum tempus. Nauarr. *c.6. n.15.* Caietan. *tom.1. opusc. tract.5. c. 3.* & cum aliis Bonac. *tom. 1. disp 9. q. 4. sect.2. punct.2. §.3. diff. 2. n.19. & 20.* vide Henriq. *lib.5. cap.5.* & Ledesm. *in sum. cap.17. de pœnit.* Hinc patet quid dicendum de assueto ad iurandum, aut blasphemandum.

22 Nota tamen, quando pœnitens propter ruditatem, aut consuetudinem vix potest numerum explicare, non est à confessario plus nimio cogendus ad numeri certi explicationem, nec in iis casibus debet confessarius se gerere scrupulosum, nam fieri potest, vt in ijs pœnitens proferendo determinatum numerum faciliùs erret, quàm explicando solum modo tempus consuetudinis, aut iniquæ detentionis. Nauarr. *c.6. n.14.* Bonac. *sup. n.21.* & cum alijs Henriq. *d. c.5. n. 9.* non enim in exprimendo, nam peccatorum, non requiritur mathematica certitudo, sed moralis, qualis satis est prudens iudicium, & remedium. Quare rusticus, vel puer, qui facta mediocri diligentia, non recordatur numeri certi peccatorum, sufficit dicat passim, id feci, vel multoties per mensem: huc referri possunt exempla meretricis, & concubinarij. Item, qui rem alienam detinet differens restitutionem, cum possit restituere, satisfacit explicando tempus, quo rem detinuit, vt existimat Bonac. *sup. n.21.* quia, inquit, præceptum explicandi numerum peccatorum non obligat ad impossibile, sed ad id, quod fieri potest à pœnitente, & quantum fert ipsius conscientia, quæ explicatis hoc modo peccatis, sufficienter videtur innotescere confessario, ad iudicium de statu huiusmodi pœnitentis ferendum; quam sententiam amplector, casu quo nullus alius modus explicandi numerum sit possibilis: aliter tenetur dicere *in* confessione tempus Iniustæ detentionis, & quoties mutauerit animum restituendi; multotiesque potuisse restituere, & non fecisse. Vt dixi in Decalog. *lib.7. c.14. dub.10. n.7.*

23 Ex his patet, pœnitentem, qui nunquam dixit numerum peccatorum moraliter certum, nunquamque fuit à suo confessario interrogatus de numero peccatorum, sed tantum dixit, peieraui, furatus sum, &c. etsi validè confessus fuerit, propter bonam fidem, teneri tamen verosimilem numerum illorum peccatorum confiteri; vt existimat Zerola *in praxi, cap. 22. fol. 50.* eo quòd ex Tridentin. *sess. 14. Can. 7.* teneamur omnia peccata mortalia confiteri. At Emmanuel Sà, *verb. Confessor. num. 40.* admodum probabiliter tenet, rusticos qui bona fide confessi sunt, non expresso numero peccatorum, non esse posteà cogendos ad dicendum numerum omissum,

suum, reperita confessione, si facilè deprehendi potest, quid soleant facere: nec si se putant benè confessos, de aliqua præteritæ confessionis interrogandos esse, nisi confessor intelligat, aliquod necessarium defuisse.

24 Quæres, an pœnitens, qui recordatur se commisisse vnum, aut duo peccata mortalia, non tamen recordatur cuius sint speciei, teneatur illa confiteri. Respondeo affirmatiuè (quidquid aliqui dicant) vt docent S. Thom. *in 4. dist.* 51. *quæst.* 5. *ad* 2. Suarez *tom. 4. dist.* 53. *sect.* 1. Villalobos, *tom. 1. tract. 9. diff.* 34. *num* 3. & Diana 3. *p. tract.* 4. *resol.* 66. & dixi cap. 2. *dub.* 1. *num.* 13. Ratio est, quia talis accusatio sufficit ad iudicium secundum, & ad obtinendam absolutionem, sicut in articulo mortis sufficit ostendere signa contritionis, si particularis accusatio non est possibilis. Et sicut qui recordatur peccati mortalis tantum in genere, & simul habet alia, tenetur simul cum illis illud confiteri, ita similiter si tantum habet illa duo peccata mortalia, quorum solum in genere peccati mortalis recordatur. At quia nullus caret peccatis venialibus, prudenter ageret, si cum his illa alia pecca mortalia confiteretur, vt in re tam graui, via tutiori gradiatur, vide *sup. hoc lib.* & in Decalog. *lib.* 3. *c.* 4 *dub.* 1. *n.* 6.

25 Denique, ex dictis inferri possunt hæ resolutiones. Prima, violans vota varia de eadem castitate vnum tantum peccatum committere, vt si is in sæculo emisit votum continentiæ, deinde in ordine sacro: secundò, si sit clericus Societatis Iesu; tertiò, si etiam sit professus, vt docet Sotus, *lib.* 7 *de iust. q.* 2. *artic* 5. *ad* 1. & cum Henriquez *lib.* 2. *de pœnitent. capit.* 9. *num.* 6. dixi in Decalogo *lib. 6. capit. vnic. dub.* 7. *num.* 10. quia huiusmodi non distinguuntur specie, & solum ex iis consurgit vna obligatio multoties repetita. Secunda, similiter vnum tantum peccatum committit, qui vnum mendacium multis iuramentis eodem tempore confirmat, sicut reus, qui rogatus sub iuramento de multis articulis in omnibus mentitur, vnum tantum periurium committit: idem dic, si blasphemias multiplicat simul. Item, nec peccat bis qui tempore Quadragesimæ fecit confessionem dimidiatam; nam ius diuinum, & humanum sunt subordinata. Nec committit duo peccata latro, qui, vt furetur, se exponit periculo infamiæ, & mortis, seu suspendij. Nec si omittat quis horas Canonicas, quas debet propter multa Beneficia, & ordinem sacrum; aut si omnes horas Canonicas vnius diei vnica intentione omisit, modo quo dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 53. *num.* 4. Nec qui Missam omisit quando eodem die incidit duplex festum, aut fregit ieiunium in quo est duplex obligatio, v. g. Vigiliæ, & Quadragesimæ, quia virtutes distinctæ, non verò præcepta de eadem virtute multiplicant peccata, vt dixi in Decalogo *lib* 3 *capit.* 1. *dub.* 6. *num* 3. At qui iuramentum, & votum de eadem re violat, duo committit peccata, quia diuersa ratione pertinent ad virtutem Religionis quare tenetur explicare votum, & iuramentum. Similiter qui celebrat cum peccato, variis titulis peccat, ex eo quod consecrat, offert, ministrat sibi, & recipit indignè Sacramentum, vt dixi vbi de Eucharistia *capit.* 5. *dub.* 4. *num.* 5. & vbi de sacrificio Missæ, *dub.* 14 *num.* 1. sufficit tamen, vt in confessione dicat, se in peccato mortali Missam dixisse. Ita de omnibus iis Henriq. cum aliis *lib.* 5 *c.* 5. *n.* 6.

* * *

D v b. IV.

De integritate confessionis quoad circunstantias, seu an circunstantiæ peccati sint necessario confitendæ.

1 AD intelligentiam nota primo circunstantiam, vt ad præsens attinet, sic definiri à S. Thom 1. 2. *quæst.* 7. *artic.* 1. Accidens adiacens substantiæ operis. Ideo enim dicitur circunstantia, quia circundat actum, & sit extra illius substantiam, & essentiam, v. g. furari in loco sacro, substantia actus est, ablatio rei alienæ; quod autem sit in loco sacro, est circunstantia; similiter ieiunare cum pane, & aqua, substantia actus est, abstinentia essentialis ieiunio, quòd autem sit cum pane, & aqua, est circunstantia operi, seu actui principali adiacens.

2 Nota secundò, generalissima diuisione diuidi circunstantias in impertinentes, & pertinentes: impertinentes sunt illæ, quæ nihil faciunt ad rem, seu ad Sacramentum pœnitentiæ, v. g. occidere hominem cum manu dextera, vel sinistra, ante prandium, vel post, de quibus nullus est hic sermo, eo quod nihil faciant ad iudicium confessarij, nec ad remedium pœnitentis, ideòque merito impertinentes vocantur. Aliæ dicuntur, & sunt, pertinentes, illæ scilicet, quæ faciunt, & pertinent ad hoc Sacramentum, vt ex dicendis constabit. Rursus hæ aliæ sunt mutantes speciem: aliæ aggrauantes intra eamdem speciem: aliæ verò minuentes. Circunstantia mutans speciem est illa, cuius obiectum est essentialiter distinctum ab obiecto, cui circunstat, v. g. cognoscere eam, quæ habet votum castitatis, aut est vxor alterius, aut occidere in loco sacro, nam habere votum, esse vxorem alterius, aut locum esse sacrum, est obiectum essentialiter distinctum ab obiecto principalis actus, v. g. ab obiecto luxuriæ, & homicidij. Item illæ, quæ de veniali faciunt mortale, vt delectatio cum vxore affectu meretricio: inobedientia regulæ ex contemptu in Religioso, &c. Hæ autem circunstantiæ solent appellari aggrauantes in infinitum; seu infinitè, eo quòd mutent speciem & contineant diuersam malitiam mortalem, ratione cuius peccator ab infinito bono auertatur. Aggrauantes intra eamdem speciem sunt illæ, quæ non habent malitiam specie distinctam ab actu principali, illum tamen aggrauant, & augent eius malitiam intra idem obiectum, & eandem speciem, vt furari mille, in quo peccato furtum pertinet ad substantiam actus: quod autem furtum sit vt mille, est circunstantia notabiliter aggrauans, & quia furtum, vt mille est intra idem obiectum furti, ideo non mutat, sed tantum aggrauat, & auget furti malitiam. Item, magna intentione, seu longa temporis mora odio prosequi proximum, vel in malo proposito manere, odium enim proximi est substantia peccati; quòd autem hoc odium sit intensissimum, aut duret per multum tempus, est circunstantia aggrauans intra eandem speciem odij. Minuentes sunt quæ minuunt malitiam peccati, seu actus principalis; quarum aliæ minuunt malitiam notabiliter intra eandem speciem, qualis est circunstantia metus alicuius mali, impellentis ad furtum committendum; metus enim in hoc casu videtur minuere malitiam intra eandem speciem, eò quod furtum non est omnino voluntarium, sed aliquo modo inuoluntarium: talis etiam circunstantia odij, quod statim ac sit elicitum, fuit animo depositum. Aliæ verò, quæ non minuunt notabiliter, sed parum aut fere nihil, vt furari

furati centum, aut centum & duo: denique aliæ ita minnont, vt de mortali faciant veniale, vt furari vnum obolum, aut si ex inaduertentia alicui alapam impingat, aut furtum rei notabilis committat, aut occidat: talis etiam est occisio cum ira, sed in defensione vitæ, seu honoris. His positis,

3 Conoeniunt DD. circunstantias mutantes speciem esse necessario aperiendas in confessione, quod adeò verum est, vt Ledesma *in sum.c.*18.*de pœnitent. concl.*3. Filliuc.*tom.*1.*tract.*7.*c.*4.*num.*86. & Villalob. *tom.*1.*tract.*9.*diff.*36.*n.*3. existiment, & benè quidem, esse de fide. Ratio fũdamẽtalis est, nã ex fide est Trid. *sess.*14.*cap.*5.*& Can.*7. esse necessariò confitenda omnia, & singula peccata mortalia; at hæ circunstantiæ mutantes speciem sunt peccata mortalia, vt supponitur; ergo de fide est esse necessario confitendas: idqoe confirmat communis vsus fideliom, & vniuersalis Ecclesiæ consuerodo. Requirimt etiam ad hoc, vt confessarius, qui iudea est, & medicus, rectè iudicet, & salubriter medeatur. Vide Suarez *disp.*21. *sect.*1. Coninch.*disp.*7.*dub.*3. Bonacin, *tom.*1. *disp.*5. *q.*5.*sect.*2.*punct.*2.§.3. *diff.*3. *n.*6. Aduertendom tamen eum Caiet. *opusc.de confess. q.*5. quem sequũtur aliqui recentiores, vt Rodrig.*in sum.c.*53.*concl.*3. non teneri pœnirenrem circunstantias difficillimas cogoitu, sed communiter notas confiteri, ita enim aiunt, Tridentinum esse intelligendum: hoc aotem non probat Ledes. post *concl.*3. & meritò, nam Concil. indistinctè loqoitur. Concedimus tamen excusari aliquando pœnitentem à peccato non confitendo illas difficillimas, si eas inuincibiliter ignorat, non verò quia non teneatur.

4 Conueniunt etiam omnes fere Doctores apod Bonacinam *sup.n.*4. & Soarez *disp.*21. *sect.*3. cum S. Thom. *quæst.*9. *add artic.*2. circunstantias minuentes intra eadem speciem, & non illam mutantes, non esse necessariò confitendas, vt si ex nimia passione tentationi succubuit; aut si inuiratus peccaoit, aut virgo indigens consensit in stuprum. Tum, qoia hoc innuit Tridentin. *vbi suprà*, dicens, omnes circunstantias mutantes speciem esse necessariò confitendas; ex quo licet inferre, notabiliter minuentes, non esse necessariò coufitendas. Tum, quia cum circunstantiæ minuentes adiuuent potius ad excusandum pœnitentem, qoam ad exprimenda peccata; necesse ergo non videtur, per se loquendo, tales circunstantias exprimere, nisi fortè confessarius iusta de causa de illis pœnitentem interroget. Nec obstat, confessarium ob tacitam circunstantiam minuentem posse existimare, peccatum esse grauius; nam ex hoc nullum incommodum subit pœnirens; quod si aliquod subit, voluntariè subit cedens iuri suo. At si probabiliter valde minuat, existimat Villalobos *sup. num.* 11. esse exprimendas, vt si mulier oppressa peccauit, aut ob metum mortis. Attamen, si non minuat, ita vt mutare faciat speciem, non existimo, esse necessariò exprimendam, ob rationem dictam: possunt tamen circunstantiæ minueutes exprimi, si velit pœnitens, ad veritatem totam sincere exprimẽdam propter remedium, Filliuc. *infra*. Quòd si ita minuent peccatum, vt faciant mutare speciem, vt si efficiant veniale, quod erat mortale præcisa tali circunstantia, vt contingit, quando quis graue damnom intulit ex imperfecta aduertentia, aut furatus est solum sex nummos, commune etiam est, tales circunstantias esse exprimendas; nam peccatum veniale, vt veniale; & mortale, vt mortale, est confitendum, aliter confessarius non poterit rectè iudicare, & mederi: idem dic quando tolleret circunstantia vnam malitiam mortalem, relicta alia, vt si quis occideret Clericum, sciens tantum esse hominem, ignorans tamen inculpabiliter esse Clericum; aliter enim daretur occasio confessario decipiendi in re graui. Filliuc.*tom.*1.*tract.*7.*c.*3.*n.*91.

5 Tota igitur difficultas est de citeunstantiis notabiliter aggrauantibus intra eandem speciem. Dixi semper, *notabiliter aggrauantes*, nam si parum aggrauant, conueniunt DD. non esse necessariò confitendas. Duæ sunt de hac re opiniones oppositæ, & vnaquæque habet pro se graues authores. Prior affirmat, eas esse necessariò confitendas, quam ex antiquis tenet Altisiodorensis, Alensis, Marsilius Maior relati à Diana *p.*1.*tract.*7. *resol.*1. Caiet.*verb.Confessio, condit.*15. inter recentiores Sotus *dist* 18. *q.*1. *art* 4. Suarez *in* 3.*p.tom* 4. *disp* 22. *sect.*3. Sanchez *in Decalog.lib.*2.*c.*11.*num.*14. Ledesm *in sum.cap.*18.*de pœnitent.concl.*4. Henriq. Fagundez, Coninch, Llamas, Ioan.de la Cruz, Carrillo, & Syluius, vt refert Diana *vbi sup.* quam opinionem probabiliorem existimant Villalob. *p.*1. *tract.*7. *diff.*36.*n.*7. & Filliuc. *tom.*1.*tract.*7.*cap.*4 *n.*8. vbi eam limitat, vt non intelligatur de omnibus aggrauantibus notabiliter, nam sic, ait, improbabilis est hæc sententia, vt efficaciter probat Nauarr. *in cap.consideret de pœnit.à n.*6. & constabit ex confirmatione oppositæ sententiæ; sed tantum de iis, quæ notabiliter aggrauant ex communi æstimatione, vel iudicio prudentium, vt pluribos Suarez *sup.num.*6. Hanc opinionem probant primò ex vsu fidelium timoratæ conscientiæ, qui solent has circunstantias explicare. Secundò, quia sæpè reseruatur peccatum habens circunstantiam aggrauantem; sed Ecclesia non reseruat nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis; ergo. Tertiò, quia si confessarius interrogat, vt potest ex officio suo, tenetur pœnitens dicere veritatem, at interrogatio non addit nouam obligationem, sed eam supponit: ergo etiam si non interroget, per se tenebitur. Quartò, quia aliter non videtur explicari tota malitia peccati, nec poterit confessarius rectè iudicare, nec mederi, atque ita, ait Villalobos, idem dicendum est de iis, ac de mutantibus speciem.

6 Altera sententia negat esse necessariò confitendas, quam ex antiqois tenent S. Thom. *in* 4. *d.* 16. *quæst.*3. *artic.*19. D. Bonau.*dist.*17. *quæst. vltim.* Durando, Gabriel, Palud. Scotus, Cartus. Aloray. Albert. Ouand. Herrera, Adrian. Turrecrem. Viguer, Autonin. Couarru. Syl. Tab. Armill. Angel. *sum. Confessor.* Cordub. Medin.*cap. de Confessor.* relati à Diana *part.*1. *tract.* 7. *resolut.* 1. & ex recentioribus Nauarr. *capit.*6. *num* 6. *& in capit. consideret de pœnitent.dist.*5. *num.*6. Vasqoez *in* 3. *part.tom.*4. *q.*91. *artic.*2. *dub.*2.*&* 3. Reginald.*in praxi*, *tom.*1.*lib.*6. *capit.*5. *num.*135. Lessius *lib.*4. *capit.*3. *dub.*12. *n.*8. Ioan. Sancius *in select. disput.* 11. *num.*6. Valentia *tom.*4. *disputat.*7. *quæst.*11. *punct.*1. Gypiius, Ortiz, Zenardus, Ocbagauia, Puteanus, Resautius, Zerola, vt refert ipse Diana, & hanc vocant probabilem aliqui ex aduersariis, vt Henriquez *lib.*5.*capit.*7. *n.*4. Fagundez *de præceptis Eccles. precept.*2.*lib.*4.*c.*2. *num*,6. *in fin.* Villalobos *vbi suprà*, *num.*8. vbi dicit: *Si alguno quisiero seguir la opinion contraria, no le podemos condenar, pues tiene tan buenos padrinos, y la podrà seguir.* & Filliuc. *suprà*, *numer.*87. hanc sententiam ait esse probabilissimam, eamque sequitur Bonacin. *tom.*1. *disput.* 5. *quæst.*5. *sect.*2. *punct.*2. §.3. *diff.*3. *numer.* 5. *&* Diana *vbi suprà*, vbi censet non esse minus probabilem, & tutam, ac affirmãtem. Probatur primò, qoia Tridentin. *sess.*14. *capit.*5. tradens exactam doctrinam eorum, quæ necessaria sunt ad Sacramẽtum pœnitentiæ asserit illas circunstantias necessario esse exprimendas in confessione, quæ mutant speciem, ergo videtur supponere

virtualiter,

virtualiter, & implicitè indicare, non esse necessariò confitendas, circunstantias tantummodo aggrauantes, vt indicant illa verba: *Nihil aliud ab Ecclesia exigitur à pœnitentibus, quam vt, &c.* Secundò, quia iure diuino solum tenetur quis confiteri omnia peccata mortalia, sed reticendo circunstantias, quæ non prohibentur speciali præcepto, confitetur omnia peccata mortalia, ergo. Non enim constat, dari præceptum diuinum ad id obligans; aut saltem dubium est, an detur tale præceptum; in dubio autem iuris, & præcepti fauendum est possidenti suam libertatem. Tum etiam, quia si vera esset opposita sententia, teneretur peccator scire circunstantias aggrauantes, sicut teneretur scire peccata mortalia, quod est valde durum, nimisque augerentur fideles ex tali obligatione, cum pauci benè cognoscant, & ritè intelligant quænam sint circunstantiæ aggrauantes. Quare, ait Diana, in furto magnæ, vel mediocris quantitatis, sufficit sic confiteri, fateor me commisisse furtum, quod attingit peccatum mortale.

7 Sit conclusio, etsi hæ duæ opiniones sint valdè probabiles; ego autem inclinarem magis in fauorem secundæ sententiæ, tum ob authoritatem D. Thom. & Bonan. & aliorum grauissimorum Doctorum, tum ob rationes haud infirmas, quibus fulcitur: sed aduertendum, Doctores aliquos, qui hanc secundam sequuntur sententiam, eam limitare, vt refert Filiuc. *sup. num.* 89. in casibus sequentibus, in quibus tenetur pœnitens circunstantias aggrauantes aperire. Primò, in incesto in primo gradu: secundò, in odio per annum, mensem, aut hebdomadam, quia probabiliter præsumitur, interrupisse voluntatem; & multiplicasse actus: tertiò, in furto magnæ quantitatis: quartò, in voluntate occidendi plures homines: quintò, in percutiente aliquem ferro tricipiti, aut infligente tria vulnera lethalia: sextò, in eo qui tota nocte fœdè cùm fœmina concubuit, etiamsi semel rem habuerit: septimo, quando quis excessit nimis ordinarium modum peccati: octauo, cum delicti enormitati, seu grauitati annexa est excommunicatio reseruata, vel quantitati furti, vel alterius rei, reseruatio. Sed responderi potest ad hæc primò, alios quàmplures Doctores absolutè asserere circunstantias aggrauantes non esse necessariò confitendas. Secundò, ideò in dictis casibus circunstancias aperiendas, non eo quòd solum sint aggrauantes, sed quia vel mutant, vel quia sunt obiectum peccati principalis, suntque necessariæ ad perfectè explicandum eius malitiam, vt ex infra dicendis constabit: & loquendo in particulari ad primum dico, incestum in primo gradu esse explicandum, quia vt dixi in Decalogo *lib.* 6, *cap. vnic. dub.* 6. *numer.* 4, mutat speciem, vt dicetur infrà. Ad secundum, ideò tunc odij tempus esse aperiendum, quia præsumuntur peccata numero multiplicata. Ad tertium respondeo primo, sufficere dicere se furripuisse quantitatem attingentem materiam mortalem. Vel secundò, quia notabilis quantitas se habet ex parte obiecti, requiriturque ad explicandum perfectè malitiam indiuidualem. Ad quartum, ideò volontas occidendi plures homines est aperienda, quia multiplicat numero peccata, tot, quot sunt homines, vt dixi *sup. dub.* 3. *num.* 3. Ad quintum videtur communiter non ita valdè aggrauare. Ad sextum, dixi iam in Decalogo *loco citat. dub.* 19. *num.* 15. & hic, esse valde probabile, non esse necessariò confitendam talem circunstantiam: idem dic de septimo, nisi talis modus mutet speciem peccati, Ad octauam admitto quidem, tunc esse manifestandam talem circunstantiam, & hoc non quidem per se, sed per accidens, ratione scilicet reseruationis. Quare concludi potest, sententiam asserentem circunstantias aggrauantes non esse confitendas, absolutè esse veram, modò circunstantiæ tales maneant intra eandem speciem, nec habeant reseruationem annexam.

8 Si autem roges, quænam sint circunstantiæ notabiliter aggrauantes in eadem specie. Respondeo vniuersaliter non posse tradi certam regulam, sed relinquendum esse communiter arbitrio prudentis, communi æstimationi, & conscientiæ pœnitentis, qui si cognoscat in actu notabilem deformitatem, tunc signum est, talem circunstantiam multum referre ad morale iudicium. In particulari autem hæ censentur aggrauantes. Primò, gradus consanguinitatis (idem de affinitate) vsque ad quartum. Secundò, in detractione magis aggrauat falsum imponere, quàm occultum verum reuelare. Tertiò, grauius peccat frangens ieiunium edendo carnes, quàm comedendo sæpius in die cibos non prohibitos. Quartò, in homicidio multorum hominum, vel mutilatione, etiamsi vnico ictu secutum esset, & secundum opinionem eorum, qui tenent esse vnum numero peccatum. Quintò, si adsit opinio probabilis, quod circunstantia illa differat specie, tunc saltem erit circunstantia aggrauans: sic exprimendi sunt iuxta primam opinionem gradus consanguinitatis, & affinitatis. Item, homicidium eius, qui deinde in frustra concisus esset; pertinet enim ad scientiam, ex probabili opinione, distinctam specie ab homicidio. Vide Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 3. *num.* 90. Suar. *de pœnit. disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 12.

Aduertit tamen, & benè, Caiet. *verb. Confessio.* confessarium non debere esse nimis anxium, & scrupulosum in inquirendis omnibus circunstantiis, tantùm enim, ait, inquirere tenetur bona fide, moraliter, & secundùm prudentiam.

9 Quæres secundò, ad quæ capita reuocari possint omnes circunstantiæ, quæ possunt speciem mutare, augere, vel minuere. Respondeo communiter à Doctoribus reduci ad hæc septem capita. S. Thom. 1. 2. *quæst.* 7. *art.* 3.

10 Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Vox autem quoties non pertinet ad circunstantiam, sed ad peccati multiplicationem necessariò explicandam, & ad substantiam confessionis necessariò pertinentem.

11 Prima circunstantia est, *Quis*, id est, non persona peccans absolutè sumpta, nam sic eius libertas ad substantiam actus pertinet. S. Thom. 1. *quæst.* 73. *art.* 10. sed qualitas, & conditio personæ peccantis, & hæc aliquando tribuit actui principali nouam speciem, consequenter esse necessario confitendam, vt in sexto præcepto, si peccans sit voto castitatis adstrictus, coniugatus, consanguineus, vel affinis, si fœmina sit virgo, de quibus, & quando mutent, quando verò augeant tantùm speciem, dixi latè in Decalogo *lib.* 6. *capit. vnico.* Item, si aliquis aliquid omittat, vel faciat, ad quod præstandum, vel omittendum tenetur ex officio, vel iuramento: sic iudex aliquis rapiens, &c. tenetur aperire esse iudicem, & violans iuramentum tenetur hanc circunstantiam aperire. Circunstantia scandali quando mutet speciem, & quando sit necessariò exprimenda, dixi latè in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 5. Quando verò circunstantia personæ peccantis non mutat, sed solùm aggrauat speciem peccati, potest tutè omitti, iuxta secundam, & probabilissimam sententiam.

12 Secunda est, *Quid*, quæ non significat obiectum, quod pertinet ad substantiam operis, sed multitudinem materiæ, non verò quoad quantitatem discretam; seu numerum, sed effectum extrinsecum

ortum

ortum ex peccato, vt si parum, aut multum furatus est: si à paupere, cui nimis nocuit: si homicida intulit damnum graue filiis, & vxori; in iis ergo casibus pœnitens secundum priorem opinionem tenetur has circunstantias aggrauantes confiteri, secus secundùm aliã, quam sequimur, nisi aliàs mutet speciem, aut habeat casum reseruatum annexum. Debet autem damnum esse præuisum, & præuolitum saltem virtualiter, & interpretatiuè, ad hoc vt illud teneatur pœnitens confiteri, aliter enim est inuoluntarium damnum, & euentus casualis. Ledesma *cap. 19. de pœnit. circa circunstant. Quid. conclus. 1. in circunstantia, Quid.* cum S. Thom. 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 8. vide Henriquez *lib. 5. cap. 7. n. 7.* Ad hanc reducitur circunstantia circa quid, seu cui damnum infertur, quæ aliquando mutat speciem; vt si iniuria illata sit Principi, patri, Sacerdoti; aut si cognouit virginem, seu coniugatam. Aliquando aggrauant tantùm, vt si iniuria affectus sit benefactor, aut vir nobilis: quæ circunstantiæ considerandæ etiam sunt in actu interiori. Henriquez *c. 6. n. 3.*

13 Tertia est, *Vbi*, id est locus, in quo delictum perpetratur, que circunstantia aliquando mutat speciem, vt si locus sit sacer, tunc enim peccatum in eo commissum est sacrilegium. Nota tamen, non omnis talis loci irreuerentia est sacrilegium, sed ea tantùm, quæ specialiter loci sanctitati, & eius immunitati repugnat, vt homicidium, etiam iudiciale, seminis voluntaria effusio, etiam matrimonialis, vel extra vas, furtum rei ad Ecclesiæ possessionem, vel custodiam pertinentis, vel in Ecclesia commissum. Item, in Ecclesia profanos actus exercere, vt triturare segetes, comprimere vuas, mercatum facere, repræsentare comedias nimis lasciuas, exercere actus iudiciales, præsertim in causa sanguinis, conuiuium magnum, actus bellicus, immunditiæ naturales notabiles absque necessitate. Henriquez *lib. 5. c. 6. n. 5.* de sacrilegij peccato, eiusque speciebus. Vide in Decalogo *lib. 1. cap. 10. dub. 15.* Nomine autem loci sacri intelliguntur omnia Templa, Monasteria, Hospitalia, & Oratoria authoritate Episcopi approbata, in quibus tam sacrificium Missæ, quàm alia diuina Officia celebrantur, vt dixi *loco cit. num. 4.* vide Henrique *loco citat.* cum Nauarr. *capit. 6. num. 3. cap. 25. num. 17. & 28.*

14 Quarta est, *Quibus auxiliis.* Particula hæc denotat personam, cuius opera, vel consortio vtitur quis impetrando delicto, vt si quis ad solicitandam fœminam ad peccatum vtatur aliquo mediatore, vel mediatrice; vel si inducat aliquem ad furandum, vel ad fornicandum; is enim nouum peccatum committit, cùm sit causa ruinæ proximi, vt benè Nauarr. *capit. 16. num. 13.* & alij, quos retuli in Decalogo *libr. 1. capit. 6. dub. 5. num. 13. 14. & 15.* vbi de scandalo, & de persona inducente aliam ad peccatum. Vide ibi. Huc reducitur circunstantia complicis, de qua propter eius specialem difficultatem dubio sequenti.

15 *Quinta est, *Cur*, id est, propter quid, quod intelligitur de fine non intrinseco, sed extrinseco, quæ quidem circunstantia aliquando mutat speciem, estque necessariò confitenda, vt si furetur gladium ad occidendum, clauem ad furandum, vel pecuniam ad adulterãdum; is enim duo peccata committit, cùm finis extrinsecus habeat distinctam malitiam, quàm habet furtum ex sua natura. Est tamen difficultas, an teneatur exprimere simul; se furatum esse ad occidendum; an verò sufficiat, dicat, & separatim confiteatur furtum, & homicidium. Sylu. *verb. Confessio. q. 10.* Ledesma *de pœnit. cap. 19. in circunstantia, Cur,* & Bonacina *sup. num. 25.* cum aliis existimant teneri vtrumque simul explicare; nam, inquiunt, in hoc casu furtum habet malitiam homicidij. De quo vide *hoc cap. dub. 2. vers. Hinc sequitur.*

16 Sexta est, *Quomodo*, quæ spectat ad modum, quo delictum committitur, vt si fortiter, magno conatu, & intentione, at quia circunstantia conatus, & intentionis non potest certò cognosci, seclusa duratione longi temporis, aut quantitate obiecti, satis est confiteri magno conatu habere, v. g. odio inimicum, & hoc solùm in opinione asserente aggrauantes esse confitendas. Potest tamen modi circunstantia aliquando mutare speciem, sicque esse necessariò confitendam, v. g. si alienum violenter rapuit; quia committit rapinam, quæ specie differt à furto, quod est receptio rei alienæ occultò, & sine vi, vt dixi in Decalogo *lib. 7. capit. 5. dub. 1. & 2.* Item, si rapuit virginem, eamque violauit vi. Item, si proditoriè occidit, nam in nostra Diœcesi Valentina est casus reseruatus. Non tamen est necessariò exprimendum, peccare cum confidentia diuinæ misericordiæ, & pœnitentiæ faciendæ. S. Thomas 2. 2. *quæst. 21. art. 2.* Caiet. ibi, Nauarr. *cap. 6. num. 4.* benè verò si ex præsumptione, aut desperatione peccauit, nam hæ mutant speciem. Vide Ledesmam *vbi sup.* Huc pertinet peccare ex conscientia erronea: quare qui omisit Missam, vel laborauit in die, quem festum existimabat ex errore; vel leuauit festucam, quam leuare putabat esse peccatum mortale, tenetur id exprimere, quia addunt nouam malitiam (etiamsi ex errore) specificam. Huc etiam pertinet peccare ex scientia, seu malitia; at communiter non est necessariò exprimenda; non enim mutat speciem, nec notabilissimè aggrauat. Vide Henriq. *lib. 5. cap. 6. num. 4.*

17 Septima, & vltima est, *Quando*, quæ significat tempus, quo peccatum committitur: quæ aliquando mutat speciem, sicque est necessariò confitenda; vt si quis celebret post prandium aut bis comedat in die ieiunij, aut seruilia opera præstet in die festo. Non tamen omne peccatum ratione temporis habet specialem malitiam necessariò exprimendam, ideoque qui furatur, vel adulteratur in die festo, etiam in hebdomada sancta, non contrahit nouam specialem malitiam, quia hæc eo tempore speciali præcepto non prohibentur. Nauarr. *cap. 6. num. 10.* & cum aliis Bonacin. *tom. 1. disput. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 5. num. 19* Huc reducitur circunstantia decretionis temporis in peccato, quæ si notabilis est, vt inimicitia per annum, vel per mensem, confitenda est, sequendo priorem opinionem: secus verò si communis sit, vt per diem, horam, aut hebdomadam. Nec qui in die, qua incidit duplex festum, & omisit Missam, tenetur circunstantiam duplicis festi explicare; non enim multiplicat peccata. Henriq. *sup. num. 6. & infra.*

Hæc breuiter de iis septem circunstantiis. Si ampliorem explicationem desideras, vide Valentiam *tom. 4. disp. 7. quæst. 11.* Suarez *disp. 32. sect. 4.* Coninch. *disp. 7. dub. 4.* Azor. 1. *part. lib. 2. cap. 4.* Sayrum *in Claui libr. 2. cap. 3.* Henriquez *lib. 5. cap. 6.* & Sanchez *in opere morali.* Aduertendum tamen eum Syluestr. *verb. Confessio. §. 14. & 15.* non teneri confessarium has circunstantias interrogare, sed eas tantùm quas prudenter iudicauerit omittere pœnitentem negligenter, ne scilicet modum peccandi illum doceat.

18 Quamuis ex hucusque dictis constare possit, quando circunstantiæ mutent speciem, consequenter quando sint confitendæ, & quando omitti possunt: Nihilominus tamen claritatis gratia adducam aliqua consectaria, seu exempla, quibus hæc magis elucescunt, & plurimi casus resoluuntur.

19 Primò sequitur, virum carnaliter peccantem non teneri exprimere, fuisse, vel non fuisse virginem. Suarez *disputat.* 21. *sect.*4. *num.*7. & communiter Doctores, & dixi in Decalogo *libr.* 6. *capit. vnico dub.* 3. *num.* 5. nam etsi per primum actum amittat laureolam virginibus debitam, non tamen habet ille actus specialem malitiam in viro, vt ibidem diximus.

20 Secundò, ille, qui virginem per vim deflorauit, vel sic eam violare desiderans, tenetur hanc circunstantiam aperire, quia mutat speciem. At si absque, vi, & illa consentiente eam cognouit, probabile est & tutum, non teneri aperire, illam esse virginem, quia sic non est stuprum propriè, nec circunstantia mutans speciem, vt dixi cum aliis in Decalogo *lib.*6. *cap.vnico.dub.*3.*num.*8.

21 Tertiò, confessarius, qui carnaliter cognouit pœnitentem (etiamsi nefandè cognoscat virum) non committit propriè incestum, nec tenetur hanc circunstantiam confiteri, dicendo se copulam habuisse cum filia, vel filio confessionis, sed sufficit; dicat habuisse copulam cum fœmina coniugata, vel soluta, quia cum talis copula non sit propriè incestus, non mutat speciem; incestus enim committitur inter cognatos; at Sacramentum pœnitentiæ non inducit cognationem spiritualem, quia in nullo iure reperitur expressum, vt patet *ex cap. fin. de cognat. spirit. in* 6. vbi postquam dixit cognationem spiritualem oriri ex Baptismo, & Confirmatione, addit, ex datione verò aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam; vnde non obstat *capit.* 30. *quæst.*1. vbi pœnitentes vocantur filij spirituales: quia respondetur, vel dictum caput fuisse correctum per dictum cap. fin. vel in illo cap. loqui de incestu, & cognatione spirituali impropriè, & metaphoricè, vt sentit Diana *p.*2. *tract.* 17. *resolut.* 11. vbi hanc opinionem existimat probabiliorem, modò tamen illa non cognoscat intra confessionem, vel proximè; ad illam nam tunc committit graue sacrilegium, estque denuntiandus Inquisitoribus, vt latè dixi in Decalogo *lib.*1. *cap.* 3. *dub.*18. Ita Bonacina cum aliis, & dixi in Decalogo *lib.*6. *cap.vnic dub.*6.*num.*1. Limitat etiam Bonacina, modò non sit Parochus, nam tunc eo quòd ex officio competat prospicere pro salute spirituali proximi, existimat committere speciale peccatum necessariò confitendum; quam quidem limitationem tanquam necessariam non admisimus *dict.dub.*6.*n.*1. propter ibi adducta. Tum etiam quia aliis confessariis, supposito quòd audiant pœnitentes, etiam illis incumbit onus procurandæ salutis pœnitentis, & tamen ij, secundùm Bonacinam, non tenentur talem circunstantiam fateri; ergo nec Parochus: modò tamen Parochus (idem de aliis) aliàs non baptizauerit pœnitentem, nam tunc accederet ad filiam spiritualem, cùm cognatio spiritualis contrahatur ex Baptismo, & Confirmatione, ideoque teneretur hanc circunstantiam explicare.

22 Quartò, qui carnaliter cognouit cognatam aliqui non improbabiliter asserunt sufficere, vt dicat commisisse incestum, non explicando gradum, nec an sit affinis, aut consanguinea, eo quòd existiment cum Caiet. 2. 2. *quæst.*114. *artic.*9. incestum cum affine esse eiusdem speciei. Alij, vt Bonacina *quæst.*4. *de matrim. punct.* 8. *proposit.*4. & vbi de pœnitentia *disput.*5 *quæst.*5 *sect.*2. *punct.*2. §.3. *diff.*3. *num.*9. asserunt, non solùm exprimendum esse, an sit affinis, vel consanguinea, sed etiam gradus affinitatis, vel consanguinitatis; quia, inquit, hoc pertinet ad obiectum actus, & non ad eius circunstantiam. Placet tamen nobis sententia Filliucij *tract.*30.*cap.*5. *n.*97. & 100. quam secuti sumus in Decalogo *lib.*6. *cap. vnico. dub.*6. *num.* 5. videlicet teneri exprimere, an sit consanguinea, an verò affinis, & an fuerit affinis, & an fuerit in primo gradu affinitatis, vel consanguinitatis, huncque esse exprimendum, in aliis verò sufficere dicere cōmisisse incestum cum affine, vel cum consanguinea extra primum gradum; nam vt ibi diximus, solùm in primo gradu additur specialis malitia, in aliis verò solùm erit circunstantia aggrauans, quæ vt diximus sæpè, probabiliter potest omitti. Quare qualitas gradus non spectat ad obiectum essentiale, vt existimat Bonacina, sed se habet ad illud quasi per accidens, & vt sola circunstantia aggrauās. At si incestus esset reseruatus vsque ad certum gradum, vt est in nostra Diœcesi Valentina, tenetur tunc exprimere gradum, non præcisè ratione incestus, sed ratione reseruationis. Tenetur tamen exprimere, an cognouerit cognatam legalem, nam huius copula reducitur ad incestum. Similiter, an cognouerit filiam spiritualem ex Baptismo, vel Confirmatione; nam hæc copula habet specialem luxuriæ malitiam, quam aliqui reducunt ad incestum, sed meliùs reducenda ad sacrilegium, vt cum Lessio dixi in Decalogo *loco cit.n.*1. vbi etiam dixi, reduci ad incestum copulam cum consanguineis sponsæ in primo gradu. Vide ibi.

23 Quintò, coniugatus cognoscens solutam tenetur exprimere se esse coniugatum, quia hic actus præter luxuriam habet malitiam specificam adulterij: ad idem tenetur soluta cum eo congrediens, quia participat cum adultero. Imo, si duo sint coniugati, tenentur id expresse dicere; quidquid Sà *verb. Confessio.n.* 30. non quia sit circunstantia tantùm aggrauans, sed quia tunc est duplex numerica malitia eiusdem speciei, sicut quando quis vnico ictu duos homines interficeret, duobos detraheret, aut malediceret, vt cum Lessio dixi in Decalogo *lib.*6. *cap.vnic.dub.*5. *num.*4.

24 Hinc fit, cognoscentem Monialem teneri hanc personæ circunstantiam confiteri, quia mutat speciem; probabile tamen est, satisfacere dicendo cognouisse eam, quæ habet votum castitatis, tacendo professionem; quia vt dixi in Decalogo *lib.*6.*c. vnic dub.*7.*n.*10. cum Sanchez, & Diana, probabile est, professum, vel professam satisfacere in confessione, si dicat se violasse votum castitatis, non manifestando votum solemne. At si habens votum castitatis cognoscat fœminam etiam illo voto adstrictam, tenetur id explicare, vt diximus, quando vterque est coniugatus. Si verò ipse solus ligatus est voto duplici castitatis, ipsa verò est soluta, non tenetur manifestare duplex votum, sed satisfacit dicendo esse voto castitatis adstrictum, vt dixi *loco cit.* quia illa duo vota sunt obligationes eiusdem rationis, Deinde, quia vt ait Bonacin. *tom.*1.*disp.*5.*q.*5.*sect.*2. *punct.*2. §.3. *diff.*3. *num.*13. quia illa duo vota eiusdem personæ habent se vt duo numero præcepta. Limitat tamen Bonacina, modò vota sint eiusdem rationis, nam si sint diuersæ rationis, vt si vnum sit simplex, alterum solemne, ait vtrumque exprimendum esse. At sufficit, dicat se habere votum solemne: imò vt dictum est, & dixi in Decalogo *loco cit.* probabile satisfacere dicendo, se violasse votum castitatis, non manifestando solemne, eo quòd hæc duo vota non differant specie, vt ibidem dixi cum Sanchez, Filliucio, & Castro Palao.

25 Sextò, qui commisit tria peccata cum tribus fœminis eiusdem conditionis satisfacit dicendo ter fornicatum fuisse: si autem sint diuersæ conditionis, vt si vna sit virgo, alia coniugata, alia soluta, tenetur id explicare. Similiter si quis in actu mollitiei

concu

concupiuit virginem, coniugatam, aut Monialem, tenetur id aperire, nam hæ circumstantiæ mutant speciem, etiam in actu interiori. Ita cum aliis Bonacina *sup. num.* 14. & Doctores communiter. Cæteta pertinentia ad species, modos, & circumstantias luxuriæ sufficienter dicta sunt à nobis in sexto præcepto.

26 Septimò, qui intulit iniuriam Patri, vel Principi, vel superiori, tenetur id aperire; nam ob circumstantiã personæ habet specialem malitiam, ob reuerentiam specialiter his debitam, vt dixi in Decalog. *lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 1. 2. *& seqq.* & docet Henriq. *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 3. vbi etiam existimat explicandum esse, an iniuria illata sit Sacerdoti, eo quòd Sacerdotibus peculiaris debeatur reuerentia. Secus si iniuria illata sit viro nobili, vel cognato, aut cognato, vel benefactori; nam huiusmodi circumstantia non videtur ita peccatum aggrauare, vt malitiam mortalem specie diuersam actui superaddat. Ita Bonac. *sup. n.* 15. & ego ipse.

27 Octauò, qui vno actu percussit plures, aut infamauit, aut pluribus iniuriam intulit, teneri numerum personarum exprimere, non quia sit circumstantia mutans speciem, sed quia est obiectum terminans, & determinans ipsum actum, vel quid necessarium ad explicandum indiuidualem malitiam vt docet Bonac. *sup. n.* 16. seu vt meliùs, & clatiùs loquamur, est quid necessarium ad explicandum numericè, seu numerum peccatorum, quia vt dixi hoc *dub. n.* 1. qui intendit decem homines occidere, vel eos vnico ictu occidit, decem numero peccata committit. Idem etiam putat Bonac. *n.* 16. *cit.* dicendum de eo, qui vno, & eodem actu furripuit à pluribus quantitatem notabilem, aut vno actu vni familiæ, aut pluribus maledicit, quia in iis casibus tot numero committit peccata, quot sunt personæ, vt dixi *hoc cap. dub.* 3. *n.* 7. Non tamen oppositum est improbabile, vt cum Vasquez *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 8. *&* 10. tenet Bonac. *loco cit.* videlicet non teneri in dictis casibus numerum personarum exprimere: at quod diximus est verius, & tutius.

28 Nonò, in furto explicanda est eius quantitas, non quia sit circumstantia, sed quia est quid pertinens ad substantiam talis actus, & necessarium ad exprimendam malitiam indiuidualem actus; aliter enim confessarius non posset admonere pœnitentem de obligatione, & ordine, quo tenetur ad restitutionem; itque est vsus communis, & praxis timoratorum. Sanchez *in summ. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 24. Henquez *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 4 & cum aliis Bonacin. *sup. numer.* 17. Non tamen est improbabile, vt ait Bonacina, & benè, *suprà*, cum Vasquez *quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 4. *num.* 5. & aliis, non esse necessariò exprimendam quantitatem furti, sed sufficere, quòd confessarius cognoscat, an sit peccatum mortale, aut veniale furti; sicut qui furripuit multas res diuersi valoris, satisfacit, dicendo, se furripuisse res alienas in magna quantitate: sic etiã qui vno impetu ter aliquẽ appellauit furem, semel tantum appellasse dicitur, & vnum peccatum commisisse numero, vt dixi *suprà, dub.* 3 *cit. num.* 5. sicque satisfacit dicendo aliquem affecisse graui iniuria, addit Bonacin. non videri improbabile eum, qui sæpius aliquem affecit grauibus iniuriis eiusdem, aut etiam diuersæ rationis, satisfacere dicendo, se aliquem grauibus iniuriis toties affecisse, non expressa qualitate iniuriæ, quod maximè procedit in opinione asserentium omnes detractiones, conuicia, & contumelias esse eiusdem speciei, de quo dixi in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 10 *dub.* 2. *num.* 4. *& lib.* 8. *capit. vltim. dub.* 2. *num.* 2. quæ omnia etsi probabilia sint & tute sequi possint, oppositum existimat Bonacina probabilius, cum Henri-

quez *lib.* 5. *capit.* 8. *num.* 3. vnde sicut secundùm suam sententiam in furto est exprimenda quantitas; sic in iniuriis alteri illatis eiusdem, vel diuersæ rationis. Attamen si iniuriæ eodem tempore: sicut siue illatæ sint eiusdem rationis, quia moraliter continuatur, & faciunt vnum numero peccatum, vt dixi *superiori dub.* 3. *num.* 5. sufficit exprimere, aliquem semel iniuria graui affecisse: si autem sint diuersæ rationis, vt si eum furem, & adulterum appellauit, verius videtur; id teneri exprimere, præsertim in opinione asserente contumelias differre specie, si peccata, quæ obiiciuntur, specie differant.

29 Decimò, ille qui occidit, non satisfacit dicendo vulnerasse, aut percussisse, nam actus externus, qui exprimendus necessariò est, non exprimitur tunc sufficienter. Qui verò hominem occidit, & iam mortuum ex odio, aut inuidia diuidit illum in frusta, vel continuat vulnera, non videtur committere nouum peccatum necessariò exprimendum, quia non mutat speciem: benè verò si hæc faciat ex ferocitate, & vt delectationem capiat in vulneribus infligendis, nam ferocitas est peccatum specie distinctum. Suarez *disp.* 22 *sect.* 4. *num.* 17. ex S. Thom. 1. 2. *q.* 159. *art.* 2. & aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. *§.* 3. *diff.* 3. *n.* 18. Vulnerans autem aliquem, qui post aliquod tempus moritur, sufficit dicat, se interemisse. Quod si lethaliter vulnerans, antequam moriatur vulneratus, confiteatur, se per insidias lethaliter vulnerasse, tenetur, si ille moritur, iterum confiteri. Primò, quia à principio non fuit perfectum, & completum homicidium. Secundò, quia ratione restitutionis faciendæ notabiliter aggrauat. Tertiò; quia si per insidias vulnerauit, vel occidit, est casus nostro Valentino reseruatus. Vide Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 7.

30 Vndecimò ille, qui fuit causa scandali, vt si peccauit publicè cum ruina proximi, aut alia ratione induxit non paratum ad peccandum, tenetur circumstantiam inductionis exprimere, ratione scandali, & ruinæ, cuius ipse causa fuit. Qui verò peccat cum alio, non inducendo, sed solum cooperando peccato, ad quod alter iam paratus erat voluntate actuali, aut virtuali, vel ad quod fuit ipse ab alio inductus, vt si cognouit meretricem iam paratam, non tenetur explicare circumstantiam inductionis, vt benè Suarez *suprà*, *sect.* 4. *num.* 10. Coninch. *disput.* 7. *dub.* 4. *num.* 14. Azot *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 5. Henriquez *lib.* 5 *capite* 6. *num.* 7. & aliis apud Sanchez (etsi ipse contrarium sentiat) *in summ. lib.* 1. *capit.* 8. *num.* 15. quia tunc non videtur dare scandalum, seu causam ruinæ saltem notabiliter. Bonacin. verò *sup. num.* 19. existimat, etiam tunc aperiendam esse circumstantiam inductionis, quia cooperatur peccato alterius, ideo peccat non solum peccato proprio, sed etiam alieno, quod sibi imputatur, vtrumque probabile, & tutum. Hoc tamen obserua, tunc solum esse aperiendam circumstantiam inductionis, seu cooperationis, quoties talis circumstantia non censetur explicata sufficienter, explicato actu principali, secus si intelligitur explicata: quare inuitans fœminam ad peccandum (modò formaliter non intendat ruinam spiritualem) non tenetur aperire inuitasse, aut induxisse, quia hoc est medium ordinatium, quo vtuntur homines ordinatum ad talem finem, quod explicato peccato, sufficienter intelligitur explicatum, vt docent DD. citati, & dixi in Decalog. *lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 5. *n.* 13. 14. *&* 15. Hoc autem limitat cum Sanchez, Bonac. *n.* 20. modo actus sit secutus, aliter ait teneri circumstantiam inductionis fateri, etiamsi ipsa parata sit, nam tunc inductio, si non exprimatur, non subintelligitur.

31 Duodecimò, ille qui coram pluribus detrahit, aut de rebus turpibus loquitur, tenetur in confessione exprimere numerum coram quibus detraxit, quia fuit causa scandali, & ruinæ, quæ circunstantia, explicato principali peccato detractionis, &c. non censetur explicata. Item, quia peccata præsentium personarum imputantur sociis cooperantibus; sicut autem socij plura peccata commiserunt numero; ita etiam detrahentes coram pluribus, videntur plura peccata commisisse. Sanchez *lib.1.c.6. num.*8. pluralitas autem peccatorum explicanda est in confessione. Ita & Bonacin. *num.*25. vbi addit eos, qui de rebus turpibus loquuntur cum delectatione non solum narrationis, sed etiam rerum, quæ per verba repræsentantur, non satisfacere dicendo, se de rebus turpibus cum delectatione locutum fuisse coram pluribus, aut tot personis, sed teneri exprimere conditionem personarum adstantium, vtrum scilicet, sint solutæ, coniugatæ, aut voto adstrictæ: & qualitatem sermonis, nimirum si sermonem habuit de rebus turpibus circa coniugatos, vel circa solutos, vel de nefando vitio, &c. nam delectatio malitiam specificam ex obiecto sumit, vt dixi *lib. 6. cap. vnic. dub.*13. *num.*15.

32 Decimo tertiò, consuetudo peccandi, seu reincidentia, aut reiteratio per se, non est circunstantia necessariò confitenda; nam non mutat speciem, vnde pœnitens non tenetur dicere, se in peccatum, quod tunc fatetur, aliàs incidisse; modò tamen cum vero dolore, & proposito, aliisque requisitis confiteatur. Ita Suarez *disp.*22 *sect.*4.*n.*15.& cum aliis Bonacin. *suprà, num.*12. contra Sylu. & Henriquez Dixi, *per se*, nam aliquando, & quasi per accidens tenetur hanc circunstantiam exprimere, v.g. quando confessarius iusta de causa interrogat pœnitentem de consuetudine, quod quia iudex, & medicus est potest facere, vt pœnitentis dispositionem intelligat, & remedia apta applicare possit, ideo pœnitens tenetur tunc obedire; quia periculum consuetudinis, vt in mollitie, abusu peierantium, &c. arguit infirmum propositum emendationis. Hine fit, non interrogante confessario, non esse peccatum, silere huiusmodi circunstantiam, modo cætera requisita adsint.

33 Decimo quartò, circunstantia generalis ingratitudinis, quam peccator commisit iterum peccando post remissionem priorum peccatorum, non est necessariò confitenda; nam non habet specialem malitiam, quæ non censeatur sufficienter explicata, explicato peccato principali. Bonac. *sup. num.*23.& DD. communiter.

34 Decimo quintò, qui non audit Missam in die Dominico, in quem incidit festum alicuius sancti, vt D. Petri, &c. satisfacit dicendo se non audiisse Missam in die festo. Suar. *sup. disp.*22. *sect.*4.*num.*22. Henriquez *lib.*5.*cap.*5.*num.*6. & cum aliis Bonacin. *num.*14. & dixi in Decalog. *lib.*3. *cap.*1. *dub.*6.*n.*3. quia talis omissio non habet circunstantiam mutantem speciem, nec est nisi vnum numero peccatum, eo quòd præcepta eiusdem rationis, seu virtutes non multiplicant peccata, nisi sint de diuersis virtutibus opposita, vt etiam dixi in Decalog. *libr.*3. *capit.*1. *dub.*6. *num.*3. Sic qui omisit ieiunium in Quadragesima in die in quem incidit aliqua vigilia, vnum tantum peccatum committit: vt dixi *suprà*, propter rationem supradictam. Econtra verò si fregit ieiunium in Quadragesima, ad quod tenebatur ratione præcepti Ecclesiastici, & ratione voti à se emissi, tenetur vtrumque exprimere; nam committit duo peccata specie distincta, alterum contra temperantiam ab Ecclesia præceptum; alterum contra Religionem, ad quam spectat votum. Nauarr. *c.* 51. *num.*4. Suarez *loco citato*, Bonacin. *num.*24.*in fin.*& communiter DD.

35 Decimo sextò, qui in die festo omisit Sacrum propter studium, solum tenetur exprimere, omisisse Sacrum, quia cum studium non sit per se malum tota malitia consistit in omissione Sacri. Azur. 1.*p.lib.* 4.*c.*3.*q.*7. Sanchez *in sum. lib.*1.*c.*5. *num.*15. Clau. Reg. *lib.*2.*cap.*6.*num.*10. Suarez *disp.*22. *sect.*4 *n.* 11. & cum aliis Bonacin. *sup. num.* 26. modò finis vltimus non constituatur in studio, nam tunc peccatum veniale efficitur mortale, vt cum Suarez, & Sanchez tenet Bonacin. *loco cit.* ideo in hoc casu erit confitenda talis circunstantia.

36 Decimo septimò, qui furatus est calamum, vt inuitaret aliquem ad blasphemandum, satisfacit dicendo se inuitasse, vel fuisse causam blasphemandi non expresso furto calami: nam furtum calami non habet annexam malitiam mortalem, nisi quatenus dirigitur, & ordinatur ad finem mortaliter malum. Sanchez *in Decalog. libr.*1. *capit.* 6. *numer.* 10. Secus dicendo de eo, qui rem magni momenti surripuit, præuidens, aut intendens alterum ad blasphemiam, aut alterum peccatum trahere, nam hic duo committit peccata diuersa necessariò exprimenda in confessione. Bonacin. *suprà, num.*27. an autem hic teneatur exprimere, se furatum esse, vt alter blasphemaret, aut sufficiat separatim, hoc tacito, hæc peccata confiteri, dictum est in quinta circunstantia, *Cur num.* 11.

37 Decimo octauò, per se loquendo, non est exprimenda in confessione circunstantia temporis, aut durationis, loci, aut modi, quia huiusmodi circunstantia non addit malitiam specie diuersam, sed tantum modo videtur aggrauare, vel minuere modo dicto in explicatione septem circunstantiarum. Bonacin. *sup. num.*28. & alij.

DVB. V.

An circunstantia, seu persona complicis possit, & debeat manifestari in confessione, vt sit integra confessio.

1 NOta, circunstantiam personæ complicis, aut mutare speciem peccati, aut non, sed solum esse circunstantiam aggrauantem; deinde manifestationem complicis, aut esse necessariam ad integritatem confessionis, quando scilicet non potest intelligi peccatum principale, nisi manifestetur complex: aut non esse necessariam, vt quando absque illius manifestatione potest explicari peccatum, & integrè confiteri: rursus, vel ex manifestatione complicis sequitur sola illius infamia, aut infamia simul, & damnum. His notatis, respondeo, &

2 Dico primò, si complicis circunstantia non mutat speciem, certum est non esse, imò existimo nec posse manifestari, si ex hoc sequatur ei infamia. Ratio est, tum quia non est necessaria eius manifestatio ad confessionis integritatem, eò quòd vt dictum est, circunstantiæ aggrauantes non sunt necessario confitendæ: quod procedit maximè in hoc casu, in quo periclitatur fama complicis. Tum quia, vt constabit infra, grauissimi Doctores tenent non esse manifestandum complicem, si ex hoc ei sequatur infamia, etiam quando est circunstantia mutans speciem; à fortiori erit occultanda, quando non mutat speciem. Vide Henriq. *lib.*5.*cap.*9.*n.*8.

3 Dico secundò, si ex reuelatione nulla sequatur infamia, quia culpa est talis conditionis, vt moraliter

pro

pro nihilo æstimetur, aut non reputetur pro infamia eo quòd peccatores de ipsis se iactare solent, vel non ægrè ferunt, quòd talia peccata reuelentur, vt si nominetur qui prouocauit ad duellum, vel adolescens, qui deperit mulierem, aut vi puellam oppressit tunc reuelare complicem nullum est peccatum: sicut nec peccat detractionis peccato, quando id fit extra confessionem, vt dixi in Decalogo *lib. 7. capit.* 10. *dub.* 3. *num.* 5 Imò si id est necessarium ad confessionis integritatem, debet fieri; quia tunc obligat confessionis integritas, & ex alio capite nulla datur causa iusta ab ea excusans. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 11. *n.* 341.

4 Dico tertiò, si circunstantia complicis, seu eius manifestatio nullo modo facit, nec requiritur ad explicandam speciem peccati, illicitum est illum reuelare. Est commune, & certum, quia sic eum absque vlla iusta causa infamat: reuelare enim crimen fratris, etiam apud vnum, graue peccatum est, vt dixi in Decalogo *vbi sup. dub.* 11. vide Suarez *de pœnit. disp.* 34. *sect.* 1. *num.* 2. Quare peccat tunc pœnitens complicem nominando, nisi inaduertentia, incogitantia, aut probabilis ignorantia illum excuset, vt benè Salon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *contr.* 14. & 15. Inde, si confessarius aduertat pœnitentem de industria, vel ignorantia velle manifestare complicem, præueniat illum, ne faciat, aliter enim cooperaretur confessarius infamationi. Deinde aduertat pœnitentem, vt statim cum dolore se accuset de huiusmodi peccato. Quare non videtur vllo modo admittendum id, quod absolutè dicit Diana 2. *p. tract.* 17. *resol.* 22. videlicet non peccasse pœnitentem, qui non manifestauit complicem in confessione, cùm haberet copiam adeundi alium confessarium, cui notus erat complex.

5 Dico quartò, si ex reuelatione ampliùs timeatur graue damnum euenturum complici, aut ipsi pœnitenti, aut tertiæ personæ in vita, aut fama extra confessionem, vt quòd confessarius esset illum infamaturus, aut reuelaturus confessionem; aut si pœnitens agnouit filiam, aut sororem confessarij, aut eius patrem interfecit, tunc non licet complicem etiam necessariũ ad peccati explicationem reuelare. Henriquez *libr.* 5. *de pœnit. cap.* 9 *num.* 8. Filliucius *suprà, num.* 340. Bonacina *tom.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 5. *versic. Hac doctrina*, & communis DD. Ratio est, quia in hoc casu obligat integritas naturalis confessionis, vt infra: & aliunde charitas, & iustitia obligant ad cauendum damnum proximo. In hoc ergo casu pœnitens si commodè inuenire non potest confessarium, qui non cognoscat complicem, aut non potest confiteri, quin confessarius veniat in cognitionem complicis, tunc debet confessionem omittere, modò non sit illi necessaria: si autem sit necessaria, nec potest eam facere confessori ignoranti complicem, debet istam circunstantiam silere, & alia peccata confiteri. Potest tamen illud peccatum confiteri genericè, v. g. dicendo se commisisse incestum, & si adhuc est periculum manifestationis complicicis, confiteatur solùm internum consensum, ex quo nulla sequitur infamia, vt bene cum aliis Henriquez *sup n.* 2.

6 Hucusque dicta ferè communia, & certa sunt apud omnes: difficultas ergo est, quando circunstantia complicis mutat speciem, & est omnino necessaria ad explicandam speciem peccati, integreque confitendum, nullumque sequitur damnum pœnitenti, nec complici, nisi solùm quod confessarius deueniet in illius notitiam, an scilicet in hoc casu possit, & teneatur pœnitens complicem reuelare. In qua re duæ dantur oppositæ sententiæ, quarum quælibet habet pro se celebres authores. Prima asserit debere pœnitentem complicem reuelare, quando non potest aliter peccati speciem explicare, nec sequitur aliud damnum, nec pœnitens habet copiam, seu commoditatem adeundi alium confessarium, cui non sit notus complex. Ita Suarez 3. *part. tom.* 4. *disputat.* 34. *sect.* 2. *num.* 3. pro qua adducit viginti tres Doctores. Filliucius *sup. num.* 34. tres, & cum aliis Bonacin. *vbi sup. num.* 5. Fundamentum huius sententiæ est, quia integritas confessionis est de iure diuino, & detractio in hoc casu est materialis; & præter intentionem. Posita enim lege confessionis, quantumuis positiua, oritur sufficiens causa, ratione cuius accusatio proprij delicti, cum manifestatione complicis, non est formalis, sed materialis tantùm detractio: nam eo quòd habeat naturam iudicij cuiusdam, & in omni iudicio socius criminis ratione delicti sit subditus exercenti iurisdictionem in tali delicto: hinc fit, vt possit inquirere, & integrè cognoscere peccatum sui subditi, etiamsi id fieri non possit, nisi in obliquo cognoscatur persona, cum qua peccauit. Et confirmari potest, quia licitum est extra confessionem manifestare delictum alterius ob propriam vtilitatem, vel ad vitandum proprium, aut alienum damnum, ergo idem licebit in confessione, vt pœnitens integrè confiteatur: maximè cùm complex videatur voluntariè huic periculo se exposuisse, peccando cum alio, cuius peccatum scit, vel scire debuit aperiendum in confessione. Proinde concludunt Filliucius, & Bonacina, non solùm posse pœnitentem in hoc casu complicem reuelare, sed teneri; nam tenetur iure diuino integrè confiteri, quoties id facere potest, vt contingit in hoc casu, cum ei liceat manifestare complicem. Aduertunt tamen bene, ac consequenter huius sententiæ authores, teneri pœnitentem, si commodè possit, quærere confessarium, qui non agnoscat complicem, vel ipsum pœnitentem: nam tenetur integre confiteri, & famam proximi, quantum fieri potest, seruare, si vtrumque potest commodè præstare, vt facere potest in hoc casu. Vnde si vno, vel altero die speratur confessarius, cui sine notitia complicis possit fieri integra peccatorum confessio, esset obligatio expectandi ipsum; aliter enim violaretur fama proximi. Vide Cordubam *casu* 1. & Henriquez *lib.* 2. *de pœnitent. cap.* 9. *num.* 2. *lit. A. num.* 6. *in corp.* & *num* 9. Quare non videtur vllo modo admittendus Diana 3. *part. tract.* 17. *resol.* 22. dum absolutè dicit, non peccasse pœnitentem, qui manifestauit complicem in confessione, cùm haberet copiam adeundi alium confessarium, cui non erat notus complex; nam etsi non sit improbabile aliquando manifestare peccatum occultum vni, aut duobus tacituris, tanquàm lapis, vt dixi in Decalogo *lib.* 7. *c.* 10. *dub.* 11. Hæc autem doctrina non videtur habere locum in hoc casu, cum nulla adsit causa, aut necessitas manifestandi complicem.

7 Altera sententia ex opposito tenet, non esse licitum in casu supradicto manifestare personam complicis, consequenter peccare pœnitentem illam manifestando, etamsi si sit necessarium ad explicandam speciem peccati. Ita Nauarr. 7. *num.* 2. & 3. Rodriguez *cap.* 53. *concl* 8. Medina *in sum. lib.* 2. *c.* 4. §. 1. Petrus Ledesma *in sum. cap.* 20 *de pœnit.* Innocentius, Hostiensis, Aragon, Bañes, Viguerius, Cano, quos Villalob. *p.* 1. *tract.* 9. *diff.* 38. *num.* 3. vbi hanc sententiam vt probabiliorem tuetur similiter & Diana 1. *p. tract. de circunstant. resol.* 49. vbi citat. alios, & 3. *p. tract* 4 *resol.* 64. Fundamentum est, quia præceptum integrè confitendi solùm est de iure diuino; præceptum autem seruandi famam proximi

est de iure diuino, & naturali, ideò fortiùs obligare debet: ad quod facit illud Bernardi *lib. de precept. & precept. dispens. Quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare.* At in praxi communiter læditur fama, & bona æstimatio proximi manifestando peccatum illius, de quo communiter est erubescentia. Et quamuis etiam ipse pœnitens infametur sua peccata manifestando, tenetur tamen ad hoc ex natura ipsius confessionis, quæ non potest aliter fieri, nisi manifestando sua peccata; & ex alio capite sufficientissimè hoc damnum recompensatur fructu Sacramẽti. Non tamen pœnitẽs tenetur publicè, aut per interpretẽ confiteri ob periculũ infamiæ; quia tali modo confiteri non est de natura confessionis; sic similiter non est de natura confessionis manifestare complicis peccatum cum ipsius infamia: & simul non tenetur pœnitens confiteri cum notabili damno rei familiaris proximi, ita nec cum damno honoris, & famæ. Quòd autem natura confessionis, etiamsi per modum iudicij exerceatur, non postulet manifestationem peccati complicis, probatur à simili ex confessione in foro exteriori, & iudiciali, in qua communiter non licet manifestare complicem, nisi in aliquibus casibus, de quibus dixi in Decalogo *lib. 7. cap. 10. dub. 8. & lib. 8. cap. 1. dub. 22.* Ideoque manifestare complicem in foro pœnitentiæ, cùm id non spectet ad ipsius naturam, non solum erit detractio materialis, sed formalis; nam vt etiam dixi in Decalogo *lib. 7. cap. 10. dub. 11.* verius est committere peccatum detractionis etiam illum, qui occultum manifestat homini tacituro, tanquam si esset lapis. Et quamuis verum sit, extra confessionem posse me delictum alterius manifestare ob propriam vtilitatem, vel ad vitandum proprium, aut alienum damnum; hoc ideò fit, quia tunc delinquens intulit damnum contra iustitiam proximo, illumque inuitum damnificat, ideóque amisit ius ad suam famam, si aliter damnum refici nequeat, vt etiam dixi in Decalogo *lib. 7. cap. 10. dub. 10.* Etenim melior est conditio patientis iniuriam, quàm inferentis: at in nostro casu non sic se habet complex respectu alterius complicis.

8 Has ergo sententias existimo valde probabiles, & totas; magis tamen inclino in secundam, maximè si infamia esset grauis, vt si concubuit cum matre, aut filia. Communiter enim, etiamsi delictum non sit adeò graue, reputatur non leuis infamia, si aliàs confessarius non sciebat de complice similia peccata: ideò hanc sententiam existimat probabilem. Filiucius *sup. num. 343.* & tanquam probabiliorem sequitur cum multis Diana *part. 1. tractat. de circunstant. resolut. 49. & part. 4. tractat. 4. resol. 64.* vbi tenet, quando alius confessarius adiri non potest, non esse explicandum peccatum complicis, etiamsi confessarius agnoscat complicem: citat Sancium *in select. disp. 8. num. 9.* Lessium, Ledesmam, & alios. Quam secundam opinionem adeò veram existimant Medina *sup.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 4.* Bañes *2. 2. quæst. 33. dub. 8. 1. part. & 3. part.* & alij, vt doceant, etiam in articulo mortis non posse complicem manifestari, nam rationes pro hac sententia pro omni tempore procedunt; si enim extra illum est ex se illicitum; ergo etiam in eo articulo. Oppositum tamen, vt ait Diana, probabilius tenent Petrus de Soto *de pœnit. lect. 11.* Victoria *in sum. §. 174.* & alij: ego autem existimo ob rationes dictas primum esse probabilius. Ex confirmatione pro secunda sententia manent soluta argumenta pro prima.

9 Hoc tamen pro certo habe in vtraque sententia, propter integritatem confessionis non licere manifestare occultum peccatum personæ, quæ non fuit complex, seu socia criminis, sed tantùm obiectum peccati eius, v. g. dedit filius venenum matri, eo quòd ex fornicatione alterius grauida est, non potest vllo modo peccatum matris manifestare, quia hæc non est complex exhibitionis veneni, ac proinde cessant rationes de complice: vnde potest tunc, & debet omitti illius manifestatio, & tantùm declarare peccatum proprium, quantum potest, sine explicatione personæ in particulari, dicendo v. g. dedi venenum personæ mihi valde coniunctæ, vel in primo gradu, tacendo causam, ob quam dedit. Ita Filiucius *sup. num. 344.*

Sed quæres primò, vtrùm liceat pœnitenti intra confessionem reuelare confessario complicem, vt ab eo corrigatur. De hac quæstione copiosè, & doctè, vt solet Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 34. sect. 4.*

10 Dico primò, non est illicitum ex se, vt pœnitens possit reuelare in confessione confessariò complicem, vt ab eo corrigatur, secluso scandalo, seruatis seruandis. Ita cùm aliis Suarez *sup. num. 14. & 17.* Filiuc. *tom. 1. tract. 7. num. 349. & 360.* & Henriquez, quòd sumunt ex S. Thom. *opusc. 12. q. 6.* vbi dicit, non licere in confessione reuelare personam complicis, *nisi saluo ordine correctionis fraternæ.* Est contra Bañes *2. 2. quæst. 33. artic. 8 dub. 6. part. 1. concl. 4.* Medinam *vbi sup.* & alios existimantes id, regulariter loquendo, esse illicitum, quia, inquiunt, confessio vnius non ordinatur in bonum alterius, nec est medium per se ordinatum in correctionem, imò fieret sic exosa. Nihilominus tamen nostra sententia simpliciter est vera, & probatur, quia hæc actio non est mala, nec vllo præcepto prohibita, nec vlla irrogatur irreuerentia Sacramento, nec fit vlla iniuria proximo, seu complici, cum aliàs eius peccatum possit, etiam seruato ordine, extra confessionem reuelari, cùm omne hoc cedat in bonum spirituale ipsius. Dixi, *secluso scandalo*, nam eo existente, certum est, minimè licere, nam non sunt facienda bona, vt inde eueniant mala. Dixi etiam, *seruatis seruandis*, nam vt talis reuelatio licita sit, debent seruari quædam conditiones, de quibus Doctores citati, & Henriquez *lib. 5. cap. 10. num. 1.* Prima est, vt ex parte complicis sit aliqua moralis necessitas, vt si non sit emendatus, vel timeatur probabiliter lapsus nouus. Secunda, vt pœnitens per se non sufficiat ad correctionem vtiliter faciendam. Tertia, vt vtiliter speret id posse facere per confessorem, seu quod probabiliter sit spes emendæ. Henriquez addit, vt horteiur confessarius pœnitentem, vt id velit potius extra confessionem declarare; at si id malit facere intra confessionem, licebit, concurrentibus supradictis concedendo confessario licentiam, vt possit posteà ad correctionem procedere, aliter frangeretur sigillum confessionis, iuxta quod etiam cadit peccatum complicis manifestari, vt docet Suarez cum alijs *sup. sect. 2. num. 2.* & dicetur *infrà cap. 9.* Ijs igitur concurrentibus, licebit pœnitenti reuelare confessario intra confessionem complicem, vt extra illam ab ipso corrigatur. Imò potest esse talis, & tanta necessitas proximi, vt teneatur pœnitens ex charitate illi spiritualiter subuenire, reuelando illius peccatum confessario intra, vel extra confessionem, si omnibus spectatis non adest aliquis, qui seruato ordine correctionis possit id præstare, vt tenent Suarez *sup. sect. 4. num. 18.* Villalob. *loco cit. num. 6.* & Filiuc. *dict. num. 350.*

11 Ex hac conclusione infertur, non esse ex se illicitum ob rationes dictas intra confessionem reuelare complicem ad adhibendum remedium pœnitenti, auxilium, aut consilium in ipsius pœnitentis

remedium

remedium, vt possit pœnitens à confessario consilio, aut alia ratione iuuari, vt in posterum periculum peccandi, aliaue grauia incommoda vitentur; ita tamen, vt nihil ampliùs aperiatur, quàm necesse sit, vt benè Coninch *disputat*. 7. *dub*. 9. *num*. 91. Limita etiam, modò talis reuelatio sit simpliciter necessaria ad talem finem consequendum, & quòd non possit adhiberi remedium, consilium, aut auxilium absque manifestatione personæ complicis; aliter enim absque causa proximum infamaret. Hæc doctrina est contra Bañes 2. 2. *quæst*. 33. *art*. 8. *dub*. 8. Lopez 1. *part*. *instr*. *cap*. 36. *conclus*. 4. & alios asserentes, complicem non posse intra confessionem reuelari correctionis causa: eam tamen admittit Henriquez *lib*. 5. *cap*. 10. *num*. 4. in aliquo vrgentissimo casu, si aliud non est remedium, vt quando parens, aut iudex non permittit alloqui filium, vel incarceratum, alium quàm confessarium. Secundò, si nobilis ex adulterio genuit primogenitum, & monendus est pater, vt prouideat damno futuro. Tertiò, si fœmina vix potest se liberare à viro procaci, vt ancilla ab hero, pupilla à tutore, aut cognato solicitante, & in similibus, de quibus Henriquez *sup*. *num*. 5. Nihilominus tamen simpliciter admitti potest supradicta doctrina cum limitationibus ibi positis, etsi expediens magis sit, & prudentiæ conformius, vt fiat in graui, & vrgenti casu. Aduertit etiam Henriquez, vt obtineat confessarius in scriptis licentiam à pœnitente, ne mutatus neget, se licentiam dedisse, & rarò per se ipsum ferat opem, nisi desit aliquis, per quem ferri possit.

12 Ego autem, etsi doctrinam conclusionis, & consectarij existimem veram, licitéque posse practicari; in praxi tamen vix eam admitterem, sed rogarem pœnitentem, vt finita confessione, extra illam tamen crimen reuelaret, & tunc proximum corrigerem, aut remedium adhiberem: quod intellige, modò pœnitens id facere possit extra confessionem; aliter expedit, vt fiat intra illam, v. g. si crimen est in damnum commune vergens, imminetque damnum pœnitenti, si crimen Prælato reuelet extra confessionem. Item, vt ait Suarez *dict*. *sect*. 4. *num*. 19. si timeat pœnitens, Sacerdotem non seruaturum aliud secretum, quod minus sit, quàm sigillum, quibus in casibus adeò potest esse grauis, instans, ac vrgens necessitas boni communis, aut alicuius particularis, vt charitate obligante, non possit, sed teneatur pœnitens ita delictum reuelare, si aliud medium non suppetat, idque commodè absque suo notabili damno facere possit, lege charitatis seruata in aliis autem casibus non tenetur intra confessionem complicem reuelare, potest tamen si velit, vt explicatum est; expedit tamen, vt fiat extra confessionem, vt benè Villalobos *sup*. *num*. 6. cum Lopez 1. *part*. *instruct*. *cap*. 26. *concl*. 6. ne scilicet confessio fiat odiosa, & ne detur occasio, ne aliquis deprauatus sacrilegè confitendo prætextu confessionis confessarium decipiat. Caueat etiam confessarius, ne dicat esse sibi manifestatum in confessione, & rarò per se ipsum ferat opem, nisi desit alius, per quem ferri possit. Quare si pœnitens roget confessarium, vt alterum corripiat, aut denunciet, iubeat potiùs, vt ipse corripiat, aut denuntiet, aut quærat virum probum, per quem id exequatur, aut det illi modum denuntiandi in scriptis, si se ignorantem facit, vt ait Medina *vbi sup*. Nec absoluat pœnitentem, nisi priùs suæ obligationi satisfaciat; potest tamen credere proposito pœnitentis, vt eum statim absoluat, vt docet Henriquez *lib*. 5. *cap*. 10. *num*. 8. *litt*. *P*. Quòd si pœnitens (ait Henriquez) non habeat per quem prouideat negotio alterius, quod ad ipsum non pertinet, relinquat rem totam, & Deo commendet. Nec se premat confessarius alieno onere cum periculo suo, & contra sui status decentem grauitatem. Si vrget periculum probabile damni communis, audiat personam (sed vix in causa necessaria roget, vt sponte reuelet personam) nec tamen se ostendat ex zelo promptum, vt per se præstet auxilium externum, aut corripiat, nisi vrgente necessitate. Ita Henriquez, & dicetur clariùs statim *infra*.

13 Ex dictis infert Villalobos *sup*. *num*. 7. pœnitentem, qui tenetur Prælato fraternaliter denuntiare alterius delictum, quod est in perniciem Religionis, aut aliàs, non satisfacere manifestando illud Prælato in confessione: quia talis denuntiatio non sufficit, vt probari possit delictum, seruetúrque iudicialis ordo, nec potest iudex procedere ex hoc ad delicti punitionem, vt docet Bañes *vbi sup*. quando tale est negotium, vt pœnitens teneatur denuntiare iudicialiter, cogendus est, vt per se ipsum faciat; quia oportet, vt ipse sit in iudicio notus; quæ obligatio rarò contingit in peccato complicis, quia nemo tenetur denuntiare se ipsum, quod faceret, moraliter loquendo, sic complicem denuntiando. Quòd si accidat pœnitentem non posse per se ipsum denuntiari, vel omnino excusabitur, vel si vrgeat necessitas boni communis, vt in peccato hæresis, tenetur id extra confessionem alicui committere, qui ad iudicium id ferat, eo modo quo possit, vt ipse ex officio vigilet, & inquirat, prout valuerit. Suarez *disp*. 34. *sect*. 4. *num*. 22. vbi docet, etsi per hanc viam correctionis non possit vsque ad denuntiationem iudicialem procedi, vt dictum est; poterit tamen vsque ad denuntiationem paternam; quia hac occasione superior non potest inquirere in subditum, sed illum iuuare oratione, & opera; modò tamen licentia pœnitentis expressè etiam ad hæc se extendat.

Quæres secundò, an liceat confessario dicere pœnitenti, vt ipsi reuelet complicem ad effectum, vt ab ipso confessario corrigatur.

14 Dico igitur peccare grauiter confessarium, qui exigit à pœnitente, vt sibi reuelet complicem ad illum corrigendum, loquendo regulariter, & vt in plurimum, vt ait Bañes 2. 2. *quæst*. 33. *art*. 8. *part*. 1. *concl*. 4. seu vt ait Villalob. *part*. 1. *tract*. 9. *differ*. 38. *num*. 8. *a carga cerrada*. Probatur primò, quia irrogat grauem iniuriam pœnitenti, & multò maiorem complici, & Sacramento pœnitentiæ, dando occasionem, vt fieret odiosum. Secundò, quia inde sequerentur multa grauiaque incommoda; potest enim contingere, vt complex sit soror, aut mater confessarij; aut aliquis, qui iam sit emendatus; aut qui tantæ esset authoritatis, & qualitatis, vt confessarius eam non habeat ad illum corrigendum, aut non audeat illum corrigere: aut quòd sit aliquis, de quo non sit spes emendæ, aut quòd zelotypiæ indiscretæ causa, diceret confessario multa de viro suo, vt eum corrigeret, & ipsam, quam existimat esse illius concubinam, & hac via, & modo eos iniustè infamaret. Quare temerarium, & periculosum est, si quis dicat licitum aut necessarium, vt confessarius ita de lege ordinaria inquirat, & petat sibi reuelari personam complicis ad corrigendum illum, aut denuntiandum, & periculosius est; si cum ea notitia statim procedat incautè ad denuntiandum, vel corrigendum proximos, quia talis doctrina est contra bonos mores, & quæ de se redderet confessionem magis grauem, & exosam, estque contra torrentem sapientum huius temporis, vt ait Henriquez *lib*. 5. *cap*. 9. *num* 11. *lit*. *R*. Addit Medina *in summ*. *lib*. 2. *cap* 4. §. 1. *pag*. 210. si contingeret, quòd confessarius diceret pœnitenti, vt ei reuelaret personam compli-

eis, *porque de otra manera le absolueria, ni podia*, teneri pœnitentem talem confessarium denuntiare Inquisitoribus tanquam hæreticum, nec esse absoluendum pœnitentem, antequam denuntiet, ait enim, *porque es heresia dezir que està uno obligado à confessar la circunstancia, de donde viene informia a la tal persona.* At hæc doctrina Ludouico Perez 1. *p. instruct. cap.* 3. Villalobos *vbi suprà num.* 9. & aliis videtur nimis rigida, & meritò quidem; nam quamuis sit hæreticum asserere, non esse licitum infamare proximum, est tamen dubium, & controuersum apud Doctores, an reuelare complicem confessario sit eum infamare; sufficit ergo notare hanc sententiam vt temerariam, scandalosam, perniciosam, & minimè in praxi admittendam, vt docet Henriquez *loco cit.* & Rodrig. *in sum.* 1. *part. cap.* 53. *conclus.* 9. vide eundem Henriq. *lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 6.

15 Dixi, *regulariter loquendo, & vt in plurimum, frequenter, aut ordinariè*, nam si vt docet Bañes *vbi sup.* res in tales angustias redacta fuerit, vt nulla alia persona inueniatur, nisi ipse confessarius; tunc (ait) fateor, quòd non repugnat secretò confessionis, vt confessarius obliget pœnitentem, vt sibi reuelet extra confessionem tertiam personam corrigendam: hoc tamen semper intelligendum (id quod, inquit, vehementer obsecro Sacramenti pœnitentiæ religiosos ministros, vt aduertant, & obseruent) quando ex tali modo procedendi non sequitur ignorantia, & pusillorum scandalum, in eo quòd Sacramenti secretum violari putent, aut à confessione facienda sontium peccatorum arceantur. Ita doctissimus Bañes. Et Henriquez *dict. num.* 11. sic ait: Qui tamen in raro casu non ex curiositate, sed ex charitate prudenter interrogat de alterius peccato, nec cogit, sed amicè rogat, intendens prouidere periculo, cùm sit Prælatus, habet bonos authores, quibus factum defendat. Quorum doctrina, etsi in rigore sit, ego tamen in praxi minimè admitterem; rarissimè enim potest contingere talis expostulatio absque scandalo pœnitentis, & periculo, quòd confessio odiosa non reddatur. Admitto tamen cum Suarez *disput.* 34 *cit. sect.* 4. *num.* 4. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 12. *num.* 349. & 350. contra Angel. Rosell. & Maior. apud Suarez *vbi sup. num.* 3. seruatis quibusdam circunstantiis, & secluso scandalo, probabile esse, & tutum, licere confessario vti notitia confessionis ad corrigendum complicem, vel impediendum eius peccatum in bonum aliorum, ob rationes dictas in primo quæsito, & pluribus docet Suarez *sup num.* 6. modò concurrant hæ conditiones. Prima est, vt confessarius non ordinet subditi confessionem sibi fieri, vt per illam accipiat notitiam aliorum, quos possit corrigere: si enim cogeret moraliter subditos, vt sibi confiterentur, violentum esset; si suaderet, consuleret, &c. esset res periculosa, quia superioris suasio est moralis quædam coactio, & in regularibus prohibitum expressè est per decretum Clem. VIII. §. 4. *Non liceat de casuum reseruatione pro regularibus.* vbi Pontifex statuit, vt caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam gubernationem vtantur. Suar. videndus *sup. num.* 15. & 23. de quo etiam Henriquez *lib.* 6. *c.* 55. *num.* 2. & 3. & *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 10. Secunda, non debet confessarius interrogare personam complicis, ad hoc vt eam corrigat, sed expectare, vt pœnitens id sua sponte declaret. Tertia, vt non se inuitet ad faciendam correctionem, etiamsi intelligat esse necessariam, sed expectet petitionem pœnitentis, qui fortè per se ipsum, vel alium curabit corrigere. Requiruntur etiam illa tria, quæ superiori quæsito requiri diximus, ad hoc vt pœnitens possit manifestare complicem, causa correctionis, & ad hoc vt hoc munus confessarius acceptare possit. Suarez *vbi sup. num.* 15. 16. & 20. vbi dicit: aliquando fieri potest, vt reuocatur ex charitate confessarius, supradictis concurrentibus: aliquando inquit, obligare potest pastorale munus, quando scilicet proximus est illi subditus, & ex officio tenetur spiritualem eius salutem procurare, & prudenter iudicat hoc medium esse necessarium.

16 Quæres tertiò, an possit quis confiteri cum suo complice, v. g. si mulier peccauit cum confessario. Respondeo, confessionem esse validam, si cætera adsint, & fructuosam, si abest scandalum, & periculum incitandi se ad peccandum. Ita Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. vbi addit, & benè quidem, vix hoc excusari posse ab imprudentia, & impudicitia; nam talis accusatio, & colloquium videtur assimilari, ei quod habetur extra confessionem, ideoque existimo cum Villalob. *part.* 1. *tract.* 9. *diff.* 59. *num.* 5. hoc non esse practicandum, nisi vrgentissima necessitate intercedente. Vide Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 10. & 11. vbi resoluit id non posse facere confessarium, etiam tempore Iubilei, esseque prohibitum in Synodo prouinciali, & synodali Mediolanensi, atque id procedere, etiam in peccatis carnalibus, & solum excipit articulum mortis, modò non adsit alius Sacerdos. Opinio tamen Soti tutè practicari potest, cum limitatione supradicta, vbi tamen id non est expressè prohibitum.

Dub. VI.

An detur Sacramentum pænitentiæ informe.

1 NOta, tunc dici Sacramentum esse informè, quando quoad substantiam est validum, & verum, caret tamen gratia, & charitate, quæ est forma, seu pulchritudo Sacramenti, & animæ, & quia caret hac pulchritudine, dicitur Sacramentum informe: exemplum in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quando suscipiuntur ab existenti in peccato mortali, quo in casu valida sunt quoad substantiam: & quia tunc non conferunt gratiam, dicuntur informia, vt dixi *lib.* 5. *cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 3. & suis in locis in particulari de quolibet Sacramento Quod ergo inquirimus est, an dari possit Sacramentum pœnitentiæ validum quidem, & firmum quoad substantiam, sine fructu tamen, id est, sine gratiæ, charitatis, & aliarum virtutum pulchritudine, defectu quarum dicitur informe.

2 Vasquez *de pœnit. q.* 92. *art.* 5. *num.* 13. Medina *Cod. de confess.* & aliqui, quos sequitur Villalobos *part.* 1. *tract.* 9. *diff.* 42. *num.* 2. existimant nunquam dari Sacramentum pœnitentiæ informe, & nullam confessionem esse validam in ratione Sacramenti, quæ non sit cum effectu: putant enim, omnem attritionem, quæ sufficiens est ad validitatem Sacramenti, sufficere ad illius fructum consequendum, vt etiam tenet Coninch *disp* 4. *dub.* 5. *n.* 40. vt retuli *hoc lib. cap.* 5. *dub.* 5. *quæst.* 3. vbi de attritione.

3 Communis tamen, & vera sententia tenet, dari posse Sacramentum pœnitentiæ informe. Ita S. Thom. *in* 4 *dist.* 17. *art.* 4. & expressiùs *q* 9. *add art.* 1. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 2. & *lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 1. Ledesma *in summ cap.* 16 *de pœnit. concl.* 1. Suarez *disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 3. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 7. *q.* 8. & 11. & Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 65. Fundamentum est, quia non repugnat dari Sacramentum

absque

absque fructu, vt patet in Baptismo, & aliis Sacramentis, vt probaui *loco sup. cit.* ergo neque in pœnitentia, quod clariùs constabit enumerando casus, in quibus hoc contingere potest. Hanc sententiam tanquam verissimam amplector, tum propter tantorum DD. authoritatem, & rationes, quibus nititur, tum quia liberat ab innumeris scrupulis conscientiæ pœnitentes, si confessio informis tollitur.

4 Primus casus, in quo dari potest confessio informis, est, quando pœnitens reuera habet attritionem supernaturalem, sed ita imperfectam in hoc genere attritionis supernaturalis, vt non excludat affectum peccati nec reuocet perfectè voluntatem à peccato, ignorat tamen pœnitens talem indispositionem, aut imperfectionem inuincibiliter, aut etiam culpabiliter, modò tamen ignorantia non sit crassa, & affectata; nam sic non accedit scienter indispositus, imò bona fide reputat, & reputare debet, esse dispositum. Ita Henriquez *dict. cap.* 15. *num.* 1. & Ledesma *vbi sup.* Hunc casum non admittit. Filliuc *vbi suprà num.* 163. ait enim omnem attritionem supernaturalem, si vera attritio est, sufficere ad dandam gratiam cum Sacramento pœnitentiæ: admitti tamen tutè potest, nam sicut in genere doloris datur vnus ita perfectus, qui dicitur contritio, qui cum solo voto Sacramenti iustificat impium: & alius dolor non qui adeò perfectus, etsi in suo genere sit perfectus, cum Sacramento sufficiat non solùm ad validitatem, sed etiam ad fructum; cur non poterit dari alius dolor in genere attritionis minùs perfectus, qui non sufficiat ad fructum, benè verò ad Sacramenti validitatem.

5 Secundus est, quando pœnitens solùm habet dolorem, seu attritionem naturalem, ignorat tamen inuincibiliter, aut culpabiliter esse naturalem, imò bona fide existimat, vt existimare debet, esse supernaturalem, tunc quidem non recipit gratiam, est tamen validum Sacramentum, vt tenet Filliucius *sup. num.* 165. & cum aliis Bonacin. *loco cit. num.* 3. *&* 4. Et probari potest ex his, quæ diximus *suprà cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 2. vbi diximus esse valde probabile, attritionem naturalem, quæ bona fide, reputatur supernaturalis sufficere ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ absque fructu.

6 Tertius est, quando quis ex negligentia, vel ignorantia non fecit debitum examen, ob idque oblitus est quorundam mortalium, & in animo habet facere bonam, & integram confessionem, idque se facere, bona fide, putat. Quod contingere potest, quando aliquis multis peccatis, & variis negotiis irretitus, suæ conscientiæ latebras accuratè non perquisiuit, vel si ob negligentiam, vel ignorantiam culpabilem excommunicatus absoluitur à peccatis, non absolutus ab excommunicatione; ij ergo recipiunt Sacramentum, non verò illius effectum; quare cùm quis ob culpabilem negligentiam, dum integrè ex intentione confitetur, oblitus est alicuius peccati, satis est illud, si in memoriam venerit, confiteri, nec tenetur priùs confessa repetere. Idem dici potest, quando quis bona fide existimat habere sufficiens propositum, cùm reuera non habeat, hic validum recipit Sacramentum, non tamen illius effectum, modò id ignoret etiam culpabiliter, non tamen crassè nimis, & affectatè: de quibus latè Ledesma *in summ. cap* 16. *de pœnit. concl.* 5. *&* 6. vide etiam Henriquez *lib.* 5. *cap.* 11. *cit.*

7 Quartus casus adducitur à Suarez *vbi suprà*, & Filliucio *loco citato num.* 166. & est quando quis habet attritionem supernaturalem, sed non se extendit ad omnia mortalia, eo quòd inculpabiliter, vel culpabiliter (modò id non agnoscat) obliuiscitur alicuius peccati mortalis, ad quod, aiunt, talis attritio non se extendit, manifestat tamen alia peccata, quorum habet memoriam; quo in casu confessio erit valida, informis tamen, quia attritio vera, sicut & contritio, debet se extendere ad omnia peccata. Hunc casum non admittit Villalob. *suprà n.* 4. & benè quidem, quando pœnitens inculpabiliter oblitus est alicuius peccati mortalis, si ex alio capite expressè habeat veram attritionem eorum, quorum recordatur; nam tunc illa attritio virtualiter se extendit ad peccata oblita, eo quòd, vt diximus *sup. cap.* 5. *dub.* 3. contritio, seu attritio vera, debet esse vniuersalis, & ad omnia peccata se extendere saltem virtualiter; etenim si hic recordaretur peccati obliti, illud detestaretur, & detestando alia expressè, illud implicitè, & virtualiter detestatur, ideo non informem, sed formatam facit confessionem, cum obligatione tamen confitendi peccatum oblitum. Quòd si ignorantia fuit culpabilis quod ignorat pœnitens, eo quòd putat bona fide sufficiens se fecisse examen admitto libenter dari confessionem informem, sed tunc hic casus iam comprehenditur in tertio.

8 Dixi semper, si pœnitens ignorat inuincibiliter, seu culpabiliter, modò ignorantia non sit nimis crassa, & affectata, se non habere sufficientem dispositionem, seu attritionem, aut existimare dolorem esse supernaturalem, aut fecisse debitum examen, & habere sufficiens propositum vitandi futura, cùm reuera omnia hæc non habeat, putat tamen bona fide habere, tunc esse confessionem informem: nam si mala fide recipiat hoc Sacramentum, sciens, vel dubitans, aut ignorans ignorantia nimia crassa, & affectata, quæ æquiualet scientiæ, non recipit Sacramentum validum, & informe, sed omnino irritum, & inualidum cum obligatione repetendi omnia peccata, quia sic scienter, & absque causa (vt supponitur) dimidiat confessionem, & non integrè confitetur, consequenter peccat mortaliter in actu confessionis, quod peccatum continuatur, & completur cum absolutione, ideo non potest confiteri à pœnitente, nec tolli per absolutionem. Ita communis Doctorum.

9 Rogabis tamen, an, & quando, & quomodo Sacramentum pœnitentiæ informe conferat suum effectum. Huic quæstioni satisfactum est *lib.* 1. *cap. vlt. num.* 5. breuiter tamen respondeo cum communi, postea reuiuiscere, sublata fictione, seu impedimento, aut obice gratiæ, hoc scilicet modo, si pœnitens in confessione informi non peccauit mortaliter, eo quòd inuincibiliter ignorabat indispositionem: seu defectum, nec postea de nouo peccauit mortaliter, potest reuiuiscere per veram subsequentem attritionem; nam hæc videtur retrotrahi & coniungi cum Sacramento præterito. Quòd si ignorantia, vel negligentia fuit culpabilis modo communi, id est, non nimis crassa, nec affectata, tunc necessariò requiritur subsequens contritio cum voto Sacramenti; aut attritio vera cum Sacramento; nam sic confitendo peccauit mortaliter; at peccatum mortale non potest aliter tolli. Ita Henriq. *lib.* 4. *c.* 24. *n.* 3. *& lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 4. Filliucius *vbi sup. num.* 167. & Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 6. *sect.* 2. *punct.* 5. *num.* 5.

D V B. VII.

Quænam excusent ab integritate confessionis, seu quando confessio non integra, sit valida.

1 EX dictis in superioribus constat, per se loquendo, pertinere ad confessionis integritatem,

tem, vt omnia peccata mortalia in ea manifestentur, & hoc non solum ex iure Ecclesiastico, cap. *omnis vtriusque sexus de pænit. & remiss.* sed etiam ex iure diuino, ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. fundato in illis verbis Christi, Ioan 20. *Quorum remiseritis, &c.* quibus verbis voluit Christus obligare pœnitentem ad confessionem omnium mortalium. Dixi, *per se*, nam quasi per accidens, iusta causa intendente, in aliquibus casibus potest esse valida confessio non integra omnium mortalium, secundùm communem Doctorum, de quibus infra.

2 Aduertendum tamen est, confessionem posse dici, esse integram materialiter, & formaliter simul, vt contingit, quando quis intendit confiteri omnia mortalia, & illa verè, & realiter confitetur. Potest tamen dici, & esse formaliter tantùm integra, non verò materialiter, vt fieri potest, quando pœnitens habet quidem intentionem confitendi omnia mortalia, ex aliqua tamen causa iusta, non omnia confitetur, quo in casu confessio dicitur non integra materialiter, sed formaliter est integra, quia explicantur omnia peccata mortalia, quæ moraliter explicari possunt, ita vt nulla reticeantur absque iusta, & sufficienti causa. Differunt autem hæc, quia integritas formalis semper est necessaria; semper enim debet pœnitens intedere explicare, & reuera manifestare omnia, quæ possunt, & de quibus nulla intercedit causa, quæ ab eorum manifestatione excuset, vt patebit ex dicendis. Materialis verò integritas non semper est necessaria ad Sacramenti validitatem eiusque effectum. Tum quia in confessionibus ordinariis multa obliuiscuntur, & tamen Sacramentum perficitur. Tum quia in multis casibus, vt infra, non potest pœnitens integram confessionem facere; cùm tamen extremè indigeat hoc remedio. Tum denique quia præceptum de integritate est morale, morali modo obligans, ideoque tantùm locum habet, quando talis integritas exhiberi potest. Ob id etiam dixi initio, integritatem confessionis, per se loquendo, & ordinariè esse necessariam: præcepit itaque Christus absolutè confessionem integram formaliter, non verò materialiter, vt probant rationes allatæ. Videmus igitur in quibus casibus confessio non integra materialiter sit valida, & fructuosa.

3 Primus casus, in quo confessio non integra materialiter est valida, est in gratia pœnitentis, quando scilicet puer, aut rudis conticuit aliquod peccatum, ignorans tamen esse peccatum, quo in casu si ignorantia sit inuincibilis, seu culpabilis, confessio non solùm est valida, sed fructuosa, vt habet communis ex Suarez *disp.* 23. *sect.* 3. *num.* 2. & colligitur ex Trident. *sess* 14. *cap.* 5 illis verbis, *quorum memoriam habet*, & illis, *quorum post diligentem discussionem conscientiam habet.* Et ratio est, quia tunc talis omissio est inuoluntaria, & impotentia est moralis: & sicut talis ignorantia excusat ab alijs præceptis, ita ab integritate materiali confessionis. Quòd si ignorantia sit vincibilis, aut culpabilis, ita vt negligentia sit adeò magna, vt vel homo directè eam velit, vel moraliter reputetur nullam voluisse diligentiam adhibere; quæ quidem ignorantia dici solet affectata, & crassa, vel supina; tunc confessio etiam quoad substantiam nulla, & irrita erit; talis enim ignorantia æquipatatur voluntariæ scientiæ aliquid omittendi, vt ex communi Theologorum Suarez *sup. num* 4. At si ignorantia culpabilis mortaliter non sit adeò crassa, nec per se intenta, sed ignorantia quædam media, Sacramentum non erit fructuosum, seu gratia formatum, etsi tamen validum quoad substantiam, seu informe quoad gratiam, consequenter non erit iterandum, vt tenet Sotus *in* 3. *dist.* 19. *quæst.* 3. *art.* 3. Henriq. *lib.* 2. *de pænit. c.* 11. & omnes Doctores admittentes confessionem informem, quos secutus sum *sup. hoc. cap. dub.* 6. *num.* 3. Ratio est primò, quia talis confessio ex intentione pœnitentis est integra, eo quòd scienter nihil omittat, imò habet voluntatem dicendi omnia quæ omisit, & adhibet aliquam diligentiam, etsi non omnem, quam deberet. At quia vt supponimus, est culpabilis mortaliter, etsi talis confessio sit valida quoad substantiam, est tamen informis. Secundò, quia alioquin innumeræ confessiones repetendæ essent; nam constat experientia, eos qui semel in anno confitentur, raiò non omittere multa peccata, & non adhibere eam diligentiam, quæ opus esset, & sæpè esse culpabilem mortaliter, sed quia non cognoscitur negligentia huiusmodi, ideo tales confessiones reputantur validæ, & satis est, se accusare de negligentia, quod vt ita faciant, debet monere prudens confessarius: quare si contraria sententia practicanda esset; redderetur onus confessionis valde graue. Oppositam autem sententiam, quæ affirmat ignorantiam culpabilem mortaliter efficere etiam confessionem inualidam, securiorem existimant Suarez *disp.* 23. *sect.* 4. *n.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 5. *n.* 133. cum aliis: securè tamen sequi potest nostra sententia; nam hic ex intentione censetur fecisse debitam diligentiam, & integrè, validèque confiteri, quamuis sine fructu. Conueniunt tamen DD. vtriusque sententiæ, eum, qui putat ex ignorantia inuincibili se fecisse sufficientem diligentiam; cum tamen reuera non fecerit, ideoque omittit aliquod peccatum, facere confessionem validam, quia adhibet totam diligentiam, quam homo sic dispositus adhibere potest, & debet secundùm rectam rationem. Quòd si quis in ipsa confessione aduertat defectum suum, debet de eo se accusare, & poterit confessio esse non solùm valida, si negligentia illa suppleri possit per interrogationes confessoris, vel alia ratione. Si verò non possit suppleri, vt quia instat articulus mortis, vel necessitas vitandi scandali, tunc ignorantia illa, quæ antea erat culpabilis, fieret inculpabilis, ideoque Sacramentum esset fructuosum; communiter autem extra huiusmodi pericula differenda esset absolutio, vt pœnitens diligentiam suppleat, nisi confessor de præsenti suppleat. Filliucius *sup.* videndus *numero* 134. 135.

4 Aduerte, quod dictum est de ignorantia, idem eodem modo dicendum esse de obliuione, ideo de iis promiscuè loquuntur Doctores, vt videre est apud Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5 *sect.* 2. *p.* 2. *diff.* 4. §. 4. *n.* 2. & 3. Adnerte etiam, hunc pœnitentem, quando recordatur peccati obliti, aut defectus commissi in confessione propter obliuionem, aut ignorantiam teneri hæc confiteri, vt habet communis DD. & diximus *sup. c.* 6. *dub.* 3. nam peccata oblita, remittuntur indirectè, & cum hac obligatione.

5 Secundus est, quando quis facit confessionem generalem ex deuotione, quam non tenetur facere ex obligatione, aut præcepto, aut propter defectum substantialem potest silere quædam peccata mortalia, quæ præseferunt infamiam: imò quando confessio longa esset, potest quotidie absolui, vt potest contingere in Parocho, qui absque vlla obligatione repetit confessiones, qui interim quotidie celebrat; nam cum sint directè in aliis confessionibus absoluta, habent se vt peccata venialia, quæ omnia confiteri non tenemur, sed ea tantùm, quæ maluerimus. Syl. *confessio* 1. §. 4. & communiter DD. & dixi iu superioribus.

6 Tertius casus excusans ab integritate materiali confessionis est, quando confessarius aliquem defectum commisit in confessione, quem non potest explicare,

explicare, nisi suo confessario manifestet peccatum complicis in confessione auditum, modò necessitatem habeat confitendi, nec copiam habeat alterius confessarij, qui non cognoscat complicem; quia præceptum sigilli fortiùs obligat, quàm integritas confessionis. Sylu. *confessio* 1. *num.* 13. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 7. & cum multis Bonacina *suprà num.* 5.

7 An verò possit materialiter dimidiari confessio, quando pœnitens non potest explicare speciem sui peccati sine manifestatione personæ complicis, dictum est latè *hoc cap. dub.* 3. vide ibi.

8 Quartò, excusat impotentia pœnitentis non potentis loqui, aut manifestare omnia sua peccata, vt habet communis DD. nam cùm hoc præceptum integritatis sit morale, obligetque morali modo, obligat tantùm ad ea, quæ moraliter possibilia sunt. Ratione igitur impotentiæ excusantur multi ab integritate confessionis. Primò igitur absolui potest mutus, imò est absoluendus saltem tempore præcepti, qui nutibus peccata confitetur, quamuis illa confessarius percipere nequeat. Idem de pœnitente ignoti idiomatis, quamuis confessarius quædam non rectè intelligat, & hoc non tantùm in articulo mortis, vt existimat Medina *lib.* 1. *cap.* 7 *ad fin.* sed etiam extra illud, saltem tempore præcepti, Iubilei, aut magnæ festiuitatis, aut si eius saluti spirituali maximè conducat, hic, & nunc confiteri, modò non adsit alius Sacerdos, qui illum intelligat. Vide Lopez 1. *p. inst. cap.* 27. Eman. Sà *absolutio* Regin *lib.* 6. *num.* 155. Henriquez *dict. capit.* 12. *num.* 3. & cum aliis Bonacin. *vbi suprà num.* 6. non enim videtur Christum voluisse obligare ad integritatem materialem confessionis cum tanto incommodo. Secundò in procella maris, seu naufragio, aut grassante peste, vel irrumpente subito bello, aut si domus, vel turris plena viris flagrat incendio, possunt absolui pœnitentes, manifestato aliquo peccato, si præ temporis angustiis, & penuria confessariorum non possunt omnia manifestare: imò potest confessarius, tunc, audito à singulis vno peccato, omnes simul absoluere, dicendo: vos absoluo. Syl. *confess.* 1. *n.* 23. Suar. *disp.* 23. *sect.* 1. Coninch. *disput.* 7. *dub.* 9. *num.* 73. Henriquez *vbi sup num.* 3. & cum aliis Bonacin. *sup. num.* 17. Addit Vasquez *in* 3. *p. tom.* 4. *quæst.* 95. *dub.* 2. *art.* 2. *num.* 2. in tali casu teneri Sacerdotem ex charitate, vt aliis subuenire possit, confessionem non perficere: imò si non vellet, quia forsan scrupulo detinetur aut alia de causa, pœnitens, qui videret aliorum periculum, potest non perficere confessionem, imò tenetur, & quia teneretur aliis succurrere, nec detinere Sacerdotem. Ita Vasquez, quòd monet, vt attendat lector. Diana 2. *part. tract.* 16. *resol.* 43. Tertiò si infirmus morti proximus patiatur paroxismos, adsitque periculum decedendi absque absolutione, potest audito vno, aut altero peccato absolui, & deinde si fieri potest, reliqua confiteri, ad quod tenetur, vt confessio fit integra, quàm fieri potest. Caueat tamen confessarius in tali euentu, vt pœnitens prius fateatur aliquod peccatum mortale certum; nam vt benè aduertit Suarez *vbi suprà*, hoc expostulat reuerentia Sacramenti. Addit Henriquez *suprà in com. lit.* 1. & cum Bonacina *numer.* 19. posse infirmum, qui in explicatione peccatorum nimis fatigatur, absolui, antequam dicat omnia peccata. Idem dic, si postquam pœnitens fateri cœpit etiam vnum veniale, amisit loquelam, sensum, aut vsum rationis, aut incidit in amentiam; tunc enim absoluendus est, quia confessio ob impotentiam censetur moraliter integra. Ita Sotus *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 5. & alij.

9 Hucusque dicta videntur certa, & ferè communiter approbari à Doctoribus. Difficultas tamen est, an quando pœnitens non potest adhuc vnum peccatum explicitè, & clarè confiteri, sed tantùm in communi, ostendendo signa contritionis, stringendo manum confessarij, aut percutiendo pectus, aut manus, vel oculos in cœlum eleuando, aut aliud simile signum exhibendo in ordine ad confessionem, possit sacramentaliter absolui. Ad cuius intelligentiam notandum, supradicta signa exhiberi posse, præsente ipso confessario; aut eo absente coram alijs fidem facientibus, talem pœnitentem petiuisse confessionem, aut signa contritionis dedisse. Nauat. *cap.* 26. *num.* 27. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. & alij apud Henriquez *lib.* 4. *cap.* 1. *ad fin.* & *lib.* 6. *capit.* 10. *num.* 7. & apud Suarez *disputat.* 23. *sect.* 1. *num.* 5. existimant non posse absolui eum, qui solùm ostendit signa contritionis, etiam in præsentia Sacerdotis, quia sic non est confessio integra, & alia ex parte, confessarius, qui iudex est, non potest habere notitiam ad rectè iudicandum, & medendum. S. autem S. Thomas *opusc.* 65. *capit. de sacram. vnction.* Henriquez *libr.* 1. *de pœnitent. capit.* 9. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 7. *capit.* 5. *numer.* 120. & cum multis Suarez *disputat.* 23. *sect.* 1. *numer.* 5. & *seqq.* & Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. *diff.* 4. §. 4. *num.* 7. affirmant, si infirmus præbeat tantùm signa contritionis, seu pœnitentiæ in ordine ad illam confessionem, cum scilicet petendo, vel vocando Sacerdotem, vel signo aliquo id intendendo, potest absolui. Fundamentum est, quia datur confessio, seu accusatio sufficiens peccati generaliter per signa, vel per se ipsum, vel interpretem, per quam Sacerdos habet notitiam sacramentalem, etiamsi imperfectam; estque confessio formaliter, & ex intentione integra; quod sufficere dictum est supra, quando materialis non est possibilis. Et confirmatur, quia peccatum in genere potest esse materia confessionis, vt cùm quis recordatur se peccasse mortaliter, sed oblitus est cuius speciei fuerit; quo in casu non solùm potest, sed tenetur illud confiteri, vt docent S. Thomas *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 1 *ad* 1. Nauarr. *cap.* 10. *num.* 7 & alij, vt suprà dixi *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 6. ergo in nostro casu illa generalis accusatio erit materia sufficiens. Demum id apertè colligitur ex Concilio Carthag. 4. *cap.* 76. & refertur *in cap. Is, qui pœnitentiam in infirmitate* petit. 26. *quæst.* 6.

10 Ex his, secundam sententiam existimo probabiliorem, & in praxi valde tutam, posseque tunc absolui pœnitentem absolutè, & absque vlla conditione propter rationes dictas, vt docent citati. Adde cum Suarez *sup.* Henriquez *loco cit. cap.* 9. Filliucio *num.* 121. Bonacina *loco cit. vers. Addo.* & Diana cum aliis *part.* 3. *tract.* 3. *resol.* 1. confessarium non solùm posse tunc pœnitentem absoluere, sed etiam teneri ex charitate; nam cùm hæc sententia sit probabilior, & pœnitenti fauorabilis, non debet relinquere illum in statu damnationis, cùm fieri possit, vt per absolutionem efficiat illum de attrito contritum, illumque constituat in statu salutis; & ex alio capite nullam facit iniuriam Sacramento, eo quòd in tali casu, vt dictum est, datur materia, & accusatio, ideoque saltem ex charitate debet sequi opinionem pœnitenti fauorabilem. Quòd si moribundus non audiat, nec possit loqui, sed tantum pectus suum pulsat, suspirans oculos in cœlum tollit, vel respicit aliquam imaginem, vidente hoc Sacerdote, vel alijs testificantibus. Suarez *sup. num.* 11. Bonacina *sup. num.* 6. & alij apud Dianam 3. *part. tract.* 3. *resol.* 2. docent non posse, quia illa signa non censentur edita in ordine ad confessionem. E contra verò sentit Diana *loc. cit.*

quod

quod probabiliter sustineri potest, & dari absolutio sub conditione. Idem & consequentet asseris dicendum, Diana *sup. resol.* 3. cum Sancio *in select. disp.* 44. *n.* 31. *in fin.* quando dubitatur, an supradicta signa orta sint ex contritione, vel ex angustia mortis, quia absolutio sub conditione excusat à sacrilegio, & potest prodesse, & non obesse.

31 Adde cum authoribus secundæ sententiæ & cum multis Diana *supra resol.* 3. posse etiam absolui pœnitentem, qui absente confessario petiit confessionem, aut dedit signa pœnitentiæ, sed adueniente confessario ita sensibus est destitutos, vt nullum possit exhibere signum, quo indicet se peccasse, & velle sibi Sacramentum administrari; adstantes, autem fatentur ipsum dedisse signa contritionis, aut confessionem petiisse, quod confirmant rationibus allegatis *num.* 7. modò tamen absolutionem impendat, non in absentia, sed in præsentia talis pœnitentis, sic enim non dicitur absoluere pœnitentem absentem. Etenim is, de quo loquimur, per signa voluntatis confitendi, inchoauit confessionem in absentia, ac proinde perinde est, ac si confiteatur se peccatorem, dum petit confessionem, & absolutionem; ergo poterit absolui præsente Sacerdote, habito aliorum testimonio, ad quod sufficit vnicus testis, vt docet Sancius *sup. n.* 35. & cum eo Diana *loco cit. resol.* 5. quia non agitur de præiudicio tertij. Imò satis est, quod testis hic id manifestet confessario in absentia pœnitentis, modò tamen confessarius hac relatione facta absoluat pœnitentem in præsentia, & sub conditione, vt tenet *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 7. & Bonacina *tom.* 3. *disputat.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 33. *num.* 4. quidquid Diana 3. *p. tract.* 3. *resol.* 7 Parum enim refert, vt testis id dicat coram ipso pœnitente, an verò in absentia illius manifestet signa contritionis confessario, modò constet confessario moribundum petiisse confessionem, & illum absoluat in præsentia. Huic sententiæ fauet maximè cap. cit. *Is qui*, vbi dicitur is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrænesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam (id est absolutionem, vt ait Glossa) & si continuè creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Igitur poterit in tali casu pœnitens absolui; & cùm hæc opinio sit valde probabilis, & in fauorem pœnitentis, censeo cum Suarez *suprà* Filliuc. *loco cit. num.* 123. & Bonacina *sup. num.* 8. & Diana *loco cit. resol.* 11. practicè loquendo, teneri confessarium absoluere pœnitentem, propter rationes in superiori casu adductas, *vers. Ex his* modò tantùm proferat absolutionem sub conditione, videlicet, si præbuisti materiam confessionis, vel si, & in quantum potest, quia sic nullo periculo se exponit, & potest prodesse, & non obesse: & hanc sententiam, etsi oppositam iudicet veriorem Villalobos *tom.* 1. *tract.* 9. *diff.* 37. *num.* 6. *in fin* practicari posse affirmat, modò absolutio conferatur sub conditione; debet enim Sacerdos opinionem pœnitentis sequi in hoc casu, cùm probabilis sit, & in eius fauorem, & ex hoc nullum sequatur inconueniens. Limitatem ego hanc sententiam cum Henriquez *sup. cap.* 10. *num.* 7. modò, paulò antequam veniret Sacerdos, petierit pœnitens confessionem modo dicto; secus si mora esset longa nimis, vt per vnum diem; nam sic non censetur, moraliter loquendo, formam, & materiam esse simul. Quòd si adueniens confessarios inueniat infirmom omni sensu destitutum, tanquam truncum, nullo modo signa confessionis ostendere valens, nec adsunt qui fidem faciant, petiuisse confessionem, aut edisse signa contritionis, nullatenus est absoluendus à peccatis: in quo conueniunt Doctores, teste Henriq. *lib* 6. *cap.* 20. *num.* 9.) quidquid Corduba *lib.* 5 *q.* 25. *proposit.* 7.) & cum aliis tenet Diana 3. *part. tract.* 3. *resol.* 8. quia vt docet Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. absolutio est actus iudicialis, ac subinde requirit aliquam cognitionem causæ, & peccatorum, quæ in hoc casu nullo modo reperitur. Oppositum tamen videtur insinuare Valentia, Zerola, Reginald. cum S. Antonio, Zambrano, & aliis apud Bonacinam *vbi sup num.* 10. *vers. oppositum.* quod non est admittendum, quia hîc nulla datur confessio, nec signa confessionis, quidquid ij Doctores, si attentè legantur, & videre est apud Bonacinam *num.* 10. *cit.* videntur loqui, quando constat per testem, infirmum petiuisse confessionem, quod pertinet non ad hunc, sed ad secundum casum. Poterit tamen talis infirmus in articulo mortis constitutus absolui à censuris, & applicari illi indulgentia suarum Bullarum, vt docet Henriquez *vbi sup. num.* 10. & dixi in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *n.* 19. & dicam infra *cap. seq.* Hoc tamen pro certo habe apud omnes infirmum qui propter impotentiam dimidiate confessus est, aut per nutus, & signa contritionis, si postea loqui possit, teneri expressè confiteri omnia peccata omissa propter impotentiam, quia cum hac conditione, & obligatione fuerunt remissa, eo quòd teneamur peccata, quando possibile est, omnia expressè confiteri. Vide Bonacinam *vbi sup. num.* 9. vbi cum Suarez, & Reginald. aduertit pro praxi, quando pœnitens nequit omnia sua peccata explicare, curet confessarius, proferri sibi materiam certam quantumuis sit peccatum veniale, vt absolutio, quantum fieri possit, supra materiam certam cadat, & si habet etiam peccata mortalia, curet, vt priùs sibi explicet peccata, vel peccatum mortale, quia hoc est materia necessaria.

Nota, in casibus supradictis, quando secundùm probabilem potest dari moribundo absolutio, teneri ex charitate, imò ex iustitia, si est pastor, confessarium eam conferre; expedit enim hoc maximè saluti pœnitentis, imò potest esse necessarium, nam poterit facere contritum de attrito, præsertim cùm Sacerdos administrando Sacramentum cum opinione probabili nullam ei inferat iniuriam; ergo tenetur ex charitate illud tunc proximo administrare, & ita docent Suarez *tom.* 4. *disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 15. Coninch *disp.* 7. *dub.* 10. *n.* 106. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 5. *num.* 123. Vasquez *in* 3. *tom.* 4. *q.* 91. *artic.* 2. *dub.* 1. *num.* 58. vbi Sacerdotes volentes moribundum in tali casu absoluere, vocat reos, & necatores animarum, & cum aliis Diana 3. *part. tract.* 3. *resol.* 9. quî *resol.* 10. cum Vasquez *supra num.* 39. & Sancio *in select. disp* 44. *num.* 32. tenet, quando confessarius ex opinione probabili absoluit pœnitentem, posse eum absoluere absolutè, & non teneri absoluere cum conditione; quia ille, qui agens aliquam actionem putat se non peccare, absolutè potest eam exercere. Vnde Doctores docentes esse administrandum sub conditione loquuntur, quando est verè dubium, non verò quando datur de hoc opinio, vt confirmat cap. *de quibus in Baptismo*, vbi decernitur baptizandum esse sub conditione illum, de quo dubitatur, an sit baptizatus. Vide Sancium *vbi sup.* Nihilominus tamen poterit absoluere cum conditione, imò forte meliùs faciet, vt euitet aliquod periculum sacrilegij, cùm sic possit prodesse, & non obesse.

32 Quintò, excusat ab integritate confessionis impotentia confessarij absoluentis, quod contingere potest, quando instante morte, vt tempore pestis,

vel

vel instantis prælij pœnitens, & confessarius ita infirmantur, vt timeat confessarius morte puniendum esse, antequam omnia audiat peccata, tunc poterit taliter etiam infirmantem absoluere, si est in periculo aut articulo mortis, & ni speretur fore, alium confessarium commode, & opportunè venturum. Ita Henriquez *lib.5.c.12.n.3.* & cum aliis Bonacina *sup.n.19.* Hinc fit, quando infirmus laborat morbo contagioso & confessarius non potest ipsum, etiam à longè, absque periculo audire, diutius immorando in audiendis peccatis, vt possit auditis aliquibus peccatis, absolutionem statim impendere. Coninch *disp.7.dub.9. n.75.ad fin.* Bonacina *sup.n.13.* & alij.

13 Sextò, excusat ab integritate confessionis nocumentum seu damnum graue proprium, aut alienum. Ita communis Theologorum apud Suarez *disp.23. sect.2.* & Henriquez *lib. 2. de pœnit. cap.12. num.5.* Ratio est, quia præcepta positiua non obligant cum tanto periculo; tunc enim censetur impotens pœnitens ad confitendum tale peccatum. Debet autem nocumentum esse graue, & non leue, nam præceptum integritatis confessionis est grauissimum; vnde timor leuis damni non excusat, vt si pœnitens, ex eo quòd suo Parocho confiteatur aliquod graue peccatum, timeat habiturum de eo prauam opinionem; hoc enim damnum præterquàm quòd est leue, quasi per se, & immediatè sequitur ex confessione. Ita cum aliis Bonacina *supr. num.12.* Deinde timor periculi, & damni ex manifestatione alicuius peccati debet esse grauis, & probabilis, qui scilicet cadat in virum constantem, & prudentem: vnde qui non probabiliter timet graue periculum, sed tantummodo leuiter suspicatur, non potest in confessione reticere. Ratio est, quia præceptum integritatis, cum possidet, iudicandum est in illius fauorem. Henriquez *vbi sup.* Sotus, Reginald. & alij apud Bonacinam *loc.cit.*

14 Propter hanc causam excusatur ab integritate materiali confessionis, primò ille, qui timet ex manifestatione peccati periculum animæ, vt si fœmina timeat confessarium scandalizandum, aut se ab eo sollicitandam: quo in casu si ex tota confessione sequitur tale damnum, tenetur totam omittere; si solùm ex aliquo peccato, tenetur abstinere ab illius manifestatione, si non habeat copiam alterius confessarij, aut non speret fore, vt breui aduenturus sit confessarius, à quo non timet hæc incommoda Henriq. *vbi supra num.5. citat* Adde etiam, modò aliàs teneatur, vel licitè pro illo tunc confiteri possit, vt infra. Secundò excusat periculum vitæ ipsius pœnitentis, vt si pœnitens, occidit fratrem, aut fratrem ipsius confessarij, & timeat confessarium, deuenturum in notitiam casus, & excitaturum in confessarium inimicitias, & inde notabile damnum in vita, vel corpore. Henriquez & alij citati. Tertiò, excusat periculum grauis infamiæ, vt si pœnitens timeat, confessarium reuelaturum confessionem, aut aliàs eum infamaturum. Filliucius *vbi sup.num.124.* Nauarr. *in man. cap.7.n.3. & 4.* Villalobos *vbi sup. n.2.* Doctores citati, & alij communiter apud Suarez *disp. 23. sect.2.* ex D. Thoma *in 4. distinct. 17. q.3 art.3. quæst.4.ad 5.*

15 Notandum tamen, duo necessariò requiri, vt aliquis possit aliquod peccatum scienter reticere in confessione, propter causam excusantem *in 3. & 4* casu, & similibus. Primum est, quòd alter non possit confiteri; nam si potest commodè quærere alium confessarium, qui non cognoscat pœnitentem, aut cessent damna supra dicta, ad id tenetur; obligat enim tunc integritas confessionis. Secundum est, vt adsit grauis necessitas confitendi, aliter enim tenetur differre confessionem. Censetur autem grauis necessitas: primò articulus mortis, quia tunc obligat necessitas propriæ charitatis, & alioqui potest vtrique obligationi satisfacere per confessionem formaliter integram. Secundò in Paschate, quando ex præcepto tenetur confiteri. Tertiò, si adsit necessitas recipiendi sacram Eucharistiam, vel celebrandi Missam, & non potest prætermitti talis perceptio sine graui scandalo, aut incommodo. Quartò, cum timetur infamia propria, vel simile incommodum, nisi confiteatur eo modo quo potest; tunc enim potest omittere peccatum, vel peccata, quæ possunt afferre nocumentum, quamuis si tantùm sequatur infamia propria, posset cedere iuri suo, & ita potiùs non confiteri, non tamen tenetur. Quintò, quando est magna vtilitas confessionis, etiamsi non sit necessitas, vt in tempore magni Iubilei, aut si multo tempore differenda esset confessio. Cessante ergo aliqua ex causis dictis, vel alia simili, tenetur pœnitens differre confessionem; quia tunc commodè seruari potest integritas. Ita Filliucius *tom.1. tractat.7.cap.5. num.125.* cum Suarez *disp.23.sect.1.* Tenetur tamen pœnitens in iis, & similibus casibus confiteri omnia alia peccata mortalia, tacito illo, vel illis, ex quorum confessione sequuntur nocumenta hucusque dicta, vt benè Suarez *vbi sup. num 6. & 7.* Villalobos *diff. citat.num.3.* & alij. Ratio est quia integritas confessionis seruari debet eo meliori modo, quo possit: quare tunc non liceret totam confessionem omittere, & contritum communicare, vt quidam existimant apud Henriquez *lib.5.cap.12.num.5. littera X.* Limitari tamen potest, nisi ex tota confessione sequeretur aliquod ex dictis nocumentis, vt si timeatur confessarium reuelaturum, aut pœnitentem solicitaturum, aut si non habet aliud, vel alia peccata præter ea, quæ reticere licet: & ex quo sequuntur prædicta nocumenta. At si præter illud peccatum mortale habet peccata venialia tantùm, poterit (& consultiùs id faceret) ea confiteri, si Eucharistiam sit recepturus; per se tamen loquendo, non tenetur ad id vt cum Suarez, Reginaldo, & aliis tenet Bonacina *tom.1. disput.5.quæst.5 sect.2.punct 2.§.4.diff.4.numero 16.* quia non est præcepta confessio de peccatis venialibus, sed mortalibus: vnde poterit tunc vel omittere confessionem, si reputet se contritum, vel confiteri venialia. Ita etiam Filliucius *vbi supr. numer.125.* qui *vers. Tertiò.* aduertit, & rectè, si pœnitens existat in articulo mortis, probabilius esse, vt tunc confiteatur venialia, & recipiat Sacramentum, prout potuerit, ne se exponat periculo damnationis æternæ.

16 Nota etiam, eum, qui habet iustam causam reticendi aliquod peccatum, iuxta superius dicta, non posse plura reticere, quàm postulat iusta causa, seu periculum probabiliter imminens: vnde si habeat iustam causam reticendi furtum externum, tenetur confiteri se habuisse voluntatem surripiendi, nisi etiam ex hoc sequeretur periculum; idem in aliis peccatis, nam confessio debet esse integra, quantum fieri potest. Ita Coninch *disp.5.dub.9 numer.95.* & cum aliis Bonacina *sup.num.20.* vbi colligit, eum, qui solùm habet peccatum reseruatum, posse in necessitate communicandi confiteri actum internum, & ab eo absolui, quamuis pœnitens adhuc retineat obligationem præsentandi se coram superiore pro reseruatione.

17 Sed quæres, an quando peccatum aliquod in prædictis casibus omittitur, sit statim primo quoque tempore confitendum Sotus *in 4. dist.18. q.2. articul.5. ad 3.* respondet affirmatiuè; aliter enim, inquit,

inquit, non adimplet præceptum annuæ confessionis. Verius tamen est non teneri, nisi tempore mortis, aut instante præcepto annuæ confessionis, vt tenent Suarez *disput.23. sect.2.* Filliucius *supr num.* 126. & Villalobos *supra num.* 3. Bonacina *loco citat num.* 11. Ratio est, quia per talem confessionem seruatum est præceptum Ecclesiasticum, quod solùm determinat diuinum: & confirmatur, quia ita se habet peccatum ex causa omissum, sicut oblitum, at hoc satis est, si legitimo tempore manifestetur; ergo, &c.

Dvb. VIII.

An possit dimidiari confessio ratione alicuius peccati reseruati: seu an superior possit, auditis solis reseruatis, Sacramentaliter absoluere, & committere reliqua inferiori, & inferior, auditis omnibus, absoluere à non reseruatis

Hvic dubio satisfaciemus commodiùs infra *capit.* 11 *dub.* 7. vide etiam Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *quæst.* 9. & 10. Villalobos *p.* 1. *tract.* 9. *diff.* 4. & Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. *§.* 3. *per totum.*

Dvb. IX.

Quandonam sit iteranda confessio.

1 Obligatio reiterandi confessionem oriri potest ob defectum ex parte pœnitentis: vel ob defectum ex parte confessarij.

2 Dico igitur primò, ob defectum ex parte pœnitentis iteranda est confessio. Primò, si pœnitens nullum habeat dolorem, qui sit contritio, vel attritio. Ita communis, nam vt dictum est *hoc libr. cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 4. dolor, qui sit contritio, vel attritio, est pars essentialis huius Sacramenti: vnde non sunt audiendi Victor. & Cano apud Henriq. *lib.* 2 *de pœnit c.* 13. *n.* 1. & 2. existimantes, confitentes absque vllo dolore adimplere præceptum Ecclesiæ, nam cum Sacramentum sit nullum, & irritum, non potest per illud satisfieri præcepto, & ex alio capite Ecclesia talem confessionem præcepit, qualem Christus instituit, videlicet cum detestatione, seu dolore peccati: vnde fit, vt præcipiendo confessionem, consequenter præcipiat dolorem illi essentialem, sicut quando præcipit recitationem diuini Officij, consequenter præcipit attentionem illi annexam, vt dixi in Decalogo *lib* 1. *cap.* 7. *dub.* 17. Erit igitur confessio iteranda, si pœnitens non habuit attritionem veram, vel saltem bona fide existimatam. Dixi, *existimatam*, quia vt dixi *hoc cap. dub.* 6 *num.* 5. & *c.* 5. *dub.* 5. *num.* 2. valde probabile, & tutum mihi est, attritionem existimatam, modo vt ibi explicatum est, sufficere ad Sacramenti validitatem, non verò ad eius fructum, hoc est, ad hoc vt sit informe quoad gratiam, validum tamen quoad substantiam, consequenter non esse iterandam.

3 Secundò iteranda confessio, si pœnitens absque causa excusante, scienter omisit aliquod mortale, vel circunstantiam necessariò explicandam: est commune, & euidens; nam vt latè supra dictum est *dub.* 3. iure diuino tenemur omnia peccata confiteri, regulariter loquendo, & iusta causa cessante, de qua *dub. anteced.* cùm ergo peccata illa, etiam confessa, non sint remissa per claues, & nullum aliud sit remedium de lege ordinaria ad illa remittenda, nisi pœnitentia, ideo iterum erunt subiicienda clauibus, seu confitenda. Dixi, *scienter*, nam si ex ignorantia inuincibili illud omisit, confessio erit valida, & fructuosa, cum obligatione tamen confitendi peccatum oblitum, quando in mentem venerit: si autem ignorantia, seu negligentia fuerit culpabilis, seu vincibilis, modò non sit nimis crassa, & affectata: confessio erit informis, hoc est sine gratia, validè tamen quoad substantiam, consequenter non iteranda, sed sufficit, vt defectus, quando dignoscitur, confiteatur, vt dixi *dub anteced. numer.* 3. & *dub.* 6. *de confess. infor.* Ex his infertur, iterandam esse confessionem, si pœnitens statuat non confiteri aliquod peccatum, nisi interrogatus, nam integrè sic confiteri non potest. Valeret tamen, si minus paratus accederet, cupiens, & confisus, vt confessarius interrogationibus suis negligentiam illius suppleret, ita vt si aduertat, eum non rogasse de quibusdam, quæ fecit, dicat illa sponte. Nauarr. *cap.* 9. *num.* 13. Iteranda tamen est confessio, si ita palliatè confessus est, vt quæ sunt mortalia, videantur venialia, aut longè minora, vt dixi *hoc cap. dub.* 2. *numer.* 16. Nec valet confessio, si ex magna negligentia, & crassa ignorantia omisit debitum examen pro longa confessione, nisi defectus suppleatur industria confessarij, vt dixi *hoc cap. dub.* 3. *numer* 10. & docet Nauarr. *capit.* 9. *numer.* 12. & 13. præsertim si defectu examinis oblitus sit multorum peccatorum, censurarum, & restitutionum. Vide Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 13. *num.* 3.

4 Tertiò iteranda est confessio, quando pœnitens non habuit animum acceptandi pœnitentiam, seu satisfactionē, & eam acceptatam non adimplendi, nam vt dictum est *sup cap.* 2 *dub.* 2. *num.* 6. & dicitur *cap.* 7. *seq dub.* 2. virtualis satisfactio, seu propositum satisfaciendi est de essentia huius Sacramenti, at qui non habet animum acceptandi satisfactionem, aut acceptatam non adimplendi, non habet virtualem satisfactionem, nec propositum satisfaciendi; ergo, Quod si acceptauit pœnitentiam animo eam implendi, sed postea ob negligentiam, vel quia illius est oblitus, potest in hoc peccare, vt infra dicetur *cap. seq. dub.* 4. *num.* 5. non tamen tenetur iterare confessionem, vt docent Nauarr. *cap.* 9. *num.* 14. Henriquez, pluribus adductis, *vbi sup. n.* 4. Filliuc. *tom.* 1, *tract.* 7. *cap.* 4 *n.* 97. quia talis confessio fuit valida, & remisit peccata sine dependentia à futura satisfactione. Nec tenetur pœnitens substituere aliud loco pœnitentiæ oblitæ, aut in aliud commutare, quia humana præcepta ad hoc non obligant, vt patet in voto, vel ieiunio, ad quod quis factus est impotens. Ita Filliucius *loco cit.*

5 Quartò, iteranda est confessio, quando pœnitens excommunicatus scienter vult absolui, & absoluitur prius à peccatis, quàm ab excommunicatione. Ita communis; nam hic actualiter peccat in cōfessione, eo quòd excommunicatus, vt sic, prohibitus sit suscipere Sacramenta. Dixi, *scienter*, nam si ignorat inuincibiliter esse excommunicatum, aut prius esse absoluendum ab excommunicatione, quàm à peccatis, valida, & fructuosa erit confessio; quia hic tunc non peccat, & alio ex capite excommunicatio non facit incapacem absolutionis. Bonacina cum aliis *tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 3. *num.* 5. Quòd si talis ignorantia sit crassa, vel culpabilis, si non sit nimis crassa, & affectata, confessio erit valida quoad substantiam, seu informis, non verò erit iteranda. Nauarr. *capit.* 9. *num.* 3. & 4. vide *hoc dub. vers. Secundò*. censetur enim hic esse in bona fide, quæ et si non sufficiat quoad fructum, sufficit tamen quoad Sacramenti validitatem, & ad hoc vt non teneatur illud iterare. Nec tenetur iterare, si manifestans

censu

censuram confessario, ab ea ob ipsos negligentiam non priùs absoluitur, quia fecit quod in se est.

6 Quintò, est nulla, & iteranda confessio, si pœnitens Sacerdotem non paratum iudiais, quem sciebat non esse ministraturum absque peccato mortali, eo quod iacebat in concubinatu, vel erat nominatim excommunicatos, suspensus, aut interdictus, vel notorius clerici percussor. Nauarr. *cap.9. num.7.* & communis; nam hic in actuali confessione, dum durat semper peccat mortaliter. Limita, nisi adsit necessitas suscipiendi hoc Sacramentum, vt latiùs dixi in expositione Bullæ §.7. *cap.1. dub.21. à num.4.* & *sup.lib.1.cap.5.dub.4.*

7 Sextò, tenetur pœnitens iterare confessionem, si in ea materia necessaria mentitus est; ita vt tale mendacium sit peccatum mortale, iuxta ea quæ dixi *hoc cap.dub.13.num.2.* Idem dic, si non habuit intentionem suscipiendi Sacramentum; valet tamen, si cordatus petiit, aut bona intentione confessus est, & in phrænesim versus absoluitur, quando caret vsu rationis, vt supra dictum est. Vide Henriquez *lib.2. de pœnit.cap.13.n.7.* & *lib.de Sacram.c.22.* Dices, quid si confiteatur maiorem numerum peccatorum, quàm commisit, v.g. si dicat se decies peierasse, cùm tantùm quinquies peierauerit. Respondeo, si maiorem numerum mortalium mala fide expressit, peccauit mortaliter, & tenetur confessionem iterare, quia mentitus est in re graui. Si autem id bona fide fecit, non peccauit mortaliter, nec tenetur postea, si recordatur minoris numeri, illa peccata confiteri; quia secunda confessio esset potiùs excusatio: quàm accusatio: & ex alio capite non decepit confessarium; nam confessarius ferens iudicium circa maiorem numerum, fert etiam illud circa minorem in maiori contentum. Nec peccat mortaliter nec tenetur confessionem iterare, si maiorem numerum venialium bona, vel mala fide expresserit; quia non decepit confessarium in materia necessaria. Bonacina *tom.1. disp.5.quæst.5 sect.2.punct.3.n.7.*

8 Dico secundò, ob defectum confessarij iteranda est primò cõfessio, si non habet characterem sacerdotalem (& à fortiori si non est baptizatus) quia character sacerdotalis est fundamentum substantiale, & essentiale potestatis, seu iurisdictionis ad absoluendum validè à peccatis; sic Diaconus etiam in articulo mortis ab iis absoluere non valet, vt tenet communis; & dicetur infra *c.10.dub.2.* Etenim Christus Dominus, Ioan.20. Apostolis iam ordine sacerdotali initiatis hanc potestatem contulit.

9 Secundo, si Sacerdos non habeat iurisdictionem ordinariam, aut delegatam; nam vt habet communis, & constabit infra *cap.10.dub.2.num.7.* absolutio collata à non habente iurisdictionem est inualida, nisi forte communi errore, & titulo colorato credator habere iurisdictionem, vt constabit infra, & dixi in expositione Bullæ §.7. *c.1.dub 4.n.9.* & in Decalogo *lib.8.capit.1. dub. 10.* & docent Henriquez *lib.2. de pœnit.capit.14.* Lessius *lib.1.capit.29.dub.8.* Sanchez *in sum.lib.1.cap.9.* Suar. *3.p.tom.4. disp.26.* & cum aliis Bonacina *tom.1. disput.5. quæst.5. sect.2. punct.3.n.11.* & vbi de matrimonio *quæst.2.punct.8.* quia in hoc casu supplet Ecclesia iurisdictionem, quam supplere potest, vt etiam supplet, quando confessarius nititur opinioni probabili asserenti, eum in aliquo casu habere iurisdictionem, quamuis alij asserant, illum ea carere. Similiter valet absolutio, si ignoratur Papam reuocasse Bullam, aut Episcopum reuocasse licentiam Vicarij temporalis: adest enim titulus coloratus, & error communis; & ea alio capite gratia concessa non expirat ante certificationem reuocationis: sic etiam valet sententia iudicis, quando titulo colorato putatur legitimus. Vide Henriquez *dict. cap 14. num 1.2.* & *3.* Nauarr. *capit.9. num.8.* Syluest. *confes.1.§.19.* Ex his patet, iterandam esse confessionem factam confessario, etiam Parocho nominatim excommunicato, suspenso ab officio, vel manifesto Clerici percussore. Nauarr. *capit. 27. num. 25.* & communiter Doctores, vbi de censuris; carent enim ij iurisdictione: limita, nisi pœnitens casus in articulo, vel periculo mortis, & non adsit alius Sacerdos, etiam simplex: vel nisi adsit titulus coloratus, & error communis populi.

10 Tertiò iteranda est confessio, quoties non habuit absoluendi intentionem, vt de se patet, quia hæc est de necessitate Sacramenti, vt dictum est *lib. 1. cap.3.dub.2.num.3.* Sic non valet absolutio, quando dormitans, vel ebrius, vel amens sine humana intentione, vel vsu rationis absoluit; quamuis pœnitens sit dignè dispositus; hoc enim præceptum non est de faciendo quod in se est, sed de verè recipiendo. Nauarr. *cap. 9. num.9.* Henriquez *vbi sup. num.6.* & Doctores communiter. A fortiori non valet absolutio, si non protulit veram formam; vel si desit sine causa absolutionem.

11 Quartò, iteranda est confessio scienter facta confessario, qui adeò ignarus est, vt non sciat inter mortale, & veniale, reseruata, & non reseruata distinguere. Nauarr. *capit. 9. num.9.* Syl. *confes. 1. num. 6.* & alij communiter. Aut si confessarius est omnino ignarus ignoti idiomatis, aut si confiteatur confessario dormienti, omnino surdo, aut non aduertenti. Ratio est, quia in iis casibus talis confessarius nullum officium iudicis cum causæ cognitione exercet. Dixi *scienter*, quia si bona fide confessus est ignoranti, seu minus idoneo, quem postea nouit nescijsse distinguere inter mortalia, & venialia, vel reseruata. non videtur cogendus iterare confessionem, quia ille confessarius potuit, & voluit benè dispositum absoluere, quamuis defecerit imprudentia circa medicinam, & satisfactionem imponendam. Henriq. *sup.num.5.* Corduba *casu 9* Syl. *verb. Confessio.1.num.3.* Sanchez *vbi sup.num.69.* Bonacina *loco citat.num.14.* & *quæst.7.punct.4.§.2. num.13.* & *14.* & dicam infra. Similiter si pœnitens non aduertiat, confessarium inter audiendum peccata dormitasse, aut distractum fuisse, ideo non audiuisse aliqua peccata, recipit Sacramentum, & eius fructum. Nec tenetur repetere ofli ea peccata (quando id ei constiterit) quæ putat Sacerdotem non audiuisse, Nauarr, Syl. & alij.

12 Hinc colligitur, eum, qui integrè confessus est peccatum, quod ipse dubitabat esse mortale, & postea certò cognoscit esse tale, non teneri illud iterum confiteri: tum propter rationem in conclusione allegatam: tum quia ad validitatem confessionis non requiritur, vt pœnitens, aut confessarius sciat determinatè, peccatum manifestum esse mortale, alioquin nullus reperietur aptus ad confessiones audiendas, aut faciendas, cum nullus plenè sciat omnes circumstantias, & grauitatem omnium peccatorum. Sanchez *loco citat.* & cum aliis Bonac. *tom.1.disput.5. q.5.sect.2.punct.3.num.14.*

13 Sed quæres, an qui reperit confessionem inualidam, teneatur sigillatim omnia peccata repetere, & recensere. Respondeo, si iteratur apud distinctum confessarium, certum est esse omnia, & singula repetenda. Ratio est, quia non fuerunt remissa per claues, ideo eis sunt subijcienda, cùm nullum aliud sit medium, vt sæpè dictum est; aliter enim confessarius, qui iudex est, non potest absolutionem sacramentalem impendere, nisi causam cognoscat, cum sententia non feratur

feratur in incognita. Si verò iteratur apud eundem confessarium, non tenetur pœnitens singulariter peccata repetere, sed sufficit se in communi de illis accusare, dicendo: accuso me de omnibus peccatis illius, vel illarum confessionum, subiunctis tamen in prima confessione prætermissis, & aliis post illam confessionem commissis: sic enim sufficienter induceit confessarium in cognitionem sui status, ita vt possit de illo iudicare, censetutque confessio præterita moraliter præsens. Hoc tamen limita, modò confessarius aliquo modo, saltem in confuso, & in genere recordetur status pœnitentis, vel saltem pœnitentiæ iniunctæ à se; aliter enim tenetur tunc pœnitens singula peccata repetere, cum præcedens confessio ita se habeat, ac si facta non fuisset. Nanarr. *c.9.num.* 19. Sylu. *confessio.* 1.*quæst.* 3. Coninch. *disp.* 7. *dub.* 11.*n.*109.*& disp.*10.*dub.* 12.*num.*102. Suarez *disput.* 12.*sect.*6.*ad finem.* Henriquez *libr.*5.*c.*4.*num.*4. & cum aliis Bonacin. *vbi sup. num.* 15. Non tamen est improbabile, quando confessarius est vtriusque immemor, sufficere illius memoriam refricare dictis grauioribus peccati speciebus. Henriquez *sup.c* 15. *num.*4. Imò nec est improbabile sufficere, vt pœnitens in genere se accuset eidem confessario de peccatis manifestatis in alia confessione, etiamsi oblitus sit pœnitentiæ, & status pœnitentis, vt tenet Emanuel Sa *verb. Confessio. num.* 4. Medina *quæst.* 24. *de confessione.* & alij. Ex his colligitur, quando pœnitens multis vicibus longam facit confessionem, posse in vltima vice absolui, etiamsi confessarius tempore absolutionis non recordetur omnium peccatorum in particulari, quia sic sufficienter notus est confessatio status pœnitentis, & omnes aliæ confessiones moraliter sunt præsentes. Suarez *disp.* 18. *sect.*4. *num.*3.*&*.10. Reginald. *lib* 8.*cap.*1.*n.*11. & cum aliis Bonacioa *sup.num.*16. qui *n.*17. consequenter docet, eum, qui confessus fuit cum Sacerdote non habente facultatem absoluendi, sufficere, vt quando illam habeat, confiteatur, & se accuset in genere de peccatis antea illis confessis, modò cõfessarius aliquando recordetur status pœnitentis.

14 Nota tamen, eum, qui inualidè scienter confessus fuit, v. g. quia præ verecundia siluit aliquod peccatum mortale, si postea tempore præcedente eius rei oblitus, bona fide, & debito præmisso examine confitetur, has confessiones bona fide factas, esse validas, & non iterandas, sed solum teneri iterare eas, quas mala fide fecit, vt benè docet Emanuel Sà *verb. Confessio num.* 9. & cum Vasquez Bonac. *vbi sup. num.*6.*in fine.*

15 Nota etiam, in generali confessione, quando iterantur confessiones aliàs validæ, potest quis grauiora peccata dicere, & alia reticere, vt dixi *dub. anteced. vers. Secundus est.* Nec fallit confessarium, quamuis id ei non explicet; inde mendacium est permissum, imò nec mentitur, cum non teneatur hæc peccata confiteri. At si quis sic confitendo occultare grauia peccata vult Prælatum decipere, vt ei bonus appareat, & indignè Beneficium consequatur, peccat mortaliter. Non tamen est peccatum mortale, si finis aliàs non sit malus, ob verecundiam, vel ad conseruandam bonam famam, confiteri grauiora peccata cum confessario ignoto, relicto familiari, & postea familiari culpas leues, imò hoc aliquando expedire potest. Nanarr. *capit.* 21. *num.*40. Henriq. *lib.*5.*cap.*15.*num.*6.

16 Nota deinde, expedire semel, aut bis facere confessionem generalem; nam temporis progressu melius scit homo speciem, grauitatem, numerum, & occasiones peccatorum distinguere. Caueat tamen confessarius duro præcepto compellere pœnitentes, vt iterent confessiones præteritas, sine certa ratione, quæ obligat. Ego autem soleo ad me venientes; & volentes confessionem generalem facere, ita examinare. Primò, an quacunque confessione mediocriter examinauerint suam conscientiam. Secundò, an habuerint dolorem de peccatis. Tertiò, an proposuerint vitare futura. Quartò, an sine iusta causa siluerint aliquod peccatum mortale, vel circunstantiam necessariam. Demum si fortè erat in occasione peccandi, an eam vitauerit, cùm potuerit. Igitur si pœnitens respondeat sufficiter peccata præmeditatum fuisse; dolorem habuisse, ac propositum non peccandi; nullum de industria, & sine iusta causa peccatum tacuisse, ac demum rectè occasionem vitasse, non obligo illum (nec est obligandus) ad repetendas confessiones, seu ad faciendam confessionem generalem. Imò nec facilè sunt admittendi, si eam semel, aut bis fecerint, quia in multis datetur occasio scrupulis. Quòd si dicat nullum ferè fecisse examen, vel nullum dolorem habuisse, vel non proposuisse vitare futura, vel de industria peccatum celasse, ac demum occasionem non vitasse, iteranda est necessariò confessio, quamuis vnum ex his deficiat, quia fuit nulla, & inualida.

CAP. VII.

De satisfactione, seu de tertia parte pœnitentiæ.

1 NOta, satisfactionem posse sumi (vt sæpè à Doctoribus sumitur) genericè, & nimis amplè, videlicet pro compensatione damni illati in bonis, aut in persona proximi, vt in honore, & fama, quomodo coincidit cum restitutione, de qua dixi latè in Decalogo *lib.*7. *à cap.* 6. Secundò sumitur pressè, & magis propriè, prout significat recompensationem iniuriæ factæ proximo, non in bonis, sed in persona: de qua etiam dictum est *dict. c.*6. *dub.* 1. Tertiò sumitur propriissimè hic à Doctoribus pro recompensatione iniuriæ factæ Deo per peccatum; & cùm in peccato reperiantur duo: primò culpa: secundò pœna, quæ aliquando manet, ablata culpa, & consequenter est temporalis, ideo duplex satisfactio potest versari circa Deum, vna pro culpa, & offensa, & hæc fit per contritionem, & pœnitentiam, de qua dixi *hoc lib. cap.*4.*&* 5. dum de contritione, & remissione peccatorum ageremus. Altera pro pœna temporali remanente post remissionem peccati: de qua agunt hic Theologi, & erit nobis sermo, & hæc potest esse duplex; altera, quæ fit extra Sacramentum ex opere operantis: altera in Sacramento ex opere operato, quæ dicitur, & est pars Sacramenti pœnitentiæ.

DVB. I.

De satisfactione, quæ fit extra Sacramentum.

DE hac satisfactione dixi multa in expositione Bullæ *lib.*4.*dub* 5.6.*&* 7. & in Decalogo *lib.*1. *cap.*9. *dub.* 4. *& seq.* proinde hic pauca, eaque huic instituto accommodata attingemus.

2 Dico primò, satisfactio, quæ fit extra Sacramentum, est voluntaria solutio, & compensatio iniuriæ Deo per peccatũ illatæ, cũ proposito non peccandi, &

& confitendi. Colligitur hæc definitio ex cap. *satisfactio de pœniten. dist.* 3. & S.Thomas *quæst.* 12. *add. art.* 3. & habetur communiter apud Doctores. Dicitur primò, *voluntaria solutio*, quia est actus virtutis qui debet esse voluntarius: etenim sicut peccator voluntariè peccauit, sic etiam debet esse sui ipsius voluntarius vindex; sufficit tamen ad hoc voluntarium, & ad satisfaciendum, libera flagelli acceptatio, & mali patiens toleratio, ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 9. *Can.* 13. S. Thom. *quæst.* 15. *add artic.* 2. & communis Doctorum, & constabit infra *conclus.* 4. *num.* 9. Dixi secundò, *compensatio*, quia satisfactio importat, & dicit aliquam proportionem. Tertiò, dixi, *iniuria illata Deo per peccatum*: tum vt intelligas differentiam inter restitutionem, & satisfactionem; nam restitutio constituit æqualitatem in rebus, & bonis, satisfactio verò in actionibus, id est, in iniuriis, & offensis. Tum etiam ad denotandum, obiectum huius satisfactionis esse peccatum quoad pœnam temporalem; seu pœnam temporalem; nam culpa tollitur per contritionem; reatus verò pœnæ temporalis, in quam commutatur æterna, per satisfactionem. Dixi, *cum proposito, &c.* intellige de formali, aut virtuali, vt dixi supra de contritione. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 8. *c.* 1. *n.* 1. vide Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 18.

2 Dico secundò, satisfactio valet, seu prodest ad remissionem pœnæ temporalis: est de fide ex Trid. *sess.* 14. *c.* 8. *&* 9. vt latè probat ex Scriptura, & Patribus Suar. *tom.* 1. *in* 3. *p. disp.* 33. *sect.* 5. nam cum homo sit in hac vita viator, ideo oportuit illi concedi modum, tempus, & locum, quo posset animum perfectè purgare ab omni culpa, quod fit per satisfactionem, adiuncta gratia. Deinde, quia plus est mereri vitam æternam, quàm consequi remissionem pœnæ temporalis; at primum potest homo consequi in hac vita; ergo, & secundum. Hinc fit, hominem iustum per sua opera absolutè satisfacere posse pro suis peccatis: constat ex Trid. *vbi sup.* vbi docet nos verè esse, qui satisfacimus per virtutem, & sufficientiam acceptam à Christo: etenim maius est mereri, quàm satisfacere, sed verè meremur; ergo, & vere satisfacimus.

3 Dico tertiò, ex parte satisfacientis, vt illi prosit satisfactio, duo requiruntur. Primum est vt homo sit in gratia, ita communis Theologorum apud Suarez *sup. sect.* 2. & constat ex Trid. *sess.* 14. *c.* 8. *& Can.* 13. *&* 14. vbi definitur, satisfactionem hanc pro pœna temporali, non esse opus nostrarum virium, sed gratiæ datæ per IESVM CHRISTVM, in quo omnis sufficientia est. Et ratio est, quia pœnæ huius vitæ per se sumptæ non habent proportionem cum pœna vitæ futuræ; ergo per se non habent valorem, vt illam remittant; ideò necessaria est gratia, à qua hunc valorem accipiant. Hæc autem gratia debet esse sanctificans, quia debet conferre dignitatem personæ, à qua ipsa sanctificatio recipit valorem suum. Ex quo fit, hominem existentem in peccato mortali non posse satisfacere, etiam pro aliis peccatis iam remissis. Item, durante culpa veniali, non posse quempiam satisfacere pro pœna illi debita: potest tamen homo iustus si plura peccata sint illi remissa, & pro singulis supersit aliqua pœna subeunda pro parte pœnę satisfacere quandò non persoluat totam. Fit etiam eum, qui moritur in peccato mortali, non posse satispati in alia vita, pro pœna debita peccatis dimissis, quia illa pœna in inferno non est voluntariè acceptata, nec refertur in honorem Dei, & satisfactionem pœnarum. Filliucius *sup. num.* 8. vide Suar. *loc. cit. sect.* 2. *n.* 10. Secundò requiritur ad satisfaciendum pro pœna temporali, vt homo sit viator. Ratio est, quia ita Deus ordinauit, nam quãdiu homo hic viuit, est quasi in certamine, & palæstra: in alia autem vita ponitur quasi in carcere, & ideo potest quidem satispati, non verò satisfacere. Item, sicut homo in hac vita corpore liberè vsus est ad peccãdum, ita dum in eodem agit pœnitentiam, eodem vtitur ad vindictam, ideoque quandiu viuit, potest seipsum iudicare, postea verò à Domino iudicabitur, & non erit ampliùs tempus commutandi pœnam; sed exequendi sententiam. Filliucius *supra num.* 9. & alij communiter.

4 Dico quartò, ex parte operis satisfactorij requiritur primò, vt sit liberum, vt late cum communi Suarez *supra sect.* 3. Tum quia est effectus virtutis pœnitentiæ, quæ eo ipso quòd virtus est, debet esse voluntaria. Tum quia sicut peccator dignus est pœna, eo quòd voluntariè peccauit; ita debet peccatum compensari voluntaria pœna. Secundò, debet opus esse morale bonum, & honestum. Ratio est, quia satisfactio est effectus diuinæ gratiæ acceptantis per Christum nostras satisfactiones; Deus autem non acceptat id, quod malum est. Non est autem necesse, vt formaliter sit bonum supernaturale, sed satis est, si imperetur ab actu supernaturali. Nec requiritur vt procedat ex formali intentione satisfaciendi, sed sufficit, vt procedat ex quacumque voluntate placendi Deo, aut suæ salutis: nam sicut ad merendum satis est, vt quis faciat opera digna mercede, ita ad satisfaciendum sufficit facere opera digna satisfactione. Nullus enim est, qui virtute non intendat consequi apud Deum suis operibus omnem spiritualem effectum proportionatum. Filliucius *sup. n.* 10. 11. *&* 12. vide Suarez *d. sect.* 3.

5 Dico quintò, potest satisfacere iustus non solùm per opera consilij, sed etiam præcepti. Ita cum multis Suarez *sup. sect.* 4. *n.* 3. contra Paludanum, & Maiorem. Nauarr. ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 20. *&* 16. Implendo diuina præcepta meremur vitam æternam; ergo etiam satisfacimus, nam vt communiter docent Doctores, omne opus meritorium est satisfactorium. Deinde, quia quòd opera sint ex præcepto, non tollit, quominus sint libera, bona, & pœnalia; at si hæc habent, habent rationem vindictæ, & punitionis liberè assumptæ pro pecato, quod sufficit ad satisfactionem. Nec obstat si dicas, non posse aliquem duplici debito vnica solutione satisfacere, nam hoc procedit in debitis ex iustitia: at debitum præcepti, est solùm debitum obedientiæ, vel temperantiæ & satisfacere huic debito nihil aliud est, quàm facere id, quod præceptum est; ideoque meritorium, quòd si etiam sit pœnale; erit satisfactorium. Hinc fit, martyrem, & eleemosynam facientem, ieiunantem, &c. in casibus, in quibus ad hæc ex præcepto tenetur, mereri, & satisfacere.

6 Dico sextò, opus merè internum multum valet ad satisfactionem, potestque iustus per opus internum satisfacere pro pœna temporali. Ita communis apud Suarez *sup. sect.* 5. *n.* 2. Ratio est, quia actus interni sunt boni, maximè liberi, difficiles, & homini etiam in hac vita laboriosi, & pœnales. Confirmatur ex actu contritionis, qui maximè satisfactorius est, & tamen est internus. Similiter opus externum, quatenus procedit aliquo modo ab interno, est satisfactorium, & addit vim interno ad satisfaciendum, quia in actu externo est distincta pœna ab interno, & voluntariè assumpta: at satisfactio fit per pœnam voluntariè assumptam. Vide Filliucium *supra numer.* 15. *&* 16. Sotum *in* 4. *distinct.* 19. *quæst.* 2. *art.* 5.

7 Dico septimò, opus satisfactorium debet esse pœnale, id est, in tantum opus humanum est satisfacto-

rium, in quantum est pœnale, est commune apud Suarez *sect.6.num.6.* cum S. Thom. *quæst.15. addit. art.5* Ideo Scriptura, & Sancti adhortantes ad satisfaciendum pro peccatis, proponunt opera pœnalia, Ioel 2. *In ieiunio, fletu, & planctu.* Matth. 11. *In cilicio, & cinere.* Tum quia vindicta proprie fit per pœnam, ideoque in Purgatorio animæ, etsi habeant optimos actus internos, vt Fidei, Spei, & Charitatis, &c. tamen purgantur pœna. At satisfactio est actus iustitiæ, quo quis vindicat iniuriam factam Deo, ergo &c. æquum enim est, vt sicut homo glorificatus est in delictis, sic in recompensatione sentiat pœnam.

8 Dico octauò, omne opus meritorium est etiam satisfactorium. Henriquez *lib.2. de pœnit. c.19. n.3.* Filliuc. *sup. n.19.* & alij. Ratio est, quia omne opus bonum, quatenus homini laboriosum est, etiam est pœnale, & repugnās corpori, & sensui, & consequenter satisfactorium: difficultas namque ex parte obiecti conducit ad meritum; vt autem difficultas infert pœnam, facit ad satisfactionem. Numerantur autem à Theologis communiter tres actus satisfactorij, Oratio, Eleemosyna, & Ieiunium, non quia per hos tantum satisfacere possimus; nam vt dixi, omne opus bonum est satisfactorium: sed quia in iis virtute continentur omnia opera satisfactoria; nam sub eleemosyna comprehenduntur omnia bona externa, & fortunarum, quæ homo potest offerre in satisfactionem: sub oratione bona spiritus, seu spiritualia: sub ieiunio bona corporis. Etenim omne vitium, vt dicitur Ioan. 2. reducitur ad concupiscentiam carnis, quam comprimit ieiunium; concupiscentiam oculorum, seu auaritiam, quæ per eleemosynam reparatur; & superbiam vitæ, quam impedit oratio, ideoque ad ieiunium reducitur omnis maceratio carnis, vt cilicium, flagellatio, &c. ad eleemosynam omnia opera misericordiæ in proximos: ad orationem omnes actus interni, vt contritio, confessio, gratiarum actio, Missa, &c. Vide Henriquez *dict. cap.19. num.8.* Hinc fit, falsum esse, absolute loquendo, & in rigore, non posse satisfacere, nisi præcise illis tribus actibus, seu operibus; nam in Trid. *sess.14. Can.13.* dicitur, ieiuniis, orationibus, & eleemosynis, vel aliis pietatis operibus nos posse satisfacere. Filliuc. *sup n.19.*

6 Sed quæres primò, an possimus satisfacere Deo per pœnas, quàs necessariò patimur, seu per flagella ab eo immissa, vt sunt bellum, fames, infirmitas, &c. Respondeo affirmatiue, modò tamen voluntarie acceptentur, & aliquo modo in Deum referantur. Ita Syl. *satisfactio. quæst.9.* Nauarr. *cap.3 num.4.* & cum aliis Suar. *sup. sect.7. num.4.* & probatur ex Trident. *sess.14. cap.9.* ibi: *etiam spiritualibus flagellis à Deo illatis, & à nobis patienter toleratis satisfacere valemus.* Et ratio est, quia licet homo ab extrinseco patiatur huiusmodi pœnas, dum tamen eas voluntarie acceptat, & offert Deo, moraliter facit eas proprias, ideoque sufficiunt ad satisfaciendum. Filliucius *tom.1. tract.8. cap.1. num.21.*

10 Quæres secundò, an ad nostram satisfactionem requiratur ex parte Dei diuina promissio, & acceptatio. Respondeo breuiter, opera nostra bona, & satisfactoria, prout à gratia procedunt, & fiunt à persona in gratia, habere aliquam condignitatem ad satisfaciendum, etiam sine promissione Dei. Ratio est, quia is, qui soluit quod debet, non eget vlla promissione, vt eius debitum remittatur; at per nostras satisfactiones vere soluimus, quod debemus; ergo. Nihilominus tamen, vt opera nostra sint satisfactoria infallibiliter, & remissiua pœnarum alterius vitæ, necessaria est promissio Dei, qua condonat tales pœnas, si hæc opera præstabimus. Ratio est, quia pœna assumpta in hac vita, est alterius rationis à pœna Purgatorij; ergo absque promissione, nulla esset ratio, cur per hæc opera illa pœna remittatur: sicut si pœna certa alicui peccato esset statuta, iudex, præsertim inferior, non teneretur aliam loco illius acceptare; ergo neque Deus opera nostra inferiora pro pœnis inferni, nisi ita ipse promisisset. Vide Suarez *disp.37. sect.8.* vbi dicit, hoc modo exponendum Trident. *sess.14 cap 8.* dum dicit, esse necessariam Dei acceptationem per Christum Dominum ad nostram satisfactionem.

11 Quæres, an opera nostra, positis supradictis conditionibus, sint satisfactoria de condigno, & de iustitia: de hac quæstione latè Suarez *supra sect.9.* Respondeo breuiter esse de condigno satisfactoria pro illa pœna Purgatorij, quæ respondeat per se peccato adhuc non plenè remisso quoad pœnam: nam Trident. *vbi suprà* docet nos eodem modo satisfacere apud Deum, quo meremur; at meremur de condigno positis prædictis conditionibus, nempè vt homo existat in gratia, vt opus sit proportionatum, & supponatur diuina promissio. Pro pœna verò extraordinaria, & accidentali, quæ non respondet per se peccato, opera nostra non sunt satisfactoria de condigno: tales sunt huius vitæ pœnæ. Ratio, quia nulla adest Dei promissio de remissione harum pœnarum, quare cum obtinetur à Deo, non est per modum satisfactionis de condigno, sed per modum impetrationis, & meriti de congruo. Vide Suarez *vbi sup.* & in expositione nostræ Bullæ *lib.4. dub.5 num.2.*

12 Nota, ad consequendam remissionem pœnæ Purgatorij necessariam esse satisfactionem, de qua locuti sumus, non solum necessitate præcepti, sed etiam medij, hoc est nostra satisfactio est vnicum medium ad remissionem pœnæ in hac vita consequendam. Tum, quia naturalis ratio dictat, satisfaciendum esse Deo offenso pro peccatis contra legem naturæ, vt colligitur ex D. Thom *3. part q.84. art.7. ad.1.* Tum etiam, quia lex diuinæ iustitiæ, est, vt qui peccat, puniatur dignè. Denique quia in operibus nostris non est aliud meritum remissionis pœnæ præter ipsam satisfactionem, quæ conuenit operi, vt pœnale est, ideoque nulla superest certior via ad consequendam remissionem pœnæ, præter condignam satisfactionem Filliucius *sup. n.28.*

13 Quomodo nostræ satisfactiones prosint aliis siue viuis, siue defunctis, dixi in expositione Bullæ *dub. 5.6. & 7.* Vide Henriq. *lib.5. de pœnit. cap.19.* Suarez *tom.4. in 3. part. disput.37.*

DVB. II.

De satisfactione Sacramentali, seu de præcepto satisfaciendi.

Circa hoc dubium aliquæ quæstiunculæ à DD. exagitantur, quas sub eo breuiter explicabimus.

1 Quæres primò, quid sit satisfactio Sacramentalis. Respondeo, est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis taxatis à confessario. Bellarmin. *de pœnitent. lib.4. cap.2.* Bonacin. *tom disp.5. quæst.5. sect.3 punct.1. num.1.* & communiter DD. Dicitur, *compensatio pœnæ temporalis*; quia hæc iniungitur in huius pœnæ satisfactionem nam reatus pœnæ æternæ remittitur, & supponitur remissus per absolutionem, aut contritionem. Dicitur, *debita, ob iniuriam Deo illatam*: quia cum homo per peccatum inferat Deo iniuriam, dignus est aliqua

pœna,

pœna, in cuius satisfactionem imponitur pœnitentia, seu satisfactio in confessione. Dicitur, *consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis*: ad significandum in quibus rebus sit imponenda. Dicitur *taxatis à confessario*: quia ad ipsum spectat illam imponere, & taxare. Posse autem confessarium imponere pœnitentiam in hoc Sacramento, probatur ex vsu perpetuo Ecclesiæ: quem colligit Suarez *tom.* 4. *disput.* 34. *sect.* 1. ex Patribus, & dicitur expressè in Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. ibi: *Quemadmodum à Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuò commendata.* Ratio est, quia cum hoc Sacramentum feratur per modum iudicij, & in eo tota pœna gratis non remittatur pertinet ad iudicium vindicare delictum, & pœnam imponere; imponitur etiam, vt sit medicina peccatoris; ideoque imponi debet satisfactio, quæ sit accommodata ad præseruandum à peccato.

2 Quæres secundò, an satisfactio sacramentalis sit necessaria; non loquimur de necessitate, medij, de qua iam dictum est *dub. antecedent. num. vltim.* sed de necessitate Sacramenti: id est, an vt in Sacramento pœnitentiæ remittatur pœna temporalis pro peccatis debita, requiratur necessariò, vt imponatur pœnitentia: huic quæstioni iam satisfactum est, *hoc lib. cap.* 2. *dub.* 2. vbi dixi non esse partem essentialem satisfactionem, quæ imponitur à confessario, consequenter non esse necessariam necessitate Sacramenti; ideoque si pœnitens moriatur, data immediatè absolutione, antequam pœnitentiam iniunctam impleuerit, recipere potest Sacramenti effectum essentialem, consequenter dicendum validum esse Sacramentum, in quo Sacerdos nullam iniungit satisfactionem, modo pœnitens non concurrat ad omissionem pœnitentiæ iniungendæ, etiamsi talis Sacerdos tunc peccet. Similiter validum erit Sacramentum, si pœnitens (etsi peccet) pœnitentiam, quam acceptauit, postea non adimpleat. Bonacin. *sup. num.* 3. Est tamen satisfactio realis pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, *vt loco citat* probatum est, & docent communiter DD. Dixi, *realis satisfactio*: nam virtualis satisfactio, seu propositum satisfaciendi, quod includitur in contritione, eo modo necessaria est sicut diximus *cap.* 5. *dub.* 2. contritionem esse necessariam.

3 Datur autem in noua lege præceptum diuinum de satisfactione, sicut datur de pœnitentia, cuius pars est nunc satisfactio: etenim cum detur præceptum de pœnitentia, & satisfactio sit illius pars materialis, & integralis, consequenter sequitur, illam etiam cadere sub præcepto. Quod quidem præceptum satis impletur per pœnitentiam iniunctam à confessario, sicut etiam per realem confessionem satisfit ipsius præcepto: ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. vide Henriquez *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 8. & *lib.* 2. *c.* 20. *num.* 2. An autem teneatur confessarius satisfactionem imponere, & illam pœnitens acceptare, infra.

4 Quæres tertiò, quem effectum habeat hæc satisfactio. Respondeo, remittere aliquam pœnam temporalem, præter illam, quæ respondet merito operantis ipsius pœnitentis, ita communis ex Suarez *disput.* 38. *sect.* 2. *num.* 2. quia hæc pars pœnitentiæ præcipuè instituta est ad remissionem pœnæ temporalis: nam ad remissionem culpæ ordinata est contritio, & absolutio. Præterea dat aliquam gratiam non essentialem Sacramenti, quia non est pars essentialis, sed dat quandam perfectionem, & integritatem eiusdem gratiæ essentialis; seu auxilium aliquod præseruans, vel adiuuans ad emendanda peccata; quia cum hæc pars sit instituta in hunc finem, debuit illi dari virtus ad illum adiuuans. Hæc autem pœna temporalis, quæ remittitur per hanc Sacramentalem satisfactionem, non remittitur, aut minuitur, donec perfectè pœnitentia impleatur: quia Sacramentum non habet suum effectum ex opere operato, nisi quando re ipsa suscipitur; ergo neque illius pars; ideo si satisfactio, aut pœnitentia iniuncta impleatur ante absolutionem, non operabitur suum effectum; quia Sacramentum nondum existit completum, ob idque non habet suum effectum, donec essentialiter per formam perficiatur. Dices quantam pœnam remittat hæc satisfactio. Respondeo, si proportionata est omnibus peccatis, delebit totam pœnam: sin autem sit minor, solum remittet partem proportionatam. Suarez videndus *dict. sect.* 2. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8 *cap.* 1. *quæst.* 2. & alij, quod clarius infra patebit.

5 Quæres quartò, an teneatur confessarius imponere satisfactionem, seu pœnitentiam pœnitenti. Respondeo affirmatiuè, regulariter loquendo. Suarez *disp.* 38. *sect.* 3. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 5. *cap.* 21. *in princip.* Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. & communiter DD. idque colligitur ex cap. *omnis vtriusque sexus.* & clarius ex Tridentio. *sess.* 14 *cap.* 8. ibi: *Denique Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares satisfactiones iniungere.* Ratio est, quia tenetur facere Sacramentum integrum, & curare, vt medicus, salutem pœnitentis, & seruare, vt iudex æquitatem. Quare Suarez, & alij docent, teneri ad hoc confessarium sub mortali, per se loquendo, quia aliter ageret contra proprium officium in re graui: irrogaretque iniuriam Sacramento, illud sine causa detruncando.

Sunt tamen aliqui casus in quibus confessarius excusatur ab imponenda pœnitentia; seu in quibus licitè potest aliquando absoluere, nulla imposita satisfactione.

6 Primus est, quando pœnitens est impotens ad illam exequendam, vt si est morti proximus: quo in casu, si nihil percipere potest, nulla est imponenda pœnitentia, nam cum satisfactio non sit de essentia, potest, ea tunc omissa, conferri absolutio pœnitenti. At si talis pœnitens sit sui compos, & nullam valeat implere pœnitentiam, nulla etiam erit imponenda; satis enim tunc contritio. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 21. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 20 *num.* 6. Bonacina cum aliis *sup. num.* 2. existimo tamen in hoc casu, teneri confessarium aliquam, etsi leuissimam, pœnitentiam (non tamen grauem) tali statui proportionatam, imponere, vt est tunsio pectoris inuocatio nominis IESV, aut aliqua breuissima oratio: aut si conualuerit, impleat talem pœnitentiam, quia confessarius curare tenetur, vt confessio sit integra, quantum fieri potest. Addunt Nauarr. *de pœnit. dist.* 7. *cap. si quis autem*, *num.* 33. & Henriquez *sup.* ait in hoc casu posse iniungi pœnitenti, vt patienter ferat infirmitatem, ita vt dolor morbi patienter tolerati habeat vicem pœnitentiæ: at mihi videtur cum Bonacina *vbi sup.* vt hæc pœnitentia raro, & circunspectè imponatur; nam fieri potest, vt magnam afferat molestiam infirmo timenti, se non ritè satisfacturum pœnitentiæ iniunctæ, ob idque magnis scrupulis premantur.

7 Secundus, quando scrupulosus intra eandem horam frequenter accedit ad confessarium aliquid noui semper confitens At in hoc casu potest confessarius (imò existimo ad id teneri) imponere leuissimam v. g. vt inuocet nomen Iesu; aut illam, quam imposuerat, repetere, seu de nouo imponere, dicendo sub eadem pœnitentia, ego te absoluo, ideoque in hoc casu non liberari pœnitentem ab aliqua satisfactione

tisfactione facienda, cum eam commodè, & suauiter præstare possit.

8 Tertius, cum confessarius ex signis aduertit, ita esse contritum, vt credat integrè satisfecisse Deo: at quia rarò potest certò constare, ideo regulariter semper danda est aliqua satisfactio, saltem leuis, vt benè Filliucius *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 38. Bonacin. *sup. num* 4. & alij apud ipsum. Addit Caietan, *verb. satisfactio*, quartum casum, v. g. quando confessarius probabiliter credit pœnitentem nullam accepturum pœnitentiam: existimo tamen hunc casum non esse admittendum, quia talis pœnitens censetur indispositus accedere: poterit tamen eam confessarius moderare; sicque consulitur Sacramenti integritati, & fragilitati pœnitentis.

9 Extra hos igitur casus tenetur sub præcepto confessarios aliquam pœnitentiam, seu satisfactionē iniungere pœnitenti: difficultant tamen DD. an teneatur semper sub præcepto confessarius eam imponere, quando est possibilis, an verò liceat ei aliquando illam per modum consilij imponere, dicendo pœnitenti, si hoc, vel illud feceris, erit tibi in satisfactionem. Filliuc. *sup. num.* 37. & alij apud Bonacinam *n.* 6. existimant, loquendo, regulariter teneri eam confessarium sub præcepto imponere, posse tamen aliquando illam sub consilio tantum iniungere: verius tamen existimo, nunquam id licere, quia vt bene Coninch *de pœnit. disp.* 10. *dub.* 8. *num.* 64. satisfactio de consilio tantum imposita non est sacramentalis; nam cum sit de consilio tantum, poterit sine peccato pœnitens illam omittere, eritque tunc Sacramentum imperfectum culpa confessarij. At si imponat ex præcepto aliquam, etsi leuem, poterit, imò expediet, vt iniungat opera consilij: & dicat (vt moris est) *quidquid boni feceris, vel mali sustinueris, &c.*

10 Quæres quartò, an confessarios possit iniungere pœnitentiam sub disiunctione. Respondeo affirmatiuè, non enim repugnat huic iudicio interiori, sicut exteriori: vnde confessarius nec potest dicere pœnitenti; tantam impende eleemosynam pauperibus; vel si malueris, toties recitabis coronam; aut si vno die omiseris, repete bis die sequenti. Henriq. *lib.* 2. *de pœnitent. cap.* 21. *num.* 5. Bonacin. *sup. num.* 7. Vide Suarez *disput* 38. *sect.* 3.

11 Quæres quintò, quæ sint opera iniungenda in satisfactione. Respondeo, & dico primo, debet esse opus moraliter bonum, patet ex *conclus.* 3. *dub. antecedent.*

12. Dico secundò, opus debet esse pœnale. S Tho, *in add. ad* 3. *part. quæst.* 15. *art.* 3. & communiter DD. & dixi *dub. anteced concl* 7. hoc enim expostulat satisfactio, quæ fit in recompensationem. Enumerantur à DD. tria opera pœnalia, videlicet Oratio, Eleemosyna, & Ieiunium: non quia solum hæc sint pœnalia, per quæ tantum fieri possit, aut debeat satisfactio, sed quia inter pœnalia sunt præcipua, & ad ea reducuntur omnia opera penalia, vt dixi *dub. cit. conclus* 8. Tum, quia pœnitentia debet peccatis respondere; omne autem peccatum, vel in Deum committitur, & contra hoc datur oratio, & ea quæ ad ipsam reducuntur; vel contra proximum, & contra hoc imponitur eleemosyna, & ea quæ ad ipsam reuocantur; vel contra se ipsum, & huic respondet ieiunium, & illa, quæ ad illud spectant, vt docet S. Thom. *sup. art.* 1. *&* 3. Tum quia, licet homo possit satisfacere per quodlibet istorum operum, si tamen satisfactio consideretur, quatenus imponitur vt medicina, imponenda est per diuersa opera infirmitati proportionata, vt eleemosyna peccantibus ex auaritia; ieiunium ex concupiscentia: pro aliis verò peccatis, præsertim pro peccatis omissionis contra Dei laudem, imponatur oratio. Vide Suar. *disp.* 38. *sect.* 6.

13 Dico tertiò, opus pœnale regulariter debet esse externum; quia est pars Sacramenti sensibilis, & magis pœnale: potest tamen aliquando imponi opus internum, vt meditatio aliqua; aut propositum vitandi peccata aliquoties, vel aliquibus diebus, aut prolatio nominis IESV in corde quando infirmus externè nihil potest facere. Suarez *vbi suprà*, Filliucius *loco citato num.* 44. Bonacin. *citat. numer* 10. censentur enim hæc opera pœnalia, eo quòd fiant cum fatigatione corporis propter attentionem: & quamuis isti actus sint interni, sunt tamen sensibiles per accidens, quatenus exterius imponuntur, & acceptantur.

14 Dico quartò, opus pœnale iniungendum, quamuis regulariter debeat esse determinatum, valde tamen probabile est, posse imponi per illa verba generalia, *quidquid boni feceris, vel mali sustinueris*, vt docet D. Thom. *quodlib.* 3. *artic* 28. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 24. Henriq. *supr. cap.* 20. *num.* 5. Suar. *disp.* 38. *sect.* 6. *num.* 6. & cum aliis Bonacin. *vbi sup. num.* 13. Possunt enim illa opera eleuari virtute Sacramenti ad satisfaciendum ex opere operato, pro peccato, & fieri partem huius Sacramenti; propterea Nauarr. *vbi sup.* Reginald. *lib.* 7. *num.* 28. & alij asserunt, vsu receptum esse, vt modicæ pœnitentiæ iniungantur; quia id, in quo deficiunt pœnitentiæ iniunctæ, suppleri potest per bona opera, quæ communiter, & vt plurimum ab hominibus præstantur: ideoque expedit, vt confessarios postquam imposuit opus determinatum, addat, *quidquid boni feceris, &c.*

15 Dico quintò, opus in satisfactione, aut pœnitentia iniungendum regulariter debet esse supererogationis, seu quòd alias non cadat sub præcepto, vt habet communis DD. vt satisfactio maior sit & detur occasio pœnitentibus plura bona agendi. Potest tamen imponi aliquando opus aliàs præceptum, vt Missæ auditio in die festo; aut ieiunium in Quadragesima, &c. Suar. *vbi suprà*, Nauarr. *cap.* 26. *n.* 14. Coninch *disp.* 10. *de pœnitent. dub.* 8 *num.* 67. *&* 68. Sanchez *in summ. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *n.* 11. Ratio est, quia hæc sunt opera pœnalia, & pendent à voluntate confessarij; consequenter pœnitens potest eodem actu aliquando satisfacere obligationi, qua tenetur ex pœnitentia, & ex alio præcepto: nam obligatio satisfaciendi est ex debito legali, in quo attenditur voluntas, vt in voto, & iuramento, ideóque potest vnico opere, seu solutione satisfieri duplici debito: secus in debitis iustitiæ commutatiuæ; nam in iis spectatur æqualitas rei ad rem, quæ vnica solutione seruatur, & euacuatur. Sanchez, & Bonac. *vbi suprà*.

16 Notant tamen, & benè Suarez *vbi sup.* Henriquez *lib* 5. *cap.* 16. *num.* 5. & communiter DD. apud Bonacin. *vbi sup. num.* 12. confessarium imponentem pœnitentiam absolutè, si nihil aliud exprimat, non censeri imponere opus aliàs debitum ex præcepto, voto, vel iuramento; sicque pœnitens, cui absolutè est iniunctum ieiunium, non satisfacit ieiunando in die præcepti; nisi id constet de voluntate confessarij. Hinc fit, vt si confessarius dicat pœnitenti, vt duas Missas audiat in die festo, satisfacere per illas obligationi præcepti, & pœnitentiæ, quia talis modus imponendi pœnitentiam, hoc significare videtur: idem si confessarius imponat pœnitenti, vt per vnum mensem singulis diebus vnam Missam audiat, videtur satisfacere auditione vnius Missæ in die fe-

sto,

sto. Item, si pro pœnitentia iniungat eleemosynam, satisfaciet pœnitens eam tradendo pauperi extreme indigenti, cui aliàs tenebatur ex præcepto charitatis subuenire: talis enim censetur voluntas confessarij, ne pœnitens multis eleemosynis grauetur, & potiori, & maiori necessitati consulatur. Secus autem si illi tradere tenebatur, ex voto, iuramento, aut iustitia, vel ratione restitutionis rei incertæ, vt docent Sanchez *vbi sup. num.*6. Coninch *disp.*10. *dub.*8. *num.*68. Nauarr. *cap.*3. *num.*4. & cum aliis Bonacin. *sup. num.*12. *verb. Ex quo.* Quando verò dubitatur de mente confessarij, si is adiri potest, adeundus est: sin minus, ferendum est iudicium ex æquo, & bono, vt docent Suarez *suprà num.*5. Coninch *vbi sup.* & Bonacin. *loco citato.* Attamen in hoc casu, & in omnibus aliis, quando non constat de mente confessarij, neque hæc ex circonstantiis colligitur, existimo cum Sanchez *vbi sup. num.*6. pœnitentem non satisfacere pœnitentiæ iniunctæ, per opus aliàs debitum. Ratio est, quia cum satisfactio sit opus voluntarium, & non sit alligatum diei, confessarius præsumitur iniunxisse opus voluntarium, & aliàs non debitum: præsumptio namque ex communiter audientibus sumenda est: communiter autem confessarij solent imponere satisfactionem, seu pœnitentiam in rebus supererogationis, & non aliàs debitis; ergo, &c.

17 Nota etiam, Ioannem Sancium *in suis select. disp.* 16. *per totam*, reprobare vsum confessariorum imponentium pœnitentibus pro pœnitentia Psalmos, responsoria, aliásve orationes pro animabus Purgatorij: ait enim hoc fieri non posse; nam dicit Sacramentum pœnitentiæ esse institutum ad delendam culpam, & pœnam ipsius pœnitentis; ideoque contra illius naturam esse, vt satisfactio sacramentalis aliis applicetur. Nihilominus tamen existimo talem morem non esse reprobandum, & benè id facere posse confessarios: nam in satisfactione, seu opere satisfactorio, quod fit à pœnitente, duplex gradus remissionis pœnæ reperitur, vt ipse Sanchez *num* 9. *&* 10. alter qui correspondet illi ex opere operato ex Christi institutione; alter vero correspondens operi ex opere operantis, prout tale opus fit ab ipso satisfaciente: & quidem quamuis confessarius non possit applicare satisfactionem ex opere operato, potest tamen præcipere pœnitenti, vt applicet eam, quæ ipsi correspondet ex opere operantis, & talis censetur eorum intentio, quamuis id non exprimant, aut id ignoret; nam censendus est velle applicare eo, quo potest modo: & confirmari potest; nam sicut potest confessarius præcipere pœnitenti, vt elargiatur eleemosynam temporalem pro animabus Purgatorij; ita poterit spiritualem: & sicut potest pœnitentia per alium adimpleri, id exprimente confessario, *vt infra dub.*4. ita poterit præcipere pœnitenti, vt opus iniunctum applicet animabus Purgatorij; quo in casu actio illa, qua dicitur, v. g. responsorium, eleuatur tanquam pars Sacramenti ad satisfaciendum ex operato, & ipsum responsorium, seu oratio prodest illis ex opere operantis, & ex præcepto confessarij: hanc sententiam tenet Turrianus *de pœnit. disp.* 37. *dub.* 4. à qua non discedit Diana 3. *part. tract.*4. *resol.*54. *in fin.*

18 Quæres sextò, an confessarius possit in Sacramento imponere pœnitentiam publicam. Respondeo affirmatiuè, si peccata sint publica imo tunc id est faciendum; nam hoc expedit ad aliorum ædificationem, & satisfactionem Ecclesiæ, vt sicut alios suo exemplo ad malos mores prouocauit, ita testimonio emendationis ad rectam reuocet vitam. Idque colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. & docent Suarez *disput.*38. *sect.*6. *num.*3. Sotus *in* 4. *dist.* 19. *quæst.*2. *artic.*5. Nauarr. *cap.*8. *num.*10. & cum aliis Bonacina *tom.*1. *disputat.*5. *quæst.*5. *sect.* 3. *punct.*2. *num.* 14. Pro peccatis verò occultis non est iniungenda pœnitentia publica, non quia per hoc frangatur sigillum, nam cum fiat de consensu pœnitentis, illud tunc non violatur, sed quia tunc est improportionata, & contra bonam famam pœnitentis, quæ sine sufficienti causa periculo exponitur. Ita Doctores citati.

19 Quæres septimò, qualem confessarius debeat imponere pœnitentiam, & in qua mensura. Respondeo; & dico primò, nullam esse certam mensuram à lege taxatam: colligitur ex cap. *mensuram de pœnit. dist.*1. & multis *cap.*26. *quæst.*7. Canones autem aliqui pœnitentiales, vel tantum continebant regulam quandam directiuam, quam confessarij poterant sequi; vel pertinebant potius ad forum externum, & ædificationem Ecclesiæ, quàm ad internum & necessitatem pœnitentis. Nunc verò sunt abrogati, & totum negotium reuocatum est ad arbitrium confessarij, vt statim dicetur. Vide Suarez *disp.* 38. *sect.*4.

20 Dico secundò, confessarius potest, & debet imponere pœnitentiam proportionatam iuxta suum prudens arbitrium, considerata grauitate peccatorum, dispositione pœnitentis, aliisque circunstantiis temporis, personæ, &c. colligitur ex Tridentin. *sess.*14. *cap.*8. Ratio est, quia Sacerdos est iudex, & veluti mediator inter Deum, & homines, ergo debet seruare æquitatem, in quantum possibile nobis est: & sicut si pro leuissimis grauissimam imponeret pœnitentiam, faceret iniuriam pœnitenti: ita si pro grauissimis peccatis leuissimam imponat, faceret iniuriam Deo. Ex rationabili tamen causa, vt ob impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis potest aliquando confessarius imponere leuiorem satisfactionem. S.Thom *add. quæst.*18. *art.*4. Sotus *in* 4. *dist.*20. *quæst.*2. *art.*3. & cum aliis Suarez *disp.*38. *sect.* 4. & Bonacin. *tom.*1. *disput.*3. *quæst.*5. *sect.*3 *punct.*2. *n.*16. quod etiam (ait Bonacina) tempore Iubilei, aut indulgentiarum fieri potest. Ratio horum est, quia in hoc Sacramento magis intenditur emendatio, & salus pœnitentis, quàm satisfactio pro pœna; igitur si ita expediat pro bono pœnitentis, poterit id fieri: cedit etiam hoc in maiorem Dei gloriam, qui vult præcipue curationem peccatoris, & alioquin causa Dei semper manet integra, quia si in hac vita non satisfacit pro peccatis, satisfaciet in purgatorio. Quando autem confessarius multò leuiorem pœnitentiam imponit, quam peccata merentur, debet pœnitentem admonere, talem pœnitentiam non esse sufficientem, sed ob indispositionem eius, benigniùs cum eo agi, vt ideo ipse moueatur, vel ad maiorem petendam, vel ad alias voluntariè assumendas. Filliuc. *tom.*1. *tract.* 8. *cap.*2. *num.*41. quod limitat Bonacina *sup. num.* 17. modo credat confessarius, monitionem esse profuturam, vel ne credat, pœnitentem satisfacturum, etiamsi non admoneatur; tunc enim frustra fieret, ait, admonitio: aduertit etiam *num.* 18. cum Vasquez in praxi receptum esse, vt mitior pœna iniungatur, nec pœnitens grauitate pœnæ terreatur, sed potius leuitate pœnitentiæ alliciatur ad Sacramentum. Caueat tamen, regulariter loquendo confessarius, ne pro grauissimis peccatis leuissimas iniungat pœnitentias, ita vt fiat particeps aliorum peccatorum, præbendo pœnitenti occasionem facilè relabendi. Studebit ergo confessarius imponere pœnitentiam aptam curationi, & ad præseruationē à peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, & elatis humilitatem.

21 Ex his sequitur, satisfactionem peccatis proportionatam, in ordine ad iudicium confessarij, non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem, sicut pretium naturale rerum: in ordine tamen ad effectum remissionis pœnæ consistere in indiuisibili, sicut prettum taxatum à lege; hoc est pœna, quæ remittitur per satisfactionem, est definita, & determinata; quia in diuino iudicio omnia sunt definita in pondere, & mensura. Vnde si satisfactio quam imposuit confessarius, non pertingit ad eam, quæ in diuino iudicio taxata est, non tollet totam pœnam: si autem excedat, tunc superetit aliquid satisfactionis, & reponetur in thesauro Ecclesiæ. Quare confessarius duo obseruare debet in imponenda satisfactione: vnum est iusta vindicta, & commutatio pœnæ, in quo non potest exactè seruare æqualitatem rei, sed satis est illi, si prudenter id agat: secundum est emendatio, & præseruatio in futurum, & in hoc potest seruare maiorem proportionem, cum habeat sufficientem notitiam ad hoc requisitam. Filliuc. *sup. num.* 42. & 43.

22 Quæres octauò, quando sit imponenda pœnitentia. Respondeo antequam detur absolutio, vt in praxi obseruatur, & meritò, quia partes materiales, vt est satisfactio, supponuntur formæ: validum tamen erit Sacramentum, si statim post absolutionem imponatur; quia sic moraliter censentur concurrere simul Sacramenti partes; nam ea, quæ incontinenti sunt, inesse videntur. *cap. præterea de testib. cogend.* peccabit autem tunc confessarius venialiter, vt existimat Nugnus apud Bonacin *vbi suprà num.* 19. at si aliqua intercedat causa, vt obliuio, incogitantia, aut inaduertentia; aut si moraliter certus erat, pœnitentem accepturum satisfactionem, existimo, nec venialiter peccare. Non tamen potest confessarius obligare pœnitentem per se loquendo ad satisfactionem adimplendam ante absolutionem, si sumatur pœnitentia, prout est satisfactio, pro pœna temporali; nam pœna non tollitur nisi remissa culpa, si autem sumatur, vt medicina, potest tunc obligare pœnitentem, vt eam impleat ante absolutionem, si ita iudicauerit expedire, vt si confessarius timeat pœnitentem non adimpleturum satisfactionem, aut si expertus scit prætermisisse pœnitentias præcedentium confessionum. Suarez *disput.* 38. *sect.* 7. *num.* 7. Bonacin *sup. num.* 20. & alij. Non tamen suum producet effectum pœnitentia, seu satisfactio ante absolutionem adimpleta, antequam Sacramentum perficiatur, quia Sacramentum non producit suum effectum, nisi in vltimo instanti, in quo est completum quoad materiam, & formam, vt dixi *lib.* 1. *cap* 4. *dub.* 4. *num.* 2.

D V B. III.

An confessarius possit commutare, vel minuere pœnitentiam, seu satisfactionem impositam.

NOta satisfactionem aut esse impositam ab ipso confessario, aut ab alio: rursus alius eam imponens, aut est superior confessario, aut illi æqualis: deinde aut satisfactio est imposita pro reseruatis, aut pro non reseruatis.

1 Suppono vt certum, quemlibet, modò sit vir probus, & prudens, posse interpretari, quòd pœnitentia non obliget, vel quia fuit iniustè imposita, vel quia pœnitens factus est impotens ad eam implendam, quo in casu non est opus commutatione, sicut contingit in aliis præceptis, & votis. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 48. quare non loquimur de interpretatione, sed de commutatione, vel diminutione pœnitentiæ iniunctæ. Imò id poterit facere ipse pœnitens, si euidens sit pœnitentiam esse intolerabilem, & iniustam, secus si dubium sit, vt benè Sotus *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 3. & Martinus Ledesm. 2. *part. quæst.* 20. *art.* 4.

2 Suppono secundò Summum Pontificem extra Sacramentum ex causa posse relaxare pœnitentiam sacramentalem, vt sæpè facit concedendo indulgentias pro pœnitentiis iniunctis, vt dixi in exposit. Bullæ *lib.* 1. §. 7. *dub.* 13. & docent communiter DD.

3 Dico primò, idem confessarius qui pœnitentiam imposuit, siue sit Parochus, siue non, potest ex iusta causa pœnitentiam à se impositam moderari, seu commutare. Suarez *disputat.* 38. *sect.* 10. Nauarr. *cap.* 26. *n.* 22. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 3. *num.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 49. & communiter DD. citandi, nulli enim facit iniuriam, cum nullius vsurpat iurisdictionem: & sicut potest iudex in foro exteriori suam sententiam moderari, seu interpretari, modo vt dixi in Decalog. *lib.* 8. *cap.* 1. *dub.* 5. ita similiter id poterit fieri in foro interiori. Dixi, *ex iusta causa*, nam absque illa fieri non potest commutatio pœnitentiæ, eo quòd sit pars Sacramenti à Christo Domino instituti; sicut enim in dispensatione, aut commutatione præcepti, aut voti requiritur iusta causa, vt subsistat, à fortiori etiam requiritur in commutatione pœnitentiæ ob rationem dictam. Iusta autem causa censetur necessitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis in præstanda pœnitentia, vel obliuio pœnitentiæ aliàs iustæ, vt docent communiter DD.

4 Dico secundò, æqualis confessor potest ex causa pœnitentiam ab alio sibi æquali impositam commutare; ita DD. citati contra Sotum *in* 4 *disput.* 20. *q.* 2. *art.* 33. Ratio est primò, quia inter hos æquales confessarios censetur idem tribunal; sic Episcopus successor dispensat in lege, & sententia prædecessoris. Secundò, quia licet prior Sacerdos sententiam tulerit, tamen potest pœnitens eandem causam afferre in iudicium, & postulare nouam sententiam, ideoque poterit tunc confessarius commutare, non solum in aliam æqualem, sed mitiorem, vel leuissimam, iuxta dispositionem pœnitentis, vt benè Filliuc. *suprà num* 50. Per confessarios æquales intellige Parochos, seu curatos, & alios, qui ex commissione Episcopi audiunt confessiones, siue sint sæculares, siue regulares.

5 Dico tertiò, inferior confessarius poterit ex causa commutare pœnitentiam à superiori impositam, modò superior id sibi non reseruauerit, aut non sit imposita pro peccatis reseruatis. Ita Bonac. *sup. num.* 4. & alij apud ipsum. Probatur primò, ex secunda ratione secundæ conclusionis. Secundò, quia tunc inferior confessarius commutans ex causa talem pœnitentiam non exercet authoritatem, & iurisdictionem circa confessarium æqualem, vel superiorem, vt bene obseruat Valent. *tom.* 3. *disput.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 4. Suarez *sect.* 10. *num.* 7. Nauarr. *c.* 26. *num.* 22. & cum aliis Bonacin. *vbi sup.* sed circa pœnitentem sibi subiectum in quem habet iurisdictionem, cum pœnitens non habeat peccata reseruata, quæ non sint iam deleta, vt suppono, ideoque hanc sententiam multis allegatis dicit probabilem Ioann. Sanch. *in select. disp.* 14. *num.* 13. addens (& benè) Sacerdotem simplicem posse commutare pœnitentiam mortalium, quæ iam sunt ritè confessa, cum iam respectu simplicis Sacerdotis reseruata non sint. Quamuis ipse Sanchez *num.* 19. existimet probabilius absoluiè loquendo, nullum confessarium etiam auditis confessionibus, posse commutare pœnitentiam;

tiam; noſtra tamen ſententia ob tantorum DD. authoritatem, & rationem quibus nititur totiſſimè ſequi poteſt. Notat etiam Diana 3. *part. tract.* 4. *reſolut.* 33. ex Sancio *in ſelect. diſp.* 14. *num.* 13. poſſe ſimplicem Sacerdotem ex iuſta cauſa mutare pœnitentiam peccatorum mortalium, quæ iam fuerunt legitimo confeſſario confeſſa, quod non videtur improbabile. Dixi primò, *modò ſuperior imponens non ſibi hanc facultatem commutandi reſeruauerit*, id eſt, ne prohibuerit, vt nullus præter ipſum, eam poſſet commutare, nam in hoc caſu certum eſt, non poſſe inferiorem illam tunc commutare. Syluest. *confeſſ.* 1. §. 27. Patet quia tunc talis pœnitentia habet ſe, vt caſus ſuperiori reſeruatus; at inferior caſus reſeruatos abſoluere non poteſt abſque priuilegio, vel ſuperioris licentia: ratione tamen Bullæ Cruciatæ poterit inferior in hoc caſu pœnitentiam à ſuperiore impoſitam, ſibique reſeruatam commutare ex cauſa, vt dixi in expoſit. Bullæ, *lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *n.* 9. Dixi ſecundò, *niſi impoſita ſit pro peccatis reſeruatis*, nam tunc ſi confeſſarius inferior non habeat facultatem abſoluendi à reſeruatis non poterit pœnitentiam pro eis impoſitam commutare, vt docent Nauar. Valent. *vbi ſup.* Suarez *diſput.* 38. *ſect.* 10. *n.* 14. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 3. & alij apud Bonacin. *ſup. num.* 6. quia docent, tunc non poſſe commutare pœnitentiam, niſi ferat iudicium circa peccata, ac ſi pœnitens nunquam confeſſus fuiſſet; hoc autem facere non poteſt ſuppoſita reſeruatione peccatorum; ergo neque pœnitentiam pro illis impoſitam commutare. Nihilominus tamen cenſeo ad modum probabiliter cum Bonacin. *vbi ſup. verb. Ego verò*, quam ſententiam dicit probabilem, & tutam in praxi Diana 1. *part. tract.* 15. *reſol.* 53. Vaſquez Fernand. & Ioan. Valero poſſe etiam tunc confeſſarium inferiorem ex cauſa talem pœnitentiam commutare. Tum quia etſi peccata fuerint reſeruata; non tamen eſt talis pœnitentia, vt ſupponimus. Tum quia inferior non exercet iuriſdictionem in ſuperiorem, ſed in pœnitentem ſibi expoſitum, & ſubiectum, non habentem amplius peccata reſeruata; quia vt ſupra ponimus, iam fuerunt remiſſa per antecedentem confeſſionem. Tum quia, quando Summ. Pontif. commutat votum ſibi reſeruatum in aliud non reſeruatum, poteſt Epiſcopus in hoc ſecundo diſpenſare, vt docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 15. Sanchez in Decalog. *lib.* 4. *capit.* 40. *numerò* 46. & dixi in Decalogum *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 39. *num.* 12. ergo ſimiliter poterit confeſſarius inferior pœnitentiam pro reſeruatis impoſitam à ſuperiore ferre, & commutare iudicium circa peccata reſeruata, non quoad eorum abſolutionem; nam iam ſupponuntur remiſſa; ſed quantum expedit ad pœnitentiam rationabilem iniungendam, & commutandam, iuxta grauitatem peccatorum, & fragilitatem pœnitentis, ac ſi nunquam confeſſus fuiſſet illa peccata. Aduerte tamen in hoc caſu, DD. oppoſitæ ſententiæ exiſtimare, in neceſſitate quando non eſſet ciuilis recurſus ad ſuperiorem, poſſe inferiorem ex pia, & interpretatiua ſuperioris voluntate talem pœnitentiam commutare.

6 Quæres tamen primò, an in caſu, quo licet confeſſariis pœnitentiam commutare, poſſint omnes pœnitentias commutare: ad intelligentiam nota, tria aſſignari genera ſatisfactionum à DD. Prima dicitur pœnitentia ſatisfactoria, illa ſcilicet, quæ præcipuè imponitur pro ſatisfactione peccatorum, vt eleemoſyna, oratio, &c. Secunda, dicitur reſtitutoria, quando nimirum obligato ad reſtituendum alienum imponitur pro pœnitentia ipſa obligatio. Tertia, dicitur medicinalis, & præſeruatiua, videlicet vt retrahatur, & præſeruetur à peccato, vt quando imponitur pœnitenti, ne ingrediatur domum, quæ erat ſibi occaſio peccandi, vel quid ſimile. Conueniunt DD. citati, poſſe commutari ſatisfactoriam, non verò medicinalem, aut reſtitutoriam, exiſtimo tamen idem dicendum de omnibus, vt etiam ſentit Bonacina *vbi ſup. num.* 6. modò adſit vrgens, & euidens cauſa, & vt fiat, in quantum fieri poteſt, in aliam præſeruatiuam, & medicinalem: nam ſuppoſita iuſta, & vrgens cauſa, eadem eſt in omnibus ratio: Confirmatur, ac declaratur, quia quando ex iuſta cauſa confeſſarius commutat pœnitentiam medicinalem, aut reſtitutoriam, non dat licentiam peccandi, aut non reſtituendi, ſed tantum tollit nouam obligationem, quam confeſſarius alter impoſuit, mutando illam in aliam materiam, aut rem vtilem, & neceſſariam pœnitenti, remanente in illo obligatione naturali vitandi occaſionem, aut reſtituendi alienum, ſimul cum illa de nouo impoſita ex iuſta, & rationabili cauſa; & facit, vt pœnitens poſtea non faciat duo peccata, quæ quidem patraret, ſi prior pœnitentia remaneret. Sicut enim commutans votum non adulterandi, aut furandi, non dat veniam adulterandi, & furandi, ſed tantum tollit nouam obligationem à vouente impoſitam, relinquendo naturalem, vt non committat duo peccata; ita ſimiliter in noſtro caſu: poteſt enim contingere, vt pœnitens, cui eſt impoſitum onus, ſeu pœnitentia, ne ingrediatur talem domum, non poſſit ab ingreſſu abſtinere abſque ſcandalo, aut alio graui incommodo, aut vt ille, cui impoſita eſt reſtitutio, ita angatur, & prematur ſcrupulis, vt expediat hæc commutari.

7 Hinc infertur, quando confeſſarius impoſuit Petro in pœnitentiam, vt ſolueret quatuor dragmas, quotieſcumque ingrederetur ad concubinam, ſi talis adſit cauſa, vt iuxta prudentis, & docti arbitrium, commutatio expediat, poſſe fieri talem commutationem, & tolli nouam obligationem ſic impoſitam à confeſſario, relinquendo pœnitentem ſolum in obligatione naturali vitandi occaſiones peccati: vnde poſtea ingrediendo, non committet duo peccata, nec tenebitur ad pœnam pecuniariam. Quod procedere videtur, etiam poſt pœnitentiæ iſtius violationem, & pœnam incurſam, vt dixi in Bulla *loco cit.* (maximè ſi pœnitens habeat Bullam) quia licet prior Sacerdos ſententiam tulerit, poteſt tamen pœnitens eandem cauſam in iudicium afferre, & nouam ſententiam poſtulare: & poteſt roborari iiſdem rationibus, quibus *dub. citat. Bulla* probaui poſſe vota quoad pœnam pecuniariam ex illorum fractione, per Bullam commutari; nam ſicut ſe habet commutans vota per priuilegium, ita commutans pœnitentiam per confeſſionem, ſed ille poteſt; ergo & hic (de pœnitentia commutanda, latè præter dictos, Sancius *in ſuis ſelect. diſp.* 14. (Confirmatur etiam, quia pœnitentia de dando decem hoſpitali, vel ad Miſſas, vel pauperi, abſolutè impoſita poteſt commutari, vt colligitur ex Syluest. *verb. Confeſſio* 1. *quæſt.* 27. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 18. Suarez *ſup ſect.* 10. & Henriquez *loco cit.* nam omnes abſolutè docent, pœnitentiam datam ab æquali, poſſe commutari, ergo ſimiliter conditionalis, etiam poſt conditionem impletam, & pœnam incurſam.

Quæres ſecundò, an poſſit confeſſarius extra confeſſionem pœnitentiam commutare.

8 Nauarr. *cap.* 26. *num.* 22. *& conſil.* 26. *de pœnit. & remiſ.* Rodrig. *in ſumm.* 1. *part. cap.* 56. *num.* 8. *& in addit. ad Bullam* §. 9. *num.* 102. Villalobos *in* 1. *part. tract.* 9. *diff.* 79. *num* 5. Ledeſm. 1. *part. ſum. cap.* 23. *de Sacr. pœnit. in fin.* Valentia 4. *tom. diſp.* 7. *quæſt.* 4.

quaest. 14 *punct.* 4. *in fin.* & alij apud Ioan. Sanchez *in select. disp.* 14. *num.*6. existimant, posse commutari pœnitentiam extra Sacramentum, nec opus esse pœnitentem confiteri peccata, ob quæ fuit iniuncta, si confessarius talium peccatorum habeat cognitionem, siue quia illa in confessione audierat, & illorum non est oblitus, siue quia pœnitens ea narrat extra confessionem.

9 Non autem posse pœnitentiam commutari extra Sacramentum pœnitentiæ, nisi in ipso Sacramento & auditis saltem peccatis grauioribus docent Sylu. *verb. Confessio* 1. *quaest.*27. *num.*3. Vasquez *de pœnit, quaest.*94. *art.*2. *dub.*3. *num.*27. Suar. *disp.*38. *sect.*10. *num.*4. Coninch *disputat.*10. *dub.*12. Bonac. *tom.*1. *disput.*5. *quaest* 5. *sect.*3. *punct* 3. *num.*7. & cum multis antiquis, & recentioribus Ioann. Sanchez *in suis select. disp.*14. *num.*7. *&* *disput.*15. *num.*12. & Diana *infrà.* Ratio fundamentalis est, quia qui commutat pœnitentiam antiquam, imponit nouam, at implicat partem sacramentalem confici absque Sacramento, nam satisfactio sacramentalis est actus iurisdictionis clauium, ideò non poterit extra Sacramentum commutari. Etenim in foro pœnitentiæ eadem est potestas ligandi, atque soluendi; at confessarius non potest ligare, seu imponere pœnitentiam extra confessionem; ergo nec eam relaxare, seu commutare. Nec obstat posse confessarium imponere pœnitentiam statim data absolutione; quia tunc censetur imponi in ipsa confessione, & tutum esse moraliter vnicum actum: nam, quæ fiunt in continenti, inesse videntur *l. legem, C. de pact. &c. praeterea de testib cogend.*

10 Ex his opinionibus posteriorem iudico non solum probabiliorem sed omnino sequendam, ob rationes dictas, non tamen reputo improbabilem oppositam ob tantorum DD. authoritatem (etsi illam improbabilem existimet Ioan. Sanchez *dis.*14 *citat. num.*8.) maximè si parum temporis intercedat inter Sacramentum præteritum, & commutationem faciendam: poterit tamen prior sententia in praxi admitti, si commutatio fiat ab ipso confessario, qui eam imposuit, & intra sex dies ad summum à confessione facta. Vt tenet Diana *num.*2. *tract.* 15. *resol.*53. *&* 3. *part. tract* 4. *resol.* 53. quia sic censetur idem iudicium, & eadem confessio.

11 Quæres tertiò, an quando pœnitens oblitus est pœnitentiæ impositæ, teneatur iterum peccata confiteri, vt pœnitentia commutentur. Suar. *disp.*38. *sect.*10. Reginald. *lib* 7. *num.*42. *&* 93. & aliqui putant confessionem repetendam esse, quoties pœnitentia commutanda est, dicendum tamen existimo cum Nauarr. *cap.*26. *num.*21. *ad fin.* Victor. Rodrig. Nugn. & Valent. quos citat & sequitur Bonacin. *vbi sup. num.*8. *verb. mihi vero*, & cum aliis Diana 1. *p. tract.*15. *resol.*53. *verb. sed ego*, vbi ait esse communem vsum confessariorum, & tutum in praxi, si pœnitens recordatur pœnitentiæ, sufficere, quòd exprimat pœnitentiam commutandam; nam sic sufficienter cognoscit confessarius statum pœnitentis, quantum sufficit ad pœnitentiam commutandam, & iudicandum id, quod magis expedierit. Quod si pœnitentiæ non recordatur, non est opus, vt singula peccata repetat, sed sufficit, vt præcipua exprimat, quod sufficit tum ob rationem dictam; tum etiam vt congrua imponatur pœnitentia, quantum refert fragilitas pœnitentis. Et ita intelligendus Dian. & DD. cit. pro hac secunda sententia.

12 Quæres quartò, an pœnitens, qui oblitus est pœnitentiæ, teneatur iterum confiteri: non loquimur quando vult, vt pœnitentia commutetur, nam de hoc dictum est quæsito anteced. sed absolutè, & simpliciter loquendo. Bonacin. *vbi sup num.*9. *verb. ego vero*, cum Sylu. *confes.* 1. *quaest.*3. affirmat, quamuis pœnitens non curet de pœnitentia commutanda, nisi fortè pœnitens aduertat, se aliis piis operibus satisfecisse, aut indulgentiis; quia curare tenetur, vt Sacramentum sit integrum, ex quo infert pœnitentem, qui oblitus est pœnitentiæ iniunctæ, teneri, si potest commodè, adire primum confessarium, vt ab eo, si recordatur, discat pœnitentiam ab eo iniunctam: sin minus teneri confiteri præcipua saltem peccata, non solum ex suppositione, quod velit pœnitentiam commutari, verum etiam quatenus curare tenetur, vt Sacramentum sit perfectum, & integrum. Hæc Bonacin. Attamen non esse iterandam confessionem, quando pœnitens, etiam culpa sua oblitus est pœnitentiæ, & sufficere confiteri peccatum negligentiæ, docent Vasquez *de pœnit. quaest.*94. *art.*2. *dub.*4. Sotus *in* 4. *d.* 20. *quaest.* 2. *art.*2. *in solut. ad* 2. Nauarr. *cap.*9 *num.* 18. Suar. *de pœnitent. disp.*22. *sect.*17. *num.*5. Coninch *disput.*10. *dub.*9. *in fin.* & cum aliis Ioan. Sanch. *vbi sup. disp.* 15. *n.*11. & alij apud Bonacin. *loco cit. num* 9. & dixi *hoc lib. cap.*6. *dub.*9. *num.* 4. Primò, quia nullibi reperitur tale præceptum. Secundò, quia per confessionem antecedentem legitimè factam peccata fuerunt absolutè remissa, & Sacramentum essentialiter fuit perfectum, & contulit effectum sui absolutè, & independenter ab actuali satisfactione, quæ cum non sit pars essentialis, sed tantum integralis, non impedit quominus (ea tamen acceptata, vt infra) Sacramentum operetur suum effectum, & quamuis peccet obliuiosus hic non implendo pœnitentiam, non ideo tenebitur confessionem repetere, sed sufficiet, se cum dolore de negligentia accusare. Si autem velit pœnitentiam oblitam commutari, tenebitur præcipua peccata præteritæ confessionis fateri, vt dixi *quaesito superiori*; ex his patet responsio ad rationem Bonacinæ, nec valet limitatio ab ipso adducta, nam vt ipse tenet *num.* 11. *&* 12. & dicemus infra, pœnitens non potest loco pœnitentiæ oblitæ aliam substituere nec pœnitentiam propria authoritate commutare; ergo etiamsi credat, se aliis operibus satisfecisse, tenebitur in sua opinione, Sacramentum iterare, vt fiat integrum, cum integrari non possit per satisfactionem ab ipso pœnitente voluntariè assumptam, & assignatam, sed ab ipso confessario.

13 Quæres quintò, an pœnitens possit pœnitentiam propria authoritate in æquale, aut melius commutare. Affirmatiuè respondet Villalobos *tractat.*9. *differ* 27. *concl.* 1. si fiat commutatio in melius, & cum Portel dicit probabile Diana 1. *part. tractat.* 15. *resol.*53. *vers. Et hæc, &* 3. *part. tract.*4. *resol.*53. Dicendum tamen est absolutè, nullo modo id facere posse, & docent Sanchez *in summ. lib.*4. *c.* 49. *n.*9. *ad* 6. *arg.* Henriq. *lib.*5. *cap* 20. *num.*5. Reginaldus *lib.*7. *cap.*8. *in princip.* Sancius *in suis select. disp.* 14. *num.*3. *&* 22. Coninch *disp.*12. *num.* 103. & Bonac. *tom.*1. *disput.*5 *quaest.*5. *sect.*3. *punct.*3. *num.* 12. Ratio præcipua est, quia commutatio pœnitentiæ est actus iudicij, & iurisdictionis sacramentalis, hoc autem ad confessarium, & non ad pœnitentem spectat: & pœnitentiæ præceptum, seu obligatio non fuit à pœnitente, sed à confessario imposita: secus autem in voto; nam cum ipse vouens voluntariè se voto adstrinxit, & obligauit, & ex alio capite ad cōmutandum in æquale, aut melius non requiratur iurisdictio, vt dixi in Decalog. *lib.*2. *cap.* 2. *dub.*45. *n.*2. ideo vouens poterit in euidens æquale, aut melius propria authoritate commutare suum votum, non verò pœnitens pœnitentiam à confessario impositam.

14 Ex dictis in hoc quæsito sequitur, quando pœnitens non recordatur pœnitētiæ impositæ, nec potest adire primum confessarium, non posse impleri pœnitentiá secundum propriũ arbitrium, seu aliam pro oblita subrogare, habita ratione pœnitētiæ, quæ pro huiusmodi peccatis imponi solet, vt bene infert Bonac. *vbi sup. n.*11. quia pœnitentia proprio arbitrio assumpta, aut imposita, non est Sacramenti pars: ideóque per ipsam non integratur Sacramentum.

15 Quæres sextò an facta commutatione pœnitentiæ, sit liberum pœnitenti eligere quam maluerit pœnitentiam, videlicet primam, aut secundam. Respondeo affirmatiuè, vt docent Suar. *disp.*38.*sect.*10. *n.*7.& cum aliis Bonac.*vbi sup.n.*13. quia commutatio fit in fauorem pœnitētia, vt in simili dixi de cōmutatione voti in expositione Bullæ *lib.* 1. §.7.*c.*3. *dub.*14.*n.*10.& in Decal. *lib.*2.*c.*2.*dub.*48.*n.*6.& 7.

16 Quæres septimò, an confessarius teneatur, iusta causa intercedēte, & pœnitente postulante, illius rationabilem pœnitentiam commutare. Ioan. Sanc. *in suis select. disp.*14. id negat de pœnitentia, similiter, & de voto, contra Sanchez in Decal. *lib* 4. *c.*34. *n.*12. ait enim ius pœnitentis respectu cōfessarij tantum extendi ad postulandā absolutionem, confessione iam incepta; addit tamē in fine numeri posse cōfessariũ peccare contra charitatem omittentē commutationem pœnitētiæ, vel votorũ, videntem periculum fractionis, nisi mutentur: vel maximam afflictionem, & cordis angustias pœnitentis, vel votum habentis; addit, & eodē modo tenebuntur regulares, si Parochus, vel alius cōfessarius non adesset, qui cōmutaret: existimo tamen quemlibet confessarium, qui iam cœpit audire pœnitentem, teneri, illo petēte, ipsius pœnitentiam commutare; nam supposito, quòd ipsum velit audire, & audiat, acquisiuit ius, nō solum ad absolutionem, sed etiam ad omnia, quæ ad beneficium, & vtilitatem pœnitentis, vt pœnitens est, spectant: sicque tenetur confessarius deposita propria opinione, pœnitentis opinioni se se conformare, vt docent communiter DD.

17 Nota, quando commutatur, pœnitentia, tutius esse, vt pœnitens pro ea lucretur indulgentiam, quá Bulla, aut Iubilæum concedit, cum absolutione ab iniunctis, debet tamē confessarius aliquam, etsi modicam, pœnitentiam iniũgere, vt vi pœnitentiæ Sacramentũ sit integrum; tum etiam, vt pœnitens bonis operibus assuescat, cōsequenter pœnitens tenetur aliquam pœnitentiá acceptare, quamuis ipsi per reuelationē constaret, omnem pœná ei esse remissam per contritionem, vel indulgentiam. Henr. *lib.*2. *de pœnit. c.*21. *n* 3. & 6. & patet ex superius dictis. Addit Henriq. quando confessarius non designauit tempus implendæ pœnitentiæ, posse pœnitentem differre pœnitentias cōmutandas in tempus Iubilæi.

18 Nota etiam, etsi iuxta superius dicta confessarios possit commutare pœnitentiam, non tamen ad id teneri, si nolit, nisi adsit periculum fractionis in pœnitente, vel maxima afflictio, & cordis angustia, vt diximus de commutatione votorum, & docet Diana *part.*3. *tract.* 4. *resol.*53. cum Sancio *in select. disput.* 14. *num.*17.

Dub. IV.

An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam sibi à confessario impositam.

1 NAuarr. *cap.*26. *num.*10. Caietan. *tom.*1. *opusc. tract.*6. *quæst.*2. *ad* 2. & aliqui apud Bonac. *disputat.* 5. *quæst.* 31. *sect.* 3. *punct.* 4. *num.* 1. & Dian. 1. *part. tractat.* 15. *resolut.* 3. quam opinionem reputat probabilem Sot. *in* 4. *distinct.*20. *q* 1. *artic.* 1. Villalob. *tom.* 1. *tractat.* 9. *diff.* 28. *num.* 4. ait, esse absoluendum pœnitentem, qui hanc sententiam sequi voluerit, existimant non teneri pœnitentem acceptare pœnitentiam hîc adimplendam, sed posse reseruare satisfactionem faciendam in Purgatorio, & electionem sumere luendi pœnitentiam, vel in hac vita per alia opera pia, vel in Purgatorio.

2 Dicendum tamen est, posse confessarium obligare pœnitentem ad acceptandam pœnitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam, consequenter teneri pœnitentem eam acceptare. Ita Suar. *disput.* 39. *sect.* 7. *num.* 1. Coninch. *disput* 10. *dub.*9. *num.*9. Filiuc. *tom.*1. *tract.*8. *c.*2. *n.*33. & pluribus adductis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.*5. *sect.*3. *punct.*4. *num.* 1. vbi hanc doctrinam adeò certam existimant, vt hoc tempore sine temeritate negari non possit. Vasquez vero *quæst.*84. *art.*2. *dub.*1. *num.*5. reputat definitam à Trident. *sess.*14. *c.*8. consequenter oppositam non esse Catholicam; at cum non sit apertè definita non videtur tanta nota inurenda. Nugn. autem *quæst.* 15. *artic.* 1. & 9. *artic.* 1. *diff.* 1. *conclus.* 1. existimant opinionem contrariam esse improbabilem: denique Filiuc. nostram ait post Trident. esse fere certam, & communiorem, DD. similiter, & Dian. 1. *part tract.* 15. *resol.* 31. & 3. *part. tract.* 4 *resol.* 51. Et confirmatur primò ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. vbi dicit, esse in Sacerdotibus potestatem ligandi, non tantum ad medicamentum infirmitatis, sed etiam ad vindictam peccati commissi. Secundò, quia tenetur confessarius imponere pœnitentiam; ergo tenetur pœnitens eam acceptare, vterque enim tenetur seruare integritatem Sacramenti, cum vterque ad Sacramentum concurrat. Tertiò, quia pœnitens tenetur parere iudici rectè iudicanti, iudex autem est confessarius, qui pœnitentiam iniungit. Nec obstat, quòd pœnitens possit reseruare satisfactionem in Purgatorio, nam in lege gratiæ commissum est iudicium de peccatis confessori, ideò potest imponere obligationem satisfaciendi in hac vita: & supposito quod pœnitens se subiiciat clauibus, & velit hoc Sacramentum suscipere, tenetur illud perfectè, & integre suscipere, consequenter tenetur satisfactionem acceptare ob integritatem Sacramenti, & iudicij; ideo non poterit eam reseruare luendam in Purgatorio.

3 Quapropter existimo hanc sententiam ita certam, & veram, vt opposita in praxi minime sit admittenda, ideóque ego minime absoluerem pœnitentem, qui non vult acceptare rationabilem, & sibi commodam, ac facilem pœnitentiam, censetur enim hic accedere indispositus, cum renuat integrum percipere Sacramentum, quod facilè facere potest, ideò detruncando Sacramentum peccat mortaliter, quod quidem peccatum actu semper manet, dum confitetur, ideò irritum reddit Sacramentum Henriq. *lib.* 1. & 2. *de pœnit. cap.* 20. *num.*2. Integrum tamen est pœnitenti, si ipsi nimia, & grauis videtur pœnitentia, vt possit rogare confessarium, vt eam mitiget, quantum fieri possit: quo in casu confessarius annuere debet, quantum potest, vt suauius efficiatur, iugum confessionis, vt benè notant Nauarrus *vbi suprà*, Henriq. *lib.* 2 *de pœnit. c.* 10. *n.*5. Sot. Caiet. & alij apud Bonac. *loc cit. n.*2. qui *n.*3. cū Suar. *sect.*7. *n.*4. Conin. *vbi sup. n* 80. & aliis addit in hoc casu posse pœnitentem absque peccato mortali, ante acceptam absolutionem, si cōfessarius nolit pœnitentiam moderare, quærere aliũ confessarium, non enim tenetur sub mortali obedire confessario; nisi quatenus intendit ab eo absolu-

tionem obtinere. At si pœnitens non respuat omnē pœnitentiam, sed acceptat aliqualem, licet paruam, videtur posse absolui. Vt tenet Regin. *lib. 7. c. 2. n. 15.* & com aliis Dian. 2. *part. tract. 13. resol. 51.*

4 Tenetur ergo pœnitens acceptare pœnitentiā, regulariter, vt ex genere suo, sub mortali; quia materia hæc est res grauis, & pertinens ad diuinam iustitiā, & sacramenti integritatem. Ita DD. asserentes teneri pœnitentē acceptare pœnitentiā. Quod procedit, etsi pœnitētia sit leuissima, vt vna salutatio Angelica propter rationes superius dictas. Vide Sanch. *in sel. disp. 15. num. 17. verb. fateor.* Vnde reiiciendus Eman. Sà absolute tenens, non adimplentem pœnitentiam acceptatam non peccare mortaliter, nisi adsit contemptus.

5 Sed quæres primò, quale peccatum committat pœnitens, qui reuera acceptat pœnitentiā, & postea culpa sua eā non adimplet. Respōdeo peccare mortaliter, non adimplendo pœnitentiam grauem acceptatam, siue grauis illa pœnitentia imposita sit pro mortalibus aliàs non confessis, siue iā confessis, siue etiam pro venialibus: sicut sententia positiua, seu lex in re graui obligat sub mortali, faciens enim contra obligationē in re graui peccat mortaliter. Si autem pœnitentia sit leuis, eam nō adimplens non peccat mortaliter etiāsi iniuncta fuerit pro peccato mortali nunquā confesso, vt homini infirmo, aut tempore Iubilæi, interdum imponitur: sicut votum, aut statumentum in re leui non obligant sub mortali ad sui impletionem. Ita Nau c. 21 *n. 44.* & cōmuniter DD. apud Bonac. *tom. 1. disp. 5. q. 5. sect. 5. punct. 4. n. 4.* & Henriq. *lib. 2. de pœnit. c. 20. n. 5.* vbi & benè, asserit, obligationem non tam respicere causam, quam grauitatem pœnitentiæ iniunctæ. Quod procedit etiā in omittente partem leuem magnæ pœnitentiæ, vt docet Nau. Bonac. *vbi sup.* & ait probabile Sancius *in select. disp. 15. n. 14. & 17.* & alii. Idem tenet Suar. *disp. 38. sect. 7. n. 5.* nec peccare mortaliter omittendo grauem pœnitentiam, quando declarauit confessarius, illam se imponere sub peccati tantum venialis obligatione, quod reputat probabile. Filiuc. *supr. n. 54.* et si probabilius, & meritò, reputet Bonac. *sup. n. 4. in fin.* & Sancius *sup. disp. 15. n. 16. in fin.* non posse confessarium sic imponere, eo quod nomine Dei, & non proprio, satisfactionem imponat, ideòque non potest illā, prout voluerit, temperare, sed tenetur, eā imponere iuxta institutionem, & naturam Sacramēti, quæ postulat, vt pœnitētia præcipiatur; at præceptum in re graui obligat sub mortali. Ita etiam Coninc. *d. dub. 8. n. 65.* A contrario sensu existimo (quidquid aliqui dicant) confessarium non posse imponere pœnitentiam leuem pro venialibus, ita vt velit sub mortali obligare. Aduerte tamen, Sanciū *d. n. 14.* existimare nolentem adimplere pœnitentiam leuē, etiam peccare mortaliter; nā, ait, tenetur hic eā sub mortali acceptare, ne defectibile, & truncum reddat Sacramentū; ergo etiā sub mortali tenetur implere: quod mihi nō probatur, tū quia contra communem DD. tū etiam quia est in his diuersa ratio; nam nolens acceptare facit iniuriā, & irreuerentiā confessario, & ipsi Sacramēto, volendo illud suscipere, quod non contingit quando illā acceptauit, nā in hoc casu fuit fidelis in promittendo, & solum infidelis in adimplendo, & cum materia sit leuis, inde est, vt eā non adimplens, solum peccet venialiter, sicut iurans facere rem leuē sine animo adimplendi peccat mortaliter, si autē sit animus adimplendi, & postea rem leuem non adimpleat, solum peccat venialiter vt eum multis dixi in Decalog. *lib. 2. c. 1. dub. 6. n. 6.* censetur autem pœnitentia grauis, v. g. vnum Rosarium, seu Corona B. M. Virginis, septem Psalmi, aut ites Miserere mei; leuis autem vnum Pater noster & vna Aue Maria, imò, & quinque.

9 Excusari tamen potest pœnitens non adimplens pœnitentiam iniunctam. Primò, quādo intolerabilis est, & irrationabiliter iniuncta, hæc enim cum clauę errante imposita sit, nō censetur obligare, & sibi imputet iudex; quod pœnitentiā indiscretā imposuerit Secundò, excusat impotētia superueniens postea, quam pœnitētia fuit rationabiliter imposita, de qua excusatione nemo dubitat, cū ad impossibile nemo teneatur, Suius *in 4 d. 20. art. 3. q. 2.* Suar. *disp. 38. sect. 10. in princ.* & Sanc. *in sel. disp. 14. n. 20.* quibus in casibus si constat liquidò de imprudentia, seu impotentia nō est opus confessarij declaratione, sicut nec ad alia præcepta implenda, nec tenebitur commutationem petere, cū nulla sit ratio ad id obligans, vt patet in aliis præceptis, & votis, & docet Suar. *citat.* Quod si dubius sit pœnitens, an impotentia sit sufficiens ad excusandū, consulere tenetur cōfessarium, vel alium virū doctum, vt tuta reddatur ipsius conscientia: si verò pœnitentia rationabilis sit, & impotentia non superueniat, sed tantū pœnitens ægre ferat illā implere, non ob id ad alio confessario mutāda erit; nā cum Sacramenti iugū sit pœnale iustum est, vt pœnā sentiant in adimpletione pœnitētiæ, vt benè Sanc. *vbi sup.* At sit materia pœnitentiæ sit diuidua, vt si imposita est pœnitentia erogandi eleemosynā quinquaginta aureorū, si non potest totam implere tenetur ad partem: sicut qui vouit ieiunare totā Quadragesimam si non potest in totū tenetur ad id quod potest, vt dixi in Decal. *lib. 2. c. 3. dub. 10. n. 3.* si verò materia sit indiuisibilis, excusatur a tota, si illā implere, non potest. Sanc. *in select. disp. 15. n. 1. & 2.* qui *n. 7.* cō Sanch. in Decal. *lib. 2. c. 19. n. 4.* tenet tertiam partem circuli Virginei, *vn tercio de Rosario*, indiuiduam materiam reputari; nam deficientibus aliquibus, Aue, Rosarium non dicitur.

10 Excusatur etiam à præcepto implendi pœnitētiam, quando superior suo præcepto prohibet opera iniuncta: vnde Religiosus, vxor, & seruus quibus esset iniuncta pœnitentia ieiunandi, vel inuisendi aliquā Ecclesiā, & à Prælato, viro, vel domino prohiberetur horū executio, essēt immunes à peccato fractionis pœnitentiæ, eo quod tūc moraliter censentur impotentes ad pœnitentiā adimplendam, & non teneantur pati discordias, nec commutationē in alia opera quærere, eo quod nullus teneatur, bis eadem peccata fateri, præsertim pudorē inducētia, quod requiritur ad pœnitentiā cōmutandam iuxta superius dicta *quæsit 5.* Cessānte autē prohibitione, vt si vxor vidua effecta: aut seruus liber, tenentur pœnitentiam adimplere, quia illa prohibitione solum suspensa, nō verò ablata fuit pœnitentia; nisi fortè pro certo die implenda esset, & iā est elapsus. Nec tenetur seruus aliū quærere dominū, quem scit non vetiturū pœnitentiā, vt bene de iis omnibus Io. Sanc. *in suis select. disp. 15. c. 9. & 10.* sicut nec diues tenetur ab operibus seruilibus abstinere. vt obseruet ieiuniū, vt dixi in Decal. *lib. 3. c. 2. dub. 7. n. 9.* eo quod ex præcepto pœnitētiæ, aut ieiunij solū obligetur quis ea implere potētia extante, nō autem potentiā quærere: hoc enim nō est præceptū violare, sed modum, quo non obliget præceptū, seu fugā præcepti perquirere, vide quæ diximus de ieiunio, *loc. cit.* Addi potest nō obligare pœnitentiam ad culpā aliquam, quando imposita est sub consilio, & non sub præcepto, de quo vide *sup hoc c. dub. 2. n. 9.* & Henriq. *lib. 2. de pœnit c. 22.*

11 Quæres secundò, quando teneatur pœnitens implere pœnitentiam iniunctam. Respōdeo, si confessarius determinauit tempus certum, teneri intra illud eam adimplere, aliter peccat, pro grauitate, & qualitate

qualitate pœnitentiæ, vt patet à simili de obligato ad restituendum, vel ad implendum votum. Quod si intra illud tempus pœnitentiam non adimpleuerit, tenetur eo elapso eam implere; quia tempus non fuit præfixum ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam, & non differendam absque iusta causa, & tẽpus solum fuit circumstantia accidentalis operis: modò tamen pœnitentia non sit tempori alligata, intuitu, & honore temporis, vt si in honorem B.M.V. præscribatur ieiunium in singulis eius Vigiliis, aut sumptio Eucharistiæ singulis festis quintis, aut confessio singulis diebus festis, tunc enim omissa pœnitentia illis diebus, etsi peccauerit pœnitens, non est repetenda. Nau. c. 12. *n.* 54. Coninch. *disp.* 10. *dub.* 9. *n.* 85. Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 34. *n.* 57. Suar. *disp.* 38. *sect.* 7. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 3. *punct.* 4. *n.* 5. Quòd si confessarius non præfixit terminum adimplendæ pœnitentiæ teneatur pœnitens eam adimplere, quamprimum commodè poterit; talia enim censetur rationabilis confessarij voluntas: quare si iudicio prudentis diu differat adimplere grauem pœnitentiam, grauiter peccat: secus si non multum differat, vel si pœnitentia non sit grauis, vt patet à simili de aliis obligationibus. Soar. *loco cit. n.* 6. Conin. *n.* 84. & cum aliis Bonac. *vbi sup. n.* 6. *in fin.* Aduerte cum Henriq. *lib.* 2. *c.* 22. *n.* 6. quando confessarius non designauit tempus adimplendæ pœnitentiæ, posse pœnitentem illam differre commutandam ad tempus iubilæi, vide *dub. antec. in fin.* Ex his patet non esse admittendam sententiam Dianæ 1. *p. tr.* 15. *resol.* 35, *verb & hæc*, vbi cum Fernand. *in instruct. confes. p.* 1. *docum.* 7. §. 2. *n.* 2. tenet, posse pœnitentem differre per annum pœnitentiam, quando confessarius non designauit tempus.

12. Quæres tertiò, vtrum pœnitens possit pœnitentiæ iniunctæ satisfacere, lucrando aliquam indulgentiam; vel an liberetur à præcepto implendi pœnitentiam, per comparationem alicuius indulgentiæ. Affirmatiuè respondet Bonac. (& alij qui) *sup. n.* 7. si indulgentia est æquiualens pœnitentiæ, aut si est totalis: verius tamen, & tenendum existimo oppositum, vt latè dixi, & probaui in exposit. Bul. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 14. *n.* 14. satisfactio enim non solum ponitur pro recompensatione pœnæ, sed vt opus pœnale in vindictam peccatorum, & vt medicina contra peccata, & vt pars integralis Sacramenti, ob quas rationes non est admittenda prior opinio (etsi non sit improbabilis, & minus quod dicit Bonac. *vbi sup. n.* 8. videlicet obligationem pœnitentiæ cessare non solum per indulgentias, sed etiam per remissionem pœnæ, alia via obtentam, vt per alia pia opera satisfactoria propria, vel aliena sibi applicata, nam talis satisfactio non habet requisita ad sacramentalem satisfactionem, eo quod non sit à cõfessario, tanquam pars Sacramenti imposita. Vide in Bull. *loc. cit.* vbi dixi posse liberari pœnitentem à satisfactione imposita per Indulgentiam assumptam, si id exprimat confessarius, aut in eam commutet confessarius. Vide Henr. *lib.* 7. *de indulg.* c. 17. *n.* 1. *in fin.* vbi dicit, confessarium per Bullam Cruciatæ posse commutare pœnitentias iniunctas, vt vice illarum obtineat indulgentiam in Bulla concessam, qui modus expediens est pro illis, qui negligentes sunt in adimplendis pœnitentiis, & fragiles in illis violãdis.

13. Quæres quartò, an pœnitentia à confessario iniuncta possit per alium impleri. Respondeo negatiuè, nisi confessarius expressè dicat, vt possit eã per alium implere. Ita communis apud Suar. *disp.* 38. *sect.* 9. Probatur ex communi vsu confessariorum imponentium pœnitentiam, & fidelium eam acceptantium: est enim, communiter, & regulariter loquendo adimpletio pœnitentiæ actio personalis. Dixi, *nisi confessarius id exprimat*, nam sic conueniunt DD. posse per alium adimpleri, & satisfacere præcepto confessarij; quia hoc præceptum pendet ex voluntate confessarij, ideò illi fit satis, si eius voluntas impleatur; non tamen debet id facere confessarius sine causa iusta, & graui. Quæ quidẽ satisfactio per alium præstita prodest ipsi pœnitenti ex opere operato, non quidem prout actu fit ab illo tertio, sed prout pœnitens sua actione curat ab alio præstari, & quia semper fieret ex motiuo, & petitione pœnitentis, ideóque esset aliquo modo satisfactio ipsius, & pars Sacramenti ab illo suscepti. Hoc autem aduerte, casu quo pœnitentia esset purè medicinalis, & præseruatiua, v.g. quòd non intret domum cõcubinæ, non posse per alium impleri, vt de se patet, quia hæc actio est mere personalis. Vide Suar. *vbi supra* Henriq. *lib.* 2. *c.* 21. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 3. *punct.* 4. *proposit.* 3. & Conin. *disp.* 10. *dub.* 7.

14 Quæres quintò, an confessarius possit obligare pœnitentem ad implendã pœnitentiam, priusquam eum absoluat. Respondeo negatiuè, si loquamur de pœnitentia prout satisfactio, quia per se loquendo nullum ius habet ad sic obligãdum; per accidens tamen posset, vt si probabiliter existimet, illum non impleturum pœnitentiam, in quo est prudenter agendum. Si verò loquamur de satisfactione, vt est medicina, aliquãdo posset ad id obligare, quia tunc pertinet potius ad dignam dispositionem, & esset tantum declaratio obligationis, quam pœnitens de se habet. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *c.* 2. *n.* 56.

15 Quæres sextò, an sit necesse implere pœnitentiam in statu gratiæ. Respondeo, ad Sacramenti integritatem, & ad adimplendum præceptũ confessarij sufficere, si impleatur etiam in statu peccati mortalis; quia tunc facit, quod sibi à confessario est præceptum; confessarius autem præcipit opus, non modũ, & in aliis præceptis, & Sacramẽtis satis est substantia operis, etiamsi fiant in peccato: peccabit tamen sic satisfaciens, quia ponit obicem effectui satisfactionis: hoc autẽ peccatum solum erit veniale, vt docent Filiuc. *sup. n.* 5. Soar. *loc. cit. n.* 7. Henr. *lib.* 2. *de pœnit. c.* 8. *n.* 3. *& c.* 20. *n.* 7. & cum aliis Bonac. *sup. n.* 15. *in fin.* Ratio est, quia adimpletio pœnitentiæ in statu peccati mortalis, non videtur tractatio istius partis adcò indigna, & grauis, vt afficiat pœnitentem reatu culpæ lethalis: tum quia nullus consueuit, se de hoc peccato in confessione accusare; ergo signũ est communiter non esse peccatũ mortale. Non autem satisfactio, seu pœnitentia (nã de hac loquimur) in peccato mortali facta operatur suum effectum. Suar. *loc. cit.* Henriq. c. 20. *n.* 7. & cum aliis Bonac. *sup. n.* 16. nam peccatum mortale est obex, & impedimẽtum ad remissionem pœnæ; sicut enim Sacramentũ non prius remittit pœnam, quàm culpam; ita neque satisfactio quæ est pars sacramentalis, tollit pœnam antequam ablata sit culpa: sublato verò obice, id est peccato mortali, pœnitentia, seu satisfactio sacramẽtalis reuiuiscit, & sortitur suum effectum. Suar. *disp.* 38. *sect.* 8. *n.* 5. Henriq. *lib.* 2. *de pœnit. c.* 20. *n.* 7. & cum aliis Bonac. *sup. n.* 17. Ratio est, quia Sacramentum, sublata fictione, operatur suum effectum; ergo illius pars quæ est satisfactio, sublato obice, suum causabit ex operato effectum. Satisfactio autem non sacramentalis, & volũtarie assumpta in peccato mortali, facta postea non reuiuiscit, quia opera satisfactoria in eo statu facta, sunt mortua, & non mortificata, satisfactio vero sacramentalis ex se est opus viuum, licet aliquando sit mortificatũ per indispositionem pœnitentis, ideo sublata reuiuiscit. Ita etiam, & DD. communiter. Vtilia tamen sunt talia opera

ad præparandum, ad gratiam, cuius dispositionem impetrant, impetrant etiam bona temporalia, vt salutem, & pluuiam; excitant sanctos, & Angelum custodem, vt orent pro ipso, & impediunt Diabolum, ne tentet, & noceat, Henriq. *lib. 2. de pœnit. cap. 20. num. 7. & 8.*

16 Pro coronide huius disputationis aduertendum est, vt confessarius sit prudens in imponenda pœnitentia, vt auaris eleemosynam imponat; indeuotis orationem, lubricis abstinentiam, vt contraria contrariis curentur: vel vt tale opus pro certo tempore faciat: vt recitet Rosarium; aut si malit, bis in die. Non tamen inducat, vt iuret, aut voueat (nisi ratò) talem pœnitentiam subiturũ, si reincidat; vel vt intret Religionem, si reciderit: potest tamen imponere, vt bis aut ter in anno confiteatur (modo sponte id admittat, ne fortè sit ei in laqueum, & cessationem à tali peccato: debet etiam imponere pœnitentias proportionatas, non tantum numero, & qualitati peccatorum, sed etiam dispositioni personæ, vt leuior ei, qui ostendit signa contritionis magnæ, & longæ vitæ bonam frugem; aut quia infirmior est animo, aut corpore; aut quia de grauioribus nihil creditur impleturus: suauior sit confessarius, si præditus bono intellectu, benè capit reprehensionem, & consilia confessarij, aut vult frequentare pœnitentiam, & communionem, quando expedierit, poterit iniungere opera præcepti, vt quod bis in Quadragesima ieiunet. Expedit etiam aliquas pœnitentias ponere sub consilio, modo, *vt sup dub. 2. n. 9.* Cautus tamen sit, ne publicum opus iniungat pro peccatis occultis, ne innotescant peccata pœnitentis, ne ergo imponat his, qui in communi cibum sumunt, ieiunia panis, & aquæ. Caueat etiam confessarius, sibi applicari Missas, ne in suspicionem auaritiæ veniat. Vide Henriquez *lib. 2. de pœnit c. 21 per totum.*

Cap. VIII.

De sigillo confessionis.

Dub. I.

Quo iure confessarius teneatur ad sigillum confessionis.

Dico primò, confessarius tenetur sigillum confessionis seruare iure naturæ, iure diuino, & iure humano Ecclesiastico, ita cum DD. citandis Bonacin. *disp. 5. q. 6. sect. 5 punct. 1.* prior pars probatur, quia iure naturæ tenemur secretum, & famam proximi seruare, aliter peccatur contra iustitiam, vt late dixi in Decal *lib. 7 c. 10. dub. 32.* Ergo à fortiori secretum confessionis, in qua sit pactum tacitum inter pœnitentem, & confessarium custodiendi secretum, sicut rem ab altero in custodiam acceptã, iuxta illud Prou. 11. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, seruat amici commissum.* Est enim hoc maximè necessarium ad seruandã pacem, & societatem inter homines, & virtus Religionis, supposita institutione Sacramenti, obligat ad id, ob eius reuerentiam, & ne reddatur odiosa. Ita Suarez *de pœnit. disp. 33. sect. 1.* Filliuc. *tom. 1. tr. 7. c. 11. n. 315.* Onuph. *de sacr. sigil sect. 1 q. 3* Nau. *c. Sacerdos, de pœnit. dist 6. n. 33.* & cum aliis Bonac. *supr. n. 1.*

2 Secunda pars, quod etiam teneatur de iure diuino confessarius seruare sigillum, probatur, quia confessarius vices Dei gerit, at Deus ita remittit peccata vt ea tegat, eorumque obliuiscatur. Ps. 31. *Beati quorum remissæ iniquitates, & tecta sunt peccata.* Et Ezech. 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Ergo idem facere debet confessarius Christi Vicarius: Christus enim Sacramentũ confessionis instituendo, censetur eo modo confessionem præcepisse, quo ab hominibus facilè posset vsurpari, & exerceri, difficilè autem vsurparetur ab hominibus, si confessarius ad sigillum non teneretur: imò confessio fieret odiosa, & onerosa. & ab ea multi retraherentur, & abhorrerent. Ita S. Thom. *in add. q. 11. art. 1.* Henr. *lib. 6. c. 19. n. 3.* Conin. *disp. 9 n. 4. & dub 2. n. 34.* Suarez *sup.* Bonac. *loco. citat num. 2.* & communiter DD.

3 Tertia pars, quòd etiam teneatur iure Ecclesiastico, probatur ex c. *Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* ibi: *Caueant omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodant peccatorem,* vbi etiam imponitur depositio, & detrusio in arctum Monasterium contra reuelantem.

4 Dico secundò, tanta est obligatio seruandi sigillum, vt in nullo casu etiam pro tuenda republica à quocumque malo temporali, seu spirituali: imò quãuis esset totius orbis salus, aut eiusdẽ conflagratio, & omnium Sacramentorum interna demolitio (Deus enim his alio remedio prouideret) liceat illud violare, & absque pœnitentis licentia reuelare, ita communis DD. apud Suar. *d sect 2.* contra vnum Altisiodor. & Henr. *lib. 6. c. 19. n. 5.* probatur *ex d. c. Omnes. & c. Sacerdos de pœn* vbi dicitur: *Propter nullum scandalum vitandum frangendum esse hoc sigillum.* Ratio fundamentalis est, quia etiamsi in vno casu id liceret, fieret iniuria Sacramento, & redderetur confessio odiosa: est enim hoc præceptum negatiuum, ideò obligat semper, & pro semper, magis quàm aliud secretum voto, vel iuramento firmatum: vnde in nullo casu potest violari.

5 Sequitur ex his primò, non posse Pontificem in hoc præcepto dispensare, ita DD. citati; quia vt dictum est, est de iure naturali, & diuino in quo non cadit dispensatio. Quare si iniquus Prælatus, vel Iudex iubeat sub iuramento, vel censura confessario, vt reuelet, non poterit reuelare, nec ligabitur censura; qui poterit tacere, aut si respondeat, poterit negare, se scire, vidisse, vel audiuisse, etiam in confessione; nec erit mendax aut periurus; quia non scit vt homo, & ad reuelandum, sed vt Deus, & ad tegendum: verè enim nescit illud, quod interrogare alter ius non habet: sic dicitur, filium hominis diem iudicij ignorare; nõ absolutè, sed ad reuelandum. Nau. *cap. 8. num. 19.* Caietan. *verbo absolutio*, & communiter DD. vide Henriq. *lib. 5. de pœnit. cap. 19.* & cum aliis Bonac. *tom. 1. disp 5. q. 6 sect. 5. punct. 4. num. 31. & 32.*

6 Sequitur secundò, obligationem seruandi sigillum esse sub mortali, est commune, & euidens, quia res grauissima est, committeretque reuelans duo peccata: primum sacrilegij contra reuerentiã Sacramenti, & bonum eius: secundum, contra iustitiam, quia est contra famam proximi, & secretum ab eo commissum in custodiam, consequenter teneretur ad restitutionem damni inde secuti. Quod procedit etiamsi detegatur solum peccatum veniale; quia etiam tunc fieret grauis iniuria Sacramento, redderetur que odiosum, sequerentur etiam multa incommoda. Ex quo patet, in hac re non excusare paruitatem materiæ, vt docet Suar. *disp. 33. sect. 1. n. 12. & sect. 3. n. 2.* Sotus *in 4. dist. 18. q 4. art 5.* Nau. *in c. Sacerdos de pœnit. dist 6. n. 39.* Henriq *lib. 6 c. 19. n 3.* & cum aliis Bonac. *supr. num. 4. & 5.* Procedit etiam, quamuis pœnitens mortuus sit, propter rationem

nem dicta: durat enim ius fama, etiam post mortem, consequenter obligatio aam seruandi etiam durat Nauar.*c.*8.*n.*7. Filliuc.*tom.*1. *tract.*7.*cap.*11.*n.* 318.*vers.Secundus.*Quare si mortuo pœnitente necessarium esset aperire peccatum ad impediendum matrimonium, quod alioqui nullum esset, illicitum etiam erit tunc illud reuelare, vt docent citati, propter rationem dictam, quidquid aliqui canonistæ apud Couarr. *de matrim.*2.*part.c.*8.§.15.*n.*9.

7 Sequitur tertiò, illicitum etiam esse, secretum confessionis reuelara, etiamsi reuelatio futura asset vtilis pœnitenti, & credatur non fore ingratam, nec propterea confessio reddenda sit odiosa: tum quia semper fieret odiosa confessio: tum quia etiam si non asset in aliquo casu particulati, id esset per accidens: tum quia fieret iniuria semper ipsi Sacramento. Communis apud Suarez *sup.n.*17. quidquid contra Sotus, Altisiodorensis.

8 Sequitur quartò, non posse vllo modo reuelari hoc secretum, etiamsi necessarium sit Sacerdoti ad propriam confessionem integrè faciendam, quando scilicet commisit peccatum audiendo confessionem alterius, nec illud potest manifestare, nisi reuelando personam, vt si absoluit hæreticum, vel iudicem, qui capite damnauit Ecclesiasticum, quod non potest manifestare, nisi reuelando personam. Syluest.*confessio* 3.*num* 13. Nauarr *cap.*8 *num.*6. Suarez *disp.*33. *sect.*1.*num.*18. & alij. Ratio est, tum quia maior est obligatio sigilli, quàm integritatis materialis confessionis, ideo in concursu illi est præferenda. Tum quia, vt diai *supr. hoc libr. cap.*6. *dub.*7.*num.*11. licet aliquando tacere peccatum proximi ad vitandam illius infamiam, & damnum; ergo à fortiori in hoc casu.

9 Sequitur quintò, nec licere reuelare hoc secretum, etiam in casu euidentis periculi propriæ vitæ. Sylu.*confessio* 3.*quæst.*19. Sotus *de secreto part.*3.*q* 4. Filliucius *sup.num.*318. *vers. Quartus*, & alij. Ratio est, quia non reuelara secretum hoc, seu sigillum est bonum commune, & maius, quam propria vita; argo si non licet reuelara ob bonum commune, multò minùs ob defensionem propriæ vitæ.

Dub. II.

Quæ cadant sub sigillum confessionis, seu ex qua confessione oriatur sigillum.

EX his quæ Doctores citandi docent circa hoc dubium, colligi potest hæc generalis propositio, seu conclusio.

1 Ea omnia cadunt sub sigillo confessionis, quæ manifestata sunt Sacerdoti per ordinem ad sacramentalem confessionem factam animo se accusandi. Ita Henriquez *lib.*6.*cap.*19.*num.*8. Suarez *disp.* 33.*sect.*2. Onuphrius *de sacr. sigillo sect.* 4. *quæst.*1. *conclus. vnica.* Coninch.*de pœnitent. disput.*9.*num.*4. & alij apud Bonac.*tom.* 1.*disp.*5.*quæst.*6.*sect.*5.*punct.* 2.*num.*1. Ratio est, quia ex horum manifestatione, confessarius censetur sacrilegus sigilli violator, & confessio redditur odiosa. A contrario sensu, aut ratione, dicendum est, non cadere sub sigillo ea, quæ non sunt manifestata per ordinem ad sacramentalem confessionem, quod ex illationibus sequentibus clarius constabit.

2 Ex hac conclusione infertur primò, non orit obligationem sigilli, quando scienter manifesta sua peccata laico, aut Clerico, quem manifestè scit non esse Sacerdotem, etiamsi credat ea tali confessione oriri sigillum. Coninch.*vbi sup.num.*6. Reginald *lib.*3.*num.*5. Suarez *loco citato.* & com aliis Bonacina *sup.num.*5 non enim hic manifestat peccata, in ordine ad sacramentalem confessionem. At si aliquis se finxit Sacerdotem, ob idque pœnitens manifestauit sua peccata, tenetur ad obligationem sigilli. Ita citati. Tum quia pœnitens manifestauit peccata in ordine ad confessionem sacramentalem. Tum quia fraus non debet patrocinari delinquenti.

3 Secundò, non teneri ad sigillum confessionis illum Sacerdotem, cui aliquid manifestatum est ab eo, qui non habet intentionem confitendi, etiamsi manifestans diceret, sub sigillo se illud manifestare, aut etiamsi hoc manifestauerit flexis genibus, vel præmissa confessione generali consueta, dicendo, Confiteor Deo, &c. nam omnia hæc, vt supponitur, non ordinantur ad confessionem Sacramentalem. Tenetur tamen hic seruare secretum naturale, vt de se patet, & docent Coninch *supr num.*6. Henriquez *lib.*6. *cap.*21. *num.* 3. Sanchez *libr.*3. *de matrim.disp.*13.*num.*6. & cum aliis Bonacina *supr. num* 3. Quod quidem secretum posset ob bonum commune reuelari, quia in pacto humano semper intelligitur exceptum bonum commune, aliàs esset iniustum Nauar.*de pœnit.dist.*6.*cap.*1.*initio.* Felinus *cap.Pastoral. de offic.ordin.* & cum iis Fillicios *supr. num.*319.*vers.Nec obstat.* Tenetur antem confessarius ad sigillum, quando dubitat, an aliquid reuelatum sibi fuerit à pœnitente per ordinem ad confessionem. Suarez *disputat.*33. *sect.*2. Henriquez *dict. cap.*19.*ad fin.* & cum aliis Bonacina *sup.num.*4. quia rationabiliter præsumendum est in fauorem confessionis, ne confessio fiat odiosa. Ita Graff. 1.*p.lib.* 1. *c.*13.*num.*16.

4 Tertiò, tenetur confessarius ad sigillum, quando quis ad illum accessit, non animo confitendi, sed pertrahendi confessarium ad peccatum, v.g. ad hæresim: aut si fur aliquid dicat confessario, vt faciliùs possit furtum retinere, & non possit ab eo denunciari. Ita cum Suarez, Vasquez, Onuphrio, Coninch & Nauar.*c.*8.*n.*18. Bonacina *sup.n.*5.

5 Quartò, tenetur confessarius sub obligatione sigilli ad reticendum ea quæ in confessione audiuit etiamsi ob aliquẽ defectum non absoluerit pœnitentem; tunc enim peccata, etsi non sint absoluenda, sunt tamen regenda, eo quòd sint manifestata in ordine ad confessionem. Ita citati, & Doctores communiter. Idem dic, quando confessio fuit facta Sacerdoti, qui postea dignoscitur non habere Iurisdictionem: vel non animo recipiendi absolutionem, sed tantùm se accusandi in illo foro, & satisfaciendi præcepto: sufficit enim confessionem esse inchoatam, & dicere peccata in ordine ad confessionem Sacramentalem Filliucius *sup. num* 320.

6 Quintò, cadunt sub sigillo omnia peccata, non solùm mortalia, vt est commune, & euidens, sed etiam venialia, quia vt *sup.dub.*1.*num.*6. in hac re non datur paruitas materiæ: semper enim respectu Sacramenti est grauis iniuria, quia aliàs auerterentur homines à Sacramento. Vnde non est audiendus Ledesma dicens, non esse mortale reuelare veniale, ita vt alij non intelligant fuisse cognitum in confessione. Posset tamen excusari ignorantia, vel inaduertentia, vt docet Suarez *disp.*33.*sect.*3 *n.*1. ex Soto, Nau. & aliis; quod etsi admittam, quantum ad inaduertentiam, non verò ignorantiam; nam in re tam communissima, & scitu necessaria, ignorantiam excusantem vix admittendam censeo.

Sextò, non ſolùm peccata in ordine ad confeſſionem Sacramentalem dicta, cadunt ſub ſigillo, ſed etiam circumſtantiæ; nam hæ, ſi mutant ſpeciem, ſunt diſtincta peccata: ſi tantùm augent, integrant peccatum, quod augent. Item obiecta peccatorum vt ſi quis ſe accuſet de detractione concubinatus Petri, vel proditionis Pauli erga Principem; cadunt enim hæc etiam ſub ſecreto ſigilli, quia ambo ſunt obiecta detractionis receptæ in confeſſione. Cadit etiam ſub ſigillo propoſitum committendi aliquod peccatum, quoties pœnitens illud manifeſtauit confeſſario, animo ſe accuſandi, ſeu per modum accuſationis coram Deo, vt ſi quis fateatur ſe habere propoſitum interficiendi aliquem; tunc enim interfectio illa eſt retinenda ſub ſigillo propter rationes ſæpè repetitas. Filliuc. *ſupr. n.* 321. & cum aliis Bonacina *vbi ſup. num.* 8. *&* 10. Addit Filliucius ex Suarez *ſect.* 3. *num.* 3. *&* 4. dicere, ſe in confeſſione audiuiſſe interfectionem Pauli futuram, modò non manifeſtetur pœnitens, non videri frangi ſigillum. Ego autem non audeo hoc admittere; ſemper enim videtur irrogari Sacramento irreuerentia, & generari ſcandalum. Dixi, *animo ſe accuſandi:* ſecus enim ſi animo ſolùm peruertendi confeſſarium, propoſitum malum manifeſtauit, vt ſupra dictum eſt. Quare quidam confeſſarius Cardinalis mulctatus fuit à Summo Pontifice, eo quod non manifeſtauerit conſpirationem in Summum Pontificem, quam alter ſibi aperuerat in confeſſione, non animo ſe accuſandi, ſed ipſum trahendi ad eandem coniurationem. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 5. Henriquez *lib.* 6. *c.* 21. *n.* 3. *lit. L.* & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 6. *ſect.* 5 *punct.* 2. *n.* 8.

8 Septimò cadunt ſub ſigillo omnia, quæ dicta ſunt ad declarandum peccatum; nam reductiuè ſunt materia confeſſionis, & ea reuelata, facerent confeſſionem odioſam. Hinc eſt, vt etiam vtilia ad explicandum peccatum, & quæ à pœnitentibus ducuntur in eum finem, tenenda ſint ſub ſigillo, vt ſi quis occaſione ſui peccati dicat, ſe eſſe genitum ex Hebræis, vel illegitimum. Sotus *ſupr.* Suarez *loco cit. num.* 6. Bonacina cum aliis *num.* 10. Item, ſi dicat ſe eſſe pauperem, aut ſi defectum naturalem manifeſtauit, vt contra Vaſquez tenet Bonacina. At ſi hæc non ſunt peccata, nec ad eius declarationem neceſſaria, aut vtilia, non videntur cadere ſub ſigillo, ſicut nec ea (vt ipſe fatetur Bonacina) quæ incidenter, nullo modo ſpectantia ad confeſſionem narrantur. Vide Suarez *diſput.* 33. *ſect.* 2. *n.* 5. & Coninch *de pœnit diſp.* 9. *num.* 13.

9 Octauo, non ſolum peccata occulta cadunt ſub ſigillo, ſed etiam publica, quæ aliàs erant ignota confeſſario, & quatenus ſunt in confeſſione manifeſtata. Probatur ratione ſæpè repetita: quare de fure publico, aut homicida, dicere non poſſet confeſſor, tales eſſe confeſſos cum magno dolore, vt ait Filliucius *ſup. n.* 321. *verſ. Quartò.* (ſed de hoc infrà) quia inquit, ſemper fieret iniuria Sacramento, & redderetur odioſum ſua natura, licet per accidens iniuria non fieret penitenti: ſi verò confeſſarius aliunde narrat, poſſet loqui extra confeſſionem eo modo, quo antea nouerat, modò non addat aliquid præter cognitionē, quam antea habebat. Nau. *c.* 8 *n.* 10. Coninch *loc. cit. n.* 9. *&* 12. Bonac. *num.* 8. & DD. communiter, ex quo cum Soto infert Bonac. ſi quis ſurripuerit res meas, & ego nouerim extra confeſſionem ipſum ſurripuiſſe, poſſum ipſum denuntiare poſtquam, mihi confeſſus fuerit hoc furtum, modò non vtar ſcientia confeſſionis, nec maiora adducam indicia, ob audita in confeſſione nec oſtendam, me illa ſcire in confeſſione. Aduertit tamen, & benè, Filliuc. *ſup.* cautè vtendum eſſe, & loquendū ex hac notitia, ne ſuſpicionem aliis ingerat vſus notitiæ per confeſſionem, vt ex S. Thom. & Bonacina docet Suarez *ſup. num.* 7.

10 Nono, non tenetur confeſſarius ex vi ſigilli cōfeſſionis ad occultanda bona, & virtutes pœnitentis: ſed ſolùm ex vi ſecreti naturalis ſecundum intentionem pœnitentis. Nauarr. *cap. Sacerdos. de pœnit. diſt.* 6. *n.* 51. Emanuel Sà *verb. Confeſſio. n.* 32. Henriq. *vbi ſup.* & Bonac. *loc. cit. n.* 11. quia huiuſmodi non ſolent in confeſſione manifeſtari, animo ſe accuſandi, & eorum manifeſtatione confeſſio non conſueuit fieri odioſa.

11 Notandum tamē, hæc omnia, quæ diximus non poſſe manifeſtari, intelligenda eſſe in ordine ad pœnitentem, id eſt, non poſſe peccata, circumſtantias, obiecta, & alia, dici ita, vt agnoſcatur perſona, quæ illa commiſit: alioqui loqui in generali de peccatis in confeſſione auditis, modò fiat prudenter non eſt contra ſigillum, vt communis apud Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 3. *n.* 8. & clariùs conſtabit ex dicendis *infra dub.* 4. Dixi, *prudenter*, quia ſi quis poſt breue tempus ab audita confeſſione ageret coram multis de rebus in confeſſione auditis, apponeret ſe periculo frangendi ſigillum.

Dvb. III.

Quinam teneantur ſeruare ſigillum confeſſionis.

1 Conſentiunt DD. eos omnes teneri ad ſigillū confeſſionis, qui aliquid norunt occaſione confeſſionis; quia ſicut illa cadere dicuntur ſub ſigillo quæ dicuntur in ordine ad confeſſionem ſacramentalem, ita etiam illi illud ſeruare tenentur, qui aliquid ſciunt in ordine ad illam: & ſunt qui ſequuntur.

2 Primò tenetur ſigillum ſeruare confeſſarius ipſe ſub grauiſſimis pœnis, de quibus infra: eſt commune & patet ex ſupradictis.

3 Secundò, obligantur ad ſigillum ſuperiores, quibus confeſſarius aliquid in confeſſione auditum aperuit, vt facultatem abſoluendi à reſeruatis concedat, quia ſuperior tunc agit vices confeſſarij, & res cum ſuo onere tranſit. Nauar. *c. Sacerd. de pœn. diſt.* 6. *n.* 105. Coninch *diſp.* 9. *dub.* 3. *n.* 30. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 5. *q* 6. *ſect.* 5. *punct.* 3. *num.* 3. quidquid Vaſquez *de pen. q.* 93. *art.* 4. *dub.* 2. *n.* 10. *&* 12. aliter enim etiam redderetur confeſſio odioſa.

4 Tertiò, obligatur conſiliarius quem de licentia pœnitentis conſulit confeſſarius; participat enim tunc ille actum clauium, vt pote clauem ſcientiæ, & ſupplet defectum miniſtri. Suarez *diſput.* 33. *ſect.* 4. *n.* 6. cum Nauarr. Ledeſma, & aliis contra Vaſquez Onuphrium, & Peſantium apud Bonacin. *ſup. n.* 4. & contra Dianam cum Nuño 1. *p. tr.* 15. *reſ.* 14. Idem dic, ſi confeſſarius abſque licentia imprudenter pœnitentem in tali caſu manifeſtet vt cum aliis Bonacina *ſupr. num.* 4.

5 Quartò, tenetur ſeruare ſigillum ille, cui confeſſarius ſacrilegus reuelauit peccatum in confeſſione auditum: omnis enim notitia habita in confeſſione ſiue mediatè, ſiue immediatè, tranſit ad quemcumque ſub eodem onere, & manet ſub ſigillo. Syl. *confeſſ.* 3. *q.* 1. Suar. *ſup. n.* 8. Filliu *tom.* 1. *tra.* 7. *c.* 11. *n.* 323. *verſ. Quintò.* Quare Princeps, qui aliquid accepit à confeſſario de aliquo pœnitente, non poteſt huiuſmodi ſcientia vti contra reum abſque ſacrilegio

legio, & fractione sigilli. Bonacina *sup. num. 4. in fin.*
6 Quintò, tenetur ad sigillum interpres, quo vtitur pœnitens in confessione, quia tenet se etiam ex parte confessarij, ideoque esset sacrilegus, si talia peccata reuelaret. Ita Suarez *disp. 33. sect. 4. num. 4.* Bonacina cum multis *num. 5.* & Filliuctus *loco cit. vers. Secundò*, contra Caietan. & Sotum.
7 Sextò, tenentur qui ex malitia, vel casu, peccata pœnitentis furtiuè audierunt; vel si aliquid audierunt à pœnitente, vel confessario alta voce loquente, vel dum starent propè confessionalia. Ita citati. Ex quo patet, quid dicendum de iis, qui aliquid audierunt, dum pœnitens alta voce confitetur peccata sua, cùm aliter non posset confiteri, vt contingit in periculo naufragij, incendij, &c. Bonacina *supr. num. 6.*
8 Septimò, qui inuenit chartam, in qua scripta erant aliqua peccata per ordinem ad confessionem, propriè non tenetur ad sigillum, quia hoc oritur ex inchoata confessione, animo sui accusandi, quod non contingit in hoc casu. Tenetur tamen ad secretum naturale magnum. Nauar. *cap. 18. num. 34.* Henriq. *cap. 20. num. 2.* Coninch. *disp. 9. num. 50.* & cum aliis Bonacina *sup. num. 7.* Quare iudex, qui legit repertam chartam, in qua scripta erant peccata pœnitentis, non potest de huiusmodi peccatis inquirere, sed debet ea perpetuo silentio tegere, nisi fortè bonum commune postularet, hoc naturale secretum non seruari, iuxta ea, quæ circa illud docent Doctores, & dixi in Decalogo *lib. 7. cap. 10. dub. 32.* vide Bonacinam *sup. num. 8.*

Adde cum Bonacina *vbi sup.* absoluendum esse reum, qui fuit accusatus, & conuictus de crimine ob notitiam habitam tantùm per fractionem sigilli; nam cognitio habita in confessione, non debet humano iudicio deseruire, eo quòd sit facta Sacerdoti vicem Dei gerenti. Vide Martin. Delrium *lib. 6. cap. 11, sect. 2.* & Sotum *dist. 18. quæst. 4. art. 5.* Adde etiam Coninch. *vbi sup. num. 50.* eum, qui chartam inuenit, in qua peccata alicuius continentur, grauiter peccare, si aliquid ex ea legat, ob iniuriam, quam infert pœnitenti.
9 Octauo, pœnitens non tenetur sub sigillo confessionis celare ea, quæ sibi à confessario dicuntur, vt celare pœnitentiam, &c. nam ex hoc non redditur confessio odiosa. Ex alio autem titulo tenetur reticere ea, quæ sibi à confessario dicta sunt, vt si confessarius exigit secretum, vel periculum sit alicuius incommodi: nam iure naturæ secretum est seruandum, & vitanda est proximi infamia, aliaque detrimenta, Suarez *disp. 33. sect. 4.* Henriquez *lib. 6. cap. 10. num. 1.* Bonacina *loco citat. num. 2.* & communiter Doctores, & Sot. *de secret. memb. 3. quæst. 4.*
10 Demum aduertendum, omnes personas, quæ ad sigillum confessionis seruandum, iuxta superiùs dicta, tenentur, teneri illud seruare etiam sub periculo vitæ, vt diximus *hoc cap. dub. 1. conclus. 2.* alios verò, qui non tenentur ad sigillum, sed solum ad secretum naturale, teneri illud seruare, iuxta legem, seu doctrinam de seruando secreto, vt diximus *hoc dub.* & dixi in Decalogo *lib. 7. cap. 10. dub. 32.* & docent Doctores citati. Vide Henriquez *lib. 6. cap. 19 & 20.*
11 Sed quæres, quam pœnam incurrat violans sigillum confessionis. Respondeo, nullam de facto, & ipso iure, venit tamen deponendus à iudice, ex cap. *Sacerdos de pœnit. dist. 6.* quæ etiam confirmatur in cap. *omnis*, & additur, vt perpetuò detrudatur in monasterium: quæ pœna solùm extenditur ad confessarium, & non alios, alij enim arbitrio iudicis puniendi sunt, vt docent Henriquez *sup. cap. 20. num. 1.* Coninch. *disp. 2. de pœnit. dub. 4.* & cum aliis Bonacina *tom. 1. disp. 6 sect. 5. punct. 1. num. 3.* Pœna autem peregrinationis, quæ olim iniungebatur frangenti sigillum confessionis, mutata est in pœnam perpetuæ reclusionis in monasterio, ne Sacerdos cum dedecore status Ecclesiastici mendicare cogatur. Interdum degradatur, & traditur brachio sæculari ad supplicium mortis. Vide Henriq. *dict. cap. 19.* Hinc sequitur, talem esse irregularem, vt benè Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 338.* & Bonacina supra contra Maiolum. *lib. 5. de irregul. cap. 19.* quia talis pœna non est ipsis imposita à iure.
12 Quæres etiam, quando pœnitens obiicit confessario reuelationem confessionis, cui competat onus probandi: de hac quæstione Sylu. *confess. 3. quæst. 9.* Diaz in practica *quæst. 109.* Suar. *disp. 33. sect. 8.* Henriquez *sup. cap. 19. num. 9. & 10.* & alij citandi. Respondeo breuiter, si qui obiicit reuelationem, sit pœnitens, onus probandi incumbit confessario, qui probare tenetur, se reuelasse ex licentia pœnitentis, vel aliunde habuisse illius rei notitiam, saltem quando ex reuelatione sequitur detrimentum pœnitenti, aut alteri, quidquid Vualld. *capit. de sigil. confess. num. 39.* nam præceptio videtur esse contra confessarium. Si verò qui obiicit reuelationem confessionis, non sit pœnitens, sed alius tertius, ipsi tertio incumbit probare, confessarium reuelasse absque licentia: quod patet ex doctrina generali, quæ docet, obiicientes crimina teneri illa probare. Hoc autem probabit, ostendendo Sacerdotem reuelasse coram pluribus, nihil addendo de habita licentia, vt cum Decio, & Graffis docet Bonacina *sup. punct. 2. num. 4.* in quo crimine admittuntur testes singulares. Vide Henriquez *dict. cap. 19. num 9. & 10.*

Dub. IV.

An liceat confessario loqui de auditis in confessione.

PRocedit quæstio tam de locutione cum ipso pœnitente, quàm cum aliis à pœnitente.
1 Dico primò, non licet loqui extra confessionem cum pœnitente de rebus in confessione auditis, nisi de licentia ipsius. Ita communis apud Suarez *disp. 33. sect. 5. num. 2.* Ratio est, quia contrarium esset valde onerosum pœnitenti, eumque pudore afficeret, & redundaret id totum in iniuriam Sacramenti. An autem hic sit fractor sigilli, negat Vasquez *quæst. 93. art. 4. dub. 10. num. 9.* vbi asserit, eum non peccare contra sigillum, qui extra confessionem loquitur cum pœnitente, non petita ab eo licentia, de peccatis in confessione, auditis, animo illum adiuuandi, aut reprehendendi, aut peccata exprobrandi. Oppositum existimat probabilius Filliucius *tom. 1 tract. 7. cap. 11. num. 324.* ex Suarez *loco cit.* Ego autem cum Bonacin. *tom. 1. disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4. num. 8. vers. Ego verò.* existimo, in hoc casu aliquo modo, etsi non in toto rigore, violari sigillum, quia generaliter irrogatur iniuria Sacramento; nam ad bonum eius spectat non tantùm non posse loqui cum infamia pœnitentis, sed neque cum pudore ipsius, alioqui confessio fieret valdè onerosa: at quia propriissimè, & in toto rigore talis confessarius non violat sigillum, vt tenet Bonacina *sup.* cum Soto *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 6.* & aliis. Quare si confessarius defectum aliquem commisit in confessione, ex quo oritur obligatio pœnitentem alloquendi extra confessionem, debet illi significare voluntatem, dicen-

do: *Con vuestra licençia tengo que comunicar con vos cierta cosa de la confession pasada*, si id concedat pœnitens, iam confessarius id facit de licentia ipsius. Quòd si non concedat hanc facultatem, Filliucius *sup.* & alij existimant, adhuc posse alloqui illum, quia, ait, verè non loquitur extra confessionem sed complet eam, quæ iam erat inchoata, & imperfecta. Hoc tamen non probatur Bonacinæ, nec mihi, nec eam videtur amplecti Diana 1. *part. tract.* 15. *resol.* 12. vbi solùm hanc sententiam refert; non enim extra confessionem licet absque licentia pœnitentis de illius peccatis loqui, nec scientia confessionis vti, vt latiùs *dub. seq.* vide in Decalogo *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 6. *num.* 6. vbi dixi, quomodo debeat confessarius corrigere errorem, quem in confessione commisit. Ex his sequitur, si plures audierint confessionem alicuius, quacumque occasione, non posse colloqui inter se de rebus in confessione auditis, ob easdem rationes.

2 Dixi, *extra confessionem*, nam intra eam in alia confessione existimo certum, posse confessarium loqui cum pœnitente de peccatis in alia auditis, & eum reprehendere, cùm iteret alia eiusdem rationis sæpè perpetrata, nam in hoc casu nec Sacramento, nec pœnitenti vlla fit iniuria, ideóque non frangitur sigillum, cùm extra Sacramentum non loquatur de auditis in confessione; ob idque si pœnitens iteret peccata, potest confessarius in alia confessione de peccatis prius auditis loqui. Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap* 20. *num. vlt.* Onuphrius *de sigillo sect.* 4. *quæst* 5. Bonacina *supra n.* 8. *vers. Dixi extra.* vide Henriq. *lib.* 6. *cap.* 21.

3 Dixi etiam, *absque licentia pœnitentis*, nam conueniunt Doctores, posse pœnitentem concedere facultatem confessario loquendi extra confessionem, de peccatis sibi confessis, non solùm cum ipso pœnitente, sed etiam cum aliis, & vti scientia confessionis, nam est Dominus suæ famæ: & ex alio capite, sigillum inductum est in fauorem, & gratiam pœnitentis, & habet naturam secreti; secretum autem potest manifestari de licentia illius, qui illud commisit; interueniente enim licentia pœnitentis, nullum sequitur per se ex hoc inconueniens. Caueat tamen pœnitens, ne licentiam loquendi cum aliis de auditis in confessione confessario concedat absque honesta, & graui causa, vt benè obseruant Martin. Delrius *tom.* 3. *lib.* 5 *cap.* 1. *sect.* 2. & cum aliis Bonacin *sup. vers. Caueat.* nam infamia pœnitentis non est permittenda absque graui causa.

4 Obserua tamen primò, pœnitentem, qui licentiam concessit confessario loquendi de auditis in confessione, non censeri concessisse facultatem reuelandi personam ipsius pœnitentis, nisi aliter constet de mente ipsius pœnitentis; nam quilibet præsumitur velle quàm minimum sibi præiudicium afferre. Bonacina cum aliis *num.* 9.

5 Obserua secundò, circa licentiam, quam pœnitens concedere potest, tria obseruanda esse vt legitima censeatur. Primum est, vt sit expressa; non enim sufficit tacita, seu præsumpta, aut ratihabitio, Suarez *disp.* 33. *sect.* 5. Bonacin. *sup. num.* 10. Filliuc. *loco. cit. num.* 327. aliter enim redderetur confessio odiosa; nam fieri potest, vt aliquis sibi persuadeat, pœnitentem concessurum licentiam, quam reuera non concederet, consequenter talis confessarius illi inferret iniuriam. Secundò, vt sit votum. Non tamen requiritur, vt licentia expressè detur, dicendo: concedo tibi facultatem loquendi de auditis in confessione, sed sufficit, quòd facultas hæc concedatur verbis, vel factis exprimentibus facultatis cōcessionem actu factam, vel saltem æquiualentibus,

Bonacina cum aliis *sup. num.* 10. Quare non erit fractor sigilli confessarius, qui alloquitur cum pœnitente de peccatis auditis in confessione, quando prius pœnitens incepit alloqui ipsum confessarium nam sic censetur concedere facultatem de illis alloquendi: etenim quando pœnitens extra confessionem de peccatis confessis cum confessario loquitur, censetur dedisse licentiam. Henriquez *infra cap.* 20. *num.* 6. Nec quando confessarius admonet hæredes, vt restituant, quando id præscripsit pœnitens; nam id facit ex eius licentia. Bonacina *sup. num.* 11. & 12. Secundum est, vt concessio talis facultatis sit voluntaria, non vi, metu, aut dolo extorta. Tertium, quòd sufficienter constet in vsu eius ad vitandum omne scandalum, quod relinquitur prudentiæ confessarij, vt ait Filliucius *sup. num.* 327. expedit tamen, si fieri potest, vt confessarius accepiet hanc facultatem in scriptis, aut coram testibus, vt hoc modo confessarius liber maneat ab omni damno, & calumnia, & communiter ne dicat confessarius, se in confessione audiuisse, & cum licentia loqui, sed vtatur notitia, quam ex licentia habet extra confessionem, vt benè Henriq *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 23. *num.* 1. & 2. videndus.

6 Dico secundò, illicitum non est, confessarium loqui cum aliis de peccatis auditis in confessione, modò non manifestet personam, absitque periculum, vt audientes veniant in cognitionem personæ, vel in suspicionem illius, quia ex huiusmodi locutione non reuelatur peccator, nec vlli fit iniuria, nec redditur confessio onerosa, ideoque talis confessarius id faciens absque licentia pœnitentis, non censetur reuelare confessionem, nec frangere illius sigillum. Contra verò si loquatur de auditis in confessione, manifestando personam, vel cum periculo, vt audientes veniant in eius cognitionem, vel suspicionem, certum est frangere sigillum, vt patet ex supradictis, & communiter citandi. Quare confessarius loquens de rebus in confessione auditis debet se prudenter gerere, ne suspicionem ingerat alicuius personæ de aliquo delicto: ob idque cauere debet, ne de rebus in confessione auditis loquatur coram multis, præsertim in eodem oppido, & statim post confessionem. Item, ne laudet nimiùm vnum pœnitentem, quoties ex eius laude sumi potest suspicio de reliquis pœnitentibus, qui eidem Sacerdoti peccata confiteri consueuerunt. Caueat præterea, ne dicat, talem confessum sibi fuisse tali occasione, vel se talia peccata in confessione audiuisse, quoties periculum imminet malè de aliquo opinandi. Nauarr. *in cap. Sacerdos de pœnit. dist.* 6. *n.* 56. & in Manuali *cap.* 8. *num.* 9. Onuphrius *de sigill. sect.* 4. *q.* 2. Suarez, Coninch. Reginald. & alij communiter apud Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 5. *punct.* 4. *num.* 1. & 2.

7 Ex hac secunda conclusione colligi potest primò, non violari sigillum confessionis, si confessarius dicat, in tali ciuitate adesse multos improbos, vel talia crimina perpetrari; nam nulli fit iniuria, cùm vt supponimus, nullum sit periculum, vt quis in particulari dignoscatur. Secus si id dicat in loco non valde amplo, aut si de aliquo monasterio dicat, grauia ibi committi, nam fieri potest, vt non leuis suspicio de aliquo in particulari concipiatur, & aliqui iacturam famæ patiantur. Nauar. *in dict. cap. Sacerdos*, *num.* 54. Suarez *disp.* 33. *sect.* 2. *num.* 9. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 21. *n.* 9. & cum aliis Bonacina *sup num.* 3. Non tamen videtur improbabile, si non adest periculum, vt author peccati dignoscatur, hunc non violare sigillum, peccare tamen mortaliter scandalizando proximum, & eum infamando,

vt

vt ex Onuphrio, refert Diana 1. *part. tract.* 15. *resol.* 13.

8 Secundò, nec frangitur sigillum, si confessarius dicat absolui Petrum, aut si dicat, Petrus confessus est mihi sua peccata, aut peccata venialia, modò non exprimat aliquod peccatum veniale in particulari; aut si dicat, Petrus graui morbo detentus signa peccati dedit in genere, ideoque ipsum absolui, dedique hanc leuem pœnitentiam. Suarez *vbi sup.* Coninch. *disput.* 9. *dub.* 1. *num.* 10. Bonacina cum aliis *sup. num.* 4. & alij communiter: quia sic confessarius non videtur quidquam manifestare, quo pœnitens reuelatur, aut cognoscatur magis peccator, quàm antea. Secus autem si confessarius, qui multos audiuit, dicat, hic mihi confessos est sola venialia; nam sic satis indicat, alios confessos esse peccata mortalia. Ita cum Vasquez, Soto, & Onuphrio, Bonacin. *loco citat.* Nec licet confessario de publico peccatore dicere, hic confessus est mihi suum statum vsurarij, vel meretriciæ Henriquez *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 4. Non tamen probo quod dicit ipse Henriquez *cap.* 21. videlicet non violare sigillum (etsi peccet mortaliter) confessarium, si diceret de viro perdito, & profano, fassus est mihi peccatum mortale in genere; nam quamuis respectu illius non sit grauis infamia, cedit tamen in maximum Sacramenti detrimentum. Admitto verò quod ipse dixit, nimirum licere de concubina dicere, rectè confessa fuit, & absolui illam; nam per hoc laus pœnitenti accrascit. Licet etiam dicere, vado ad audiendam confessionem Petri, qui suis scrupulis impertinentibus me occupat, & vexat. Nec prohibetur confessarius statim, data absolutione, de rebus ad confessionem pertinentibus agere, & pœnitentem monere, aliàs omnino sileat, vide Henriquez *vbi supra.* Non tamen licet confessario dicere, Titius confessus est casum reseruatum, vel grauia peccata, etiamsi confessarius non exprimat peccatum in particulari; nam facit, vt pœnitens magis peccator cognoscatur, quàm antea. Coninch. *sup. numer.* 15. & cum aliis Bonacina *loco citato num.* 5.

9 Tertiò colligitur ex sententia Calet. *verb. Confessori necessaria vers. Quintum.* non frangi sigillum confessionis, quando confessarius dicit, nondum absolui Titium, nam absolutio potest multis de causis denegari: verius tamen est oppositum, quod sequuntur Nauarr. *cap.* 8. *num.* 10. Suarez *disp.* 33. *sect.* 6. & cum aliis Bonacina *vbi sup. num.* 6. frangit ergo sigillum confessarios, si dicat non absolui Titium, quoties ex circunstantiis, & coniecturis ingeri potest audientibus (vt communiter contingit) suspicio grauis alicuius defectus, vt benè Doctores citati; nam absolutio denegari solet graui de causa, & ob prauam dispositionem. Quare si confessarius interrogatur, an absoluerit publicum vsurarium, aut alium peccatorem, quem re ipsa non absoluit, dicat, feci officium meum, quo modo loquendi expedit vt vtatur in similibus interrogationibus; vel mittat interrogantem ad ipsum pœnitentem; vel vtatur amphibologia, ne se exponat periculo frangendi sigillum, dicendo absolutè illi absolutionem denegasse. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 4. & cum aliis Bonacina *vbi sup.* vbi, & benè, dicit, non videri frangere sigillum confessarium, si dicat, confessionem non fuisse perfectam ob superueniens incommodum, aut occupationem; aut pœnitentem non potuisse sufficientem materiam exhibere, quia nullum peccatum in confessione auditum manifestat, nec pœnitens magis agnoscitur peccator, quàm antea cognosceretur, cùm fieri possit, vt peccata tantummodo venialia confessus sit. Expedit tamen, vt à similibus locutionibus (nisi vrgeat causa) abstineatur propter aliquale periculum, quod potest inesse violandi sigillum. Quare si confessarius rogatur à Sacrista, an appositurus sit hostiam ad communicandum pœnitentem, quem actu audit, nihil respondeat, sed dicat, vt quærat à pœnitente, vt ait Henriquez *sup. num.* 5. qui addit; sed nihil noceret, si dicat, nondum absolui, quia nondum finiit confessionem.

10 Sed rogabis, an confessarius, qui non absoluit pœnitentem indispositum, si talis petat schedulam, seu attestationem confessionis, teneatur illam ei dare. Coninch. *disp.* 9 *dub* 1. *num.* 14. affirmat, vt si audiuit famulus alicuius Principis, qui factæ confessionis testimonium inquirere consueuit; aut si alius, ne in suspicionem veniat, illam petit; alioquin enim, sit, videretur aliquo pacto prodere peccatum, & indispositionem pœnitentis; quo in casu confessarius non mentitur, nam non dicit absolui eum, sed tantùm testatur, illum fuisse confessum. Medina verò *in instruct. lib.* 2. *cap.* 2. *ante* §. 1. & Henriquez asserunt, posse illam concedere, & etiam denegare, & qui sponte peccat, sibi prouideat quomodo peccatum occultet. Bonacina autem non probat esse eam dandam: tum quia confessarius nihil facere videtur, ex quo alter directè, vel indirectè possit cognoscere peccata pœnitentis; tum quia alioquin via fraudibus aperiretur; nam sic multi tempore Paschatis deciperent Parochos. Ego autem, si nullum sequitur scandalum ex denegatione schedulæ, neque vllum adsit periculum reuelandi saltem indirectè confessionem, non illam concederem, sequendo opinionem Bonacinæ: secus si periculum scandali, aut indirectæ reuelationis intercederet; nam in hoc casu non est ei schedula deneganda. Quòd si pœnitens se iactet absolutum à peccato publico, vel ab excommunicatione, confessarius taceat, vel dicat, feci officium meum, & scio, quis sit absoluendus. Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent cap.* 10. *num.* 5. Item, si hæreticus obstinatus, dum ducitur ad supplicium, dicit se esse à confessario absolutum, & rogatur, quare illum absoluerit, respondeat, feci officium meum. Ego enim cum Doctoribus censeo, obstinatos non esse absoluendos: imò nec peccat, si scientibus impœnitentiam istius dicat, ideo non absolui, quia publicus peccator non est absoluendus, quousque satisfaciat publico scandalo. Henriquez *cap.* 11. *n.* 5.

Dvb. V.

An liceat vti scientia habita ex confessione, & quomodo.

LOquimur, an hoc liceat absque licentia pœnitentis, nam de eius licentia certum est licere, vt dixi dubio antecedenti.

1 Sit conclusio, confessarius non potest extra confessionem, sine libera pœnitentis licentia, vti scientia confessionis ad aliquid faciendum, vel omittendum, quoties periculum reuelationis imminet, directè, vel indirectè, alicuius peccati in confessione auditi, sed debet se gerere in his rebus, ac si nihil sciret, ex quibus pudor, seu confusio, aut damnum pœnitenti sequeretur. Hæc conclusio patet ex dictis in dubiis antecedentibus, & habetur communiter apud Doctores infra citandos, constabitque ex illationibus sequentibus, eamque confirmat motus proprius editus à Clemente VIII. pro

regularibus

regularibus die 16. Maij anno 1594. vbi prohibet tam superioribus, quàm confessarijs, qui postea fient superiores, ne vtantur notitia habita in confessione ad exteriorem gubernationem; ergo signum est, non licere extra confessionem vti scientia in confessione habita; aliter enim redderetur confessio onerosa, eo quòd saltem indirectè reuelarentur peccata penitentis, nam alij, aut saltem pœnitens, conijcere posset, hoc fieri ob peccatum in confessione auditum. Vide Suarez *tom.* 4. *disp.* 33. *sect.* 1. *&* 7. Sanchez *lib.* 3 *de matrim. disp.* 16. *n.* 13. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 5. *quaest.* 6. *sect.* 5. *punct.* 4. *num.* 8.

2 Ex hac conclusione sequitur primò, non licere confessario, ob peccatum cognitum in confessione, priuare pœnitentem beneficio, aut officio, quamuis officium esset ad nutum amobile, vt docent Sanchez *sup. n.* 4. Suar. *loco citat. sect.* 7. Coninch. *disp.* 9. *dub.* 4. *sect.* 51 *&* 60. & cum aliis Bonacina. *sup. n.* 14. & Diana *part.* 1. *tract.* 4 *resol* 76. contra Medinam, Vasquez, & aliquos existimantes id licere, quando officium est ad nutum amobile, quod ego non audeo admittere; nam saltem indirectè, quamuis apud solum pœnitentem, videtur violari sigillum, & dari occasionem, vt confessio reddatur odiosa.

3 Secundò infertur, probabilius esse confessarium, qui ex sola confessione nouit famulum suum esse furem, non posse illum dimittere; nam inde sequeretur pudor, & damnum pœnitenti. Ita contra Medinam, & Guttierrez, Bonacina *loco cit. n.* 15. Reginald. *lib* 3. *n.* 16. & alij.

4 Tertiò, confessarius non potest negare suffragium ante lectionem ei, quem per confessionem nouit indignum, si communi hominum opinione dignus, & probus existimatur, si suffragium publicè ferat: Suarez *disp.* 33. *sect.* 7. *n.* 11. Sanchez *lib.* 3. *de matrim disp.* 16. *n.* 4. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 11. *n.* 337. adesset enim tunc periculum manifestationis. Dixi *publicè*, nam si suffragia occultè ferantur, probabile est, id licere, vt tenet Reginald. *sup. n.* 33. Sotus, & alij apud Sanchez *vbi sup.* & Suarez *loc. cit.* ac Diana *part* 3. *tract.* 4 *resol.* 76. *in initio.* Oppositum vero probabilius. vt tenent Suarez, Sanchez, Filliucius, & alij, & cum eis Bonacina *num.* 16. Layman. *in Theolog moral. lib* 4. *tract.* 6 *c.* 15. *n.* 21. Fagundez *precept.* 2. *lib.* 6 *c.* 3. *n.* 1. *& seqq.* Coninch. *disput.* 9. *dub* 4. *n* 64. Bañes 2. 2. *c.* 33. *art.* 8. & cum aliis Diana *sup vers. Sed hac.* vbi de prima opinione, dicit, opus esse, vt non doceatur, nec in practicam adducatur, vt pote periculosa, & nociua honori, ac religioni Sacramenti, quia dicta secunda opinio retrahit fortes, & infirmos à confessione, si nouerint fieri posse, vt occasione confessionis non eligantur, sed puniantur. Attamen si aliæ causæ possint allegari præterеundi indignum, vt defectus ætatis, scientiæ aut aliquid eiusmodi, posset confessarius, iis allegatis, prætерire eum, quem ex confessione secretò nouit indignum. Diana *sup.* ex Maldero *tract. de sigil. cap.* 14. Aduerte cum Diana *sup.* etsi prior opinio sit probabilis esse tamen opus tanta prudentia cautione, & circunstantiis, vt difficillimum sit eam in praxim deducere: aduertunt etiam, illam non esse in praxim deducendam, quando pœnitens in suspicionem veniret, se priuari eo munere, officio, aut beneficio, ex scientia habita à superiori in confessione. Ex quo patet, vix, aut nunquam priorem opinionem posse ad praxim reduci, nisi cum limitatione adducta *vers. Attamen.* Quo in casu confessarius eligens indignum ex notitia habita in confessione, sed dignum per notitiam publicam, nullam pœnam, aut culpam incurrit. Ita citati pro secunda opinione.

5 Quartò, confessarius, siue Parochus sit, siue non ob peccatum in confessione auditum, non potest petenti etiam occultè, & priuatim negare Eucharistiam, quia semper sequeretur pudor, & confusio pœnitenti, quod est virtualis, & indiscreta reuelatio sigilli. Sanchez *loc. cit.* Henriquez *lib.* 6. *c.* 19. *n.* 5. *litt. V.* Coninch *supr num.* 67. & cum aliis Bonacina *num.* 17. & Filliuc. *loc. cit. num.* 329. vbi ait, posse quidem illum negare sacram Eucharistiam alio prætextu; sed si aliter effugere non potest, quàm significando notitiam ex confessione, potius illi debet conferri Sacramentum, quàm non seruare sigillum, ex Suarez *disp.* 33 *sect.* 6. *num.* 4. Alij apud Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 16. *num.* 11. existimant Sacerdotem, qui non tenetur ministrare Eucharistiam ex officio, aut etiam Parochum, dum petitur, & non tenetur eam administrare, posse huic pœnitenti denegare sacram Eucharistiam: sed de hoc latiùs dixi *sup. lib.* 3. *cap.* 6. *dub.* 3. *de Eucharist.* vide ibi. Consequenter dicendum est, non posse Episcopum ordines denegare illi, quem in confessione nouit esse indignum. Bonac. *loco cit.*

6 Quintò, confessarius, qui in confessione nouit pœnitentem habere impedimentum ad contrahendum matrimonium, debet intra confessionem admonere, ne contrahat; at si persistat in contrahendo, non potest eum à matrimonio repellere. Extra confessionem non tenetur illum admonere; potest tamen, si velit, petita priùs ab eo licentia. Sanchez videndus *lib* 3. *de matrim. disput.* 16. *ad fin.* & Bonacina *sup. num.* 17. *in fin.*

7 Sextò, confessarius non potest vti scientia confessionis cum periculo reuelationis alicuius pœnitentis, ad tuendum bonum temporale, non solùm alicuius hominis particularis, verùm etiam totius mundi, aut etiam ad tuendum commune bonum spirituale, vt dixi *hoc capitul. dub.* 1. *n* 4. *& dub.* 2. & cum multis Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *n.* 7. *&* 11. Henriq. *lib.* 3 *cap.* 19. *num.* 5. *& cap.* 22. & Bonacina *sup. n.* 18. nullum enim est tam graue malum, quod præponderet sigillo confessionis, quæ necessaria est ex Dei præcepto ad reconciliandum hominem cum Deo. Quare confessarius, qui in confessione nouit, necem alicui parari, aut proditionem imminere ciuitati, debet admonere pœnitentem, & curare eum à peccato retrahere: quod si consequi non possit, non potest proditionem, aut necem futuram manifestare, quoties periculum est, vt author manifestetur, & rei deprehendantur. Secluso tamen, & præciso periculo manifestationis, admonendus est in genere is, cui periculum imminet vt sibi consulat, cauendo peccata, quæ solent euenire. Nauarr. *cap. Sacerdos. n.* 224. Martin. Delrius *lib.* 6. *disquisit. Mag. capit.* 1. *sect.* 3. Bonacina *sup. n.* 19. & communiter Doctores. Ex quo patet confessarium, qui nouit per confessionem imminere proditiones in ciuitatem, vel Principem, vel quòd hæreticus molitur praua doctrina infectionem multorum, nec moniti volunt resipiscere, aut denuntiare mala impedientia, nihil posse reuelare, sed posse verbis generalibus admonere eos, quibus malum paratur, vt sibi, aut gregi cōsulant, vt si Prælato dicat: vigila super gregem, quia grassantur lupi: prouide prædicatores, quia sunt hæretici; & potest in generali admonere Dominos Inquisitores, si sciat ad suum tribunal accedere falsos testes; modò tamen ex his omnibus nec indirectè manifestet pœnitentem. Rariùs tamen dicat Prælato, vel Prælatæ monasterij claude hanc fenestram, vel foramen, quia propter religionis decentiam non decet esse apertam: nullo tamen modo dicat: vigila, ne hac via exeant regulares. Potest tamen

Prælatus

Prælatus dicere vigilatori, vt frequentiùs incedat versus hanc, vel illam partem monasterij: non tamen potest dicere, hac nocte est committendum furtum, potest tamen dicere Prælato, vt vigilet in rectè gubernando. Henriquez *lib.3.de pœnit.cap.*20. *&* a 2.*num.*2.*&* 3.vbi admonet, & rectè, abstinendum esse, vt poterit, confessarium ab huiusmodi locutionibus, nam hæ per confessarium factæ vix carent suspicione, ideoque Azor. 2.*part. lib.* 12. *cap.*15.*quæst* 6. Bonacina *sup. num.*22. & Doctores citati, & cum Fagundez Diana *resolut.* 76. *cit.* vbi absolutè tenet non esse licitas (at meritò) dictas admonitiones, & minùs si dicat, se scire in confessione, & alij communiter asserant, confessarium non posse monere Episcopum, vel Prælatum monasterij, vel alium, qui peccata impediat, si periculum sit, vt delinquens aliqua ratione dignoscatur, alioqui confessio facili negotio redderetur odiosa, & subditi à confessione retraherentur: in quibus casibus ad vitandum tale periculum, & ad damnum imminens auertendum, consultius est in confessione petere licentiam à pœnitente, quam tenetur dare ob bonum commune, & proximi, nisi graue damnum sibi probabiliter timeat, seruato tamen ordine charitatis, de quo dixi in primo præcepto *lib.*1.*c.*5 *dub.*6. Hinc constat differentia inter sigillum confessionis, & aliud secretum, videlicet quòd sigilli confessionis violatio nunquam sit licita, etiam metu mortis, quia est intrinsecè mala; aliud verò secretum licet metu mortis aperire, vt dixi in Decalogo *lib.*7. *cap.*10. *dub.*32. & cum multis Bonacina *sup. num.* 29. vide Henriquez *lib.*6.*cap.*19.*num.*6.

8 Septimò, ille, qui per confessionem nouit Ecclesiam esse pollutam, non potest id detegere, licetque ei in ea celebrare, Sylu. *confessio* 3.*q.*41. & cum aliis Bonacina *sup. num.* 23. non enim præsumendum est de Ecclesia velle, Sacerdotem ex tali scientia à celebratione abstinere.

9 Octauò, confessarios, qui simul eiusdem pœnitentis confessiones exceperunt, non posse absque licentia pœnitentis loqui inter ipsos de peccatis auditis in confessione; violaretur enim sigillum, Suarez *disp* 33.*sect.*1.Bonacina *num.*24. & alij communiter, & dixi *dub anteced.num.*1.

10 Nonò, confessarios ex notitia in confessione habita non potest corrigere complicem pœnitentis, aut eius delicta extra confessionem impedire, aut alloqui complicem de peccato, nisi hoc faciat de licentia pœnitentis. Suarez *disp.*34.*sect.*4.*num.*19. Henriquez *cap.* 20. *num.*1. *litt. D.* Sylu. *confessio* 3. *quæst.* 6. & cum aliis Bonacina *sup. num.* 25. cum quibus addit, fieri aliquando posse, vt confessarius ratione vrgentis necessitatis teneatur ad correctionem complicis, obtenta priùs licentia à pœnitente, à quo eam petere tenetur saltem in confessione: de quo vide *supra hoc libr.cap.*6.*dub.*5.*num.*15.

11 Decimò, confessarius ob peccata in confessione audita, non potest faciem, aut vultum asperiorem præbere pœnitenti, quàm antea solebat. Ita cum Graffiis Bonacina *sup.num.*26.sequeretur enim inde confusio pœnitenti.

12 Vndecimò, non potest confessarius errorem commissum in audienda pœnitentiæ confessione manifestare in sua confessione, quoties ex illius erroris manifestatione imminet periculum, vt confessarius veniat in cognitionem pœnitentis, nam maior obligatio est sigilli, quam integritatis confessionis, vt dixi *hoc cap. dub. superioribus*, & docent Nauarr.*cap.*8.*n.*6.Henriq *sup.num.*5. & cum multis Bonac.*sup num*21.

13 Duodecimò, non potest frangi sigillum etiam ad vitandum mortem propriam in confessione cognitam quamuis Sacerdos sit in peccato mortali, quo in casu disponat se per contritionem, vt Filliuc. *tom.*1. *tract.*7. *cap.*11. *num.*334. ex Suar. *disp.*33. *sect.*7.*num.*7. & aliis. Exemplum est, si cognouisset confessarius per confessionem sibi factam, in vino, in quo facturus est Sacramentum, esse immixtum venenum, nec possit, aut omittere Sacramentum, aut petere aliud vinum sine fractione sigilli, quia reuelatio etiam indirecta est intrinsecè mala. Nihilominus tamen existimo cum DD. citandis, confessarium Sacerdotem, qui per confessionem nouit, vinum ad Missam præparatum esse veneno infectum, posse Missam prætermittere, & à sacrificio abstinere, nec debere calicem sumere, sed consueto Missalia remedio vti, quidquid adstantes suspicentur, vt cum S.Thom. 3. *part. quæst.*83. *art.*6. & multis tenet Henriq. *lib.*3.*de pœnit.cap.*24. Sylu. *confess.* 3. *num.* 19.& Coninch. *disp.*9.*dub.*4.*num.*5. vbi addit, in hoc casu Sacerdotem teneri Missam omittere, vt mortem euadat, & simul euitet irreuerentiam, quæ Sacramento irrogaretur consecrando vinum veneno infectum: quod, ait Bonac. *sup. num.*28. potest probabiliter sustineri. At dato, quod sit ei moraliter impossibile, abstinere ab eo potu, eum bibendo, non censetur moraliter, & directè cooperari suæ morti, sed ex iusta causa, & ob bonum finem facere aliquid, ex quo mors ei sequitur; sicut facit is, qui suffodit hostilem turrem, cuius causa scit se obruendum, vt tenet ipse Coninch. *num.*55. *in fin.* Ratio autem quare possit in hoc casu hic Sacerdos Missam omittere est, quia vtitur iure suo, nec dicitur reuelare confessionem eo facto, quo ius dat sibi ad vitam tuendam: nec inde sequitur pudor, & confessio pœnitenti, nec redditur confessio odiosa, occasione tamen aliunde accepta omittendæ Missæ. Nec tenetur, vt benè Henriq. *supra*, petere licentiam à pœnitente ad id faciendum, nisi non solùm ipsi Sacerdoti, sed etiam aliis immineret periculum, quos monere non licet, nisi reuelato sigillo, tunc enim petenda esset licentia pœnitentis. Addunt etiam Henriquez, & Coninch, licere tali Sacerdoti Missas omittere, etiamsi præuideat, quod talis pœnitens occidatur ab aliis, aut graue damnum patiatur, quod quidem probabiliter etiam sustineri potest, etsi Bonacina probabilius existimet oppositum: nam etsi laudabile sit, mori pro defensione vitæ proximi, vt dixi in Decalogo *lib.*5. *cap.*4. *dub.* 7. *num.* 7. non tamen tenemur eam subire, nisi proximus existat in necessitate extrema salutis spiritualis, aut ad id teneamur ratione officij, aut peculiaris obligationis. Similiter si duo latrones conueniant, vt me interficiant, & socios meos, & vnus pœnitentia ductus id mihi in confessione aperiat, possum fuga euadere periculum, & alios in generali monere, vt fugiant, Syluest. *sup.num.*14. & Henriquez *loco citat.* Item, si noui in confessione, sequenti nocte conuenire quosdam, vt domum amici diripiant, & illum occidant, nec aliter possum impedire, licet amicos inuitare, vt tota nocte ludamus in domo amici, quamuis inde sequatur, noxios in delicto comprehendi. Henriquez *loco citato num.*5. Ratio horum omnium est, quia confessarius ex hac notitia potest iuuare se non verbis, sed facto aliquo, ad quod ius habet, vt ad defendendam vitam, vel honorem: sic Iacob indutus vestibus Esaü simulat, se esse primogenitum: & Iesus Luc. 24. finxit se longius ire: & sub veste monachi, aut pagani licet ex causa occultare se, licet alij suspicione decipiantur, quia talis confessarius habet ius vtendi his rebus, quæ de se non sunt signa, pro incolumitate propria Henriq. loc. *vbi sup.*

Ob

Ob quam etiam rationem confessarius, qui nouit in confessione sibi aliquas insidias parari, potest, ne occidatur, contineri domo; sicut etiam recedere ab eo loco, in quo per confessionem nouit sibi necem parari, & fugere, occasione aliunde suscepta. Præterea potest denegare pœnitenti gladium apud ipsum confessarium depositum, si mortem sibi intentari sciat, occasione aliunde arrepta, seu adhibita amphibologia, ita vt pœnitens nequeat iudicare, gladium sibi ob audita in confessione denegari. Ita Bonacina *sup. num.* 27. Item, si confessarius in confessione nouit, aliquem non esse Sacerdotem, potest abstinere à confessione illi facienda: in iis enim casibus nullus pudor, nulla confusio, aut nullum damnum sequitur pœnitenti, nec ob id pœnitentes retraherentur à confessione, sed potius laudi, & prudentiæ adscriberetur Sacerdoti confessario, vt tenet Bonac. *sup. num.* 27. *vers. Item si*, cum Henriq. *dict. c.* 14. *n.* 5. Sylu. *confess.* 3. *vbi sup. q.* 19. Coninch. *loco citat. num.* 54. Sanchez, Reginald. & alij.

14 Decimo tertiò, licet confessario ob audita in confessione, reddi cautiorem ad custodiendas res proprias, vel attentiorem fieri, ac vigilantiorem circa suum gregem, modo ab aliis vsitato: consequenter si per confessionem nouit, suum famulum esse furem, potest, seruatis prudentiæ regulis, pecunias postea illi non committere. Bonacina cum aliis *vbi sup. num.* 30.

15 Decimo quartò, confessarius, qui scit pœnitentem commisisse aliquod peccatum, eo quod illius complicem audiuit, debet cautè, & in generali, sine vlla nominatione complicis pœnitentem interrogare, an habeat conscientiam alterius peccati, aut etiam petere in particulari, modò complicem non manifestet, nec sit periculum, vt pœnitens suspicetur, complicem hoc ipsum peccatum manifestasse in confessione; quod periculum vitari potest, si eum interroget discurrendo per omnia præcepta Decalogi, dicendo, fecisti hoc, aut illud, &c. Quo facto, si adhuc pœnitens non fateatur illud peccatum, tenetur confessarius eum absoluere, reputans fortè alteri fuisse confessum illud peccatum; vel silere suum peccatum timore damni, aut alia iusta causa, vel complicem fuisse mentitum; aliter esset periculum violandi sigillum. Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 20. *num.* 6. & cum aliis Bonac. *sup. num.* 33. Quod si confessarius sciat delictum pœnitentis extra confessionem, & pœnitens rogatus illud negat, debet eum repellere, & non absoluere, nam accedit indispositus. Henriquez, & Bonacina *vbi sup n.* 33. vide eundem Henriquez *cap.* 18. *num.* 1. & Bonacina *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 1. *num.* 21. 22. 23 *&* 24. & Suarez *disp.* 52. *sect.* 3. *ad fin. num* 9. & quamuis pœnitenti credendum sit pro se, & contra se, hoc tamen non procedit, quando veritas in contrarium constat. Hinc sequitur, esse denegandam absolutionem pœnitenti, quoties constat esse in peccati mortalis statu, vt in concubinatu, etiamsi pœnitens id neget: non autem deneganda est absolutio pœnitenti, si certò confessarius non nouit peccatum, quod pœnitens negat, etiamsi à viris fide dignis illud audiant: nec quando confessarius aliàs vidit peccantem, sed credit hoc peccatum ritè confessum. Bonac. *dict. punct.* 5. videndus *num.* 22. 23 *&* 24. Aduertit tamen pro prati Bonacina, vt confessarius, antequam pœnitentem dimittat, quod dicat orationem aliquam deprecatoriam, v.g. *Misereatur tui, &c. vel indulgentiam, &c.* aut aliquid faciat, v.g. signum Crucis, ne adstantes veniant in cognitionem denegatæ absolutionis, prauamque de pœnitente concipiant opinionem. Vide Nauarr. *cap.* 8. *num.* 16.

CAP. IX.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

DVB. I.

Vtrum in ministro pœnitentiæ requiratur potestas clauium ad absoluendum.

1 NOTA clauium nomine intelligere Doctores potestatem collatam Sacerdoti, qua tollitur impedimentum intrandi gloriam cœlorum, quæ potestas per metaphoram dicitur clauis Regni cœlorum, nam sicut per claues aperitur ianua, & ingressus patet ad cubicula; ita per hanc potestatem clauium aperitur ianua cœli, quod per peccatum originale, aut actuale clauditur, vt ex Conciliis, & Patribus latè tradit Suarez *disp.* 16. *de pœnit. sect.* 2. *&* 4. Est autem potestas clauium ex communi Doctorum cum S. Thom. *in addit quæst.* 17. *artic.* 2. potestas, qua iudex Ecclesiasticus potest dignos absoluendo recipere ad Regnum cœlorum, & indignos excludere, & ligare. Et quamuis hæc potestas complete vna sit, habet tamen duos actus, seu duplex est clauis, vt tenet S. Thom. *supr. art.* 3. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *Can.* 5. & pluribus Suarez *supr. sect.* 4. videlicet altera scientiæ; altera verò potestatis. Clauis scientiæ est authoritas iudicis cognoscendi de causis, putà de peccatis, & de illorum circumstantiis, ac de dispositione pœnitentis illum examinando. Clauis verò potestatis est, dispositos absoluere, indispositos verò ligare priuatiuè, id est non absoluere, sed eos in peccato relinquere, donec restituant, aut auferant occasiones peccandi. Rursus clauis potestatis duplex est, alia ordinis, alia vero iurisdictionis. Clauis ordinis; seu potestas ordinis, nihil aliud est, quàm character sacerdotalis, qui in ordinatione sacerdotali confertur, quatenus scilicet, ex diuina ordinatione deputatur quis per illum, vt possit esse iudex in foro pœnitentiæ. Clauis autem, seu potestas iurisdictionis, est authoritas, qua vnus est alteri superior in foro pœnitentiæ, quæ datur per extrinsecam concessionem Ecclesiæ, quæ etsi secundum aliquos clauis non sit, est tamen omnino necessaria ad vsum clauium, vt infra. Item, clauis, seu potestas iurisdictionis duplex est, altera in foro exterioti, vt potestas ligandi, vel soluendi per censuras, leges, & sententias exteriores, quæ fuit concessa à Christo Domino, Matth. 18. illis verbis: *Quæcumque ligaueritis super terram, &c.* Altera in foro pœnitentiæ, estque potestas absoluendi, aut ligandi homines à peccatis per absolutionem, & pœnitentiam iniunctam: & hæc potestas, seu iurisdictio est, quæ spectat ad hanc materiam.

2 Conceditur autem potestas ordinis in ipsa ordinatione Sacerdotis illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Duplex enim potestas conceditur Sacerdoti in sua ordinatione: vna super corpus Christi verum, ad consecrandum scilicet eius corpus: altera super corpus Christi mysticum, nempe super fideles ad illos iudicandos, & absoluendos, & alligandos. Circa potestatem iurisdictionis variant Doctores, quando concedatur, quorum opiniones refert

fert Suarez *disput.* 16. *sect.* 5. Quibus omissis existimo cum S.Thom. Bonacina, Ledesma, & aliis apud Filliucium *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 7. *numer.* 175. non dati in ipsa ordinatione saltem completè, sed tantùm fundamentaliter, & inchoatiuè. Quòd non detur completè, & perfectè, probatur, quia absolutio data à simplici Sacerdote circa peccata mortalia nulla est, ex defectu iurisdictionis, vt colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. At si in ordinatione datetur iurisdictio integra, esset valida talis absolutio: & confirmatur, quia sic non possent peccata reseruari; nec confessio facta de reseruatis esset nulla defectu iurisdictionis; quia si iurisdictio datur in ipsa ordinatione, à nullo superiori poterit tolli, sicut nec ordinatio. Quòd autem detur fundamentaliter, patet quia hæc iurisdictio fundatur in ipsa ordinatione, seu charactere sacerdotali, quo essentialiter prærequisito, sine quo nulla esset absolutio, vt infra. Conceditur ergo iurisdictionis potestas per extrinsecam concessionem, & extra Sacramentum, vt cum Doctoribus citatis tenet Filliucius *loco citat. num.* 178. & excepto Summo Pontifice, confertur immediatè per hominem. Patet, quia cùm non detur in ordinatione, sequitur dari extra illam, & non nisi per concessionem Ecclesiæ, vel ex officio aliquo, quæ dicitur ordinaria, qualis est iurisdictio Parochi, Episcopi, &c. vel ex commissione ab eo, qui habet ordinariam, quæ dicitur delegata: & confirmatur, quia iurisdictio aliquando aufertur ab Ecclesia, vt contingit in excommunicatis; ergo etiam ab eadem datur. Dixi, *excepto Romano Pontifice*, nam in hoc est immediatè à Christo Domino, hic enim etsi ab hominibus eligatur; tamen postquam electus est, accipit iurisdictionem à Christo Domino, vt dicitur in materia de Fide.

3 Hinc infertur, potestatem ordinis, & iurisdictionis esse distinctas, quia, vt dictum est, simplex Sacerdos nullam habet iurisdictionem, eo quòd nullos habeat subditos: & patet expressè ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 7. vbi dicitur, nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos profert in eum, in quem non habet ordinariam, aut delegatam iurisdictionem: supponit ergo aliquem posse esse Sacerdotem, & tamen carere omni iurisdictione. E contra verò Parochus non Sacerdos habet integram iurisdictionem, quamuis non habeat potestatem remittendi peccata; ergo cum sint separabiles, distinguentur realiter vna ab altera. Deinde, quia potestas ordinis confertur in ipsa ordinatione; iurisdictionis verò per extrinsecam concessionem, vt dictum est, fit etiam inde iurisdictionem, quam habet simplex Sacerdos in articulo mortis ad absoluendum à mortalibus, etiam Papæ reseruatis, esse ab Ecclesia concessam, cum dictum sit, omnem iurisdictionem ad absoluendum, excepto Summo Pontifice, dari ab Ecclesia, vt latius infra.

4 Infertur secundò, quamuis dignitas, & ordo Episcopalis, aut Episcoporum institutio in genere, & in communi sit de iure diuino ex Christi institutione, vt habent Partes, & Theologi apud Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 5. sunt enim Apostolorum successores, Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. *Can.* 6. ordo enim Hierarchicus ex Episcopis, & variis membris institutus est à Christo: non tamen habent iurisdictionem iure diuino, quam soli Apostoli habuerunt, & nunc habent Summi Pontifices à Christo Domino, sed iurisdictio Episcoporum est à iure communi Ecclesiastico à capite Ecclesiæ, nempè à Papa, tam in interiori, quàm in exteriori foro: colligitur apertè ex Trident. *supra Can.* 8. & habent Caietan. *tract.* 1. *de authorit. Papa, cap.* 2. & multi quos citat, & sequitur Henriquez *vbi sup. num.* 5. contra Parisienses, Sotum, Castrum, & alios asserentes, Episcoporum iurisdictionem esse de iure diuino. Nostra tamen sententia probatur primò, ex Trident. *Can.* 8. *citato*. Secundò, quia iurisdictio Episcoporum augetur, restringitur, & aliquando omnino tollitur à Summo Pontifice. Tertiò, quia dignitas Episcopalis non habet necessariò annexam iurisdictionem; Episcopus enim titularis tantum est verè Episcopus, & non habet iurisdictionem, cum ouibus careat. Sic enim potestas excommunicandi est à iure diuino, actus tamen illius, seu particularis excommunicatio à iure est humano; sic dignitas, & institutio Episcoporum in communi est de iure diuino; iurisdictio verò huius, vel illius Episcopi est de iure Ecclesiastico: in hoc enim differt iurisdictio Episcoporum à iurisdictione Papæ, quia Papæ est de iure diuino, posita tamen conditione legitimæ electionis, qua posita, non Ecclesia, nec ipsa electio, sed Christus dat ei iurisdictionem. At Pontifex Episcopum eligit, confirmat, determinat territorium, auget, coarctat, aut diuidit fines Diœcesis, reseruat sibi casus, & censuras, & dispensationes in quibusdam votis, aut impedimentis, concedit plenarias indulgentias pro viuis, & defunctis, &c. Vide Suarez *disputat.* 25. *sect.* 1. Similiter Parochi officium, & eius iurisdictio, non est de iure diuino, vt quidam minus verè putant, sed institutum est ab Ecclesia, à qua tempore Vrbani II. facta fuit Parochiarum diuisio, vt habetur cap. *placuit de pœnitent. distinct.* 6. & prius facta fuit à Dionysio Papa, in cap. *Ecclesias* 13. *quæst.* 1. de quo vide in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 10. Est ergo Parochi iurisdictio à iure communi Ecclesiæ, quam potest auferre, idenque ea sublata absolutio non tenet. Vide Henriq *lib.* 3 *de pœnit. cap.* 5. *n.* 8. His positis sit.

5 Conclusio, clauis ordinis, & iurisdictionis, seu potestas ordinis, & iurisdictionis in foro interiori est omnino necessaria in ministro Sacramenti pœnitentiæ, ad hoc vt Sacramentum sit validum; est communis certa, & de fide; & quidem quod requiratur potestas Ordinis sacerdotalis constabit *dub. sequenti*, de ministro, cum probabitur solum Sacerdotem posse conficere hoc Sacramentum; quod autem requiratur potestas iurisdictionis, patet ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. dicente absolutionem datam per potestatem, sine iurisdictione esse nullam: & ratio est; quia potestas hæc est iudiciaria; iudicium autem, vt validum sit; requirit iurisdictionem in reum, vt pluribus Suarez *disp.* 16. *sect.* 3. ex quo fit, esse verissimum principium in hac materia, nullum scilicet Sacerdotem posse validè ministrare hoc Sacramentum, nisi habeat iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. ita communis, ex Trident. *dict. cap.* 7. quid hæc sunt? Infra.

6 Secunda conclusio, clauis scientiæ, seu scientia confessarij ad iudicandum de peccatis, & circunstantiis, est etiam necessaria in ministro ad ministrandum hoc Sacramentum: est commune, & constabit infra *dub. seq.* vbi exagitatur qualis scientia requiratur in confessario, & quando Sacramentum hoc inualidum sit defectu scientiæ confessarij.

7 Cum sæpè dictum sit, iurisdictionem esse omnino necessariam ad huius Sacramenti validitatem, operæ pretium est, vt videamus quid, & quotuplex sit iurisdictio: derivatur iurisdictio à duabus dictionibus, iuris, & dictio, & à iure dicendo. Est autem iurisdictio potestas de publi-

eo introducta cum necessitate iuris dicendi, vel æquitatis statuendæ, ita Syluest. videndus, *verb. Iurisdictio, numer* 1. & alij. Duplex constituitur à Doctoribus iurisdictio: altera ordinaria: altera delegata; ordinaria iurisdictio est, quæ alicui inhærens nomine proprio exercetur: ideoque illam obtinens dicitur Ordinarius, vt Episcopus, Prælatus Religionis, Parochus, de quibus infra. Delegata est, quam quis accipit ab Ordinario habente facultatem delegandi, non impeditam tempore delegationis, vt habet communis Doctorum, *ex cap.* 1. *& cap. preterea de offic. & potestat. iudicis delegat.* Acquiritur autem iurisdictio ordinaria quatuor modis. Primò, à lege, seu Canone. Secundò, à Papa, aut Rege, Imperatore, aut alio Principe non recognoscente superiorem. Tertiò, à consuetudine habente vim legis. Quartò, potest dare iurisdictionem ordinariam communitas, seu vniuersitas sæcularis approbata, vt mercatorum, & aliorum officialium, ac facultatum, quæ ex earum corpore possunt eligere, & creare superiorem aliquem, qui sit iudex ordinarius, de quibus vide Syluest. *vbi supra*, & Doctores notant in cap. *cum Eccles. de offic. Ordinar.* Iurisdictio verò delegata acquiritur, aut à iure, aut per commissionem expressam ab eo, qui habet ordinariam, seu tacitam, eo quod videat, & consentiat, aut per consuetudinem, ita Doctores communiter. Item, vt ad præsens attinet, iurisdictio alia est voluntaria, alia verò contentiosa: illa dicitur contentiosa, quæ habet contradictorem, & exercetur inter partes, quarum vnus est actor, alter reus: & hanc iudex exercere non potest, nisi pro tribunali sedendo, nec in die festo, nec noctu, vt docet Syluest. *supra*, & constat ex cap. *Spatium 3. quæst. 3.* Voluntaria iurisdictio est illa, quæ exercetur in subditos, quando volunt ipsi, & sine contradictione: & hæc exerceri potest in omni tempore, & loco, qualis est adoptio, & similes. Vide Syluest. *vbi supra*, & Villalobos 1. *part. tract. 9. diff. 45.* Iurisdictio ergo, quæ requiritur in hoc Sacramento est voluntaria, quæ vtique exercetur, vt infra constabit.

8 An autem Sacramentum pœnitentiæ collatum à Parocho, aut alio Sacerdote non habente legitimum titulum, existente tamen communi errore, sit validum, dixi in expositione Bullæ, *lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 4. num. 5.* & in Decalog. *lib 8. cap. 1. dub 9.* vide ibi, & Sanch. *de matrimon. lib. 3. disp. 22. per totam*, & Villalobos 1. *part tract. 9. diff. 46.*

Dvb. II.

Quis sit minister in communi huius Sacramenti.

1 Dico primò, solus Sacerdos est minister huius Sacramenti, est de fide definitum in Concil. Constant. *sess 8. & 15.* Florent. in litteris vnionis, & Trident. *sess. 14. cap. 6. & Can. 9. & 10.* Ratio est, quia in ministro huius Sacramenti necessaria est potestas clauium, vt dictum est *dub. proximo*, hæc autem cum sit supernaturalis, non conuenit nisi his, quibus à Christo est data: at Christus solùm Sacerdotibus eam contulit, ex Ioan. cap. 20. *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis, &c.* Quibus verbis absoluendi potestas collata est Apostolis, non solum quatenus repræsentabant Episcopos, verum etiam quatenus vicem Sacerdotum sustinebant: cum enim pœnitentiæ Sacramentum sit maximè necessarium, & frequenter suscipiendum, æquum fuit, vt huius Sacramenti administrandi potestas, non solum conferretur Episcopis, qui modicam habent opportunitatem administrandi hoc Sacramentum, verum etiam vt aliis Sacerdotibus communicaretur: sicut enim illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, dicta sunt Apostolis repræsentantibus Sacerdotes; ita etiam hæc, *Accipite Spiritum sanctum, &c.* & cum hoc Sacramentum sit grauissimum iudicium, committi debuit non cuilibet de populo, sed iudicibus determinatis: & quia est iudicium sacrum, debuit etiam minister esse sacer. Nec obstant illa verba Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Nam respondeo primò cum Coninch. *de pænitent. disput. 8. dub. 1 num. 6.* Sot. *in 4. distinct. 18. quæst. 4. artic. 1.* Reginaldo, & aliis apud Bonacin. *tom. 2. disput. 5. q. 7. punct. 1. num. 1.* Apostolum ibi loqui de confessione non sacramentali facta humiliationis gratia, quæ sic potest fieri, etiam coram laico, quo modo intelligendi sunt aliqui asserentes, posse fieri confessionem coram laico: hoc autem non est necessarium, nec sub præcepto, sed ad summum sub consilio, & hoc in aliquo casu raro, quando scilicet consideratis circunstantiis rerum, & personarum, speratur vtilitas aliqua spiritualis si secretò ex humilitate peccatum laico manifestetur in hac confessione non sacramentali: sed tamen tunc melius erit confiteri soli Deo, procurando contritionem, vt bene Suar. *disp. 24 sect. 1. n. 17.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 7. num. 183.* Villalob. *tom. 1. tract. 9. diff. 44. numer 3.* Respondeo secundò, cum Beda Filliuc. *sup num. 180.* Vasquez *q. 93. art. 1. dub. 1.* quos Bonacin. *sup num. 2.* intelligi posse illum locum etiam de confessione sacramentali, ita vt sensus sit, homines non tantum Deo, sed etiam hominibus debere confiteri peccata sua, non tamen omnibus, sed illis solum, qui ad hoc deputati sunt, scilicet Sacerdotibus, quod ille tanquam satis cognitum supponebat, eò quod ibi loquatur de Presbyteris, dicens: *Inducat Presbyteros, &c.* ideoque loquitur de confessione, quæ fit Presbyteris, ex quo constat laicum nullo modo esse ministrum Sacramenti pœnitentiæ: in quo nec Papa dispensare potest, vt constat ex vsu, & traditione Ecclesiæ, & pluribus Suarez *disp. 24. sect. 1. num. 6.* Ratio est, quia sine potestate clauium nullus potest esse minister huius Sacramenti, vt *dub. proximo*, dictum est; at potestas clauium est fundata in charactere sacerdotali; ergo. Ob quam rationem Subdiaconus, aut Diaconus non potest esse minister huius Sacramenti, etiam in articulo mortis, etsi nulla sit copia Sacerdotis, quia ij carent sacerdotali charactere. Ita communiter Doctores, & constat euidenter ex dictis.

2 Dico secundò, non omnis Sacerdos est sufficiens minister ad conficiendum validè hoc Sacramentum, nisi illi, qui habent iurisdictionem ordinariam, aut delegatam. Ita communis Theologorum apud Suar. *disp. 14. sect. 2.* & est de fide definitum in Tridentin. *sess. 14. cap. 7.* ibi: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Supponit ergo Concil. posse, esse aliquem Sacerdotem, & omni carere iurisdictione, & definit absque illa esse inualidam absolutionem. Et ratio est, quia de essentia huius Sacramenti ex parte ministri est iurisdictio, cum sit essentialiter iudicium, quod necessariò requirit iurisdictionem in personam; sed non omnis Sacerdos habet iurisdictionem; ergo non omnis est sufficiens minister.

3 Nec obstat dicere, Ioann. 20. datam esse potestatem omnibus Sacerdotibus remittendi peccata,

illis

illis verbis : *Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata, &c.* Nam respondeo primò, quemlibet Sacerdotem esse sufficientem ministrum, quoad potestatem ordinis, non verò iurisdictionis, nisi eis ab Ecclesia sit concessa. Respondeo secundò, per ordinationem esse sufficientem ministrum quoad capacitatem recipiendi iurisdictionem ; non verò quoad completam ministrandi, nisi ei conferatur iurisdictio. Ex quo fit valorem huius Sacramenti pendere ex parte ministri, ex aliqua concessione, vel prohibitione Ecclesiæ ; quia valor eius pendet ex iurisdictione ; sed hanc concedit, vel prohibet Ecclesia : ergo, &c. Et hoc est singulare in hoc Sacramento ; nam in aliis, quantumuis Ecclesia remoueat ministrum à ministerio Sacramenti, nihilominus Sacramentum validum est, si ab illo ministretur, quamuis peccet ; in hoc autem, & peccat, & est nullum. Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 6. Villalob. *part.* 1 *tract.* 9. *diff.* 44. *num.* 4. 5. *&* 6. vide cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 1. *proposit.* 2.

4 Dico tertiò, in articulo mortis quilibet Sacerdos est sufficiens minister huius Sacramenti, non quia iure diuino omnes habeant talem iurisdictionem ; vel quia in tali casu non sequitur iurisdictio : sed quia ab Ecclesia, tunc eis concessa est iurisdictio in cap. *ea noscitur de sentent. excommun.* & nouissime in Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. quo in casu simplici Sacerdoti conceditur facultas, seu iurisdictio absoluendi quoslibet pœnitentes à quibuscumque peccatis, & censuris, etiam reseruatis, illis verbis: *In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.* Quod procedit etiamsi Sacerdos sit excommunicatus, degradatus, hæreticus, &c. vt docent communiter Doctores, & dixi in Decalogo *lib* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. & in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 2. Procedit autem hæc conclusio non solum de vero, sed etiam de præsumpto mortis articulo, vt dixi in expositione Bullæ *loco citat. dub.* 4. *num.* 1. & docent Henriquez cum aliis *de indulgentia, cap.* 11. *num.* 4. Villalobos 1. *part. tract.* 9. *diff.* 44. *num.* 6. procedit etiam in probabili mortis periculo, vt cum Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 3. Sanchez, & aliis probaui in Bulla *loco citat. dub.* 4. *num.* 4. & in Decalogo *vbi supra num.* 3. quibus adde Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 5. *punct.* 1. *num.* 10 & Villalobos *supra num.* 8. An autem in tali casu possit simplex Sacerdos absoluere, etiamsi adsit proprius Sacerdos, vel alios approbatus variant Doctores, ego autem probabilius existimo, tunc non posse absolui pœnitentem, vt probaui in Decalogo *supra num.* 4. & in Bulla *supra dub.* 5. *num.* 2. quidquid Villalobos *supra num.* 9. & alij. Aliæ difficultates, quæ occurrere possunt circa simplicem Sacerdotem absoluentem in articulo, vel periculo mortis, solutæ sunt in Decalogo *dicto dub.* 7. & in Bulla *vbi sup. dub.* 4. *&* 5. vide ibi & Bonacinam *vbi sup. à num.* 9.

5 Hoc tamen pro certo habe, absolutionem datam à Sacerdote malo, & peccatore, si cætera adsint, esse validam, quod est de fide, ex Trident. *sess.* 14. *c.* 10. & patet ex dictis de ministro Sacramentorum in communi : & ratio est, quia hoc ministerium non fundatur in sanctitate, sed in potestate concessa à Christo, quæ propter peccatum non amittitur. Nonnulli autem Patres, qui videntur innuere contrarium, piè exponendi sunt, vt facit Suarez *disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 6. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 7. *n.* 181.

DVB. III.

Quisnam sit minister huius Sacramenti de potestate ordinaria.

1 DIco primò, Summus Pontifex est Ordinarius Ordinariorum, & omnium fidelium habens supremam iurisdictionem in tota Ecclesia, vt habet communis Catholicorum fundata in illis verbis Christi Ioann. 21. *Pasce oues meas*, qui habet iurisdictionem aliis præstantiorem tribus maximè de causis. Prima, quia est immediatè à Christo Domino. Secunda, quia est independenter ab omni alio. Tertia, quia est vniuersalissima, quoad loca, personas, & culpas, & quoad modum vtendi illa, vel per se immediatè, vel per alios, prout voluerit potest tamen Papa confiteri sua peccata cum Sacerdote, quem ipse eligere voluerit ; nam etsi non habeat in terris superiorem, potest tamen in foro pœnitentiæ se subiicere Sacerdoti, vt ab eo absoluatur, vt tenet communis Doctorum. Dicuntur etiam habere iurisdictionem ordinariam Summus Pœnitentiarius, Legatus à Latere, & similes. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 7. *num.* 188. Item, dicitur ordinarius Legatus, aut Nuntius Apostolicus in illis partibus, quibus præficitur Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 45. Sylo. *confessor.* 1. §. 14. de patribus verò Inquisitoribus, vide quæ dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 4. & in expositione Bullæ *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 8. & Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 7. *numer.* 3. Familia autem Papæ subiecta est ipsi Papæ, eiusque Pœnitentiario, dummodo actualiter Romæ existant, & verè sint de eius familia, de quo Suarez *tom.* 4. *disputat.* 35. *sect.* 1.

2 Dico secundò, Episcopus dicitur Ordinarius in sua Diœcesi, quæ iurisdictio competit eis ex officio, dependenter tamen à Papa, ideoque competit talis iurisdictio non iure diuino, sed humano Ecclesiastico, quod tanquam probabilius secutus sum, *supra hoc cap. dub.* 1. *num.* 4. & cum Suarez *disp.* 25. *sect.* 1. tenet Filliuc. *tom.* 1 *tractat.* 7. *cap.* 7. *numer.* 188. *vers. Secundus ergo.* Datur ergo illis iurisdictio humano iure, non enim habet eam ex vi consecrationis, sed ex vi muneris, quod habent à Summo Pontifice. Episcopi autem non habent pro ordinario confessario Archiepiscopum, sed Papam, Sotus *in* 4. *dist.* 18. *art.* 2. possunt tamen Episcopi eligere quemcumque Sacerdotem pro confessario secundum concessionem ipsis factam à Gregor. IX. in cap. *ne pro dilat. de pœnitent. & remiss. in* 6. Quo priuilegio non gaudet Episcopus electus tantum, nisi sit confirmatus, & consecratus, quamuis tantum sit titularis. Villalobos 1. *part. tractat.* 9. *diff.* 47. *num.* 2.

3 Dico tertiò, Archiepiscopus, dum actu visitat suffraganeos, est Ordinarius eorum, vt docet Syluest. *Confessor.* 1. ex capit. vltim. *de censur. in* 6. Consequenter fit, posse tunc iurisdictionem suam delegare : extra tempus autem visitationis non habet iurisdictionem hanc circa illos, sed solum circa suos subditos in suo Episcopatu, de quo Suarez *disp.* 35. *sect.* 1.

4 Dico quartò, habent iurisdictionem ordinariam Prælati Religionum, vt sunt Generales, & Prouinciales, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem. Item, eam etiam habent Abbates, Guardiani, Priores, Rectores respectu Communitatis, cui præficiuntur respectiuè. Qui etiam habent facultatem eligendi confessarium concessam à Gregor. IX. in cap. *ne pro dilat. citat.* nam

omnes sub nomine Prælati comprehenduntur: sicque est in vsu in Religionibus, teste Soto, *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 1.* & cum eo Villalob. *sup. n. 4.*

5 Dico quintò, Cardinalis, qui est Episcopus, aut Archiepiscopus habet iurisdictionem ordinariam, sicut illi: aliter non habet iurisdictionem, nisi in Ecclesia sui tituli, in qua eam habet quasi Episcopalem, qui si non sit Sacerdos potest eam delegare, vt habent Sotus *sup.* & cum Sylu. & Caiet. Villalob. *sup. num. 5.* sunt autem Cardinales, consuetudine approbante, subiecti Papæ, in hoc foro.

6 Dico sextò, Parochi quoad suas oues in hoc foro sunt Iudices Ordinarij, ex cap. *omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Similiter Vicarius perpetuus, & Archipresbyter, circa suos subditos, quorum iurisdictio est de iure humano, sicut Episcoporum, & multò magis, vt dixi *supra hoc cap. dub. 1.* & tenet Filliuc. *supra num. 189.* & alij. Subiiciuntur autem Parochis omnes parochiani, etiam Sacerdotes, nisi sint Religiosi: nam ij sunt exempti: Parochorum verò iurisdictio est subordinata Episcopo. Villalob. *sup. num. 10.*

7 Difficultas est apud Doctores, an Vicarius Generalis, sit Ordinarius, quantum ad confessiones audiendas, ita vt eas audire ex officio possit, & aliis licentiam audiendi confessiones concedere. Negant Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 4. artic. 3.* Ledesma *tom. 1. summ. de pœnitent. cap. 18.* cum Archidiacon. Ioann. Andr. Dominico, & aliis apud Villalobos *1. part. tract. 9. diff. 47. num. 7.* quia aiunt, tantum habere ex officio iurisdictionem in foro exteriori, & contentioso, & quia Tridentin. *sess. 23. cap. 15.* expressè statuit, neminem posse audire confessiones, nisi approbatus fuerit ab Ordinario. Oppositum autem, & quidem probabilius, tenent Syluester *confessio. 5. quæst. 1.* Nauarr. *cap. placuit, distinct. 6. nummer. 61.* Henriquez *lib. 6. de pœnitent. cap. 13. numer. 3.* Sanchez *de matrimon. lib. 3. disputat. 39. numer. 15.* & cum his, & Hostiense, Abbate, & aliis Villalobos *supra, versic. La contraria.* Ratio fundamentalis est, quia ipsius tribunal, & Episcopi est omnino idem, repræsentatque personam Episcopi, *cap. 2. de consuetud. in 6. cap. Roman. de appellat. in 6.* ideoque non solum est Ordinarius in foro contentioso, sed etiam in foro pœnitentiæ. Nec obstat Tridentin. *loco citato*, quia ibi non excluditur Vicarius Generalis Episcopi: imò quando agitur de rebus concernentibus officio Vicarij Generalis, etiam hic includitur in verbo, & nomine Episcopi, vt Gloss. *cap. vnico, versic. Per Episcopum, de Capellan. Monachor. in 6.* & ibi Dominic. & Franch. & cum iis Villalob. *supra, versic. de lo qual.* Colligiturque ex Trident. nam quando volt excludere Vicarium Generalem ab Episcopo, id expressè dicit, vt videre est, *sess. 24. cap. 6. de reformat.* ibi: eis tantum (non eorum Vicariis Generalibus) sit permissum; quare dum, *sess. 25. cap. 3. de reformat.* statuit Tridentin. solos Episcopos ferre posse excommunicationem pro rebus furtiuis, asserunt Doctores, vt Henriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 17. num. 4.* & Gutierrez *lib. 1. quæstion. can. cap. 28. num. 8.* posse etiam id facere Vicarios Generales. Dixi, *Vicarius Generalis*, nam Vicarius foraneus non est Ordinarius, sed delegatus, nec habet idem tribunal cum Episcopo, ideo ab eo ad Episcopum appellatur: sicque non potest audire confessiones ex officio, nec licentiam eas audiendi dare. De Vicario Generali Episcopi; vide Barbosa *de iure vniuerso, lib. 1. cap. 35.* vbi etiam de Vicario foraneo, *& de offic. & potestat. Episc. alleg. 54.*

8 Dico septimò, Sede Episcopali vacante, Capitulum succedit Episcopo, cap. *his quæ de maiorit. & obedient.* & ibi Doctores, ideo potest concedere licentiam audiendi confessiones, & Vicarius, aut Vicarij Generales Capituli, Sede vacante, succedunt Vicario Generali Episcopi, vt docent Sbroz *lib. 1. de Vicario Episcop. quæst. 55. numer. 31.* & Henriquez *lib. 6. de pœnitent. cap. 13. num. 3. lit. M.* ideoque possunt id facere, quod Vicarij Generales Episcopi, de quibus dixi *num præcedenti.* De Vicario Capituli vide Barbosam *de canon. & dignit. cap. 24. & de offic. & potestat. Episcop. allegat. 54. & de iure vniuerso lib. 1. cap. 32.* vbi etiam agit de Vicario Episcopi.

9 Circa prædicta nota, iurisdictionem eorum, qui ex officio, & potestate ordinaria possunt audire confessiones, non esse determinatam ad loca, sed ad personas. Quare Episcopus extra suam Diœcesim, & Parochus extra suam Parochiam, imò in alia Diœcesi possunt suos subditos absoluere, vel dare licentiam eligendi confessorem, vt docent Suarez *disp. 25 sect. 1. num. 17.* Henriquez *lib. 3. de pœnitent. cap 7. num. 1.* Coninch. *disp 8. dub. 3. num. 25.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 7. num. 189.* Bonacina *tom. 1. disput. 5. quæst. 7. punct. 2. num. 10.* & alij, quos ipsi. Ratio est, quia hoc Sacramentum requirit per se iurisdictionem in personam, & iudicium sacramentale non exigit exteriorem solemnitatem, nec fit cum strepitu iudicij externi, nec exercetur in foro contentioso. Est enim hæc iurisdictio voluntaria, & absque strepitu, quæ potest exerceri extra territorium, & Diœcesim, argumento *cap. vltimi, de officio delegati.* Item, cum in cap. *omnis vtriusque sexus*, fiat mentio Sacerdotis, cui peccata confitenda sunt, non verò fiat mentio loci, sequitur non esse determinatum locum, & territorium, in quo possint subditi Episcopi, aut Parocho confiteri. Ob has rationes Doctores citati, & Villalobos *1. part tract. 9. diff 47. num. 12.* extendunt hanc doctrinam ad confessarium, qui ex commissione, aut delegatione audit confessiones; sicque Religiosus, qui fuit præsentatus Episcopo Valentino, & ab eo approbatus, ad audiendas confessiones; aut alius Sacerdos ab ipso Episcopo approbatus, poterit subditos Diœcesis Valentinæ in alia absoluere. Limitat tamen eum Bonacina *supra versic. Istæ rationes*, modò Episcopus non concesserit facultatem limitatam cum hac clausula: in Diœcesi tantum, vt seruatur in Archiepisc. Mediolan.

10 Nota secundò, etsi in foro exteriori delictum sortiatur forum: *Esto es, que puede ser castigado por el Juez del lugar donde cometio el delito*, hoc tamen non procedit in foro pœnitentiæ quantum ad peccatorum absolutionem, vt docent Syluest. *confess. 1. quæst 13.* Nauarr *capit placuit de pœnitent. distinct. 6. numer. 33.* Villalobos *supra numer. 13.* Filliucius *loco citato*, & alij. Ratio est, quia idem Iudex debet esse omnium peccatorum, omnia enim simul remitti debent, nec diuidenda est iurisdictio: ideoque in cap. *omnis vtriusque sexus*, sine restrictione aliqua dicitur, peccata omnia confitenda esse Sacerdoti proprio.

11 Quæres per quid amittatur iurisdictio ordinaria. Respondeo, priuatione dignitatis, seu officij, cui adnexa erat iurisdictio: nam destructo principali, corruit accessorium: quare renuntians beneficium Parochiale amittit iurisdictionem tali beneficio adnexam. Item, impeditur per superuenientem excommunicationem, vel suspensionem, aut per interdictum ab officio, vel iurisdictione, modò qui

huiusmodi

huiusmodi censuris detinetur, sit vitandus; tunc enim non potest valide actus iurisdictionis exercere, vt communiter Doctores, vbi de censuris: nisi in mortis articulo, vel nisi adsit communis error populi, & titulus coloratus, vt dixi in Decalog. *lib.8. cap.1. dub.9.* vide Suarez *disp. 26. sect. 3. & disp.27. sect.4.* Nauarr. *in cap. placuit, num.35.* & Bonacin. *tom.1. disp.5. quæst.7. punct.4. §.1. num.7.* & 8. Idem dic de Sacerdote degradato, & deposito, vt clarius ex infra dicendis constabit.

D v b. IV.

Quis sit ordinarius, vel proprius Sacerdos, ac minister huius Sacramenti respectu singulorum fidelium.

1 IN hac re certum est, Papam esse ordinarium omnium fidelium in tota Ecclesia; Episcopum in suo Episcopatu; & Parochum in sua parœcia respectu suarum ouium, vt habet communis, & constat ex supradictis *dub. proxime*, vbi *num.6.* diximus in vnaquaque Ecclesia Parochiali Parochum esse proprium Sacerdotem omnium, qui intra terminum illius Parochiæ morantur, siue laici sint, siue Sacerdotes: quod intelligitur per se loquendo, & seclusis priuilegiis; vnusquisque enim est eius Parochiæ, vbi habet domicilium firmum, *cap. vlt. de Parochiis*, & habent communiter Doctores, apud Suarez *disp.25. sect.1. num.4.* difficultas ergo est de quibusdam personis. Primò, quis sit proprius habentium duo, aut plura domicilia. Secunda est de vagis, qui nullum habent domicilium fixum. Tertia, de iter agentibus, & peregrinis. Quarta esse potest de Parochis Episcoporum, & Cardinalium.

2 Quoad primum dico primò, habentes duo domicilia, in quibus æquè habitant pro diuersa anni parte, possunt confiteri cui voluerint Parocho; quia vterque est illorum proprius Parochus: & hæc iurisdictio non sequitur actualem habitationem, sed domicilium; cum ergo habeat duo domicilia, *cap.2. de sepult. in 6.* habebit duas Parochias; vt sic possint ij in vtroque loco sepeliri, aut matrimonium contrahere. Nauarr. *cap. placuit, de pænit. dist. 6. num.71.* Suar. *de pænit. disp.25. sect.2. num.5.* Henriq. *lib.6. cap.7. num.2.* Filliucius *tom.1. tract.7. cap.7. num.192.* Villalob. *1. part. tract. 9. diff. 48. num.3.* Bonacio. *tom.1. disp.5. punct.2. num.2.* & alij. Aduertunt tamen, & bene, expedire, vt factam Eucharistiam tempore præcepti suscipiat in Parochia in qua tunc habitat.

3 Dico secundò, qui in vno loco habent domicilium fixum, in alio non fixum, vt sunt scholares, milites, litigantes, & mercatores, qui in aliquo loco commorantur; studij, militiæ, negotij, aut mercaturæ causa, licet in alio loco fixum habeant domicilium, subiiciuntur Parocho loci, vbi commorantur, ab illoque possunt suscipere Sacramenta: nam per illud quasi domicilium fiunt illius subditi. Gloss. *Clement.1. de priuileg.* Nauarr. *supr. num.81.* Suarez *disp.23. sect.3. & disp.25. sect.1.* Coninch. *disput.8. dub.3. num.21. & dub.6. num.38.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp.23. num.13.* Henriq. *supr. cap.8. num.5.* Filliuc. *num.193.* Bonacin. *supra, vers. Idem dicendum*, & alij communiter, hoc enim consuetudine introductum est propter difficilem recursum ad proprium, ne scilicet huiusmodi personæ Sacramento valde necessario diutius careant. Etenim consuetudo potest iurisdictionem conferre, non ratione sui, sed ratione taciti consensus, & approbationis superioris, qui eo ipso quo scit aliquos actus fieri, & non contradicit, cum possit commodè contradicere, censetur eam approbare, & facultatem iuxta consuetudinem receptam conferre, vt docent citati. Quare in hac re spectanda est consuetudo, non solum in casibus propositis, sed in aliis similibus: vnde non est improbanda consuetudo in Diœcesi Mediolani, & alibi introducta, vt Parochus loci absoluat eos, qui recreationis causa, vel aliquos dies in sua Parochia reperiuntur. Bonacin. *supr.* ij enim, & omnes supradicti possunt sua peccata confiteri Parocho illius loci, aut alij ibi ad audiendas confessiones approbato. Bonacin. *supr. numer. 4. versic. Adde.* At verò scholares ab Episcopo loci, in quo commorantur, possunt ad ordines promoueri diceimus, vbi de ordine; & an in irregularitatibus dispensari, dicetur vbi de irregularibus.

4 Quantum ad vagos, qui nullum habent domicilium, dico proprium eorum esse illum, qui est in loco, vbi reperiuntur, & confiteri posse cum eo, aut alio ibi ab Episcopo approbato. Suarez *disp.25. sect.7. num.7.* Filliuc. *num.194.* Bonac. *loc. cit. num.4.* Sylu. Sot. Coninch. & alij communiter apud Bonac. & Villalob. *1. part. tract. 9. diff. 48. num.2.* nam in iis actualis habitatio est loco domicilij, & mutata habitatione, etiam mutant Parochum, & id probat consuetudo, cuius signum est, quia Parochus eius loci, in quo vagantes habitant, tenetur ex officio ministrare Sacramenta, si egeant; eosque potest compellere ad præceptum seruandum. Vagi autem dicuntur, qui nullibi habent fixum domicilium, sed vagantur per orbem, vt sunt pauperes aliqui, histriones, & illi, qui relicto priori domicilio transeunt ad aliud, dum iter agunt. Mercenarius autem, qui ad diem in aliquo loco operatur, retento suo domicilio, non dicitur vagus. Sà *verf. Confessor, num.1.*

5 Quoad tertium de peregrinis, seu iter agentibus, dico proprium Parochum esse eum, qui est in loco vbi habent domicilium firmum. Nihilominus tamen possunt ij confiteri Parocho loci ad quem perueniunt, vel aliis Sacerdotibus sæcularibus, aut regularibus approbatis ad confessiones ibi audiendas. Suarez *disp.25. sect.5. & disp.15. sect.2.* Henriquez *sup. cap.8.* Sylu. *confess.1. n.1.* Sotus, Vasquez, Reginald. apud Bonacio. *supr. num. 5.* hoc enim consuetudine introductum est ex tacita licentia Parochorum, imò, & Summi Pontificis, & Caietan. *verb. Absolutio 2.* refert Eugen. IV. hæc declarasse in annua confessione, vel communione; ergo multo magis aliis temporibus, hoc autem limitant & bene, Suarez *disp.25. sect.2. num.9.* Coninch. *disp.5. dub.8. num.61.* Reginald. *lib.1. num.80.* Filliuc. *sup. n.195.* & Bonacin. *num.6.* modò iter agant bona fide, & causa vera, nam si quis ageret iter tantum ea de causa, vt haberet occasionem confitendi alteri, & non proprio, confessio non esset valida; quia non esset iuxta consuetudinem, nec iuxta intentionem pastorum. Addit tamen Filliuc. *vbi sup.* probabile tamen est, consuetudinem etiam introduxisse, vt non obstante huiusmodi intentione, confessio valida sit, præsertim si fiat delegatis Papæ, hoc est Religiosis, & aliis huiusmodi: hæc ille, quod existimo verum tantum, si talis consuetudo recepta inuenitur, quod non contingit in hac Diœcesi. De Religiosis dicemus infra *num.8.*

6 Hoc tamen pro certo habeo, Sacerdotem generaliter approbatum ad audiendas confessiones in aliqua Diœcesi, posse omnes illius Diœcesis ad se concurrentes audire, etiamsi ad ipsum accedant ani-

mo vitandi proprium Parochum, quia illius generalis facultas est independens à licentia Parochi, quod non contingit in casu supradictæ limitationis, in qua Sacerdos non habet iurisdictionem, nisi iuxta receptam consuetudinem, seu tacitam concessionem Summi Pontificis: Summus autem Pontifex non concessit Parocho loci, aut alteri ibi approbato facultatem audiendi confessiones eorum, qui ad eum locum se transferunt, vt proprium euitent Parochum; ideoque inualida est confessio facta ab eo, qui vt proprium euitet Parochum, de industria se confert ad alienum Parochum, aut alium, qui aliàs non habet in eum iurisdictionem, vt ab eo absoluatur, deficit enim iurisdictio requisita. Vide Bonac. *dict. punct.* 2. *num.* 7.

7 Circa hanc materiam notanda est valde doctrina, quam affert Manoel Sà, *verbo Confessor. n.* 9. ex Syl. *confess.* 1. *num.* 2. videlicet, quantum ad confessionem, & communionem, & alia tibi vtilia proprius Sacerdos est, vbi de præsenti habitas, nec potes commodè tuum adire. Vide Toletum *lib.* 3. *capit.* 13. *numer.* 11. & Sanchez *tom.* 1. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 15.

8 Ex dictis sequitur, Parochum tempore Paschatis non posse ministrare sacram Eucharistiam pœnitentibus, qui data opera, se contulerunt ad confessarios extra Diœcesim existentes, ipsisque sua peccata confessi sunt, quia vt dictum est *num.* 6. talis confessio est inualida: secus si data opera non se contulerunt ad illos, & aliàs confessio fuit valida, iuxta superius dicta. Bonacin. *sup punct.* 2. *n.* 9.

9 Circa Religiosos autem nota, Sixtum IV. concessisse illis facultatem audiendi confessiones extraneorum, si ad ipsos accedant causa confessionis, modo Religiosi sint approbati ab Episcopo illius loci: at ipsi Religiosi non possunt ad aliam Diœcesim Proficisci, vt ibi confessiones audiant, nisi speciali priuilegio gaudeant. De quo Suar. *disp.* 28. *sectio* 7. *num.* 11. Rodrig. *in qq. regul tom.* 2. *quæst.* 40. & 62. & Mirand. *in Manual. Prelat.* sic valet confessio facta Religiosis ab eis, qui ad illos ex illa Diœcesi se cōtulerunt, etiam data opera, consequenter Parochus tempore Paschatis tenetur taliter confessis sacram Eucharistiam ministrare: nam Parochus, aut Episcopus non potest derogare priuilegiis à Sede Apostolica concessis, vt in specie tradit Rodrig. *qq. regul. tom.* 1. *quæst.* 60. *artic.* 6. & Ludouic. Miranda *in Manual. Prelator. tomo* 1. *quæst.* 45. *artic.* 14. vide Bonac. *vbi sup. num.* 8. & 9. Henriq. *lib.* 3. *de pœnit. c.* 6. *n.* 6.

10 Quæres tamen, an aliqui excipiantur à iure ordinario, de hac quæstione aliqua diximus *dub.* 3. ideo breuiter. Respondeo primò, excipitur tota familia Papæ, cuius proprius Sacerdos est ipse, vel alij ab ipso assignati: secundo excipitur familia Cardinalium; quisque enim Cardinalis est proprius Sacerdos suæ familiæ, & potest per se, vel per alios hoc munus exercere. Familiæ autem Episcoporum de iure communi habent Parochum: potest tamen Episcopus si velit, eximere suam familiam, & sibi eam reseruare. Tertiò, quædam personæ in speciali dignitate constitutæ, vt Decani, Archidiaconi, & similes, qui immediatè subiiciuntur Episcopis ex priuilegio, vel consuetudine: alij autem Sacerdotes communiter habent suos pastores. An autem ex consuetudine habeant facultatem eligendi confessarium infra. Quarto, excipiuntur Religiosi, qui solent habere proprios pastores, vt dixi *sup.* Idem dic de monialibus non subditis Episcopis, sed Religiosis, nam habent proprium superiorem illæ autem quæ subduntur Episcopo, illum habent pro proprio, vel alium ab eo designatum. Quintò, solent excipi Reges, & Principes supremi, qui ratione suæ dignitatis, & potestatis non sunt ipso iure excepti, sed priuilegio esse possunt, cui standum est Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 7. *q.* 10. *n.* 197. vide Suarez *disp.* 25. *sect.* 2. *n.* 12.

DVB. V.

De ministro Sacramenti pœnitentiæ ex delegata potestate.

Circa titulum dubij aliquæ occurrunt difficultates, quas, quibusdam quæstiunculis propositis, explicabimus.

1 Quæres primò, quis possit concedere iurisdictionem delegatam in hoc pœnitentiæ foro. Respondeo, & dico, omnes qui habent iurisdictionem ordinariam iuxta dicta *dub.* 3. posse concedere delegatam: hæc conclusio est certa, & habetur *cap. inter cætera de offic. ordin. cap. omnis de pœnit. & remiss.* & ita tenet Sot *in* 4. *dist.* 18 *quæst.* 4. *art.* 3. Suar. *disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 8. *n.* 199. Villalob. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 49. *num.* 2. & communiter DD. Ratio est, quia delegatio est vnus ex actibus iurisdictionis ordinariæ, non enim ordinarius adstrictus esse debet, ad exercēdam per suam personam iurisdictionem ordinariam. Hoc tamen limita, nisi fortè Ordinarius hic à iure sit impeditus, aliter enim non potest delegare; ideoque facultas delegata ab excommunicato, vel suspenso non est valida, vt docent DD. vbi de censuris.

2 Ex hac conclusione sequitur primò, Papam posse hanc iurisdictionem delegare Sacerdotibus pro quolibet loco, & pro quibuscumque peccatis, etiam contra voluntatem Episcoporum. Item Episcopi in sua Diœcesi, modò Papa non reseruet peccata, aut resistat. Item, Parochus respectu suorum subditorum, seruata proportione (modò non sit à iure, vel superiori impeditus) vt infra *ex cap. omnis cit.* Sub Parocho autem comprehenditur Vicarius perpetuus, quia est verè Parochus, & habet beneficium parochiale, de quo dixi in tractatu de iure Parochi. Comprehenditur etiam nomine Parochi quoad hoc quicumque ab Episcopo ponitur loco Curati; Vicarius autem, quem ponit Parochus sua volūtate, est merè delegatus: potest tamen Parochus maiorem dare facultatem, quam habeat delegatus, nempe suam, si velit, & ita exprimat, vt cum aliis docet Suarez *disp.* 26. *section,* 1. *num.* 4. videndus: sic intelligendus Emanuel Sà *verb. Sacramentum n.* 6. cui generaliter committuntur omnia exercenda in Parochia, potest dare alteri Sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta, approbato tamen ab Ordinario. Sic is, cui à Parocho delegantur omnes vices, potest dare licentiam assistendi matrimonio, vt docet Sanchez *lib.* 3. *de matrim disput.* 31. *num.* 12. videndus, & Henriquez *libr.* 6 *cap.* 7. *num.* 5. *lit. N.* & *num.* 6. & *lib.* 11. *de matrim. cap.* 3. *num.* 5. & infra, vbi de matrimonio. Poterit ergo is Sacerdos, cui Parochus commisit omnes suas vices, delegare iurisdictionem in foro pœnitentiæ, similiter & Vicarius temporalis ab Episcopo designatus, quia ij sunt delegati ad vniuersitatem causarum, & quasi Parochi, vt docet Sanchez *dict. disp.* 31. Dixi, *cui Parochus delegauit omnes suas vices*: nam sic censetur etiam delegasse potestatem subdelegandi: secus tamen si simpliciter à Parocho fuerit constitutus Vicarius; tunc enim non poterit subdelegare, quia sic non censetur concessisse Parochus potestatem subdelegandi.

delegandi. Villal. 1 *p. tract. 9 diff. 49. n. 4.* Item delegare possunt Prælati Religiosorum (de quibus infra) quia verè Prælati, & Ordinarij. Item, delegare possunt Vicarius Episcopi, etiam non Sacerdos, & Episcopus confirmatus, etiamsi non sit consecratus, quia ij sunt Ordinarij, vt diximus *dub. 3.*

3 Sequitur secundò à contrario sensu, præter supradictos, nullos alios posse delegare suam iurisdictionem in foro pœnitentiæ; nam præter illos, omnes alij sunt delegati; delegatus autem non potest subdelegare, nisi specialiter illi sit concessum; nam delegatus non potest subdelegare, *cap. vlt. de offic. delegat.* & communis Doctorum. Ratio est, quia communicare iurisdictionem est actus iurisdictionis distinctus ab actu audiendi confessiones, absoluendi, &c. at qui habet iurisdictionem delegatam audiendi confessionem, ex vi delegationis non potest alium actum efficere; ergo neque delegare: non autem sic is, qui habet iurisdictionem ordinariam, vt diximus.

4 Dico secundò, Summus Pontifex potest concedere cuicumque fideli facultatem confitendi sine licentia Episcopi, vel Parochi: est de fide, vt probat Suarez *disp. 16. sect. 1. num. 8.* Vnde si Papa absolutè, & expressè det facultatem alicui ad audiendas confessiones, satis est ad iurisdictionem delegatam: nec requiritur consensus Episcopi, aut Parochi, modò non apponatur conditio, si consentiat Episcopus, vel Parochus. Idem dic de Episcopo Parochi? ia enim potest suam iurisdictionem delegare absque consensu Parochi, sicque delegatus absque illius consensu poterit confessiones audire, nisi delegatio fuerit facta, modò requiratur consensus Parochi Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 8. num. 202.* cum Suarez *vbi sup.* Similiter Parochi possunt suis ouibus licentiam concedere, vt cum alio, approbato tamen, confiteantur; ita vt is, qui eam accepit, non egeat aliorum facultate; ideoque si de eorum licentia confiteantur alteri approbato, satis erit. Filliuc. *sup. num. 202.* ex Suar. *sup. num. 4.* Hinc sequitur, non posse Parochum prohibere suo subdito, ne confiteatur Religioso habenti priuilegium, vel alteri habenti facultatem ab Episcopo audiendi omnium sibi subditorum confessiones. Ratio est, quia si ipsi confessarij possunt audire confessiones, ergo & alij possunt licitè confiteri. Nihilominus tamen Religionum superiores prohibere possunt suis subditis, ne cōfiteantur alteri Religioso habenti à Papa facultatem audiendi confessiones, quia hoc iis non derogat communi ordini cuiusque Religionis, ex Clem. *dudum de sepult. & Extrauag. inter cunctas de priuileg.* modò tamen in ea facultate non exprimatur, etiam posse audire eos regulares, qui habent priuilegia confitendi alteri, sicut exprimitur in facultatibus pœnitentiariorum Papæ. Filliucius *sup. num. 203.*

5 Quæres secundò, cui possit delegari hæc potestas. Respondeo, si delegator ita, vt ipse delegatus ea per se vtatur: sic soli Sacerdoti potest delegari, quia soli Sacerdotes habent potestatem clauium, vt diximus *dub. 1.* Quòd si delegatur, vt delegatus alij committat, potest delegari non Sacerdoti: sic Vicarius Episcopi, etiamsi Sacerdos non sit, potest alteri delegare: si autem talis Vicarius sit Sacerdos, potest etiam per se delegare sua iurisdictione sibi concessa, vt dixi *hoc dub.* & quia vt dixi *dub. 3.* est Ordinarius. Quando verò conceditur laicis, vel fœminis facultas nominandi confessores pro suis familiis, non est commissio iurisdictionis, sed tantùm potestas ad eligendam personam, qua electa, Pontifex, seu Episcopus confert iurisdictionem, vt infra patebit Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 8. num. 204. 205.*

6 Quæres tertiò, qua forma, & modo deleganda sit hæc iurisdictio. Respondeo conuenire Doctores, nullam formam esse necessariam, sed sufficere, quòd is, qui potest delegare, explicet suam voluntatem quibuscumque verbis aptis ad eius explicationem. Dubitant tamen, an satis sit ad delegationem futura ratihabitio rationabiliter præsumpta de præsenti. Tres refert sententias circa hoc Suarez *disp. 26. sect. 1. num. 13.* Prima est Capreoli, & aliorum asserentium, sufficere ratihabitionem rationabiliter præsumptam de futuro, quia ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato. Secunda distinguit ratihabitionem de futuro non sufficere, benè verò de præsenti. Syluest. *confessor. 1. num. 6.* Henriquez *libr. 3. de pœnit. cap. 13. num. 13.* Sotus, Nauarr. & alij. Tertia, & communior, quam sequitur Suarez *sup.* & Filliucius *tom. 1. tract. 7. capit. 8. num. 208.* Villalob. 1. *part. tract. 9. diff. 51. n. 2.* & Bonacina *infra* requirit consensum præsentem superioris delegantis sufficienter manifestatum, siue fiat expressis verbis, aut literis in particulari, aut in generali ministrandi Sacramenta, siue cōsensu tacito ad arbitrium prudentis. Quæ sententia & verior, & sequenda videtur: cum hac coincidit secunda, nam ratihabitio de præsenti non est propriè ratihabitio, sed consensus de præsenti saltem tacitus, quia ratihabitio propriè respicit præteritum, ideo retrotrahitur. Probatur hæc tertia sententia ex refutatione prioris, quia spes, aut præsumptio futuræ ratihabitionis non sufficit; nam Sacramentum non potest pendere à futuro euentu, quia si superior postea non haberet ratum, Sacramentum non esset validum; ergo semper erit inualidum: nam si aliquando validum dicatur, semper tale permaneret, etiamsi superior postea nollet. Et confirmatur, quia ad validitatem absolutionis requiritur actualis iurisdictio, quam non potest conferre futura ratihabitio. Secus autem, quando adest consensus saltem tacitus, seu ratihabitio (etsi impropriè) de præsenti; tunc enim taliter consentiens, censetur actualem iurisdictionem concedere, vt si præsens, & non contradicente Episcopo confessiones audiat Sacerdos; aut si aliquis præsente, & non contradicente suo Parocho, cum alieno confiteatur, tunc enim ille consensus tacitus de præsenti, censetur actualem iurisdictionem concedere pro illo tunc, seu in illo casu: secus tamen si inferior audiat confessiones, sciente superiore absente, & tacente, quia tunc non censetur adesse consensus præsens nam hic debet manifestari aliquo signo de præsenti, & sic acceptari, quod non contingit, quando superior est absens. Ita cum Suarez *sup. num. 16.* Coninch *disput. 8. dub. 5. concl. 2.* & aliis tenet Bonacina *tom. 1. disput. 5. punct. 4. §. 1. num. 15. & 16.* at si præsens videat, & taceat, videtur externe consentire, & actualiter iurisdictionem concedere Sanchez *lib. 8 de matrim. disp. 4. num. 26.* vide Bonacin. *vbi sup.* & Salas *de legib. disp. 24 sect. 2. n. 85.* Ad fundamentum autem primæ sententiæ respondetur, illam regulam esse validam in iis, quæ ab initio sunt valida substantialiter; possunt tamen irritari ob defectum alicuius solemnitatis accidentalis. Item in illis, quæ licet in principio nulla sint, tamen possunt per consensum sequentem omnino firmari, quod fieri non potest in Sacramentis, quia non possunt pendere ex futuro euentu. Filliucius *vbi sup.*

7 Quæres quartò, quibusnam personis de facto competat iurisdictio delegata. Tribus modis potest delegari iurisdictio: primò, à iure: secundò,

ex consuetudine: tertio, ab homine. Loquimur de Iurisdictione, quæ delegatur confessario, & non de licentia quæ conceditur pœnitenti ad eligendum confessarium; nam de hac *dub.*6. Respondeo, & dico primò, à iure communi nemini est delegata iurisdictio; nullus enim extat de hoc textus ex parte ipsius confessarij, sed tantum ex parte pœnitentis, quarenos, scilicet, data est ei potestas ad eligendum confessarium, vt dicemus. Dico secundò, ex consuetudine in tribus casibus reperitur delegata iurisdictio confessarij. Primus est articulus mortis: secundus est, quando absoluit Sacerdos à peccatis mortalibus aliàs ritè confessis. Dico tertiò, ab homine communiter delegatur iurisdictio, quæ fit, quando Episcopi approbando confessarios non Parochos, eis licentiam audiendi confessionem concedunt, de qua *infra dub.*7. & hæc dicitur personalis. Aliquando est communis, vt ea, quæ traditur Religiosis per priuilegia, præsertim mendicantibus: quo in casu fideles, qui intra annum confitentur regularibus priuilegiatis, liberantur ab onere confitendi eadem peccata semel in anno suis Parochis, ex definitione Ioan. 22. *in extrauag. vas electionis de heret.* & Benedict. 11. *de priuileg.* Ratio est, quia priuilegia in iis extrauag. commissa dant iurisdictionem simpliciter absque onere iterum confitendi; ergo. Confirmatur, quia alioqui nullius esset momenti, & vtilitatis dictum priuilegium; nullus enim fidelium vellet confiteri cum eo onere: denique, quia id confirmat vsus ipse tantorum annorum. Nec obstat cap. *Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remis.* vbi præcipitur fidelibus, vt omnia sua peccata semel in anno confiteantur proprio Sacerdoti, quia sicut ibi non excluditur Episcopus proprius, ita nec excluduntur, sed potiùs includuntur priuilegiati, vt pluribus Suarez *disput.*26. *sect.*2. *num.* 9 & cum eo Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.*8. *num.*210. *&* 211. ideóque qui confitentur cum Religiosis ab Ordinario approbatis, liberi sunt ab onere confitendi cum Parocho. Imò ipsi Religiosi sic approbati, contradicentibus Parochis, in Religionum suarum Ecclesiis confiteri possunt sæculares: in Ecclesiis verò parochialibus sic confitentes, etsi validum sit Sacramentum, malefacerent, vt benè Portel. *dub. de regular. verb. Confes. num* 8. & Villalob. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 49. *num.* 7.

8 Quæres quintò, quantum duret iurisdictio delegata. Dico primò, certum est in hac re, hanc iurisdictionem delegatam posse reuocari à delegante, & tunc non amplius durare, quia solùm conceditur vsus, qui semper pendet à voluntate delegantis: patet ex toto tit. de officio delegati, & habet communis apud Suar. *disp.*26. *sect.*3. de quo etiam vide in nostra expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 3. Certum etiam, quando delegatio fit ad præfixum, & determinatum tempus, solùm durare pro illo tempore, & eo elapso, expirare, & cessare; gratia enim, & facultas non excedit voluntatem concedentis. At si confessio fuit cœpta intra illud tempus, & non potuit finiri, poterit finito tempore continuari, & finiri, ac tali confessario absolui, vt docent Ledesma 1. *part. summ. capit.* 12. *de pœnit.* Villalob. 1. *part tract.* 9. *diff.* 52. *num.* 1. & alij. Rationalis enim voluntas concedentis videtur esse, vt post tempus determinatum non possit de nouo audire confessiones; aliter enim fieret iniuria pœnitenti, qui tempore habili cœpit confiteri, & non potuit eam perficere. Deinde, quia in iure *cap. gratum de off. & potest. delegat* iurisdictio acquisita, si res est incepta non expirat morte concedentis; ergo, &c. Idem dic, quando Episcopus concessit licentiam durante sua voluntate, & beneplacito; nam etsi hæc cessent per eius mortem, durant tamen quoad confessiones inceptas. Villalobos *sup.* Certum est etiam, quando delegatio fit absolutè, & indefinitè, durare quandio viuit is, qui eam delegauit, & non eam reuocat; quia quamdiu non retractatur, censetur moraliter manere; modò tamen superior delegantis illam non reuocauerit, vt benè Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 214. nam si hic reuocaret eam, non ampliùs maneret.

9 Dico secundò, per mortem delegantis non amittitur iurisdictio delegata: Quod etiam est certum; si delegans est Papa, nisi aliud ex concessione constaret: est commune apud Suarez *disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 5. & patet ex vsu circa Religiosos, quorum priuilegia durant mortuo Papa, post cuius mortem illa exercent. Ratio est, quia similes facultates concessæ à Papa sic intelliguntur; nam sequuntur regulam gratiæ, & fauoris: gratia autem, & fauor non expirant morte concedentis, *cap. si super gratia de off. deleg. in* 6 *cap. si cui, de preb. eod.* & non sequuntur regulam iustitiæ, & fori contentiosi, quæ censentur extingui per mortem concedentis, si res, & causa non sit incboata. Quòd si delegans hanc iurisdictionem sit Episcopus. Syl. *verb. Confessio* 1. *quæst.* 9. Palud. D. Anton. & aliqui putant cessare per ipsius mortem, & tantùm remanere, quando confessio fuit inchoata ante illius mortem; quia aiunt idem contingere in aliis iurisdictionibus delegatis. Probabilius tamen, & verius est durare etiam post mortem Episcopi, donec à Capitulo, Sede vacante, aut à successore Episcopi reuocetur; quia vt dictum est, delegatio huius iurisdictionis non est regulanda per regulas iustitiæ, sed gratiæ, & fauoris, quæ non expirant morte concedentis. Et confirmatur ex consuetudine iam recepta, ex qua habetur, mortuo Episcopo, durare huiusmodi iurisdictionem, donec à Capitulo, aut successore reuocetur: alioquin enim sequerentur multa incommoda, & inconuenientia. Ita Nauar. *cap Placuit de pœnit dist.* 6. *num.* 161. Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 6. Saytus *in thesaur. tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 14. *num.* 7. Suar. *disp.* 26. *sect.* 3. *num.* 7. Sanchez *de matrim tom* 3. *lib.* 8 *disp.* 28. *n.* 72. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 8. *num* 216. Villalob. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 52. *num.* 3. & alij. Quod autem diximus in casu mortis Episcopi, dicendum etiam est in caso, quo, quacumque ratione, priuetur Episcopatu, vel ob renuntiationem, vel dispositionem; aut sit suspensus à Iurisdictione, aut excommunicatus denuntiatus. Villalobos *sup.* Filiuc. & alij. Addit autem Filliucius *num.* 217. si delegans est Parochus; idem videtur dicendum, etiamsi tantùm authoritate sua aliquem assumat in Vicarium, vel coadiutorem suum; nam si authoritate Episcopi illum assumpserit, certum est durare mortuo Parocho. Secus tamen est in priori casu nempe, quando Vicarius assumptus est ab ipso Parocho, debet sequi consuetudinem illius loci; videtur enim id pendere ex voluntate Episcoporum, siue expressa, siue tacita, vt benè Suarez *supr. cit. n.* 12.

10 Dico tertiò, licentia concessa Episcopo ad eius beneplacitum, seu durante illius beneplacito, cessat eo mortuo; nam tunc cessat eius voluntas, & beneplacitum. Ita communiter Doctores, vide in expositione Bullæ *lib.* 1. § 7. *c.* 1. *dub* 1. *n.* 3. Si verò dicat, ad beneplacitum nostræ Sedis, non expirat morte concedentis, quia Sedes non moritur. Communis Doctorum, & Filliucius *tract.* 7 *c.* 9. *n.* 239. vide *lib* 8. *de matr.* vbi de dispensationibus, *c.* 9. *dub.* 7. *&* 8.

11 Quæres sextò, quomodo quilibet Sacerdos habeat iurisdictionem in articulo mortis. Supponendum

hendum est, quemlibet Sacerdotem simplicem, etiam excommunicatum, suspensum, interdictum, irregularem, degradatum, aut hæreticũ posse absoluere quemlibet fidelem ab omnibus peccatis, & censuris, etiam Papæ reseruatis, vt habet communis ex Trid. *seß.* 14. *c.* 6. *de reform.* in articulo, vel periculo mortis, vt cum aliis dixi *hoc cap. dub.* 2. & 3. & locis ibi citatis. Hoc supposito dico, iurisdictionem, quam in tali casu habent simplices Sacerdotes, esse delegatam, vt habet communis apud Soar. *disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 7. cœpitque à tempore Apostolorum, & per tacitam concessionem Pontificum fuit continuata: deinde expressa est ipso iure, *cap. de catero, c. ea noscitur de sentent. excommunic.* & alibi, & Trident. *loc. cit.* Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 8. *n.* 222.

12 Quæres septimò, an, & quomodo quilibet Sacerdos sit minister quoad venialia. Suppone, cuilibet Sacerdoti, specialiter non prohibito, licitum esse absoluere à peccatis venialibus, vt docet S. Thomas *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 3. & supponunt Doctores antiqui, approbatque consuetudo Ecclesiæ, & testatur Suar. *disp.* 16. *sect.* 5. *n.* 2. & tenet Nau. *cap.* 4. *n.* 5. & 6. etiam post cap. *Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* & Trid. *seß.* 13. *c.* 15. nam his locis sermo tantum est de peccatis mortalibus nunquam confessis, ex quibus colligitur, quemlibet Sacerdotem à venialibus absoluere posse. Dixi, *Specialiter non prohibito*, ad excludendum excommunicatos denunciatos, vel notorios percussores Clericorum, ij enim specialiter sunt prohibiti, ac priuantur omni iurisdictione Ecclesiastica, ideòque ij nec licitè, nec validè possunt confessiones audire. Hoc supposito dico, hanc iurisdictionem esse ex concessione, & delegatione Ecclesiæ, vt probat consuetudo, & tenent Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 224. Villalob. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 44. *num.* 10. & cum aliis Suarez *supra num.* 5. Dico secundò, posse etiam simplices Sacerdotes absoluere à peccatis mortalibus ritè iam confessis approbato, & absolutis, vt tenent citati, & communiter Doctores; quia de iis eadem ratio, ac de venialibus, & eadem consuetudo, non enim sunt materia necessaria pœnitentiæ: procedit etiam hæc iurisdictio ex concessione, & delegatione Ecclesiæ, sicut illa de venialibus. Hinc sequitur, per nullum inferiorem Prælatum auferri posse: at Papa posset, sed in vniuersum non permittit Deus, quia ad regimen vniuersale Ecclesiæ non esset expediens. Filliuc. *sup. num.* 225.

13 Quæres septimò, an liceat aliquando ministrare hoc Sacramentum cum iurisdictione dubia, vel probabili. Suppone primò, posse quempiam dubitare de iurisdictione, quam habet, vel quia mortuus est is, qui eam contulit, vel quia dubitat, an priuilegium fuerit validum, & similia. Suppone secundò, posse aliquem esse dubium tribus modis. Primò, ita vt animus sit suspensus, in neutram partem inclinando. Secundò, inclinando magis in vnã partem, quàm in aliam. Tertiò, inclinando determinatè in vnam partem, cum formidine tamen oppositæ. Dico ergo, si animus sit suspensus, non licet hoc Sacramentum administrare, nisi in necessitate (extra extremam) alicuius, v. g. qui vult communicare, vel confiteri, cùm diu confessus non sit, & similes: danda tamen est tunc absolutio cum conditione tacita, *si possum*, & cum onere iterum confitendi habenti iurisdictionem certam, quando poterit; sic enim euitatur periculum sacrilegij. Bonum etiam consilium est, dicere tunc peccatum veniale cum aliis mortalibus; tunc enim quia certa est iurisdictio quoad veniale, cætera mortalia tollentur indirectè. Filliucius 1. *part. tr.* 7. *c.* 8. *n.* 226. vide Suarez. Dixi, *extra extremam*, nam in extrema necessitate, videlicet in articulo, vel periculo mortis, iam diximus sæpe, quemlibet Sacerdotem habere ab Ecclesia iurisdictionem indubitatam. Dico secundò, si iudicium sit probabile, quamuis incertum, vel cum formidine oppositi licitum est Sacramentum administrare. Tum quia hic quamuis speculatiuè sit incertus, practicè tamen, & moraliter est certus. Tum quia tunc ex tacita concessione iurisdictionem habet, nam acta eius, qui communi æstimatione gerit officium, valida sunt, idque in bonum commune, *per l. Barbarius, ff. de off. Prat.* & tenent Doctores communiter, & dixi in Decalogo *lib.* 8. *cap.* 1. *dub.* 8. & 9. Tum quia in tali confessione semper potest esse materia aliqua certa, vt sunt venialia, circa quam Sacerdos habet certam iurisdictionem, ratione cuius absolutio valida erit; vnde confessio bona fide facta à pœnitente, valida erit: si tamen postea constaret, illum reuera non habuisse iurisdictionem, teneretur pœnitens confiteri illa mortalia, quia tunc indirectè ab his absolutus fuit. Filliuc. *supr. num.* 227. vide Coninch. *disp.* 8. *dub.* 6.

DVB. VI.

Quinam habeant à iure, vel consuetudine facultatem eligendi sibi confessarium.

1 NOn loquimur hîc de iis, qui habent facultatem eligendi sibi confessarium virtute priuilegij Bullæ Cruciatæ; nam de illis egi abundè in expositione *libr.* 1. §. 7. *dub.* 2. & *seqq.* Solùm ergo loquimur de illis, quibus à iure, vel consuetudine talis facultas est concessa.

2 Quæres ergo primò, quis dare possit facultatem eligendi confessarium. Respondeo, & dico primò, posse eam concedere illos, qui habent iurisdictionem ordinariam ad audiendas confessiones respectu suorum subditorum, de quibus dubio tertio; qui omnes reducuntur ad tres ordines, scilicet, ad Papam, Episcopum, & Parochum; potest ergo Papa in tota Ecclesia hanc facultatem concedere, quod est indubitatum, quia est totius Ecclesiæ pastor vniuersalis. Item, Episcopus iis, qui in sua Diœcesi habitant, potest dare licentiam eligendi sibi confessores, *cap.* 2. *de pœnit. & remiss. in* 6, vbi dicitur: Si Episcopus concesserit suo subdito, vt sibi possit idoneum eligere confessorem. Item, & tertiò potest eam concedere suis ouibus Parochus, habent expressè *in cap. placuit de pœnit. dist.* 6. & *c. Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* Ratio horum est, quia quilibet ex his est superior Ordinarius, ideò potest dare talem facultatem. Sub his autem comprehenduntur omnes superiores ordinarij, de quibus diximus *dub.* 3. & *dub.* 5. *quæst.* 1. Idem quod Parochus potest Vicarius perpetuus, quia est verè Parochus. Item, Vicarius temporalis, Rectores, seu Vicarij perpetui, cui tota cura animarum illius Parœciæ ab Episcopo, vel Parocho est commissa, vt cum grauibus Doctoribus probaui in expositione Bullæ *lib.* 1 §. 7. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 12. vbi dixi, hos Vicarios posse suo parochiano licentiam concedere, vt cum alio confiteatur, & vnam, aut alteram causam, non tamen totam curam, alteri demandare, nisi fortè idem in consuetudine sit positum, vt cum aliis docet Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 34. Requiritur tamen, vt alienus Sacerdos sit idoneus, id est, quod habeat Beneficium parochiale, aut aliter sit ab Episcopo approbatus; nam

nunc

nunc post Trident, *sess.* 23. *capit.* 15. ij solùm dicuntur confessarij idonei, sicque tenent communiter Doctores, & dixi *loca citat. num.* 13. Possunt ergo Parochi dare suis ouibus licentiam confitendi cum alio Parocho, aut approbato ab Ordinario: aut Episcopo, non solùm illius loci, seu Diœcesis, cuius ipse Parochus est, sed etiam Parocho, aut approbato alterius Diœcesis, vt cum Henriquez, Nauarr. & aliis dixi *loco supr. cit. num.* 19. quia hoc Parochia absolutè conceditur in dictis cap. *placuit, & capit. omnis.* & Tridentin. *vbi suprà*, non derogauit hanc potestatem; solùm enim ex parte personæ, cui conceditur, fuit limitata, seu modificata, nimitùm quòd confessarius, qui à subdito tali eligitur, sit ab Ordinario approbatus.

3 Aduerte tamen, Parochum seu Pastorem, si sit excommunicatus, vel manifestus Clerici percussor, aut nominatim suspensus, aut interdictus, qui dicuntur à Doctoribus probibiti, seu vitandi, non posse validè supradictam licentiam concedere, quia si carent iurisdictione: talis delegatio est actus iurisdictionis, ideo non possunt ij illam conferre: secus tamen si sint prohibiti, seu vitandi, sed sunt tolerati, quia ij adhuc retinent iurisdictionem. At qui fuit delegatus à Parocho, antequam incideret in excommunicationem, vel fuisset denuntiatus, non amittit delegationem per superuenientem excommunicationis denuntiationem, vt benè Henriquez *lib. 3. de pœnit cap.* 13. *num.* 12. Quod si pastor denuntiatus dedit quasdam licentias, putà, vt subditi sacramentum Confirmationis suscipiant, ab alio, aut dimissorias pro Ordinibus concedat, aut approbet confessarios, aut prædicatores, valent dictæ licentiæ, vt docet Henriquez *libr.* 13. *de excommunicat. cap.* 7. *num.* 7. quia, inquit, ij actus valent sine iurisdictionis vsu: licentiam autem confitendi denuntiatus alteri, etiam approbato, concedere non potest, nec Vicecuratum, aut Vicarium constituere, vt benè Sanchez *dict. lib.* 3. *dispur.* 30. *num.* 10. vide in nostra expositione Bullæ *libr.* 1. §. 7. *capit.* 1. *dub.* 3. *num.* 17.

4 Aduerte secundò, ad dandam supradictam facultatem requiri, vt voluntas concedentis constet per signa sufficientia, & tantùm operabitur, quantum ex illis constare poterit. Non autem requiritur causa specialis, sed sufficit sola petitio alterius: est enim concessio quædam merè liberalis, modò detur prudenter, scilicet ei, qui rectè ea vsurus sit. At semper habet causam rationabilem, nempe vt confessio fiat facilior, & suauior, & seruetur integritas confessionis. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *capit.* 9. *num.* 229.

5 Aduerte tertiò, quando datur hæc facultas à Prælato superiore, vt à Papa, vel Episcopo, sufficere sine consensu inferioris: quando verò datur ab inferiore, etiam est satis, modò non contradicat superior Filliuc. *sup. num.* 128. An verò possit Episcopus prohibere, ne Parochus concedat dictam licentiam, ita vt sit irrita confessio ex tali licentia facta, supposita dicta prohibitione, dixi *loca citat. Bullæ, n.* 16. de quo vide Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 32. *per totam.*

Quæres secundò, quibus de facto sit concessa facultas eligendi sibi confessarium: quando hæc potest procedere de iure diuino, vel ecclesiastico, aut ex consuetudine.

6 Dico primò, si loquamur de iure diuino, solus Papa potest sibi eligere confessarium. Et quidem quòd possit, patet, quia Papa, vt dixi in Decalogo *lib.* 3. *capit.* 4. *dub.* 1. *num.* 7. tenetur diuino præcepto confessionis; ergo necesse est, vt habeat confessarium. At non est vllus ei designatus de iure diuino, vt per se patet: nec humano, quia ipse est supremus Pastor: ergo habet potestatem illum eligendi, at hæc nõ est ab homine; ergo erit à Christo immediatè. Confessarius autem sic electus ab ipso Papa dici potest, quod habet iurisdictionem à Christo Domino, non immediatè, vt habet Papa, sed mediante Pontifice; vnde Papa, vt peccator, confessori subiicitur, vt Vicarius verò Christi Domini dat confessori iurisdictionem super se ipsum in illo foro, vt ex S. Thom. & aliis docet Suarez *disp.* 27. *sect.* 2. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 9. *n.* 230.

7 Dico secundò, de iure Ecclesiastico Episcopi, & eorum superiores, nec non etiam inferiores Prælati exempti habent facultatem eligendi sibi confessarium, habetur expresse *cap. vltim. de pœnitent. & remis.* ibi: *Permittimus Episcopis, & aliis superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris, licentiam prouidum, & discretum eligere possint confessarium.* Quo in casu, confessor sic electus accepit iurisdictionem non ab Episcopo, sed ab eo qui dedit Episcopo facultatem eligendi, vt sentit Suarez *loco citato num* 4. & cum eo Filliuc. *sup. num.* 231. contra Sotum dicentem (& quidem valde probabiliter) Episcopum eligentem dare tunc iurisdictionem electo, vide in expositione Bullæ, *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. Nomine autem Episcopi intelliguntur etiam illi, qui electi sunt, & confirmati, siue habeant Episcopatum, siue non, degradatus verò non gaudet hac facultate, quia priuatur omnibus priuilegii statione ordinis concessis. Depositus autem verbaliter tantum, aut suspensus retinet, quia tantum priuatur vsu iurisdictionis ex suo officio, non aliis priuilegiis, vt Clericali priuilegio, & sic nec Episcopali priuatur proportionabiliter. Dixi, *eorum superiores*, vt sunt Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates, tum etiam Cardinales, si non ex vi illius iuris citati, ex aliis concessionibus Papæ, vel consuetudine. Dixi, *nec non minoribus Prælatis exemptis*, id est illi, qui non subduntur Episcopis: quales sunt superiores in aliquibus Religionibus, modò iuxta speciales constitutiones inferiores Prælati non habeant confessorem designatum à suis superioribus, quibus standum erit; Parochi autem non sunt Prælati, nec exempti, si quis tamen esset exemptus, & subiectus Papæ immediatè, probabile est, quod comprehenderetur hoc in casu, vt tenet Suar. *suprà, num.* 7. & Filliuc. *loco citat. num.* 231. *vers. Dixi etiam*, vbi addit, non comprehendi Vicarios Episcoporum; quia, inquit, solum ex commissione vtuntur iurisdictione. At probabile est oppositum, cum valde probabile sit hos Vicarios habere iurisdictionem ordinariam, vt dixi *sup dub.* 4.

8 Aduertit Suarez *dict. sect.* 2. *n.* 12. & cum eo Filliuc. *suprà, n.* 232. non esse alios in particulari, quibus iure Ecclesiastico competat, hæc facultas, cum in iure id non inueniatur. An autem liceat eligere alienum confessarium, vel cum alieno confiteri in aliquo casu, ex voluntate interpretatiua, aut præsumpta, dicetur infra *hoc dub. q.* 5.

9 Quæres tertiò, quibus sit concessa facultas eligendi confessarium ex sola consuetudine. Nota cõsuetudinem ex se per se sumptam non dare facultatem eligendi confessarium; esset enim hoc contra ius diuinum, eo quòd omnes excepto Papa, habent proprium Pastorem, vt dictum est *suprà*. potest tamen esse testis, seu signum sufficiens, & interpres tacitæ licentiæ, & facultatis concessæ pastoribus, quam dum vident, & tacent, ac non prohibent, videntur concedere, vt diximus *supra hoc cap. dub.*

superioribus, & docent Syl. *confess.* 1. §. 15. Caiet. *verbo absolutio, cap.* 2. *in fin.* Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 233. & alij. Dico igitur, Parochi ex consuetudine approbata possunt eligere sibi confessarium modò sit ab ordinario approbatus, quia nunquam videmus Episcopos eis certum confessarium designare. Ita Sà *verb. Confessor.* 1. *num.* 1. Villalobos 1. *part. tract.* 9. *diff.* 49. *num.* 15. & cum aliis Suarez *disp.* 27. *sect.* 3. *num.* 2. *&* 4. vbi idem docet de omnibus Sacerdotibus; quia cum Sacerdotes sæpissimè diuersis locis celebrent, nec possint semper habere proprium Sacerdotem præsentem, decuit hanc facultatem ipsis concedi, ne aliquando conscij peccati mortalis celebrarent sine confessione; sicut ob eandem rationem conceditur Prælatis *in cap. fin de pœnitentiis.* Quod autem hæc facultas de facto Sacerdotibus sit concessa, consuetudo docet, Coninch *disput* 8 *dub.* 8. *num.* 61. & Villalobos *sup.* ait: *Parece que està introduzido que los Parrochos se puedan confessar con otros Parrochos vezinos, aunque sean de otro Obispado, y que pueda el vno ayudar al otro, confessando sus parroquianos*, como lo tiene fray Manuel Rodriguez *tom.* 1. *cap.* 60. *aunque en esto se ha de mirar mucho la costumbre de cada Obispado.* Secundum quam, & iuxta modum, quo introducta reperitur, erit procedendum; quia illa indicat consensum superiorum adfuisse, & non esse reuocatam, quod sufficit: possent superiores reuocare huiusmodi facultatem, si vellent Filliuc. *supr. num.* 234. qui *num.* 235. consequenter tenet, si in quibusdam locis esset consuetudo, vt etiam laici subditi vnius Parochiæ confiteantur confessoribus alterius Parochiæ, illa etiam satis est. Vbi autem reperiatur hæc quæstio, est quæstio facti, quæ ad nos non pertinet: tu consule tuæ Diœcesis consuetudines.

10 Quantum autem ad peregrinos, seu iter agentes, iam diximus *supra hoc c. dub.* 4. *vers. Quoad tertium*, posse confiteri cum Parocho, aut alio approbato loci ad quem perueniunt, vide ibi, & Coninch *disp.* 8. *dub.* 7. *n.* 61. Quantum ad vagos, loco citato dixi teneri confiteri Parocho, aut alio approbato loci, vbi inueniuntur, vide ibi & Coninch *loco cit. num.* 62.

11 Quæres quartò, quibus sit concessa facultas eligendi confessarium ab homine; hæc quæstio est quidem facti, pendet enim hoc ex voluntate Pastorum, qui habent facultatem concedendi illam, ideo non potest dari certa regula. Regulariter eam habere solent Reges, & alij Principes per priuilegia: & illi qui fruuntur priuilegio Bullæ Cruciatæ, aut aliis priuilegiis, aut lucrantur aliquod iubileum, in quo conceditur talis facultas.

12 Circa supradicta nota, facultatem concessam ad eligendum confessarium se extendere ad peccata mortalia, à quibus ipse concedens absoluere potest; quæ si concedatur generaliter, non comprehendit casus ab eo reseruatos, cap. *si Episcopus, de pœnit. & remiss. in* 6. quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie verosimiliter concessurus. Nec etiamsi Papa concedat generaliter talem facultatem, extendit se ad casus sibi, vel Episcopo reseruatos, vt colligitur à simili *ex Clementin.* 1. *& ex extrauag. inter cunctas de priuileg.* sic etiam nec extenditur ad dispensationes votorum, aut iuramentorum, nec ad censuras, sed ad summum ad excommunicationem maiorem non reseruatam, quatenus eius absolutio est necessaria ad absolutionem à peccatis, ex cap. *nuper de sent. excommunic.* Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 7. *c.* 8. *n.* 237.

13 Nota secundo, quòd si talis facultas detur indefinitè, & sine limitatione, non finitur vnico actu, sed potest eam habens plures confessores eligere, vnum nunc, & nunc alterum, quia licet sermo simpliciter prolatus in odiosis intelligatur de primo actu, vt promissio dotis intelligitur de prima vice qua nupserit *l. dotis promissio, ff. de iur. dot.* tamen in parum onerosis, & satis fauorabilibus fieri potest extensio ad plures actus, nisi aliter colligatur de mente concedentis Bonacio. cum aliis 1. *tom disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 3. *n.* 4. infra citandi. Si vero detur expresse ad semel faciendam confessionem, finietur per vnum actum completum: si ad plures certos, vel tempus limitatum, finietur per plures illos actus, ac tempus Syluest. *confess.* 1. *q.* 7. Nauarr. *cap. placuit. de pœnit. dist.* 1. *n.* 167. Filliuc. *sup. n.* 238. ex Suar. *disput.* 27. *sect.* 4. *num.* 7.

14 Nota tertiò, facultatem eligendi confessarium à Papa, vel Episcopo concessam, etiamsi concedatur, vt absolui possit à reseruatis, non finiri per mortem Papæ, aut Episcopi. Ita cum multis Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 3. *num.* 2. (quidquid Syluest. *verb. Confess.* 1. *quæst.* 7.) & dixi *suprà, hoc cap. dub.* 5. *quæst.* 5. Tum quia est gratia, & fauor, ideo remanet post mortem concedentis. Tum quia approbatio Sacerdotis ad confessiones facta absque limitatione, durat etiam mortuo, vel excommunicato Episcopo eam concedente, vt docent Suarez *disp.* 26. *sect.* 3. *n.* 7 *& disp.* 27 *sect* 4. Coninch *disp.* 8. *dub.* 10. *num.* 71. Henriquez *lib.* 7. *cap* 21. *n.* 7. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 18. *num.* 75. & cum aliis Bonacin. *supra.* Ergo, qui facultatem obtinuit eligendi confessarium, etiam pro reseruatis, poterit mortuo concedente illum eligere. Hæc autem doctrina non est extendenda ad iurisdictionem Vicarij Episcopi, aut Visitatoris, nam Episcopo mortuo hæc expirat & gesta eo mortuo sunt inualida, nisi forte facta fuerint cum ignorantia mortis Episcopi longè distantis, tunc enim suppletur iurisdictio per errorem communem, & titulum coloratum. Henriquez *lib* 6. *cap.* 13. *num.* 3. *&* 12. & Bonacin. cum aliis *sup. num.* 3. Quid si facultas supradicta concedatur ad beneplacitum? Respondeo, si concedatur ad beneplacitum Sedis, durat etiam mortuo Episcopo, quia Sedes nunquam moritur: si verò dicatur, ad nostrum beneplacitum, vel donec voluero, expirat Episcopo mortuo, vt habet communis, teste Filliuc. *sup. num.* 239. & dixi *sup. dub.* 5 *q.* 5. vide Bonac. *sup. n.* 3.

15 Quæres quintò, an aliquando sufficiat facultas interpretatiua, vel præsumpta, ad hoc vt quis sibi possit eligere confessarium. Syluest. *confess.* 1. *quæst.* 1. D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 21. *in exposit. litteræ*, & aliqui affirmant, alij cum Suar. *disp.* 25. *sect.* 4. *num.* 6. negant, quorum sententiam existimo tutiorem, veriorem, ac sequendam modo explicando. Dico igitur; si præsumptio fundetur in aliquibus signis, quæ sufficienter indicent præsentem voluntatem superioris concedentis facultatem, censetur facultas concessa, & valet facultas eo modo præsumpta, quia præsumptio nihil aliud est, quàm existimatio de voluntate superioris sufficiente ad dandam facultatem; ergo si huiusmodi præsumptio fundetur in prædictis signis, censetur facultas data implicitè, & tacitè etsi non expresse. Quomodo autem id fiat, pendet ex arbitrio prudentis, & ex consuetudine declarante consensum superioris. Quòd si præsumptio non fundetur in talibus signis, probabilius, & certius videtur, non sufficere; quia tunc non sufficit ad dandam iurisdictionem de præsenti, quæ omnino requiritur ad validitatem huius Sacramenti, vt dixi *hoc cap.* nam si tantum sit existimatio

matio de consensu futuro superioris, coincidit cum ratihabitione, de futuro quam non sufficere, dixi *loco citato*: si autem de consensu præsenti tunc necesse erit, vt fuoderur in aliquibus signis, quibus deficientibus, præsumptio non sufficiet. Dixi, *probabilius*, nam opposita sententia, ob authoritatem Doctorum noo caret probabilitate, vt sentit Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 9. num.* 242. quod ego limitarem, casu quo præsumptio esset de præsenti, & non de futuro, v. g. quando proprius Parochus videt suum subditum confiteri cum alieno approbato, & tacet potens impedire, tunc enim censetur consentire, maximè si alienus sit ipsius amicus.

16 Ex dictis in quæstiuncula quinta inferri potest, quid dicendum in casibus sequentibus de quibus videndus Henriquez *lib. 3. de pœnit cap.* 13. Primus est, an absente Parocho per aliquod tempus, nullo relicto Vicario, liceat confiteri alieno. Respondeo negatiuè, nisi ex aliquo signo aliàs dato à Parocho præsumi possit de eius voluntate, vt quia alia vice significauit se ita velle, si autem non significauerit, non licebit, nec valebit confessio talis, sed recurrendum est ad Vicarium Episcopi, vel ad Episcopum, vt prouideat. Quod si sint in tali loco regulares priuilegiati, poterit fieri tunc cum illis confessio. Constat ergo solam absentiam Parochi non dare iurisdictionem. Filliucius *tom. 1. tract. 7 cap. 9. num.* 143.

17 Secundus, an si Parochus moriatur, vel ita repente ægrotet, vt non possit dare facultatem, liceat alieno confiteri. Respondeo negatiuè, nisi adsit talis consuetudo; vel nisi Parochus dedisset aliquod signum suæ voluntatis; idem dic in casu, quo Parochus excommunicaretur, vel suspenderetur nominatim, & publicè; ad Episcopum tunc pertinet prouidere de successore, ideò ad ipsum, aut eius Vicarium est recurrendum. Filliuc. *sup. n.* 144.

18 Tertius est, an si quis roget Parochum, vt audiat ipsius confessionem, Parochus autem negat vel quia non potest, aut quia non vult, possit alteri confiteri. Respondeo negatiuè; eo scilicet præcisè, quia non vult audire illum, vel quia non potest; quia potest velle alio tempore, & velle dilationem, & nihil cogitare de facultate concedenda, vt pœnitens alteri confiteatur. Filliuc. *supra n.* 145. Dixi, *præcise, &c.* nam si pœnitens petit licentiam à Parocho alteri confitendi, & ille eam denegauit, dicetur quæst. seqq.

19 Quartus casus est, an quando pœnitens habet causam rationalem non confitendi cum suo Parocho, possit cum alieno absque expressa, aut alia Parochi licentia, v. g. si fœmina peccauit cum ipso Parocho, aut si timet solicitandam iterum in confessione, aut ipsum reuelaturum confessionem, aut si pœnitenti ea confessione cum proprio maximum immineat damnum in vita, honore, aut fama, aut pecuniis, aut si illum scandalizauit, putà si cognata Sacerdotis, vt mater, filia, vel soror fecit adulterium, vel si est odium inter pœnitentem, & Parochum: at si grauea incidunt causæ, quas non expedit dicere Parocho, aut Prælato, aut si pœnitens præ verecundia maxima timet celaturum aliquod peccatum. Respondet Filliucius *tom. 1. tr. 7. cap. 9. num.* 246. negatiuè: habere quidem causam ad petendam licentiam, sed non ex eo quod dicta concurrant, censetur concessa, & ad primum exemplum, quod solum ipse affert, respondet cum Suarez *disp. 27. sect. 4. num.* 19. posse cum eodem confessore, cum quo peccauit, quia id nullo iure est prohibitum, & potest esse emendatus, & rite conferre Sacramentum. Quid si fœmina timeat in ipsa confessione consensuram in peccatis? Quærat alium approbatum. Quid si non inueniat? Petat facultatem à suo Parocho alteri confitendi. Quid si eam neget? Respondetur ad hoc *quæstione sequenti*: & ad alia exempla responderi potest, quod petat licentiam à suo Parocho ad confitendum cum alieno, quod si eam neget, faciet quod dicetur *quæst. seq.*

22 Quæres secundò, an satis sit petere licentiam à proprio, confitendi cum alieno, quamuis non concedatur. Syluest. *confessor. 1. quæst.* 6. Nauarr. *c. Placuit de pœnit. dist. 1. num.* 38. & alij multi apud Suar. *disput. 27. sect. 1. num.* 15. & docent Henriq *lib. 6. cap. 13. num.* 4. & dicit probabile Diana 3. *part. tractat. 4. resolut.* 79. affirmant sufficere in casibus dictis, in quarto casu licentiam petere, etsi denegetur, & licentiam petitam haberi pro concessa, & tunc dari à Pontifice, vel superiore confessoria, Suar. vero *suprà num.* 10. cum aliis, quos sequitur Filliucius *tom. 1 tractat. 7. cap. 9. num.* 147. 248. *&* 249. asserunt Parochum grauiter peccare negando tunc licentiam, sed tamen si eam, etsi male, neget non haberi pro concessa, nec posse cum alieno confiteri, sed quod recurrat ad superiorem; quod si id facere non potest, differat confessionem; si verò esset periculum tantum vnius, aut alterius peccati, tunc, ait, fiat confessio de aliis proprio confessuri, & illud, vel illa reseruentur in aliud tempus, quod posse fieri diximus, dum de integritate confessionis agebamus, *hoc lib. capit. 6. dub.* 4.

23 Ego autem cum bona venia tantorum Doctorum dico, aut talis pœnitens est in articulo mortis, aut extra illum, si est in articulo mortis, vel eius probabili periculo, poterit tunc absque alia licentia confiteri cum alio, etiam simplici Sacerdote, vt diximus *supra hoc capitul dub. 2. num.* 6. si est extra dictam necessitatem, aut instat præceptum confessionis, aut non; item, aut periculum timetur ex tota confessione, aut solum ex manifestatione alicuius peccati; dico ergo, si instat præceptum, & periculum timetur ex tota confessione, putà quia timetur reuelatio confessionis, aut solicitatio pœnitentis, aut damnum corporis, & confessarius pœnitenti licentiam confitendi cum alieno petitam denegat, licentia petita, tunc censetur pro commissa, & poterit cum alieno approbato tamen ab Ordinario, confiteri: si vero solum timeatur periculum ex manifestatione alicuius peccati, tunc non sufficit licentia petita, & non obtenta, sed requiritur expressa; poteritque tunc fieri confessio aliorum peccatorum eidem Parocho, reseruato alio ad aliud tempus. Quod si præceptum non instet, tunc differat confessionem ad tempus opportunum. At si tempus diu differatur, expediatque valde pœnitenti confiteri, existimo valde probabile esse, posse tunc, licentia petita, & non obtenta, valide cum alieno confiteri; talis enim præsumi rationabiliter potest voluntas piæ matris Ecclesiæ.

24 Sed dices, an si confessarius sit ignarus, sit liberum pœnitenti absque alia licentia cum alieno confiteri. Suarez *disput. 27. sect. 2.* ait esse probabile quamuis non sit in vsu, eo in casu, omnes fideles habere ius eligendi sibi confessarios ex cap. *Placuit 9. quæst. 2. & de pœnit. distinct.* 6. Ita Nauarr. *in dict. cap. placuit, de pœnit. distinct.* 6. & alij apud Coninch. *disputat* 8. *dub.* 8. *numer.* 63. Quam opinionem ait non esse improbabilem si confessarius est valde ignarus, nullusque sit alius Parochi coadiutor, & Parochus negat licentiam petitam, aditique non possit Episcopus; ipse tamen *num.* 64.

hanc

hanc sententiam non admittit, & meritò, nam daretur subditis occasio calumniandi suos Pastores tanquam ignorantes. Nec obstat *dict. c. Placuit de pœn.* quia si rectè perpendatur, patebit non loqui in hoc casu. Concludit Coninch. *sup. n. 64.* quòd quando quis non potest sine gravi incommodo confiteri proprio Sacerdoti ne quidem partialiter aliqua peccata reticendo; nec potest habere licentiam alteri confitendi, aut quando proprius Sacerdos abest, nec est alius qui in pœnitentem habeat iurisdictionem, tunc, sit, si adsit gravis valde necessitas confitendi, posset sustineri, pœnitentem posse alicui alteri confiteri, simul mortalia, & venialia, in quæ saltem habet iurisdictionem, cum onere tamen confitendi mortalia alicui habenti in ea iurisdictionem.

25 Quæres septimò, an habens facultatem eligendi confessarium, possit eligere quem voluerit Sacerdotem, an potius teneatur eligere approbatum ab Ordinario. Respondeo teneri eligere approbatum ab Ordinario, vel habens Beneficium Parochiale, sub quo comprehenduntur Parochi, Episcopi, & Abbates. Ita Suarez *disputat. 17. sect. 4. numer. 9.* cum aliis Bonacina *disputat. 5. punct. 3. numer. 5.* & dixi in expositione Bullæ *libr. 1. §. 7. capitul. 1. dub. 1. numer. 7.* etiamsi id non exprimatur in facultate. Ratio est, quia tenetur hic eligere Sacerdotem idoneum ad audiendas confessiones; at post Tridentini *sess. 23. capitul. 15.* nullus censetur idoneus ad audiendas confessiones sæcularium, nisi habeat Beneficium Parochiale, vel sit approbatus ab Ordinario, vt *dub. sequenti* constabit, Ergo. Et confirmatur, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ superior non concederet, si specialiter rogaretur: Summus autem Pontifex non concederet in specie alicui facultatem confitendi cuicumque Sacerdoti, cum periculum sit, vt pœnitens Sacerdoti rudi, & indocto confiteatur. Vnde, quando Episcopus dat facultatem alicui, vt possit eligere quem voluerit in confessarium, etsi Sotus *in 4. distinct. 18 quæst. 4. art. 3.* existimet posse eligere etiam simplicem Sacerdotem, siue sæcularem, siue regularem, nam, ait, ex tunc censetur Episcopus illam approbare: verius tamen, & tenendum est, debere eligere approbatum ab Ordinario modo dicto, propter rationes ibi adductas; modo Episcopus non expresserit, se ex tunc approbare quem alter elegerit, vt benè limitat Rodriguez *in Bulla, in addit. ad §. 9. n. 123.* Secus si id non expresserit, nam sic videtur sic iuri communi, & dispositioni Tridentini conformare, consequenter dicendum, quādo regulares in aliquibus festiuitatibus concedunt subditis suis facultatem, vt absolui possint à quo maluerint non posse eligere simplicem Sacerdotem, sed tenentur cum approbatis à suis superioribus confiteri, vt docet Rodriguez *suprà.* Possunt tamen Prælati Religionum concedere suis subditis licentiam, vt possint confiteri cum simplici Sacerdote, quamuis non sit ab Ordinario approbatus, quia id de iure possunt, cui non derogauit Trident. *loco citat.* vt dicetur *dub. seq.* & tenet cum aliis Villalobos *1. part. tract. 9. diff. 49. num. 10.*

26 Dixi, *post Trident.* nam ante illud: solo iure communi spectato, tàm à Parocho, quàm ab alio habente facultatem eligendi confessarium, poterat eligi quilibet Sacerdos, qui secundùm ius naturale, & diuinum esset idoneus, etiamsi non haberet iurisdictionem, vel approbationem Episcopi, vt habetur communis ex Suar. *disp. 28. sect. 3. n. 4. ex c. Placuit. de pœnit. dist. 6. & cap. Omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remiss.* Olim quilibet Sacerdos censebatur idoneus, ad hoc vt à Parocho, vel alio proprio posset facultas delegari, modò non esset excommunicatus, aut alia censura ligatus, vt late Nauarr. *in dict. cap. placuit,* præcipuè *num. 49.* & alij apud me ipsum in expositione Cruciatæ *lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 3. num. 13.*

DVB. VII.

Quisnam censeatur confessarius idoneus ad ministrandum valide hoc Sacramentum, iuxta Trid. sess. 23. cap. 15. n. 6.

DIxi, *iuxta Tridentinum,* nam olim quilibet Sacerdos censebatur idoneus, ad hoc vt de licentia proprij Pastoris posset audire illius subditos, qui non erat excommunicatus, aut alia censura ligatus, vt dixi *dub. proximo in fin.* loquimur, ergo post Tridentin.

1 Conclusio communis est certa: ille dicitur confessor, aut confessarius idoneus, vt validè hoc Sacramentum ministret, qui habet Beneficium parochiale, aut aliàs est approbatus ab Ordinario per examen, aut alio modo sibi bene viso. Ita expresse statutum est in Trid. *sess. 23. c. 15. de reformat.* his verbis: *Decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat, priuilegiis, aut consuetudine quacūque, etiam immemorabili, nō obstantibus.*

2 Ex verbis Concilij colligitur primò, Sacerdotem non Parochum, aut non approbatum ab Ordinario, non solum peccare mortaliter vsurpatione indicij ministrando hoc Sacramentum, sed etiam ipsum Sacramentum esse irritum, & nullum, vt expresse indicant illa verba: *Nullum posse sæcularium confessiones audire, nisi, &c.* & probaui in expositione Bullæ *lib. 1. § 7. c. 1. dub. 1. n. 5.* & tenent communiter Doctores, apud Suarez *disp. 28. sect. 4. n 9. & 14.* Bonac. *1. tom. disp. 5. quæst. 7. punct 4. §. 1. n. 9.* & Coninc. *diff. 8. dub. 7.* Excipe tamen articulum mortis, aut quando pœnitens solum habet venialia, nam in iis casibus, vt dixi *supr.* & in Bulla *loc. cit.* potest simplex Sacerdos absoluere, etiamsi non sit approbatus ab Ordinario. Ratio, ob quam Sacerdos debet esse hoc modo approbatus ab Ordinario, est, quia Sacerdos non potest valide administrare hoc Sacramentum, nisi iurisdictionem habeat; iurisdictio autem non conceditur, antequam Sacerdos approbetur idoneus per examen, aut alia ratione.

3 Secundo colligitur, hoc decretum non habere locum in regularibus, nisi respectu confessionum sæcularium, hoc est, non posse audire confessiones sæcularium, nisi sint approbati ab Ordinario: benè verò regularium modò sint approbati à suis superioribus regularibus, Nauarrus *cap. 4. num. 7.* Doctores citati, & alij communiter. Patet ex illis verbis Concilij; *Nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium audire*: ex quo patet ius antiquum regularium circa hoc manere illæsum, nec à Tridentino fuisse immutatum, vide in expositione Bullæ *loco suprà citato.*

4 Tertiò colligitur, obtinentem Beneficium, cui est annexa cura animarum, esse idoneum Sacramenti pœnitentiæ ministrum, & nulla alia indigere approbatione: patet ex Tridentino ibi: *Nisi habeat Beneficium parochiale.* Ita Doctores communiter.

munitet: & ratio eſt, quia talis cenſetur approbari (quoad ſuas oues) eo ipſo, quod iudicatur idoneus ad tale Beneficium: dimiſſo tamen Beneficio amittit hanc approbationem, & idoneitatem, vt cum Suarez *diſput. 16. ſect. 4. num. 20.* dixi in expoſitione Bullæ *lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 1. num. 6.* & docent Filliucius *tom. 1. tract. 7 cap. 7. num 256.* Coninch. *diſp 8. dub. 7. num. 49.* & hanc ſententiam exiſtimat Villalobos 1 *part. tract. 9. diff 55. num. 5.* valde probabilem, & debere practicari; quidquid Rodriguez *in addit. ad Bullam §. 9. num. 4.* Nomioe autem Beneficij Curati ſeu Parochialis intelliguntur etiam ſuperiora Beneficia, quæ in hoc foro habent ordinariam iuriſdictionem, vt Epiſcopatus, & quædam Abbatiæ, & Archidiaconatus, nonnullæque aliæ dignitates. Non autem Prælaturæ Regularium, vt vt benè Suarez *ſup. num. 21.* quia non ſunt Parochiale Beneficium, quod Concil. Trident. requirit, neque eorum iuriſdictio eſt in ſæculares, reſpectu quorum Tridentinum requirit approbationem. Vide Reginald. *lib. 1. cap. 16. num. 189.*

5 Quartò colligitur non ſufficere, vt aliquis ſit Doctor in Theologia, aut iure Canonico, aut quod communi conſenſu iudicetur idoneus ad hoc munus obeundum, & cenſeatur approbatus: nam Concilium expreſſe requirit approbationem Epiſcopi in eo, qui non habet beneficium Parochiale, ibi: *Nullum etiam regularem, &c.* adeò vt nemo ratione doctrinæ, aut ſanctitatis, aut dignitatis cuiuſcumque exceptus, videatur, niſi habeat parochiale Beneficium, vt dixi *loco citato Bullæ, num. 6.* Poteſt tamen Epiſcopus, hos doctos ſine examine approbare, nam Concilium dicit: *Aut alia ratione approbatus*, id eſt, per examen, aut alia ratione bene viſa Epiſcopo: vſu tamen, & benè quidem, receptum eſt, vt nullus admittatur ad audiendas confeſſiones abſque præuio examine. Bonacina *ſupr. num. 10.* Cenſetur autem Epiſcopus approbare aliquem hoc ipſo, quod ſciens, & volens ei præcipit, vt confeſſiones audiat. Coninch *ſupr. num. 49.* Bonacin. *ſupr. n. 10.*

6 Nomine verò Epiſcopi approbantis in hoc loco, intelligitur quilibet habens iuriſdictionem Epiſcopalem, vt Vicarius Generalis Epiſcopi, qui perſonam Epiſcopi ſuſtinet, eius perſonam gerit: Capitulum Sede vacante, quod ſuccedit in iuriſdictione Epiſcopi, *capit. dum olim de maioritat. & obedient.* Item, alius habens iuriſdictionem Epiſcopalem in populum exemptum à iuriſdictione ordinaria; non verò Epiſcopus, tantum titularis, quia nullum habet populum, ſibi ſubditum; neque Epiſcopus electus tantum, quia neuter habet iuriſdictionem: nec Generales, aut Prouinciales Religionum; nam etſi ij habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos, non verò in ſæculares, vt cum Suarez, & aliis, dixi in expoſitione Bullæ, *lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 2. num. 2.* & docent Filliucius, *tom. 1. tractat. 7. cap 7 num. 257.* Poſſunt autem ij Prælati approbare ſuos ſubditos, quoad ſuos regulares. Hinc fit Parochum non poſſe aliquem, etſi doctiſſimus ſit approbare vllo in caſu, vt probaui in Bulla §. 7. *dub. 2. num* 2. non enim hic comprehenditur nomine Epiſcopi, cuius approbationem neceſſariò requirit Tridentinum, quare Parochus nunc non poterit date facultatem ſuo ſubdito, vt confiteatur cum alio non approbato ab Epiſcopo, modo dicto, Coninc. *ſupr. dub. 4. num. 28* & cum aliis Bonacina *ſupr n. 12.* nam vt diximus, Parochus non poteſt Sacerdotes approbare ad audiendas confeſſiones. Dixi, *nunc*, nam olim ante Trident. poterat Parochus dare facultatem ſuis ouibus confitendi cuilibet Sacerdoti, etiam non Parocho, nec approbato, modò eſſet idoneus, id eſt, non excommunicatus, nec alia cenſura ligatus, vt dixi *hoc dub.* in initio, *& dub. antecedent. in fin.*

7 Nota approbationem Epiſcopi ad audiendas confeſſiones nihil aliud eſſe, quam autenticum teſtimonium, quo approbatus declaratur idoneus, cui hoc munus committatur. Quare præciſe per approbationem non confertur vllum ius, ſeu iuriſdictio aliqua ad audiendas confeſſiones, ſed ſolum declaratur perſona idonea, cui illa conferatur; ſicque poteſt Ordinarius aliquem approbare, nulla data iuriſdictione, quo in caſu inualidè abſolueret ſic approbatus donec ei ab Epiſcopo iuriſdictio, ſeu licentia audiendi confeſſiones concedatur, vt dixi cum aliis in expoſitione Bullæ *libr. 1. §. 7. cap. 1. dub. 2. num. 1. & dub. 3. num. 3.* Poterit tamen talis eligi virtute Cruciatæ, vt dixi, *loco citat. dub. 3. num. 5.* At communiter Epiſcopus non approbat; niſi concedendo iuriſdictionem in certas, vel in omnes perſonas ſuæ Diœceſis. Hinc fit, approbatum ab Ordinario ſolum ex vi approbationis habere approbationem, & poteſtatem iuxta modum, & formam approbationis, & conceſſionis iuriſdictionis: vnde qui approbatus eſt ad vnum oppidum, vel ciuitatem, non poteſt validè oues alterius ciuitatis, vel oppidi ratione iſtius approbationis abſoluere, & qui approbatus eſt ad audiendas confeſſiones Clericorum, non poteſt valide ſeculares abſoluere: & qui ad confeſſiones virorum eſt approbatus tantum, non poteſt confeſſiones fœminarum valide audire: & qui ad annum tantum eſt approbatus, anno elapſo, ceſſat approbatio: facultas enim delegata vltra intentionem delegantis, & concedentis non operatur. Similiter qui habet Beneficium parochiale, de iure communi tantum habet iuriſdictionem in ſuas oues vnde alienus ſine proprij licentia, ſecluſo priuilegio, validè non abſoluit: qui ſi Beneficio Parochiali renuntiat, vel eo per ſententiam priuatur, iam non cenſetur approbatus, & expirat approbatio, vt dixi *ſupra hoc dub. num 4.* & cum aliis docet Henriquez videndus *lib 3. de pœnit. cap. 6. num. 5.* vide de iis in expoſitione Cruciatæ, *lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 2. num. 2. vbi num. 3.* dixi, poſſe Epiſcopum aliquem approbare ſimpliciter, & abſolutè, ac ample, ad omnes perſonas, & loca ſuæ Diœceſis; vel ſtrictè ad certas perſonas, & loca. Vbi etiam dixi approbatum in aliqua ciuitate, oppido, vel Diœceſi, quamuis ſæpè recedat, & ad eum locum redeat ſemper retinere eamdem approbationem, donec à concedente, vel eius ſucceſſore reuocetur: quæ approbatio non ceſſat morte Epiſcopi, quia eſt quædam gratia: modò tamen non ſit conceſſa ad tempus determinatum, vel ad Epiſcopi beneplacitum. Vide ibi & Henriq. *ſupr. num. 7.* vide *ſupr hoc cap. dub. 6. verſ. Nota tertio.* ac Bonacinam *tom. 1. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 4. §. 1. num. 16.*

8 Nota etiam, approbationem factam ab Epiſcopo excommunicato denunciato, validam eſſe, vt docent Henriquez *lib. 6. cap. 6. num. 4.* & Emanuel Sà, *verb. Confeſſor, num. 8.* quia non eſt delegatio iuriſdictionis, ſed conceſſio licentiæ.

9 Quæres tamen primò, vtrum Sacerdos cenſeatur ſufficienter approbatus, & conſequenter habere iuriſdictionem ad abſoluendum, quando probabiliter credit Epiſcopum, aut Summum Pontificem ratam habiturum ipſius abſolutionem. Solutio huius quæſtionis pendet ex illa, qua *capit. dub. 5. quæſt. 3. & dub. 6. quæſt. 5.* vbi reſolutum fuit, ratihabitionem de futuro non date iuriſdictionem

actualem

actualem de præsenti; necessariò requisitam ad huius Sacramenti validitatem, nisi adsit consensus, seu voluntas saltem interpretatiua de præsenti, cum aliquibus signis significantibus superiorem videntem, & tacentem censeri consentire. Vide ibi & Bonacinam *tom.1.disp.5.quæst.7.punct.4.§.1.n.13.* vbi nobiscum sentit.

10 Quæres secundò, an approbatio à Concilio Tridentino requisita, debeat fieri ab Episcopo pœnitentis, vel ipsius confessarij: in hac re sunt tres opiniones, quas retuli, & examinaui in expositione Bullæ *lib.1. §.7. cap.1. dub.2. per totum.* Quarum probabilior est, deberi approbari ab Episcopo ipsius confessarij approbandi, vt tenent ibi citati pro hac sententia, quibus adde Villalobos *1.part.tractat.9. diff.56.num.3.* Filliuc. *tom.1.tract.7 cap.9 num.360.* & Bonacinam *tom.1.disput.5. quæst.7.punct.4. §.1. num.15.* Fundatur hæc sententia in quibusdam declarationibus Cardinalium, de quibus *loco citato Bullæ* ex Suarez *disp.18.sect.6. num.6. & 7.* & quia approbatio est actus iurisdictionis, qui exercetur in subditum: ergo approbatio facienda est ab Episcopo, cui subditus est confessarius, qui approbatur. Consequenter inferunt Doctores huius sententiæ, Episcopum non posse approbare in confessarium suorum subditorum, eum qui nullo modo est ei subditus, benè verò si aliqua ratione sit eius subditus, v. g. ratione alicuius ministerij, ad quod obligatur in ipsius Episcopatu, aut ratione domicilij, aut habitationis; quis hoc de iure antiquo eis licet, quod non est derogatum à Tridentino, vt confirmat praxis, vt patet in regularibus, qui aliquo modo ratione domicilij, & habitationis in territorio Episcopi, quæ subiectio sufficiens est, vt ab illo approbentur, alioquin Religiosi exempti à nullo Episcopo possent approbari, quod est contra Concilium. Ita citati ex Suarez *sup. num.13. & 14.* & habet Reginald. *lib.1.n.187. & 203.*

11 Nihilominus *loco citato Bullæ, num.3. & 11.* dixi, valde probabile esse, posse Episcopum approbare alienum, & non subditum, etiamsi maneat alienus, ad confitendum suas oues, aut se ipsum, modò alienus subiiciat se Episcopo quoad examen, quam subiectionem dixi sufficere, sicut sufficit in regularibus; & quia approbatio non est actus iurisdictionis contentiosæ, & in foro exteriori, quæ fiat in inuitum, sed voluntaria, in foro interiori, & sine strepitu iudicij.

12 Quæres tertiò, an Sacerdos approbatus à suo Episcopo petere debeat licentiam à Parochis illius Diœcesis, in quorum Parochia audit confessiones. Respondeo teneri de benè esse; & ex æquitate, non tamen vt validum sit Sacramentum. Quid si Episcopus concedat approbationem, & licentiam cum onere, aut conditione, vt petat licentiam à Parocho, aut vt Parochus consentiat: aliqui putant talem concessionem esse conditionatam, consequenter ea deficiente esse nullum Sacramentum; verius tamen est, esse tantum modum, qui debet ex æquitate tantum seruari, consequenter eo deficiente Sacramentum esse validum; vt à simili docent Doctores de matrimonio contracto ab eo, qui mandatum acceperat ad contrahendum, seruata Tridentini forma. Ita Bonacina *tom.1.disp.5.quæst.7.punct.4.§.1.n.18.* vide Henriquez *lib.3.de pœnitent.cap.15.* Coninch. *disput.8. dub.3. num.15. & 39.* Constat ergo ex his, Sacerdotem, qui obtinuit ab Episcopo licentiam audiendi confessiones in alterius Parochia independenter à voluntate, & consensu Parochi, non indigere de rigore iuris, sed ex æquitate, consensu Parochi; Episcopus enim habet iurisdictionem in tota sua Diœcesi, independenter à Parochis, & potest inuitis Parochis saluti suarum ouium consulere. Similiter confessarius; qui fuit approbatus à suo Episcopo, si postea obtineat priuilegium à Summo Pontifice audiendi confessiones omnium fidelium, non indiget licentia Episcopi, aut Parochi, alioquin inutile esset priuilegium, Bonacin. *sup. num.18.* cum Coninch. *loco cit.*

13 Quæres quartò, an sufficiat petere approbationem, si iniustè negetur, vt sit verè approbatus, & possit eligi per Bullam, aut aliud priuilegium. Respondeo, quoad sæculares Sacerdotes partem negantem esse omnino certam: quoad regulares, Henriquez, & Rodriguez à me citati in expositione Cruciatæ *lib.1.§.7.cap.1. dub.8. num.5.* docent satis esse, petiisse legitime approbationem, si eis iniustè (secus si iustè) denegetur, verius tamen est, non manere tunc approbatos, vt probaui *dubio citato*, vbi etiam soluta sunt fundamenta, & argumenta contrariæ sententiæ; vide ibi.

14 Quæres quintò, an Sacerdos qui ab vno Episcopo fuit approbatus in vno loco, vel Diœcesi, censeatur sufficienter approbatus pro omnibus locis, ita vt possit in confessarium vbique eligi ab habente Bullam, vel facultatem eligendi confessarium ex alio capite. Certum est hunc approbatum, secluso priuilegio, vel facultate eligendi confessarium, solum posse validè absoluere subditos Episcopi approbantis, quia solum ex vi approbationis habet in illos iurisdictionem; at iurisdictio est omnino requisita ad huius Sacramenti validitatem. Quod ergo inquirimus, an hic approbatus, v. g. in Diœcesi Valentina, possit vbique terrarum eligi in confessarium ab habente Bullam vel aliam facultatem eligendi confessarium. Affirmat Henriquez *lib.3.de pœnitentia, cap.6.n.7. & lib.7. de indulgent. cap.12.num.4.* & alij apud Bonacinam *tom.1. disp.5. quæst.7.punct.4. §.1. num.51.* & apud me ipsum in expositione Bullæ *lib.1.§.7.dub.2.num.7.* Alij vt Bonacina *loco citato*, Suarez, & alij apud me ipsum *vbi sup. num 5. & 6.* id negant: quid autem ego senserim in hoc graui dubio, dixi abundè *dub citato*, vide ibi, *& dub.3.* vbi quæritur, an quilibet approbatus ab Ordinario possit, vbique terrarum eligi in confessarium. Vbi etiam agitur, an approbatus ad certas personas, v. g. ad audiendas confessiones Clericorum, vel virorum tantum, possit à sæcularibus, vel fœminis per Bullam eligi, & *in eodem dub.3. à numer. 10.* vbi exagitaui an Parochus possit dare suis ouibus licentiam confitendi cum approbato alterius Diœcesis.

15 Quæres sextò, an Parochus ex vi suæ approbationis, ipso iure sit approbatus pro tota Ecclesia, ita vt possit ratione Bullæ extra suam Diœcesim, vbique terrarum eligi: in hac quæstione partem affirmantem, si simpliciter fuerit approbatus, secutus sum in expositione Cruciatæ *lib.1. §.7. cap.1 dub.4.* Dixi, *ratione Bullæ* (idem dic de alio priuilegio) nam ex vi suæ approbationis, & beneficij parochialis, certum est solum posse validè absoluere suas oues, extra articulum necessitatis, cum solum ex vi illius in eas habeat iurisdictionem.

16 Quæres septimò, an approbatio semel concessa possit reuocari: huic satisfeci in expositione Bullæ, *lib.1.§.7.cap.1.dub.7.num.2. & 3.* vbi à *num.4.* exagitaui, an confessarius semel ab Episcopo approbatus, si deinde reprobetur: possit virtute Bullæ eligi, vide etiam de prima quæstione Filliuc. *tom.1. tract.7.c.9.q.15.*

17 Quæres octauò, vtrum ille censeatur approbatus,

batus, & consequenter idoneus ad audiendas confessiones, qui fuit approbatus ab Episcopo sciente illum non esse idoneum. Respondeo probabilius esse, non manere approbatum. Ita Suar. *disp.* 28 *sect.* 3. *num.* 7. Reginald. *lib.* 1. *num.* 197. & Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quaest.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 29. nam Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 15. exigit vt Sacerdos non habens Beneficium parochiale iudicetur idoneus, hic autem non iudicatur, vt talis; ergo, &c. Secus si bona fide iudicatur vt idoneus, quamuis reuera non sit; nam verè iudicatur idoneus, & aliter aperiretur via multis scrupulis. Iracitari. Ex quo fit, ad completam approbationem requiri iudicium, quo indicetur idoneus interius, & externum approbationis cum concessione iurisdictionis. Coninck. *disp.* 8. *dub.* 7. *n.* 49. & cum aliis Bonac. *sup. n.* 30. *&* 31.

21 Quaeres nonò, an approbatio danda sit in scriptis. Respondeo, non requiri ad eius validitatem, vt detur in scriptis: tum, quia Concilium ad approbationem non requirit scripturam: tum quia per se loquendo, scriptura non est de necessitate gratiae, & priuilegij, vt cum communi D D. docet Bonacin. *in tract. de legib. quaest.* 5. *punct.* 1. Idem dic de facultate absoluendi à reseruatis constat ex viuae vocis oraculo Clement. VIII. circa decretum, quod incipit: Sexta Congregatio, & addocit Quaranta, *verb. Casus reseruatio.* Expedit tamen praedictam approbationem dari in scriptis, vt in hac Dioecesi practicatur, vt sic possit eam exhibere confessarius quoties opus esse iudicauerit. Quod non videtur procedere in Parochiis, nam ij per collationem Beneficij, cui est cura animarum annexa, censentur sufficienter approbati. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quaest.* 7. *punct.* 4. *num.* 32.

22 Quaeres decimò, an approbatio debeat dari gratis. Respondeo affirmatiuè, patet expresse ex Trid. *sess.* 23. *c.* 15. At si gratis non detur, etsi illicitè fiat, valida tamen erit; quia Tridentinum *loc. cit.* non irritat approbationem gratis non concessam, sed tantum praecipit eam gratis dari. Bonacin. *sup. num.* 55. vide Suarez *disp.* 28 *sect.* 3. *n.* 10.

23 Caetera de approbatione confessarij, & quis censeatur approbatus ab Ordinario, ad hoc vt possit eligi ratione Cruciatae, dixi abundè in expositione Cruciatae *lib.* 1 §. 7. *cap.* 1. Et quia multoties in superioribus mentio facta fuit de regularium approbatione, opere pretium erit, vt seorsum de ea ac eorum facultate aliqua resolutione dicamus.

DVB. VIII.

In quo aliqua de approbatione Regularium resoluuntur.

1 SVppono regulares posse approbari in confessarios, vel à suis superioribus regularibus, quoad suos subditos regulares: vel ab Episcopo ad audiendas confessiones suarum ouium saecularium.

De approbatione Regularium quoad se ipsos, & eius effectu.

2 DIco igitur primo, Ordinarij, qui regularibus concedunt licentiam audiendi confessiones aliorum regularium, sunt Generales, & Prouinciales, ac horum Vicarij vices illorum tenentes, ij enim Religiosos approbant; quia habent quasi Episcopalem authoritatem. Ita Henriq. *lib.* 3. *de poenit. cap.* 7. *num.* 4. Rodrig. *in Bull.* §. 9. *num.* 11. & alij. Vnde sicut Episcopi possunt casus reseruare, & aliis dare facultatem ab iis absoluendi, sic supradicti, vt docent DD. citati. Priores autem, aut Guardiani, aliique similes his Praelatis approbare in confessarios suos subditos minimè possunt; sunt enim ij veluti Parochi, vt ait Rodrig *sup. num.* 12. quasi sicut Parochus iure communi non potest sibi casus reseruare, nec absoluere à reseruatis suo Episcopo, ita nec ij inferiores Praelati sine licentia superioris Praelati. Idem à fortiori dicendum est de confessariis regularibus non Praelatis.

3 Dico secundò, secundùm ius commune regularis subditus confiteri non potest nisi cum suo Praelato, qui est veluti eius Curatus vel cum approbatis ab ipso: quare Religiosi vnius Ordinis confiteri non possunt cum Religiosis confessariis alterius Ordinis, quamuis approbati sint ab Episcopo quoad saeculares. At de licentia expressa Praelati (de qua *conclus. seq.*) possunt confiteri cum Sacerdote regulari diuersi Ordinis; habent enim Praelati in suos regulares quasi Episcopalem authoritatem, possuntque iurisdictionem concedere cuilibet Sacerdoti idoneo, quae facultas non est derogata per Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. vt dixi *dubio proximo n.* 5. & docent Rodrig. *supra num.* 13. Bonacina *tom.* 1. *disput.* 5. *quaest.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 25. & communiter DD. quia Trident. solum loquitur de approbatione confessariorum quoad saeculares, non verò quoad ipsos regulares. Vide Nauarr. *cap.* 4. *n.* 2. Aduertit tamen Rodrig *tom.* 1. *q.* 21. *art.* 3. & cum eo Villalobos 1. *part. tract at.* 9. *diff.* 49. *num.* 13. in Religione Sancti Francisci quemlibet regularem à suo Praelato approbatum, esse idoneum confessarium pro omnibus eiusdem Ordinis, nisi fortè in aliqua Prouincia statutum sit, vt regulares illius Prouinciae confiteri non possint cum regularibus alterius Prouinciae.

5 Dico tertiò, vt regularis confiteri possit cum confessario alterius Ordinis, requiritur licentia expressa superioris, & non sufficit praesumpta (quidquid Rodrig. *in Bull.* §. 9. *num.* 13.) sicut laicus absque expressa sui Parochi licentia non potest cum alieno confiteri, vt dixi hoc cap. *dub.* 6. *quaest.* 5. nam dum datur absolutio, requiritur certa, & actualis iurisdictio. Addit Rodrig. *supra*, cum Angles, *in summ. q. de Confess. artic.* 8. *diff.* 2. *dub.* 4. posse regularem, qui non habet supradictam licentiam, celebrare cum sola contritione, ad euitandam grauem infamiam; nam iudicatur non habere copiam confessarij: modò moraliter certum sit, sequi infamiam, aut scandalum, si non celebrat. Possunt autem hanc licentiam concedere non solum Generales, & Prouinciales, sed etiam Priores, & Guardiani, & his similes, quia vt docet Rodriguez *suprà*, id potestant ante Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. sicut Parochi, & ex alio capite, dispositio Trident. procedit solùm quantum ad confessiones saecularium, vide Henriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 10 *num.* 7. *lit. I.* vbi ait, si regularis à suo Praelato habet licentiam eligendi confessarium, posset eligere etiam ex Sacerdotibus non approbatis ab Episcopo, quia Trident. *vbi suprà*, nihil innouat de iure, & consuetudine antiqua circa regularium confessiones, vt dictum est hic, & dixi *supra dub.* 7. *conclus.* 2. & docent Nauarr. c. 4. *numer.* 6. & Rodriguez *supra* §. 9. *numer.* 9. 13. & 14. Intellige tamen; modò concedens hanc facultatem sit Generalis, aut Prouincialis, aut horum Vicarius, nam etsi Guardianus, aut Prior possint dare licentiam Religiosis (praesertim dum iter agunt) vt possint confiteri cum quolibet Presbytero, si Presbyter sit regularis, debet esse approbatus à suo Praelato:

lato: si autem sit sæcularis, requiritur quòd sit approbatus à suo Ordinario, sicque ex dicta facultate, talis regularis non potest eligere simplicem Sacerdotem, vt late Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *num.* 119. addit tamen Rodrig § 9. *num.* 14. & refert Villalob. 1. *part. tract.* 9 *diff.* 49 *num.* 11. Leonem X. concessisse Ordini Prædicatorum, & Clement. VII. Ordini Minorum, vt dum iter agunt, si non habent copiam confessoris eiusdem Ordinis, possint confiteri confessariis diuersi Ordinis, aut cum Presbyteris sæcularibus confessariis.

6 Dico quartò, etsi Prior, aut Guardianus, potestate ordinaria non possit absoluere suos subditos à reseruatis suo superiori, vt dixi in 1. *conclus.* datur tamen iis, & in ipsorum absentia, eorum Vicariis talis potestas in literis concessionis Prioratus, aut Guardianatus, vt cum multis Rodriguez *in Bull.* § 9. *numer.* 15. *in fin.* qui *num.* 16. addit prædictos Priores, vel Guardianos non posse delegare aliis hanc facultatem, nisi hoc illis in literis concessionis specialiter concedatur; quia talis facultas illis competit non iure Ordinario, sed tantum ex speciali delegatione, & concessione. Conceditur autem talis facultas Guardianis, aut Prioribus non solum quoad suos subditos, sed etiam quoad aduenas, & peregrinos, seu hospites ad suas domos aduenientes, taliter quod possint eos absoluere non solum à casibus reseruatis, sed etiam à censuris, vt docet Idem Rodriguez *sup. num.* 19. ex Concessione Clement. IV. Notat etiam Rodriguez *num.* 22. authoritatem absoluendi à reseruatis duobus modis solere concedi: primò actiuè, & hæc non extenditur extra iurisdictionem concedentis, ita vt si concessa sit à Generali extendatur ad omnes illius Ordinis; si à Commissario Generali, ad omnes eius familiæ, si à Prouinciali ad omnes subditos suæ Prouinciæ, & ad peregrinos ad eam venientes. Secundò concedi etiam solet passiuè, id est, certæ personæ, vt possit absolui à reseruatis suorum superiorum, & hic etiam si talis potestas concessa sit à Prouinciali, vel Guardiano (casu quo hic illam possit concedere) confiteri poterit cum quolibet eiusdem Ordinis confessario, & à reseruatis absolui, quia vt docet ipse Rodriguez *supra num.* 22. *in fin.* secundùm consuetudinem inter ipsos approbatam Minores possunt sine licentia superiorum confiteri cum confessario eiusdem Ordinis de materia peccati mortalis.

7 Dico quintò, si Guardianus, aut Prior habet facultatem absoluendi suos subditos à reseruatis, potest eligere confessarium, qui eum ab ipsis absoluat, secundùm regulam Caietan. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 9. nempè eum, qui habet facultatem dispensandi cum suis subditis, posse etiam secum per alium dispensare, vt dixi in materia voti, & infra vbi de dispensatione in impedimentis matrimonij Rodrig. *in addit. ad Bull.* §. 9. *num.* 19.

8 Nota cum Rodrig. *in Bulla* § 9. *num.* 15. *in fin.* Prælatos debere esse benignos, & faciles in concedendo licentiam absoluendi à reseruatis, ita quod si iniustè negetur licentia, censeatur concessa, quod est valde probabile, quia licentia iuste petita, ininste negata, habetur pro concessa, Quo in casu, ait Rodrig. *in add ad* § 9. *n.* 20. cum Henriq. *lib.* 3. *de pænit. cap.* 15 *num.* 6. talis pœnitens potest absolui à reseruatis à quocumque confessario eiusdem Ordinis, quamuis casus habeat annexam excommunicationem, & licentia iniuste negata, censetur concedi à superiore Prælato.

9 Nota secundò, quando Prælatus prohibet, ne suus subditus confessarius audiat confessiones si hac prohibitione extante eas audiat, confessiones esse inualidas, vt tenent Henr. *lib.* 3. *de pænit. cap.* 6. *n.* 6. & Villalob. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 49. *num.* 8.

10 Nota tertiò; vt referunt Henriquez *supr. n.* 8. & Villalobos *loco citato.* Religiosos Societatis Iesu habere priuilegium (quo etiam gaudent aliæ Religiones, quibus communicantur illorum priuilegia) vt iter per mare, aut terram agentes, etiamsi per aliquot dies in aliquo loco detineantur (modò Parochi non contradicant) possint prædicare, & audire confessiones, etiamsi non sint præsentati Episcopo, eo in loco, modò non adsit ibi Episcopus aut ne de industria recedant à via ad hunc effectum, vide Portel. *verb. Confess. regularium. n.* 8.

11 Quæres tamen primò, an Religiosus professus, vel nouitius possit ratione Bullæ siue licentia superiorum eligere confessarium, qui eum à reseruatis absoluat, huic quæstioni abundè satisfactum est à nobis in expositione Cruciatæ *libr.* 1. § 7. *c.* 1. *dub.* 9. & an dato quod habeat licentiam illum eligendi, debeat esse talis confessarius approbatus ab Episcopo, an verò sufficiat, quòd sit approbatus à suo superiore Religionis, huic etiam satisfactum est *loco citat. dub.* 10. vide ibi & Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. *num.* 25.

12 Quæres secundò, vtrum Religiosi exempti possint de consensu sui superioris subijci Episcopo, & ab eo absolui, & dispensari; huic quæstioni respondi affirmatiuè in Decalogo *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *de voto, num.* 11. de quo etiam vide Henriq. *lib.* 6. *c.* 16. *num* 8. & Bonacinam *supra num.* 26. vbi se refert ad secundum præceptum Decalogi.

13 Quæres tertiò, an Religiosi, qui gaudent generali priuilegio absoluendi quoscumque ad se accedentes, possint absoluere Religiosum alterius Ordinis non habentem à suo superiore facultatem eligendi quemlibet Sacerdotem in confessarium, aut aliud priuilegium. Responsio est negatiua; nam superior non censetur concedere priuilegium in præiudicium alterius Religionis, ne perturbationes suboriantur inter Religiosos, quorum institutio ad proprios superiores spectat. Bonac. *supr. n.* 17. Henr. *loc. cit. n.* 7. *lit. P.* Reginald *lib.* 8. *n* 37.

14 Quæres quartò, vtrum nouitij possint absolui in Religione à censuris reseruatis, à quibus absolui possunt professi. Responsio est affirmatiua, modo quo dixi in Bulla *lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 4. §. 1. & *dub.* 7 *conclus. n.* 4. & § 7. *dub.* 9. *n.* 2. & in Decalogo *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 27 *n.* 19. nam ij, vt ibi dixi, in fauorabilibus veniunt nomine Religiosi, & fruuntur priuilegiis Religionis: reincidunt tamen, si postea egrediantur, vt existimat Reginald *lib.* 8 *num.* 58. Viuald. & alij: nam absolutio censetur illis concessa, quatenus est in via ad professionem, quod non putat vsu receptum Bonacina de voto *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 7. § 4. *n.* 28.

De approbatione regularium quoad sæculares, & eius effectum.

1 Dico primò, regularis vt possit validè audire confessiones sæcularium, debet esse approbatus ab ordinario; vnde non sufficit quòd sit approbatus à suo Prælato. Ita communis ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* ibi: *Nullus etiam regularis potest sæcularium audire confessiones, nisi sit approbatus ab Ordinario.* Hæc autem approbatio fieri debet ab Ordinario loci, vbi habitatur regulares. Hæc conclusio patet ex dictis *sup. hoc cap. dub.* 7. *in*

princip. & ex conclusione sequenti, & dixi in Bulla *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 1. *&* 2.

2 Dico secundò regularis approbatus ab Ordinario, verbi gratia, ab Archiepiscopo Valentino, non potest virtute istius approbationis audire confessiones in altera Diœcesi. Rodriguez in Bulla §. 9. *num.* 34. *dub.* 2. & cum Soto, & aliis Villalob. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 54. *num.* 1. & dixi cum aliis in Bulla *sup. n.* 3. & alij. Colligitur apertè ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. vbi statuit, vt omnes regulares præsentari teneantur omnibus, & singolis Ordinariis, in quorum Diœcesibus confessiones audire, & verbum diuinum prædicare volunt. Ratio est, quia Ordinarij tantùm possunt dare iurisdictionem in suas oues. Inde fit, quòd regularis approbatus in vno loco ab Episcopo loci, in quo habitat, si mutat domicilium, & commoretur in altera Diœcesi, indigeat altera approbatione Episcopi Diœcesis, in qua habitat, vt possit illius oues confiteri. Vide Suarez *disputat.* 28. *sect.* 7. *num.* 8. *& seqq.* Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 263. vide me ipsum *loco citat. Bulla, num* 2. vbi dixi sufficere, ad hoc vt regularis possit approbari ab Episcopo, quòd illi se subiiciat quoad examen, quamuis ibi domicilium non habeat. Hinc etiam fit, Religiosos discurrentes per alias Diœceses non posse ex vi suorum priuilegiorum vbique confessiones audire, si tantùm à suo Episcopo (id est loci, in quo habitat) sit approbatus; quia talia priuilegia non valent, nisi pro audiendis confessionibus eorum, qui sunt in Diœcesi, in qua approbati sunt: quòd si aliqui ampliùs facere possunt, consulant sua priuilegia; quod possunt facere Religiosi Societatis Iesu, teste Filliucio *suprà num.* 264. & habetur *in comp. priuileg. confess.* §. 1. modò in eo loco, vbi confessiones audiunt, non sit Episcopus; tunc enim requiritur etiam eius approbatio. Vide *dub. antecedent. vers. Nota tertiò*, & Rodrig. *in Bulla* §. 9. *num.* 6. cum Corduba *in sum. q.* 10. *ad* 1. vbi ait, Regulares mendicantes in Diœcesi, in qua approbati sunt, posse audire omnes, etiam alteriùs Diœcesis ad eos venientes, etiam causâ solummodo cum eis confitendi, & hoc ob priuilegia ipsis concessa à Nicolao V. Leone X. & Paulo III. de quibus Villalobos *sup. n.* 2. vbi aduertit, hoc intelligendum de pœnitentibus sæcularibus, non verò regularibus, hoc est, quòd Religiosi eo in loco approbati, possunt omnium sæcularium ad eos venientium audire ibi confessiones, non verò omnium regularium ad eos venientium; nam, inquit, & benè Religiosi propter sua statuta, & priuilegia non possunt absolui, nisi de licentia suorum superiorum, aut alterius indulti certi, & clari.

3 Dico tertiò, Episcopus non approbat regulares in confessarios, nisi priùs à Prælato suo exponantur, & præsententur Episcopo saltem interpretatiuè, iuxta Clementin. *dudum.* §. *Statuimus de sepult.* ne scilicet alias Prælato præiudicetur, à quo pendet subditorum voluntas ex voto. Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 6. *num.* 6. Sed dices, eritne valida approbatio regularis ab Episcopo, si ei à Prælato non exponatur. Respondet Rodriguez *in addit. ad Bullam* §. 9. *num.* 11. si regulares habent indultum Apostolicum, ne scilicet aliquis eorum confessiones sæcularium audire possit, nisi priùs de licentia Prælati exponatur Episcopo, ita quòd approbatio aliter facta, sit nulla, & irrita, certum est esse nullam, & irritam approbationem. Quòd si in Religione tale statutum non existat: aut si aliud reperitur, non ex authoritate Apostolica factum, aut confirmatum, approbatio sic facta erit valida, licet peccet talis regularis sic eam petendo, vt cum aliis dixi in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 8. quidquid Rodriguez 1. *tom. q.* 60. *art.* 3. quia dantur omnia essentialiter requisita, videlicet ordo, & iurisdictio non impedita à potente eam impartiri. Hic autem regularis sine licentia sui superioris approbatus ab Episcopo non gaudebit priuilegiis Apostolicis suæ Religionis, vt benè aduertit Rodrig. *in add. ad* §. 9. *Bullæ, n.* 11. quia non seruat tenorem dictæ Clementinæ *dudum de sepult.* quare virtute suorum priuilegiorum non poterit absoluere sæculares à reseruatis Episcopo, nec in quibusdam votis dispensare, sicut alij regulares legitimè præsentati, & approbati facere possunt; solùm ergo poterit facere ea, quæ alij sæculares simpliciter ab Episcopo approbati facere possunt, vt dixi in Bulla *loc. cit.* vbi etiam dixi, talem regularem sic approbatum, posse virtute Bullæ eligi à sæcularibus.

4 Sed quæres, an sit valida absolutio data à regulari approbato ab Episcopo de licentia sui Prælati, si postea Prælatus præcipiat, & prohibeat tali approbato, ne confessiones audiat. Huic quæstioni abundè satisfeci in Bulla *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 6. vbi secutus sum partem affirmantem, & dixi sic prohibitum posse eligi per Bullam, non autem gaudere priuilegiis suæ Religionis.

5 Ex dictis infertur, validas esse confessiones factas confessario regulari apostatæ, & excommunicato, quando ab Episcopo id ignorante, & existimante esse idoneum Clericum, eligitur in Parochum, vel simplicem confessarium: quia habet titulum coloratum cum communi errore populi, in quo casu pia mater Ecclesia consulens bono communi spirituali animarum censetur dare iurisdictionem, vt docet Rodriguez *in addit ad* §. 9. *n.* 10. & dixi cum aliis *suprà hoc cap. dub.* 1. *n.* 8. *& dub.* 5. *n.* 19. & in Decalogo *lib.* 8. *c.* 1. *dub.* 9. consequenter fit, hunc posse virtute Bullæ eligi, vt dixi in eius expositione *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 5.

6 Quæres secundò, an regularis legitimè à suo Prælato præsentatus Episcopo, vt ab eo approbetur, maneat approbatus, si ab Episcopo approbatio iniustè denegetur. Huius solutionem inuenies in nostra expositione Bullæ Cruciatæ *lib.* 1. §. 7. *c.* 1. *dub.* 8. vbi secutus sum partem negantem contra ibi citatos *num.* 2. & contra Villalob. *tract.* 9. *diff.* 53.

7 Quæres tertiò, an approbatio regularium facta ab Episcopo sit perpetua in eo Episcopatu, & an ab ipso possit vel ab eius successore, aut Capitulo, Sede vacante, talis approbatio reuocari, & regularis iterum examinari. Huic etiam quæstioni satisfeci in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *capit.* 1. *dub.* 7. Solùm ergo aduertendum occurrit, prohibitum esse à iure communi regularibus audire confessiones sæcularium, 16 *quæst.* 1. *cap. placuit, & cap. peruenit*: indulgentia tamen, & priuilegio Summorum Pontificum admissi sunt tanquam coadiutores Episcoporum ad audiendas sæcularium confessiones, modò tamen sint ab Episcopo approbati, secundùm dispositionem Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* Vnde iurisdictio regularium, supposita approbatione, est à Papa, sicut iurisdictio Parochi in suos subditos, vt docet Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 6. *n.* 6. & Rodriguez *in Bulla* §. 9. *num.* 37. *in fin.* Quare Episcopi approbatio solùm est conditio sine qua non iurisdictionis in sæculares. Ratio videtur esse, quia regulares habent à iure, vt possint absoluere à casibus Episcopo reseruatis, sine licentia, imò ipsis inuitis: tum etiam vt in Diœcesi, vbi approbati sunt, possint absoluere omnes ad eos venientes, etiam solius confessionis causa, vt dixi *dub. anteced.* & quamuis sint alterius Diœcesis, secundùm

cundùm cooeessiooem Sixti I V. recte Naoar. *c.* 17. *n.*466. & habet Rodrig. *loco cit.* ergo habeot à Papa iurisdictionem; quare Episcopi solùm sunt ministri Papæ; & eius delegati ad approbandos regulares, consequenter, facta per eos approbatiooe absoluta, & fine conditione, cessat officium, & expirat delegatio, vt docet Rodrig. *loco cit.* ideo ipse, & alij existimaot, approbationem regularium esse perpetuam, & non posse absque iusta causa reuocari, cuius opinionem retuli loco supra citato Bullæ, & meam protuli sententiam: vide ibi.

8 Quaotùm ad effectum huius approbationis, dico breuiter, posse regulares, ea supposita, absoluere à casibus reseruatis Episcopo, vt dixi quæstione aotecedenti & constabit infra, vbi de reseruatis, dispensare io quibusdam votis, & iuramentis, vt dixi in Decalogo *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 38. Ao autem possint confessarij regulares ab Episcopo approbati vti hac facultate circa sæculares, si oon habeant Bullam Cruciatæ sæculares: seu an Bulla suspendat priuilegia regularium quoad sæculares, dixi in eius expositione *lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. Obiter oota, posse confessarios regulares per sua priuilegia absoluere à censuris extra Sacramentum pœnitentiæ: sicut fieri potest, quando datur absolutio ratione Bullæ Cruciatæ. Ita Coninch *disput.* 14. *dub.* 8. & cum aliis Diana 3. *part. tractat.* 4. *resolut.* 63. Qood procedit, & à fortiori in dispensationibus super irregularitate, voto, iuramento, & petitione debiti; nam hæ non dependent à Sacramento absolutione. Diana *vbi supra.*

CAP. X.

De absolutione à casibus reseruatis.

D V B. I.

Quis possit sibi casus, seu peccata reseruare, & quæ peccata.

1 Nota, casum dici à cadendo. Sumitur autem à Theologis casus conscientiæ pro quæstione ad mores pertinente, v.g. an hoc sit peccatum, an bonum, ao malum. Syl. *verb. casus n.* 1. Strictè autem à Casuistis sumitur pro grauiore crimine, cuius absolutio reseruatur superiori, qui si sit Papa, reseruatio dicitur Papalis; si Episcopus, Episcopalis. Est autem reseruatio limitatio, seu restrictio iurisdictionis in inferiore Sacerdote à superiore potestatem habente, facta. Vide in nostra expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 1. *n.* 1. & 2.

2 Supponendum tanquam de fide, dari in Ecclesia potestatem reseruandi aliqua peccata iudicibus superioribus, prout definitum est à Trid *sess.* 14. *c.* 7. & habet communis DD. & dixi in loco citato Bullæ *n.* 2. quod ergo quærimus est, quinam superiores possint casus sibi reseruare.

3 Dico primò, ille potest reseruare sibi casus, qui habet potestatem ordinariam respectu corum quiquis eam delegare possunt. Ita communis ex Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 29. *sect.* 1. Ratio est, quia delegare iurisdictionem, est quid voluntarium; & sicut potest Ordinarius eam non delegare, ita potest etiam illam delegare, non in totum, sed in partem, reseruando sibi iurisdictionem circa aliqua peccata.

Hinc fit posse Papam sibi in tota Ecclesia casus reseruare, siue cum censura, sine absque illa: similiter Episcopus io sua Diœcesi; posset etiam Parochus sibi casus reseruare, vt docet Suarez *sup. n.* 4. & cum eo Villalob. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 57. *num.* 2. nisi obstaret consuetudo: at oppositum verius existimaui in Bulla *loco citato n.* 5. Possunt etiam casus reseruare Concilium prouinciale in sua prouincia; & qui in Ecclesia habent iurisdictionem ordinariam similem Episcopali, vt sunt Generales, aut Prouinciales Religionum, & his similes: seruare tamen tenentur regulares in casuum reseruatiooe, regulam sibi ipsis à Clemente VIII. in quadam Bulla impositam, oe in hoc aliqui fiant excessus, de qua Coninch *disp.* 8. *dub.* 11. *n.* 83. Soarez *sup. sect.* 3. *n.* 11.

4 Dico secundò, etsi possint reseruari peccata merè interna; de facto tamen nullum peccatum merè internum est reseruatum. Quod reseruari possint, docent Caietan. 2. 2. *quæst.* 11. *artic.* 3. Sotus *distinct.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. Suarez *disp.* 29. *sect.* 3. *n.* 3. Cooinch *sup. num.* 79. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 1. *num.* 3. & dixi Bulla *loco cit. num.* 7. & alij, quia posset superior non commooere iurisdictionem eirca illa: at cùm non id expediat, ideo de facto oullum internum peccatum est reseruatum, vt docent citati, & comprobat communis praxis. Hinc fit, solùm reseruari peccata externa, & cùm ex his alia sint venialia, alia verò mortalia, videndum est, qualia reseruentur.

5 Dico tertiò, de facto nulla peccata venialia sunt reseruata; non enim hoc expedit, ob facilem lapsum in ea: non tamen repugnat, ea reseruari saltem à Papa, ita vt non possent à quolibet Sacerdote remitti, dum aliquis ea confitetur: at hoc propriè non est reseruatio, quia cùm non sit obligatio illa confitendi, inutilis esset reseruatio, cum possint absque culpa omitti. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 10. *num.* 271. vide cum aliis Bonacio. *vbi sup.* reseruaotur ergo solùm peccata mortalia externa, non quidem omnia, sed aliqua, eaque grauiora, vt constabit ex infra dicendis, vt abhorreant pœnitentes, & detineantur ab illis committendis, videntes difficultatem in obtinenda eorum absolutione. Hinc sequitur eum, qui faciat aliquod opus externum, quod non est sufficiens ad mortale peccatum, noo incurrere casum reseruatum, etiamsi habuerit animum peccandi mortaliter; oam ad iocurrendum casum reseruatum requiritur opus internum; imò & cum effectu, vt docet Syluest. *casus q.* 5. & infra etiandi. Vnde quando homicidium reseruatur, si quis habens aoimum occideodi tantùm percutiat, aut voluerit, non incidit in reseruationem. Vide Ioannem à Capiauila *in tract. de casibus reseruat. pag.* 52. & 53. & cum aliis Bonacin *vbi sup. n.* 4. Quæ autem peccata sint Papæ, & quæ Episcopo reseruata, dicetur dubio sequenti.

6 Dico quartò, reseruatio est strictè interpretanda, quis est odiosa: vnde hic non valet paritas & similitudo rationis, vt exemplis probaui in Bulla *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 8. de quo etiam vide Ioao Capiauil: *de reseruatis, pag.* 5 2. & 5 3.

7 Sed quæres, an reseruatio requirat iustam causam, ita vt illa non existente, inualida sit reseruatio. Respondeo, & dico, ad licitum vsum reseruationis, certum est requiri causam, quia reseruatio ex natura sua est odiosa, & onerosa subditis, ideo attendenda est subditorum vtilitas, ad quam hæc potestas est ordinaria. Ad valorem autem reseruationis, si fiat à Papa, certum etiam est, non requiri causam iustam; quia ab ipso pendet iurisdictio in alios, ideoque potest limitari pro suo arbitratu. Quòd si

fiat an Episcopo, probabile est, ad eius valorem requiri causam: vt docent Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 5.* Angelus, & Maior apud Filliucium *tom. 1. tract. 7. cap. 10. num. 175.* nam iurisdictio Parochorum non est ab Episcopo, sed à Papa, ad quem spectat eam limitare. At quia etiam seruanda est proportionata subordinatio, & dependentia, etiam in iurisdictione Parochorum respectu Episcopi, probabilius videtur esse validam eius reseruationem, etiamsi fiat absque causa, ideoque timenda; quod videtur magis expediens ad tollenda scandala. Ita Filliuc. *sup num* 180. Villalobos 1. *part. tract. 9. diff. 53. num.* 10. & Bonac. 1. *tom. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 1. num.* 2. qui duo absolutè docent, reseruationem superioris sine causa (etsi ipse peccet) esse validam, consequenter absolutionem ab iis datam sine superioris licentia, aut priuilegio aliquo esse nullam. Attamen malè ageret Episcopos, cum teneatur prudenter, ex causa peccata reseruare. Sylu. *confess.* 1. *quæst.* 3. Suarez *sup sect. 4. numer..* Filliucius *loci cit.* Quare in decretis Clem. VIII. super absolutione à reseruatis, monentur Ordinarij, vt *paucos, eosque tantùm, quos ad Christianam disciplinam retinendam reseruandos iudicauerint, reseruent*: deinde declaratione eiusdem decreti prohibetur, ne sibi superflue reseruent casus Bullæ cœnæ, aut alios Sedi Apostolicæ seruatos: iterumque admonentur de reseruandis paucis, iisque atrocioribus, & grauioribus criminibus.

Dub. II.

Quæ peccata sint reseruata Papæ, & quæ Episcopo.

1 Quoad primum suppone, nullum peccatum esse reseruatum Papæ, nisi ob annexam illi excommunicationem, aut aliam censuram, vt cum Caiet. Nauar. & aliis probaui in expositione Bullæ *lib. 1. c. 2. dub. 1. n. 3. & 4.*

2 Dico igitur primò, tot sunt peccata reseruata Papæ, quot sunt censuræ ei reseruatæ, & cum censura sit triplex, excommunicatio, suspensio, & interdictum: quot erunt excommunicationes, suspensiones, & interdicta Papæ reseruata, tot erunt peccata eidem reseruata. Quæ, & quot censuræ sint Papæ reseruatæ, agunt Doctores in materia de censuris, & nouissime, ac latissimè Bonacin. *in 3. tom. de censur. in particulari.* Hinc infertur, posse Parochum, aut alium approbatum ab omnibus peccatis Papæ reseruatis absoluere, postquam per legitimam absolutionem, siue ab ipsomet Papa, siue ab alio ex commissione ipsius ablata fuerit excommunicatio, aut censura, secundum quam vtrumque eorum erat reseruatum, vt dixi in Bulla *loco citat.* & cum aliis Bonacin. *tom. 1. disput. 5. quæst. 7. punct. 1. §. 2. num* 3. Quod procedit, etiamsi idem casus sit etiam Episcopo reseruatus, vt docet Nauar. *cap. 27. n. 261. in fin.* Videtur enim vsu interpretatum, sublatam esse Episcopalem reseruationem, & censuram, sublata reseruatione Pauli, secundùm ea, quæ ipse Nauarr. docuit *in capit. quorundam de Iudais, not.* 11. *num.* 32. quem sequitur Henriquez *lib. 6. capit.* 14. *num.* 9. quod maximè procedit post declarationem Clem. VIII. (de qua dubio antecedenti) prohibentem Ordinariis, ne sibi superfluè reseruent casus Sedi Apostolicæ reseruatos. Hinc etiam, fit quando Bulla, vel Iubileum concedit facultatem absoluendi à casibus Papæ reseruatis, concedere etiam facultatem absoluendi à censuris eidem reseruatis, quamuis indultum nullam de censuris mentionem faciat, vt benè, & consequenter docet Nauar. *dict. num.* 261. Rodrig. *in addit ad §. 9. num. 55.* & alij, quos ipse; quia communiter ratione casus Papæ reseruati intelliguntur censuræ ei reseruatæ; sunt enim censuræ, & peccatum ita connexa, vt concessa facultate absoluendi à tali censura, censeatur concessa facultas absoluendi à tali peccato, & è contra. Infert etiam Henriquez *sup. num. 2. lit. G.* cum aliis; quod cùm peccata Papę reseruata ita committuntur, vt ratione ignorantiæ, illa committens non incurrat censuram, nec incurrere reseruationem. Ratio horum est, quia peccata ipsa præcisè non sunt reseruata, sed prout sunt affecta censura, seu ratione censuræ, seu vt propriè loquamur, censura tali peccato adnexa. Vide in loco citatato Bullæ *numer. 3. 4. & 5.*

3 Nota tamen, etsi Pontifex possit, etiam in articulo mortis, peccata reseruare, auferendo scilicet iurisdictionem ab iis, tunc absoluendi, vt tenet Henquez *lib. 3. de pœnit cap.* 17. *n.* 7 de facto tamen nullum peccatum esse Papæ, aut alij reseruatum, vt apertè statutum est in Tridentino *sess.* 14 *capit.* 7. vbi sic ait: *In verò mortis articulo piè in Ecclesia semper custoditum fuit, vt nulla reseruatio, quantum ad culpam, tunc esset, atque ita omnis Sacerdos quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis, & censuris absoluere potest.* Nota, etiamsi Pontifex possit sibi, saltem indirectè, reseruare peccatum merè internum, de facto tamen nullum esse reseruatum, vt dixi *superiori dub. n.* 4.

4 Quantum ad secundum suppono etiam, quod dictum est *dub. anteced.* nimirum Episcopos, & alios Prælatos habentes iurisdictionem in foro exteriori posse sibi peccata reseruare, prout definitum est in Trident. *sess. 14. capit* 7. excepto tamen mortis articulo, in quo ij nullum casum sibi reseruare possunt, quia in eo articulo iure communi ab Ecclesia pro omnibus peccatis cuilibet Sacerdoti confertur iurisdictio, prout declarauit Trident. *loco cit.* de quo etiam Henriquez *lib. 3. de pœnitent. capit.* 11. Solent igitur Episcopi extra articulum mortis reseruare sibi peccata cum censura, aliquando verò sine illa, vt patet ex vsu, & consuetudine in singulis Episcopatibus: vnde fit, vt sub nomine casus Episcopo reseruari, non intelligantur censuræ; & è contra sub nomine censuræ ipsi reseruatæ non comprehenduntur casus eidem reseruati: & quando Papa, aut ipsi Episcopi concedunt facultatem absoluendi à casibus Episcopis reseruatis non cēsentur concedere facultatem absoluendi à censuris ipsis Episcopis reseruatis, nec è contra, vt docet Nauarr. *cap. 77. n. 261.* Rodrig *§. 9. n. 44.* & communis Doctorum, vide in nostra expositione Bullæ *lib. 1. §. 7. c. 2. n. 1.*

5 Suppone secundò, tribus modis posse Episcopos peccata sibi reseruare. Primò, de iure communi, quo iure solent quinque, vel sex casus reseruari, qui continentur *in extrauag. super cathedr de sepult.* secundò per proprium statutum: & tertiò per specialem, & probatam consuetudinem.

6 Dico ergo, ex solo iure communi, & secluso statuto proprio, & consuetudine, nullum iam est peccatum Episcopis reseruatum, vt docet Suarez *disput. 29. sect. 3. num. 6.* ait enim, dictam extrauag. super cathedram esse reuocatam per Clem. *dudum de sepultur.* & per contrarium vsum Episcoporum. Solum ergo reseruantur Episcopis censuræ, & casus, quos ipsi per speciale statutum, aut approbatam consuetudinem specialiter reseruant: de quibus nulla regula generalis tradi potest, quia hæc pendent ex facto, & in variis Diœcesibus varia reseruata reperiuntur; ideo in singulis Diœcesibus consulendæ

sunt

sunt constitutiones synodales, vel approbatæ consuetudines, Casus autem in nostra Diœcesi Valentina reseruati sunt, crimen simoniæ, & sacrilegij: homicidium proditoriè commissum facto, consilio, fauore: incestus, vbi necessaria est dispensatio: percussio parentum: abortus procuratus: clandestinè contrahentes: incendium Ecclesiarum: testis falsus iurans in iudicio. Ita habentur in synodo Diœcesana D. D. Martini de Ayala Archiepiscopi Valentini *action.* 2 *cap. vltim.* quorum breuem explicationem proponam *dub. seq.*

7 Circa casus Episcopo reseruatos nota. Emanuelem Sà *verb. Absolutio, n.* 20. existimare amittere reseruationem, mortuo Episcopo. Verius tamen alij, vt Ioannes Capiauila *de casibus fol.* 51. existimant adhuc retinere reseruationem, donec à successore aliud restituatur; nam statutum, mortuo statuente, adhuc durat, vt tradunt Doctores in materia de legibus, & hoc tenendum in nostra Valentina Diœcesi, vbi casus sunt de iure synodali, & generali, approbataque consuetudine reseruati, ideoque mortuo Episcopo, adhuc durat reseruatio: vnde non est admittenda opinio Sà, nisi fortè in aliqua Diœcesi sit ita in praxi, & vsu receptum.

8 Nota secundò, quando verè dubitatur, & æquè dubium est, an casus sit reseruatus; vel an egeat dispensatione, vt cum aliis tenet Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3 *disp.* 6. *punct.* 5. *num.* 10. & in Decalogo *lib.* 2. vbi de voto, *dub.* 16. *&* 49. & in expositione Bullæ *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 8. *& capit.* 3. *dub.* 16. *num.* 8. & infra *hoc capitul. dub.* 9 *quæst.* 2. vbi agitur, an qui dubitat aliquod peccatum esse reseruatum; vel circa peccata reseruata facultatem habere, possit absolutionem impendere, vbi hæc doctrina exactè examinabitur.

9 Nota tertio casus, qui sunt Pontifici ex se reseruati, aliquando non esse iudicandos vt tales in aliquibus casibus, ratione alicuius circunstantiæ, Primò ratione qualitatis personæ; sic peccata impuberum, quæ ex se sunt Pontifici reseruata (si habeant vsum rationis) Episcopo reseruantur, quamuis post pubertatem petant absolutionem, sic etiam docet Syl. *verb. Casus. quæst.* 5. & Caiet *excommun. capit.* 10. incestum puerorum, qui nondum perfectum vsum rationis nacti sunt, nulli esse reseruatum. Item, peccata Religiosorum ex se Pontifici reseruata, non esse talia iudicanda, ne inde occasionem vagandi, & apostandi accipiant, nisi tanti criminis enormitas postularet, eos Romam ire, ex Caiet. *vbi sup.* Item, peccata fœminarum ratione sexus, iuniorum, puellarum, & viduarum, propter periculum incontinentiæ: senium, ac valetudinariorum, propter periculum itineris: demum pauperum mendicantium, maximè si fuerint coniugati, ne diutina eorum absentia vxorem, aut liberos obiiciat mendicitati, aut flagitio, Episcopo reseruantur. Secondò ratione impedimẽti; hinc est, quòd quibus non licet adire Papam, salua vita, libertate, & rebus, suis saltem durante impedimento, ad Episcopum mittendi sint; ex Ioanne Capiauila *capit.* 6. *pag.* 52. *&* 53.

10 Nota quartò, quando reseruatio fertur contra facientem, non includere mandantes, vel consulentes, ex Nauarr. *cap.* 27. *num.* 51. Et quando fertur contra consilium, vel auxilium dantes, videndum est si feratur principaliter, vel secundariò in illos; si principaliter, incurrunt, quamuis effectus non sequatur, si reuera consilium dederunt: si verò principaliter in facientes, & secundariò in consulentes, ij non incurrunt, nisi reuera sequatur effectus, quamuis realiter consuluerint. Nauar. *sup. num.* 52. Item, quando fertur reseruatio contra eos, qui aliquid facere præsumunt, non comprehenduntur ij, qui ex metu, aut alio effectu præter superbiam hoc faciunt: & quando dicitur scienter, non comprehendit facientes ex ignorantia. Ita Capiauila *vbi sup.* & Doctores agentes de excommunicatione.

DVB. III.

In quo breuissimè explicantur casus D. Archiepiscopo Valent. reseruati.

QVia horum casuum dubio proximo mentionem fecimus, non erit abs re, nec inutile, illos breuiter explicare; continentur autem in synodo D. D. Martini de Ayala Archiepiscopi Valentini, *act.* 2. *capit. vlt.* & in Rituali Valentino, vbi de Sacramento pœnitentiæ.

Simonia.

1 PRimus ergo casus est crimen simoniæ. Ad cuius intelligentiam suppone, simoniam à S. Thoma 2. 2. *quæst.* 100. *articul.* 1. communiter recepto definiri: Studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquod spirituale, vel spirituali annexum, quæ vt ad præsens facit, potest committi. Primò, in ingressu Religionis, nimirum, quando pro mero ingressu, aut professione, in ea aliquid temporale datur. Secundò, in receptione ordinis, vt quando initiandus pro ipso ordine aliquid temporale Episcopo, aut examinatoribus confert. Tertiò, in Beneficio, vt quando propter pecuniam, aut aliud pretio æstimabile alicui beneficium confertur, aut præsentatur, aut ad illud eligitur. Quartò, in aliis rebus sacris, vt quando quis Sacramenta, sacramentalia, vasa sacra, aut vestes sacras pecunia comparat: de quibus omnibus latè dixi in tractatu de simonia. Simonia primo, secundo, & tertio modo est Papæ reseruata cum excommunicatione, modo à me ibi explicato, dummodo sit ab vtraque parte completa: à qua excommunicatione, ratione Bullæ potest absolui semel in vita, & iterum in articulo mortis intra annum publicationis, vt in eius expositione dixi *lib.* 1. §. 7. *c.* 2. Simonia ergo nostro Valentino reseruata, est omnis illa, quæ committitur in rebus sacris, præterquam in ingressu Religionis, ordine, aut beneficio, vt quando quis emit aliquod Sacramentum, aut calicem, vestem sacram, &c. quæ simonia reseruatur sine excommunicatione, aut aliqua censura, vt videre est in Synodo D. D. Martini Ayala Archiepiscopi Valentin, *act.* 2. *cap. vltim.* vbi ij casus continentur: vbi etiam simul cum crimine simoniæ reseruat sibi crimen hæresis. Circa quod notandum occurrit, crimen non posse numerari inter peccata Episcopis reseruata: nam aut hæresis est omnino interna, & sic nulli est reseruata, & potest absolui à quocumque approbato absque vllo priuilegio; sicut quodcumque aliud peccatum internum: aut est omnium externa, seu materialis tantùm, & absque vllo errore intellectus, & hic non est formaliter hæreticus, nec excommunicatus, ideoque si occultus sit, potest absolui pro foro interiori à quolibet approbato: aut est hæresis interna simul, & externa; & hic hæreticus, quamuis occultissimus sit, est excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata, & casus ipsi reseruatus: at casus Papæ reseruatus prohibetur reseruari ab Episcopo, ita vt talis reseruatio sit superflua, prout decreuit Clemen. VIII. in suo decreto, de quo *sup. dub.* 1. *in fin.* Constat ergo crimen

hæresis,

prebendant illos qui secundum communem vsum loquendi veniunt sub nomine parentum, vt sunt parentes naturales, omnes ascendentes vsque ad tritauum, vitricus, nouerca, parentes adoptiui. Ita Lessius Zecbus *de casibus fol.*229. qui id etiam extendit ad socerum. At Ioannes à Capiauila *de casibus cap.* 5. *fol.*181. solum intelligit auos, & auias, parentes naturales, tum etiam vitricum, & nouercam, quod probabiliter sequi potest propter rationem initio adductam. Addit etiam incurrere in hanc reseruationem, mandantem, consulentem, aut fauentem, quod non procedit in hoc nostro caso, quia hæ personæ non exprimuntur. Per percutientem intelligit Lelius *sup.* eum, qui percutit manibus, ferro, pede, fuste, lapide, & similibus, vel aliquo instrumento, vt puluere, vel iniectione saliuæ iniuriosa per vestium detentionem, vt existimat Capiauila *supr.* similiter captio, & incarceratio. At Lelius *sup.* existimat, percussionem non debere hic ita strictè sumi, vt in Canone *si quis suadente* 17. *q.*8. ita vt comprehendatur arripiens per vestem, aut expuens in parentem.

8 Excusat tamen ab hac reseruatione ignorantia probabilis, seu inculpabilis, qua ignorabat esse suum parentum. Secundò, si percussio fiat ioco, vel cum iusta defensione, vel si arceat parentem à delinquendo. Excusat etiam motus primo primus: item, nec incurrit, qui arcendo turbam incaute patrem percutit. Denique excusatur, si percussio non sit peccatum mortale; vel si tãtùm iniuria fiat verbo etiamsi sit peccatum mortale. De grauitate huius peccati vide Deuteron. 21. *&* 27. & Leuit. 20. & Prouerb. 20. vide etiam in nostro Decalogo *lib.*4. *cap.* 1. *dub.*2.

Aborsus procuratus.

9 ABorsus est expulsio fœtus: qui potest fieri quando fœtus est inanimatus; vel quando iam est animatus: animatur autem secundum probabiliorem opinionem, si sit mas, quadragesimo die, si fœmina octogesimo die, in dubio præsumitur vir, consequenter præsumitur animatus quadragesimo die. Procurare aborsum dicuntur qui per se, vel alium, siue vt principales, sunt causæ expulsionis fœtus: tum etiam ad id opem, vel auxilium, consilium, vel fauorem dantes contra quos Sixtus V. anno 1588. rigorosam addidit constitutionem, in qua procurantes aborsum etiam fœtus inanimati, fiunt irregulares, & excommunicantur excommunicatione sibi reseruata, quas pœnas extendit etiam ad propinãtes potiones sterilitatis. Hunc rigorem temperauit Gregor. XIV. anno 1581. hoc modo. Primò voluit manere excommunicationem, sustulit autem reseruationem illius. Secundò, abrogauit omnino pœnas impositas contra procurantes aborsum fœtus inanimati, aut exhibentium, seu sumentium potiones sterilitatis. Quare qui modò procurat aborsum, si fœtus est animatus, peccat mortaliter peccato homicidij, & est subiectus pœnis, Trident. *sess.*14. *capit* 7. *de reform.* irregularitatis, & excommunicatus excommunicaricatione non reseruata, quæ in foro inferiori à quolibet approbato sine aliquo priuilegio absolui potest; irregularitas verò, quia est ex homicidio voluntario à solo Papa potest dispensari, si autem homicidium sit casuale, poterit tolli ab Episcopo, per Trid. *sess.*24. *c.*6. *de reformat.* quæ omnia intellige, modò fœtus sit animatus. Vide Sayrum *in thesaur. lib.*3. *c.*35. & ea quæ dixi in Decal. *lib.*5. *c.*1. *dub.*4. *n.*8. Aduertit autem Henriq. *lib.* 3. *de pœnit. c.*10. ipsam prægnantem ad aborsum sumentem, non esse excõmunicatam; quia dum de excommunicatione loquitur constitutio, non meminit prægnantem; oppositum tamen probabilius est, vt probaui *loco cit.* Hinc fit, quando fœtus non est animatus, & quamuis sit animatus si tamen effectus non sequatur, nulli esse hunc casum reseruatum, quia modò solum reseruatur Episcopis, prout est homicidium per insidias, quod non contingit quando fœtus non est animatus; nam quando aliquis casus reseruatus Episcopo, reseruatur postea Papæ, sublata deinde reseruatione Papæ, non manet iam Episcopo reseruatus, vt dixi *supra hoc lib. cap anteced. dub.*1. & docent Sà, *verbo casus n.*5. cit. Nauarr. *cap.*27 *n.*254. Toletus *lib.*3. *c.*14. vide Rodrig *c.*15. *n.*1.

10 Nihilominus tamen, vt confessarius possit nunc absoluere ab hoc casu, debet esse specialiter deputatus à suo Ordinario, vt disponit Greg. in Bulla citata: id est, habeat licentiam à suo Ordinario. Vide in Decal. *lib.*5. *c.*1. *dub.*4. *n.*8. vbi dixi necessariam esse licentiam Episcopi, vt nunc confessarius sæcularis possit, secluso priuilegio, absoluere ab hoc casu.

11 Ex his sequitur, non incurrere hanc Episcopi reseruationem eum, qui realiter procurauit aborsum, si reuera non fuit secutus; quia solum reseruatur, actus exterior cum effectu. Nec incurrit mulier, cui iniquus amator dedit ad aborsum, ignorante ipsa; nec qui mulieri in partu laboranti dat aliquid ad facilitandum partum, etiamsi per accidens fœtus prodeat mortuus, quia dat ad aborsũ, sed iuuat ad partum naturalem: nec maritus, aut pater, qui vxorem, aut filiam leuiter opere, vel verbo castigat, ex quo illa furore percita aborsum patitur, nisi cum peccato mortali fuerit excessus punitionis, nec medicus, qui medendi gratia, præbuit potionem non ordinatam per se ad aborsum: nec qui dat potionem ad non concipiendum: nec qui in actu retrahit se à seminatione; nec mulier, quæ ex subita animi passione, putà lætitia, timore, vel subita armatorum visione; imò nec ipse armatus, si probabiliter periculum aborsus ignorabat (secus si id sciens faceret, aut dæmonis figuram demonstraret) Ratio horum est, quia non sunt per se causa aborsus animati cum effectu: incurrit tamen potiones, medicamenta, &c. sumens, aut propinans, aut opere, verbo, consilio fauore, aut alio modo concutiens, si reuera abortus fœtus animati sequatur præmaturiùs, quamuis postea baptizetur. Item mulier, quæ experta ex ponderis impositione abortum patitur, secus si non est experta, nam sic est præter eius intentionem. Item, mulier quæ ex nimia libidine virũ cognoscit, ex quo præuisus aborsus sequitur; secus si licita cautela adhibita cognoscit maritũ; quia sic nec peccat mortaliter, nec est causa aborsus, ita Capeauilla de casibus videndus *fol.*239.

Clandestine contrahentes.

12 TRibus modis dici potest matrimonium clandestinum. Primò propriissimè, vt quando vir, & mulier contrahunt sine præsentia Parochi, & duorum testium. Secundò non tam propriè, vt quando contrahunt coram Parocho, & testibus, omissis tamen denũtiationibus, seu bannis, *las amonestaciones*, præterquam in casibus à iure permissis. Tertiò impropriissimè, vt quando cõtrahunt matrimonium corã Parocho, & testibus, factisque denuntiationibus; illud tamen consummant ante benedictionem nuptiales. Contrahentes igitur clandestine primo modo nullã de facto iuris pœnam incurrunt, sunt tamen arbitrio Ordinarij grauiter puniẽdi, vt statuit Trid. *sess.*24. *c.*1. & fiunt inhabiles ad sic contrahẽdum. In Diœcesi autem Valentina quotannis promulgatur edictũ, quo prohibetur quibuscumque

personis

est in iudicio: nec qui vtitur licita æquiuocatione, seu restrictione: nec qui iurat occultando, quod est ei secreto naturali commissum, nisi secreti occultatio cederet in damnum commune, vt dixi in Decalog. *lib.* 2. *c.* 10. *dub.* 32.

17 Nota, dici testem falsum, non solum qui falsum profert, sed etiam qui verum illicitè occultat; hic enim etiam tenetur damnum reficere sicut, qui falsum deposuit, vt dixi in Decalog. *lib.* 8. *c.* 3. *dub.* 10. *num.* 3. Nota etiam hanc reseruationem non comprehendere mandantem, consulentem, nec auxiliantem, quia de iis nulla in reseruatione fit mentio, & reseruatio, non amplianda, sed restringenda est, quia pœnalis, & præiudicatiua est authoritati Ordinariorum, & confessariorum simplicium, & ideo non patitur extensionem ad alios casus non expressos: sicut excommunicatio solum loquens de faciente non extenditur ad consulentem. Nauarr. *c.* 27 *n.* 51. & alij, quæ doctrina obseruanda est in omnibus casibus supradictis, in quibus mandans, consulens, aut auxilians non exprimuntur. Vide Lelium Zechium *supra*, cætera de periurio dixi in Decalog *lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 20. de obligatione verò restituendi falso testimonio, dixi *lib.* 8. *cap.* 5. *dub.* 8.

D V B. IV.

Quis possit directè, & ordinaria potestate absoluere à casibus reseruatis in communi.

1 NOta, duobus modis posse impendi absolutionem à reseruatis. Primò, directè: secundò, indirectè: absolutio directa fit, quando absoluens primò, & per se, ac directè habet facultatem, & iurisdictionem in peccata reseruata; vt quando ipse reseruator, aut alius de ipsius licentia ab iis absoluit. Tunc autem confessarius absoluit indirectè à reseruatis, quando non habet primò per se, ac directè iurisdictionem ad illa absoluenda, sed per accidens, scilicet ratione necessitatis, habet tamen primò per se, ac directè, iurisdictionem in peccata non reseruata, qui in eo casu (de quo infra) absoluendo à non reseruatis directè, à reseruatis absoluit etiam indirectè, nam non potest vnum peccatum mortale tolli absque alio, vt dixi *hoc lib. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 16. Differunt autem absolutio directa, & indirecta: nam absolutus directè à reseruatis non tenetur se præsentare reseruatori, quia absolutè fuit sublata reseruatio, & absque vllo onere: absolutus verò indirectè, postea, vt commodè poterit, tenetur se reseruatori per se, aut alium præsentare, aut ab eo licentiam obtinere, vt à reseruatis absoluatur; quia reseruatio non absolutè, sed cum onere fuit sublata, quod constabit ex infra dicendis.

2 Dico igitur primò, omnis qui peccatum sibi reseruat, aut eius superior in hoc foro pœnitentiæ, potest directè, & potestate ordinaria à peccatis reseruatis absoluere: hæc conclusio est certa, & communis apud Suarez *disp.* 30. *sect.* 1. Probatur prior pars, quia reseruans retinuit pro se iurisdictionem ordinariam quam habet; non enim eam sibi, sed inferioribus adimit: & qui ordinaria potestate potest ligare, potest etiam absoluere: de superiore reseruantis patet; quia superior habet iurisdictionem generalem, & vniuersalem etiam respectu sui inferioris reseruantis, & se extendit ad omnia, ad quæ inferior. Dixi *superior in hoc foro*, nam non satis est, vt sit superior dignitate; sicut est Archiepiscopus, Patriarcha, &c. sed debet esse superior iurisdictione in hoc foro: ideo Archiepiscopus non potest absoluere subditos Episcopi suffraganei à casibus reseruatis suffraganeo, excepto casu visitationis Prouinciæ, vel causa appellationis ad ipsum, vt latius infra, & docent Henriquez *lib.* 9. *cap.* 6. *n.* 5. *& c.* 16. Suarez *disp.* 30 *sect.* 2. *num.* 8. Coninch *disp.* 8. *dub.* 3. *num.* 21. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5 §. 2. *num.* 4.

3 Ex hac conclusione sequitur, Papam posse absoluere ab omnibus reseruatis ab omnibus Episcopis, & superioribus regularibus, nam est supremus Pastor totius mundi, & quæ possunt Episcopi in suis Episcopatibus, & superiores Religionum in suis Religionibus, potest Summus Pontifex in toto orbe: sic similiter Generalis alicuius Religionis potest absoluere à reseruatis suis Prouincialibus; quia est eorum superior in hoc foro: & Episcopus potest absoluere à casibus reseruatis à suo inferiori, casu quo possit aliquis inferior casus sibi reseruare. Archiepiscopus autem non potest subditos sui suffraganei à casibus suffraganeo reseruatis absoluere, nisi in causa visitationis, aut appellationis, vt dictum est nam aliter in eos non habet potestatem, seu iurisdictionem: potest tamen Episcopus absolui ab Archiepiscopo à casibus reseruatis, si Archiepiscopo subiiciatur, quia Archiepiscopus est eius superior, si ipsi subiiciatur, sic Religiosus potest subiici Episcopo in quibusdam casibus, vt ab eo absoluatur, vt dixi in Decalogo *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *de voto*, & tenet Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 2. *num.* 6. Quando ergo Episcopus incidit in casum reseruatum Papæ, poterit absolui ab Archiepiscopo, si ad hoc habeat facultatem: poterit etiam absolui à confessario, quem ipse Episcopus elegerit, si Episcopus facultatem habeat absoluendi alios, si in eundem casum inciderint; non enim debet esse peioris conditionis quam alij, sicque declaratum esse à sacra Congregatione refert Bonacin *sup. num.* 7. vide Sanchez in Decalog. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 11. *& lib.* 8. *de matrimon. disp.* 3. *n.* 3. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 5. *lit. A*, & in nostro Decalog. *vbi sup. dub.* 39.

4 Dico secundò, potest etiam directè absoluere ille, cui ab Ordinario reseruatore, seu eius superiore delegata est potestas absoluendi ab iis, est commune apud Suar. *sup.* & ratio est euidens; quia vt dictum est *supra hoc lib cap.* 10 *dub.* 5. Ordinarius potest delegare, & sicut potest concedere facultatem absoluendi à peccatis non reseruatis, ita à reseruatis. Ad hanc autem facultatem concedendam non requiruntur verba determinata, sed sufficiunt quælibet verba, per quæ significatur concedi dictam facultatem. Non tamen censetur concessa facultas absoluendi à reseruatis, quando Episcopus concedit licentiam subdito audiendi confessiones; imò nec quando concederet suam authoritatem, & potestatem, vt docet Nauarr. *cap.* 27. *num.* 261. nisi priùs concessisset casum reseruatum, & deinde generaliter adderet, *& omnem meam potestatem*, vt docent Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 10. *num.* 281. At in Religione Minorum, vt refert Villalob. 1. *part. tract.* 9. *diff.* 59. *num.* 3. Prælatus concedens suam authoritatem, censetur concedere facultatem, à reseruatis, vide *sup. hoc cap. dub.* 2. *vers. quantum ad secundum.*

5 Sed quæres, quis possit absoluere à reseruatis peregrinos, seu iter agentes, aut viatores, *sup cap.* 10. *dub.* 4. dictum est peregrinos, & viatores posse confiteri cum Parocho, aut alio approbato loci vbi inueniuntur: difficultas ergo modò est, an ibi etiam absolui possint à reseruatis suo Episcopo; in qua re certum est, si casus sit reseruatus Summo Pontifici, non posse absolui, nisi ab habente facultatem

absoluendi à reseruatis Papæ, nam Summus Pontifex habet territorium in toto orbe terrarum, & ipsius leges vbique obligant, modò sint acceptatæ, vel non sint per contrariam consuetudinem abrogatæ, vt dicitur in materia de legibus; & omnes confessarij tenentur scire casus illi reseruatos; solum ergo quæstio est de casibus Episcopo reseruatis. Dico igitur primò (omissis opinionibus) si casus sit reseruatus proprio Episcopo peregrini, seu iter agentis, non verò Episcopo loci vbi reperitur, potest ibi absolui à Parocho, seu quocumque approbato ab eo, vel illis casibus, quamuis non habeat authoritatem absoluendi à reseruatis. Ita docet Suar. *disp.* 50. *sect.* 1. *n.* 4. Caiet. *verb. Absolutio* 5. Nauar. *c.* 27. *n.* 275. Henriq. *l.* 6. *c.* 14 *n.* 9. Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 7. *c.* 10. *n.* 283. Villalob. 1 *part. tract.* 9. *diff.* 59. *n.* 4. cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 2. *num.* 9. contra Sotum *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 4. & alios. Ratio fundamentalis est, quia hic reus iudicandus est iuxta leges, & consuetudines loci, vbi reperitur more incolarum, quod est iuri valde conforme, & concedi ab ipso iure, nam eo quòd peregrinus potest in aliena Diœcesi confiteri, poterit more etiam incolarum confiteri; atqui, vt supponimus, casus ibi non est reseruatus; ergo poterit à quolibet approbato, sicut incola absolui, non enim tenetur confessarius vnius Diœcesis scire casus in alia reseruatos.

2 Dico secundò, si casus sit reseruatus Episcopo peregrini, & Episcopo loci, vbi reperitur, aut tantum Episcopo loci, non poterit eo in loco absolui à reseruatis à quolibet approbato, nisi habeat facultatem ab Episcopo loci ad absoluendum à reseruatis. Ratio est euidens; nam vt dictum est, hic pœnitens peregrinus, seu viator habendus est pro incola, & iudicandus est secundum leges illius loci; at ibi talis casus, vt supponimus est reseruatus, & ex alio capite incolæ non possunt absolui, nisi ab habente authoritatem; ergo neque hic. Ita citati. Quod autem dixi *in* 1. *conclus.* intellige, modò talis sit verè peregrinus, seu viator, hoc est, ne directè de industria, & in fraudem proprij, se conferat ad aliam Diœcesim, vt à reseruato ibi absoluatur; nam tunc nec à non reseruatis absolui potest, nisi à priuilegiatis, vt dixi *in c. antecedent. dub.* 4. & cum aliis Bonacina *sup. num.* 15.

3 Dixi, *nisi à priuilegiatis*, nam à regularibus, qui habent priuilegium absoluendi (de quo *sup. cap.* 10. *dub.* 4. *n.* 8.) omnes ad eos venientes, poterunt ij absolui. Filliuc. *sup. n.* 285. quia in hoc casu pœnitentes vtuntur iure suo. Hinc fit committentem peccatum, etiam non reseruatum in alieno loco non posse ibi, nec à culpa, nec à reseruato absolui, nisi adsit aliquis titulus, de quibus *c. anteced dub* 4. *cit.* videlicet vt sit ibi causa negotiorum, seu itineris, habita ratione consuetudinis, iuxta quam receptum sit, vt aliquis in alieno territorio possit absolui, aliter enim confessarius illius loci non habet iurisdictionem in talem alienigenam, vt dixi *dub.* 4. *cit.* nec in hoc foro pœnitentiæ delictum sortitur forum, sicut sortitur in foro contentioso; nam forum contentiosum respicit bonum publicum, & rectam loci gubernationem, quæ postulat, vt delicta in tali loco commissa in eodem loco puniantur, quod non militat in Sacramento pœnitentiæ. Henriq. *l.* 6 *c.* 7. *n.* 2. & cum aliis Bonac. *sup. n.* 15. Quare Petrus Dertus. committens peccatum in Valentina Diœcesi non poterit ibi absolui etiam à non reseruatis, nisi adsit aliquis titulus ex supra dictis; aut nisi confessor sit priuilegiatus vt regularis, sicut hic dictum est.

4 Quid autem sentiendum sit de excommunicatione, tractant Doctores in eius materia de excommunicatione, vbi de absolutione excommunicationis. Breuiter tamen dico, eum qui contraxit excommunicationem in alieno territorio posse absolui ab Episcopo illius loci, in quo eam contraxit a quia delictum sortitur forum in foro contentioso, quo in casu si excommunicatio, non sit publica, aut non sit reseruata, aut si est reseruata, est tamen occulta, poterit, etiam absolui à proprio Episcopo, si ad propriam Diœcesim delinquens hic redeat: modò tamen Episcopus illius loci, in quo talis deliquit, non præueniat, & per requisitoriam petat reum. Quòd si excommunicatio sit publica, & reseruata superiori loci, in quo eam contraxit, non potest delinquens absolui à proprio Episcopo, absque licentia Episcopi, in cuius Diœcesi deliquit. Ita cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 2. *n.* 13. Hæc autem intellige de excommunicatione hominis: nam à sententia iuris, quam incurrit aliquis in alia Diœcesi, siue sit ius synodale, siue commune, potest quis absolui ab Episcopo loci, vbi cõmoratur: Ita cum aliis Barb. *de off. & potest. Episc. alleg.* 50. *n.* 282. videndus quod procedit, etiam si maneat ad tempus cum animo redeundi ad proprium domicilium, dummodo habitatio non sit ad modicũ, & breue admodũ tempus, sed mora sit diuturna, vel saltem excesserit maiorem partem anni, Barb. *sup.* Potest etiam Episcopus alienigenam excõmunicatum absoluere, si est vagabundus nullum retinens domicilium, quos sicut à peccatis, ita ab excõmunicatione absoluere potest. Item, si alienigena excõmunicatus postea discedat ad aliã Diœcesim, animo ibi per aliquot menses habitandi vt causa studij, vel nundinarum, secus tamen si non habeat animũ ibi commorandi, sed statim redeundi, tunc enim à proprio Episcopo, & non ab eo vbi tunc commoratur, est absoluendus; nisi fortè non esset facilis recursus ad proprium Episcopum, vel si absque notabili damno vitæ, honoris, famæ, aut bonorum in magna quantitate, proprium adire non possit tunc enim, & à peccatis, & ab excommunicatione, etiam à proprio Episcopo reseruata, absolui posset, ex tacita proprij licentia, & concessione, de qua Henriquez *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 27. *num.* 6. videndus & Sayr *de excommun lib.* 2. *cap.* 19. *proposit.* 1.

5 Nota, Sacerdotem absoluentem à casibus Pontifici, vel Episcopo reseruatis prætextu alicuius priuilegij, incidere in excommunicationem, & alias pœnas decreti Clementis VIII. secus tamen, si simpliciter absque vllo prætextu id faciat, modò non agat præsumptuosè, nam ad incurrendas pœnas decreti, necessaria est præsomptio in absoluente. Ita Diana 3. *part. tract.* 4 *resol.* 73.

DVB. V.

Quis possit directè absoluere à casibus reseruatis per generalem delegationem.

1 Dico primò, quis possit per generalem delegationem ab homine, aut ex consuetudine, non potest dari certa regula: nam hoc pertinet ad factum, quare videnda sunt, & attente consideranda eorum priuilegia, & iuxta illa, & ea quæ superius dicta sunt, & inferius dicenda, absoluant.

2 Dico secundò, à iure data est primò facultas absoluendi ab excommunicatione ob percussionem Clerici, si leuis sit, vt docent Doctores, in huius excommunicationis explicatione, vt inter recentiores. Sayrus *in thesaur. lib.* 3. *cap.* 28. Barbos. *de iur vniu. lib.* 1. *cap.* 39. §. 1. *in fin. de offic. & potestat. Episcop. allegat.* 41. & Bonacin. *tom.* 3. *de censur. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 6.

punct.6. sect.5. Conceditur etiam Episcopis à Trident. *sess.14.cap.6 de reserm.* quod sequitur facultas, *Liceat Episcopis,&c. Et in quibusdam casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua, per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari, idem & in hæresis crimine, & in eodem foro conscientiæ, eis tantum, & non eorum Vicariis sit permissum.* At quia de hac latè facultate dixi in Decalogo *lib.1. cap.3. dub.4.* ideo breuiter illam percurram, igitur dico, posse Episcopum absoluere à casibus Pontifici reseruatis, si occulti sint: quod procedit etiamsi casus sint in Bulla Cœnæ reseruati, vt dixi *loco cit.*& cum aliis tenet Villalobos 1.*part. tract.9. diff.61.num.5.in fin.* modò sint occulti, excepta hæresi, quia facultas ab ea absoluendi à Tridentino concessa, derogata est secundum probabiliorem sententiam per Bullam Cœnæ Domini, vt tenet Villalobos *sup. num.3.* & dixi in Decalogo *loco cit. num.11.12.* procedit etiam, etsi casus, seu peccatum sit commissum post Tridentinum, vt docet Nauarr. *consil.10.de priuileg.lib.5.* & Villalobos *sup diff.6n. num.4.* quia Concilium generaliter concedit dictam facultatem; nulla facta mentione reseruationum præteritarum, aut futurarum. Occultus autem casus dicitur, quando peccator non laborat infamia, etiamsi aliquibus notum sit, vt dixi *dict. dub.4.n.8.* & docent Nauarr. *cap.27.num.254.& 255.* Per subditos intelliguntur vagi, scholares, mercatores, peregrini, item Religiosi exempti, si Episcopo quoad hoc subiiciantur in hoc foro de licentia sui superioris: per Episcopum autem intelligitur electus, & confirmatus. Item Capitulum Sede vacante, non autem alij inferiores Episcopo, etiamsi habeant iurisdictionem Episcopalem, vt existimat Suarez *disp.30. sect.2.num.6.* ex declaratione Congregationis apud ipsum. Nec Prælati Religionum id possunt ea vi Concilij, sed ea aliis priuilegiis, iuxta quæ Prælati Religionum quæ communicant priuilegia Ordinis Prædicatorum possint vti facultate Episcopis à Trident *sess.24. c.6.* concessa in fratres, & moniales sui Ordinis secundùm concessionem factam à Pio V. constitutione, quæ incipit, *Rom. Pont.* quam cum Rodriguez refert Villalob.*sup.diff.60.n.3.* Item Religiosi qui communicant priuilegia Societatis Iesu, si ab Ordinario approbati fuerint, absoluere possunt omnes fideles vtriusque sexus ad eos venientes ab omnibus casibus Sedi Apostolicę reseruatis, excepta contentis in Bulla Cœnæ Domini, prout concessit Paulus III. in Bulla quæ incipit, *Inter cunctas*, anno 1545. quam refert Rodrig. *ad fin. Bullæ Cruciat.* & Villalob. *sup diff.60.n.9.* qui *num.10.& diff.54.n.2.* aduertit cum Ioann.de la Cruz, *lib.2. cap.6. dub.5.* etsi hoc priuilegium loquatur generaliter de omnibus fidelibus, non tamen intelligi de Religiosis, nec ad eos se extendere, nec esse inter illos in vsu: quia Religiosi secundùm eorum statuta, ac priuilegia non possunt absolui, nisi cum licentia suorum superiorum, aut ratione alicuius indulti certi, ac clari.

3 Habent etiam Religiosi aliquas concessiones absoluendi à reseruatis. Clemens enim IV. vt habetur in Compendio, *verb. Absolutio quoad fratres*, & refert Villalobos 1.*part. tractat.9. diff.61. numer.5. versic. Los Religiosos*, concessit Generalibus, Prouincialibus, eorumque Vicariis, ac Custodibus, vt in ipsorum Prouinciis, ac Custodiis absoluere possint ibi habitantes, aut hospitantes à quacumque excommunicatione, interdicto, & suspensione incursa ante, vel post ingressum Religionis, siue à iure, siue ab homine impositæ fuerint; simulque possint dispensare in irregularitate contracta ex eo quod celebrarunt ligati aliqua censura: nisi adeò grauis fuerit, & enormis excessus, quòd sint ad Sedem Apostolicam meritò destinandi, vt si fuerint relapsi, aut schismatici, aut falsificantes litteras Apostolicas, ferunt vè arma prohibita ad infideles, prout declarauit Sixtus IV. vt habetur in Compendio *vbi sup. num.13.* Aliam huic similem concessionem habent Religiosi Ordinis Prædicatorum, & Carmelitarum, vt refert Villalobos. Possunt etiam prædicti Prælati, suos subditos absoluere à casibus Bullæ Cœnæ in foro conscientiæ, iuxta Breue quoddam concessum à Gregor. III. Generali Ordinis Minorum quoad suos subditos, & subditas, & antea Iulius II. concesserat fratribus Ordinis Prædicatorum, vt absolui, dispensarique possint per suos Prælatos in casibus dictæ Bullæ Cœnæ, excepto peccato conspirationis contra Summum Pontificem, & illis, propter quos Sixtus IV. voluit, recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, de quo latè Fr. Manuel Rodrig. *tom.1.quæst.20.art.9.* Et dictam authoritatem in foro exteriori habent Prouinciales Indiæ Occidentalis, respectu suorum subditorum, qui deputati sunt ad conuersionem Indiarum, prout concessit Adrianus VI. anno 1521. ad petitionem Caroli V & Gregorij XIII. Concessit idem Custodibus Indiæ Orientalis in foro conscientiæ, excepto crimine hæresis, & conspirationis in Papam & iniectionis manus violentæ in Prælatos, & falsificationis literarum Apostolicarum quas concessiones, & facultates refert Rodrig. *in Bulla pag.999. colum. 1.* Aliud indultum concessum ab Alexand. VI. refertur in compendio, & à Villalob. *vbi sup.* quod ita habet: Concessit omnibus, & singulis Prælatis Ordinis Minorum de Obseruantia (scilicet Generalibus Prouincialibus, & Custodibus) plenariam facultatem, & authoritatem quoscumque subditos suos, fratres videlicet, & Moniales S.Claræ, ac vtriusque sexus Tertiarios inuenerint in aliquo hæresis, vel apostasiæ crimine lapsos, ac etiam relapsos, possint eos absoluere, ac cum eis dispensare. Aduertit Villal. *supra diff.61.in fin.* his concessionibus, & facultatibus posse vti eos, qui existimant facultatem absoluendi ab hæresi, & à casibus Bullæ Cœnæ concessam Episcopis à Trident. *sess.24. cap.6.* aut aliis habentibus priuilegium ab illis absoluendi, non esse derogatum per clausulam Bullæ Cœnæ, qua derogantur concessiones, & priuilegia absoluendi à casibus ibi contentis; non verò secundum eos, qui putant esse per dictam clausulam derogatoriam, & prohibitiuam, derogatum dictis priuilegiis, ego autem censeo, saltem facultatem absoluendi ab hæresi illis concessam, esse derogatam per clausulam Bullæ Cœnæ, sicut derogatur facultati ab ea absoluendi, per Trident. Episcopis concessa.

4 Nec posse non Prælatos regulares, etiamsi sint Generales, absoluere suos subditos, etiam in foro conscientiæ in Hispania, vt ex constitutione Pij V. & declaratione Cardinalium probaui in Decalogo *lib.1.cap.3. dub.4.num.5.*

5 Dico tertiò, habens Bullam Cruciatæ potest eligere confessarium, qui eum directè absoluat à peccatis reseruatis Episcopo toties quoties, & à reseruatis Sedi Apostolicæ, etiam à contentis in Bulla Cœnæ Domini (excepta hæresi) semel in vita, & iterum in articulo, vel periculo mortis, vt abundè dixi in eius expositione *lib.1.§.7.cap.2* per totum.

6 Dico quartò, si Episcopi inciderent in casus Papæ reseruatos, à quibus ipsi possunt absoluere, iuxta concessionem Trid. *sess.24.c.6.* possunt absolui ab eis directè per suos confessarios cum eadem facultate,

cultate, & authoritate, quia ipsi Episcopi possunt suos subditos absoluere Ita Suar. *disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 11. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 287. Villalobos 1. *part. tract.* 9. *diff.* 60. *num.* 8. & alij, & dixi *supra hoc cap. dub.* 4. *numer.* 3. sicque declaratum esse à sacra Congregatione referunt Doctores, non enim Episcopi in hoc debent esse peioris conditionis, quàm ipsorum subditi.

7 Quæres, an Religiosi Ordinis mendicantium absoluere possint ex vi iuris communis à reseruatis Episcopo. Respondeo negatiuè, ita Nauarr. *cap.* 27. *num.* 266. Suarez *disp.* 10. *sect.* 2. *num.* 16. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 287. Villalobos 1. *part. tract.* 9. *diff.* 62. *num.* 1. Sotus, & alij apud citatos. Addit Villalobos, nec vigore moria magni id facere possunt, iuxta quandam declarationem Cardinalium, de qua Suarez *vbi sup.* nam id eis prohibetur in decretis Clem. VIII. in Bulla quæ incipit: Sacra Congregatio, apud Quarantam, *verb. Casus reseruatus*, & Pij V. quod incipit: Possunt tamen ab iis absoluere ex priuilegio Pauli III. (de quo supra) concesso Societati Iesu, quo gaudent Religiosi Mendicantes, & propter alia priuilegia, de quibus Rodriguez *in Bulla* §. 9. *num.* 132. qui idem sentit: huius etiam opinionis sunt Suarez, & Villalobos *supra*, Fr. Ioann. de la Cruz *de priuileg. Religios. fol.* 121. Pottel. *verb. Casus reseruatus*, & Villalobos *supra*, vbi existimat talem facultatem. Non tamen poterunt Religiosi vti his priuilegiis erga sæculares, nisi ij habeant Bullam Cruciatam (intellige in locis vbi illa conceditur) vt dixi in eius expositione *lib.* 9. §. 9. *dub.* 1. *num.* 8 *&* 9. Aduertendum tamen, sacram Congregationem Cardinalium sub die 18. Nouembris 1628. ex mandato Vrbani VIII. derogasse priuilegiis regularium absoluendi à casibus reseruatis Episcoporum, etiamsi extarent extra Italiam, vt refert Diana 2. *part. tract.* 17. *resol.* 30. qua declaratione regulares non poterunt per sua priuilegia absoluere à reseruatis Episcoporum: poterunt tamen ratione Cruciatæ, sicut possunt alij confessarij sæculares.

8 Quæres etiam, an qui obtinuit à Sede Apostolica priuilegium absoluendi ab omnibus censuris & casibus reseruatis, possit absoluere à censuris in Bulla Cœnæ contentis, & à casibus Episcopo loci reseruatis. Negatiue respondet Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. § 2. *num.* 14. Fundamentum est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis in specie verisimiliter concessurus, iuxta regulam 18. *iuris in* 6. tum quia sic decreuit Clemens VIII. in Bulla supra citat. vbi Summus Pontifex sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, aliisque grauissimis pœnis priuationis officij, &c. præcipit, ne quis extra articulum mortis, prætextu cuiuscumque priuilegij absoluat à casibus in Bulla Cœnæ contentis, & ab excommunicatione contracta ob percussionem Clericorum, vel ob violationem clausuræ monialium ad malum finem, vel ob violationem immunitatis Ecclesiæ, vel ob prouocationem ad pugnam in duello, vel ob simoniam realem scienter contractam, vel ob confidentiam beneficialem. Addit ipse Bonac. *num* 13. per hoc decretum non esse reuocatam facultatem Episcopis concessam in Trident *sess.* 24 *cap.* 6. ego addo etiam; nec esse reuocatam facultatem absoluendi à reseruatis concessam in Bulla Cruciatæ, vide in eius expositione, vbi dixi, Bullam non reuocari per Bullam Cœnæ *lib.* 1. §. 1. *dub.* 13. idem quod à Clem. VIII. statutum est, prius fuerat sancitum ferè, & sub eisdem pœnis à Sixto IV. in extrauag. quæ incipit: *Etsi Dominicum, de pœnit. & remiss* Requiritur ergo, vt in concessione facultatis fiat mentio specialis casuum Bullæ Cœnæ, vt ab eis possit absolui; etenim cum ij casus specialiter reseruentur, consequenter fit, desiderari specialem expressionem in facultate absoluendi ab eis. Suarez *de censuris disp.* 21. *sect.* 1. *num.* 1. *&* *disp.* 7. *sect.* 5. *num.* 11. Sanchez in Decalog. *lib.* 2. *cap.* 12. & alij apud Bonacin. *de censuris tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 1 *punct.* 1. *num.* 12.

9 Obtinens autem à Pontifice facultatem absoluendi ab omnibus censuris, etsi non possit absoluere à contentis in Cœna Domini, nisi exprimerentur, posse tamen ab aliis absoluere Pontifici reseruatis; aliàs enim priuilegium redderetur inutile, cùm à censuris non reseruatis quilibet approbatus absoluere possit. Ita Azor. 1. *part. lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 12. Emanuel Sà *verb. Absolutio, in fin.* & Bonacin. *supra num.* 11. contra Suarez *supra disp.* 7. *sect.* 5. *num.* 13. Requiritur etiam, vt in concessione Pontificis Generali absoluendi à censuris, & casibus reseruatis, fiat specialis mentio casuum reseruatorum Episcopis, vt ab eis possit rigore talis facultatis absolui, Suarez *vbi supra num.* 13. Nauarr. *in manual. cap* 27. *num.* 261. *& in cap. quorundam de Iudæis*, *notab.* 11. *num.* 71. & cum aliis Bonacin. *vbi sup. num.* 10. quia dum Pontifex condit aliquam legem, non intendit derogare statutis, & consuetudinibus particularibus locorum, *cap.* 1. *de constitut. in* 6. tum etiam, quia Clemens VIII. in præcitata Bulla decreuit, ne vllus prætextu cuiuscumque priuilegij absoluat à casibus reseruatis Episcopo.

10 Quæres tertiò, vtrum obtinens facultatem absoluendi à casibus reseruatis, possit etiam absoluere à censuris reseruatis. Respondeo, si hæc facultas sit ab Episcopo concessa, non posse, nam casus & censuræ apud Episcopum sunt res distinctæ, & diuersæ, & à diuersis non fit illatio: si autem sit à Summo Pontifice, poterit etiam à censuris absoluere, nam peccata Pontifici reseruata censentur illi reseruata solùm ratione censuræ; ergo &c. aliàs enim priuilegium redderetur inutile. Nauarr. *cap* 27. *num.* 261. Suarez *dict. disp.* 7. *sect.* 4. *num.* 12. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. Bonacina *loco citat. num.* 14. & alij apud Sayrum *in Claui lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 5.

11 Quæres quartò, an habens facultatem absoluendi à reseruatis per spatium alicuius temporis, v.g. quindecim dierum, vt fit tempore iubilei, possit absoluere pœnitentem, qui intra illos quindecim dies commisit aliquod reseruatum. Respondeo affirmatiuè, quia toto illo tempore durat facultas absoluendi à reseruatis, modò pœnitens habeat animum præstandi ea, quæ sunt necessaria ad comparandum iubileum. Ita cum aliis Henriq. *lib.* 1. *de pœnit. c.* 16. *n.* 5. *&* *lib.* 7. *c.* 65. *n.* 6. & Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 2. *n.* 16. Quod ob eandem rationem procedit, etiamsi spe absolutionis peccatum commiserit, & occasione priuilegij liberiùs se præcipitauerit. Henriquez *sup.* & alij, quos adduxi in Decalogo, vbi de commutatione votorum, & in expositione Cruciatæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 7. *dub.* 2. *numer.* 4. & latiùs §. 1. *dub.* 9. *per totum*. An autem quando iubileus conceditur obtinendus in vna ex duabus hebdomadibus, possit absolui à reseruatis in secunda hebdomada, lucrando iterum iubileum, variant Doctores. Affirmat Henriquez *lib.* 3. *cap.* 16. *numer.* 3. *&* *lib.* 7 *de indulg. cap.* 11 *num.* 1. Reginald. Nauarr. Graffis, Rodriq. & alij apud Bonacin *sup. num.* 17. quia versamur in materia fauorabili, nulli perniciosa, & quia in iubileo non exprimitur, vt quis vna tantùm vice possit absolui à reseruatis commissis, nondum transacto iubileo. Tum quia qui non curauit tempore iubilei, eo durante, vota commutare, potest illorum commutationem, obtinere, vt dixi

dixi in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *capit.* 3. *dub.* 9. *num.* 6. Negant autem Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 54. *num.* 30. & Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de voto, cap.* 16. *num.* 17. quorum sententiam existimat probabiliorem Bonacina *sup.* nam iubileum lucrari non potest quis in duabus hebdomadibus, quia forma iubilei concessi est disiunctiona, id est, pro prima, aut secunda hebdomada, & non copulatiua, aut indefinita, quod indicant illa verba, *pro hac vice tantùm*, ideoque talis concessio non potest extendi, quia id verba non patiuntur. Nec est eadem ratio de votis non commutatis tempore iubilei; nam ideo hæc vota possunt commutari postea, quia obtinens iubileum acquisiuit ius ad commutationem votorum ante illius impletionem emissorum; non verò ad obtinendam absolutionem casuum reseruatorum; in quos pœnitens incidit post consecutionem iubilei; sicut nec acquisiuit ius ad commutanda vota, quæ adepto iubileo emisit: hoc tamen pro certo habeo, comparantem iubileum posse sæpius absolutionem reseruatorum obtinere aut illius consecutionem intra tempus concessum ad illum comparandum, quia absolutio reseruatorum contractorum necessaria est, vt obtineatur iubileus, cùm ad iubilei consecutionem prærequiratur confessio. Quòd non contingit in reseruatis post adeptionem iubilei commissis. Bonacina *loco citat.* Certum etiam existimo eum, qui tempore iubilei ritè, & rectè confessus est, animo cætera præstandi, & virtute illius absolutus est à reseruatis, liberum esse à reseruatione peccatorum etiam oblitorum, si postea mutato animo, cætera non adimpleuit, vt cum Henriquez, Sanchez, & Suarez dixi in expositione Cruciatæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 10. & cum aliis tenet Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 16. Ratio est, quia vero animo subiecit se ei, qui voluit, & potuit absoluere: & cùm hæc absolutio fit directa, & absoluta, & non ad reincidentiam; hinc fit, vt non reincidat in eandem reseruationem; peccabit tamen grauiter, si postea sine vlla causa omittat, quia illud est in fraudem, vt existimat Suar. *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 5. Probabile tamen est, non peccare grauiter, vt existimant Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 16. *num.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de matrim disp.* 55. *num.* 14. & *disp* 43. *num.* 9. & in Decalogo *lib.* 4. *c.* 50. & Bonacina *sup.*

DVB. VI.

An absolutus ab habente facultatem directè absoluendi à reseruatis, maneat absolutus à reseruatis oblitis.

1 NOta, posse aliquem absolui à reseruatis, aut à superiore habente ordinariam potestatem ab iis absoluendi, aut ab habente potestatem delegatam; aut ratione alicuius priuilegij, vt virtute Bullæ, aut alicuius iubilei.

2 Dico primò, quando quis confessus est cum superiore, aut cum delegato habente facultatem absoluendi à reseruatis, v. g. ratione Bullæ, aut tempore iubilei, & oblitus est alicuius reseruati, manet ab eo absolutus, modò tamen habuerit intentionem, saltem virtualem, illud peccatum confitendi, & ab illo absolutionem obtinendi, aut gaudendi priuilegio, siue absoluens sit ipse superior, siue alius habens facultatem sibi delegatam per Bullam aut iubileum, modò etiam confessarius habuerit intentionem absoluendi etiam à reseruatis. Ita Suarez *disp.* 31 *sect.* 4. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 1. & dixi in expositione Cruciatæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 3. *num* 4. 5. & 6. Ratio est, quia hic pœnitens fecit quod in se est moraliter, & præsentauit se superiori, aut habenti facultatem absoluendi à reseruatis, qui habuit intentionem relinquendi illum liberum, quantum potuit: quo in casu sequitur, pœnitentem remanere absolutum à censuris, & peccatis reseruatis, cùm eadem in vtrisque sit ratio. Ita Emanuel Sà *verb. Confessio, num.* 5. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 16. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 13. Suarez *sup. sect.* 3. *num.* 14. Coninch. *disput.* 8 *dub.* 12. *dub.* 93. & cum aliis Bonacina *sup. num.* 2. ac Villalob. 1. *part. tractat.* 9. *diff.* 56. *num.* 3. Procedit hæc conclusio in omni confessione, quamuis sit informis, modo sit valida quoad substantiam, & non quoad fructum, vt docet Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 10. *numer* 313. Sylu. *confess. quæst.* 19. Caietan. *verb. Casuum reseruatio.* Nauarr. *cap.* 26. *numer.* 13. & Bonacina *sup. num.* 8. quia est vera confessio, vt dixi *sup. cap.* 6. *dub.* 6. Quid si confessio sit inualida? Infra. Hinc fit, sic absolutum, quando recordatur peccati reseruati, posse illud confiteri cum quolibet approbato, quamuis non habeat facultatem absoluendi à reseruatis, quia fuit ablata reseruatio; non tamen poterit illud confiteri cum simplici Sacerdote non approbato, aut non habente iurisdictionem circa mortalia, sed tantùm circa venialia, vt probaui *loco. citat. Bullæ, num.* 7. quia peccata oblita remittuntur cum obligatione, vt cùm memoriæ occurrant, iterum clauibus Ecclesiæ, & iurisdictionem habenti subiiciantur tempore præcepti.

3 Dixi, *modò pœnitens habuerit intentionem, saltem virtualem, confitendi reseruata, & confessarius absoluendi à reseruatis*: nam si confessio fiat modo communi, & ordinario, scilicet absque intentione absoluendi à reseruatis, tam ex parte pœnitentis, quàm confessoris, tunc non tollitur reseruatio peccati obliti, quia non est satisfactum intentioni reseruantis, quæ est, vt ad obtinendam eorum absolutionem, fiat aliqua eorum mentio, saltem in genere; aliter enim idem est, ac si fuisset absolutus ab inferiore, iuxta communem modum absoluendi sine vllo respectu, & ordine ad peccata reseruata. Bonacin. *supr. numer.* 4. Vasquez *quæst.* 1. *artic.* 3. *dub.* 5. *numer.* 10. & dixi *loco citat. Bullæ, numer.* 6. Sufficere tamen videtur intentio virtualis absoluendi à reseruatis ex parte Sacerdotis habentis ad id potestatem, & ex parte pœnitentis petentis virtualiter ab eis absolui, vt dixi *loco citat.* & tenet Coninch. *dub.* 12. *cit. ad fin.* & dicit Bonacina *sup.* posse sustineri non improbabiliter. Tum quia multi Doctores absolutè putant, reseruationem oblitorum tolli, quoties pœnitens bona fide confitetur habenti facultatem ab eis absoluendi. Tum quia etsi pœnitens non petat explicitè, nihilominus censetur implicitè, & interpretatiuè petere absolutionem reseruatorum, quatenus accedit ad confessarium, ad hoc vt quantum fieri possit, absoluatur, & à peccatis omni modo sibi vtili, & possibili liberetur; quam intentionem habere pœnitentes præsumendum est, quoties non constat de contraria intentione: similiter ex parte absoluentis videtur sufficere voluntas, seu intentio implicita, & virtualis, seu interpretatiua; nam supposito quòd habeat facultatem absoluendi à peccatis reseruatis, censetur velle pœnitenti consulere, ipsumque à peccatis liberare, quantum licitè potest; quod præsumendum est semper, & quotiescumque non habuerit contrariam intentionem, consequenter censendum est velle reseruationem tollere; quod etsi probabile sit, tutius tamen est, ac consulendum, vt pœnitens dum confitetur

fitetur confessario habenti facultatem absoluendi à reseruatis, aut quando absoluitur virtute Bullæ, iubilæi, aut alterius priuilegij, petat absolutionem à reseruatis, & à censuris ad cautelam; tunc enim manet absolutus à reseruatis, & censuris, si fortè iis innodatus existat, quia confessarius præsumitur habere intentionem absoluendi iuxta intentionem pœnitentis. Hinc fit manere liberum à reseruatis oblitis pœnitentem, si superior intendat illum absoluere, iuxta plenitudinem suæ facultatis, seu quantum potest: & quando confessarius intendit absoluere virtute Bullæ, iubilæi, aut alterius priuilegij; nam sic censetur absoluere iuxta facultatem sibi in Bulla, aut iubileo concessam. Contra verò, non manet à reseruatis oblitis absolutus pœnitens, quando confessarius nullo modo habuit intentionem absoluendi à reseruatis; nam forma absolutionis non operatur vltra intentionem proferentis; & actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, *l. non omnis. ff. de rebus creditis. & cap. fin. de prebend.* Bonacina *sup. num.* 16.

Difficultas tamen est, an per confessionem inualidam, & nullam remittantur peccata reseruata.

4 Respondeo, & dico secundò, per confessionem factam superiori habenti facultatem ordinariam circa reseruata, si confessio est nulla, aut irrita, eo quòd scienter omisit aliquod mortale, aut quia sine dolore aliquo confitetur, aut ob aliam causam, certum est, nulla peccata remitti quoad culpam, quia nulla est confessio; tollitur autem reseruatio eorum, quæ confessus est, si confessio fiat extra iubileum. Ita Caiet. *verb. Casus reseruatus.* Sylu. *confessio 2. quæst.* 19. Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 9. Henriquez *lib.* 6. *cap* 16. *num.* 5. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 9. & dixi in expositione Cruciatæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 3. *num* 9. & tenet etiam Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 311. ac Villalobos 1. *part. tract.* 9. *diff.* 36. *num.* 2. Ratio est, quia ex eo quòd pœnitens comparuit coram superiore, eique confessus est reseruata, videtur satisfecisse suæ obligationi, & cum reseruatio possit tolli absque confessione, fit inde, in hoc casu tolli reseruationem peccatorum confessorum; quod procedit propter eamdem rationem, quamuis absoluens solùm habeat potestatem delegatam absoluendi à reseruatis, v. g. si absoluat ratione Bullæ à reseruatis, vt cum Suarez, & aliis dixi in Bulla *loco cit.* & Bonacina *vbi sup.* Et roboratur, quia cùm hoc à multis Doctoribus asseratur, & superiores non contradicant, censentur approbare, & consentire, & supplere iurisdictionem; nam vt dixi cap. superiore, opinio probabilis dat iurisdictionem. Deinde, quia ratione Bullæ potest absolui ab Excommunicatione Papæ reseruata extra confessionem; ergo potest per eam tolli reseruatio, quamuis confessio sit nulla. Non autem per dictam confessionem tolluntur reseruata omissa, aut oblita, vt tenet Suarez *sup. numer.* 22. Filliucius *loco cit.* & dixi in Bulla *vbi sup.* quia cùm Sacramentum sit irritum, non se extendit, nec indirectè quidem, ad oblita, eo quòd per tale Sacramentum peccata etiam directè confessa non remittantur; etenim confessio irrita ita se habet, ac si non esset confessio. Limitari tamen potest, nisi pœnitens habeat animum, & intentionem expressam confitendi, & subiiciendi absolutioni non solùm reseruata, quorum recordatur, sed etiam ea omnia, si recordaretur. & confessarius absoluit absolutè expressè confessa, & sub conditione oblita, dicens *si fortè alia reseruata incurristi*; tunc enim ab omnibus censetur absolutus, & sufficit postea, illa peccata, quando occurrunt memoriæ, & præcepti tempus ingruerit, cuilibet approbato confiteri; quo modo intelligendi sunt Henriquez *sup.* & Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ *disp.* 1. *c.* 3. *dub.* 12. *num.* 13. vt dixi in Bulla *loco cit.*

5 Dixi, *extra iubileum*, nam qui iubilei tempore inualidè confitetur, si non habeat animum cætera præstandi, non manet liber adhuc à reseruatione peccatorum, quæ confessus est. Ita Bonacin. cum aliis *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 9. & dixi in Bulla *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 6. nam facultas data in iubileo conceditur in ordine ad consequendum illud, ad quod requiritur confessio; at irrita confessio non est vera confessio. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 309. & 313. Poterit tamen hic, qui inualidè confessus est, iterum tempore iubilei validè confiteri, & sic à reseruatis absolui, vt dixi à simili in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 8. de eo, qui intra annum publicationis inualidè confessus est.

6 Dico secundò, ille, qui tempore iubilei ritè, & rectè confessus est, animo cætera præstandi, & virtute illius absolutus est à reseruatis, liberatur à reseruatione etiam peccatorum oblitorum, etsi postea cætera non adimpleuerit; peccabit tamen, si illa non adimpleat. Ita Henriquez, Sanchez, Suarez, quos secutus sum in expositione Bullæ *sup. num.* 10. Ita etiam cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5 §. 5. *num.* 17. & Villalobos 1. *part. tractat.* 9. *diff.* 56. *num.* 5. Ratio est, quia subiecit se cum vero animo ei, qui potuit, & voluit absoluere: & cùm hæc absolutio sit absoluta, & non ad reincidentiam, hinc fit, vt non reincidat in eandem reseruationem. Quòd autem peccet, patet, quia mutando voluntatem agit in fraudem, & contra pactum virtuale inclusum in tali facultate. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 10. *num.* 309. quo in casu eum peccare grauiter existimat Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 5. Probabile tamen est, hunc non peccare grauiter, vt docent Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 16. *num.* 6. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disp.* 43. *num.* 9. & in Decalogo *lib.* 4. *cap.* 54. & cum iis Bonacin. *supra numer.* 18. quia hic nulli grauem facit iniuriam sed tantùm sibi nocet.

DVB. VII.

An superior auditis solis reseruatis possit ab iis sacramentaliter absoluere, & committere reliqua inferiori.

1 Certum est posse superiorem, aut delegatum habentem facultatem circa reseruata, tollere reseruationem absque sacramentali confessione, non enim hoc implicat, nec repugnat reseruationi, vt docent Coninch *disp* 8 *dub.* 12. *num.* 84 Reginald. *lib.* 8. *numer.* 77. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14. *numer.* 10. & Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 3. *num.* 3. Quæstio ergo est, an superior possit subditum sacramentaliter absoluere, auditis solis reseruatis, remittendo quoad alia illum ad inferiorem confessarium.

2 Respondeo, & dico primò, si superior audiat reseruata, & non reseruata, tenetur sacramentaliter absoluere pœnitentem aliàs benè dispositum, vt docent communiter Doctores citandi. Ratio est, quia pœnitens est dispositus quoad omnia, vt supponitur, & non potest obligari, vt idem peccatum confiteatur denuò.

3 Dico secundò, sine causa rationabili non potest superior audire solùm reseruata, & absoluere ab iis sacramentaliter, & pro aliis remittere pœnitentem

ad

ad inferiorem confessarium. Sylu. *verb. Confessio* 1. *quæst.* 9. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14. *& cap.* 15. *num.* 4. Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 2. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 3. *num.* 1. Ratio est, quia integritas omnium peccatorum est de iure diuino, vt dixi *hoc lib. cap.* 6. *dub.* 3. *num.* 7. ideo sine causa rationabili non potest omitti, consequenter fit, talem confessionem non esse validam, nec sacramentalem: cum causa tamen rationabili potest id superior facere. Ita citati, & Filliucius *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 30. Ratio est, quia tunc ex parte pœnitentis est integra formaliter, & ex intentione, & sicut aliquando ex parte pœnitentis potest ex causa liberè dimidiari, ita ex parte confessarij, vt in dicto casu. Quo in casu superior sacramentaliter absoluit, & tale Sacramentum confert pœnitenti attrito primam gratiam, absoluitur que pœnitens directè à reseruatis; indirectè verò à non reseruatis, cum obligatione hæc confitendi inferiori: sicut in communibus confessionibus peccata oblita indirectè remittuntur cum obligatione ea confitendi, cùm in memoriam venerint, instante confessionis præcepto. Ita citati contra Syluest. *verb. Confess.* 1. *numer.* 19. existimantes talem absolutionem non esse sacramentalem, & ex parte contra Nauarr. *de pœnitent. disp.* 5. *cap. consideres.* §. *cautus num.* 19. vbi existimat absolutionem esse quidem sacramentalem, sed gratiam conferre solum in secunda absolutione, quæ datur ab inferiore, nam existimat ex vtraque absolutione perfici vnum Sacramentum; sicut ex pluribus vnctionibus, & partialibus formis vnum fit Sacramentum extremæ vnctionis. Verior tamen videtur nostra sententia, nimirum per talem absolutionem conferri gratiam, si adsint omnia alia requisita, cùm confessio, etsi non materialiter, formaliter tamen est integra: ex quo fit aum, qui obtinuit priùs à superiore absolutionem pro reseruatis, & deinde aliam obtinet ab inferiore pro non reseruatis, recipere duplex Sacramentum, & duplicem effectum, vt consequenter docet Suar. *sup. sect.* 1. *num.* 9. Fit etiam inde, quamuis verum sit, confessionem per se loquendo faciendam esse integrè vni, per accidens tamen fieri potest multis modo explicato.

4 An autem communis, & ordinaria multitudo, & occupatio negotiorum sit sufficiens causa, ad hoc vt superior Prælatus possit sacramentaliter absoluere à reseruatis tantùm, affirmant Nauarr. Caietan. Sotus, & alij apud Suarez *disput* 31. *sect.* 3. Victoria tamen, & alij apud eundem Suarez *sup. n.* 2. & probabilius quidem, id negant, quia possunt Prælati auferre reseruationem non absoluendo sacramentaliter, sed imponendo pœnitentiam, & medicinam; & committendo confessionem totam inferiori, vel delegando aliis iurisdictionem suam, & ex alio capite confessiones hæ non solent esse adeò frequentes. Attamen si adesset verum impedimentum ex parte superioris, ita vt non posset totam confessionem audire, & non expediat facultatem alteri delegare; posset tunc absoluere sacramentaliter à reseruatis, & reliqua committere inferiori, vt benè Suarez *loco citat.* & cum eo Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 301. qui *num.* 305. addit, etiamsi superior non possit absoluere à solis reseruatis absque causa, vt dictum est *num.* 3. tamen si id faciat, factum teneat, modò pœnitens bona fide procedat, reputans id fieri posse ex probabili saltem opinione, quando non adesset apparens causa, & sit quoad cætera dispositus; quia, ait, concurrunt omnia essentialia ad valorem Sacramenti, & illa confessio formaliter & ex intentione est integra. Cuius sententia cum dictis modificationibus videtur mihi valde probabilis.

5 Sed quæres, an pœnitens, casu quo absolutus fit à reseruatis tantùm à suo superiore, teneatur postea inferiori Sacerdoti manifestare peccata non reseruata, & etiam reseruata, à quibus à superiori fuit absolutus. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. *& lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 5. Caiet. & alij affirmant, eo quòd confessio integrè sit facienda vni Sacerdoti. At Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 10. Coninch. *disp.* 8. *dub.* 1. *num.* 80. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 3. *num.* 4. tenent, & meritò quidem, solum teneri confiteri inferiori peccata non reseruata: tum quia à reseruatis legitimè, & directè coram Deo, & Ecclesia fuit absolutus à superiore; & sicut in aliis casibus, in quibus pœnitens licitè, & ex iusta causa dimidiat confessionem, iuxta dicta *supra hoc lib. cap.* 6. *dub.* 7. non tenetur repetere peccata, ritè confessa, à quibus directè fuit absolutus, ita in nostro casu. Tum quia sicut ille, qui iusta de causa fuit absolutus ab inferiori, non tenetur omnia peccata aperire superiori, sed tantummodo reseruata, eo quòd non sit obligatio bis subiiciendi eadem peccata in confessione, vt benè docet Nauarr. *cap.* 9. *num.* 7. & alij communiter; ita qui confessus est peccata reseruata superiori, ab eoque sacramentaliter fuit absolutus, non tenetur peccata reseruata iterum inferiori aperire.

D V B. VIII.

An in aliquo casu possit inferior directè, aut saltem indirectè absoluere à casibus reseruatis.

1 Loquimur secluso priuilegio, aut Bulla Cruciatæ, & extra articulum, vel periculum mortis; nam de absolutione, & facultate absoluendi à censuris reseruatis, ac peccatis in eo articulo, & periculo, dixi abundè in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. & in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *capit.* 2. *dub.* 5. vide ibi.

2 Dico primò, confessarius, qui non habet facultatem absoluendi à reseruatis, non potest præcisa necessitate, & causa rationabili, absoluere in vllo casu pœnitentem à reseruatis directè, aut indirectè, ipsumque mittere ad superiorem, vt à reseruatis directè absoluatur. Ita Suar. *disput.* 31. *sect.* 2. *num* 3. Coninch. *disput.* 8. *dub.* 9. *num.* 103. & cum aliis Bonacina contra Nauarr. *de pœnitent. dist.* 5. §. *cautus, num.* 12. 13. *& seqq.* Caiet. *verb. Confessio. condit.* 10. & alios apud Bonacinam *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 3. *numer.* 5. existimantes id facere posse, modò pœnitens non sit obstrictus excommunicatione reseruata: nostra tamen sententia verior, & tenenda. Et quidem quòd non possit directè absoluere à reseruatis, patet ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. vbi solùm excipitur articulus mortis: exceptio autem firmat regulam in contrarium in aliis casibus. Et confirmatur, quia extra casum necessitatis inferior confessarius caret iurisdictione circa reseruata, & constat ex supradictis; ergo absolutio tunc data est nulla: aliàs enim frustranea, & inutilis esset reseruatio. Quòd autem in hoc casu non possit nec indirectè absoluere à reseruatis, probatur, quamuis non sit casui adnexa excommunicatio. Tum quia integritas confessionis est de iure diuino, & non debet omitti sine cogente necessitate, vt dixi *hoc lib. cap.* 6. *dub.* 37. At non est integra, quando fit inferiori non habenti potestatem circa reseruata, seclusa necessitate; nam licet sit accusatio peccatorum, non tamen sit coram legitimo iudice; ergo sine causa, non potest fieri: tum, quia sequeretur, simplicem

Sacerdotem posse absoluere pœnitentem à Venialibus,& remittere illum pro mortalibus ad approbatum, quod non est admittendum, vt latius *infra, versic. Sed dices.* Nec fauet oppositæ sententiæ consuetudo, quam ipsi allegant; nam vt benè Suarez, *sup. num.* 2. nulla in hac re reperitur. Attamen si id fieret, modò pœnitens esset in bona fide, videlicet, reputans id sibi licere, Sacramentum reciperet recipereque gratiam, vt tenet Nauar. *cap.* 9. *num.* 7. quia est integra formaliter confessio, & in reliquis supponitur bene dispositus: peccaret tamen mortaliter Sacerdos sic absoluens, nisi ignorantia, vel existimatio probabilitatis eum excusaret. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 10 *n.* 303.

3 Dico secundò, si adest rationabilis causa, & superior adiri non potest, inferior confessarius poterit absoluere directè à non reseruatis, & indirectè, ac consecutiue à reseruatis & pro reseruatis mittere pœnitentem ad superiorem seu cum onere, vt postea pœnitens adeat superiorem, vel ab eo facultatem obtineat vt directè à reseruatis absolui possit ab inferiore. Hæc cóclusio est fere certa, & communis, quando casus est simpliciter reseruatus absque excommunicatione. Quòd si adsit excommunicatio reseruata, Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 1. *art* 5. Caietan. *verb. Absolutio*, Valencia, Vasquez, & alij apud Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 3. *num* 8. existimant tunc non posse absolui directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis cum excommunicatione, posse tamen in hoc casu, si adsit scandalum, eo quòd non celebret, aut suscipiat Eucharistiam, se disponere per contritionem, & ita accedere ad Eucharistiam. Probabilius tamen, & forte verius Medina *de confessione*, Henriquez *libr.* 6. *cap.* 15. *numer.* 7. Suarez *disput.* 31. *sect.* 3. *num.* 8. Coninch *disput.* 8. *dub.* 15. *n.* 106. & cum aliis Bonacina *supra*, affirmant absolute id licere in casu necessitatis, vel rationabili causa intercedente, etiamsi casus habeat annexam excommunicationem; cum onere tamen, vt postea, nacta commoditate, sic absolutus adeat superiorem pro absolutione directa à reseruatis, si non habet copiam confessarij, qui ab eis absoluere possit. Ratio est, quia in hoc casu iuxta opinionem Soti, & aliorum pro prima sententia, talis pœnitens ad vitandum scandalum potest se per contritionem disponere, & absque confessione recipere Eucharistiam, quæ est dignius Sacramentum, quam pœnitentia; ergo poterit etiam confiteri, & absolui à reseruatis indirectè, cum iure diuino præmittenda sit confessio ad Eucharistiam: maxime cum excomunicatio non faciat pœnitentem incapacem absolutionis, sed tantum efficit, vt non possit licite absolui à peccatis, quin prius absoluatur ab excommunicatione: ex quo fit, quòd sicut quando adest necessitas, potest hic recipere Eucharistiam, ita etiam posse confiteri, quia eodem præcepto vtrumque est prohibitum excommunicato. Quare tunc melius erit seruare modum ordinarium de iure diuino, nimirum, præmittere confessionem ante communionem, vt bene Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *capit.* 10. *num.* 304. præsumitur enim in tanta necessitate, adesse tacitus Summi Pontificis consensus ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, cum onere præsentandi se superiori: imò in hoc casu existimo, hunc non solùm posse sic suscipere pœnitentiam, sed teneri ad sic confitendum, quando suscepturus est Eucharistiam, nam tenetur ad confitendum ad suscipiendam Eucharistiam de iure diuino, quando ei confessio est possibilis; at in hoc casu potest confiteri modo dicto, ergo tenetur. Bonacina cum aliis, *supra num.* 6. An autem hic statim, sumpta Eucharistia, teneatur sub mortali adire superiorem pro reseruatis, patet ex dictis de Eucharistia *capit.* 5. *dub.* 4. *num.* 26. Quòd si dicas in Tridentin. *sess.* 14. *capit.* 7. haberi, confessarium ordinarium nihil posse circa reseruata præciso mortis articulo. Respondeo cum Bonacina *sup. num.* 6. Concilium loqui de absolutione directa, non verò de indirecta.

4 Ex hac conclusione sequitur primò, absolutum ab inferiore confessario, si oblitus sit alicuius peccati reseruati, aut censuræ reseruatæ, à qua non poterat confessarius absoluere, teneri postea adire superiorem, vt ab iis directè absoluatur, non tamen tenetur alia peccata superiori manifestare, sed solum reseruata, aut censuram reseruatam, nam quoad alia directè fuit absolutus, confessioque fuit valida, Suarez *disp.* 31. *sect* 3. *num.* 8. Henriq. *lib.* 6. *c.* 15. *n.* 3. & *c.* 16. *n.* 9. Bonacin. *sup. n.* 6. & alij.

5 Sequitur secundò, eum, qui est obstrictus necessitate communicandi, aut celebrandi, ad vitandum graue damnum, seu scandalum, vel grauis infamiæ periculum, posse, imo & teneri ante communionem, vel celebrationem confiteri peccata non reseruata, & etiam reseruata, habentia etiam excommunicationem, si non habeat copiam confessarij habentis potestatem circa reseruata; & superior adiri commodè non potest: nam vt dictum est, præmittenda est de iure diuino confessio, quoties possibilis est. Dixi *si non adest copia confessoris habentis facultatem circa reseruata*, nam si adsit, certum est, alterum non posse absoluere extra articulum mortis: dixi etiam *si superior non possit adiri*, nam si potest adiri, non potest inferior absoluere validè nec à non reseruatis; quia cessat necessitas. Dixi sæpè, *si adsit necessitas, aut causa rationabilis*, nam iis deficientibus, iam dictum est in prima conclusione, non posse inferiorem, nec indirectè absoluere à reseruatis. Necessitas, seu causa iusta censetur, quando si omittendo communionem, sequitur periculum infamiæ propriæ, vel scandalum aliorum. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 10. *n.* 304.

6 Sequitur tertiò, quando in casibus dictis absoluere potest inferior indirectè à reseruatis, teneri pœnitentem illi confiteri omnia peccata non reseruata, & reseruata. Henriquez *lib* 6. *capit.* 15. *num.* 5. Suarez *disput.* 31 *sect.* 3. *num.* 8. Filliuc. *sup. num.* 304. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 3. *num.* 9. tum quia, quoad possibile est, confessio debet esse integra de iure diuino: tum quia etsi talis confessarius non absoluat directè à reseruatis, tamen vt pœnitens possit absolui à non reseruatis, debet esse benè dispositus circa omnia tam reseruata, quàm non reseruata. quam dispositionem debet cognoscere confessarius, qui est iudex: at eam non potest cognoscere, nec examinare, nisi ei omnia peccata manifestentur; ergo. Tum quia aliàs videretur reportare commodum ex sua iniquitate, cum liberaretur ab onere, & verecundia confitendi reseruata tali confessario.

7 Sed dices, an habens peccata mortalia, & venialia possit in casu dictæ necessitatis absolui à simplici Sacerdote habente facultatem circa venialia tantum, directè à venialibus, & indirectè à mortalibus. Negatiuè respondent absolute loquendo, & meritò quidem, Suarez *disputat.* 31. *sect.* 2. *ad fin.* Filliucius *suprà*, *num.* 305. & alij apud Bonacinam *suprà*, *num.* 7. quia vt comprobat vsus Ecclesiæ, hic non habet iurisdictionem circa mortalia, imò nec circa venialia, quoties pœnitens putat se peccata mortalia simul cum venialibus habere, ideoque vsu receptum non est, vt simplex Sacerdos

absoluat

abſoluat à venialibus habentem peccata mortalia, cum nullus à mortalibus abſoluere poſſit abſque iuriſdictione, quam non habet circa ea ſimplex Sacerdos extra mortis articulum. Dixi *abſolute loquendo*, nam ſi pœnitens exiſtat in aliquo mortali, cuius non recordatur, & exiſtimet ſe tantum habere peccata venialia, probabile eſt remanere abſolutum indirectè, & conſecutiue à peccato mortali oblito, confitendo peccata venialia, vt docet Suarez *diſp.*31 *ſect.*2.*num.*8.& cum aliis Bonacin. *ſup. num.*7. Ratio eſt, quia per abſolutionem ſacramentalem conſequitur gratiam; at hæc eſt incompoſſibilis cum peccato mortali; ergo ſequitur, pœnitentem, qui ſola peccata venialia confitetur, oblitus mortalium, remanere abſolutum à peccato mortali oblito. Addit Filliuc. *ſuprà, num.*306. ex Suarez *loco citato*. & quidem non improbabiliter, ſi ex rationabili cauſa pœnitens habens mortalia, & venialia confiteatur ſimplici Sacerdoti, reputans bona fide id ei licere, Sacramentum tunc eſſe validum ſecus tamen ſi mala fide id faceret nempe ſciendo ex vſu Eccleſiæ, non eſſe id conſuetum, quia tunc non datur iuriſdictio, vt per ſe loquendo, nunc non datur, vt dictum eſt, ſicque Sacramentum eſſet nullum.

8 Nota, doctrinam, iuxta quam diximus ex rationabili cauſa poſſe inferiorem abſoluere à reſeruatis indirecte, procedere non ſolum in caſibus Epiſcopo, ſed etiam Papæ reſeruatis, quia ſupradicti Doctores abſolute, & indiſtincte loquuntur, & quia rationes allatæ id indifferenter de omnibus probant.

Dvb. IX.

In quo aliqua circa abſolutionem à reſeruatis exagitantur.

1 Quæres primò, an ſemel abſolutus à caſibus reſeruatis libere poſſit abſolui à quocumque inferiore. Filliuc. *tom.*1.*tract.*7.*cap.*10.*n.* 307. reſpondet, & dicit, ſi eſt abſolutus ſacramentaliter à ſuperiore, poſſe deinde abſolui à quolibet, quia non ſunt amplius materia neceſſaria: vbi per illud *à quolibet*, intelligit etiam ſimplicem Sacerdotem, ſimiliter Villalob. 1 *part. tract.*9.*diff.*66. *num.*1. quia iudicat de iis, ac de peccatis rite confeſſis, & abſolutis directè, quæ poſſunt confiteri ſicut venialia ſimplici Sacerdoti. Quæ ſententia admitti poſſet, quando ſuperior audiuit non ſolùm reſeruata, ſed etiam non reſeruata, & ab omnibus ſacramentaliter abſoluit; nam tunc confeſſio formaliter eſt, & materialiter integra, & peccata rite, & legitime confeſſa, ac remiſſa cenſentur tanquam venialia, & materia voluntaria confeſſionis & quando eſſet in vſu, quod ſimplex Sacerdos audiat confeſſionem venialium; aliter cenſeo faciendam eſſe confeſſionem confeſſario approbato, & habenti iuriſdictionem circa mortalia, vide *ſup. dub.*6.*concl.*1. & Suarez *diſp.*31.*ſect.*4.

2 Quòd ſi ſuperior tantum audiuit, & abſoluit reſeruata, ſi pœnitens habeat alia mortalia, tunc exiſtimo certum, non poſſe ſimplicem Sacerdotem abſoluere à reſeruatis, ſed neceſſariò requiri, quod habeat iuriſdictionem circa mortalia, & circa pœnitentem. Ratio eſt, quia vt dixi *ſup. dub.*7.*num.*5. taliter abſolutus tenetur confeſſario inferiori confiteri non reſeruata; at non reſeruata, vt ſupponimus, ſunt mortalia; ergo requiritur confeſſarius, qui habeat iuriſdictionem circa mortalia. Dixi, *ſi habet alia mortalia*, nam ſi tantum haberet alia venialia, poſſet dici, iuxta opinionem Filliucij, poſſe tunc confiteri cum quolibet, ſicut dicit de mortalibus remiſſis, ac de materia non neceſſaria, ſi verò ſuperior non abſoluit ſacramentaliter, ſed tantum tollit reſeruationem, & imponit ſatisfactionem remittendo pœnitentem ad inferiorem, vt illum ſacramentaliter abſoluat, tunc indubitatum eſt ſolùm poſſe abſolui ab approbato, & habente iuriſdictionem circa mortalia, & pœnitentem, vt concedit Filliuc. *ſupra*. Ratio eſt, quia adhuc manent ſicut cætera peccata nondum remiſſa; ideoque exigunt iuriſdictionem debitam, & requiſitam ad mortalia. Addit, & benè, Filliuc. *num.*308. eum, qui habet iuriſdictionem delegatam ad abſoluendum à reſeruatis, non poſſe, niſi ſacramentaliter, conſequenter non poſſe tollere reſeruationẽ remittendo alteri abſolutionem; quia cum ſit delegatus, non poteſt alteri delegare iuriſdictionem; at ſi remitteret alteri abſolutionem, delegaret illi iuriſdictionem, quia non poteſt reſeruatio auferri niſi committendo iuriſdictionem, quod procedit etiam in abſoluente virtute Bullæ à reſeruatis Papæ, nam etſi illius rigore abſolui poſſit ab excommunicatione reſeruata extra confeſſionem ſacramentalem; non tamen poterit confeſſarius electus tollere reſeruationem, & alteri delegare facultatem abſoluendi à cæteris peccatis, quia ibi hoc non conceditur, ſed tantum quod electus ab habente Bullam poſſit à reſeruatis abſoluere, modo à me late explicato in eius expoſitione *lib.*1.§.7.*c.*2.*per totum.*

3 Quæres ſecundò, an confeſſarius dubitans aliquod peccatum eſſe reſeruatum, vel ipſum habere facultatem circa reſeruata, poſſit impendere abſolutionem. Non loquimur de dubio iuris, id eſt quando quis dubitat latam eſſe aliquam legem reſeruantem, aliquod peccatum, vel aliquod peccatum eſſe reſeruatum; nam in hoc caſu, quando verè, & propriè dubitatur, & facta debita diligentia animus manet æquè dubius, deponatque confeſſarius dubium illud, poteſt confeſſarius reputare, illud peccatum non eſſe reſeruatum, & abſoluere directè pœnitentem, vt dixi *hoc capit. dub.*5. cum aliis, in Bulla *lib.*1.*cap.*5 *dub.*2.*num.*8.*&* *cap.*3.*dub.*16. *numer.*8. & tenet Bonacina *tom.*1. *diſp.*5.*q.*7.*punct.*5. §.4. *num.*1. Ratio eſt, quia in hoc dubio, & caſu poſſeſſio ſtat pro confeſſario abſoluente, & pro pœnitente poſſidente libertatem à reſeruatione. Dixi, *ſi verè, & propriè dubitatur*: nam ſi verſatur in opinione, an caſus ſit reſeruatus, poteſt confeſſarius ſequi opinionem aſſerentium non eſſe reſeruatum, & ſic directè ab illo abſoluere; nam licet ſequi opinionem probabilem, & tutam relicta probabiliori, nec tenemur ſequi tutiorem, ſufficit enim ſequi probabilem, & tutam, vt abſolutè in hoc caſu tenet Bonacina *ſuprà*, *num.* 2. *&* 3. & in communi cum aliis dixi in Decalogo *lib.*8.*cap.*1.*dub.*6. Sicut enim opinans probabiliter ſe peccatum aliquod non commiſiſſe? vel illud non fuiſſe mortale: vel ſe illud aliàs confeſſum, vel ipſius confeſſionem fuiſſe validam, non tenetur illud confiteri, vt dixi *ſup. hoc lib. capit.*2 *dub.*1. *num.*13. *&* *dub.*5. *num.*9. *&* 15. & in Decalogo *libr.* 3. *capit.* 4. *dub.*5. Ita etiam qui probabiliter opinatur, peccatum aliquod non eſſe reſeruatum, non tenetur illud tanquam reſeruatum, vel confeſſario pro reſeruatis deputato confiteri. Quod procedit, ſiue opinio verſetur circa ius, ſiue circa factum; nam rationes in vtroque caſu conuincunt. Loquitur ergo hæc quæſtio de dubio propriè dicto, id eſt, quando facta debita diligentia, animus in neutram partem inclinat, & non

loquitur

loqoitur de dubio iuris, vt iam dictum est, sed de dubio facti, vt quando constat, peccatum esse reseruatum, v. g. homicidium, & dubitat se occidisse, aut compleuisse peccatum, quod constat esse reseruatum quando est completum; aut quando dubitat, an sufficienter compleuerit actum exteriunt; nam peccata, quæ reseruantur; sunt peccata externa, vt dixi *hoc cap. dub.*1. *num.* 4. vel quando dubitat, an mortaliter peccauerit; nam vt ibi dixi, venialia non reseruantur. Procedit etiam quæstio, vtrum qui scit aliquod peccatum esse reseruatum, sed dubitat se habere facultatem absoluendi à reseruatis, possit ab huiusmodi peccato absoluere.

4 Quoad primam partem quæsiti. In dubio facti, quando dubitatur, an tale peccatum cadat sub reseruatione, potest quilibet confessarius approbatus carens facultate absoluendi à reseruatis, illud peccatum absoluere, nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium; vel nisi aliud in iure sit dispositum. Ita Suarez *tom.*5. *de censur. disput.*4. *sect.*6. *numer.*5 Sanchez *in sum. lib.*1. *cap.*10. *num.*35. Henriq. *lib.*6. *cap.*26. *num.*7. & cum aliis Bonac. *tom.*1. *disp.*5. *q.*7. *punct.*5. §.4. *num.*1. Et probatur: tum quia in dubiis melior est conditio possidentis; at confessarius approbatus est in possessione suæ iurisdictionis; ergo, tum quia reseruatio est odiosa, consequenter est restringenda: tum quia in foro externo non iudicabitur contra delinquentem, nisi adsit sufficiens præsumptio; at fori externi, & interni idem est iudicium, quando forum externum non nititur falsæ præsumptioni, vt dixi in Decalogo *lib.*8. *capit.*9. & alibi sæpè. Dixi, *nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium*, nam tunc censetur casus reseruatus, qualis esset, si exteriùs proferat hæresim, & postea dubitet, an illam ex animo protulerit, hoc enim præsumitur incurrisse excommunicationem Papæ reseruatam; nam possessio stat pro hæresi, quia constat prolatam fuisse; ideo forum exterium iudicabit hunc hæreticum, præsumens propositionem hæreticam protulisse, consentiente animo, eo quòd nullus præsumatur dicere, quod in corde non habet; ergo idem dicendum est de foro interno, cùm internum non innitatur falsæ præsumptioni. Dixi etiam, *nisi aliter decernatur in iure*, nam sic certum est, standum esse illius dispositioni; constat enim superiorem posse in aliquo casu particulari id decernere: vt quando dubitatur, an percussio Clerici fuerit leuis, mediocris, aut enormis, præsumitur enormis, consequenter Sedi Apostolicæ reseruata, vt tractant DD. in explicatione huius censuræ: inter quos Bonac. *tom.*1. *vbi de censuris*, *disput.*2. *q.*4. *punct.*5. *num* 3. *& tom.*3. *disp.*2. *q.*2. *punct.*6. *sect.*5. & citati *hoc c. dub.*5. *n.*1.

5 Quòd si dicas contra conclusionem, eum, qui dubitat aliquod peccatum esse mortale, teneri illud confiteri confessario approbato; ergo qui dubitat peccatum esse reseruatum: tenebitur illud confiteri habenti facultatem illud absoluendi. Respondeo negando disparitatem; nam reseruatio est odiosa, & pœnalis, ideo non extendenda ad casus dubios, obligatio vero, seu lex confessionis est fauorabilis, vtpote lata tanquam medicina ad delenda omnia peccata commissa post baptismum, & ad præcauenda futura, nec solum est lata pro mortalibus certis, sed etiam pro dubiis, vt dixi *hoc lib. locu citatu hic numer.*4 & docet Sanchez *supra num.*18. & cum eo Bonacina *suprà, num.*2. *ad fin.* Constat ergo ex dictis eum, qui dubitat se homicidium, v. g. reseruatum commisisse, vel compleuisse sufficienter peccatum, seu actum externum, quod constat esse reseruatum, vel mortaliter peccasse, posse à quolibet approbato absolui, etiamsi non habeat facultatem absoluendi à peccatis.

6 Dico secundò, quoad secundam partem quæsiti, Sacerdos qui propriè dubitat, se iurisdictionem habere circa peccata reseruata, non potest validè absoluere directe, donec manet animus suspensus, & anceps, nisi nouam obtineat facultatem Bonacina *tom.* 1. *disput.* 5. *q.*7. *punct.* 5. §.4. *num.*4. & alij citandi. Ratio est, quia cum certum sit peccatum esse reseruatum, possessio stat pro eo, & Sacerdos absoluens exponit se periculo impendendi inualidam absolutionem. Dixi, *directè*, nam indirecte poterit ab eis absoluere in casibus explicatis, *dub. anteced.* Dixi etiam, *si proprie dubius est*, nam si habet opinionem probabilem de iurisdictione, etiamsi opposita sit etiam probabilis, poterit à reseruatis absoluere, vt dictum est, *in* 1. *quæsito*, nam existente opinione probabili Ecclesia supplet iurisdictionem; sicut eam tiam supplet, quando aliquis titulo colorato, & errore communi habetur pro iudice, aut Parocho, *ex l. Barbarius, ff. de off. Prætoris*, & dixi in Decalogo *lib.*8. *cap.*1. *dub.*10. & docet Lessius *lib.*2. *cap.*29 *dub.*8. Suarez *disp.*76 *sect.*6. Henriquez, Coninch, & alij apud Bonacin. *vbi sup. n.*4. Hinc sequitur, eum, qui sequitur opinionem probabilem asserentium ipsum habere iurisdictionem absoluendi à reseruatis, seu priuilegium absoluendi non esse reuocatum, valide absoluere, ac si iurisdictionem re ipsa haberet, & priuilegium non esset reuocatum, etiamsi probabilis illa opinio forte à parte rei non subsistat, sed falsis realiter nitatur fundamentis; nam Ecclesia supplet iurisdictionem, alioquin sequerentur grauia incommoda: adde, valida esse acta in prædictis casibus, etiamsi populus dubitet, superiorem priuatum esse officio, nam cum antea habeatur pro vero superiore, non est priuandus suo iure ob dubium populi superueniens, cum in dubio melior sit conditio possidentis, & alioquin periculum sit faciendi iniuriam Sacerdoti, si reiiciatur ob solum dubium. Vide Bonac. *vbi sup. num.*5. & vbi de matrim. *q.*2. *punct.*8. *quæsito* 6. & in nostro Decalog. *loco cit.*

7 Quæres tertiò, an superior teneatur concedere facultatem pœnitenti per per se, vel alium petenti eam, vt posset absolui ab alio à peccatis reseruatis.

8 Dico primò, in quibusdam casibus debet, & tenetur ex iustitia illam facultatem concedere, vt ex Suarez *disput.*30. *sect.*4. *num.*4. docet Filliuc. *tract.*7. *capit.* 10. *num* 191. & alij. Vt si pœnitens meritò timeret reuelationem confessionis; vel superiorem vsurum ea scientia in graue sui detrimentum; vel quia superior non esset idoneus ad ferendum iudicium in ea materia; vel quia est ignorans, aut improbus. Ratio est, quia pœnitens habet ius ad legitimum vsum Sacramenti, nec potest superior illum exponere graui damno.

9 Dico secundò, superior non semper tenetur imò potest licite denegare dictam facultatem, si bonum proximi, aut vtilitas ipsius pœnitentis postulet. Ita Syluester *confessor.* 1. *num.*13. Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.*1. *articul.* 5. *verb. Circa tertiam*, Coninch *tom.*2. *disput.*8. *dub.*14. Suarez *suprà, numer.*5. Filliuc. *loco cit. num.* 192. Bonacin. *tom.* 1. *disput.*5. *quæst.*7. *punct.*5. § 1. *n.*19. & alij, nam ad superiorem pertinet consulere bono subditorum, vt si timeat moraliter talem facultatem non fore vtilem pœnitenti; vel si peccatum vergat in perniciem communitatis, quale est hæresis, proditio Principis, & similia; vel in damnum tertiæ personæ, cui poterit ipse superior adhibere remedium seruato sigillo, & non alius; denique quando adest aliqua rationabilis

nabilis causa negandi, vt alij scienter difficultatem, magis caueant in futurum : fundarique potest hæc doctrina in Trid. *sess.14.cap.7.* & in iute quod ipse superior habet ad hoc, præferendo bonum commune minori forte vtilitati subditi.

10 Dico tertiò, quoties superior timet graue damnum spirituale subditi, si neget illi facultatem absoluendi à reseruatis, quamuis damnum secuturum sit defectu subditi, nimirum, quia differt confessionem, aut accipiat occasionem peccandi, aut reticendi illud peccatum in confessione, tenetur, ex charitate, & debito sui muneris dare huiusmodi licentiam vt docet S. Thom. *opusc.19.& in 4.dist.12.q.3.art.3.q.4.ad 6.* vbi docet peccare superioré, qui in hoc præstat se difficilem : *Quia* (inquit) *multi sunt adeò infirmi, quòd potius sine confessione morientur, quam tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur.* Et subdit: *Vnde illi qui sunt nimis soliciti, vt conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniciunt, & per consequens sibi.* Ita etiam Nauat. *cap. placuit, n.119. & 151.* Suat. *sup. n.8.* Sot. Sylu. Filliuc. & alij communiter apud Suat. *sup.* qui etiam addit, etiamsi spetetur aliotum vtilitas ex negatione, non esse negādam cum dettimento subditi ; quia confessio est instituta per se in bonum pœnitentis, & motaliter boc non contingit sine sacrilegio, & graui iniutia Sacramenti, quod redditur odiosum, & hoc est grauius incommodum, propter quod vitandum parui pendenda est modica vtilitas. Ex quo sequitut, superiorem, regulatiter loquendo, debere esse facilem in ea concedenda, & satis esse pro causa, vt nulla specialis causa occurrat ad negandum. Quòd si videatur illi subesse causam iustam, & deinde nesciat, subditum nullo modo velle superioren adire, nunquam debet negare, aliàs peccat, excepto casu quo sequeretur damnum aliorum ; non tamen tenetur date facultatem generalem confitendi, cui voluerit, sed potest committere alicui, vel aliquibus, quos iudicauerit expedire Filliuc. *sup. n.294.* ex Suar. *loco cit n.10. & seqq.* addit etiam Villalob. *1 part tractat.9. diff.65.n.2.* ex Man. Rodrig. *ad Bull. in fin.* nunc ex motu eroptio Pij V. quem refert Rodrig. *sup.* in quo prohibet Religiosis Ordinis Prædicatorum, ne possint eligere virtute Bullæ confessarium pro reseruaris, & concedit Prouincialibus dicti Ordinis facultatem Episcopis concessam à Trid. *sess.24 c.6. de reform.* vt possint absoluere, & dispensare eum suis subditis: addit Pontifex hæc verba, *Iisdem tamen Prælatis in vsu huiusmodi potestatis se cum suis subditis benignos, & faciles exhibeant præcipientes, & mandamus.* Quæ quidem verba continent præceptum, vt docet Nauat. *not.32.n.51. de indulg.* Villalob. *sup.* & alij. Eadem etiam verba continet motus ptoptius Clementis VIII. concessus ad instantiam Religiosorum Carmelitarum Discalceatorum, teste Villalob. *sup.*

11 Aduertit, & bene Villalob. *sup. num.3.* quod Prælatus non debet concedere facultatem, vt subditus possit cum quolibet approbato confiteri, sed cum docto, & religioso; vt grauia delicta fructuosius corrigi, possint, & pœnitens emendari, prout colligitur ex Trid. *sess. 14. cap.7.* ibi : *Sanctissimis Patribus visum est atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibusuis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absoluerentur* : esset ergo imprudentia quædam oppositum facere.

12 Quæres quartò, vtrum quando superior iniustè negat facultatem absoluendi à reseruatis, habeatur pro concessa, ita vt possit pœnitens absolui à quolibet approbato. Affirmant Rodrig. *1.p c.55.n.11.* Henriq. *lib.6.c.15.n.6.* & alij, qua licentia iustè petita, & iniustè negata, aiunt, habetur pro cōcessa; Ideoque in tali casu iudicandum esse, ac si superior esset absens, consequenter pœnitentem posse absolui in iis casibus, in quibus posset absolui absente superiore. Negant autem Filliuc. *tract.7.cap.10.n.310.* Bonacin. *tom.1.disp.5.q.7. punct.5.§.2.n.10* quia etsi male faciat superior, valida tamen est iniusta negatio, & habet effectum quoad negationem iurisdictionis; sicut iniusta reseruatio valida etiam est ; recurrēdum ergo erit tunc ad Prælatum superiorem, ait Pillioe. vel confitenda omnia inferiori, à quo indirectè absoluatur à reseruatis, cum onere manifestandi deinde reseruata superiori, iuxta dicta *dub.8.*

13 Quæres quintò, quomodo superior debet concedere facultatem absoluendi à reseruatis. Dico primò, si petatur facultas ante, vel post peccatum commissum, potest superior concedere facultatem ab eo absoluendi cum onera talis, vel talis pœnitentiæ. Patet, quia est Ordinarius iudex, consequenter causam potest committere alteri taxādo pœnitentiam, vt olim fiebat in Ecclesia, vt patet in fine decreti, & *c. laterem 33.q.2.* Et confirmatur ex decreto Clem. VIII. *de cas. reseru §.5.* vbi habetur licere superioribus determinare pœnas, etiam pro non reseruatis. Suat. *disp.30. sect.5.n.3* Villalob. *1.p.tract.9.diff.65.n.4.* Filliuc. *tom.1.tract.7.c.10 n.295.* procedendum autem est in concedenda hac facultate prudenter. Et primò, si superior confidit de prudentia eius, cui absolutio committitur, non est taxanda pœnitentia, sed relinquenda est eius arbitrio. Secundò, si non confidit, etsi possit interrogare de specie peccati, consuetudine, & de aliis circunstantiis, sine periculo manifestationis personæ; attamen præstat eam limitationem adhibere, absque speciali notitia delicti, sed sub conditione, dicendo, si est tale delictum, detur talis pœnitentia. Tertiò melius est id fieri per modum consilij, quam præcepti, non enim committenda est iurisdictio cum tanta dependentia, sed relinquendū est aliquid arbitrio iudicis delegati, vt est in vsu; cōtrarium enim esset nimis rigorosum, & expositum periculis, vt benè Suat. *sect 5.n.4.*

14 Dico secundò, si petatur post peccatum commissum, non debet concedi hæc facultas cum onere comparendi: tum quia ideo petitur facultas, vt liberetur ab onere comparendi: tum quia petit ipse per se, & sic iam comparet : vel per alium, & tunc ideo hoc facit, ne teneatur ipse comparere. Hinc fit, vt superior nullo modo possit interrogare personam, nec circumstantias, ex quibus deueniat in notitiam personæ; etenim inferior tenetur seruare sigillum, ideoque grauissime peccaret superior prouocans ad illius fractionem. Tenetur etiam superior non exquirere personam, etiamsi is, pro quo petitur facultas hæc, confessus non esset; quia etiam is, qui petit, tenetur sub secreto naturali, imò etiam sub diuino, cum sit in ordine ad confessionem sacramentalem. Filliuc. *sup. n 296.* & alij.

15 Dico tertiò, si hæc facultas petatur antequam peccatum committatur, si peccatum habeat annexam excommunicationem, potest concedi cum onere se præsentandi superiori, vt est communiter in vsu in Ecclesia, & patet in peccatis Papæ reseruatis, in quibus sæpè datur facultas absoluendi cum onere comparendi ratione censuræ, & dixi in expositione Bullæ *lib.1. cap.2. dub.5. num.9.10.& 11.* Potest etiam imponere tale onus concedens hanc facultatem, quamuis peccatum, non habeat adnexam excommunicationem, quidquid Durandus, & aliqui, vt benè docent Caietan. *verb. Absolutio 1.* Nauatr. *cap.9. num.1. & cap.26 num.11.* Filliuc *sup. num.297.* & alij; quia cum sit Ordinarius, potest suam

suam iurisdictionem delegare cum conditione, & modò sibi benè viso.

16 Ex hac conclusione sequitur, quando conceditur facultas hæc cum onere comparandi, si subditus postea non compareat, peccare mortaliter, vt benè Filliuc. *sup. num.* 298. quidquid aliqui dicant nam hæc obligatio imposita est ex graui causa, nempè ob diuinum honorem, & bonum subditi. Quod procedit etiam quando in aliqua Religione conceditur talis facultas cum dicto onere, etiamsi aliàs statuta talis Religionis non obligarent sub mortali, quia dicta obligatio sequitur ex natura rei, & institutione Sacramenti. Hæc autem obligatio comparendi non est ad confitendum denuò, sed tantum, vt reddat rationem facti commissi, & satisfactionis impositæ, acceptando etiam aliam satisfactionem, si eam voluerit superior imponere; quod totum debet sub sigillo confessionis accipi, quia est complementum prioris confessionis, in articulo autem mortis, etsi probabile sit, hoc onus imponi posse à Prælato, male tamen faceret Prælatus inferior, si concederet cum hac limitatione, vt benè docet Suar *sup. sect.* 5. *n.* 30. & cum eo Filliuc. *loco cit. n.* 298. *ad fin.* An autem, & quomodo absolutus in articulo mortis se teneatur præsentare, quando absoluitur à Papæ reseruatis, dixi in expositione Bullæ *lib.* 1. *c.* 2. *dub.* 5. *n.* 9. 10. & 11.

17 Quæres sextò, quomodo vti debeant Religiosi authoritate, ac facultate sibi concessa circa casus reseruatos. De hac quæstione vide Manuel Rodrig. *ad Bull.* §. 9. *n.* 10. & *ad fin. Cruciat.* & Villal. cum aliis, quos ipse 1. *part. tract.* 9 *diff.* 64. vbi refert priuilegia Religiosorum de hac re dicitque Priorem conuentualem, & Guardianum habere iurisdictionem ordinariam, & ex priuilegio Pij V. de quo Rodrig. *ad fin. Cruciata*, posse concedere facultatem absoluendi suos subditos à casibus reseruatis, dummodo non sint ex contentis in Bulla Cœnæ Domini. Item, posse absoluere ab eis suos hospites. Item eosd. Prelatos habere authoritatē, vt ipsi possint absolui à reseruatis dictis. Item dicit idem dicendum esse de Vicariis conuentualibus, quando propter absentiam Guardianorum habeat hanc authoritatem. Itē dicit, quod quando Prælatus concedit suam authoritatē sine restrictione aliqua, censetur illam concedere actiue, & passiuè, hoc est quod possit ab eis absoluere, aut absolui modò Prælatus aliud non expresserit. Item dicit, quòd quando Prælatus concedit suam facultatem ad absoluendum à reseruatis, non censetur concedere, ita vt possit ab eis absolui extra Religionem, nisi id exprimat. At si aliàs alicui Religioso erat concessa facultas, vt posset confiteri extra Religionem, & extra illam incurrit in aliquod peccatum reseruatum, tunc ab eo extra Religionem poterit absolui, vigore facultatis sibi iam concessæ, cessante tamen omni fraude, talis enim præsumitur voluntas superioris concedentis. Tandem dicit, quòd quando Prælatus concedit alicui Religioso suam authoritatem, siue in communi, siue in particulari, tantum censetur illam concedere ad absoluendum à peccatis, & censuris, non tamen ad dispensandum in irregularitatibus, nam ad dispensandum est maior difficultas, requiriturque iusta causa, ideo non censetur Prælatus hanc facultatem concedere, nisi id exprimat.

18 Quæres septimò, quomodo se gerere debeat confessarius, quando aduertit pœnitentem habere casus reseruatos, circa quos non habet potestatem nec vllo gaudet priuilegio. Respondeo debere remittere pœnitentem ad superiorem pro absolutione reseruatorum, nisi fortè ipse confessarius velit petere facultatē à superiore, aliter enim non potest illum absoluere, quia caret iurisdictione, nisi in articulo mortis, aut aliquando extra illum, indirectè tamen iuxta dicta *sup. dub.* 8. Obiter nota, etsi pœnitens possit confessarium, aut procuratorem mittere ad superiorem pro facultate absoluendi à peccatis, attamen si impeditus reuera est, non ad id tenetur; quia ius ad id non obligat, nec tenetur, imò nec expedit per literas petere facultatem; ideoque hic verè impeditus censetur carere copia confessoris pro reseruatis, consequenter poterit indirectè absolui à quolibet approbato à reseruatis in casibus explicatis, *dub.* 8. *citat.* vide in expositione Bullæ, *lib.* 1. §. 7. *capit.* 2. *dub.* 5. *n.* 6. vbi de hoc latiùs. Item obserua, eum qui pro reseruato Papæ non potest illum adire, non teneri adire Nuntium, etiamsi id possit facere, vt admodum probabiliter tenet Henriquez *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. videndus de iis, quia ius non imponit onus adeundi alios, qui tenent vicem Papæ, sed ad Papam, propter reuerentiam ei debitam: oppositum tamen, & fortè probabilius, tenet Nauarr. *c.* 27. *num.* 86. & 89.

19 Sed dices, quid si confessarius nouit pœnitentem commisisse peccatum reseruatum, quod pœnitens interrogatus reticet: huic quæstioni satisfactum est, *verb. Decimo quarto, & c seq. dub* 4. *num.* 2. vide ibi, & Suarez *disp.* 52. *sect.* 3. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 5. *punct.* 4. *n* 33 & *quæst.* 7 *punct.* 5. §. 2. *n.* 21. 22. 23. & 24. & Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. c.* 18. *n.* 1. & *c.* 20. *n.* 6.

20 Quæres octauò, an sicut potest Parochus iuste impedimentum absoluere indirectè à reseruatis Episcopo, sic etiam possit à reseruatis Papæ absoluere, si nec ad Papam, nec ad Episcopum recursus moraliter sit possibilis: affirmatiuè respondet Henriquez *lib.* 3. *c.* 9. *n.* 7. nam in hoc casu, ait casus reseruatus Papę, reseruatur Episcopo, & quia Episcopus adiri non potest censetur ipse cōcedere Parocho licentiam, sic enim Parochus, absente Episcopo, dispensat in quodam iure cōmuni de ieiunio, & festo, quæ quidem sententia absolutè tenenda non est, vt ipse limitat, nisi in rarissimo casu, quando scilicet recursus ad Episcopum est moraliter fere impossibilis, vt in promontoriis, *en el penon*. Ego autem addo, modò etiam intercedat necessitas iusta, ac rationabilis causa modo dicto *dub.* 8. in casu quo quis possit absoluere directè à reseruatis, & indirectè à non reseruatis.

21 Quæres nonò, an quando sunt plures reseruationes, possit tolli vna absque alia. Respondeo, si sunt sine censura ab eodem, vel diuersis per eandem potestatem, vna ablata, omnes tolluntur: si à diuersis per diuersam potestatem, vt ab Episcopo, & Papa tunc ablata reseruatione ab Episcopo, remanet Papalis; sublata autem Papali, tollitur Episcopalis, vt bene docet Nauarr. *c.* 27. *n.* 261. & dixi *sup. hoc c. dub.* 2 *n.* 2. Quòd si sint, reseruationes cum censura, si plures sint reseruationes propter plures censuras, vna ablata poterit alia manere, & ita non simpliciter aufertur reseruatio, si verò sint plures reseruationes non propter plura peccata, sed tantum propter plures leges, vna reseruatione ablata, tollitur tota reseruatio, vt late docet Suarez *disput.* 52. *sect.* 4. *n.* 25. & *seqq.* & breuius Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 10. *n.* 314. vide etiam in expositione Cruciatæ *lib.* 1. §. 7. *c.* 2 *dub.* 18. *n.* 7. & 15.

22 Quæres decimò, quinam possint absoluere à reseruatis Episcopo, absque licentia Papæ, aut ipsius Episcopi, aut sine Bulla, aliove priuilegio: de hac quæstione late Suar. *de pœnit. disp.* 30. 31. & 32. & dixi breuius in expositione Bullæ *lib.* 1. *cap.* 2. §. 7. *dub.* 2.

dub. 5. *num* 5. Dico igitur, posse quemlibet approbatum de licentia Episcopi, vt de se patet, & dixi *sup. dub.* 4. quam licentiam petere poterit pœnitens per se, vel per confessarium, vel aliam personam, quæ si iniuste negetur, non est improbabile haberi pro concessa, vt dixi *hoc cap. dub.* 4. *n.* 15. & tenet Henriquez *libr.* 2. *de pœnit. cap.* 15. *num.* 6. & *cap.* 12. *num.* 3. Item, potest approbatus, & eo absente simplex Sacerdos, absoluere ab illis in articulo, vel periculo mortis, quo in casu si euadat pœnitens non tenetur se Episcopo præsentare, quia fuit simpliciter absolutus nisi forte talis casus habeat annexam excommunicationem, de quo videndus Henriq. *libr.* 3. *de pœnit. cap.* 9. *numer.* 2. *lit. K.* & Syluest. *confess. quæst.* 19. *in fin.* Item, potest Parochus, aut quilibet approbatus ab iis absoluere saltem indirecte, etiam extra articulum, vel periculum mortis causa iusta intercedente, ex interpretatiua Episcopi licentia, quando ipse Episcopus adiri commodè non potest, etiamsi casus habeat annexam excommunicationem: in hoc tamen casu pœnitens sic absolutus tenetur, cum commodè poterit, reseruatori per se, vel per alium se præsentare, vt directe absoluatur, quamuis casus non habeat annexam excommunicationem, vt dixi *hoc dub.* & docet Henriquez *supr. cap.* 15. *cit. num.* 6. & 7.

23 Causæ iustæ censentur. Primò, si adsit periculum scandali, aut infamiæ. Secundò, necessitas communicandi ex præcepto Ecclesiæ, aut statuto Religionis. Tertiò, vt celebret, præsertim cum non est alius Sacerdos à quo ipse, vel alius iter faciens Missam audiat. Quartò, vtilitas maxima communicandi aut celebrandi in festis, quibus solet ex speciali deuotione, in quibus etiam duobus casibus tenetur se modo dicto præsentare reseruatori, vt directè absoluatur, vide Henriquez *libr.* 3. *de pœnit. capit.* 15. *numer.* 5. & *capit.* 15. *num.* 1. Dixi, *absque Bulla, & alio priuilegio*, nam aliquo ex his existente, certum est posse ab illis absoluere confessarium inferiorem; attendendus tamen est tenor priuilegij, & ad vnguem obseruandus: & quidem ratione Bullæ Cruciatæ constat posse quemlibet approbatum ab iis absoluere, toties quoties pœnitens benè dispositus intra publicationis annum accesserit, vt habetur expresse in Bulla, ibi: *Aliorum verò Sedi Apostolicæ, &c.*

24 Quæres vndecimò, quis possit absoluere à reseruatis à Summo Pontifice, reuocandum est ad memoriam, quod diximus *hoc capit. dub.* 1. *numer.* 2. videlicet, nullum peccatum esse reseruatum Papæ, nisi habeat annexam censuram, & ratione censuræ, consequenter, qui potest absoluere ab illa censura potest absoluere ab illo casu, & sublata censura tollitur reseruatio; è contra, qui non potest tollere censuram, neque absoluere potest à casu reseruato. Quinam autem possint absoluere à censuris Papæ reseruatis tractant in particulari, & exactè DD. in materia de censuris.

25 Dico tamen breuiter, extra articulum mortis, aut eius probabile periculum, nullus inferior Papa potest absque eius licentia, ac secluso priuilegio, absoluere directe à casibus Pontifici reseruatis: hæc conclusio est communis, & certissima, & constat ex supradictis. Ratio est euidens, quia ad absoluendum à quocumque peccato requiritur iurisdictio, vt dictum est *cap. antecedent. dub.* 1. at per reseruationem est sublata iurisdictio ab inferiore; ergo absolutio ab eo ab iis casibus data, erit nulla defectu iurisdictionis; aliter enim nihil operaretur reseruatio.

26 Dixi, *extra articulum mortis, aut eius probabile periculum*; nam in iis casibus, certum est etiam, posse etiam simplicem Sacerdotem, saltem, absente proprio, absoluere, cum ex Trident. *sess.* 14. *c.* 7. *de reformat.* in articulo mortis nullum peccatum sit reseruatum: de hac absolutione, & quomodo sit absoluendus in articulo mortis existens, dixi in Decalogo *lib.* 1. *capit.* 3. *dub.* 7. & in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5.

27 Dixi etiam, *absque eius licentia*: nam certissimum etiam est, Papam posse facultatem ab iis absoluendi delegare cui voluerit Sacerdoti, vt dictum est *supra hoc c. dub.* 4. & 5. est enim Ordinarius Ordinariorum, & supremus Pastor, ac iudex totius Ecclesiæ, & orbis: quibus autem sit delegata hæc potestas, seu facultas, dictum est *dub.* 5. *citat.*

28 Dixi item, *secluso priuilegio*, nam eo concesso, quod certissimum est, posse Papam concedere, ita etiam certum priuilegium habentem posse ab iis absoluere, seruatis tamẽ modo, ac forma priuilegij. Quinam autẽ habeant tale priuilegium, dictum est breuiter *hoc cap. dub.* 5. De absolutione verò ratione priuilegij Bullæ à reseruatis Papæ, dixi latè in eius expositione *lib.* 1. §. 7. *c.* 7. *per totum* concessa etiam per Trident. *sess.* 24. *c.* 2. *de reformat.* Episcopis facultas, vt possint absoluere à peccatis, & censuris, modò occulta sint, & non deducta ad forum contentiosum, suos subditos, de qua facultate dixi breuiter *hoc capit. dub.* 5. *num.* 1. & latiùs in Decalog. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 4. & cum hæc facultas non sit limitata pro certo tempore, aut pro tali, aut tali vice, sed potius absolutè, & indefinitè concessa, fit inde posse ea vti Episcopos toties, quoties sibi ipsis expedire videbitur, supposita pœnitentis dispositione, & imposita salutari pœnitentia.

29 Dixi demum, *directè*, nam *hoc c. dub.* 8. diximus, posse inferiorem confessarium, supposita necessitate, & rationabili causa, aliquando ab iis indirectè, seu consecutiuè absoluere. Vide ibi.

30 Quæres duodecimò, an Episcopus possit aliquando à casibus Papæ reseruatis, si publici sint, absoluere. Respondeò breuiter, id posse, si peccator impeditus sit, adire Pontificem propter infirmitatem, paupertatem, inimicitias, ætatem, vt in pueris, senibus, ac mulieribus, nam vt dixi *dub.* 2. *vers. Nota tertiò*, in iis casibus, & personis, casus Papales fiunt quasi Episcopales: sic similiter potest Episcopus absoluere eum, qui enormiter Clericum percussit, quamuis publicus sit, si iustè impeditus sit adire Pontificem, vt Doctores in huius excommunicationis absolutione docent, & tenet Nauarrus *cap.* 27. *numer.* 89. vbi addit id ipsum posse Capitulum Sede vacante. Idem tenet Sylu. *verb. Capitulum*: sic Sede vacante possunt Cardinales per Vicarium à se electum exercere iurisdictionem. Idem etiam poterit Abbas exemptus habens in foro exteriori iurisdictionem; nam habet quasi Episcopalem authoritatem. Sic cum aliis Henriq. videndus *lib.* 3. *c.* 16. *num.* 7.

D V B. X.

Vtrum in confessario requiratur bonitas, & scientia.

1 QVoad primum dico, si per bonitatem intelligatur fidelitas, seu recta intentio, certum est requiri in ministro ad huius Sacramenti validitatem, sicut, & ad alia, vt latè dixi *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. si verò intelligatur, vt communiter, & propriè intelligitur, probitas vitæ, seu sanctitas, scilicet, vt sit in gratia; certum etiam requiri ad li-

citam huius Sacramenti administrationem, hoc est, vt absque peccato mortali administretur; debet enim esse benè dispositus ad illud administrandum quia est consecratus, & ex officio deputatus ad hoc, & sancta sanctè tractari debent; quare si est in peccato mortali, peccat mortaliter sic illud administrando, nisi per confessionem, aut contritionem se disponat. Non tamen requiritur sanctitas vitæ, nec fides ad validam huius Sacramenti administrationem, vt abundè dixi *loc. cit. dub.* 3.

2 Quoad secundum, an scilicet requiratur scientia in ministro Sacramenti conueniunt DD. apud Suarez *de pœnitent. disput.* 28. ad hoc vt confessarius sit idoneus minister huius Sacramenti, requiri quod habeat aliquam scientiam, vt illud ritè, rectè, ac licitè administret: est enim Medicus, iudex, ac Doctor: vt Medicus tenetur scire infirmitates, vt ipsis salubriter rectè mederi possit, vt iudex, ac Doctor tenetur habere scientiam requisitam ad iudicandum, & docendum.

3 Sex præcipuè tenetur scire Sacerdos confessarius vt sit idoneus. Primò, differentiam peccati mortalis, & venialis practicè, in singulis præceptis, saltem communi, & ordinario modo, vt Doctores in materia de peccatis, & dixi breuiter in Decalogo *prel.* 4. *numer.* 5. & Henriquez *libr.* 3. *de pœnitent. capit.* 6. Secundò, species, numerum, & circumstantias peccatorum, modo à nobis explicato *hoc lib. capit.* 6. *dub.* 3. 3. & 4. Tertiò, quæ dispositio sit necessaria in pœnitente, tam ex parte doloris requisiti, quàm ex parte propositi, ac examinis conscientiæ, & an iaceat in statu peccati, & occasione proxima peccandi. Quartò, quænam peccata habeant adnexam obligationem restitutionis, de quo late dixi in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 6. aut saltem sciat communes regulas restitutionis. Quintò, quænam peccata habeant adnexam reseruationem, vel censuram, de quo aliqua dixi *cap. antecedent.* & docent in materia de censuris. Demum scire tenetur ea, quæ spectant ad materiam, & formam huius Sacramenti.

4 Nota tamen circa ea, quæ diximus teneri scire confessarium, satis esse, vt sciat ea, quæ frequentius accidunt, & de aliis sciat dubitare, & doctos, ac libros consulere. Nauarr. *cap.* 4. *n.* 8. Henr. *supra*, Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 9. *num.* 153. Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 3 *num.* 8. & communiter DD. vnde non est necessarium, vt confessarius exactè sciat omnes excommunicationes, vel irregularitates, aut omnes rationes peccatorum, & circunstantiarum. Bonacina, *supra*, paucissimi enim sunt, aut fere nulli, qui hæc exactissimè sciant.

5 Nota secundò, scientiam in confessario requisitam regulandam esse iuxta statum, seu conditionem pœnitentis; sic in villis, & pagis, pro rudibus minor scientia requiritur: pro doctis, & in ciuitate pro militibus, mercatoribus, Ecclesiasticis, Iudicibus, & Principibus multò maior; sicut enim in Medico pro grauioribus morbis maior scientia requiritur pro corporibus medendis, ita & à fortiori in confessario, qui est medicus spiritualis animarum. Filliuc. *loco citato*, & Bonacin. *vbi supra* qui *num.* 9. & benè, addit cum Nauarr. *cap.* 4. *num.* 8. maiorem scientiam circa Canones irregularitatem continentes requiri in confessario Clericorum, quàm laicorum.

6 Nota tertiò, aliquando posse scientiam pœnitentis supplere ignorantiam confessarij, vt docent Caietan. *verb. Confessori necessaria*, Filliuc. *supra*, Henriquez *dict. cap.* 20. sicut enim peritia confessarij supplere potest defectum examinis, ita etiam peritia pœnitentis potest supplere defectum scientiæ confessarij.

7 Ex dictis sequitur, Sacerdotem, qui caret prædicta scientia modo explicato, exercentem hoc officium extra necessitatem, peccare grauiter, seu mortaliter, quia exponit se periculo non administrandi ritè hoc Sacramentum. Item peccat mortaliter, qui eum approbat, & superior qui eum scienter tolerat, & permittit. Quòd si confessarius dubitat se esse idoneum, deponat dubium, & præsumat pro superiore approbante, & sic excusabitur à peccato. Suarez *disput.* 28. *sect.* 5. *dub.* 7. Henriquez *libr. de pœnitent. cap.* 26. & cum aliis Bonacina *tom.* 5. *disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 4. *num.* 6. Denique peccat mortaliter pœnitens qui talem confessarium scienter eligit, sciens respectu sui esse ignarum, nam exponit se periculo faciendi irritum Sacramentum. Non tamen tenetur pœnitens inquirere, an approbatus sit sufficienter idoneus, an non, sed bona fide id præsumere potest; ideóque qui bona fide confessi fuerint cum approbato ab Episcopo, excusati sunt in foro conscientiæ, quamuis tales confessarij errauerint. Vide Viuald. *fol.* 151. & Henriquez *supr. num.* 9. an talis confessio sit valida, dicetur *quæst. seq.*

8 Quæres primò, an ad valorem huius Sacramenti requiratur aliqua scientia. Respondeo affirmatiuè, quia alioquin non potest humano modo exercere hoc Sacramentum, vt pluribus docet Suarez *vbi supra sect.* 1. *num.* 11. *& seqq.* Requiritur ergo primò, vt sciat formam absolutionis, & peccatum mortale à veniali distinguere. Secundum, generalem eorum rationem, v. g. quod blasphemia, periurium, fornicatio, furtum, & similia sint peccatum mortale: erit ergo inualida cōfessio facta scienter tali confessario, eo quod non sciat inter lepram & lepram, seu inter peccatum mortale, & veniale, modo dicto, distinguere. Henriq. *dict. cap.* 16. *numer.* 4. Dixi, *scienter*, nam si pœnitens bona fide, confiteatur tali confessario ignoranti, valida est confessio, nec tenetur postea eam iterare, vt dixi *supra lib. hoc cap. dub.* 5. *versicul. Quarto*, & docent Suarez *supra num.* 11. Coninch *disp.* 6. *dub.* 5. *n.* 18. Filliucius *loco citato num.* 154. & cum aliis Bonacina *supra num.* 13. & 14. concurrunt enim omnia necessaria ad validitatem Sacramenti, videlicet materia, forma, & intentio ministri, & bona fides suscipientis: aliter enim sequeretur pœnitentem, qui bona fide confessus est sua peccata Sacerdoti nescienti discernere circunstantias mutantes speciem, teneri iterum confiteri eadem peccata, quod non videtur admittendum, cum iam confessus sit actum & peccatum, quod subiicere tenebatur confessioni, Coninch. *sup.* Vasquez *quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 2. & Bonacina *supra numer.* 13 Hinc fit eum, qui confessus aliquod peccatum, quod ipse, aut confessarius nesciebant, vel dubitat esse mortale, & postea acquisita maiori peritia, aut consultis viris doctis cognoscit esse mortale, non teneri postea illud confiteri. Ratio est, quia sufficienter manifestauit suum peccatum bona fide, eo modo quo illud intelligit, se commisisse, quod sufficit; adsunt enim necessaria Sacramenti, ad cuius valorem non requiritur, vt confessarius manifeste sciat, peccatum sibi confessum esse mortale, vt infra. Ita Suar. *disput.* 28 *sect.* 2. *n.* 14. Sanchez in Decalogum *lib.* 1. *cap.* 10. Coninch. *disp.* 6 *dub.* 5. *n.* 18. & cum aliis Bonacin. *supr. n.* 15 Secus tamen dicendum, si pœnitens sub dubio confessus sit aliquod peccatum, vt si dicat, se dubitare, an tentationi consenserit, vel an aliquam fœminam concupierit, vel aliquem percusserit;

cufferit: tunc enim, si id postea certò sciat, tenetur illud confiteri, quia non plenè manifestauit peccatum. Sanch. & Bonac. *sup.*

9 Quæres secundò, quomodo sese gerere debeat confessarius, si difficilis casus accidat in confessione, quem ipse ob temporis angustias nequit statim dissoluere, aut consulere sapientem. Respondeo posse absoluere pœnitentem, si pœnitens promittat se facturum, quod confessarios, re melius expensa, & consulta indicauerit, vel vir peritus, ad quem confessarius pœnitentem remiserit, dixerit faciendum: sic enim censetur sufficienter dispositus ad absolutionem suscipiendam. Henriq. *lib.* 3 *de pænit. cap.* 16. *num.* 9. Nauarr. *cap.* 16. *num.* 3. Sylueſt. *confeſſ.* 3. *n.* 12. & cum aliis Bonacin. *supr. n.* 10.

10 Quæres tertiò, an confessarius dum audit peccata, teneatur, audito quolibet peccato, indicare an sit mortale, aut veniale. Conueniunt DD. debere illum, dum audit pœnitentem, attendere ad peccata, vt de illis iudicium ferat, quia est index, & aliter iudicium facere de illis nequibit. Non tamen tenetur in particulari, audito quolibet peccato, indicare esse mortale, aut veniale, sed satis esse, vt audiat, & intelligat peccatum commissum, licet non possit determinatum facere indicium, vt docent Syluest. *confessor.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 13. Nauarr. *cap.* 4. *numer.* 9. Suar. *diſput.* 20. *ſect.* 2. *num.* 2. & cum aliis Bonacin. *supra num.* 11. Tum, quia sicut non tenetur confessarius noscere omnes rationes, & circunstantias peccatorum, vt *supra* dictum est, ita non tenetur de singulis peccatis determinatum ferre iudicium, cum iudicium supponat cognitionem grauitatis peccati; alioquin enim nullus reperiretur aptus, & idoneus ad audiendas confessiones, cum nullus fere cognoscat omnes peccatorum rationes, & omnes casus difficiliores: quare in peccatis difficilioribus potest confessarius suspendere iudicium, & absoluere peccata, eo modo quo sunt, dato pœnitenti remedio opportuno, ne reincidat, vt benè Syluest. *supr. num.* 13. Tum, quia confessarius non tenetur, imò nec potest, in dubiis firmum ferre indicium, vt si pœnitens dubitet, an consenserit, an sufficientem habuerit deliberationem, &c. nam indicium ferendum est, iuxta allegata; ideò cum pœnitens affert aliquam materiam dubiam, non tenetur confessarius firmiter iudicare, sed videtur satisfacere attendendo ad singula peccata, quibus auditis, & intellectis, videtur virtualiter ferre iudicium, eo modo, quo ea cognouit, quod sufficit ad valorem Sacramenti.

D V B. II.

Vtrum in confessario requiratur prudentia.

1 Commune, & certum est, ad rectè, tùmque administrandum hoc Sacramentum, in confessario requiri prudentiam, tum etiam solicitudinem, & diligentiam; est enim Iudex, Doctor, Mediens, ac pastor; ideo ipsum lumen naturæ dictat, vt se prudenter gerat in iudicando, medendo, & docendo in præbendis pœnitenti opportunis remediis, ac consiliis, & in præstandis iis, quæ ad proprium ipsius confessarij officium spectant. Non tamen requiritur essentialiter ad Sacramenti validitatem prudentia, ea enim deficiente, si adsit materia, forma, intentio, & alia essentialiter requisita, valet Sacramentum, etiamsi in prudentia errauerit confessarius, quia adsunt essentialia.

2 Primò igitur, confessarius prudens esse debet circa examen peccatorum, videlicet, vt tantum roget ea, quæ verosimiliter existimat culpabiliter omitti à pœnitente, iuxta cuiusque statum, nec aliena ab statu, ætate, & officio pœnitentis roget, vt monialem de rebus militum. Secundò, præmoneat pœnitentem, ne quid minus necessarium dicat, ex quo declaretur complicis peccatum. Tertiò, ne quærat anxius circunstantias non necessarias, præsertim in sexto præcepto; & honestis vocibus curet obscœna explicare, rogans à longe gradatim ne puer discat, & honesta fœmina pudeſcat: non autem oportet explicare, quæ comitantur principalem actum, aut minutulos modos peccati, qui sibi, aut pœnitenti tentationem excitent. Quartò, fœminas non blandè, sed rigidius, & aliquantulum seuere tractet. Quintò, in singulis non exquirat subtilem peccatorum numerum, sed probabiliter existimatum plus, minusue, vt benè aduertit Caiet. *in opusc. tract.* 5. *de confeſſ. quæſt.* 3. & vt Victoria teste Henriquez *lib.* 3. *de pænit. capitul.* 27. *num.* 2. dicit pro numero, *no le ſaque el alma.* Sextò, si statum pœnitentis videtur nosse, vel ea habitu Religionis, vel Ordinis sacri, apertè vouisse continentiam, non oportet in sexto mandato circunstantiam voti explicare. Septimò, curet superfluas narrationes resecare. Henriquez videndus *lib.* 3. *de pænitent. cap.* 27. *citat.* Octauò, si confessarius rogetur directè de rebus ad confessionem pertinentibus, prudenter respondeat, nihil omnino scio; vel feci officium meum. Nonò, abundet prudentibus remediis pro qualitate morborum, non tantum ad excitandam contritionem, sed maximè, vt curet futuram emendationem vitæ, & vt inducat, vt proponat pœnitens, amplius non peccaturum mortaliter; quod vt exequatur, curet rescindere capita vitiorum per medicinalem, & præseruatiuam pœnitentiam remouendo propinquas occasiones, quamuis sint illi in temporalibus perutiles: Christus enim docet, oculum eruendum, & manum præscindendam. Decimò, differat suauiter indispositο absolutionem, quousque post vomitum, sedato magis stomacho conscientiæ, deuotius accedat; finis enim confessarij esse debet, vt auferat peccatum præteritum, & impediat futurum. Henriquez videndus *lib.* 3. *de pænitent. cap.* 18. Vndecimò, sinat prudens confessarius, pœnitentem suo modo confiteri peccata, quorum habet cōscientiam; solet namque dicere gratiosa, ex quibus confessarius conieétabit, de qua re magis requirendum sit, ne illum interrumpat, si numerum, & circunstantias necessarias explicat, aliter confessarius Inter dicendum subiiciat aliquas interrogationes, putà quoties fecerit de specie, & circunstantiis, vt an solutam, vel coniugatam concupierit, ex quo tempore affectus est tali peccato concubinatus, vel inimicitiæ, & quoties eo tempore moraliter interruperit voluntatem, ne repetat sæpè peccata, quæ vix pœnitens ob verecundiam semel expressit. Si grauissimum audiat, nec hoc, vel illud statim carpat, quia fortè deterritus pœnitens silebit alia peccata, sed ad finem confessionis id præstabit. Habeat denique breue interrogatorium circa ea, quæ communiter in singulis præceptis committuntur, ne moretur in principio multa interrogans, sed in singulia mandatis breuiter roget speciem generalem, verbi gratia, an habuerit turpem consensum, quam si neget, non oportet descendere ad particularia, vt si nunquam habuit turpem consensum, aut tactum impudicum, longè creditur à turpi actu. Vide Henriquez *lib.* 3. *de pænitent. cap.* 18. *in fin.* & hîc *infrà dub.* 5. & 6. vbi de interrogatoriis ad confessionem.

3 Cùm autem confessarius sit etiam Doctor pœnitentis, tenetur ex officio docere pœnitentem ea, quæ prudenter iudicauerit saluti pœnitentis expedire, & ad proprium officium pertinere, credens tamen esse profuturum, & vt non sequatur scandalum. Quid si non sit profuturus, aut si ex hoc sequatur scandalum? Infra. Igitur si pœnitens ignorat ea, quæ facit, aut parat facere, esse mortale, doceat confessarius, quia est Doctor: similiter si ignorat res necessarias, vt articulos fidei, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, monendus est, vt discat; & si adsit scandalum, eo quòd non absoluatur, docendus tunc est, & absoluendus iuxta ea, quæ dixi in Decalogo *libr.* 1. *capitul.* 1. *dub.* 5. & 6. Hoc autem modo poterit docere ignorantem. Primò, vt sciat orare quod continetur in oratione Dominica; quid operari, quod continetur in Decalogo, quid recipere, quod continetur in Sacramentis, docebit etiam quæ debeat quisque expresse credere, nempe quod sit Sanctæ Trinitatis mysterium, ita vt expresse credat esse tres personas, & vnum Deum, quod confitetur, dum se signat. Secundò, quid sit Christus, nempe esse filium Dei, & secundam Trinitatis Personam, qui verus Deus est, & homo, & qui natus est ex Maria Virgine, mortuus est, & resurrexit, &c. propter nostram salutem. Tertiò, in diuino altaris Sacramento sub speciebus hostiæ, & intra calicem sub speciebus vini esse verum, totum, & integrum Christum. Quartò Ecclesiam Catholicam esse congregationem fidelium Christianorum, qui tenent, quidquid S. Romana Ecclesia credit, & tenet: Hæc docebit ignarum, præsertim communicaturum, si nunquam suscepit Eucharistiam de quo vide Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 18. & quæ dixi in hoc tract. *supr.* & in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 3. & 4.

4 Difficultas, & quidem grauis, est, qua prudentia agendum sit, quando confessarius comperit pœnitentem esse in statu de se malo, quod ignorat pœnitens, verbi gratia, quando retinet alienum, sed putat ex ignorantia esse suum; vel cum vir, aut fœmina putat matrimonium esse validum, reuera tamen est nullum.

5 Ad intelligentiam nota, ignorantiam aliam esse inuincibilem, seu inculpabilem, aliam verò vincibilem, & culpabilem de quibus dixi in Decalogo *lib. capitul.* 1. *dub.* 2. *num.* 17. Rursus aliam esse iuris, aliam facti. Ignorantia iuris est, quando ignoratur lex prohibens, vt quando quis contrahit cum affine, nesciens tamen ex affinitate oriri impedimentum dirimens. Ignorantia facti est, quando nescitur tale factum sub lege comprehendi, quamuis sciatur lex prohibens, vt quando quis scit affinitatem dirimere matrimonium, sed ignorat illam, cum qua contrahit, esse suam affinem.

6 Dico primò, si pœnitens interroget, vel dubitet de veritate confessarius debet eam aperire, & manifestare, quamuis credat nihil profuturum, manifestando veritatem. Ita Henriq. *libr.* 3. *de pœnit. capit.* 17. *num.* 5. Suarez *de pœnit. disp.* 35. *sect.* 4. *num.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disput.* 38. *numer.* 3. Coninch *disputat.* 8. *de pœnit. dub.* 17. *num.* 140. Reginald *lib.* 5. *numer.* 44. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 12. *num.* 362. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disputat.* 5. *quæst.* 3. *de matrim. punct. vlt. numer.* 11. Ratio est, quia hic pœnitens hoc in casu non censetur existere in bona fide, nec ignorare inuincibiliter, sed culpabiliter: at ignorantia culpabili existente, tenetur aperire veritatem, vt dicetur conclusione sequenti: ideo non debet falsum dicere vel pœnitentem in suo errore confirmare. Nec dissimulare debet quando pœnitens de re pertinente ad obligationem præcepti; est enim pastor, & medicus spiritualis, ideóque ad eum spectat docere veritatem, quòd si pertineat ad factum, etiam tenetur dicere veritatem, iuxta interrogata tamen, & non vltra.

7 Dico secundò, confessarius tenetur monere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili, seu culpabili est in malo statu, & si inualidè matrimonium contraxit, aut retinet alienum, aut putat contractum illicitum, licitum esse, etiamsi non speretur fructus emendationis. Ita Sanchez *libr.* 2. *de matr. disputat* 38. *num.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Villalobos 1. *part. tract.* 9. *diff.* 70. *numer.* 2. Bonacina *supra numer.* 1. & alij infra citandi. Et probatur, quia confessarius est proprius pastor, vel gerit vices proprij pastoris; officium autem pastoris est monere, & instruere subditum; ideóque in hoc casu infideliter ageret confessarius, si non instrueret pœnitentem ignorantia vincibili ignorantem: tum quia confessarius tenetur munus suum persoluere; munus autem confessarij est, repellere pœnitentem minùs dispositum, illumque admonere. Tum quia admonitio fortasse proderit aliquando, cùm fieri possit, vt pœnitens, cognito malo statu, stimulis agitetur, & resipiscat. Hæc autem conclusio magis elucescet in sequentibus.

8 Dico tertiò, quando pœnitens est in malo statu, idque ignorat inuincibiliter, si confessor sibi persuadeat fore vtilem suam admonitionem, & absque graui incommodo, aut scandalo id potest facere, tenetur pœnitentem monere, & veritatem aperire. Ita Nauarr. *capit. si quis. distinct.* 3. *num.* 66. Couarr. 4. *decretal.* 2. *part* §. 10. *numer.* 15. Sanchez *vbi supr. num.* 5. Suarez *tom.* 4. *disputat.* 32. *sect.* 5. *numer.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 12. *numer.* 363. obligat enim in hoc casu correctionis præceptum; nam etsi ignorantia sit inuincibilis, tamen reuera est de se in malo statu, quod peccatum est, ideo ex charitate proximus est monendus: vnde si confessarius deprehendat matrimonium esse nullum, & quòd dispensatio obtineri possit faciliter, & crederet, quòd penitus adhiberet debitam diligentiam, & quòd interim non ageret cum vxore, teneretur de impedimento admonere. Addit tamen Sanchez *supr.* & benè, cum eo Villalobos *num.* 3. in hoc casu rarò contingere, quòd teneatur confessarius monere, nam dispensatio obtinenda est à Papa, & Roma valde distat, & ad minùs adest maximum periculum incontinentiæ, dum dispensatio expeditur. Dixi, *si absque graui incommodo, aut scandalo id fieri possit*, nam in casu dicto de matrimonio, si esset multorum annorum, & ex separatione sequeretur scandalum, vel graue nocumentum filiis relinquendus est pœnitens in sua ignorantia, vt docent citati, & constabit ex conclusione sequenti: quare cautus, & circonspectus esse debet, nec statim dicat, *No estays casados*, aut matrimonium est inualidum, vt fortè aliqui faciunt.

9 Sed dices, quomodo cognoscat confessarius an pœnitens ignoret inuincibiliter suum malum statum, aut Impedimentum matrimonij. Respondeo, ex scientia pœnitentis, ex dubitationibus eius, & ex dictis in confessione, curando intelligere, an pœnitens sit in bono stato, vel an habeat dubiam conscientiam. Hoc autem prudenter faciendum est, ne confessarius ingerat pœnitenti dubium aliquod malæ fidei, quando sperat admonitionem non esse profuturam, vt benè Sanchez *sup. num.* 3. & cum eo Bonacina *loco citat. num* 10.

10 Dico quartò, confessarius non tenetur admonere pœnitentem existentem in malo stato, laborantem

borantem ignorantia inuincibili iuris, vel facti, vt si ignoret se inualidè contraxisse, quando confessarius nullum speraт fructum ex admonitione, siue quia pœnitens non faceret id, de quo admonetur, siue quia id facere non potest absque graui incommodo: aut quando videt remedium difficillimum esse, ita vt scandalum, vel notabilis infamia inde sequatur: modò tamen non sit periculum damni communis si veritas non manifestetur. Ita Gutierez *de matrim. cap.* 48. *num.* 3. Sanchez *lib.* 3. *disputat.* 38. Suarez *de pœnitent. disputat.* 32. *sect.* 4. *numer.* 4. Coninch *disputat* 8. *de pœnit. dub.* 17. *numer.* 136. Nauarr *in summ. capitul.* 11 *num.* 83. Couart. 4 *decretal.* 2. *part. capitul.* 6. §. 10. Villalobos 1. *part. tractat.* 9. *diff.* 70. *numer.* 4. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim. punct. vlt. numer.* 4. & cum Layman, & aliis Diana 3. *part. tractat.* 4. *resol.* 80. Probatur primò *ex capit. quis de pœnitem.* vbi ex D. Augustin. dicitur: *Si scirem non tibi prodesse non te admonerem, non te terrerem.* Ideò Innocentius III. *cap. quia circa de consanguinit.* consultus de quodam casu matrimonij, in quo dispensatio fuit subreptitia, respondit: *dissimulare poterit, vt remaneant in copula sic contracta, cùm ex separatione videas graue scandalum imminere.* Facit etiam illud Ecclesiastici, *Prouerb.* 4. *vers.* 15. *In domo iusti noli quærere impietatem:* & illud Salustij: *Frustra niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere extrema dementia est.* Secundò, quia non tenetur ratione officij; nam confessio formaliter integra est; nec ratione charitatis; nam correctio non obligat, cùm non adest spes fructus, vt diximus latè in Decalogo *lib.* 1. *c.* 5. *dub.* 14. Tertiò, quia nulli debemus laqueum inijcere, *cap. de iudiciis,* sed quando nullus speratur fructus, inijcimus laqueum admonendo; nam qui non peccabat ratione ignorantiæ, peccabit posita admonitione; ideóque in hoc casu non tenetur; imò nec potest admonere, ob rationem dictam, vt benè Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 7. *cap.* 11. *num.* 164. Procedit autem hæc doctrina, etiamsi ignorantia sit iuris diuini, aut naturalis, modò non ignoret ea, quæ sunt necessaria necessitate medij ad salutem, vt diximus in Decalogo, vbi de fide, *lib.* 1. *cap.* 1. *dub* 3. & ita tenent Sanchez *supr. n.* 10. Henriquez *loco citat. n.* 4. Villalob. *sup. num.* 5. & cum aliis Bonacina *supra num.* 7. contra Couart. *supr. num.* 15. qui non admittunt hanc doctrinam in ignorantia iuris diuini, aut naturalis. At rationes allatæ in hac conclusione æquè procedunt tam in ignorantia iuris Ecclesiastici, quàm diuini, & naturalis, modò non versentur in materia, quæ est necessaria necessitate medij, vt dictum est. Dixi in conclusione, *modò non sit periculum damni communis,* in hoc enim casu tenetur confessarius admonere, etiamsi fructus non speretur, vt si populus sciat, v. g. impedimentum, & inde scandalum sumit; bonum enim commune præferendum est particulari. Secus tamen si damnum solùm cederet alicui in particulari, vt si quis maioratum bona fide possideat; tunc enim potest, & debet confessarius tacere, concurrentibus dictis in hac conclusione, vt docent Sanchez, Henriquez, Villalobos, & alij citati.

11 Ex hac quarta conclusione sequitur, confessarium, nulla existente spe emendationis, non teneri admonere pœnitentem, qui ignorantia inuincibili possidet primogenitum, quod de iure ad alium spectat. Item nec eum, qui contraxit aliquem contractum vsurarium, quem ex ignorantia inuincibili nescit esse vsurarium. Item nec eum, qui tenetur ad restitutionem, si id inuincibiliter ignorat, & non speratur fructus ex admonitione. Bonacina cum aliis *supra*

num. 7. Item nec eum, qui inuincibiliter inualidè contraxit, quando confessarius credit, post admonitionem nõ posse facilè dispensationem impetrare, & sit periculum, vt admonitus accedat ad vxorem, sciens eam non esse suam. Sequitur etiam eum, qui nouit in confessione aliquos contractus matrimonij cum ignorantia inuincibili impedimenti, non debere illos admonere, quando speratur, admonitionem non esse profuturam, Sanchez *supr. num.* 6. Bonacina *loco cit. num.* 9. Imò non potest denegare pœnitenti matrimonium, quando Parochus nouerit impedimentum in confessione, & pœnitens, eo non obstante, vult contrahere, vt dixi *sup.* vbi de sigillo confessionis, *cap.* 7 *dub.* 5. *num.* 6. & cum aliis docet Bonscina *quæst.* 3. *de matrim. punct. vlt. num.* 13. *in fin.* Secus tamen si Parochus aut alius Sacerdos nouit impedimentum extra confessionem: tunc enim potest, & debet negare matrimonium quamuis impedimentum sit occultum, etsi publicè petat illud, aut neget impedimentum, quod notum est Parocho, vt pluribus docent Sanch. *lib.* 3. *disputat.* 15. Coninch. *disp.* 17. *dub* 7. *num.* 66. & cum aliis Bonacina *sup. num.* 13. Potest tamen Parochus dissimulare, & coniungere in matrimonium eos, quos nouit obnoxios dispensationem in foro conscientiæ, quando nullus est, qui impedimentum illud denunciet; quia tunc contrahentes non peccant; secus si aliquis denunciet impedimentum; nam tunc debet illud differre ad Ordinarium, ad quem, & non ad Parochum spectat discutere de impedimento. Quid si, contracto matrimonio, obtenta dispensatione impedimenti occulti, postea detegitur, & publicatur impedimentum? Respondeo esse per iudicem separandos, donec obtineant in foro externo dispensationem, nam illa non prodest pro foro externo: sed de his plura, vbi de matrimonio. Vide Sanchez *lib.* 3. *disp.* 15. Coninch. *disput* 17. *dub* 7 & Bonacinam *supr. n.* 13. An autem possit Prælatus dissimulare dicam vbi de matrimonio, *cap.* 5 *dub.* 11. *vers. Colligitur tertiò, & c.* 9 *dub.* 10 *conclus.* 8.

12 Sequitur etiam, confessarium non posse absoluere coniugem inuincibiliter ignorantem impedimentum dirimens, quando idem coniux ita est actualiter affectus, vt nolit reddere debitum, ob iram, indignationem, aut ob aliam causam, & ex illo capite confessarius non speret fructum ex admonitione de inualiditate matrimonij, quia talis pœnitens est in statu peccati, cùm credat se iniustè negare debitum. Sed dices, an in hoc casu possit confessarius præcipere, vel monere, vt reddat. Respondet Sanchez *libr.* 7. *disput.* 38. *num.* 8. & cum aliis Bonacina *supr. num* 6. & Villalobos 1. *part. tractat.* 9. *diff.* 70. *num.* 7. non posse, quia tunc confessarius mentiretur, cùm non sit sua vxor, & incitaret ad peccatum: poterit tamen in genere admonere, vt firmiter proponat non offendere Deum in vllo casu: aut poterit dicere in genere, coniuges teneri reddere debitum, cum non sit siue causa nimia scrupulosa. Attamen quando monitio nullo modo speratur profutura, imò potiùs obfutura, & impedimentum omnino ignoratur, nec vllo modo dubitat, aut interrogat de valore matrimonij, videtur mihi valde probabile posse dicere confessarium, *Redde debitum*, nam per imperatiuum nihil falsi enuntiat, sed mouet ad verum practicum; nec ei mentitur, si dicat, *Hic est tuus vir*, nempe reputatione, sicut Ioseph dicebatur pater Christi. Vide Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 27. *numer.* 4. & 5. Cautus tamen sit confessarius, vt in iis casibus non respondeat, nisi in iis, in quibus fuerit interrogatus præcisè, vt si interrogatur ab vxo-

re, an teneatur reddere debitum propter votum simplex castitatis, non respondeat de alio impedimento, quod inuincibiliter ignorat, & nullo modo dubitat, aut interrogat, si non adest spes fructus.

CAP. XI.

De præceptis, seu obligatione pertinentibus ad Ministrum pœnitentiæ.

DVB. I.

Quinam Sacerdotes, & quando teneantur ministrare hoc Sacramentum.

1 Dico primò, Episcopus tenetur suorum subditorum confessiones audire, saltem in graui necessitate, si petatur; est enim pastor, cui ex officio incumbit cura salutis suorum subditorum; præcisa autem graui necessitate, regulariter non tenetur, & facilè potest excusari, quia habet vniuersalius regimen, & plures actiones, quibus incumbere debet, ideóque potest mittere pœnitentem ad Parochum, vt ab ipso, aut ab alio substituto audiatur, nam obligatio audiendi confessiones regulariter pertinet ad Parochos, qui à fidelibus alimenta recipiunt, vt Sacramenta ministrent. Ita Suar. *disp.* 32. *sect.* 1. *num.* 2. Reginald. *lib.* 1. *n.* 81. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 12. *num.* 351 Bonacina *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 25.

2 Dico secundò, Parochi tenentur admininistrare hoc Sacramentum suis ouibus: est commune, & de se patet, quia ei id competit ex officio, & saluti subditorum consulere, & ex alio capite subditus habet ius petendi. Dubitant tamen Doctores, an teneantur toties audire confessiones, quoties petit subditus, ita vt peccet, si non eum audiat. Syluest. *verb. Confess.* 1. *num.* 54. Reginald. *lib.* 1. *num.* 81. Fum. Armilla, & alij apud Suarez *disp.* 32. *sect.* 1. *num.* 3. Bonac. *supr. n.* 23. & Diana *p.* 2. *tract.* 16. *resol.* 2. existimant solùm teneri sub mortali, tempore præcepti semel in anno, aut in periculo mortis; aut quando pœnitenti est necessaria confessio ad aliquod peccatum vitandum: quam opinionem reputat probabilem Diana *supr.* Verius tamen est, teneri Parochum audire subditum, quoties rationabiliter, & tempore opportuno, & iusta de causa petit, & nulla est notabilis causa negandi, seu nisi Parochus tunc temporis feriis detineatur negotiis. Ita Suarez *supr. n.* 4. Bonacin. *supr. num.* 23. Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 17. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 12. *n.* 352. Nauarr. *cap. placuit dist.* 6 *n.* 151. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4 *art.* 2. & alij multi apud Suarez, & Bonacin. Ratio est, quia cùm eis ex officio incumbat saluti subditorum consulere, non solùm tenentur necessaria, sed etiam vtilia, & commoda subditorum suorum procurare; ideóque Parochus tenetur per se, vel alium idoneum confessarium audire pœnitentem volentem confiteri tempore Paschatis, aut ratione indulgentiæ curandæ, aut quia solet tali tempore confiteri, aut quia ei expedit tunc confiteri aut cupit ab onere peccati liberari. Non tamen tenetur per se ipsum id facere, sed sufficit, si sunt alij idonei, dare illis facultatem, vt id faciant: nec semper peccaret mortaliter audiendo subditum, sed tantum quando esset grauis necessitas subditi, & ille non vellet audire, vt si vrgeret præceptum, vel vrgeretur graui tentatione subditus, vel longum iter aggressurus esset, vel si esset in periculo mortis, aut vellet lucrari iubileum, aut si expediat illi valde confessio, & similibus. Fillinc. *supr. num.* 353. Item existimo cum Henriquez *supr. num.* 3. quod non putat improbabile Bonac. *loc. cit. num.* 23. non peccare mortaliter Parochum, qui semel, aut bis in anno non audiret subditum rationabiliter petentem, præcisa tamen eius graui necessitate: nec si volentem frequentare communionem, & confessionem semel, aut bis in bebdomada, repellat propter molestum onus: habenda enim etiam est ratio aliorum negotiorum, & obligationum, quibus premuntur Parochi, qui non tenentur maximum laborem, & diligentiam adhibere, sed moderatam, iuxta prudentis iudicium. Vide Suarez *vbi supra num.* 5. & Dianam *loco cit.* vbi existimat omnia hæc esse probabilia: sub quo autem periculo teneatur Parochus Sacramenta ministrare, dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 6. *numer.* 13. & 14. vide ibi, & *num.* 10. vbi agitur de obligatione personæ particularis, subueniendi proximo spirituali extremè indigenti.

3 Dixi semper, *Parochum teneri*, &c. nam si confessarius non sit Parochus, aut Curatus, non peccaret nolendo audire confessiones, nisi pœnitens existeret in graui necessitate spirituali; nam tunc obligaret charitas, iuxta ea, quæ dixi in Decalogo *loco citat.* eo tamen non existente, non peccaret repellendo pœnitentem, quia non ei competit ex officio, ideóque potest illum mittere ad suum Parochum. At si iam cœpit hic confessarius audire pœnitentem, tenetur Sacramentum perficere, & pœnitentem, nisi sit indispositus, absoluere, ne cogatur eadem peccata iterare: nam et si absolutè liberum sit tali confessario pœnitentem audire, tamen supposito quod illum audiat, irrogaret illi iniuriam, si dispositum non absoluat. Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 18. *num.* 5. Suarez *disput.* 31. *sect.* 5. *num.* 2. Filliucius *tom.* 1 *tract.* 7 *capit.* 12. *num.* 365. & communiter Doctores. Etenim iudex audita causa, debet iudicare reum; ergo si indignus est, tenetur eum absoluere; nam iudicium rectum, supposita dignitate rei, postulat absolutionem. Quod procedit propter easdem rationes, si talis confessarius solùm audierit confessionem venialium, vt benè Suar. *loco citat.* Differentia ergo inter confessarium proprium, & delegatum, absolutè non consistit in eo, quòd proprius teneatur absoluere, non verò delegatus, nam vterque tenetur modo explicato, sed quòd proprius teneatur antequam confiteatur, subditum audire, non verò delegatus, præcisa tamen graui pœnitentis necessitate, & quod non sit alius idoneus, qui possit, & velit ei subuenire.

DVB. II.

Vtrum confessarius debeat se conformare opinioni pœnitentis.

1 Dico primò, si diuersitas sententiarum, seu opinionum inter confessarium, & pœnitentem oriatur, eò quòd pœnitens vult absolui, & indicat se dignum absolutione, confessarius verò iudicat non esse absoluendum, eò quòd iudicat illum esse indispositum, non potest licitè sequi confessarius pœnitentis opinionem, seu iudicium; quia non debet Sacramentum dare indigno; qui autem non est rectè dispositus, indignus est: quo in casu tenetur

tenetur pœnitens se conformare iudicio confessarij, aliter enim si importunus est, peccat, quamuis non cognoscat suam indignitatem; debet enim acquiescere confessario, quia est iudex, & ad eum spectat de pœnitentis indignitate cognoscere. Fillincius *suprà num.* 1. Peccat etiam, quia in eo vult inducere confessarium ad sacrilegium, vt docent citati.

2 Dico secundò, si diuersitas sententiarum inter confessarium, & pœnitentem oriatur, eo quòd pœnitens adhæreat opinioni probabili, confessarius autem reputat contrariam probabiliorem, & tutiorem, potest confessarius, imò tenetur se conformare cum opinione pœnitentis, etsi confessarius longè doctior sit pœnitente. Ita Sotus *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 5. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 80. & 28. Suarez *disp.* 32. *sect.* 5. *num.* 4. Henriq. *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 26. *n.* 6. Fillincius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 12. *num.* 368. Villalobos 1. *part. tract.* 1. *diff.* 12. *n.* 1. & cum aliis Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 2. *num.* 26. Ratio fundamentalis est, quia in hoc casu pœnitens integrè confitetur, & est benè dispositus, nec peccat sequendo opinionem, & id totum constat confessario, vt supponitur; ergo nullum habet ius confessarius negandi absolutionem, consequenter tenetur eam impendere. Limitat tamen Sylu. *verb. Confessor.* 3. *q.* 3. & aliqui apud Suarez *sup. num.* 3. hoc procedere in confessario proprio, non verò in delegato. At eadem est de vtroque ratio, nam etsi delegatus non teneatur absolutè audire pœnitentem, supposito tamen quòd illum audiat, tenetur, si dispositus est, eum absoluere, vt dictum est dubio proximo; at talis pœnitens accedit dispositus, vt iam dictum est; ergo est absoluendus: alioquin enim inferret illi iniuriam. Ita citati, & Coninch *disput.* 8. *dub.* 17. *num.* 135. & Sanchez in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 29. Nec in iis casibus confessarius, quia licet operetur contra opinionem suam speculatiuè, practicè tamen non agit contra conscientiam, cùm absoluat eum, quem nouit esse dispositum, & non peccat sequendo suam opinionem probabilem. Addit etiam Villalobos *supr.* quando confessarius amplectitur aliquam opinionem, scitque dari aliam probabilem, quæ fauet pœnitenti, quam pœnitens ignorat debere sequi confessarium opinionem pœnitenti fauorabilem, quia pœnitens reus est, consequenter ad fauendum, vt dixi in Decalogo *libr.* 8. *dub.* 6. Ex quo colligit, & consequenter quidam, quando adest opinio probabilis liberans reum à restitutione, debere confessarium non obligare pœnitentem ad restituendum: si quidem illa opinio, & animæ, & possessioni, & reo fauet, & ex alio capite difficillimum est restituere. Probabilis quidem opinio, præsertim post factum: ante factum autem existimo cum Henriq. *supr. cap.* 17. & *cap.* 26. *num.* 6. qui *cap.* 27. ait, & bene, debere tutiorem, & saluti viciniorem sententiam consulere, præsertim in iis, quæ à Doctoribus dicuntur media necessaria ad salutem, vt fide explicita, de formali dolore pœnitentiæ, cum formali proposito emendationis, de recipiendo Eucharistiam, & pœnitentiam in re, si commodè potest, & vt restituat; aut proximo satisfaciat. In casu autem dubio confessarius consultus respondeat id, quod probabilius est: quòd si paruus sit excessus opinionum, potest quamlibet consulere; sic in concursu, quando paruus est excessus, reputantur oppositores æquales Henriquez *supr.* videndus. Dixi, *si opinio pœnitentis probabilis est*, nam si est improbabilis, tenetur confessarius illum instruere, qui si instructus noluerit confessario obedire, nec suum errorem relinquere, nullo modo est absoluendus, vt benè cum Ledesma, Villalobos *supr. num.* 4. nam est indispositus, & qui amat periculum, peribit in eo, Ecclesiast. 3.

D v b. III.

Vtrum confessarius absoluere possit pœnitentem obligatum ad restituendum, vel aliquid faciendum, antequam illud faciat.

1 RESpondeo affirmatiue, modò tamen pœnitens firmum habeat propositum illud faciendi, quamprimum poterit. Ita DD. citandi: & ratio est, quia hic censetur accedere dispositus; quia præceptum restitutionis non obligat ad restitutionem faciendam statim metaphysicè, sed moraliter, & data opportunitate, vt dixi in Decalogo *lib.* 7. *cap.* 14 *dub.* 10. Dixi, *modò, &c.* nam si confessarius credat, pœnitentem non habere firmum propositum restituendi, aut satisfaciendi, quamprimum commodè poterit, non est absoluendus, quia accedit indispositus, & non habet propositum vitandi peccata in futurum, nec satisfaciendi suæ obligationi. Quare si confessarius aduertat, pœnitentem aliàs data opera, non satisfecisse suæ obligationi, debet ei denegare, vt in plurimum, absolutionem; quia hoc solet prodesse pœnitentibus, qui tardiores sunt ad restituendum, vt me longa experientia in munere Parochi obeundo docuit: tum quia rationabiliter præsumi potest, pœnitentem suæ obligationi in futurum non esse satisfacturum, vel saltem propositum illius non esse firmum, & efficax, præsertim si id bis, aut ter se facturum promisit, & non fecit, cum illud facere potuisset. Ita Nauarr. *cap.* 26. *num.* 5. Suar. *de pœnit. disput.* 3. *sect.* 2. *num.* 3. Filliuc *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 12. *num.* 357. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4 §. 2. *n.* 19. Dixi, *vt in plurimum*, nam in aliquo casu tales possunt occurrere circunstantiæ loci, temporis, ac personæ, vt possit fides pœnitenti adhiberi, & credi habere firmum, & efficax propositum, consequenter posse tunc absolui, vt dixi *loc. cit.* de restitutione. Filliuc. *supra*, aduertit, & benè, ex Nauarr. *cap.* 26. *num.* 2. iuramentum, & cautionem restituendi exigendam tantum esse in casibus à iure expressis, de quo vide in expositione Bullæ, *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 12.

2 Sed quæres incidenter, vtrum Parochus, cui soluendæ sunt decimæ, oblationes, vel primitiæ, possit à Sacramentorum perceptione repellere, vel Ecclesiastica sepultura priuare eos, qui decimas, primitias, aut oblationes non soluunt Parocho. Respondeo negatiuè, si pœnitens paratus sit ad hæc præstanda, data opportunitate, quia accedit dispositus, secus si paratus sit non ad soluendum dicta; tunc enim Parochus non debet ei dare Sacramenta, quia accedit indispositus. Attamen Parochus, cui debetur ius decimarum, vt euitet scandalum, & suspicionem vsurpatæ sibi iurisdictionis alienæ, debet coram aliis protestari, pœnitentem rebelli à Sacramentis, non quia deneget, quod Parocho debetur, sed quia non vult suæ conscientiæ consulere, seque ad digne Sacramenta suscipienda præparare. A fortiori non poterit Parochus pœnitentem Ecclesiastica sepultura priuare, ob non solutas decimas, hoc enim ius competit superiori, & iudici in foro exteriori. Ita Nauarr. *de decim.* Genuensis in praxi, Neapolitana *cap.* 61. *num.* 10. Bonacin. *tom.* 1. *disputat.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 2. *num.* 21. & alij

ex S.Thom.1.2.q.76.art.1.& Caietan. ibidem,vide in Decal. tom.1.lib.5.cap.3.dub.13. num.12.

3 Quæres secundò, an in occasione proxima peccandi absolui possit,quin eam deserat:huic quæstioni variis exemplis, ac casibus propositis abunde satisfeci in Decalogo tom.2.lib.6.cap.1.dub.9.per totum, de concubinatu. Breuiter tamen dico, regulariter non posse absolui,nisi occasionem deserant, & separentur; quia aliter non censentur sufficienter dispositi, nec propositum vitandi peccata est efficax,nec censentur saltem attriti,cum illud inefficax propositum non auertat efficaciter voluntatem à peccato. Dixi, regulariter, nam aliquando positi in hac occasione absolui possunt, iis concurrentibus. Primò, si diuino fretus auxilio firmiter proponat, positum in tali occasione non peccaturum,imò vt io se erit, conabitur eam vitare. Secundò, quòd intercedat causa notabilis, ob quam separi non possint,vt scandalum,propinquitas, &c. Ita Nauarr.cap.3 num 5.quod in praxi sustineri potest. At si personæ sint soi iuris, & ad peccandum multum procliues,& incontinentes, nō sunt absoluendæ, quamuis scandalum ex separatione sequatur, tunc enim auferenda est occasio, etiam cum graui nocumento temporali; salus enim animæ præstat omni bono temporali. Ita Filliocius tom.1. tract.7.cap.12.num.158.sicque intelligendus Lopez 1. part.instruct. cap.25. Quòd si fuiiutis non fiat, vt famulus,consobrina,seru,filij,&c.pussent absolui cum conditionibus,ex Nauarr. supradictis;oportet tamen, si id commode fieri potest, vt differat confessarius absolutionem & moneat pœnitentem, vt dicat,v.g dominis suis,aut aliis,confessarios nolle ipsum absoluere, nisi euitet occasionē proximam peccandi, vt sic à peccato abstineat. Ita Rodrig. in summ. cap.49. vbi ait, posse in occasione proxima positos absolui, si occasio non est adeò vehemens, nec personæ multum procliues, & male affectæ,ac debiles vt de ipsorū salute desperetur, quamuis sui iuris sint: sic enim absolui potest, qui bis, aut ter in hac occasione positus peccauit cum conditionibus à Nauarr. sdductis. Ad hoc autem vt occasio sit proxima duo requiruntur; alterum vt sit voluntaria, si enim vitari non possit, vel sit ab alio illata, non est voluntaria; alterum, vt sit talis ex suo genere.vt frequenter inducat homines similis conditionis ad talia peccata, vel saltem experientia constet, habere talem effectum in tali homine; si ergo non est proxima modo dicto, semper potest absolui; si autem sit proxima, tollenda est, si nulla causa adest excusans, vt infamia, scandalum, aut aliod graue incommodum modo explicato.

DVB. IV.

An confessarius teneatur pœnitentem interrogare.

1 Dico primò, etsi per se confessarius non teneatur pœnitentem interrogare, vt docet Sotus in 4.dist.18.quæst.2.art.4.ex capit.considerret de pœnit distinct.1. sed simpliciter confessionem audire, & secundum audita, & confessa iudicare. Attamen supposita inscitia, & ignorantia pœnitentis, tenetur aliquas interrogationes necessarias, & vtiles, iuxta dicenda, adhibere, vt melius peccata & eorum circunstantias intelligat,iuxta dispositionem text.in cap. Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss. ibi: Sit Sacerdos discretus,& cautus more periti medici diligenter inquirens peccatorum circunstantias, &c. In quibus interrogandis non debet esse nimius confessarius, sed maxima vti debet prudentia,ita vt præcipuus finis sit salus pœnitentis,curans maximopere, vt verum cordis dolorem, & animi de cætero non peccandi propositum habeat. Quare si prudens confessarius videat pœnitentem esse contritum, neque tanta sarcina peccatorum onustum,dicatque,se diligenter pro sua virili facultate, ac iudicio suo nullius delicti esse oblitum, & etiam videat confessarius, illum esse benè confessum,non tenetur eum amplius interrogare,vt benè cum Ledesma,Villalobos 1.part.tract 9.diff.69.n 4. & Filliuc. tom.1. tractat. 7. cap. 12. num. 360. quia præceptum interrogandi pœnitentem est affirmatiuum; atque non obligat pro semper, sed data necessitate, & attentis circunstantiis loci, temporis, & prudentiæ personæ; proinde in dicto casu non obligat præceptum interrogandi; imò non esset actus prudentiæ talis interrogatio; quare non prudenter procedunt aliqui ignari Sacerdotes,qui pœnitentem doctum, ac benè confessum sine causa,& necessitate interrogant. Quando verò pœnitens non apparet tanta prudentia præditus, nec tantam suæ conscientiæ curam gerere, tunc debet confessarius eum interrogare, ea nimirum,quæ secundùm suum statum, & officium verisimile est incurrisse, citra molestam tamen minutiorum perscrutationem & præcipuè,vt D.Thom.admonet in 4.dist.17. quæst. 3. de re venerea non multiplicet interrogationes, tum vt pudori confitentis, tum vt vitetur periculum consensus in ipso, aut pœnitente: nam doceat peccare pœnitentes, vt dixi cap anteced. vbi de prudentia confessarij.Hinc fit confessarium teneri interrogare pœnitentem,qui fecit quod in se est, si tamen confessarius credat, aut rationabiliter dubitet pœnitentem oblitum esse alicuius peccati. Nauarr. cap. 5. num 2. diff. 11. Villalobos supra num.2.requiritur enim hoc ad iudicij integritatem, & ad officium iudicis pertinet curare, vt iudicium integre fiat. Syluest. confessor.3. §. 14. aliter enim necessarium, non esset rusticos interrogare (quod minimè est dicendum) qui etsi fecerint quod ex parte eorum creduntur fecisse, vix peccatorum,eorumque circunstantiarum recordantur. Quo in casu si pœnitens neget aliquod peccatum de quo interrogatur,si confessario non certò constet de illo, absoluat eum,nam regulariter tenetur illi credere, ex doctrina D. Thom quolibet. 1. artic.12.communiter recepta, modò non certò,& euidenter constet contrarium confessario, vt dicetur conclus. seq.

2 Dico secundò, quando confessarius scit certò, & euidenter pœnitentem commisisse aliquod peccatum de quo non se accusat, si credat probabiliter non fuisse illud confessum, tenetur de illo interrogare, & si illud negat, & confessor habeat notitiam illius peccati extra confessionem, quia scilicet, confessarius vidit illud peccatum committentem, & non fuisse postea de illo, nec aliis confessum, potest vti illa scientia ad illum conuincendum, & si perneget euidenter que cognoscat eum mentiri, non debet illum absoluere; nam absoluisset indispositum; aliter enim sequeretur, teneri confessarium absoluere indignum, quamuis esset publica meretrix, aut publicus vsurarius, si in confessione hæc peccata retineret, quod quam absurdum & falsum sit, nemo ignorat. Etenim quamuis regulariter credendum sit pœnitenti, tam pro se, quàm contra se, vt dictum est concl. anteced. cum D.Thom.hoc tamen non procedit,quando euidenter notum est confessario extra confessionem, pœnitentem mentiri,vt pluribus Suarez tom.4. de pœnit.disp.32.sect.3.n.9. Villalob.sup.n.3. Filliuc.loc.cit. num.360.

*num.*360.*in fin.*& alij. Dixi, *extra confessionem*, nam si confessarius ex confessione complicis scit illud peccatum, tenetur cum maxima prudentia procedere, vt dixi *c.*9.*dub.*5.*n.*115. vbi de sigillo confessionis, *&* *cap.*1.*dub.*1.& tenetur indicare secundum acta, & probata modo locis allegatis dicto.

3 Sed quæres de quibus sit interrogandus pœnitens. Respondeo, in hoc non posse dari certam regulam, sed id colligendum ex ipsius pœnitentis confessione, statu, ac officij, proinde expedit, vt confessarius sinat eam suo modo confiteri, & tunc videbit de quibus illum interrogare debeat, vt dixi *cap. anteced. dub.* 11.*num.*1. *vers. Primo igitur*, vide ibi, ne iterum idem repetam. Attamen claritatis gratia adducam aliquas interrogationes, quibus prudens confessarius vti poterit, stientis loci, temporis, ac personæ circunstantiis, vt dicemus, *dub. seq.* de quibus Nauarr. *cap.*5.*&* 10. Henriq. *lib.*3. *de pœnit. cap.* 29. supponendo interrogationes aliquas faciendas esse ante confessionem, quæ dicuntur præambula confessionis: aliàs verò in ipsa confessione seu inter confitendum.

D v b. V.

De præambulis, aut interrogatoriis ante confessionem.

1 Confessarius sedens, signo Crucis munitus, implorato prius Dei auxilio, recitato Psal. *Miserere mei Deus*, aut saltem versiculo illo: *Cor mundum crea in me Deus, spiritum rectum innoua in visceribus meis.* vultu benigno excipiat pœnitentem, quem ad latus dextrum, manu interposita audiat; fœminas dum audit, ne inspiciat, sed linteo cilicino se præmuniat, ne se fœdet, dum aliorum pedes lauat, vt benè aduertit Henriq. *lib.*3 *de pœnit. c.*17.*&* 18.

2 Interrogabit ergo confessarius primò, si non cognoscit pœnitentem, an pœnitēs sit ipsius subditus, seu an exiftat sub illius iurisdictione, aliter non poterit eum valide audire, cum careat iurisdictione omnino necessaria ad huius Sacramenti validitatem, iuxta dicta *cap.* 10. *per totum*, nisi pœnitens habeat Bullam Cruciatæ, aut aliud priuilegium, aut licentiam à suo Parocho, quæ sufficit verbo, nam pœnitenti tàm pro se, quàm contra se est credendum in hoc foro modo dicto *dub. anteced. num.* 2. vel nisi pœnitens sit in articulo, vel periculo mortis, vel nisi tantum habeat venialia, aut mortalia aliàs ritè confessa; vel nisi pœnitens sit Papa de quibus late *dicto capit.*

3 Secundò interrogabit, ex quo tempore non sit confessus, si respondeat duobus annis, aduertat confessarius, hunc præter peccata, quæ commisit contra Decalogum, commisisse quatuor peccata, nempe duo de non confitendo in duobus annis, & alia duo de non communicando in illis, eo quod bis singula hæc præcepta violauit. Non tamen est de iure communi ipso facto excommunicatus; nam excommunicatio capitis. *omnis vtriusque sexus*, tantum est comminatoria; nec in nostra Valentina Diœcesi donec quinta Dominica post Pascha post trinam monitionem à Parocho tribus Dominicis præcedentibus factam excommunicatos declaretur, vt dixi in Decal. *lib.*3.*cap.*4.*dub.*2.*num.*14. peccauit tamen mortaliter, qui cum potuerit, in Dominica in Albis non est confessus, aut non communicauit in hac nostra Diœcesi, vt dixi *loco cit.* qui si pro excommunicato nominatus fuerit publicè, non poterit sine licentia Ordinarij absolui; nam irrogaretur iniuria iudici, parui penderentur censuræ, & perturbaretur ordo iuris, vt dixi in expositione Bullæ, *lib.*1. §.7.*cap.*1.*dub.*10. At si hic excommunicatus præsertim si sit occultus, & ob aliquam iustam causam adiri non potest Ordinarius, videtur posse absolui ratione Bullæ, nam nulla irrogatur tunc iniuria parti, & ex alio capite de facto satisfacit præceptis Ecclesiæ. Vide *in loco cit. Bullæ.*

4 Tertiò, an conscientiam discusserit, seu an examen fecerit peccatorum, nam si sufficiens non fecerit examen iuxta dicta *cap.*6. *dub.*3. *num* 10. non potest validè audiri, & absolui, nisi in articulo mortis, vel nisi tanta sit peritia confessarij, vt defectum examinis supplere possit, vt *loc cit.* dictum est.

5 Quartò, an habeat dolorem de peccatis propter Deum; item an habeat firmum propositum de cætero non peccandi; qualis dolor requiratur, & quale propositum, dixi *cap.* 5. vbi de contritione, & attritione.

6 Quintò, an is impleuerit pœnitentiam, si respondeat, quod non, iterum interrogandus, an eam acceptauerit, si eam non acceptauit, fuit Sacramentum inualidum, iuxta dicta *cap.* 7. *dub.* 4. ideò tenetur illud iterare; si verò acceptauit, non tamen impleuit eam ob negligentiam, vel culpabilem obliuionem, si grauis erat pœnitentia, peccauit mortaliter; si leuis, venialiter, vt dixi *cap.* 7. *dub* 4. *num.* 5. quo in casu si expedit, poterit eam commutare confessarius modo quo dixi *supr. cap.* 7. *dub.* 3. non tamen in hoc casu fuit confessio inualida, consequenter non est iteranda, vt dixi *c.* 7. *cit. dub.* 3. *num.* 12.

7 Sextò, si sine causa, vel ob verecundiam, scienter, omisit confiteri aliquod peccatum mortale, quod contingere solet præcipuè in pueris, fœminis, & rusticis: vel ob ignorantiam crassissimam, & affectatam; nam tunc omnes confessiones sunt nullæ, & iterandæ, iuxta dicta *capit.* 6. *dub.* 9. *numer* 3. si verò ignorantia non fuerit crassissima, nec affectata, & à fortiori si fuit inuincibilis; confessiones fuerunt validæ, informes tamen, & sine fructu, vt dixi *cap.* 6. *dub.* 6.

8 Septimò, interrogabit, an habeat famam, honorem, aut bona restituenda; votum, aut iuramentum adimplendum, nam hic non est absoluendus, præsertim si bis aut ter promiserit suæ obligationi satisfacere, & non fecit cum potuerit, vt dixi *hoc cap. dub.* 3. *num.* 1. nisi sit periculum in mora, aut in casu raro, modo ibi dicto.

9 Octauò, interrogabit confessarius, an pœnitens sit excommunicatus, & ob quam causam, & habeat aliquem casum reseruatum; at quia pœnitentes vix sciunt excommunicationes, & casus reseruatos, potest hæc interrogatio omitti, quia id melius constabit ex discursu confessionis. Quomodo sit absoluendus habens casus reseruatos, late dictum est, *sup. cap* 11. per totum.

10 Demum aduertet confessarius officium, aut statum pœnitentis, & iuxta eum illum interrogabit particulariter, discurrendo per singula præcepta Decalogi, modo *vt in dub. seq.* si id status pœnitentis postulauerit.

11 Hæc sunt, quæ Parochus ante confessionem interrogare potest, non tamen sunt semper ab omnibus interroganda, sed ab ignotis, rusticis, & imperitis, obseruatis loci, temporis, & personæ circunstantiis, modo dicto *in dub. antecd.* Ego autē quando non agnosco pœnitentem, soleo interrogare, an sit meus subditus. Secundò, an fecerit debitum examen. Tertiò, an habeat dolorē de peccatis, & firmum propositum de cætero non peccandi. Quartò, an adimpleuerit pœnitentiam. Quintò, an omiserit aliquod

quod peccatum scienter, aut ob ignorantiam: his autem qui frequentant Sacramenta, fere nullæ sunt præmittendæ (vt fieri solet) interrogationes, præsertim si docti, aut periti sunt, sed sinat eos confiteri confessarius, vt solent, vt dixi *dub. anteced.*

D v b. VI.

De interrogatoriis faciendis in confessione circa singula peccata Decalogi.

1 ADuerte, interrogationes proponendas non esse faciendas omnibus, sed illis tantum, quibus prudens confessarius secundum loci, temporis, & status, personæ circumstantias adhibendas iudicauerit, & tunc eas solum, quas necessarias existimarit, quod totum relinquitur prudentiæ confessarij: proponuntur tamen hîc vt habeat in promptu, vnde possit sumere eas, quas necessarias, aut vtiles senserit præsertim, si famosi peccatoris, & longi temporis confessionem audiat de quibus Henr *lib.4. de pœnit.c.19.* Nauar. *c.5.& c.10.n.3.& c. consideret de pœnit dist.6.num.6.* Medin *in sum. lib.2.cap.7. & lib.1.c.18.* & alij quos isti citant, & Fillioc. *tom.1. tractat.7. in instr.pro confessariis cap.5.*

2 In primis interrogabit, seu interrogare poterit confessarius, tempus vltimæ confessionis, & an impleuerit pœnitentiam. Secundò, statum pœnitentis, an solutus, mercator, miles, officialis, &c. Tertiò dispositionem, an paratus veniat.

3 In primo præcepto, circa fidem interrogabit an aliquid contra eam crediderit; aut in ea dubitauerit. Circa spem, an desperauerit, præsumpserit, tentauerit Deum, spem totam in creaturis posuerit: circa charitatem, an Deum odio habuerit, an Deum amauerit, quomodo, & quando tenetur. Circa Religionem, an Deum in necessitate orauerit, an Officium recitauerit. Si est Beneficiarius, aut sacris ordinatus, an commiserit sacrilegium aliquod, an superstitionibus, aut maleficiis vsus fuerit, an blasphemauerit in Deum, vel sanctos; demum, an sciat doctrinam Christianam: aduertat prudens confessarius, vt se accusent pœnitentes, saltem sub conditione, de omissione in præceptis affirmatiuis, dicēdo: *Acuso me si no he amado à Dios como deuo, y esto y obligado*, & sic de aliis, quia difficile est nosse quando, & quomodo hæc obligent.

4 In secundo circa iuramentum, si iurauit falsum, vel si dubium cum iuramento firmauerit, si cum iuramento promisit aliquid bonum, vel malum facere absque intentione adimplendi si iurauit falsum in iudicio, quia est casus nostro Valentino reseruatus, *vt supr. cap. 11. dub. 3. n. 15.* si iurauit facere id, quod est mortale circa votum, an si tardus in adimplendo, aut illud fregerit, & quoties, an promiserit quod non est bonum, & videat an expediat illud commutare.

5 In tertio, an Missam totam, vel notabilem partem, vt tertiam, omiserit sine causa, vel cum magna distractione confabulatus, aut aliàs non fuerit attentus Missæ, an opus seruile per duas horas ipse fecerit, vel fuerit causa, vt alius faceret, sine necessitate: interrogabit etiam hîc de ieiunio, confessione, & communione annua, & solutione decimarum.

6 In quarto præcepto interrogabit primò, de dilectione generali in proximum, de signis generalibus, & communibus erga inimicos, remissione iniuriæ, & pace petita, & an illum odio habuerit, an extreme, vel grauiter indigenti subuenerit, an omiserit corrigere illum, quando adest spes emendæ. Inquiret etiam de obligatione filiorum erga parentes, an eos dehonestauerit, aut maiores, qui nomine parentum comprehenduntur, si dixit eis verbum iniuriosum, si eis non succurrit in graue necessitate, si eis non obediuit, cum præcepto, aut lege aliquid graue iubent, pertinens ad gubernationem domus, ad bonos mores, & ad salutem animæ. Item, inquiret de obligatione parentum erga filios, si habent curam illorum quoad necessaria salutis, & quoad bonos mores, an permisit eos male viuere, vel si præbuit illis malum exemplum. Item, si Rex, Episcopus, Iudex, dominus habent curam suorum subditorum. Item, interrogabit de obligatione vxoris respectu viri, an illum iniuria affecerit, an ei obediat in spectantibus ad bonos mores, & gubernationem familiæ, in redditione debiti, & an sua morositate, & rixa blasphemare, vel maledicere faciat virum. Item, an vir vxorem iniuria affecerit, vel percusserit, an debitum ei negauerit.

7 In quinto inquirere potest, si sibi, aut aliis mortem, vulnera, infamiam, graue malum optauit vel gauisus est de morte patris, fratris, ob hæreditatem, vel ex inuidia, odio, &c. si morose delectatus sit de vindicta, vel doluit de aliorum prosperitate, si protulit contumelias, vel conuicia, & minas ex ira, si iniuste occidit, vulnerauit, mutilauit; si occisus, aut vulneratus, est parēt, est casus Valentino reseruatus, *vt supra cap. 11. antecedent. dub. 3. num. 4.* Si occidit proditoriè, etiam est illi casus reseruatus, si percusserit Clericum, est excommunicatus à iure excommunicatione Papæ reseruata. Aduertat etiam confessarius, quando occisor teneatur restituere, si fuit causa abortus, si ad aliquod ex his cooperatus est vno ex nomen illis modis, iussio, consilium, &c. Item si scandalo fuit causa mortis spiritualis, inducendo ad peccatum, vel publicè peccando.

8 In sexto præcepto, incipit à longe, & sic primò interrogabit, an habuerit turpes cogitationes cum consensu, si morose delectatus sit, si verba inhonesta, aspectus, tactus libidinosi intercesserunt, & cum quo, aut cum qua; si vlterius processit ad opus, vt si cognouit fœminam, an sit soluta, virgo, coniugata, consanguinea, aut voto Religionis, aut castitatis Deo sacrata, si intra, aut extra vas, si intra Ecclesiam: si commisit sodomiam concubans cum viro, aut fœmina in vase indebito, aut fœmina cum alia, medio aliquo instrumento, aut sine illo, aut si concubuit cum bestia, aut Diabolo, si in vigilia se polluit, & cum qua, vel quibus cogitabat: si duo viri se vicissim polluerunt mutuò se prouocantes, si passus pollutionem in somnis dedit ei causam in vigilia, aut si de ea experrgefactus, est delectatus: si insecutus est fœminam diu, an peruenerit ad verba, literas, munera, tactus, si ornatu, musica, nutu, aspectu, deambulatione, & aliis vsus est, animo placendi, & prouocandi ad carnem: si gaudet lectione librorum impudicorum, quibus se prouocauit; si optat se concupisci, & in hunc finem se ornauit, si complacuit de sermone turpi praua intentione, si se iactauit de huiusmodi peccatis: si vsus est nuntio, per quem misit, aut epistolam, aut munera: si dedit donum ad peccandum, vel fuit socius, consiliarius, aut internuntius pro alio. A coniugatis, an negauerit debitum absque causa, an illud petierit cum impedimento affinitatis, cognationis spiritualis, voti castitatis, periculo abortus, vel effundendo semen extra vas.

9 In septimo, interrogabit, si furatus est in notabili quantitate, etiam à parentibus: si intulit damnum notabile alicui: an iussus in alia confessione restitue-

riti;

rit, hic etiam interrogabit de bonis nsufragantium, & latrocinio maritimo, item an soluerit decimas, & primitias integre, & tributa debita: si non adimpleuit testamenta parentis, aut alterius, si concupiuit furari, vel retinere aliena cum damno proximi: si verbo consilio, auxilio, aut facto fuit causa damni notabilis. Item, an vsus fuerit fraudibus in emptione, aut venditione circa rem, pretium, pondus, mensuram, numerum, vel si emit rem alienam scienter. Item an vsuram commiserit in mutuò, in emptione anticipata, vel dilata solutione, in cambiis, in societatibus, censibus. Item, de fraudibus in ludo, & an aliquem induxerit ad ludendum precibus importunis, aut minis.

10 In octauo, si protulit mendacium perniciosum, aut cum iuramento, si falsum testimonium, dixit, si falsum imposuit; vel peccatum occultum reuelauit, si proximo detraxit, si est causa murmurationis, & infamiam alterius refert, vel audit eum delectatione, & cooperando infamationi, si absque causa aperuit secreta notabilia peccati, aut grauis infamiæ, vel secreta Capituli, aut Collegij, quæ sub iuramento adstrictus erat custodire: si aperuit alienas litteras, reputatas in illis contineri aliquid graue, si temere iudicauerit, aut suspicatus fuerit graue malum de aliquo absque causa. Item, an fuerit susurro seminans discordias, vel irrisor animo confundendi. Item, an maledixerit eaoptans, vt malum eueniat. Demum interrogabit de iniuriis in iudicio ea parte iudicis, accusatoris, rei, testis, aduocati, & procuratoris.

11 Circa peccata capitalia poterit interrogare primò de superbia, an putauerit à se habere bona, vel à Deo ex propriis meritis, vel sibi tribuit, quod non habet, vel si alios contempsit inordinate. De vana gloria. quando optatur, vel quæritur de re mala, aut malis artibus, aut relata ad malum finem; interrogabit etiam de inobedientia, & ambitione, de gula, an per eam violatum sit præceptum, vel ea quæsita sit cum notabili damno salutis propriæ, vel proximi, vel propter eam debita non soluantur. Reliqua reducta sunt ad præcepta, vt auaritia ad septimum, luxuria ad sextum, ira, & inuidia ad quintum. Acidia non est peccatum mortale communiter, nisi quando ob eam violatur præceptum sub mortali: de reductione horum peccatorum ad decalogum dixi *ibi in proœmio prælud.* 1. *num.* 20.

12 Demum circa proprium statum pœnitentia quærat, an sciat necessaria, & obligationes proprij status, & negligens sit in illis adimplendis: an aliquid amplius in memoria retineat, generaliter se accuset, & doleat se offendisse Deum in custodia quinque sensuum, trium potentiarum, & circa opera misericordiæ: accuset se etiam generaliter de multis præceptis affirmatiuis, quorum temporis obligatio facilè non scitur, vt de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, de humilitate, pœnitentiis, conuersione in Deum tempore vsus rationis, de religione, qua debuit Deum interius, exteriusque reuereri, & gratias agere pro beneficiis acceptis, quibus ingratus sæpè reincidit in peccata, de oratione qua petere debuit auxilium à Deo in tentatione graui, de periculo peccati, cui se exposuit negligenter, vel fecit, de quibus dubitare debuit, an essent peccatum mortale: addat tandem, *accuso me*, de quocumque defectu commisso in actu confessionis, vel extra illam, eo modo, quo est, & Deus scit me peccasse, vel si fui causa, vt alter Deum offenderet.

Dvb. VII.

Quid præstabit confessarius finito examine.

1 Prudens confessarius, finito examine, aduertat primò, an pœnitens egeat tempore, quo diutius præmeditetur peccata. Secundò, an teneatur repetere confessiones præteritas. Tertiò, an habeat casus reseruatos, vel excommunicationes. Quartò si Clericus est, an cum impedimento retineat vsum Beneficij, & Ordinum. Quintò, si obstrictus restitutioni, & iussus à Confessario, non restituit, cum potuerit, aut si non satisfecit læsis. Sexto, si retinet suum officium, cui est insufficiens. Septimò an habeat ignorantiam de Doctrina Christiana, & obligationibus ad suum statum pertinentibus. Octauò, si iacet in statu peccati propter consuetudinem, periculum, aut proximam occasionem. Nonò, in quibus casibus neganda sit absolutio. Decimò, an habeat firmum propositum de cætero non peccandi, circa quod potest credere pœnitenti, vt credit peccata, & excusationes, nam regulariter pœnitenti, tàm pro se, quàm contra se est credendum, vt sæpè dictum est, & tenet Nauarr. *c.* 17. *n.* 59. & Henriq. *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 18. *n.* 1. Nec oportet vt intellectu ipse, vel pœnitens credat, se amplius non peccaturum mortaliter, sed sat est, vt voluntate proponat, se cum Dei gratia cauturum, quantum in ipso fuerit, vitare peccata: sicque ait Sà, *verb. Absolutio*, absolui potest, qui verè proponit abstinere à peccato, quamuis credat se proposito non staturum. Aduertat etiam diligenter, an positus sit pœnitens in occasione proxima peccandi: quomodo hic sit absoluendus, dixi *hoc cap. dub.* 3. *vers. Quæres.*

2 His animaduersis, si confessarius nullum reperit absolutionis impedimentum, animaduertat etiam, quæ sit radix, causa præcipua, aut occasio peccati, & circa illam prouideat remedium, proindeque tenetur scire remedia contra peccatum, saltem in communi, quibus præscindantur occasiones reincidendi, & bonum propositum confirmetur Consulat frequentiorem pœnitentiam, & communionis vsum, vt audiat conciones, piorum precibus se commendet, & meditetur nouissima, & præcipue Passionem acerbissimam Christi Domini nostri. Doceat vt occurrens importunæ tentationi, statim imploret Dei auxilium, & dicat saltem corde, *Nolo, non consentio*, statimque proponat (non autem iuret, aut voueat, nisi rarissime, & de consilio confessarij) si reinciderit, in abusum iurandi, aut in aliud peccatum consuetum, sequenti die ieiunaturum (si commode potest) in pane, & aqua, vel aliam mortificationem suscepturum, vel dicturum Rosarium, aut daturum eleemosynam, vel intra triduum illud peccatum confiteri. Non autem iuret, aut voueat, se id peccatum non admissurum, in quod procliuis est, aut Religionem ingressurum, quod adolescentibus frequens est. Ad hæc iuuat piorum librorum lectio, de vita Christi, & sanctorum, in festis visitare hospitalia, & infirmos verbo, & eleemosyna consolari.

3 Ante absolutionem curet etiam, vt pœnitens grauitatem peccati sentiat, adducens exemplum de eiectione Luciferi è cœlo ad inferos, & expulsione primorum parentum è paradiso, quod peccatum priuat gratia Dei, & hæreditate Regni cœlestis, facit reum æternæ pœnæ: quod Dei Filius ad delendum peccatum incarnatus est, & acerbissimam mortem sustinuit. Hinc moueat ad amorem diuinæ bonitatis, propter tot, & tanta beneficia, quæ à Deo

Deo accepit. Hinc etiam doleat de peccatis cum proposito emendæ, & satisfactionis propter Deum summe dilectum. Consoletur prætcrea pœnitentem, proposita spe veniæ, exin æternæ Dei misericordiæ, & inexhausto meritorum Christi Domini nostri thesauro scrupulosos, & deiecti animi, & eos, qui ad amorem sunt propensiores confidere magis iubeat, quàm timore deterreat: quibus peccatis eum benigne absoluat, & eum pace dimittat. Vide Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 31.*

4 Circa ægrotos periclitantes adhibeat summam diligentiam, eo quòd ex puncto mortis pendeat æterna salus, aut damnatio, ideóque in eo articulo nulla est peccatorum reseruatio: si careat loquendi vsu & signa peccati, dolorísque ostendat, ne timeat absoluere sub conditione, curet, vt recipiat Sacramentum Eucharistiæ, vt viaticum, & extremam vnctionem; & vt vice pœnitentiæ toleret patienter morbi, & mortis ærumnas, concedat indulgentiam, si forte Bullam Cruciatæ habeat, aut calculos benedictos hortetur, vt vehementer confidat de Dei misericordia, Christi sanguine, & efficacia Sacramentorum, cum nunquam sera sit pœnitentia facienti cum Dei auxilio, quod in se est. Hortetur etiam, vt testamentum condat, & relinquat illum in sua libertate (si nihil contineat contra conscientiam) vt legata faciat pauperibus, præsertim si coniuncti sint, & aliis piis operibus, & vt faciat testamentum, vel illud confirmet, cum creditur esse in statu gratiæ, vt post suscepta Sacramenta, vt piis legatis tanquam operibus viuis peccata redimat. Henriquez videndus *supra n. 8. & 9.* vide etiam Nauarr. *cap. 26. n. 26. & 36.* & F. Medinam *lib. 2. cap penult. & vltim.*

5 Sed rogabis, quomodo se gerere debeat confessarius circa pœnitentem, quem non potest absoluere, quia indispositus accedit, v.g. quia non vult relinquere concubinam, aut alienum restituere, & sequitur scandalum, si non absoluatur. Respondeo, si tantum est indispositus, quia accedit imparatus, & sine examine, tunc poterit illum interrogationibus adiuuare, & illum absoluere, vt tenet Posseuinus *de offic. curat. cap. 7. num. 22. & 43.* cum Lopez *1. pars. instruct. cap. 28.* & dixi *supr. cap. 6.* vt si puella accedit cum matre, & dicit non cogitasse peccata; vel si dicat, præ pudore dimidiasse confessionem, abhinc duobus, vel tribus annis; tunc enim si examen mediocriter possit suppleri interrogationibus factis, & aliàs sequatur scandalum, poterit audiri, & absolui. At si curatus impræparatum non audierit, ait Posseuinus *dict. num. 22.* non malè faciet, nec scandalum præbebit, illum non audiendo, & sibi imputet pœnitens, qui imparatus accedit, & rectè omne scandalum tolletur, si pœnitens dicat, se non esse absolutum, quia non præparauit se, & hoc infamiam non causat. Addo, casu, quo impræparatus non possit interrogationibus adiuuari, nec examen suppleri, vt si infirmus communicandus dicat Parocho, abhinc decem annis inualidè fuisse confessum, & non sit locus propter angustias temporis, & circunstantes, repetendi confessiones, adsitque scandalum, si non communicat, tunc disponat se per contritionem, & communicet, vt cum Sylu. Soto, & aliis tenet, & Posseuinus *cap. 7. citat. num. 43. § si autem.* Quod si indispositus sit, eo quod sit in peccato mortali, vel quia non vult peccati occasionem abiicere, vel alienum restituere cum possit, nullatenus est absoluendus, sed poterit fingere confessarius, monito de hoc pœnitente, quod illum absoluit recitando orationem Dominicam, vel dicendo, misereatur tui, &c. ne circunstantes scandalizentur. Quid si pœnitens minetur mortem confessario, nisi eum absoluat? Vide in Decalogo *lib. 2. cap. 1. dub. 15. num. 4. de iurament.* vbi cum Diana *part. 2. tractat. 6. miscellan. resolut. 50. versicul. Nono*, dictum est posse confessarium proferre verba absolutionis absque intentione, ad effugiendam mortem sibi minatam à pœnitente, si eum non absoluat: secluso tamen fidei contemptu; nam in tali casu tenetur potius mortem subire, quàm illum absoluere.

Dvb. VIII.

Ad quid teneatur confessarius, qui defectum aliquem commisit in confessione.

1 Nota defectum, vel esse leuem, & non circa substantialia, aut grauem, & circa substantiam. Non loquimur de primo defectu; nam cum hic non sit grauis, nec circa substantiam, videtur nullam obligationem imponere confessario: loquimur ergo de defectu substantiali, qui potest contingere in quatuor casibus. Primus, si absoluit sine iurisdictione Secundus, si non habuit intentionem absoluendi. Tertius si absoluat pœnitentem, qui non est rectè dispositus quoad dolorem, aut integritatem, & hoc cognoscit confessarius, sed ob timorem, aut verecundiam non est ausus negare absolutionem. Quartus, quando confessarius non monuit pœnitentem de restitutione facienda, vel malè circa eam consuluit.

2 Dico primò confessarius qui malè absoluit pœnitentem à censuris, à quibus defectu iurisdictionis absoluere non poterat, debet procurare facultatem ad absoluendum illum, & potest, illa obtenta, imò tenetur, absoluere pœnitentem absentem, si eum præsentem commode habere non potest. Ita Nauarr. *c. 26. n. 14.* Suar. *disp. 32. sect. 6. n. 3.* Coninch *disp. 8. dub. 17. n. 541.* Villalob. *tract. 9. diff. 75. n. 2.* Bonacin *tom. 1. disp. 5. q. 7. punct. 6. § 5. n. 1.* Ratio est, quia absolutio à censuris conferri potest absenti eo inscio, imo & inuito, & quamuis existat in peccato mortali, vt docent citati, & communiter DD. quia absolutio à censuris non est sacramentalis, sed iudicialis quædam scientia fori contentiosi: tum quia aliter priuarentur talis excommunicatus, iuxta sententiam asserentium excommunicatum, etiamsi contritus sit, priuari suffragiis. Hanc autem doctrinam limitat, & benè Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 12. n. 320.* nisi fortè facultas absoluendi à censuris fuisset stricta ad ipsum Sacramentum, ita vt non possit ab ea nisi in Sacramento, auditis peccatis, & simul absolui: tunc enim non posset absoluere absentem, vt de se patet, & clarius infra. Idem dic, quando confessarius noluit absoluere à censura, cum reuera potuerit, tunc enim mutata intentione poterit absentem, modo dicto absoluere. Filliuc. *sup.* Quòd autem teneatur sic absoluere, patet, quia cum sit in culpa, debet defectum supplere, & pœnitenti subuenire, eo modo quo poterit.

3 Dico secundò, quando defectus est circa peccata, quando scilicet confessarius malè absoluit à peccatis, eo quòd erant reseruata, & non habebat facultatem absoluendi ab eis, non potest absoluere pœnitentem absentem etiamsi obtinuerit facultatem absoluendi à reseruatis, est contra Nauarr. *cap. 26. num. 14.* & Henriq. *lib. 2. de pœnitent. cap 2. num. 1.* quorum sententia nunc minimè sustineri potest eo quòd iuxta decretum Clem. VIII. de anno 1602. prohibitum sit absoluere à peccatis pœnitentem absentem, vt dixi *hoc lib. cap. 2. dub. 4. num. 10.* Idem

dicendum

dicendum ob eandem rationem, quando confessarius non habuit intentionem absoluendi, aut scienter indispositum absoluit; quid ergo faciet confessarius in hoc casu? Respondeo, teneri vocare pœnitentem & illum monere de defectu pœnitentia, si id facere potest confessarius absque damno proprio, aut scandalo aliorum, vt docet Henriq. *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 18. Nauarr. *loco cit.* Suarez *disp.* 32. *sect.* 6. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 372. Bonacin. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 6. *num.* 3. & 4. Coninch *disp.* 8. *dub.* 17. *conclus.* 9. & alij. Ratio est, quia tunc monitio prodesse potest, & nulli affert nocumentum; ergo tenetur eam facere, cum ipse fuerit in causa, vt diuinum præceptum reuera non adimpleretur. Confirmatur, quia index tenetur, si malè sententiam tulit, illam declarare, si commodè potest; at confessarius est iudex; ergo. Nec refert, an confessarius peccauerit, vel non; nam huiusmodi obligatio oritur ex facto ipsius, si postea cognoscatur. Ad idem tenetur ob eamdem rationem confessarius qui ex malitia, vel inaduertentia inualidè absoluit. Quando in iis casibus confessarius habet præsentem pœnitentem, petat ab eo licentiam, dicendo, opus est mihi tecum aliqua de confessione præterita conferre, qui si licentiam concedere noluerit, confessarius liber erit: nam iam satisfecit suæ obligationi, faciendo quod potuit, & tunc defectus, aut error imputetur pœnitenti: idem dic quando pœnitens est absens, & vocatus per litteras noluit venire, vt docet Ledesma in *sum. cap.* 22. *de pœnitent.* Caueat tamen quando eum vocat (vt tenetur) per litteras, ne in scriptis monitionem faciat de confessione, ne saltem indirectè sigillum frangat, sed tantum dicat, vt veniat; quia habet quoddam graue, & arduum negotium tractandum cum eo. Quòd si pœnitens possit reuocari, & præsens licentiam concesserit, confessarius debet monere, & curare, vt iterum sibi in particulari confiteatur ea peccata, circa quæ defecit, vel curauit confessarius, & peccata, quæ postea commisit pœnitens, & da alia, quæ in defectuosa confessione confessus fuit, moneat, vt in genere se accuset, quod sufficit, modò confessarius memor sit saltem status pœnitentia, vt dictum est *sup. c.* 6. *dub.* 8. *num.* 13. & docent Suarez Filliuc. Bonacin. *ubi sup.* & alij, quibus factis pœnitentem absoluat, monitio prius de errore ex parte pœnitentis. Ex his constat non esse audiendum Ioann. Valer. *verb. Pœnitentia, diff.* 9. *num.* 2. asserentem nihil faciendum esse circa hunc pœnitentem ignarum sic absolutum, nec impetrandam esse à superiore licentiam à reseruatis absoluendi, quia fuit indirectè ab eis absolutus; quia taliter absolutus tenetur, dum conscius fuerit erroris, illa peccata confiteri; ergo confessarius tenetur illum monere, eo quòd fuit causa erroris, si id absque scãdalo facere possit, quòd difficilè putat in tali casu teuera non adesse. Fauet. *in disp. de pœnit. in* 4. *dist.* 19. *q. vnic. disp.* 33. *c.* 3. *n.* 18. apud Diana 2. *p. tract.* 15. *resol.* 60.

4 Sed dices, quid si pœnitens mortuus sit, aut quia longissimè distat, aut quia ignoratur, vbi existat, aut si viuus est, si non potest vocari, aut moneri absque graui detrimento confessarij, aut pœnitentis, vel absque graui offensione, aut scandalo. Respondeo, non teneri eum tunc vocare, sed satis esse confessori dolere de peccato commisso; & relinquere pœnitentem in bona fide, quia per subsequentes confessiones iustificabitur, & de attrito fiet contritus, consequenter non patitur damnum ex absolutione priùs inualidè collata: & confirmatur quòd non teneatur confessarius cum tanto damno monere, seu reuocare pœnitentem, à simili, nam sicut pœnitens similibus de causis excusatur ab integritate confessionis, vt constat ex dictis *cap.* 6. *dub.* 7. *num.* 15. ita etiam confessarius excusari potest ab obligatione monendi pœnitentem, vel illum reuocandi ad confessionem, vt fateatur peccata antea manifestata, ita Filliuc. *sup num.* 373. Bonacin. *sup. num.* 4. *versic. Si verò.* Ledesm. Henriq. *sup.* & alij. Limitat tamen Bonac. *sup.* cum Suar. *loco cit. num.* 2. Secus videtur dicendum, si pœnitens crederur non sacturum aliam confessionem, aut si fortè non sit suscepturus aliud Sacramentum, tunc enim confessarius tenetur pœnitentem admonere, etiamsi timeat sibi graue nocumentum; nam pœnitens censetur esse in extrema necessitate spirituali, in qua salutem proximi tenemur nostris commodis temporalibus præferre, vt dixi in Decalog. *lib.* 1. *c.* 5. *dub.* 6.

5 Quòd si dicas, qui inualidè baptizauit, vel Ordines contulit, tenetur inualidè baptizatum, vel ordinatum admonere; ergo similiter confessarius pœnitentem inualidè absolutum, quamuis inde sequatur grauis infamia, vel graue detrimentum ipsi confessario. Respondeo, esse disparem rationem; nam ex primo casu possunt sequi grauissima incommoda irreparabilia in damnum tertij; quia si Baptismus non sit validus, cætera Sacramenta nec erunt valida; si Ordo non sit validus, sequuntur incommoda ministrandi inualidè cætera Sacramenta: at non est ita in Sacramento pœnitentiæ excepto articulo mortis, vt dictum est *n.* 4. *in fin.* nam damnum quod sequitur, potest reparari per aliam confessionem, vel per contritionẽ cum voto Sacramenti. Ob hanc etiam causam confessarius non tenetur monere vitum potentem, quem sine vero dolore, & proposito absoluit concurrentibus dictis *n.* 4. *vers. Sed dices*, vt existimant Ledesm. & Henriq.

6 Dico tertiò, quando defectus non fuit circa substantialia, & absolutio non fuit inualida, fuit tamen inique collata, eo quòd confessarius non monuit de aliqua circumstantia, regulariter confessarius non tenetur monere pœnitentem, sed satis est, vt pœniteat sui defectus, si non sequatur damnum tertij, aut nisi confessarius decepisset pœnitentem in re pertinente ad salutem animæ ipsius, vt relinquendo illum in occasione peccati. Ita Filliuc. *sup n.* 374. & cum eo Diana 1. *p. tract.* 15. *resol.* 7. Ratio est; quia pœnitens non tenetur, illam confessionem iterare, sed ad summum explicare circumstantiam illam, vel speciem, vel numerum, quando resciuerit se ad id esse obligatum, si verò defectus fuit etiam ex parte pœnitentis, quia reuera non habuit dolorem ad fructum, idque ignorat, satis suppleiur defectus per attritionem debitam. Filliuc. *sup.* Dixi, *non sequatur damnum tertij*, nam tunc dicendum, vt in *concl. seq.*

7 Dico quartò, si confessarius non monuit, seu omisit monere pœnitentem de obligatione restituendi: si id omisit ex ignorantia inuincibili, vel ex naturali obliuione, vel ex leuissima negligentia, nec peccauit, nec tenetur restituere, pœnitente non restituente; non enim tenetur ad exactissimam, & diligentissimam diligentiam, sed sufficit ea, quam communiter diligentes, timorati, ac docti adhibent, vt dixi in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub. vltim.* & *cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 11. Quòd si negligentia, seu omissio sit culpabilis, Lessius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 10. *num.* 77. & alij existimant teneri confessarium, si Patochua est, nun autem si tantum delegatus restituere, nisi de hoc postea monuerit pœnitentem. At verius existimo confessarium quemcumque omittentem hanc monitionem culpabiliter, etsi peccauerit, non tamen teneri pro pœnitente restituere, nam nun peccauit

eatie contra iustitiam, sed tantum contra religionem, seu officium suum, & relinquit pœnitentem in sua obligatione, vt cum aliis dixi in Decalogo *dict. cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 12. & docent Filliuc. *n.* 375. & Bonac. *in tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. §. 2. *num.* 22. & hanc sententiam existimat probabiliorem Diana *p.* 2. *tract.* 16. *resolut.* 1. Ratio est, quia confessarius non est procurator creditoris, nec tenetur ex iustitia prospicere bono temporali pœnitentis, sed bono spirituali, cuius causam agit. Quare etsi confessarius peccauerit contra religionem, & suum officium, non tamen in ordine ad eos, quibus facienda erat restitutio, sed per ordinem ad bonum spirituale pœnitentis. Tenebitur tamen hic confessarius ex charitate pœnitentem monere, si absque proprio nocumento, aut offensione, & scandalo id facere potest, iuxta dicta *in* 2. *conclus.* nisi moraliter certo illi constaret pœnitentem satisfecisse, vel velle satisfacere, aut resciuisse, se ad id teneri, nam tunc cum conscius sit suæ obligationis, si non satisfacit, sibi imputandum.

8 Dico quartò, si confessarius malè consuluit ex negligentia, vel ignorantia culpabili pœnitentem circa restitutionem, dicendo illum non teneri, cum teneretur esset ad illam obligatus, peccauit contra iustitiam, ideo non restituente pœnitente, tenetur pro illo restituere, vt cum aliis dixi in Decalog. *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 5. *num.* 3. & 4. & tenent Filliuc. Bonacin. *locis citatis*, & alij, quia ea officio, & ex iustitia tenebatur iustè consulere, & malè consulendo exercet actionem damnificatiuam tertio; quod procedit, etiamsi ignoret, modò ignorantia non sit inculpabilis, sed culpabilis, quia ex officio tenebatur scire, vt dixi *loco citat.* Quapropter vt hic confessarius liber sit à restitutione, tenetur reuocare, & monere pœnitentem de sua obligatione; quo monito ad nihil tenetur confessarius, nam monendo rettahit influxum, quem exhibuerat in damnum tertij, & relinquitur pœnitens in sua obligatione. Vide in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 1. §. 1. *n.* 3. Quòd si confessarius, qui malè consuluit ex culpa lata, in materia iustitiæ, non possit pœnitentem monere, & non constat ei, talem pœnitentem restituisse, aut conscium esse suæ obligationis, tenetur pro illo confessarius restituere; quia fuit causa efficax damni in tertium, & peccauit contra iustitiam. At si confessarius, qui malè consuluit ex culpa lata, non consuluit in materia iustitiæ, si non potest monere pœnitentem, nōn tenetur de damno, vt si dixi pœnitentem non teneri adimplere aliquod votum dandi eleemosynam, aut si malè commutauit votum per Bullam, non applicando aliquid in subsidium belli, vt dixi in Decalogo *lib.* 7. *c.* 6. *dub.* 5 *n.* 6. & patet ex dictis *conclus.* 3.

9 Sed quæres, an sit imposita aliqua pœna ministrandi indebitè Sacramentum pœnitentiæ. Respondeo negatiuè, si loquamur de iure communi, siue ministret sine iurisdictione, siue absque scientia, siue absque intentione, siue absque diligentia debita in inquirendis speciebus, numero, vel circumstantiis; quia non reperitur in iure lata. In Bulla autem Cœnæ imposita est in excommunicationis pœna contra præsumentes absoluere à casibus Bullæ, sed hæc non est de iure communi: sic in aliqua Diœcesi potest esse aliqua pœna imposita, ut nostra autem Diœcesi nulla existit. At si quis Clericus fingeret se Sacerdotem, & absolueret, incurreret pœnam irregularitatis, quia expressa est in iure *tit. de Clerico non ordinato ministrante*, quod extendunt, etiamsi sit laicus, Nauarr. *c.* 27. *n.* 242. vt eum Sylu. & aliis Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 12. *n.* 277. Verius tamen videtur non extendi ad laicum, vt existimat Henriquez *lib.* 14. *de irregul. cap.* 6. *n.* 1. & alij, quos sequitur Sayrus *in thesaur. lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 6. quia titulus iuris est de Clerico ministrante, &c. ergo à contrario sensu, si fingens se Sacerdotem, & ministrans sit laicus, non incurret irregularitatem, veniunt tamen ij grauiter puniendi à PP. S. Inquisitionis, vt dixi in Decalog. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 81.

Dub. IX.

Vtrum aliquæ cæremoniæ, aut ritus sint obseruandi in administratione Sacramenti.

1 Dico primò, nulla cæremonia accidentalis est necessaria necessitate Sacramenti, aut præcepti, quia nec in iure, nec in Conciliis reperitur, vt ex Suar. *disp.* 18. *q.* 6. & Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 2. *punct. vltim.* solum ergo ex parte ipsius requiruntur actus pœnitentis, & intentio, sed hæc non sunt cæremoniæ, sed quid essentiale requisitum.

2 Dico secundò, ex parte confessarij non videtur vlla cæremonia necessaria necessitate Sacramenti, aut præcepti: imprimis si loquamur de signo Crucis, quod adhiberi solet in fine absolutionis, certum est non esse sub præcepto, cum tale non reperiatur. & liberum est confessario illud omittere, licet consultum sit illud adhibere. Item, nec manuum impositio tangendo caput pœnitentis, dum absoluitur, imò nec expedit id facere absoluendo fœminas ita Ledesma *in sum, cap.* 4. *de pænit. versic. Al fin deste.* Bonac. *sup.* Item, nec manuum extensio ad denotandam potestatem Sacerdotis. Seruanda tamen est in hoc locorum consuetudo, vt benè Sotus *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 4. & Bonac. *sup. cit.*

3 Dico quartò, si loquamur de orationibus, & verbis deprecatoriis, quæ antecedunt, vel subsequuntur formam, eorum omissio non est peccatum mortale; quia non datur de iis præceptum, nam Trid. *sess.* 14. *c.* 3. solùm dicit, has preces, & orationes laudabiliter dici, ex quo satis colligitur de his non dari præceptum. Expedit tamen, & vtile videtur huiusmodi verba deprecatoria præmittere; quia huiusmodi orationibus impetrari potest maior dispositio, aut perseuerantia, aut maior fructus. Ita citati: & dixi *sup. hoc lib. cap.* 2. *dub.* 4. *n.* 12. vbi de forma absolutionis.

LIBER



LIBER QVINTVS
DE SACRAMENTO
EXTREMÆ VNCTIONIS.

CAPVT VNICVM.

De Extrema Vnctione.

DVBIVM I.

Quid sit Sacramentum Extrema Vnctionis.



SVPPONO primò, septem vnctiones regeriri in Ecclesia. Prima, qua baptizatus chrismate vngitur in vertice. Secunda, qua cathecumeni oleo benedicto in pectore,& capite iniunguntur. Tertia, est confirmationis in fronte confirmati. Quarta Episcopi in capite, & manibus, & Presbyteri in solis manibus in collatione Ordinis sacerdotalis. Quinta, Regum in humero, vel brachio. Sexta, Templi altaris, & Calicis. Septima, & vltima, infirmorum, qui periclitantur de vita,quæ ideo dicitur Extrema vnctio, quia confertur homini existenti in extremis & decedenti ab hac vita, de qua Magister *in 4. distinctione* 23. Scotus *ibidem quæstione* 1. *articulo* 3. & Doctores infra citandi, de qua etiam hic.

2 Suppono secundò, Extremam Vnctionem esse Sacramentum, est de fide definitum in Florentino, in Decretis Eugenij, & in Tridentino *sessio* 13. *capite* 1. & habetur etiam *capite. Cum venisset de sacra Vnctione*, ex Innocentio III. Et probatur primò, ex communi Doctorum apud Suarea *tomo* 4. *disputatione* 39. Henriquez *lib.* 7. *cap.*7. Coninch *tom.* 2. *disputatione* 19. & Bonacina *disputatio.*7. *punctum* 1. *numero* 1. ex Sanctus Thomas 3. *parte quæstion.* 29. *articulus* 1. Secundò, ex sacra Scriptura Iacobi *capit.*5. *Infirmatur qui in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. & oratio fidei saluabit infirmum, & leuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Tertiò, probatur ratione, & primaria quidem est Christi Domini institutio, & voluntas. Secundaria est congruentia quædam fundata in diuina prouidentia quæ decreuit,etiam in egressu ex hac vita,fideles adiuuare aliquo Sacramento, sicut adiuuat in ingressu, & progressu,præsertim cùm articulus mortis valdè formidabilis sit ob conscientiam vitæ præteritæ malè transactæ, ob timorem diuini iudicij, ob incertitudinem status & quia tunc hostes fortius impugnant, homo est ineptior ad resistentiã Potest etiam confirmari, quia vt dicit Iacobus Extrema Vnctio remittit peccata;at proprium est Sacramentorum peccata dimittere,ergo.

3 Suppono tertiò etiam tanquam de fide,hoc Sacramentum esse immediatè à Christo Domino institutum. Ita definitum est à Concilio Florentino *sup.*& Tridentin. *sess.*7. *Canon.*1. vbi definit omnia Sacramenta esse à Christo Domino instituta, & in particulari loquens de hoc Sacramento dicit: *Si quis dixerit extremam vnctionem esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, & à Beato Iacobo promulgatum anathema sit.* Ita communis Catholicorum apud Suarea *tom.*4. *disputat.*39. *sect.* 2 *n.* 2. Variant tamen Doctores de tempore,quod autem probabilius videtur, est, fuisse insinuatum à Christo Domino,Matci 6. quando misit Apostolos vt vngerent infirmos, & sanarent, & quantum ad eius essentiam, videlicet materiam & formam,tum etiam & ritum nocte Cœnæ: quoad potestatem illud ministrandi, Ioann. 20. quando Apostoli post resurrectionem acceperunt ab eo potestatem absoluendi à peccatis corpus Christi mysticum, ad quod pertinet etiam potestas ministrandi hoc Sacramentum: quoad promulgationem, Iacobi 5. denique quoad vsum post ascensionem Christi Domini; tunc enim cœpit esse in vsu & adhiberi ab Apostolis,vt pluribus docet Suarez *loco citat. num.*4. Ratio autem est Euangelistæ mentionem non fecerunt de tempore huius institutionis, potest esse, quia Euangelistæ præcipuè soliciti fuerunt in enumerandis iis, quæ ad salutis necessitatem pertinent; hoc autem Sacramentum non est de necessitate salutis. Vide Henriquez *libro* 7. *capite* 7. Ex quo sequitur, hoc Sacramentum solùm esse à Christo Domino institutum quoad præscriptionem materiæ, & formæ, & concessionem potestatis. Filliuc. *tom.*1. *tract.*3. *cap.*4. *num.*67.

4 His positis dico, potest hoc Sacramentum ita breuiter definiri: Sacramentum nouæ legis ad vngendos infirmos ordinatum, in salutem animæ, & corporis. Prima particula, *Sacramentum noua legis*, ponitur tanquam genus, in quo conuenit cum aliis sex Sacramentis: cætera ponuntur tanquam diffe-

tentia per quæ hoc Sacramentum constituitur, & ab aliis distinguitur, vt clarius ex dicendis constabit. Solet etiam hic definiri; Signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi vnguntur oleo benedicto sub præscripta verborum forma, iuxta Christi institutionem, ad salutem animæ, & corporis, quæ coincidit cum priori; nam prior paucioribus verbis præstingit id, quod hæc posterior pluribus exprimit. Vide Suarez *disp.* 40. *sect.* 4. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 2. *lit.* A, Nauarr. *cap.* 22. *num.* 12. & Sotum *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *art* 1.

5 Dico secundò, hoc Sacramentum est vnum specie infima: est fide definitum à Trident. *sess.* 7. *Can.* 1. vbi dicit, Sacramenta nouæ legis nec plura, nec pauciora esse, quam septem, inter quæ enumerat extremam vnctionem. Et probatur, quia fit ex eadem materia, & forma, & quamuis componatur ex pluribus materiis, & formis partialibus; omnia tamen hæc ordinantur ad vnum finem, vt constabit infra; ordinantur enim omnia ad integram vnctionem, & complerum effectum gratiæ, quæ non causatur; quousque vltima vnctio essentialis cum sua forma compleatur, vt infra, & pluribus Suarez *sup. num.* 3. ob idque non solùm est vnum specie, sed etiam numero in quolibet suscipiente, & plura numero in pluribus subiectis, sicut Baptismus, & alia Sacramenta. Vide Suarez *suprà*, & Filliucius *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 4. *n.* 69. & 70.

DVB. II.

Quænam sit materia, & forma extremæ vnctionis.

1 Dico primò, materia remota extremæ vnctionis est oleum oliuarum, est de fide ex Concilio Florent. in decretis Eugenij, & Triden. *sess.* 14. *cap.* 1. & commune apud Doctores. Et quidem debere esse oleum, habetur expresse Iacobi 5. *Vngentes eum oleo:* & hoc oleum esse debere oliuarum, patet, quia oleum simpliciter dictum ex oliuis exprimitur, & in hoc sensu sumitur tam apud Latinos, quàm apud Scripturam. Ratio à priori est Christi Domini institutio explicata in Conciliis, & confirmata, vsu & traditione. Congruentia verò est, quia per oleum optimè significatur effectus huius Sacramenti; nam oleum quinque habet proprietates; prima est lenire colorem: secunda, penetrare ad intima; tertia afferre hilaritatem: quarta significat pinguedinem gratiæ: quinta restituit interdum sanitatem: quæ omnia etiam efficit hoc Sacramentum, vt constabit infra.

2 Dico secundò, oleum debet esse benedictum ab Episcopo de necessitate præcepti, & Sacramenti. Et quidem esse præceptum omnes admittunt: omnes etiam admittunt, necessarium esse etiam quòd sit benedictum; quia materia huius Sacramenti non est vsu Christi sanctificata, ideo eguit consecratione, vt dictum est de chrismate in confirmatione; non tamen omnes conueniunt, hanc benedictionem fieri debere necessariò ab Episcopo, sed posse fieri à simplici Sacerdote; de licentia tamen Papæ, existimant Victoria, Ledesma, Caieran. & alij, quos sequitur Henriquez *libr.* 3. *capit.* 8. *num.* 2. Verius tamen faciendam esse necessariò ab Episcopo, aut Papa, vt sentire videtur S. Thom. *in* 4. *distin.* 23. *quæst.* 1. *artic.* 3. *quæst.* 3. Sotus ibidem, vt tenet Villalobos 1. *part. tractat.* 10. *diff.* 1. *numer.* 5. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 72. & cum aliis Suarez *disput.* 49. *sect.* 1. *num.* 3. Tum quia Concilia assignantia materiam simpliciter huius Sacramenti, consequenter essentialem dicunt esse oleum ab Episcopo benedictum. Tum quia traditio Ecclesiæ hoc non docet, teste Suar. *sup. num.* 6. Nec obstat Iacobi 5. non fieri mentionem benedictionis, nam hæc constat ex traditione Ecclesiæ: sufficit tamen esse benedictum ab Episcopo, quamuis alia benedictione assignata, in Pontificali, quia verè est oleum benedictum. Ita Villalobos *supr.* & Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7. *punct.* 1. *num.* 4. peccaret tamen Episcopus sic benedicens, grauiter, quia in re graui agit contra ordinem, & præceptum Pontificalis. Nec est necessarium ad validitatem Sacramenti, vt oleum fuerit eo anno benedictum; nullo enim iure id constat, ex consuetudine tamen & præcepto debet esse benedictum eo anno, *cap. litteris de consecrat dist.* 3. ideo peccaret Parochus adhibens oleum alterius anni, nisi eum excusaret necessitas, vt benè Posseuinus *de off. curati cap.* 9. *num.* 1. Bonac. *sup. num.* 5.

3 Dico tertiò, etsi olim oleum hoc haberet admixtum balsamum, vt patet ex Innoc. epistola non tamen est hoc necessarium, vt comprobat vsus communis Ecclesiæ. Et ratio est, quia odor bonæ famæ balsamo significatus, non est necessarius morientibus, sed viuentibus: hinc sit peccare eum, qui propria authoritate oleo balsamum misceret, vt pluribus Suarez *loco cit.* Licet tamen Parocho oleum non consecrato, quando timet fore, vt totum oleum consecratum non sufficiat pro toto anno; nam tunc vtrumque censetur consecratum per admixtionem, modò quod additur, sit minoris quantitatis, quàm consecratum; nam dignum trahit ad se minùs dignum, *cap. aqua de consecrat.* Tutius tamen est, si commodè fieri possit, addere oleum aliud consecratum. Possenin. *cap.* 9. *num.* 2.

4 Dico quartò, materia proxima huius Sacramenti est vnctio ex oleo facta: est commune, & patet Iacobi 5. *Vngentes eum oleo.* & Tridentr. *sess.* 14. *cap.* 1. vbi inquit: *Vnctio sæpissimè Spiritus sancti gratiam repræsentat, &c.* Ratio est, quia hoc Sacramentum non consistit in ipsa materia permanente, vt Eucharistia, sed in vsu, & actione materiæ remotæ sicut Baptismus, & alia Sacramenta, ideo habet pro materia proxima actionem, seu vsum materiæ remotæ, videlicet actionem vngendi oleo, seu ipsam vnctionem, sicut in Baptismo actio lauandi, seu ablutio est materia illius proxima. Ita supra citati, & cum aliis Coninch *disp.* 19. *dub.* 2. *num.* 3. & Bonacin. *sup. punct.* 2. *n.* 9.

5 Dico quintò, vnctio hæc debet fieri in modum crucis, vt comprobat consuetudo; non tamen est de necessitate Sacramenti, vt ita fiat; quia nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in Tridentino habet fundamentum, nec in natura huius Sacramenti, in quo infirmus vngitur per modum medicinæ, vt salutem reportet. Secus in Confirmatione, in qua vngitur confirmatus, vt tanquam miles Christi confiteatur, & portet Christi Crucē coram Regibus, & tyrannis: imò nullum de hoc extat expressè præceptum, vt contra Syluestrum *verbo Vnctio.* tener Suarez *supr. sect.* 2. *num.* 5. sed sola consuetudo, quæ seclusio contemptu, & scandalo non obligat sub mortali, vt benè Suarez, quia materia non videtur grauis: nec constat introductam esse, cum existimatione quòd obliget sub mortali.

6 Sed quæres, quænam vnctiones sint de essentia materiæ proximæ huius Sacramenti. Nota, Concilium Florent. enumerare septem vnctiones, videlicet quinque in sensibus corporis, & sextam, quæ fit in pedibus, & septimam, quæ fit in renibus. Respondeo, & dico, solæ quinque vnctiones, quæ fiunt in quinque

quinqoe ſeoſibus corporis, videlicet in oculis, auribus, naribus, ore, & manibus, ſunt de eſſentia, reliquæ verò duæ de conſuetudine. Ita S. Tho. *in 4. diſt.* *23. q. 2 art. 3.* Soarez *diſput. 40. ſect. 2. n. 8.* Villalob. 1. *part. tract. 10. diff. 1. n. 8.* Bonacina cum aliis *tom. 1. diſp. 7. quæſt. vnica punct. 5. n. 16.* & communiter Doctores. Ratio fundamentalis eſt, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad tollendas ſordes, & reliquias peccatorum; ergo ibi adhibendum eſt, vbi eſt radix peccati; at in quinque ſenſibus ſunt radices, & origines omnium peccatorum; nam nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu; ergo ſolæ quinque vnctiones erunt de eſſentia. Quòd autem illæ duæ tantùm ſint de conſuetudine, probat ipſa conſuetudo, quæ non eſt vniformis in omnibus Eccleſiis; nam in tota Eccleſia fœminæ non vnguntur in renibus propter honeſtatem; & in hac noſtra Diœceſi non vnguntur viri in renibus, ſed in pedibus, & pectore, quo modo etiam vnguntur fœminæ; quare in his duabus vltimis vnctionibus ſeruanda eſt loci approbata conſuetudo. Ad Concilium Florentinum reſpondetur, enumeraſſe quidem illas ſeptem vnctiones; non quia omnes ſint de eſſentia, ſed quia erant in conſuetudine, & communiter fieri ſolent. Filliucius *n. 77.* Bonacina *punct. 5. n. 18*

7 Dico ſextò, quando ſenſus eſt geminatus, v. g. oculus, auris, manus, non eſt de neceſſitate Sacramenti, vt ſingulæ vnctiones in ſingulis oculis fiant, ſed ſufficit vnum vngere, nam in vna parte, v. g. oculo ſufficienter ſignatur vnctio talis ſenſus: eſt tamen de conſuetudine, ideoque ſecluſo periculo, non ſunt omittendæ, eo tamen exiſtente poſſunt omitti abſque peccato illæ duplices rationes, ſufficitque tunc vnam partem ſenſus vngere. Suarez *loco cit. n. 5.* & communiter Doctores. Debet autem quælibet vnctio eſſentialis tanta eſſe, quanta ſatis eſt, vt iuxta communem modum veram rationem vnctionis attingat, ſicut diximus de ablutione Baptiſmi: vnde non videtur ſufficere vnam guttam olei ſtillare, quia hoc non eſt vngere. Filliucius *ſup. num. 78.* Ordo autem vnctionum non eſt de eſſentia Sacramenti, quia completa manet ſignificatio, etiam mutato ordine. Suarez *loco cit. ſect. 5. n. 9.* Bonac. *ſup n. 50.* & communiter DD. Conſuetudine tamen receptum eſt, vt priùs vngantur oculi, & ſucceſſiuè aures, nares, os, & manus.

8 Si quæras, cur ſupradictæ partes vngantur, & non totum corpus. Reſpondeo, quia hoc Sacramentum eſt medicina ſpiritualis, & applicatur ad modũ medicinæ corporalis, & ſicut medicina corporalis non applicatur toti corpori, ſed vbi eſt morbus, ita hoc Sacramentum non applicatur niſi iis partibus, in quibus eſt morbus, ſeu radix morbi, vt ſunt quinque ſenſus. S. Thom. *3. p. q. 32. art. 5.* Bonac. *ſup.*

9 Sed dices, quia ſi aliquis careat aliquo membro corporis, v. g. ſi cæcus ſit, aut non habeat manus? Reſpondeo, vngendam eſſe partem magis propinquam. S. Tho. *in 4. diſt. 23. art. 3.* Sotus *in 4. diſt. 23. q. 2. art. 3.* Bonacina *ſup. num. 16.* & alij communiter. Ratio eſt, quia quamuis exteriùs non peccauerit per illud membrum, poteſt fieri, vt interiùs deſiderio, cogitatione, & voluntate peccauerit, vel peccare potuiſſe: ſic apta cæcus vngitur in oculis, quia potuit peccare per internam potentiam illi reſpondentem. Sacerdotes verò non vnguntur in palma, quia iam fuerunt ſemel vncti, ſed in ſuperiore parte manus. Vide Sua. *lo. cit ſect. 2. & 3.* & Poſſ. *de off. Cur. c. 9. n. 15*

10 Quantum ad ſecundum dico, formam huius Sacramenti eſſe hanc: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiã indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum. Amen.* Quæ forma adhibetur in alio ſenſu, nominando illum, v. g. per auditum. Ita ex Florentino in decretis Eugenij, & Trident. *ſeſſ. 14. cap. 1.* & communiter Doctores. Ex his autem verbis ſolùm ſunt de eſſentia formæ hæc: *Per vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, auditum, &c.* quia iis ſufficienter ſignificatur, & exprimitur effectus huius Sacramenti, completurque per illa ſenſus formæ. Hinc colligitur primò, non eſſe exprimendam neceſſariò materiam remotam, vt oleum: patet ex vſu Eccleſiæ, quæ non exprimit oleum. Eſt autem de neceſſitate Sacramenti, vt exprimatur materia proxima, vt exprimitur illis verbis, *Per iſtam ſanctam vnctionem*: ratio eſt, quia in forma debet exprimi actio miniſtri, vt in Baptiſmo, *Baptizo te.* Secundò, nec ſunt de eſſentia illa verba, *& ſuam piiſſimam miſericordiam,* quia ſatis poſtulatur miſericordia Dei per illa verba, *indulgeat tibi Deus*; ſunt tamen de præcepto, ita vt ſine mortali omitti non poſſint, vt colligitur ex S. Thom. *in 4 diſt. 23. q. 1. art. 4. q. 3.* & ſequitur Suarez *to. 4. diſp. 40. ſect. 3.* Filliuc. *ſup. q. 11. n. 85.* Tertiò, non eſt de eſſentia inuocatio Trinitatis, ſeu in nomine Patris, &c, imò nec de præcepto, eo quòd neque in Conciliis, neque in Cæremoniali Romano habeatur, nec cogit ratio vlla, quia hoc Sacramentum non eſt profeſſio fidei, ſicut eſt Baptiſmus, ſed medicina ſpiritualis. Filliuc. *ſup. n. 86.* Bonacina *tom. 1. diſput. 7. q. vnica. punct. 3 n. 4.* An autem expreſſio ſenſus ſit de neceſſitate, variant Doctores, nam Coninch *diſp. 19. dub 4. n. 15.* & alij exiſtimant ſolùm eſſe de præcepto, non verò de neceſſitate; nam abſque illis ſatis ſignificatur committi peccatum, originem trahens à ſenſibus; communis tamen affirmat, ideoque in praxi non recedendum à communi ſententia, vt benè Bonacina *ſup. n. 4.*

11 Dico ſeptimò, omnes formæ quinque ſenſuum ſunt partiales, & ſimul ſumptæ efficiunt vnam totalem, ſicut omnes vnctione vnam materiam totalem, & non cauſatur gratia, ſeu effectus huius Sacramenti, donec vltima forma compleatur. Hæc concluſio conſtabit *infra dub. 5.* vide Henriquez *lib. 3. c 8.*

12 Nota, quando adeſt periculum in mora, & infirmus iam iam moritur (aliter non) poſſe ſub vna forma vngi ſucceſſiuè omnes ſenſus hoc modo *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, auditum, odoratũ, guſtũ, & tactum* Ita Suar. *diſp. 41. ſect. 2.* & Poſſeuin. *ſup. n. 19.* ſecluſa autem neceſſitate, ſeruandus eſt communis vſus. Bonac. *ſup. n. 5.*

13 Dico octauò, forma hæc proferenda eſt modo deprecatorio. Ita S. Thom *in. 4. diſt. 23. q. 1. art. 4. q. 2.* Henriquez *lib. 3. cap. 8. num. 3.* Bonacina *ſup. n. 3.* & communis Theologorum apud Suarez *ſect. 3. n 6.* Fundatur in traditione Eccleſiæ, quæ non poteſt decipi, in iis præcipuè, quæ pertinent ad formas Sacramentorum: idemque indicant illa verba Iacobi 5. *Vt orent ſuper eum*: quæ propriè accepta deprecationem ſignificant; eſt enim infirmus de ſe deſtitutus, & in manu Dei, proindeque Deus eſt orandus. Hinc fit, inualidum eſſe Sacramentum tunc adminiſtratum in forma indicatiua: non tamen eſt improbabile, validè confici his verbis *Vngo te oleo ſancto, vt Deus tibi remittat peccata tua, per viſum, &c.* quia verbo indicatiuo adiungitur ſufficiens deprecatio. Suarez *diſputat. 40. ſect. 3.* & Sotus *vbi ſuprà*, Item, ſi proferatur ita: *Vngo te in nomine Patris, &c.* vt more militis vnctus aëreas poſſis ſuperare poteſtates; nam etiam in iis videtur contineri forma deprecatiua; peccaret tamen grauiter hic, eo quòd iret contra vſum Eccleſ. Rom. Fill. *tom. 1. tract. 3. c. 4. n. 69. & 70*

Dub. III.

Quisnam sit minister huius Sacramenti.

1 Duobus modis potest intelligi hæc quæstio. Primò, de ministro necessario ad validitatem huius Sacramenti. Secundò, de ministro necessario non ad validitatem, sed ad licitum eius vsum.

2 Dico primò, minister necessarius ad huius Sacramenti validitatem est solus Sacerdos: est commune, & de fide, & patet Iacobi 5. ibi: *Inducat Presbyteros*, id est Sacerdotes, vt explicant Doctores apud Suar. *disp.* 43. *sect.* 1. *n.* 5. Bellarm. *c.* 9. *de extrema vnctione, tom.* 3. Sylu. *verb. vnctio extrema n.* 4. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 7. *q. vnic punct.* 4. *n.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 5. *n.* 88. & alij communiter. Patet etiam hęc conclusio ex communi vsu, & traditione Eccl. Latinæ: quo etiam pacto hoc intellexit Concil. Florét. *in decret. Eugen.* & Trid. *sess.* 14. *c.* 3. Ratio efficax est institutio Christi ex traditione Eccl. congruentia verò est, quia hoc Sacramentum est ordinatum ad sanctificandos fideles, tanquam complementum pœnitentiæ; ergo eius collatio pertinere debuit ad eos, qui habét potestatem absoluendi à peccatis, saltem ex parte Ordinis.

3 Ex hac conclusione sequitur, hoc Sacramentum ministratum, etiam à Diacono, & quamuis id faciat de licentia Papæ, esse inualidum, vt tenent Doctores communiter, quia in his, quæ sunt de iure diuino, & ex Christi institutione Papa non potest dispensare. Vide Henriquez *lib.* 3. *capit.* 13. *num.* 3. Nec obstat quòd Innocentius *epist.* 1 1. *capite* 8. videatur dicere, etiam laicos in suis necessitatibus vti posse oleo sancto; nam intelligendus est posse vti recipiendo, non verò ministrando: vel quia olim fideles vtebantur aliquo alio benedicto ad vngendos infirmos ex deuotione, hoc autem non erat Sacramentum, ideoque à laicis ministrari poterat. Filliucius *sup. num.* 89. Sequitur etiam, validum esse hoc Sacramentum ministratum à quolibet Sacerdote; nam Iacobi 5. nulla fit exceptio, sed absolutè dicitur, *inducat Presbyteros*, id est Sacerdotes. Ita citati. Quòd procedit, etiamsi Sacerdos sit excommunicatus, denunciatus, ab officio suspensus, aut degradatus, vt à simili dixi de Baptismo, & Eucharistia, & cum aliis Henriquez *sup. num.* 3. quia huiusmodi Sacramenti ministratio magis datur in Ordine, quam in iurisdictione.

4 Dico secundò, minister necessarius ad licitè, & sine peccato ministrandum hoc Sacramentum, est Parochus proprius, regulariter loquendo, non impeditus aliqua censura. Ita citati. Ratio est, quia vt dixi *hoc tract. lib.* 1. *cap.* 3. vbi de ministro Sacramentorum in communi; & in particulari, vbi de ministro speciali respectu cuiusque Sacramenti, & *in tract. de iure Parochi*, ad Parochum spectat ministrare Sacramenta: quare grauiter peccat Sacerdos non proprius, qui absque licentia proprij, vel necessitate, ministrat hoc Sacramentum; quia mittit falcem in messem alienam, vsurpatque alterius iurisdictionem. Ita Syluest. *extrema vnctio num.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *artic.* 1 Coninch *disp.* 19. *dub.* 9. *num.* 18. Bonacina *sup. num.* 5. & alij. Dixi *regulariter loquendo*, quia in necessitate, quando scilicet alius non esset, vel si iniquus Parochus nollet illud ministrare, aut licentiam concedere, tunc posset quilibet Sacerdos ministrare, sublato scandalo in quo casu non vsurparet iurisdictionem alienam, sed defenderet ius innocentis; & præsumitur tunc adesse licentia Episcopi, aut Papæ, vt docet Suarez *disput.* 44. *sect.* 1. *num.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 3. *cap.* 5. *num.* 90. & alij. De licentia etiam Parochi extra necessitatem, poterit quilibet Sacerdos, etiam regularis, ministrare hoc Sacramentum; & sufficit implicita, seu interpretatiua, vt docent citati, & Syluest. *extrema vnctio q.* 4. Sotus *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 1. quia Parochus cùm sit ordinarius minister, potest hanc facultatem delegare: censetur autem adesse licentia interpretatiua, quando infirmus iam iam moritur, & Parochus commodè, & opportunè inueniri non potest. Potest hanc licentiam concedere Parochus excommunicatus, etiam vitandus, aut ab officio suspensus, vt docet Henriquez *lib.* 3. *capit.* 13. *num.* 3. quia huius Sacramenti ministratio magis fundatur in Ordine, quàm in iurisdictione. Aduertendum tamen, Religiosos exemptos, qui sine Parochi licentia, vel priuilegio Sedis Apostolicæ administrant hoc Sacramentum, incurrere excommunicationem Clementinæ 1. de priuileg. vt probat Suarez *tom.* 5. *disput.* 22. *sect.* 4. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 101. & cum aliis Henriq. *supra, num.* 4. Liberantur tamen ab ea Religiosi administrantes cum ratihabitione Parochi, vel quando infirmus est in mortis articulo, quia tunc præsumitur adesse consensus Episcopi, aut Papæ, eo quòd non sit credibile, Ecclesiam velle priuare tanto Sacramento, quo potest homo ex attrito fieri contritus, & consequenter saluari. Ita Henriquez *sup* Nauarr. *loco cit.* cum aliis Bonacin. *sup. num.* 6. Dixi etiam, *non impeditus aliqua censura*, quare excommunicatus non poterit illud ministrare, quia id est ab Ecclesia prohibetur propter excómunicationem, sicut & alia Sacramenta ministrare. At si aliud Sacramentum non sit possibile, existimo cum Coninch *q.* 64. *art.* 6. *dub.* 2. & Auila *de censur.* 2. *part. c.* 6. *disp.* 3. *dub.* 3. posse excommunicatum, etiam denonciatum, non existente alio Sacerdote non impedito, ministrare externam vnctionem; nam tunc hoc Sacramentum habere videtur vicem confessionis, & potest facere de attrito contritum, & saluare infirmum: at confessio ministrari potest in necessitate, alio non existente à denunciato; ergo & hoc Sacramentum in tali casu, talisque præsumitur intentio piæ matris Ecclesiæ. Hoc autem pro certo habe, quemlibet Sacerdotem existentem in mortali, & ministrantem hoc Sacramentum in quolibet casu, peccare mortaliter, nisi se disponat per contritionem, saltem existimatam, vt latè dixi de Sacramentis in genere *capit.* 3. *dub.* 3. *per totum*, & de hoc Sacramento ibidem, *vers. Quarto sequitur.*

5 Sed quæres, an Sacramentum extremæ vnctionis possit à pluribus Sacerdotibus conferri, ita vt vnus vngat vnam partem, & alius aliam, proferendo in singulis vnctionibus debitam formam. Suppono tanquam certum, vnum esse sufficientem, vt comprobat communis vsus Ecclesiæ; quando ergo Iacobi 5. dicitur, *Inducat Presbyteros*, noluit multos requiri, nisi fortè ad comitandum, & orandum pro infirmo, sed vocandum esse vnum ex Presbyteris, sumendo plurale pro singulari, vt sumitur Matth. 27. vbi dicitur latrones improperasse Christum, id est, vnum ex latronibus, vt patet Luc. 23. imò vnus ita est sufficiens, vt si alter sublata necessitate, adhiberetur, sit peccatum mortale, vt tenet Suarez *disput.* 43. *sect.* 2. *n.* 1. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 7. *q. vnic punct.* 4. *n.* 7. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 5. *n.* 91. fieret enim tunc contra vsum, & praxim Ecclesiæ in re graui.

6 Ad quæsitum, hoc supposito, respondeo affirmatiuè, dummodo adsit necessitas, & idem, qui formam profert, etiam vngat, & modò etiam vnus independenter ab alio vngat. Ita citati, & Henriquez *lib.* 3 *cap.* 13. & alij apud Bonac. *sup n.* 7. Ratio quia

quia hoc Sacramentum non requirit necessariò vnitatem ministri, cùm habeat plures materias, & formas, quarum singulæ habent suam partialem significationem per ordinem ad suum effectum, quamuis à pluribus proferantur: sic Sacramentum Eucharistiæ potest confici à duobus Sacerdotibus, quando vnus post consecrationem hostiæ moritur. Dixi primo, *modò adsit necessitas*, nam etsi ea ablata, valida sit talis ministratio ob rationem dictam; peccarent tamen tunc multi vngentes, vt dictum est. Dixi secundò, *modò idem, &c.* nam si vnus vngeret, & alius proferret formam, inualidum esset Sacramentum; sicut etiam contingit in baptismo. Ratio est, quia sensus verborum formæ, *Per istam sanctam vnctionem*, non cadit super alienam actionem, sed supra propriam; quare idem qui vngit, debet etiam verba proferre. Dixi tertiò, *modò vnus independenter, &c.* nam aliter esset inualidum, vt diximus de pluribus vnum baptizantibus *lib. 1. cap. 4. dub. 1.*

7 Hinc fit si Sacerdos vngens, morte, aut morbo subito corripiatur, posse alterum prosequi alias vnctiones. Item, si infirmus iam moritur, & sit periculum in mora, posse multos Sacerdotes illum vngere, modo vt vnusquisque vngat, & proferat formam, vt dictum est, & docent citati. Item, validum esse Sacramentum hoc, si vnus vngat vnum oculum, alius verò alium: erit tamen illicitum semper, nam ad hoc non cogit necessitas, cùm tunc sufficiat vnam partem sensus vngere, vt benè Soarez *sup. num.* 8. Filliucius *num.* 95.

8 Quæres secundò, an Parochus teneatur hoc Sacramentum suis ouibus ministrare. Respondeo affirmatiuè, quia ei ex officio, & ex iustitia competit suas oues pascere, & ordinaria remedia salutis præbere, consequenter etiam ministrare Sacramenta; quare si in hoc notabiliter negligens fuerit, ita vt illud alicui neget, vel notabiliter differat cum periculo infirmi, peccet mortaliter, vt cum communi Suar. *disp.* 44 *sect. 1. num.* 1. & Nauarr. *cap.* 25 *n.* 131. Idem de Episcopo, deficiente tamen Parocho. Alij autem possunt obligari ex charitate, si adsit necessitas, absitque Parochus, ideoque si sine magno incommodo, vel difficultate id facere possunt, tenentur etiam sub mortali. Filliuc. *sup. num.* 97. Tenetur etiam ministrans esse rectè dispositus, id est in gratia, saltem per contritionem existimatam, *vt sup.* dictum est, *num.* 4. Quòd si excommunicatus, vel suspensus vitandus sit, debet committere alteri suas vices, vt dictum est *sup. num.* 4. si verò non est alius, probabile est tunc posse hoc Sacramentum ministrare. Filliuc. *sup.* etsi cum Soarez *loco citat. num.* 6. oppositum existimet probabilius, & benè quidem, si infirmus alia Sacramenta, maximè pœnitentiam, susceperit, secus si nullum Sacramentum præter hoc potest ei ministrari, vt dictum est *hoc dub. num.* 4. Debet etiam hoc Sacramentum ministrari rectè tantùm disposito, & cum debitis cæremoniis.

9 Difficultas tamen est, an Parochus teneatur hoc Sacramentum ministrare cum periculo vitæ, vt tempore pestis. Negat Nauarr. *cap.* 24. *num.* 10. & *cap.* 25. *num.* 133. alij absolutè affirmant. Tabiena verò, & Armilla asserunt teneri in casu, quo timetur æterna damnatio. Ego autem cum Suarez *sup. n.* 20. & Filliuc. *loco citat. num.* 10. censeo teneri administrare extremam vnctionem tempore pestis, si id potest facere sine morali periculo vitæ: si non potest, absolutè, non tenetur, quia non est Sacramentum necessitatis, & alioqui satis subuenitur necessitati per Sacramenta confessionis, & Eucharistiæ; tenetur tamen tentare omnia remedia conuenientia, vt illud ministret absque periculo vitæ.

10 Tenetur verò sub periculo vitæ confessionem ministrare, Filliuc. *sup. num.* 99. tenet cum Suarez *loco citat. num.* 13. & 15. vbi tenet, posse hunc excusari, si moraliter certus sit, infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum vitæ esset magnum. Addit. Filliuc. teneri etiam sub periculo vitæ Parochum ministrare Eucharistiam, quia tenetur ad eam infirmus ex præcepto diuino, & est medium moraliter necessarium ad salutem. Sed de hoc dixi *sup. cap. vlt. de pœnit. dub.* 2. & in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 6.

11 Quæres tertiò, an Sacerdos incurrat irregularitatem, si ægrotus moriatur, dum Sacerdos curat illum reuolui ad vnctionem impendendam. Respondeo negatiuè: tum quia nullum est delictum: tum quia hæc irregularitas non est iure expressa, & mortis acceleratio est per accidens. Sotus 5. *de iustit. quæst.* 1. *art.* 9. Posseuinus *cap.* 9. *num.* 17. & Bonacina *sup. num.* 10.

Dvb. IV.

Quodnam sit subiectum, aut suscipiens huius Sacramenti.

1 Dico primò, suscipiens hoc Sacramentum debet esse homo viuus, baptizatus, & ratione vtens: imprimis debet esse viuus, seu viator, nam homo mortuus non est capax Sacramenti. Quòd si dubitatur an sit mortuus, dari debet sub conditione, saltem mente retenta, *si non mortuus es*, vt tenet communis apud Suarez *disput.* 42. *sect.* 7. *num.* 2. at vbi constiterit esse mortuum, debet desistere ab vnctionibus Sacerdos. Bonacin. cum aliis *tom.* 1. *disput.* 7. *quæst. vnic. punct.* 3. *num.* 8. Secundò, debet esse baptizatus, quia character baptismalis est necessarius ad omnia alia Sacramenta suscipienda, ideoque dicitur ianua omnium Sacramentorum: & est particularis etiam ratio, quia cum hoc Sacramentum sit consummatiuum pœnitentiæ, supponit vitam inchoatam in Baptismo. Dicitur tertiò, *ratione vtens*, quia infans, aut perpetuò amens non est capax huius Sacramenti, vt habet communis apud Suarez *sup. n.* 3. & Bonacin. *loco citato num.* 1, *versic. Ratio verò.* Ratio est, quia cum sit completiuum pœnitentiæ supponit eum, cui confertur, esse capacem pœnitentiæ, tentationum, & peccatorum actualium; quia in remedium horum institutum est; quod etiam innuunt verba illa Iacob. 5. *Si in peccatis est, dimittentur ei*, & verba formæ, *quidquid peccasti, &c.* At infans, & perpetuò amens sunt incapaces supradictorum, ergo, &c. Dixi, *perpetuò amens*, nam si aliquando habuit vsum rationis, & peccare actualiter potuit, est capax huius Sacramenti, vt docent citati, & alij communiter. Quare poterit illis, tum etiam, & phreneticis ministrare, modò tamen illud ante amentiam, vel phrenesim petierint formaliter, aut saltem virtualiter, seu interpretatiuè, etiamsi tempore amentiæ, vel phrenesis contradicant, dummodo absit periculum irreuerentiæ; modò etiam non constet ante amentiam, aut phrenesim fuisse in peccato notorio, & simul constet antea nullum signum dedisse doloris, nam sic est indispositus, consequenter indignus: at si id non constat, præsumendus est dignus, vt benè Nauarr. *cap.* 22. *num.* 13. & ferè communis apud Suarez *sup. num.* 6. & *num* 8. videndus. Quòd si hic notorius peccator ante phrenesim dedit signa doloris, iam est capax huius Sacramenti, quia censetur dispositus. Censentur autem virtualiter, & interpretatiuè petere omnes, qui Christianè vixerint, vel qui dederunt signa contritionis, vel qui

semel habuerunt intentionem recipiendi hoc Sacramentum, illamque non retractarunt, vel qui sunt dispositi ad recipiendum hoc Sacramentum; nam vt dictum est, quilibet censetur esse dispositus, nisi constet oppositum; quia nullus præsumitur malus, nisi probetur. Suarez *sup. num.* 5. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 3. *& lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. Nauarr. *cap.* 22. *num* 3. & cum aliis Bonac. *sup. num.* 3.

2 Dico secundò, præter prædicta, suscipiens hoc Sacramentum debet esse infirmus corpore, seu corporali infirmitate. Ita cõmuniter Doctores, colligitur apertè Iacob 5. *Infirmatur quis*; ergo nisi infirmetur, non erit capax huius Sacramenti, consequenter erit inualidum, si sano conferatur: & confirmatur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. Id etiam significat finis Sacramenti, qui est alleuiatio infirmi; tum etiam ipsa forma, quæ est deprecatiua, vt ostendatur, suscipientem debere esse in aliqua necessitate corporis. Hinc est, non esse capacem huius Sacramenti, consequenter non posse ei validè conferri, qui est in articulo, vel periculò mortis, nisi alias sit infirmus corpore; talis censetur suspendendus, vel damnatus ad mortem, vel nauigaturus cum periculo, vel pugnaturus in bello, vel aggressurus periculosum iter Nauarr. *cap.* 22. *num.* 15. Syluest. *vnct. extr. quæst.* 5. Bonacin. *sup. num.* 4. *&* 5. & cum communi Suar *disp.* 42. *sect.* 1. *num.* 6. Item, hoc Sacramentum non debet conferri omnibus infirmis, sed extremè tantum laborantibus, seu existentibus in eo statu infirmitatis, vt morale periculum sit mortis, & quidem si loquamur de necessitate præcepti, est certum ex Concil. Florent. dicente: hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet; si verò loquamur de necessitate Sacramenti, etsi probabilius videatur requiri eum statum infirmitatis; valde tamen probabile est, ad validitatem Sacramenti solùm requiri, quòd homo reuera sit infirmus corpore, vt tenet Ledesma *de extrema vnct. cap.* 6. *concl.* 3. *in sum.* nam ex Iacob 5. solùm videtur requiri infirmitas, *infirmatur quis*, idem etiam tenet Villalob. 1. *part. tractat.* 10. *diff.* 4. *num.* 6. videturque colligi ex Trident. *sess.* 14 *cap.* 3. *declaratur etiam hanc vnctionem esse infirmis adhibendam, illis verò præsertim qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur; vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Vbi considerandum est illud, *præsertim*, quo verbo, quasi innuitur hoc Sacramentum collatum infirmo verè infirmo, & si non sit in extremo periculo, esse validum. Quidquid autem sit de eius validitate, certum tamen est, Sacerdotem conferentem illud infirmo non existenti in probabili periculo mortis, siue extremo, si hoc constat Sacerdoti, peccare grauiter, quia in re graui agit contra præceptum Ecclesiæ, & ponit se in periculo inualidè ministrandi, cum opposita opinio sit probabilior, & certior: secus autem si illi non constaret, imò bona fide existimat esse in probabili, & extremo periculo vitæ; quo in casu non solum licitè, sed etiam validè ministrare existimo, vt dixi cum Villalobos *sup.* & tenet Suar. *loca citat. num.* 6. debet ergo prudens confessarius aduertere, quòd infirmus sit in periculo extremo vitæ; at quia hoc est difficile iudicatu, multum pendet ex arbitrio, & non consistit in indiuisibili, credendum non est, casu quod hoc Sacramentum ministretur aliquantulum citius, esse nullum, nam si grauis sit infirmitas, & periculosa adsitque bona fides Sacerdotis ministrantis, Sacramentum hoc suum operabitur effectum.

3 Non tamen est expectandum extremum vitæ periculum, aut tempus, quo infirmus sensu prorsus careat, aut quo omnino sit desperata eius salus, sed ministrandum esse hoc Sacramentum, si fieri potest; quando infirmus adhuc habet vsum rationis, vt se magis ad fructum Sacramenti recipiendum disponat, & sit capax alacritatis, quæ conferri solet in hoc Sacramento. Sotus *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 4. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. Posseuinus *cap.* 9. *num.* 5. Coninch *disp.* 19. *dub.* 9. *num.* 24 & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7. *quæst. vnic. punct.* 5. *num.* 7.

4 Ex dictis sequitur primò, esse capaces huius Sacramenti vulneratos lethaliter, aut qui potauerunt venenum; aut qui peste percussi sunt, aut læsi morsu viperarum, aut morbo rabido laborantes, Suarez *disp.* 45 *sect.* 2. Filliuc. *sup. n.* 105. & cum aliis Bonac. *sup. n.* 6. habent enim ij intra se causam proximam mortis, & sunt infirmi; reuera caueat tamen Sacerdos (vt aduertit Bonacina) ne rabidi hominis sputum, seu saliuam attingat; nam inficit attingentem. Item, potest dari senibus, qui in lecto senectute conficiuntur absque alia infirmitate; quia ipsa senectus est morbus naturaliter proueniens. Filliuc. *num.* 106. Bonacina *sup* & alij Mulieribus autem parturientibus communiter non est danda, nisi vitæ discrimen subeunt in aliqua actuali ægritudine, & infirmitate, vt quia iam cœpit habere acerbissimos dolores, ex quibus iudicio medicorum appareat probabile periculum mortis. Filliucius *num.* 105. Bonacina *numer.* 4.

5 Sequitur secundò, non esse capaces huius Sacramenti pueros non habentes vsum rationis, quia non habent deuotionem, nec reliquias peccatorum, cum actualiter peccare non potuerunt. Si autem habeant vsum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, sunt capaces huius Sacramenti, quia peccare potuerunt, & habere reliquias peccatorum: & quia non requiritur tanta deuotio, & discretio, quanta in Eucharistia recipienda. Non tamen tenentur Parochi in Diœcesi Valentina ministrare extremam Vnctionem pueris, antequam suscipiant Euchsristiam vt habetur in Rituali Valentino. Debet autem ministrari adultis, etiam recenter baptizatis; quia adhuc manent peccatorum reliquiæ, & potentiæ indigent confortatione contra dæmonis astutias. Ledesm. *in sum. cap.* 6 *de extrem. Vnct. concl.* 6. *&* 7. videndus Henriq. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7. *quæst. vnic. punct.* 5. 14.

6 Sequitur tertiò, adultum infirmum, qui nunquam actualiter peccauit (si fortè detur casus, vt aliquis nunquam actualiter peccauerit) esse capacem huius Sacramenti, vt docent Henriq. *lib.* 3. *c* 8. *n.* 4. *&* c. 11. *n* 8. Suarez *sup n.* 8. Coninch. *disp.* 19 *dub.* 7. *n.* 25. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 5. *num.* 108. & cum aliis Bonac. *sup. num.* 13. ij enim docent, non esse necessarium, vt actualiter peccauerit, sed quòd peccare potuerit. Ratio autem est, quia peccatum actuale non est materia proxima, vel remota huius Sacramenti; ergo quamuis non præcesserit, poterunt omnia Ecclesiastica Sacramenta adhiberi, consequenter conferret suum effectum: sic qui ex priuilegio nullum peccatum commisisset, esset etiam huius Sacramenti capax: & potest confirmari, quia ij sunt capaces effectus principalis huius Sacramenti, qui est confortatio contra mortem, & augmentum gratiæ. Non obstant illa verba formæ, *quidquid peccasti*, nam intelligenda sunt conditionaliter, videlicet, *si peccasti*, aut, *quidquid*, peccare potuisti, vt indicant illa verba Iacobi 5. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*, & docent Doctores huius sententiæ.

7 Hinc fit esse valde probabile B. V. Mariam recepisse hoc Sacramentum, vt docent Suarez *tom.* 1. *disp.* 16.

disp.16 sect.3.& loco supra citat. n.8. & 11. Hentiq. *cap.11.cit. num.7. &* 8. & Filliuc. *supra* 108. *in fin.* nam ex vi suæ originis fuit capax, etiamsi non fuerit ex priuilegio, ideoque fuit capax gratiæ expulsiuæ peccati,& auxilij confortantis contra reliquias; vnde etiam illi applicari poterat forma, *indulgeat tibi,&c.* hoc sensu,conferat tibi gratiam expulsiuam omnis culpæ, si adesset, & confortantem contra reliquias: vtilis etiam ei esse poterat vnctio contra natiuam corporis debilitatem, & contra tædium, mœroremque animi ex morbo, aut senio prouenientem. A fortiori dici potest fuisse collatam Apostolis ob easdem rationes, vide Henriq. *loco citat.* Quænam partes infirmi vngendæ sint: dixi *dub.* 2.

8 Quæres primò, an hoc Sacramentum cadat sub præcepto, ita vt peccet mortaliter ægrotus illud non recipiens. Respondeo, nullum extare de hoc Sacramento suscipiendo præceptum; quia nec in sacra Scriptura, nec in iure, aut Conciliis reperitur, ideoque non peccat mortaliter ille, qui tantummodo ex negligentia omittit illud suscipere, nisi adsit scandalum (quod vix inter Christianos vitari potest, nolendo Sacramentum tam vtile in tali statu) aut nisi adsit contemptus, nolendo suscipere Sacramentum, quod etiam homines viles,& abiecti suscipiunt; in his ergo casibus patet illum peccare mortaliter. Suarez *disp 44.sect.1.* Henriquez *lib.3. cap.10. num.3.* Coninch. *disp.19. dub.10.numer.30.* S.Thom. *in 4. distinct.13. artic.3.quæst.3.* Sotus *ibi quæst.1.art.1.* Nauarr. *cap.22.num.16.*& communiter Doctores.

9 Quæres secundò, quænam dispositio requiratur in suscipiente hoc Sacramentum. Respondeo, recipientem hoc Sacramentum debere habere intentionem saltem virtualem, & interpretatiuam illud suscipiendi, modo dicto *num.* 1. Secundò, si sit in peccato mortali, non teneri, per se loquendo, confiteri; quia non extat de hoc præceptum, sufficitque, vt habeat contritionem saltem existimatam quo in casu Sacramentum hoc faciet de attrito contritum, vt *dub. seq.* Dixi, *per se loquendo*, nam per accidens tenetur hic ad confessionem, si est possibilis: nam qui recipit hoc Sacramentum, debet esse morti proximus; at præceptum confessionis obligat eo tempore, posito peccato mortali; ideo ratione status præmittenda est confessio, si potest; quod si non potest, tunc cum attritione, existimata tamen contritione, sumi potest, suumque præstabit effectum. Quòd si non habet conscientiam peccati mortalis, non requiritur confessio; nam sublato peccato mortali confessio non obligat, vt dixi *sup. lib.* 5. *cap.2.dub.3.& cap.2.dub.1.* ita Filliuc. *tom.1.tract.3. num.132.133.*& communiter Doctores.

10 Quæres tertiò, an necessariò suscipienda sit prius Eucharistia, quàm extrema vnctio. Respondeo negatiue, quia nullum extat de hoc præceptum: tum quia infirmus potest se per contritionem disponere, vt dictum est: tum quia aliquando fieri potest, vt quia recipere possit extremam vnctionem, non verò pœnitentiam, nec Eucharistiam, vt quando aliquis patitur vomitum, aut ita repentè morbo præuenitur, vt non dederit signa contritionis: per se tamen, & ordinariè seruanda est praxis communis, vsus, & consuetudo, ita vt recipiatur prius Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ; vnde quando infirmus ita morbo præuenitur, vt non supersit tempus ad suscipiendam pœnitentiam, Eucharistiam, & extremam vnctionem, curandum est, vt recipiat pœnitentiam,& postea Eucharistiam, si possit,& demum extremam vnctionem; nam præceptum suscipiendi Eucharistiam, & Pœnitentiam obligat in articulo mortis, vt dictum est, non verò extrema vnctio, danda ergo est vnctio per se loquendo post viaticum, quoties illud suscipere potest infirmus, & post absolutionem sacramentalem. Henriquez *lib.3.c.10. ad finem.* Suarez *disp 44.sect.1.* & cum aliis Bonacin. *tom.1.disp.7.q vnic.punct.5.num.15.*

11 Nota, hoc Sacramentum ministrari non potest tempore interdicti; quia non est de necessitate salutis, at si aliud non est possibile, probabile est licere, quia tunc videtur habere vicem confessionis, ita Palud. apud Ledesmam *in sum. cap. 9. de extrema Vnctione, conclus.4.ad fin.* vbi existimat, hoc non esse improbabile. Quid autem disponat Bulla Cruciatæ circa hoc Sacramentum tempore interdicti, dixi in eius expositione, *lib.1.§.3.dub.2.*

Dub. V.

Quisnam sit effectus extremæ Vnctionis, & de eius ritu.

1 Dico primò, hoc Sacramentum causat gratiam in suscipiente bene disposito: hæc conclusio est de fide, vt probaui *lib.1. cap.4. dub.1,* de omnibus Sacramentis, at hic effectus est communis cum omnibus aliis Sacramentis nouæ legis, proinde videndum est, quisnam sit proprius effectus huius Sacramenti.

2 Dico secundò, proprius, & præcipuus effectus extremæ Vnctionis est gratia habitualis, seu iustificans, prout sanans animam à reliquiis peccatorum, & tollens imbecillitatem potentiarum ad bonum, & inclinationem ad malum, confortans spem, & animæ potentias in illo statu ad oppugnandum dæmonem. Ita Doctores citandi, & colligitur ex Trident. *sess.14 de extrema Vnctione*, ibi: *Christus Dominus extremæ Vnctionis Sacramento tanquam firmissimo quodam præsidio muniuit: nam &c.* Et apertius, *cap.2.* ibi: *Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ spem excitando, qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, & labores leuius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantibus facilius resistit, & salutem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* Et potest probari hac ratione; quia ad tollendum peccatum originale institutus est Baptismus, ad mortale pœnitentia; ergo ad tollendum peccati reliquias, ac infirmitatem ex peccato, debuit dari aliud Sacramentum; hoc autem præstat extrema Vnctio; ergo, &c. Vt autem vno verbo complectar effectum huius Sacramenti, dico esse potissimum, & proprium eius effectum corroborationem infirmi contra omnia mala, quæ mortis tempore occurrere solent; etenim specialis gratia huius Sacramenti posita est in conferendis auxiliis accommodatis ad supradictum finem consequendum. Filliuc. *tom.1.tract 3.cap.5.n.121.* ex D.Thom. *distinct.23.quæst.1.art.2.quæst.1.& 2.* vide Coninch. *disp.19. dub.5.* Henriq. *lib.3. cap. 9.* & Bonacinam *tom.1.disp.7.quæst.vnic.punct.7.num.1.*

3 Difficultas tamen est apud Doctores, quid intelligatur per reliquias peccatorum. Variis omissis, ego cum Bellarmino *vbi de extrema Vnctione, cap.8.* & Filliucio *sup.num.118. & 119.* per reliquias peccatorum intelligo primò peccata mortalia, vel venialia, non absolutè sumpta, quia sic pertinent ad pœnitentiam, sed quæ interdum relinquuntur post alia Sacramenta, vel quæ fiunt post illa; & non aduertuntur, & ideo non possunt manifestari per confessionem,

sionem, vel quia non sunt remissa per præcedentia Sacramenta malè suscepta, sed hoc ignorat infirmos. Omnia hæc colliguntur, tum ex verbis Iacobi 5. *Si in peccatis fuerit remittentur ei*, tum ex Florentin. cum dicit, effectum esse animi sanctificationem, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. ibi: *Si quæ delicta adhuc sunt expianda, absterget.* Denique id apertè indicat forma Sacramenti huius, *quidquid deliquisti per visum, &c.* etenim licet alia Sacramenta id efficere possint, tamen hoc Sacramentum per se, & propriè hoc præstat, eo quòd ad hoc peculiariter in fine vitæ sit institutum. Secundo potest intelligi debilitas corporis, & ægritudo animi in infirmitate, seu tædium, & mœror animæ ex peccato. Ita citati. Ratio est, quia hæc nascuntur ex peccato originali, consequenter coniunguntur cum aliquo effectu peccati, scilicet cum morbo, & ægritudine corporis ideoque rectè reliquiæ dicuntur, sunt enim pœnalitates peccati quædam: atque corroboratio facta per hoc Sacramentum præcipuè erit contra tria mala. Primò, contra desperationem largiendo fiduciam de diuina misericordia. Secundò, contra dæmonis tentationes eo maximè tempore tribuendo vim ad resistendum. Tertiò, contra morbi incommoda, impartiendo patientiam, & tolerantiam omnium malorum: quæ omnia colliguntur ex Trident. *loco citato.* initio doctrinæ de hoc Sacramento & *cap.* 2. *citat* & ex Iacob. 5. ibi: *Saluabit infirmum, & alleuiabit, &c.* id est, non adeò deprimetur vitibus corporis, vt à tentationibus superetur. Vide Filliuc. *loco cit. num.* 220 & 222. Hinc fit, hoc Sacramentum disponere animam ad introitum gloriæ: primò, ea perfecta animi sanctificatione quæ præter gratiam sanctificantem, dicit etiam exclusionem omnis mali prouenientis ex peccato. Secondò, ex perseuerantia in huiusmodi bono vsque ad mortem quod consequitur anima per auxilia supradicta. Quatuor autem operatur per huiusmodi dispositionem extrema Vnctio: primò tollit omnia peccata, si quæ inueniat nondum remissa, modo supradicto: secundo, tollit pœnas temporales peccati debitas iuxta dispositionem recipientis: tertiò, dat robur contra reliquias peccatorum, fomitem videlicet, & prauos habitus corporis, & animæ deliberationem ortam ex peccato originali: quartò potest aliquando facere hominem ex attrito contritum, idque ex speciali institutione, vt pluribus. Suar. *disp* 41. *sect.* 1. *num.* 19.

4 Ex dictis colligitur, per reliquias peccatorum non intelligi peccata venialia, vt existimant Durand. Gabriel, & alij, apud Suarez *supra n.* 3. quia hæc sine Sacramento deleri possunt, nec vllum Sacramentum institutum est ob sola venialia: & confirmatur, quia illa verba, *quidquid peccasti*, non sunt restringenda ad venialia, imò ait Bellarm. *dict. cap.* 8. non esset tutum hoc dicere. Item nec intelliguntur pronitas ad malum, vel reatus pœnæ temporalis: non primum, quia de habitu, & procliuitate non possunt intelligi, illa verba, *si in peccatis fuerit*, nam pronitas, & habitus non sunt peccata. Nec secundum, quia ad tollendam pœnam temporalem, nullum Sacramentum est per se institutum, nec fuit necessarium; quia ad talem effectum non requiritur gratiæ impressio. Filliuc. *supr. num.* 218. Aduerte tamen nos non negare, hoc Sacramentum non remittere peccata venialia, & pœnas temporales iuxta eius dispositionem, hoc enim admittimus; quod negamus ergo est, hoc non esse proprium huius Sacramenti effectum, sed communem cum aliis, de quo Suarez *supr. num.* 7.

5 Sed quæres primò, quo tempore hoc Sacramentum conferat prædictos effectus. Respondeo, etsi non sit improbabile, dari effectum partialem in singulis vnctionibus, vt existimant Adrian. Medin. & Ledesm. apud Suar. *disput.* 41. *sect.* 2. *num.* 6. & apud Henriq. *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 3. Probabilius tamen est, dari huiusmodi effectus, quando perficitur vltima, & quinta vnctio essentialis quinque sensuum vt docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 23 *quæst.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 1 *ad* 3. Sotus *quæst.* 1. *art.* 1. Ledesm. *in summ. cap.* 1. *de Extrem. Vnct.* Henriq. *loco citat.* Suar. *supra n.* 13. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 10. *diff.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 126. & Bonac. *tom.* 1. *disp.* 7. *q vnic. punct.* 6. *num.* 2. & 3. Ratio est, quia omnia Sacramenta, quæ in vsu consistunt, vnicam gratiam conferunt in eo momento, quo Sacramentum eiusque significatio completur, ergo idem in hoc dicendum erit, nam significatio non completur, nisi in vltima, seu quinta vnctione sensuum; ergo, &c. aliter enim sequeretur, peccatum vnius sensus posse remitti sine peccato alterius sensus, consequenter vnum peccatum absolutè posse remitti sine alio; quod fieri non posse dixi *libro* 5 *capite* 3. *dubium* 2. *numero* 16. ita etiam cum aliis Bonacina. Secus autem dicendum est in Eucharistia, & Ordine; nam in Eucharistia vtraque forma est perfecta essentialiter ex se, & independens ab alia, ideo vnaquæque operatur suum effectum, & in Ordine datur speciale munus singulis Ordinibus, quòd sine aliis potest exerceri; at affectus Extremæ vnctionis ita est connexus, vt non possit conuenienter dari per partes, nam remissio peccatorum mortalium, si quæ essent, debet dari tota simul.

6 Dico secundò, effectus secundarius, & minus præcipuus huius Sacramenti est sanitas corporis & alleuiatio infirmi, non tamen semper, sed vt expedierit saluti animæ, Suar. *disput.* 41. *sect.* 4. *n.* 1. & communiter DD. & quidem ex vi illius conferri aliquando sanitatem corporis, est de fide ex Florentin. & Trident. *vbi supr.* & fundatur in verbis Iacobi 5. *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum, Dominus*, quod etiam intelligitur de salute corporis, vt communis apud Suar. *loco citat.* Dixi, *non semper*, quia promissio huius effectus debet intelligi conditionate, videlicet, sit ita animæ saluti expedierit, vt explicat Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. nam salus corporis non est bonum per se necessarium homini; quare satis est salutem corporis esse aliquando vtilem animæ, ad hoc vt possit esse effectus huius Sacramenti, vt pluribus Suar. *loc. cit.*

7 Nota in hoc Sacramento, Sacramentum tantum esse materiam, & formam; quia significant gratiam, & non significantur per aliud. Rem Sacramenti tantum esse gratiam, quia significatur per materiam, & formam, & non significat. Rem, & Sacramentum simul, esse quandam interiorem deuotionem, & animæ lætitiam ab hoc Sacramento causatam, & significantem gratiam. Vide Ledesm. *cap.* 4. *de Extrema Vnct. in summ.*

8 Quæres secundò, an hoc Sacramentum iterari possit. Respondeo absolutè iterari posse, vt docet S. Thom. 3. *part. quæst.* 33. Suar. *disput.* 4. *sect* 4. & communiter DD. quia non imprimit characterem sicut imprimunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo. In eadem tamen infirmitate iterari non potest, quia semel suscepta hæc medicina sufficiens est, ad conferendum effectum, quo infirmus indiget, idque confirmat vsus communis. At si status infirmitatis mutatur, v. g. si infirmus euadat periculum mortis, & per mensem conualuit à mortis periculo, poterit si in periculum mortis iterum incidat, suscipere iterum hoc Sacramentum, quia nihil obstat quin

iterari

iterari possit, cum Sacramentum hoc sit iterabile, & subiectum tale sit illius capax, S. Thom. *in 4. distinct.* 18. *quaest.* 1. *artic.* 3. *quaest.* 2. *ad* 4. Syluest. *verb. Extrema vnctio, num.*4. Henriquez *lib.*3.*c.*19. *num.* 4. Coninch. *disp.* 19. *dub.* 8. Posseuin. *cap.* 9. *num.* 18. Bonacin. *tom.*1.*disp.*7. *quaest.vnic.punct.*6. *num.* 4. & alij communiter.

9 Quæres tertiò, quinam ritus sint obseruandi in ministratione huius Sacramenti. Respondeo in hoc standum esse Rituali, consuetudini, & legibus Episcoporum: vnde peccat ministrans (modò periculum non sit in mora) si omittit orationes ibi præscriptas, quia agit contra præceptum, quod peccatum videtur mortale; nam materia censetur grauis. Non tamen opus est, vt Parochus ministrans adhibeat ministrum respondentem, nisi aliud receptum alicubi sit per decreta Episcoporum, vel Sedis Apostolicæ, Posseuin. *cap.*9. *num.* 11. Bonacin. *supr.num.*5. & alij, vbi *num.*9. tenet, & benè, non licere hoc Sacramentum ministrare in necessitate sine vestibus ab Ecclesia præscriptis, sicut diximus de sacra Eucharistia.



LIBER SEXTVS DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPVT VNICVM.

De Ordine.

DVBIVM I.

Quid sit Sacramentum Ordinis.



NOTA, quoad præsens attinet, Ordinem sumi tribus modis. Primò, pro respectu inter aliquas res, quarum vna est prior altera posterior; vel natura, vt causa, & effectus, vel effectu, vt patet filio, arbor fructibus; vel loco, vt cœlum igne, ignis aëre; vel dignitate, vt Ordo Senatorius Equestri, Equestres plebeio; vel superioritate, vt inter nouem ordines Angelorum; in qua significatione ordo describitur à D. Aug. 19. *de ciuit.* c. 13. dispositio parium, & imparium rerum tribuens sua loca vnicuique, sic in vniuerso inferiora subsunt cœlestibus, & inter homines alij aliis, vt in Republica ciuili, vt milites Duci, subditi Regi: tum Ecclesiastica, vt Clerici inferiores Presbyteris, Presbyteri Episcopis Episcopi Summo Pontifici Christi Vicario. Secundò, sumitur Ordo per antonomasiam pro variis Religionibus; quò pacto vulgò dicitur Ordo S. Dominici, S. Francisci, &c. omnes enim sub vna Christiana Religione continentur, & inspirantur à Deo piis hominibus. Tertiò, sumitur pro signo, seu cæremonia externa, qua confertur homini gradus dignitatis, & officium in Ecclesia Christi: in qua significatione sumitur in hac materia.

2 Suppono tanquam certum, & de fide, dari in Ecclesia Sacramentum Ordinis, vt dixi *lib.* 1. *de Sacrament. in genere cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 1. De hoc Sacramento expressè definitum est in Florent. in instruct. Arm. & Trident. *sess.* 23. *Can.* 1. & docent DD. communiter, & constabit infra, vbi de singulis Ordinibus agemus.

3 Suppono secundò, hoc Sacramentum esse vnum ex septem Sacramentis nouæ legis institutum à Christo: patet primò, quia vt dixi *loc. cit.* omnia Sacramenta nouæ legis sunt instituta à Christo Domino tum quia ita definitum est à Trid. *sess.* 7. *Can.* 1. *sess.* 23. *c.* 1. & 3. & *Can.* 1. 3. & 3. vbi agit de hoc Sacramento, & habet perpetua Ecclesiæ traditio, & communis consensus Catholicorum; fuit autem institutum hoc Sacramentum à Christo Domino in nocte Cœnæ, vt habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 1. & *Can.* 2. & docent S. Thom. *q.* 34. *add. art.* 4. quem sequuntur omnes Theologi apud Henriq. *lib.* 10. *cap.* 5. & Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 8 *punct.* 1. *n.* 2. idque colligunt ex Luc. 22. ibi. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quorum verborum hic est sensus, ex D. Thom. & aliis: quemadmodum, ego, & consecro Eucharistiam, & illam offero; ita & vos accipite potestatem consecrandi Eucharistiam, & offerendi illam in sacrificio Missæ. Ratio esse potest, quia constat Christum Sacramenta instituisse; at non apparet commodior locus institutionis, quàm in vltima Cœna, & cum ipsam Eucharistiam instituit, & dedit potestatem illam consecrandi; ergo. Et quamuis illis verbis videatur tantummodo institutus Ordo sacerdotalis, dicendum nihilominus omnes Ordines tunc fuisse institutos: tum ob rationem dictam: tum quia Ordo sacerdotalis continet eminenter alios inferiores, qui ordinantur ad Ordinem sacerdotalem, illique inseruiunt. Henriquez *supr. cap.* 5. *num.* 6. Bonacin. *loco cit. num.* 7. & alij communiter. Contulit enim Christus per potestatem excellentiæ Apostolis omnes Ordines simul: nam sub principali, quod est sacerdotium, cæteri omnes comprehenduntur, qui participent licet imperfectè potestatem aliquam circa corpus Christi ministrandum, & inseruiendum Sacerdoti, vt plutibus Henriq. *sup. c.* 5. *n.* 1. & cum eo Filliuc. *tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 3. & communiter DD.

4 Dico

4 Dico primò, Ordo est, Sacramentum quo spiritualis potestas traditur circa Eucharistiam in sacrificio Missæ, ita colligitur ex D.Thom. *quest.*34. *add. artic.* 1. & aliis DD. quos refert, ac sequitur Henriquez *de Ordine cap.*1. Primò, dicitur, *Sacramentum*, per quod conuenit cum aliis Sacramentis: nam est signum sensibile, &c. quod est impositio manuum, & sensibilis verborum prolatio, Act.6. 12.& 14. Causat etiam gratiam, vt infra, & 1.Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, &c.* & 1.Timoth. 1. *Admoneo, vt resuscitetis gratiam.* Secundò, dicitur, *quo traditur potestas, &c.* quod significatur per formam, quæ solet proferri, *accipe potestatem.* Tertiò dicitur, *circa Eucharistiam*, quod debet intelligi immediatè, vt Ordo sacerdotalis, vel mediatè, vt alij Ordines, nam illorum ministeria ordinantur ad Eucharistiam tanquam ad finem, vt ex dicendis de singulis constabit. Filliuc. *tom.*1.*tract.*9.*c.*1.*n.*2.& Bonacin. *disp.*8.*quæst.vnic.punct.*1.*n.*1. Solet etiam definiri: Signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato, ex Magistro *in* 4. *dist.* 24. Dicitur autem hoc Sacramentum Ordo, quia per illud aliquis constituitur in quodam gradu, ac ordine certo Ecclesiasticæ dignitatis.

5 Dico secundò, Ordines sunt septem, Ostiarios, Lectoratus, exorcista, Acolytatus, Subdiaconatus, & Presbyteratus. Ita habetur in Florent. in decret. Eugen. & in Tridentin. *sess.* 23. *cap.*2. & confirmatur Ecclesiæ vsu, *quæst.* 37. *add. articul.* 2. quem sequuntur communiter Theologi, vt videre poteris apud Vasquez 3.*part.tom.*13 *disp.*236. Henriquez *lib.*10. *cap.* 2. Coninch. *tom.*2.*disp.*20.*dub.*2. & Bonacin. *supr. num.*2. Colligitur autem hic numerus ex actibus, quos singuli habent circa Eucharistiam, ad quam ordinantur, & circa quam conferunt aliquam potentiam; nam quidam versantur circa ipsam Eucharistiam, vel consecrando, vt Sacerdotes; vel immediatè ministrando, vt Diaconi, vel ordinando materiam in vasis, vt Subdiaconi; vel eam præparando, & præsentando Subdiacono, vt Acolyti; alij verò versantur circa recipientes illam, vel arcendo infideles, vt Ostiarij, vel inseruiendo, vt Lectores, vel liberando oppressos à dæmone, vt Exorcistæ.

6 Dico tertiò, Episcopatus non est Ordo distinctus à sacerdotio, ita S. Thom. *quæst.* 40. *add. artic.* 5. Henriquez cum aliis *lib.*10.*cap.*2. Filiucius *supra, numer.*12.& Bonacin. *loco citat. numer.*3. contra Coninch. *disputat.*20.*dub.*2.*numer.*2. Valen. Bellarmin. Medin. & Vasquez apud Bonacin. oppositum non improbabiliter asserentes. Aduerte tamen nos non negare Episcopatum non esse Ordinem, ast etenim, nam continet specialem potestatem ad conferendam Confirmationem, & ordinem, & ad alia munera Episcopalia obeunda, quod ergo diximus est, non esse distinctum Ordinem à sacerdotio, sed contineri sub sacerdotio, est enim perfectum sacerdotium, quod probatur, quia Ordines distinguũtur per diuersam habitudinem, quam habent ad Eucharistiam, vt infra; at Episcopatus non habet circa illam maiorem potestatem; quàm habet simplex Sacerdos, sed tantum potest conferre Confirmationem, & Ordinem, quæ potestas non pertinet ad Eucharistiam. Quòd si dicas cap. *decernimus, dist.*28. & in Tridens. *sess.* 23. *cap.* 8. dici, Episcopatum esse sacrum Ordinem, sicut est Ordo Presbyterorum, Diaconorum, admitto quidem dici sacrum Ordinem, sed non numerari tanquam distinctum, quia non habet actum distinctum circa Eucharistiam, proinde est idem cum sacerdotio, hoc est Ordo, & character sacerdotalis, prout extenditur ad munera Episcopalia. Hinc fit, non posse validè conferri alicui non Sacerdoti, aut infanti, nam Episcopatus non est Ordo distinctus ab ordine sacerdotali, sed illum supponit, & extendit: aliter enim Ordines essent plusquam septem. Syluest. *verb.Ordo, numer.* 1. Henriquez *lib.*10. *cap.* 18. & cum aliis Bonac. *supr. num.*4. qui *num.*5. cum Soto *in* 4. *dist.*24.*quæst.*2 *artic.*4.*conclus.*1. consequenter, & ob rationem dictam dicit Archiepiscopatum, & Papatum non esse propriè Ordines distinctos ab Ordine sacerdotali.

7 Dico quartò, prima tonsura non est Ordo, S.Thom. 3.*part.quæst.*40.*add.art.*2. Syluest, *Ordo* 1. § 1. Nauarr. *cap.*82.*num.*17. Henriquez *lib.*10. *cap.*3. *num.* 6. & communiter Theologi contra quosdam Canonistas. Ratio est, quia licet tonsuratus habeat ex deputatione, & priuilegio Ecclesiæ gradum quendam inter Clericos, & sit capax iurisdictionis Ecclesiæ, & Beneficiorum, vt docent citati, tamen huiusmodi priuilegium non pertinet ad vllam rationem, aut partem Sacramenti, nec habet illud officium adnexum circa ministerium altaris, sed tantum est quid præambulum, & præparatio quædam, seu dispositio ad Ordines, sicut catechismus ad Baptismum, & nouitiatus ad professionem. Filliuc. *tom* 1.*tract.*9.*cap.*1.*num* 13.& cum aliis Bonac. *tom.*1.*disp.*8 *quæst.vnic.punct.*1.*num.*6.

8 Ex his infertur propriè, & strictè loquendo, Ordines tantum esse septem connumeratos in secunda conclusione; impropriè verò, & lata significatione, prout Ordo est nomen officij, & dignitatis, esse nouem, videlicet illi septem propriè dicti, & large alij duo nimirum Episcopatus, & prima tonsura, Villalob. videndus *tom.*1.*tractat.*11. *diff.*2.*num.*4.

9 Colligitur secundò, Psalmodium non esse distinctum ordinem, sed reduci ad lectoratum. Filliuc. *supra num.*14. Ratio est, quia respectu officij Ecclesiastici nihil interest, verum canendo, vel simpliciter pronuntiando dicantur ea, quæ ex Scriptura in Ecclesia legi debent: & confirmatur, quia Psalmodiæ olim dabantur etiam non tonsuratis, qui in choro canerent, cap. *Psalmista distinct.* 23. *gloss. cap.Clericus, verb.Psalmista dist.*21.

10 Quæres primò, an omnes septem Ordines sint Sacramentum. Dur. *in* 4.*distinct.*24.*quæst.*2. asserit solum sacerdotium esse Sacramentum Nauarr. *capit.*21.*numer.*8. Sotus *in* 4 *dist.*24.*quæst.*1. *artic.*4. Vasquez *disp.*237. *cap* 2. existimant Ordines maiores, videlicet Sacerdotium, Diaconatum, & Subdiaconatum esse Sacramenta; minores verò, vt sunt alij quatuor, tantum esse Sacramentalia; verior tamen sententia est, omnes septem esse Sacramentum. Ita S.Thom. 3. *part. quæst.* 22. *articul.* 2. Bonac. *in* 4.*dist.*24.*articul.*2. Bellarm. *tom.*3 *libr de Sacrament. Ordinis capitul* 6.7.& 8 Ledesm. *in summ.cap.*1. *de hoc Sacramento, post* 3 *conclus.* Villalobos *supr.diff.*3. Filliuc. *loco citat. num.*23. & cum aliis Bonac. *supr. punct* 2.*numer.*2. *versic. Tertia sententia.* Colligitur apertè hæc sententia ex Florentint. quod postquam dixit Ordinem esse Sacramentum, statim subdit, materiam esse rem, quæ traditur ab Episcopo, & formam esse verba hócque non solum applicat tribus Ordinibus maioribus, sed etiam minoribus; si ergo Ordines maiores sunt Sacramenta, in quibus reperitur materia, & forma; cur ergo non erunt etiam Sacramenta minores, cum in ipsis reperiatur materia, & forma; & ex Trid. *sess.*23 *c.*3. quod postquam recensuit nomina singulorum Ordinum, absolutè dicit, Ordinem esse Sacramentum, & Canon. 2. ita habetur: *Si quis dixerit præter sacerdotium*

tium

tium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines,per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendant, anathema sit. Cum ergo Trident.absoluiè dicat Ordinem esse Sacramentum, necesse est, vt hoc verificetur non solum de Ordine Sacerdotali, sed etiam de aliis sex,cum verè sint Ordines, *vt supra*, probatum est: & quidem loquendo in particulari, conueniunt omnes, Sacerdotium esse Sacramentum, & omnium Ordinum præstantissimum, patet ex Conciliis citat. Et quia est cæremonia sacra externa, quæ habet adnexam promissionem gratiæ ex 1.Timoth.4. & 2.Timot. 2.idem existimant admodum probabiliter dicendum de Episcopatu. Bellarmin. *lib.de Ordine cap.* 5. & Filliuc. *supr. num.* 24. idque confirmant ex *locis citat.* D.Pauli, & quia est cæremonia sacra, at iam diximus esse probabilius, non esse Ordinem distinctum à sacerdotio, consequenter nec esse distinctum Sacramentum,alias essent octo Ordinum Sacramenta. Item, Diaconatum esse Sacramentum, est communior sententia Theologorum, & communis sensus Ecclesiæ, & colligitur. 1. Timoth. 3. ad Titum 1. Philip. 1. vbi coniunguntur Diaconi cum Presbyteris. Item,quia ordinantur per manuum impositionem, sicut Episcopi. Item Subdiaconatum esse Sacramentum, est communis sententia Theologorum, ex Bellarm. *cap.7.*tum quia imprimit characterem, cum sit initerabilis, tum quia habet adnexum votum castitatis. Denique Ordines minores esse Sacramentum, est communior sententia Doctorum ex Bellarmin. *cap.8.* & ratio est, quia non iterantur, & per eos constituitur ordinatus in certo gradu Ecclesiæ circa ministerium Eucharistiæ. Filliuc. videndus t. *tom. tract.9. cap.* 1. *quæst.*11. Concludendum igitur est, non solum sacerdotium, sed etiam alios sex ordines esse Sacramentum, cum in omnibus detur specialis potestas spiritualis, ad aliquem actum ordinata, & vnusquisque sit signum sensibile gratiæ. Vide sanct. Thom.3.*part.quæst.*37.*add art.*3.

11 Dico quintò, etsi vnumquodque ex septem Ordinibus sit essentialiter Sacramentum distinctum specie infima, seu atoma ab alio, quia habent singuli distinctam materiam, & formam, vt dicetur, omnes tamen rectè dicuntur vnum Sacramentum Ordinis; nam quamuis specie infima differant,sunt tamen vnum vnitate speciei interiectæ, seu genere subalterno;omnes enim comprehenduntur sub vnitate generica ordinis, quia omnes ordinantur ad vnum finem,qui est digne offerre sacrificium Missæ,aut ministrare in eo ad altare,Filliuc.*supr. n.* 15. Ledesma *in summ bap.*1.*de Ordine*,& alij.

12 Ex his colligitur primò, cum omnes septem Ordines verè sint Sacramentum,vnumquodque eorum vere esse Ordinem sacrum; attamen tres priores,videlicet Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, qui dicuntur maiores, vocantur communiter sacri, non quia quatuor reliqui,qui dicuntur minores, non sint etiam sacri, sed quia maiores ordines habent adnexum votum castitatis, propter quod homo dicatur, & consecratur Deo magis peculiari quadam ratione, quàm sacratur per Ordines minores, & quia maiores magis propius accedunt ad Eucharistiam, quæ maximum, & augustissimum Sacramentum appellatur. Ita Bonac. *supr. punct.*2.*n.*2.*ad fin.* & communiter DD.

13 Colligitur secundò, suscipientem quemlibet ex septem Ordinibus cum conscientia peccati mortalis,peccare mortaliter,quia ponit obicem gratiæ sacramentali,cum vnusquisque Ordo sit Sacramentum, vt dictum est; non tamen tenetur confiteri, sed sufficit contritio saltem existimata. Exercere autem actus maiorum etiam Ordinum,excepto sacerdotio, non videtur peccatum mortale, vt dixi *lib.*1.*cap.*5.*dub.*3.*&* 4.& docent Sotus *in* 4. *dist.*24. *q.*15.*art.*4.Henriq.*lib.*10.*cap.*13.& Bonac. *supra.*

14 Quæres secundò, an Ordo cadat sub præcepto, seu an detur præceptum de Ordine suscipiendo. Respondeo in particulari, non dari præceptum vt hic, aut ille Ordinem suscipiat, nullibi enim extat, vt testantur communiter DD. respectu autem totius communitatis, seu Prælatorum Ecclesiæ datur præceptum, vt colligitur ex capit. *consuluit distinct.* 74. Hinc est, vt teneatur Prælatus ex officio, opportuno anni tempore conferre Ordines, vt sit sufficiens ministrorum copia, per quos fideles possint implere præcepta de Sacramentis suscipiendis. Quare poterit, dici hoc Sacramentum ex consequenti necessarium; nam Christus dixit se fore nobiscum, vsque ad consummationem sæculi, id est in Eucharistia, ergo erunt necessarij ministri ad illam conficiendam, ideóque Sacramentum Ordinis ad illam consecrandam. Quare sicut potest Princeps compellere ad statum matrimonij, quando magna pars Regni bellis aut peste consumpta est, ita existente ingenti populi multitudine, & paucissimis ministris, ita vt minime sufficerent ad Eucharistiam, & alia Sacramenta conficienda, & ministranda, videtur posse Ecclesiam obligare aliquos ad sacros Ordines suscipiendos, vide Henriquez *lib.*10.*capitul.*4.*n.*3.& Filliuc. *tom.*1. *tract.*9. *cap.*1.*num.*4.

15 Quæres tertiò,quodnam sit officium singulorum Ordinum. Respondeo, officium Sacerdotis esse consecrare corpus, & sanguinem Domini, absoluere à peccatis, & cætera Sacramenta administrare, præter Confirmationem, & Ordinem: hæc enim duo sunt propria Episcopi, ad cuius munus etiam pertinet consecratio Ecclesiæ, vnctio altaris, consecratio chrismatis, communis populi benedictio, distributio officiorum, & Ordinum Ecclesiasticorum, benedictio virginum, & prædicatio verbi Dei, de quibus late Barbos. *in suo tract. de offic. & potest. Episcop. & libr. de iur. vniuers.* & colliguntur hæc ex Decreto *dist.* 24. *&* 25. & Magistro *in* 4.*dist.*24.& in Epist.ad Ludifred. citat. à Graciano *dist.* 28. *cap.*1. De officio Sacerdotis, seu Parochi edidit Possevinus quendam doctum, & vtilem tractatum, & Barbos. *vbi de potestate Parochi*, & dixi *in tract. de iure Parochi*, & constat ex dictis, & dicendis in hoc tractatu, vbi agitur de ministro Sacramentorum in particulari. Vide S.Thom.3. *p. quæst.*37.*add.art.*2.

16 Diaconi officium est assistere Sacerdotibus & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis, præcipuè in oblatione sacrificij Missæ, vt constat ex Clement. *lib.* 2. *constit. cap.* 14. & aliis. Item, legere Euangelium in Ecclesia publicè, ex Concil. Rhemensi, *Can.* 5. potest etiam baptizare in absentia Episcopi, & Sacerdotis, ex Tertullian. *lib.de Baptismo,de quo supr.libr.*2.*cap.*1.*dub* 4.Item, prædicare de licentia Episcopi, Actor. 7. & 8. denique in absentia Presbyteri, etiam Eucharistiam administrare, modo quo dixi *lib.*3.*c.*8.*dub.*3. Nunc autem id, & prædicare non est in vsu.

17 Subdiaconi officium est, proximè assistere Diaconis, & illis in sacrificio ministrare deferendo calicem, & patenam, ex Carth.4. *Can.*5. Item, legere Epistulas in sacrificio Missæ, ex Rhemensi, *Can.* 4.

18 Acolyti, id est, subsequentis, & pedisequi, officium, est, luminaria præparare ad sacrificium, portare cereum accensum ad altare; item

que dare vrceolos cum vino, & aqua, ex Carth. 4. *Can.* 6.

19 Exorcistæ officium est, manus imponere super energumenos, seu vexatos à dæmone, & ad arcendos dæmones, legere super eos exorcismos Ecclesiæ, & ita illos præparare, vt Sacris interesse possint. Laod. *cap.* 24. *&* 26.

20 Lectoris officium est, lectionem Prophetarum in Ecclesia pronuntiare, & Catechumenos docere rudimenta Fidei, Carthus. 4. *Can.* 8. & Laod. *loco citat.*

21 Ostiarij officium est, Templum claudere, & aperire, illudque custodire, & ad illud admittere eos, qui dignè Sacris interesse possunt, eosque excludere, qui sunt indigni, Carth. 4. *Can.* 9. vide de iis omnibus S. Thomam 3 *part. quæst.* 37 *add. art.* 2.

22 Ex his constat dari in Ecclesia ministrorum varietatem ex diuina institutione, vt probatum est in particulari, & in communi constat ex Paulo Rom. 12. *Habentes donationes secundùm gratiam differentes, &c.* & 1. Corinth. 12. *Diuisiones ministrorum sunt, &c.* Quod fuit conuenientissimum, quia hoc modo diuina sapientia clariùs elucet in Ecclesiæ ministeriis; & sic melius consulitur humanæ infirmitati per diuersos ministros, & denique quia ad plurea hoc modo pertinet dignitas ministrorum, vtpote plurium cooperatorum ipsius Dei, colligitur ex S. Thoma 3. *part. quæst.* 37. *add. art.* 1. Numerantur autem inter ministros in Scripturis primo loco Episcopi, Presbyteri, & Diaconi. De Episcopis probatur ex 1. Timoth. 3. & Tit. 1. ibi agitur de virtutibus Episcopi, quas etiam docet Chrysost. *Hom.* 11. *in Timoth.* pertinere ad Presbyteros. Et 1. Timoth. 5. Presbyteris eandem monitionem accommodat S. Paulus. Aduertendum tamen, Episcopum quantum ad primum, & præcipuum actum sacerdotalem, qui est potestas celebrandi, non excedere Sacerdotes; nam in hoc omnes sunt æquales, imò & Papa, quod est dicere esse omnes æquales in potestate intensiua, non verò extensiua: nam quoad extensiuam potestatem, certum est, & de fide, Episcopos excedere Sacerdotes, ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. de quo D. Thom. 2. 2. *quæst.* 184. *articul.* 6. Turrecrem. *lib.* 1. *de summ. Eccl. cap.* 69. Sotus *dist.* 24. *quæst.* 2. *artic.* 2. & communiter Doctores; & Papam, qui dicitur Episcopus vrbis, & orbis totius, ex Soto *sup. art.* 4. sicque se ipsum in Bullis nominat; excedere in iurisdictione, & potestate extensiua Episcopos, & omnes Ecclesiasticos ministros, fides Catholica, & communis Catholicorum sententia testatur. Secundò, post Presbyteros nominantur Diaconi: patet ex 1. Timoth. 3. vbi eorum ministerium collaudatur: & Actor. 6. vbi septem Diaconi eliguntur cum quadam cæremonia. Igitur sicut Episcopi sunt superiores Presbyteris, ita Presbyteri Diaconis, de quo Valentia *tom* 4. *disput.* 9 *quæst.* 1. *punct.* 2. Vltra tres sequuntur Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectores, & Ostiarij: & quamuis eorum non habeatur expressa mentio in Scripturis, tamen authoritate Patrum connumerantur tanquam res tradita ab Apostolis vt refert Eusebius *lib.* 6. *Ecclesiast. histor. cap.* 35. & pluribus Bellarm. *cap.* 8. & Valentia *loco cit.* §. 6. & confirmatur ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. *&* *Can.* 2. vide Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 5. 6. *&* 7. Præter Episcopos autem reperiuntur in Ecclesia alij dignitatis gradus. Primò, Patriarchæ, seu Primates, qui sunt superiores Archiepiscopis; & Archiepiscopi, qui sunt superiores Episcopis, vt patet *cap. Clerici. dist.* 21. *& cap. vrbes distinct.* 80. At horum dignitates non efficiunt distinctum ordinem à septem enumeratis, sicut nec Papatus ab ordine sacerdotali, & Episcopali, ideo quando hic eligitur, non consecratur de nouo Episcopus, quia idem est esse Papam, ac supremum Episcopum, vt ait Sotus *art.* 4. *cit.* vbi Addit, Cardinales non habere ordinem iure diuino institutum distinctum à sacerdotio, & Episcopatu, sed iure Pontificio introductum; vocarique cardinales, hoc est, principales, siue sint Episcopi, siue Diaconi, ad quos etiam de iure spectat Summi Pontificis electio Nicolaus Papa II. *in* 6. *Synodo, & cap. In nomine Domini* 23. *dist.* vide Villalob. 1. *part. dist.* 11. *diff.* 2. *num.* 5. *&* 6.

DVB. II.

Quænam sit materia Sacramenti Ordinis.

1 SVppono tanquam certum, in hoc Sacramento dari materiam, & formam; nam cùm verè sit Sacramentum, & omnia Sacramenta constent materia, & forma, fit inde hoc Sacramentum constare materia, scilicet rebus ipsis, & forma, nimirum verbis, vt ex Florentino, & aliis dixi *lib.* 1. *capit.* 2. *dub.* 1. *num.* 3. & docet de hoc Sacramento S. Thom. 3. *part. quæst.* 34. *add. articul.* 3. Deinde suppono, materiam huius Sacramenti esse duplicem, aliam remotam, aliam verò proximam. Remota est res, quæ traditur, seu instrumentum, vel vas, vel liber, qui traditur ordinandis in signum potestatis spiritualis, quam recipiunt, vt instrumento suum ordinem exequantur; dicuntur hæc materia remota, quia circa illam versatur materia proxima: est autem materia proxima traditio rei, vel vasis, aut instrumenti, seu libri ab ordinante, eiusdemque acceptatio ab ordinando; nam supra hanc cadunt verba, quæ sunt forma, vt dicemus, & ex hac, & forma perficitur Sacramentum: patet hæc doctrina ex his, quæ diximus de Sacramentis in genere, & de singulis in particulari: Vide Henriquez *lib.* 20. *capitul.* 8. Coninch. *disput.* 20. *dub.* 7. *concl.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 9. *capit.* 2. *quæst.* 2. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *disp.* 8. *quæst. vnic. punct.* 2. *num.* 1.

2 Hæc quæ supposui, certa sunt: difficultas tamen est primo, an hæc materia debeat esse consecrata necessariò. Affirmant Sylu. & alij apud Henriquez *sup. capit.* 5. *in lit. T.* alioquin enim, aiunt, si Subdiaconus non acciperet calicem consecratum, non differret ab Acolyto, qui accipit vrceolos non consecratos. Sotus verò, Ledesma, & alij, quos sequitur Henriq. *loc. cit.* & Bonacin. *sup. numer.* 5. negant, & quidem probabilius: tum quia id Concilia non exprimunt, sicut expresserunt de confirmatione, & extrema vnctione: tum quia ideo in confirmatione, & extrema vnctione requiritur consecratio materiæ, quia eam Christus suo vsu, & exercitio non consecrauit; at Christus vsus est calice, cùm ordinis Sacramentum Apostolis contulit; ergo suo vsu, & contactu consecrauit. Nihilominus tamen etsi post factum possit quilibet huic opinioni tutè acquiescere ante factum, tamen consulenda est prior sententia, cui etiam fauet vsus. Ad rationem prioris sententiæ respondetur, satis differre: tum ratione instrumenti, quòd traditur: tum, & præcipuè, ratione formæ, quæ diuersa in illis est.

3 Maior tamen difficultas est, vtrum sit de necessitate Sacramenti contactus materiæ, ita vt non censeatur ordinatus, qui materiam realiter, & physicè non tetigit. Nota, quæstionem esse posse respectu Episcopi ordinantis, aut respectu ipsius ordinandi. Item, an sufficiat contactus moralis; an verò requiratur physicus. Dico igitur, si loquamur de

de Episcopo ordinante, & in collatione ordinum maiorum, necesse est, vt tangat materiam. Probatur *ex cap. Subdiacon. dist.* 23. vbi expresse id dicitur de Subdiacono, & à fortiori infertur de aliis maioribus, quia idem esse debet, qui formam profert, & materiam tradit: alioquin enim non verificaretur forma, qua dicitur: *Accipe potestatem, &c.* at Episcopus profert formam; ergo etiam debet tradere materiam. Ita S.Thom. *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *artic.* 1. *ad* 2. Syluest. *ordo* 2. *quæst.* 5. Suarez *tom.* 5. *disput.* 42. *sect.* 3. *num.* 12. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 13. In collatione verò ordinum minorum olim id non erat necesse, sed sufficiebat Archidiaconus, qui de mandato Episcopi illam tangeret, & porrigeret ordinandis, *ex cap. Acolytos, distinct.* 25. nunc autem Episcopus in collatione cuiusque ordinis debet per se porrigere instrumenta illa, qui ordinantur, vt habetur in Romano Pontificali, quod tutius videtur ob rationem dictam: vnde si contingeret ordinem aliter esse collatum, iterari posset sub conditione, quia probabiliter dubitatur ordinem esse irritum. Filliuc. *supr.* vide Henriquez *cap.* 10. *num.* 2.

4 Si verò loquamur de ordinando, dantur duæ sententiæ. Prior asserit, satis esse quod acceptet signo aliquo externo materiam, & eam moraliter tangat, vt si extensione manuum ostendat se eam ab ordinante acceptare, quamuis physicè eam non contingat. Ita Nauarr. *cap.* 22. *n.* 17. dicens sufficere tactum, vel acceptationem. Ita etiam Victoria *de Sacram. quæst.* 230. Sotus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *articul.* 2. & alij apud Henriquez *lib.* 10. *capitul.* 10. *lit.* D. Bonac. *sup. num.* 10. ac Dianam, quos sequitur. Hoc autem probant, quia Concilia tantum dicunt ordinem conferri per traditionem materiæ; at materia potest dici tradi verè, absque eo quòd tangatur physicè; ergo. Et confirmatur, quia effectus ordinationis non prouenit à materia, tanquam ab agente aliquid circa suscipientem, sed tanquam à determinante significationem formæ ad hunc, vel illum effectum; cùm ergo hæc determinatio æquè fiat, siue materia tangatur physicè, siue non; ergo non erit necessarius contactus physicus.

5 Posterior, & ferè communis Doctorum affirmat requiri necessariò, vt ordinandus physicè materiam tangat, aliter non manebit ordinatus. Ita S.Thom. *quæst.* 34 *add. artic.* 5. *ad* 2. Syluest. *ordo* 2. *quæst.* 5. Valent. *punct.* 5. Coninch. *disp.* 20. *dub.* 7. *num.* 7. Filliucius *supr num.* 35. vbi hanc opinionem tutiorem vocat, & cum aliis Henriquez *sup.* Bonac. *loco citat. num.* 10. & Villalob. 1. *part. tractat.* 11. *diff.* 4. *num.* 1. Probatur primò, quia vsus Ecclesiæ, & communis existimatio id probat. Secundò, quia Sacramenta omnia præter Eucharistiam, consistunt in receptione passiua; hæc autem non est absque contactu. Tertiò, quia hoc Sacramentum fit tradendo potestatem, traditio autem non potest dici efficax, nisi correspondeat ei receptio per contractum; aliter enim solùm oblatio. Sic enim si ego offero tibi librum, si tu illum non recipis, non est verum dicere, me illum tibi tradere: ob quas rationes hæc secunda sententia tanquam communior, probabilior, & verior omnino tenenda est, saltem ante factum; post factum verò ad tollendos scrupulos, potest sustineri prior sententia probabiliter, propter authoritatem Doctorum, & rationes, quibus nititur, sicque poterit consolari scrupulosus, qui dubitat, se in ordinatione materiam tetigisse, & reputari pro ordinato, cùm sequatur opinionem probabilem.

6 Aduertunt tamen, & benè, authores secundæ sententiæ, non esse necessarium tangere materiam duabus manibus, sed sufficere vna manu tangere: item sufficere partem materiæ tangere, sic in sacerdotio non est necesse, hostiam, & vinum immediatè tangere, sed sufficit calicem, & patenam attingere; nam qui vas, seu calicem attingit, moraliter censetur attingere vinum, & qui attingit patenam, censetur etiam attingere hostiam intra eam contentam: imò Ledesma, Sotus, & Sylu. existimant sufficere tangere calicem, quamuis patenam non tangat, quod reputat valdè certum Villalobos *sup. n.* 3. quia qui taugit calicem, censetur etiam tangere patenam illi impositam. Ex quo fit, fuisse verè ordinatam quendam Diaconum, qui in ordinatione tetigit calicem cum patena, sed non tetigit hostiam, vt cum Bonacina, & aliis Diana 2. *part. tract.* 16. *resol.* 3. quia censetur etiam hostia, eo quòd calix cum patena censeantur moraliter vnum; sic tacto calice sufficienter censetur vtrumque tactum. Item, quando eadem potestas traditur per duplex instrumentum, vt in Accolyto per duos vrceolos, & in Subdiacono, cui traditur calix, & patena, satis est, si ille vnum vrceolum, & hic calicem tangat: secus si per diuersa instrumenta, diuersa potestas tradatur; nam tunc vtrumque debet tangi. Filliucius *sup. quæst.* 4. Aduertunt etiam, ordinandum curare debere, vt tangat materiam, quæ ipsi traduntur; nam hoc tutius est, & præcipitur in Pontificali Romano. Quòd si dicas, an sit necesse contingere materiam, quando verba proferuntur, ita vt sint simul contactus, & verba, seu forma. Respondeo non opus esse, vt mathematicè sint simul, sed sufficere, vt sint simul moraliter, id est, sine mora interposita, vt in baptismo, in quo, vt dixi *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 4. non est necesse, vt in eodem instanti, in quo infans abluitur, proferantur verba, sed sufficit, ablutionem, & prolationem esse simul moraliter; quia hæc simultas sufficit, vt subsistat significatio sacramentalis. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 10. & cum aliis Bonacina *supr. num.* 11. & communiter Doctores.

His suppositis, loquendo in particulari de materia singulorum ordinum.

7 Dico primò, Episcopatus materia (in opinione asserente esse ordinem) primò est vnctio in capite, & impositio mitræ. Secundò, traditio baculi, & annuli in digito. Tertiò liber Euangeliorum ad illa interpretanda. Quartò, impositio manuum super ipsius caput. Ratio est, quia Episcopus accipit varia munera, ideo est multiplex materia. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 40. qui *numer.* 41. cum Bellarm. *de ordine cap.* 9. tenet probabilius esse, materiam essentialem, esse manuum impositionem, quod significant illa verba, quæ tunc dicuntur. *Accipe potestatem, &c.* & videtur significare Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. dum dicit, *ministrum extremæ vnctionis esse Episcopum, aut Presbyterum ordinatum per manuum impositionem.* Cætera ergo dici possunt sacramentalia quædam, & cæremoniæ ab Ecclesia introductæ ad significanda munera pastoris, sponsi, & Doctoris Ecclesiæ.

8 Dico secundò, materia in sacerdotio remota est duplex. Prima est, calix cum vero vino, & patena, cum hostia ex pane verè triticeo. Secunda est impositio manuum. Ita communis Doctorum. Et probatur, quia his traditis, perficitur ordo sacerdotalis, adiuncta tamen forma; est igitur vtraque de essentia, quia Sacerdoti confertur duplex potestas, videlicet in prima confertur ei tantùm potestas consecrandi, in secunda verò absoluendi à peccatis, ideoque sine altera esset imperfectus Sacerdos, consequenter si Episcopus moriatur, antequam proferat

proferat illa verba: *Accipe Spiritum sanctum, &c.* poterit Sacerdos consecrare, non verò à peccatis absoluere, cùm adhuc potestas sacerdotalis non sit perfecta, sed imperfecta. Suarez *tom. 3. disput. 41.* Henriquez *sup. cap. 6. numer. 3.* Bonacin. *sup. punct. 3. numer. 2.* & Filliuc. *sup. num. 41.* qui ex Bellarm. *c. 9. de ordine ad 2.* & Henriquez *loco cit.* colligit, si vna ex his materiis omitteretur, illam solam supplendam esse. Nec obstat, inquit, quòd Florentinum tantum assignet pro materia per rationem instrumenti; nam respondetur non explicasse totum ritum, sed vnam partem; alteram autem explicuit Carthaginense, vt docet Bellarminus *loco cit.* Attamen etsi integrè materia ex præcepto, sit traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, eo quòd sacrificium Missæ ex præcepto fieri debeat sub vtraque specie, videtur tamen sufficiens traditio vasis cum altera specie, ita vt si aliquando altera desit, vt si vinum desit in calice ex obliuione, non sit ordo iterandus ex necessitate; nam potestas consecrandi non traditur diuisim, sed qui potest vnam speciem consecrare, potest & aliam, eo quòd Christi corpus coniunctum est cum sanguine, & sanguis cum corpore. Ita admodum probabiliter Henriquez *sup. capit. 6. numer. 1.* Filliuc. *loco cit. num. 43.* & Bonacin. *vbi sup. num. 3.* Existimo tamen, non solùm tutius, sed verius esse, in hoc casu Sacramentum hoc esse iterandum sub conditione, vt docet Suar. *tom. 3. disput. 25. sect. 1 vers. Vltimò constabit.* & cum eo Villal. *1. part. tractat. 11. diff. 4. num. 1.* vbi refert ita censuisse doctores Vniuersitatis Salmanticensis. Dixi, *calix cum vero vino, & patena cum hostia ex vero pane triticeo,* nam si desit verum vinum, & hostia ex pane triticeo, non erit Sacramentum, eo quòd desit vera sacrificij materia. Ledesma *in summ. capit. 3. de ordine conclus. 2. diff. 3.* Dixi etiam, *materia remota,* nam si loquamur de materia proxima, iam dictum est, *n. 3.* hanc in hoc Sacramento, & in aliis ordinibus esse ipsam traditionem rerum, seu instrumentorum, ex qua, & verbis, quæ ab Episcopo proferuntur, componitur, & perficitur hoc Sacramentum.

9 Dico tertiò, materia remota Diaconi est liber Euangeliorum. ita Doctores citati, & communiter omnes, nam traditione huius libri perficitur ordinatio Diaconi, vt habetur in Concilio Florentino. Quòd si dicas, tempore Apostolorum non fuisse librum Euangeliorum, & tamen tunc ordinabantur Diaconi per manuum impositionem, consequenter librum hunc non esse materiam, sed solam manuum impositionem. Respondeo cum Filliucio *sup. n. 24.* & Bonacina *loco citat. num 4.* vel tunc fuit dispensatio Christi ad tempus, quia non erat opus legere Euangelium, vt dicit Bellarmin. *loco cit.* vel quia tunc dabatur charta aliqua, in qua continebatur scripta materia fidei, vt docet Henriquez *cap 8 lit. F.* vel credibile esse, Christum non vnicam omnino materiam instituisse pro Sacramento ordinis, sed Apostolis, eorumque successoribus contulisse potestatem conferendi ordines per traditionem instrumentorum, quibus indicatur potestas, quæ in vnoquoque ordine confertur. Ex quo fit, vt ordo in traditione primæ materiæ conferatur, & character extendatur in traditione aliarum materiarum, quoties Ecclesia consueuit aliquem ordinem conferre traditione plurium instrumentorum, vt tenet Bonacina, *sup.* cum Henriquez *lib. 10. cap. 16. & 28.* Suarez *tom. 3. disp. 11. sect. 3.* & aliis. Placet tamen prior solutio, quia magis conformis principiis Theologiæ: hoc tamen pro certo habeo non subsistere ordinationem, si liber non contineat Euangelia; nam deficit vera materia, Ledesma *sup.* & alij. Materia verò proxima est ipsa libri traditio; sicut in aliis ordinibus, nam ex ipsa fit Sacramentum.

10 Dico quartò, materia remota Subdiaconatus est calix vacuus cum patena. Ita communiter DD. citati. Constat ex Florentino, & probatur, quia traditione calicis vacui cum patena perficitur ordinatio Subdiaconi: & confirmatur, illa est cuiusque ordinis materia, per quam ordinatus præcipuè deseruit sacrificio; at Subdiaconus præcipuè seruit sacrificio Missæ per calicem, & patenam, in quibus sacrificium celebrandum est; ergo. Non tamen requiritur, quòd calix sit consecratus, vt dixi *supr. num. 2.* & cum Ledesma, & aliis tenet Bonacina *loco cit. n. 5.* vnde non pertinet ad materiam substantialem huius ordinis liber Epistolarum, ob rationem dictam, quidquid Filliucius *sup. n. 45.* Materia proxima est traditio calicis vacui, & patenæ.

11 Dico quintò, materia remota Acolytatus sunt vrceoli vacui; nam in horum traditione perficitur Sacramentum, vt existimat Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3.* Ledesma *in sum. cap. 3. de ord.* circa finem, & cum aliis Bonac. *supr. num. 6.* At quia in Pontificali Romano edito à Pio V. anno 1572. in traditione dicitur ceroferarij facta Acolyto, imprimi characterem, ideo maximè probabiliter Filliucius *sup. num. 46.* & alij asserunt, ceroferarium etiam esse materiam huius ordinis, conferrique in hoc ordine Acolyto duplicem potestatem, alteram ceroferarij quando scilicet traditur illi ceroferarium cum cereo, alteram ministrandi propinquius ad altare, quando traduntur vrceoli. Attamen quia potestas, quæ traditur per traditionem vrceolorum, propinquior est ad altare, & consequenter præstantior, quam cereos deferre pro cantu Euangelij, videtur solum vrceolos spectare ad materiam essentialem huius Ordinis, & in traditione candelabri, dici potest extendi characterem, vt ex Carthag. 4. *cap. 6.* & Tolerano 9. docet Henriquez *cap. 9. num 1. lit. B.* & Bonacin. *supr. num. 6.* Materia verò proxima est traditio vrceolorum, quia ex hac, & forma componitur Sacramentum.

12 Dico sextò, materia remota Exorcistæ est liber exorcismorum, & Lectoris, liber prophetiarum, siue lectionum, ita communis DD. in horum enim instrumentorum traditione perficiuntur ij Ordines & imprimitur character: materia verò proxima sunt ipsæ traditiones, sicut in aliis.

13 Dico septimò, materia remota ostiariatus est cymbalum, & claues, in quorum traditione imprimitur character: per traditionem cymbali datur ostiario potestas connocandi populum ad sacrificium; per traditionem verò clauium confertur ei potestas custodiendi Ecclesiam, & aperiendi, & claudendi ianuas Ecclesiæ. Ita communis, vide Sot. *in 4 dist. 24. q. 1. art. 3.* & Henriq. *lib. de Ordine c. 9.*

D V B. III.

Quænam sit forma huius Sacramenti.

1 Respondeo breuiter, & dico primò, formam huius Sacramenti esse verba, quæ proferuntur ab Episcopo, quando tradit materiam propriam cuique Ordini, & cum ordines sint septem, & vnusquisque sit Sacramentum, & de ratione Sacramenti, sit habere materiam, & formam; hinc fit vnumquemque Ordinem habere suam materiam, & suam formam; de materia in particulari iam dictum est *dubio proximo*; dicamus ergo nunc

nanc de forma in particulari: forma igitur Ordinis sacerdotalis, *Accipite potestatem offerendi sacrificia in Ecclesia pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ita ex Florentin. in decreto Eugenij, & habet communis: hanc autem formam desumpsit Ecclesia ex illis verbis Christi, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: ex quo fit per illa verba, quæ postea Episcopus profert imponendo manus super caput ordinandi, videlicet: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* non dari nouam potestatem, sed tantum declaratur id, quod antea erat datum, vt docent Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. artic. 4.* Bartholomæus Ledesm. *diff. 4.* Villalobos *tom. 1. tract. 11. diff. 5. n. 1.* etenim ante horum verborum prolationem erat Sacerdos ordinatus. Fundamentum est, quia Florent. huius formæ mentionem omisit, at si fuisset essentialis, illam non omisisset. Inuocatio autem, seu expressio sanctissimæ Trinitatis in Sacramento Ordinis non est de essentia formæ, vt habet communis Theologorum; quia non est hoc Sacramentum fidei professio, sicut est Baptismus, nec prætermissa inuocatione sanctissimæ Trinitatis mutatur substantialis sensus formæ; ex vsu tamen Ecclesiæ decenter additur. Vide Henriq. *de Ordin. capit. 10.* Filliucius *tom. 1. tract. 9. cap. 2. quæst. 10.* & Bonacin. *1. tom. disp. 8. punct. 3. num. 13.*

2 Dico secundò, forma Diaconi sunt verba, quæ proferuntur in traditione libri Euangeliorum, videlicet: *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei tam pro viuis, quam defunctis*: Subdiaconi sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur, nõ quando dat librum Epistolarum, sed quando tradit calicem vacuum cum patena, videlicet: *Videte cuius ministerium vobis traditur, &c.* quia porrigere calicem, & patenam, est materia magis proxima ad sacrificium, quam liber Epistolarum, vt dixi *dub. proximo n. 10.* Forma Acolyti est. *Accipite ceroferarium cum cereo, accipite vrceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.* Forma Exorcistæ. *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue catechumenos*: quæ verba profert Episcopus dum Exorcistæ tradit librum Exorcismorum. Forma lectoris sunt verba, quæ profert Episcopus, dum lectori tradit librum dicens: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, &c.* Ostiarij forma sunt verba, quæ dicit Episcopus dum tradit claues: *Sic agite, quasi Deo reddituri rationem de rebus, quæ his clauibus recluduntur.* Vide Pontificale Romanum, à quo hæc omnia sumpta sunt, & Filliuc. *sup. q. 10.* ac Villalob. *loc. cit. diff. 5.*

3 Dico tertiò, forma huius Sacramenti debet proferri per verba imperatiui modi, vt continetur in ipsis formis, & habet vsus Ecclesiæ, & docet S. Thom. *3. part. quæst. 34. add. artic. 4.* & communis Doctorum, & quidem, vt ostendatur, ordinatum debere fungi munere, & officio suscepto, ne videatur illud inutiliter suscepisse. Henriquez *libr. 10 cap. 5.* An autem sit de essentia Sacramenti, quòd hæc forma proferatur per modum imperatiui, non conueniunt omnes: ego autem cum Ledesma *in summ. cap. 1. de Ordine*, probabiliorem existimo partem affirmantem, quod probat communis vsus Ecclesiæ, & quia in Florentino habetur forma per modum imperatiui.

4 Quæres tamen primò, vtrum Episcopus qui profert formam, debeat exhibere materiam tangendam. Respondeo affirmatiue, vt dixi *dub. 2. n. 3.* à simili de baptizante, & docent Bonacin *sup. n. 15.* cum Suarez, & aliis.

5 Quæres secundò, vtrum valida sit ordinatio, quando plures initiantur ordine sacerdotali, & Episcopus prolata semel vnica forma, in plurali, præbet materiam pluribus successiuè tangendam, non repetita forma. Respondeo affirmatiue, quia sic materia, & forma censentur moraliter esse simul. Bonac. *sup. 16.*

6 Aduertendum tamen, quòd quando in ordinatione deficit aliquid essentiale, ordo non tenet, nec manet, suscipiens illud, ordinatus: secus tamen si quod defuit, non est essentiale, sed accidentale, supplendus tamen erit defectus accidentalis, vt habetor *c. 1. de Sacram. non iterand.* & donec suppleatur defectus talis, non licet absque mortali peccato exe se, vti tali ordine, vt cum Suar. *tom. 5. de cens. disp. 42. sect. 4. n. 12.* tenet Villalob. *sup. n. 5.*

7 Quæres tertiò, quodnam sit officium, & munus singulorum ordinum. Respondeo, hæc facilè constare ex singulis formis, seu verbis, quibus ordinaris confertur potestas per Episcopum dicentem: *Accipite, &c.* Nihilominus tamen claritatis gratia, dico cum communi: officium igitur Sacerdotis est, conficere Sacramentum Eucharistiæ pro viuis, & defunctis, Sacramenta administrare, præter confirmationem, & ordinem, quia hæc duo spectans ad Episcopum, item prædicare verbum Dei, ad quod tamen in nostra Diœcesi tenetur licentiam ab Episcopo petere.

8 Officium Diaconi est, publice Euangelium legere in Ecclesia, assistere, & ministrare in sacrificio: potest etiam in vrgente necessitate in absentia Episcopi, & Presbyteri baptizare solemniter, vt dixi *libr. 2. cap. 1. dub. 5. num. 3. & 4.* & docet Suar. *tom. 3. disp. 23. sect. 1.* & alij. Item, potest concionem ad populum habere, ex facultate tamen Episcopi; olim etiam administrabat Eucharistiam, eamque ad absentes deferebat, vt dixi *lib. 4. capit. 6. dub. 1. n. 7.* & docent Suarez *supra disput. 69. sect. 1.* Henriq. *libr. 8. cap. 34.* & alij.

9 Officium Subdiaconi est, proximè assistere Diacono, illique ministrare in sacrificio Missæ, deferendo calicem, & patenam ad altare.

10 Officium Acolyti est, porrigere Subdiacono vrceolos cum vino, & aqua, præparare lumina ad Sacrificium, & transferre cereum accensum ad Altare.

11 Officium Exorcistæ est, imponere manus super energumenos, illisque exorcismos legere ad fugandos dæmones.

12 Officium Lectoris est, legere prophetias, & scripturas in Ecclesia.

13 Officium Ostiarij est, claudere, aperire, & custodire Ecclesiam, admittendo dignos ad sacra, & excludendo indignos. Vide de his Valent. *tom. 4. disput. 9. quæst. 1. punct. 3.* Henriquez *lib. 10. cap. 8. & 9.* Coninch. *2. part. disp. 20. dub. 3.* Reginald. *lib. 30. tract. 1. à num. 11.* & Bonacin. *1. tom. disput. 8. quæst. vnic. punct. 3. num. 17.*

DVB. IV.

Quisnam sit effectus Sacramenti Ordinis.

1 Communis DD. tenet hoc Sacramentum duplicem habere effectum: primus est gratia: secundus character.

2 Dico igitur, primus, & præcipuus Sacramenti ordinis effectus est gratia habitualis, ad digne, & ex officio ministrandum in illo ordine Probatur primò ex his, quæ diximus de Sacramentis in communi. Secundò, in particulari id certum est de sacerdotio,

sacerdotio, ex Trident. *sess.* 23. *capit.* 3. & *Can.* 4. de Diacono ex Actor. 6. & 1. Timoth. 4. de Subdiacono, ex Can. 43. Apostolorum. Denique de quatuor minoribus ordinibus idem docent DD. vt S.Thom. *quæst.* 35 *add. art.* 1. *ad* 3. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 14. *lit. S.* Bonac. *t. tom. disp.* 8. *quæst. vnic. punct.* 6. *n.* 3. Filliucius 1. *tom. tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 52. & communiter DD. Ratio est, quia cum dictum sit, omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem; & dictum etiam sit, omnes septem ordines esse verè Sacramentum, consequenter sequitur, omnes conferre gratiam. Conferunt autem gratiam, quando ordinandus tangit materiam, & Episcopus profert formam: seu quod idem est in instanti in quo perficitur ministratio huius Sacramenti, & completur eius significatio, vt dixi de Sacramentis in genere. Quantum verò ad Episcoparum, cum dictum sit *dub.* 1. non esse Sacramentum consequenter dicendum, in consecratione Episcopi non conferri gratiam, nec eius augmentum, sed tantum extendi charácterem sacerdotalem ad munera Episcopalia, & ad iurisdictionem, ideo non datur noua gratia, nam hæc confertur ad exercenda munera iurisdictionis, & regiminis; ad hoc enim sufficit, quod eligantur digni, qui suis meritis gratiam augeant, Villalob. 1. *part tract.* 11. *diff.* 6. *num.* 1.

3 Dico secundo, secundus effectus ordinis est, character, qui causatur eodem tempore, quo gratia sacramentalis confertur, vt dixi *in* 1. *conclusione*, & quidem in ordinibus sacris, seu maioribus imprimi charácterem, est de fide ex Trident. *sess.* 23. *Can.* 4. & docent communiter Doctores cum sanct. Thom. *quæst.* 35. *addit. artic.* 2. Ratio est, quia in ordine sacro confertur potestas spiritualis, ad Ecclesiasticum ministerium exercendum, vt in superioribus dictum est: & cum hæc potestas sit indelebilis, dicenda est character. Idem de Episcopatu dicendum, in opinione asserente esse distinctum ordinem à sacerdotio, vt existimat Filliuc. *sup. n.* 54. secus in nostra opinione iuxta quam dicendum non imprimere charácterem, sed tantum extendi charácterem sacerdotalem ad munera Episcopalia, *vt supra dictum est.* Imprimitur etiam character in quatuor ordinibus minoribus, quod etsi non sit, tam certum, quam primum, id tamen docent Doctores citati, & communiter omnes, nam etiam sicut per Sacramenta, ita per hos confertur potestas spiritualis ad exercenda Ecclesiastica ministeria, & non iterantur: & fauet Florentinum, in decreto Eugenij, vbi generaliter dicit, per ordinem imprimi charácterem, & nullum ordinem excludit. Vide Henriquez *lib.* 10. *cap.* 7. & 14. Quare si quis iteraret tàm maiores, quàm minores ordines peccaret quidem, non tamen incurreret irregularitatem, quia non est iure expressa, sicut est de Baptismo, vt communiter Doctores apud Henriquez, *cap.* 14. *citat. num.* 2.

4 Dico tertiò, tunc producit ordo charácterem, quando perficitur Sacramentum, hoc est, applicatur materia essentialis, & profertur forma, quia tunc fit Sacramentum essentialiter; vnde in sacerdotio causatur character, quando traditur calix cum vino, & pane cum hostia, & proferuntur verba ab Episcopo. In Episcopatu, in opinione asserente esse ordinem, & imprimere charácterem distinctum à sacerdotali, confertur character in ipsa manuum impositione. In Diacono confertur character, quando traditur liber Euangeliorum, & profertur forma. In Subdiacono, quando traditur calix vacuus cum patena. In Acolyto, in traditione vrceolorum simul cum forma. In Exorcista, in traditione libri exorcismorum. In Lectore, in traditione libri propheciarum. In Ostiario, in traditione clauium, & formæ prolatione: patent hæc omnia ex dictis *dub.* 2. vbi de materia ordinis, & *dub.* 3. vbi de forma, vide Filliucium *tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 7.

Dub. V.

An ordinati teneantur voto castitatis.

1 Dico certum esse, iure Ecclestico, in Ecclesia Latina compelli Sacerdotes ad emittendum votum castitatis, continentiæ, seu cælibatus, per quod fit inhabilis futuro matrimonio, quod etiam vsu receptum est in Ecclesia Græca, vt cum multis docet Henriquez de ordine *capit.* 14. *n.* 7. *lit. N.* Quod præceptum primus tulit Siricius Papa, vt refert Bellarm. 1. *de Cler. capit.* 18. siue, vt alij dicunt apud Henriquez *supr. lit. O.* S. Gregor. I. Quod quidem statutū extēsum deinde est ad omnes sacris initiatos, videlicet ad Diaconos, & Subdiaconos tantùm, quòd confirmarunt posteriores Pontifices, Innocent. III. *cap. quanto de diuort.* Alexand. I. *cap.* 1. *de Cler. coniugat.* idque seruatur in Ecclesia Latina. Hoc autem votum censetur tacitè, & implicitè emittere suscipiens ordinem sacrum Subdiaconatus; nam qui vult antecedens, vult etiam consequens, & qui vult statum aliquem, vult etiā onera illi statui annexa; consequenter qui vult ordinem sacrum, vult etiam votum castitatis illi ab Ecclesia adnexum. Vide Henriquez *lib.* 10. *cap.* 11. & quæ dixi in Decalogo *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 1. Hinc fit posse Pontificem in huiusmodi decreto ex causa dispensare cum aliquo, cum aliqua ratione, vt fecit cum Græca: abrogare autem licet possit absolutè, tamen non expediret, vt pluribus probat Bellarminus *lib.* 1. *de Cler. cap.* 9. Cum Episcopis autem, quidam dicunt, generaliter dispensatum apud Græcos ad vsum prioris matrimonij: verum tamen est, hoc tantùm factum esse cum aliquo particulari. Dixi, *initiatos sacris teneri ex voto ad cælibatum*, nam omnes Doctores tenent, initiatos quatuor minoribus ordinibus non teneri ad cælibatum, sed posse ducere vxores, vt communiter. Vide Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 8. Inferunt etiam, non præcepto diuino, sed ecclesiastico prohibitum esse initiatis in sacris contrahere matrimonium, vt pluribus Couinch. *disp.* 20. *dub.* 11. *conclus.* 2. vnde si contrahunt, inualidum est matrimonium, *ex capit. vnic. de voto in* 6. & *capitul.* 1. & 2. *qui Clerici, vel vouentes*, & habent communiter Doctores, & dicemus infra *lib. seq.*

2 An autem sacris initiati obligentur ad continentiam immediatè per præceptum Ecclesiæ, an verò solùm mediante voto continentiæ, dubitant Doctores; nam multi apud Sanchez *lib.* 7. *disp.* 27. *numer.* 9. putant, præter obligationem naturalem, qua tenentur abstinere ab omni voluntate venerea extra matrimonium, teneri etiam solo præcepto Ecclesiastico ad continentiam. Alij verò apud eundem Sanchez *supr. numer.* 10. tenent, eos immediatè obligati ad continentiam ratione voti, lege autem Ecclesiastica, solùm mediatè, quatenus scilicet per Ecclesiam votum continentiæ sacris ordinibus annexum est; nam eo quòd quis sciens sacros ordines suscipit, censetur hoc votum emittere; sicut quando multis proponitur aliquod iuramentum præstandum, & postea iubentur singuli dexteram eleuare, hoc ipso, quo eleuant, censentur

tur iotare. Vtraque sententia probabilis est, probabilius tamen existimat Coninch *supra dub.*13.*n.*130. suscipientes sacros ordines, præter obligationem voti, id est, quæ oritur iure naturali, & diuino ex ipso voto, teneri etiam immediatè ex lege Ecclesiastica ad continentiam. Ex quo infert Coninch *num.*131. Religiosum fornicantem committere distinctum speciẽ peccatum ab eo, quod committit fornicans, qui solùm vouit castitatem, ideoque Religiosum sacris initiatum teneri vtramque circumstantiam confiteri; sed de hoc dixi in Decalogo *lib.* 6.*cap. vnic.dub.*9.

3 Differunt etiam Doctores, an votum hoc continentiæ iure diuino, vel humano Ecclesiastico dirimat matrimonium: quidam asserunt dirimere iure diuino; alij verò, quos sequitur Coninch *supra, num.*132. tenent solo iure Ecclesiastico, sed de hoc *lib.seq.c.*8.*dub.*9.

4 Sequitur ex dictis, Sacerdotem iure diuino non prohiberi ab vsu matrimonij iam contracti, quia etiam nunc in Ecclesia Græca id vsurpatur ex permissione Ecclesiæ. Verum quidem est, supposito voto cælibatus, quod emittitur ab ordinatis in sacris in Ecclesia Latina, teneri eos iure diuino, & naturali ad continentiam, quia ad hanc, iure diuino, & naturali votum hoc obligat; at quia huiusmodi votum continentiæ ex sola Ecclesiæ constitutione profectum est, vt dictum est, ideo consequenter dictum est, non prohiberi iure diuino ab vsu matrimonij iam contracti; vnde cessante Ecclesiæ constitutione, nec etiam in Ecclesia Latina tenerentur ordinati in sacris ad continentiam, vt ex S. Thom. 2. 2. q.88.*art.*11. Caietan. *in opuscul.tom.*1.*tract.*27.*quæst. vnic.* Sotus *lib.*7.*de iust.q.*4.*art.*2. & aliis probat fusius Sanchez *lib.*7.*de matrimon.disp.*17.*n.*5.

5 Sequitur secundò, inualidè ordinatos ob aliquem defectum essentialem, non teneri hoc voto castitatis; quia talis non vouet per se, & expressè castitatem, sed tantùm secundariò, & implicitè quatenus id votum est adnexum ordini, quem putat suscipere, cum ergo principale non subsistat, ita nec secundarium, & per accidens ei adnexum. Sanchez *lib.* 7. *disp.*27. *num.*13. & Coninch *disput.*20. *dub.*14.*n.*133.

6 Sequitur tertiò, infantes ordinatos in sacris non teneri hoc voto castitatis, Sanchez *sup.disp.*30. *n.*3. & cum aliis Coninch *supr.num.*134. quia votum essentialiter requirit liberum consensum vouentis, cuius infantes sunt omnino incapaces; vnde taliter ordinati, cùm ad vsum rationis peruenerint, possent eligere statum ecclesiasticum, vel sæcularem, ac liberè vxorem ducere. Quòd si tunc liberè actum ordinis sacri exercuerit, aut aliàs suam ordinationem approbauerit, statim suscipit obligationem sacris ordinibus adnexam, nec potest mutare postea eam sententiam. Idem putant multi apud Sanchez *supr. num.*8. de ordinato ante pubertatem, quod non admittit Coninch *supr. num.*136. cum Soto *lib.* 7. *de iust.quæst.* 2. *artic.*5.*ad vlt.* quia cùm sint doli capaces, possunt se ad hoc votum obligare, & ex alio capite non reperitur, tale votum irritum factum fuisse ab Ecclesia: & hoc existimo probabilius. Vide infra de matrimonio, *lib.*8.

7 Sequitur tertiò, ordinatos cum ignorantia talis obligationis, si ignorantia sit inuincibilis (secus si vincibilis, & crassa) & simul habuerunt probabiles rationes, quibus meritò potuerunt sibi persuadere, nullam talem obligationem subesse, vt si videant eos, qui post coniugium ordinantur, publicè vti coniugio, Prælatis omnibus tanquam rem licitam permittentibus, nec vnquam audierint, id esse prohibitum, quales fuerunt illi Subdiacoui Siciliæ, de quibus D. Gregor. *lib.* 1. *Epist.* 42. *circa med.* non tenetur hoc voto. Secus tamen si absque vlla probabili ratione in contrarium ex mera inscitia, ac ingenij stupiditate, hanc obligationem ignoraret, talis enim etsi non obligaretur ad castitatem ex voto, quia non possumus vouere, quod nullo modo scimus, tenetetur tamen ex lege Ecclesiæ, sibique imputandum, quod ordinem susceperit, antequam sciret obligationem ei adnexam. Quidam tamen absolutè, & non improbabiliter, asserunt, ordinatum cum ignorantia inuincibili huius obligationis, non teneri ad castitatem, quia nemo censetur vouere quod omnino ignorat; at ij casus vix possunt in Ecclesia Latina accidere. Vide Coninch *sup. num.*139.140.141.142. & Sanchez *lib.*7. *disp.*27.*& infra lib.* 8.

8 Sequitur quartò, ordinatum in sacris ob metum cadentem in virum constantem, non teneri ad castitatem, vt tenent Sotus *in* 4.*dist.*25.*q.*1.*artic.* 2.*ad* 3. Sanchez *lib.*7.*disp.*29. *num.*5. cum aliis Coninch *sup.num.*145.*&* 146. & Dixi in Decalogo *lib.*2. *c.*2. *dub.*1. quia talis solum posset obligari ex voto; at tale votum est irritum, vt dixi *loco cit.* & statuitur *c.*5. *&* 6.*de his qua vi,&c.* ergo si votum ordinati ob talem metum sit irritum, sequitur ipsum non obligari ad continendum.

D v b. VI.

Quisnam sit minister huius Sacramenti.

1 DIco primò, solus Episcopos est ordinarius minister huius Sacramenti, cui ex officio competit illius administratio. Ita Florent. in decret. Eugenij, & Trid. *sess.*23.*cap.*4.*& Can.*7. S. Thom. *q.*38.*add.art.* 1. & communis Catholicorum contra hæreticos nostri temporis, contra quos Valenc. *tom.* 2. *disp.*9.*q.*3.*punct.*1. Ratio est, quia solus Episcopus est publicus Princeps Ecclesiasticus, ad quem pertinet publicas dignitates Ecclesiasticas, & functiones distribuere; at Ordo est quædam dignitas, & functio in Ecclesia; ergo, &c. Potestque id confirmari ex Scriptura, Act.6. 1.Timoth.1. & 1.Timoth. 3.& 4. quibus in locis non nisi ab Apostolis, vel Episcopis legimus aliquos ordinatos; sicque habet vsus perpetuus Ecclesiæ. Residet autem hæc potestas in Episcopis, etiamsi sint hæretici, excommunicati, suspensi, interdicti, simoniaci, præcisi, aut priuati Episcopatu, vt docent Sotus *in* 4. *dist.*25.*q.*1. Henriquez *lib.*10 *cap.*21. Filliuc. *tom.*1. *tractat.* 9. *cap.*5. *num.*92. cum aliis, Bonac. 1. *tom. disputat* 8. *punct.*4. *num.*2. Villalob. & communiter DD. modò tamen sint verè Episcopi ritè electi, ac consecrati, adhibeantque verum materiam, & formam: cætera quæ adsint, patent ex dictis de Sacramentis in genere *c.*1.*dub.*3. Ratio est, quia character sacerdotalis Episcopi extenditur ad hanc potestatem; at character est indelebilis, consequenter remanet in prædictis; ergo validè potest conferre ordines: peccabit tamen, ipse Episcopus, tum etiam ordinatus, qui præter peccatum incurrit in suspensionem, vt dicitur in materia suspensionis. Quòd si dicas in Concil. Nicen. *Can.*17.*&* 19. haberi esse irritam talem ordinationem. Respondeo primò, dici irritam non quoad substantiam, & validitatem, sed quoad vsum & exercitium, hoc est, quod non potest licitè, vti, & exerceri. Secundò, vel dici per exagerationem ad terrorem, vel tertiò, quia illi Episcopi non erant verè Episcopi. Ita Villalobos *su-*

prà num.3. ex Batt. Ledesma de hoc Sacramento, *diff.*12.

2 Dico secundò, ex commissione Summi Pontificis possunt conferre ordines minores Cardinales Presbyteri, vt comptobat consuetudo, rectè Soto *in 4. dist.25 q.1.art.1.* Valeoc. *loco cit. punct.* 2. & Filliuc. *sup.n.93.* vbi ait: crediderim tamen in suis titulis, in quibus habent iurisdictionem. Item, ex priuilegio possunt etiam conferre minores Abbates habentes ius mitræ, & baculi benedicti ab Episcopo, patet *ex cap. quoniam, dist.69. & cap. cum contingat de etate, & quant.* quod tamen limitauit Trid. *sess.23.cap.* 10. respectu suorum subditorum tantum, vnde aliis conferre non poterunt, nisi habeant licentiam à suis Ordinariis, vide F.Man.Rodrig.*tom.3.q.13. art.2.* Quarantam *verb.Ordo.versic.Abbatibus*, & Bonac. *sup n.3.* ac Filliuc. *sup.num.96.* vbi consequenter asserit, non debere ordinari nouitios, An autem, si scienter ordinent, incidant in pœnam Trident. *sess.25.cap.*10. videndus Henriq.*sup.cap.23. in lit. A & C.* vbi eos excusat. Certè tamen, ait Filliuc. nouitius ipse si scienter accipiat, peccat, & fortè incidit in pœnam Trident.*c.*8. est enim ac si ab alio non suo ordinaretur; addit, probabile tamen est nullam pœnam incurrere, ex Sylu. *Relig.* 5. *n.* 10. *& c. Monasteriis* 24.*q.*3. nulla enim pœna imponitur iis locis. Item, potest Summus Pontifex concedere facultatem simplici Sacerdoti ad conferendum quatuor minores, ita citati, & communiter DD. nulla enim afferri potest sufficiens ratio, cur hoc à Sede Apostolica conferri non possit. Addit Filliuc. *sup. num.*94. cum Henriquez *loco cit* posse etiam simplicem Sacerdotem, de licentia Papæ, conferre aliquem ex maioribus ordinibus, sicut conferre confirmationem, quia olim Corepiscopi seu Coepiscopi initiabant subdiaconatu, & tamen erant simplices Sacerdotes adiuuantes Episcopum, vt nunc est Vicarius Generalis. Verius tamen est oppositum, vt docet S.Thom. *in 4. dist.*25. *quæst.*1.*artic.*1. Bellarmin. *de Sacram. ordin cap.*7. ad fin. Suar. *tom.* 1. *disput.*11 *sect.* 1.*num.*6. & cum aliis Bonacina *sup.n.*3. nam iure diuino videtur Episcopus determinatus ad conferendum Ordinem sacrum; sicque, nec subdiaconatus à simplici Sacerdote, etiam de licentia Papæ conferri poterit. Ad Corepiscopos, de quibus loquitur Concil. Antiochenum *Can.* 10. respondet Bonacina, non fuisse simplices Sacerdotes, sed Episcopos suffraganeos, vt ex Damasi Epist.4. docet Bellarm. *loco citato*, & alij: de Corepiscopis, siue Coepiscopis, vide Barbosa *lib.*1. *de iure vniuerso cap.*16. Potest confirmari hæc posterior sententia, quia character sacerdotalis non se extendit, nec est tam perfectus, sicut Episcopalis, habent enim se sicut puer, & vir; & sicut puer non potest generare sui simile, nisi factus vir, sic character sacerdotalis, qui se habet sicut puer, non potest alium Sacerdotem generare, nisi factus vir, hoc est, nisi character sacerdotalis per consecrationem Episcopalem extendatur ad munera Episcopalia.

3 Dico tertiò, Papa non potest concedere facultatem conferendi Ordines, etiam minores, illi, qui non est Sacerdos, ita D. Thom. 3. *part. q* 38. *add. art.*1. Sylu. *verb.Ordo* 3. *q.*2. & cum aliis Bonac. *sup.n.*4. & com communi Filliuc. *loc. cit. num.* 95. quia potestas conferendi ordines supponit potestatem supra Corpus Christi verum, *c.ex lit.de excess. Prelat.* sed solum Sacerdos habet hanc potestatem, ergo solus ille poterit Ordines conferre. Ex quo patet: Episcopum qui non est Sacerdos, non posse validè Ordines conferre propter rationem dictam, Sylu. *Ordo* 2.*n.*2.& Bonac. *sup.n.*5.

4 Dico quartò, Episcopus non potest facultatem concedere etiam Sacerdoti, ad conferendum Ordines, etiam minores. Henriquez *lib.*10.*cap.*23. Bonac. *supra num.*6. & communiter DD. non enim potest Episcopus aliis demandare functiones, vt comptobat communis vsus, & consuetudo, nunquam enim tale legitur, sicuti neque administrare Confirmationem, Filiuc. *sup.num* 96.

5 Dico quintò, Episcopus, vt validè ordinem conferat, debet intendere facere id, quod Christus instituit, & facit Ecclesia, hoc patet ex dictis de Sacramentis in communi, *c.3.dub.*2. deinde debet intendere ordinare eum, quem habet præsentem, quæ intentio dicitur religiosa, sicut baptizans debet intendere baptizare præsentem. At si in particulari Episcopus ordinans intenderet non ordinare indignos, aut excommunicatos, tenera non essent ordinari, defectu legitimæ intentionis, peccaret tamen Episcopus sic ordinans. Debet autem Episcopus adhibere diligentiam ad cognoscendum dignos, vel indignos, & prohibere sub censuris, ne indigni accedant: vt etsi generali intentione intendat non ordinare indignos, si tamen eo ignorante aliquis indignus accedat, ordinatus maneat; nam credendum est Episcopum in actu ordinis habere legitimam intentionem, videlicet ordinandi præsentem, vt diximus, & docent Ledesma *in sum.c.*5. *de Ordine, concl.*6. Villalob. 1. *p tract.* 11.*diff.*8.*n.*4.

6 Dico sextò, si Episcopus ordinans existat in peccato mortali, peccat mortaliter, vt patet ex dictis de Sacrament. in genere, *lib.*1.*c.*3.*dub.*3. vt autem à peccato mortali liberetur, tenetur se disponere per contritionem saltem existimatam; non tamen confiteri, nisi sit celebraturus Missam. At si in mortali conferr primam tonsuram, solum, peccat venialiter, secluso tamen scandalo, aut contempto, quia vt dictum est, tonsura non est Sacramentum, sed sacramentale. Villalob. *sup.n.*5.

7 Sed quæres, quænam obseruare tenetur Episcopus in ordinatione. Respondeo teneri primò ante ordinationem examinare ordinandos, de quo *infra*. Secundò, non debet prohibere sub excommunicatione lata, ne accedat cum impedimento occulto; multò minùs dicere, se non habere intentionem ordinandi eos, qui censura aliqua irretiti essent, vel irregulares: quin potius in generali absoluat ad cautelam ab omni censura quos potest, & dispenset in omni irregularitate, in quo potest secundum Deum, & Canones, ita admonetur in Pontificali Romano, & vitabit occasionem iniciendi nouos laqueos. Tertiò, sit contentus diligenti examinatione, iam facta per se, vel alios, & dum adsunt, qui ordinandi sunt, non facilè credat obiicienti crimen occultum. Quartò, aduertat, ne sit ipse per saltum ordinatus, quia conferre non potest eum ordinem, quem non habet. Syluest. *Ordo* 2.§.1. In ipsa verò ordinatione applicet tirè debitam materiam, & formam, illam per se ipsum applicando, hanc integrè proferendo, & simul cum applicatione materiæ, simulrate quadam morali. Moneat etiam eos, qui ordinantur, quando imprimatur character, iuxta supra dicta; sit etiam absque conscientia peccati mortalis, etiam dum minores confert, quia sunt Sacramenta. Denique sciat occurrere defectibus, si fortè aliqui incidant, iterando, aut supplendo quod defuit, omni scandalo remoto, sic Filliuc. *tom.*1.*tract.* 9.*cap.*5.*q.*5.

8 Quæres secundò, quosnam ritus debeat seruare Episcopus in ordinatione. Respondeo cum Filliucio *supra quæst.*9. quinque præcipuè pertinere ad ritum ordinum. Primò, vestem clericalem, & tonsuram

ram Trident. *sess.22.cap de reformat.* & infra vbi de habitu. Secundum est vnctio manuum in Sacerdote antequam consecretur, quæ etsi non sit pars Sacramenti, est tamen consuetudine introducta à tempore Apostolorum. Tertium est loci circunstantia; nam minores conferri possunt in qualibet Ecclesia; maiores verò de iure in Cathedrali: ex consuetudine tamen in qualibet Ecclesia. Quatuor autem minores conferri possunt eodem die, nisi obstet consuetudo, non simul cum iis prima tonsura, aut aliquis ordo maior; vtrumque tamen excusari potest consuetudine, vt docet Henriquez *lib.10. c.11.* & dicetur infra. Quartum est circumstantia temporis; prima enim tonsura semper potest conferri: Ordines verò maiores in Sabbathis quatuor temporum, & Sabbatho ante Dominicam Passionis, & Sabbatho Sancto: extra hæc si Episcopus conferat maiores, sine peculiari facultate, est suspensus, ex Tridentin. *sess.23. c.8.* Non tamen est improbabile ex vrgenti, & necessaria causa posse Episcopum conferre Ordines maiores die Dominica sequente Sabbathum quatuor Temporum, dummodo ieiunium Sabbathi continuet vsque ad Dominicam, quoad continuari dicitur post Sabbathi Missam, nisi sumpserit ablutionem, ita Diana *part.2. tractat. 16. resolut.30.* Henriquez *lib.10. cap.12. num.12.* Minores verò priuatim, quolibet die festiuo, & ex consuetudine feria sexta vespere ante Sabbathum, quo ordinandi sunt in maioribus, solent conferri minores, vt dicit Henriquez *cap. 12.* talis autem consuetudo reperitur in hac Diœcesi Valentina. Quintum est; vt tempore interdicti non liceat publice Ordines conferre. Nauarr. *cap.27. num. 179.* Seruanda item sunt interstitia inter minores, & sacrum, & inter vnum sacrum, & alterum, ex Trident. *sess.21.cap.11.13.14.* Duos sacros Ordines eodem die non licet conferre cuiquam, non obstante priuilegio Regularium, ex Trident. *sess.citat.cap.13.* sed de iis omnibus latius *infra in sequentibus.*

D v b. VII.

Quisnam sit proprius Episcopus ad Ordines conferendos.

1 SVppone, Ordines, aut primam tonsuram conferri non posse ab eo, qui non est proprius Episcopus ordinandi, consequenter Episcopum non posse ordines conferre subditis alterius Episcopi, absque licentia proprij Episcopi; constat ex c. *eos qui de temp.ordinat.in 6.* & ex Trident *sess 23.can.7.* & tenet Sanch. *lib.3.de matrim.disp.23.* Lessius *c.44. dub.19.n.92.* Bonac. *tom.1 disp 8.q.vnic.punct.4.n.7.* & communiter DD. At si Episcopus de facto ordinaret non subditum, certum est manere ordinatum, peccaret tamen contra dictam iuris dispositionem, ideoque si scienter, aut crassa ignorantia id faceret, maneret suspensus per annum ab ordinum administratione, Sylu. *ord 3.q.8.* hoc autem intellige, si id faceret absque proprij licentia.

2 Communis sententia DD. infra cit. est, proprium Episcopum quoad ordines conferendos, esse eum, qui est Episcopus originis, vel domicilij, vel Beneficij, consequenter qui sit simpliciter subditus Episcopi, videlicet, ratione originis, domicilij, & Beneficij. Ita *cap.nullus de temp. ordinat.libr 6.* & docent Rodrig. *tom 1. quæst. 18. artic. 4.* Henriquez *lib.10.cap.24. num 1.* Sayrus *lib.7. cap.10. num. 30.* Campanilis *in diuersor. iuris canon rubr. 9. cap.8. à num 8.* Riccius *in praxi fori Ecclesf. decis.298. & in decis. Cur. Archiepiscop. Neapolitan. decis. 317. part.4.* Quaranta *in summ bullar.verbo Ordo.* Garcia *de benef.part.7.c.9.* Bonacin *sup. num. 8* Villalob. *1.part. tract 11. diff.9. num. 2.* & cum aliis Barbos. *de off.& potest.Episc.alleg.4 num.1.& seqq. & lib.1. de iur.vniuers.c.33.à n.19.*

3 Primò igitur, Episcopus proprius ratione originis is dicitur, in cuius diœcesi natus est is, qui ordinandus est: gloss. *in cap 1. de vsur. in 6. verb. Alienigenas l qui ex viro ff. ad municip.* & cum Henriquez Campanil. Bonacina, ac aliis Barbos. *sup.n.2.* Originarius enim, seu oriundus dicitur à sua propria origine, text. *in l.4.C.de incol. lib.10. & lib.1. ff. ad municipal.* Riccius *resolut.257. num.2.* & Barbosa *n.3.* vbi addit, vbi etiam quis baptizatus est, inde trahere originem, & per librum baptismi probari potest origo, ex Gonzal. *ad regul. 8. Cancel. gloss.9. §.1. à num.105.* hoc autem vltimum intelligerem, modò non constet in indiuiduo de loco, vbi quis natus est, nam cum agatur de naturali natiuitate, inde debet sumere initium originario, seu origo, vbi quis naturaliter natus; aliter enim sequerentur aliqua incommoda, nam aliquoties parentes filios natos in vno loco deferunt baptizandos ad alium locum, vt illius loci priuilegiis fruantur, quod sit in damnum, & fraudem propriæ Parochiæ, & loci vbi baptizantur. Addunt tamen DD. *sup.* citati, & benè quidem, ad hoc vt quis sit originarius, non solùm requiri, vt sit natus in loco, sed etiam quòd parentes ibi domicilium contraxerint; quare si quis fortuitò natus est in aliquo loco, per quem mater pertransibat, aut illuc mater non animo permanendi iecerit, aut pater ad matrem accesserat absque animo ibi permanendi, & interim filium peperisset, quem postea absque eo quod contraheret domicilium, eius parens cum tota familia, extraxerit ad locum, vnde digressus fuerat, talis filius non diceretur ciuis illius loci, in quo per transennam natus fuit, neque ratione originis sequeretur forum illius loci, sed patris originem, & reputatur originarius loci, vbi pater habet domicilium. Panormit. *in cap. Reduiph. num.9.* vbi Felin. *num. 13. de rescript.* Barbosa cum aliis *supra num. 18.* non enim inspicitur, quod per accidens est, sed quod per se, Barbosa *supra num. 19.* vbi cum Vgolin. *de offic.& potestate Episcopi, cap. 26. §. 8. num.4.* tenet, originem habere filium in domicilio patris, si in mari natus fit. Quare signatus non ab illius ciuitatis Antistite, vbi sic per transennam natus fuit, nec ab alio de illius licentia promoueri poterit. Nauar. *consil. 31. de temp, ordin.* Henriq. *lib.10. cap.22. num. 1.* Campanil. *dict cap.8. num.10.* & cum aliis Barbos. *dict. n.19.* vbi *n. 20.* cum Nauarr. *comm.1.de regularibus n.34.* & Sanchez *lib.3.de matrim.disp.23.n.4.* asserit domicilium originis esse immutabile, *ex l.assumptio ff.ad municip.* nunquam censetur mutatum.

4 Nota tamen primò, quod etiam origo patris inspicitur ad ordines suscipiendos, ita vt quis ratione paternæ originis possit ordines suscipere ab Episcopo loci, in quo eius pater natus est. Zerolá *in praxi Episcop. part.1. verb. Dimissoria,* Campan. *dict. cap.8.num.9.* Quaranta *verb Ordo, vers. Quoad tertium,* Nauarr. *consil 19. de tempor.ordinat.* & cum aliis Barbos. *dict alleg.4.n 4.* ius enim ciuile indicat locum originis eum esse, in quo eius pater natus est, *ex l.assumptio, §.1. ff.ad municipalem, & l si vt proponas, C. de incolis lib.10.* Campanil. *dict. c.8. n.8.* & oriundus dicitur à natiuitate propria vel paterna, Mandosius *ad regull. Cancell. regul.26. quæst 40.* & cum aliis Barbos. *sup.num.6.* qui *num. 8.* ex hoc infert, non esse subreptitias litteras Apostolicas dispensationis

pensationis, vel Beneficij, quibus diceret quis, se oriundum ex ciuitate Valentina, cum tamen esset oriundus ex ciuitate Serabensi, si eius pater in ciuitate Valentina natus sit, vt etiam tenet Mari. Anton. *variar. resolut lib. 1. resolut. vltim. casu* 33. Iosef etiam, nec esse surreptitias literas Apostolicas, si aliquis dicat, se esse de tali loco, cum in illo non fuisset natus, sed tantum eius patens, quia etiamsi dictio, *de*, naturalitatem, seu originem portet, probat text. *in l. 1. ff. ad municip.* Surd. *decis.* 229. *num.* 15. sub nomine tamen *origo*, non tantum intelligitur propria, sed etiam paterna, vt dictum est, Barbos. *n.* 10. vbi ait, etiam id procedere, quando addita fuerit dictio, *ex*, militat enim eadem ratio: addit tamen, & benè, ad verificandas has dictiones, *de*, & *ex*, non sufficere, habere ibi Beneficium, aut domicilium, quia hæc non faciunt ortum seu oriundum, sed tantum incolam, aut domiciliatum.

5 Nota secundò quamuis ex origine patris filius dicatur oriundus, seu originarius illius loci, in quo eius pater natus est, vt dictum est, succedatque in honoribus, & muneribus, tam personalibus, quàm realibus, non modò temporalibus, sed etiam spiritualibus, vt notant Boer. *decis.* 13. *num.* 15 & Gutierr. *consil.* 7. *n.* 1. tamen ex origine aui non dicitur nepos originarius illius loci, in quo auus natus est, ad ordines suscipiendos. Ita Couarr. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 7. §. 1. *num.* 15. quem sequuntur Riccius *dict. resolut.* 257. & Barbos. *sup. num.* 13. vbi cum Vgol. *dict. c.* 26. §. 1. *post. n.* 4. dicit, libertinos, seu libertos posse suscipere ordines non solum ab Episcopo suæ originis, sed dominorum; nam illorum originem sequuntur, & non patris, vt probat text. *in dict. l. assumptio, in fin. iuncta l. seq. ff. ad municip.*

6 Nota tertiò, filium sequi originem patris, non verò matris, text. *in l.* 3. *C. de municip. & originariis lib.* 10. & probat Picbard. *de nobilit. communic. n.* 9. *& seqq.* ideoque non posse ordines suscipere ab Episcopo originis suæ matris, nisi pater non esset legitimus, quia tunc non eius origo, sed matris inspicitur, quoad illegitimum filium, *l.* 1. *in fin. ff. ad municip. & l. eius qui ff. eod.* Barbos. *sup. num.* 15. *&* 16. vbi dicit idem dicendum de vulgo quæsito, & quando deest patris domicilium, tunc enim filius matrem sequitur, vt etiam tenet Gonzal. *sup dict.* §. 1. *à n.* 14. Expositus autem, cuius parentes ignorantur, non solum iudicatur municeps, & ciuis loci, in quo natus est, sed etiam loci, in quo est expositus. Steph. Gratian. *discep forensf. c.* 75 *n.* 12.

7 Secundò dicitur Episcopus proprius, quoad ordines suscipiendos, Episcopus domicilij, id est, vbi habet domicilium ordinandus, nam ratione domicilij, fit subditus, & diœcesanus Episcopi illius loci, vbi habet domicilium. Contrahitur autem domicilium statim, ac quis se ad aliquem locum cum sua supellectili, & familia transfert, animo semper, ac perpetuò habitandi, modò actu, & reuera ibi cum tali animo habitet; vnde non sufficit solus animus habitandi, si reuera non habitat: nec sola habitatio ad tempus, quamuis longum, si habet animum ad primum domicilium redeundi, vt contingit in scholaribus, & mercatoribus. Ita ex cap. *cum nullus, iuncta gloss. verb. Domicilium in* 6. Bonac. 1. *tom. disp* 8. *punct.* 4. *num.* 10. 11. Villalob. 1. *p. tractat.* 11. *diff.* 9. *num.* 2. Sanchez *de matrim lib.* 3. *disp.* 23. & pluribus legibus ac DD. allegatis Barbos. *de off. & potest. Episcop. alleg.* 4. *num.* 22. *&* 23. Ex quo fit cum, qui non longo tempore degit in aliquo loco, habeatque animum perpetuò ibi habitandi, dum adhuc hunc animum non mutauerit, nec habitationem, posse ab illius Episcopo aut de eius licentia, ab alio ordinari, Ita Nauarr. *consil.* 10. *in antiquis, &* 2. *in nouiss. de tempor. ordinat.* Riccius *in praxi fori Eccles. resolut.* 263. Bonac. *supra*, Campan. *dict. cap.* 8. *num.* 18. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 27. *num.* 1. Fagundez *in quinque Eccles. precept. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 12. & cum aliis Barbos. *sup. num.* 26. Hæc autem procedunt in foro interiori, in quo sufficit habitatio realis cum vero animo ibi perpetuò manendi: in foro autem exteriori requiritur etiam declaratio, & expressio talis animi simul cum habitatione reali. Quod si non constet de tali declaratione, & animo, in foro exteriori non præsumitur animus habitandi, nisi quis ibi permanserit per decem annos, modò tamen non aliunde constet de voluntate ibi non permanendi: aut nisi per aliquem actum externum indicauerit, se ibi domicilium constituere, vt si emit domum, vel eò transtulit maiorem bonorum partem, animo ibi perpetuò manendi, Bonacina *supra n.* 12. & cum aliis Barbosa *loco citato n.* 27. *&* 28. vide etiam de his Quarantam *in summ. bullar. verb. Ordo*, Riccium *dec.* 297. *a* 98 *&* 305. Coninck *disp.* 10 *dub.* 9. *ad fin.* & Reginald. *lib.* 30. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 23.

8 Hinc fit cum, qui in vrbe, seu alibi per decem annos resederit, posse à Vicario sanctissimi ordinari, imò, etsi breuiori tempore, si animum habitandi perpetuo declarauerit, & ibi realiter habitat cum sua familia, vt dictum est.

9 Sequitur secundò, scholares, & castellanos, aut famulos, qui ad tempus domino seruiunt, non posse ordinari ab Episcopo illius loci, nam cum habeant animum redeundi ad proprium domicilium, non acquisieruot ibi domicilium. At si scholaris finito studio ibi permaneret per decem annos, aut vltra, censetur potius habere animum permanendi ibi, quàm studendi, Barbosa *supra num.* 30. vbi cum Tiraquel. addit, non habere animum recedendi à ciuitate illum, qui in ea reliquit filios: & quando ex statuto aliquo absentes non potiuntur priuilegiis ciuitatis, satis esse, patrem esse in ciuitate, vt filius absens priuilegiis fruatur.

10 Sequitur tertiò, Baronem assumi posse ad ordines ab eo Antistite, in cuius Diœcesi habet feudum, vt resoluit Campanil. *dict. c.* 8. *num.* 20. vbi ampliat, etiamsi Baro non habitet in feudo, alibique retineat domicilium: sic etiam filij botum Baronum adipiscuntur domicilium in loco, in quo genitor propter dictum feudum contraxit: nam vt dicatur quis originarius, non solum requiritur, vt quis natus sit in loco, sed etiam quòd parentes ibi domicilium contraxerint, vt *supra*, dictum est, Barbosa *supra n.* 33. cum Campanili *dict. c.* 8. *n.* 21.

11 Sequitur quartò, Senatorem, aut alium quemlibet officialem perpetuum alicuius Principis, quamuis non sit ciuis eius loci, in quo senatoriam exercet dignitatem, domicilium tamen illic acquitere, posseque ordinari ab Episcopo illius loci, & hoc extendi ad illorum filios, vt resoluit Campan. *dict. cap.* 8. *num.* 22. *&* 23. & tenet cum eo Barbos. *sup. n.* 34. qui *n.* 32. cum Campanil. *n.* 25. tenet, relegatum habere domicilium eo loci vnde arcetur, id est, in eo loco vnde trahit originem, & in eo loco in quem relegatus, sed hic non potest ordinari tanquam subiectus pœnæ, benè verò illius filij, nisi aliud canonicum obstet impedimentum.

12 Quintò, libertus, quando potest promoueri, ordinandus est ab Episcopo loci, à quo patronus trahit originem, quia illius loci est libertus municeps, & non ab Episcopo vbi patronus habet domicilium, Campanil. *dict. c.* 8. *n.* 24. vbi etiam asserit expositos ordinari posse ab eo Episcopo, qui est Ordinarius loci, in quo expositi sunt; nam eo quòd parentes

rentes ignorentur, sine dubio illius loci effecti sunt ciues. Barbos. *sup. n.* 37.

13 Sextò, habens æqualiter domicilium in duobus locis, à quolibet Episcopo illius loci poterit ordinari: quando verò huiusmodi domicilia non sunt æquè principaliter contracta, principalius est inspiciendum. Campanil. *dict. c* 8. *n.* 18. & cum eo, & aliis Barb. *sup. n.* 38. 39. & 40.

14 Aduerte tamen, Zerolam *in praxi Episcopi, part.* 1. *verb. Dimissoria*, §. 1. existimare, non posse aliquem ordinari ratione domicilij, nisi prius consulto priore Episcopo: nam putat illum non posse suum primum locum deserere, inconsulto Episcopo, ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 16. *de reformat.* Verius tamen est, non requiri Episcopi licentiam ad mutandum domicilium, vt habetur *ca. fin. de Paroch.* & ibi Abbas *num.* 1. & tenent Campanilis *dict. c.* 8. *n.* 15. & Barbos. *dict. alleg.* 4. *n.* 41. tenens tamen portare testimonium veritatis circa mores, sufficientiam, ac natalia, nisi à teneris annis domicilium fuerit translatum, & illic habituatio continuata vsque ad tempus promotionis, iuxta Trident. *sup. c.* 5. Nec Trident. allegatum à Zerola illi fauet, si benè perpendatur.

15 Tertiò, Episcopus dicitur proprius quoad ordines suscipiendos ratione Beneficij, quod aliquis habet in ipsius Diœcesi, ratione cuius fit illius subditus, & potest ab illo ordinari, quamuis ibi non habeat domicilium, & sit aliunde oriundus: textus *in c. cum nullus de tempor. ordinat.* Campanil. *in diuersor. iur. rubr.* 9. *c.* 8. *n.* 11. Riccius *in praxi Eccles. resolut.* 258. *in* 2. *edit.* & *in praxi aurea resol.* 49. Garcia *de benefic. part.* 2. *c.* 4. *à n.* 1. Bonac. 1. *tom. disp.* 8. *quæst. vnic. punct.* 4. *n.* 14. Villalob. 1. *part. tract.* 11. *diff.* 9. *num.* 2. & cum alis Barbos. *de offic. & potestat. Episcop. allegat.* 4. *n.* 4.

16 Amplia primò procedere, etiamsi beneficium sit tenue, nam dict. cap. *cum nullus* non explicat valorem beneficij, sed absolutè, & generaliter loquitur. Ita Garcia *sup. n.* 8. Henriquez *lib.* 10. *c.* 22. *num.* 1. *lit. C* & *cap.* 17. *lit. Q.* Campanilis *sup. n.* 12. & *rubr.* 8. *cap.* 5. *num.* 19. & potest confirmari, quia multi Canones de beneficio verba facientes, locum habent in beneficio etiam tenui, v. g. Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* gaudere concedens tonsurato, vel possidenti Beneficium, gaudere Beneficio clericali, non solùm in ciuili, sed etiam in causa capitali, intelligitur quodcumque Beneficium, etiam tenue, & exiguum, vt Nauarr. *de horis canonic. cap.* 21. *num.* 11. Azor. *inst. moral. part.* 1. *lib.* 10. *c.* 3. *versic. Secunda opinio.* Gracian. *part.* 1. *cap.* 6. *n* 37. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. Barbos. *sup. num.* 45. Hanc autem ampliationem non admittunt Quaranta *verb. Ordo*, Vgol. *de offic. & potest. Episc. cap.* 26. §. 3. & Riccius *in praxi fori Eccles. resolut.* 260. quorum opinionem recipit Barbosa, quando Beneficium esset tenuissimum, ratione præsumptæ fraudis, velut inreddente quatuor, aut septem ducata in anno. Existimo tamen ampliationem hanc absolutè procedere, sicut absolutè loquitur, *dict. c. cum nullus*, & quia propter Beneficium tenuissimum Beneficiarius gaudet priuilegio fori, & Canonis.

17 Amplia secundò, etiamsi Beneficium residentiam non requirat, nec in illo, aut illa Diœcesi resideat Beneficiarius, quia dict. cap *cum nullus*, absolutè, & generaliter loquitur de Beneficio Ecclesiastico nullam faciens mentionem de residentia. Ita Henriquez *vbi sup.* Riccius *in praxi aurea, resol.* 40. *num.* 1. Barbosa *sup. num.* 47. & Bonacin. *sup. num.* 14. vbi id limitat, modò Beneficium sufficiens sit ad victum; existimo tamen hanc limitationem non esse necessariam, cum nulla de illa fiat mentio in *dict. cap cum nullus*, sed simpliciter, & generaliter loquatur.

18 Amplia tertiò, in possidente præstimonium, hic enim ibi domicilium habere dicitur, ac proinde ab Episcopo, vbi habet præstimonium, potest suscipere ordines, vel dimissorias. Henriq. *sup. lit. H*, Campanil. *dict. cap.* 8. *num.* 19. Riccius *in praxi fori Eccl. resolut.* 258. Barbos. *supra num.* 48. quia præstimonium est Beneficium Ecclesiasticum, *cap. fin. de concess. Prebend. in* 6. & cum multis Garcia *de Benef. p.* 1. *c.* 2. *n.* 117.

19 Amplia quartò, etiam procedere in Commenda in vtilitatem Commendatarij, maximè si est perpetua, quia hæc habet vim tituli Canonici Garcia *sup. part.* 4. *c.* 4. & in bis terminis *part.* 2. *c.* 4. *n.* 10. vbi *n.* 12. ampliat, principalem resolutionem procedere, siue istud Beneficium sit, propter quod ordinem recepit, siue non, Barbosa *supra n.* 50.

20 Amplia quintò in eo, qui plura Beneficia habet in pluribus Diœcesibus, hic enim ab vnoquoque illarum Episcopo, ordinari poterit, ab eo scilicet quem voluerit, aut elegerit. Campanil. *dict. cap.* 8. *num.* 14. Riccius *in praxi aurea decis.* 49. *num.* 1. & cum aliis Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 4. *n.* 51. & *lib.* 1. *de iur. vniuers. c.* 33. *n.* 39. Ratio est, quia per quodlibet Beneficium fit respectiuè subditus Episcopo loci in cuius Diœcesi situm est Beneficium, & non est maior ratio, nec vlla iuris dispositio, cur non possit ab vno, & non ab alio ordinari. Vide Campanil. *dict. c.* 8. *n.* 15. vbi ait, id etiam procedere, etiamsi Beneficium spectatet ad prouisionem alterius Episcopi.

21 Amplia sextò, non posse Episcopum solùm hunc Beneficiatum ordinare, sed etiam cum eo dispensare in interstitiis, & etiam legitimare ad minores Ordines; nam cum ratione Beneficij sit subditus illi quoad Ordines, est etiam subditus quoad omnia concernentia ad Ordines, & illis annexa, per *l.* 2. *ff. de iurisd. omnium iud.* Ita Garcia *supra, part.* 2. *c.* 4. *n.* 14. Riccius *in praxi aurea resol.* 49. *n.* 3. & Barbos. *sup. alleg.* 4. *n.* 54.

22 Amplia septimò supradicta procedere, habita Beneficij possessione, ita vt non sufficiat sola collatio, seu eius titulus, ad hoc, vt efficiatur de illius foro. Garcia *sup. n.* 16. vbi resoluit solam, possessionem sine titulo tosto, sufficere.

23 Amplia octauò, etiamsi Beneficium habeat certum ordinem annexum, puta Subdiaconatum, aut Diaconatum, tunc enim poterit ab illo Episcopo Beneficij ordinari, etiam ad alios ordines. Riccius *sup.* & Barbos. *n.* 55.

24 Limita tamen primò, vt hoc non procedat in pensione, quia ratione illius nulli subiicitur Præsuli, nec potest ordinari Riccius *in praxi fori Eccl. resolut.* 302. *in* 1. *edit.* & *in* 2. *resol.* 261. Campanil. *lib.* 9. *c.* 8. *n.* 17. & cum aliis Barbosa *sup. n.* 57.

25 Limita secundò, si Beneficium obtentum sit in fraudem, quia tunc non iuuat quoad susceptionem ordinum, vt existimat gloss. *in cap. eos qui, versic. Figmento, in fin. de temp. ordinat.* & Riccius *resolut.* 262. quamuis dubitet Campanil. *vbi sup. n.* 17. & meritò quidem, quia etsi in fraudem illud obtinuerit, & sic fortè peccauerit, est tamen verè (vt supponimus) & ritè Beneficiatus in illa Diœcesi, vtsque, & proptiè Episcopo subiectus ratione Beneficij, ergo ratione illius etiam hic poterit ab eo ordinari: præsertim cum cap. *cum nullus* citat. simpliciter, absolutè, & generaliter loquatur.

26 Limita tertiò, in habente præbendam, seu Capellaniam temporalem, quia hæc non est Beneficium,

ficium, Riccius *in praxi aurea, resolut.*49. *num.*3. Gonçalez *ad regulam* 8.*Cancellar gloss.*5.§.1.*num.*6. & Barbosa *supra allegat.*4.*n.*59.

27 Aduertit tamen, & dicit valdè notandum in hac materia Barbosa *dict. allegat.* 4. *num.* 1. cum Quarantia, Riccio, & Molfes. quòd si subditus aliquo ex tribus modis prædictis, elegisset vnum Episcopum à quo aliquem ordinem suscepisset, non posset variare, & assumere alios ordines ab alio ex dictis Episcopis, nisi Episcopus, qui priùs illum ordinauit, iudicauerit cessasse causam ordinationis, & remitteret ordinatum ad alium ex dictis Episcopis. Ita colligit Archidiacon. *in cap. ne captandæ de conceff. prab.* Et reddunt rationem, quia si semel factus est subditus Episcopi ordinantis, cuius est munus prouidere illi de beneficio, & sic de aliis iuribus Episcopalibus, non potest talis subditus eligere alium Episcopum in præiudicium electi per primam ordinationem. Consequenter idem Barbosa *lib.*2.*de iure vniuerso, cap.*33.*num.*39. tenet eum, qui habet plura beneficia in diuersis Diœcesibus, si elegit vnum Episcopum, à quo incipit ordinari, non posse postea ordines suscipere in alia Diœcesi, ratione alterius beneficij. Nihilominus tamen cum bona venia tantorum DD. existimo talem posse post susceptionem vnius ordinis variare, & ab alio Episcopo ordinari: tum quia, etsi hunc Episcopum modò elegerit, non ideo desinit esse subditus à iure aliorum; ergo dum variat, vtitur iure suo, consequenter nemini facit iniuriam: tum quia per primam electionem non abdicauit à se ius eligendi, quod habebat: tum quia DD. citati *num.*15. *versic. Tertiò Episcopus*, absolutè docent, habentem plura beneficia in diuersis Diœcesibus, posse, à quo maluerit Antistite, ordinari: tum & præcipuè, quia id nullo iure reperitur expresè prohibitum: nec dict. cap. *ne captandæ*, quod citat Archidiac. est contra nos: nam illud solùm loquitur de illo, qui habet facultatem à Pontifice ad acceptandum beneficium, quod primò vacauerit, qui quidem antequam beneficium vacet, non potest acceptare determinatum beneficium, sed tenetur acceptare primum Beneficium, quod vacauerit; quæ quidem capitis dispositio non videtur accommodabilis nostro casui, præcipuè cum sit odiosa, & consequenter non extendenda, quæ quidem sententia me consulto, anno 1635. fuit in praxi acceptata in hac Diœcesi Valent. in quodam beneficiario habente vnum beneficium in Diœcesi Segobricen. qui cum suscepisset ibi ratione illius Beneficij Subdiaconatum, postea ratione alterius beneficij in Diœcesi Valentin. suscepit ibi alios ordines.

28 Nota tamen, Episcopum ordinarium, id est, qui habet subditos, posse familiarem suum sibi non subditum aliquo, ex supradictis modis, ordinare, si per triennium secus fuerit commoratus, & beneficium, quocumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat. Habetur expresè in Trident. *sess.*23.*cap.*9. *de reformat.* & tenent Nauarr. *in multis Conciliis de tempor. ordinat.* Henriquez *lib.*10. *cap.*15. *num.*1. Quaranta *in sum. bullar. verb. Ordo*, Garcia *de benef. part.* 1. *capit.*5. *numer.*80. Riccius *in decis. Cur. Archiepiscop. decis.*588.*part.*2. *& in praxi fori Ecclesiastici; decis.*307. *cum seqq. in* 1.*edit. & resolut.* 266. *cum seqq. in* 2. *edit.* Ledesm. *in sum. cap.*5. *de ordin. conclus.*9. Bonacin. *tom.* 1. *disput.*8. *quæst vnic. punct.*4.*num.*15. & quam plurimis allegatis Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.*5. *num.*1. Nomine autem familiaris intelligitur ille, qui domini potestati subiicitur, & expensis Episcopi continuè alitur, indeque commensalis dicitur. Barbosa cum aliis *n.* 2. & quoad hunc effectum requiritur etiam, vt cum Episcopo fuerit commoratus, & præsens inseruierit, non tamen is qui abest, etsi sumptibus Episcopi vixerit: vnde non gaudet hoc priuilegio seruiens Episcopo in regione remota. Barbos. *num.*6. Bonacin. *num.*18. & communiter DD. nam mens & ratio finalis Concilij est, vt cognoscat mores sui familiaris: hos autem cognoscere non potest, si familiaris absens inseruiat; debet ergo actu cum ipso Episcopo commorari per triennium, & quoad hunc effectum sufficit, quòd triennium incœperit, antequam fuisset Episcopus: ita refert decisum Garcia *dict. cap.*5.*num.*83. & cum aliis Barbos. *num.*8. & Bonac. *num.* 16. debet tamen huiusmodi triennium esse continuum. Campanil. *dict. rubr.*9.*cap.*9. *num.* 12. Barbos. *num.*9. & alij. Procedit autem hoc non solum in ordinibus sacris, sed in minoribus, & prima tonsura, nam Concil. absolutè loquitur, & ita docent Barbos. *supr. num.*11. Bonacin. *num.* 17. & ex decis. Rotæ testatur Quarantia *verb. Ordo*, & tenent alij DD. Debet tamen Episcopus statim conferre suo familiari Beneficium, hoc est, post collationem ordinis, nam si antea ei daret illud, iam illum ordinaret ratione beneficij, & non ratione familiaritatis; illud autem, *statim*, intelligit Molfes. cum Riccio, ante sex menses, Barbosa verò *dict. num.* 11. ad summum intra decem dies à collatione ordinis; ego autem cum Vasquez, *part.*3. *disp.*243. *num.*49. per *statim*, intelligo in hoc casu, id est, quamprimum vacauerit, omni fraude cessante, ne postea ordinatus mendicare cogatur. Videtur tamen Episcopus satisfacere intentioni Concilij, si beneficio non vacante prouideat suo familiari sic ordinato de congrua sustentatione; nam sic non cogitur mendicare. Potest etiam Episcopus suum familiarem triennalem ordinare ad titulum patrimonij, vel pensionis, si Episcopus ita iudicauerit expedire, ob necessitatem, vel vtilitatem propriæ Ecclesiæ, & debet adscribi Ecclesiæ pro cuius necessitate est ordinatus. Garcia *sup. n.*81. *&* 82. vbi refert ita decisum Bonac. *sup. n.*26. & cum aliis Barbosa *sup. alleg.*5.*n.*12. *&* 13.

29 Non tamen potest Episcopus cum suo familiari triennali, aliàs non subdito, dispensare in illegitimitate, etiam ad minores ordines, nec super interstitiis, prout resolutum referunt Nauarr. *consil.* 12. & 13. *de tempor. ordinat.* Garcia *sup. num.*86. & cum aliis Barbos. *n.*14. Poterit verò, si postea ei beneficium conferat, nam ratione beneficij fit ei subditus. Campanil. *dict. cap.*9. *num.*3. *&* 4. vbi etiam dicit, quòd vbicumque Antistites potest suum ordinare familiarem, potest etiam ei literas dimissorias conferre, vt ab alio suscipiat ordines. Ita etiam Barbos. *sup. n.*16. qui ait Molfesium *tract.*5.*cap.*5. *n.*8. *in fin.* existimare posse Episcopum cum suo familiari interstitia dispensare, quod existimo probabile; nam si eum potest ordinare, quod est maius, cur non poterit in illis dispensare?

30 Dixi in principio notsri, *Episcopus ordinarius habens subditos*, quia Episcopus titularis, prætextu cuiuslibet familiaritatis, non potest aliquem ordinare, nec primam tonsuram conferre absque proprij Episcopi licentia; est enim hoc ei prohibitum per Trident. *sess.*14. *c.*2. *de reform.* & ita tenet Campanil. *dict cap.*9. *num.*6. Bonacin. *sup num.*9. Barbosa cum aliis *n.* 17. qui si illum ordinet sine proprij licentia, fit suspensus per annum, & ordinatus est suspensus ab exercitio ordinum, ad arbitrium proprij Episcopi. Trident. *sess.*14. *c.* 2. *de reform.* vide Nauarr. *cons.*23. *de temp. ordinat.* & Barbosam *sup. allegat.*6.*n.*1.

31 Nota

31 Nota etiam, Cardinales Presbyteros conferre sui familiaribus tonsuram, & minores ordines. Item, familiares, seu officiales Papæ, ac familiares Cardinalium (etsi Cardinales habitassent Romæ) atque etiam Episcoporum in Curia residentium, qui saltem per triennium habitauerint vrbe, posse de licentia ipsorum à Vicario Sanctissimi, promoueri, dum tamen omnes sufficientem titulum habeant, & alia à iure requisita, vt referunt decisum Molfesius, & Armendaris relati à Barbosa *sup. n.* 21. An autem Magister actorum Curiæ Episcopalis: vt familiaris, possit ordinari ab Episcopo, vide Riccium *collect.* 595. *& in praxi fori Eccles. resol.* 472. *n.* 2. & Campanil. *dict. cap.* 9. *num.* 14.

Dvb. VIII.

Quisnam Episcopus concedere possit dimissorias.

1 CОnueniunt Doctores, etiamsi Episcopus teneatur per se ipsum suis Clericis ordines conferre, vt admonet Trid *sess.* 23. *c.* 3. *de refor.* tamen si legitimè fuerit impeditus, de eius consensu poterit alienus suo subdito ordines conferre, *cap. Episcopum* 9. *quæst* 1. *& c.* 1. *coniuncto c. cum nullus de temp. ordinat. l.* 6. Hic autem consensus literariè præstandus est, ex Felino *in cap. super his. vers. Sexta, & vlt. concl.* & literæ, quibus illæ continentur, dimissoriæ vocantur à Trident. *sess.* 23. *c.* 10. *de reform. & sess.* 7. *c* 10. *de reform.* vbi etiam reuerendæ dicuntur. Vide Barbosam *de offic & potest. Episc. allegat.* 7. *n.* 1. vbi refert Doctores de hac materia tractantes.

2 Dico primò, dimissorias concedere possunt Episcopi cuncti omnibus illis, quos iuris sanctione, priuilegio, vel consuetudine ad ordines assumere possunt. Gloss. *in cap. cum nullus de temp. ordinat. in* 6. is enim potest dimissorias concedere, qui ordinare valet, *cap.* 1. 62. *dist.* Campanilia *in diuers. iuris rub.* 6. *cap.* 3. *num.* 13. nam potest quis per alium facere, quod potest per se ipsum, *ex reg. iur. in* 6. ex quo liquet, proprium Episcopum, siue ratione originis, siue domicilij, siue ratione Beneficij, posse dimissorias concedere, quia potest subditum vno ex his tribus modis ordinare, vt latè *supra dub* 7. ergo & ordinandus licentiam concedere. Ita etiam cum aliis Henriq. *l.* 10. *c.* 22. *num.* 1. 2. & 3. & Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *quæst.* 6.

3 Dico secundò, inferiores Prælati non possunt concedere dimissorias, nisi eis data sit potestas, aut priuilegium à Summo Pontifice, aut per consuetudinem legitimè præscriptam: ita *ex cap. cum nullus cit.* resoluit cum aliis Campanil. Olim tamen licebat exemptis eas concedere, vt patet *ex c. cum nullus.* Hodie tamen iure nouo Tridentini *sess.* 23. *c.* 10. *de reform.* neque ipsi Abbates, neque alij etiam exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, Clericis sæcularibus literas dimissorias concedere valent, quamuis persona hæc habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, & voluntariam, ac contentiosam, Henriq. *l.* 10. *c.* 22. *num.* 3. *lit. T.* Campanil. *dict. c.* 8. *n.* 4. & cum his, & aliis Barbosa *allegat.* 7. *cit. num.* 7. Attamen quòd Prælatus habens iurisdictionem quasi Episcopalem in foro interiori, & exteriori, vt Prior Meridæ Ordinis D. Iacobi, & alij similes, possit non solùm suis Religiosis (quod est certum) sed etiam sæcularibus sibi subditis dare dimissorias, existimo valde probabile cum Ledesma *in sum. c.* 4. *de ord. concl.* 2. tum quia nullum alium habent immediatum superiorem in foro exteriori: tum quia dicti Prælati approbant confessarios pro suis subditis sæcularibus. Ad Tridentinum respondetur non loqui de iis Prioribus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, nec includuntur in aliqua Diœcesi. Consulenda tamen est consuetudo, illique standum.

4 Dico tertiò, Vicarius generalis Episcopi non potest concedere dimissorias; nam ad id officium Vicariatus non extenditur, nisi Episcopo in remotis agente. Ita *c. cum nullus de temp. ordinat.* ibi Glossa *verb Remotis.* Azor *part.* 2 *l.* 3 *c.* 45. *quæst.* 7. Campanil. *dict. c.* 8. *num.* 3. Riccius *in praxi aurea resol.* 18. vbi quando Episcopus dicatur agere in remotis, & cum multis Barbosa *dict. allegat.* 7. *n.* 9.

5 Dico quartò, Capitulum olim poterat, Sede vacante, statim concedere dimissorias, *ex c. cùm nullus cit.* Nunc verò iure nouo in Tridentin. *sess.* 7. *c.* 10. *de reform.* talis facultas restricta est, ita vt non possit dimissorias, nec ad primam tonsuram concedere, nisi elapso anno à die obitus Episcopi numerando, præterquam illis, qui alicuius Beneficij recepti, aut recipiendi occasione arctati fuerint, aliàs Capitulum contraueniens Ecclesiastico subiaceat interdicto, & ordinati, si in minoribus ordinibus initiati fuerint, nullo priuilegio clericali, maximè in criminalibus, gaudeant; in maioribus verò ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati, ipso iure, sint suspensi: de quo vide Henriq. *vbi sup. n.* 3. Garcia. *de Benef. part.* 5. *c.* 7. *n.* 95. Azor *sup. c.* 49. *q.* 5. Suarez *tom.* 5. *de censur. disp.* 31. *sect.* 1. Nauarr. *cons.* 44. *de temp. ordin.* Campanil. *dict. c.* 8. *n.* 5. Riccium *in praxi aurea resol.* 106. *& in decis. Cur Neapolit. decis.* 185. *part.* 4 Filiuc. *tractat.* 41. *de Benef. c.* 2. *num.* 44. & cum aliis Barbosa *de off. & potest. Episcopi, allegat.* 7. *num.* 10.

6 Illi autem dicuntur habere Beneficia arctata qui ratione illius tenentur se promouere facere intra annum. Garcia *part.* 5. *c.* 7. *num.* 98. Riccius *in praxi aurea resol.* 98. & alij, qualis est obtinens Ecclesiam parochialem, qui est arctatus ad sacerdotium intra annum, aut qui obtinet Canonicatum ad ordinem illi adnexum; aut qui obtinet Beneficium, seu capellaniam requirentem ex institutione, seruitium personale, seu aliquem ordinem, v. g. Presbyteratum. Illi verò, qui dicuntur arctari occasione Beneficij recipiendi, qui habent ius, seu sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans, seu Capellaniam, requirentem actu certum ordinem, quo illi carent; vel illi dicuntur, qui cùm sint ordinati prima tonsura, sunt præsentati ad Beneficia. Garcia *sup. c.* 7. *à num.* 99. Riccius *dict resol.* 98. & Barbosa *supra, num.* 11. His ergo arctatis potest Capitulum, Sede vacante, dimissorias concedere intra annum; aliis verò concedens incurrit pœnas Tridentini: post annum verò potest illas liberè concedere, vt patet ex ipso Tridentino.

7 Dico quintò, Capitulum, Sede vacante, potest intra annum concedere literas testimoniales de vita, & moribus Nauarr. *cons.* 27 *de tempor ordinat.* Bonac. *sup. num.* 14. & potest etiam testimonium idoneitatis facere, quia hæc non sunt literæ dimissoriæ. Item, potest concedere Episcopo extero exercitium Pontificalium, & ordinationem subditorum ipsius Episcopi exteri, non verò subditorum Sedis vacantis intra annum, bene vero post annum, de quo ait Quaranta *in sum. bullar. verb. Capitulum quæst.* 11. *pag. mihi* 141. *in fin.* non est dubium, & constat ex Trident. *vbi sup.* vide Barbosam cum aliis *sup. num.* 16. 17. Item, quando Papa concedit alicui facultatem suscipiendi ordines cum licentia

sui ordinarij, potest Capitulum intra annum Sedis vacantis hanc subordinatam licentiam concedere. Nauarr. *cons. 19. de tempor. ordinat.* Barbosa *sup. n. 14.* & alij, vbi dicit, eum qui à Sede Apostolica obtinuit priuilegium ad suscipiendos ordines à quolibet Episcopo, non indigere nouis literis dimissoriis, indigere verò testimonialibus proprij Ordinarij de vita, & moribus, alioquin manet suspensus ab executione susceptorum ordinum, & ordinans incurrit suspensionem à collatione ordinum per annum: patet ex Trident. *sess. 23. capitul. 8. de reform.* & tenet Henriq. *lib 3. cap. 58. num. 2.* Quarant a *verb. Ordo. vers. Suspensionis pœnam*, & cum aliis Bonac. *sup. n. 15.* videndus.

8 Dico sextò, Vicarius Papæ potest statim post mortem Papæ dimissorias concedere. Campanilis *dict. cap. 8. num. 6.* & cum aliis Barbosa *sup. num. 13.* Ratio est, quia Tridentinum non restringit iurisdictionem Sedis Apostolicæ, quamuis vacantis. Idem propter eandem rationem potest facere Collegium Cardinalium, Sede vacante.

9 Dico septimò, potest Episcopus concedere dimissorias, etsi excommunicatus declaratus sit, vt docet Ledesm. *in sum. 1. part capit. 8. de ord. conclus. 4. diff. 2.* sicut potest confessarios approbare, quia hoc non est actus iurisdictionis: sic similiter potest suo subdito dare facultatem, vt ab alio Antistite confirmetur. Syluestr. *Vnctio* §. 4. est contra Barbosam *sup num. 4.* vbi existimat, dimissorias datas ab Episcopo Excommunicato, aut suspenso declarato, esse inualidas: posse tamen tunc subditum se facere ordinari à viciniore Episcopo, modò probet suum Episcopum esse excommunicatum, ex *cap. 2. de temp. ordinat. in 6.*

10 Dico octauò, potest Nuntius Apostolicus intra annum Sedis Episcopalis vacantis concedere dimissorias, vt probat praxis, modò petens afferat testimonium idoneitatis à suo Prouisore, seu Vicario Capituli, quod testimonium posse dare tunc Capitulum, nec esse contra Trident. *sess. 23. capit. 8. de reform.* dixi *concl. 5. n. 7.*

11 Dico nono, literæ dimissoriæ non expirant morte concedentis. Henriq. *libr. 10. capit. 25. num. 3.* Bonacina *supra num. 21.* & alij, quia gratia, & fauor non expirat mortuo concedente, vt latiùs vbi de dispensationibus matrimonij *capit. 9 dub. 8. conclus. 1.* Ita etiam Ledesma *sup. concl. 4.* vbi consequenter docet, nec expirare per superuenientem subdito excommunicationem, sed posse eis vti, sublata per absolutionem censura; quia non reperitur in iure prohibitio aliqua, seu pœna in hoc casu imposita. Nec expirant datæ à Capitolo post annum vacationis, per ingressum moderni Episcopi. Ledesma *sup.* & cum aliis Barbosa *loco cit. num. 24.* Possunt tamen à nouo Episcopo, iusta tamen subsistente causa, reuocari per edictum quæcunque dimissoriæ à Sede vacante concessæ, siue à prædecessoribus Præsulibus Campanilis *dict. rubr. 9. capit 8.* consulit tamen, & benè, Gutierrez. *libr. 2. qq. can cap. 17. num. 12.* Quòd si Episcopi ordinatores per dimissorias sciuerint, nouum Prælatum possessionem sui Episcopatus adeptum fuisse, non admittant dimissorias Capituli, nisi è nouo successore reualidatæ, vel nouiter concessæ fuerint.

12 Dico decimo, Episcopos concedens dimissorias, seu Vicarius Capituli, Sede vacante, debet examinare, & approbare illas petentem, & sic examinatum dimittere: patet ex Trid. *sess. 14. de reform c. 3.* & *sess. 23. c. 3. de reformat.* Debet etiam adesse iusta causa, vt ægritudo, aut alia, quæ censeatur iusta, vt statuit Trident. *vbi sup.* Concedendæ igitur sunt dimissoriæ ex iusta causa, & examinato priùs illo qui petit dimitti, aliter non erit tutus in conscientia concedens, qui suum subditum non examinatum, aut nullo præcedente scrutinio dimisisset, si ille postea reperitur inhabilis, aut malè promotus, quamuis in literis adiecisset clausulam, quæ ordinatoris conscientiam onerasset, vt iustè adnotauit Viuald. *part. 3. Candelabri, cap. 8. num. 12.* & cum eo, & Maiolo Barbosa *dict. allegat. 7. num. 2.* Episcopus autem ordinans habentem dimissorias, examinatum iam, & approbatum à concedente illas, non tenetur illum examinare, & approbare, potest tamen illum, si velit, examinare, imò tutiùs agere, illum examinando, tenent Campanilis *in dict. cap. 8. num. 31.* Bonac. *sup. num. 5. & 33.* & cum his Barbosa *loco cit. num. 25.*

13 Nota, Episcopum absentem à sua Diœcesi posse suis subditis dare dimissorias, vt ab alio ordinari possint, potest etiam illorum examen demandare Episcopo loci, in quo degunt, si propter absentiam valde eis incommodam voluerint examini illos subiicere. Barbosa *sup. num. 19.* Item, Episcopus in aliena Diœcesi existens, habens ibi à proprio licentiam conferendi ordines, potest ordinare suos, & Episcopi loci, in quo habet licentiam, alios verò minimè, nisi de licentia propriorum Episcoporum. Ita intelligendum Trident. *sess. 6. capit. 5. de reformat.* vide Nauar. *cons. 20. de temp. ordinat.* & Ledesmam *sup. capit. 8. conclus 4. diff. 4.* Bonac. *sup num. 58.* Quando verò Episcopus in literis tantùm concedit, vt à quocunque alio Episcopo Catholico in sua Diœcesi residente ordinari quis possit; non tamen addens, *aut ab alio ibi residente*, communior, verior, ac tutior sententia est, non posse ordinari ab alieno in Diœcesi alterius de licentia proprij illius Diœcesis ordinante, vt colligitur ex Trident. *vbi sup.* videtur enim licentia strictè concessa Ledesma *sup. diff. 5.* Contraria tamen sententia non est improbabilis; nam dici potest, talem licentiam esse generalem. Ledesma *sup.* Item quando Papa concedit alicui licentiam, vt possit extra Tempora ordinari, à suo tamē, potest de licentia sui ordinari ab alieno; nā idem est ordinari de licētia proprij, se si ab ipso ordinaretur. Ledes. *sup. diff. 6.* cum Nauarr. *cons. 34. de temp. ordinat.*

14 Nota secundò, in aliquo casu potest quis ab alieno sine dimissoriis, seu licentia proprij ordinari, vt cum communi tenet Ledesma *sup. concl. 5.* Primus est, quando Episcopus suspensus est, eo quòd ordinauit non subditos, debet tamen ordinandus probare hanc suspensionem; hunc casum omnes admittunt, & dixi *sup.* Secundus est, quando præsumitur ratihabitio proprij: hunc tamen casum non omnes admittunt, nec mihi videtur securus; potest tamen sustineri, si maxima sit Episcoporum familiaritas, tum etiam subdita erga proprium. Tertius est, quando Episcopus ordinat suum familiarem alterius Diœcesis, vt dictum est dubio proximo.

15 Nota, Clericos in minoribus ordinatos sine licentia proprij non amittere ipso facto priuilegium clericale, nam Trident. *sess. 7. c. 10.* vtitur verbo, *non gaudeat*, quod est futuri temporis, vt obseruat Sanchez *l. 7 d. 46. num. 18* & cum eo, & Nauar. Bonacina *tom. 1. disp. 8. quæst. vnic punct. 4. num. 23.*

16 Nota quartò, ea, quæ hucusque dicta sunt, procedere de ordinatione, & literis dimissoriis sæcularium Clericorum; nam regulares ad hoc vt ordinentur, non indigent literis dimissoriis ab aliquo Episcopo obtentis: indiget tamen licentia, seu dimissoriis commissis à suis Prælatis. Hanc autem licentiam concedere possunt Generales, & Prouinciales

ciales, qoia babent authoritetem qoasi Episcopalem, & in hoc babent se sicut Episcopi, & sunt Ordinarij suorum subditorum, cognoscuntque plenè eorum mores, ideo de illis possunt dare testimoniom & non Episcopi, iuxta Trident *cap.* 8. *sess.* 23. *de reform.* Nec obstet Trident. *capit.* 10 *sess.* 23. *de reform.* vbi Abbates, & alij qoicumqoe Prælati prohibentur literas prædictas conferre; quia loquitur Tridentinom de dimissoriis respectu sæcularium, non verò respectu Religiosorum: imò ex hoc loco, à coottario senso apertè deducitur, oon esse prohibitum regularibus, sed concessum has literas suis dare; namcùm expresse ipsis prohibeatur respectu sæcolarium, censetur expresse concessum respectu suotum, vt docent Ledesma *in sum. cap.* 8. *de ord. conclus.* 1. & 10. Miranda *in man. Prælator tom.* 1. *quæst.* 38. *artic.* 2. Barbosa *de off. & potest. Episc. allegat.* 7. *num.* 31. & 18 & Diana 2. *part. tract.* 16. *resol.* 15. Hinc fit regularem, qui absque sui superioris licentia ordinatur peccare mortaliter, & incurrere suspensionem latam à Pio II. & in pœnas à Sixto V. de quibos infra; sicor eas iocurrere dicemus Clericos, qui absque literis dimissoriis sui Ordinarij suscipiuot ordioes. Ledesme *vbi sup.* vide Campenil. *in diuersor. iuris, rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 37. At si professus electus sit à religiooe, ordinari poterit, non de licentia soorum superiorum, sed ab Episcopo suæ originis, vt teoet Portel. *in dub. Regul. verb. Ordo num.* 11. Campaoilis *supra n.* 15. & cum aliis Barbosa *sup. allegat.* 4. *n* 21.

17 Nota quintò, Episcopum alienom Clericum sine licentie proprij ordinantem, ab omnibus ordinibus esse suspensum per ennom, *cap eos de temp. ordinat. in* 6. Trident. *sess.* 23. *capit. de reform.* Item, ab exercitio Pootificaliom, ex Trideot. *sess.* 6. *c.* 5. *de reform.* de quo Suarez *tom.* 5. *disput.* 31. *sect.* 1. *n.* 25. Campanilis *sup. rubr.* 9. *c.* 1 *num.* 16. si tamen tonsuram solùm conferret, tunc à collatione illius tantùm suspensus esset, *c. fin de temp. ordin. in* 6. Campanil. *loco citat.* Bonacine *vbi sup. num.* 9. & cum aliis Barbosa *sup. allegat.* 8. *num.* 2. Escusatur tamen, si probabiliter ignorat, Clericum esse elterius Diœcesis: eut si bona fide existimat, id tatom haberi à proprio Episcopo, de quo Berbosa cum aliis *sup. num.* 5. & 6. Episcopus eotem tituleris non habens subditos, si subditis elterius Prælati sine ipsius licentie ordines, aut etiam primam tonsuram confetat per annum eb exercitio Pontificalium suspensus est, ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 2 *de reformat.*

18 Nota sextò, laicum suscipientem ab elieno primem tonsuram sine licentia proprij, nullem de facto pœnam incurrere, sed puniendum esse arbitrio Ordinarij, *cap. fin. de tempor. ordinat. in* 6. Vgol. *de off. & potest. Episcop. cap.* 16. §. 23. *num.* 1. & cum alijs Barbosa *eo in allegat.* 8. *num.* 8. & 9. Caret tamen priuilegio toosuræ, vt docent Lessius *l.* 2. *c.* 44. *dub.* 19. Azor *tom.* 3. *lib.* 3. *capit.* 2. *quæst.* 4. & Bonacin. *sup. num.* 19. *ex cap. illud, & c. si quis ausus dist.* 21. Si verò sic minores suscipiat non est de facto suspensus, sed potest suspendi à proprio, sicque expedit, ne ordinem exerceat ex officio, antequam permissionem obtineat ab Ordinario, Ledesma *in sum. c.* 8. *de ord. conclus.* 8 vbi dicit commone, & moneri, vt talis adeet suum Episcopom, & illum oret, vt ratem habeat ipsius ordinationem. Hinc fit, taliter ordinatum valide obtinere Beneficium, si ei post talem ordinetiooem conferatur: monet temen Ledesme ed maiorem securitatem, vt curet nouam collationem à suo Episcopo, postquam ab eo obtinuerit ratificetionem telis ordinationis: at non existimo necessarium, dato qood, vt ipse docet, non

fit suspensus. Barbosa verò *sup. num.* 10. cum Neuerr. *cons.* 11. & 19. *de temp. ordinat.* existimant, hunc sic in minoribus ordinatum non habere executionem eorom, antequam suus Episcopos ei permittat, coosequenter esse suspensum, & si in ordine solemniter, & ex officio, ministret, esse irregularem, & prouisiones ei factas de Beneficiis oon subsistere; sufficere temen ratihabitionem sui Episcopi, ad hoc vt sit capax, & possit Beneficium obtinere. Probant hæc ex Tridentino *sess.* 14. *c.* 2. *de reformat. sess.* 23. *capitul.* 8. dicit enim Tridentinum *dict. c.* 2. ordinatum ab Episcopo titulari esse suspensum (nisi adsit licentia proprij) ab executione ordinum sic susceptorum, ipso iure, donec suo Prælato visum fuerit: & *dict. cap.* 8. absolutè asserit, ordinatum à non suo, esse suspensum ab executione ordioum susceptorum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire: cùm eutem Concilium absolutè loquetur de executione ordinom; & quatuot minores sint ordioes, videtur etiam suspensio hæc ad illos se extendere, propter quod hæc opinio probabilior videtur, etsi opposite non sit improbabilis, qoam etiam sequitur Rebuff. *de form. dimiss. num.* 12. *cum seqq.*

19 Denique suscipiens maiores ordines sine sui Episcopi liceotia est ipso facto suspensus per extrauag. Pij II. qoæ incipit: *Cùm ex sacrorum*, & per Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* ibi: *Si suspensus.* hocque esse ipso iure suspensum, declarauit Sixtus V. *const.* 91. *contra Clericos malè promotos.* qua ettenta, solùm suspensus est ille, qui sic in maioribus, vel minoribus initiatur: attentis verò Pij II. extrauag. solùm qui in mioribus, vt edmonet Neuarr. *cons.* 9 *n.* 2. *cons.* 19. *in fine in antiquis*, aliàs *cons.* 17. *de temp. ordinat. & cons.* 6. *de Sacram.* Cui constitutioni, & dispositioni Tridentini nunc standom est; nam constitutio Sixti V. qooad pœnas redecta est ad terminos iuris communis per alteram Clementis VIII. quæ incipit: *Romanum decet Pontificem*, vt docet Quaranta *in sum. bullar. verb. Ordo. vers. Secundò limita, & vers. Tertius casus.* & Sayrus *de censur. lib.* 7. *capit.* 10. *num.* 36. & *lib.* 4. *capit.* 14. Ideo quamuis Sixtus absolutionem sospensionis sibi reseruauerit, potest iam nonc Episcopus in ea dispensare, seu eam tollere, si delictum sit occultum, per Tridentin. *sess.* 24. *de reform.* Bonacina *tom.* 1. *disput.* 8 *quæst. vnic punct.* 4. *num.* 25. *verb. Suspensio.* & Barbosa *dict. allegat.* 8. *num.* 12.

20 Fit etiam inhabilis sic ordinetus ad Beneficia ecquirenda, quia est suspensus, ideo prooisio ei facta est nulle; oon tamen est spolietus Beneficiis antea obtentis, sed est puniendus, si voluntariè steterit per ennum in ea suspensione, vel nisi ea durante, in ordine ministrauerit. Ite cum aliis Berbosa *sup. num.* 14. & 15. Nec est priuatus priuilegio fori; nam Clericus, qoamuis interdictus, sospensus, vel excommuoicetus, non amittit fori priuilegium, vt cum eliis Barbosa *sup. num.* 18. & *lib.* 1. *de iure vniuerso cap.* 39. §. 2.

21 Ad hoc autem vt ordinatus sioe dimissoriis sit capax, & possit Beneficium obtinere, sufficit ratihabitio proprij. Nauerr. *consil.* 24 & 25. *de temp. ordinat.* Lessius *l.* 2. *c.* 44. *dub.* 19. & Bonacin. *sup. n.* 25.

22 Nota cum, qui sine dimissoriis ab alieno ordinatur, aut furtiuè, non incurrere præter sospensionem, excommunicationem ipso facto, posse tamen eb ipso Episcopo excommunicari; quæ excommunicatio comprehenderet tunc etiam exemptos, aliàs esset frustratoria. Bonacina cum aliis *sup. num.* 31. & 32.

Dvb. IX.

Quo tempore sint ordines conferendi, & de interstitys.

1 QVod primò iam diximus *sup. dub. 6. vers. Quares secundo*, primam tonsuram conferri posse quolibet die, vt constat ex generali consuetudine Ecclesiæ. Consecratio Episcopi potest fieri quolibet die Dominico: Ordines maiores conferri debent in sex Sabbathis, videlicet in quatuor Sabbathis quatuor Temporum anni, & in Sabbatho ante Dominicam Passionis, & in Sabbatho sancto tempore Missæ, *Can. quod die. cap. fin. 75 dist. capit. 3. de temp. ordinat.* quorum Canonum statuta obseruari iubet Tridentinum *sess. 23. cap. 8. de reform.* Potest tamen Papa concedere alicui, vt extra Tempora ordinari possit: sic in priuilegio Gregorij XIII. dato Tusculi 22. Septembris 1582. teste Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.* 17. *n.* 7. Patres Societatis Iesu ordinari possunt extra Tempora tribus Dominicis, vel aliis festiuis diebus continuis. Non tamen vult Pontifex, hoc indultum extendi ad alias Religiones, de quo vide Fr. Manuel *tom. 3 quæst. 23. artic. 5.* & Fagundez *in quinque præcepta Ecclesiæ, lib. 1. cap. 2. n. 13.* Minores verò ordines priuatim quolibet die festo conferri possunt; publicè verò conferuntur ex consuetudine feria sexta, vespere ante Sabbathum, quo conferuntur maiores, vt dicit Henriquez *c. 12. de ord.* Tempus autem à iure ad conferendos ordines statutum, non est de substantia ordinis, ideo valet ordinatio, & imprimitur character; incurrunt tamen pœnas iusis iam ordinans, quàm ordinatus, vt infra.

2 Quantum ad pœnas dico, Episcopum esse suspendendum, Glossa *in cap. fin. de ætate. & qualitate*, non verò esse de facto suspensum, nam Pij II. constitutio, de qua infra, non meminit ordinatoris, & Tridentinum *sess. 23. capit. 8. de reformat.* vbi videtur suspendi per annum ordinator extra Tempora; ea tamen pœna videtur solùm referri ad eum, qui sine testimonio sui Ordinarij ordines recipit, vt docet Bonac. *de censur. disput.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 5. *num.* 5. Ordinatus autem, aut ordinari se faciens extra Tempora ad ordines sacros, seu maiores, suspensus est ipso iure à sacrorum ordinum executione, iuxta constitutionem Pij II. quæ incipit: *Cùm ex sacrorum ordinum*; quæ quidem constitutio semper obseruatur in hac materia, eamque confirmauit Iulius III. *in regul. Cancell.* 25. & alij successores, nec non Clemens VIII & Paulus V. *regul.* 23. Hæc autem suspensio est Pontifici reseruata; quia censetur perpetua, poterit tamen Episcopus eam tollere, per Trident. *sess. 24. c. 6. de reform.* si est occulta, etsi in ea celebrauerit sic suspensus, poterit Episcopus in irregularitate ex hoc contracta, si occulta est, vigore ipsius Tridentini dispensare Barbosa *sup. num.* 21.

3 Aduerte tamen, prædictam Pij Bullam solummodo loqui de suscipientibus ordines sacros extra Tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine literis dimissoriis; non verò de prima tonsura, vel minoribus; vnde nec vigore huius constitutionis, nec iuris communis suscipiens tonsuram, aut minores, in dictis casibus incurrit suspensionem, vt probat Nauar. *cap. 25. num.* 70. & 27. *n.* 241. Campanilis *rubr. 6. capit. 2. num.* 21. & Barbosa *supra num.* 18 & *allegat. 26. num.* 14. Et quamuis ordinati in dictis casibus prima tonsura, aut minoribus, tam sæculares, quam regulares, tum etiam Episcopi ordinantes, sint suspensi, ipso facto, per constitutionem Sixti V. contra malè promotos; at dicta constitutio est moderata quoad pœnas, & redacta ad ius commune per Clem. VIII. vt dixi *dub. proximo*, & ad dispositionem Pij. II. Vnde quoad hoc standum est huic dispositioni, & consequenter modò dicendum est, ordinatum extra Tempora, aut ante legitimam ætatem, aut sine dimissoriis prima tonsura, aut minoribus, non esse ipso facto suspensum.

4 Quantum ad secundum, dispositum est à Tridentino *sess. 23. c. 11. 13. & 14.* seruanda esse temporum interstitia ad maiores ordines suscipiendos, videlicet quod non possit quis suscipere Subdiaconatum, nisi vno anno iam elapso post vltimum minorem ordinem: & Diaconatum, nisi vno elapso anno post susceptionem Subdiaconatus; & Sacerdotium post annum suscepti Diaconatus, vt interim ordinandus in ordine suscepto se exerceat, intelligatque commodius ordinis pondus, & dignitatem. Hic autem annus non est computandus mathematicè, pro numero scilicet trecentorum sexaginta quinque dierum, sed moraliter, & modo Ecclesiastico, nimirum ab vna quadragesima, ad aliam, à Pentecoste, vsque ad Pentecostem, sicut dixi sumi annum publicationis Bullæ, & in his terminis docent Quaranta *verb. Ordo ad fin.* Bonacin *disput. 8 quæst vnic punct. 3 numer.* 33 cum aliis Barbos. *de off. & potest Episc allegat.* 18. *num.* 2. & Villalob. *tractat. 11. part. 1 diff. 12. num.* 6. Inter minores autem inter se, non datur præceptum de interstitiis, sed relinquitur prudentiæ, & arbitrio Episcopi, an simul, vel per Temporum interstitia debeant conferri, ex Trident. *sup c* 11. & vbi adesset consuetudo, quæ permitteret minores ordines, & primam tonsuram vnica die recipere, seruandam esse, docent Syluest. *ordo 2. num.* 17. Campanil. *rubr. 6. capit. 2. num.* 20. Henriq. *libr. 10. cap. 19. n.* 4. Solent autem minores ordines simul conferri feria sexta ad vesperam ante Sabbathum, quo conceduntur maiores, vt dixi *sup. dub. 6. num. 9. & hoc dub. n.* 11. & cum aliis Barbos. *supra allegat.* 11. *num* 21.

5 Potest Episcopus dispensare cum suis subditis in Temporum interstitiis, vt patet ex Trident. *loco citato* & quidem quoad ordines minores inter se relinquitur arbitrio Episcopi, vt iudicet, an expediat illos omnes eodem die conferre, patet ex *sess.* 23 *capit.* 11. ibi: *Nisi aliud Episcopo expedire magis videretur* in dispensatione autem temporis ab vltimo gradu ad subdiaconatum, & sic de aliis maioribus, reperitur iusta causa, patet ex Tridentin. *sup. capit. 11. citat. in fin & capit. 13. circa fin. & capit. 14. post initium.* Ita tamen, vt maior causa requiratur in dispensatione ad Sacerdotium, quàm ad Diaconatum; & ad Diaconatum, quam ad Subdiaconatum, pro causa assignat Tridentinum, Ecclesiæ vtilitatem, aut necessitatem. Non tamen requiritur vtilitas, aut necessitas extraordinaria, aut publica; quia hoc relinquit Concilium arbitrio, & prudentiæ Episcopi, prout ipse iudicauerit expedire Ecclesiæ vtilitati, & necessitati, secundum temporis, loci, & personæ circunstantiam. Bonacin. *supra punct. 6. num.* 2. Barbosa cum aliis, *allegat* 18. *num.* 4. & 5. vbi obseruant in dispensatione interstitiorum inter Diaconatum & Sacerdotium petere Concil. non solum vtilitatem Ecclesiæ, sed etiam necessitatem; nam docent particulam, &, esse copulatiuam, etsi alij recentiores oppositum non improbabiliter sentiant, nempè sufficere etiam, tum vel vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, prout expedire iudicauerit Episcopus.

6 Dixi,

6 Dixi, *cum suis subditis*, nam alienus non suum subditum ordinans, cum dimissoriis à proprio datis, non poterit dispensare cum illo in interstitiis, nisi hoc in dimissoriis expresse concedatur, prout declaratum refert à sacra Congregatione, & in praxi receptum. Barbosa *sup.num. 9.*

7 Observa tamen primò, facultatem dispensandi in interstitiis Episcopo concessam transire ad Capitulum, seu eius Vicarium, Sede vacante, prout decisum refert cum aliis Barbos. *sup. num. 6.* Vide Quaranta *verb. Capitulum.*

8 Secundo, ad hoc vt ordinatus sit dispensatus in interstitiis, requiritur, vt Episcopus clarè dispenset, vel quòd scienter recipiat eum sciens annum nondum esse elapsum, secus si id ignorauerit, Barbosa cum aliis, *num.* 8.

9 Tertiò, regulares etsi possint dare dimissoriales suis subditis, non tamen possunt in eorum interstitiis dispensare, sed debet Episcopus id facere, ex causa sibi per attestationem suorum superiorum manifestata. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 23. *n.* 4. *lit. I.* Quaranta *verb. Ordo prope finem.* Ledesma *in sum.de ordine cap.* 8 *concl.* 11. *versic. La tercera difficultad.* Bonac. *supra punct.* 5. *num.* 34. & cum aliis Barbosa *supra num.* 10. vbi refert declaratum à sacra Congregatione, debere Episcopum se conformare cum attestatione, & supplicatione superiorum regularium, quia ad eos spectat prouidere, & iudicare circa vtilitatem, & necessitatem suarum Ecclesiarum. Non tamen est improbabile, posse regulares superiores in suorum interstitiis dispensare, vt probat, & tenet Ledesma *vbi supra*, vide Villalobos 1. *part. tractat.* 11 *dist.* 12. *num.* 8. vbi refert Gregor. XIII. concessisse Religiosis Societatis Iesu, vt ordinari possint, non seruatis interstitiis; quo quidem priuilegio gaudent Mendicantes (ait cum Rodrig.) etiamsi aliis prohibita sit huiusmodi communicatio per ipsum Gregor. XIII. existimo tamen non recedendum à nostra sententia, & huiusmodi priuilegia reuocata esse per Tridentinum.

10 Quartò, Ordinarius, aut ordinatus, non seruatis interstitiis, etsi peccent, nullam tamen pœnam iuris, aut censuram incurrunt, aut irregularitatem, quia non est in iure expressa, Bonac. *supra* 35. & cum aliis Barbos. *sup. num.* 11.

11 Quintò, nullus Episcopus absque expressa Pontificis facultate, nulli etiam regulari, quantacumque causa, etiam vrgentissima, existente, potest duos sacros Ordines vna die conferre, *cap. dilecti, de temp. ordinat.* Miranda *in manual. Prælator. tom.* 1. *quæst.* 8. *artic.* 5. Barbos. *sup. allegat.* 18. *n.* 1. vbi cum Suarez *tom.* 5. *disput.* 31. *sect.* 1. *n.* 30. & Sayro *de censur. lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 22. tenet pro vna die intellige Sabbathum, quo Ordines conferuntur; & manè Dominicæ sequentis: aliter sic ordinatus manet suspensus ab executione Ordinum, donec obtineat absolutionem à Sede Apostolica, vt docent Suarez *sup. n.* 41. Gutierr. *l.* 1. *qq. can. c.* 26. *n.* 31. & cum aliis Bonacin. *sup. n.* 36. Primam tonsuram, & minores eodem die conferre posse Episcopum, dixi *sup.* 6. *in fin.* & *hoc dub. n.* 4. imò, & minores simul cum Subdiaconatu, vbi id tamen est in consuetudine positum: in hac Valentina Diœcesi aliquando dantur quatuor minores in sexta feria ad vesperam, & Sabbatho sequenti confertur Subdiaconatus, quam quidem consuetudinem non intendit auferre Tridentin. *sess.* 23 *capit.* 11. vt pluribus allegatis tenet Barbos. *allegat.* 14. *n.* 5. potest enim Episcopus dispensare, vt simul conferantur Subdiaconatus, & quatuor minores, Nauarr. *c.* 25. *n.* 7 *cap.* 27. *n.* 241. & Villalob. 1. *part tract.* 11. *diff.* 18. *n.* 7.

12 Sextò, Abbates qui habent priuilegium ordinandi per se ipsos suos subditos in quatuor minoribus, possunt cum eis in his interstitiis dispensare. Miranda *sup. artic.* 7. *concl.* 3. Barbos. *alleg.* 18. *n.* 13. & *alleg.* 3. *n.* 7.

DVB. X.

Quænam ætas requiratur ad Ordines suscipiendos.

1 Dico primò, de iure diuino nulla ætas determinata est ad necessitatem Sacramenti Ordinis. Sotus *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *artic.* 2. *conclus.* 3. & communiter DD. apud Bonac. *tom* 1. *disp.* 8. *q. vnic. punct.* 5. *n.* 1. & Coninck. *disp.* 20. *dub.* 10. *n* 94. & 97. vnde valida est ordinatio infantis, & amentis. Probatur primò *ex c. vnico de Clericis per saltum promotis*, vbi habetur, non esse reordinandos, qui ante discretionis annos acceperunt minores ordines: & ratio est, quia rationis vsus solum videtur necessarius in suscipientibus Sacramenta, quæ consistunt in aliquo actu ipsius suscipientis; sicut est matrimonium, quod consistit in mutuo contrahentium consensu, & pœnitentia, ad quam necessarius est dolor, qui sunt actus pœnitentis, non verò in Sacramentis, in quibus datur potestas, & imprimitur character; sic in Baptismo, non requiritur rationis vsus, & sicut in Baptismo, sufficit intentio Ecclesiæ pro suscipiente, ita & in hoc Sacramento: obseruat tamen Bonac. *sup. n.* 3. cum Coninck. *loco cit. n.* 100.

2 Si ordinatur amens, qui antea habuit vsum rationis, non esse ordinatum (secus si nunquam fuit rationis compos) quia censetur nolle habitualiter ordinem suscipere, at eadem videtur ratio, ac de perpetuo amente, aut infante, vt sentire videtur Valencia *tom.* 4. *disp.* 9. *quæst.* 4. *part.* 1. Reginald. *lib.* 3. *n.* 3. modò tamen non constet positiuè, ipsum antea noluisse ordinari; nam tunc censetur manere virtualiter talis intentio: peccaret tamen grauiter Episcopus ordinans infantem, quia indecentia est grauis, & puer sic ordinatus non teneretur voto castitatis, vt dixi *dub.* 5. *n.* 9. nec præcepto recitandi Horas Canonicas. Henriq. *lib.* 11. *de matrimon c.* 9. *n.* 5. vtrum infans sit capax Episcopatus, S. Thom. *quæst.* 39 *add.* 2. negat, alij vt Bonacin *sup. n.* 4 & Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *c.* 4. *n.* 76. affirmant quia etsi incapax sit iurisdictionis, & curæ animarum, non tamen characteris Episcopalis.

3 Dico secundò, de iure tamen positiuo Ecclesiastico designatum est tempus certum ad licitè singulos ordines suscipiendos; & quidem pro prima tonsura requiritur septennium completum, *ex c. de iis, dist.* 28. *c. in singulis, dist.* 77. eam recipiens ante septennium, si non habeat vsum rationis, non peccat, at illam conferens Episcopus ante septennium peccat mortaliter, cum videatur facere contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, Bonacio *de censuris disp.* 3. *quæst.* 6 *part.* 5. *num.* 6. *versic. Neque,* & Barbos. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 11. *num.* 3. pro tribus ordinibus minoribus eadem ætas satis est: & conferens ante huiusmodi ætatem suspensus est à collatione tonsuræ per annum, *ex cap. nullus de tempor. ordinat. in* 6. pro Acolyto requiruntur duodecim anni completi, *ex dict. cap. in singulis*, in Tridentino autem non est designata ætas pro his minoribus, vnde videtur id reliquisse prudentiæ, & arbitrio Episcopi, qui vt bene monet Ledesma *in sum. cap.* 8. *de ordine concl.* 1. *versic Lo segundo*, debet curare, vt habeat ætatem competentem, vt possit decenter munus horum ordinum exercere: ideo

communiter non initiantur minoribus ante decimum quartum annum.

4 Quoad ordines autem maiores, quidquid sit de iure antiquo, de iure nouo. Trid. *sess.* 23. *cap.* 12. statutum est, vt nullus, etiam regularis, quibuscumque priuilegiis non obstantibus, ordinari possit Subdiaconus ante vigesimum secundum annum, Diaconus ante vigesimum tertium annum, Sacerdos ante vigesimum quintum annum. Sufficiunt tamen dicti anni, si iam sint incepti; sic poterit quis suscipere Subdiaconatum, si incæpit, vel attigit vigesimum secundum, & Diaconatum, si attigit vigesimum tertium annum, & Sacerdotium, si incepit vigesimum quintum annum, sufficit etiam attigisse, vel incepisse dictos annos per vnum, au medium diem, id est habere pro Subdiaconatu vigesimum primum annum, & medium diem, & sic in aliis respectiuè. Ita Bonacina *sup. dict. punct.* 5. *num.* 2. & dicit constare ex Bulla Pij II. quam refert Quaranta *verb. Ordo in princip. &c. nullus de temp. ordinat.* An autem dies bisextilis computandus sit pro legitima ætate ad ordines requisita, respondet Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 16. *num.* 2. cum Riccio, & Molfesio, negatiue, sed sumendum esse annum pro trecentis sexaginta quinque diebus. Contrarium tamen reputo probabilius cum Bonacin. *supra num.* 15. nam annus computandus, & sumendus est iuxta ritum, & vsum Ecclesiæ, vt diximus de interstitiis *dub.* 9. vsu autem Ecclesiæ receptum est, vt dies bisextilis etiam computetur, alioquin enim non solum non esset computandus dies bisextilis præsentis anni, verum neque annorum bisextilium præcedentium. Addit hanc sententiam practicari Mediolani, & communiter practicatur in iis partibus; nam Episcopi non curant de die bisextili, nec de illo scrutantur. Maior tamen difficultas est an peccet, & incurrat pœnas (de quibus infra) si suscipiat Ordines maiores, antequam incipiat tempus designatum per aliquot tantum dies; aliqui quos tacito nomine, refert Ledesma, *supra*, affirmant non peccare, si tantum desint septem, aut octo dies, quod tamen ipse, & meritò non admittit, quia temporis hæc designatio est grauis res, admittit tamen ipse, non peccare, illum, si eo die mane, aut vespere, quo ordinatur, attingit tempus designatum. Hoc autem non admittit Villalob. *supra num.* 2. cum Nauarr. *cons.* 9. *de temporib. ordinat.* etiamsi tantum desit dimidium diei temporis designati, ante ordinis susceptionem, v. g. si desit in Subdiacono dimidia dies ad incipiendum vigesimum secundum annum, quia quamuis dimidia dies desit, non est verum dicere, illum incepisse vigesimum secundum annum. Attamen post factum puto, absque scrupulo sustineri posse opinionem Ledesmæ; imò eam absolutè, vt probabilem admitti (& meritò) Dian. *part.* 2. *tractat.* 16. *resolut.* 29. quia tantillum temporis in mortalibus poterit pro nihilo reputari. Ad Episcopum autem requiruntur triginta anni completi, *c. cum in cunctis de elect.* circa quod in iure nouo nihil est immutatum, Bonacin. *supra n.* 12. Ad Beneficium simplex annus decimus quartus, ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* Denique ad Curatum, Dignitatem, aut Abbatiam vigesimus quintus annus inceptus, Filiuc. *supra quæst.* 7. *num.* 84.

5 Dico tertiò, promotus, seu ordinatus ante legitimam ætatem, de iure communi fit suspensus ab illorum executione, vsque ad legitimam ætatem: at per Bullam Pij II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum*, est ipso iure suspensus perpetuò, donec absolutionis beneficium impetretur. Idem habetur in extrauag. Sixti V. contra male promotos, quæ fuit confirmata à Clem. VIII. in hoc.

6 Ad incurrendum autem hanc suspensionem requiritur dolus, temeritas, & consequenter scientia huius constitutionis, seu prohibitionis; quare excusat bona fides, aut ignorantia, quamuis culpabilis, modò non sit affectata, Nauarr. *cap.* 27. *n.* 254. Suar. *de censuris disput.* 31. *sect.* 1. *num.* 6. Auila *disp.* 5. *dub.* 7. Villalobos 1. *part. tract.* 11. *diff.* 11. *n.* 6. Barbos. *de off. & potest. Episc. allegat.* 16. *num.* 17. 18. & 19. & alij apud Bonac. *de censur. disput.* 3. *quæst.* 6. *part.* 5. *num.* 5. *versic. Aduertendum*, et si ipse existimet non excusare ignorantiam culpabilem: nostra autem sententia probatur aperte; quia tam in constitutione Pij II. quam Sixti V. habetur hoc verbum *præsumpserit*, quod dolum, ac temeritatem significat, & consequenter supponit scientiam dictæ constitutionis, aut prohibitionis; aliter enim non censetur agere præsumptuose, ideo excusat bona fides aut inaduertentia, aut ignorantia, quamuis non excuset omnino à culpa.

7 Hinc fit non incurrere hanc suspensionem eum, qui facta debita diligentia, putans habere legitimam ætatem, cum reuera non habeat, fuit ordinatus. Item nec qui testimonio suorum parentum bona fide suscepit ordines ante legitimam ætatem. Item nec qui ignoranter id fecit quamuis sit culpabilis, modò non sit affecta, ita vt æquiparetur dolo, temeritati, aut præsumptioni. Ita citati pro hac sententia. Item, hunc, bona fide durante, si exerceat ordinem, nec peccare, nec incurrere censuram aliquam, nec fieri irregularem; quia vt dictum est, non est suspensus, consequenter celebrando non violat censuram: at dum sciuerit, se non habere legitimam ætatem, si celebrat, peccat mortaliter (etsi aliqui apud Ledes. *cap.* 7. *de ordine, concl.* 1. *diff.* 4. existiment non peccare mortaliter) Suarez *de censuris disput.* 31. *sect.* 2. *num.* 4. Bonac. *supr. num.* 13. *versic. Verum*, Villalobos *supr. num.* 7. & alij, nam concilium prohibet ordines suscipere ante legitimam ætatem, & in eis ministrare. Adepta autem legitima ætate, poterit sine aliqua absolutione, aut dispensatione in ordine ministrare, quia cum non fuerit suspensus, solum requiritur, vt reuera habeat legitimam ætatem. Ita Conar. *in Clement. si furiosus part.* 1. §. 1. *num.* 4. Barbosa *supra num.* 23.

8 Dico quartò, qui mala fide, & præsumptuose suscipit Ordines maiores ante legitimam ætatem, fit suspensus, vt dictum est *concl.* 3. secus si tantum in minoribus hic initietur, nam Bulla Pij V. expresse loquitur de maioribus, siue sacris, ibi: *Ad sacros Ordines*, & ita docent Nauar. *consil.* 51. *num.* 4. Suar. *supra num* 23. Bonacin. *loco cit. num.* 5. Sayrus *de censuris lib.* 9. *cap.* 12. *num* 9. Barbos. *supra n.* 14. Hinc fit, ordinatum maioribus ante legitimam ætatem, mala fide, seu præsumptuose, si antequam, à suspensione absoluatur, in ordine suscepto ministrat, fieri irregularem. Ita citati, & communiter DD. quia violat censuram in actu ordinis. Nec sufficit tolerantia Episcopi, quia cum non probetur illius scientia de huiusmodi mala promotione, tolerantia nihil operatur, Barbosa cum aliis *supra num.* 15. At si hic suspensus celebraret, credens tamen bona fide id sibi licere: non videtur fieri irregularis, vt docet Conarr. *supra*, Ledesm. *in sum. capit.* 7. *de ordin. conclus.* 1. *diff.* 1. *versic Lo tercero*, & cum aliis Barbosa *supr. num.* 22. sed quia Tusch. *tractat. de visit. lib.* 2. *c.* 28. *n.* 37. existimat, hunc fieri irregularem, ideo tutius erit, vt obtineat dispensationem à Papa.

9 Dico quintò, suspensio hæc est Papæ reseruata, quia est perpetua, ideo solum potest tolli à Papa, sicut

sicut irregularitas, quam contrahit sic suspensus celebrans, Couarr. *vbi sup. n.* 7. Nauarr. *cap.* 25. *n.* 70. *& in cap. accepta, opposit.* 8. *num.* 34. *de restit. spol.* Barbos. *d. alleg.* 16. *n.* 15. poterit tamen Episcopus tollere suspensionem, tum etiam irregularitatem si hæc occulta sint, facultate sibi concessa à Triden. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* imò si delictum promotionis sit occultum, poterit Episcopus in irregularitate dispensare, licet celebratio sit publica, quia non constat publicè de delicto. Barbos. *loco citato, & allegat.* 39. *post. num.* 44. *versic.* 10. Item, si hæc suspensio sit occulta, poterit absolui ab ea per Bullam Cruciatæ, vt dixi in eius expofit. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 15. & docet Ledesma *vbi supra diff.* 5. *versic. Digo lo segundo.* An autem per Bullam tolli possit irregularitas, dixi *loco citat. dub.* 17. Aduerte tamen sic suspensum, si postquam iam est absolutus, & dispensatus, celebrat ante adeptam legitimam ætatem, peccare mortaliter vt dictum est *in* 3. *conclus.* non tamen contrahere irregularitatem, quia id non est expressum in iure, Villalob. 1. *p. tract.* 11. *diff.* 11. *n.* 7.

10 Nota Bonacinam *dict. disput.* 8. *quæst. vnic. p.* 5. *num.* 13. quam sequitur Barbos. *dict. allegat.* 16. *num.* 16. existimare eum, qui ante legitimam ætatem ordinatur sacerdotio, aut in tempore interdicto, vel sine titulo, aut ab alieno Episcopo, aut extra tempus, incurrere irregularitatem, eo in puncto, in quo cum Episcopo concelebrat. At verius existimo tunc non fieri irregularem, sed suspensum, quia susceptio ordinis, & concelebratio censetur vnicus actus moralis, ideo non debet duplici pœna puniri, sicque non fier irregularis, nisi postea suspensione manente, in ordine ministret, vt docent Quaranta *in sum. Bullar. verb. Ordo, verbo ampliatio illa.* Suarez *tom.* 5. *disput.* 31. *sect.* 1. *num.* 71. Sayrus *de censur. lib.* 4. *capit.* 16. *num* 23. *& lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 11. Henriq. *libr.* 14. *cap.* 3. *n.* 6. *in fin.* & alij.

11 Nota secundò, non solum Clericos, qui ordinantur ante legitimam ætatem, contrahere hanc suspensionem, modo explicato *in* 3. *concl.* sed etiam omnes regulares, etiam exemptos, Villalob. 1. *p. tract.* 11. *diff.* 11. *num.* 8. Ledesm. *in sum. cap.* 7. *de ordin. concl.* 1. *diff. vlt.* & alij, à qua regulares nec à Prælatis suis, nec ab Episcopo, sed à Papa absolui poterunt, vt cum aliis tenet, & probat Barbos. *alleg.* 16. *citata n.* 24. & 25. & Say. *sup. n.* 13. & 14. videndi.

D v b. XI.

De suscipiente, & qualitatibus ordinandi.

1 Multæ sunt qualitates, seu conditiones, quæ requiruntur in suscipiente, seu subiecto huius Sacramenti, quarum aliquæ sunt de ius substantia; aliæ verò solum ex præcepto, vt constabit conclusionibus seqq.

2 Dico igitur primò, de substantia huius Sacramenti est, vt illud suscipiens sit verè baptizatus: est communis sententia D D. nam character ordinis necessariò supponit characterem baptismalem, vt suo loco dixi, & constat ex cap. *veniens de Presbytero non baptiz.* proinde dicitur Baptismus ianua omnium Sacramentorum. Hinc sit inualidam esse ordinationem eius, qui se credit baptizatum, si reuera non est baptizatus, vt bene probat Barbos. *de offic. potest. Episc alleg.* 2. *n.* 10. 11. 12. & 13. nam de iure diuino requiritur Baptismi character, cuius defectus non potest ab Ecclesia suppleri, sic etiam non est valida absolutio data à non Sacerdote, quamuis communiter existimetur Sacerdos, si reuera non est.

3 Dico secundò, de necessitate Sacramenti est quod ordinandus sit vir, & non mulier. Ratio est, quia mulieribus non licet loqui in Ecclesia, sed tacere, 1. ad Timoth. 2. nec habere superioritatem, sed esse subiectas, consequenter non poterunt validè ordinari, eo quod ratione ordinis deberent loqui in Ecclesia, administrare, & docere. Quod si dicas, *Can. Diaconissam* 27. *quæst.* 1. *Can mulieres dist.* 32. fit mentio mulierum Presbyterarum, & Diaconissarum, quæ prohibentur ordinari ante quadragesimum ætatis annum. Respondet Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *c.* 4. *num.* 73.

4 Intelligi per Presbyteram, vxorem Presbyteri, vel fœminam seniorem, nam Græcè idem est Presbyter, quàm Latinè, senior: per Diaconissam autem intelligi Abbatissam, quæ antiquitus per quandam benedictionem recipiebat potestatem legendi Euangelium cum Homilia in matutino, sicut Diaconi faciunt, sed id faciebant illæ sine vllo ordine. Respondeo secundò, illas mulieres Diaconissas fuisse absque vllo ordine destinatas ad quædam obsequia diuina, videlicet ad instruendas mulieres catechumenas ad baptismum, & Presbyteras non fuisse insignitas sacro Ordine Presbyteratus, sed habuisse curam quarundam rerum Ecclesiæ. Ita Valencia *tom.* 4 *distinct.* 9. *quæst.* 4. *part.* 1. *ad finem*, & cum eo Bonac. *tom.* 1. *disp.* 8. *quæst. vnic. part.* 5. *n.* 5. Vel dici Diaconissas, quia erant vxores Diaconorum, Henriquez *lib.* 15 *c.* 8. *n.* 6. Coninck. *disp.* 20. *n.* 94. & Barb. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 10. *c. n.* 14.

5 Dico tertiò, hermaphroditus, si æquè, aut magis participet sexum fœmineum, validè non potest ordinari, Valentia *supr.* Suarez *tom.* 5. *disput.* 51. *sect.* 1. Henriquez *libr.* 10. *cap.* 16. Sayrus *de censuris lib.* 6. *c.* 8. *n.* 24. si verò præualeat sexus virilis, validè, sed non licitè potest ordinari, quia vt docet Suarez *supra*, talis est irregularis, & est monstrum. Nauarr. *capit.* 27. *num.* 193. *ex cap. illiteratus. dist.* 36. *& capit. fin. dist.* 49. contra Toletum *lib.* 1. *c.* 63. *num.* 6. existimantem, hunc non esse irregularem, si id non est notorium.

6 Dico quartò, ordinandus debet habere vsum rationis, non vt valida sit ordinatio, nam *dub.* 10. *n.* 1. & 2. diximus infantes, & amentes validè posse ordinari; sed vt licitè, & sine peccato ordinari possint, quia ex præcepto Ecclesiæ requiritur ætas legitima ad ordines suscipiendos, & vsus rationis ad illos exercendos, ita communis Doctorum.

7 Dico quintò, ad suscipiendos ordines requiritur ætas legitima, non de substantia ordinis, sed de præcepto Ecclesiæ, vt dictum est, *dict. dub.* 10.

8 Dico sextò, requiritur etiam, quòd ordinandus sit confirmatus, ordinatio tamen aliter facta, erit valida, sed non licita, ita Suarez *disputat.* 38. *sect.* 2. Sotus *distinct.* 25. *q.* 1. *art.* 4. *versu finem*, Henriquez *lib.* 10. *capit.* 14. Bonacin. *supra num.* 9. & alij. Prior pars patet, quia ordo non supponit necessariò characterem confirmationis, vt ibi dixi. Posterior patet ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. vbi prohibentur initiari tonsura, qui Sacramentum confirmationis non susceperunt: existimo tamen cum Coninch. *tom.* 1. *quæst.* 72. *art.* 8. *n.* 90 *& tom.* 2. *disp.* 20. *dub* 10. *num.* 101. & Syluestr. *verb. Ordo* 2. §. 1. esse valde probabile, solum peccare venialiter eum, qui ordinatur, non suscepto Sacramento confirmationis, nam in iure nullum est præceptum id conuincens, nec verba Tridentini tantæ sunt virtutis, quæ conuincant esse mortale, nec datur inter confirmationem, & ordinem maxima dependentia; esset tamen graue veniale, vbi que Episcopus tenetur adhibere diligentiam, ad videndum, an hic sit confirmatus, at si ordinaret non confirmatum, solum peccaret venialiter,

nialiter, aliquando tamen posset credere ordinando ignoranti, se esse confirmatum. Ledesm. *in sum capit. 6. de ordine conclus.* 3. cum Soto *in 4. distinct. 7. artic. 6. & 8. & distinct. 24. articul. 4.* vnde solum peccat venialiter Episcopus ordinans non confirmatum. Diana cum aliis, *part. 3. tractat. 4. resolut.* 24. quamuis Bonacin. *sup num.* 10. non facilè admittat, sic ordinatum non peccare mortaliter, eò quod existimet in re graui facere contra Tridentini decretum, & consuetudinem Ecclesiæ, non tamen hic, nec ordinans fiunt irregulares, quia non habetur in iure. Ledesma *sup concl. 9 in fin.*

9 Dico septimò, ordinandus debet esse initiatus prima tonsura, vt patet ex communi vsu, & praxi, valida tamen est ordinatio ante primam tonsuram, nam nullo iure reperitur necessaria prima tonsura ad validitatem ordinis. Tolet. *lib. 1. cap.* 71. Bonacin. *sup. num.* 11. cum S. Thom. *quaest.* 38. *add. artic.* 5. peccat tamen mortaliter suscipiens ordinem sine tonsura, vt existimant Bonac. *supr.* Toletus, *lib. 1. c. 71. n.* 6. & alij, nam agit contra vsum Ecclesiæ in re graui, cum tonsura sit præparatio ad ordines: peccaret etiam mortaliter Episcopus talem ordinans, atque ita sub mortali tenetur præmittere diligentias, vt constet de prima tonsura; probabile tamen est, nec ordinatum sic, nec ordinatorem peccare mortaliter, vt docent Suar. *tom. 2. disp.* 38. *sect.* 1. Nauarr. *capit. 22. n.* 9. & cum aliis Diana 2. *part. resol. 4. tract.* 16. quia aiunt in Tridentino nullum esse verbum id strictè præcipiens initiandis sed tantum præscribitur Episcopis, quid facere debeant.

10 Dico octauò, in ordinandis, non de necessitate Sacramenti, sed præcepti requiritur scientia: patet ex Tridentino, nam *sess.* 23. *cap.* 4. statuit, vt primo tonsurandus sciat rudimenta fidei, legere, & scribere, sufficit autem quod sciant legere, aut scribere lingua vulgari, aut materna. Azor. *tom. 2 lib. 6. cap. 6 quaest* 2. Campanil. *rubr. 5. capit. 2. num.* 2. & Barbos. *supra alleg. 11. n.* 6. Præcipit etiam Concilium, vt ij non initientur prima tonsura, si Sacramentum confirmationis non susceperint, & de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis iudicis fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse: quare peccat mortaliter, qui accipit coronam, vel quatuor minores, vt fugiat iudicium sæculare, vt docent Barbosa *supra n.* 12. Ledesma *in sum capit. 7. de ordine conclus.* 3. valde tamen probabile est, imò probabilius existimat Diana *part. 2. tractat. 16. resolut.* 22. cum Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 41. n. 16. &* 17. & Coninch. *de Sacram disp. 20. n. 104 & 105.* non peccare mortaliter eum, qui suscipit coronam, aut quatuor minores, animo non ascendendi ad alios ordines, sed tantum vt gaudeat priuilegio fori, & exemptione à tributis, nam Tridentinum solum vult ostendere quid ipsa decenti, & illius status reuerentia postulet, ideoque non vtitur verbis præceptiuis sufficientibus ad obligationem peccati mortalis, non autem requiritur, vt vlterius progredi intendat, sed sufficit velle in eo officio seruire Deo. patet ex Trident. *vbi sup.* Item, ex ipso Trid. *sup. cap.* 11. in promouendis ad quatuor minores, vt saltem sciant, & intelligant linguam Latinam: vnde peccant mortaliter ordinator. & ordinatus, si non adest talis scientia: in iis verò qui initiandi sunt Subdiaconatu, & Diaconatu, requirit Tridentinum *c.* 12. linguam Latinam, & cognitionem, quæ pertinet ad istos ordines, & *c.* 14. in sacerdotio requirit eam scientiam, qua possit populum docere necessaria ad salutem, riteque administrare Sacramenta *cap.* 14. sed de iis *infra dub. 14. n.* 13.

11 Dico nonò, ordinatus, non vt valida, sed licita sit ordinatio, debet habere titulum beneficij, vel patrimonij, si sit sæcularis; si verò sit Religiosus, debet esse professus; ad quem vltimum titulum reuocatur titulus Societatis Iesu post biennium probationis, vt cum Reginald. Bonac. *tomo 1. disp. 8. quaest. vnic. part. 5. num.* 31. vide Tridentin. *sess. 21. capit. 2. de reform.* At quia circa hæc se offerunt multæ, & difficiles difficultates, proinde operæ pretium duxi, eas seorsum, propositis de singulis quibusdam dubiis, infra explicare.

12 Dico decimò, ordinari non potest licitè irregularis; nam irregularis inhabilis est ad ordines suscipiendos, vt patet in materia irregularitatis, valida tamen ordinatio, quia etsi à iure Ecclesiastico sit inhabilis, de iure tamen naturali, & diuino, non est incapax, vt de se patet: hinc fit non posse licitè ordinari hos irregulares, vt sunt: primò, bigami, quia non repræsentant vnionem Christi cum Ecclesia, vt est is, qui duas duxit vxores, & cum duabus matrimonium consummauit, aut si duxit iam ab alio corruptam, aut si duxit virginem, cum qua consummauit, si postquam illa adulterauit, eam cognouit. Item, nec ordinari possunt corpore vitiati, qualis esset insignis macula in oculo, nasi amputatio, gibbus valde magnus, leprosus, aut carens aliquo membro corporis; potest tamen initiari surdaster, ille scilicet, qui difficilè audit, vel altera tantum aure surdus est, quia id nullo iure prohibetur, & ex alio capite hoc vitium non inducit nimiam deformitatem apparentem. Sayrus *de censuris, lib 6 capitul 8. num* 17. Bonacin. *de censuris disput. 7 quaestio 2 punct. 2. n.* 7. Iacob. de Graff. *decis aur. lib. 4. capitul 27. num.* 5. & cum his Diana 2. *part. tractat.* 17. *resolut.* 20. Item, nec illegitimi, quia ordo ponit in quadam dignitate, ad quam decet, eos esse claros natalibus, & quia non repræsentant Christum Filium verum, & legitimum. Item, qui non habent legitimam ætatem, vt *sup. dub.* 10. Item, nec ordinandi sunt illiterati, qualis autem scientia requiratur, dixi hoc *dub. num.* 10. Nec qui carent libertate; sic non sunt ordinandi serui, nisi Dominus illum manumittat, & liberum faciat; nam Ecclesiæ ministerio mancipatus, liber esse debet, *distinct. 54. per totam*, ordinatio tamen tenet. S. Thom. *q. 39 and art.* 1. est enim subiectum de se capax. At si seruus ordinatur, Domino sciente, & non contradicente, manet liber. *Can. si seruus sciente.* Quòd si Episcopus sciens illum ordinauerit, Domino id ignorante, tenetur Episcopus eum redimere. *Can. si seruus nesciente*, si verò seruus inscio Domino, ac Episcopo, se ingereret ordinibus, si habet vnde, tenetur se redimere, aliter non poterit vti ordinibus sine licentia Domini: non tamen licet ordinato in sacris, fieri seruum, vide Ledesmam *in summ capit. 6. de ordine, conclus.* 9. Item, nec vxorati, nisi separentur. & vxor ingressa Religionem profiteatur, de quo latius *infra libr.* 8. Item, nec obligati ad ratiocinia, nam etsi liberi sint, Ecclesia tamen eorum ordinatione infamatur, *cap. vnico de obligat. ad ratiocinia.* Item, nec peregrini, nisi habeant literas authenticas, sui Ordinarij. Idem dic de ignotis Episcopo, quousque per literas, vel testes noti fiant; non tamen ij propterea sunt irregulares. Item, nec ordinandi sunt irregulares, ex defectu lenitatis, vt qui voluntarie sunt causa mortis alterius alioqui iustæ, vel abscisionis membrorum, non enim ij repræsentant Christi mansuetudinem, & lenitatem, qui nullius, sed proprium sanguinem pro nobis fudit. Item, nec

irregula

irregularis ex peccato, vt homicida voluntarius, facto, opere, consilio vel auxilio, tum etiam mutilans se ipsum, aut alium, ad quod reducitur homicidium casuale culpabile; aut si censura irretitus ministrauit in Ordine sacro: aut si exercuit actum ordinis, quem non habet; aut si contraxit infamiam ex delicto proprio, aut si est hæreticus, aut eius filius, aut credens iis, aut fautor. Item, nec ordinari potest excommunicatus, suspensus, aut interdictus, quia non possunt ij actum ordinis exercere. Vide de iis Doctores agentes de censuris, & irregularitate, præcipuè Suarez *tom. 5. vbi de irregularitate, à disp.*40. Saytum *lib.* 6. Bonacinam *tom.* 1. *disput.*7. *de irregularitate:*& Henriquez *libr.*14 *à capit.*4.*ad* 8. Filiucium *tom.* 1. *tractat.* 18. & Villalobos 1. *part. tractat.* 21. & in terminis quoad hunc effectum, Barbosam *de offic. & potest. Episcopi allegat.* 10. *à num.* 24. ac Ledesmam *in summ.capit 6 de ordine.*

13 Dico vndecimò, adultus suscipiens ordines debet habere intentionem suscipiendi hoc Sacramentum, sicut Christus instituit, & alij fideles suscipiunt, aliter Sacramentum non est validum, patet ex dictis de Sacramentis in genere, *lib.* 1. *c.*3. *dub.* 2. vnde ordinatus omnino inuitus, & absque consensu non est ordinatus: secus tamen si ordinationi consentit, quamuis ex metu graui cadente in virum constantem, nam cum inuoluntario mixto subsistit intentio sufficiens ad suscipiendos, sicut ad seruanda præcepta:est commune apud Henriquez *c.*14. *de ordine, num.* 3. Dubitant tamen Doctores an ordinatus per motum grauem teneatur ad castitatem, quidam affirmant; verius tamen est non teneri, vt docent Henriquez *vbi supra num.*3. *lit. Z.* Sotus *in* 4 *distinct.* 25. *quæst.*1. *artic.*2. Ledesma *in sum.capitul.*6.*de ordine,conclus.* 1.*diff.* 6. Bonacina *quæst.* 3. *de matrimon. puncto* 9. *num* 11.*&* 12. cum multis Sanchez *lib.*7.*disput* 29. *num.*5. & dixi *supra dub.*4.*in fin.*& Filincius *tom.*1. *tractat.*9. *capitul.*4. *num.* 74. vbi dicit; sententiam esse iam vsu probatam,& praxi sacræ pœnitentiariæ, etiam quoad forum interius, & coram Deo; nam votum ex metu graui extortum non subsistit, eo quod pendeat ex voluntate libera, & non coacta; proindeque non erit validum, & Ecclesia suo statuto non intendit facere inhabilem ad matrimonium, nisi eum, qui sponte suscipit ordines, vt ex multorum sententia docet Henriquez *vbi supra*, vnde talis posset contrahere matrimonium, etiam sine dispensatione, Nauarr *cap.*22.*num* 15. non tamen vti iam contracto, vt dicit Syluest. *Ordo* 4. *num.*2. Consequenter dicendum, hunc non teneri ad diuinum officium recitandum, Coninch. *disp.* 20. *dub.*11.*num.*50. Bonacin.*loco cit.n.*12.& Sanch. *vbi sup.*

14 Dico duodecimò, suscipiens hoc Sacramentum debet accedere absque conscientia peccati mortalis, non vt Sacramentum valeat,sed ne peccet, ponendo obicem gratiæ sacramentali, vt diai *dub.* 1. *versic. Colligitur secundò*, qui si est in peccato mortali, sufficit quòd se disponat per contritionem nec tenetur ad confessionem, nisi suscepturus sit Eucharistiam, vt ibi diai, & docet cum aliis Bonac. *disp.*8 *q vnic punct.*5. *n* 41.

15 Decimo tertiò, ordinandus, est examinandus ab Episcopo, modo vt in *dub.*14.

16 Decimo quartò, ordinandus vti debet vestibus ab Ecclesia præscriptis, vt in *dub.* 15. vbi de earum significatione.

Dvb. XII.

Vtrum ad suscipiendos ordines requiratur titulus Beneficij, seu patrimonij.

1 Loquimur de Clericis sæcularibus, nam in Religiosis professis sufficit pro titulo ipsa professio, vt tenet Henriq. *lib.*10.*c.*17. *n.*3. & DD. communiter, & comprobat praxis communis, & colligitur aperte ex Trid. *sess.*21. *c* 1. *de reform.* vbi agens de titulo ad ordines requisito, solum loquitur de Clericis sæcularibus,& idem Pius V. in quadam constitutione anni millesimi quingentesimi sexagesimi octaui, quæ in ordine est septuagesima quinta. Et quantum ad Patres Societatis Greg. XIII. in constit. quæ incipit: *Ascendente Domino*, anno millesimo quingentesimo octuagesimo octauo declarauit posse de licentia sui Generalis post tria vota facta post biennium tyrocinij,absque alio titulo ordines suscipere, Villalob. 3. *part. tract.*21. *diff.*15.*num.*12. vide Henriq.*lib.* 10.*c.*17.*n.*3. Suar. *tom.*5.*disp.*31.*sect.*1.*n.*38.& cum aliis Barbos.*de off. & potest. Episc.alleg.*19.*à num.*4.*vsque ad* 7.loquimur ergo de Clericis sæcularibus.

2 Suppono tamen tanquam certum, non licere cuipiam Clerico sæculari, suscipere sacros Ordines, nec Episcopo illum ad eos admittere, nisi habeat aliquem titulum, v. g. Beneficium, aut patrimonium vel pensionem, prout Episcopus iudicauerit expedire,prout statuit Trid. *sess.*21. *de reform.*& tenent communiter DD. Dixi *ad sacros Ordines*,quia de illis solis loquitur Trid. vnde ad suscipiendos minores,& primam tonsuram,nullus titulus requiritur,sed sufficit sola volūtas,& arbitrium prudentiale Episcopi, prout ipse iudicauerit necessitati, vel vtilitati Ecclesiæ expedire: ratio est quia in minoribus existens potest retrocedere ab ordine clericali, & vxorem ducere. Ita Ledesm. *in sum.c.*7.*de ordin. in fin.* Garc *de Benef.p* 2. *c.*5. *n.*4. Campan.*rubr.*8.*c* 1.*n* 5. & cum aliis Barb. *sup. n.*3. Quare dubium solum procedit de Clericis sæcularibus quoad ordines maiores, seu sacros, & primum de titulo Beneficij.

3 Dico primò, Beneficium, ad cuius titulum est sacris ordinandus,debet esse tale,vt sufficiat ad honeste viuendum,vt statuit Trid.*sess.*21.*c.*2.*de reformat.*ibi: *Nisi prius legitime constet,eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.* Quod quidem sanctissime decretum est ne scilicet cum ordinis dedecore mendicet infelix in platea Clericus, & seruili opera mancipatus publicè à quolibet poscat eleemosynam, vt habetur *in c. Diaconi sunt,dist.*99. Quare diligenter curare debet Episcopus,ne quis carens titulo sufficienti ad victum ordinetur: aliter enim ordinatio sine titulo facta,vacua habetur,*in ea.neminem,dist.* 70.*& c.sanctorum,eadem dist.* vbi gloss *vacuam*, id est, *irritam*,quoad executionem tantum, illam appellat Barbos. *sup. n.* 2. Ex quo fit,decretum Tridentini obligare sub mortali, ideoque tam Episcopus ordinans, quàm ordinatus sine titulo,peccant mortaliter,& incurrunt pœnas, de quibus infra.

4 Dico secundò, Beneficium debet esse tale vt sufficiat ad Clerici victum, ita expresse Trid. *dict. sess.*21.*c.*2.& satis est, quòd sufficiat ad honeste viuendum ex Trid. cit. id est, quòd sufficiens sit ad honestam, & commodam sustentationem cuiuslibet Clerici, nec opus est attendere ad qualitatem ordinandi,vt nobilitatem,&c. nam Concilium, & ius antiquum solum requirit sufficientiam ad honesto

neste viuendum, ita vt non cogatur mendicare. Ita Ledesm. *in sum. 1. par. c. 7. de ordin.* & Garc. *sup. n. 144.* vnde Beneficium sufficiens ad sustentandum hominem communem, sufficit etiam ad ordinandum nobilem, vt practicatur in hac Diœcesi Valent. Concilium enim. Trid. loquitur de Beneficio sufficiente ad victum simpliciter, non autem ad viuendum honeste secundum personæ qualitatem, vt explicat Flamin. *de resig. l. 5 quæst. vl. n. 156.* aliqui tamen vt Villal. *sup n. 2.* tenet requiri quòd sit sufficiens ad victum, honeste, considerata personæ qualitate cui fauet Trid. *sess. 14 c. 17 de reform. & d. c. 2.* illis verbis: *Quod sibi ad victum honeste sufficiat.* At hæc verba explicari possunt, vt sustentatio honesta esse debeat respectu ordinis clericalis in communi, non verò qualitatis in particolari. Et quoniam à Trid. *vbi sup* non est præscripta certa quantitas in Beneficio ad victum, ipse Episcopus arbitrabitur quod Beneficium sit sufficiens ad victum, & ordines suscipiendos, Henriq. *sup.* Garc. *loco cit. n. 112.* Barbos. *dict. alleg. 19. n. 11.* & alij communiter. Vt autem rectè arbitretur Episcopus, debet attendere loci consuetudinem, & personæ qualitatem: de quo Azot. *tom. 2. lib. 6. c. 10. quæst. 8.* & cum aliis Barbos. *sup. n. 12. & 13.* quòd si Beneficium non sit sufficiens, poterit Episcopus illud simul cum patrimonio, ita vt hæc duo sufficiant ad victum, ordinare, vt tenet Quatant *in sum. bullarij, verb. Ordo,* Zerola *in praxi, verb. Dimissoria, vers. Secundo,* & cum aliis Barbos. *sup. n. 14* si verò Beneficium, aut patrimonium, non sufficiant ad victum modo dicto, nisi iungantur pitantiæ, eleemosynæ, anniuersaria, & alia emolumenta, quæ ex celebratione Missarum in exercitio sacrorum ordinum percipere, & lucrari possunt, quæ omnia ad victum honeste sufficiant, tunc non posse promoueri refert decisum Garc. *d. c. 5. n. 116.* At in nostra Diœcesi Valent. tum etiam Dertusensi, & Segobricensi communiter admittuntur ad ordines, si Beneficium, aut patrimonium, sit sufficiens simul cum distributionibus, percactis, & aliis emolumentis Ecclesiæ.

6 Dico tertiò, Beneficiatus debet pacificè Beneficium possidere, vt eius titulo ordinari possit: habetur expressè in Trid. *sess. 21. c. 10. de reform.* ibi: *Pacifice possidere.* Ille autem dicitur pacificè possidere, qui nullam patitur iuris, vel facti controuersiam in iudicio, vel extra: vel breuius, ille dicitur pacificus possessor, qui sine lite possidet, Nauarr. *de orat. not. 23 num. 69* Rebuf. *in tract. de pacif. possess. 1065.* & cum alis Barbosa *sup n. 16.* Hinc fit, non posse ordinari possidentem Beneficium litigiosum Nauarr. *de orat. not. 13. n. 69* & communiter DD. ex Trid. *vbi sup.* Litigiosum autem Beneficium dicitur, & non pacifice possessum, citatione, si ipse iudex, & reus facti certi sint de re ipsa, pro qua contenditur, si tamen citatio circumducta sit, non efficit litis pendentiam; nec si lis cum falso procuratore contrahitur, nec si non adest iurisdictio. Item, dicitur Beneficium ligitiosum si mota sit lis super possessione quia non pacifice possidet. Barbos. cum aliis videndus *d alleg. 19 n 17. 18. 19. & 20.* Sequitur etiam, ordinari non posse eum, qui certò speràt aliquod Beneficium: nec sufficit esse electum, vel nominatum ab examinatoribus: sic ab iis electus ad aliquam Rectoriam, cuius confirmatio spectat ad Pontificem, non potest initiari, dum Bullas expectat: nec qui habens titulum, & collationem Beneficij à Papa, vel Epis. datam, impeditur tamen, licet iniuste, à sæculari Iudice, ne possessionem obtineat: at si hic bona fide ordinaretur putans sibi licere, nó incurreret suspensionem; sicut nec ille, qui bona fide putans habere patrimonium verum, ordinatur, cum re vera non habeat, quia patet fraude vsus fuit: ratio est, quia vbi non est culpa, nec pœna, vt tenet Ledesm. videndus *c. 7. de ordin. concl. 9. & 8.* & dicetur infra. Ordinari tamen poterit ille, qui pacificè possidet Beneficium, quamuis lis mota sit super censu, prædio, aut domo Beneficij, Rebuf. *in tract. de pacif possess. n. 168.* sicut etiam ille, qui Beneficium detinens eiusque liberum habens curæ exercitiũ, aliquam tamen portionem non percipit, dummodo maiorem partem fructuum habeat. Barbos. cum aliis *sup. num. 21.*

6 Dico secundò, titulus Beneficij requisiti ad ordines suscipiendos non debet esse temporalis, sed perpetuus (idem de patrimonio) deducitur apertè ex Trident. *vbi sup.* nam intendit Tridentin. vt ordinatus, dum viuit, habeat vnde viuat. Ita DD. citandi, & communiter omnes: vnde ordinari non potest quis ratione Vicariæ temporalis (benè si sit perpetua, quia est hæc Beneficium) nec ratione Capellaniæ amouibilis, seu tẽporalis, nisi sit perpetua: obtinens autem Capellaniam in capella Papæ, licet sit amouibilis, potest ad illius titulum ordinari, vt refert Nau. *cons. 1. de temp. ord.* Ricc. *in praxi fori Eccles. resolut. 334. in fin.* & Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg. 19. n 30.*

7 Nec potest ordinari quis ad titulum seruitij in aliqua Ecclesia, cui adscribatur, nisi tale seruitiũ sit perpetuum, dependens à voluntate Episcopi, de quo Marc. Anton. Genuen. *in prax. Archiep. 81. sub. n. 2.* Campan. *d. c. 4. n. 14.* & Barb *sup. n. 26.* Sic nec potest ordinari cooptatus in Collegium seminarij, ad titulum seminarij, nisi ob causam seruiendi Beneficio seminario vnito, donec sibi sit prouisum de congrua sustentatione, cum assignatione tamen certi annui redditus, vnde viuere possit. Genuen *sup.* Garcia *part. 2. de benef. c. 5. n. 104.* Barbos. *sup. n. 31.*

8 Poterit verò quis ordinari Ratione coadiutoriæ, si perpetua est, & habet fructus assignatos congruentes sustentationi, nam sic habet se, vt Vicaria perpetua: secus autem si non sit perpetua, vel si non habet fructus designatos sustentationi, Garcia *sup. n. 132.* Ledesm. *in sum. m. c. 7. de ordine conclus. 11. dub. 2.* Barbos *supra n. 23.* Sic etiam poterit quis ordinari ad titulum Beneficij consistentis in distributionibus quotidianis, quia licet hæ non computentur in valorem Beneficiorum nec fructuum appellatione veniant. Rota *decis 134 fine 8. de prebend. in nouis & decis. 766. alias 39. in antiquis*, in hoc tamen casu computantur in valorem cum satis sit Beneficiatum illarum causa non laborare inopia, Campan. *rubr. 8. c. 5. n. 19.* Barb. *sup. n. 24.* Ordinari etiam potest quis ratione præstimonij, si est perpetuum, & habet annexum aliquod spirituale officiũ, nam sic est perpetuum, alias non. Ledesma *sup. conc. 12. dub. 1* Item, nec ordinari potest quis ad titulum pensionis, quia non est beneficium. Ledesm. *sup. concl. 12. dub 2.* limita, nisi aliud expedire iudicet Episcopus, modo vt infra agentes de patrimonio.

9 Nota Tridentinum *sess. 21. c. 2. de reform.* postquam decreuit, titulum Beneficij requiri ad Ordines suscipiendos, addere, non posse Beneficiatũ resignare Beneficium ad cuius titulum fuit ordinatus, nisi de huc fiat expressa mentio, & quòd non admittatur ea resignatio, nisi constet, quòd aliunde viuere possit, ex quo colligunt DD resignationem aliter factã esse irritam, & resignantem non abdicasse à se dominium, competereque ei actionem spolij, consequenter posse reassumere Beneficium sic resignatũ de quo Campan. *rubr. 8. c. 6 n. 2.* Gar *sup. p. 2. c. 3. n. 192. & seqq.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancel. gl. 5. §. 10 n. 35.*

Ledesm.

Ledesm.*sup.concl.*10.& cum aliis Barb.*d.allegat.*19. *à n.*31.Potest tamen Papa dispensare in hoc, communiter tamen non facit, sed obseruat Tridentini dispositionem:vnde fit,vt sit irrita resignatio Beneficij curati, ad cuius titulum quis fuit promotus, retenta tamen pensione vt centum, si expresse non fiat mentio, quod ad eius titulum fuerit promotus, Ledesm.*dict. concl.*10. & refert decisum Garcia *sup. n.*215.& Barb.*loco cit.n.*42. valere tamen dictam resignationem affirmat Nauarr.*consil.* 40.*de renuntiat.in nouis.*Flamin *dict.l.* 29.6.*n.*41.Campan.*rubr.* 8.*c.*6.*n.*6.F.Manual.*tom.*2.*sum.c.*15.*n.*12.quia in hoc casu (dicunt) cessat causa finalis talis dispositionis,videlicet,dedecoris clericalis,cum habeat vnde viuat;at oppositum videtur verius ; nam Tridentinum expresse statuit, vt resignans faciat expressam mentionem Beneficij resignati , ad cuius titulum fuit ordinatus. ita idem Barbos.*num* 42.

11 Nota secundò,initiatum minoribus non ligari dispositione Tridentini, *sess.*21.*c.*2. *de reform.* quia de illo non fit mentio;vnde poterit Beneficium resignare,etiamsi non habeat vnde viuat.Garcia *dict. c.*5.*n.*203.& cum aliis Barb.*sup. allegat.*19.*n.*39. In sacris verò constitutus non potest vllo modo resignare Beneficium,etiamsi ad illius titulum non sit ordinatus, quamuis renuntiatio fiat in Curia , nisi habeat vnde viuat,inspecta qualitate personæ,loci, & temporis, arbitrio Episcopi , prout statuit Pius V. in constitutione,quæ incipit : *In quanta Ecclesia Dei.* Limita,nisi Religionem ingrediatur,vt habetur , in dicta constitutione. Vide de hoc Garciam *dict.c.*5.*n.*198.& Barbos.*sup.n.*41. & ibi alios.

Nunc de patrimonio requisito ad ordines suscipiendos, & pensione.

1 CONcilium Tridentinum *sess.*21.*c.*2.*de reform.* statuit,nullum Clericum sæcularem admittendum esse ad sacros ordines, nisi habeat Beneficium sufficiens ad victum. Addit hanc clausulam: *Patrimonium verò,vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint,nisi illi,quos Episcopus iudicauerit assumendos pro necessitate,vel commoditate Ecclesiarum suarum,eoque priùs perspecto , patrimonium, vel pensionem verè ab eis obtineri,taliaque esse,vt eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps alienari, aut extingui nullatenus possint,donec Beneficium ecclesiasticum sint adepti,vel aliunde habeant, vnde viuere possint , antiquorum pœnas super ijs innouando.*Ex quo decreto apertè constat,posse Episcopũ dispensare pro necessitate, vel commoditate suæ Ecclesiæ,vt ille,qui non habet titulũ Beneficij, possit ordinari titulo patrimonij, vel pensionis:requiri etiam causam iustam ad validitatem huius dispensationis denotant illa verba Decreti , *nisi illi, quos Episcopus iudicauerit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum.* Quare sublata causa,censetur etiam sublata facultas dispensandi per regulam , *c. cum cessante de appellat.* & in terminis tenet Nauarr.*consil.*14. *n.*1. *de temp. ordinat.*& cum eo Villalobos 1.*part. tract.*11. *diff.* 16. *n.*4.& Barbosa *de offic.& potest. Episc. allegat.* 19. *n.* 53. Ad cuius confirmationem refert Nauar. se vidisse Pimiæ negatam cuidam facultatem ascendendi ad Subdiaconatum,ob defectum tituli beneficialis,tametsi haberet matrimonium trium mille scutorum : quod fundatur illis verbis , *nisi illi, quos Episcopus iudicauerit assumendos.* Quæ quidem verba cùm denotent boni viri arbitrium, hoc est,voluntatem rationi submissam ; ideo si Episcopus legitimè non interponat arbitrium, Deum solummodò iudicem habebit , ac proinde non dabitur appellatio : quia superior non potest animum, & conscientiam inferioris mutare,& non posse appellare contra prohibitionem sui Prælati nolentis ordinare, aut de illo conqueri resoluit Riccius *in praxi fori Eccles.resolut.*393.*in addit.* 1. aliàs *resol.* 585.*in edit.*2.& censuit Rota,vt refert Barbosa *sup.* Constat etiam,decretum hoc obligare sub mortali,vt *supra,* dictum est,& tenet Nauar. *sup. cons.*22. & cum eo Villal *loco cit.* est enim materia grauis.

2 Dico tertiò,quantitas patrimonij,ad cuius titulum quis ordines susceptutus est,debet esse,vt fructibus inde perceptis honestè sustentari possit , vt insinuat Tridentinum *sup.* dum de titulo Beneficij loquitur, & dixi *hoc dub.num.* 3. & docent Riccius *supr.resol.*271.& cum aliis Barbosa *loco citat. n.*54. iudicium autem , seu designatio huius quantitatis patet ex Trident. *vbi sup.*Quare si Episcopus iudicasset, requiri pro patrimonio octoginta ducatos, & promouendus assereret, ac probasset se illos habere ; si reuera deficeret ab hac quantitate in notabili parte , v.g. si non haberet nisi quadraginta, aut quinquaginta , peccaret mortaliter,& incurreret suspensionem, da qua infra;quia ad Episcopum spectat determinare quantitatem, & si hanc fraudem sciret Episcopus, illum ordinasset , ideo ordinatur surreptitiè , & absque titulo : similiter peccat, & fit suspensus à fortiori ille , qui non habet patrimonium verum,sed fictum,donatione ficta factum,qui etsi ordinatus sit iam Subdiaconatu, non potest deinde initiari ordine Diaconatus, & Sacerdotij,nisi aliàs habeat verum titulum. Villalobos *supr.num.*5.& Barbosa *supr. num.* 57.

3 Quid si aliquis habeat reuera sufficiens patrimonium,non tamen vult Episcopus , illud sufficere,nec approbare?Quidam, refert Ledes. *in sum.* 1. *part.c.*7.*de ord.concl.*5.existimant,hunc non peccare,nec fieri suspensum;verius tamen , & tenendum est, talem peccare mortaliter, & incurrere suspensionem,quia reuera ordinatur absque titulo,& licẽtia Episcopi:& Tridentinum *sup.*disponit,non esse admittendos,nisi illos,quos Episcopus iudicauerit, considerata necessitate,vel commoditate Ecclesiæ; ergo nisi accedat iudicium,& approbatio Episcopi, patrimonium,& eius titulus non subsistunt , & ita resoluit Ledes.& dixi *hoc dub.n.*1.:At si pactum, & conditio in vero patrimonio adsit de illo reddendo,cùm ordinatus habuerit Beneficium sufficiens, vel aliàs vnde viuere possit , tunc nulla incurritur suspensio,nec peccatum,cùm non sit contra dispositionem Concilij Tridentini *in dict.c.*2.nec contra ius, Garcia *d.c.*5.*n.*169.& Barb. *sup.n.*59 qui *n.*60. consequenter resoluit non censeri , filium habere patrimonium, qui expectat ex bonis paternis , vel maternis amplam hæreditatem , aut quamuis habeat patrem diuitem, nam deficit iudicium, & approbatio Episcopi omnino requisita,vt dictum est; ideo si talis ordinaretur, fieret suspensus.

4 Nota,etsi aliàs donatio inter patrem , & filium inualida sit, facta tamen causa patrimonij ad ordines suscipiendos,valida,& irreuocabilis est. Campanilis *rubr.*9 *c.*6 *n.*10 & cum aliis Barbosa *sup. n.* 61.& 62.qui *n.*63.cum Campanili *dict.rubr.*8.*c.*5. *n.*14.& aliis tenet, posse filium cogere patrem , vt iustum sibi patrimonium constituat pro ordinibus, & matrimonio spirituali ; sicut potest illum constringere ad dandam sibi dotem pro matrimonio carnali,& *n.* 64. *& seqq.* cum Riccio *in praxi fori Eccles.decis.* 594. *in* 1. *edit. & resol.*522. *in* 2. *edit.* Campanili *dict.rubr.*8.*c.*6. *n.*11. contra Ledesmam *c.*7.*de ord.concl.*6.*ad fin.*Garcia *dict.c.*5 *num.*159 & alios

alios, exiſtimat probabilius, donationem filio factam pro ordinibus ſuſcipiendis, non deberi computari in legitimam.

5 Dico quartò, patrimonium debet eſſe perpetuum, ſicut Beneficium, & conſtitui ſuper re certa, & immobili; nam ſic conſtat eſſe ſufficiens ad ſuſtentandum Clericum. Vnde initiari quis non poteſt ratione, & titulo induſtriæ ſuæ, aut laboris honeſti, putà quòd ſit muſicus, magiſter grammaticæ, pictor, aut alterius licitæ profeſſionis, ex qua tantùm lucratur, quantum ſufficit ad honeſtam ſuſtentationem, prout referunt deciſum Garcia *dict. cap. 5. num.* 126. & Barboſa *num.* 71. ſic nec poterit ordinari ad titulum literaturæ, quantumuis ſit literis, gradu, & collegio inſignis. Ledeſma *ſup. ante vlt. concluſ.* Garcia *loco cit. num.* 128. vbi refert ita deciſum à S. Congregatione; nam Tridentin. *dict. cap.* 2. expreſſe expoſcit Beneficium, patrimonium, aut penſionem. At ſi magna ſit penuria, poterit quis non habens Beneficium, aut patrimonium, aut penſionem ordinari, modò adſit qui ei ſpondeat neceſſaria ſubminiſtraturum, prout deciſum à S Gregorio refert Barboſa *n.* 73. cum Campanili *rubr.* 8. *c.* 4. *num.* 6.

6 Dico quintò, poteſt quis initiari ſacris ad titulum penſionis: habetur expreſſe in Tridentino *cap.* 2. *de reform.* §. 21. dummodo tamen ſufficiens ſit ad ipſum honeſtè ſuſtentandum, prout de Beneficio, & patrimonio dictum eſt, & ſimul iudicet Epiſcopus aſſumendos pro Eccleſiæ neceſſitate, vel vtilitate, prout ex Armend. deciſum refert Barboſa *ſup. num.* 74. vbi etiam dicit reſolutum eſſe, poſſe Epiſcopum ordinare ſuum familiarem titulo penſionis, ſi pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum iudicauerit ordinandum; nam Tridentinum in hoc caſu abſolutè loquitur: intellige, modò aliàs ſuum familiarem ordinare poſſit, iuxta dicta *ſup dub.* 7, *num.* 28.

7 Dico ſextò, bona patrimonij, ſeu ipſum patrimonium alienari non poteſt ſine licentia Epiſcopi, vt habetur *in dict. c.* 2. ibi: *Atque deinceps ſine licentia Epiſcopali alienari, extingui, vel remitti nullatenus poſſit.* Per alienationem, quia nomen generale eſt, intellige venditionem, promiſſionem de vendendo, tranſactionem, ipſius patrimonij diuiſionem, permutationem, dationem in ſolutum, hypothecam, vt cum multis Barboſa *dict allegat.* 19. *à num.* 75. qui *num.* 87. ampliat, vt non tantùm huiuſmodi patrimonium alienari prohibeatur, ſed nec præſcribi tempore ordinario, prout in ſupremo Luſitaniæ Senatu iudicatum refert Melchior Phœbus eiuſdem Senatus, *deciſ. tom.* 1 2. *n.* 1.

8 Sed quæres, an ſi ordinatus titulo veri patrimonij, illud poſtea donet, extinguat, aut renunciet, aliterue alienet, peccet, valeat ordinatio, & incurrat pœnas, ſi id faciat abſque licentia ſui Epiſcopi Reſpondeo certum videri peccare, nam Trident. *ſup.* expreſſe prohibet, alienari abſque licentia ſui Epiſcopi, vt patet ex loco proximè citato. Difficultas tamen eſt, an ſit valida talis alienatio, Cenedo *in pract. qq can. libr.* 1. *quæſt.* 11. Campanilis *dict. rubr.* 8 *c.* 6. *num.* 8. quos ſequitur, & citat Barboſa *ſup num.* 77. & 90. exiſtimat, alienationem patrimonij, vel penſionis abſque licentia Epiſcopi eſſe irritam, etiamſi iam tunc habeat Beneficium, vel vnde viuere poſſit, quia Trident duo petit, & quòd habeat vnde viuat, & quòd adſit licentia Epiſcopi in tali alienatione; quod confirmare videntur illa verba, *vel remitti nullatenus poſſit*, nam dictio, *nullatenus*, tollit omnem potentiam alienandi, vt explicat ipſe Barboſa, vbi de dictionibus, *dict.* 152. *num.* 4 proinde Campanilis *dict. rubr.* 8. *capit. vlt. num.* 9. *verſ. & obuiam* abſolute tenet, renuntiationem patrimonij ſine Epiſcopi licentia eſſe, ipſo iure, inualidam: idem tenet Villalobos 1. *part. tractat.* 11. *diff.* 16 *num* 6. citans pro ſe Nauarr. *conſ.* 21. & 22 *de tempor. ordinat.* conſequenter diſcurrit, per talem alienationem non incurri pœnas iuris, videlicet ſuſpenſionem, eo quòd inualida ſit; nam ex regula iuris, *non præſtat impedimentum, quod iure non præſtat effectum*, peccauit quidem, ideo poterit arbitrio Ordinarij puniri. Ledeſma verò 1. *part. ſumm. c.* 7. *de ord. concl* 6. *dub.* 1.

9 Etſi exiſtimet probabilem dictam ſententiam, tenet tamen tanquam probabilius, reſignantem, vel alienantem patrimonium, aut penſionem, antequam habeat vnde viuat, aut Beneficium, peccare quidem mortaliter quia agit contra prohibitionem Tridentini, alienatio tamen erit valida, & illud verbum Tridentini, *nullatenus poſſit*, explicat, id eſt, non poſſit licitè, & abſque peccato; non enim, ait, Concilium reddit illum incapacem ad alienandum. Conſequenter ipſe Ledeſma *dub.* 2. *ſeq.* dicit, talem alienantem non incurrere ſuſpenſionem, citat pro ſe Nauarr *in man c.* 17. *n* 158. Gutierrez *l.* 2. *qq. can. quæſt.* 65. *num.* 11. & Salzedo *in pract. cap.* 18 *part.* 51. quia, inquit, Concilium *loco cit.* non deſignat aliquam pœnam, ſed puniendum eſſe arbitrio Ordinarij: & quamuis ipſum Concilium renouet iuris antiqui pœnas; tamen, vt docet Nauarr. *conſ.* 14. *de tem. p. ordinat* Concilium non loquitur de pœna ſuſpenſionis, de qua infra, ſed de alia pœna, *c. neminem de Presbyt* quam contrahebat ille, qui fraude & dolo accedebat ad ordines, decipiens Epiſcopum, dicendo ſe habere verũ patrimonium: & de obligatione, qua tenebantur Epiſcopi alere eum, quem ſcienter (ſecus ſi ignoranter) admittebant ad ordines ſacros, *ex cap. cùm ſecundum de Præb* Hæc autem non concurrunt in caſu dicto, ſic que, neque procedit in eo diſpoſitio Tridentini, nec pœnarum innouatio. Conſequenter concludit, in dicto caſu, in foro conſcientiæ, alienationem eſſe validam, etſi illicitam, & ſic alienantem non incurrere pœnas iuris. Quæ quidem opinio ſic explicata videtur admitti poſſe in foro interiori, iuxta quam, & à fortiori dici poteſt, eſſe validam patrimonij, vel pẽſionis renuntiationem, vel remiſſionem factam ab ordinato, poſtquam adeptus eſt Beneficium, vel aliunde habet, vnde honeſtè viuat: imò tunc poſſe fieri talem alienationem ſine licentia Epiſcopi, tenent Flam. *ſupra quæſt* 6. *num.* 16. Azor 2. *tom lib.* 3. *capitul* 4. *q.* 3. Garcia *dict. capitul* 5. *num* 180. Fundantur in illis verbis Tridentini *dict. cap* 2. ibi: *Atque ita illa ſine licentia Epiſcopi deinceps alienari, aut extingui, aut remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, vnde viuere poſſint.* Quo in loco Concilium ſolùm prohibere, videtur patrimonium alienari non poſſe, donec ordinatus habeat, vnde aliunde viuat; ergo quando habet, vnde viuat aliunde, non videtur prohibita talis alienatio, cùm dictio illa, *donec*, ſit reſtrictiua temporis, habeatque naturam ſuſpenſiuam, vt notant Surdus, Caſtan. Ceuallos relati à Barboſa *ſup. n.* 89. ideoque exiſtimo hanc opinionem valde probabilem, & conſequenter, & à fortiori dicendum, eum qui vero patrimonio, aut penſione fuit ordinatus, non incurrere ſuſpenſionem, ſi poſtea quando habet, vnde viuat aliunde, ſine licentia Epiſcopi patrimonium, aut penſionem alienat.

10 Nota, bona patrimonij, ad cuius titulum fuit quis ordinatus, habere priuilegia, quæ conceduntur

dantur iure communi bonis Ecclesiasticis, saltem interim quòd non extinguitur per adoptionem beneficij Ecclesiastici, de quo Cenedo *pract. qq. lib. 1. quæst. 11. num. 9.* tenetur tamen Clericus de eis soluere decimam, vt resoluit Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis. 605. in 1. edit. & resol. 519. in 2. edit.* non tamen pro collectis sunt obligata. Barbosa *sup. allegat. 19. n. 91.*

11 Nota secundò, donationem causa patrimonij factam, non esse insinuandam, sicut nec donatio dotis causa matrimonij carnalis, nec teneri donatorem de euictione, nisi ad eam se expresse obligauerit, de quo Campanilis *dict. rubr. 8. cap. 4. n. 4. vers. Verum.* & Barbosa *sup. allegat. 20. à num. 14.* vbi *n. 17.* addit bonam causam fouere eum, qui diceret, talem donatorem teneri de euictione, etiamsi expressè ad eam non se obligauerit; quia talis donatio non est simpliciter, & propriè donatio, sed quædam spiritualis merces, & præmium pro seruitiis Ecclesiæ exhibendis, consequenter non purè, & omnino liberaliter facta, sed ob causam piam, & quasi conditionaliter, ideoque non eget insinuatione, vt de talibus donationibus dixi in Decalogo *lib. 7. c. 17. dub. 10. num. 4.*

D v b. XIII.

Quas pœnas incurrant ordinatus, & ordinans absque vero titulo.

1 NOta, Sixtum V. Pontificem Maximum in constitutione, quam edidit contra Clericos malè promotos, quæ incipit: *Sanctum & salutare,* sub dat. Nonis Ianuarij 1588. suspendisse ordinatorem sine patrimonio à collatione ordinum, etiam ipsius tonsuræ, & ab executione munerum Pontificalium, & etiam interdictum esse ab Ecclesiæ ingressu; ordinatum verò ab executione, ministerio, & exercitio ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores perpetuò suspensum pronuntiat. Quam quidem constitutionem ad tollendos aliquos scrupulos moderauit, & ad terminos iuris communis, & ad dispositionem, & terminos sacrorum Canonum, ac constitutionum Pij II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum Canonum,* de qua *supra dub. 11.* & decretorum Concilij Tridentini restrinxit, & reduxit Clemens VIII. in constitutione, quæ incipit: *Romanum Pontificem,* edita 1595. pridie Kalend. Martij. Nec non censuras, & pœnas in eadem Sixti constitutione contra quoscunque (præterquam contra simoniacè ordinatos, & ordinantes inflictas, quas voluit in suo robore permanere) moderauit, & aboleuit; de qua constitutione Clementis Syrus *de censur lib 4. c. 17. ad fin.* Sanchez *lib. 6. de matrim. disput. 49. num. 10.* Gonçal. *ad regul. 8 Cancell. gloss. 5. num. 118.* Suarez *tom. 5. disput vlt. sect. 3. num. 41.* Nicolaus Garcia *de Benef. part. 2. c. 5. num. 70.* Quare tam contra ordinatores, quàm ordinatos sine titulo, hodie standum est pœnis à iure communi, & à Concilio Tridentino statutis, de quibus in sequentibus, & primùm de ordinatore.

2 Dico igitur primò, Episcopus ordinans sine titulo beneficij, patrimonij, vel pensionis, modò explicato in dubio proximo, tenetur prouidere ordinato de sufficienti beneficio, & interim sobministrare, vitæ necessaria, secundùm qualitatem personæ, loci consuetudinem, Ecclesiæque redditum. Ita habetur *in cap. cùm secundum de Præbend.* Glossa *verb. Necessaria in cap. Episcop. de Preb.* vbi Abbas num. 1. & cum aliis Barbosa *de off. & potest. Episcop. allegat. 10. num. 3.* Amplia primò cum Fism. *de resignat. lib. 1. quæst. 6.* etiamsi ordinatus haberet patrem diuitem: sed verius videtur oppositum, eo quòd pater teneatur alere filium, quiuimo potest filius patrem constringere non solùm ad alimenta præstanda, sed etiam ad sumptus, & expensas causa studij, vsque ad gradus adeptionem, etiamsi filius sit spurius, aut etiamsi inuitis, parentibus, filius litteris operam daret, vt cum aliis Barbosa *sup. à n. 4.* Quare Episcopus summa diligentia bonos ordinari parentem debet inducere, vt filio patrimonium constituat: quòd si tenuat, quia non habet, eo quòd bona consumpsit, vel quia istè filio alimenta denegat ob aliquod delictum commissum, Episcopus tenetur in continenti conferre beneficium & interim alimenta præstare. Barbosa *supra num. 10.* Amplia secundò, vt procedat dicta, dispositio capitis *cùm secundum*, etiam in Capitulo Sede vacante, eiusque Vicario, vbi literas dimissorias dederunt ad ordines sacros non habentibus vnde viuerent; nam eadem est ratio. Vgolio. *de potest. Episc. cap. 16. §. 15. num. 1.* vbi resoluit, ad idem teneri Episcopum alienum cui proprios in sua Diœcesi commisit in generali, vt suo nomine ordines in sua Diœcesi celebret; hic enim tenetur diligenter titulos inquirere, qui si alicui titulum non habenti ordines contulerit, ipse, & non proprius, teneretur ei alimenta præstare. Barbosa *supra num. 11.* Amplia tertiò, vt non tantùm Episcopus talem ordinans, verùm etiam eius successor tenetur sic ordinato alimenta præbere, sed eius etiam successor, ita vt Sede vacante, debeat alimenta ei præstare Capitulum, si sciens talem promotionem, ei non restitit. Henriquez *lib. 10. cap. 17. num. 4. lit. F.* Campsnil. *dict. rubr. 8. cap. 5 num. 21.* vbi dicit, quòd si Episcopus loco renunciasset, quia transfiturus ad alterius Ecclesiæ regimen; vel loco, & dignitati cessit, non ad illa adstringeretur, qui in ordinantis locum successerit, sed ipsemet ordinator. Barbosa *sup n. 13.* cum Campanili *vbi sup.* & aliis.

3 Quantum ad pœnas ordinati sine titulo, dico primò, de iure communi antiquo, *ex cap. neminem, & cap. sanctorum dist. 70.* statutum est, esse irritas, & inanes ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur, id est, esse irritas quoad executionem ordinum, consequenter tales ordinatos esse suspensos ab executione ordinum de iure antiquo: quod confirmare videtur Tridentio. *sess. 21. cap. 2. de reformat.* vbi simpliciter innouat pœnas Canonum: at quia non exprimit certam pœnam, dubitant Doctores, an Concilium innouet pœnas *dict. cap. neminem & cap. sanctorum.* an verò pœnas dicti capitis, *neminem*, an demum innouet omnium etiam prædictorum Canonum pœnas.

4 Prima opinio tenet, Tridentinum innouare omnium prædictorum capitum pœnas; tum quia vtitur numero plurali dicens, *pœnas innouando:* tum quia pœna dicti cap. *neminem*, tantum promotorem afficit, respicitque promoti fauorem; ideo istè credendum est, illam pœnam innouasse, quæ taliter ordinatum castigat, & habetur in *dict. c. neminem, & in cap. sanctorum:* hanc opinionem tenet Nauarr. *consil. 14. num. 4 & consil 46. num. 1. & 3. de temporib. ordinat.* Suar. *de censur disp. 31. sect. 1. post num. 35.* & Campanil. *dict. rubr. 8. c 5. num. 1.* cum hac distinctione videlicet, quòd Concilium dicto loco innouet pœnam cap. *neminem*, & cap. *sanctorum*, quoties ordinatus tantum in culpa fuit, decipiendo ordinatorem, & illi mentiendo se habere, titulum sufficientem, cui ordinator istè credens, aut

tor credere debens, ipsum promouit, quia sic ordinatus,& non ordinator est in culpa: pœnam verò dicti cap. *cùm secundum*, innouare dicit tantùm, quando ordinator fuit in culpa, eo quòd sciens illum non habere titulum, ordinauit.

5 Secunda opinio tenet, Concilium innouare pœnam suspensionis, de qua *in d. c. neminem, & in c. sanctorum.* ita Sanch *de matrimon. lib.* 6. *disputat.* 32. *in fin.* Bonac. *tom.* 1. *disput.* 8. *q. vnic. punct.* 5 *num.* 14. *vers. Vtraque opinio*, & alij apud Barbos. *sup. n.* 16. & Bonacin. *loco citat.* quia talis suspensio non est reuocata ab Innocent. III. *in c. cum secundum de prabend.* ideo videtur innouari à Tridentin. *loco citato.* ibi: *Antiquorum Canonum pœnas super his innouando.* Et facit quod in aliquibus codicibus Tridentini in margine huius loci citatur, *c. neminem, c. sanctorum, & c. tuis extra de preb.* tum quia id supponit Pius V. in Bulla edita anno millesimo qningentesimo sexagesimo octano, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, vbi Summus Pontifex supponens Clericos sæculares fine titulo promotos, esse suspensos, eandem pœnam extendit ad Religiosos sacris initiatos ante professionem, consequenter concludit hæc sententia, ordinatum cum ficto titulo, dolo, & fraude decipiendo ordinatorem, vt si fictis attestationibus, ostendat se facultates habere sufficientes ad titulum patrimonij, incurrere dictam suspensionem, quamuis nullum intercedat pactum de non petendis alimentis cum ipso ordinatore.

6 Tertia sententia tenet, per Concilium dicto loco solum esse innouatam dispositionem, dicti, cap. *cum secundum Apostolum de prebend.* consequenter sic ordinatum fine titulo non esse suspensum, neque aliquam pœnam incurrere, nisi pactum faciant cum ordinatore non petendi ab eo quidquam, vt *infra n.* 13. Ita Henriquez cum aliis *lib.* 13. *c.* 37. *n.* 2. Saytos *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 16. vbi dicit communem Gutter. *lib.* 2. *pract. quæst.* 65. *num.* 1. Garcia *de benefic. part.* 1. *c.* 5. *num.* 72. Gonçales *ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 10. *num.* 21. Toler. *lib.* 1. *c.* 49. *num.* 5. & multi alij apud Barbos. *supra num.* 17. & Bonacinam *loco cit. num.* 14. *versic. Prima sententia.* referuntque secundum banc opinionem decisum fuisse in sacra Congregatione, vt videre est, apud Gonçalez *vbi supra* quam quidem sententiam cum DD. citatis, & aliis existimat probabiliorem Diana 2. *part. tractat.* 16. *resol.* 5. Secundum hanc sententiam dicendum est, pœnam suspensionis appositam in dict. cap. *neminem*, & in cap. *sanctorum*, esse abrogatam, per dict. cap. *cum secundum*, nec esse innouatam dictam suspensionem per Trident. *loco citat.* vt vult secunda sententia, sed solum ab eo fuisse innouatum caput *cum secundum Apostolum*, quod nondum erat sublatum, vt patet ex declarationibus, quæ citeunferuntur circa Trident. *sess.* 21. *c.* 2. *de reform.* Nec obstat constit. Sixti V. quia eius dispositio redacta est ad terminos iuris communis per Clement. VIII. vt dixi *supra*, ac proinde ad incurrendam hanc suspensionem, recurrendum est ad ius commune, modo explicato.

7 Ex his opinionibus, etsi omnes probabiles sint propter tantorum DD. authoritatem, & rationes, quibus fulciuntur, secundam tamen approbat Bonacin. *supra versic. Vtrinsque opinio*, & veriorem in iure reputat primam, consequenter & secundam Barbosa *dict. allegat.* 10. *num.* 17. sequitur tamen ipse tertiam sententiam, propter authoritatem tantorum Patrum, ita decisum esse testantium, quibus existentibus, nec ego discederem ab hac sententia: aliter existimo dicendum cum secunda sententia, quia validioribus nititur fundamentis, iuxta quam dicendum, affici suspensione eum, qui ficto patrimonio ordinatur, etiam nullo intercedente pacto cum collatore: aut qui qualitercumque, culpabiliter tamen, sine patrimonio ordinatur, & effici irregularem, si post talem ordinationem ministrat, vt cum Maiore, & Medina tenet Rodriguez *in summ.* 1. *par. c.* 15. *num.* 3. Zerola *in praxi* 1. *part. verb. Dimissoria*, Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disput.* 32. *num.* 8. & cum iis Bonac. *sup. versic. Idem quia. cap. sanctorum, & c. neminem cit.* quæ secundum hanc sententiam non sunt abrogata, absolutè disponunt ordinatum sine titulo esse suspensum.

8 Ex dictis infertur primò, non affici hac suspensione eum, qui postquam fuit ordinatus Subdiaconatu cum vero patrimonio, illud resignat propriæ authoritate in fauorem donatoris aut alterius, & deinde suscipit altos ordines, ita cum Sanchez *vbi supra.* Henriquez *loco citato*, & aliis Bonacin. *supra num.* 19. quia talis renunciatio est irrita, ideoque remanet adhuc titulus veri patrimonij cum quo recipit alios ordines, quod maximè procedit in opinione asserente renunciationem patrimonij absque licentia Episcopi esse irritam: secundum vero alteram asserentem non esse irritam, aliter videtur dicendum.

9 Sequitur secundò, non affici hac suspensione eum, qui postquam ordinatus est titulo patrimonij, illud tertio donat, aut renuntiat, absque licentia Episcopi, & non petit victum, quia non ordinatus fuit absque vero titulo, & ex alio capite renunciatio fuit inualida, secundum sententiam, de qua *supr.* peccat tamen contra prohibitionem Episcopi, ideoque castigari potest ab eo, nullam tamen incurrit suspensionem, nisi adsit aliàs simoniaca pactio, de qua *infra.* Ita cum aliis Bonacin. *supra n.* 26. & cum multis Barbos. *allegat.* 10. *n.* 32.

10 Sequitur tertiò, ordinatum cum vero patrimonio, cum pacto de illo reddendo postquam ordinatus fuerit, nullam incurrere suspensionem, etiam extante constitutione Sixti V. nam iste verè fuit ordinatus cum verò titulo; nam constitutio talis patrimonij cum tali pacto fuit valida, pactum verò habetur tanquam non appositum, quia est turpe, & illicitum. Ledesm. *in summ.* 1. *part. cap.* 7. *de ordine conclus.* 6. *diff.* 3. Garcia 1. *part. de benef. c.* 5. *num.* 61. qui *n.* 166. resoluit donantem patrimonium alicui ad ordines, rectè posse apponere pactum, & conditionem de eo reddendo, cùm ordinatus habuerit beneficium sufficiens, vel aliàs vnde viuere possit, quia sic non agit contra Concilium Tridentinum *vbi sup.* Ita cum aliis Barbosa *dict. allegat.* 10. *num.* 30. & 31.

11 Sequitur quartò, nec incurrere suspensionem eum, qui postquam accepit verum patrimonium, se obligauit se datum conferenti illud, v. gr. singulis annis decem ex fructibus ipsius patrimonij, non ordinatur cum vero titulo, & constitutio talis patrimonij est valida; non tamen tenetur ad danda illa decem quia tale pactum tanquam turpe, & contra ius, censetur irritum. Ledesma *sup. diff.* 3.

12 Sequitur quintò peccare mortaliter, & affici hac suspensione eum, qui accepit patrimonium mutuatum, seu accommodatum, ea tamen intentione, vt ordinetur cum obligatione illud reddendi, cùm ordinatus fuerit. Ledesma *supra n.* 4. qui cùm patrimonium non fuerit verè datum, vt fuit in duobus casibus supradictis, idem est, ac si ordinaretur absque patrimonio, & titulo vllo.

13 Dico secundò, si ordinatus conueniat cum ordinatore, quòd ipsum non molestabit super beneficium, quod, attenta iuris dispositione, tenetur

tur Episcopus conferre ei, quem ordinat sine titulo, iuxta dictum cap. *cum secundum*, neque super alimentis, quæ etiam ipsi conferre teneretur, fit suspensus ordinatus ab ordine sic suscepto, & ordinator à collatione ordinum per triennium, iuxta textum *in cap. penult. de simon.* Eadem suspensio incurritur, si talis pactio fiat cum præsentante ad Ecclesiam, iuxta *cap. per tuas 3. de simon.* Ita Bonacio *de censur. disp. 3. quæst. 6. part. 5. num. 4.* Campanil. *rubr. 8. c. 3. num. 31.* & Barbosa *de off. & potest. Episc. allegat. 20. num. 28. & 29.* Quibus in casibus committitur etiam simonia, vt existimat Campanilis *sup. num. 32.* illa scilicet, quæ non sub stricto, sed largo sumpto vocabulo, continetur. Hanc autem iuris dispositionem procedere, non solum quando tale pactum fit cum ordinatore, vel præsentante, sed etiam cum aliis, resoluit Nauarr. *in man. c. 27. num. 158. & consf. 1. n. 45. de constit.* & Soytus *de censur. lib. 4. cap. 15. num. 23.* Verius tamen est, solum comprehendere ordinantem sic, & præsentantem, quia supradicti textus solùm de iis loquuntur, ideóque non fit suspensus, qui cum aliis pactus est, maximè, quia pœna dictorum Canonum præcipuè respicit simoniam, quam nisi ordinatori, aut præsentatori remittentes committunt. Ita Henriquez *lib. 10. cap. 17. num. 3. lit. O.* Toletus *lib. 1. cap. 15. num. 5.* & Barbosa *sup. num. 29.*

14 Nota, suspensionem supradictam, modo explicato, comprehendere non solùm Clericos, sed Religiosos omnes, nondum tamen professos, si prætextu Religionis ante professionem se faciunt ordinare absque titulo beneficij, aut patrimonij, qui suspenduntur ipso iure ab ordinum executione, consequenter si in ipsis ministrant, fiunt irregulares, vt statuit Pius V. in sua. constit. 74. anno 1568. die 12. Nouembris, quæ incipit: *Romanus Pontifex.* Excipiuntur tamen Religiosi Societatis Iesu, etiam scholares, & primam professionem solummodo emittentes, qui ordinari possunt sine titulo patrimonij, & beneficij, prout sua constitutione declarauit Gregorius XIII. & dixi *sup. num. 1.* & infert Miranda *in man. Prælator. quæst. 29. art. 5 concl. 1. tom. 1.* & Barbosa *allegat. 19. n. 7.*

15 Nota secundò, suspensionem supradictam esse Pontifici reseruatam, quando perpetua est, ideo non posse ab Episcopo absolui; poterit tamen, si occulta est, iuxta dispositionem Tridentini *sess. 24. c. 6. de reform.* Bonacin. *tom. 1. disput. 8. quæst. vnic. punct. 5. num. 23.*

16 Nota tertiò, quando quis non habet beneficium, aut patrimonium, seorsum sufficiens ad promotionem, posse promoueri, si beneficium, & patrimonium simul sufficiant, secus si non. Bonacina *supra num. 29.* Quarantia *verb. Ordo. vers. Secundò extende:* & dixi *supra*, consequenter potest absolui ab hac suspensione virtute Bullæ, vt dixi in eius expositione *lib. 1. §. 7. e. 1.*

17 Ex dictis constat, titulum ordinandorum triplicem esse. Primus est beneficij. Secundus est patrimonij. Tertius est professionis solemnis in Religione approbata, ad quam reuocatur titulus Societatis Iesu post biennium probationis.

D V B. XIV.

De quibus debeat Episcopus examinare ordinandum.

1 SVppono tanquam certum, & commune, ad Episcopum spectare, examinare diligenter eos, qui ordines suscepturi sunt, an sint vitæ integritate, moribus, & vita insignes, nullóque impedimento adstricti, prout statutum est, *in c. Episc. dist. 24. & in cap. placuit in fine cap. estote. 1. quæst. 1. cap. ad aures. cap. vt nostrum. de offic. Archidiac. cap. nihil. §. Episcopi de elect. cap. vnic. de scrutinio in ordine faciendo.* Oportet enim, ordinatorem Episcopum meminisse illud Apost. 1. ad Timoth. 5. *Nemini citò manum imposueris:* & quod præstat esse paucos, & probatos ministros, quàm multos indignos, ex Clementia epist. 2. vt refertur *cap. tales, distinct. 23.* & dicitur *in cap cum sit, de ætate, & qualit.* de quo vide Barbosam *de off. & potest. Episcop. allegat. 10. num. 1. & 2.*

2 Debent igitur Episcopi per se, aut per idoneos ministros ab ipsis deputatos scrutari genus ordinandi, natalia, personam, institutionem, patriam, vitam, mores, doctrinam, & fidem, vt statuit Tridentinum *sess. 23. c. 5. de reform. & 7.* & antea *cap. quando, dist. 24. cap. constituens, de purgat. can. cap. cùm in cunctis.* vbi rigorosum examen præscribitur: Episcopi enim interest, ne indigni ordinentur, ideo ipse tenetur ex culpa examinatorum, *cap. ad hæc, iuncta Glossa, de offic. Archidiac.*

3 Imprimis debet Episcopus inquirere de genere ordinandi, hoc est, an sit natus ex Catholicis parentibus, aut matre serua, vt latè, & benè, cum aliis Sanchez *tom. 1. oper. moral. lib. 2. cap. 28.* vbi docet, Concilium voluisse solùm, vt Episcopi inquirant, an promouendus sit ex filiis, aut nepotibus hæreticorum, fautorum, defensorum, & receptorum, quos ius ad recipiendos ordines excludit vsque ad secundum via masculina, & vsque ad primum via fœminina, modo vt dixi in Decalogo *lib. 1. cap. 3 dub. 13.* verbum enim, *genus*, de quo *in dict. c. 7.* Concil. Trident. propriè idem significat quod legitimus, aut liber: vnde non excludit descendentes ex genere Hebræorum, vt tenet Cenedo *collectan. 77. n. 10.* consequenter non sunt ab ordinibus expellendi (nisi aliud obstet canonicum impedimentum) qui à Iudæis originem trahunt, Barbos. *sup. n. 6.* Neophiti tamen qui recenter ad fidem sunt conuersi, ad ordines admittendi citò non sunt, *c. sicut. dist. 48.* ne in superbiam, elati in iudicium incidant diaboli 1. ad Timoth. 3. ideo prius debent Episcopi diligenter inuestigare illorum vitam, & vsum, de quo Sanch. *sup.* Eymer. *in 3. part. direct. n. 114.* & ibi Pegna *in com. 25.* & Barbos. *sup. n. 7.*

4 Secundum est, *natalia*, hoc est, an ordinandus sit legitimus, gloss. *in c. quando, distinct. 24.* spurij enim, & omnes, qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati excluduntur à susceptione ordinum, vt habet communis, & habetur, cap. 1. *& fin. de filiis Presbyterorum, c. in cunctis de elect.* & iste Pius V. *in sua const. 120.* quæ incipit: *Quæ ordini.* ac Sixtus V. in constit. contra Clericos malè promotos, quæ incipit *Sanctum, & salutare*, & antea Catechismus Rom. *sub tit. de Sacram. ordin. §. sequitur.*

5 Tertium est, *persona*, id est, an sint corpore vitiati, ex gloss. *in dict. c. quando*, est enim Canonicis Sanctionibus statutum, ne truncum, aut vitiatum corpus habentes auderent ordines suscipere Ecclesiasticos, *cap. præcipimus dist. 34. cap. 1. distinct. 55. c. 1. & 2. de corpor. vitiat.* & ibi DD. & Leuit. cap. 2. habetur: *Omnis qui maculam habuerit, à semine Aaron Sacerdotis, non accedat offerre hostias Domino* de quo D. Gregor. relatus *in c. hic etenim, dist. 49.* Vnde D. Hieronym. ad Demetriadem virginem scribens grauissimè inuehitur contra parentes deformes filias virginitati dicantes: solent enim (inquit) parentes miseri, & non plenæ fidei Christiani deformes filias, & aliquo membro debiles,

quia dignos generos non inueniunt, virginitati tradere.

6 Quartus est, *institutio*, id est titulus, iuxta gloss. *in cap. quando, etiat.* prout resoluit Campanil. *rubr.* 8. *c.* 1. *num.* 3. hic autem titulus est quadruplex, beneficium, patrimonium, pensio, & religionis professio, de quibus latè dubio proximo dictum est.

7 Quintò, debet inquirere de vita, & moribus, id est, de modo, & actu viuendi irreprehensibiliter iusto, & recto: inquirendum igitur est an sit castus, 32. *distinct. vsque ad* 35. *per tot.* si prudens, 36. *dist. vsque ad* 40. *per tot.* si ornatus virtutibus, 40. *dist. vsque ad* 42. *per tot.* si hospitalis, 42. *distinct. &* 86. *per tot.* & domui suæ benè præpositus, 66. *distinct. &* 81. 89. *&* 91. *dist. per tot.* Ne autem sit ebriosus, aut litigiosus, aut maledicus, non calumniator, neque adulator, vel proditor, scurrilis, aut ioculator, nec inuidens fratrum profectus, aut iniuriarum suarum vltor. Præterea ne sit cupidus, aut vsurarum exactor, *c. peruenit.* 86. *distinct. c. seditionarios, cum seqq.* 46. *distinct.* sed neque nimium simplex *c. Episcoporum*, vbi gloss. *& c. Petrus, d.* 74. Hi verò qui bonum habent testimonium, & famam, examinatione non indigent, *ex c.* 2. cum Glossa *dist.* 24. simplici verò assertioni Parochianorum statur de fama bona, quia cum istis concurrit iuris præsumptio; illum enim præsumere debemus dignum, quem nescimus indignum, cap. *cum deputati de iudiciis. c. dudum de præsump. l. cum pater. §. rogo, ff. de leg.* 2. & hoc quia secundum Host. *in sum tit. de scrutin. in fin.* virtutes naturaliter homini debent inesse, maximè post Baptismum, cap. 2. *de consecrat. dist.* 4.

8 Hinc fit requiri testimonium morum, quod solet exhiberi tempore scrutinij, ad licitè suscipiendos ordines, vt statuit Tridentin. *sess.* 23 *c.* 3. *de reformat.* sicque vsu, & praxi receptum est.

9 Sextò, de doctrina, id est, de scientia requisita ad singulos ordines respectiuè requisita, de qua Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 12. *de reformat.* & dixi *supra dub.* 10. ita quòd nec regulares excusantur quominus de doctrina examinari possint, vt habetur in dicto Concilio: omnes igitur ordinandi, examinandi sunt, præter eos, qui notoriè, digni sunt in scientia, & moribus, vt rectè colligit Henriq. *c.* 18. *de ordin. in lit. A*, ex Concil. Cartagin. & aliis, aliter enim singuli examinandi sunt de qualitatibus, & requisitis ad singulos ordines, & officio illius ordinis, quem suscepturi sunt.

10 Debet etiam inquirere Episcopus de ætate requisita ad singulos ordines, de qua *supra dub.* 10. Item, debet inquirere an ordinandus habeat intentionem ascendendi ad altiores ordines, aliter non est ordinandus, vt tenet Henriq. *lib.* 10. *c.* 17. *num.* 7. & sic peccaret eum ordinans: probabile tamen valdè est, non peccare, vt docent Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disput.* 31. *num.* 16. *&* 17. Coninch *disp.* 20. *à num.* 104. & Bonacin. *disputat.* 8. *q. vnic. punct. vlt. in fin.* Considerare etiam diligenter debet Episcopus, an ordinandus sit ipsius subditus, aliquo ex tribus modis dictis *sup dub.* 7. si non est, an habeat legitimas dimissorias.

11 Denique animaduertere debet Episcopus alias qualitates ordinandi, de quibus *sup. dub.* 11. an, scilicet, sit vir, baptizatus, an habeat vsum rationis, an sit confirmatus, an initiandus sacris habeat primam tonsuram, an sit excommunicatus, aut irretitus aliqua censura, vel irregularis, de quibus omnibus dixi *sup. dub.* 11. & Barbos. *d. alleg.* 10.

12 Aduertendum tamen, dispositionem Tridentini *sess.* 23. *c.* 5. non extendi ad regulares, nam quoad illos sufficit Episcopo, vt habeat testimonium ab ordinandorum superioribus regularibus affirmantibus, & attestantibus, prædictos nullo requisitorum indigere, & habere omnia requisita ad susceptionem ordinis, cuius fidei, & attestationi standum est, præterquam circa doctrinam, pro qua subiiciuntur Episcoporum examini, prout refertur decisum F. Man. *tom.* 3. *quæst.* 24. *art.* 1. & Campanil. *rubr.* 12. *c.* 13. *num.* 35.

13 Nota cum Villalobos 1. *part. tract.* 11. *diff.* 14. *num.* 1. & Portel. *in add. ad dubia Regular. verb. Ordines sacri*, etsi Episcopi habeant ius examinandi regulares, posse tamen esse contentos, & satisfactos examine facto à Prælatis ipsorum. Aduerte etiam esse satis probabile, & in praxi tutum esse, posse Episcopos sine vllo scrupulo ordinare regulares ordine presbyteratus, qui benè legant, & canent, quamuis sint minùs literati, quia defectus scientiæ suppletur maximè, eo quòd viuant in societate. Ita Portel. *sup. num.* 6. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 16. *num.* 2. Villalob. *part.* 1. *tractat.* 21. *diff.* 34. *num.* 5. & cum his Diana *part.* 3. *tract.* 16. *resol.* 31. Non enim etiam in sæcularibus; nam requiritur scientia, vt possint docere populum, vt est communiter receptum: ideo, ait Villalobos, idem dici posset *de los cantores Canonigos Rationeros de las Iglesias*, vt absque scrupolo practicatur: eadem enim est ratio, & quia Concilium non loquitur verbis strictis.

14 Examine ergo finito, Archidiaconus, aut alius beneuolus ab Episcopo designatus, proponit ordinandos Episcopo, & ante ordinationem monet adstantem populum, vt si quis sciat aliquod impedimentum contra aliquem ordinandorum, illud proponat: & Episcopus interrogat Archidiaconum, an sciat aliquod impedimentum, & ordinandos esse dignos: ipse verò respondeat, scio, & testificor, quantum humana fragilitas nosse sinit, *cap. vnic. de scrutinio in ordine faciendo:* si verò sciret aliquod impedimentum, illud deberet secretò Episcopo denuntiare, dummodo malitiosè, nihil faciat. Quod si quis, nulla præhabita inquisitione, fuerit ordinatus, si incognitus est, quamuis dignus sit, est deponendus, ex Sylu. *verb. Ordo* 2. *num.* 2. Idem dic, si cognitus, sed inhabilis, etiamsi impedimentum nouerit ordinans, nec dispensauerit expressè, *cap. si qui sint examinatione dist.* 81. Henriquez *lib.* 10. *c.* 18. *num.* 1. *lit. B.* Attamen si esset cognitus, & dignus, nec peccaret, nec deponeretur, si absque præcedenti scrutinio fuerit ordinatus, vt probat textus *iuxta Gloss. in cap. nullus dist.* 24. & tenet Sylu. *vbi sup.* & Barbosa *dict. allegat.* 10. *n.* 22. At si Episcopus, vt solet, ante ordinationem prohiberet, ne quis non examinatus accedat ad ordinationem, nec approbatus, sub excommunicationis pœna, ordinatus contra huiusmodi prohibitionem contraheret suspensionem, non nisi à Papa dispensandam, iuxta *c.* 1. *&* 3. *de eo qui furtinè ordines suscipit.* Monet tamen Host. *tit. de scrutinio in ordine faciendo, in fine*, vt Episcopi ab huiusmodi excommunicationibus abstineant, ne laqueos parent, sed alias pœnas inhibendo comminari possint. Vide Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *c.* 5. *quæst.* 5. *& supra.*

DVB. XV.

De vestium Clericorum, earumque significatione.

1 Dico primò, quis proprius sit Clericorum habitus, nullibi determinatum refert Glossa pen. *in Clem.* 1. *de elect.* nisi quòd nimia breui-

tas

tas, vel longitudo reprobatur, *cap. Clerici, de vita, & honest. Cler.* Quare honestas vestium clericalium ponderanda est ea consuetudine, vsuque regionis, vt notanit Glossa *in cap. si quis virorum, distinct.* 20. Glossa insignis *verb. Deauratis, in cap. penult. de vita, & honest. Cleric.* Glossa *verb. Sacularis, in dict. Clement. de elect.* quas commendant, & communiter receptas esse, post antiquiores testantur Couarr. *pract. cap.* 31. *num.* 7. *vers.* 4. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disput.* 46. *num.* 5. & multi alij apud Barbosam *de off. & potest. Episc. allegat.* 9. *num.* 2. vide ibi, & Reginald. *lib.* 30. *tractat.* 3. *num.* 14. & 15. & Filliuc. *tractat.* 41. *de benef. cap.* 6. *num* 14. Quare in Clericis coniugatis obseruandum est, quod vtantur illis vestibus, quibus Clerici coniugati eiusdem regionis vtuntur, & suo statui conueniant: non enim oportet, quòd vtantur illis, quibus vtuntur Clerici in sacris, vel beneficiarij, vt benè aduertunt Couarr. & Sanchez *sup.*

2 Dico secundò, vestes clericales maioribus ordinibus congruentes debent esse talares, demissas scilicet vsque ad talos, vt expressit Sixtus V. in sua constitutione, quæ incipit: *Cùm sacrosanctam*, die 5. Ianuarij 1586. vt notant Carol. de Grass. *de effect. Cler. num.* 271. & alij apud Barbosam *dict. allegat.* 9. *num.* 4. Pro constitutis verò in minoribus vestes describuntur in Concilio Bracharensi vltimo, *part.* 2. *action.* 4. *cap.* 8. his verbis: Hortatur sancta Synodus eos, qui sunt in minoribus ordinibus constituti, præsertim in via ad maiores ordines, talarem vestem portent, rotundo pileo, cæterisque interioribus, exterioribúsque indumentis modestiùs vtantur, & ad Ecclesiasticum cultum accommodatis. De consuetudine tamen Hispaniæ Clerici in minoribus debent deferre vestes, quæ saltem tegant tota genua: & *l.* 1. *tit.* 4. *nona recopil. in Castella*, ita cautum est: *Y assi mesmo sean las vestiduras. y honeste como las que acostumbran traer los Clerigos de Missa, y que de otra manera no gozen del priuilegio del fuero.* Et in Synodo prouinciali Valentina dispositum est *in sess.* 2. *cap.* 33. quòd Clerici etiam coniugati, præter qualitates à Tridentino *sess.* 14. *cap.* 6. præscriptas, vt fori priuilegio gaudeant teneantur tonsuram, vt minimum dimidij argentei, & habitum clericalem ordinatiè deferre vtpote oblongum pallium, quod vestium genus, *Manteos*, appellamus, vel pallium breuius, ad genua tamen vsque saltem demissum, euiusmodi vestes vulgus, *Herruelos*, vocat; cum clericali pileo, vel galero, non arcto admodum, sed quatuor vt minimum digitis lato, in quo nihil sit auri, vel argenti, vel plumarum, cui nihil addi possit ornamentorum, quod non sit nigri coloris.

3 Dico tertiò, tenentur Clerici honestas vestes deferre, semper proprio ordini congruentes, vt per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem præseferant, Concilium Tridentinum, *sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* Requiritur etiam, vt vestium color sit honestus; viridem, aut rubrum expresse improbat textus *in cap. penult. vers. per annos, de vita, & honest. Clericor.* & *in Clement.* 2. *in fin. eo tit.* vbi multa de hac vestium honestate tradit: & ne Clerici virgata veste, & partita vtantur, vel rubri, aut viridis coloris, sed nigri, vel eorum colorum, quos honestus Ecclesiasticorum vsus admisit, dispositum est in Concilio prouinciali Valentino *sess.* 3. *cap.* 13. vbi etiam alia afferuntur circa vestium honestatem. Potest autem Episcopus prohibere, ne laici habitum clericalem, & tonsuram deferant. Marc. Anton. Gennen. *in praxi Archiep. c.* 53. *num.* 4. & in dicto Concilio *sess.* 5. *c.* 10. prohibetur, ne laici in mysteriorum repræsentationibus, vel aliàs sacris vestibus vtantur. De honestate etiam vestium vide in Synodo Valentina de anno 1631. *decreto* 55. 56. & 57. in quo de coma, & cultura capillorum.

4 Dico quartò, contra non deferentes vestem illorum ordini, & dignitati congruentem disponit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 6. *de reformat.* vt moneantur, & si moniti perseuerent, quòd per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, & redditibus, & prouentibus suorum beneficiorum; nec non si semel correcti denuò in hoc deliquerint; etiā per priuationem officiorum, & beneficiorum huiusmodi coerceri possint, & debeant. Post Tridentinum verò Sixtus V. constitutione, quæ incipit: *Cum Sacramentum*, die quinto Ianuarij millesimo quingentesimo octuagesimo sexto Clericos habitum clericalem, & tonsuram, nam deferentes ipso factò priuat, & priuatos declarat quibuscumque dignitatibus, administrationibus, officiis Canonicatibus & Præbendis, ac beneficiis, etiam simplicibus, & præstimoniis, nec non pensionibus, & fructibus, ac prædiis, bonisque Ecclesiasticis: post modum idem Pontifex eodem anno pridie Kalendas Ianuarij in constit. quæ incipit. *Pastoralis*, declarauit primò, non teneri Clericos deferre habitum clericalem pensionem, aut bona Ecclesiastica habentes, si hæc respectiuè non excedant sexaginta ducatorum auri de Camera: declarat secundò, non teneri deferre tonsuram, & habitum clericalem inseruientes Palatio Apostolico in inferioribus ministeriis, vt sunt parafernarij, credentiarij, & similes: de quibus constitutionibus vide Quaranta *verb. Habitus clericalis, in princip.* & Barbos. *dict. alleg.* 9. 12. 13. & 14 qui *n.* 15. cum aliis resoluit, ad euadendam pœnam dictæ constitutionis sufficere, quòd pallium perueniat ad talos, toga verò seu sotanea tegat genua, & receptum dicit Garcia *de benef. part.* 7. *c.* 1. *n.* 13.

5 Dico quintò, initiatus prima tonsura, aut minoribus, si non habet Beneficium, aut dignitatem non deferens habitum clericalem, nec tonsuram apertam, secundum Nauarr. *cap.* 25. *num.* 109. *vers. Trigesimo tertio*, Syluest. *verb. Clericus* 2. *num.* 21. Panorm. *ad c. si quis, de vita, & honest. Clericorum*, peccat mortaliter, quod tanquam nimis rigidum restringit Reginald. *lib.* 30. *tractat.* 3. *c.* 2. *num.* 10. si simul etiam habeat beneficium, prout etiam ipse Nauarr. & Syluest. notant. At eos, si nullum habeant beneficium, absolutè non peccare, tenet Villalobos 1. *part. tractat.* 11. *diff.* 16. cum Soto *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *artic.* 2. & Ledesm. *in sum. c.* 9. *de ordine*, etiamsi ij nec habitum clericalem, nec tonsuram apertam deferant; quia non censentur esse in perfecto statu clericali, cum adhuc possint retrocedere, & vxorem ducere. Huius etiam sententiæ videtur esse Bonaciu. *tom.* 1. *disput.* 8. *q. vnic. part. vltim. n.* 3. *vers. Existentes*, vbi dicit, existentes in minoribus facilius possunt excusari à peccato, si non deferant habitum, & tonsuram, & refert Riccium dicentem, *decis.* 268. de iure communi Clericum cogi non posse ad ferendum habitum clericalem, nisi quatenus vti vellet priuilegio clericali, *c. fin. de Clerico coniug.* at si habitum deferre velit, potest cogi, vt habitum decentem, & honestum ferat, *cap. nullus* 21. *q.* 2. ita etiam Marc. Anton. Gennen. *in sua praxi c.* 28. Ego autem existimo huiusmodi peccare venialiter, quia semper censetur adesse aliqua illius status irreuerentia, & contrauentio contra supra dictos Canones, & vt notat Panormit. *supra.* talis est dignus anathemate, certum tamen est, tunc non gaudere priuilegiis clericorum, Villalob. *sup.* Quòd si

hic habeat beneficium, peccat mortaliter si non deferat habitum clericalem, & tonsuram, quia hic aliunt ex fructibus Ecclesiæ, & tenetur ad diuinum Officium persoluendum, Villalobos *supra*, Reginald. *supra num.* 13. vbi asserit beneficij tenuitatem non excusare hunc à peccato mortali, quia etiam per illud est in statu beneficiarij, & beneficium, etsi tenue est vere beneficium, iuxta *c. si proponente de rescriptis; & cap. non potest, & cap. mota de prebend.* ideo iure naturali taliter beneficiatus tenetur ostendere exterius, se esse talem, præsertim tonsura quæ videtur signum essentiale, vt post Caietan. *verb. Clericorum peccata, versic. Verum, in fin.* docet Bann. 2. 2. *q.* 1x. *artic.* 1. *§ sed quaniam.* Idem sentire videtur Bonac. *supra*, vbi absolutè dicit, peccare mortaliter beneficiarium, si non deferat habitum, vel tonsuram ad longum tempus. At Ledesm. *sup.* existimat, si non habet hic beneficium pingue, nec dignitatem, solum peccare venialiter, si non deferat coronam apertam: quod ego non admitterem absolutè, benè vero si deferret coronam, quamuis non vestes clericales, quia vt dictum est, corona est signum quasi essentiale illius status, & ex alio capite talis est verè beneficiarius.

6 Dico sextò, Clericus sacris initiatus non gestans habitum clericalem, & tonsuram apertam, si absit iusta causa, peccat mortaliter, Bonacin. *supra n.* x. Henriquez, Vasquez, & alij apud Bonacinam, Reginald. *loco citato num.* 30. Nauarr. *tom.* 4 *de regularib. num.* 27. quia violat legem in materia graui, & venit suspendendus per Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *de reformat.* Est contra Caietan. *in sum. verb. Clericorum peccata*, vbi dicit, hunc tunc peccare mortaliter, quando adest temeritas, contumacia, aut contemptus; cuius sententia sustineri posset, si ad esset aliquod signum, quo appareret Clericus, quod tanquam probabile admittunt Ledesm. *c.* 9. *de ordine conclus.* x. & Villalob. 1. *part. tract.* 11. *diff.* 16. *num.* 5. secus tamen si nullum signum clericatus appareret, vt si habitum laicalem, & ensem sine corona deferret, ideo, & benè, Villalobos, & Ledesma *supra*, concludunt Clericum initiatum sacris, aut maioribus, si ita deferat habitum, ita vt nulli videatur Clericus, peccare mortaliter.

7 Dixi in hac conclusione, *si absit iusta causa*, nam iusta causa intercedente, initiatus sacris, non peccat, non deferendo habitum clericalem, vt in casibus sequentibus, de quibus Quaranta *verb. Habitus clericalis*, & Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 9. *num.* 16. & Ledesm. *dict. cap.* 9. Primus est, si ita pauper est, vt habitum proprio ordini conuenientem gestare non valeret, vt si alias vestes inuenire non posset nisi laicales, sibi donatas, Riccius *in decis. Cur. Archiepisc. decis.* 119. vbi refert decisum, & tenet Barbos. *sup. num.* 16. cum aliis. Secundus, si propter infirmitatem tonsuram deferre non posset, vt etiam refert decisum Hugolin. *de offic. & potest. Episcop. num.* 13. *versic Quoad tonsuram*, & cum aliis Barbosa *num* 17. Tertius est, si propter aliquod imminens periculum, dimisso habitu, transformari cogeretur, vt ad defendendam vitam, vel honorem, bonave propria, aut aliena, Villalobos, & Ledesma *vbi supra*. & Barbosa *num.* 18. Nec peccaret mortaliter, vt ait Ledesma *supra*, & supponit Bonacin. *loco sup. citat.* si habitum ad breue tempus deponeret, vt ad ludendum pila, vel ad repræsentandum. Quartus est, si domi suæ, & per consequens occultè habitum deponat, iterum illum assumpturus, quia dicta Clementina loquitur de deferente publicè alienas vestes: tum etiam quia non censetur vestes, aut habitum dimittere; sicut nec ille abesse, qui statim est reuersurus. Barbos. *sup. n.* 19. & alij. Quintus est, si semel habitum absque scandalo tamen, dimisit, quo in casu non est priuandus beneficio, vel fori priuilegio, vt statuit dicta constitutio Sixti V. videtur enim requirere, vt ad has pœnas incurrendas adsit perseuerantia, ita vt publicè protatio existimetur. Quaranta *supra*. & cum aliis Barbosa, *num.* 20. Sextus est, necessitas itineris, vel peregrinationis, propter quam licitum est Clericis habere vestes breuiores: licet etiam habitum mutare, ac etiam deponere, si ex delatione habitus clericalis iusta adesset causa timoris. Barbosa cum aliis *num.* 21. ex dicta Clem. *vers. Si causa rationabilis*, vt si transeat per hæreticorum loca, vt sit tutus, vide in nostra expositione Decalogi *lib.* 1. *c.* 1. *dub* 8. *n.* 11.

8 Ex his sequitur, & à fortiori, peccare ex se mortaliter Clericos gestando arma, absque iusta, & rationabili causa, vel absque Sedis Apostolicæ dispensatione, vel absque legitima consuetudine, Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 8 *q. vnica, punct. vltim. num.* 5. & communiter DD. tum quia arma non decent statum clericalem: tum quia vsus armorum Clericis prohibetur, *cap. Clerici, & Clem.* 1. *de vita, & honest. Clericorum*: tum quia deferentes arma possunt excommunicari, vt ex Felin. & aliis, docet Riccius *in praxi fori Eccles. decis.* 371. Dixi, *ex iusta causa*, nam ea existente, Clericus arma deferens non peccat, v. g. ad defensionem propriæ vitæ, aut rerum suarum, si alias commodè non possit viam, aut res suas tueri. Dixi etiam, *absque legitima consuetudine*; nam hæc potest legem derogare, & condere: dixi, *absque Sedis Apostolicæ dispensatione*, nam in hoc non potest Episcopus dispensare, nam hic non potest dispensare in iure communi, potest in casu particulari declarare competere Clerico iustam causam deferendi arma, vt benè Riccius *vbi sup.* & Bonac. *n.* 7.

9 Nota, in Concil. Prouinc. Valentin. *sess.* 5. *c.* 13. ita haberi: omnibus, qui sacris sunt initiati mandat Synodus, ne per ciuitates, aut oppida arma deferant, iter tamen facientibus ensem, non autem tormentum manuarium, nisi iusta aliqua de causa, quam Ordinarius approbare debeat, gestare liceat. & in Synodo Diœcesana anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo, *decret.* 60. prohibitum est, quibuscumque Ecclesiasticis personis, ne scloperia longioris cuiusque magnitudinis, sulphureo, & globulis monita, & vt explodi possint disposita, & præparata, diu, noctúve per vrbes, aut oppida, sub centum librarum pœna deferre liceat, & deinde sub eadem pœna, & carceris per sex menses, & exilij vnius anni ab hoc Archiepiscopatu prohibet, ne tormentula ignea, *escopetas cortas, ò pistolas*, vulgo nominata parata, vel non parata secum portent, secum ferant, retineant in domibus, aut ab aliis deposita custodiant, sub quouis colore, aut prætextu; quæ quidem prohibitio cum sit in materia graui, absque dubio obligat sub mortali.

10 Dico septimò, teneri etiam sacris initiatos ad castitatem seruandam, de quo *sup. dub.* 5. Item, ad horas Canonicas, de quo latè dixi in expositione Decalog *lib.* 1. *c.* 7. 12. *§.* 2. Plura verò de obligationibus Clericorum videre poteris apud Regin *lib.* 30. *tract.* 3. *tit.* 1. *c.* 7. & 8. Henriq *lib.* 10. *c.* 14 Coninch *disp.* 30. *in vltim. dubiis.*

11 Nota, vsum coronæ esse antiquissimum; ait enim Beda *lib.* 5. *de histor. Anglarum*, *cap.* 22. D Petrum in memoriam spineæ coronæ Christi Domini coronam capillorum gestasse, toto reliquo capite detonso, & S. Isidor. *lib.* 2. *de offic. cap.* 4. inquit,

gnit, esse Apostolorum institutum; fuit tamen tonsura in tota Ecclesia ordinata ab Aniceto Summ. Pontif. *in cap prohibitur dist. 23. & in c. Clericus, de vita, & honest. Clericorum*, vt ex Platina, & aliis refert Barbos. *dict. allegat. 9. n. 10.* Significat autem corona, primo vitam puram, & apertam, quam Ecclesiastici habere debent. Secundo, repræsentat coronam spineam Christi Domini, cuius meminisse debent fideles, & præsertim Clerici, Bonacin. *sup. d. part. vltim. n. 4.* Dicitur autem corona prima tonsura, eo quòd per capillorum tonsionem conferatur ab Episcopo, dum dicit: *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* Et ratione primæ tonsuræ fit quis Clericus: & dicitur Clericus à nomine Græco κλῆρος, quòd significat sortem, seu hæreditatem, eo quòd Deus principaliter fit illius sors, siue pars: seu eo quòd Clericus fit peculiariter de sorte, seu hæreditate Domini, Bonacin. *vbi supr. n. 1.*

12 Nunc de significatione vestium sacerdotalium: suppone tanquam certum, sex vestibus, indui debere Sacerdotem, qui ad sacram ordinationem accedit, aut Missæ sacrificium celebrat, scilicet amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & casula, de quorum numero, & significatione Valen. *tom. 4. disp. 6. q. 11. p. 3.* Henriq. *lib. 9. c. 19.* Nauarr. *c. 25. n. 84.* Suar. *disp. 82 sect. 1. & 2.* Coninch. *q. 83. art. 3. n. 250.* Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 28.* Tolet. *lib. 2. c. 2.* Sot. *in 4. dist. 13. q. 2. art. 4.* & alij cum D. Thom. *3. p. q. 93. art. 4. & 5.* Senarius autem hic numerus vestium significat huius orbis creationem, quæ sex diebus facta fuit; tum etiam mundi redemptionem, quæ sexta ætate contigit. Tolet. *lib. 2. c. 2.* Bonac. *tom. 1. disp. 8. q. vnic. punct. 5. num. 41.* & alij.

13 Prima igitur vestis est amictus: hoc est velamen, aut linteum, quod Sacerdos suo capiti imponit, quod quantum ad Passionem Christi Domini, quæ per sacrificium Missæ repræsentatur, significat velamen illud quo Iudæi Matth. 26. faciem Christi velabant, dicentes: *Prophetiza, quis est qui te percussit*: quantum ad mores verò, significat armaturam fidei, seu ipsam fidem fundamentum Religionis Christianæ, quæ non in euidentia rerum credendarum, sed in captiuitate voluntaria intellectus consistit; ob idque optime per velamen oculorum repræsentatur, quatenus amictus hic se se ad humeros protendit, aut etiam collum circumcingit, indicat robur, & fortitudinem, qua Sacerdos diaboli audaciam, & impetum propulsare debet, propterea Sacerdos dicit: *Impone Domine capiti meo galeam salutis ad impugnandos diabolicos incursus*: in humeris enim, & dorso fortitudo laboris consistit. Ab isto duæ cordæ descendunt in pectus, per modum Crucis, quæ significant intentionem operum in Deo ponendam *y que no han de ocupar nuestro coraçon sino las obras de Dios y su sacratissima Passion.*

14 Secunda est Alba, illa scilicet vestis talaris, & ampla, quæ in ordine ad Passionem Saluatoris significat illam vestem albam, qua Herodes summum Regem gloriæ Christum induit, Luc. 23. in signum amentiæ, vt irrideretur à Iudæis, ob idque est longa, vt gressu hominis impedito, hic illicque caderet, omnibusque esset in derisum. Quoad nostram instructionem, & mores significat innocentiam, sanctitatem, & iustitiam vniuersalem, qua Sacerdos in omni opere præfulgere debet, ideò est ampla, quia quidquid Sacerdos facit, debet esse conforme rationi, & voluntati diuinæ: est etiam larga ad pedes vsque profluens, ad significandam perfectam totius vitæ sanctitatem, vsque ad extremum vitæ spiritum, iuxta illud Matth. 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Debet esse linea, aut byssina, non ex animalium pellibus, aut setis, qualis fuit vestis Adam, qui per peccatum factus fuit vt iumentum, sed ex herbis esse debet, ad significandum morum viriditatem, & vigorem. Albedo autem innocentiam, & vitã immaculatam denotat, Tolet *lib. 2. c. 2. n. 3.* in ordine verò ad Deum, Alba significat summum diuinitatis splendorem, aut gloriam Resurrectionis, iuxta illud 1. Cor. 15. *Cum mortale hoc induerit immortalitatem.* Bonacin. *supr. n. 46.* Propter hæc omnia Sacerdos dicit: *Dealba me Domine, & munda cor meum, vt in sanguine agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.*

15 Tertia est cingulum pertenes, quo tota Alba comprimitur; quoad Christum significat primum ligamen, quo Iudæi in horto Christum comprehendentes ligauerunt: tum etiam Christi fortitudinem, iuxta illud Psalmi 17. *Præcinxit se virtute.* Quoad mores significat castitatem, quæ cum omni opere Sacerdotis coniuncta esse debet, ideo Sacerdos, dum se circuncingit, profert hæc verba: *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, vt maneat in me virtus continentiæ, & castitatis, Amen.* Bonac. cum aliis *supr. n. 46. versic. Respondeo secundo.* & Tolet. *supr. num. 3.* vbi notat cingulum Pontificis habere à læua parte duplex cinctorium dependens, in quo notatur, quod castitas maxime in ieiunio, & oratione acquiritur, & conseruatur.

16 Quarta est manipulus, qui in ordine ad Christum significat secundum ligamen, quo in columna eius sacratissimæ manus, seu brachia fuerunt alligata, quod denotat amorem intimum cordis, quo Christus Dominus Passionem pertulit, cor enim, in quo amor vulgò residere dicitur, ad læuam vergit partem, & Sacerdos profitetur, se simili amore correspondurum ipsi Christo; circa mores verò significat, tum veram cordis pœnitentiam, & contritionem, quæ in hac vita, significata per læuam partẽ debent haberi, cui pœnitentiæ postea respondet manipulus retributionis bonorum operum, quæ metaphoricè per manipulum significantur, sumpta similitudine à fasciculis segetum, quos agricola, multis laboribus superatis Autumni tempore, colligit; ad quod faciunt illa verba Ps. 125. *Euntes ibant & flebant: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Bonacin *supr. vers. Respondes quarto.* Tolet. *loco cit. num* 4. Quapropter Sacerdos, dum manipulum brachio accommodat, hanc orationem recitat: *Merear Domine portare manipulum fletus, & doloris, vt cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Notat quòd solus Pontifex post casulam sumit manipulum, vt denotet Christum Dominum, cuius opera non fuerunt ante charitatem, & gratiam; quia ex summa gratia operatus est, nec sibi, sed nobis meruit Nos autem per pœnitentiam ad charitatem venimus, ob id alij Sacerdotes manipulum ante casulam induunt.

17 Quinta est stola, quæ in ordine ad Christum Dominum significat vltimum ligamen, quo ad crucifigendum ductus est, Toletus *supr. n. 5.* Bonac. *loco cit. vers. Respondeo quinto* vbi cum Innoc. III. *lib. 1. de minister. Missæ*, ait significare etiam obedientiam, qua mortem subire voluit. Quantum vero ad mores indicat iugum dominicæ legis, quam ferre debet Sacerdos, memor Christi Domini qui legibus subijci voluit, licet legibus solutus esset; hac de causa stola collo Sacerdotis imponitur, & in ipsos pectore in formam Crucis adaptatur, dum profert hæc verba: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quã perdidi in præuaricatione primi parentis.* Imponitur

super vtrumque humerum ad denotandum obedientiam cum patientia.

18 Addit Toletus, stolam non solùm à Sacerdote, sed etiam à Diacono adhiberi: imponitur tamen in læuo humero per quod denotatur vita actiua, quia Diaconus, vt nomen sonat, tantum est ad ministrandum, Actor. 6. vbi Diaconi leguntur in ministerium pauperum mancipari, ne Apostoli à contemplatione abducerentur; ideo Sacerdos eam portat in vtroque humero, vt complectatur vitam actiuam, & contemplatiuam: eamque super pectus in modum Crucis adaptat, quo signo denotatur à dextris, & à sinistris, prosperis scilicet, & aduersis communitum esse debere. Bonacina verò *vbi sup.* existimat, ideo Diaconum gestare stolam à læua ad sinistram, ad ostendendum Christianæ legis iugum, quod stola significatur deferendum esse in hac vita, nam læua præsentem vitam significat.

19 Sexta est casula, quasi parua, & minor casa, seu planeta, quæ in ordine ad Christum Dominum significat tunicam inconsutilem, seu, & propriùs, vestem purpuream, qua Christus Dominus in domo Pilati indutus est, vt intelligit Gabriel, super Can. & Bonacin. *sup. num. 47. versic. Respondeo sexto* ac Tolet. *sup. numer. 5.* Quantum ad mores indicat charitatem, & gratiam sanctificantem, quæ vestis nuptialis nuncupatur, præcipua vestis, vinculum perfectionis, & operiens multitudinem peccatorum, qua si careat Sacerdos, in tenebras exteriores mittetur: qua propter Sacerdos dum eam sibi imponit, dicit: *Domine, quid dixisti iugum meum suaue est, & onus meum leue, fac vt istud portare sic valeam, vt merear vitam æternam*. Ita cum Toleto, & aliis Bonacina *sup.* Coniungitur autem casula cum amictu, vt denotet fidem coniunctam esse debere cum charitate. Hæc vestis partem anteriorem habet angustam, & partem posteriorem latam, per quod denotantur duo status, quibus homines saluantur, scilicet ante gratiam, & post: sed prior erat angustus, quia non ita diuina gratia, nec diuina remedia abundabant, sicut modò in lege gratiæ, seu in hoc statu post Christum Dominum abundant.

20 Notandum, Diaconum, & Subdiaconum non induere casulam, seu dalmaticam, quæ hoc nomine appellatur quia in regione Dalmatiæ prius fuit in vsu, vt docet S. Thom. *in 4. distinct. 25. quæst. 3. art. 3.* Sotus ibi: *q. 2. art. 4.* Bonacin. *d. punct. 5. n. 48.* Quantum ad Christum significat eius Crucem, nam in figura Crucis efformatur: vt autem ad mores spectat, indicat Christi Passionem, quam contemplari, & ex qua, qui ad Diaconatus, & Subdiaconatus ordinem promouetur, fructus vberrimos percipere debet, patienter ferendo iniurias, & opprobria exemplo Christi Saluatoris, ita Sotus, Bonac. & alij.

21 Hæc breuiter de sacerdotalibus vestibus, dicta, qui copiosiorem desiderat expositionem, consulat alios Doctores initio huius quæstionis citatos, de significatione vestium quibus vtuntur Episcopi, vide Henriquez *lib. 9 de sacrificio Missæ c. 29.* quam verò significationem habeant vestes, quæ pro diuersis festis, & anni temporibus ex quinque coloribus albo, rubro, viridi, violaceo, & nigro adhibentur, tum ad significandas virtutes, quibus præfulgere debent Sacerdotes, tum ad indicandum mysterium, cuius memoria pro diuersis anni temporibus recolitur, videri potest in rubricis Missalis Pij V. §. 18. de coloribus paramentorum.

Dub. XVI.

De immunitate clericorum.

MVlta se offerre possunt circa hanc immunitatem, sed quia non sunt huius loci, proinde breuiter

1 Dico primò, Clerici sunt immunes à laica potestate, vt proclamant omnia iura, præcipuè *distinct. 96. per totam* & Trident. *sess. 23. cap. 20.* & docent DD. apud Bonacin. *de legib. punct. 5.* & in Decalog. *in 8. præcepto, quæst. 2. punct. 1.* Valentia *tom. 4. dist. 9. quæst. 5. part. 4.* Lessium *lib. 2. cap. 33. dub. 4. & 5.* Vnde peccant mortaliter iudices sæculares, iudicantes de rebus spiritualibus, vel personis Ecclesiasticis, eo quòd sint exempti ab eorum iurisdictione, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, ac proinde sententiæ sunt irritæ, & iudices incurrunt in Bullam Cœnæ Domini, vt dixi in Decalog. *lib. 8. cap. 1. dub 8. numer. 5.* vbi etiam dixi, quando iudices laici possint cognoscere de personis Ecclesiasticis. Tenentur tamen Ecclesiastici seruare leges ciuiles concernentes bonum commune quoad directiuam, id est in conscientia tenentur facere, quod lex præcipit: sic tenentur pretio legistes suas vendere, vt dixi *lib. 7. Decalog. cap. 20. dub. 2. num. 3.* & passim *dict. lib. 7.* Non verò quoad coërciuam, id est, non tenentur pœnam à lege ciuili impositam soluere, nec iudex laicus potest eos tali pœna punire, vide DD. supra allegatos, & Sotum *in 4. dist. 25. art. 2.* Nauarr. *cap. 23. num. 88.* & Ledesm. *cap. 9. de ordine, in fin.* Sanchez *in Concil. part. 1. lib. 3. cap. vnico dub. 30. numer. 11. & 12.* ac Dianam *3. part. tract. 2. de immunit. Ecclesiast.* vbi *resol. 1. in princ.* refert plures DD. de ea agentes.

2 Dico secundò, Clerici, ac personæ Religiosæ, eorumque bona exempta sunt à tributis, ac vectigalibus à laicis impositis, modo quo dixi latè in expositione Decalog. *lib. 7. c. 12. dub. 5.*

3 De exemptione Clericorum à laica potestate, & quomodo gaudeant priuilegio fori, & Canonis, & quomodo possint se laico iudici subiicere, & de pœna, quam incurrunt iudices laici Clericos iudicantes, & Clerici eis se subiicientes, inter recentiores, vide Bonac. *tom. 1. disp. 10 q. 9. punct. 1. §. 1. 2. 3. 4. & 5.* Barb *de offic. & potest. Episc. alleg. 12. & de iure vniuers. lib. 1. c. 39. §. 1. & 2.* Cened. *in collectan. collect. 37. & in quæst. super decretal. quæst. 4.*

LIBER

LIBER SEPTIMVS DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPVT PRIMVM.

De sponsalibus, quantum ad earum naturam, & obligationem.

DVBIVM I.

Quid Sponsalia sint.



OTA, sponsalia tripliciter sumi. Primò, quamuis impropriè, & rarò, sumuntur pro muneribus sponsæ ab sponso collatis, vt 1. Reg. 18. *Non habet Rex sponsalia necesse.* Secundò, sæpè, & propriè, pro contractu matrimonij rati, & nondum consummati, vt Matth. 1. *Cum esset desponsata mater* IESV *Maria Ioseph*, quia hoc contractu, quasi promittitur implicitè vsus matrimonij: sic ordinariè in his partibus ij vocantur, *desposados*. Tertiò, communiter, & propriissimè sumuntur pro mutua promissione futuri matrimonij, in qua significatione sumuntur à DD. in hoc tractatu, & dicuntur sponsalia, ab spondendo, ex Vlpian. *l. 2. ff. de verb. oblig.* mos enim erat olim, vt puella nuptura promitteretur viro à patre, vel tutore, vel amicis, ideóque dicti sunt sponsi, quasi alteri promissi, & sponsor, qui promittebat; & contractus ipse sponsalia, ita *ex l. 2. & 3. ff. de sponsalib.*

2 Nota secundò, in odiosis nomen sponsæ (idem de sponso) tantum comprehendi sponsam de futuro; quia hæc solum communiter, & propriissime dicitur sponsa: sicut etiam in odiosis nomine vxoris, seu coniugis, tantum comprehenditur, quæ consummauit matrimonium, in fauorabilibus verò nomine coniugis, vxoris, aut maritatæ, etiam comprehenditur sponsa de futuro, *ex l. non sine, C. de bon. quæ liber.* Sylu. *sponsal. 1. q.* 2. & infra citandi. Quod etiam admitti potest in iure Canonico, quoties ratio motiua legis fauorabilis etiam currit in sponsa de futuro. Hurtado *de matrim. disp. 1. diff. 1. n. 2.*

3 Dicitur autem materia fauorabilis, quando lex directè intendit fauere, quamuis alicui indirectè resultet nocumentum: odiosa verò, quando lex directe intendit nocere, quamuis alicui indirecte resultet commodum. Sanchez *lib. 1. de matrim. disput.* 1. *n. 4.* ex quo consequenter infert *num. 5.* stante statuto, vt vxore absque liberis moriente, vir partem dotis lucretur, si sponsa de præsenti nondum cognita obeat, non lucrari virum partem illam; quia est materia directè odiosa respectu sponsæ: è contra verò percutiens Clericum inuentum cum sponsa de præsenti, etiamsi tantum esset ratum, non incurrit excommunicationem, quia directe est fauorabilis pro sponsa. Filliuc. *tractat. 10. cap. 7. num.* 231. His notatis.

4 Dico igitur, apte, & adæquate definiuntur sponsalia: Futuri matrimonij mutua promissio, ita ea cap. *nostra* 30. *q. 5. & l. 1. ff de sponsalib.* Ita DD. citati, & communiter omnes, cum S. Thom. 3 *p. q.* 41. *add. art.* 1. Dicitur promissio, quia solum propositum nullam inducit obligationem, nec vinculum sponsalium, vt in simili dixi de voto in Decalogo *lib. 2. cap. 2. dub. 1. num. 2.* & cum aliis Bonacin *tom. 1. quæst. 1. de sponsalib. punct. 1. num. 3.* Dixi etiam, *mutua*, nam si non sit mutua, hoc est, si alter non repromittat, non oritur obligatio sponsaliorum, vt ex dubiis seqq. constabit, & deducitur ex lege citata, vbi sponsalia dicuntur repromissio: insinuatur etiam in cap. *præterea 2. & in c. de illis 5. & in c. sponsam 8. de sponsalib.* ob idque in numero plurali dicuntur sponsalia, quia sunt mutua.

5 Dico secundò, ad validitatem sponsalium tria requiruntur. Primò, vt adsit promissio voluntaria: secundò, vt promissio sit mutua, & acceptata: tertiò, vt aliquo signo externo sufficienter sit manifestata, quæ conditiones infra elucidabuntur, de quibus DD. citati, & alij communiter.

6 Notat Filliucius *sup. num.* 232. sponsalia à sanct. Thom. vocari Sacramentalia, non quod habeant vim sanctificandi præuiam matrimonio, sed quod sint præuia, via, & medium ad matrimonium; congruum enim est, vt sponsalia præcedant matrimonium; est enim matrimonium contractus grauissimus, ideóque in illo est paulatim procedendum; non tamen sunt essentialiter necessariò præmittenda, quia non sunt de essentia matrimonij; sicut votum simplex non est de essentia voti solemnis, nec semper traditio rei supponit promissionem. Vide Henriq. *lib. 11. cap. 13. num* 8.

7 Solent hic exagitare Doctores, an sponsalia addant fornicationi sponsæ, aut sponsi cum alia persona nouam malitiam necessariò confitendam. In qua re Filliucius *supr. num.* 233. Sanchez *loc. cit.* Coninch. *disp. 12. num.* 1. quos sequitur Hurtado *vbi supr. dub.* 2. sequuntur partem affirmatiuam, quia asserunt ibi esse duplicem malitiam, vnam fornicationis, alteram fractionis fidei datæ in sponsalibus; nam per sponsalia, etsi non acquiratur ius in copulam, acquiritur tamen ius in corpus alterius, quod violatur per fornicationem, ideóque irrogatur gra-

nis

ulꝰ iniuria sponso: addunt tamen Filliucius, & Sanchez, fornicationem sponsæ esse culpam mortalem, non verò sponsi, quia non videtur tam grauis, quam sponsæ, ideo fœminam teneri hanc circumstantiam confiteri. Quod non admittunt Coninch, & Hurtado *sup* & meritò; nam eadem est ratio, nam ius in corpus æquale est inter sponsos; ergo violatio istius iuris, seu hæc iniustitia habebit in vtroque sponso æqualem malitiam. Obseruant autem, & benè, Sanchez, & Coninch, filios natos ex fornicatione sponsi, aut sponsæ cum alia persona, quamuis non sint legitimi, esse tamen naturales, & non spurios, quia solùm impedimentum dirimens matrimonium iuret patentes efficit filios spurios.

8 Hæc dixi ex sententia supradictorum; nam ego in Decalogo secutus sum sententiam aliorum Doctorum probabilius asserentium, circunstantiam sponsalium non esse necessariò confitendam in fornicatione sponsæ, aut sponsi cum alia persona, propter ius imperfectum, quod inter ipsos reperitur. Vide in Decalogo *lib.6.capitul. vnic. dub.5. num.5.* Hoc autem existimo certum in vtraque sententia, talem fornicationem non esse adulterium, vt cum S.Thoma, 2.2.*quæst.*154.*art.*8. docet Filliucius *dict. num.*235. quia adulterium est alieni thori violatio, *c. lex illa* 3. *quæst.* 1. at inter sponsos non conceditur ante matrimonium thorus; ergo non violatur thorus alicuius.

DVB. II.

Quæ promissio requiratur, & satis si ad sponsalia.

1 Dico primò, promissio merè interna nullo signo exteriori manifestata non sufficit ad sponsalia. Ratio est, quia hæc promissio fit homini; at modus naturalis inter homines ad se obligandum est, per verba externa, vt dixi in materia de contractibus: vnde si quis merè internè alicui promitteret matrimonium, nec in foro interiori iure naturali, nec diuino teneretur ad eam ducendam, vt cum Sanchez *lib.1.disp.3.* & Vasquez *de matrimon. disput.4 num.*34. tenet Hurtado *de matrim. disput.1. diff. 7. num.*24. quia talis promissio respectu hominis est imperfectior, insufficiens, & solùm inchoata; etenim homo non loquitur, neque affirmat alteri homini perfectè, & sufficienter sola locutione, seu affirmatione interna intellectus, sed tantùm inchoatiuè. Ex quo patet differentia inter promissionem, quæ fit Deo per votum, & promissionem, quæ fit homini; promissio enim, quæ fit Deo, sufficit, quod sit interna, nam Deus intuetur cor, 1.Reg.16. secus si fiat homini. Vide Coninch. *disp.* 21.*n.*17.*&* 21. *& disp.*22. *dub.*6. *num.* 34. Sanchez *sup* & Bonac. *tom.*1.*quæst.*1 *de matrim. punct.*1. *n.*9. & dixi in Decalogo *lib.*7 *c.*17.*dub.*3.

2 An autem promissio interna, seu votum factum Deo de ducendo aliquam, vel matrimonium contrahendo, sit validum dixi in expositione Decalogi *lib* 2.*cap.*2.*dub.*5.*num.*14. vide etiam Sanchez *sup. disp.*3. *&* 4.

3 Dico secundò, ad validitatem sponsalium non solùm requiritur, quòd promissio sit externa, sed etiam quòd ab altero sit acceptata. Ita Sanch. *lib.* 1. *disp.*6. Vasquez *disp.*4. *num.*42. Coninch. *disput.*22. *num.* 39. & cum aliis Bonac. *sup. num.* 6. nam promissio hominis facta regulariter, nec ex iustitia, nec ex fidelitate obligat ante acceptationem, vt docent Doctores citati, & dixi in Decalogo *supr. dub.* 4. *num.*1. habet enim tacitam conditionem talis promissio, si ab altero acceptatur. Ex quo fit, promissionem etiam matrimonij, quamuis infanti sit facta posse ante acceptationem reuocari, quia non obligat, ideo potest reuocari, etiamsi iuramento sit firmata, modò non sit per modum voti, vt dixi *loco cit.* Dixi, *regulariter*, nam promissio externa ante acceptationem obligat in aliquibus casibus, vt dixi *dub.*4.*citat. num.*2. & tenent Doctores citati, ac Lessius *lib.*2 *c.*18.*dub.*6.

4 Dico tertiò, acceptans promissionem, eo solùm, quia acceptat, non censetur repromittere, vt benè Sotus *in* 4.*dist.*27.*quæst.*7. Sanchez *libr.* 1. *disp.*9.& cum his Hurtado *sup. diff.*4. *num.*12. contra Vasquez *disp.*4.& Basil. Ponze de Leon *lib.* 12. *c.* 4. Ratio est, quia per talem acceptationem solùm acceptans declarat, se admittere fidem, seu promissionem matrimonij ab altero datam, affirmando expressè, vel tacitè se dictam promissionem admittere; hæc autem admissio, seu affirmatio, admissionis non est repromissio: potest enim hæc esse absque repromissione, cùm possit quis accipere fidem matrimonij sibi oblatam, non affirmando, nec expressè, nec implicitè, se illi dare fidem, nec id intendere, nec ad id se obligare.

5 Dico quartò, promissio essentialiter requisita ad validitatem sponsalium debet esse mutua, id est, vt vnus promittat, & alter repromittat; vnde non sufficit, quòd vnus solus promittat, quamuis alter acceptet, si non repromittat. Ita Vasq. *disp.* 4. *num.*29. Basilius *lib.*14.*cap.*4. Bonacina *supr. num.*8. Filliucius *tractat* 10.*cap.*1. *num.* 235. & Ledesma *in sum.concl* 4. vbi dicit communem. Hoc enim apertè probat sponsalium definitio, vbi dicitur esse mutuam futuri matrimonij promissionem; sicut matrimonium essentialiter consistit in mutua corporum traditione, ita sponsalia, quæ sunt præuia ad illud, consistunt in mutua promissione tradendi corpora. Quare si vnus promittat, & alter non, sed tantùm accepter promissionem sibi factam, vt si dicat: placet, vel accepto, vel gratias ago de tanto beneficio, non dicitur celebrare sponsalia; ideo hic taliter acceptans non manet obligatus ad contrahendum. Villalobos cum aliis *tom.* 1.*tractat.* 12. *diff.*1.*numer.*6. quia vt dixi *conclus.* 3. per solam acceptationem non fit repromissio, quæ, vt dictum est, necessaria est ad sponsalia. Alter verò qui promisit, tenetur stare promissioni simplici acceptatæ; quia promissio simplex seriò facta, & ab alio acceptata obligat in conscientia, vt late dixi in Decalog. *loc. citat. dub.* 6. *num.* 2. Limita tamen modò promittens intenderit se obligare independenter à repromissione alterius, vt benè Sanchez, Bonacina, & alij: secus tamen si intenderit, se obligare dependenter à repromissione alterius, tunc enim altero non repromittente non tenetur stare promissioni, sed potest ab ea recedere, vt patet in omni contractu oneroso, in quo promittens potest recedere, antequam promissio ab altero cum repromissione acceptetur: imbibit enim contractus onerosus hanc conditionem, *si alter vicissim repromiserit*, ideò si alter non repromittit, non tenetur promittens stare promissioni, sed potest ab ea resilire, vt patet ex dictis de contractibus, & docent citati. Quòd si promittens dubitet, an dependenter vel independenter ab alterius repromissione promiserit, indicandum est, promisisse dependenter; nam præsumitur promisisse iuxta naturam sponsalium, quæ communiter solent habere promissionem respectiuam, seu repromissionem. Bonacina *supra*, *num.* 7. *&* 8.

6 Ex

6 Ex hac conclusione sequitur, sponsalia veræ, vt communiter fiunt, id est, quando adest mutua promissio, obligare sub mortali ad ipsa adimplenda. Henriq. *libr.* 11. *c.* 13. Sanchez *libr.* 1. *disput.* 27. Bonacina cum aliis *tom.* 1. *quæst.* 1. *de matr. punct.* 2. *num.* 1. Filliucius *supr. num.* 236. & communiter DD. Ratio est, quia ex contractu in materia graui oritur obligatio ex iustitia sub mortali, vt patet ex dictis de contractibus; at sponsalia sunt contractus inter sponsos in materia graui; ergo ex ipsis oritur obligatio ex iustitia sub mortali, ideóque ea non adimplens absque iusta de causa (de qua infra gtauiter peccat,) grauemque infert iniuriam alteri sponso. Quod procedit, quamuis statim post sponsalia ipsum pœniteat, nam hæc pœnitentia non tollit obligationem præcedentem.

7 Ex quo fit sponsum, vel sponsam nobilem, &c. diuitem, quæ voluntariè contraxit sponsalia cum aliquo ignobili, & paupere, cuius conditionem, seu statum non ignorabat, teneri stare sponsalibus, & cum illo matrimonium contrahere, quia sciens, & voluntariè se obligauit. Ita Sanchez *supra disput.* 14. *num* 2. Azor. 3. *part lib.* 5. *capit.* 5. *quæst.* 3. *diff.* 2. & cum aliis Bonac. *supr. num.* 2. Limita tamen primò, modò ex tali matrimonio non sequatur scandalum graue, vel graue malum, vt graues rixæ inter parentes, vel aliud graue incommodum, nam Iustitia non obligat ad malum faciendum. Limita secundò, nisi moraliter præuideatur, vel timeatur malus exitus, habet enim hic iustam causam resiliendi. Nauarr. *cap.* 16. *num.* 10. quæ infra clarius constabunt.

8 Difficultas tamen est, quando promissio non fuit mutua, sed tantum vnus promisit, alter verò solum promissionem acceptauit, teneaturne promittens sub mortali promissionem adimplere. Henriq. & aliqui quos retuli in Decalog. *lib.* 7. *cap* 17. *dub.* 7. *numer.* 1. tenent, solum teneri sub veniali, si inde nullum damnum aliàs sequatur. Quod Ledesm. *cap.* 3. *de matrimon.* & nos *supra loco citat. numer.* 4. diximus non esse improbabile. Fundantur, quia promissio liberalis, & gratuita, etiam acceptata, & in re graui, solùm obligat (vt existimant) ex veracitate, & fidelitate, & non ex iustitia; verius tamen est, taliter promittentem teneri sub mortali, & ex iustitia adimplere promissum; nam vt dixi *loco citato, num.* 2. cum ibi citatis, & docent Nauarr. *cap.* 18. *num.* 16. Vasquez *disput.* 5. *numer.* 13. omnis promissio etiam liberalis, & gratuita, serio facta, animo promittendi, vbi legitimè acceptata fuerit, obligat ex fidelitate, & iustitia ad sui adimpletionem sub mortali in re graui, vt ibi probaui; at talis promissio est serio, & ex animo facta, vt supponimus (nam de ficta *infra dub.* 4.) acceptata, & in re graui; ergo obligat sub mortali ex fidelitate, & iustitia, consequenter promissionem culpa sua non adimpleus peccat mortaliter contra iustitiam ius alterius violans. Potest tamen hoc limitari, nisi sic promittens, vel adinuicem promittentes solum intenderent expressè, se gratis, ac liberaliter ex sola fidelitate, & non Iustitia obligari; quo in casu qui recederet, solum peccaret venialiter contra fidelitatem, & non contra iustitiam; ex quibus sponsalibus non orietur publica honestas, vt *infra c.* 8. *dub.* 15. & tenet Hurtado *de matrim. disput.* 1. *diff.* 6. *n.* 22. etenim vt dixi in Decalog. *loco citato, num.* 4. potest quis in re graui se obligare solum sub veniali, etiamsi matrimonium promittat: imò ad nullam culpam, vt ibi, & Sanchez *supr. disp.* 9. *n.* 6. & Bonacin. *disput.* 3. *de contract. quæst.* 11. *punct.* 3. *num.* 10. & quæ dixi in Decalog. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 11. *de voto.* Dixi, *si expressè intenderint*, &c. Nam si id non expresse intenderint, sed solum intendunt promittere, vt alij ordinariè faciunt, certum existimo ob rationem dictas, sic promittentem, aut promittentes obligari ex iustitia, & sub mortali consequenter ab ea promissione recedentes peccare mortaliter contra iustitiam. Ex his sequitur eum, qui vere promisit, altero acceptante, & non repromittente, teneri expectare tempus aliquod ad arbitrium prudentis, consideratis loci, temporis, & personæ circumstantiis, intra quod tempus si is, qui acceptauit, non repromittit, aut non curat adimpleri promissum, censetur promissionem contemnere, consequenter promittens manet omnino liber.

9 Sequitur etiam ex dict. conclus. 4. iudicem Ecclesiasticum, regulariter loquendo, teneri compellere sponsum retinentem, vt ad impleat promissum, etiamsi sponsalia non sint iurata, vt docent DD. infra citandi, & confessarium ad id ipsum pœnitentem obligare, tum etiam ad restituenda damna inde alteri sponso secuta, vt dicam *infra lib.* 7. & docet Ledesma cum aliis *in summ. cap.* 3. *de matrimon. conclus.* 4. *diff.* 2. Ratio est, quia quilibet iudex tenetur vnicuique ius suum tribuere, at sponsus ratione promissionis acceptatæ habet ius ad alterum; ergo, &c. Dixi, *regulariter*, nam si inde sequantur damna supradicta, *versic. Ex quo fit.* poterit iudex permittere, imò prudenter faciet, si eos ad contrahendum matrimonium non compellat, consulit enim tunc iudex iuri, & patri innocentis. Quod procedit etiamsi sponsalia sint iurata, vt apertè deducitur *ex cap. litteris de sponsalib.* Ita Hurtado *de matrim. disput.* 1. *diff.* 17. *num.* 73. cum Sanch. *lib.* 1. *disput.* 29. & Coninch. *disput.* 22. *dub.* 2. iudex enim non debet compellere, imò tenetur abstinere à coactione, quando ex ea timetur grauius malum, quod possit Rempublicam turbare, aut scandalizare. Consequenter admonent præallegati DD. quando iudex admonuit nolentem, & eum excommunicauit, non debere contra eum, si pertinax est, vltra procedere, sed eum absoluere, quia ex matrimonio sic coacto oequit non timeri grauius damnum. Quod verum est (ait Hurtado *n.* 73. *vers. Vnde*, quidquid dicat Basilius) etiamsi dictum periculum, aut rationabilis causa non deobliget nolentem.

D V B. III.

Quanta deliberatio requiratur ad valorem sponsalium.

1. Svppono tanquam certissimum ad valorem sponsalium, & cuiuscumque promissionis, etiam Deo factæ, requiri deliberationem, seu aduertentiam ex parte intellectus, quia absque hac nullus actus potest esse humanus, ac proinde neque sufficiens ad inducendam obligationem humanam, seu moralem. Difficultas ergo est, quanta deliberatio requiratur.

2 In qua re conueniunt DD. non requiri maturam, & diuturnam deliberationem, qua sponsalia, & eorum circumstantiæ maturè perpendantur, sed sufficere plenam, eam scilicet, quæ ad peccandum mortaliter sufficit. Nauarr. *cap.* 18. *numer.* 7. Lessius *lib.* 2. *capit.* 40. *num.* 2. Sanchez *lib.* 1. *disput.* 8. Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 1. *de sponsalib. part.* 1. *numer.* 4. & communiter DD. Ratio est, quia plena, & perfecta deliberatio communis, quamuis repentina, & mota iracundiæ eliciia, est sufficiens, vt actus sit perfectè, & plenè humanus, & capax malitiæ moralis, & inducens

ducens reatum pœnæ æternæ; & vt actus sit capax bonitatis moralis, & meritorius vitæ æternæ; ergo erit etiam sufficiens ad valorem sponsalium.

3 Conueniunt etiam DD. hanc perfectam deliberationem communem sufficientem, & requisitam ad valorem sponsalium, & ad mortale, etiam requiri ad valorem cuiuscumque alterius promissionis etiam Deo factæ, vt etiam dixi in Decalog. *lib.* 2 *cap.* 2. *dub.* 1. *numer.* 3. & non sufficere imperfectam, & semiplenam deliberationem sufficientem ad veniale; quia promissio absque perfecta deliberatione non est perfectè humana, ac proinde insufficiens est ad causandam obligationem, quia hæc requirit perfectum rei statum. Quid si dubitet se cum plena deliberatione promisisse? Respondeo, probabile esse, posse se liberum ab sponsalibus reputare, vt à simili de voto dixi *loco citat. num.* 3. *in fin.*

4 Hinc fit, sponsalia ex calore iracundiæ facta, si simul adsit plena, & perfecta aduertentia, esse valida, quamuis postea eo cessante ipsum pœniteat, vt dixi de voto *loco citat. num.* 4. secus autem si tunc non adsit perfecta aduertentia, seu deliberatio, tunc enim inualida erunt sponsalia, sicut est inualidum votum sic factum; quia scilicet deest deliberatio, & perfecta aduertentia: in hoc sensu intelligi potest *l. quidquid, ff. de regul. iur.* quæ refertur *Can. diuortium de pœnit. distinct.* 1. vbi dicitur: quidquid calore iracundiæ fit, vel dicitur non priùs ratum esse, quàm si perseuerantia apparuerit, iudicium animi fuisse; aliam explicationem refert Hurtado *loco citat. diff.* 8. videndus: sic etiam potest intelligi, cap. *ex litteris* 13. *de iur. iurand.* vbi quædam iuramenta declarantur nulla, quia calore iracundiæ facta; quidquid in hoc capite, non ideo declarantur, quia calore iracundiæ sint facta, sed quia fuerunt facta de materia illicita, vt constat ex contextu, & *ex l.* 2. *C. ad leg. Iuliam*, Hurtado *sup. n.* 27.

5 Difficultas igitur est, an ad valorem sponsalium, & matrimonij sufficiat deliberatio, seu intentio virtualis; huic quæstioni fere satisfactum est in expositione Decalog. *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 1. *numer.* 5. Proinde breuiter respondeo ad valorem matrimonij, seu sponsalium non sufficere deliberationem virtualem, seu in causa, hoc est, non sufficit, velle directè, & per se causam, ex qua sequitur matrimonium, seu ipsum matrimonium, aut sponsalia velle directè, in causa, sed etiam dum hæc fiunt. Ita Sanchez *lib.* 1. *disput* 8. Vasquez *disp.* 5. *cap.* 4. Hurtado *de matrim. diff.* 10. *numer.* 32 & dixi in decalog. *loco citat.* & tenent communiter Doctores. Ratio est, quia quicumque contractus, vt sit validus, & sufficiens ad causandam obligationem, debet esse humanus, seu liber in se, & ratione sui, quia ipse in se, & ratione sui, & non causa ipsius, est causa moralis, ex qua oritur obligatio ipsius contractus. Hinc fit sponsalia, aut matrimonium contracta in ebrietate, somno, aut furia, esse inualida, quamuis ante ebrietatem præuiderit, se in ebrietate, somno, aut furia contrahere, aut vouere, & etiamsi causa contractus fuerit electa, & apposita ex directa intentione deliberata efficiendi contractum, quia dum efficitur contractus ab ebrio, nulla est libertas, nec talis actus est humanus ideo ex illo actu nulla oritur obligatio. Nec sufficit libertas, seu deliberatio antecedens; quia tunc non fiebat contractus, & quando ab ebrio fit actu, iam non adest actualis deliberatio. Quòd si dicas, ad peccandum sufficit virtualis deliberatio, seu velle peccatum in sua causa. Respondeo primò, hoc esse, quia bonum ex integra causa, malum verò, vt peccatum, ex quocumque defectu. Secundò, quia quando apponitur, aut intenditur causa peccati, iam peccatur, quamuis postea in ebrietate exequatur; at quando intenditur, vel eligitur causa sponsalium, seu alterius contractus, adhuc non existit contractus, & ex alio capite, quando in ebrietate exequitur talis actus, non est humanus, nec liber; ergo erit insufficiens ad causandam obligationem. Nec etiã obstat dicere, ad efficienda Sacramenta sufficere virtualem intentionem, vt dixi, *libr.* 1. *capit.* 3. *dub.* 2. quia Christus Dominus, ex cuius institutione pendet totum hoc, ita voluit, ne scilicet valor Sacramenti subiiceretur periculo inaduertentiæ, aut inconsideratiæ, ne passim fierent inualida Sacramenta, cum vix possimus in aduertentia, seu deliberatione permanere. At obligatio contractus, quæ moralis est, & humana, pendet, & oritur ex natura ipsius contractus, ideoque ipse in se debet esse humanus, & liber. Nihilominus tamen si sponsalia in se sint volita, vt si cœpit ea contrahere cum perfecta deliberatione, quamuis perficiantur absque deliberatione, & cum inaduertentia, probabile est tunc sufficere virtualem deliberationem, vt docet Sanchez *sup. disp.* 8. *num.* 11 & in simili dixi de voto *loco sup. citat.* quia tunc contractus potest dici volitus, & deliberatus, dum actu fit.

6 Sequitur etiam, & à fortiori, sponsalia contracta ab habente lucida interualla, dum non est mentis compos, non esse valida, quia non adest vsus rationis necessariò requisitus: benè vero si illa contrahat, dum habet lucida interualla, & vtitur ratione peccabit tamen, nisi per aliquas personas coniunctas proles legitimè educaretur. Qui verò insaniunt in vna materia, in alia non, possunt valide contrahere sponsalia, vel matrimonium, sunt enim ij capaces meriti, vel demeriti, & tenentur peccata confiteri, & suscipere alia Sacramenta, ita Sanchez videndus, vide etiam Coninch. 3. *p. q.* 64. *art.* 8 *dub.* 2. *num.* 24.

7 Sed dices quid dicendum, quando est dubium, an sponsalia sint facta in ebrietate, an verò tempore sanæ mentis. Respondeo, si promittens certus sit de promissione, dubitat tamen, an promiserit tempore ebrietatis, vel phrenesis, vel tempore sanæ mentis, existimat, Sanchez loquens de voto, in Decalog. *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 15. præsumendum esse pro promissione, quia possessio stat pro illa. At tamen si promittens verè dubius existeret, eo quòd non recordaretur bene de promissione, neque actus ostenditur ita benè gestus, vt tollat dubium existimo probabile promissionem non valere, & posse sic dubitantem, deposito dubio, agere contra promissionem, vt dixi de voto, vel iuramento in Decalug. *dub.* 1. *cit. n.* 5 cum Castru Palao, & Suarez, quia tunc verè dubitatur, an sit promissio, aut sponsalia; cum dubitetur an sit aliquid essentialiter requisitum ad illa, quale est libertas; ergo in fauorem libertatis est iudicandum; etenim in casu dubij præsumendus est vsus rationis in iis, quæ spectant ad fauorem personæ; non vero in iis, quæ ei oneris, & obligationis sunt, *ex regul. iur. in* 6. *Quod in gratiam alicuius conceditur non debet in odium eius retorqueri.* Quod si promissio tempore ebrietatis, phrenesis, aut somnij facta sit, dubitatur tamen, an tunc fuerit plena ebrietas aut phrenesis tollens libertatem existimo cum DD. citatis promissionem non obligare; quia cum illa soleant à mente alienare non est præsumendum, valide promisisse, vide in Decalog. *loc. cit.* vnde hæc desumpta sunt.

8 Quæres tamen, an sponsalia metu graui iniusto facta sint valida, Sanchez *lib.* 4. *disp.* 19. *& gl. in cap. ex literis*, ac Bonacin. *tom.* 1. *quæst.* 1. *de sponsalib.*

sponsalib. punct. 9. numer. 6. & quæst. 3. punct. 8. *n.* 31. respondeot negatiuè, quamuis sint iurata, & consequenter doceot ex illis non oriri impedimentum publicæ honestatis; probabilius tamen est, esse valida, vt docent Henriquez *lib.* 11. *de matrim. c.* 9. Coninch. *disput.* 28. *numer.* 7. Ledesm. *cap.* 7. *de matrim in sum. conclus.* 4. quia ius ea non irritauit, sicut irritauit matrimonium, vt dicetur infra, & ex alio capite iste contractus est simpliciter voluntarius, quamuis admixtus sit cum inuoluntario secundum quid, vt de contractibus in communi dixi io Decalog. *libr.* 7. *capit.* 16. *dub.* 4. *numer.* 2. & 4. Veniunt tamen Imitanda more aliorum contractuũ qui ex tali metu fiunt, vt dixi locis citatis, & colligitur *ex dict. cap. ex litteris*, potest enim persona coacta cedere iuri suo acceptato, ob iniuriam sibi illatam ad extorquendam promissionem: & petere à iudice, vt ea dissoluat sponsalia, allegando, & probando, esse ob metum grauem, & iniustum facta. Hurtad. *disput. de matrimon. diff.* 35. *num.* 65. Imo in foro conscientiæ, qui passus est metum, potest illa irritare, seu ab iis discedere propria authoritate, nam sicut habet actionem petendi recissionem à iudice, ita propria authoritate poterit, vtendo ea exceptione, nolle iis stare; vnde si noluerit, vti ea exceptione tenebitur ad sponsalia. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 10 *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 129. vide de hac quæ dicoe infra *capit.* 6. *dub.* 2. *versic. Quæres quinto*, A fortiori sunt valida contracta ob metum leuem, possunt tamen in foro conscientiæ dissolui, ne metum incutiens reportet commodum: in foro autem exteriori non datur actio; nam in iure non habetor ratio metus leuis, *l. nec timorem, ff. de eo quod met. caus.* alioquin daretur causa multis litibus, vt benè Sanchez *disput.* 4 *num.* 4. & cum eo Bonac. *loco cit.*

Dub. IV.

Vtrum promissio matrimonij, ex animo premittendi facta, cum animo non se obligandi, sit valida ad obligandum.

1 HVius dubij solutio facilè constat ex his, quæ dixi in Decalogo *lib.* 2. *capitul.* 2. *dub.* 10. *de iurament. num.* 3. & *eod. lib. cap.* 2. *dub.* 1. *de voto q.* 1. Io qua re certum est, primò, eum, qui dum promittit non habet animum verè promittendi, non esse obligatum ex vi promissionis; quia nolla datur vera promissio, ideo non parit obligationem. Dixi *ex vi promissionis*, quia potest teneri ratione damni illati, si quod secutum, sit ex illa ficta promissione; vt dicemus infra.

2 Certum etiam est secundò, eum qui verè promittit matrimonium, aut rem aliam, animo verè se obligandi cum animo tamen expresse non exequendi obligationem, seu promissionem, teneri adimplere promissium, vt dixi io Decalog. *lococit. dub.* 1. *de voto, numer.* 14 & docent de voto Sanch *lib.* 1. *de matrim disp.* 9 *num.* 2. Suarez *lib.* 1. *de voto cap.* 4. *n.* 2. & communiter DD. quia executio promissionis non est de essentia illius.

3 Difficultas igitur est de promittente verè, sed cum animo non se obligandi, Hurtad. *disp.* 1. *de matrim. diff.* 10 *n.* 38. putat obligare ex fidelitate, non verò ex iustitia, Vasquez vtroque modo, *disp.* 6. Coninch antem *disput.* 21. *dub.* Sanch. *lib.* 1 *disp.* 9. Bonacin. *quæst.* 5. *de sponsalib punct.* 1. *n.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *cap.* 7. *num.* 239. & alij apud Henriq. *lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 2. existimo dictam promissionem nullo modo obligare, vt etiam dixi de voto *loco citat.* *num.* 12. quia talis non censetur verè, adæquatè, & efficaciter promittere; nam obligatio est de substantia promissionis, vel saltem consequens, aut connotatum essentiale; ergo intendens non se obligare agit contra naturam, & substantiam promissionis, & se habet, ac si non promitteret: & confirmatur, quia promissio est quasi quædam priuata lex, quam promittens sibi imponit, nulla autem lex obligat, quando legislator vult eam non obligare. Potest tamen hic ex alio capite obligari, vt ratione scandali, aut damni illati.

4 Dico primò, ex his opinionibus tertiam existimo probabiliorem, & veriorem ob rationes ibi adductas, quæ sententia procedit, etiamsi tali promissioni addatur iuramentum, vt pluribus Sanchez *lib.* 1. *disp.* 8. *num.* 2. & cum eo Filliuc. *supra*, quia iuramentum sequitur naturam actus; at actus, seu promissio est inualida; ergo.

5 Dico secundò, promittens sponsalia, aut quidpiam non excludendo obligationem, nec se obligando positiuè, si sciebat, obligationem sequi promissionem, vel illi esse annexam, manet obligatus, Bonac. *n.* 4. *cit.* Filliuc. *ubi supr. n.* 238. *vers. Secundo.* Hurtado *loc. cit. n.* 36. Ratio est, quia dum promisit, erat conscius naturæ promissionis, licet tunc non meminerit obligationis; ideò tunc vera erunt sponsalia; nam cum non apponat explicitè intentionem contrariam, censetur intendere se obligare. Secus autem si ignorabat naturam promissionis, & obligationem ex ea consurgere, vel credebat eam non obligare; tunc enim inualida erunt sponsalia, quia nec explicitè censetur habuisse animum se obligandi. Bonac. *dict. n* 5. Filliuc. *loc. cit. vers. Quarto* & à simili dixi *dub.* 1. *cit. de voto n.* 13. quomodo intellige ibi dicta contra Hurtado *loc. cit. n.* 1. Quòd si quis facta promissione dubitet, an quando promiserit, sciret obligationem ex voto consurgere, vel an habuerit animum se obligandi, tenetur promissione, quia possessio stat pro promissione: & quia probato facto, præsumitur interuenisse omnia illius requisita, *cap in præsentia de probat.* Limita tamen, nisi promittens opinetur, se non vouisse, aut promisisse, seu nesciuisse obligationem ex promissione consurgere, vel non habuisse animum se obligandi: tunc enim excusari posset ab impletione promissionis, vt in simili de voto dixi cum Bonacina & aliis *dub.* 1. *citat de voto num.* 13.

6 Dico tertiò, si quis dum promisit sponsalia habuit animum se obligandi, & sufficientem vsum rationis, ac deliberationem, si statim data fide habuit animum non se obligandi, aut ipsum de promissione pœniteat, adhuc manet vere obligatus, & sunt valida sponsalia, quia obligatio orta erat ex vera promissione, quæ non potest auferri per pœnitentiam, vt dixi *dub. anteced. n.* 3. & tenet Filliuc. *sup. vers. Tertiò*, & ex se patet.

Dub. V.

Vtrum promissio ficta matrimonij sit valida ad obligandum.

1 NOta, promissionem fictam, quoad præsens, dici illam, quæ fit solis verbis absque promissione interiori, aut cum animo non se obligandi, vt benè Sanchez cum multis *lib.* 1. *disp.* 9. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *q.* 1. *de matrim punct.* 2. *n.* 3.

2 Vasquez *disput.* 6 *num.* 27. & Basil. *lib* 12. *cap.* 2. absolute affirmant esse validam, quia talis promissio quantumuis verbalis, est vera respectu hominis. Hurtado *disp.* 1. *de matrimon diff.* 11. existimant

esse validam ad obligandum ex fidelitate, non verò ex iustitia, nisi per accidens ratione scilicet damni secuti. Sanchez verò *lib.1.disp.9.num* 26. Coninch *disp.21.dub.2.num.7.* Henriq.*lib.11.cap.11.num.11.* absolutè negant esse validam, & cum multis Bonac. *sup. num.2. versic. Dixi.* vbi dicit talem fictam promissionem, neque ex iustitia, neque ex fidelitate obligare, quam sententiam existimo verissimam; nam iustitia, aut fidelitas obligare non possunt ad id, quod non est verè promissum; at ficta promissio non est vera promissio, sed solo nomine; ergo non erit fœcunda ad pariendam obligationem, nec etiam ex fidelitate; nam obligatio ex fidelitate etiam supponit veram promissionem; aliter enim si non sit vera, idem est, ac si nulla existeret promissio; nulla autem existente promissione quomodo potest oriri ex illa aliqua obligatio, cum non entis nullæ sint qualitates? Peccauit tamen fictè promittens, quia decepit alterum qui non poterat facilè cognoscere illius deceptionem, non tamen tenetur stare promissioni, nec adimplere sponsalia ex vi promissionis, seu sponsalium, nisi ratione damni, si fortè alter patitur; aut ratione scandali vitandi, si aliter vitari non potest, vt infra.

3 Procedit autem hæc tertia sententia, etiamsi fictè promittens suam fictam promissionem iuramento confirmauerit, si dum promisit, & iurauit, non habuit intentionem verè promittendi, & se obligandi; quia tunc, & promissio, & iuramentum est nullum, vt dixi *dub. antecedent.* & in Decalog. *locis dub. proximo citat.* ideoque ex illo nulla consurgit obligatio, nisi per accidens, ratione scilicet damni, aut scandali inde secuti. Dixi, *si non habuit intentionem, &c.* nam si dum iurauit, habuit animum se obligandi, certum est teneri illud implere, quia verè iurat, & ex animo: at ex tali iuramento in re licita, certum est oriri obligationem illud adimplendi. Bonac. *dict.p.2.num.4.* & alij.

4 Aduerte tamen, regulariter loquendo, fictè contrahentem sponsalia, vel matrimonium, teneri verè consentire, quia contractus est mutuus: do, vt des, & alter iam impleuit promittendo, vel tradendo possessionem sui corporis per vera sponsalia, vel matrimonium; ergo fictus tenetur etiam implere: deinde quia semper sequitur notabile damnum alteri, & fœminæ præcipuè, ex quo alteri non poterit nubere, vel certè, non tam facilè, vt bene Syluest. *matrim.4. quæst.8.* Nauarr. *cap.22.num.79.* Henriq. *lib.11.cap.11. num.3.* At si nullum damnum ex his sequatur, probabile est, non teneri ad verè consentiendum, vt docet Sanchez *disp.11. num. 5.* Filliuc. *tom.1.tract.10.c.7.n.152.*

Dvb. VI.

Vtrum qui deflorauit virginem spe fictæ promissionis matrimonij, teneatur eam ducere.

1 HVrtado *disp.1. de matrimon. diff.12.* tenet, si solis verbis exterius promissionem denotantibus fictè promittat, absque animo interiori se obligandi, teneri ex fidelitate sub veniali ad eam ducendam: quòd si eam non ducat, teneri ex iustitia sub mortali ad reficiendum damnum dote, aut aliter: si verò simulate tantum promisit, non teneri ex fidelitate ad eam ducendam, sed ad damnum resarciendum; ponit enim distinctionem inter fictam promissionem, & simulatam, & ait, fictam promissionem esse illam, quæ solum exterius fit verbis significantibus promissionem, absque animo tamen interius se obligandi: simulatam autem esse, quando non profert verba promissionis, sed simulat proferre, & hanc existimat propriè fictam: aliam vero dici impropriè fictam, & propriè merè externam, proinde asserit ex hac promissione merè exteriori, & impropriè ficta oriri obligationem, ex fidelitate, quia quamuis sit ficta in ratione contractus obligantis ex iustitia, non verò in ratione promissionis; ex illa verò, quæ simulate tunc fit, ait nullam oriri obligationem ex infidelitate. Certè non capit mea mens hanc distinctionem; nam aut quando hic simulate promittit, profert verba, quibus dignoscatur se promittere, aut non: si primum; ergo coincidit cum promissione merè externa promissoriis verbis prolata: si secundum, nulla erit promissio, nec signum promissionis, si verba illa non significant promissionem. Quare dicendum existimo, dari promissionem veram, quæ fit animo se obligandi, quæ quidem si fiat interius tantum, dicitur interna, si interius, & exterius, dicitur interna, & externa simul; si verò exterius, & solis verbis tantum, absque animo se obligandi, dicitur ficta, falsa, & simulata, quia fingit se promittere, cum reuera non promittat, proindeque ex tali promissione nulla, nec etiam ex fidelitate, oritur obligatio.

2 Reiecta igitur supradicta distinctione, & sententia, existimo dicendum absolutè, hunc teneri sic defloratam ducere, non ratione fictæ promissionis, sed ratione damni illati ratione fictæ promissionis, nec satisfacere deceptam dotando, seu iuuando illam ad nuptias, vt docent Vasquez *disp.6.de matrim.* Sanchez *lib.1.disp.10.* Lessius *lib.2. cap.10.* Bonac. *quæst.1.de sponsalib punct.2.num 4.* & aliis, quos secutus sum in Decalog.*lib.7.cap 9 dub.3.* vbi ex professo hanc quæstionem exagitaui; & etiam dixi de eo, qui fictè promisit matrimonium viduæ, aut aliàs corruptæ, quam sub ficta promissione cognouit: vide ibi, nam nihil amplius occurrit dicendum, & Villalob. *1.part.tract.12.diff.3.*

3 Quòd si quæras, quid dicendum de eo, qui virginem violauit absque promissione matrimonij. Respondeo dicendum, vt dixi in Decalogo *l.7.c.9. dub.2* & de obligatione illius, qui eam sub vera matrimonij promissione violauit, dixi *dict.dub.3.citat.*

Dvb. VII.

Quibus verbis contrahantur sponsalia, & matrimonium.

1 COnueniunt Doctores, primò, ad sponsalia, aut matrimonium non sufficere enunciationem, aut locutionem solius intellectus, seu consensum merè internum, sed debere hunc significari aliquo signo externo, vt dictum est *dub.1.* Conueniunt secundò, ad sponsalia, & ad matrimonium non esse necessaria verba, sed sufficere quodcumque signum externum sufficiens ad exprimendum consensum internum, vel de futuro ad sponsalia, vel de præsenti ad matrimonium, siue id significent ex communi institutione, siue ex patriæ consuetudine, siue ex particulari contrahentium conuentione: vnde sponsalia, & matrimonium sufficienter contrahuntur, non tantum verbis, sed etiam scriptura, & nutibus: imò & taciturnitate, *vt infra.* Conueniunt tertiò, quando sensus verborum absolutè, simpliciter, & certò, sine addito, est de futuro, contrahi per illa verba sponsalia, vt promitto tibi matrimonium, vel te ducturum in matrimonium: si verò sensus certus verborum sit de

præsenti

præsenti fine addito, tunc fieri per illa verba matrimonium, vt accipio te in vxorem. Conueniunt denique non esse formam determinatam, seu verba ad contrahenda sponsalia: vt cum aliis Sanchez *lib. 1. disp. 18. n. 2.* & Bonac. *tom. 1. qu. 1. de sponsal. punct. 1. num. 16.* ideo dubitatur de aliquibus verbis, aut formulis, an scilicet per illa contrahantur sponsalia, an vero matrimonium, quod subsequentibus conclusionibus explicabitur.

2 Dico primò, per hæc verba: *Accipio te in meam ex crastino.* Coninch *disp. 21. n. 37.* & Hurtad. *disp. 1. de matrim diff. 13. n. 51.* existimant contractum matrimonium; quia ex nunc fit traditio corporum, etsi executio suspendatur in crastinum, sicut sunt hæc verba: *Do tibi librum in crastinum*: verius tamen existimo cum Sanch. *l. 1. disp. 18.* Filliuc. *tom. 1. tr. 10. c. 7. n. 242.* & aliis tantum contrahi sponsalia; quia talis consensus ratione additamenti est de futuro, aut saltem executio pendet à tempore futuro.

3 Dico secundò, per hæc verba: *Accipiam te in meam*, certum est non contrahi matrimonium, sed sponsalia, quia communiter accipiuntur, vt promissoria, & de futuro: quod verum etiam est, quamuis eis addatur aliquid de præsenti, vt: *Ex nunc te accipiam in meam*, quia his verbis, neque implicitè significatur consensus de præsenti, sed tantum de futuro. Hurtado *sup. verf. Circa, num. 51.*

4 Dico tertiò, per hæc verba: *Habebo te in meam*, aut, *eris mea*, aut, *tractabo te sicut vxorem*, non matrimonium, sed sponsalia contrahuntur, ita cum Coninch, & Sanchez, Hurtado *sup. n. 53.* quia illis verbis tantum significatur habitatio de futuro, & quamuis supponant traditionem corporis de præsenti, non tamen est facta quando proferuntur verba, sed postea est facienda. Hæc autem verba; *Ex nunc tractabo te sicut vxorem*, aut, *ex nunc habebo te in meam*, aut, *ex hoc tempore*, vel, *semper*, vel, *deinceps*, vel, *omnibus diebus vitæ meæ habebo te in vxorem*, explicantur pro matrimonio de præsenti, Sanchez *disp. 18. num. 20.* Hurtado *supra num. 52.* & cum aliis Bonac. *sup. num. 18. ex cap. ex parte 9. de sponsalib.* quia eis fit tacita corporum traditio, eum nequeat ex tunc tractari, & haberi tanquam vxor, quæ antea non erat vxor.

5 Dico quartò, per hæc verba: *Volo tecum contrahere*, vel, *volo te habere in vxorem*. Cardinal. *in cap. ex literis 7. de sponsalib.* existimat fieri matrimonium, Sanchez solum sponsalia, Coninch. *vbi supra num. 26.* putat nihil fieri, sed solum significari desiderium ducendi, aut habendi illam in vxorem. Ego verò existimo cum Hurtado *sup. num. 54.* prædicta verba esse æquiuoca, nam possunt significare consensum de præsenti, & de futuro, & nudum desiderium postea contrahendi, ac proinde iudicanda est mens contrahentium: vnde si proferens velit significare consensum de præsenti, & alter id intelligat, & è contra, fiet matrimonium; & si velit alteri offerre fidem matrimonij, & alter id intelligat, & è contra, fient sponsalia; & si solùm velit significare simplex desiderium postea contrahendi, nihil fiet. In foro autem exteriori, & iudiciali, in quo non iudicatur de intentione, sed res ex verbis discernuntur, ex prædictis verbis secundum se sumptis, iudicabitur nihil fuisse factum, quia ad eorum veritatem sufficit desiderium postea contrahendi, quo nihil fit. Dixi, *secundum se sumptis*, quia si proferantur, quando post tractationem matrimonij conuenitur ad illud contrahendum, iudicabit iudex matrimonium fuisse factum: si verò proferantur post tractationem de sponsalibus, iudicabit sponsalia fuisse facta. Hurtado videndus *vbi sup. num. 54.*

6 Dico quintò, per hæc verba: *Nullam duco nisi te*, fieri matrimonium; & per hæc alia: *Nullam ducam nisi te*, fieri sponsalia, existimant Syluest. *verb. Sponsalia*, Palud. & Adrian. quia putant, sensum illorum verborum esse exceptiuum, id est, *nullam ducam, & te ducam*, quo contrahitur matrimonium; & *nullam aliam ducam, & te ducam*, quo contrahuntur sponsalia, Hurtado *dict. diff. 14. num 56. & 57.* ait per illa verba de præsenti dicta fieri matrimonium, quia putat exceptiua: per alia vero de futuro, nihil fieri, quia existimat esse conditionalia. Nauarr. *capit. 22. num. 25.* Henriquez *lib. 11. cap. 12. num. 7.* Filliucius *supra num. 245.* Coninch *disput. 21. dub. 3. num. 29.* Sanchez *disp. 19. num. 3.* Bonacin. *tom. 1. quæst. 1. de sponsalib. punct. 1. num. 13.* & alij communiter, existimant, & meritò, per verba supradicta, nec fieri matrimonium, nec sponsalia; quia communiter hæc verba faciunt consensum conditionatum, & non exceptiuum, nec sufficienter exprimunt consensum de præsenti, nec de futuro, nisi adsint aliæ coniecturæ, id est, nisi ex coniecturis appareat, contrahentes voluisse per illa verba contrahere sponsalia, vel matrimonium. Et confirmatur, quia hæc verba: *Non ero nisi Carthusianus*, non faciunt sensum exceptiuum, sed conditionalem, vnde vouens non tenetur simpliciter ingredi illam Religionem, sed ex suppositione, quòd voluerit fieri Religiosus, vt patet ex dictis de voto; ergo idem dicendum in proposito.

7 Dico sextò, quando verba, quibus celebrantur sponsalia, habent duplicem sensum in foro conscientiæ, standum est intentioni contrahentium, cap. *intelligentia de verbor. signific.* forum enim conscientiæ non innititur præsumptioni, sed intentioni, & veritati. Sanchez *lib. 1. disp. 18.* & cum aliis Bonac. *supra num. 14.* vbi addit & benè, in foro interiori seruandum esse idem, quod seruatur, & iudicatur in foro exteriori, quando forum externum non innititur falsæ præsumptioni: secus autem si illi innitatur, & manifesta sit veritas in oppositum; tunc enim non est idem seruandum in foro interiori, secluso damno, vel scandalo. Hinc fit, quando dubitatur, vtrum, in sponsalibus adfuerit animus se obligandi, iudicandum esse in foro interiori adfuisse, quia forum externum id iudicaret, non adhærendo falsæ præsumptioni, eo quòd obligatio naturaliter consequatur promissionem, nisi voluntas expressè illam excludat: & quia nemo creditur dicere, quod in corde non habet. Ita cum Sanchez, & Gutierr. Bonac. *sup. num. 15.*

8 Notandum tamen, matrimonium contrahi quibuscumque verbis contrahentes exprimunt consensum de præsenti, & sponsalia celebrari quibuscumque verbis consensus de futuro exprimatur, etiamsi verba, aut signa id non significent ex communi impositione, neque ex consuetudine, neque ex præuia aliqua conuentione contrahentium, quis tunc verè reperitur exterioris consensus expressio, quæ quantum est ex se, sufficit ad contrahendum. Hurtado *sup. num. 58.* Ex quo fit, quando contrahentes adhibent verba de præsenti ex conuentione, ad significandum solum consensum de futuro, valere non vt matrimonium, sed sponsalia, & è contra, quando verba significant consensum de futuro, & sponsi illa adhibent ad significandum consensum de præsenti, valere ad matrimonium. Ratio est, quia ad contrahenda sponsalia non requiruntur determinata verba, sed sufficiunt quæcumque signa, quibus manifestetur interior consensus, vt diximus *sup. num. 1.* & docent Sanchez *lib. 1. disp. 18. num. 2.* & cum aliis Bonacin. *sup. numer. 16.* consensus autem manifestari

festari potest per quæcumque verba ex intentione, & couuentione contrahentium prolata, etiamsi aliud communiter significent. Dixi, *ex intentione, aut conuentione contrahentium*; nam si aliter contrahentium illa verba sumat secundum se, erit matrimonium, si siot de præsenti, & sponsalia, si siot de futuro. Bonac. cum aliis *num cit.*

9 Sed dices, quid faciendum, quando verba dubia sunt, & non constat de inteotione proferentis. Respondeo, & dico primò, contrahentes compellendos esse ad seruanda verba in eo sensu, quem rectè intelligentes solent ex illis percipere, vt ait Alexand. III. *cap. ex litteris 1. de sponsalib.* & benè probat Sanchez *disp. 18. citat.* Secundò, spectandam, esse regulam Hilarij IV. *de Trinit.* nimirum, vt verborum dubiorum significatio desumatur ex causis de quibus agitur, *capit. intelligentia de verbor. signif.* consequenter videndum est, vtrum ageretur de sponsalibus, vel de matrimonio, sicque pro negotio, de quo agitur, explicanda sunt verba dubia. Tertiò dico, standum esse iudicio fori externi, modò non innitatur falsæ præsumptioni, vt dixi *num.* 8. Sanch. *lib. 1. disp. 18. num.* 8. Reginald. *lib. 31. num.* 46 Bonac. *sup. num.* 17. & alij. Hinc fit, quando consultus contrahens adhuc manet dubia illius intentio, iudicandum esse in fauorem matrimonij, aut puellæ, nisi fortè periculum mali exitus timeatur, vt benè Henriquez *lib. 11. cap. 3. n. 6.* & Ledesm. *in sum. conclus. 3.* cum Sylu. *matrim. 2. q. 8.*

10 Quæres, an aliqua signa præter verba sufficiant ad contrahenda sponsalia, vel matrimonium. Respondeo affirmatiue, nam cum ad hæc contrahenda non fiut præscripta, nec necessaria verba, sufficit aliquando aliquod factum, aut signum, quo interior consensus manifestari solet, tale est, missio annuli in digitum, vel missio torquis ad collum, vel porrectio manus, vt si sponsus petat sibi manum ab sponsa porrigi, ad celebranda sponsalia, vel matrimonium, & ipsa manum porrigat. His igitur factis, vel signis, possunt celebrari sponsalia, vel matrimonium, vbi tamen id positum est in consuetudine. Quare quando agitur de sponsalibus, missio annuli in digito, &c. sufficit ad sponsalia; si verò agatur de matrimonio, sufficiunt prædicta ad illud contrahendum. Dixi, *vbi est consuetudo*, nam illa facta sunt signa æquiuoca, & possunt alio fine fieri, ideoque requiritur, vt determinetur secundum intentionem contrahentium, vel patriæ consuetudinem ad sponsalia, vel matrimonium. Sanchez *dist.* 18. cum aliis Bonac. *sup. part. 1. num.* 10. & Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 17. num.* 148. vbi cum Syluest. *verb. Sponsalia, initio*, & Sanchez *disp. 22.* tenet, quando habito tractatu inter amicos de matrimonio contrahendo, sponsus mittit arrhas, vel iocalia, nihil aliud exprimens, & sponsa acceptauit, sunt sponsalia, est enim id sufficiens signum repromissionis, & tacens acceptando censetur consentire.

11 Quæres etiam, an taciturnitas sufficiat ad manifestandam promissionem, & consensum ad sponsalia requisitum. Respondeo breuiter, quando parentes contrahunt pro filiis, sufficere præsentiam, & taciturnitatem contrahentium, modò contrahentes saltem inter se consentiant: probatur *ex cap. vnico de sponsalib. in 6.* Ratio est, quia cum parentes plus diligant filios, quàm se ipsos, præsumitur rectè eos illis consulere; ideo iure optimo taciturnitas filiorum reputatur consensus: si verò alij contrahant, non satis est, sed requiritur aliud signum externum exprimens consensum internum, quia *in d. cap. vnic.* tanquam quid speciale statuitur de parentibus, & in hoc casu valet illa regula iuris in 6. *Qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur.* Illa autem altera regula iuris in 6. *Qui tacet consentire videtur*, intelligitur in fauorabilibus, non verò in odiosis obligatoriis, aut sibi præiudicantibus, qualis est materia, in qua versamur. Sanch. *infra num.* 14. Bonac. *sup. cum aliis n.* 13. Limita tamen, nisi consuetudo loci obtinuerit, per alios etiam explicari consensum, vt contingit apud Indos, teste Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 23. q. 12.* Dixi, *in præsentia*, nam si parentes contrahant pro filiis absentibus, non satis est, vt quando filij id nouerint, taceant, & non reclament, sed debent etiam ratificare tacitè, vel expressè aliquo signo externo, vt colligitur *ex d. cap. vnic.* vt cum Sanchez *dict. disp.* 23. existimat Filliuc. *sup. num.* 149. Probabile tamen est, talia sponsalia esse valida, si filij dum intellexerint, non contradicant, vt docent Gutiert. *cap. 13 de matrim. num.* 1. Conioch *disp.* 21. *dub. 3. num.* 34. Nauarr. *cap. 22. num.* 58. & cum aliis Bonac. *loc. cit. vers. Respondeo.*

Dub. VIII.

Vtrum sponsalia incerta sint propriè sponsalia, & obligatoria.

1 Dico primò, sponsalia incerta non sunt propriè sponsalia, & perfectè; nam sponsalia sunt quasi matrimonium inchoatum, & præuia ad illud; at matrimonium debet esse cum certa & determinata persona, vt dicitur; ergo & sponsalia: & confirmatur, quia ex veris sponsalibus nascitur impedimentum publicæ honestatis; at hoc non oritur ex sponsalibus incertis, *ex cap. vnic. de sponsal. in 6.* ergo sponsalia incerta non sunt propriè sponsalia. Ita Coninch *disp. 21. dub. 2. num.* 16. Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 7. num.* 250. & cum aliis Bonac. *tom. 1. quæst. 1. de sponsal. punct. 3. n. 1.* contra Syluest. *matrim. 7. num.* 11. vnde non erunt sponsalia perfecta quando Petrus promittit tribus, vel quatuor filiabus Ioannis, se vnam ex illis ducturum, & ipsi similiter repromittunt.

2 Dico secundò, hæc incerta sponsalia redduntur certa, & perfecta, quando promissor postea determinat personam, qua determinatione facta, statim oritur impedimentum publicæ honestatis, ex Trid. *sess. 24. c. 1.* sufficienter autem præsumuntur determinari sponsalia, si sponsus postea cum aliqua earum habeat copulam: præsumitur enim accessisse ad eam, animo eligendi illam, cum per copulam fiat affinis reliquis sororibus, ita vt non possit vnam aliarum ducere, Sanch. *lib. 1. disp. 16. num* 22. Coninch *vbi sup* & Bonac. *loco cit. num* 3.

3 Dico tertiò, potest promissor cogi ad implendam promissionem, & vt ducat vnam ex illis; quia promissio fuit vera, consequenter obligatoria: at si vna illarum renuat, non tenetur aliam ducere, nisi expressè se ad id obligasset, aut nisi electio relicta esset in potestate illarum, quia tunc non stat per se, nec pertinet ad illas electio, nisi id sit expressum. Sanchez *sup.* Coninch *disp. 22. dub.* 8. *num.* 56 & cum aliis Bonac. *sup. num.* 4.

4 Dico quartò, quando pater promisit Caio cum iuramento, tradere vnam ex filiabus, quas habet non tenetur, si interim Caius cognoscat vnam earum, Sanch. *disp. 26 l. 1. n.* 4. Coninch *disp. 22. dub. 8. n.* 55. Bonac. *sup.* Ratio est, quia non tenetur tradere ab illo cognitam, nam liberum erat patri tradere quam vellet, qua libertate non est priuandus ob copulam Caij delinquentis. Neque tenetur aliam tradere, propter impedimentum honestatis ortum ex copula cum sorore. Bonac. *num.* 5.

5 Dico

5 Dico quintò, si Caius respuat vnam illarum à patre electam, pater non tenetur ad tradendū aliam etiamsi Caius nullam illarum carnaliter cognouerit; nam electio pertinet ad patrem, qui promisit, nec per ipsum stat, ne aliquam tradat: si verò antequam pater elegerit vnam tradere, reliquæ tres moriantur obligandus videtur pater ad tradendam superstitem; alioquin enim pater non staret promissioni, quam adhuc adimplere potest. Bonac. *num.* 6. cum Sanchez *loc. cit.* Coninch. *disp.* 22. *dub.* 8. *num.* 54. & aliis.

Dvb. IX.

Vtrum sponsalia clandestina sint valida, & licita.

1 Dico primò, sponsalia clandestina, hoc est priuatim, & absque testibus facta, valida sunt. Ita Henriq. *lib.* 11 *cap.* 5 *num.* 8. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 144. Sanch *disp.* 12. *n.* 2. Fillinc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1 *cap.* 7. *n.* 253. Bonac. *tom.* 1 *quaest.* 1. *de sponsal. punct.* 7. *num.* 11. Hurtad. *de matrim. disput.* 1. *diff.* 16. *num.* 67. vbi ex Rebello refert, ita sensisse Congregationem Cardinalium, dum dicitur, decretum Tridentini, quo statuit, vt matrimonium fiat coram Parocho, & testibus, non habere locum in sponsalibus. Et probatur ratione; quia sponsalia clandestina non sunt irrita iure naturali, vt patet, neque aliquo iure positiuo, quia non extat, & si aliquod esset, maximè prædicto Tridentini; & eo iure non irritatur nisi matrimonium, ergo. Lex enim Tridentini est correctiua iuris communis, ideo non est extendenda vltra casum expressum, *l. præcipimus, C. de appellat.* ergo cum solum irritet matrimonium clandestinum, non est extendenda ad sponsalia clandestina, præsertim cum incommoda, quæ ex matrimonio clandestino sequuntur, non sequantur ex sponsalibus clandestinis.

2 Dico secundò, licet Syluest. *verb. matrimonium* 6. *quaest.* 7. & aliqui existiment, sponsalia clandestina esse illicita, & Caiet. *verb Sponsalia*, putet sic contrahentem peccare mortaliter, verius tamen censeo non esse illicita, vt tenent Sanchez *lib.* 1. *disput.* 13. & Fillinc. Bonac. & Hurtado *vbi sup.* Ratio est, quia nullo iure id prohibetur: non antiquo, *cap. fin. de clandestin. desponsatione*; quia ibi tantum prohibetur matrimonium clandestinum, vt ex declaratione Cardinalium, refert Sanch. *disp.* 13. *cit.* Tum, quia multi promittunt sic in matrimonium, nullo alio præsente, nec vllus soler illis ingerere scrupulum grauioris culpæ: dissuadenda tamen sunt, cum sæpius fiant sine debita circumspectione, & prudentia.

3 Aduerte tamen, modò sponsalia clandestina non transire in matrimonium per subsequentem copulam, sicut transibant iure antiquo; nisi fortè copula habeatur animo maritali coram Parocho, & testibus. Bonacina cum aliis *sup. num.* 11. & communiter Doctores.

Dvb. X.

Quanam ætas requiratur ad sponsalia.

1 Supppno, ad valorem sponsalium requiri vsum rationis necessariò, aliter enim sunt inualida nam sunt verè contractus; ad validitatem autem contractus requiritur necessariò vsus rationis, vt tenet communis DD. & dictat ipsa ratio naturalis.

2 Suppono secundò, de iure naturali, & diuino nō esse tempus determinatum ad contrahenda sponsalia, sufficereque vt contrahentes habeant vsum ra-

tionis, sicut eodem iure sufficit ad alios contractus; dubium ergo procedit de iure positiuo Ecclesiastico,

3 Dico igitur, de iure positiuo Canonico ad validitatem sponsalium requiritur septennium completum, tàm in masculis, quàm in fœminis, ita disponitur, aut dispositum supponitur in cap. *litteras* 4. & *in capit. accessit* 5. & *in capit. dissoluendum* 13. *de sponsal. impuberum in Decretalibus, & in cap. vnico, eo titul in* 6. Est autem sic à iure Ecclesiastico dispositum; quia iure naturali requiritur ad sponsalia vsus rationis sicut ad quemcumque alium contractum, & quia regolariter ante dictam ætatem non adest vsus rationis; ideo, &c.

4 Est tamen difficultas primò, an ad valorem sponsalium requiratur septennium mathematicè completum, id est, quòd vnos non deficiat dies; an verò sufficiat quòd sit completum moraliter, id est, quòd solum desint octo, aut quindecim dies. Sotus *in* 4. *distinct.* 22 *q.* 7 *art.* 2. Rebellus *lib.* 4. *q.* 5. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 13. *n.* 9. Ledesm. *in summ. cap.* 3. *de matrim. concl.* 6. *dub.* 1. docent sufficere septennium moraliter completum; quia quod parum distat, nihil distare videtur. Sanchez verò *l.* 1. *disp.* 16. Coninch. *disp.* 21. *num.* 51. Basil. *lib.* 12. *cap.* 5. & cum his Hurtad. *disp.* 1. *de matrim. diff.* 14. *num.* 59. docent, & verius, requiri septennium completum mathematicè; quia tempus hoc in sponsalibus est præscriptum sicut pretium in rebus, at pretium consistit in indiuisibili; ergo hoc septennium; quare hîc non potest habere locum illa regula, *quod parum distat, nihil distare videtur.* Addit etiam Hurtado sponsalia esse inualida, si contrahantur eadem die, qua completur septennium; nimis quidem rigida sententia, ideo existimo cum Basilio *supra*, esse tunc valida, quia cum distantia sit tam modica, censetur quasi nulla, & tempus ac si esset completum.

5 Secundò est difficultas, an in sponsalibus malitia suppleat ætatem, id est, an sponsalia sint valida ante septennium modo dicto completum, si ea contrahentes habent vsum rationis, & discretionem sufficientem, ita vt intelligant id, quod agunt. Negat Hurtad. *sup. num.* 61. At S. Thom. 3. *part. q.* 42. *num.* 2. Sotus *vbi sup.* Sanchez *lib.* 1. *disp.* 16. *num.* 9. Fillinc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 1 *cap.* 7. *n.* 258. & cum aliis Bonac. *quaest.* 1. *de sponsalib punct* 4. *num.* 2. verius existimat, de iure naturæ, & in foro conscientiæ, sponsalia contracta multo tempore ante septennium esse valida, si malitia suppleat ætatem. Probatur, nam in matrimonio malitia supplet ætatem iure Ecclesiastico requisitam; ergo in sponsalibus, quæ sunt quædam matrimonij inchoatio: tunc dicitur in matrimonio malitiam supplere ætatem; in viro ante decimum quartum annum, & in fœmina ante duodecimum, quando ij cognoscunt naturam contractus coniugalis, & habent potentiam generandi. Quòd autem in matrimonio malitia suppleat ætatem, patet *ex cap iuuenis* 7. *de sponsalib & capit. vnic. de desponsat. impuber in* 6. & probat Sanch. *lib.* 7. *disput.* 104. *num.* 5. si ergo in matrimonio, cuius vinculum strictius est quàm sponsalia, malitia supplet ætatem; ergo à fortiori in sponsalibus.

6 Dixi, *in foro conscientiæ*, nam forum externum, & iudiciale iudicabit ea sponsalia ante septennium contracta inualida, eo quòd sint celebrata contra iuris dispositionem, seu tempus ab eo præscriptum. At si distantia sit parua, vt octo, aut quindecim dierum, probabile est, esse valida, si adsit vsus rationis, vt tenent Sotus, Henriquez, & Ledesma citati in prima difficultate.

Quòd si dicas, in foro conscientiæ idem iudicandum esse, ac iudicatur in foro externo; sed in

foro externo sponsalia iudicantur inualida, si modo tempore antecedant septennium, sunt contracta, quamuis malitia suppleat ætatem; ergo etiam in foro conscientiæ. Respondeo id esse verum, quando forum externum fundatur in rei veritate, & non in falsa præsumptione, vt in hoc casu: at quando malitia supplet ætatem, cessat præsumptio iuris existimantis non habere vsum rationis, sicque tunc statur rei veritati, & non præsumptioni iuris præsumentis non habere vsum rationis, cum reuera habeat, vt supponimus. Attamen si dubitatur ante septennium, an adsit vsus rationis, præsumendum esse, ante septennium non adfuisse, & tunc standum est præsumptioni requirenti septennium: post septennium autem præsumendum est, adesse vsum rationis, seruandumque iudicium fori externi; quia in hoc casu non nititur falsæ præsumptioni; nam ferè semper adest post septennium vsus rationis ad celebranda sponsalia, vt in simili ostendit Sanchez *vbi supra, disp.* 104.*num.*4.& eum eo tenet Bonacina *loco citat. num.*3 *versic. Respondeo.* Quòd si vrgeas, in professione requiri annum decimum sextum completum ita, vt professio vno die antea facta sit inualida, ex Trident. *sess.*25.*cap.*15. & testamentum viri factum ante decimum quartum annum esse inualidum, nisi dies sit inchoatus, *l.qua ætate, ff.qui testament. facere poss.* idem de fœmina, ergo etiam sponsalia facta ante inchoatum vltimum diem erunt inualida. Respondeo negando paritatem: quia natura magis inclinat ad nuptias, quàm ad alios actus politicos, ideo iura irritant professionem, & testamentum facta ante dictum tempus, non verò sponsalia, aut matrimonium, quando malitia supplet ætatem. Bonac.*sup.num.*3.*fin.*

7 Hoc autem pro certo habe sponsalia post septennium contracta, si constat vtrumque, aut alterum ex contrahentibus non habere vsum rationis, esse inualida; quia vsus rationis est de substantia contractus, vt dixi supra: possunt tamen fieri valida huiusmodi sponsalia, si post legitimam ætatem, & vsum rationis expressè, vel tacite ratificantur ab sponsis: quod fieri potest, vel consentiendo de nouo, vel simul habitando, vel sibi oscula tanquam sponsis infigendo, vel mittendo monera, quæ sponsis mitti solent, modò sponsi sciant, à seipsis inita, illaque fuisse inualida: nam si ignorant fuisse inualida, non fiunt valida per ratificationem, vt in simili dixi de voto in Decalog.*lib.*2.*cap.*2. *dub.*1.*num.*17. quia nihil magis est contrarium consensui quam ignorantia, & error, *l.si per errorem, ff de iurisdict. omnium iud.*

8 Tertiò, difficultas est: an contrahentes ante septennium peccent mortaliter, affirmant Nauarr. *cap.*25. *num.*31. Henriquez *cap* 15. *num.*13. Bonac. *sup. num.* 6. probabilis opinio: valde etiam probabile est, nec peccare venialiter, vt docent Sanchez *lib.*1.*disp.*17.*num.*4. Filliuc *loco cit.n.*259. Coninch. *sup.num.*54.& cum his, & Basilio Huttad.*dict.diff.*4. *num.*62. Ratio est, quia etsi à iure irritentur sponsalia ante septennium; non tamen prohibentur, nam *cap.*2. *de sponsalib. impuber.* in quo fundatur prior sententia, tantum prohibetur contrahere matrimonium, & non sponsalia, ante ætatem iure Canonico præscriptam, nisi vrgentissima necessitate interueniente, vt pro bono pacis, vel alia simili necessitate: quod autem ibi tantum prohibeatur matrimonium, & non sponsalia, confirmat illud verbum, *coniungatur*, quod tantum matrimonio de præsenti conuenit: roboratur, quia nulla infertur iniuria tertiæ personæ, nec Sacramento, vt patet ergo nulla contrahitur culpa. De matrimonio autem, communis opinio censet, esse peccatum mortale, illud contrahere ante legitimam ætatem, nisi legitima causa, & Episcopi authoritas intercedat: est enim quid graue, & in dicto cap. secundo prohibitum.

9 Quartò, difficultas est, vtrum maior rationis vsus requiratur ad sponsalia, quàm ad peccatum mortale. Respondet affirmatiuè S.Thom. 3. *part. q.*43.*art.*5. Henriq.*sup.n.*9. & enm aliis Bonac. *sup. num.*4. contra Sanchez *lib.*1.*disp.*16.*num.*15.& alios. Ratio est, quia ad peccatum mortale sufficit aduertentia, & consensus mali præsentis, & ad sponsalia verò requiritur cognitio futurorum; cum sint promissio futuri matrimonij; negari autem non potest, quin requiratur maior vsus rationis ad prouidentiam futurorum, quàm ad consensum alicuius actus præsentis.

10 Quintò, an parentes possint contrahere sponsalia pro filiis, qui nondum peruenerunt ad septennium. Respondeo, non solum parentes, sed etiam tutores, curatores, & consanguineos infantum curam gerentes posse ex graui necessitate pro filiis contrahere sponsalia, constat ex cap. *infantes de desponsatione impuberum in* 6. requiritur tamen, vt filij eum peruenerint ad vsum rationis, expressè consentiant: præsumitur tamen consensus, si id filij postea scientes taceant, & non contradicant. Non autem tenentur, regulariter loquendo, filij consentire, & parentibus in hoc obedire, quia vt dixi in Decalogo *lib.*4.*cap* 1.*dub.*2.*num.*13. filij in his, quæ pertinent ad statum matrimonij, non tenentur parentibus obedire. Nec obstat caput primum de sponsalibus impuberum, vbi dicitur, filium debere adimplere matrimonium, quod pro se nec dum adulto promisit pater: nam intelligendum est, de debito honestatis, non verò de necessitate, & debito præcepti. Bonac.*sup.num.*8.& 9. vbi addit, & benè, admonendos esse parentes, ne compellant suos filios ad consentiendum sponsalibus, alioquin facerent illis grauem iniuriam, quia in materia matrimonij sunt sui iuris. Sanchez *lib.*1.*disput.*25. Henriquez *lib.*11.*cap.*13.*num.*13.& alij. Quando verò sponsalia sunt contracta ab aliquo extraneo pro filiis ante septennium, tunc non fiunt valida, quando filij postea audiunt, celebrata fuisse sponsalia suo nomine, & tacent, & non contradicunt, sed vlterius requiritur consensus aliquo signo expressus, vel saltem tacitus per acceptationem munerum, vel per mutuos amplexus, vel per missionem annuli in digitum, vt dictum est *dub.*7. *num.*11. & docent Sanchez *lib.*1. *disput.*27.*num.*17. Coninch. *disput.*21.*dub.*3. Bonac. *sup.num.*8.& alij, non enim in hoc casu sufficit taciturnitas, & non contradictio, prout sufficit, quando contrahuntur sponsalia pro filiis à parentibus, vel tutoribus, aut cognatis, propter rationem dictam, *dict.dub.*7.*num.*12.

DVB. XI.

Vtrum apponi possit pœna iniustè resilienti à contractu sponsalium.

1 Dico primò, non licet sponsis apponere pœnam in sponsalibus, etiam iniustè resilienti, aut recedenti ab sponsalibus, quæ si apponatur, erit ipso facto nulla. Ita Bonac. *tom.* 1. *quæst* 1. *de sponsal. punct.vlt.num.*1. Filliucius *tom.*1.*tract.*10.*p.*1.*cap.*7. *n.*164. & communiter Doctores, apud Sanch. *lib.*1. *disp.*30.& Gutierr. *de matrim.c.*17.*num.*2. quamuis Molin *de iust.& iur.disp* 151 *vers. Dubium*, & Coninch.*disp.*22.*dub.*5.*n.*19. sentiant oppositum. Probatur tamen nostra sententia, quia id ita dispositum non

non solum in iure ciuili, *in l. Titia* 134, *ff. de verb. oblig. & in l. mulier* 5. *Cod. de sponsalib. & in l.* 39. *Castella titul.* 11. *part.* 5. sed etiam in iure Canonico, *in cap. gemma* 19 *de sponsal.* quod ius non solum habet locum in sponsalibus inualidis (vt vult Basil. *cap.* 19. sed etiam in appositione pœnæ in sponsalibus validis, vt benè Huttad. *de matrim. disp.* 1. *diff.* 18. *num.* 75. quia etiamsi *in d cap. gemma*, casus appositionis pœnæ fuerit in sponsalibus inualidis, ex defectu ætatis; decisio tamen, & ratio dicendi, absoluta est, & generalis. Ratio autem huiusmodi prohibitionis est, quia huiusmodi pœnæ appositio repugnat libertati matrimonij; posset enim quis timore pœnæ à se soluendæ contrahere matrimonium, consequenter coactè, & non liberè contrahere, ideoque iure optimo talis appositio pœnæ à iure prohibetur, & irritatur, ita vt nulla oriatur obligatio. Quæ quidem dispositio iuris procedit, etiam si pœna sit leuis. Bonac. *sup.* Sanch. *disp.* 30. & com Conarr. 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 3. §. 7. Huttad. *sup. num.* 76. quia dicta iuribus pœna absolutè reprobatur: nam pœna, quamuis modica, est vera pœna, & aliqualiter impediens libertatem.

2 Dico secundò, non solum pœna imposita in sponsalibus est illicita, sed etiam, quæ apponitur à parentibus, consanguineis, vel amicis, strictissimis sponsi, vel sponsæ, vel ab eis, quibus sponsi in aliquo subditi sunt, vel ab eis à quibus sponsi possunt pati aliquod damnum graue. Sanchez *dict. disp.* 30. & Doctores citati. Ratio est, quia in *d. cap. Gemma*, generaliter reprobatur pœna, qua contrahentium libertas potest impediri, at pœna inter quoslibet ex his potest impedire libertatem contrahentium. Non tamen prohibentur conuentiones pœnales inter extraneos, vel non propinquos, vel amicos, quia tunc non impeditur libertas contrahentium. Ita citati. Nec prohibetur quin amici sponsorum, vel eorum parentes, aut propinqui possint pœnam apponere, qua se obligent ad curandum, vt matrimonium celebretur, quia sic nulla imponitur sponsis necessitas, nec impeditur libertas contrahentium. Ita Bonacin. *sup. versic. Dixi*, cum Gutier. Sanch. & aliis.

3 Dico tertiò, casu quo apponatur pœna in casibus prohibitis, non est soluenda, etiamsi firmetur iuramento. Ita Sanchez *disp.* 32 *num.* 11. Filliuc. *sup. num.* 164. & cum aliis Bonac. *sup. num.* 2. quamuis Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 7. *num.* 56. & Coninch. *disp.* 22. *num.* 24. sentiant oppositum, quos sequitur Huttado *sup. num* 77. qui etsi appositio pœnæ sit illicita, iuramentum tamen potest absque peccato impleri, sicuti quando fuit extortum à latrone: addit tamen contra Lessium, & Coninch, non posse alterum pœnam solutam à nolente implere, sponsalia retinere, sicut nec latro, nec vsurarius, qui accepit pecunias sibi extortè promissas, quamuis cum iuramento: nihilominus tamen probabiliorem iudico nostram sententiam. Ratio fundamentalis est, quia vt dixi in Decalog. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 12. quando actus principaliter prohibetur in fauorem publicum, vel ob bonum commune, non firmatur iuramento, *cap. si diligenti de foro compet. cap.* 2. *de pact. in* 6. *Authent. Sacram. impub. C. si aduers. vend.* & pluribus Sanchez *disp.* 32. *num.* 8. *&* 33. *&* 34. vbi agit de variis oppositionibus pœnæ; sed pœnæ promissio interdicta est ob publicam vtilitatem, nempe ob libertatem matrimonij, vt *ex dict. cap. gemma*; constat ergo, cum iuramentum sequatur naturam primordialem actus, cui adiicitur, vt dixi *vbi sup. dub.* 17. *num.* 1. & talis actus, seu promissio in sponsalibus non sit valida, nec obligatoria, ideo fit, nec iuramentum ei additum esse validum, nec obligatorium. Nec valet simile de latrone, nam tunc iuramentum est validum, quia non est irritatum ab Ecclesia; at in hoc casu cum actus principalis sit irritus, & iuramentum sequatur eius naturam, erit etiam irritum, & nullum. Consequenter existimo dicendum cum Sanchez *disp.* 31. *num.* 2. Coninch. *n.* 25. Lessio *loco citato*, & Bonacin. *sup num.* 4. recipientem solutionem pœnæ non teneri eam restituere ante iudicis sententiam, sed posse eam retinere; quia etsi dicta iura irritent tales contractus, & contentiones non tamen impediunt translationem dominij, aut retentionem.

4 Nota tamen primò, approbantes has illicitas pœnas in sponsalibus peccare mortaliter, vt existimat Bonacin. *sup. num.* 3. quia censetur res grauis, eo quòd impediant libertatem matrimonij: probabilius tamen censeo, solum esse peccatum veniale, vt docent Sanchez *disp.* 30. *num.* 3. Coninch. *disp.* 22. *dub.* 5. *num.* 23. qui cum Lessio existimat, nullum esse peccatum soluere hanc pœnam. Confirmari potest nostra sententia; quia appositio pœnæ non valet, consequenter non compellit ad matrimonium celebrandum.

5 Nota secundò cum Sanchez *disput.* 30. Bonacin. *num.* 6. Hurtado *num.* 79. & Filliuc. *num.* 163. posse inter contrahentes conueniri, vt qui iniustè resilierit, soluat alteri damnum, quod et emerserit, ex eo quòd facta sint sponsalia, & ipse ab eis recedat: & etiam, vt soluat lucrum cessans, non quidem lucrum diuitiarum, quod ex matrimonio erat secuturum, sed quod aliàs illi præcisè ex dissolutione sponsalium cessat, quia recipere illud damnum, vel hoc lucrum non fit ex appositione pœnæ, sed est recompensatio debita iure naturali ex iustitia: lucrum autem diuitiarum ex matrimonio sequendum non potest accipere; quia ad illud non habet ius, nisi post factum matrimonium, ac proinde conuentio compensandi esset appositio pœnæ.

6 Sed dices, eritne valida hæc promissio: *Promitto sub tali pœna, & promissioni, me contracturum matrimonium cum Berta* Responden negatiuè, quia aufert libertatem matrimonij contrahendi, sicut etiam est inualida pœna de matrimonio non dissoluendo, vt si quis dicat: *Promitto, me non dissoluturum matrimonium per ingressum Religionis, vel ob aliam causam*. Sanchez *disp.* 30. *num.* 8. *&* 9. Bonacin. *sup. n.* 5. & alij. Dices etiam, arrhæ licent in sponsalibus; ergo & pœna: huic respondetur *dub. seq.*

DVB. XII.

Vtrum in sponsalibus possint tradi arrhæ amittendæ ab iniustè resiliente.

1 NOmine arrharum, propriè loquendo, hic intelligitur, pignus quod datur inter sponsos in signum implendi sponsalia, & complendi matrimonium, quod vulgò dicitur *el señal*, vt fit aliquando in contractu emptionis, & venditionis: ad hoc autem vt id quod datur, dicatur in spõsalibus arrha, requiritur, quòd expressè dicatur, quòd traditur in signum matrimonij futuri, aliter enim non essent arrhæ, vt benè cum Gomez, Villalob. 1. *p. tractat.* 12. *diff.* 10. *n* 9. sed aliud genus donationis, quod dicitur sponsalia largitas, Hispanè, *vistas, ò denos*, de qua sponsalia largitate latè Sanchez de matrim.

2 Dico primò, licitum est in contractu sponsalium apponere arrhas, ita vt eas amittat ille, qui fidem nõ seruauerit: habetur expressè in iure ciuili, *l. arrhas, & l. fin. C. de sponsalib. & l.* 1. *Castella, tit.* 11. *part.* 4. Ratio congruentiæ, quare lex irritet pœnam in spon-

salibus, & non arrhas, est, quia traditio arrhæ ex se, & regulariter, multò minùs impedit libertatem, quam appositio pœnæ, quia cæteris paribus, timor amittendi arrhas minor est, quam soluendi pœnam appositam, quia arrhæ iam sunt traditæ, & non soluendæ, at pœna nondum est tradita, ideoque arrha traditur maturiori consilio, quàm exponitur pœna soluenda; procliuior enim quis est ad verba de ore, quam ad pecuniam de crumena deponendam: ob idque communiter traditio arrhæ, vtpote rei, quæ de præsenti datur, est minor quam appositio pœnæ, vtpote rei, quæ promittitur in futurum. Arrha item traditur in securitatem matrimonij, pœna, vt adstringat contrahentes: quare illa respicit actum fauorabilem, hæc odiosum; ideo illa valet non autem pœna. Gutierrez *de matrim. cap.* 18. *num.* 5. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 35. Fillincius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 265 Hurtado *de matrim. disp.* 1. *diff* 19 *num.* 80. Bonacina *quæst.* 1. *de sponsalib. punct. vltim. num.* 1. *vers. Respondeo.* & communiter Doctores.

3 Dico secundò, arrha apponi potest in quacumque quantitate, ita Couarr. 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 3. *num.* 7. Coninch *disp.* 22. *num.* 15. Sanchez *disput.* 35. *num.* 9. & Filliuc. *loco cit. num.* 266. Ratio est, quia leges approbantes arrhas nullo modo restringunt, nec limitant; ergo possunt tradi in quacunque quantitate; communiter tamen in modica traduntur qualitate, rarò enim in magna quantitate dantur: iure tamen Castellæ arrha non potest excedere quartam partem bonorum dantis illam, *ex l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 2. *fori.* quæ approbatur *l.* 2. *tit.* 2. *l.* 5 *noua Recopil.* & habet vim in sponsalibus non baptizatorum, teste Hurtado *sup. num.* 82. Erit autem bona cautela, ait Filliuc. tradere magnas pro securitate. Item, possunt arrhæ constitui in rebus immobilibus, & ab vtroque contrahente: ratio est, quia prædicta iura absolutè loquuntur, & non limitant in hac, vel illa, vel ab vno, vel à duobus tantum tradi. Ita citati.

4 Sed quæres, ad quem pertineant arrhæ. Respondeo, si matrimonium promissum fiat, redire ad eum, qui eas tradidit; quia arrhæ sunt quasi pignus, quod non amittitur, quando contractus, in cuius signum fit, celebratur, vt contingit in omnibus contractibus. Si verò matrimonium non fiat ob culpam eius, qui eas tradidit, illas amittit, & pertinent ad eum, cui fuerunt traditæ, hæc enim est natura arrharum, ob idque constituuntur in sponsalibus, vt patet *in l final. C. de sponsalib.* Quòd si quis absque culpa recedat, non amittit arrhas; quia vbi culpa non est, non debet esse pœna, ex *l arrhis*, *& l fin. C. eodem*, sic ingrediens Religionem non amittit arrhas, *l. Deo nobis, C. de Episcop. & Cleric.* & habet communis apud Sanchez *disp.* 36. nec amittuntur, quando iudicis sententia disponuntur. Bonac. *sup. num.* 5. *vers Respondeo*, ij enim casus prudentis viri iudicio censentur excepti in promissione arrharum, vide Coninch *disp* 22. *dub.* 3. *num.* 14. Quando vero is, cui traditæ sunt arrhæ, recedit absque causa à promissione, & culpa sua non fit matrimonium, tenetur non solum restituere arrhas, sed etiam reddere duplum, hoc est ipsas arrhas acceptas, & tantundem suo patrimonio: æquum enim est, vt sicut tradens arrhas exponitur amissioni earum, si iniustè resiliat, ita etiam qui illas recipit, exponatur amissioni tantundem præter ipsas acceptas, & hæc videtur intentio contrahentium, saltem tacita, cum hoc sit in vsu, orto ex *dict. l. quamuis.* Quæ quidem lex non obligat vbique, sed interius imperio subditis, & in sponsalibus non baptizatorum, in qua etiam lege excipitur minor viginti quinque annorum, vt tantum teneatur restituere arrhas acceptas, & non reddere tantundem; talisque censetur intentio tàm minoris, quàm contrahentis cum illo, & colligitur *ex dict. cap. gemma*, & habent Hurtado *sup. num.* 85. Filliuc. *num.* 267. & alij. Quòd si vterque arrhas dedit, & recepit, iniustè recedens perdet suas arrhas, & restituet quas accepit: plura vide apud Sanchez *disp.* 36. *lib.* 1.

5 Quæres secundò, an iniustè resiliens ab sponsalibus teneatur in conscientia soluere, ante iudicis sententiam, pœnam legalem reddendi in duplum aut triplum. Affirmatiuè respondent Couarr. 4. *decretal e* 6. §. 8. Coninch. *disp.* 22. *dub.* 4. Basil. *cap.* 19. & cum his Hurtad. *diff.* 20. *num.* 87. quia existimant, dictam legalem pœnam esse conuentionalem. Limitant tamen Couarr. *supra*, & Coninch. vt non teneatur ille soluere hanc pœnam, antequam pars eam petat, quod non admittit Hurtad. *sup. num.* 88. cum P. Nauarr. *lib.* 3. *de restit c.* 2. *dub.* 10. Ego autem existimo certum, pœnam legalem dupli non obligare ante iudicis sententiam, vt docent Syluest. *arrha, quæst.* 4. Lopez *part.* 2. *instruct. cap.* 56 & cum Filliuc. *sup num.* 268. & Villalob. 1. *p. tract.* 12. *diff.* 10. *n.* 10. quia est pœna à lege imposita, quæ secundum omnes postulat sententiam iudicis, tenetur ergo solum in conscientia ante iudicis sententiam soluere arrhas. Quantum verò ad pœnam conuentionalem, in duplum, triplum, aut quadruplum, in quam partes aliquando conueniunt, probabilius tamen esse eam non deberi ante iudicis sententiam, docent Lopez *lib.* 1. *de contractib cap.* 31. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 67. Filliuc. *sup.* & alij cum Sanchez *disp.* 37. *num* 4. quia talis censetur intentio contrahentium (nisi aliud exprimant) censetur enim pœnam imponere iuxta ius commune; hoc autem non imponit nisi per sententiam, ideoque antequam pars prædictam pœnam petat, non tenetur alter illam soluere. Ego autem censeo, pœnam conuentionalem deberi quidem ante iudicis sententiam, cum quo consentio cum Hurtado; non tamen ante partis petitionem, in quo ab illo dissentio; nam non eam petens censetur illam condonare, vt dixi in Decalogo *lib.* 7. *c.* 19. *dub.* 3. *n.* 3.

6 Aduerte, posse contrahentes sponsalia, excepta appositione pœnæ, quæ irritatur *in cap. gemma de sponsalib.* adiicere alios contractus, qui nullibi reprobantur, vt contractum fideiussoris, pro maiori securitate matrimonij, vel pignoris, pro securitate arrharum nondum traditarum, quia nullo iure id prohibetur. Filliuc. *sup. num* 269. Hurtado *loco citat. num.* 88. de quo plura Sanchez *disp.* 38. Item, potest apponi pactum habitandi in certo loco, & quod vir non mutabit domicilium sub tali pœna, ita quod si violauerit pactum, teneatur soluere pœnam: excusabitur tamen, si iusta causa mutandi locum superueniat, vt quia cœlum est minus salubre, quia contraxit capitales inimicitias. Quod si vir absque iusta causa mutet locum, vxor non tenetur eum comitari, quia in tali casu nec obligat lex diuina. Filliuc. *sup. num.* 270. cum Sanchez *disp.* 40. & aliis.

7 An autem vxor teneatur cum viro cohabitare, & eum alio migrantem sequi, dixi in Decalog. *lib.* 4. *cap* 4. *dub.* 4. *numer.* 16. & dicam latius *infra cap.* 10. *dub.* 1. *num* 2. Vide Filliuc. *sup. num.* 270. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 24. & Bonac. *q.* 4. *matrim. punct.* 6. *à n.* 20.

.

DVB.

D V B. XIII.

Quæ impediant, ne sponsalia validè contrahantur.

1 DIco primò, omnia impedimenta dirimentia matrimonium dirimunt à fortiori sponsalia, & faciunt quod sint inualida: hoc est commune, & certissimum, quia sponsalia sunt via ad matrimonium; at matrimonium contractum cum illis impedimentis non est validum; ergo neque sponsalia.

2 Dico secundò, nec sunt valida sponsalia, si præcedat impedimentum impediens tantùm matrimonium, si sit perpetuum: est etiam commune apud DD. nam qui non potest validè, & licitè contrahere, nec potest promittere, nam promissio de re illicita non obligat. Dixi, *modo sit perpetuum*, nam si tantum impediat ad tempus, non irritat sponsalia, sed valent, non eo tempore, quo adhuc durat hoc impedimentum, sed eo transacto, vt si quis durante voto castitatis ad annum facto, contrahat sponsalia, valent, non pro eo anno, sed post illum: sic similiter si quis, septennio completo, promittit se contracturum post pubertatem, tenetur, pubertate completa, promissum adimplere. Ita communiter DD. apud Sanchez *lib. 1. disp. 15.*

3 Solent hic DD. exagitare, an vir, qui habens votum castitatis, aut Religionis, promisit matrimonium alicui puellæ, sub qua promissione eam violauit, teneatur eam ducere, aut potius votum adimplere: huic quæstioni sufficienter satisfactum est in Decalog. *lib. 7. capit. 9. dub 4.* vide ibi, & Sanchez *disp. 45.* ac Hurtado *disp. 1. de matrim diff. 21.*

4 Difficultant etiam DD. an valeant sponsalia inter impeditos impedimento dirimenti, cum conditione si Papa dispensauerit. Syluest. *matrimon. 3. quæst. 9.* & alij absolutè negant, quia absolutus contractus inter huiusmodi impeditos, est irritus; ergo, & conditionalis: & quia si hæc impedimenta superuenirent sponsalibus, ea dissoluunt; ergo. &c. Affirmant autem Ledesm. *in sum. cap. 3. de matrim. conclus. 4. dub. 7.* Fillineius *tom. 1. tract. 10. part. 1. c. 4. numer. 142.* & cum aliis Sanchez *lib. 5. disp. 5. n. 5.* cum bis tamen conditionibus. Prima est, vt tale sit impedimentum, vt in eo soleat dispensare; quare non valent huiusmodi sponsalia inter fratres. Secunda, vt etiam adsit iusta causa dispensandi; aliter enim quamuis soleat Papa dispensare, non valent dicta sponsalia, & peccant sic ea contrahentes. Hæc opinio sic explicata videtur probabilior consequenter dicendum, talem promissionem obligare, & neutri licere resilire, sed expectandam esse dispensationem, quia conditio pendens à voluntate Principis reputatur possibilis, quando eam solet concedere. *l. apud Iulianum*, & cum aliis Sanchez *vbi supra.*

5 Non enim prohibetur in iure talis contractus: imò aliquando sic expedit fieri pro bono communi: sic etiam licet promittere aliquam pensionem super aliquo Beneficio, si Papa dispensauerit: à fortiori dicendum est talia sponsalia esse valida, si impedimentum sit tantum impediens. Nec est eadem ratio in iis sponsalibus, quando consensus est absolutus, ac quando est conditionatus; nam quando est absolutus, semper durat impedimentum: secus quando est conditionatus, nam hic quando purificatur conditio, iam cadit super personas habiles, censeturque manere vsque ad conditionis euentum.

6 Aduerte cum Ledesma *vbi sup. post dub 7.* eum, qui cum prædicta conditione sponsalia contrahit, teneri quærere dispensationem, vt illa impleatur; excipit tamen votum castitatis propter eius perfectionem, quamuis adsit iusta dispensandi causa; addit tamen, si Papa in eo voto dispenset, teneri contrahere: existimo tamen, modo adsit iusta causa idem esse dicendum in hoc impedimento, ac in aliis; eadem enim militat ratio: hinc fit, & à fortiori, si vir fœminæ coniunctæ intra quartum gradum promisit matrimonium, ratione cuius promissionis ipsa fecit sui copiam, teneri illum quærere dispensationem.

7 Nota etiam inter sponsos cum dicta conditione, non licere oscula, & tactus honestos, ac amplexus; quia etsi vera sint sponsalia, non tamen sunt absoluta, & omnino perfecta, donec dispensetur. At si sponsalia sint vera, & absoluta licent oscula, amplexus, & tactus honesti, absque periculo tamen pollutionis, & scandali, modo vt dixi in Decalogo *libr. 6. capitul. vnic.* nam per sponsalia, quæ sunt initium matrimonij, aliquod ius inter eos acquiritur, non tamen licet copula, nec tactus impudici, quia ius non est perfectum. Caietan. 2. 2. *quæst. 154.* Nauarr *capit. 16. num. 1* & 2. Ledesma *in summ. cap. 3. de matrim. dub. 7. in fin.* & dixi in locis supra citatis.

C A P. II.

De modis quibus dissoluuntur sponsalia.

D V B. I.

An sponsalia dissoluantur per ingressum Religionis.

1 SVppono tanquam certissimum, dissolui sponsalia per professionem solemnem sponsi vel sponsæ: tum etiam per vota simplicia post biennium emissa in Societate IESV, quia per hæc redditur quis religiosus, & inhabilis ad matrimonium, Hurtado *de matrim. disp. 2. diff. 6.* & communiter Doctores.

2 Difficultas ergo est, an dissoluantur per solum ingressum Religionis, ita vt in sæculo manens sit liber eo momento, quo alter est ingressus Religionem. Richard. Palud. Durand. & alij antiquiores Theologi, absolutè negant, sed requiri etiam professionem, è contra verò Syluest. *verb. Sponsalia, quæst. 10.* Nauarr. *cap. 22. num. 26.* & alij apud Sanchez, quos ipse sequitur *disp. 42. num. 4.* & Bonac. *tom. 1. quæst. 1. de sponsalib. punct. 5. num 2.* absolutè affirmant, per solum ingressum in Religionem, bona fide, & absque fraude, cum vero animo ibi permanendi factum, dissolui sponsalia ex parte vtriusque, id est, non solùm ex parte manentis in sæculo, sed etiam ex parte ingredientis Religionem, ita quòd si postea exiret, non teneatur implere sponsalia. Alij verò vt Henriq. *lib. 11 de matrim. cap. 14. num. 6.* Coninch *disput. 23 dub. 3.* Villalobos *part. 1. tract. 12. diff. 12. numer. 5.* Hurtado *supra num. 11.* & alij apud Sanchez *supra num. 4* existimant solùm dissolui ex parte manentis in sæculo. Hæc tres opiniones omnes sunt probabiles, sed duæ posteriores magis probabiles, & vsu receptæ, probabiliorem, te puto tertiam, seu vltimam. Vnde

3 Dico primò, per solum ingressum Religionis

nis dissoluuntur sponsalia ex parte manentis in sæculo, non verò ex parte ingredientis. Ita citati pro tertia sententia, quam etiam probabiliorem reputat. Filliuc. *tom 1. tract.* 10. *part.* 1. *cap* 8. *num.* 280. Prior pars probatur, quia ingrediens, eo ipso per ingressum declarat se renuntiare sponsalibus, ideo alter manet liber ab obligatione; deinde quia per ingressum fit notabilis mutatio status: & esset graue onus manenti in sæculo, expectare professionem, vnde in sæculo manens, liber manet, & potest aliud matrimonium, vel sponsalia contrahere: potest etiam, si velit, expectare alterius professionem, & contrahere cum illo, si ante eam egrediatur. Posterior pars, videlicet quòd sponsalia non sint dissoluta ante professionem ingressi ex parte ipsius, probatur; quia non fit liber ab sponsalibus antea contractis aliquo iure positiuo, nullibi enim extat neque ingressu ipso; quia hic non est incompossibilis cum matrimonio, cùm possit ante professionem egredi, ergo si egrediatur, tenetur stare promissis, si alter velit, nisi sponsa alteri nupserit, aut causam dederit soluendi sponsalia.

4 Nihilominus tamen valdè probabile, & tutum in conscientia est, dissolui etiam ex parte ingredientis, si verò animo, & absque fraude est ingressus, vt docent authores secundæ sententiæ, etiamsi ingrediens protestetur, se nolle sponsalibus renuntiare, vsque ad professionem, nam sicut se habent sponsalia, & matrimonium: ita ingressus Religionis, seu nouitiatus; sed professio dissoluit matrimonium tantum ex parte vtriusque; ergo etiam ingressus Religionis dirimit sponsalia ex parte vtriusque, rationabiliter enim præsumi potest, dari in hoc priuilegium Christi saltem implicitè, propter status perfectionem. Dixi, *nisi in fraudem*, nam si fraude, & dolo ingressus est, eo solo fine, vt ab sponsalibus liberaretur, & non animo permanendi, tunc dissoluuntur sponsalia ex parte innocentis tantum, ita vt sit in eius libertate contrahere, at decipiens tenetur ad sponsalia, si egrediatur, si innocens voluerit, quia fraus, & dolus nemini patrocinatur. Bonacina, Henriquez. & Nauarro *locis supra citat.*

5 Dico secundò, quando dissoluuntur sponsalia per ingressum Religionis, modo vt in prima conclusione dissoluuntur, etiamsi sint iurata, hoc est, non obstante iuramento, quo confirmauit sponsalia, potest ingredi Religionem, & per verum ingressum dissoluuntur talia sponsalia. Ita Henriq. *lib.* 11 *c.* 13. *n.* 3. *&* *c.* 14. *n.* 3. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 43. Coninch *disp.* 23. Felin *sup. n.* 281. Hurtado *loc. cit. n.* 22. *& diff.* 5. *num. num.* 17. & cum Rodrig. Gutierr. Reginald. & aliis Bonac. *q.* 1 *de sponsal. punct.* 5. *n* 4. contra Molin. & Rebellom. Ratio est, quia iuramentum sequitur naturam actus, cui adhæret, & est interpretandum secundum eas conditiones, quas imbibit actus, quem confirmat, vt dixi late in Decal *lib* 2. *c.* 1. *dub.* 17. *n.* 1. Sed principale, quod est promissio, includit saltem tacite, hanc conditionem, *nisi meliorem statum elegero*; ergo eadem conditio imbibitur in iuramento confirmatorio, & secundum eam est interpretandum; consequenter sicut promittens sine iuramento potest ingredi Religionem; ita etiam qui promisit cum iuramento; & hoc pacto liber erit ab sponsalibus celebratis, sicut liber remanet sponsus manens in sæculo.

6 Ex hac conclusione sequitur eum, qui post sponsalia, siue iurata, siue non, vult ingredi Religionem posse ingredi (nisi aliud obstet) & non teneri prius contrahere, vt iuramentum seruet, & postea ingredi Religionem, imò communiter peccabit mortaliter, si contrahat, vt religionem intret Nauar. *c.* 16. *n* 30. Henriq. *lib.* 12. *c.* 2. *n.* 8. & cum aliis Bonac. *q.* 1. *de sponsal. punct.* 5. *n.* 11. videtur enim irrisio Sacramenti & fieret tunc maxima iniuria sponsæ, nam cogitur manere absque nuptiis, donec alter profiteatur, in iis tamen casibus licebit: Primus, si adsit notabilis metus vitæ, famæ, vel bonorum, nisi contrahat. Secundus, si alio modo, voto Religionis adstrictus non potest intrare Religionem, puta, quia inclusus detinetur. Tertius, si vrgeret necessitas vitandi scandalum, aut vt consulatur dedecori fœminæ vt proles ex ea nata legitima efficiatur; in iis enim casibus liceret prius contrahere matrimonium, & postea ante illius consummationem ingredi Religionem. Vide Henriq. *lib.* 11. *c.* 14. & Hurtado *dict. diff.* 5. *lib.* 11. *cap.* 14. Quòd si dicas in *c. commissum de sponsalib.* dici, tutius esse, prius contrahere. Respondeo cum Filliuc. *sup. num.* 282. ex eo ibi dici, quia iuuenis ille, de quo textus loquitur, nondum deliberat de ingressu, vt patet ex his verbis, *& postea si elegerit*, & ex alia parte instabat tempus, in quo iuramentum adstringebat, ideo dixit Pontifex, tutius esse statim contrahere, ne tempore transacto incidat in periurium, & contracto matrimonio, superest bimestre ad deliberandum de ingressu.

7 Dixi, *nisi aliud obstet*, quia si vir promisit sponsalia, etiam non iurata, & sub spe matrimonij deflorauit virginem, aut cognouit viduam honestam, & damnum illatum non potest reparari, nisi ducendo illam, non potest tunc ingredi Religionem, sed tenetur eam ducere: idem dic quando sponsus tantum habuit cum sponsa familiaritatem, vt inde oriatur sponsæ infamia, si sponsus ingrediatur Religionem, & nolit sponsam in matrimonium ducere, Sanchez *lib.* 1. *disp.* 44. *num.* 3. Henriq. *loco citato. c.* 14. *n.* 3. & cum aliis Couarr *vbi sup. n.* 4. *vers. Dixi*, quia ex iustitia tenetur ad hæc damna reficienda, quæ obligatio præferenda est consilio, quale est, ingredi Religionem. Ita etiam Filliuc. *sup. n.* 283. Similiter nec potest ingredi Religionem ille, qui factis sponsalibus copulam virtute sponsalium extorsit & postea vouit Religionem. Sanch. *sup. n.* 7. *&* 8. Lessius *lib.* 2. *cap* 10. *dub.* 4. Bonacin. *sup. num.* 5. & dixi in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 4. Est enim tunc ingressus illicitus propter iniuriam illatam sponsæ ad quam ducendam ex iustitia tenetur: soluto autem matrimonio tenetetur votum suspensum adimplere. Filliuc. *sup.* 284. cum Sanchez *disp.* 44 *n.* 8. idem Bonac *sup. n.* 6. nam solum fuit suspensum & prorogatum, & habet tractum successiuum: item qui post votum castitatis, vel Religionis iam factum, virginem violauit cum promissione matrimonij, tenetur illam ducere: si ipsa ignara erat voti, & tunc impletio voti suspenditur, & prorogatur propter damnum illatum fœminæ, vt dixi in Decalog. *loc. cit. dub.* 4. Filliuc. *loco citat.* Sanchez *lib.* 1. *disputat.* 45. *num.* 5. & cum aliis Bonacina *sup. num.* 7.

DVB. II.

An sponsalia dissoluantur per votum castitatis, aut Religionis, aut suscipiendi ordines sacros.

1 SVppono primò, sponsalia facta (etiamsi sint iurata) post aliquod ex tribus supradictis votis, esse irrita, & nulla. quia est promissio rei, quam licitè adimplere non potest, ideo talis promissio, etiam iurata, non obligat, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, nec obligat, quando sine peccato adimpleri non potest, vt dixi in Decalogo *lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 7. *&* 8. Quare taliter promittens, ac

iurans

initatus non tenebitur ratione promissionis adimplere sponsalia, nisi fortè ratione damni illati, vt dixi dubio antecedenti, vide Bonacin. *disp. 1. de sponsal. punct. 5. n. 15.*

2 Suppono secundò, etiam tanquam certum, votum suscipiendi ordines minores, siue antecedat, siue subsequatur, non irritare, aut dissoluere sponsalia; nam realis horum ordinum susceptio non dirimit sponsalia, vt cum aliis Bonacina *quæst. 1. de sponsal. punct. 5. n. 10.* ergo & à fortiori, nec votum illos suscipiendi. His positis.

3 Quantum ad primum conueniunt Doctores quando post sponsalia vnus ex sponsis vouit castitatem, dissolui sponsalia ex parte alterius, consequenter esse liberum ab sponsalibus; quia vouens suo voto censetur renuntiare obligationi alterius, nam intendit se obligare ad id, quod est incompossibile cum matrimonio sibi promisso: & ex alio capite imponitur sponsæ graue onus, quia cogitur non vacare actibus coniugalibus, nisi ipsa petat, ideoque mutatur status rei, consequenter ipsa de obligatur.

4 Difficultas ergo est, an hoc votum subsequens sponsalia, ea dissoluat, etiam ex parte ipsius vouentis, ita vt sit liber à matrimonio promisso. Affirmant Sotus *in 4. dist. 16. quæst. 2. artic. 9.* Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap. 14.* Basilius *cap. 11.* & cum aliis Bonacina *sup. num. 13.* & Ledesma *in sum. cap. 3. de matrim. concl. 7. dub. 3.* quia (aiunt) in sponsalibus semper inest tacita, seu implicita conditio: *Nisi voluero ad meliorem statum transire.* Et confirmatur *ex cap. Petrus 3. de iure iurando*, vbi dicitur: *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat*; sed status castitatis est melior statu matrimonij; ergo, &c. Attamen etsi hæc sententia valdè probabilis sit; videtur tamen probabilius esse, votum castitatis subsequens non dissoluere sponsalia ex parte vouentis. Ita tenent Sanchez *disp. 46. num. 9.* Nauarr. *cap. 22. num. 27.* Sylu. *matrim. 7. q. 5. ad 5.* Filliuc. *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 8. n. 286.* Villalob. *1. part. tractat. 12. diff. 12. num. 9.* Et probatur, quia Deus non acceptat promissionem rei promissæ, & in eius præiudicium: nec vllo iure positiuo probatur, in sponsalibus inesse illam tacitam conditionem, vt patet: neque iure naturali, seu ex natura sponsalium, quamuis cælibatus sit perfectior statu matrimonij; aliàs qui promisit Petro diuiti rem aliquam, posset illam pauperibus erogare; quia hoc etiam est melius, quod esset absurdum facere. Colligi potest hæc nostra sententia, *ex cap. veniens, qui Clerici, vel vouentes*, vbi fœminæ, quæ promiserat matrimonium, imponitur pœnitentia de fide mentita; & tamen postea emiserat votum castitatis. Nec obstat dict. cap. *Petrus*, nam ibi loquitur de voto, in quo cùm sit Deus creditor, acceptat quod melius est: secus autem, quando promissio sit homini, qui aliquando non acceptat id, quod melius est, præsertim quando illud melius, est melius ipsi promittenti, aut Deo, & non homini promissario, vt contingit sponso vouenti castitatem respectu alterius. Adde, in foro, exteriori obligabitur hic, vt ducat, aut vt ingrediatur Religionem: ad quod tenetur etiam in foro conscientiæ, cùm in hoc forum externum innitatur veritati, & non præscriptioni.

5 Nota hinc, qui post sponsalia vouit castitatem, posse, si velit, ingredi Religionem, vt dictum est dubio proximo; non tamen tenetur ad eam ingrediendam, aut ad sumendum ordinem sacrum, vt votum seruet; non enim tenetur cum notabili mutatione implere votum, & medio tam duro, & difficili, quàm sit impletio voti: Limita cum Hurtado *infra*, nisi vouens castitatem tunc aduertat, non esse aliud medium licitum ad implendum tale votum, nisi ingressum Religionis, quia tunc censetur implicitè vouisse Religionem. At si non ingrediatur Religionem, tenetur implere sponsalia, & matrimonium contrahere, quia non sunt dissoluta; & votum solùm obligat in præiudicium vouentis, non verò in præiudicium sponsæ, quia non potuit se obligare ad ducendam illam, cui fidem dedit; matrimonio autem inito, non poterit petere: tenetur tamen reddere: quòd si illud dissoluatur, tenebitur seruare integrè votum castitatis. Sanchez *disput. 46. num. 13.* Filliucius *sup. n. 286.* & Hurtado *de matrim. disp. 1. diff. 3. n. 13.*

6 Quantum ad secundum dico, sponsalia, etiam iurata, dissolui per votum simplex Religionis factum post illa. Ita Henriquez *lib. 11. cap. 14. n. 4.* Nauarr. *cap. 22. num. 27.* Filliucius *supra num. 285.* & communis apud Sanchez *disp. 46. num. 2.* quia votum Religionis simplex habet se sicut votum solemne respectu matrimonij; at matrimonium soluitur per votum solemne; ergo sponsalia dissoluentur per votum simplex Religionis. Et confirmatur, quia sponsalia dissoluuntur per ingressum Religionis, modo dicto dubio proximo; ergo magis per votum ingrediendi, quod est maius vinculum; tenetur ergo hic ingredi Religionem, vt votum adimpleat. A fortiori dissoluuntur sponsalia per professionem in Religione approbata; nam professio dirimit matrimonium ratum, vt infra dicetur; ergo multò magis sponsalia.

7 Quoad tertium dico, certum esse, susceptionem ordinis sacri dissoluere sponsalia præcedentia, quia ordo sacer reddit illum suscipientem incapacem matrimonij, ob votum solemne castitatis adnexum. Certum etiam est, ordines minores susceptos post sponsalia non dissoluere illa, quia is status non repugnat matrimonio. Conueniunt etiam Doctores, votum suscipiendi ordines sacros dissoluere sponsalia ex parte sponsæ, consequenter ipsam manere liberam ad contrahendum cum alio; quia sponsus eo voto censetur renuntiare suo iuri, & obligationi sponsæ. Difficultas ergo est, an etiam dissoluatur ex parte ipsius sponsi: affirmant Sotus *7. de iust. quæst. 1. art. 3.* Henriquez *vbi sup.* Basilius *cap. 12.* & cum aliis Bonacina *loco citat. num. 20.* quia in sponsalibus tacitè inest illa conditio: *Nisi voluero ascendere ad statum perfectiorem*: at status ordinis sacri est perfectior matrimoniali. Probabilior tamen videtur pars negans, quam tuetur Sanchez *disp. 47.* Coninch *disput. 23. dub. 3.* Filliucius *supra num. 287.* & Hurtado *loco citat. diff. 4. num. 14.* quia nullo iure probatur inesse talem conditionem vt dictum est hic *quæst. 1.* Et probatur iisdem rationibus, quibus confirmatum est, sponsalia non dissolui per votum castitatis ex parte non vouentis. Nihilominus tamen is sponsus, qui vouit, non tenetur ex voto seruare castitatem, antequam ordinem sacrum, cui est annexum votum castitatis, suscipiat, quia tunc eam non vouit. Bonacin. cum aliis *supra num. 21.* Nec tenetur ingredi Religionem, vt votum adimpleat, quamuis sponsa non remittat, nisi aduertens ingressum Religionis esse vnicum medium ad impletionem voti, id vouerit: tenebitur tamen mortua vxore, ordinem sacrum suscipere, Hurtado *sup.*

D V B. III.

An sponsalia puberum dissoluantur mutuo dissensu, seu de communi consensu.

1 NOra, virum, qui decimum quartum annum attingit, dici puberem, ante illum vocari impuberem, & fœminam, quæ duodecimum annum attingit, dici puberem; ante illum vocari impuberem. Nunc de dissolutione sponsalium puberum.

2 Dico primò, sponsalia puberum non tantùm validè, sed etiam licitè, posse solo mutuo sponsorum consensu dissolui, quamuis contracta sint in facie Ecclesiæ. Ita Doctores citandi, & communiter omnes. Prior pars patet ex *cap. 2. de sponsalibus*, & ex natura ipsius contractus, qui est ex se dissolubilis, quo in casu habet locum illa regula iuris cap. 1. de regulis iuris in 6. *Res omnis per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur*; ergo potetunt dissolui mutuo consensu. Secunda pars probatur, quia nullo iure naturali, vel positiuo prohibentur talia dissolutio; ergo non erit illicita. Verùm quia aliquando, quando dissoluuntur absque rationabili causa, talis dissolutio non fit absque aliqua nota ioconstantiæ, & absque occasiooe aliqua murmurationis, quod quamuis non sit peccatum, expedit tamen euitari, ob id dicitur *in dict. capit.* 2. sponsos monendos esse, vt sibi fidem seruent; quod si nolint, dicitur esse tolerandum, seu permittendum, ne deterius aliquid contingat; quia minùs inconueniens est, quando sic resistunt, non coniungi, ne contingat malus exitus.

3 Difficultas tamen, an sponsalia iurata possint dissolui mutuo consensu. Ad cuius solutionem nota, iuramentū duobus modis posse interuenire in sponsalibus. Primò in meram alterius vtilitatem, ad corroborandam scilicet promissionem, v. g. si Petrus promittit Ioanni, se illam ducturū, & confirmat hanc promissionem iuramento; similiter & fœmina. Secundò, quando quis principaliter contrahit sponsalia intuitu pietatis, & in honorem Dei, & per modum voti, vt quando intuitu pietatis promisit fœminæ pauperi, se contracturum cum ea matrimonium. Conueniunt igitur Doctores, posse etiam dissolui sponsalia mutuo consensu, etiamsi iurata sint primo modo, quando iuramentum principaliter est factum in fauorem tertij; quia tunc tantùm fit in gratiam eius, cui iuratur, consequenter potest cedere iuri suo, & remittere obligationem: censetur enim iuramentum factum sub conditione, si ille in cuius fauorem est factum, velit acceptare, & nolit cedere iuri suo, vt dixi in Decal. *lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 11. Quando verò iuramentum adhibitum est, secundo modo intuitu pietatis, & per modum voti. Sotus *lib. 8. de iust quæst.* 1. *artic.* 9. Syln. Rosella, & Angelus, asserunt, tunc non posse mutuo consensu dissolui. Verius tamen videtur tunc etiam dissolui per mutuum consensum, vt tenent Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 57. Henriquez *libr.* 11. *capit.* 14. Coninch. *disput.* 23. *dub.* 1. 2. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1 *capit.* 8. *numer.* 275. Bonacin. *tom.* 1. *quæst.* 1. *de sponsalib. punct.* 10 *num.* 1. Villalob 1. *part. tr.* 12. *diff.* 12. *numer.* 1. Hurtado *de matrim. disp.* 2. *diff.* 1. *numer.* 3. & cum aliis Sanchez *libr.* 1. *disp.* 52. *n.* 8. & in Decalogo *libr.* 3. *capit.* 20. *numer.* 7. & dixi in Decalogo *loco cit.* Ratio est, quia etiam hoc iuramentum cedit in commodum partis, & censetur factum sub conditione, si ille, in cuius fauorem factum est, velit acceptare, & nolit illud respuere, aut renuntiare iuri suo, aut remittere obligationem. Remissio autem hæc, vt valida sit, debet esse libera, vt de aliis remissionibus dixi in Decalogo *lib.* 7. *capit.* 15. *dub.* 4. Vnde inualida est remissio ab altero facta ex metu sibi incusso ad extorquendam remissionem: secus si remissio sit facta ob timorem parentum, vel ob viri asperitatem; nam hic metus cum non sit incussus ad extorquendam remissionem, non tollit libertatem sufficientem ad validitatem remissionis. Bonacina. *sup. num.* 2 & 3.

D V B. IV.

An sponsalia impuberum solo eorum mutuo consensu dissolui possint.

1 Dico primò, sponsalia impuberum, id est, in viro ante decimum quartum, & in fœmina ante duodecimum annum, non possunt, antequam perueniant ad pubertatem, dissolui: est commune, & habetur expresse *in cap. de illis 7. de sponsal.*; quod ideò dispositum est, ne impuberes ob debile iudicium sæpè, & passim contraherent sponsalia, & per inconstantiam ab illis resilirent. Seclusa autem hac iuris prohibitione, spectato solùm iure naturæ, possent ante pubertatem resilire, nam ad id à iure naturali non sunt impediti. Hurtado *disp.* 2. *de matrim. diff.* 1 *num* 7. & Doctores infra citandi. Quod non solùm procedit in sponsalibus veris, sed etiam præsumptis, quando scilicet impuberes contrahunt per verba de præsenti.

2 Dico secundo, sponsalia impuberum, adepta ab vtroque pubertate, possunt mutuo consensu dissolui; sicut possunt dissolui sponsalia puberum, & habetur expresse *in dict. cap. de illis, de desponsat. impuber.* & facit cap. *cum nobis*, & cap. *attestationes, eod. tit.* Et hoc est certum, quia vt supponimus, iam sunt puberes facti; atqui sponsalia puberum possunt mutuo consensu dissolui; ergo. Ita Doctores communiter.

3 Dico tertiò, quando duo impuberes contraxerunt sponsalia, potest quilibet eorum, quando perueniunt ad pubertatem, sponsalibus renuntiare, & ab eis recedere, patet *ex dict. cap. de illis.* Quod est etiam concessum, quia ea, quæ fiunt ab impuberibus, non videntur fieri cum perfecta discretione, & in maturo iudicio. Quo in casu ille, qui priùs ad pubertatem peruenit, altero impubere adhuc permanente, potest ab sponsalibus resilire, modo statim resiliat. Couarr. *de sponsal. cap.* 5. § 1. Sotus *dist.* 27. *quæst.* 2. *artic.* 5. *casu* 3. Sanchez *disput.* 51. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *cap* 8. *num.* 277. Bonacin. *tom.* 1. *quæst.* 1. *de sponsalib. punct.* 6. *num.* 1. Hurtado *supr. num* 8. & alij communiter, & deducitur aperte *ex dict. cap de illis, de sponsal. impuber.* & probatur, quia ex vna parte, nullo iure requiritur quòd expectet pubertatem alterius, & ex altera parte puberi conceditur licentia, vel potiùs aufertur impedimentum resiliendi; ergo statim ac fit pubes, potest ante pubertatem alterius resilire. Dixi, *modo statim resiliat, aut reclamet*; nam si post adeptam pubertatem statim non reclamet, censetur contractum approbare, vt insinuatur *in dict. cap de illis*, ibi: *Si cùm ad annos pubertatis peruenerint, reclamauerint*: illud autem dicitur statim fieri, iuxta modum loquendi iuris, quod fit intra triduum, *l. fin. C. de errore. Aduocat & l. fin. C. de iudiciis*, Bonacin. Hurtad. *loco cit.* vide Sanchez *dict. disp.* 51.

4 Dico quartò, quando pubes contraxit sponsalia cum impubere, pubes nunquam potest resilire, benè verò impubes, quando pubes factus fuerit.

Nauarr.

Nauarr. *cap.22. num. 25. casu 6.* Henriquez *lib. 11. cap.14. num.7.* Reginald *lib.3. num.261.* Filliuc. Bonacina,& alij communiter,quia puberi in hoc casu, nullo iure conceditur resilire,quamuis impubis consentiat; impuberi autem id à iure est concessum, vt dictum est *ex dict. cap. de illis*: quo in casu claudicat hic contractus in fauorem minoris.

5 Dico quintò, sponsalia impuberum manent dissoluta, quando impubes ante pubertatem reclamauit,& dissensit,& postea pubes factus,non mutauit voluntatem, nec ampliùs recordatus est post pubertatem. Sanchez *lib.1. disp.51. num.17.* Coninch. *disp.51. dub.2. num.7.* Bonac. *sup. num.5.* & alij. Ratio est, quia illa reclamatio non reuocata censetur permanere post pubertatem, ideo etsi non sufficiat ad dissoluenda sponsalia ante pubertatem, erit tamen satis post pubertatem ad illa dissoluenda.

6 Est tamen difficultas, an in casibus in quibus licet impuberi post pubertatem dissoluere sponsalia, liceat etiam illi ea dissoluere, seu resilire, & reclamare,si horum impuberum sponsalia sint iurata, seu iuramento confirmata. Respondeo ea se, & ex natura sponsalium id licere,quia iuramentum additum contractui sortitur eandem conditionem contractus,cùm in eius confirmationem fiat; sed sponsalia impuberum iure positiuo includunt tacitè eam conditionem,*Nisi facti puberes resiliant*; ergo etiam iuramentum illi adnexum. Dixi,*ex se*,nam si spectemus ius positiuum, cui standum est, dico non licere,nec posse, adepta pubertate, ab his sponsalibus recedere,vt docent Sanchez *lib.1. disp.51. n.21.* Coninch. *loco citat. num.9.* Filliuc. *vbi sup. num.279.* Villalobos *1. part. tract. 15. diff. 12. num.27.* Hurtado *dict. diff.2. num.9.* & cum Couarr. Gutierrez, Reginaldo,& aliis Bonacina *dict. punct.6. num.4.* Ratio, quia ita expresse cautum est *in cap. ex litt. 10. de sponsalib.* vbi habetur,eos impuberes,qui sponsalia contraxerunt,& iuramento confirmarunt,cogendos esse ad contrahendum matrimonium. Quare in hoc casu iuramentum non includit conditionem actus, cui adiicitur; quia expressè talis conditio excluditur; aliter enim illam includeret, vt communiter contingit: negat enim expresse dictum cap. *ex litter.* impuberibus facultatem dissoluendi sponsalia iurata. Opposita tamen sententia, quam defendit Paludan. *in 4. distinct. 37 quæst. 1. art. 3.* non est improbabilis, ob rationem in principio difficultatis adductam.

7 Sed quæres,apud quem fieri debeat reclamatio, & contradictio impuberis,adepta pubertate, ad dissoluenda sponsalia. Respondeo, in foro exteriori debere fieri apud Episcopum, vel eius Vicarium,vel his deficientibus, apud personas honestas; patet *ex cap. 1. de sponsal.* vbi dicitur: *Si reclamauerint iudicio Ecclesiæ, separentur*: in foro tamen interiori, & conscientiæ, videtur sufficere, vt impubis factus pubes, statim acquisita pubertate, dissentiat: quia reclamatio requiritur in foro externo, ne pubes videantur ratificare sponsalia priùs facta; quod non contingit, quando interius dissentit; ergo. In foro tamen exteriori non reclamando apud iudicem, seu honestas personas, præsumitur ratificasse. Bonacina *tom. 1. quæst. 1. de sponsalibus, punct.6. num.5.* vide Sanchez *lib.1. disp.51. num.17.* Nauarr. *cap.22. num.57.*

8 Nota tamen, quando diximus in hoc toto dubio, licere sponsalia dissolui ab impuberibus,modo dicto, procedere in vtroque foro, interiori scilicet, & exteriori, vt benè Filliucius *supra num. 278.* Ratio est, quia ius id concessit, vt consuleret immaturo iudicio impuberum; at non esset satis consultum, si solùm permitteret in foro externo, & non in interno, aliter enim patet apertè, peccare mortaliter.

9 Sed dices, si sponsalia impuberum possunt dissolui post pubertatem; ergo videntur ridicula, & nullius momenti. Respondeo, non esse ridicula, nec nullius momenti, sed esse rem seriam, & validam, etsi dissolubilem, modo dicto; habent enim hos effectus. Primò, vt toto tempore ante pubertatem omnino obligent, & impediant contrahere alia sponsalia validè. Secundò, faciunt oriri impedimentum publicæ honestatis. Tertiò, post pubertatem non est omnimoda libertas, sed statim post pubertatem est resiliendum modo dicto *num. 4.* sic non est vanum impuberis votum, quamuis ad libertum possit à patre, vel tutore irritari.

D V B. V.

An sponsalia dissoluantur transacto termino eis assignato.

1 NOta, terminum pro contrahendo matrimonio in contractu sponsalium posse præfigi duobus modis. Primò, ad limitandam, extinguendam, aut finiendam obligationem: quod contingit, quando in ipso contractu sponsalium præfigitur tempus ad matrimonium contrahendum, seu ad sponsalia perficienda. Secundò, potest terminus assignari, non ad extinguendam obligationem, sed ad solicitandam illam, aut ad differendam, ita vt non liceat vltra illud tempus differre obligationem, quo modo ordinariè solet apponi. Quando verò ex intentione contrahentium non constat, quo ex his modis terminus sit appositus, recurrendum est ad causas, & motiua assignandi terminum, & ad alias circumstantias, & ex eis arbitrio prudentum discernendum.

2 Dico primò, si terminus fuit appositus ad extinguendam obligationem, eo elapso, expirat obligatio, & dissoluuntur sponsalia ex parte eius, per quem non sterit, quominus matrimonium celebraretur tempore statuto. Sanchez *lib.1. disp.53.* Coninch. *disput.53. dub.6* Filliucius *tom.1. tractat. 10. part. 1. cap.8. num.295.* Hurtado *de matrim disp.2. num 32.* & cum aliis Bonacina *tom. 1. quæst. 1. de sponsalib. punct.6. num.6.* & communiter Doctores, *ex capit. à nobis, de desponsatione impuber. & cap. sicut, de sponsal.* Ratio est, quia hic terminus assignatus fuit ad id, vt eo transacto finiatur obligatio; ergo is per quem non stetit, manet liber ab obligatione, quia tantùm voluit obligari vsque ad terminum assignatum, & non vltra: alter verò, per quem stetit, non manet liber, vt supponitur *in dict. cap. sicut*, ne ex sua culpa commodum reportet, ideo ex iustitia obligatur ad perficienda sponsalia, si alter voluerit. Hoc autem intellige, quando dilator fuit in culpa, vt docent citati, quidquid Coninch, & Hurtado, nam si non fuit in culpa dilationis, nec ex parte alterius dissoluuntur sponsalia, nam legitimè impedito non currit tempus, *l. 1. de annuli exceptione*: idem dic, quando nullus eorum fuit in culpa; tunc enim ex nulla parte dissoluuntur sponsalia: quia vbi non est culpa, nec pœna. Quòd si vterque fuit in culpa, vt eo tempore non adimplerentur sponsalia, vterque manet obligatus, vt docent Sanchez, Filliucius, & Bonacina citati, nam terminus fuit appositus ad finiendam obligationem, & sponsalia non obligant vltra intentionem promittentis. Si autem per vnum stetit culpabiliter, & per alterum inculpabiliter,

culpabiliter, is, per quem stetit culpabiliter, manet obligatus, & alter liber; quia is, per quem stetit culpabiliter, censetur renuntiasse iuri suo, & alter non. Ita citati.

3 Dico secundò, si terminus apponatur, non ad finiendam obligationem, sed tantùm ad finiendam licentiam differendi, seu ne prorogentur sponsalia, non dissoluuntur per lapsum termini, quia cùm terminus præfixus accedat contractui sponsalium perfectè inito, censetur adiectus ad solicitandam obligationem, non verò ad dissoluenda sponsalia. Ita Doctores citati, & Syluester *verb. Obligatio*, vbi Angel. *num*.7. Armilla *num*.4. & cum aliis Sanchez *disput*.53. Interueniunt enim in hoc casu duæ obligationes diuersæ; vna contrahendi matrimonium absoluiè, altera contrahendi intra tale tempus, vt patet *ex l. Celsus 1. ff. de receptis arbitriis*: & ex his, quæ dixi de tempore adimpletionis voti, & iuramenti; ideo quamuis transeat tempus statutum hoc secundo, non tamen cessat obligatio absoluta contrahendi. Attamen in hoc casu, si dilatio vnius tanta est, vt censeatur renuntiasse sponsalibus, vel constituat dilatorem reum culpæ mortalis, dissoluuntur sponsalia ex parte alterius, quia frangenti fidem fides seruanda non est. Ita citati.

4 Dico tertiò, quando nullus terminus fuit præfixus ad perficienda sponsalia, dissolui possunt per moram alterius, quando dilator requisitus ab altero ad matrimonium contrahendum, ita differt, & prorogat; vt iudicio prudentis censeatur peccare mortaliter, differendo adimpletionem promissionis; valet enim tunc illa regula, *frangenti fidem, &c*. Coninch. *disp*. 23. *dub*. 6. *num*. 43. Bonacin. *loc. cit. num*. 17. & alij citati. Tunc autem censetur peccare mortaliter sponsus, differendo adimpletionem matrimonij, quoties alter rationabiliter petit, modò non fuerit præfixus terminus adimplendi sponsalia, Ita Bonacin. *supr. num. cit*. cum Sanchez *lib*. 1. *de matrim. disput*. 28. *num*. 2. secus si alter non petat, nisi fortè non petat ob verecundiam, vel impotentiam, vel obliuionem. Bonacina *supr*.

Dub. VI.

An sponsalia dissoluantur per absentiam alterius in regionem longinquam.

1 Dico primò, quando sponsus (idem de sponsa) dimittit terram, se in remotas Prouincias conferens absque consensu sponsæ, tunc sponsa libera manet ab sponsalibus: habetur expressè *in cap. de illis, de sponsal*. conueniuntque in hoc DD. quia qui ita discedit, censetur renuntiare iuri suo, & obligationi alterius circa ipsum discedentem. Dicitur autem quis absolutè dimittere terram, quando dimittit domicilium, aut recedit animo non redeundi: secus autem, si animo redeundi, etiamsi per longum tempus. Procedit autem conclusio, etiamsi sponsalia sint iurata, vt supponitur in dicto capite, ibi: *Si quis iurauit aliquam ducturum, & postea dimisit terram, &c*. Et vt sæpè dictum est, regulariter iuramentum tantùm additur in confirmationem sponsalium, proinde his dissolutis etiam cessat obligatio iuramenti. Dissoluuntur autem in hoc casu sponsalia statim, ac sic discessit sponsus, & manet libera sponsa ex tunc, nec tenetur expectare biennium, si sponsus absens sit in eadem prouincia, & triennium, si sit in alia, vt dispositum est iure ciuili, *l. 1. cap. de repudiis*, & in Castella, *l. 8. tit. 1. p. 4.* nam ius ciuile correctum est per ius Canonicum *in dict. cap. de illis*, vt docent Nauarr. *cap*. 77. *num*. 26. Filliuc. *tom*. 1. *tract*. 10. *cap*. 8. *numer*. 294. Bonacin. *tom*. 1. *quæst*. 1. *de sponsalibus, punct*. 6. *numer*. 8. Sanchez cum aliis. *lib*. 1. *disp*. 54. *numer*. 6. Hurtado *quæst*. 2. *de matrim. diff*. 10. *numer*. 36. Procedit etiam conclusio, non solùm quando sponsus dimittit terram, sed etiam quando sponsa abiit in longinquum; nam etsi dictum cap. tantùm expressè loquatur de sponsi discessu, ratio autem naturalis idem dictat in vtroque; vnde si sponsa manet libera per dictam sponsi absentiam, similiter manebit sponsus per dictam sponsæ absentiam. Hurtad. *supr. num*. 37. Dixi, *absque consensu sponsæ*, nam si alter det licentiam, & consentiat in absentia supradicta, expectandus est absens, quantum inter ipsos conuentum est de absentia temporis. Bonacin. *sup*.

2 Difficultas tamen est, an quando sponsus absque consensu sponsæ discedit in terras, animo redeundi, sed absque spe celeris reditus, sponsa maneat libera. Omissis opinionibus. Respondeo, & dico secundò, probabilius, & verius esse quando sponsus discedit in terras remotas, siue intra Prouinciam, siue extra, sine consensu sponsæ, & absque spe celeris reditus, ex tunc sponsam liberam manere ad contrahendum cum alio, vt docent Henriquez *lib*. 11. *de matrim. cap*. 14. *n*..... Toletus *lib*. 7. *cap*. 21. Filliucius *loc. cit*. Bonac. *supr*. & cum aliis Sanchez *disp*. 54. qui dicunt, & benè quidem, ita esse dispositum in dicto cap. de illis, vbi absolute est sermo de longinqua absentia alterius: censetur enim absens hic iuri suo renuntiare per absentiam, ideò ea tunc sponsa manet libera.

3 Dico tertiò, quando sponsus se transtulit in locum propinquum, & breui speratur rediturus, expectandus est, vel requirendus est, vt intra certum tempus matrimonium contrahat: quòd si iuxta illud nolit contrahere, dissolui poterunt sponsalia, quia sponsus requisitus censetur cedere sponsalibus, recusando matrimonium intra tempus requisitionis assignatum: nisi fortè adsit iusta causa, quæ definienda est iuxta prudentis arbitrium. Filliucius, Bonacina *supr*. Villalobos *tract*. 12. *diff*. 12. *num*. 9. Sanchez *disput*. 24. *cit*. Coninch. *disput*. 23. *dub*. 6. *num*. 50. & alij.

Dub. VII.

An sponsalia dissoluantur per matrimonium de præsenti cum alia.

1 Dico primò, dissoluuntur sponsalia per subsequens matrimonium valide celebratum cum alia persona. Ita communis Doctorum, & habetur *in cap. 1. de sponsa duorum, & cap. si inter virum, & c. adolescens de sponsal*. Quod verum est, non solùm ex parte relictæ, sed etiam ex parte contrahentis, saltem quamdiu durat matrimonium, quia tandiu est illi impossibile implere promissionem relictæ factam. Ratio conclusionis est, quia res tradita vni per contractum indissolubilem, non potest ampliùs tradi alteri, cui tantùm promissa erat, ideò in solutione is, cui res tradita fuit, præfertur illi, cui promissa est, vt dixi vbi de ordine restitutionis, sed per matrimonium de præsenti corpus traditum est vni: ergo non potest ampliùs tradi sponsæ, cui antea per sponsalia promissum fuerat. Dixi, *validè celebratum*, nam si matrimonium fuit nullum nō soluuntur sponsalia ex parte contrahentis illud; nam nullum præstat impedimentum, quod nullum sortitur effectum, *ex regul. iur. in 6.* alter tamen

men manet liber ab obligatione sponsalium; quia ille, qui contraxit, per voluntatem contrahendi visus est recedere ab sponsalibus. Vide Sanchez *lib. 1. disp.* 48. Lessium *lib. 2. cap.* 70. *num.* 44. Coninch. *disput.* 23. *dub* 4. *num.* 28. Bonacin. *tom.* 1. *quaest.* 1. *de sponsalib. punct.* 7. *num.* 1. Hurtado *de matrimon. quaest.* 2. *diff.* 7. *num.* 25. & Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *cap.* 8. *num.* 271.

2 Dico secundò, ita soluuntur sponsalia per subsequens matrimonium validum cum alia, vt eo secuto, sponsus non teneatur adimplere sponsalia, sed penitus extincta sunt. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 14. Villalobos 1. *part. tractat.* 12. *diff.* 11. *num.* 12. vbi dicit hoc esse probabilius, & Doctores citati contra Hurtado, & Coninch. Ratio est, quia matrimonium superueniens est vinculum fortius vincolo sponsalium praecedentium, & eiusdem rationis cum illo, & cum eo incompossibile; ergo extinguit illud: sicut etiam qui vouit profiteri in strictiori Religione, liberatur omnino ab eo voto, per professionem factam in Religione laxiori. Opposita tamen sententia, videlicet, tunc non extingui omnino obligationem sponsalium, sed tantum suspendi, & soluto matrimonio reuiuiscere, valde etiam probabilis est. Vide Hurtado *vbi sup. n.* 26.

3 Dico tertiò, procedit secunda conclusio, etiamsi sponsalia sint iurata, vt docent Henriquez *lib.* 11. *cap.* 13. *num* 3. Sanchez *libr.* 1. *disput.* 48. Filliucius *supra num.* 271. Villalobos *sup.* & alij. Ratio est, quia iuramentum firmat promissionem homini factam; at obligatio promissionis ita extinguitur per subsequens matrimonium, vt sponsus non teneatur, soluto matrimonio, stare primae promissioni, seu sponsalibus, ergo extinguitur etiam iuramenti obligatio. At si sponsus spe matrimonij sponsam violauit, tenebitur, soluto matrimonio, eam ducere, non vi sponsalium, quia fuerunt extincta, sed ratione damni illati, nisi aliunde damnum illatum fuerit resarcitum. Ita citati. Valde tamen probabile est, teneri hunc, quia iurauit, mortua vxore, ducere sponsam, consequenter obligationem non fuisse omnino extinctam, sed suspensam durante matrimonio, sicut suspenditur obligatio voti simplicis Religionis per subsequens matrimonium. Ita Bonacina *quaest.* 1. *de sponsalib. punct.* 7. *num.* 3. Huic tamen opinioni respondere potest cum Sanchez, esse diuersam rationem in hoc casu, ac in primo, nam obligatio sponsalium, & matrimonij sunt eiusdem rationis, & homini factae, ideo minùs fortis soluitur omnino per fortiorem; at obligatio voti, & matrimonij sunt diuersae rationis, & vna fit Deo, altera homini, ideo vna non soluitur per aliam.

DVB. VIII.

An sponsalia priora dissoluantur per posteriora.

1 Dico primò, sponsalia posteriora absque iuramento, & copula non dissoluunt priora ex parte contrahentis posteriora, ita habet communis Doctorum. Ratio est, quia secunda promissio est rei illicitae, vtpote rei iam alteri promissae, ideóque non obligat, consequenter manet integra prior obligatio, vnde qui posteriora sponsalia contraxit, tenetur ad priora. Dixi, *ex parte contrahentis*, nam alter manet liber ab sponsalibus; quia qui posteriora contraxit, eo ipso renuntiauit obligationi alterius, tam fidelitatis, quàm instituae: & quamuis non renuntiasset, dedit illi sufficientem occasionem, vt resilire possit; quia frangenti fidem, aut id conanti non est necessariò fides seruanda.

2 Dico secundò, nec etiam soluuntur priora per posteriora iurata. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 50. Filliucius *supr. num.* 274. & communiter Doctores. Ratio est; quia posterior promissio, vtpote rei illicitae, quia iam alteri erat promissa, non obligat, saltem si referatur ad tempus iuris alterius, consequenter nec obligat iuramentum. Dixi, *saltem si referatur, &c.* nam Hurtado *disput.* 1. *de matrim. diff.* 8. cum Conar. & Rebello putat contra Sanchez, Coninch, & Basilium, si priora sponsalia dissoluantur, siue morte alterius, siue ingressu Religionis, eum, qui posteriora contraxit, teneri ad matrimonium cum posteriori sponsa, quia inquit, posterior promissio fuit valida, quatenus relata ad impletionem faciendam tempore cessationis iuris alterius. Verius tamen existimo cum Sanchez, & Filliuc. nec in hoc casu teneri ad posteriora. Ratio est, quia posterior promissio absolutè fuit inualida, cum fuerit rei illicitae; at quod ab initio validum non fuit, tractu temporis minimè conualescit, *regul. non firmetur, de regul iur. in* 6. Quòd si dum posteriora sponsalia contracta sunt, suberat iusta, & sufficiens causa recedendi à prioribus, tunc teneretur ad posteriora; quia contrahendo posteriora non peccat, consequenter valida sunt, & obligatoria Filliuc. *num.* 274.

4 Dico tertiò, nec soluuntur priora sponsalia valida per posteriora, etiam copula subsequuta cum posteriori sponsa, quamuis ignara priorum sponsalium, ita Sanch. *lib.* 1. *disp* 49. Filliuc. *supr. num.* 2. *cap.* 75. Hurtado, *supr num.* 3. cum Nauarr. Henriq. Soto; & alia contra Coninch. *disput.* 23. *num.* 34. & Basilium *cap* 14. Ratio est, tum quia post Tridentinum non transeunt in matrimonium posteriora, etiam copula subsequuta, etiamsi affectu habeatur maritali: tum, quia posterior promissio fuit irrita, vt saepè dictum est: ideo ratione promissionis non tenetur ducere posteriorem, sed priorem. Dixi, *ratione promissionis non teneri*: nam ratione damni illati secundae, si aliter non possit reparari, vtpote quia eam violabit sub spe futuri matrimonij, tenetur posteriorem ducere, quia contra naturalem aequitatem videtur, cum tanto damno alieno impleere priorem contractum, ex cuius dissolutione, seu non impletione pars altera nullum aliud damnum (vt supponimus) patitur, quam quod non fiat contractus, quo in casu prior sponsa consentire tenetur, vt contrahat cum secunda, si prior, nec damnum, nec infamiam patiatur; haec enim etiam dictat naturalis ratio, & aequitas, vide Henriquez *lib.* 11. *capit.* 13. *numer.* 3. & cum Sanchez *disp.* 49. & Villaloboa 1. *part. tract.* 12. *diff.* 12. *num.* 12. qui cum Henriquez, & Sanchez tenet, in hoc casu posse, iudicem praecipere, vt ducat secundam: & etiam si priora sponsalia fuerint occulta, & posteriora publica, ita vt posset timere censuras, aut graue damnum, non teneri redire ad priorem, quia res fuit iam notabiliter mutata, de quo infra.

DVB. IX.

An sponsalia dissoluantur per subsequentem fornicationem cum alia.

1 Dico primò, ob fornicationem sponsae superuenientem sponsalibus dissoluuntur ex parte sponsi, ita vt sit liberum ei contrahere, aut non, Ita *ex cap. quemadmodum* 15. *de iur. iur.* & habet communis DD. tum quia sponsa per fornicationem fit detetior, & vilior, ob quod impletio sponsalium

sit sponso notabiliter difficilior; tum, quia violauit ius in corpus, quod in desponsatione contulit sponso. Procedit hæc conclusio, etiamsi sponsalia sint iuramento confirmata, vt habetur *in dict. cap.* ob rationem sæpè repetitam. Et docent communiter DD. apud Sanch. *lib. 1. disput. 55.* Henriq. *lib. 11. cap. 14 n. 6.* Coninch. *disput. 23. dub. 7.* & Bonacin. *tom. 1. q. 1. de sponsalib. punct. 8. n. 1.* Procedit etiam hæc conclusio, quando sponsus post sponsalia cum alia fornicatus est, vt docent communiter DD. quia sponsus fornicando frangit notabiliter fidem, ideo sponsa manet libera ad contrahendum cum quo voluerit.

2 Dico secundò, dissolui etiam possunt sponsalia ex parte sponsi ob fornicationem sponsæ, quamuis vi, & coactione facta sit, vt dicitur *in Can. raptor 36. quæst. 2.* & docent DD. citati Hurtad. *de matrim. disp. 2. diff. 11. num. 4.* & communiter omnes apud Bonacin. *sup. num. 3.* Sanch. *sup. disput. 56.* quia ex fornicatione sponsa sit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium. Idem dic ob eandem rationem, si permittat se turpiter tangi, quia ex eo habetur omninò impudica, ac proinde vilior; ac etiam, quia in re graui frangit fidem. Ob fornicationem autem sponsi, vt sibi illatam non dissoluuntur sponsalia ex parte sponsæ, vt docent citati, quia non frangit fidem sponsalium, neque sit notabiliter vilior ad matrimonium; ob tactus tamen impudicos sponsi cum alia non dissoluuntur sponsalia, vt docent Bonac. *n. 1.* cum Sanch. Reginald. & alijs. Ratio est, quia inde nullum dedecus sequitur sponsæ, nec ista censetur notabilis mutatio, qua præuisa præsumatur sponsam noluisse promittere, seque obligare: est contra Hurtado *sup. num. 42.* cuius opinio non est improbabilis, quia quamuis non fiat notabiliter deterior, frangit tamen fidem in re graui.

3 Dico tertiò, quando sponsa fornicata est ante sponsalia, viro hoc ignorante, soluuntur sponsalia ex parte sponsi, non verò ex parte sponsæ, Sanchez *lib. 1. disp. 63* Bonac. *sup. num. 1. vers. Dixi.* & communiter DD. non quia sponsa fregerit fidem, sed quia illa fornicatione est notabiliter vilior, quam existimabatur. Ob eandem rationem propter fornicationem præcedentem viduæ existimatæ famæ honestæ ante sponsalia commissam, & postea cognitam, potest sponsus ab sponsalibus resilire, vt optime Sanchez, & Hurtado, quia illa fornicatione est vilior, quàm antea apparebat. Caput autem, *quemadmodum*, vbi dicitur, non posse obijci sponsæ fornicationem præcedentem, tantùm loquitur de fornicatione præcedente cognita ante sponsalia; vt cum Gloss. tenent communiter DD. Adde cum Sanchez *disput. 63.* Coninch. *vbi supra* Bonac. *num. 2.* posse virum resilire ab sponsalibus, non solum ob fornicationem fœminæ præcedentem, & ignoratam, sed etiam ob tactus turpes, oscula, & amplexus ignoratos, nam si hoc sciuisset, non promisisset, quia per illa fuit notabiliter deterior facta sponsa. Fornicatio autem sponsi præcedens sponsalia, & ignorata ab sponsa, non est causa sufficiens, vt fœmina possit ab sponsalibus resilire; vt docent communiter DD. quia per eam non est factus vir notabiliter deterior, aut vilior in ordine ad matrimonium, nec graue dedecus infert sponsæ, sicut infert fornicatio sponsæ.

4 Dico quartò, vtroque sponso post sponsalia fornicante, sponsus potest resilire, & non sponsa, vt docent Sanch. *lib. 1. disput. 51. num. 8.* Henriquez Coninch, & alij, quia quamuis quoad fractionem fidei, & iuris, facta sit æqualis compensatio, non tamen quoad vilitatem; quia sponsa sit notabiliter vilior, non verò sponsus. Nihilominus tamen existimo valde probabile, cum Bonac. *supr. num. 6.* neutrum in hoc casu posse resilire: tum, quia delictum vnius compensatur cum delicto alterius: tum quia quando vterque coniunx post matrimonium contractum commisit, adulterium, vir non potest petere diuortium, quamuis adulterium fœminæ sit grauius adulterio viri; ergo neque sponsus poterit facere diuortium, seu dissoluere sponsalia, quando vterque commisit fornicationem post sponsalia, quamuis sponsus maiorem subeat ignominiam, ob fornicationem sponsæ, quam sponsa ob fornicationem sponsi.

5 Dico quintò, non solum ob fornicationem corporalem, sed etiam spiritualem vt hæresim, apostasiam, dissolui sponsalia, Sanch. *lib. 1. disput. 51. n. 3.* Regin. *lib. 31. n. 262.* Coninch, Filliuc. & alij apud Bonacin. *sup. num. 7.* quia fornicatio spiritualis censetur notabilis mutatio, quæ tacitè censetur excepta in contractu sponsalium; imò tenetur sponsus in hoc casu resilire ab sponsalibus; nam cohabitare matrimonium cum hæretico est peccatum mortale, vt *infra*; vnde non placet limitatio adducta ab Hurtado, *vbi sup. num. 44. vers. Aduertunt*, nimirum, hoc tantum esse verum, quando habitatio redditur periculosa innocenti, aut quando id contingit in Prouincijs, in quibus (vt in nostra) dedecori ducitur hæresis; non enim placet, tum ob rationem dictam: tum quia vix abest periculum.

Dvb. X.

An sponsalia dissoluantur per impedimentum dirimens superueniens.

1 Dico primò, dissoluuntur sponsalia ob superueniens impedimentum dirimens matrimonium ex parte alterius, qui non fuit causa impedimenti; ita communia DD. Ratio est euidens, quia obligari non potest quis ad id, quod fieri non potest; at matrimonium celebrari valide non potest, extante impedimento dirimente; ergo non obligant tunc sponsalia. Adde, non solum impedimentum dirimens matrimonium esse causam sufficientem ad dirimenda sponsalia, sed famam publicam de impedimento, aut scandalum; vt docent Sanch. *disp. 71 num. 13.* & cum alijs Bonac. *tom. 1. quæst. 1. de sponsalib. punct. 7 num. 6.* & est definitum *cap. super eo de consanguin.* Hinc sit primò dissolui sponsalia, quando Titius post sponsalia cognouit sororem sponsæ, quia suborum fuit impedimentum affinitatis cum sponsa, dirimens matrimonium. Infertur etiam eum, qui spe futuri matrimonij cognouit consanguineam intra quartum gradum, quod tamen ipse ignorabat, postea dum conscius fuerit, non teneri eam ducere, quia promissio fuit inualida: at si adsit scandalum, dolus, aut fraus, tenetur hic ad petendam à Sede Apostolica dispensationem. Bonac. *supr. num. 6. vers. Respondeo.*

2 Dico secundò, impedimentum impediens tantum matrimonium, si superueniat sponsalibus, non ita dirimit, excepto impedimento voti simplicis, de quo in superioribus. Sanch. *lib. 1. disp. 56. n. 3.* Coninch. *disp. 23. dub. 5. n. 36.* Villalobos *tom. 1. tract. 12. diff. 12. n. 25.* Bonacin. *sup. n. 7.* & communiter DD. Ratio est, quia hæc impedimenta non dissoluunt sponsalia, nisi re integra existente, seu quando antecedunt sponsalia, vt dixi *cap. antecedent. dub. 12.* Quid quod ferè, aut paucissima tantum sunt in vsu, vt dicemus *infra cap. 8. dub. vltim.*

3 Sed quæres, vtrum sponsus, qui post sponsalia

ſalia contraxit impedimentum dirimens, teneatur impetrare diſpenſationem Impedimenti, ſi alter vult, vt impleantur ſponſalia. Reſpondeo affirmatiue, ita Sanchez *ſup diſp.* 56. *n.* 4. Coninch. *num.* 37. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 191. Villalobos *loco citato*, Bonacin. cum aliis *ſup. num.* 8. quia ipſe fuit in cauſa. Hoc autem limitat, ſi commodè poteſt illam impetrare, vnde non tenetur cum magnis expenſis, aut quando alioquin ſequeretur alteri graue damnum, vt ſi fuit ab ſponſo deflorata, aut quando grauem famæ iacturam pateretur. Ratio eſt, quia non eſt æquum, vt ſponſus commodum, & immunitatem reportet ea ſuo delicto: quod procedit, quidquid Hurtad. *diſp.* 2. *de matrim. diff.* 12. *num.* 46. quamuis non aduertat, quando contrahit, impedimentum dirimens, nam quamuis non fuerit in culpa, eſt tamen cauſa damni, ideoque tenetur illud reparare, præſertim cum talia ſponſalia non ſint ſoluta ex parte innocentis.

D V B. XI.

An diſſolui poſſint ſponſalia ob notabilem defectum corporis ſuperuenientem.

1 Dico primò, diſſoluuntur ſponſalia ex parte illæſi, ob notabilem corporis defectum poſt ſponſalia ſuperuenientem, etiamſi ſint iurata: puta ſi alter eorum fiat leproſus, paralyticus, aut amittat vnum oculum, aut naſum, aut ſi os male oleat, ita vt nec arte medica ſubueniri valeat, aut aliquid turpius accidat. Ita communiter Doctores apud Henriquez *lib.* 11. *cap.* 14. *numer.* 6. Sanchez *de matrimon. lib.* 1. *diſp.* 57. & Bonacinam *tom.* 1. *quaſt.* 1. *de ſponſalib. punct.* 8. *num* 9. *ex capit. quemadmodum* 25. *de iureiurando.* Et ratio eſt, quia in contractu ſponſalium; etiamſi iuramento ſit firmatus, tacitè imbibitur hæc conditio, *niſi ſuperueniat notabilis mutatio, ob quam impletio ſponſalium fiat oneroſior.* Quod procedit, tam quando id accidit ſponſæ, quàm ſponſo: imo exiſtimo cum Sanchez *ſup.* & Hurtad. *diſput.* 2. *de ſponſalib. num.* 48. ſufficere in ſponſo, ſicut ſufficit in ſponſa, ſi vnum tantum oculum amiſerit, eſt enim notabilis deformitas, & mutatio. Idem dic ob eandem rationem, ſi alter eorum morbo gallico, aut alio contagioſo afficiatur, Sanchez *ſup.* & alij. Diſſoluuntur etiam ſponſalia ex parte illæſi, & à fortiori, ob defectum in fama, aut honore ſuperuenientem, vt ſi alter eorum furti, vel alterius criminis turpiter damnetur, ita communiter Doctores, quia ex quolibet ea dictis impletio ſponſaliom fit notabiliter oneroſior illæſo. Dixi, *diſſolui ſponſalia ex parte illæſi, ſeu ſani*, nam ſi hic voluerit cedere iuri ſuo, alter tenetur contrahere, modò tamen infirmitas, iudicio medici, non ſit incurabilis; hoc enim dictat naturalis ratio, non enim cum tanto incommodo tenetur talis infirmus promiſſionem adimplere, conſequenter alter tenetur conſentire, aliter irrationabiliter peteret promiſſionis adimpletionem.

2 Dico ſecundò, diſſolui etiam poſſunt ſponſalia ex parte ſponſi, ſi ſponſa ex pulchra facta fuit notabiliter deformis, Sanchez *ſup. lib.* 1. *num.* 57. Bonac. *loco citato num.* 10 & alij, quia ſuperuenit notabilis mutatio; ſit enim ſponſa ſponſo notabiliter durior, aut notabiliter minus grata. Idem dic de ſponſi deformitate ſuperueniente, ob eandem rationem, modò ſit valde magna, nam in viris maior deformitas requiritur, quàm in fœminis. Conineb. *diſp.* 23. *dub.* 8. *num.* 66. & 67. Nihilominus ſi deformitas ſit notabilis, qualis videtur amiſſio totius naſi, videtur deformitas, & mutatio notabilis, vt benè contra Gutiert. Bonac. *loco cit. num.* 10. Nec obſtat, quod in dict. cap. *quemadmodum*, non fiat mentio defectus pulchritudinis, ſed amiſſionis oculi, aut naſi, nam ibi non negatur, poſſe ob alias deformitates diſſolui, & hæc deformitas pulchritudinis, & alij defectus ſupradicti iure naturali ſufficiunt ad diſſolutionem ſponſalium, ſicut illi, qui in eo capite aſſignantur. Hurtado *ſupra.*

D V B. XII.

In quo aliqua reſoluuntur circa diſſolutionem ſponſalium.

1 Dico primò, diſſolui poſſunt ſponſalia ex parte alterius ob notabilem aſperitatem, & ſæuitiam aduenientem, aut cognitam poſt ſponſalia, Sanchez *diſput.* 58. Coninch. *diſp.* 23. *n.* 67. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 6. Filliucius *tom.* 1. *c.* 8. *num.* 190. Villalobos 1. *part. tract.* 12. *diff.* 12. *num.* 16. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *q.* 1. *de ſponſalib. punct.* 8. *num.* 18. & Hurtado *diſp.* 2. *de ſponſalib. diff.* 14. *n.* 50. & communiter Doctores. Ratio eſt, quia ob illam impletio ſponſaliom fit alteri notabiliter durior, & quia ob illam poteſt fieri diuortium, vt patet *cap. litteras* 13. *de reſtitut. ſpoliat.* ergo à fortiori diſſolui poſſunt ſponſalia: quo quidem argumento vtitur, *textus in cap. quemadmodum* 25. *de iureiurand.* ad probandum, ob fornicationem diſſolui poſſe ſponſalia, quia ſcilicet eſt iuſta cauſa diuortij. Nec obſtat cap. *veniens.* 5. *qui Clerici, vel vouentes*, vbi dicitur, mulierem violaſſe fidem, quæ reſilierat ob ſæuitiam ſponſi, quia ibi non dicitur reſiliiſſe ab ſponſalibus ob ſæuitiam ſponſi, ſed quia violauit votum caſtitatis, quod emiſit in manibus cuiuſdam Eremitæ, vt deducitur ex contextu: aut ſi dicatur violaſſe fidem, quia reſilierit ob ſeueritatem ſponſi, non eſt quia ſeueritas non ſit ſufficiens cauſa, ſed quia mulier illa abſque ſufficienti notitia ſeueritatis ſponſi eum recuſauit. Hurtad. *vbi ſup. num.* 50.

2 Dico ſecundò, diſſolui poſſunt ſponſalia ex parte vtriuſque ob graues inimicitias ortas inter ſponſos. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia tunc impletio ſponſalium fit vtrique notabiliter grauior, & quia ex eorum impletione poteſt malus exitus prudenter timeri: ob eandem rationem diſſoluuntur ſponſalia ex parte vtriuſque, ob obſtinatam parentum contradictionem; aut ſi timeantur graues inimicitias orituras inter ſponſorum parentes, aut affines, aut mali exitus, quia etiam tunc impletio ſit vtrique notabiliter grauior. Hurtado *ſupra num.* 51. Coninch *diſp.* 23 *dub.* 8. *num.* 67. Henriq. *lib.* 11. *c.* 14. *num.* 6. & cum aliis Bonac. *ſup. num.* 15. vbi dicit cum Coninch *ſup.* Abbate, & Felino, poſſe hac de cauſa Summum Pontificem aliquando diſpenſare in matrimonio rato.

3 Dico tertiò, diſſolui poſſunt ſponſalia ob paupertatem alterius ſuperuenientem, quando ſcilicet ob eam non poteſt dos promiſſa ſolui, quia tunc cenſentur celebrata ſub conuentione, aut quaſi conditione dotis, vt conſtat *ex cap. de illis* 3. *de condit. appoſit.* mutatur enim tunc notabiliter ſtatus rei. Quod procedit ob dictam rationem, etiamſi paupertas abſque culpa contingat: imò quamuis nulla facta promiſſione dotis ſuperueniat paupertas, vt contra Couarr. & Rodr. tenet Sanch. *diſp.* 60. *num.* 2. Henriq. *lib.* 11 *c.* 14. Hurtad. *ſup. diff.* 14. *n.* 51. & cum aliis Bonacin. *ſup. num.* 11. quod etiam procedit,

quando paupertas superuenit sponso, nam eadem est ratio. Ita citati. Non autem possunt dissolui ob paupertatem vtriusque superuenientem sponsalibus, vt contra Rebell. tenet Bonac. *loc. cit. num.* 14. tum quia paupertas vnius compensatur cum paupertate alterius: tum quia sponsalia pauperum valida sunt. Attamen existimo valde probabile, tunc dissolni, quia quamuis ex parte vtriusque, reuera tamen mutatur status, & fortè si hoc præuidisset alter eorum, non sponsalia contraxisset, sed potius eligeret vitam cœlibem ducere. Quòd si quis iurasset, se aliquam doctorum, nulla dotis promissione præmissa, si illa diues sit, & nullam dotem assignare vult, probabile est, non teneri ad eam ducendam, quia conditio dotis est tacitè inclusa in matrimonio, vt plutibus Sanchez *disp.* 60.

4 Difficultas tamen est, vtrum quando vnus sponsus in eodem statu permanet, sed alter fit valde diues, teneatur hic stare sponsalibus: affirmant Sanchez *loco citato num.* 7. Coninch. *vbi supra num.* 60. & Bonacin. *loco citato num.* 13. nam ipse non est effectus deterioris conditionis quàm erat antequam celebraret sponsalia; nec ipse dicitur deceptus, aut errasse, circa conditionem sponsæ, sed circa propriam, in quam non fertur consensus. Hoc autem difficile existimat Hurtado *supra num* 52. quia dicta mutatio est notabilis, ita vt ex se efficiat impletionem duriorem, & notabilitet grauiorem facto ditiori, & quæ à principio existens etiam ab sponsalibus retraheret. Sententia hæc admitti posset, quando nullum damnum, præterquam quod non contrahere cum hoc diuite, sponsæ sequitur.

5 Nota tamen, vt optimè aduertunt Sanchez, Coninch, & Hurtado, in omnibus supradictis casibus, in quibus diximus solui posse sponsalia, id esse verum, quamuis sint iuramento confirmata, ob rationem sæpissimè repetitam.

7 Nota secundò (quod est maximè aduertendum) cum Sanchez *disp.* 61. & aliis citatis. Quamcumque notabilem mutationem sponsalibus superuenientem, quæ eorum impletionem reddat notabiliter difficiliorem, esse sufficientem ad eorum dissolutionem ex parte illius, cui redditur difficilior, quamuis sponsalia sint iurata. Ratio est, quia contractus sponsalitius non est perfectus, sed inchoatus, non conferens dominium, sed ius ad rem, & est factus pro re non accepta, sed accipienda, & quæ non accipietur, si dissoluatur, ideo tacitè fit, adducta conuentione, seu conditione, vt dissolui possit, si adsit notabilis mutatio, ob quam impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, aut difficilior, vt resilire possit is, cui fit talis. Dissolui ergo possunt sponsalia, quoties aliqua notabilis mutatio, seu causa de nouo superuenit sponsalibus, qua cognita, contrahentes, iudicio prudentis viri iudicantur, non habuisse voluntatem, saltem implicitam se obligandi, etiam si sponsalia celebrata sint cum iuramento: tum quia promissio non obligat vltra intentionem promittentis, promittens autem non censetur habuisse intentionem promittendi, superueniente notabili mutatione, seu causa, qua præuisa iudicio prudentis non promisisset. Ita Sanchez *lib.* 1. *disp.* 61. *num.* 2. Nauarr. *consil.* 9. *de sponsalibus*. Villalob. 1. *p. tract.* 12. *diff.* 12. *num.* 14. Bonac. *q.* 1. *de sponsal. punct.* 8. *num.* 8. addit Villalob. *supra*, cum Nauarr. credendum esse in vtroque foro dicenti, se, non contraxisse sponsalia, si à principio cognouisset illud nouum impedimentum, aut nouam causam. Ex hac regula colligitur, posse in multis casibus dissolui sponsalia, noua superueniente causa.

D V B. XIII.

Vtrum causa, quæ quando superueniunt sponsalibus, sufficiunt ad eorum dissolutionem, sufficiant etiam quando præcesserunt, & tunc fuerunt ignorata.

1 Conueniunt Doctores causas dictas, quando fuerunt ante sponsalia, & ante ipsa fuerunt ab vtroque cognitæ, non sufficere ad dissolutionem sponsalium, quia scienter, prudenter, ac libere se obligarunt, consequenter fuerunt valida sponsalia, & non superuenit, aut ignoratur aliquis incognitus defectus: sic valida sunt sponsalia scienter contracta cum ea, quam ipse sciebat fornicatam, aut corruptam fuisse, aut quando inter ipsos contrahentes repetitur notabilis disparitas vtriusque nota tempore contractus, vt dixi *sup. cap.* 1. *dub.* 2. *vers. Ex quo*, consequenter hæc sponsalia dissolui non possunt, nisi propter incommoda assignata *loco cit.*

2 Difficultas ergo est, an sufficiant supradictæ causæ ad dissoluenda sponsalia, quando in contractus celebratione fuerunt ignotæ, & postea apparent. Paludan *in* 4 *dist.* 27 *q.* 1 *artic.* 3. tuetur partem negantem. Affirmant tamen Henriq. *lib.* 11 *cap.* 14. Lessius *lib.* 2 *cap* 42. *dub.* 7. *num.* 34. Sanchez *lib.* 1. *disput.* 63. Coninch *disput.* 23. *dub.* 7. *numer.* 58. & 70. Basil. *lib.* 12. *cap.* 18. Bonac. cum aliis *tom.* 1. *q.* 1. *de sponsalib. punct.* 8. *num.* 16. Filliuc. *tom* 7. *tract.* 10. *c.* 8. *num.* 196. Hurtad. *disp.* 2. *de sponsalib. diff.* 15. *num.* 54. & meritò quidem: tum quia ob causas præcedentes, aliàs sufficientes, quamuis ignotatas, impletio sponsalium verè est difficilior, quam apparet, quando ignorantur non minus ob ipsas quando superueniunt, ergo quando præcedunt, & ignorantur, sufficiunt ad dissolutionem sponsalium, sicut quando superueniunt: non enim censentur, se voluisse obligare, si cognouissent causas supradictas: tum quia in iure paria sunt aliquid superuenire, & præcedere ignorantes, *cap. pastoralis de except.* Idem non esse, & non apparere, *l. in lege, ff. de contrahend. empt.* quare idem erunt esse, & apparere; ergo eum post sponsalia vitium ignotatum apparet, dicetur tunc de nouo esse, & sufficere ad dissoluenda sponsalia, nam sponsalia non obligant cum notabili mutatione rerum. Hinc fit, lepram, aut morbum gallicum, & cæteras causas prædictas sufficere ad dissoluenda sponsalia, licet contigerit ante sponsalia, modò probabiliter ignotatæ sint. Sotus *dist.* 17. *q.* 2. *artic.* 5. *cap.* 9. & alij cum Sanchez *disp.* 63. *num.* 2. fornicatio etiam sponsæ ignorata, etiam est sufficiens causa ad dissoluenda sponsalia, non verò sponsi fornicatio, quia in eo non reputatur cedere in infamiam sponsæ, sicut è contra, nisi sæpius eam iterasset, nam tunc adest suspicio probabilis, quod etiam in matrimonio violabit fidem. Sanchez *sup. num.* 9. & cum eo, & Molin. Filliuc. *loco cit.* Eodem modo dissolui possunt sponsalia, quando eo tempore sponsus existimabat, illam esse diuitem, & reuera apparuit pauper. Bonac. *sup. num.* 17. Caput autem, *quemadmodum* 25. *de iureiurand.* vbi dicitur, ob fornicationem præcedentem non dissolui sponsalia exponitur, & benè communiter à Doctoribus, quando etiam præcessit notitia fornicationis.

3 Intelligenda autem est hæc secunda sententia, quam sequimur, quando ignorantia, aut error causæ aliàs sufficientis, fuit causa sponsalium, id est, quando sponsalia non fierent, si quando fiunt, esset notitia dictæ causæ; non verò quando ignorantia

an

aut error non fuit causa sponsalium, id est, quando etiam fierent sponsalia, quamuis à principio esset notitia dictæ causæ, eo quòd ita erat animo affectus, vt si vitium, seu mutationem cognouisset, nihilominus sponsalia contraxisset. Sanchez *disp.65. num.2.* Coninch *sup.n.60.* Hurtad. *sup. n.55.* & cum aliis Bonac. *loco cit.n.19.* quia tunc promissio non inuoluntaria, sed voluntaria censetur. Vnde, qui promisit matrimonium Bertæ pauperi, aut defloratæ, quam credebat esse diuitem, aut virginem, tenetur stare sponsalibus, si tempore sponsalium ita erat animo dispositus, vt sponsalia contraxisset, etiamsi sciuisset, illam esse pauperem, aut defloratam. Sed quid si dubitat, in contrahendo sponsalia habuisse illam animi dispositionem? Respondeo, considerandam esse vitij grauitatem, & rei mutationem nam si vitium, seu mutatio est grauis, præsumitur non habuisse affectum, seu voluntatem habitualem se obligandi; nam fortissima præsumptio sumitur ex communiter contingentibus. Menoch. *lib. 1. de præsump. q.18.n.1.* sed homines communiter nolunt promittere, vel se obligare interueniente notabili mutatione, aut cognito graui vitio; ergo. Sanch. *sup.n.4.* Nauarr. *c.18.n.7.* & Bonac *sup.n.20.* vnde qui promisit matrimonium Bertæ, quam ignorabat esse corruptá, non tenetur stare sponsalibus, si postea dubitet, an tempore sponsalium ita esset affectus, vt etiam sibi desponsisset, si cognouisset illam esse defloratam.

4 Nota, quando præcesserunt causæ iustæ, & ignoratæ, dissoluendi sponsalia, si dolus commissus ab altero ex sponsis, qui fuit in culpa, dedit causam contractui, esse sponsalia ipso iure irrita, ita vt sponsus deceptus nullo modo adstringatur. Ratio est, quia non erat consensurus, si sciuisset, & ita error causauit inuoluntarium: si verò sponsus non fuit particeps doli, sed tertius, tunc valida sunt, sed deceptus habet ius illa dissoluendi, quod est commune omnibus contractibus initis huiusmodi dolo, vt dixi in Decal. *lib.7. c.16. dub 3.* Quòd si dolus non dedit causam contractui, sed tantum incidit in contractum, valida erunt sponsalia, eo modo quo alij contractus sic celebrati sunt validi, vt dixi *loco cit.* vbi explicui quando dolus dat causam contractui, & quando incidit in contractum. Vide Sanc. *lib.1. disp.64.n.2.* & cum aliis Bonac. *tom.1. q.1. de sponsalib. punct.9.n.1.*

5 Nota etiam, quando in casibus præcedentibus licitum est dissoluere sponsalia ob causam præcedentem ignoratam, vel superuenientem, licet etiamsi sint iurata; semper enim in iuramento inest tacita conditio, vt sæpè dictum est, & pluribus Sanchez *disp.67.*

6 Nota tertiò, sponsalia esse valida, quando celebrantur per dolum incidentem, nec posse alterum resilire si ita erat affectus, vt adhoc sponsalia celebrasset, si illud vitium sciuisset, vt si celebrauit sponsalia cum Berta simulante, se esse virginem, sed ita erat affectus vt etiam contraheret, quamuis corrupta sit: patet ex dictis *vers. Intelligenda.*

7 Sed quæres, an sponsus conscius causæ sufficientis ad dissolutionem sponsalium amittat ius resiliendi, si accedat ad sponsam. Affirmatiuè respondent Sanch. *lib.1 disp.66.* Filliuc. *tom.1 tractat.10. cap.8. num.298.* Coninch. *disp.23. dub.10.* Bonacin *q.1. de sponsalib punct.10. num.10.* & Hurtado *disput. 2. de sponsal. diff.16. num.50.* & meritò, si sponsalia fuerint valida, quia eo accessu, vtpote facto sub spe matrimonij, satis ostendit, se cedere iuri resiliendi, & in priori consensu permanere: tum quia sicut coniuges conscij fornicationis habitæ post matrimonium, si se cognoscunt, amittunt ius petendi diuortium, ita à pari sponsus amittet per eam copulam ius rescindendi sponsalia. Quod verum putat, & consequenter, Hurtado non solum in foro exteriori, in quo ita iudicabitur, quia dictus accessus est vehemens indicium remissionis defectus, & cessionis iuris resiliendi, sed etiam in foro interiori conscientiæ, quando scilicet accedit animo implendi sponsalia, non verò quando absque eo animo accedit; quia absque eo animo cedens non censetur verè remittere, atque ideo sic accedens potest resilire: si alia via, quam ducendo sponsam, possit damno illato, si quod intulit libere, eo accessu satisfacere: dicitur autem damnum inferre, quando, eo accessu facto, sub spe matrimonij, sponsa redditur minus apta ad contrahendum alteri æquali: & dicitur illud liberè inferre, quando sciens se posse resilire accedit; quia tunc accedit aduertens id posse nocere sponsæ.

8 Ex dictis sequitur, non induci impedimentum publicæ honestatis, ex sponsalibus celebratis per dolum dantem causam contractui, quia sunt inualida: at ex sponsalibus inualidis non oritur tale impedimentum, vt dicemus infra; vnde talia sponsalia contrahens poterit matrimonium contrahere cum sorore, aut matre, seu filia illius. Inducitur autem tale impedimentum, si sponsalia sunt celebrata per dolum incidentem tantum in contractu, quia tunc sponsalia sunt valida. Bonacin. *vbi sup. num.4.* cum Sanchez, & aliis.

9 Quæres etiam, vtrum decipiens possit cogi à decepto, stare sponsalibus, quibus decipiens dedit causam per dolum. Sanchez *lib.1. disp 64. num.3. & libr.4. disp.5.* putat, tam deceptum, quam decipientem liberum esse ab sponsalibus, modò non cogatur illis stare ratione damni, aut per sententiam iudicis in pœnam fraudis, quia inquit, sponsalia non claudicant, cum sint mutua promissio futuri matrimonij, consequenter si valida sunt ex parte decipientis, valida etiam erunt ex parte decepti, & è contra, alioquin claudicarent, nec posset mutua promissio appellari. Censeo tamen cum Bonacina *supra punct.9. n.2.* posse deceptum decipientem cogere, etiamsi nullum aliud damnum intercedat, vt contingit in aliis contractibus per dolum celebratis, vt dixi in Decalog. *lib.7. cap.16. dub.3. num.5.* cum Lessio *lib.2. cap.17. dub.5.* modò tamen decipiens veram habuerit intentionem promittendi, quando celebrauit sponsalia, vt limitat Bonacin. *supra.* Ratio est, tum quia par non est, vt decipiens commodum reportet ex suo delicto: tum quia hoc idem accidit in aliis contractibus: tum quia cum decipiens præstiterit suum consensum, potest deceptus illum acceptare, & consequenter cogere decipientem, vt stet sponsalibus. Hanc autem sententiam existimo procedere absolutè, etiamsi non habuerit animum verum promittendi, si hoc ignorabat sponsa; nam siue ob hanc, siue ob aliam causam alter verè fuit deceptus, consequenter habet ius ad cogendum, vt alter fidem seruet, & promissum adimpleat.

Dub. XIV.

An laborans occulto defectu, ob quem potest alter resilire, possit illum ignarum talis defectus ad matrimonium contrahendum compellere.

1 Respondeo affirmatiuè, modò sponsalia sint valida, & aliàs defectuosus non peccet contrahendo. Ita Sanchez *disput.68 lib.1.* Filiuc. *tom.1.*

tract. 10. *cap* 8. *num.* 298. *versic. Dico tertio.* Coninch *disp.* 23. *dub.* 12. nam quamuis ignarus defectus possit resilire, dum tamen non discedit, adhuc manet obligatus; & sicut per adulterium occultum non priuatur adulter iure exigendi debitum, quia talis priuatio est pœna, pœna autem non debetur ante sententiam; ita nec sponsus amittit ius petendi executionem sponsalium, quando causa dissoluendi est occulta, vt pluribus Sanchez *vbi supra.* Dixi primò, *si sponsalia sunt valida*, nam si inualida sint, certum est, non posse ignarum defectus cogere, quia ex contractu nullo, nulla oritur obligatio, aut ius.

2 Dixi secundò, *nisi habens defectum, seu defectuosus, non peccat contrahendo*, nam si peccat, certum est, non posse cogere alterum ad contrahendum: quare videndum est quando peccet contrahens cum defectu, & quando non. Ad cuius intelligentiam nota; aut vitium occultum contrahentis est perniciosum alteri, aut non: ille defectus dicitur perniciosus alteri, qui damnum aliquod illi infert, aut reddit nuptias perniciosas, vt morbus gallicus, lepra, aut alius contagiosus, quo non spectante nuptias curati; aut si alterutra pars esset omnino peruersis moribus, & statueret talis perseuerare; aut laboraret valde graui infamia, quæ posset honestam familiam omnino dedecorare: ille autem defectus dicitur non perniciosus, qui etsi reddat nuptias minus appetibiles, non tamen perniciosas alteri parti, vt si mulier sit corrupta, siue sponte, siue vi, aut si alter sit pauper, & ignobilis. Item, si sit non ita bonæ famæ, aut moribus improbis, aut feroci ingenio, modò tamen statueret non in iis perseuerare. His animaduersis.

3 Dico primò, contrahens sponsalia, aut matrimonium, occultans defectus primi generis, seu non perniciosos, non peccat contrahendo sponsalia, non enim tenetur parti volenti secum contrahere aperire hos defectus. Coninch *disp.* 13. *dub.* 12. *num.* 92. cum Sanchez *lib.* 6. *disp.* 27. *num.* 8. & 20. Ratio est, quia nemo tenetur se ipsum infamare, aut defectus suos manifestare, sed ad partem aliam spectat de illis inquirere, & sibi prospicere, aliter sibi imputabitur: & ex alio capite talia vitia non impediunt socialem vitam, aut generationem, vel honestam educationem prolis. At quia non raro est periculosum, præsertim sponsæ, cum his defectibus contrahere, quia postea re cognita, facilè amor vertitur in odium, & vxor pessimè tractatur, fieri potest, vt teneatur hos defectus aperire, aut à nuptiis abstinere, quando crederet aliàs futurum, vt graues dissensiones, aliave mala orirentur, vt benè aduertunt citati, & dixi in Decalog. *lib.* 8 *cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 9. Nullo tamen modo licet patienti huuc defectum dicto, vel facto positiuè dissimulare, & oppositum fingendo alterum decipere, & vana spe ad nuptias allicere, quia tunc vtitur fraude, & mendacio pernicioso, vt si se fingeret valde diuitem, nobilem, optima fama, quia tunc dolosè alterum à commodis nuptiis ad incommodas induceret. Poterit tamen dissimulare hos defectus, & eos tegere, quatenus necessarium est ad conseruandam bonam famam, aut statum honestum, præsertim iustè acquisitum, quia nemo tenetur, aut famam suam, aut eiusmodi statum prodigere; quare etiam interrogatus potest huiusmodi defectus dissimulare, alia omnia respondendo: vnde fœmina corrupta ante matrimonium potest aliquo artificio tegere hoc vitium occultum; quia tunc non tam fingit esse virginem, quàm tegit, & dissimulat corruptionem: imò si interrogata, an sit corrupta, neget, vtendo mentali restrictione, seu subintelligendo, *in communi existimatione, aut ad dicendum tibi*, non peccat, quia non tenetur ad interrogationem tam duram respondere ad mentem interrogantis. Ita Coninch. *sup num.* 94. & cum eo Hurtad. *disp.* 2. *de spons. diff.* 17. *num.* 62. vbi addunt, si interrogata, an sit virgo, affirmatiuè respondeat, mentaliter subintelligendo, *in communi existimatione*, non peccabit saltem mortaliter, ob rationem supradictam.

4 Dico secundò, non licet patienti defectus secundi generis, seu perniciosos, cum ignaro contrahere, nisi hos similes defectus pateretur. Coninch. *sup. num* 96. quia ita contracturus infert damnum innocenti, quod intrinsecè malum est: vnde teneror hic, aut à nuptiis abstinere, aut alteri defectum aperire; est enim tale matrimonium parti perniciosum, & prolis educationi: & sicut volenti à me emere ligna occultè cariosa, vt iis domum ædificet, teneor eorum vitium aperire, ita & in hoc casu.

5 Ex dictis sequitur, patientem defectus primi generis, seu non perniciosos, posse partem ignaram cogere, vt sponsalia iam ante contracta compleat, contrahendo matrimonium, siue illi defectus præcesserint sponsalia, siue non, quando non induxit dolo partem, vt secum contraheret; quia cùm sint vera sponsalia, patiens illos defectus habet verum ius, vt promissa compleantur, quo iure non est priuatus propter talem defectum, siue antecedentem, siue subsequentem, sed pars altera solùm per eum acquisiuit ius eligendi priorem obligationem; quare quandiu ignorat illum defectum, & per exceptionem non elidit eam obligationem, iustè cogitur stare promissis; sicut is, qui ab excommunicato vocatur in ius, iustè cogitur se iudicio sistere, quamdiu contra eum non excipit. Nihilominus tamen opposita sententia est valde probabilis, illamque tuetur Villalobos 1. *part. tract.* 12. *diff.* 14. *num.* 3. præsertim si defectus occultus præcedens sit fornicatio.

6 Sequitur secundò eum, qui patitur hos primi generis defectus, si dolo simulando contrarium, partem induxit ad sponsalia contrahenda, non posse cogere ignorantem partem ad contrahendum matrimonium; quia hoc faciendo continuat priorem iniuriam, qua alterum induxit ad contrahendum, quam tamen tenetur tollere. Idem dicendum de eo, qui habet defectus secundi generis, quia sic contrahendo alteri grauem iniuriam intulit, eamque multum auget exigendo matrimonium: quare hic in his duobus casibus, vel tenetur ignorantem ab omni obligatione sponsalium liberare, aut defectum aperire; quia aliter iniuriam illatam non tollit, ob quam rationem idem dicendum etiam est de eo, qui in defectus secundi generis inciderit post contracta sponsalia.

DVB. XV.

An sponsalia dissoluantur per conditionem non adimpletam.

1 HÆc quæstio commodiùs tractabitur infra, vbi agemus de conditionibus appositis in contractu matrimonij, seu de consensu conditionato. Obiter tamen dico, dissolui, seu vt propriè loquamur, sponsalia non esse valida, nec obligare, si conditio non adimpleatur, quia ea est natura conditionis, vt suspendat contractum, & quòd ea existente, existat contractus, & ea non adimpleta, nullus sit contractus; nam contrahentes non censentur se aliter obligare. Hoc autem intellige de vera,

&

& expressa conditione, quæ aliàs non imbibitur, nec tacitè inest in contractu; nam hæc non est vera conditio, nec facit contractum conditionalem, *l. conditiones, quæ extrinsecus ff. de condit.* consequenter sponsalia sic contracta statim valida sunt, nisi aliud obstet. Vide Sanchez *lib. 1. disp. 67.* Coninch. *disp. 23. dub. 9.* & Bonacinam *tom. 1. q. 1. punct. 10. n. 4.*

2 Quæri etiam solet, an inter sponsos liceant oscula, tactus, & amplexus, sed huic quæstioni respondi *supr. c. 1.* & in Decalogo *libr. 6. cap. vnico, dub. 12. num. 7.* vide ibi & Villalob. *1. part. tract. 12. diff. vlt. & infra hoc lib. cap. 10. dub. 12.*

D V B. X V I.

Vtrum ad dissoluenda sponsalia sit necessaria iudicis authoritas.

1 Dico primò, quando adest moralis certitudo, seu probabilitas, quod causa dissolutionis sponsalium est sufficiens de iure, & de facto, nulla ex natura rei desideratur iudicis authoritas, seu sententia ad eorum dissolutionem, sed possunt propria authoritate dissolui. Ita Sylu. *verb. Sponsal.* Valentia *disp. 10. quæst. 2. punct. 5.* Sanchez *libr. 1. disput. 59.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. capit. 8. num. 299.* Henriquez *lib. 11. capit. 14. num. 1.* & cum aliis Bonacina *tom. 1. quæst. 1. de sponsalib. punct. 10. num. 5.* Ratio est, tum quia nullo iure positiuo in hoc casu cauetur esse expectandam iudicis sententiam: tum quia sponsalia habent tacitam conditionem, *nisi aliqua causa ex supradictis accidat*: vnde ea existente, vtendo iure suo, poterit quis propria authoritate ea dissoluere, absque perturbatione Reipublicæ. Quod procedit etiamsi sint iurata; nam vt sæpè dictum est, iuramentum sequitur conditiones actus, super quem cadit: quare tunc nulla opus erit relaxatione iuramenti. Gutierr. *de matr. c. 35. n. 1.* Bonacina *sup.* & pluribus Sanchez *disp. 69. n. 3.*

2 Dixi, *ex natura rei*, nam aliquando, & per accidens opus erit iudicis authoritate dissoluenda sponsalia, etiamsi causa sit certa moraliter, vt si ex dissolutione priuata, sequeretur scandalum. Hinc patet, posse dissolui sponsalia propria authoritate in his. Primò, quando causa dissolutionis est publica. Secundò, quando sponsalia, & causa sunt occulta, in his casibus nullum est periculum scandali. Tertiò, quando sponsalia sunt publica, sed causa dissolutionis ita est occulta, vt non possit probari in iudicio, modò tamen inde magnum scandalum non oriatur; vnde in hoc casu ad illud vitandum, tenetur sponsus monere sponsam (putà si secretò fornicata est) vt desistat; si nolit, adeundi sunt parentes, aut viri pij, aut Parochus, aut Prælatus, vt ipsam moneant; quòd si adhuc persistat, licebit tunc defette ad tribunal iudicis, cuius authoritas requiritur in his, & similibus casibus, estque hoc seruandum, quotiescumque sunt dissoluenda sponsalia ex occulto vitio, ex cuius manifestatione sequitur infamia, vt docent Henriq. *sup n. 3.* Sanch *disp. 69. & 70.* Bonac. *sup. num. 3.* & communiter Doctores.

3 Dico secundò, quando dubitatur, vtrum causa dissoluendi sponsalia sit sufficiens, seu quando non adest certitudo, aut probabilitas sufficientiæ causæ, requiritur authoritas iudicis ad dissoluenda sponsalia. Sanchez *lib. 1. disput. 69.* DD. citati, & alij. Ratio est, quia dissoluens propria authoritate in hoc casu exponeret se periculo committendi iniustitiam contra alium sponsum, spoliando illum iure acquisito, & possessione; imò nec authoritate iudicis possunt dissolui, si post iuridicam, & sufficientem discussionem maneat porum dubium existentiæ causæ, & eius sufficientiæ, aliàs fieret contra ius partis, quod in casu censetur certum, ortum ex sponsalibus certis, & quia in dubio melior est conditio possidentis. Hurtad. *disput. 2. de matrim. num. 66.*

4 Sed quæres, quisnam sit iudex competens ad dissoluenda sponsalia, quando eius authoritas desideratur. Respondeo, esse iudicem Ecclesiasticum ordinarium vel ab eo delegatum, vt est Episcopus, & ab eo delegatus, Gutierez *cap. 35. n. 7.* Coninch. *disp. 23. dub. 7. n. 70.* Sanch. *disp. 69. n. 9.* Bonac. *supr. n. 9.* & alij. Ratio est, quia est materia spiritualis, consequenter spectat ad iudicem Ecclesiasticum. Non autem poterit Parochus de hoc cognoscere, quia non habet iurisdictionem in foro exteriori.

D V B. X V I I.

Qualis probatio requiratur, vt iudex dissoluat sponsalia.

1 Dico primò, quando dissoluuntur sponsalia ob aliquod impedimentum impediens matrimonium, cum quo contrahere est peccatum, sufficit vnus testis fide dignus, *ex cap. super eo 22. de testib. & cap. præterea 12. de sponsalib.* Ratio est, quia tunc agitur de vitando peccato, quod sponsi impediti committerent, si contraherent, quod debet esse maximè fauorabile. Requiritur tamen, quòd hic testis sit iuratus, vt docent Sanch. *lib. 1. disp. 71.* Coninch. *disp. 23. n. 78.* & cum his Hurtado *de matrim. disp. 2. diff. 19. num. 67.* quia etsi agatur de vitando peccato, etiam agitur de præiudicio tertij, cum quo nullus creditur absque iuramento: tequiritur etiam quòd deponat, se id certò scire, & non sufficit, quòd deponat se audiuisse, nisi ad probandam consanguinitatem, nam tunc sufficit, quòd deponat, se id audiuisse, à duobus suis maioribus fide dignis, & quòd distinguat clarè gradus consanguinitatis, vt docent citati, & deducitur ex cap. *licet ex quadam 47. de testib.* non tamen requiritur quòd nomen testis publicetur, vt supponitur in dict. cap. præterea; nisi quando sponsalia sunt iurata, ob fortiorem obligationem sponsalium iuratorum.

2 Dico secundò, in casu primæ conclusionis sufficit vnicus testis iuratus ad dissoluenda talia sponsalia, quamuis sint iurata, vt docent Sanchez *sup.* Couarr. *4. Decretal. 2. part. capitul. 6. §. 10* & Hurtad. *supra num. 68.* contra Palud. *in 4. distinct. 27. quæst. 1 artic. 3.* Ratio est, quia in dict. cap. *super eo*, absolutè significatur sufficere vnum testem ad dissoluenda sponsalia, nulla facta mentione iuramenti. Nec obstat quòd in dict. cap. *præterea* significetur sufficere vnum testem ad dissoluenda sponsalia, nisi sint iurata, nam hoc additur, quia ibi est sermo de teste, cuius nomen non fuit publicatum ob timorem, qui absque publicatione non sufficit, quando sponsalia sint iurata.

3 Dico tertiò, sufficit etiam ad dissoluenda supradicta sponsalia sola fama impedimenti, vt probat ratio primæ conclusionis, & habetur in cap. *super eo 2. de consanguinitate*, quod verum est, etiamsi sponsalia sint iurata, vt docent citati, & communiter DD. contra Palud. quia in dict. cap. *super eo*, absolutè, & absque limitatione supponitur sufficere famam ad dissoluenda sponsalia. Quod autem dicitur in c. *cum tua 27. de sponsalib.* vltra famam non requiri testem, & vltra testem requiri famam, ideo dici, quia testis ille non fuit testificatus, seu non deposuit,

posuit, sed tantum denuntiauit, vel detulit impedimentum, ideo præter illum requiritur ibi infamia, aliàs sufficit vnus testis iuratus, vel sola fama: sufficit autem fama, nisi clarior fama, aut alij testes admittendi in iudicio Ordinarij oppositum probent, vt deducitur ex dict. cap. *cum in tua*: sed quamuis ad dissoluenda sponsalia sufficiat fama, non tamen rumor: Hurtadu *sup. n. 69.* quia fama est acclamatio seu opinio maioris partis viciniæ, aut communitatis, in qua ad minus habitant decem; rumor verò est opinio minoris partis.

4 Dico quartò, quamuis ad dissoluenda sponsalia ob impedimentum sufficiat vnus testis iuratus; ad dissoluendum tamē matrimonium iam contractum, seu potius ad declarandum fuisse nullum, requiruntur ad minus duo testes omni exceptione maiores, vt habetur in cap. *licet ex quadam 47. de testib. & in cap. 1. de consanguinit.* quia quamuis etiam tunc agatur de peccato vitando, est tamen res grauissima, & magni præiudicij. Attamen quando agitur de dissoluendo matrimonio ob impedimentum consanguinitatis, sufficiunt parentes, & consanguinei ad testificandum, vt dicitur in cap. *videtur 3. qui matrimonium*, & deduci potest ex cap. *super eo de testib.* Hurtad. *supr.*

5 Dico quintò, ad dissoluenda sponsalia ob defectum aliquem, sufficientē ad eorum dissolutionē qui non sit impedimentum, vel cum quo contrahere non est peccatum, vt ob fornicationem præcedentem, vel subsequentem, non sufficit vnus testis vt contra Palud. tenent Sanch. *sup.* Coninch. *disp. 23. num. 81.* & Hurtad. *num. 7.* Ratiò est, quia hic non agitur de peccato vitando, sed præiudicio tertij, at quando agitur de tertij præiudicio, requiruntur duo testes omni exceptione maiores, sicut generaliter in omnibus alijs causis, *ex cap. licet ex quadam. 47. de testibus.* Quod autem in dicto cap. *super eo*, & in dicto cap. *præterea sponsal.* sufficiat vnicus testis, est speciale priuilegium, quia tunc agitur de peccato vitando. Probabile tamen est, in foro conscientiæ, etiam in hoc casu fornicationis, sufficere vnicum testem, etiamsi sine peccato contrahere possint, de quo Sanchez *lib. 1. disp. 73.*

6 Rogabis tamen, an dissolui possint sponsalia, quando ipsi confitentur impedimentum. Respondeo, si vterque confiteatur impedimentum, vel iustam causam dissoluendi sponsalia, dissolui posse etiam in foro externo: si verò alter tantùm fateatur, & sit ille, qui optat contrahere matrimonium, etiam dissolui, quia tunc censetur matrimonium non iniri, non dissoluuntur; non enim standum est illius assertioni in præiudicium tertij. Coninch. *disp. 25. dub. 11.* & cum alijs Bonacina *tom. 1. q. 1. de sponsalib. punct. 10. num. 11.*

CAP. III.

De natura, & essentia matrimonij.

Dub. I.

Quid sit matrimonium.

1 Nōia matrimonium quatuor præcipuè nominibus vocari. Primò dicitur matrimónium à munere, seu officio matris, quasi matris munium quia mulier ideo contrahit matrimonium, vt mater efficiatur, & laboret in ferendo prolem in vtero, edendo, & educando, ideo dicitur matrimonium, & non patrimonium; pater enim magis laborat in acquirendis diuitiis, & conseruandis, quàm in munere, & officio, quod præstat mater. Dicitur secundò, & tertiò nuptiæ, & connubium à nubendo, quia olim pudoris gratia, quando nubebant fœminæ, velo se quasi nube tegebant, siue in peccati admissi erubescentiam, dum a serpente decepta virum suum fefellit, siue vt se viro inferiorem, illique subditam ostendat: vel quia nunc vxor in benedictionibus velo quodam, quasi nube tegatur. Quartò dicitur coniugium ab effectu, quia duos coniungit strictissimu matrimonij vinculo, vt fiant vna caro. Aliquando verò vocantur sponsalia, ab sponsione, quæ fieri solet ante matrimonij contractum. Vide Henriquez *lib. 11. c. 1. n. 1.* Couart. *1. part. de matrim. c. 1. n. 3.* Bonacinam *1. tom. q. 2. de matrimon punct. 1. n. 1.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 1. num. 1.* & Sanchez *in proœmio.*

2 Nota secundò, matrimonium posse tribus modis considerari. Primò, vt est officium naturæ ad filios procreandos, & educandos. Secundò, vt est remedium concupiscentiæ, videlicet, vt sit quidam modus rationabilis in voluptatibus. Tertiò, vt est Sacramentum nouæ legis, ad hoc vt media gratia, adiuuentur onera matrimonij. Ita Magister *in 4. dist. 26.* ex August. *4. de gens. ad lit. cap. 7.* Equidem ante Adami lapsum, fuit institutum in officium naturæ: post lapsum in remedium concupiscentiæ: in lege autem gratiæ fuit eleuatum, vt esset Sacramentum. Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 1. num 2.* Rursus matrimonium sumi potest dupliciter. Primò, pro ipso contractu, sicque sumitur, quando matrimonium dicitur esse vnum ex septem Sacramentis. Secundò, pro vinculo orto ex ipso contractu, & post contractum perseuerante, & sic sumitur ab Eugenio IV. in decreto Fidei habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, dum ait, consensum mutuum expressum esse causam efficientem matrimonij

3 Dico primò, matrimonium, vt contractus, & officium naturæ, sic definitur: Viri, & fœminæ maritalis coniunctio, inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Ita Magist. *in 4. dist. 28.* & habetur *l. 1. ff. de ritu nupt.* illamque approbat Alexander III. *cap. illud de præsumpt.* & communiter Doctores. Hæc definitio est adæquata; constat enim genere, & differentia; genus est, *coniunctio*, seu vinculum, per quod coniunctio hæc conuenit cum aliis coniunctionibus; differentia verò est, *maritalis*, id est ordinata ad prolis generationem, per quam distinguitur ab aliis coniunctionibus. Dicitur etiam, *maritalis*, vt indicetur fundamentum talis vinculi, quod est traditio mutua, ad differentiam vinculi sponsalium, quod fundatur tantùm in promissione. Consistit ergo essentia matrimonij in his duobus, nam posita coniunctione, seu vinculo maritali, est matrimonium, & his sublatis cessat, vt docet S. Thom. *in add. quæst. 44. art. 1.* & alij. Reliquæ verò particulæ ponuntur ad maiorem declarationem: vnde dicitur, *viri, & fœminæ*, ad denotandum subiectum, & materiam huius vinculi, & coniunctionis esse marem, & fœminam. Dicitur, *inter legitimas personas*, quia dicta coniunctio, vinculum, & obligatio, tantum contrahitur inter legitimas personas, id est habiles, & non impeditas secundùm leges. Denique dicitur, *indiuiduam, &c* vt significetur mutua habitatio, & indissolubilitas huius vinculi, seu matrimonij; matrimonium enim semel contractum dissolui non potest per consensum ipsorum contrahentium, sicut alij contractus dissoluuntur, vt infra patebit.

Vide

Vide Henriquez *lib.* 11. *cap.* 1. *&* 8. Ledesmam *in sum.cap.*4.

4 Nota,ad huius definitionis intelligentiam, septem reperiri in matrimonio. Primò reperitur mutuus consensus de præsenti circa mutuam corporum traditionem. Secundò, reperiuntur verba,vel alia signa, quibus contrahentes paciscuntur de mutua corporum traditione. Tertiò reperitur mutuum dominium corporum traditum,seu translatum quod est effectus primarius,& simul obiectum ipsius contractus coalescens ex illo mutuo consensu,& ex exteriore illius expressione. Quartò,requiritur mutua radicalis obligatio in iis, quæ pertinent ad prolis generationem, qua coniuges obstringuntur, seu obligantur, quæ dicitur vinculum correspondens dicto mutuo dominio. Quintò, reperitur aliud mutuum ius proximum in corpore alterius, ortum ex dicto mutuo dominio, sicut contingit in materiis aliorum contractuum. Sextò, reperitur mutua proxima obligatio in his, quæ pertinent ad prolis generationem,correspondens dicto mutuo iuri proximo. Septimò, & vltimò reperitur vsus, seu copula coniugalis, de quibus omnibus clariùs infra. Conueniunt ergo Doctores, contractus matrimonij essentiam non consistere in consensibus internis, quia non sunt sensibiles,nec in mutuo consensu externo, quia ij sunt causa efficiens matrimonij,& statim transeunt, matrimonio manente vsque ad mortem: nec consistit in mutua corporum traditione, quia similiter hæc conditio transit; matrimonium verò durat. Nec in mutua obligatione reddendi debitum; quia hæc cessat per adulterium alterius, vel per ingressum in Religionem communi consensu, & tamen vinculum consummati matrimonij remanet. Nec consistit in vsu, & copula, nam vt infra, matrimonium ratum est verum matrimonium. Consistit ergo matrimonij essentia in vinculo,& perpetuo nexu inter coniuges, in quo sunt duo in carne vna, & vnum principium generationis, repræsentántque Christi vnionem cum Ecclesia; posito enim hoc mutuo, ponitur matrimonium, & eo sublato, aufertur matrimonium.

5 Dubitant Doctores,an hoc vinculum sit relatio realis,an rationis. Villalob. 1. *part. tract.*13. *diff.* 1. *num.*3. cum Scoto, Palud. Soto,& Rebello, existimat esse relationem rationis, si physicè consideretur; si autem moraliter consideretur, esse quid reale morale, quia realiter sunt coniugati,éstque reale matrimonium. Veriùs tamen existimo esse relatione realem,sicut est serui ad dominum,ortam ex mutuo consensu,& mutua corporum traditione,vt docent Henriquez,& Ledesma citati,Sanchez *lib.*2.*de matrim.disp.*1.*n.*7. & alij.

6 Dico secundò,matrimonium, prout est Sacramentum, sic potest definiri: Coniunctio maritalis viri,& fœminæ, significans vnionem Christi cum Ecclesia. Ita Ledesma *in sum.c.*1.*de matrim.concl.*6. vel vt Villalobos *sup.num.*4. Signum gratiæ, quo vir, ac mulier legitimo consensu perpetuò coniunguntur: seu vt Filliucius *sup n.*9. Est Sacramentum, quo fit coniunctio maris, & fœminæ: omnes hæ definitiones coincidunt: sed clarior videtur adducta à Ledesma. Huius explicatio patet ex traditis in expositione definitionis matrimonij,vt est contractus; nam Sacramentum non mutat contractum,sed tantùm illum eleuat ad esse Sacramenti, id est,ad causandam gratiam sacramentalem. Significare autem matrimonij Sacramentum vnionem Christi cum Ecclesia, habetur expresse cap. 5. ad Ephes. vbi Apostolus, postquam retulit illa verba Genesis c.2. *Propter hoc relinquet homo, &c.* addit, *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia*, hoc est, coniugium, seu matrimonium Sacramentum magnum est, ac mysterium, cum sit signum vnionis Christi cum Ecclesia, vt explicant Hieronymus,Ambrosius,& alij apud Valent.*tom.*4. *disp.*10.*q.*1.Sanch.*lib.*2.*disp.*10.& Henriquez *lib.*11. *c.*2. Esse autem matrimonium in noua lege Sacramentum,est de fide,& infra patebit.

7 Dico tertiò,triplex constitui communiter à Doctoribus matrimonium; legitimum,ratum, & consummatum. Legitimum est, quod legitimo consensu contrahitur, quale est matrimonium infidelium, quod quidem non vocatur ratum, hoc est, omnino firmum; quia non est Sacramentum,vt habetur *in cap.quanto de diuort.* Matrimonium ratum dicitur illud,quod celebratur inter fideles ante copulam:dicitur ratum,quia verum est Sacramentum, vt infra. Tertiò,dicitur consummatum, quando ratum perficitur,& consummatur per copulam.

DVB. II.

Quando matrimonium fuerit institutum.

1 Dico primò, matrimonium, vt contractus, & officium naturæ, est institutum à Deo, Genesis 1. illis verbis: *Crescite, & multiplicamini.* quibus verbis dedit Deus potestatem, vt iungerentur,& concessit mutuam corporum traditionem, in quo matrimonium consistit: postea verò c.2. quando Adam dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, contraxit matrimonium,Deo approbante: vnde quoad potestatem fuit contractus, Gen.1. & quoad executionem, Gen.2. S.Thom. *add.quæst.*41. *art.*2.*ad* 4. Sylu. *verb. Matrimonium* 1.*q.*2. Henriquez *lib.* 1 r. *cap.*1.*n.*3.Filliucius *tom.*1.*tract.*10.*part.*1.*cap.*1.*n.*7. Sanchez *lib.*2.*disp.*4. *num.* 3. & cum aliis Bonacina *tom.*1.*quæst.*2.*de matrimon.punct.*2.*n.*1. Nec obstat, quòd etiam brutis dicta sint illa verba *Crescite, &c.* nam aliter brutis, aliter hominibus intimata sunt; bruta enim ductu naturæ copulata sunt: at primos parentes induxit Deus,vt externo aliquo signo consensus mutuos exprimerent,& sic iniretur inter eos matrimonium, quod non contingit sic inter cæteros animantes. Quod autem Deus peculiariter excitauerit interiùs primos parentes, & forsan exteriùs suaserit ad executionem, seu celebrationem contractus matrimonij, deduci videtur ex eo,quòd post quam Deus dicitur adduxisse Euam ad Adam, statim subditur,Adam dixisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea*, quibus Adam vel consensum præbuit, vel iam factum supponebat,vt deducitur ex consequentibus verbis: *Quamobrem relinquet patrem, & matrem & adhærebit vxori suæ*, ex quo apparet, ad hoc adduxisse Deum Euam ad Adam. Tum etiam,quia eorum contractum approbauit,eis benedicendo,Genes.1. *Crescite, & multiplicamini*: quæ verba, quamuis Gen.1. referantur, credendum est ibi per anticipationem referri, & prolata esse à Deo, postquam Adam Gen.2.dixerat illa verba,*Hoc nunc os,&c.* Dicitur ergo Deus contractum matrimonij instituisse: tum quia est author naturæ humanæ,cui ex se competit facultas ad contrahendum matrimonium: tum quia primos parentes interiùs excitauit,& forsan exteriùs suasit ad primam celebrationem matrimonij, & quia matrimonium iam factum approbauit. Hurt.*disp.*4. *de matr. diff.*1.*n.*3.*&* 4.

2 Dico secundò, matrimonij contractus, vt eleuatus ad esse Sacramenti, seu Sacramentum matrimonij in noua lege fuit institutum à Christo Domino:

minuo : est de fide ex Trident. *seß.7.Can.1. & seß.14. cap.1.* Fuit autem institutum secundum aliquos Doctores, Ioan.2. quando Christus Dominus sua præsentia cohonestauit nuptias in Cana Galilææ. Secundùm alios post resurrectionem, quando loquebatur magnalia de regno Dei, id est Ecclesia: alij verò, & propriùs, existimant institutum fuisse, Matth.19. quando Christus Dominus dixit: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Vide Henriquez *lib.11 cap.1.* & Sanchez *lib.2 disp.4.*

3 Ex dictis, sequitur, contractum matrimonij, eiusque vsum esse licitum, & honestum. Ita communis Catholicorum, constat ex illo Matth.19. *Quos ergo Deus coniunxit, homo non separet*, & ex Paulo 1.ad Corinth.7. *Qui matrimonio coniungit virginem suam benefacit*, & paulò inferiùs: *Si nupseris virgo, non peccauit*, 1. Timoth.5. *Volo iuuenculas nubere, & procreare filios.* Hæc autem procreatio fieri non potest absque matrimonio. Ita S.Thom *add.q.41. art.3.* Idem quoque definitum in Concilio Gangrensi *Can 1.* & in Bracharensi primo *Can.11.* Et suadet ratio, quia contractus matrimonialis est officium naturæ ordinatus ad propagationem, & conseruationem naturæ humanæ, & in remedium concupiscentiæ, modo tamen consono, videlicet mutua, & perpetua corporum traditione: ob quam rationem infideles non peccant matrimonij contractum contrahendo, etsi inter eos non sit Sacramentum, vt infra. Imò non solùm est licitus hic contractus, eiusque vsus, sed etiam potest esse meritorius, si procedat à virtute iustitiæ, vt scilicet debitum reddat; vel Religionis vt nimirum, proles ad cultum Dei procreetur. S.Thom. *art.4* & cum eo communis. Quòd si moueat libido sistens inter bona matrimonij, videlicet, vt ad aliam nullo modo accederet, est peccatum veniale: si autem extra bona matrimonij efferatur, erit peccatum mortale sed de iis latiùs *infrà c.10.dub.2.*

DVB. III.

Vtrùm matrimonium cadat sub præcepto, seu an homines teneantur sub præcepto contrahere matrimonium.

1 NOta cum S.Thoma *quæst.41. art.1.* matrimonium esse de iure naturæ non quidem tanquam propriè fluens ab illius essentia, sed quia naturaliter inclinatur homo ad matrimonium, eo quòd per illud natura humana procreatur, & conseruatur: sicut enim datur naturalis inclinatio ad indiuidui conseruationem; sic similiter ad conseruationem speciei, at species conseruatur per matrimonium; ergo matrimonium est de iure naturæ quoad naturalem inclinationem.

2 Dico primò, datur præceptum naturale de matrimonio contrahendo. S.Thom. *add. quæst 41. articulo 2.* & communiter Doctores. Ratio est, quia matrimonium est necessarium ad propagationem, & conseruationem generis humani, seu speciei humanæ, sicut cibus ad conseruationem indiuidui, sed datur præceptum naturale de conseruando indiuiduo; ergo etiam de conseruanda specie; hæc autem conseruatio fit per matrimonium; ergo datur præceptum de contrahendo: & cùm hoc præceptum sit naturale, hinc fit, quòd etiam nunc sine hoc tempore duret, & quod cessare non possit durante naturali, vt rationalis. D. Thom *in 4. dist.26. quæst.1.* Sanchez *lib 2 disput.3.* Hurtado *disput.4.de matrim. diff.4.num.14.* & alij. Non tamen hoc præceptum est primum principium naturale nec conclusio deducta ab illis, vt de se patet, sed reducitur ad præcepta Decalogi: quidam enim dicunt reduci ad præceptum diligendi se ipsum, quod est præuium, ac præambulum ad Decalogum. Alij ad quintum præceptum. *Non occides*, nam ait Ambrosius: *Quem non pauisti, occidisti*: etenim sicut per hoc præceptum tenetur quis sibi ipsi subuenire, ne pereat; ita similiter tenetur ad conseruationem generis humani, ne pereat: aliter se, & genus humanum necare censetur. Alij verò illud reducunt ad præceptum diligendi proximum; nam conseruatio speciei, illiusque propagatio ad bonum proximi spectant. Obiter nota, verba illa Gen.1. *Crescite, & multiplicamini*, non indicare nouum diuinum præceptum, sed tantum esse declaratiua præcepti naturalis, non enim sunt verba præceptiua, sed tantùm insinuantia præceptum naturale. Hurtado *supr.* & alij.

3 Dico secundò, hoc præceptum est affirmatiuum: patet, quia non prohibet aliquem actum, sed præcipit aliquid faciendum, nempe contrahendum positiuè esse matrimonium necessarium ad propagationem generis humani. Et cum de natura præcepti affirmatiui sit, quod obliget semper, & non pro semper, vt dixi in Decalogo in proœmio, id est, præcepta affirmatiua obligant semper, hoc est, in actu secundo, & in executione, nisi data necessitate. Hinc fit, hoc præceptum naturale matrimonij obligare semper, id est, retinere vim obligandi semper in actu primò, & non obligare pro semper, id est, in actu secundo, & in executione, nisi data necessitate, quare hac cessante, cessat etiam huius præcepti obligatio in actu secundo. Sicut enim eleemosynæ præceptum semper extat, & habet vim obligandi in actu primo; non tamen obligat pro semper, & in actu secundo, nisi adsit necessitas. vt dixi in Decalogo *lib.1.cap.3.dub.8.* ita similiter hoc præceptum semper extat, & habet vim obligandi ex se, & in actu primo; non tamen in actu secundo, nisi tempore magnæ necessitatis concurrente, videlicet maxima paucitate hominum respectu totius multitudinis; non quia paucitas faciat præceptum, sed quia inducit, & excitat obligationem, vt extet in actum secundum; sicut necessitas non facit præceptum eleemosynæ: sed tantùm inducit eius obligationem. Quæ autem paucitas hominum requiratur ad inducendam hanc obligationem, relinquetur prudentis arbitrio.

4 Ex his sequitur primò, in principio mundi, & in principio reparationis illius post diluuium fuisse præceptum naturale, quo singuli etiam in actu secundo teneebantur ad contrahendum matrimonium, vt mundus propagaretur, & non periret, nam si vnquam fuit necessitas propagandæ prolis, ea certè fuit in dictis casibus. Bonacina cum aliis *tom. 1. quæst. 2. de matrimon. punct.3.n.1.* & Hurtado *sup. n.13* Quòd si status innocentiæ perseuerasset, probabile est, nunc etiam obligare singulos; quia per coniugium non fuissent retardati à cultu Dei. Filliucius *tom.1.tract.10 part.1.c.1.num.8.*

5 Sequitur secundò, hoc tempore non teneri singulos ad contrahendum matrimonium: est de fide definitum à Setuio Papa Epistol. ad Episcopos Africanos & à Tridentino *seß.14. cap.9 & 10.* & in aliis Conciliis. Et constat Matth. 19 vbi Christus Dominus consuluit perpetuam continentiam, & ex Paul.1.Cor.7. vbi consuluit virginitatem, vbi subdit: *Qui matrimonio coniungit virginem suam benefacit, & qui non iungit, melius facit*, vide Bellar *lib.1. de Clericis, c. 21.* Est enim hoc tempore genus humanum sufficienter propagatum, ideo non obligat

gat singulos in actu secundo hoc præceptum, quia non adest necessitas. Quare nunc hoc præceptum, nec singulos, nec communicantem obligat in actu secundo, aut Principem, vt compellat aliquos contrahere : vnde qui nunc contrahunt, non ideo contrahunt, quia teneantur, sed quia liberè volunt; per quod dicunt aliqui, quòd sufficienter impletur hoc præceptum, non quia illos singulariter afficiat, sed quia præueniendo eius legitimam obligationem consequitur illius finis, qui est multiplicatio speciei.

6 Sequitur tertiò, hoc præceptum in casu quo obligat, principaliter obligare Rectores communitatum, vt compellant aliquos matrimonium contrahere, vt ait Bonacina *sup. num.* 2. cum Valencia *tom.* 4 *disput.* 1 *quæst.* 1. *punct.* 4. nam regenti communitatem specialiter incumbit procurare bonum communitatis, consequenter eius propagationem. Verùm hoc tempore, vt benè Bonacina, non est necesse, Rectores communitatis esse solicitos, vt matrimonia contrahantur; nam homines valde proni sunt, & soliciti ad ea contrahenda.

7 Sed dices, an omnibus pereuntibus, præter Religiosos, & Moniales, teneantur hæ personæ ad contrahendum matrimonium in actu secundo. Negant Henriquez *lib.* 11. *capit.* 1. Ledesma *in summ. cap.* 1 *de matrim. conclus.* 3. Verior tamen videtur pars affirmans, quando ex reuelatione, aut aliis signis, non constaret de consummatione sæculi, seu numerum electorum esse completum; aliter enim tenerentur ad matrimonium : consequenter dicendum, si daretur casus, vt omnes viri essent extincti, præter habentes vxores steriles, posse illos alias mulieres non steriles ducere. Ratio horum est, quia cùm desint tunc paucitas hominum, & non constet de fine, seu consummatione sæculi, obligat hoc præceptum; nam præceptum naturale conseruandi speciem fortius obligat, quàm votum.

8 Aduertendum tamen, etiam multiplicato sufficienter genere humano, posse contingere, vt aliquis teneatur contrahere matrimonium; non quidem vt impleat hoc præceptum, sed ratione boni communis, aut scandali amouendi, aut alia mala auertendi, vt si filius Principis, aut alius vnicus hæres non nupserit, sequantur seditiones, & bella in Rempublicam, tunc charitas, & amor boni communis obligaret illum ad nubendum. Ledesma, Sanchez, & Bonacina *vbi sup.*

9 Nota etiam, post resurrectionem non futurum esse vsum, & statum matrimonij: patet Luc. 20. *In resurrectione non nubent, neque ducent vxores*: cessabit enim tunc causa finalis matrimonij. Ita communiter DD. vide Henriquez *lib.* 11. *cap.* 1. *n.* 6.

D V B. IV.

Vtrum matrimonium sit Sacramentum.

1 Loqui possumus vel de matrimonio in lege naturæ, & veteri ante Christi Domini aduentum : vel de illo in lege noua, & gratiæ post Christi Domini aduentum: & de hoc, de illo, quod celebratur inter non baptizatos, siue infideles.

2 Dico primò, de fide est, matrimonium fidelium baptizatorum in lege gratiæ esse Sacramentum: ita definitum est ab Eugenio IV. in decreto Fidei, & in Tridentino *sess.* 7. *Can.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 1. *& Can.* 1. & habent SS. Patres apud Bellarm. *de matrim. cap.* 3. constatque ex traditione Ecclesiæ, & communi Catholicorum : patet etiam ex D. Paulo cap. 5. ad Ephes. *Sacramentum magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia*, vt explicatum est *dub.* 1. *concl.* 2. Ratione probatur, quia est signum rei sacræ sanctificantis, significat enim vnionem Christi cum Ecclesia, vt ait Apostolus citatus. Præterea habet promissionem gratiæ; quare ibi additur, Christum Dominum dilexisse Ecclesiam: & 1. Timoth. 2. dicitur, *Quòd fidelis saluabitur per filiorum generationem*: quare etiam est signum vnionis spiritualis, quæ fit per gratiam.

3 Quòd si dicas, Ecclesia non potest irritare Sacramentum; at irritauit matrimonium clandestinum, & contractum inter personas inhabiles; ergo non erit Sacramentum. Respondeo in Sacramento matrimonij duo reperiri, & esse contractum ciuilem, & esse Sacramentum; irritauit ergo Ecclesia contractum, qui est fundamentum Sacramenti, non verò ipsum Sacramentum: sic irritat pœnitentiam, tollendo iurisdictionem, non verò ipsum Sacramentum. Christus enim Dominus non determinauit contractum, sed tantùm contractum approbatum ab Ecclesia, eleuauit ad esse Sacramenti. Vide Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disput.* 4. *num.* 6. Coninch. *disput.* 27. *dub.* 1. *num.* 8. & Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 2. *de matrim. punct.* 1. *num.* 1. Nec inde feras, esse simoniam accipere dotem, seu pecunias in matrimonio, quia non accipiuntur pro ipso Sacramento, sed prout est contractus ciuilis ad sustinenda onera matrimonij, vt docent communiter Doctores, & dixi in tractato de simonia.

4 Dico secundò, hoc Sacramentum confert gratiam iustificantem. Hæc conclusio patet ex his, quæ diximus de Sacramentis in genere *l.* 1. *c.* 4. *dub.* 1. vbi probauimus, omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam : confert autem suam gratiam in instanti, in quo verum est dicere, iam est complera, & perfecta significatio huius Sacramenti, sicut de aliis dictum est. Effectus huius gratiæ sacramentalis duplex est, primus, concupiscentiam reprimere: secundus, efficere, vt coniuges fideliter cohabitent, operas suas communicent, & prolem religiose educent. Filiucius *tom.* 1. *tract.* 10. *parte* 1. *num.* 11 & alij. Ratio est, quia tale auxilium, seu gratia necessaria est ad onera matrimonij sustinenda.

5 Dico tertiò, etsi contrahentes hoc Sacramentum matrimonij sint duo, Sacramentum verò tantùm est vnum. Henriq. *lib.* 11 *c.* 2. *n.* 1. Filiuc. *loco cit. num.* 12. & communiter Doctores. Ratio est, quia vnum tantum est signum repræsentans vnionem Christi Domini cum Ecclesia, quam quidem vnionem neque vous solus, neque sola materia, aut forma, sed ambo simul, & materia, & forma etiam simul repræsentant.

6 Dico quartò, in hoc Sacramento reperiuntur tria, sicut in aliis Sacramentis, videlicet Sacramentum tantùm, res Sacramenti tantùm, & res & Sacramentum simul, Sacramentum tantùm in hoc Sacramento sunt expressiones, actus siue consensus vtriusque contrahentis; nam ex se sensibile sunt, & significant mutuam traditionem, & vinculum indissolubile. Res, & Sacramentum simul est indissolubile vinculum; nam significatur per expressiones consensuum, quæ sunt Sacramentum tantùm, & significant gratiam. Res Sacramenti tantùm est ipsa gratia sacerdotalis, quæ significatur per Sacramentum, & datur ad sustinenda onera matrimonij. Quando ergo Doctores dicunt, vinculum esse Sacramentum, loquuntur large, sumendo Sacramentum pro Sacramento, & re Sacramenti, quia vt sic repræsentant vnionē Christi Domini cum Ecclesia in incarnatione factam. Obiter nota, non peccare mortaliter coniuges exercentes

exercentes actum matrimonij in peccato mortali; quia talis actus non opus sacrum est, nec per illum conficitur, aut ministratur aliquod Sacramentum. Ledesma *in sum. de matrim. c. 1. concl. 1. dub. 2.*

7 Sed quæres, vtrum inter baptizatos possit celebrari matrimonium, quod non sit Sacramentum. Affirmant Vazquez 3. *part. disp.* 138. *num.* 63. Rebel. *lib.* 1. *quæst.* 5. Basil. *lib.* 1. *cap.* 9. quos sequitur Hurtado *disp.* 3. *de matrim. diff.* 19. addunt tunc peccare sacrilegè contra Sacramenti reuerentiam. Negant tamen, & veriùs, Sanchez *lib.* 2. *disp* 10. Coninch. *disp.* 24. *dub.* 2. & alij, quia inter baptizatos ita se habent ratio Sacramenti, & contractus, vt separari reuera non possint: & deducitur, quia Eugenius V. & Tridentinum *vbi sup.* absolutè, & absque vlla limitatione dicunt, matrimonium baptizatorum esse Sacramentum, ac proinde nullum esse validum inter eos matrimonium, quod non sit Sacramentum. At si rusticus ignorans huiusmodi connexionem, & inseparabilitatem vellet contrahere matrimonium vt contractum, esset etiam Sacramentum; si tamen haberet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ledesma *in sum. cap.* 2. *de matrimon. concl.* 17. *dub* 1. *&* 2.

8 Dico quintò, contractus matrimonij inter non baptizatos non est Sacramentum: est commune, quamuis hi sint catechumeni, quia hi carent charactere baptismali, qui est fundamentum, & ianua omnium Sacramentorum. Quid si vnus sit baptizatus, alter verò non. Bonac. *tom.* 1. *quæst.* 2. *de matrim punct.* 2. *n* 2. cum Soto, & Vazquez putat, tunc esse Sacramentum ex parte fidelis: verius tamen est, non esse Sacramentum, nec ex parte baptizati, vt tenent Sanchez *l.* 2. *disp.* 8. Coninch. *q.* 64. *art.* 8. *dub.* 3. *n.* 9 *&* *disp.* 14. *dub.* 2. *n.* 24. Henriquez *l.* 11. *c.* 1. Ledesma *supr. conclus.* 17. Hurtado *disp.* 3. *de matrim. diff.* 18. *n.* 69. & alij. Ratio est, quia Christus Dominus tantùm instituit in Sacramentum, integrum, & perfectum contractum matrimonij, quia tantùm contractus integer est matrimonium, & tantùm illum in matrimonium instituit; at in solo baptizato non est integer, & perfectus contractus matrimonij, sed in vtroque; ergo, &c. est enim vnum Sacramentum, quod coalescit ex consensibus vtriusque partis; cùm ergo non possit esse Sacramentum ex parte infidelis; ergo neque ex parte fidelis. Hoc autem procedit ob eandem rationem, etiamsi Papa dispensaret, vt baptizatus contraheret cum non baptizato etiam catechumeno, vt docent Doctores citati. An autem posset in hoc casu dispensare Papa, dicetur in impedimento disparitatis cultus.

9 Rogabis tamen, an matrimonium infidelium, quod est in ratione contractus verum matrimonium, fiat Sacramentum, quando conuertuntur ad fidem. Respondeo affirmatiuè; non enim videtur nos priuandos esse sacramentali gratia, quæ maximè conducit ad reprimendam concupiscentiam, & ad munera coniugalia obeunda, quæ sunt effectus Sacramenti matrimonij. Sanchez *lib* 2. *disp.* 9. cum aliis & Bonacina. *supra num.* 4. contra Coninch. *disp.* 14. *dub.* 2. *num.* 25. & alios. Maior tamen difficultas est, quando fiat Sacramentum. Sanchez *sup. num.* 5. Gutierez *cap.* 42. *num.* 5. & alij, existimant, effici Sacramentum, quando infideles baptizantur, absque nouo aliquo actu, aut consensu: hoc enim ipso (ait) quod baptizantur, nouo consensu, saltem tacito, ratificant prius matrimonium, & fit indissolubile, & quia statim repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia, erit Sacramentum, & gratiam conferens. Ita etiam Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 20. Probabilius tamen videtur effici Sacramentum, & conferre gratiam, quando post baptismum interueniunt noui consensus, vel præcedentes rati habentur per aliqua signa externa, vt per verba, aut nutus, aut per copulam maritalem. Ratio est, quia non subsistit, nisi adsit noua materia, & forma; quod quidem non contingit, nisi renouentur consensus, modo dicto, per quod distinguitur hoc Sacramentum à baptismo, ergo.

10 Nota tamen, non necesse esse, vt hæc renouatio contractus fiat coram Parocho, & testibus, quia hæc solùm videtur necessaria, secundùm Tridentin. quando celebratur contractus, vt validè fiat, at in hoc casu iam præcessit validus contractus, vt supponimus, nam etsi inter infideles non sit Sacramentum, est tamen verum matrimonium, vt dictum est, ideo non requiritur, dum fit Sacramentum, Parochi, & testium præsentia. Rodrig. *in sum.* 1. *part. cap.* 230. *num.* 1. Sanchez. *loco cit. num.* 1. Bonacina *vbi sup. num.* 6. Vilalobos 1. *part. tract.* 13. *diff.* 4. *num.* 3. & alij.

11 Dico sextò, ante legem gratiæ, in lege naturæ, & veteri non fuisse propriè matrimonium Sacramentum gratiam conferens. Ita citati, & communiter Doctores: Quod definitum videtur ab Eugenio IV. in suo decreto Fidei, dum distinguit Sacramenta nouæ legis, inter quæ numerat matrimonium, à Sacramentis veteribus, in eo quod noua conferunt gratiam, vetera minimè. Et Tridentinum *sess.* 14. *in decret.* dum docet, matrimonium in lege Euangelica gratiam præstare veteribus connubiis, & *Can* 1. dum damnatur, qui dixerit, matrimonium non esse Sacramentum à Christo Domino institutum: quasi dicat, nouiter, & primò institutum. Quod etiam videtur constare de perpetua Ecclesiæ traditione, vide Vazquez *disp.* 2 *cap.* 2. 3. *&* 4. Coninch. *disp.* 24. *dub.* 2. & Hurtado *sup. diff* 20. Dixi *propriè*, nam largè potest dici fuisse Sacramentum, eo quòd quamuis remotè essent signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, qua ratione nunc matrimonium gentium potest dici Sacramentum, non tamen esse, aut fuisse Sacramentum propriè conferens gratiam, propter rationem dictam, & quia nullibi legitur gratiæ promissio, ob tale matrimonium: nam illis verbis Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*, solùm significatur, Deum benedixisse primis parentibus ad corporalem multiplicationem, non verò ad gratiam spiritualem; nam similis benedictio data fuit cæteris animantibus gratiæ incapacibus. Nec obstat, D. Paulum ad Eph. 5. dicere, ab initio mundi matrimonium dici Sacramentum; nam ibi dicitur fuisse Sacramentum, non quia tunc conferret gratiam, & esset propriè Sacramentum, sed quia ex sui indissolubilitate repræsentat coniunctionem Christi indissolubilem cum Ecclesia, propter quod latè dicitur Sacramentum, quod etiam modò conuenit matrimonio gentilium, ideoque largè, & impropriè dici potest Sacramentum. Hurtado *vbi sup.*

12 Dico septimò, Sacramentum matrimonij obtinet infimum locum inter Sacramenta nouæ legis. Ita S. Thom. 3. *part. quæst.* 5. *artic.* 1. *&* 2. & cum eo Ledesma *in sum. cap.* 2. *de matrim. concl.* 10. Confert enim minimum gratiæ gradum inter supradicta Sacramenta, ideo obtinet vltimum locum hoc Sacramentum inter septem nouæ legis Sacramenta.

Dub. V.

Quæ sit materia, & quæ sit forma in Sacramento matrimonij.

1 SVppone tanquam certum contra Durandum, Sacramentum matrimonij constare materia, & forma; nam vt est definitum in Concil. Florentino omnia Sacramenta nouæ legis constant materia, & forma, vt etiam probatum est *lib. 1. c. 2. dub.* 1. quare opinio Durandi, saltem vt temeraria reiicienda est. Variant tamen D D. in assignanda materia, & forma huius Sacramenti, quorum opiniones referunt Sanch. *l. 1. disp. 5. 3. p tom. 3. disp. 2. sect.* 1. Coninch. *disp.* 24. *dub.* 3. Bonac. *tom.* 1. *q.* 2. *de matr. punct.* 4. & Hurtad. *disp.* 3. *de matrim. diff.* 21.

2 Naustr. *c.* 22 *n.* 20. & cum eo Rebellus existimat, consensum internum vtriusque esse materiam & expressiones exteriores esse formam: è contra verò Maior. *in* 4. *disput.* 26. *q.* 1. docet, signa externa esse materiam, & consensum ipsum formam. At huiusmodi sententiæ non videntur admittendæ; nam Sacramentum componitur ex materia & forma sensibili, consensus autem interni non sunt sensibiles, ideo non possunt spectare ad essentiam Sacramenti, vt est Sacramentum tantum.

3 Victoria *in sum. n.* 241. Henriq. *lib.* 11. *c.* 10. docent, verba prioris contrahentis esse materiam, quia determinantur per verba posterioris, & verba posterioris contrahentis esse formam, quia determinant priora verba. Sed nec placet hæc explicatio, & assignatio materiæ, & formæ; quia materia, & forma debet ex se esse determinata, & non determinari ab ipsis contrahentibus; esset enim in eorum facultate determinare materiam, vel formam: fieri etiam potest, quod omnes verba in eodem statu finiant, consequenter ibi non reperiri materiam, neque formam.

4 Vazq. *d.* 2. *c.* 5. Basil. *l.* 1. *c.* 7. & cum his Hurtad. docent, contrahentes ipsos esse materiam remotam, traditiones reales esse materiam proximam, sed extrinsecam; consensus verò, & eorum expressiones exteriores esse formam: nec placet hæc opinio quia constituit matrimonij essentiam absque materia intrinseca modo morali, dum dicit, traditiones reales esse materiam proximam, sed extrinsecam, quod est contra communem doctrinam affirmantem, omnia Sacramenta nouæ legis essentialiter cóponi ex vera materia, & forma, modo morali, vt dixi *l.* 1 *c.* 2. *dub.* 2. & deducitur aperte ex Florent. in decret. fidei.

5 Demum Sanch. Suar. Coninch. *vbi sup* Ledesm. *de matr. q.* 47. *art.* 1. *dub.* 4. Regin. *lib.* 31 *n.* 41. Bonac. *sup. n.* 4. & alij existimant, materiam, & formam huius Sacramenti consistere in expressione consensus interioris, seu in ipsis consensibus exterioribus diuerso modo sumptis: hoc est consensus exteriores, vt significant traditionem corporum, esse materiam proximam, corpora verò materiam remotam, & circa quam; iidem consensus, vt significant acceptationem coniugalem, esse formam. Probatur hæc opinio, quia in Sacramentis illud habet rationem materiæ, quod imperfectè significat, & ab alio determinatur & perficitur; illud verò habet rationem formæ, quod perfectè significat, & aliud determinat, ac perficit; sed in hoc Sacramento traditiones imperfectè significant, & sunt indeterminatæ, & indifferentes ad aliquid aliud; ergo habent rationem materiæ; acceptationes verò determinant, & perficiunt traditiones; ideo acceptationes habent rationem formæ. Corpora verò contrahentium non possunt esse materia proxima, quia ex illis non componitur Sacramentum; erunt ergo materia remota, & circa quam versatur matrimonium sicut in aliis contractibus res quæ traditur, dicitur materia remota, & circa quam. Quòd si dicas ex Florentino omnia Sacramenta constare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; consequenter consensus, vt significant traditiones corporum, non posse esse materiam, quia vt sic sunt verba. Respondeo, vt dixi etiam *lib.* 1. *c.* 2. *dub.* 1. *n.* 4. rem in Sacramentis dupliciter posse sumi: primo, pro illa, quæ dicitur res in re, seu realiter, & in officio, vt aqua in baptismo. Secundò, pro illa re, quæ realiter, & in se est verbum, est tamen res in officio, & significatione, eo quòd indeterminatè significant; consensus igitur, vt significant traditiones, etiamsi sint voces realiter, sunt tamen verba in officio, & quod imperfectè, & indeterminatè significant.

6 Ex his opinionibus, vltimam existimo probabiliorem, eo quòd magis videatur explicare naturam, & essentiam Sacramenti matrimonij: vnde Sacramentum matrimonij adæquate, & essentialiter, vt Sacramentum est, tantum componitur ex mutuo consensu externo, videlicet ex mutua traditione tanquam ex materia; & ex mutua acceptatione tanquam ex forma, cum connotatione tamen consensus interni; nam aliter non esset actus humanus, & vere contractus: vinculum verò non pertinet ad essentiam Sacramenti tantum; quia est res, & Sacramentum, & effectus ipsius Sacramenti, sicut character baptismalis non est Sacramentum, sed res Sacramenti, & Sacramentum simul, & effectus Baptismi: at quia hoc vinculum permanet, transacta expressione consensuum, & actione, qua fit matrimonium, proinde communiter dicitur Sacramentum. Sunt ergo expressiones vtriusque consensus causæ componentes matrimonium in fieri, sicut aliæ actiones in aliis Sacramentis, & causa efficiens vinculi perpetui, & causæ instrumentales physicè, & moraliter productionis gratiæ sacramentalis, ex opere operato, quatenus à Christo sunt eleuati ad esse Sacramenti, vt contingit in aliis Sacramentis.

Dub. VI.

Quisnam sit minister in Sacramento matrimonij.

1 CAtharinus *opuscul. de matrim. q.* 1. existimat Deum esse ministrum matrimonij, nam putat, formam huius Sacramenti esse verba illa Dei, Gen. 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* at quia ex dub. præcedent. constat, formam non consistere in illis verbis, dicendum est, Deum non esse specialem ministrum huius Sacramenti. Canus verò 8. *de locis c.* 5 *ad* 3 & illi, qui affirmant verba Sacerdotis, nempè, *Ego vos coniungo*, esse formam Sacramenti matrimonij, consequenter affirmát Sacerdotem esse ministrum: reliicienda etiam ast hæc opinio, quia talia verba non sunt forma, *vt sup.* dictum, nam ante Trident. erat verum Sacramentum matrimonium clandestinum absque Parocho, & nunc est validum si præsens est moraliter, quamuis taceat, & nihil dicat, vt infra magis constabit; ergo Parochus non est minister, aut alius Sacerdos, est tamen post Trident. illius præsentia omnino necessaria, non tanquam ministri, sed tanquam testis, & conditio sine qua non, quod infra patebit *cap.* 4. *dub.* 1.

2 His reiectis, respondeo, & dico, ministri essentiales Sacramenti matrimonij sunt ipsimet contrahentes

trahentes matrimonium. Ita communis DD. apud Sanch. *l. 2. disp. 6.* Coninch. *disp. 24. dub.* 3. Henriq. *l. 11. c. 2.* & Bonac. *tom. 1. q. 2. de matrim. punct. 4. n.* 5. ita vt vnusquisque sit minister partialis, & ambo efficiant vnum totalem Sacramenti huius ministrum. Ratio est, quia matrimonium est contractus; nam illius natura non est mutata, eo quòd à Christo Domino eleuatum sit ad esse Sacramenti; ergo sequitur naturam aliorum contractuum; at in aliis contractibus ipsimet contrahentes, suis consensibus se ligant, & sunt causa efficiens contractus: ergo similiter in contractu Sacramenti matrimonij. Confirmatur, quia Concil. Florent. & Trident. nullos alios assignant nisi contrahentes; ipsi ergo erunt ministri, & non Sacerdos. Verba autem illa, quæ profert Sacerdos, *ego vos in matrimonium coniungo* sic explicantur; ego vos declaro coniunctos: aut ego approbo vestram maritalem coniunctionem.

3 Procedit hæc conclusio, etiam quando celebratur per procuratores; nam procuratores (idem quando fit per nuntium) non contrahunt nomine proprio, sed nomine principalis, & vt illius personam gerunt, ideo ipsi principales contrahentes sunt etiam ministri in hoc casu, & eorum consensus materia, & forma, modo explicato *dub. anteced.* quia horum consensus manent virtualiter, & moraliter in procuratore, aut nuntio: idem dic, quando contrahunt per epistolam, nam in ea etiam exprimuntur consensus contrahentium. Vazq. *disp. 3. n.* 86. Basilius, *lib. 1 cap.* 10. Hurtad. *disp. 3. de matrim. diff.* 21. *num.* 83 84. & 85. & infra latius.

4 Ex dictis sequitur, Sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis, non peccare mortaliter assistendo matrimonio, quia ipse non illud ministrat, nec conficit Sacramentum, sicut neque mortaliter peccat benedicendo, dum existit in peccato mortali; quia benedictiones non sunt Sacramenta, sed sacramentalia: patet ex dictis de Sacramentis in genere; & docent Sanchez *lib. 2. disp. 6. num.* 5. Henriquez *lib. 11. cap. 2.* & cum aliis Bonacin. *sup. num. 6.* & Ledesm. *in sum cap. 2. de matrimon.*

5 Sequitur secundò, ipsos contrahentes ministrantes sibi, seu conficientes hoc Sacramentum, existendo in peccato mortali, non peccare mortaliter, eo præcisè quia contrahunt, aut ministrant in mortali, seu vt actiuè se habent, & ministerialiter, vt diximus *loco citato de Sacrament.* & docent Suar. *tom. 1. de Sacrament. disp. 16. sect. 4.* Coninch. *disp. 24. num.* 34. Sanch. *vbi sup.* Filiuc. *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 1. num.* 27. & alij, quidquid Vazquez 3. *part. disput.* 136. *num.* 38. quem sequitur Hurtado. *sup. num.* 84. Ratio est, quia contrahentes non sunt ministri consecrati ad confectionem huius Sacramenti, sed ministri ex necessitate contractus, eo quòd matrimonium per modum contractus naturalis celebretur.

6 Dixi, eò *præcisè, quia in peccato mortali ministrant*; nam ex parte, quia recipiunt Sacramentum in peccato mortali, peccant mortaliter, vt diximus *lib. 1. de Sacrament. cap. 5. dub.* 2. & docent DD. citati, & communiter omnes; nam accedunt indispositi, & ponunt obicem gratiæ sacramentali, ideo peccant grauiter peccato sacrilegij, tractando indigne Sacramenta. Ad hoc igitur, vt ij contrahentes non peccent mortaliter, tenentur habere contritionem, vel saltem conari ad illam habendam, ita vt bona fide existiment, se habere contritionem, non tamen tenentur confiteri (etsi melius, & tutius sit) quia tunc nullo iure præcipitur confessio. Quod si matrimonium fictè susceperint, recedente fictione, accipient gratiam sacramentalem; aliàs coniuges nunquam gratiam sacramentalem reciperent, quod est inconueniens: patent hæc omnia ex iis, quæ dixi de Sacramentis in genere *l. 1. c. 5. dub.* 3. vide Ledesm. *in sum c. 2. de matrim concl* 22.

7 Sequitur tertiò, dispositionem necessariam, ad hoc vt coniuges recipiant gratiam sacramentalem esse, quòd sint in gratia, nam hoc Sacramentum est Sacramentum viuorum, quod supponit hominem viuere per gratiam, vt dixi *loco citat.* de Sacramentis in genere, & quamuis sint ipsi contrahentes duo ministri partiales, & ambo vnus totalis, & vinculum sit partiale hinc, & hinc, gratia tamen tota sacramentalia correspondet alteri, & alteri.

8 Nota tamen, hoc Sacramentum posse celebrari per nutus, ac signa, vt colligitur ex concilio Florentin. & habetur cap. *cum apud de sponsalibus.* vbi definitum est, loquela carentes posse per nutus contrahere: quod verum est, etiam in his, qui loqui possunt; quia Christus Dominus solùm eleuauit contractum naturalem ad esse Sacramenti; at contractus naturalis potest per nutus, & signa celebrari: nec peccabunt mortaliter; quia non agunt contra aliquod præceptum, erit tamen peccatum veniale: imò aliquando poterit esse mortale, videlicet, si ex eo consensus redderetur dubius, ex quo scandala, & lites oriri possent. Vide Sanchez *l. 2. d. 31. n* 8. Henriquez *l. 11. de matrim. c. 2. n. 6.* & Villalobos *1. part. tract. 13. diff. 7. num. 5.*

Dvb. VII.

An matrimonium contractum per procuratores sit validum.

1 SVppono, ante Tridentinum fuisse validum matrimonium in absentia celebratum per procuratores; habetur expressè *c. fin. de procurator. in 6. & l. sufficit, ff. de sponsal.* & habet communia DD. difficultas; ergo procedit post Tridentinum.

2 Dico igitur primò, matrimonium in absentia celebratum per procuratores validum est, etiam post Tridentinum etiam, vbi Concilium est publicatum, & acceptum. Ita communis DD. infra: & patet, quia ante Tridentinum erat validum per procuratores; ergo & nunc, quia hic modus celebrandi non repugnat naturæ contractus, qui ex se petit, vt possit fieri per procuratores; nec Christus Dominus mutauit illius naturam, sed tantum eleuauit ad esse Sacramenti. Nec Tridentinum id correxit, aut prohibuit; solum enim decreuit, vt matrimonium non possit fieri validè, absque præsentia Parochi, & duorum testium, non verò irritauit matrimonium per procuratores solum, ergo requiritur post Tridentinum ad validitatem matrimonij per procuratores, vt ij exprimant consensus principalium, seu exequantur suum mandatum coram Parocho, & testibus: demum quia id confirmat praxis fidelium post Trident. talia matrimonia celebrantium.

3 Dico secundò, vt matrimonium per procuratores celebratum validum sit, assignant DD. communiter conditiones sequentes.

4 Prima conditio est, vt procuratores exprimant consensus principalium coram Parocho, aut alio Sacerdote de eius licentia, & duobus testibus, iuxta dispositionem Trident. *sess. 24. capit. 1 de matrim.* ad hoc vt notum sit matrimonium, & probari possit: Non tamen requiritur, vt sit data commissio procuratori in præsentia Parochi, & testium, quia tunc non fit matrimonium, sed sufficit, vt procurator nomine absentium ineat matrimonium coram illis, vt habet praxis, & pluribus probat Sanchez

eorum illis, vt habet praais, & pluribus probat Coninch *disp.24.dub.9 num.*78. Henriquez *lib.*11. *cap.*1.*n* 6. Filiuc.*tom.*1. *tractat.* 10.*part.*1.*c.*1.*n.*33. Villalob.1.*part.tractat.*13.*diff.*9.*n.*2. *versic. Sexto*, & cum aliis Bonac. *tom.*1.*q.*2. *de matrim. punct.* 5. *n.*5. & communiter DD.

5 Secunda est, vt procurator habeat speciale mandatum, & nominatim de contrahendo matrimonio vnde non sufficit generale mandatum, ita *ex dict. c.fin.de procurat in.*6.& Clem.*non potest de procurat.* Gloss *c.qui ad agendum,eod in* 6. *verbo non expresso,* vbi DD. quod etiam requiritur ad sponsalia, quia sunt via ad matrimonium, argument. *l.oratio, ff.de spons.* Domin. *c.fin.cit.de procurat.n.*2 agitur enim de re magni momenti, ideo requiritur expressa commissio de matrimonio contrahendo.

6 Tertia, vt procuratoris mandatum sit ad contrahendum cum certa, & determinata persona, vnde non sufficit generale mandatum ad contrahendum cum quacunque, *l. generaliter de ritu nup.* Gloss. *c. fin. de procurat. in* 6. *verb. Speciale*, ibique DD.

7 Quarta, vt procurator per se ipsum exequatur, non enim potest alium substituere, nisi expresse id contineatur in mandato; eligitur enim industria personæ: habetur expresse *in dict. cap. fin. de procurat in* 6.

8 Quinta, quod mandatum, seu commissio non sit reuocata tempore, quo celebratur contractus per procuratores, nam si reuocata sit, etiam ignorante procuratore, aut altero coniuge, imò etsi interius tantum illam reuocauerit, non valet tunc matrimonium, quia deficit consensus, quod procedit, etiamsi iuraverit, se non reuocaturum, peccabit tamen tunc illam reuocando, censetur etiam reuocata potestas, seu facultas, aut commissio, si post prius mandatum, dat aliud alicui ad contrahendum cum alia. Quòd si reuocatio tantum sit interna, solum prodest pro foro interiori talis reuocatio; vnde in foro exteriori incumbit reuocanti onus eam probandi: matrimonium verò erit inualidum, quod est speciale in matrimonio, & non in aliis contractibus; nam ius in illis supplet consensum, non autem in matrimonio. Filiuc.*sup.num.*24. *vers. Quarta.* Vide D. Thom.*dist.*19. *in litera* Sanchez.*lib.*2.*disput.*11.& Bonac.*vbi sup.n* 6.& 7. Eædem conditiones requiruntur, vt sponsalia per procuratores sint valida; excepta prima, nam cum non sint matrimonium, non requiritur præsentia Parochi, & testium. Nota cum DD. citat. non requiri, quod procuratores sint vir, & fœmina, sufficit enim, quòd sint vel duo viri, vel duæ fœminæ, nam ipsi non recipiunt. Sacramentum. Nec sequitur quòd procurator constituatur per scripturam, sufficit enim commissio solo verbo: modò seruentur supradicta; nam scriptura non est de essentia contractus, nisi quando exprimitur.

9 Dico secundò, matrimonium contractum per procuratorem non solum est validum in ratione contractus, sed etiam est verum Sacramentum. Nauar *cap.fratres,de pœnit.d.*5. *n* 95. Bellarm. *l.*1. *de matrimon.c.*5.& 7.Sanch.*l.*2. *disp.*15 Filiuc. *n.* 25. Hurtad.*disp.*3 *de matrim.diff.*17. Villalob. *vbi sup. n.*3.& cum aliis Bonac.*loco cit.n.*3. & communiter DD.contra Caiet. *opusc.de matrimon. tract.*12.*q.*2. Ratio fundamentalis est, quia Christus Dominus non mutauit naturam contractus matrimonij, sed tantum illam eleuauit ad esse Sacramenti, sed matrimonium, vt contractus, potest celebrari inter absentes; ergo vt etiam est Sacramentum, præsertim cum ratio contractus, & Sacramenti inter baptizatos ita sunt connexæ, vt nequeant vllo modo separari, vt dictum est, quidquid Bonacin. *sup.n.*4. & confirmatur, quia ita habet vsus Ecclesiæ. Quòd si postea contrahentes personaliter iterum contrahant, non ideo fit, quia existiment matrimonium per procuratores suos contractum non fuisse validum, sed ad tollendos scrupulos, ne forte alter, saltem interne, reuocauerit commissionem, aut mutauerit voluntatem, & quia ex alio capite hic contractus potest iterari: proinde ait Filiuc. *sup. n.* 27. optime facturos contrahentes, si postmodum ipsimet ineant iterum matrimonium.

10 Nec obstat, si dicas, quòd Sacramentum pœnitenti non possit fieri in absentia; ergo nec matrimonium; nam Sacramentum pœnitentiæ eo quòd sit iudicium internum, in quo ipse pœnitens est reus, actor, & testis, requirit præsentiam, secus matrimonium, quod celebratur per modum contractus. Quod si vrgeas, inde sequi, fieri posse, vt principalis dormiendo peccet, aut recipiat gratiam; nam si principalis est in peccato, dum procurator contrahit, peccaret, si esset dispositus reciperet gratiam. Respondeo, non esse absurdum dormientem peccare, vel recipere gratiam ratione actus, & consensus habiti in vigilia, ideoque tenetur principalis esse in gratia, eo tempore, quo procurator contrahit. Filiuc *sup.n.* 27. peccat autem in hoc casu dormiens existens in peccato, quando procurator contrahit non quando dormit, sed quando præuidens defectum, & futurum somnum tempore contractus, dedit causam somno, & noluit se disponere ad sacramentum digne suscipiendum. Bonac. *dict part.*5.*n.* 4. Hurtad.*sup.diff.*17 *ad fin.*

11 Quòd si quæras, quænam verba adhibenda sint à procuratore, dum nomine alterius contrahit matrimonium. Respondeo, adhibenda esse hæc: *Recipio te in vxorem nomine Titij, vel Titius accipit te in vxorem, me mediante*: similiter sponsa respondere debet: *Ego, te mediante, duco Titium:* hoc enim pacto sufficienter exprimuntur consensus de præsenti, qui omnino requiruntur ad matrimonium. Henriq.*l.*11.*c.*2. Sanch. *l.*2. *disp.*11. *n.*16. Bonac.*tom.*1.*q.*2.*de matrim punct.*5 *num.*17.

12 Ex his colligitur primò, non esse matrimonium, si procurator excedit mandatum, vt si mandatum fuit datum ad contrahendum cum Ioanna, certa dote constituta, & non seruata conditione contrahit, non valet matrimonium. Secundò, si postquam aliquis procuratorem misit, nec consentiat, nec dissentiat, sed in aliis occupetur, valet matrimonium, nam prior consensus censetur virtualiter manens, ac durans, ob quam rationem valet etiam matrimonium, si misso procuratore, in amentiam incidat, & talis perseuerat, dum procurator nomine ipsius contrahit, sicut valet Baptismus dormientis, si antea illum petierit, nec constat retractasse voluntatem, vt dixi *l.*2.*c.vnic.dub.*7. secus autem dicendum, si dum procurator contrahit, non sit sanæ mentis, quia talis actus non est humanus, cum non aduertat quid faciat. Valet etiam matrimonium, si dum mandatum dedit, consensum finait, tempore tamen quo procurator contrahit, verum habet consensum; nam dum conficitur, Sacramentum, iam habet verum consensum.

13 Colligitur tertiò, in hoc matrimonio materiã, & formam esse expressiones consensuum principaliter contrahentium, quatenus scilicet manent virtute in procuratore; vnde procuratores non recipiunt hoc Sacramentum, sed ipsi principales cõtrahentes, ob quam rationem procuratores exequentes hoc mandatum in conscientia peccati mortalis, non

non peccant mortaliter, quia non ipsi, sed principales recipiunt hoc Sacramentum, ideo isti, & non illi tenentur esse in gratia tempore contractus, quo credunt procuratores præstituros esse pro se consensus. Ex quo fit, hoc Sacramentum non esse omnino personale, nam contractus in, quo fundatur, potest per alium celebrari; dicitur autem personale; quia nulla alia persona præter ipsos contrahentes recipit hoc Sacramentum, & illius gratiam. Causat autem matrimonium per procuratores celebratum gratiam non physicè, sed moraliter: nam consensus principaliter contrahentium non manent verè, & physicè, sed tantum moraliter.

14 Colligitur quartò, validum esse matrimonium per procuratores celebratum, omissis demonstrationibus, quamuis in mandato contineatur, vt contrahat, iuris forma seruata, vel permissis denuntiationibus. Sanchez *lib.2.disput.*11.*n.*18. Nau. *c.*27. *num.*17. Coninch. *disputat.*27. *dub.*3. *n.*33. *& dub.*5. *num.*49. & cum aliis Bonacin. *tom.*1. *quæst.* 2. *de matrimon. punct.*5 *num* 9. etiamsi denuntiationes absque licentia Episcopi omittantur. Ratio est, quia qui in mandato addit formam iuris communis, non intendit nouam formam, & conditionem inducere, sed tantum intendit certiorem facere mandatarium vt contrahat iuxta formam iuris; at ius non requirit monitiones tanquam de essentia matrimonij; ergo, &c. ex quo fit validum esse matrimonium omissis denuntiationibus à Sacerdote, cui Parochus dedit facultatem assistendi præmissis denuntiationibus. Bonac. *sup. num.* 10. Vide Sanch. *lib.*3. *disp.*33. *num.*3.

15 Dico tertiò, matrimonium per epistolam, aut nuntium celebratum olim ante Tridentin. validum erat, *ex l. mulier ff. de ritu nuptiar.* Gloss. *capit. nec illud* 30. *quæst.*5. *verb. Vxor.* Sotus in 4. *dist.* 27. *quæst.*1 *artic.*3. & communiter Doctores; non enim hoc repugnat naturæ contractus. Debet autem consensus mittentis Epistolam, vel nuntium perseuerare, donec, qui illam recipit, acceptet; nec perficitur contractus donec, vel alter repromittat nuntio, qui ei intimauit promissionem; vel per epistolam notificet mutuam acceptationem, vt plusibus Sanch. *disputat.*7. *num.*36. Hurtad. *disput.* 3. *de matrim diff.* 15 *num* 59. & alij. Est etiam nunc validum & Sacramentum. Henriq. *lib.*1 t. *cap.*2. *num.* 6. Bonacin *dict. punct.*5. Filiuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 20. & communiter Doctores; modò tamen vtriusque consensus præstetur coram Parocho, & testibus. Quod probari potest, eisdem rationibus, quibus probatum est, matrimonium per procuratorem esse Sacramentum: potest enim quis per epistolam proprium consensum coram Parocho, & testibus exprimere, & ex tunc per eandem epistolam alterius consensum, si verè consentiat coram eisdem acceptare: hoc autem potest duobus modis contingere. Primus, si scribens epistolam dicat, se non solum facere sui corporis traditionem, sed ea nunc acceptare traditionem sibi faciendam per alteram, si enim talis epistola legatus coram Parocho, & testibus, & alter coram eisdem consentiat, erit validum, & verum Sacramentum matrimonij Secundus, si recipiens literas rescribat mittenti illas, se accepisse literas, in quibus scribit ipsum velle in coniugem, se etiam velle illum similiter: si enim hæc secunda epistola legatur coram Parocho, & testibus, & recipiens illam coram illis consentiat, erit mutua traditio, & acceptatio, sicque tale matrimonium erit etiam Sacramentum, Filiuc. *vbi sup. num.* 29. Vide Sanch. *lib* 2. *disput.*12. Per nuntium verò celebratur matrimonium, referendo, & exprimendo, vt nuntius est (habet enim vices procuratoris) nomine mittentis, consensum ipsius dicendo, v. g. *Petrus mittit me, vt suo nomine tradam tibi, ipsum te velle in vxorem*, quo in casu alter debet suum consensum, & acceptationem traditionis sibi à mittente factam exprimere ipsi mittenti, vel per epistolam, vel per nuntium, modo supra dicto, Hurtad. *sup. n.* 59. *&* 60.

CAPVT. IV.

De indissolubilitate matrimonij.

DVB. I.

An matrimonium sit indissolubile, & quo iure.

1 CERTVM, & commune est apud Catholicos Doctores, matrimonium, etiam infidelium, esse indissolubile, & perpetuum S. Thom. *in* 4 *dist.*33. *quæst.*2. *articul.*1. Bellarmin. *lib.*1. *de matrimon. cap.* 4. Henriq. *lib.* 11. *capit.* 8. Sanch. *lib.*2. *disput.*13. *num.*4 Bonacin. *tomo* 1. *quæst.* 2. *de matrimon. punct.*11. *n.*1. Filiuc. *tomo* 1. *tractat.* 10. *part.*1. *capit.*2. *n.*30. Hurtad. *de matrimon. disput.* 8. *diff.*1. *num.*1. & communiter omnes, idque probant primò, *ex cap. final de condit. apposit.* vbi ait Gregor. IX. conditionem appositam repugnantem perpetuitati matrimonij esse contra substantiam illius, & *cap. vnico de voto in* 6. vbi dicitur accepisse indissolubilitatem in statu innocentiæ, & generaliter de omni matrimonio tradit Tridentin. *sess.*24. *in princip. de reformat. matrim.* dum dicit, perpetuum indissolubilemque nexum primus parens diuini spiritus instinctu pronuntiauit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* Deducitur etiam apertè ex Matth. 19. dum dixit Christus: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*, & ex Marc. 10. Luc. 16. dum omnis, qui dimittit vxorem, dicitur mœchari; & maximè ex illo ad Rom. 7. *Mulier viuente viro alligata est legi* quod non conuenit solù matrimonio consummato, sed etiã rato, vt infra; & deducitur ex locis citatis, vbi (excepto Matth. 19) generaliter est sermo de matrimonio, absque discrimine inter consummatum, & tantùm ratũ. Secũdò probatur, quia ex fuamet definitione comperit illi indissolubilitas, vt dictum est *sup.* quare esse indissolubile, erit de ipsius natura. Tertiò, quia matrimoniũ ex sua natura ordinatum est ad educandam sobolem, quod commodè non potest, nisi sit indissolubile ex sua natura Nec obstat illa regula iuris in 6. cap. 1. *Per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur*, quia hæc regula non habet locum in matrimonio ob eius peculiarem naturam, & rationes dictas, & ob bonum commune ad quod spectat, vt matrimonium sit indissolubile, tum etiam propter ius diuinum, vt infra magis patebit: ex quo sequitur tanquam certissimum, matrimonium mutuo consensu, nunquam posse dissolui, sicut dissoluuntur sponsalia, vt supradictum est.

2 Difficultas ergo est, quo iure competat matrimonio indissolubilitas, in qua re sunt variæ opiniones, Gloss. *in cap. ex publico de conuers. coniug.* Hostiens. & alij, existimant esse indissolubile iure humano pontificio, quia in lege naturæ, & scripta soluebatur per repudium, & in lege gratiæ ratum dissoluitur per dispensationem. Abulens. 1. *Reg.* 8. *q.*97. asserit esse indissolubile iure diuino positiuo; quia

quia in sola lege Euangelica non admittitur repudium, quod in lege naturæ, & scripta admissum fuit. Sanch. *lib.2.disp.13.n.10.* Coninch. *disput.26. dub. 2. num. 11. & 18. vers. Patet tertia.* & plures Theologi, ac Iurisperiti docent omnimodam indissolubilitatem matrimonij, etiam consummati, non competere illi de iure naturali, seu ex natura sei, sed ex diuina institutione, eo scilicet, quia Christus Dominus eleuauit illud ad significandam vnionem Verbi cum nostra natura; fuit enim hæc causa finalis, cur Christus Dominus voluerit, ei inesse hanc tantam indissolubilitatem, quia nimisum per ipsum voluit hanc vnionem significari. Hanc sententiam fuse explicat, & probat Coninch. *vbi sup.* Vazq. *de matrim disput.2.c.7.* Bellarm. *lib.1. de matrim.c.12.* Rebell. *q.15 sect.1.* Basil. *l.1.c.13.* Hurtad. *disput.8. de matrim. diff.2.n.4.* vbi dicit esse commonem apud Theologos *in 4. dist. 33.* docere matrimonium etiam ratum tantum, iure naturali, seu ex natura sua esse indissolubile. Vltima sententia quasi media, quam tenet Filiuc. *tom. 1. tract. 10.p.1.cap.2.num.52.in fin.* asserit, matrimonium habere aliquam indissolubilitatem de iure diuino, naturali, omnimodam verò ex iure diuino positiuo iure naturali addito, ex præcepto scilicet Christi Domini in lege Euangelica.

3 Ex his opinionibus vltima mihi videtur probabilior, & quasi conciliatrix aliarum. Et quidem aliquam indissolubilitatem competere matrimonio non tantum iure humano, sed diuino, docent DD. citati, *n. 1.* quia vt ibi ex scriptura, & Trident. probatum est, matrimonium, etiam in statu innocentiæ, fuit indissolubile, at tunc non erat ius humanum, sed diuinum, ergo. Quod autem omnimoda indissolubilitas competat matrimonio ex iure diuino positiuo addito iuri naturali, hoc est præcepto Christi Domini in lege Euangelica, Probatur, quia id non competit illi ex iure diuino naturali, nam cum hoc sit idem, & maneat immutatum, semper etiam fuisset tale; at ante legem Euangelicam solui poterat per repudium, *vt infra,* & post legem Euangelicam solui potest per conuersionem ad fidem alterius coniugum, & ratum per dispensationem Pontificis; aut solemnem professionem Religionis approbatæ; ergo. Nec competit illi ex solo iure Ecclesiastico, vt probatum est; ergo ex iure diuino: positiuo addito iuri naturali: totum autem hoc colligitur ex Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* & *Qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quod discipuli audientes, quasi de re noua dixerunt *Si ita est, non expedit nubere.*

4 Ad maiorem tamen intelligentiam huius vltimæ sententiæ, nota matrimonium habere triplicem significationem. Primò enim significat vnionem Christi Domini cum anima per gratiam. Secundò, vnionem Christi cum Ecclesia per charitatem. Tertiò, vnionem Christi Domini cum Ecclesia per carnem assumptam. Ratione primæ significationis non est insolubile matrimonium, sicut nec est insolubilis vnio gratiæ cum anima, quæ significatur per matrimonium: nec etiam ratione secundæ, quia coniunctio Christi cum Ecclesia quoad omnia membra, non est insolubilis; cum aliqua membra admittant etiam culpas mortales: superest ergò, vt omnimoda indissolubilitas competat matrimonio, eo quòd significet vnionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, iuxta illud: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit:* competit ergo matrimonio hæc omnimoda indissolubilitas, non ex eo tantum quòd sit Sacramentum in lege Euangelica conferens gratiam, & significans vnionem Christi cum Ecclesia per gratiam: quia matrimonium ratum significat hanc vnionem, & tamen est solubile, *vt infr.* sed ex eo quòd sit Sacramentum significans vnionem Christi Domini cum Ecclesia per carnem assumptam; nulla enim potest alia ratio assignari vnde hoc habeat, sicque D. Aug. & meritò, *lib. de bon. coniug. cap.7 & 15.* semper refert in hanc causam insolubilitatem matrimonij: quia res significata hoc modo per matrimonium est insolubilis, videlicet coniunctio Christi cum Ecclesia per carnem assumptam; ergo etiam matrimonium, vt illam significans: hoc autem non rato, sed consummato tantum competit, vt infra; ergo: tantum hoc, & non illud erit omnino insolubile, Filiuc. videndus. *sup. q. 2.*

DVB. II.

Vtrum Summus Pontifex possit dissoluere matrimonium baptizatorum.

Quæstio hæc procedit de matrimonio rato, & de matrimonio consummato.

1 Quantum ad primum sunt duæ oppositæ sententiæ, quarum vnaquæque habet quàm plures, & graues authores Theologos, Canonistas, & Iurisperitos, quos refert Sanchez *lib. 2. disput. 14. n. 3.* Probabilius tamen existimo, posse ex causa Summum Pontificem dispensare in matrimonio tantum rato, ita Nauarr. *cap. 22. num. 1.* Henriq. *lib. 11. capit. 8. num. 11.* Coninch. *disput. 2. dub. 3. num. 33.* Bellarmin. *lib. 2. de monach. capit. 38.* Villalobos *tract. 13. diff. 11. num 2.* Bonacin. *tomo 1. quæst. 3. de matrimon punct. 1. num. 4.* & cum multis Sanchez *lib. 2. disput. 14. num. 2.* & Hurtad. *disp. 8. de matrimon. diff. 4.* contra Sotum *in 4. distinct. 37 quæst. 1. artic. 4.* Basil. *libr. 9.* Conarr. & alij. Probatur primò ex praxi Summorum Pontificum, nam vt referunt DD. pro hac sententia, in hoc matrimonio dispensarunt Martin. V. Eugen. IV. Paul. III. Pius IV. & Greg. VIII. quoa in re tam graui errasse minimè est credendum: imò in dubijs standum est sententiæ superiorum, Maxime Pontificum, *cap. ad aures de temp. ordin.* Secundò, quia matrimonium ratum non significat vnionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, quæ est indissolubilis, sed gratiam, quæ etsi non sit solubilis quoad vniuersalem Ecclesiam, est tamen solubilis quoad aliqua eius membra. Tertiò, quia Papa dispensat in voto solemni, quod est fortius, cum dissoluat matrimonium ratum; ergo & in rato, quod est minus. Expedit enim aliquando bono communi, & regimini Ecclesiæ ad tollenda scandala, &c. hæc dispensatio; ergo existimandum est, Christum Dominum concessisse Papæ specialem, & quasi extraordinariam potestatem ad huiusmodi dispensationem.

2 Sed dices matrimonij indissolubilitas est de iure naturali diuino, vt dictum est *dub. anteced.* sed in hoc non potest dispensari. Respondeo, in iure naturali absoluto, quale est de non fornicando, de non mentiendo, non posse Papam dispensare; benè verò in iure naturali positiuo, quod scilicet fundatur in actu, vel contractu humano, & quod habet admixtam obligationem humanam, tollendo scilicet fundamentum obligationis, vel contractus humani.

3 Dices secundò, Papa non potest dispensare in Sacramentis, nec alterare eorum formas, aut materias. Respondeo, id verum esse in Sacramentis,

quæ non dependent à contractu humano, vt Baptismo, Ordine, &c. non autem in iis, quæ dependent, vt est matrimonium, in quo non agit directè Papa in Sacramentum, sed in contractum humanum, dissoluendo semel actum, vel impediendo ne agatur, ideo indirectè etiam potest in ipsum Sacramentum.

4 Dices tertiò, Pontifex non potest dispensare in matrimonio consummato, *vt infra*; ergo neque in rato. Respondeo, etsi horum eadem sit essentia, tamen ratum non significat, vt consummatum, vnionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, quæ insolubilis est, sed per gratiam; quæ vt dictum est, solubilis est: deinde, quia solutio consummati nequit fieri regulariter absque graui inconuenienti; ideoque Papa non accepit à Deo potestatem ad dissoluendum consummatum, quod colligi potest à posteriori; quia Ecclesia in hoc nunquam dispensauit, in rato autem sæpius.

5 Dices quartò, Matth. 19 dicitur: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Respondeo, intelligendum esse tantum de matrimonio consummato, vt constat ex contextu, & ait Alexand. III. in cap. 7. *de conuers. coniug.*

6 Dices quintò, inde sequi, posse Principem Gentilem in matrimonio rato suorum dispensare. Respondeo negando sequelam, quia etsi habeat potestatem in contractus ciuiles suorum, non tamen habet peculiarem potestatem ad id à Deo, sed tantum habet ordinariam superioris humani, quia neque Pontifex potest, nisi per extraordinariam potestatem à Deo superadditam ordinariæ potestati, vt dictum est.

7 Dixi in conclusione, posse dispensare Papam ex causa, quia absque causa iusta non solùm licitè, verum etiam neque validè dispensare potest, vt tenent DD. huius sententiæ: credendum enim non est, Summum Pontificem accepisse à Deo hanc extraordinariam potestatem, ad id validè faciendum pro suo arbitratu. Ratio est, quia vt dictum est, huiusmodi insolubilitas est de iure naturali, & diuino: at dispensatio in tali iure absque iusta causa est irrita ex communi Theologorum, vt testatur Sanchez *lib. 2. disput. 15. num. 6.* ergo: non tamen est improbabile, fieri posse validè, non tamen licitè absque iusta causa, cum non sit improbabilis opinio asserentium, matrimonium esse insolubile iure humano.

8 Causæ autem iustæ communiter censentur hæ. Prima est notabilis disparitas in qualitate, & conditione, nam matrimonium ordinatur ad mutuam amicitiam, & concordiam, quæ ordinariè non est nisi inter pares. Secunda, grauis timor scandali futuri, vt fornicationis, vel inimicitiarum, tunc enim id cederet in damnum commune. Tertia, lepra alteri superueniens: nam sic impeditur corporis vsus, qui est finis matrimonij: idem dic ob eandem causam de impotentia superueniente. Quarta, est assertio alterius coniugis asserentis, se non habuisse animum contrahendi, & non potest induci ad illum habendum; tunc enim erit periculum inimicitiæ. Quinta, si vir efficeretur Episcopus, & id necessarium esset ad bonum commune. Sexta est mutuus dissensus, quæ tamen sola non est causa sufficiens, nisi quando essent inter se ita discordes, vt iure timerentur infoelices exitus, absque spe remedij. Vide Sanch. *lib. 2. disput. 16.* & Filiuc. *sup. num. 8.*

9 Quoad secundum dico, Summum Pontificem nullo modo posse dispensare in matrimonio consummato, in quo omnes conueniunt. Primò, quia est insolubile iure naturali, & diuino, eo quòd repræsentat vnionem hypostaticam Verbi diuini cum natura humana, quæ est insolubilis. Et probatur Matth. 19. vbi Christus Dominus præcepit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* & 1. Corinth. 7. *His, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, &c.* & Roman. 7. *Mulier viuente viro, &c.* Secundo, quia neque in Ecclesia, neque in Pontifice agnoscitur aliqua facultas ad id concessa, absque qua non potest dissoluere, quod iure diuino, & naturali est insolubile. Quod etiam procedit in matrimonio infidelium, quia lex Christi omnes obligat.

10 Ex dictis patet, Episcopum non solùm non posse dispensare in matrimonio consummato, verum etiam nec in rato, vt communiter Doctores, quia non agnoscitur concessa illi à Deo illa specialis, & extraordinaria potestas in ordine ad bonum commune totius Ecclesiæ, quæ concessa est Pastori vniuersali, & Christi Vicario. Quòd si dicas, Episcopum posse in sua Ecclesia, quidquid Papa in toto orbe. Respondeo, hoc non esse vniuersaliter verum; nam non potest ea, quæ illi specialiter sunt reseruata, aut circa quæ dubitatur, an potestas Papæ se extendat, vt ait Sanchez *disput. 14. ad 8.* aut quæ specialiter, & extraordinariè Papæ à Deo concessa sunt, qualis censetur supradicta facultas, vt dictum est.

11 Sequitur etiam, & à fortiori, nullum matrimonium posse dissolui per adulterium, prout definitum est à Florentino in decreto Fidei, & patet Rom. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit*: igitur viuente viro vocabitur adultera, si viuit cum alio viro.

DVB. III.

An matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per professionem solemnem in Religione.

1 Dico primò, matrimonium ratum dissoluitur per professionem in Religione approbata, ita vt liberum sit remanenti in sæculo, sequuta tamen alterius professione, cum alio matrimonium contrahere: est de fide ex multis decretis Pontificum *cap. ex publico cap. ex parte. cap. verum de conuers. coniug.* & nouissimè definitum à Tridentino *sess. 24. Can. 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum non dissolui per solemne votum professionis, &c. anathema sit.* Confirmatur vsu antiquissimo Ecclesiæ, & traditione Apostolica, de qua Bellarm. *lib. 2. de matrim. cap. 38.* Sanchez *lib. 2. disput. 18.* Ratio potissima est voluntas Christi declarata per hanc traditionem, fundata in perfectione status. Congruentia est, quia professio est mors spiritualis; quare sicut morte naturali soluitur vinculum matrimonij consummati; ita similiter morte spirituali soluitur vinculum spirituale matrimonij rati. Vide D. Thomam *in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 3. qu. st. 2.* & Bellarmin. *vbi sup.* Dixi *facta professione*, nam hoc priuilegium Christi non est concessum ingressui, sed professioni; ideoque remanens in sæculo tenetur expectare professionem, qua facta omnino liberatur à vinculo matrimonij rati. A fortiori dissoluitur matrimonium ratum per vtriusque coniugis professionem; quia si per vnius professionem soluitur; à fortiori per vtriusque professionem dissoluetur: ex quo fit, si alter post professionem fornicetur, non committere adulterium; quia solutus

folutus erat à lega matrimonij. Vide Sanchez *disp.* 20.

2 Dixi ,*matrimonium ratum*, nam consummatum non dissoluitur per subsequentem professionem , etiamsi consummatum sit intra bimestre , & per vim : tum quia nullo iure constat , ipsum dirimi per professionem ; tum quia sic habetur *cap.* 27. *quæst.* 7. tum quia id constat ex multis Scripturæ locis, præcipuè Matth. 19. & aliis, de quibus *dub.* 1. & habet communis Doctorum apud Sanchez *lib.* 2. *disp.* 21. Coninch. *disput.* 26. *dub.* 5. & 4. & Bonacina *tom.* 2. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 4. & dicetur latiùs infrà.

3 Dico secundò, secundùm Lessium *l.* 2. *c.* 41. Coninch *disp.* 26. *dub.* 3. quos sequitur Hurtado *disp.* 8. *de matrim diff.* 4. *num.* 17. professio solemnis dissoluit matrimonium ratum antecedens , non iure naturali, nec diuino , sed Ecclesiastico, non quòd modò habeamus scriptum, sed quòd olim fuerit scriptum,& postea perditum,aut quòd tantum fuerit viua voce traditum. Probabilius tamen , & verius est, id habere ex iure diuino , seu priuilegio à Christo Domino concesso , vt probant authoritates,& rationes in prima conclusione , & deducitur ex cap. 7. *de conuers.coniugator.* dum Alexander III. ait dissolutionem matrimonij per professionem deduci ex facti Eloquij interpretatione, & ex cap. 14. dum Pontifex ait, sanctos, ex reuelatione diuina , à matrimonio transiisse ad perfectiorem statum.Ita Sotus *dist.* 27. *quæst.* 1. *artic.* 5. Sanchez *l.* 2. *disp.* 19. Basil. *l.* 5. *c.* 5. Filiuc. *sup. tract.* 11. *à n.* 64.

4 Dico tertiò,professio per quam dissoluitur matrimonium ratum antecedens, debet esse solemnis. Filiucius *sup. num.* 61. Hurtado *loco citat. diff.* 5. *num.* 82. & alij citandi , quia hoc priuilegium non cuilibet voto , sed soli solemni professioni concessum est , vt constat ex traditione allegata in prima conclusione, & ex Tridentino *sess.* 24. *Can.* 6. vbi id tantùm tribuitur solemni professioni. Et quamuis in cap. 2. & 7. & 14. *de conuers. coniugator.* id attribuatur statui religioso , absque expressa mentione professionis solemnis , eo ipso id tribuebatur professioni solemni , quia status religiosus à sui initio, ante institutionem Societatis Iesu , de qua infra, tantùm fiebat votis solemnibus , votis scilicet absolutè perpetuis , tam ex parte vouentis, quam ex parte admittentis illa. Hinc fit , non dissolui matrimonium ratum per tacitam professionem , vt necesse defendit Zerola in Praxi *part.* 1. & 2. *verb. professio* , quia non est simpliciter professio , nec dirimit matrimonium , sed æquiualet voto simplici ; ideo si taliter professus ante solemnem & expressam egrediatur , tenetur ad alterum coniugem redire,qui si non erat coniugatus,potest validè nubere. Censetur autem tacita professio, quando quis transacto anno probationis manet in monasterio cum eodem habitu , & gerit se vt professus , de qua Sanchez in Decalogo.

5 Ex hac tertia conclusione sequitur primò, matrimonium ratum non dissolui per tria vota Societatis Iesu , emissa post biennium , aut post longa tempora, emissa à coadiutoribus , etiam spiritualibus , vt docent Vazquez 1. 2. *disput.* 165. *cap.* 10. Sanchez *lib.* 2. *disput.* 18. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 7. Filiucius *sup. num.* 61. & Hurtado *loco cit. num.* 23. contra Basil. *lib.* 9. *capit.* 6. Ratio est , quia et si tria prædicta vota in Societate constituant statum religiosum , & illa vouentes sint verè Religiosi , vt definiuit Gregorius XIII. in Bulla, *Ascendente Domino* , quam confirmauit Gregorius XIV. ea tamen vota sunt simplicia, & non solemnia , quia non sunt absolutè perpetua ex parte admittentis illa , quia ex rationabili causa potest sic vouentes à Societate dimittere , quo cessant dicta vota , sed hoc priuilegium dissoluendi matrimonium ratum antecedens , est commissum solemni professioni ; ergo illud non dissoluitur per hæc tria simplicia vota, cùm non sit professio solemnis.

6 Sequitur secundò, votum simplex subsequens matrimonium ratum non illud soluere;quia ver dictum est *concl.* 3. & *consect.* 1. hoc priuilegium concessum est solùm solemni professioni. Ita citati, vide Henriquez *vbi sup. num.* 7. *lit. E.* vbi dicit: Nunquam legitur Pontifex statuto facto ob vota simplicia, soluisse generaliter matrimonium tantum legitimè contractum : id enim professionis solemnis proprium est. Hinc fit,non dissolui matrimonium ratum per subsequens votum simplex Religionis, aut castitatis : nec per receptionem ordinis sacri : nec per assumptionem Episcopatus, quia neutrum ex his est professio solemnis. Ita supra citati. Item nec per votum Eremitarum ; nam quamuis olim dirimebat matrimonium, quia censebatur solemne ; non tamen nunc, quia vel nulla vota emittunt ; vel non sunt solemnia, vt cum Soto Filiucius *sup.* & alij.

7 Sequitur tertiò, per vota Clericorum, aut Monialium Ordinum militarium in claustro viuentium dissolui matrimonium ratum antecedens. Sotus *vbi sup.* Sanchez *disput.* 18. *num.* 8. Filiuc. Hurtado *sup. diff.* 6. *num.* 25. Nauarr. *conf.* 2. *de conuers. coniugat.* & alij apud Sanchez ; quia sunt solemnia, & absoluta. Non tamen dissoluitur per vota Equitum militarium non viuentium in claustro, nisi sint Ordinis S. Ioannis , quia et si demus omnes esse verè Religiosos, de quo diximus in Decalogo *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 3. tamen matrimonium antea factum est compatibile cum votis, quia tantùm vouent castitatem coniugalem , vt sunt Equites Calatrauæ , Alcantaræ , S. Iacobi, Montesiæ. Dixi, *nisi sint S. Ioannis* , nam horum professio dirimit matrimonium ratum antecedens , vt docent Sanchez *sup.* Basilius *lib.* 9. *capit.* 7. Azor *tom.* 1. *libr.* 13. *capit.* 6. *quæst.* 4. Hurtado , & alij, quia horum professio est solemnis , & in ea vouent castitatem absolutam absque restrictione.

8 Sequitur quartò , per votum mantellatorum, seu mantellatarum, id est virorum , aut fœminarum tertij Ordinis, S. Dominici, & S. Francisci, si quæ collectim , & in communi viuerent sub regimine Prælati, ex vi suæ regulæ approbatæ, sub qua emittunt tria vota essentialia , dissolui matrimonium non consummatum antecedens. Sanchez *disp.* 18. Basilius *sup. lib.* 9. *capit.* 8. Filiuc. Hurtado *diff.* 4. quia horum vota absoluta, & absque restrictione , sunt professio solemnis,vt declarauit Paulus III. ex Hurtado *sup n.* 27. & Sixtus V. ex Sanchez *disp.* 18. *num.* 4. & Filiucius *num.* 61. Quod etiam dicendum est de votis mantellatarum S. Augustini collectim viuentium , eadem enim est ratio. At si dicti Tertiarij, & Tertiariæ non viuant collectim modo dicto sed tantùm in suis domibus , eorum vota non dirimunt matrimonium ratum , vt habet communis , quidquid Basilius , & Hurtado , quamuis viuant arbitrio , & regimine alicuius Prælati, quia harum professio non censetur solemnis.

***

Dua,

DVB. IV.

An matrimonium consummatum dissolui possit per aliquam potentiam, & quid de matrimonio infidelium.

1 SVppono, esse matrimonium consummatum insolubile de iure naturali, & diuino, & omnimodam insolubilitatem competere illi ex iure diuino naturali superaddito, vt dictum est *hoc cap. dub.* 1. & probatum est Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, &c.* & 1. Corinth. 7. *His, qui matrimonio coniuncti sunt, &c.* & Rom. 7. *Mulier viuente viro* Quod etiam competit matrimonio infidelium quia lex Christi omnes comprehendit; ideo non potest solui mutuo consensu, vt diximus *loco citat.* Imò nec per illam potentiam (excipe quando alter conuertitur ad fidem, vt infra) nam in consummato baptizatorum non potest Papa dispensare, vt dictum est *dub.* 2. *vers. Quoad secundum.* Nec dissoluitur per subsequentem professionem, si sit matrimonium baptizatorum, vt dixi *dub.* 3. *n.* 2. *vers. Dixi matrimonium.* Dixi nunc, *si sit baptizatorum*, nam si sit infidelium, *infra.* Est ergo matrimonium baptizatorum, si est consummatum, omnino insolubile in ordine ad potentiam humanam, ex præcepto diuino Christi, naturali iuri superaddito; etenim si aliquod matrimonium insolubile est, vt probatum est *loco cit.* hoc præcipuè competit consummato fidelium Quare refellendus est error Iuristarum, qui dixerunt posse Papam dispensare in consummato pro bono communi, & pace Regni, vt Socin. Decius, & alij apud Cooart. *de matrim.* 2. *part. c.* 7. *n.* 15. & Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. c.* 15.

2 Nota non esse improbabile, quando duo fideles conuertuntur, matrimonio iam consummato, posse Papam in illo dispensare, antequam illud de nouo consumment post baptismum; quia tale matrimonium ante nouam consummationem habet se quoad hoc tanquam ratum; quia nondum repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam; ideoque non erit omnino indissolubile: Ita Nauarr. *cons.* 3. *de conuers. infidel. ad* 2. *dub. num* 12. Sanchez *lib.* 2. *disputat* 17. *num.* 2. Fillincius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num* 19.

3 Dico primò, potest Deus dispensare in matrimonio consummato: patet, quia olim Deus concedendo libellum repudij, Deut. 2. soluebatur matrimonium quoad vinculum, vt cum aliis Sanchez *lib.* 10. *disput.* 1 & dicetur in fine dubij.

4 Dico secundò, nunc ex priuilegio, & Christi dispensatione matrimonium infidelium consummatum est solubile per alterius conuersionem ad fidem, quando alter non vult cohabitare cum tam baptizato, aut si vult, cum contomelia tamen creatoris, vel si ipsum baptizatum pertrahat ad peccatum mortale, vt est definitum *in cap. quanto* 7. *& in cap. gaudemus* 8. *de diuort.* & in hoc sensu Ecclesia intelligit illud Pauli, Corinth. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat* (intellige, conuersus etiam discedat) *non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi; in pace autem vocauit nos Dominus* Ex quibus verbis colligunt Doctores, concessisse Christum Dominum priuilegium conuerso ad fidem ad dissoluendum matrimonium, etiam consummatum, in fauorem baptismi, ne concessio, seu susceptio baptismi esset onerosa baptizato, quia aliàs cogeretur, aut cælibem vitam transigere, aut molestè, & periculosè cohabitare. Non obstat illud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet:* quia in hoc casu non humana, sed diuina auctoritate dissoluitur, ex priuilegio Christi Domini, vel saltem Ecclesia interpretante in tali casu ius diuinum. Quod autem dicitur Rom. 2. sola morte coniugis dissolui posse matrimonium, intelligendum est de consummato fidelium, quod perfectè repræsentat vnionem Verbi cum humana natura; non verò de matrimonio infidelium, quod eam, eo quòd non sit Sacramentum, perfectè non significat. Quid autem sit nolle habitare sine contomelia creatoris, & quando hoc matrimonium dissoluatur, *infra hoc dub.* Vide de his Sanchez *l.* 7. *disput.* 74. Fillincium *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 2. *c.* 7. *quæst.* 5. *n.* 236 Bonacinam *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 7. & Hurtado *disp.* 8. *de matrim. diff.* 10.

4 Dico tertiò, infidelem nolle habitare cum fideli conuerso, nisi cum iniuria creatoris, tunc dicitur, quando fidelem compellit ad peccatum, vel quando infidelis non vult nomen Dei, aut Christi audire, nisi cum respectu, vel quando nomen Dei blasphemat, vel impedit, quominus debitus honor, aut laudes Deo exhibeantur, vel quando retrahit familiam à Christi fide Sanchez *lib.* 7. *disput.* 74. *num.* 6. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 7. *num.* 5. & alij, *ex capit. quanto. & cap gaudemus de diuort.*

6 Dico quartò, quando infidelis non vult conuerti, vult tamen cohabitare cum fideli conuerso sine contumelia creatoris, non potest conuersus dissoluere matrimonium, & aliud inire, S. Thom. *in* 4. *dist* 9. *quæst. vnic. artic.* 5. Tolet. *in summ. cap.* 7. Valen. *disput.* 10 *quæst.* 1. *punct.* 7. Bonacina, Ricar. & alij Theologi, ac Canonistæ apud Sanchez *lib.* 7. *disput.* 74. *num.* 8. Ratio est, quia priuilegium factum à Christo, de *loco sup.* & explicatum à Paulo 1. Corinth. 7. locum habet tantùm, quando infidelis non vult cohabitare nisi cum iniuria creatoris, aut inducit fidelem ad peccatum, vt interpretatur Innocentius III *capit. quanto, & c. gaudemus de diuort.* Facit illud Pauli 1. Corinth. 7. *Si quis frater vxorem habet fidelem, & hoc consentit habitare cum illo, non dimittat eam.* Vbi nota, illa verba, *non dimittat eam*, non continere præceptum, sed monitionem, & consilium, vt benè Hurtado *disput.* 8. *de matrim. diff.* 11. *num.* 41. quidquid Basilius *lib.* 9. *capit.* 4. Vnde potest conuersus cum tali infideli manere, vel ab eo discedere, non per dissolutionem vinculi, sed quoad torum tantùm, & habitationem, seu diuortium, quod in hoc casu licet, vt infra *c. t. t. dub.* 6. in quo etiam conueniunt Doctores: consequenter sequitur, in hoc casu fidelem conuersum non posse, viuente infideli, aliud matrimonium inire, sed teneri vitam cælibem ducere, Ecclesia disponente in dicto cap. *quanto* Hurtado *sup. diff.* 11. *num.* 45. Oppositam tamen sententiam tuentur Sanchez *l.* 7. *n.* 9. *disp.* 74. Henriquez *l.* 11. *c.* 8. Basilius *l.* 9. *c.* 4. *n.* 21. quod probabilius existimant Bonac. *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 7. *num.* 6. Villalobos *tom.* 1. *tractat.* 13. *diff.* 15. *num.* 9. & Filincius *tom.* 1. *tractat.* 10. *capit.* 8. *num.* 239. saltem hoc tempore; quia existimant, prohibitam esse cohabitationem fidelis cum infideli in Concilio Tolet. tertio *cap.* 4. consequenter non posse fidelem cum infideli cohabitare, propter periculum peruersionis; & cùm cohabitatio sit illicita, & alter noluerit conuerti, quamuis pacificè velit habitare, censetur tamen velle habitare cum contumelia creatoris. Probabilior tamen mihi videtur prior sententia, ob rationes dictas. Tum etiam, quia, vt aduertunt Rebel. *lib.* 3. *quæst.* 10. *sect.* 1. Coninch. *disput.* 20. *dub.* 5. & Hurtado *sup. num.* 46. de facto non

non repetitur aliqua prohibitio fcripta, prohibens conuerfum cohabitare cum infideli nolenti baptizari, fi vult pacifice cohabitare ; nam Canon *Iudæi* 28. *quæft.* 1. defumptus ex Concilio Tolet. quarto, *c.*6. tantùm ftatuit, Iudæos habentes vxores Chriftianas feparandos effe ab illis, nifi ab Epifcopo admoniti conuertantur. Adde, illud Concilium non fuiffe generale, ideo tantùm obligare pro fuo diftrictu : nec eft prohibitio introducta per confuetudinem, cùm contrarium videamus feruari in India, & Iaponia, tefte Hurtado *vbi fup.* Quòd fi infidelis iufta de caufa nolnerit habitare cum fideli, quia v.g commiſit hic adulterium, non diffoluetur matrimonium, vt tum Sanchez *lib.*7. *difp.*74. *n.*5. tenet Villalobos 1.*part.tractat.*13.*diff.*15.*n.*5.

7 Dico quintò, quando infidelis non vult cohabitare cum conuerfo phyficè, & realiter, feu moraliter, hoc eft, fine contumelia creatoris, conuerfus ftatim, feu in illo inftanti, habet ius ad diffoluendum matrimonium, vt apertè fignificat D.Paulus 1. Corinth.7. *Si difcedit, difcedat, &c.* non tamen tunc eft reuera, & de facto folutum, vt exiftimat Rodrig. 1. *tom. capit.* 250. cum Ricardo, & Panormit.apud Hurtado *fup. diff.* 13.*num.*47. fed diffoluitur, quando tenera, & actu aliud matrimonium initur à fideli, ita vt contractio pofterioris fit diftractio, & diffolutio prioris, ficut dicitur generatio vnius, & corruptio alterius. Ita D. Thom. *dift.* 39.*quæft.vnic. articul.* 5. *ad* 2. Sotus *artic.* 4. Sylu. *matrimon.*8 *quæft.*10. Nauarr.*c.*22.*num* 45. Sanchez *lib.*7.*difput.*75.*num.*4. Coninch *difp.*26. *num.* 63. Bafilius *lib.*9.*capit.*4. Hurtado *fup. num.*48. Villal. *loco cit.num.*6.& alij. Et probatur, quia in cap.*gaudemus* 8. *de diuort.* conuerfus ad fidem compellitur recipere alteram coniugem, fi antequam ipfe conuerfus ineat matrimonium, conuertatur infidelis, ergo fignum eft, prius matrimonium non diffolui, antequam pofterius contrahatur. Hinc fequitur, infidelem relictum non poffe valdè contrahere matrimonium, quoufque prius matrimonium diffolutum fit per fecundum matrimonium à conuerfo initum, ideoque fi conuertatur ille ad fidem antequam fidelis nubat, teddendus eft priori coniugi : diffoluto verò matrimonio per conuerfum ad fidem, alio matrimonio celebrato, poteft infidelis validè, & licitè cum altera contrahere, quia id nullo iure prohibetur. Ita citati, vide Filliucium *tom.*1.*tractat.* 10 *part.*2 *cap.*8.*num.*141. & 243. Sequitur fecundò, fi fidelis conuerfus ante conuerfionem duxerat plures vxores, fi omnes conuertantur teneri redire ad primam : fi autem non conuertantur omnes, fi prima monita conuerti noluerit, tenetur eum fecunda contrahere, fi conuertatur. Henriquez *lib.* 11. *cap.*15. *num.* 5. Hoc tamen pro certo habe, quando infideles coniuges conuertuntur ad fidem, non diffolui matrimonium, fi aliàs fit legitimè contractum, quia eft validum, & nulla datur caufa folutionis, habetque locum illud Matth 19. *Quod Deus coniunxit, homo non feparet.* Ita Doctores communiter.

8 Nota, ad diffoluendum matrimonium infidelium, quando licet conuerfo aliud inire, non requiri fententiam iudicis, fed fufficere, quòd moneatus infidelis, vt conuertatur. Quòd autem non requiratur fententia iudicis, probatur ex cap. *quanto de diuort.* vbi dicitur folam, contumeliam creatoris foluere ius matrimonij erga fidelem, & hunc liberum effe, tranfire ad alias nuptias. Quod verò requiratur monitio, patet, quia aliter non poteft manifeftari voluntas infidelis, Ita S.Thom. & alij citati, & habetur *cap. Iudæi* 28. *quæft.* 1. ibi : *Quod fi admoniti fuerint, &c.* nifi tamen aliunde conftaret obftinatio, quia tunc haberetur certitudo moralis obftinationis. Nauar.*conf.*1.*num* 4.*de conuerf. infid.* Sanchez *fup. num.* 13. Idem dic, quando infidelis commode admoneri non poffit ob diftantiam; tunc enim realiter certum eft, nolle conuerti. Sanchez *num.*14. Quòd fi fidelis dubius fit de animo infidelis, debet illum admonere, & fufficeret nuntius fide dignus id deponens. Nec eft præfigendus terminus neceffariò ab Ecclefia, vt infidelis deliberet de conuerfione, fi conftat de eius obftinatione : at fi petat citra fraudem inducias, concedendæ funt. Vide Sanchez. *fup. à num.*17.

9 Dico fextò, fi poftquam infidelis monitus eft non vult conuerti, licet fideli conuerfo, tranfire ad ordines, vel Religionem. S.Thom. *in* 4. *dift.*39. *quæft.vnic.artic.*5.*ad* 4. Sylu. *matrimon.*8. *quæft.*16. *dift.*8.Soto *ead.dift.art.*4. Sanchez cum aliis *lib.* 7. *difp.*76. *num.* 1. Henriquez *lib.* 11. *cap.*17. *num.* 8. Bonac.*tom.*1.*quæft.*3.*de matrimon. punct.*7.*num.* 8. Ratio eft quia iuxta communem fententiam, tunc licet diuortium, vt dicetur infra; at quando licet diuortium, licet etiam tranfire ad ordines, vel Religionem; ergo, &c. Idem & à fortiori dic de emiffione voti fimplicis caftitatis. Quòd fi effet probabilis fpes conuerfionis coniugis infidelis, bonum effet confilium, non tranfire ad ordines, vel Religionem, fed expectare aliquantulum, ne infidelis, abiecta fpe recuperandi coniugem, defiftat omnino à conuerfione, vt bene cum Doctoribus citatis. Filiucius *fup. num.*144. At fi antequam fidelis motaffet ftatum, infidelis conuerteretur, tunc non liceret tranfitus ad fupradicta, ficut nec ad alias nuptias, quia manet adhuc prius vinculum, ideo tenetur illum amittere ad coniugium. Quod procedit, etiamfi Ecclefiæ authoritate facta effet feparatio matrimonij. Nec obftat cap. fin.*de conuerf. coniug.* dans facultatem ingrediendi Religionem coniugi baptizato, quando alter coniux, etiam baptizatus eft captus, & damnatus pro crimine hæfis, quia Ecclefia plus fauet ad fidem conuerfis, vt ex S. Thoma docet Sanchez *fup.difp.*76. *num.* 3.

10 Sed quæres, an matrimonium infidelium diffoluatur per profeffionem folemnem factam à fideli conuerfo : conueniunt Doctores, tale matrimonium in hoc cafu diffolui, fi tantùm eft ratum. Et ratio eft euidens ; nam fi matrimonium ratum diffoluitur inter baptizatos per folemnem profeffionem, à fortiori ratum infidelium diffoluetur, cùm non fit tam perfectum, & infolubile, vt eft baptizatorum. Vnde procedit difficultas de tali matrimonio iam confummato : & hoc in opinione, quam fequimur, non diffolui de facto tale matrimonium ftatim ac alter conuertitur, altero semanente in infidelitate, & nolente cohabitare fine contumelia creatoris, vt dixi *concl.* 4. Coninch. *difput.* 26.*dub.*5.Hurtado *fup.diff.*14. *num.* 1. cum Abulenfi 1 *Reg.*8. *quæft.*68. Refpondent negatiuè, quia nullibi in Ecclefia repetitus talis poteftas. Partem autem affirmatiuam tuentur, & meritò, Sotus *in* 4.*dift.*39.*art.*4.*dub.*3. Henriq *lib.*11.*de matrimon.* Bonacina *vbi fup n.* 9. Filiuc.*loco cit. n.* 146. cum alis Sanchez *difput.*76. *num.*9.& communiter Doctores : Ratio eft, quia dictum matrimonium contractum ante baptifmum, quamuis fit confummatum diffoluitur per nouum matrimonium ratum conuerfi ; fed matrimonium ratum diffoluitur per profeffionem folemnem, vt dixi *dub.* 3. ergo etiam illud infidelium, quamuis confummatum fit : patet confequentia ex *l. de acceffionib. ff. de diuerf. temporan. præfcription.* ibi : *Si vinco vincentem te, à fortiori*

fortiori vincam ie Et confirmatur; si enim professio solemnis dissoluit matrimonium ratum inter fideles, quod est perfectius, & insolubilius matrimonio infidelium, utique etiam dissoluet matrimonium consummatum infidelium. Ex quo fit, vt si infidelis conuertatur post professionem alterius, non possit petere, vt professus fidelis conuersus sibi restituatur. Ad rationem prioris sententiæ respondeti potest, priuilegium concessum professioni, vt dissoluat matrimonium ratum fidelium, censetur propter rationes dictas concessum professioni, vt dissoluat consummatum infidelium.

11 Dices etiam, an matrimonium infidelium dissoluatur, quando conuersus suscipit ordines sacros, aut emittit votum castitatis. Respondeo cum communi negatiuè, quia hoc priuilegium tantùm est datum solemni professioni, vt *sup.* dictum est *dub.* 3. vt scilicet dissoluat ratum infidelium, & tantum, aut consummatum: rum etiam ordo sacer non dissoluit matrimonium ratum fidelium; ergo neque infidelium. Nihilominus tamen quando conuersus legitimè est sacris initiatos, non est restituendus infideli relicto, si postea conuertatur; sibi enim imputandum, quòd tardè conuersus fit.

12 Sequitur ex dictis, infidelem relictum, casu quo conuersos transit ad alias nuptias, aut est professus, validè, & licitè posse transire ad matrimonium; nam prius fuit dissolutum ex parte fidelis; & cum vinculum sit idem duos adstringens, si soluitur ex parte fidelis remanet consequenter solutum ex parte infidelis. Dicitur autem dissolui communiter quoad fidelem tantùm, quia ius dissoluendi per aliud matrimonium, aut professionem, competit tantùm fideli in fauorem fidei, quo tamen dissoluto, manet etiam fidelis liber, cum nullo iure prohibeatur. Quando verò conuersus, nolente infideli conuerti, transit ad ordines, vel emisit votum castitatis, si postea infidelis conuertatur, poterit ingredi Religionem, sicut contingit, facto diuortio. Vide Sanchez *lib. 2. disp. 27. n. 2. & 6.* Henriq. *l. 11. c. 8. n. 5.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. p. 7. c. 8. q. 9.*

13 Dices etiam, quemnam sequantur filij, quando solus vnus parens conuertitur ad fidem. Respondeo, sequi conditionem parentis fidelis, quando filij non sunt doli capaces; vt habetur in cap. *Iudæi* 28. *quæst.* 1. si sunt doli capaces, relinquendi sunt in propria libertate, ex Concil. Tolet. 4 *c.* 56. & cap. *de Iudæis* 45 *distinct.* & habent communiter DD. apud Sanch. *lib. 7. disp. 73. num* 16. Coninch. *disp. 26. num* 67. & Bonacin. *sup num.* 11. vbi cum Emanuel Sa addit, in dubio, an filij sint capaces doli, præsumendum esse in fauorem fidei.

14 Quæres etiam, an in lege veteri dissolueretur matrimonium, quoad vinculum per libellum repudij, vt statuum fuit Deuter. 24. ibi: *Si acceperit homo vxorem, &c.* Magister *in 4. distinct.* 33. Couarr. 1. *part cap.* 7. Sotus, & alij respondent negatiuè, tum quia illa lex Deuter. 24. tantum erat permissa; quod videtur Christus significare Matth. 19. ibi: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras.* quod etiam deduci videtur ex dicto loco Deuter. vbi dicitur, vxorem repudiatam, quæ alterum duxerit isto mortuo, non posse à primo marito recipi, quia polluta erat, & abominabilis coram Domino. At Sanch. *lib* 10. *disputat.* 1. Bellarm. *lib* 1. *de matrim cap.* 17. Coninch. *disput.* 26. Basilius *lib* 7. *capit* 50. Filiuc. *tom.* 1. *part.* 1. *c.* 10 *n* 361. Bonacin. *tom.* 1. *quæst* 3 *de matrimon. n.* 2. *fin* Hurtad. *de matrimon disput.* 8 *diff* 11. *n.* 36. & alij asserunt, per dictum repudium dissolui tale matrimonium, quoad vinculum; quod etiam senfit D. Chrysost *homil.* 24. *in Matth.* dedocinrque ex dictis verbis Deuter. 24. quia ibi apertè supponitur vxorem repudiatam validè nubere alteri, ac proinde prius matrimonium fuisse dissolutum: & quidem si prius non dissolueretur, posterius fuisset illicitum, & inualidum, illiusque vsus etiam fuisset innalidus, quod credi non potest, quia nullibi à patribus reperitur talis vsus reprehensus. Cessauit autem illa lex, non solùm morte Christi, sed etiam Christo viuente, à quo Matth. 19. fuit reuocata, vt constat ex ipso textu, & definitum est in cap. *gaudemus* 8. *de diuortijs.* Nec obstat illud verbum, *permisit*, quia non significat rigorosam permissionem, sed veram relaxationem, seu dispensationem, factam ob eorum duritiem, & facilitatem ad dimittendas vxores. Et ad illud Deuteron. 24. dici potest, repudiatam, quæ alterum ducebat, dici pollutam, & abominabilem coram Domino, non quia alterum ducebat, sed quia publicè, & consequenter eoram Domino fuit indicata talis à priori marito, & ob id non permittebatur iterum ab eo recipi. Hurtado *vbi sup.*

D V B. V.

Quando censeatur matrimonium consummatum.

1 Dico primò non censeri matrimonium consummatum, quaecumque ratione contingat semen effundi extra vas naturale vxoris: hoc est certum apud omnes, & habetur cap. *extraordinaria* 35. *quæst.* 3. & ratio est, quia ad consummationem requiritur, quod coniuges fiant vna caro inchoatiue, id est principium vnius carnis, seu prolis, ideo dicitur consummatum, sed per talem copulam coniuges non fiunt vna caro, ergo per eam non censetur matrimonium consummatum.

2 Dico secundò, censetur matrimonium consummatum, quoties cumque, & quacumque ratione semen prolificum viri intra vas naturale recipitur, etiamsi vas non penetretur instrumento virili. Sanchez *lib. 2. disp* 2. Filiuc. 1. *tom. tractat.* 10. *part* 1. *cap.* 2 *num* 42. Hurtad. *disput.* 8. *de matrimon diff.* 9. *num.* 33. & communiter DD. quia talis copula est sufficiens ad generationem, & ad causandam affinitatem, & per eam efficiuntur vna caro: quod verum est, etiamsi arte dæmonis semen viri recipiatur in vase debito vxoris, vt ex Rosel. Syl. & Tab. docet Sanch. & Filiuc. *supra.* Quid si dæmon semen viri naturaliter in somniis decisum immitteret in vas vxoris dormientis, vel secum coneubentis? Respondeo, videri etiam tunc consummari matrimonium; quia reuera semen immittitur in vas debitum, etiã si dæmonis ministerio; verius tamen est, tunc non consummari matrimonium; quia talis seminatio nõ est voluntaria ex parte viri, consequenter, nec humana, ideoque nullo pacto ad virum, eiusque coniunctionem pertinebit; quando ergo vir voluntariè seminat in vase, etsi viatur ministerio dæmonis, consummatur matrimonium, quia cooperatur, siue vt propriè loquamur, operatur humano modo; secus si dæmon solus immittat, & viatur semine viri tanquam instrumento. Filiuc. *sup. n* 42. *vers. Dices.*

3 Dico tertiò, non sufficit, vt matrimonium dicatur consummatum, quòd vir penetret vas, nisi etiam intra illud seminet, ita vt recipiatur semen intra vas, ita contra Medin. *lib.* 5. *de sacrorum hominum continentia, cap* 76. & Petrus Ledesm. *de matrim quæst.* 6. *artic.* 1. tenent Sanch. *lib.* 2. *disputat.* 21. *concl.* 1. Filiuc. Hurtad. Coninch. Basilius, & communiter, quia per seminationem tantum coniuges

iuges fiunt vna caro, & per hanc tantum sequitur generatio, & causatur affinitas. Quod quidem est verum, etiamsi viro penetrante, non tamen seminante, seminaret fœmina, quia sola fœminæ seminatio non satis est ad generationem. Sylvest. *matrim.* 8. *quæst.* 15. Sotus *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. Filliuc. *sup. n.* 43. & alij.

4 Dico quartò, etsi probabile sit, consummari matrimonium, si solus vir seminat, vt docent Sanchez *disp.* 17. *dist.* 64. *num.* 1. & alij, quia ex Aristotel. 2. *de generat. anima, cap.* 2. Galen. *lib.* 1. *de sanit. tuend. cap.* 1. semen fœmineum non est necessarium ad generationem, consequenter per solam viri seminationem fiuns vna caro, & consummatur matrimonium: probabile etiam est, imò probabilius existimat Hurtado *disp.* 20. *diff.* 1. *num.* 4. *versic. Addimus*, requiri etiam quòd fœmina seminet, vt etiam tenet Lopez 2 *part. instruct. cap.* 50. quia Auicenna, & alij medici tenent, requiri etiam semen fœminæ ad generationem, tanquam materiam, quia non videtur ad aliud à natura institutum; cùm ergo ad consummationem requiratur, copula, ex qua sequi possit generatio, sequitur sequiri etiam necessariò seminationem fœminæ, vt sentiunt Caiet. 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 11. Hurtado *dict. disput.* 20. *loco citat.* & alij ex Sanchez *disput.* 21. *num.* 11. Nihilominus tamen, quamuis Metaphysicè, & *en puntos de Filosofia*, matrimonium non videatur consummari per solam viri fornicationem intra vas receptam: verius tamen est, & ferè commune, tam in externo, quàm interno foro esse consummatum, sufficereque solam viri consummationem. Ita Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim. part.* 12. *n.* 12. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 3. Villalobos 2. *part. tractat.* 13. *diff.* 13. *num.* 1. *vers. Dezimos.*

5 Dico quintò, non censetur matrimonium consummatum, quando copula præcessit matrimonium: est commune, & certum, & probatur primò ex cap. *veniens, de sponsalib.* vbi dicitur, ad hoc vt sponsalia transeant in matrimonium per copulam, requiritur, vt copula illa subsequatur. Secundò, quia illa præcedens copula erat fornicaria, & matrimonium nondum erat contractum; ergo per illam non poterat consummari.

6 Dico sextò, consummatur matrimonium per copulam vi extortam, etiam intra bimestre, vt contra Basilium, & alios docent Sanchez *lib.* 2. *disp.* 22. Hurtado *disp.* 8. *de matrimon. diff.* 9. *num.* 33. *vers. Sufficit.* Filliuc. *sup. num.* 47. Ratio est, quia per eam copulam fiunt coniuges vna caro, *ex cap. discretionem, de eo, qui cognosc. consang.* & quia etiam ex ea oritur affinitas; ergo fiunt vna caro. Peccat tamen mortaliter coniunx, qui intra bimestre per vim copulam extorsit, quia intra hoc tempus non habet ius eo modo extorquendi, & grauem infert sponsæ iniuriam, eo quòd aufertat ab ea corporis integritatem: quod verum est, etiamsi sponsa antea non dixisset, se velle Religionem ingredi; nam si vocatetur ad Religionem, copula eo modo etiam extorta impeditet. Ledesma *de matrimon. quæst.* 6. *artic.* 1. Sotus *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 1. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 22. *num.* 16. Hinc fit, tale matrimonium, cùm sit iam consummatum, esse omnino insolubile, nam etsi per copulam coactam fuit verè consummatum; nihilominus tamen persona intra bimestre coacta, potest postea ingredi Religionem, quia per iniuriam extorta fuit copula, & non potest alia via recuperare ius suum, nisi per ingressum. Idem dic, quando sponsa ob metum cadentem in constantem virum consentit in copulam; adest enim eadem ratio iniuriæ. Sanchez *sup. quæst.* 3. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 8. & Filliuc. *sup. num.* 48. & 49. Affirmat etiam Sanchez *quæst.* 5. licere tali fœminæ per vim oppressæ statim post coitum, si fiat in continenti, expellere semen, ne concipiat, sicut posset se substrahere à viro ante seminationem, etiamsi semen viri esset extra vas effundendum: non autem ei licebit, si fiat postquam semen habet potestatem vasis, & est in loco suo constitutum; tunc enim, ait, esset intrinsecè malum; quod quidem esti probabile sit, securius tamen est non se exponere periculo impediendi generationem, quæ ab attractione seminis statim atque in vas emissum est, inchoatur, & postquam in matricem penetrauit, irritus est omnis conatus ad illud expellendum. Filliuc. *sup. num.* 4. Hoc tamen pro certo habe, casu quo vim passa ingrediatur in his casibus Religionem, cogentem non posse aliud matrimonium inire, dum viuit coacta, quæ ingressa est Religionem; quia matrimonium consummatum non dissoluitur per matrimonium ratum, vt sæpè dictum est. Aduerte etiam, quamuis vi oppressa possit in casibus supradictis licitè transire ad Religionem; hoc autem intellige, modò ex illo concubitu proles suscepta non sit, & non sit alius, per quem commodè possit educari, tunc enim per accidens impeditetur ab ingressu Religionis. Henriq. *sup. c.* 8. *n.* 10. Filliuc. *loco cit. num.* 48.

7 Dico septimò, ad consummationem matrimonij requiritur emissio seminis prolifici viri: vnde non sufficit seminatio eunuchorum, nec immissio seminis prolifici sodomiticè facta. Hurtado *disp.* 20. *de matrim. diff.* 1. *num.* 3. quia talis seminatio non est apta ad generationem, nec per eam sic se commiscentes fiunt vna caro, & vnum principium generationis, seu prolis.

Cætera, quæ huc spectare possunt, elucidabuntur, vbi de impedimento affinitatis agemus *capit.* 8. *dub.* 16.

D V B. VI.

Quantum temporis concedatur coniugibus ad ingrediendum Religionem ante consummationem matrimonij.

1 RESpondeo, Alexandrum III. in cap. *ex publico 7. de conuers. coniug.* disposuisse sequentia: *Mandamus, quatenus si praedictus vir eam carnaliter non cognouit, & eadem ad Religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quòd vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam absoluas.*

2 Circa quod conueniunt Doctores, duos dictos menses numerandos à die contractus matrimonij, intra quos non tenentur consummare, quamuis alter petat, illis autem completis, teneri statim aut consummare matrimonium, si alter petat, aut Religionem ingredi. Sanchez *lib.* 2. *disput.* 24. Bonacina *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 4. *num.* 4. & alij citandi.

3 Ad intelligentiam tamen nota, id bimestre dari ad deliberandum de ingressu Religionis, ad profitendum verò dari integrum annum, siue alter sponsus ingrediatur de alterius consensu, siue non, vt pluribus Sanchez *disp.* 24. *q.* 1. Vnde bimestre non conceditur ad profitendum, ita vt intra illud profiteri debeat, vt aliqui putant, sed solum ad deliberandum, & præter bimestre conceditur annus ad profitendum; nam post Tridentinum *sess.* 25. *de regul. cap.* 15. nullus est admittendus ad professionem, nisi transacto integro probationis anno. Sanchez *sup.*

supr Filliucius *tom.1.tract.10.part.1.capit.2.num.51.* & cum Coninch, & Basilio Hurtado *de matrimon. disput.8.diff.8.numer.32.* Quare si sponsæ duodenis ad Religionem transitet, sponsus per quadriennium expectare debet, eò quòd nequeat ante decimum sextum annum expletum profiteri, ex Tridentino *loco citato.* Quòd aliet sponsus prætextu Religionis nimis differat consummare matrimonium, vagando de vna Religione ad aliam, posset iudea, dato termino peremptorio compellere, vt vel maneat in vna Religione, expletu anno probationis, vel redeat ad sponsum, & consummet matrimonium.

4 Secundò nota, posse iudicem, causa cognita, restringere, aut prorogare dictum bimestre à iure taxatum, vt colligitur ex dicto capit. *ex publico*, quamuis iudex non babeat ab illo facile discedere. Sanchez *supra quæst.3.* Basilius *lib.9.capit.9.* Hurtado *sup.n.29.* & Filliuc. *loco cit.n.52.*

5 Tertiò nota, huiusmodi bimestre continere tot dies, quot sunt in mensibus, secundùm quòd occurrit in Calendario, computando à die, quo fuit matrimonium celebratum, v. g. si talis dies fuit octauus Ianuarij, septima dies Martij erit vltima bimestris. Filliuc. *supr.vers.Quarto.*

6 Quartò, coniuges, qui non cogitant intra bimestre ingredi Religionem, possunt intra illud non reddere alteri petenti, vt contra Coninch. *disput.26.dub.4.* & Hurtado *supra*, tenent Basilius *supra*, Sanchez *loco citato quæst. 5.* & Filliucius *supra num 53.* possunt enim intra bimestre forte mutare propositum in melius: & quia in dict. cap. *ex publico*, concedi videtur bimestre, non tantùm ad deliberandum de ingressu, sed etiam, vt coniuges fiant sibi inuicem chariores, desiderio se inuicem cognoscendi.

7 Quintò, si transacto bimestri matrimonium consummatum non fuerit, potest quilibet coniux ingredi Religionem, quamuis plures anni elapsi sint à matrimonio inito, quamuis alter nolit, & quamuis antea interuenerit iniusta debiti negatio, si quando petit, statim, moraliter loquendo, ad Religionem tendat, ita Sanchez, Filliuc. Basilius, Hurtadu *vbi supr.* & alij. Ratio est, quia in dicto capit. *ex publico*, absolutè conceditur facultas ingrediendi Religionem ante consummatum matrimonium, & duo menses tantum assignantur, vt intra illos nequeant cogi ad consummandum, & vt illis transactis possint cogi, vel ad consummandum, vel ad Religionem ingrediendam, & non vt postea nequeant ingredi, si non consummauerint. Vnde quamuis transierit bimestre ante consummationem, si alter voluerit ingredi Religionem, irrogabitur illi iniuria, si vi cogatur ad consummationem, vt contra Basilium tenet Hurtado *supra num.30.* si statim ac ab ipso petitur debitum, vult Religionem ingredi, quia ei licet ingredi: secus verò si id differat, nam tunc non ei licebit debitum negare. Ita communiter Doctores.

8 Denique nota, si sponsi intent, se matrimonium non consummasse, posse credi sponsæ id asserenti, si erat virgo, & talis appareat post aspectum matronarum, etiamsi ad domum sponsi traducta sit: si non erat virgo, & est traducta, non creditur; si verò non est traducta, creditur. Pilliucius *supra num. 53. vers. Denique*, Vide Sanchez *libr. 2. disput. 23. per totam.*

CAP. V.

De consensu ad matrimonium requisito.

DVB. I.

An mutuus consensus sit necessarius ad matrimonium.

1 DIco primò, de fide est, ad essentiam, & valorem matrimonij, requiri mutuum consensum: probatur ex Florentin. in decreto de matrimonio, & ante ex iure Canonico; *cap. cum apud, cap. tua de sponsal.* & alibi, & tenent communiter DD. Ratio est, quia in matrimonio interuenit mutua corporum traditio pro materia, & forma modo explicato *cap.3 dub. 5.* sed non fit traditio vni rei, quæ alterius erat sine illius consensu, vt patet in aliis contractibus.

2 Nota consensum dici causam matrimonij, non vt Sacramentum est, quia hoc pacto consensus voce expressi pertinent ad essentiam Sacramenti matrimonij, videlicet ad causam formalem, & materialem modo explicato, *supr.cap. 3. dub. 5.* sed vt est contractus naturalis, vt dictum est *supra loco citat.* sic enim est causa efficiens conuentionis maritalis in qua essentia matrimonij consistit, & ita dicuntur necessarij extrinsecè.

3 Dico secundò, hic consensus debet esse verax, efficax, ac deliberatus, vt diximus *cap. 1. de sponsalib. dub. 3.* Quare ebrij, dormientes, & pueri, qui nondum ad vsum rationis peruenerunt, non possunt validè contrahere matrimonium, ex defectu plenæ deliberationis, vt dixi *loco cit. dub.3.*

4 Dico tertiò, matrimonium, vt est contractus humanus procedens à voluntate tanquam à causa, nulla ratione potest esse absque consensu mutuo, etiam de potentia Dei; quia contractus iste, sicut quilibet alius, essentialiter coalescit ex dicto consensu, & ex pactione exteriori, sicut homo ex anima rationali, & ex corpore, vt pluribus Sanchez *lib.2. disp 26.*

5 Difficultas tamen est, an status ipse matrimonialis qui transacto contractu permanet, seu traditio corporum, aut vinculum coniugale possit fieri absque contrahentium consensu.

6 Dico quartò, potest Deus fœminæ tradere dominium corporis viri ad commixtionem carnalem, & è contra viro dominium corporis fœminæ ad eandem, absque eorum consensu: seu potest Deus, dare viro potestatem in corpus fœminæ absque illius consensu, & è contra. Ita Sanch. *lib.2.disp.26.* Filliuc. *tom.1. tract.10. part 1. capit. 3. numer. 68.* Hurtado *disp.3. de matrimon diff.6.n.15.* & communiter DD. Ratio est, quia Deus est omnium etiam corporum verus Dominus, non minùs quàm ipsi contrahentes, imò est supremus, & independens; ergo independenter ab eorum consensu posset dictum dominium mutuum tradere quod ipsi possunt. Non tamen poterit fieri à Deo ipsum vinculum matrimonij independenter à contrahentium consensu, seu absque ipsorum consensu. Ita Filliuc. & Sanchez *vbi sup.* Ratio est prima, quia consensus coniugum est de essentia vinculi matrimonialis. Secundò, quia vinculum matrimonij est mutuum animorū vinculū; ergo nequit fieri absque mutuo animorū consensu, Tertiò, quia vinculū matrimonij est relatio quædā consurgens ex mutuo coniugum consensu, tan-

quam

quam ex fundamento; ergo nequit absque illo fieri à Deo; sicut neque paternitas in aliquo absque generatione ab eo proueniente. Quartò, quia status Religiosus nequit fieri à Deo in aliquo absque eius consensu libero; ergo neque status matrimonialis: oppositum autem, & non improbabiliter, tenent Henriq.*lib.11.de matrimon.cap.1.* Coninch *disp.24. dub.5.*Valent. *disp.109. 3. punct.1.* & cum his Hurtad. *sup. num.17.* vbi hanc sententiam probare conatur, & oppositæ argumenta soluere, vide ibi; hanc etiam sententiam cum Ledesm. Soto, & aliis tenent Villalob. *1. part. tractat.13. diff.2. numer.1.* At quæstio hæc minus metaphorica est, & aliena à nostro instituto.

7 Dico quintò, humana potestas, etiam Ecclesiastica, non potest facere statum matrimonialem, seu coniuges coniungere absque eorum consensu. Sotus *dist.17.q.1.art.1.concl.2.* Syluest. *matrimon.2. q.15.* Nauarr. *consil.36.de sponsal.* Sanch. cum aliis *lib.2. disp.27.num.5.* & Doctores citati, ac alij communiter. Ratio est, quia Respublica tantum habet potestatem circa res, & corpora ciuium, quatenus publico bono expedit, cui non expedit, vt vir, & fœmina contra eorum voluntatem matrimonio coniungantur, quia sic semper haberet infœlices exitus: item, quia sic etiam posset matrimonium dissoluere; at matrimonium consummatum indissolubile est humana potestate; ergo, &c. Hinc est, vt in Trident. *sess.24. cap.9.* excommunicentur omnes Principes compellentes ad matrimonium: quare supponit, non posse compellere. Equidem in Republica humana nondum agnita est dicta potestas, sed tantum ad compellendum, vt contrahant cum consensu, & voluntariè, quando adest iusta causa, & id ob bonum commune, quo etiam in casu si ipsi non consentiant, matrimonium erit nullum. Hinc fit, Ecclesiam non posse supplere proprium, & verum consensum, sicut nec intentionem ministri in aliis Sacramentis, cum in hoc Sacramento etiam contrahentes sint ministri. Vide Henriq.*lib.11.cap.11.num.1.*

8 Dico sextò, consensus merè internus non sufficit ad validitatem matrimonij, sed requiritur quod hic internus exprimatur verbis, aut signis. Sanchez *lib.2.disp.30.*Bonac.*tom.1.q.1.de matrimon.punct.1. n.3.*& communiter Doctores, idque certum est apud Catholicos, teste Sanch. & probatur ex cap.*sufficiat 27.q.2.*cap.*cum apud de sponsal.l.nuptias ff de ritu nupt.* Et ratio est, quia si sumatur matrimonium quatenus est contractus, cum celebretur inter homines, debet consensus internus aperiri: si sumatur quatenus Sacramentum, debet constare signo sensibili; consensus autem merè internus non est signum sensibile ideo non potest ex illo componi Sacramentum, consequenter requiritur externus, & sensibilis.

9 Dico septimò, consensus exterior non solum sunt necessarij, vt conditio sine qua non sed etiam omnino necessarij, & essentialiter requisiti ad valorem matrimonij, aliter quod etiamsi Deus reuelaret vtrique mutuos consensus, non esset matrimonium. Sotus *dist.27.q.1 art.2.*Sanch.*lib.2 disp.30.*Coninch *disp.24 dub.8.* Basil.*lib.2.c.6.* Filliuc. *tom.1.tract.10. cap.3.num.78.*Hurtad.*disp.3.de matrim diff.15.n.46.* & alij. Ratio est, tum quia est contractus humanus, & humana pactio: homines autem pacisci non possunt solis consensibus internis, absque signis externis; ergo, &c. tum quia matrimonium est Sacramentum; at Sacramentum debet esse signum sensibile; ergo etiam vt contractus, debet esse sensibile, Christus enim tantum addidit rationem Sacramenti rei alioqui sensibili; denique, quia in matrimonio est externa traditio corporum; at per solos actus externos non fit traditio, ideoque votum internum non est traditio, nec professio. Nec obstat cap. *cum loco 14. de sponsal.* vbi dicitur: *Matrimonium solo consensu contrahitur:* nam ibi non excluditur externus, quid quòd ibi solum dicitur, non sufficere consensum coactum, & per metum, sed debere esse liberum. Nec obstat cap.*cum olim de sponsalib.* vbi habetur matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri, & mulieris consensum, sed necessaria verba quantum ad Ecclesiam, quia ibi condistinguitur consensus verbis expressus ab illo, qui nutibus exprimitur, & dicitur per quemlibet posse fieri matrimonium, quamuis verba fiot necessaria, vt clarè constet Ecclesiæ.

10 Dico octauò, ad valorem matrimonij etiam in potentibus loqui, non esse necessaria verba, seu vt consensus internus verbis expressis exprimatur, sed sufficere alia quæcumque signa sufficientia ad exprimendum consensum. Ita Vasquez *disp.3.c.7.*Sanch. *lib.2.disp.31.*Coninch *disp.24.dub.8.*Basil.*lib.2.c.7.* Nauarr.*c.22.num.10.* Syluest. *matrim.5.q.7.* Filliuc. *sup.num.79.* Hurtad. *loco citat.diff.13.n.49.* & communiter Doctores. Probatur primò, quia id supponitur à Concil. Florent. in decreto Eugenij IV. *§.septimum Sacramentum*, vbi dicitur, causam sufficientem matrimonij (id est vinculi) regulariter esse mutuum consensum verbis expressum: vbi dictio, *regulariter*, denotat illud posse aliis signis effici. Secundò, quia verba non sunt necessaria in ratione contractus, cum ij aliis signis possint celebrari: neque de ratione Sacramenti ex Christi institutione, quia etsi Christus eleuauerit contractum matrimonij ad esse Sacramenti, nihil tamen innouauit circa naturam illius: neque sunt necessaria verba ex iure Ecclesiastico, quia nullum extat, quod præscribat verba; nam in cap.*tua 25. de sponsalib.* tantum significatur, verba esse necessaria, vt matrimonium clarius constet Ecclesiæ: vel per verba intelligit quæcumque signa, inter quæ verba obtinent principatum. Ex quo constat, & est commune, & dixi *c.3.dub.6. num.vlt.* Sacramentum matrimonij solis nutibus validè posse iniri: & confirmatur, quia patre exprimente consensus nomine filiæ præsentis, & tacentis est verum matrimonium, *cap.vnico de sponsalib.in 6.*ergo sufficiunt signa, & nutus. Henriquez *l.11.c.2.n.6* & alij. Et quamuis Henriquez affirmet, ex præcepto Ecclesiæ exprimendos esse consensus verbis, *ex dict.cap.tua*; verius tamen negant Sanch. *loco citat.n.10.* Basil. Hurtad. Filliuc.& alij, quia nec *in d.cap.nec alibi.* tale præscribitur. Fatemur tamen, verba esse signa omnium clarissima, & ideò maximè conuenientia ad rem tanti momenti; quare esset ad summum venale, si potentes loqui, absque iusta causa contrahant per alia signa, & nutus, quando autem consensus redderetur dubius per sola signa, esset tunc peccatum mortale. Sotus *distinct. 27. quæst.1. art.3.* Filliuc. *sup. num.81.* Sanch. *loco citat.* & dixi *vbi sup.*

Quibus verbis contrahantur sponsalia, & matrimonium, dixi *cap.1.dub.7.per tot.*

Dvb. II.

Vtrum ad valorem matrimonij requiratur, quòd consensus actualis vtriusque sit simul tempore.

1 Dico primò, ad valorem matrimonij non requiritur, quòd consensus actualis vtriusque contrahentium sit simul tempore quasi continuò,

nuò, vnus scilicet post alterum, sed sufficit, vt sint simul moraliter, quatouis intercedat aliqua temporis mora. Ita communis Doctorum, probari potest primò *ex leg.1.§.1.ff. de verbor. signif.* Secundò, quia id procedit in aliis Sacramentis, & patet in pœnitentia, in qua pœnitentis actus solent præcedere absolutionem. Tertiò, quia id euenit in aliis contractibus: ex quo fit valere matrimonium, si parua interueniat distantia inter vtrumque consensum; secus si magna sit, ita vt prior consensus non censeatur saltem virtualiter manere, vt in sequentibus explicabitur.

Difficultas tamen est, an valeat matrimonium, si magna sit distantia temporis inter vtrumque consensum.

2 Sotus *in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3.* Sanchez *lib. 2. disput. 32.* Couarr. *4. decretal. 2. part. capit. 4.* Henriq. *lib. 11. de matrimon. cap. 3* Basil. *lib. 2. cap. 16.* docent, requiri, quòd non sit magna distantia inter vtrumque consensum actualem, aliter enim non censetur moraliter durare prior consensus, ac proinde ex priori consensu multum distanti à posteriori sic distante non potest fieri, & coalescere contractus matrimonij. Discrepant tamen Doctores in assignanda distantia, quæ obstet valori contractus matrimonij: nam Sotus existimat distantiam septennij obstare, Henriquez distantiam biennij, Ledesm. *quæst. 45. de matrimon. art. 2. dub. 7.* distantiam vnius anni: Sanchez verò & cum eo Filliuc. *tom. 1. tract. 10. cap. 3. num. 83.* docet, taxationem distantiæ remittendam esse arbitrio prudentis: ex quibus omnibus constat distantiam minorem ea, quæ ab eis assignatur, non obstare valori matrimonij.

3 Maior verò *in distinct. 27. quæst. 1.* Nauarr. *cap. 25. num. 8.* Coninch *disp. 24. dub. 7.* quos sequitur Hurtado *disput. 3. de matrimon. diff. 8. num. 25.* nullam distantiam temporis inter consensum actualem vnius, & inter consensum alterius, quamuis maximam, obstare valori contractus matrimonij, modò prior consensus permaneat saltem habitualiter; quia cum prior consensus duret saltem virtualiter, aut habitualiter, quotiescumque consensus alterius accedat, & coniungatur cum priori, fuit contractus, & Sacramentum, modò eliciatur posterior hic consensus intentione saltem virtuali efficiendi Sacramentum. Dictum est, *modò prior consensus permaneat saltem habitualiter*, si iam non duret, vel quia expressè reuocatus est; vel tacitè, aut implicitè; vt quando postquam consensit in vnam, consentit in alteram, certum est non valere matrimonium, quia non adest mutuus consensus.

4 Dico secundò, vtramque opinionem esse probabilem, & quamlibet posse tutè sequi. Ego verò inclinatem in secundam, in quam etiam inclinat Filliuc. *sup num. 85.* vbi agens de reualidatione huius consensus dicit: Item, quodcumque tempus interiaceat, satis est, quia semper qui verè consentit, alterum habet vt coniugem, & existimat valere matrimonium.

5 Sed quæres, an qui falsò existimat se esse inhabilem ad matrimonium, possit habere consensum sufficientem ad valorem illius, v.g. si dum contrahit, existimat adhuc viuere coniugem alterius contrahentis, aut falsò credit intercedere aliud impedimentum dirimens, cum reuera non sit.

6 Respondeo, & dico primò, si is non firmiter credat, sed tantum dubitet, sibi esse aliquod impedimentum dirimens, ac proinde esse inhabilem, potest habere consensum ad valorem contractus matrimonij, modò intendat contrahere eo modo, quo possit, ita Henriq. *lib. 11. c. 11. n. 5.* Villalob. *s. part. tract. 13. diff. 7 num. 9.* Hurtad. *disp 3. de matrimon. diff. 7 num. 53.* & alij. Ratio est, quia tunc potest habere consensum, seu intentionem efficacem tradendi dominium sui corporis, & se obligandi sub conditione, *si sit habilis, & possit*, nam tunc concipit, se fortasse esse habilem; quæ intentio cum sit efficax, & cum conditione de præsenti vera, & subsistente, sufficiens est ad validè contrahendum matrimoniũ. Quòd si firmiter, & absque hæsitatione, & formidine credit, se esse inhabilem (cum reuera non sit) ad matrimonium, Sanch *lib. 2. disp. 33.* Couarr. *4. decretal p 2 c. 3. §. 7.* Bonac. *tom. 1. q. 2. de matrim. punct. 9. num. 8.* & Filliuc *tom. 1. tract. 10. p. 1. c. 3. n. 89.* existimant, etiam nunc posse habere verum consensum ad matrimonium; quia reuera personæ sunt verè habiles, & nullum extat impedimentum dirimens. Et quamuis voluntas non possit esse rei impossibilis, potest tamen esse conditionatè nimirum si potest esse, vt est in casu dicto, vt ex pluribus docet Sanch. *vbi supra*, sicut hæreticus, qui absque formidine existimat Baptismum non esse Sacramentum, potest validè baptizare; quia potest baptizare sub conditione, si fortè sit Sacramentum. Nauarr. verò *cap. 22. num. 96.* Coninch. *disp. 24.* tenent partem negatiuam, quos sequitur Hurtado *disp. 3. de matrimon. diff. 7. num. 22.* quia nemo potest seriò, & efficaciter intendere, etiam sub conditione, *si forte possum*, id quod absque formidine credit esse impossibile: probabiliorem tamen existimo sententiam Sanchez, & aliorum, nam etsi talis intentio absoluta non possit esse efficax, non tamen implicat quòd conditionata non sit talis.

Dub. III.

De obiecto consensus, seu quid intendere debeant ipsi contrahentes.

Circa titulum dubij aliquæ difficultates se offerunt, quæ quibusdam quæstiunculis propositis elucidabuntur.

1 Quæres ergo primò, an ad essentiam, & valorem matrimonij requiratur, quòd consensus, seu intentio feratur, & tendat in mutuam corporum traditionem, seu mutuam translationem dominij corporum in ordine ad commixtionem carnalem. Respondeo affirmatiue, in quo conueniunt Doctores, vt refert Hurtado *disput. 3. de matrimon. diff. 3. numer. 7.* & tenet cum aliis Filliuc. *tom. 5. tract. 10 part. 1 cap. 3 numer. 72.* Ratio est, quia dicta mutua translatio est ipse primarius effectus, & per se resultans ex contractu matrimonij, & ad quem primariò ordinatur; at contractus matrimonij, sicut quicumque alius, essentialiter componitur ex consensu voluntatis, & ex pactione exteriori; ergo non minus consensus ipse, quam ipsa pactio exterior ferri debet in mutuam translationem dominij corporum ad commixtionem carnalem, quamuis non sit necessarium ferri expressè in eam translationem; sed sufficit confusè, tendendo videlicet in id, quod fit per contractum matrimonij, & ex ipso resultat, confusè apprehensum, & non expressum, adhuc pactione ipsa exteriori: vnde surdus, & mutus simul à natiuitate, si sit videns, & perspicaci ingenio, poterit validè contrahere matrimonium, quia signis, visu percepto poterit percipere, contractu matrimonij, quem videt aliquando celebrari, aliquid fieri ordinatum ad commixtionem

tionem carnalrm, ac proinde in id coosentire,& de eo signis pacisci: secua verò si etiam sit cæcus, vt cum Sanchez *lib.2.disp.*8. tenet Hurtado *supr. n.* 8. quia defectu visus, & auditus nequit adhuc confuse percipere contractum matrimonij, & eius primariom effectum.

2 Quæres secundò, an consensus matrimonij debeat ferri in copolam, seu an contrahentes debeant inteodere copulam explicitè, vt loquimur. Respondeo negatiuè, & hoc est commune, & certum, si loquamur de consensu explicito, seu intentiooe expressæ. Ratio est, quia ad valorem huius cootractus sufficit, quòd consensus expresse feratur in id, quod per ipsum fit; copula autem noo fit per contractum matrimonij, sed translatio dominij corporum vt dixi quæstiuncula prima; ergo consensua eapressus in copulam non est de essentia valotis matrimonij: vnde potest quis validè contrahere animo ingrediendi Religionem, *ex c.comissa de sponsalibus*. Et B. Virgo Maria verum contraait matrimonium, & tamen in copulam non consensit, nec etiam implicitè, quantum erat ex parte ipsius. Quare S.Thom. *in* 4. *d.*30.*q.*2.*art.*1.*q.*2.*ad* 3. ait Virginem implicitè consensisse (iotellige ex parte contractus) in copulam, at copula nunquam fuit iu proposito: nam erat certificata à Deo nunquam subsequi debere, ea quo fit, posse quempiam habere intentionem formalem non consentiendi in copulam, vt habuit B. Virgo, etiamsi ex parte contractus adsit implicitos consensus, vt dicetur. D. Thom. D Bonau. Sot. Couarr. & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *lib.*2. *disp.*38. & cum eo Filliucius *sup.n.*72.

3 Dubitant tamen DD. an saltem implicitè, & tacitè contrahentes debeant intendere copulam, seu an consensos implicitus io copulam sit necessarius ad matrimonium, de qoo S.Thom. *q.*48. *add art.* 1. communis tamen responsio est, ex parte contrahentia nō esse necessarium, qoia vt dictum est, potest quis validè contrahere, habendo intentionem formalem non consentiendi in copulam, vt haboit B. V. Maria, requiri tamen ex parte contractus, hoc est, vt cōtrahentes intendant matrimonium, & mutoam corporum traditionem directè, & eapresse; & quia ex his oritur ius petendi, & reddendi, ideo intendens hanc dominij translationem directè, censetur indirectè, & implicite seu tacite intendere copulam, cum hoc tamen benè stat, vt possit eam eapresè excludere, & contrahere eum animo nunquam vtendi matrimonio; sicut potest quis ordinari animo nunquam exerceodi ordinem, vide Heutiq. *lib.* 10. *c.* 4. Negari tamen non potest, dictum consensum debere aliquo modo ferri in copulā, quia debet ferri in motuam corporum traditionem in ordine ad copulam, & in mutnam obligatiooem radicalem ad eandem copulam, ac proinde aliquo modo debet ferri in copulam: at quia copula non est effectus dictæ traditionis, & dictæ obligationis, sed purum obiectum, aut eatremum; ideo quamuis debeat ferri directè in dictam dominij corporis traditionem, & in dictam obligatioem, non ideo fit, quòd debeat ferri implicite in copulam, sed tantum connotatiuè, & indirectè, & in obliquo, vt docet Hurtad. *de matr. disp.* 3. *diff* 5.*n.*13. quia id quod non est effectus, sed tantum purum obiectum, aut purum extremum non continetur, aut implicatur in eo, cuius est obiectum, aut extremum, ideóque fit intentionem contrariam copolæ, id est non vtendi matrimonio, non nocere valori contractus matrimonij, vt docent communiter DD. quia dicta intentio non est incompossibilis cum intentione tradendi dominium corporum ad dictum vsum, & se obligandi ad illum; quia dictæ traditio, & obligatio est sufficiens materia substantialis contractua matrimonij, & effectus immediatus illiua, ex quo semel posito necessariò oriuntur, reliqui effectus, si alij sunt.

Quæres tertiò, an consensus ad valorem contractua requisitus debeat ferri in tria bona matrimonij;

4 Nota cum communi ex S.Thom. *in* 4.*d.*31.*q.*1. *& in add ad* 3.*p.q.*49.*art.*1.*&* 2. io matrimonio tria bona constitui iotrinsece, & ex sua natura ab ipso matrimonio promanantia, videlicet bonum Sacramenti, prolis, & fidei quibus matrimonium eacusatur non quia malum sit, nam vt dictum est, de fide est, esse bonum, & Sacramentum, similiter & eius actus est bonus: sed quia per hæc bona compensantur tria onera, & detrimenta. Primum onus est perpetua seruitus, 1. Cor. 7. *Alligatus es vxori, &c.* hoc autem compensatur bono Sacramenti, quod affert gratiam qua cooiuges se diligunt, & tolerant. Secūdum onus est carnalis voluptas, quæ sæpè hominem de mentis statu deturbat, quod compensatur bono prolis, quæ educatur ad diuinum obsequium, & quamuis hæc nō semper sequatur matrimonium tamen iotrinsecè ea se ad huiusmodi finem dirigitur, & sufficit eam contrahentes intendere, ac proinde matrimonium sterilium tenet, vt infra. Tertium est nimia solicitudo placendi alteri coniugi habendi liberos, ipsos educaodi, & illis thesauriaandi, quod compensatur bono fidei, id est fidelitatis, qua coniuges sunt obligati ad reddendum sibi debitum, & negandum alteri cuicūque. Obiter nota supradicta tria bona reperiri in matrimonio in statu innocentiæ, tum etiam in matrimonio B. Mariæ semper Virginis, non tamen in his dicebant eacusare per accidens, quia scilicet in his deficiebant detrimenta. Ledesma *de matr. in sum.c.*9. His notatis,

5 Dico primò, ad hoc vt matrimonium validè contrahatur essentialiter, requiritur, quòd consensus, seu intentio feratur saltem implicitè, & confuse in booum Sacramenti, id est, in dissolubilitatem, & vitam indiuiduam, seu in perpetuam corporum traditionem: est commune. Ratio est, quia de ratione matrimonij est, quòd sit vincolum perpetuum, fertur autem implicite consensus in perpetuitatem, eo ipso quòd cootrahentes efficere intenduat quod ipso cootractu fieri potest, aut quod solet ab aliis fieri, vt docet Hurtado *disp.* 3. *de matrim. diff.*4. *n.*9. imò vt docet Filliuc. *tom.*1. *p.* 1. *c.* 3. *n.*74. censetur id implicitè intendere, dum non habeoi intentionem contrariam. Difficultas maior est de aliis duobus bonis.

6 Dico secundò, ad valorem huius contractus, eiusque naturam, non est necesse, quòd coosensus, seu intentio feratur in alia duo bona, nempe in generandam prolem, & in fidem seruandam, vt docēt citati, & communiter DD. vnde non est necessarium nec implicitè hæc iotendere. Ratio est, quia non est oecessariom, vt coosensus feratur in id, quod non fit per ipsum contractum, sed hæc non fiunt per ipsum, sed potius corporum traditio, seu translatio dominij in corpus; ergo hoc, & non illa debent contrahentes intendere. Imò valet matrimonium, etiamsi contrahentes, habeant intentionem contrariam his duobus bonis, vt si contrahentes habeant iotentionem contrahendi animo impediendi generationem, aut non seruaodi fidem (modò huiusmodi intentio non deducatur in pactum, vt dicetur infra, vbi de consensu conditionato. (Ita Sanch. *lib.* 2. *disp.*24. Coninch. *disputat.*24. Filliuc. *loc.cit* & Hurtado *sup.n.*10. contra Henriq. *lib.*11. *de matrim.c.*12. Ratio, quia hæc intentio non est incompossibilis cum intentione necessaria ad valorem matrimo-

nij, & illius rei, quæ fit per matrimonium, videlicet corporum traditio, & translatio domioij immediatè, & primariò in ordine ad commixtionem carnalem: quidquid enim aliud fit, est resultans ex ipsa traditione, & mutua obligatione, absque aliquo consensu superaddito: quòd autem supradictæ intentiones non sint incompossibiles, probatur, quia vitare prolem, & non seruare fidem non dicunt incompossibilitatem cum intentione tradendi mutuò corpora in vsum coniugalem; ergo neque intentio non seruandi fidem, vel vitandi prolem dicont incompossibilitatem cum intentione tradendi mutuò corpora in vsum coniugalem.

7 Quæres tertiò, quem finem intendere debeant contrahentes, vt licitè; & absque peccato contrahant matrimonium. De fide in vsu, & copula coniugali infra.

8 Dico primò, licet absque peccato contrahere matrimonium, intendendo principaliter, & primariò generationem prolis, Sanchez cum aliis, *lib.2 disp.29.q.3.* Filliuc. *tom.1.tract.10.c.3. num.75.* & Hurtado *disput.4 de matrimon. diff.3. num.7.* & communiter DD. Ratio est, quia contractus matrimonij in eam primariò, & principaliter ordinatur. Similiter licitum erit contrahere matrimonium, intendendo minus principaliter remedium concupiscentiæ, si habeant pro primario fine prolis generationem, quia sic nulla datur deordinatio, nam in hoc remedium secundariò matrimonium ordinatur: ideóque in hoc etiam conueniunt DD. teste Hurtado *supra.*

9 Dico secundò, contrahere matrimonium, intendendo solùm, aut primariò, & principaliter remedium concupiscentiæ, seu vitare fornicationem, conueniunt DD. non esse mortale; esse tamen veniale docet Petrus Soto *resolut.16. de matrimon.* quod limitant Sanchez *disp.29.cit.* & Filliuc. *supra n. 76.* vt tantùm sit verum, quando contrahentes secundum communem spem possunt generare filios, nam tunc videtur aliqua deordinatio in fine, etsi leuis, contra rationem, secus verò, quando non possunt, nam tunc non est contra rationem, solum aut principaliter intendere remedium concupiscentiæ. At Coninch *disput.25. n.17.* Basil. *lib.1. cap.21.* & cum his Hurtado *sup. n.9* docent adhuc nec esse veniale, quod insinuat Paulus 1. Corinth. 7. dum nulla facta mentione generationis, & absque distinctione aliqua contrahentiū, ait: *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat.* Ratio est, quia finis iste est licitus, & honestus, imò, & proprius huius contractus, quamuis in eum sua natura secundariò ordinetur; ergo poterit licitè primariò, & principaliter à contrahente intendi, quia nulla lex cogit, vt opus aliquod assumatur ob finem principalem: aliàs sterilis, quamuis iuuenis, non posset licitè contrahere matrimonium, si graues carnis tentationes sentiat, quod est absurdum. Ob has rationes videtur hæc opinio valde probabilis, etsi probabilior videatur opinio Sanchez.

10 Dico tertiò, quando matrimonium non contrahitur ratione copulæ, licitè contrahitur, etiamsi non intendatur bonum prolis, vel remedium concupiscentiæ, vt in matrimonio B. Mariæ semper Virginis, nam tunc finis eius proximus est tantum mutua animorum coniunctio, & coniugum sanctificatio. Caietan. *tom. 1. opuscul. tract. 12. de matrim. quæst.3.* P. Sotus *relection.16. de matrim. num.18.* Filliuc. *tract.10. part.1. cap.3. num.76.* Ex quo fit, etsi regulariter loquendo, sit peccatum mortale, contrahere animo non vtendi matrimonio, nam fit iniuria alteri coniugi; at si iusta causa intercedat, nullum est peccatum, sic Beata Virgo Maria non peccauit, quia ex reuelatione sciebat, Ioseph non esse petiturum. Vide Henriq. *lib. 11. de matrimon. cap.4.* & Ledesm. *in sum. cap.9.*

11 Dico quartò, si contrahentes principaliter intendant alios fines extraneos à matrimonio, vt pacem, diuitias, pulchritudinem, nobilitatem, &c. peccant venialiter: secus si secundariò intendantur, & sint causa secundaria, & applicans ad contrahendum. Sanchez *disp.29. num.21.* Contra P. Sotus & Filliuc. Prior pars patet, quia videtur aliqua, etsi leuis, deordinatio in fine. Secunda patet, quia cum ij fines sint liciti, & honesti, & ex alio capite nulla sit deordinatio in intentione finis, cum primarij principaliter intendantur, vt supponimus, & sic tantum secundariò, sequitur tunc nullum esse peccatum. Nihilominus tamen nullum esse peccatum, principaliter intendere hos fines extraneos, non improbabiliter docent Sotus *in 4. dist. 20. quæst. 1. artic. 2.* Basilius *lib. 1. capit. 21.* Coninch *disp.25.* & cum his Hurtado *disput.4. de matrim. diff. 3. num. 12.* quia non est contra rationem intendere principaliter finem honestum, etsi secundarium; sicut nihil inordinatum facit, qui orationem dirigit ad castitatem, quæ est minus bona, quàm Religio; quia verè ordinat ad id, ad quod potest ordinari, & aliàs est licitum, & honestum: aliàs senes, qui iam steriles sunt, & non patiuntur graues stimulos carnis, non possent licitè contrahere matrimonium, quia ij non possunt contrahere ob neutrum finem proprium ex dictis. Etenim contrahens matrimonium ob fines ei extraneos licitos, nullam iniuriam irrogat Sacramento, modò positiuè non excludat) tunc enim grauem ei irrogaret iniuriam, & committeret peccatum mortale sacrilegij.

DVB. IV.

Quomodo reualidandum matrimonium inualide celebratum, ob defectum consensus, vel aliud impedimentum.

1 NOta matrimonium, aliquando esse inualidum solum ex defectu veri, & legitimi consensus, nullo impedimento dirimente existente, vt si non verè, sed fictè tantum consensit, aut si per vim, & metum consensum præbuit: aliquando esse irritum ob aliquod impedimentum dirimens publicum vel occultum: aliquando verò ex defectu Parochi, aut testium. In hoc dubio solum agemus de primis duobus modis, de tertio verò, vbi de matrimonio clandestino.

2 Dico primò, si personæ sunt habiles ad contrahendum, fuit tamen matrimonium inualidum solùm defectu consensus interni, vel ratione grauis metus, ex parte alterius tantum, sufficit ad validitatem matrimonij, vt qui fictè consensit, aut per metum reuera, & liberè de nouo consentiat, modò alter sponsus, qui reuera, consenserat, permaneat in priori consensu. Ita Nauarr. *cap.22. num.51.* Henriquez *lib.11. cap.3. num.6.* Coninch. *disp.24. lib.10. numer.8.* Filliuc. *tom. 1. tractat. 10. 1. part. cap. 3. num.84.* Hurtad. *disput.3. de matrim. diff. 9. n. 31.* Villalobos *tractat. 13. diff 7. num.7.* Bonacin. *tom.1. quæst.2. de matrim. part.9. num. 1.* & cum aliis Sanchez *lib.2. disp.32. num.9.* Ratio est, quia ex parte alterius adsunt omnia requisita, cum reuera interius, & exterius consenserit, censeturque talis consensus permanere, donec non constat illum reuocasse,

casse, ideoque quando qui fictè consensit, de nouo reuera præstat consensum, fit vt duo consensus iungantur, & efficiant matrimonium, vt dixi *hoc cap. dub.2.verf. Maior.* vbi dictum est, hoc esse verum, quamuis magna distantia temporis intercesserit, modò alter non reuocauerit suum consensum; nam si non reuocauerit, censetur permanere propter indiuiduam consuetudinem matrimonij, & illius vsum, bona fide: quo in casu etsi tutius sit, quando fieri potest, vt etiam alter renouet consensum suum, non tamen est id necessarium, sed sufficit, vt qui fictè consensit, de nouo consentiat; quæ quidem renouatio poterit fieri solo actu interno, vt contra Henriq. *sup.* Basil. *lib.4.cap.14.* Coninch. *loco citat.* & Hurtad. *vbi supra*, docent DD. citati, quia signum sensibile, & externum iam fuit adhibitum in contractu solemni, cui solum deerat internus consensus, sicut qui fictè procuratorem constituit, sufficit, si interius fictionem reuocat, vt valeat mandatum. Nec requiritur in hoc casu, aliquid dicere alteri coniugi ignoranti hunc defectum, nam ex parte ipsius non requiritur nouus consensus, vt dictum est, ita Sanch. *supra num.* 10. Bonac. *num.2.* Coninch. & alij. Nec requiritur ad huiusmodi renouationem consensus, quòd iterum adhibeantur testes, & Parochus, vt docent DD. citati; quia iam fuerunt hæc adhibita à principio contractus, quando matrimonium fuit solemniter celebratum; præsentia enim Parochi, & testium requiritur, quando matrimonium contrahitur secundùm omnes partes, non verò quando suppletur aliquis defectus occultus. Henriq. *vbi sup.n.2.* Nauarr. *cap.22. n.70.* Sanch. *loco cit.n.13.* & *disp.37.n* 4. & cum aliis Bonac. *sup.n.4.*

3 Ex hac conclusione sequitur, posse supradictum matrimonium reualidari per copulam affectu maritali habitam, quia per eam sufficienter exprimitur consensus interior, ex cap. *ad id de sponsalib.* quod non est à Trident. correctum, sed tanquam casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis, & docent Henriq. *lib.1.cap.16 num.3.* Lopez *in 2.part. instruct.cap.4.* vbi etiam tenet reualidari tale matrimonium, quando vir vxorem solemniter ad domum traducit, & cum ea cohabitat, quia omne id est signum consensus exterioris. Villalob. *1. p. tract.13. diff.7.n.8.*

4 Dico secundò, quando matrimonium fuit inualidè celebratum, defectu consensus vtriusque contrahentis, vel propter metum vtrique incussum, ad eius reualidationem requiritur, quod ambo contrahentes renouent consensus, seu de nouo consentiant aliquo signo exteriori, ita Bonac. *num.3.verfic. Adde.* Henriq. Sanch. Filliuc. & alij contra Syluest. *verb. Matrimonium 2.qu.11.* & alios asserentes sufficere renouationem interiorem. Probatur conclusio, & ratio fundamentalis est, quia cum vterque consensus fuerit nullus, matrimonium perinde se habet, ac si nunquam fuerit celebratum; ideoque requiritur, vt ambo consensus aliquo signo exteriori renouentur, non autem requiritur noua præsentia Parochi, & testium, vt dictum est, *concl.1.* Vnde manente tali errore, non reualidatur tale matrimonium per copulam affectu maritali habitam, nisi accedat mutuus consensus, habita scientia seruitutis. Ratio est, quia errore seruitutis consentit in eam, quam credit esse suam, & censetur tantummodo ratificare priorem consensum, & contractum, qui est inualidus propter errorem personæ, vel conditionis. Bonac. *q.3.punct.2.n.6.* An quando supposita scientia erroris, renouentur consensus, requiratur noua præsentia Parochi, & testium, infra. Aduertit tamen Sanch. *lib. 2. disp. 11.* eum, qui fictè contraxit (idem de eo qui illegitimè scienter) tantum teneri ad reparandum damnum ex dicta fictione sequutum, & non ad verè contrahendum, nisi quando damnum est notabile, & non possit reparari, nisi contrahendo, sed de hoc *infra hoc dub. verfic. Sed quæres.*

5 Dico tertiò, quando matrimonium fuit inualidum propter aliquod impedimentum dirimens, necessarius est ad eius reualidationem, post impetratam dispensationem, aut aliàs cessante impedimento, nouus vtriusque consensus, nec sufficit eius, qui nouit impedimentum. Henriq. *lib.12.cap.11.* Coninch *disp.24. dub.10. num.95.* Nauarr. *cap.22.n.47.* Villalob. *1.par.tract.14. diff.32. n.2.* Filliuc. *tom.1. tract.10.part.1.cap.3.n.89.* Sanchez cum aliis, *lib.2. disp.35.* & Bonac. *tom.1.quæst.2.de matrimon. punct. 9. num.6.* Ratio est, quia ab initio vterque consensus fuit omninò nullus, & inualidus; eo quòd personæ erant inhabiles, ac per inde est, ac si nunquam fuisset consensus, proindeque vterque est renouandus aliquo signo exteriori, vt dictum est *concl.2.*

Difficultas tamen est circa hanc tertiam conclusionem, an conscius impedimenti, eo cessante, teneatur certiorem facere ignarum coniugem de nullitate matrimonij, ad hoc vt de nouo consentiat, & reualidetur matrimonium.

6 Caiet. *tom.1.opusc. tract.12. quæst.2.* Sotus *in 4. dist.28.q.1.art.2.* Petrus Ledesma, Angelus, & alij docent sufficere, vt conscius impedimenti, eo iam sublato, obtineat de nouo consensum ab altero coniuge, nec teneri hunc dicere alteri, matrimonium fuisse nullum, sed satis esse, vt inducat ignarum, vt maioris amoris causa renouent consensum, id est, dicendo mutuò, *Ego te accipio in coniugem*, aut in signum consensus se amplexando; quia hi consensus videntur sufficere, cùm iam sint personæ habiles. Addunt aliqui, huiusmodi matrimonium reualidari, copula affectu maritali habita quamuis alter nullitatem ignoret, quia copula videtur signum sufficiens consensus coniugalis: propter quam rationem posset reualidari copula dicto modo habita, etiamsi vterque ignoraret nullitatem.

7 Nauarr. verò *cap.22. num.47.* Couarr. *4. decretal.part.2.cap.4. num.5.* Henriquez *lib.11.de matrimon.cap.5.* cum Basilio, Hurtado *disp.3. de matrim. diff.10. num.36.* Gutierr. *de matrimon. cap.47. n.4.* Sanchez *lib.2.disp.36. num.4.* Villalob. *sup. num.6.* & alij existimant, ignarum impedimenti, seu nullitatis matrimonij, non posse de nouo validè consentire, nisi illi constet matrimonium fuisse nullum, consequenter conscium nullitatis teneri notificare ignoranti, matrimonium fuisse nullum in communi, tacendo causam nullitatis, maximè si ex manifestatione sequatur infamia, aut scandalum. Ratio est, quia cum hic consensus fuerit nullus, renouandus est ac si nullo modo præcessisset, consequenter requiritur intentio tradendi corpora de nouo, & de nouo se obligandi: ille autem, qui credit fuisse validum non censetur habere intentionem tradendi de nouo dominium corporis, & de nouo se obligandi adhuc sub conditione, *si fortè contractus fuit nullus*, quia ille non concipit, fortè fuisse nullum, imò conditionem hanc iudicat impossibilem; ergo ad reualidandum huiusmodi contractum requiritur aliqua notitia nullitatis. Etenim nihil magis contrarium consensui, quàm error, *leg. si per errorem, ff. de iurisdictione omnium iudic.* sed ignorans impedimentum consentit ex errore, & forsan si id sciret, non consentiret; ergo manifestanda est illi

nullitas matrimonij. Quod quidem confirmat e videtur clausula Bullæ Cruciatæ, vbi concedit Pontifex Commissario generali facultatem dispensandi cum his, qui contraxerunt in gradu prohibito ignoranter, illis verbis: *altero impedimentum ignorante, prius de nullitate consensus certificato*, de quo dixi in expositione Bullæ *lib.2. §.4.dub.1.* Addit tamen Hurtado, & bene, in hoc casu sufficere in coniuge ignato notitiam formidolosam, qua iudicet, contractum fuisse nullum, quia hæc sufficit, vt sic formidolosè iudicans, intendat, serio tradere dominium sui corporis, & se obligare sub hac conditione, *si fortè non est traditum*, vel, *si fortè contractus fuit nullus*, quæ conditio in hoc casu est vera, & subsistens, & eam non iudicat impossibilem.

8 In hac ergo difficili quæstione, saluo, &c. dicendum mihi videtur primò, manifestandum esse coniugi ignoranti occultum impedimentum, seu nullitatem matrimonij, quando id commodè potest fieri absque periculo, scandalo, aut graui damno, & tunc reuelandos esse vtriusque consensus per verba de præsenti: hoc enim modo tollitur omne dubium inualiditatis matrimonij, cùm vterque de nouo consentiat, habita notitia inualiditatis matrimonij. Ita Bonacina *sup.n.7.vers. Sed mihi.* cum Sanchez, Gutier. & aliis secundæ opinionis.

9 Secundò dico, si impedimentum dirimens sit error personæ, aut seruitutis, requiritur necessariò ad reualidationem talis matrimonij, vt ignatus fiat certior de tali errore, semper manet idem impedimentum dirimens, & inhabilitas personarum, consequenter consensus erunt irriti, & matrimonium inualidum, ideoque tunc requiritur, vt habeat notitiam erroris personæ, aut seruitutis, vt validè reualidari possit tale matrimonium, vt dedocitur ex cap.2. *& fin. de coniug. seru.* & docent Henriquez *lib. 11. cap.6.* Filliucius *tom.1. tractat. 10. part. 1. cap.3.num.90.*

10 Tertiò dico, quando impedimentum dirimens non est error, sed aliud impedimentum dirimens, v. gr. consanguinitas, aut quia tunc viua erat prior coniunx, sublato impedimento per dispensationem, aut mortua priore vxore, si alter coniunx non potest fieri certior de nullitate matrimonij absque graui periculo, potest reualidari hoc modo, videlicet, vt coniunx conscius impedimenti iam sublati iubet dissimulanter, vt alter coniunx renouet consensum, petendo ab illo, vt pro sua consolatione habeat ipsum in coniugem, & ipse similiter dicat: *Ego quoque volo te in coniugem.* Filliucius *supr. vers. Secundò.* Vel dicat marito, se scrupulis angi de consensu legitimo, quia credit, aut dubitat non consensisse rite, & rectè, & petat, vt pro sua consolatione habeat illam in vxorem, modo dicto. Quo in casu, ad reualidandum tale matrimonium, sufficit, vt renouatio consensus procedat ex cognitione æquiualenti scientiæ nullitatis, vt si coniunx impedimenti conscius diceret alteri: *Menè ita diligis, vt si non esset inter nos matrimonium, denuò contraheres, & ex nunc vis me in coniugem?* Quo affirmante, alter dicat, se quoque idem velle, & sic reualidatur matrimonium. Filliucius *n.91.* & cum Sanchez Villalobos *sup.n.7.*

11 Dico quartò, quando nullitas matrimonij, non potest manifestari absque graui periculo, aut scandalo, nec vllus consensus, etiam conditionalis, extorqueri possit, modo explicato *in 3.dicto*, vt si vir non sit hilaris, nec velit respondere, & ex alia parte petat debitum, & vxor nequeat absque scandalo negare, probabile est, tunc reualidari matrimonium, si ipsa copulam affectu maritali habeat; nam sic ipsa videtur de nouo consentire; sicut etiam vir censetur consentire, cùm habeat copulam affectu maritali, putans matrimonium esse validum. Ita Sanchez *lib.2. disput.36. num.9.* Gutierrez *cap. 47. num.4.* Rodrig. *2. part. cap.220. num.1.* Coninch. *disp.24. dub.10. num.26.* Villalob. *1. part. tract.14. diff.32. num 8.* Filliucius *tom.1. tractat. 10. part. 1. cap. 3. num.92.* & dicit probabile Bonacina *tom.1.quæst.2. de matrim punct.9. num. 7. verb. Maior.* non quidem ob rationem dictam, quia non multum vrget sed propter tantorum Doctorum authoritatem, quo in casu potest habere locum prima sententia. Addit Henriquez *lib.11.c.3.n.6.* & cum eo Villalobos *sup.* id procedere, etiamsi coniunx conscius impedimenti iam sublati, credat alium coniugem impedimenti ignarum non consensurum, si conscius factus fuisset impedimenti: sufficit enim, quòd non habeat contrariam intentionem, ideoque non obstat illa habitualis animi præparatio de non consentiendo, vt etiam docet Petrus Ledesma *de matrim. quæst. 45 art.3.dub.vlt.*

12 Hinc patet, quomodo reualidanda sint sponsalia, aliàs nulliter contracta, defectu consensus, siue veri, siue legitimi; nam omnia possunt proportionabiliter huic casui applicari, excepta copula, nam inter hos nullo modo est licita, vt dictum est c.1. vide Hurtado *disp.3. de matrim diff.10.n.38.*

13 Difficultas etiam est, vtrum ad reualidandum contractum matrimonij nullum, coram Parocho, & testibus celebratum, necessarium sit iterum coram Parocho, & testibus contrahere, obtenta impedimenti dirimentis dispensatione. Solutio huius quæstionis patet ex dictis in quæstione antecedenti: nihilominus tamen claritatis gratia,

14 Dico primò, si impedimentum sit publicum, certum est, reuocandos esse consensus coram Parocho, & testibus. Idem dic, si adsit periculum, vt matrimonium plenè probetur in iudicio, & dissoluatur matrimonium in foro externo. In hoc conueniunt Doctores, & meritò, quia ex hoc matrimonio non reualidato coram dictis possunt oriri incommoda, quæ Tridentinum *sess.24. cap.1.* suo decreto intendit impedire, quia in hoc casu coniuges, post reualidationem non factam coram Parocho, & testibus, poterunt se deserere, & cum aliis contrahere, absque eo quòd Ecclesia possit eis resistere, quia prior contractus fuit publicè nullus; & posterior, vtpote factus absque præsentia dictorum, non potest ab Ecclesia iudicari validus, ex defectu probationis requisitæ à Tridentino faciendæ, testimonio videlicet Parochi, & testium: ideoque quotiescunque adest periculum, quòd impedimentum probari possit in foro exteriori per duos testes, requiritur, vt renouentur consensus coram Parocho, & testibus, vt benè cum Sanchez *supra num. 11.* tenet Villalob. *loco citat. num.3. vers. Tambien.* & Hurtado *sup.*

15 Dico secundò, quando impedimentum est occultum, si quando matrimonium à principio celebratum coram Parocho, & testibus, impedimentum erat notum Parocho (intellige extra confessionem) aut vni ex testibus, requiritur necessariò, quòd reualidatio fiat coram Parocho, & testibus. Henriquez *sup. num.7.* Villalobos *loco cit. num.3. fin.* Bonac. *num. 10.* Filliuc. *sup. num.94.* Sanchez *disp.3. num.10.* & alij: nam in hoc casu tale matrimonium non fuit validum, nec in foro interiori, nec exteriori, quia Parochus, aut testes non fuerunt testes validitatis, sed nullitatis, ac perinde se habet hoc matrimonium, ac si nunquam fuisset celebratum coram Parocho, & testibus. Probabile tamen

men est, si vnicus tantùm testis illud sciat, non requiri nouam præsentiam Parochi. Quòd si tempore, quo Parochus, & testes aftuerunt, ignorabant impedimentum, licèt postea ad illorum notitiam deueniat, taliter quòd non sit probabile in foro exteriori, non erit necessaria noua præsentia Parochi, & testium. Vide Henriquez *lib.* 11. *c.* 3. *n.* 6. Ledesma *in summ. cap.* 7. *de matrim. concl.* 1. *dub.* 4. Sanchez *sup. num.* 9.

16 Dico tertiò, si impedimentum fuit occultum, & ignotum Parocho, aut vni ex testibus, ita vt non possit probari in foro exteriori, & matrimonium à principio fuit celebratum coram Parocho, & testibus, postea sublato impedimento, quando consensus reualidantur, non requiritur noua præsentia Parochi, & testium, quamuis tale matrimonium, mala fide, ex parte vtriusque fuerit contractum. Ita Nauarr. *cap.* 22. *n.* 70. Coninch. *disp.* 24 *dub.* 4. *num.* 3. Hurtado, Fillliuc. Villalobos, & cum aliis Bonacina *sup. num.* 10 & Diana 1. *part. tract.* 15. *resol.* 5. Probatur primò, quia idem dicimus, quando reualidatur matrimonium, quod fuit nullum ex defectu consensus; at eadem ratio hîc militat, cùm vtrumque matrimonium fuerit nullũ. Secundò, quia hic casus non comprehenditur in Tridentino *sess.* 24. *c.* 1. *de matr.* nam intentio Tridentini requirentis præsentiam Parochi, & testium, fuit, impedire peccata consurgentia ea clandestino; at id non militat in hoc casu, in quo prius matrimonium, quamuis fuerit inualidum in foro conscientiæ, tamen in foro Ecclesiæ validum fuit, & publicum, ideóque ratio legis non se extendit ad hunc casum, vt pluribus Sanchez *disp.* 31. & docent citati.

17 Oppositum autem tenent Gutier. *libr.* 1. *qq. can. cap.* 18. & Basil. *lib.* 5. *cap.* 6. Fundantur, quia post Tridentinum matrimonia absque præsentia Parochi, & testium irritantur. Secundò, quia in dispensationibus solet apponi hæc clausula: *Si ita est cum eis, vt inter se publicè, & seruata forma Tridentini contrahant dispensa, &c.* Quæ quidem sententia, etsi tutior videatur, consequenter sit valdè expediens, vt renouentur consensus coram Parocho, & testibus quotiescunque commodè fieri possit valde tamen probabilis, & tuta est nostra sententia. Et ad primum argumentum iam dictum est, legem Tridentini, eiusque causam finalem non se extendere ad hunc casum, eo quòd iam fuerit tale matrimonium, & coram Parocho, & testibus publicè celebratum: Nec obstat secundum, quia in Bullis sæpè conceduntur aliqua non prohibita, nec irrita, & in eis à Pontificibus dispensatur, quando est difficultas aliqua, an sint prohibita, aut irrita (vt contingit in hoc casu) & hoc quidem ad tollendos scrupulos, & pacandas conscientias.

18 Nota, tales contrahentes, si iam receperunt benedictiones, non esse iterum benedicendos, seu non teneri de nouo illas recipere: tum quia non sunt de substantia: tum quia communiter periculum esset scandali. Sanchez cum aliis *disp.* 37. & Bonacina *supr. num.* 11.

19 Quando autem confessarius teneatur admonere coniuges ignorantes de matrimonij nullitate, diximus in materia pœnitentiæ, vbi de prudentia confessarij, *cap.* 10. *dub.* 11. vide etiam Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *part.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 10.

20 Sed quæres, an qui fictè contraxit, teneatur tollere fictionem, & iterum verè contrahere. Sanchez *lib.* 1. *disput.* 11. & cum eo Hurtado *de matrim. disp.* 3. *diff.* 8. existimant non teneri, sed tantùm ad resarciendum damnum ex hoc sequutum, nisi quando damnum est notabile, & non potest aliter resarciri: idem asserunt de eo, qui scienter illegitimè contraxit. Verius tamen existimo, hunc præter mortale peccatum sacrilegij, quod commisit, teneri, regulariter loquendo, in vtroque foro, cum vero consensu, per reualidationem, fictionem tollere, propter iniuriam illatam fœminæ, ob quam ipsa in in illum acquisiuit dominium; vnde non est absoluendus deceptor, donec (si habilis adhuc est) matrimonium verò consensu ratificet. Nec obstat, si dicas, fictè professum non teneri (secluso scandalo) ratificare professionem; nam hic non intulit graue damnum Religioni. Henriquez *lib.* 11. *capit.* 11. *num.* 3. Ledesma *in summ cap.* 5 *de matrim conclus.* 5. Dixi, *regulariter*, quia aliquando excusari potest. Primò, si fœmina virum decepit, fingens se virginem, nam deceptio deceptione eligitur. Secundò, si est notabilis disparitas, vt si vir sit filius Ducis, ipsa verò mulier ordinaria, tenetur tamen in hoc casu damnum secundùm prudentiam reficere. Tertiò, si post fictum matrimonium cum alia verè contraxit. Quartò, si ex matrimonio aliquis malus exitus timeatur. Sic Doctores citati, & dixi latè *hoc lib. cap.* 1. *dub* 4 *de sponsal. fict.*

21 Aduerte vxorem non teneri, imò nec debere fidem adhibere deceptori asserenti, se non consensisse; esset enim occasio dissoluendi plura matrimonia: sed potest esse moraliter certa de primo consensu, videlicet, quod verè contraxit, sicut Ecclesia de tali matrimonio præsumit. Limita tamen, nisi fortè vir fecerit protestationes coram viris fide dignis, se metu, vel vi contrahere; vel solùm velle decipere fœminam; aut sit inæqualis valde conditionis sit: de quibus Sylu. *matr.* 4. *n.* 11. Nauarr. *c.* 22. *n.* 77. *n.* 78. In quibus casibus posset vxor tali viro credere, & cum alio ducere, interueniente tamen iudicis Ecclesiastici authoritate. Henriquez *sup num.* 4. Ledesma *loc. cit dub. vltim.*

22 Ex his sequitur, si Petrus v.g. duxit fictè Franciscam, & postea verè Ioannam, cogitur tamen postea habitare cum Francisca, non posse id facere, si est periculum scandali, nec potest debitum reddere, etiamsi sub censuris cogatur, vt est definitum *in cap. inquisitioni de sentent. excom.* quòd adeò verum existimat Ledesma *dict. c.* 5 *concl.* 5 *dub.* 3. vt oppositum reputet temerarium, & erroneum, nam nullum est matrimonium.

23 Dices, quid ergo erit remedij? S. Thom. *in add. quæst.* 45. *articul.* 5. *ad* 4. aliqua adfert remedia. Si agamus de viro: primum est, vt recedat in longinquum, & si fieri possit, secum veram vxorem. Secundum est, vt ferat patienter censuras. Tertium, vt suadeat primæ, se non habuisse verum consensum. Quartum, vt fiat Religiosus, si verum matrimonium non est consummatum; non tamen tenetur fieri Religiosus (vt quidam putant) quia durissimum medium est. At si fœmina est, fugiat, si possit, & ingrediatur Religionem, vt aduertunt Sylu. *debitum coniugale quæst.* 5. Nauarr. *cap.* 6. *n.* 18. Non enim tenetur cohabitare cum viro, nisi adsit scandalum: at si periclitetur continentia, non obstante scandalo, non potest simul cohabitare, vt docet Ledesma citatus. Quòd si nec fugere, nec contra niti potest, Sotus *dist.* 18. *quæst.* 1. *artic.* 2. *ad* 3. refert Magistrum, & alios dicentes, non peccare dum patitur oppressa, vt de B. Luciæ verbis colligit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. *ad* 3. Vltimum remedium erit, vt procuret diuortium, si vir est adulter, & dotæ conditionis, & interim nec reddat. Sanchez *lib.* 1. *de matrim disput.* 39. Vnde non est audiendus Molfesius *in sum. tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 14. *numer.* 90. asserens, teneri reddere, eo quòd aliter in

in bona fide existens vtitur iure suo, sicque, ait, potestis, qui scit impedimentum dirimens, permittere alteri, vt suo corpore vtatur, reddendo ei debitum, ad vitandum publicum scandalum, ac mortem, quo in casu intentio obtinendi dispensationem poterit illum excusare à committendo nouo peccato; nam illa, (inquit,) fornicatio erit materialis, & magis tenetur alteri non facere apertam iniuriam, quàm vitare periculum fornicationis materialis: secus tamen si vterque id sciat, quia tunc ex nulla parte excusari potest. Hæc Molfesius, quod tamen non placet Dianæ 4. *part. tract.* 4. *resol.* 48. & meritò quidem, nam cùm nullum sit reuera matrimonium, nullaque corporum traditio, nullum etiam ius ad copulam inter ipsos reperitur. Vide Sanchez *vbi supr.* Villalob. *tom.* 1. *tract.* 13. *diff.* 50. *num.* 4. & Bonacin. *de matrimon. quæst.* 4. *punct.* 4. *n.* 16. & infra, vbi de redditione, & petitione debiti.

24 Nota in supradicto casu, si secundum, & verum matrimonium non fuerit consummatum, posse in eo Papam dispensare, vt denuò cum primo coniuge contrahat; nam in rato tantùm dispensare potest Papa, vt iate *sup. cap.* 4. *dub.* 2.

25 Nota etiam, quando fœmina matrimonium probare non potest, quia Parochus, testesque obierunt, habetque graues rationes credendi, se deceptam à viro, posse tuta conscientia, liberam se à matrimonio reputare, & in longinquo loco alteri nubere. Vide Sanchez *vbi sup.*

26 Nota denique, coniugem, qui dubitat se dedisse verum consensum, posse se liberum reputare ab onere matrimonij, sicut dubius de voto, ab illius obligatione: vnde si cum alia contrahat, standum erit secundo matrimonio. Sylvest. *matrim.* 2. *§.* 15. Nauarr. *cons.* 25. *de sponsalib.* Vide Henriquez *lib.* 11. *cap.* 11. *num.* 5.

CAP. VI.

De consensu, seu matrimonio clandestino.

DVB. I.

Vtrum matrimonium clandestinum absque Parocho, & aliis testibus post Tridentinum sit aliquando validum.

1 NOTA, matrimonium, aliud dici solemne; illud scilicet, quod fit coram Parocho, & testibus, quod dicitur fieri in facie Ecclesiæ, non quia fiat in facie materiali Ecclesiæ, sed quia fit coram aliqua multitudine fidelium. Aliud dicitur clandestinum, id est, quod clam, & occultè contractum est; & hoc quidem aliud est absolutè, & propriissimè clandestinum: aliud verò largè, & non propriè. Primum est, quod contrahitur absque testibus sufficientibus (qui nunc sunt Parochus, & duo testes) ad plenam illius probationem; nam tale matrimonium non potest constare Ecclesiæ, defectu testium sufficientium. Matrimonium clandestinum secundùm quid, & impropriè dicitur illud, quod celebratur coram Parocho, & testibus, omissis tamen denuntiationibus. Solet etiam vocari clandestinum, sed nimis largè, & impropriissimè, quando contrahitur coram Parocho, & testibus, ac præmissis denuntiationibus, consummatur tamen ante benedictiones nuptiales. In hoc tamen dubio non agimus de clandestino primo modo, quod in rigore, & propriè dicitur clandestinum, videlicet, quando contrahitur absque Parocho, & testibus.

2 Suppono primò, matrimonia clandestina, siue absque testibus, siue absque Parocho, siue absque præmissis denuntiationibus, fuisse valida, etiam in primis Ecclesiæ temporibus, vt habet communis, quidquid Basil. *lib.* 5. *cap.* 3. Constat *ex cap.* 2. *de clandest. desponsat.* & ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. vbi anathemate damnat oppositum asserentes, & indicant illa verba Tridentini: *Quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Idque probat D. Thom. *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 3. quia in eo matrimonio reperiebantur omnia essentialia, deficiente sola extrinseca solemnitate publicatis: vnde modò matrimonium clandestinum, etiam absque Parocho, & aliis testibus, non erit irritum, vbi Tridentinum non viget. Nec obstat Can. 1. 30. *quæst.* 5. vbi matrimonia clandestina, id est, absque testibus facta, appellantur stupra, & contubernia, & non legitima: nam ideo sic appellantur, quoad præsumptionem, quia Ecclesia non præsumit esse, aut fieri, quod ipsi occultatur, quando est contra legem ipsius, vt erat matrimonium clandestinum.

3 Suppono secundò, etsi matrimonia clandestina ante Tridentinum fuerint valida, & etiam nunc vbi Tridentinum non est receptum, fuerunt tamen semper, & sunt etiam nunc, illicita, & prohibita ob grauia damna, quæ ex his sequuntur. Ita habetur 30. *quæst.* 5. *Can.* 1. *&* 2. *& cap. fin. de clandestin. desponsat.* vbi erat prohibitum matrimonium clandestinum, id est, factum absque testibus: imò *in dict. Can.* 2. videtur prohibitum fieri absque præsentia Sacerdotis, vbi videtur esse sermo de Sacerdote proprio, id est, Parocho proprio. Hæc autem prohibitio non solùm est de iure Ecclesiastico, vt existimat Hurtado *disp.* 5. *de matrim.* cum Conineb. *disp.* 27. *num.* 1. sed etiam de iure naturali, vt cum aliis tenet Sanchez *lib.* 3. *disput.* 3. vel saltem fundata in iure naturali, vt cum D. Thom. *disp.* 28. *quæst. vnic. artic.* 3. & Caiet. *opusc.* 1 *tract.* 32. *quæst.* 2. tenet Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 167. sequi enim possunt ex hoc grauia damna, ideóque habet fundamentum in natura eius prohibitio. Hinc fit, esse graue peccatum mortale, contrahere clandestinè, etiam vbi Tridentinum non est receptum. Ita citati, & communiter Doctores.

4 Suppono tertiò, nunc post decretum Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. vbi est publicatum, & receptum, matrimonia clandestina absque Parocho, vel alio Sacerdote, de eius licentia, & absque duobus testibus, esse omnino inualida, irrita, & nulla. Ita apertè definitum est à Tridentino *supr.* his verbis: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit; & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Hoc autem potuisse facere Tridentinum, est de fide, vt pluribus Sanchez *supr. disp.* 3. fuit enim approbatum à Pontifice, & ita intellectum ab Ecclesia vniuersali. Irritauit autem Tridentinum matrimonia clandestina iustissimis de causis. Primò, ob reuerentiam Sacramenti. Secundò, ob inconuenientia, & damna quæ inde sequebantur, erat enim occasio perpetuo adulterandi, nam reiecta priori, cum qua clam contraxerat, poterat aliam palam ducere, consequenter maneret in perpetuo adulterio,

rio & concubinato. Item, erat contra bonum prolis, nam facilè erat negare, filium ex matrimonio clandestino esse suum. Denique erat occasio inimicitiæ, & discordiæ inter consanguineos. Irritauit autem Tridentinum matrimonium clandestinum primò indirectè, inhabilitando scilicet personas ad sic contrahendum; patet ex illis verbis: *Eos ad sic contrahendum inhabiles reddit.* Quod potuit facere ob bonum commune spiritale Ecclesiæ: sicut Respublica efficit inhabiles ad contrahendum prodigos, minores absque tutoribus, & vxores absque viris. Secundò directè, annullando immediatè ipsum contractum; sicut facit, annollando alios contractus, vt professionem ante annum decimum sextum expletum; matrimonium inter liberum, & seruam ignorata conditione seruili, aut vt, ae metu extortum, aut ab initiato sacris contractum, & similia. Ratio est, quia matrimonium est contractus fidelium in bonum spiritale Ecclesiæ, consequenter subiectum potestati illius, ideoque potuit illud directè irritare. Nec inde inferas mutasse essentiam, aut substantiam Sacramenti; sed præambula, & antecedentia Sacramenti, videlicet contractum, in quo fundatur Sacramentum: ob quod dici potest irritasse aliquo modo matrimonium, vt est Sacramentum, non quidem immediatè, & directè, sed indirectè, & mediatè, nempe destruendo fundamentum, seu contractum humanum: ex quo consequenter remanet irritum Sacramentum; sicut Ecclesia tollendo iurisdictionem in Sacerdote, tollit consequenter Sacramentum pœnitentiæ. Etenim Christus Dominus non quemlibet contractum eleuauit ad esse Sacramenti matrimonij, sed ab Ecclesia approbatum, vt dictum est *c. 3. dub. 8.* vide Henriquez *lib. 11. c. 5. n. 3. & 4.* Suarez *tom. 3. de Sacrament. disp. 5. sect. 6.* Sanchez *disp. 4 cit.* Filliuc. *sup. n. 169. & 170.* Villaloboa *part. 1. tract. 13. diff. 17. n. 3.* & Ledesmam *in sum. c. 7. de matrim. concl. 8.*

5 Suppono quartò, matrimonium contractum coram Parocho, & duobus testibus, omissis sine causa denuntiationibus, esse validum, etiam vbi Tridentinum est receptum, quia denuntiationes non sunt de essentia matrimonij; nam Tridentinum validum erat, iis omissis, vt patet ex eodem *sess. 24. cap. 1.* ergo etiam post illud, quia Tridentinum nihil innouat circa illas, nec ponit decretum irritans, ideo tantùm sunt de solemnitate. Nauarr. *cons. 17. de sponsal.* Filliuc. *sup. num. 172. & in summ. cap. 55 num. 7.* Henriquez *lib. 11. cap. 5. num. 1.* Coninch *disp. 27. dub. 8. num. 74.* Villalobos *sup. diff. 54. num. 5.* Bonacina cum aliis *quæst. 2. de matrimon. punct. 6. num. 6.* & communis apud Sanchez *supra disp. 5. quæst. 1.* Peccant tamen sine causa omittentes illas mortaliter, vt latius infra.

6 His suppositis, conueniunt Doctores, matrimonium clandestinum absque Parocho, & duobus testibus validum esse in locis, in quibus Tridentinum non est publicatum: habetur expressè in Tridentino *sess. 24. cap. 1. in fin.* vbi decernit Tridentinum, decretum illud non habera robur, nisi post triginta dies, numerandos à publicatione in Parochia: imò etiam vbi non est receptum, quamuis sit publicatum, saltem quando decem anni transierunt, vt tenent Nauarr. *cons. 5. de sponsal. num. 8.* Petrus Ledesma *de matrim. quæst. 45. art. 5. part. 3. dub. vlt.* Filliucius *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 6. num 197.* & cum aliis Sanchez *lib. 3. disput. 18. num. 1.* eo enim ex quo lex recepta non est, cessat eius obligatio. Conueniunt etiam Doctores, valere clandestinum ex Papæ dispensatione, quia Papa est supra Concilium. Item, quando celebratur à non baptizatis, seu infidelibus, quamuis temporaliter sint subditi Ecclesiæ, & habitent inter Christianos, vbi Tridentinum receptum est; quia leges Ecclesiasticæ, vt est hæc, tantùm comprehendunt eos, qui sunt intra Ecclesiam, & ei spiritualiter subiecti, 1. Cor. 5. *Quid mihi est de iis, qui foris sunt iudicare?* Vide Sanchez *lib. 3. disp. 17.*

7 Difficultas ergo est, an matrimonium absque Parocho, & duobus testibus celebratum à fidelibus baptizatis in locis, vbi publicatum, & receptum est Tridentinum, sit in aliquo casu validum. Veracruz *in appendice ad speculum, dub. 4.* & Vega *in summ. lib. 3. cap. 361.* docent, in casu vrgentis necessitatis, vt in articulo mortis, quando nequit matrimonium omitti, aut differri absque graui incommodo, & nequit haberi Parochus, aut alius Sacerdos de eius licentia, posse validè celebrari matrimonium absque Parocho, dummodo fiat coram aliis testibus. Id probant, quia lex positiua, præsertim humana, non obligat cum graui incommodo, vt constat in lege audiendi Missam, in lege ieiunandi, & recitandi diuinum Officium, ergo etiam lex requirens assistentiam Parochi non habet vim, quando imminet aliquod graue incommodum.

8 Nauar. verò *cons. 6. de clandestin desponsat.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 3. num. 5.* Ledesma *de matrim. quæst. 45. artic. 5.* Sanchez *lib. 3. disput. 17.* Coniuch *disp. 27. dub. 1.* Basil. *lib. 5. cap. 6.* Villalobos *tom. 1. tractat. 13. diff. 17. num. 4.* Hurtado *disp. 5. de matrim. diff. 3. num. 10.* Bonacina *quæst. 2. de matrimon. punct. 8. num. 8.* & communiter Doctores tuentur partem negantem. Probatur hæc sententia, & simul soluuntur rationes oppositæ, quia Tridentinum absolutè, & absque limitatione irritat matrimonium absque Parocho celebratum, & reddit personas inhabiles ad sic contrahendum; ergo in nulla necessitate possunt fieri personæ habiles, nec matrimonium validum absque assistentia Parochi; nam quamuis vrgens necessitas excuset ab obligatione legis (vt in exemplis prioris sententiæ) præcipientis, aut prohibentis, adhuc diuinæ; non tamen efficit habilem aliàs lege inhabilem, neque efficit validum, quod aliàs lege irritante erat nullum, vt constat in lege irritante matrimonium inter consanguineos, inter quos, quacunque existente necessitate, absque dispensatione non valet matrimonium. Inducit enim decretum hoc irritans formam, qua debet necessariò celebrari matrimonium, ideoque enim quocunque casu omissa, matrimonium erit irritum. Sit tamen

9 Conclusio: Ex his opinionibus verior, & tenenda, est secunda, vtpote communior, & quia plures autbores habet, & validioribus rationibus fulcitur. Nihilominus tamen prior sententia non est improbabilis, nempe valere matrimonium coram testibus absque Parocho in casu vrgentia necessitatis, vt in articulo mortis, quando expedit matrimonium celebrari, vt discedat in bono statu, & proles sit legitima, & non est copia Parochi. Similiter in locis hæreticorum aut in India, si per annom inueniri non potest Parochus: item, si in aliquo loco Indiarum esset consuetudine introductum, vt matrimonium modo dicto celebretur; valeret tamen matrimonium, nam consuetudo potest introducere, & tollere impedimenta matrimonij, vt dicemus *infra cap. 8. dub. 1. num. 7.* Iuxta hanc sententiam sequitur, esse validum matrimonium in oppidis, vbi nequit adiri Parochus, nec Episcopus, nec Papa; aliàs enim abstinendum esset à matrimonio, quod est valdè durum. Sequitur etiam, hanc sententiam tutè in praxi sequi posse, nam quando intercedit aliquod valdè inconueniens,

inconoeniens,sequi potest opinio minùs psobabilis, vt cum alhs Villalobos 1. *part. tractat.* 1. *de conscient. diff.* 8. *num.* 1. sic in boc casu, præsertim si fiat præsente aliquo Sacerdote. Addit Villalobos *diff.* 77. *cit. n.* 5. *in fin.* quòd si io aliquo ex dictis casibus fuerit iam matrimonium celebratum absque Parochi licentia esset sustinendum, ac defendendum; nam opinin defendens valorem matrimonij iam facti est defendenda, etiamsi pro se tantùm habeat vnum Doctorem, cum aliqua probabilitate, vt cum aliis ipse docet *dict. tract.* 1. *diff.* 7. *n.* 3.

10 Nota, Coninch *loco sup. cit.* referre, Clemeosem VIII. declarasse, matrimonium validè fieri absque Parocho in locis, vbi nequit haberi Parochus, nec adiri in locis proximis, qua declaratione (seu proprius) dispensatione extante (vt eredi potest Coninch) nollum est dubium; potest enim Pootifex in boc dispensate, vt dictum est *sup.* Ea tamen non extante, renenda est prior sententia, non tamen reiecta probabilitate posteriotis, modo dicto.

11 Nota secundò, nullitatem, quæ à lege Tridentini statuitur, non indoci in pœnam, quia non inducitur ad puniendos contrabentes clandestinè, vt quidam putaor, sed tantùm io odium matrimonij clandestini, ne scilicet valeat absque dicta assisteotia, ob inconuenientia, quæ ex eo oriri possunt.

12 Secundò est difficultas, an quando contrahentes ignorant inuincibiliter dictam legem irritantem Tridentini, validè contrahant absque Parocho, & aliis testibus. Quidam affirmant, existimantes legem irritantem apponi in pœnam; ergo cùm tuoc noo sit culpa, oec erit pœna. Tenenda tamen est opposita sententia, vt docent citati pro secnoda senteotia, & communiter Doctores, quia dicta lex non est pœnalis, sed in odium matrimonij clandestioi; & quamuis ignorantia excuset à culpa actu contra legem percipientem, aut prohibentem; eo quòd auferat scientiam requisitam ad voluntatium absque quo neqoit esse culpa; non tamen excusat actum contta legem irritaotem à nullitate, quæ contrahitur ex defectu solemnitatis ad valotem actus requisitæ à lege, quia ignorantia, quamuis inuincibilis, non supplet solemnitatem ex lege requisitam ad valorem actus: ideo communiter dicitur, quòd ignorantia inuincibilis, etsi excuset à peccato, non tamen facit habilem eum, qui aliàs erat inhabilis, & illegitimus.

13 An autem quando contractum fuit matrimonium coram Parocho, & testibus, existente aliquo dirimente impedimento, eo per dispensationem sublato, quando reualidatur, sit iterum adbibenda præsentia Parocbi, & testium, dictum est *c. anteced. dub. vlt.*

14 Tertiò est difficultas, an matrimonium clandestinum absque Parocho, & testibus, quod post Tridentinum, vbi viget, est ionalidum, saltem valeat vt sponsalia, & obliget ad contrahendum. Affirmant Henriq *lib.* 11. *cap.* 5. & Coninch *disp.* 21. *dub.* 4. quia actus, qui non valet vt agitur, valet tamen vt potest, *ex cap. vnic de dispensat. impuber.* vbi disponitur, borum matrimooium valere vt sponsalia. Sanchez verò *lib.* 1. *disput.* 2n. Gutiert. 1. *part. cap.* 51. quos sequitur Hurtado *de matrimon. disp.* 5. *diff.* 2. *num.* 7. & com aliis Bonac. *tom.* 1. *quæst.* 2. *de matr punct.* 8. *num.* 48. id negant, & meritò, quia teste Rebel. apud Hurtado *supr.* ita declaranit Congregatio Cardinalinm. Et ratio est, quia in tali matrimonio non reperitur vlla promissio, sed tantùm tráditio per verba de præsenti, ideóque noo obligabit vt sponsalia, nisi fortè coottahentes iotenderent se obligare omni, & melioti modo, quo possunt. Booacina *supra,* Nec obstat cap. vnicum *de sponsat. impuber.* vbi decernitur, matrimooium impuberum, quod est nullum, inducere obligatiooem sponsalium, quia boc specialiter, & particulariter cautum est solùm in matrimonio impuberum; at id non constat in iure de matrimonio clandestino puberum, ideóque nec valebit vt spoosalia.

15 Ea dictis sequitur primò, vbi viget Tridentinum, matrimonium celebratum absque Parocho, vel abo Sacerdote de eius licentia, esse nullum, etiamsi apud multos publicè sit celebratum. Nauar. *cap.* 25. *n.* 144. & cum aliis Sanchez *lib.* 3. *disput.* 17. quia dispositio Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. est decretum irritaus, & pooitus pro forma substantiali, & contrabeotes redduntur inhabiles. Ob quas rationes Episcopus, etiam vrgente oecessitate, non potest dispensare, vt absque Parocho, & testibus validè celebretor. Naoatr. *cap.* 22. *num* 70. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 5. Villalobos *sup. num.* 6. & Filliuc. *loco cit. num.* 196. *vers. Tertius.*

16 Sequitur secundò, incolas locorum, in quibus Tridentioum obligat, quando vadunt ad loca, quibus non obligat, validè in his coortahere absque Parocbo, & testibus, quando ad ea se conferunt, aoimo constituendi in eis domicilium: & in hoc conueniunt omnes, quia ex tunc censentur Parochiani illorum locorum, & noo eorum, quæ reseruot. Quòd si ad ea loca vadant per modum hospitij, & transitus, vt sunt mercatores. Heoriqoez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 3. & Rodrig. *tom.* 1. *cap.* 219. tuentur partem negantem: verius tamen est etiam, tunc validè contrahere, vt docent Saochez *libr.* 3. *disput.* 18. *numer.* 26. Cooinch. *disput.* 27. *dub.* 1. Basil. *lib.* 1. *cap.* 9. Villalobus *tom.* 1. *tractat.* 13. *diff.* 17. *num.* 9. Fillincius *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 199. & alij. Ratio est, quia contrahentes ratione coottactus sortiuntur forum loci, in quo contrahunt, & iuxta leges illius loci tenentur contrahere, vt constat ex cap. vlt. *de foro compet.* & ex l. *si fundus de euict.* & ex iure, & ratione naturali, quæ dictat, viuendum esse more loci, in quo viuitur, præsertim quoad coottactus, ergo qui contrahunt in locis, vbi Tridentinum non viget, validè contrahunt absque Parocho, & testibus. Quod procedit, siue id fiat sioe fraude, id est, quando oon illuc vadit animo sic coottrabendi ibi siue com fraude, id est, animo contrabendi clandestinè, vt pluribus probat Sanchez *supr. quæst.* 4. & tenent citati, & Booacina *tom.* 1. *quæst.* 2. *de matrim punct.* 7. *num.* 2. contta Rodrig. *capit.* 2. *num.* 19. Ledesma *in summ. cap.* 3. *de matrimon.* & alios; ooo enim boc dicitur fieri in fraudem legis, quia ius habet euodi ad illum locum; qui autem vtitur iure suo, noo facit in fraudem: praua enim intentio oon irritat actum, sed tantùm inducit peccatum.

17 Sequitur tertiò, incolas loci, vbi Tridentinum non viget, si contrahant in loco, vbi viget, absque Parocho, & testibus, iounlidè contrahere. Ita citati, & alij. Confirmatur ratione secundi consectarij: tum etiam quia etsi peregrini diuertentes ad alia loca per modum transitus, vel hospitij, non verò animo ibi commorandi, noo teneantur ad leges illios loci, vt dixi in Decalogo *lib.* 5. *vbi de præcepto audiendi Missam. & ieiunij.* & probat Saochez *lib.* 3. *disp.* 18. *q.* 1. & 2. excipitur tamen contractus, in quo adhibenda est solemnitas requisita illius loci, vbi fit, *cap. fin. de foro compet. l. si fundus, ff. de euict.* Innoc. *de consuetud. in Rubr. in* 6. Abbas *in cap.* 1. *de sponsal. num.* 10. & alij cum Sanchez *sup. quæst.* 1. *num.* 12. Cum ergo locus, vbi tunc celebratur matrimonium, requirat solemnitem Tridentini, inde

de fit, taliter contrahentes, etiamsi peregrini sint, inualidè contrahere.

18 Sequitur quartò, Christianos habitantes in prouinciis infidelium, & in eis natos, in quibus Tridentinum non fuit publicatum, certum esse ibi validè contrahere absque Parocho, & aliis testibus; quia Tridentinum ibi non habet vim defectu publicationis. Quòd si Christiani nati sint in prouincia, in qua publicatum est Tridentinum, commorantur tamen in terris infidelium, vbi non est promulgatum, vt sunt captiui, & mercatores. Petrus Ledes. *q. 45. art. 5.* absolutè docet, non valere horum matrimonium absque Parocho, & testibus; idque approbat Henriq. *lib. 11. cap. 3.* quando dicti Christiani habitant in dictis prouinciis, absque animo ibi permanendi. Sanchez verò *vbi supr. q. 5.* Basil. *lib. 75. cap. 9.* Filliucius, Hurtado, & alij, absolutè docent, & verius, tale matrimonium validum esse, quia vt sæpè dixi, contrahentes sortiuntur forum loci, in quo contrahunt: & ex alio capite Tridentinum requirit tanquam conditionem, vt incipiat obligare post publicationem in Parochia; apud infideles autem deficit hæc conditio, vt supponimus; ergo captiui Christiani, & mercatores existentes in illis prouinciis infidelium validè ibi contrahunt absque Parocho, & testibus, quamuis nati sint in prouincia, vbi Tridentinum viget.

Dvb. II.

Quis Parochus sit necessarius, & sufficiens, vt assistat matrimonio.

1 Dico primò, ad valorem matrimonij necessariò requiritur, quod Parochus assistens sit proprius, saltem alterius contrahentis. Ledesma *de matrimon. quæst. 45.* Sanchez *lib. 3. disp. 34. num. 10.* Villalobos *1. part. tract. 13. diff. 18. num. 4.* Henriquez *libr. 11. cap. 3. n. 2. lit. H.* Filliucius, *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 6. num. 201.* & communiter Doctores: colligiturque aperte ex Tridentin. *sess. 24. cap. 1.* vbi statuit denuntiationes, & benedictiones debere fieri à proprio Parocho; ergo à fortiori assistentia in matrimonio debet esse à proprio Parocho: deinde quia ibi dicitur licentiam assistendi matrimonio debere concedi à Parocho, at solus proprius Parochus potest concedere licentiam alteri quoad suas oues, videlicet, vt possit earum confessiones excipere, aut matrimonio coniungere; ergo Parochus assistens matrimonio debet esse proprius, consequenter eos qui contrahunt cum Sacerdote Parocho, qui non est Parochus saltem alterius, sed omnino extraneus inualide contrahere; sicut est inualida confessio, extra articulum mortis, vel secluso priuilegio, facta ei, qui non est proprius Pastor, aut qui non habet ab eo licentiam, vt latè in materia pœnitentiæ.

2 Dico secundò, quando contrahentes sunt diuersarum Parochiarum, id est, vir vnius parochiæ, & fœmina alterius, non requiritur necessariò assistentia vtriusque Parochi, sed sufficit ad validitatem matrimonij, vt alterius Parochus assistat, in quo conueniunt Doctores, quando matrimonium celebratur in parochia illius Parochi, qui assistit. Ratio est, quia ex vna parte Tridentinum vnum exigit Parochum, & ex altera, si aliquis sufficit, maximè ille, in cuius Parochia matrimonium celebratur, & ita declarauit Congregatio Cardinalium, & approbauit Gregor. XIII. teste Hurtado *disput. 5. de matrim. diff. 6. num. 20.* & ex Farinac. Villalobos *sup. num. 1.* etenim ex connexione matrimonij, & contrahentium fit, vt Parochus alterius censeatur Parochus vtriusque. Quod etiam procedit, quando Parochus vnius assistit matrimonio in aliena Parochia, vel Diœcesi aliena, quamuis non sit Parochia viri, nec fœminæ, modò Parochus ibi assistens, sit Parochus, vel viri, vel fœminæ. Sanchex *lib. 3. disput. 19.* Henriq. *sup.* Coninch. *disput. 27. dub. 2.* Villalobos *supra num. 2.* Filliuc. *supr. num. 202.* Hurtado, & alij contra Basilium, *lib. 5. cap. 16.* Ratio est, quia per assistentiam proprij Parochi, quamuis extra Parochiam, satisfit Tridentino, quia verè assistit proprius Parochus, & vt persona publica ad dictum effectum: non enim exercet Parochus assistens iurisdictionem, sed solum adest, vt persona publica, & principalis testis, & dato quod eam exerceret, talis iurisdictio non est contentiosa, quæ prohibetur in alieno territorio, *ex l. 3. de offic. Præsid.* sed voluntaria, quæ in alieno territorio potest exerceri, sicut in eo potest proprius Pastor suas oues ibi absoluere; vt dixi in materia pœnitentiæ. Idem eodem modo, & consequenter dic de Sacerdote, qui habet licentiam à proprio, assistendi matrimonio. Addunt tamen Henriquez *supra*, Salzedo *in pract. cap. 73.* & cum aliis Bonacin. *tom. 1. quæst. 2. de matrimon. punct. 8. num. 14.* Parochum proprium assistentem matrimonio sui parochiani in aliena Parochia peccare, excusari tamen à peccato probabilius esse, existimant Villalobos, Hurtado, cum Sanchez, & Coninch: quia hæc assistentia non est actus pertinens ad iurisdictionem contentiosam, imò (si in rigore loquamur) neque ad voluntariam, ideo talis Parochus, secluso scandalo, non peccabit in hoc casu. Nihilominus tamen non poterit licitè in aliena Parochia denuntiationes seu admonitiones facere, neque solemnem benedictionem, quia hæc exigunt solemnem strepitum, qui est prohibitus in alieno territorio. Hurtado *suprà num. 2. in fin.*

3 Nota, etsi supradicta in secunda conclusione vera sint, nihilominus tamen quando contrahentes spectant ad diuersas Parochias regulariter, & communiter assistit Parochus fœminæ, & hoc quidem quia matrimonium solet in illius domo celebrari, vt moris erat Valentiæ ante Synodum de anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo. Ideóque licentia monendi, & nubendi committitur Parocho fœminæ, vt eos coniungat, propter quod forte dixit Henriquez, Parochum sponsi peccare, si eos coniungat in Parochia sponsæ, quod non admisimus, secluso scandalo. Ad vitandum autem omnem scrupulum monet Ledesma *in sum. cap. 7. de matrimon. conclus. 3.* vt Parochus sponsi petat licentiam à Parocho sponsæ, quod ita in praxi à me obseruatum est. Vide de iis etiam Barbosam *de offic. & potestat. Episcop. tom. 2. allegat. 32. à num. 56.*

4 Dico tertiò, Parochus solius originis non censetur proprius ad assistendum matrimonio: quia nomine parochiæ, propriè intelliguntur ea, in qua quis habet domicilium, ideo nomine domicilij in dubio venit non domicilium originis, sed habitationis, Gloss. *in cap. statutum de rescriptis, num. 6.* & cum aliis Sanchez *disputat. 23. num. 7.* Villalobos *1. part tract. 13. diff. 18. num. 3.* & Filliucius *tom. 1 tractat. 10. part. 1. cap. 6. num. 208.* & confirmatur, quia in dubio non est recedendum à verborum proprietate, *l. non aliter, ff. de legat.* Et quando iura voluit satis esse domicilium originis, id expressit vt in fide, seu testimonio re-

quisito ad ordines, quo in casu dixit satis esse Episcopum originis, vt dixi vbi de ordine, & literis dimissorijs. Hinc fit Parochum, v. g. S. Stephani Valentiæ, oriundum à Zagunto, non posse validè assistere matrimonio Zaguntinorum, nisi sint parochiani S. Stephani.

5 Dico quartò, Parochus eius, qui alicubi habitat, retento proprio domicilio, & breui rediturus ad illud, vt si eò profectus est gratia recreationis, vel colligendi fructus, vel ad exercenda tutalia, vel causa alicuius negotiationis, non est proprius ad assistendum validè matrimonio. Probatur expressè *ex cap. is qui de sepult. in 6.* vbi tantum vocatur Ecclesia parochialis illa, in qua quis habitat. Sacobez videndus *lib. 3. disput. 23. num. 9.* vbi refert quatuor decisiones Rotæ ex Menoch. *consil. 398. volum. 4.* Bonacina *infra num 3.* Quod si dicas, posse hunc ibi recipere Eucharistiam, & confessionem. Respondeo, verum esse, non tamen matrimonium, quia non est adeò necessarium, sicut illa Sacramenta. Ledesma in *summ. cap. 7. de matrim. concl. 4. dub. 6.*

6 Dico quintò, qui ad aliquem locum diuertit, intentione ibi manendi pro maiori anni parte, potest contrahere coram Parocho illius loci, in quo incipit habitare, cum intentione ibi manendi pro maiore parte anni, seu cum intentione gerendi negotium aliquod, quod maiorem partem anni postulat, vt sunt scholastici, & aliqui mercatores. Bonacin. *tom. 1. quæst. 2. de matrimon. punct. 8. num. 2.* Filliuc. *supra num. 210.* & alij communiter. Ratio est, quia contrahit ibi domicilium parochiale ad suscipienda Sacramenta, excepto ordine, & tonsura: & potest ibi sepeliri, adstringiturque legibus illius loci: ergo potest etiam coram Parocho illius loci matrimonium celebrare: dtrum enim videtur, hos non posse ibi matrimonio coniungi; imò si ibi dicto tempore mutant varias parochias, poterunt coniungi matrimonio ab illo Parocho, in cuius parochia tunc habitant; nam tunc ille est verus, & proprius Parochus illorum. Ex dictis constat validum esse matrimonium alienigenarum, qui data opera incipiunt alibi habitare, relicto priori domicilio, vt eutiens proprios Parochos, & sine eorum licentia contrahant matrimonium; quia proprius Parochus est ille, in cuius Parochia tunc commorantur. Bonacin. *sup. num. 4.* idque colligit ex Sanchez *lib. 3. disput. 18. num 29. & disput. 23. num. 13. & 14. & disp. 25. num. 11.* contra Rodrig. *cap. 219. num. 2.* & alios.

7 Dico sextò, quando quis habet duplex domicilium, seu quando est parochianus duarum Parochiarum, vt quando ferè æqualiter habitat in vno loco, ac in alio, vt qui hyeme habitat in vno loco, & æstate in alio, potest contrahere matrimonium coram Parocho vtriusque Parochiæ, à quo maluerit, quamuis tunc non habitet in ea Parochia. Ita Sanchez *lib. 3. disputat. 24. num. 1.* Bonacina *supra num. 4.* Filliucius *loco citato, num. 221.* & alij contra Nauarrum *consil. 53. de sponsalib.* existimantem, debere assistere Parochum Parochiæ, vbi tunc celebratur matrimonium: probatur tamen conclusio, quia vterque illorum est proprius illius Parochus, & à quolibet potest suscipere Sacramenta indifferenter, sicut enim potest acquiri duplex domicilium, ita etiam duplex Parochia habitationis. Aduertit tamen, & benè, Filliucius, vt admoneat alterum Parochum, in cuius Parochia habitat, ne inde offendatur. Quòd si non habitet ferè æqualiter in duobus locis, sed maiori parte anni in ciuitate; & minori notabiliter in villa, vel oppido, solus Parochus prioris domicilij potest validè matrimonio assistere, nam solus ille est proprius Parochus. Vide de his in materia pœnitentiæ, vbi agitur quisnam censeatur proprius confessarius, vbi multa ad hæc spectantia inuenies.

8 Dico septimò, quantum ad vagos attinet, illos scilicet, qui prius domicilium reliquerunt, & nullum adepti sunt, conueniunt Doctores, posse quemcumque Parochum horum matrimonio assistere, sicut quilibet Parochus potest illorum confessiones audire, & Sacramenta administrare: debet tamen Parochus antea diligentem inquisitionem præmittere, an alibi sint matrimonio coniuncti, nec ne, vt præcipit Tridentinum *sess. 24. capit. 7.* aliter peccabit mortaliter, factum tamen tenet; quia adsunt omnia essentialia. Quod etiam faciendum est, quando alter solus ex contrahentibus vagus esset, immiret enim etiam tunc idem periculum. Requiritur præterea licentia Ordinarij, id est Episcopi, aut Vicarij Generalis, vel alterius Prælati habentis iurisdictionem, quasi Episcopalem in foro exteriori. Sanchez *lib. 3. disput. 25.* Filliucius *supra numer. 212.* & alij apud Bonacinam, *loco citato numer. 6.* Quòd si alter solus sit vagus, alter verò habeat proprium domicilium, existimat Ledesma *cap. 7. de matrimonio conclus. 4. dub. 7.* necessariò debere assistere Parochum habentis certum domicilium, quia ille est proprius Parochus. Filliucius verò *vbi supra*, cum Sanchez *loco citato numero 14.* tenet, & validè probabiliter, posse etiam tunc à quocumque Parocho matrimonio coniungi, quia cum quilibet sit Parochus vagi, & satis sit Parochus alterius contrahentium, sequitur, quemlibet posse eos coniungere. Hinc sequitur, dum quis in aliqua vrbe deserens prius domicilium, nondum alio adepto, hospitatur in aliqua Parochia, dum quærit aliam, vel iam adepta ea expeditur, posse à quocumque Parocho illius loci matrimonio coniungi, nam etsi absolutè vagus non sit, censetur tamen talis respectu illius oppidi.

9 Dico octauò, Parochus, qui consequutus est aliud Beneficium incompatibile, si priori adhuc retento, assistat matrimonio illarum ouium, valet matrimonium, nam quamdiu eo Beneficio priuatus non est, verè Parochus illarum est. Ledesma *supra dub. 9.* Rodrig. *in summ. cap. 216.* Idem dic, quando Parochus Beneficium omisit, non tamen est eo spoliatus, vt quia intra annum non est promotus ad Sacerdotium, vel alia de causa, quia eum non sit spoliatus possessione, præsumitur habere iustam causam retinendi, *cap. licet Episcopus de Prabend. in 6.* Nauarr. *cap. 9. num. 11.* & cum aliis Sanchez *lib. 3. disp. 22. num. 56.* Similiter valet matrimonium, si assistat Parochus, cui datus est coadiutor defectu scientiæ, vel infirmitatis causa, nam est verè Parochus, modò tamen sit sanæ mentis Rodrig. *vbi sup.* Ledesm. *loco cit. dub. 21.* Item, valet matrimonium celebratum coram Parocho, aut eius Vicario, quibus ab Ordinario prohibitum est assistere matrimonio, nam ob talem prohibitionem non desinit esse Parochus. Ledesm. *cap. 7. citat. conclus. 2. dub. 4.* vbi refert duas Cardinalium declarationes, Sanchez *disput. 32.* Henriquez *lib. 11. cap. 3. num. 4.* & cum aliis Bonac. *tomo 1. quæst. 2. de matrim. punct. 8. num. 18.* qui *num. 29.* propter eandem rationem consequenter tenet, valere matrimonium contractum coram Parocho, cui propter inscitiam prohibitum est, ministrare Sacramenta, modò tamen

sciat,

sciat, quod agat; quia assistere matrimonio non est ministrare Sacramentum, cum ipse non sit minister, sed contrahentes.

10 Dico nonò, Parochus intrusus, ille scilicet, qui non est verè Parochus, habet tamen titulum coloratum Parochi à legitimo superiori concessum, quem postea occultè amisit, vel à principio non vere accepit ob occultum impedimentum excommunicationis, aut aliàs, communi tamen errore, quia defectus ille est occultus, creditur vero Parochus, validè assistit matrimonio suorum subditorum: quia dum adest communis ignorantia, aut error, ac titulus coloratus, habet verum iurisdictionem in vtroque foro; nam tunc Ecclesia ob commune bonum confert potestatem ad validè exercendum officium Parochi, vt generaliter contingit omnibus iudicibus, & officialibus habentibus titulum coloratum, & existente dicto errore, iuxta *l Barbarius. ff. de officio Pratoris* & dixi *supra vbi de ministro pœnitentiæ*, & in Decalogo *lib. 8. cap. 1. dub. 10.* Quod verum est, etiamsi contrahentes sciant (modò adsit communis error) illum carere vero titulo Parochi, Filliuc. & alij citandi: nam etiam respectu scientium nullitatem valent gesta ab illo, dum adest communis error. Quòd si absque titulo colorato à legitimo sit intrusus, matrimonium tunc coram eo contractum, non est validum, vt si fictis literis, aut aliàs se fingit Parochum; nam gesta huius in neutro foro sunt valida, ex cap. *infamis 3. quæst. 7. & ex dict. l. Barbarius*; nam in iis locis non solùm communis error, sed etiam authoritas superioris dantis potestatem requiritur. Innocent. *cap. cum nihil. 3. de elect.* ibi. Abb. *num. 11.* Sylvest. *confess. 1. quæst. 19.* Nauarr. *cap. 9. num. 11.* Filliuc. *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 6. num. 205.* & cum aliis Sanchez *lib. 3. disputat. 22. num. 40. & 50.* & dixi vbi de ministro Sacramenti pœnitentiæ, & in expositione Bullæ *lib. 1. §. 7. cap. 1. dub...* quidquid aliter sentiat Ioannes Sanchez, vt ibi dixi. Vide de his Bonacinam *tom. 1. quæst. 2. de matrimon. punct. 8. à num. 24.* vbi nobiscum sentit, & enumerat casus, in quibus absolutio, & gesta ab intruso sunt valida, de quibus etiam dixi locis à me citatis.

11 Ex hac noua conclusione sequitur, valere matrimonium, quando is, cui Parochus dedit licentiam, est merè laicus, sed communi æstimatione habetur pro Sacerdote, quia in hoc concurrit com errore communi titulus præsumptus, videlicet licentia à superiore potente concedere: & ex alio capite, impedimentum, ob quod inualida est licentia, est solius iuris humani, in quo casu ius supplet defectum, & gesta per talem valida sunt, nec functio assistendi requirit vllum ordinem modo vt infra. Quòd si Parochus, qui dedit licentiam, fuisset intrusus absque titulo (secus si cum eo) tunc non valeret matrimonium, sicut nec quando talis intrusus illi assistit, vt dictum est *in 9. conclusio.* & docent Filliucius *sup. num 206.* & pluribus Sanchez *disputat. citat. 22. num. 61. & sequentibus.*

12 Dico decimò, Parochus excommunicatus suspensus ab officio, aut irregularis, si est toleratus, id est, non est denuntiatus; nec manifestus Clerici percussor, validè assistit matrimonio, & validè confert licentiam assistendi alteri Sacerdoti, vt communiter Doctores citandi: imò etsi non sit toleratus, sed vitandus, potest validè assistere matrimonio excommunicatus, vt docent Henriquez *lib. 11. cap. 3.* Sanchez *lib 3. disputat. 21. num. 4.* Coninch *disput. 27. dub 2.* Basilius *cap. 17.* Hurtado *disput. 5. de matrimon. diff. 8. num. 26.* & cum aliis Bonacina *tom. 1. quæst. 2. de matrim. punct. 4. num. 21.* Ratio est; tum quia hæc assistentia authoritatis, non est actus iurisdictionis, aliàs assistentia coacta non sufficeret; imò in rigore, nec est actus testis, quia assistere non est testificari; ergo quamuis excommunicatus non toleratus neqeat actum iurisdictionis Ecclesiasticæ validè exercere, & quamuis non posset validè testificari, poterit tamen validè assistere matrimonio, quia excommunicatus, quamuis non toleratus nullibi priuatur potestate assistendi. Tum, quia Tridentinum solum requirit præsentiam Parochi, sed Parochus excommunicatus, aut suspensus, etiam non toleratus, non desinit esse Parochus; ergo validè assistit. Idem dic de Vicario Parochi excommunicato, vel suspenso, quamuis peccet communicando in diuinis cum aliis extra casum necessitatis. Bonacina *vbi supra.*

13 Dico vndecimò, Parochus excommunicatus non toleratus non solum potest validè assistere matrimonio, sed etiam dare licentiam Sacerdoti, vt assistat, est contra Coninch *supra* & Ledesm. *quæst. 45. artic. 9. punct. 3. dub. 4.* sed ita tenent Sanchez *disput. 20. 21. & 30. num. 10.* & alij, Henriq. & alij supra citati. Ratio est, quia collatio dictæ licentiæ non est actus iurisdictionis, sed non est constitutio iudicis, sed tantum est designatio spectatoris matrimonij, vt posset ab eo testificari, facta ex ordinatione Tridentini; à quo Sacerdos, dicta designatione supposita, accipit potestatem ad id, & non à Parocho, quia ea supposita, Sacerdos qualificatur à Tridentino, ad id, & non à Parocho, inde collatio dictæ licentiæ non est actus potestatis Parochi, vt Parochus est, sed est actus authoritatis à Tridentino annexæ officio Parochi. Ob eandem rationem constat, Parochum posse dare huiusmodi licentiam Sacerdoti excommunicato, vel irregulari, aut suspenso ad assistendum matrimonio, vt cum Sanchez *supra* docet Bonacin. *num. 12.* adde cum Bonac. *supra num. 23.* & Sayro *de censur. lib. 5. cap. 12. num. 16.* validum esse matrimonium, cui assistit de licentia Parochi Sacerdos degradatus; tum quia versamur in materia matrimonij, quæ fauorabilis est: Tum, quia Sacerdos degradatus, est adhuc Sacerdos. Adde etiam cum Hurtado, & Sanchez, Parochum excommunicatum, quamuis non toleratum, non tantùm validè, sed etiam licitè assistere matrimonio, quidquid dicat Basilius *supra*, quia quamuis in his duobus communicet cum aliis, id tamen facit ob vtilitatem contrahentium, quia absque eo, vel absque eius licentia nequeunt contrahere: vnde nec ipsi contrahentes peccant, dum coram illo contrahunt.

14 Dico duodecimò, etsi probabile sit, vt tenet Rodrig. *1. tom cap. 219.* Salcedo, & Syluius, Parochum assistentem debere esse Sacerdotem, vt denotare videtur illa particula Trident. *sess. 24. cap. 1. vel alius Sacerdos*, quæ videtur implicatiua similitudinis, seu denotare similitudinem: probabilius tamen est non esse necesse, vt docent Sanchez *lib. 3. disput. 20.* Coninch *disp. 27. dub. 2.* Henriq. *lib. 11. cap. 3.* Basilius *cap. 17.* Filliuc. *tom. 1. tractat. 10. p. 1. cap. 6. num. 203.* Hurtado *de matrim. disput. 5 diff. 7.* & alij. Ratio est, quia Tridentinum non restrinxit, vt sit Parochus Sacerdos, & per Parochum non Sacerdotem satisfit Tridentino: & quia Parochus non Sacerdos exercere potest omnia, quæ non pendent à potestate Ordinis. Nauarr. *consil. 9. de clandest desponsatione*, Henriquez *dict. cap. 3. num. 5.* & cum Sanchez, Filliuc. *supra.* Nec obstat illa particula,

cula, *alius Sacerdos*, nam non sempet denorat personam antecedentem, esse similis qualitatis, vt constat ex illo Lucæ 23. *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo*, & Matth. 25. *Cum eo crucifixi sunt alij duo latrones*, & tamen sermo crat de Christo, qui nec latto, nec nequam erat. Quoad Sacerdotem autem, qui de licentia Parochi assistere potest mattimonio, certum est, tequiti necessatiò, quòd sit Sacerdos, quia id expresse requirit Tridentinum, ibi, *vel alius Sacerdos*; non tamen est necessarium, vt sit approbatus ab Ordinario, quia hoc nullibi exprimitur; sicut tequiritur ad audiendas confessiones sæcularium.

13 Ex dictis constat, solum proprium Parochum, modo explicato, aut alium Sacerdotem de licentia Parochi, posse validè assistere matrimonio: vnde nec Parochus alienus, nec Sacerdos aliquis, ratione Bullæ, aut Iubilæi potest validè assistere matrimonio, quia in iis talis facultas non conceditur, nisi exprimatur.

D v b. III.

Quis præter Parochum possit assistere matrimonio, & licentiam assistendi concedere Sacerdoti.

1 Conueniunt DD. primò, Romanum Pontificem posse in tota Ecclesia matrimonio assistere, & alteri licentiam ad id concedere, vt de se patet, quia est supremus Pastor. Secundò, Episcopum in sua Diœcesi posse, & matrimonio assistere suarum ouium, & licentiam conferre Sacerdoti vt assistat matrimonio, quia est verè Ordinarius, & Parochus superior. Tertiò, idem possunt omnes habentes Episcopalem iurisdictionem, respectu eorum, in quos eam habent vt Abbates Ecclesiarum nulli Episcopo subiectarum. Quartò, idem potest Capitulum, sede vacante, quia succedit Episcopo quoad iurisdictionem ordinariam, cui est annexa dicta facultas. Quintò, idem potest Legatus à latere Pontificis in Prouincia suæ legationis, quia est Ordinarius in ea, vt constat *ex cap. 1. de officio legati in 6.* Tandem sextò, idem possunt Cardinales in Ecclesia sui tituli, quia sunt in ea Ordinarij, imò etiam Parochi immediati. Vide Sanchez *lib. 3. disput.* 28. Henriquez *lib. 11. cap. 3. num.* 4. Coninch *disput.* 27. *dub.* 2. Bonacin. *tom. 1. quæst. 2. de matrimon. punct.* 8. *num.* 10. Filliocium *tom. 1. tract. 10. part. 1. c. 6. n.* 214. Villalob. 1 *p. tract.* 13. *diff.* 39. *n.* 1. & Hurtad. *disp.* 5. *de matrim. diff.* 9. *num.* 30.

2 Conueniunt secundò, Archiepiscopum non posse assistere mattimonio subditorum sui suffraganei, neque ad id licentiam concedere, quia non est Ordinarius illorum: posse tamen, dum actu visitat diœcesim sui suffraganei; quia tunc habet iurisdictionem ordinariam. Item, in causa appellationis, videlicet, quando nolente suffraganeo, aliquos materialiter coniungere, ad ipsum super ea te appellatur, quia tunc ad ipsum deuoluitur iurisdictio, modò tamen sententia transierit in iudicatum, nec fuerit per legitimam appellationem suspensa. Vide Sanchez *disp.* 29. *num.* 4.

Est tamen prima difficultas, an Prouisor, seu Vicarius generalis Episcopi, ex vi sui officij absque superaddita, & speciali commissione, possit matrimonio assistere, & ad id licentiam concedere, sicut ipse Episcopus. Negat Petrus Ledesma *q.* 45. *artic.* 5. *punct.* 3. *dub.* 4. fundatur in cap. *accidentibus* 12. *de excess. Prælat.* vbi dicitur cognitionem causarum matrimonialium ad dignitatem Episcopalem pertinere. Affirmant autem Sanch. *libr.* 3. *disp.* 29. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 2. Basilius *libr.* 5. *cap.* 11. Hurtado *diff.* 9. *n.* 12. & communiter Doctores. Ratio est, quia Vicarius Generalis Episcopi est Ordinarius, vt pluribus Sanchez *supra num.* 3. & 5. & constat ex eo quòd Vicarius Episcopi constituit vnum tribunal, & vnam personam cum Episcopo, vt dicitur in cap. *Romana de appellation.* idque confirmat praxis, quæ approbat confessarios ad audiendas confessiones sæcularium, quod à Tridentino committitur Episcopo, & regulariter fit à Vicario: idem ob eandem causam dicendum est de Vicario Generali eorum, qui habent iurisdictionem Episcopalem. Etenim Vicarius Generalis est Ordinarius, intelligiturque nomine Ordinarij, quotiescumque aliqua committuntur Ordinario, vt pluribus Sanchez *supra*. Nec obstat dictum cap. *accidentibus*; nam ibi non excluditur Vicarius Generalis: Vicarius autem foraneus non potest assistere matrimonio, nisi omnes causæ matrimoniales illi delegentur. Sanchez *supr. n.* 20. Vide Barbosam *de offic. & potest Episc. alleg.* 32. *n.* 117. & Villalob. *tom. 1. tract.* 13. *diff.* 19. *num.* 4.

3 Archipresbyter verò Ecclesiæ Cathedralis, & quicumque alius, solum potest assistere matrimonio ouium suæ Parochiæ, & non parochianorum Parochi sibi subditi, quia suorum parochianorum tantum, & non aliorum est Ordinarius. Sanchez *lib. 3. disp.* 27. Hurtad. *sup. n.* 33 *fin.* Secunda difficultas est, an Parochus non proprietarius, ab Episcopo delegatus, & ad nutum amouibilis, possit matrimonio assistere, & ad id licentiam concedere. Conueniunt DD. Parochum non proprietarium, seu Vicarium amouibilem, & temporalem ab Episcopo, vel eius Vicario delegatum, seu constitutum, dum aliquis in proprietarium eligitur; vel quia Episcopus est immediatus Parochus, posse valide assistere matrimonio, aut quia est verus Parochus, aut quia in dicta delegatione licentia ipsi facta est ad assistendum matrimonio. Difficultas ergo est, an ad id licentiam possit concedere: negant Sotus *in 4. dist.* 18. *q. 4. artic.* 3. & Barthol. Ledesma, *de pænit. dub.* 13. quia delegatus nequit alterum subdelegare: verius tamen affirmant Henriquez *lib. 6. de pænitent. cap. 7. num. 3. lit. N. & numer.* 6. & *lib. 12. de matrimon. cap. 3. num.* 5. Sanchez *lib. 3. disput.* 37. & plures alij, quos sequitur Hurtado *sup. num.* 34. Ratio est, quia hic est verè Parochus quamuis delegatus; ergo potest licentiam concedere, quia ex Trident. sufficit licentia Parochi.

4 Et idem ob eandem rationem dicendum est de Vicecurato, plenè delegato, à Parocho proprietario, vt benè contra Basilium aduertunt Sanchez, & Hurtado: quod procedit non solum in absentia, sed etiam in præsentia Parochi proprietarij, quia etiam in præsentia illius est verus Parochus, quamuis non proprietarius, sed delegatus, & mercenarius. Nec obstat dicere delegatum non posse subdelegare iurisdictionem. Primò, quia hanc licentiam concedere, non est subdelegare iurisdictionem, eo quòd assistere matrimonio non sit actus iurisdictionis. Secundò, quia quamuis delegatus in iurisdictionem ad omnem causam subdelegare non possit, potest tamen ad vnam, vel alteram, consequenter posset ad assistendum matrimonio, quamuis id esset iurisdictionem concedere. Vide Sanchez *disput.* 31. *citat.* per totam, & *supr.* in materia pœnitentiæ, vbi agitur quisnam sit proprius confessarius, nam multum conducunt ibi dicta ad horum intelligentiam. Hoc tamen pro certo habe,

posse

posse delegatom subdelegare, quando id ei à delegante conceditur expresse, quia tunc ipse delegans censetur subdelegare. Vide etiam Villalobos, 1. *part. tract.* 13. *diff.* 20.

5 Denique possunt matrimonio assistere ea generali delegatione Pij V. Regulares, quia à suis Prælatis designati fuerint ad regimen animarum, seu pro Parochis in Indiis, aut noua Hispania, consequenter possunt vagos, feruatis seruandis, coniungere modo dicto supra, non tamen ingerere se debent in locum, qui alteri Parocho, aut Regulari designatur. Sanchez videndus *lib.* 3. *disp.* 25.

Dub. IV.

Qualis licentia requiratur in Sacerdote, vt validè assistat matrimonio.

1 Verbi gratia, an requiratur, quòd licentia sit specialis, & expressa, an verò sufficiat generalis, aut tacita, & interpretatiua, seu ratihabitio.

2 Dico primò, etsi tutius sit, requiri licentiam expressam, & specialem, videlicet, exprimendo Sacramentum matrimonij, dicendo: *Concedo tibi licentiam assistendi tali matrimonio*, sufficit tamen ad validitatem matrimonij licentia genetalis, seu vniuersalis, qua Parochus concedit facultatem ad exercendum officium Parochi, seu quando concedit omnes suas vices, & quidquid ipse potest facere. Primò, quia ita declarauit Congregatio Cardinalium. Secundo, quia sic satisfit Tridentino quia hæc est vera licentia, quamuis verbis generalibus collata. Ita Sanchez *disp.* 35. Coninch. *disputat.* 27. *dub.* 3. Ledesma *in summ. cap.* 7. *de matrimon. conclus.* 4. Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 2. *de matrimon. punct.* 8. *num.* 11. Nauarr. *cap.* 3. *de clandestina desponsat.* Henriq. *lib.* 11. *cap.* 5. Filline. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *c.* 6. *n.* 218. Hurtado *disp.* 5. *diff.* 10. *num.* 36. Non tamen sufficeret licentia administrandi Sacramenta omnia, vt contra Basilium *cap.* 29. & Bonacinam *supra*, tenent Henriquez, Coninch, Filliucius, Hurtado *supra*, tum quia solet intelligi de Sacramentis confessionis, & Eucharistiæ, & ad summum Baptismi, quæ sunt Sacramenta necessitatis. Tum quia assistere matrimonio, non est Sacramentum matrimonij administrare, quia nec Sacerdos assistens, nec Parochus est minister, sed tantum ipsi contrahentes. Nec obstat quædam Cardinalium declaratio, quæ asserit pro opposita, indicans oppositum nostræ sententiæ, quia sequuta est doctrinam probabilem. Hurtad. *supra*.

3 Dico secundò, non requiritur necessariò, quòd licentia, siue generalis sit, siue specialis, conferatur in scriptis, sed sufficit, quòd sit verbalis, ita citati contra Rebellum *lib.* 4. *quæst.* 3. Ratio est, tum quia hæc est vera licentia: tum, quia Tridentinum id non exprimit: tum, quia omnis dispensatio verbo fieri potest; etenim scriptura non est de essentia gratiæ, & priuilegij sut alterius rei, nisi quando id exprimitur ea Decio *in rubricis de constitut.* vide Bonacinam *sup. num.* 11. Non tamen credendum est Sacerdoti asserenti se habere licentiam ad assistendum matrimonio, nisi sit persona valde digna fide, vt benè docent Sanchez *lib.* 3. *disp.* 37. *num.* 2. Reginald. *lib.* 31. *num.* 181. Coninch. *vbi sup.* & Bonacina *loc cit num.* 38. nam in iis, quæ spectant ad externam gubernationem Ecclesiæ, non creditur testantibus in propria causa, præsertim si hoc vrgeret in præiudicium alterius. Nec obstat declaratio Cardinalium, in qua dicitur sufficere licentiam in scriptis datam, quia non dicitur requiri, sed sufficere. Hurtado *dict. num.* 36. Eodem modo regulariter credendum non est asserenti se obtinuisse dispensationem, ne præmittantur denuntiationes, nisi is esset valdè timoratus, & fide dignus, Sanchez *disput.* 37. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 216.

4 Dico tertiò, licentia tacita, interpretatiua, seu præsumpta ex ratihabitione defutura non sufficit ad assistendum matrimonio, quamuis probabilissime credat, seu præsumat assistens, quòd proprius Parochus id ratum habebit, ita DD. supra citati: quia tunc assistit absque licentia, quæ actu sit: nam quando assistitur nondum est ratihabitio, quia est futura. Nec obstat illa regula 10. iuris: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari*, quia tantum habet locum, quando valor actus, aut contractus pendet ex sola voluntate contrahentis, ac proinde non habet locum in matrimonio, cuius valor non pendet ex voluntate sola Parochi conferentis licentiam, sed etiam ex consensu contrahentium, qui fuit nullus ex defectu licentiæ. Hurtado *supra num.* 18. & communiter DD. Difficultas tamen est, an sufficiat ratihabitio de præsenti, vt quando dicitur licentia, vt quando Parochus videt Sacerdotem incipientem assistere, aut parati ad id, & non contradicit, cum possit id facilè facere. Negat Henriquez *lib.* 11. *cap.* 5. & videtur declarasse Congregatio Cardinalium, dum ait, non sufficere licentiam tacitam, quæ resultat ex tolerantia. Affirmant autem Sanchez, Basilius, & eum his Hurtado *sup. n.* 39. ac Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10 *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 219. quia vera licentia, quamuis tacita, est vera licentia de præsenti, & non est pure interna, sed externa, quia taciturnitas in eo casu est signum externum sufficiens voluntatis, qua Parochus vult, illum Sacerdotem assistere: ad declarationem Cardinalium respondet Hurtado, aut voluisse maximo rigore seruari formam Tridentini, aut fortè loqui de licentia tacita futura: prior sententia est tutior, & videtur probabilior; secunda tamen est valde probabilis, vt in simili diximus in ministro pœnitentiæ.

5 Dico tertiò, licentia verè, & realiter concessa, quamuis per vim, metum, aut fraudem sit extorta, valida est, vt docent Sanch. *lib.* 3. *disput.* 39. Coninch *disput.* 27. *num* 39. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 217. & Hurtado *sup. num.* 39. *vers. Tertio est.* quidquid aliqui dicant, quia illa licentia non est donatio alienius rei, quæ fiat illius, cui datur licentia (nam si talis esset, non posset esse valida, defectu tituli, nempe liberalitatis,) sed est quædam concessio facultatis ad assistendum, ideòque erit valida.

6 Dixi, *verè & realiter concessa*, nam licentia ficta, quocumque modo concedatur, non sufficit, quia licentia ficta non est licentia, ideò matrimonium tunc erit inualidum. Ledesma *in summ. cap.* 7. *de matrimon. conclus.* 4.

7 Sed quæres, an habens licentiam ad assistendum, eam tamen ignorans valide assistat. Respondeo, si Parochus motu proprio concedat licentiam, vel ad instantiam alterius non missi à Sacerdote, cuius concessionem ignorans Sacerdos assistit matrimonio, non valet matrimonium. Sanchez *lib.* 3. *disput.* 36. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 6. *n.* 220. Hurtad. *disp.* 5. *diff.* 13. *num* 44. quia tunc saltem non habet licentiam acquisitam, quia non habet eam acceptatam à se nec ab alio nomine suo. Deinde quia talis licentia est quoddam priuilegium, hoc autem sortitur effectum tempore notitiæ. Quòd si Sacerdos habeat iam licentiam nomine suo petitam,

petitam à nuntio, eam tamen ignorat, si antequam certior fiat, assistat matrimonio, Sanch. *vbi sup.* Filliuc. *loco cit.* & Coninch existimant, valide assistere, quia satis est esse à nuntio cognitam, & acceptatam. Negant tamen Hurtad. *supr.* & Vasq. *t. 2. disput. 159. cap. 4.* quia credi non potest Tridentinum, & Parochum velle, vt licentia concessa valeat, quousque is, cui conceditur, possit ea licitè assistere; at non potest licitè assistere matrimonio, quamdiu ignorat licentiam esse sibi concessam, quamuis sit acceptata à nuntio; ergo, &c. Hæc opinio est tutior, & videtur probabilior, prior tamen probabilis est, & tute sequi potest.

8 Obserua, licentiam semel datam posse ad libitum reuocari; non tamen censetur reuocata sufficienter quousque reuocatio intimetur ipsi habenti licentiam, siue per nuntium, siue per epistolam, & non sufficere, aliunde scire reuocationem, Sanch. Coninch, & Hurtad. *sup. diff.* 13.

D V B. V.

Qualis præsentia Parochi, & testium requiratur ad valorem matrimonij.

1 DIco primò, ad valorem matrimonij non sufficit præsentia mere physica, seu corporalis Parochi, aut Sacerdotis de eius licentia, similiter, & testium, sed moralis, id est, quòd more humano assistant aduertenter, ita vt de tali actu fidem facere possint, vt docent communiter DD. nam talis præsentia debet esse humana. Sufficit tamen si percipiant contractum per interpretem; sicut sufficit, quòd vnus contrahentium, alteri per interpretem exprimat suum consensum: & sicut sufficit per interpretem consensum confiteri: satis etiam est, vt aliquo sensu percipiat consensum contrahentium, etiamsi præ turba non audiat verba, vidit tamen signa Henriq. *lib. 11. cap. 3. num. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. c. 6. n.* 214. secus tamen, si nullo modo aduertat; hinc fit non valere matrimonium, si aliquis ex his, ebrius sit, furiosus, aut si dormiat.

2 Dico secundò, si Parochus, Sacerdos, aut testes accesserint animo aduertendi, tamen dum actu proferuntur verba, aut exprimuntur consensus distracti sunt, ita vt nullo modo aduerterint, Henriquez *lib. 11. cap.* 3. docent sufficere intentionem virtualem: sed probabiliùs, & veriùs docent Sanch. *lib. 3. disp.* 39. Filliuc. Hurtad. *supra*, & plures alij: ratio est, quia ad testificandum requiritur actualis intentio, aliter enim non poterunt de contractu testificari, si dum fit, vagantur animo, & distracti sunt.

3 Dico tertiò, sufficit horum assistentia coacta, seu violenta, modò aduertant contractum, Sanchez, Filliuc. Hurtado *sup.* Basil. *cap.* 21. & communiter DD. quod etiam de Parocho, de quo est maior difficultas, declararunt Cardinales. Ratio est, quia Tridentinum tantùm requirit eam præsentiam Parochi, & testium, quæ sufficiens est ad testificandum; at assistentia, quamuis coacta, si fiat cum aduertentia, est satis ad testificandum, & censetur humana; ergo, &c. Ob eandem rationem sufficit assistentia dolo procurata; imò sufficit assistere à casu, vt si fiat coram Parocho, aut testibus transeuntibus, modò aduertenter assistant, ita vt fidem facere possint, vt contra Basilium docent Sanchez, & Hurtado *supra* quod etsi probabile existiment Bonac. *tom. 1. q. 2. de matrim. punct.* 8 *num.* 11. & 46. ipse tamen oppositum sequitur, nam, inquit, talia præsentia non videtur moralis. At si aduertant, cur non dicetur moralis; Peccabunt tamen contrahentes mortaliter coram Parocho coacto, vt benè citati, cum Sanch. *disp. 39. n.* 12. tum ratione contemptus Ecclesiæ. At si esset grauis necessitas contrahendi, & absque iusta causa nollent assistere, possunt dolosa æquiuocatione vocari, tàm Parochus, quàm alij, aut ad eos venire, non tamen per vim eos cogere, quia priuati non possunt id efficere. Hurtad. *supra num.* 51. Sed dices, quid si Parochus, aut testes de industria, & affectatè occludant aures, ne audiant aut oculos, ne videant. Ledesm. *in sum. cap. 7. de matrim. concl.* 7. affirmatiue respondet, citatque quamdam Cardinalium declarationem; nam culpa sua, nec vidit, nec aduertit. At si reuera nullo modo audiuit, vidit, nec aduertit, existimo matrimonium non esse validum, quia non seruatur finis Tridentini, qui est, vt tales possint testificari de cōtractu matrimonij, quod nō possunt facere supradicti: declaratio autem Cardinalium, fortè intelligenda est, quando Parochus, aut testis, qui vidit, & intellexit: fingit, nec audisse, nec intellexisse.

4 Sed quæres, an ad valorem matrimonij requiratur, quòd Parochus proferat, illa verba: *Ego vos coniungo in matrimonium*, aut similia, Nota in Trid. *sess. 24. cap.* 1. præcipi Parochis, vt habito consensu proferant hæc verba: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, &c.* Quærimus ergo, an sint illa verba de necessitate Sacramenti. Respondeo negatiuè, ita Doctores communiter. Ratio est, quia Sacerdos non est minister, nec eius verba sunt materia, nec forma, vt supra dictum est *cap. 3. dub. 5. & 6.* & ex alio capite Tridentinum in clausula irritante nullam facit mentionem verborum ad validitatem matrimonij: qua propter valet matrimonium etiamsi Parochus nihil dicat. Sunt tamen illa verba de præcepto, patet ex ipso Tridentino; vnde illa omittens peccaret; hoc autem peccatum non videtur plus quàm veniale, vt contra Henriquez *lib. 11. cap. 2.* docent Sanchez *disp. 38 n. 7.* Coninch. *disput. 27. num.* 45. Filliuc. *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 6. num.* 222. Bonacina *tom. 1. quest. 2. de matrim. punct. 8. num. 39. vers. Rog abu.* Hurtado *disp. 5. diff. 5. num.* 50. & alij, quia materia, seu omissio videtur esse rei leuis: & licet Tridentinum præcipiat, tamen sub eo præcepto multa alia continentur, quæ sunt magni momenti, vt quod præmittantur denuntiationes; quòd celebretur coram Parocho; quare cum sint alia grauiora, hoc autem leue, respectu illorum omissio erit grauis, respectu verò huius erit leuis, & peccatum veniale. Tenetur etiam Parochus interrogare contrahentes de mutuo consensu, videlicet, vtrum fœmina velit ducere virum, & vir fœminam; patet ex Tridentino *sup.* Hoc autem omittere videtur grauis omissio, & consequenter peccatum mortale, nisi aliàs Parocho constaret de mutuo consensu illorum, vt quia contrahentes interrogati proferunt alia verba: Ita citati cum Sanchez *disput. 38. cit.*

D V B. VI.

Quot, & quales testes requirantur, & sufficiant ad validitatem matrimonij.

1 DIco primò, ad validitatem matrimonij præter Parochum, aut alium Sacerdotem de licentia Parochi, requiri, & sufficere ad minus duos testes: constat aperte ex Tridentino *sess. 24. cap.* 1. ibi: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus,*

duobus, vel tribus testibus, &c. Requiritur etiam, vt Parochus, & alij duo testes simul loco, & tempore existant: vnde non satis esset, si successiuè assistant, nam Tridentinum exigit præsentiam eorum cum Parocho copulatiuè, vt indicat illa particula, *Et*, aliàs enim non possunt esse contestes, nec plenè testificari de matrimonio, nisi omnes essent simul, quod est contra mentem Tridentini. Vide Sanchez *lib. 3. disp. 41.*

2 Dico secundò, non requiritur, vt ij testes sint omni exceptione maiores, id est, quòd careant omni defectu, ob quod possent iure expelli à ferendo testimonio, sed sufficiunt quicunque testes, modò habeant vsum rationis, & sint dnli capaces. Ita Sanchez *lib. 3. disput. 41.* Coninch. *disput. 27. dub. 4.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 6. num. 230.* Reginald. *lib. 31. num. 183.* Bonacina *tom. 1. q. 2. de matrim. punct. 8. num. 43.* Hurtado *disp. 5. diff. 14. num. 47.* & communiter Doctores. Ratio est, quia Tridentinum nullos excipit; ergo nulla est ratio, cur nos illos excipiamus, præsertim cùm materia matrimonij sit fauorabilis, & fauores sint ampliandi: deinde, quia dicta qualitas testium in matrimonio in nullo iure requiritur requisita; nam quod cap. 1. *de consanguinit.* & aliis dicitur, ad causas matrimoniales requiri testes omni exceptione maiores, intelliguntur quantum ad dissolutionem matrimonij, non verò ad ei assistendum: & quando de iure communi generaliter dicta maioritas expostulatur, procedit id in aliis negotiis, & non in fauorabilibus, qualis est celebratio matrimonij. Hurtado *sup. n.* 47. & plutibus Sanchez *lib. 3. disp. 41. n. 5.* vide Villalobos 1. *part. tract. 13. diff. 23. num. 1.*

3 Dixi, *modò habeant vsum rationis*: nam si illo careant, certum est esse inhabiles, & non idoneos; quia non possunt moraliter esse præsentes, nec rationem reddere, aut testificari de celebratione matrimonij: tales censentur infantes, dormientes, amentes, ebrij, & furiosi, quandiu carent lucido interuallo. Ita communis.

4 Ex dictis colligitur, quascunque personas dnli capaces posse esse testes in matrimonio, cuiuscunque ætatis, conditionis, & status existant, vt impuberes, si vsum rationis habeant, fœmina, aut vir pater, mater, aut alij consanguinei, vel familiares, Religiosi, infideles, excommunicati, infames; ij enim etsi in aliis contractibus expellantur, non tamen in matrimonio, ob rationem dictam, vt docent citati.

5 Nec requiritur, quòd sint rogati, vt plutibus Sanchez *disp. 41.* quia in nullo iure repetitur expressim quoad assistentiam matrimonij; sufficit enim præsentia moralis, vt dictum est *dub. antecd.* quamuis alio prætextu sint electi, vt si dolo sint tracti, & vi detineantur, modò tamen aduertant contractum, vt dictum est *loco cit.* & docent Henriq. *lib. 11. cap. 13.* Coninch. *disp. 27. dub. 4. num. 44.* Ledesma *in sum. cap. 7. de matrim. concl. 15.* Bonacina *sup. n. 43. 44. & 45.* videndus cum Sanch. *disp. 39. & 40.* quidquid Bonacina citatus *dub. antecedent. concl. 3.*

DVB. VII.

Quibus pœnis puniantur contrahentes clandestinè, tum etiam Parochus, & testes.

1. De iis latissimè, & doctissimè, vt solet, Sanchez *lib. 3. disp. 1. & 2. & disp. 42. & seqq. vsque ad 54.* Sed quia ex his multæ spectant ad forum externum, & aliquæ iam abierunt in dissuetudinem, proinde nos consuetæ breuitati studentes, solùm attingemus principaliores, & vsu frequentiores.

2 Prima igitur pœna, qua afficiuntur ipsi contrahentes absque Parocho, & testibus, est, quòd sint inhabiles ad sic contrahendum: habetur expressè in Tridentino *sess. 24. cap. 1.* ibi: *Eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit.* Contrahentur hæc pœna ante omnem iudicis sententiam, seu declarationem, vt communiter Doctores, quia hæc inhabilitas ad sic contrahendum, non est propriè pœna, sed effectus, aut actus legis ipso facto irritantis aliter factum. Et cùm in Tridentino solùm fiant inhabiles ad sic contrahendum; hoc est, ad contrahendum sine Parocho, ac testibus; fit inde, quòd ij, qui sic contraxerunt, possint postea, si aliud impedimentum non intercedat, validè in facie Ecclesiæ contrahere absque aliqua dispensatione, ex declaratione Cardinalium apud Sanchez *lib. 3. disp. 46.* quidquid aliqui dicant, incurrere, eos perpetuam inhabilitatem. Inde fit, nec opus esse aliqua declaratione, vt dissoluatur tale matrimonium, nec requiri Episcopi licentiam, vt contrahentes ab eo recedant, & nouum contrahatur, nisi quando illud publicatum fuisset, & timeretur scandalum: Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. capitul. 5. num. 190.*

3 Secunda, pœna est, vt vbi viget Tridentinum contraheutes absque Parocho, & testibus puniantur grauiter arbitrio Ordinarij, seu Episcopi, ideoque peccaret Ordinarius eos non puniens, nam id eis præcepit Tridentinum *sess. 24. capit. 1.* Testes etiam clandestini, si qui ibi absque Parocho inueniantur, puniendi sunt condigna pœnitentia ab Episcopo, eo quòd præstent authoritatem matrimonio prohibito. Filiuc. *sup.* Vbi autem Tridentinum viget, contrahentes absque testibus, & forsan absque proprio Sacerdote, sunt etiam puniendi pœna arbitraria, vt statuitur *in cap. fin. de clandestina desponsat.*

4 Tertiò, in aliquibus Diœcesibus lata est excommunicatio contra contrahentes absque Parocho, & testibus, in nostra Valentina nulla est excommunicatio. Consulat ergo vnusquisque suæ Diœcesis statuta.

5 Quartò contrahentes clandestinè absque Parocho, & testibus requisitis, iure antiquo Castellæ *l. fin. tit. 3. part. 4.* tradendi erant in perpetuam seruitutem propinquioribus consanguineis vxoris. Hæc autem pœna iam non habet locum, quia mitior statuta est, *l. 41. Tauri*, quæ habetur *l. 5. noua Recopil. tit. 1. l. 1.* nempe pœna priuationis omnium bonorum, & exilij ab iis Regnis, & quòd possint à parentibus exhæredari, de quibus latè Sanchez *disput. 47.* & breuius Hurtado *disp. 5. de matrim. diff. 16. num. 53.* & Coninch. *disp. 27. dub. 9.*

6 Quintò, Parochus, vel alius Sacerdos, etiam regularis, assistens matrimonio clandestino sine aliis testibus, suspenditur ab officio per triennium, *in cap. fin. de clandestin. desponsat.* Hæc autem pœna non est latæ sententiæ, sed ferenda, vt patet ex verbo, *suspendatur*, vt docet Henriquez *lib. 11. cap. 5. num. 6.* & alij, quod respicit actum, & ministerium iudicis futuri. Eadem pœna puniendus est Parochus, qui licet non interfuerit tali matrimonio, tamen id sciens non prohibuit, *ex cap. fin. cit.* Filiucius *sup. n. 191.* Tenetur autem Ordinarius, causa cognita, talem suspendere ad triennium, quem postea absoluere non potest, quia non potest ex decretis Concilij generalis dispensare. Sanchez videndus *lib. 3. disp. 51. & 52.* Villal. *tom. 1. tract. 15. diff. 27. n. 6.* & Coninch. *disp. 27. dub. 9. n. 84.*

7 Deinde in Concilio Tridentino *seß. 24. cap. 1. de reform. matrim.* præcipitur, Parochum, vel alium Sacerdotem assistentem matrimonio absque aliis testibus, & alios testes absque Parocho, vel alio Sacerdote assistentes, grauiter puniendos esse, arbitrio Ordinarij: per quod quidem decretum cessauit suspensio illa triennalis secunda dicti cap. fin. *de dispensat. clandest.* vt docent Sanchez *lib. 3. disp. 48.* Filliucius *sup.* & Hurtado *loco citat. diff. 7. numer 55.* quidquid Rodrig. *tom. 1. cap. 221.* & Coninch. *sup. dub. 10.* Ratio est, quia rationi conforme est, vt quando lege imponitur mitior pœna, quam erat imposita lege antiquiori, cesset antiqua, præsertim quando tempore legis nouæ, delictum sit factum minùs perniciosum Reipublicæ; ergo per pœnam arbitrariam impositam noua lege Tridentini, cessauit antiqua suspensio triennalis; quia illa arbitraria est mitior, & post decretum Tridentini matrimonium sic factum, vtpote nullum, est minùs perniciosum Reipublicæ, quam antea, quando validum manebat: ex quo constat, dictum caput finale correctum esse per Tridentinum.

8 Sextò, filij nati ex matrimonio clandestino contracto absque Parocho, & testibus requisitis; cum quocumque impedimento dirimente, sunt illegitimi, quamuis tale matrimonium cum ignorantia sit contractum, tum quia est nullum, tum quia ita habetur *cap fin. de clandestina desponsat.* ibi: *Non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur*, de quo latè Sanchez *lib. 3. disp. 42.* & Coninch *disp. 27 dub. 9.* Etenim etsi aliàs, quando matrimonium publicè contrahitur cum occulto impedimento, bona tamen fide ex parte alterius saltem, proles sit legitima, *cap. cùm inter, & cap. cum tenore, qui filij sint legitimi*, & latiùs infra, in pœnam tamen clandestinè contrahentium, disposuit ius, quòd eorum filij sint illegitimi. Aduertit tamen, & benè, Villalobos *tom. 1. tract. 13. diff. 17. num. 2.* hanc pœnam non extendi ad eos, qui coram Parocho, & testibus validè contrahunt, omissis tamen absque causa denuntiationibus; nam horum filij sunt legitimi, quia tale matrimonium in facie Ecclesiæ est validum, vt supponimus, ideo, &c. imò legitimat hoc matrimonium filios naturales antea natos. Villalobos *sup.* vide de hoc plura apud Sanchez *lib. 3. disp. 43. & 44.* quia multa exagitantur ibi, quæ iam non sunt in vsu.

9 Septimò, in matrimonio clandestino mulier spoliata à viro, quasi possessione maritali, non restituitur ante omnia, sicut restituenda esset, si matrimonium factum fuisset in facie Ecclesiæ, *ex cap. transmissa de restit. spoliat.* sunt enim matrimonia clandestina odiosa, ideoque, & meritò, eis imponenda est pœnitentia, vt pluribus Sanchez *disp. 45.*

10 Octauò clandestinè contrahentes intra gradus prohibitos ignoranter, carent spe dispensationis obtinendæ. Trident. *seß. 24. cap. 5.* indignus enim est, vt Ecclesiæ benignitatem facilè non experiatur, qui eius salubria monita temerè contempsit. Operatur autem hæc pœna, vt docent Sanchez *disput. 145.* Coninch. *sup. num. 81.* & Hurtado *disput. 5. diff. 22. num. 82.* Primò, quòd Pontifex sine graui causa illicitè cum testibus dispenset. Secundò, quòd dispensatio sit irrita, nisi talis circumstantia exprimatur. Tertiò, quòd habens priuilegium dispensandi in impedimentis matrimonij, in hoc casu nihil possit, nisi particulatim in priuilegio exprimatur.

11 Difficultas tamen est, vtrum matrimonium factum absque denuntiationibus illicitè omissis, censeatur clandestinum, quoad pœnas clandestini: seu an contrahentes coram Parocho, & testibus, omissis tamen sine causa denuntiationibus, incurrant supradictas pœnas impositas contra contrahentes clandestinè propriè sine Parocho, & testibus. Affirmant Henriquez *lib 11, cap. 6. numer 2. lit. M.* Sanchez cum aliis *lib. 3. disputat. 1. num. 7.* quem sequuntur Coninch *disput. 27. dub. 9 83.* Filliuc. *tom. 1 tract. 10. cap. 5. num. 261.* Fundantur, quia caput fin. *de clandestin desponsat.* sumptum ex Concilio Lateranensi apertè iubet, eos puniri, & vocat eorum matrimonium clandestinum, quod caput à Tridentino non reuocatur, sed illud approbat, vt patet initio capitis: & quamuis ipsum Tridentinum *cap. 1.* tantùm iubeat puniri contrahentes sine Parocho, & testibus; tamen *cap. 5.* apertè punit omittentes denuntiationes. Quod procedit, ait Filliucius, etsi tale matrimonium publicè sit contractum: nam si omittantur denuntiationes, censetur adhuc clandestinum. At per tale matrimonium non incurri pœnas contra clandestinè contrahentes existimant) & valde probabiliter) Candelabrum aureum 1. *part. n. 242.* Palacios *in 4. dist. 28. disput. 3.* Petrus Ledesma *q. 45. artic. 5.* Molina *tom. 1. de iust. tractat. 2. disputat. 176.* quos sequitur Hurtado *disput 5. diff. 22. numer. 80.* Fundamentum, ex quo oppositum destruitur, est, quia matrimonium coram Parocho, & testibus requisitis factum, non est simpliciter, & absolutè clandestinum; quia verè fit publicè, & in facie Ecclesiæ, & ipsi potest plenè constare; ergo pœnæ (quæ potius sunt restringendæ, quàm ampliandæ) impositæ contra matrimonium clandestinum, ita absolutè nominatum, non comprehendunt hoc matrimonium, sed factum absque Parocho, & testibus, præsertim pœnæ impositæ à Tridentino *seß. 24. cap. 1.* quia expressè imponuntur contra clandestinum absque Parocho, & testibus ibi requisitis. Nec obstat dictum caput fin. quia negatur in dicto capite supponi matrimonium absque denuntiationibus celebratum, esse clandestinum, & ob illud imponi aliquas pœnas, quia tantùm supponitur, esse clandestinum celebratum absque sufficientibus testibus, & ob illud imponuntur ibi pœnæ, non verò factum absque præmissis denuntiationibus; ac proinde Tridentinum, quamuis inhæreat vestigiis Lateranensis, non approbat matrimonium absque denuntiationibus esse clandestinum, quia id non supponitur in decreto dicti capitis finalis desumpto ex Lateranensi, imò Tridentinum non inhæret vestigiis Lateranensis, nisi quoad præmittendas denuntiationes: & cap. illo quinto matrimonium absque denuntiationibus factum, quando absque eis scienter, siue ignoranter fit in gradibus prohibitis, punit Tridentinum pœna diffidentiæ dispensationis in eis gradibus, quod est indicium, & non leue, quòd matrimonium absque illis celebratum non puniatur generalibus pœnis clandestini. Dixi, *si omittantur illicitè denuntiationes*: nam si licitè prætermittantur, vt infra, conueniunt omnes contrahentes coram Parocho, & testibus, illis omissis, nullas contrahere pœnas; nam vbi non est culpa, neque pœna.

12 Nonò, Parochus, vel alius Sacerdos, tam sæcularis, quam regularis, qui sine licentia proprij ausus fuerit non subditos matrimonio coniungere aut benedicere, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Ita iisdem verbis Tridentinum *seß. 24 de matrimon. cap. 1.* Quæ suspensio est ab officio, & beneficio, quia Tridentinum absolutè loquitur, & ita sentit Coninch. *disput. 27. dub. 9.* Videtur tamen tantùm esse ab officio, cùm in ipso solùm deliquerit; nihilominus tamen abstineat se

interim

interim à beneficio, vt bene Sayr. *in thesaur. lib. 4. cap. 15. num. 9.* Per hanc autem Tridentini dispositionem, ait Hurtado *sup. diff. 17. num. 56. verf. Obseruandum est*, & propter rationem dictam *sup. verf. Deinde*, corrigitur, & cessat pœna excommunicationis contra Religiosos matrimonia solemnizantes, lata *in Clem. 1. de priuil.* quod declarauit Congregatio Cardinalium, teste Hurtado, cuius declaratio apertè fauet sententiæ de cessatione suspensionis triennalis, de qua *dict. verf. deinde.*

13 Decimò, Parochus omittens illicitè denuntiationes est suspendendus, vt habetur *in cap. inhibitio fin. de clandest. desponsat.* confirmato à Tridentino *sess. 24. cap. 1.* ibi: *Concilij Lateranensis* (à quo desumptum est dictum caput) *vestigiis inhærendo*, non tamen de facto est suspensus, sed relinquitur iudicis arbitrio puniendus. In Diœcesi Valentina est casus Episcopo absque censura reseruatus, in aliquibus Diœcesibus, vt Salmanticensi, est imposita excommunicatio. Vide Ledesm. *in summ. cap. 7. de matrim. in fin.* vbi dicit, probabilius esse, contrahentes, omissis denuntiationibus, non contrahere pœnas impositas à lege ciuili, nam hoc matrimonium in rigore non est clandestinum: ob quam rationem diximus *sup. num. 13.* esse valde probabile, nec contrahere pœnas à iure Canonico latas contra clandestinè contrahentes. Qui autem contrahunt coram Parocho, & testibus, præmissisque denuntiationibus, consummant tamen matrimonium ante benedictiones nuptiales, nullam iuris communis pœnam incurrunt, an verò peccent, infra *dub. 12. numer. 5.* vide de iis Henriquez *lib. 11 cap. 5 num. 6 7. & 8. & cap. 7. per totum.* Ledesm. *cap. 7. cit.* & Barbosam *de offic. & potest. Episc. allegat. 32. à num. 182.*

D v b. VIII.

Vtrum denuntiationes sint necessariæ ad matrimonium, & quando sint faciendæ.

1 Nota, denuntiationes, seu proclamationes, esse monitiones quasdam, quibus monentur Christiani, antequam matrimonium contrahatur, vt si aliquod impedimentum nouerint inter eos, qui matrimonium contrahere intendunt, illud aperiant, & manifestent. Fuerunt autem primò præceptæ in Concilio Lateranensi, vt habetur *cap. fin. de clandestin. desponsat.* At quia in multis locis desierant fieri, Tridentinum *sess. 14. cap. 1. de matrim.* innouauit huiusmodi decretum, & statuit, vt præmittantur ter à proprio Parocho contrahentium, tribus diebus continuis festiuis, in Ecclesia publicè inter Missarum solemnia.

2 Dico primò, monitiones non sunt necessariæ ad valorem matrimonij. Ita Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 5.* Basilius *lib. 5. cap. 3.* & communiter Doctores, & dixi *hoc cap. dub. 1. suppos. 4.* Ratio est, quia etiamsi Tridentinum præcipiat Parocho, quòd denuntiationes efficiat, aut præmittat, & quòd non assistat matrimonio, nisi illæ præcedant, nisi earum dispensatione obtenta: non tamen irritauit matrimonium aliter factum, sed tantùm, quando fit absque Parocho, & aliis testibus, vt patet ex contextu; igitur cùm Tridentinum in hoc nihil innouauerit, & ante illud, matrimonium absque denuntiationibus erat validum, fit inde, vt etiam nunc sit firmum, consequenter eas non esse de essentia matrimonij, sed tantùm de solemnitate. Ita etiam Nauarr. *consf. 17. de sponsalib. in man. cap. 22. numer. 7.* vide Sanchez *disp. 5 cit. quæst. 1.*

3 Dico secundò, quamuis denuntiationes non sint de necessitate matrimonij, sunt tamen de præcepto, vt tenet communis, & patet ex Lateranensi, & ex Tridentino *vbi sup.* Est tamen difficultas, quale peccatum sit, eas omittere absque causa, aut dispensatione. Sotus *in 4 dist. 28. q. 1. artic. 2. ad 1.* docet, esse tantùm veniale, nisi in ea Diœcesi, in qua id prohibeatur, sub pœna excommunicationis iubeatur, quia, inquit, nec in Lateranensi, nec in Tridentino præcipiuntur graui pondere. Verius tamen, & tenendum est, peccare mortaliter Parochum, qui assistit matrimonio, non præmissis denuntiationibus, sine dispensatione, similiter & contrahentes, vt tenet cum aliis Sanchez *lib. 3. disp. 5. num...* Henriquez *lib. 11. cap. 7.* Bonacin *quæst. 2. de matrimon. punct. 6. num. 7.* Villalobos *tract. 13. diff. 24. numer. 3.* Basil. Hurtado, Filliucius, & communiter Doctores. Ratio est, quia id expressè præcipit Tridentinum *sup.* ibi: *Præcipit sancta Synodus.* Et ex alio capite omissio denuntiationum est res grauis, imò præcepta vt grauis, seu sub graui pondere, ob incommoda grauia, quæ inde sequi, possent, contrahendo absque eis præmissis. Concedo tamen cum Sanchez, & aliis citatis contra Basilium, non esse peccatum mortale, vnam ex illis omittere, quando Parochus moraliter esset certus nullum esse impedimentum, quia tunc non videtur omissio magni momenti. Ita etiam Ledesma *in summ. cap. 7. de matrim. concl. 6.* vbi addit, Parochum, vel contrahentes non peccare mortaliter, omittentes bona fide denuntiationes, existimantes esse factas; nam Concilium ait, *si præsumptuosè*, quod arguit scientiam statuti, seu constitutionis. Adde cum Sanchez *lib. 3. disp. 30.* nec peccare mortaliter Parochum, qui assistit matrimonio, omissis denuntiationibus timore mortis, secluso tamen contemptu: non enim videtur lex Ecclesiastica cum tanto damno obligare.

4 Dico tertiò, contrahentes matrimonium, non præmissis denuntiationibus, non solùm peccant contrahendo, sed etiam vtendo matrimonio; & non solùm peccant in prima vice, seu illud consummando, vt existimant Henriquez *lib. 11. cap. 6. n. 1.* & alij apud Sanchez *lib. 3. disput. 11. num. 5.* quia, vt benè docent Sanchez *sup. numer. 4.* Nauarr. *cap. 21. numer. 58.* Coninch *disput. 27. num. 58.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 5. num. 183.* semper se exponunt periculo fornicationis, nam fortè potest adesse aliquod occultum impedimentum. Quod procedit, etiamsi contrahentes moraliter sint certi, nullum adesse impedimentum, vt cum aliis Bonacina *quæst. 2. de matrim. punct. 6. numer. 9.* semper enim imminet idem periculum fornicationis, & violatur Tridentini præceptum. At Ledesma *in summ. cap. 7. de matrimon concl. 7. dub. 2.* existimat, taliter matrimonio vtentes non peccare mortaliter, si certi sint moraliter, nullum adesse impedimentum, adsitque aliqua rationabilis causa, & adsit periculum scandali, si de nouo fiant denuntiationes; quibus quidem concurrentibus signis, non videtur improbabilis hæc sententia, vt etiam sentit Villalobos *1. part. tract. 13. diff. 24. num. 10.* Procedit etiam conclusio, quamuis matrimonium celebratum fuerit, omissis denuntiationibus ex dispensatione, vt cum aliis Filliucius *sup.* Ratio est, quia Tridentinum *sup. dict. cap. 1.* vtrumque præcipit, & vt præmittantur denuntiationes contractui, & si omittantur ex dispensatione, postea præmittantur consummationi. Et confirmatur, quia ideo prohibetur matrimonium ante denũtiationes, vt vitetur copula fornicaria, si adesset aliquod impedimentum: at idem absurdum sequitur, si non præmittantur consummationi, ergo, &c.

Limita

Limita tamen, nisi fortè Ordinatius absolutè in denuntiationibus dispensauerit, vt infra.

5 Dico quartò, vbi viget Tridentinum, dictæ denuntiationes faciendæ sunt à proprio Parocho, vt habetur expressè in dicto decreto: faciendæ autem sunt à Parocho, siue per se, siue per alium cui ipse committat, vt confirmat praxis. Faciendæ etiam sunt tribus diebus festiuis continuis; quod intelligitur, quamuis inter eos medient aliqui dies feriales, imò sic melius satisfit intento dicti decreti, quod est, vt meliùs impedimenta detegantur, & etiam sufficienter satisfit ipsis verbis decreti. Sufficiet etiam, (quidquid aliqui dicant) vt fiant tribus diebus festiuis absque interuallo feriarum; quia sic sufficienter satisfit intentioni, & verbis Tridentini. Quando verò vna tantùm præmittenda est denuntiatio, expectandum est aliquo temporis spatio post ipsam factam. Hurtado *sup. diff.* 18. *num.* 60. Non tamen videtur mortale, quando fiunt tres denuntiationes, non fieri tribus festis continuis, modò interpolatio non sit notabilis, vt tenet Sanchez *lib.* 3. *disp.* 5 *n* 8. quidquid nimis rigidè Henriquez *lib.* 11. *cap.* 7. *num.* 1. vide Sanchez *sup. disp.* 6.

6 Dico quartò, denuntiationes faciendæ sunt in Ecclesia, vt habetur in dicto decreto Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. & non in quacumque, sed in propria Ecclesia, seu Parochia. Henriquez *loco cit.* Sanchez *disp.* 6. *num.* 4. Bonacina *sup. n.* 10. Hurtado, Coninch, Filliucius, & alij, & deducitur apertè ex ipso decreto, eò quòd in eo dicatur, faciendas esse à proprio Parocho contrahentium: faciendæ etiam in Parochiis vtriusque contrahentium, quando contrahentes sunt diuersarum Parochiarum, sicut practicatur, quia sic poterunt sciri impedimenta; nam illi, qui sunt de Parochia mulieris, fortassè nesciunt impedimenta viri, & è contra. Ita declarauit Congregatio Cardinalium, & docent citati, & alij apud Riccium *in praxi fori Ecclesiast. decis.* 158. & Bonacina *supr.* Limitat tamen Hurtado *sup. vers. Tertiò*: nisi quando ob paruam distantiam Parochiarum sufficiat in Parochia vnius, siue viri, siue fœminæ, vt possint impedimenta manifestari. Hanc autem limitationem non admitto, nam non est secundùm mentem Tridentini, nec sic possunt tam facilè sciri, & manifestari impedimenta. Quando verò contrahens pertinet ad duas Parochias, sufficiet, vt fiant in qualibet earum, in qua sit sufficienter notus. Conuenientius tamen est, vt fiant in Parochia illius parochi, coram quo contrahendum est matrimonium. Quòd si ad vnam tantùm Parochiam pertineat, & in ea non est sufficienter notus, faciendæ sunt cura, & diligentia proprij Parochi in ea Parochia aliena, in qua sit sufficienter notus, vt docet Hurtado: at etsi hoc expediat, non tamen iudico necessarium; nam Trident. decretum solùm loquitur de proprio Parocho, & consequenter de propria Parochia.

7 Nota, etsi in decreto Tridentini habeatur, vt denuntiationes fiant intra Ecclesiam inter Missarum solemnia, hoc esse intelligendum communiter, & regulariter; nam aliquando possunt fieri extra Ecclesiam in loco, ad quem magna populi pars confluit, vt accidit in prædicationibus, etiamsi locus non sit sacer; quia sic sufficienter seruatur intentio Tridentini. Sanchez *disp.* 7. *num.* 9. Bonacina *sup. num.* 17. Filliucius, Hurtado, & alij. Similiter docent posse fieri aliquando in diebus non festiuis, vbi, & quando magna pars populi conuenit, vt si insignis concionator concionem habiturus est, quia finis Tridentini est, vt multi sciant matrimonium contrahendum, & vt detegatur impedimentum, cui fit satis per denuntiationes extra Ecclesiam, etiam in die non festiuo in casibus dictis. Hoc autem ego non admitterem, nisi sit consuetudine introductum, vt benè Hurtado *sup. num.* 61. Hinc colligit Bonacina *sup. num.* 19. denuntiationes posse fieri in festo alicuius particularis Ecclesiæ, in qua magnus hominum cœtus concurrit.

8 Dico quintò, denuntiationes faciendæ sunt, antequam matrimonium contrahatur, etsi adsit suspicio, quòd matrimonium malitiosè impedietur, tunc enim, vt ex dicto decreto constat, vna tantùm sufficiet ante matrimonium, imò si ob vnum timeatur, nulla erit necessaria: at postea ante matrimonij consummationem faciendæ sunt denuntiationes sufficiet tamen tunc vna; vt declarauit Congregatio Cardinalium; quia ex vna parte in hoc casu Tridentinum contentum erat vnica denuntiatione antè contractum matrimonij facienda, & ex alia parte, vna denuntiatione postea facta, satisfit verbis Tridentini. Nec obstant illius verba ibi: *Ante consummationem fiant denuntiationes*, quia hoc in plurali dictum, potest sufficienter intelligi pro omnibus matrimoniis sic celebratis, collectiuè (vt ita dicam) sumptis, non verò pro quolibet diuisiuè. Poterunt etiam tunc omnes omnino omitti, si Ordinarius id iudicet expedire, vt dicitur in dicto decreto. Hurtado *sup. diff.* 18. *num.* 61. & alij.

9 Quam pœnam incurrat Parochus assistens matrimonio, omissis, denuntiationibus absque causa, aut dispensatione, dictum est *dub. anteced. vers. Decimo.*

Dvb. IX.

Quis possit dispensare, vt denuntiationes postponantur, vel vt omnino omittantur.

1 Dico primò, inter antiquo Episcopus non poterat dispensare, vt matrimonium celebraretur sine denuntiationibus; erat enim præceptum in Concilio Generali, vt docet Henriquez *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 5. Quod quidem ius postea per consuetudinem scitam, & toleratam à Summo Pontifice abiit in dissuetudinem, de quo Sylu. *matrim.* 6. *q.* 7. *dist.* 2. & Sotus *dist.* 28. *quæst.* 1. *artic.* 2. Hodie tamen absque dubio aliquo potest Episcopus dispensare, vt omittantur aliquæ, vel omnes tres ante, & post matrimonium, si id iudicauerit expedire, vt decreuit expressè Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. & conueniunt omnes Doctores.

2 Dico secundò, idem potest facere Prouisor, aut Vicarius Generalis Episcopi, vt contra Henriq. *lib.* 11. *cap.* 5. & Basil. *cap.* 5. docent Sanchez *lib.* 3. *disp.* 7. Bonacina *quæst.* 7. *de matrim. punct.* 6. *num.* 7. *vers. Dixi.* Villalobos *tractat.* 13. *diff.* 14. *numer.* 7. Coninch *disput.* 17. *dub.* 6. Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.* 159. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 5. *numer.* 176 Hurtado *disput.* 5. *diff.* 19. *num.* 63. Nauarr. *cons.* 5. *de clandest. desponsat.* & alij. Ratio est, quia etiam est Ordinarius, & idem tribunal, & eadem persona cum Episcopo. Vnde etsi Congregatio declarauit (vt refert Rebellus) quoad hoc nomine Ordinarij intelligi Episcopum, non est excludendus Ordinarius, qui est eadem persona cum Episcopo. Idem possunt facere Abbates exempti, & quilibet habentes iurisdictionem Episcopalem, nulli Diœcesano subditi; vt docent citati contra Basilium, quia etiam isti verè sunt Ordinarij, vt diximus *hoc cap dub.* 1. *num.* 1. & possunt comprehendi nomine Episcopi, cùm habeant iurisdictionem Episcopalem annexam suæ dignitati. Vicarius autem foraneus id facere non potest absque speciali

Episcopi

Episcopi concessione; huius enim facultas est limitata, nec est eadem persona cum Episcopo. Ex dictis sequitur, sicut possunt Episcopi, & habentes iurisdictionem Episcopalem in denuntiationibus dispensare, tempus protogare, vel abbreuiare ex iusta causa, similiter & hanc facultatem aliis delegare, omnia etiam hæc posse facere Vicarium Generalem Episcopi, quia est Ordinarius, & nullibi impeditur, vt consequenter cum aliis docent Sanchez, & Coninch, & colligitur *ex cap. Clericos de off. Vic. & cap. 1. eod. 1. in 6.* Non autem poterit Vicarius Generalis hanc facultatem generalitet delegare, sed ad vnam, vel alteram causam in particulari, vt docent Bonacina *sup. num. 7. vers. Ex quo.* cum Sanchez *lib. 3. disp. 7. num.* 10. & aliis.

3 Dico tertiò, quando contrahentes sunt diuersarum Diœcesum, potest Ordinarius vtriusque dispensare in denuntiationibus, & sufficit dispensatio Ordinarij vnius contrahentis, quamuis matrimonium fiat in Diœcesi alterius Prælati, & hoc propter connexionem inter contrahentes, ratione cuius, qui habet iurisdictionem circa vnum ex contrahentibus, censetur etiam habere in alium. Ita citandi; quia etiam sic satisfit decreto Tridentini; sicut etiam diximus *sup. hoc cap. dub. 2. num. 3.* Ob eandem rationem, contrahentes diuersarum Parochiarum validè contrahere coram Parocho vnius, etiam in Parochia alterius. Ita docent Hurtado *sup. num.* 64. Filiuc. *num.* 275. Sanchez *lib. 3. disput. 7. numer. 7.* Coninch. *disput. 27. dub.6. num.* 54. Villalobos *sup. num. 6.* & cum aliis Bonacina *loco cit. num.7.vers. Sed modò dubium*, vbi limitat hanc facultatem ad Episcopum, in cuius Diœcesi celebratur matrimonium; hæc tamen limitatio non est necessaria, quia vt dictum est, propter connexionem matrimonij; etiam alter Episcopus habet iurisdictionem in casu in alterum contrahentem.

4 Dico quartò, Parochus non potest in denuntiationibus dispensare, vt cum Sanchez, Coninch, Henriquez, & Basilio tenet Hurtado *disput. 5. diff.* 19. *num.*65. & dicit communem Villalobos *sup.n.*8. refertque ita esse declaratum à Congregatione Cardinalium. Et ratio est, quia in Tridentino *sess.* 24. *cap.*1. vbi conceditur facultas dispensandi in denuntiationibus, tantùm conceditur Ordinario, & de Parocho in hoc nulla fit mentio, nisi tantùm vt assistat matrimonio. Vnde audiendi non sunt Veracruz, & Viualdus oppositum sentientes apud Hurtado *vbi supra.* Poterit tamen in aliquo vrgenti casu contrahentes coniungere, omissis denuntiationibus ante contractum, modò fiant ante consummationem, vt docent Sotus *in 4. dist. 24. quast. 1. art. 2.* Ledesm. *in summ. cap. 7. de matrim. concl. 6.* Sanchez *lib. 3. disput. 8. & 10.* Bonacin. *tom. 1. q. 2. de matrimon. punct. 6. num. 7. versic. Dixi*, & constabit in particulari *dub. seq.*

5 Dico vltimò, in Episcopo, vel alio, qui iuxta superius dicta potest in denuntiationibus dispensare, requiritur iusta causa ad dispensandum. Ita Henriq. *lib. 11. cap. 5. num. 5.* Sanchez *lib. 3. disput.* 81 Coninch. *disput 27. dub.* 6. Filliuc. *tom. 1. tract.* 10. *part.1. cap 5. num.* 117. & cum aliis Bonacin. *quæst. 2. de matrimon. punct. 6. num. 7. versic. Tertiò*, & alij. Ratio est, quia Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. hoc negotium reliquit prudentiæ, & iudicio Ordinarij, vt possit dispensare, si ita expedire iudicauerit; quæ verba important arbitrium prudentiale; & regulatum ratione, Menoch. *consil.* 69. *num.* 62. & 63. *volum.* 1. At quando non adest iusta, & rationabilis causa, non agit Ordinarius prudenter dispensando in denuntiationibus, & tunc non expedit, quia dispensatio est receptio iuris communis, quæ absque rationabili causa non expedit: quare peccabit mortaliter contra faciens, nam materia est grauis, Filliuc. *loco citat.* Villalobos *tract.* 13. *diff.* 25. *num.* 5. Non tamen requiritur iudicialis cognitio causæ, sed satis est, si Ordinarius informetur, & certior fiat de causa dispensandi, vt docent Sanchez *disp.* 8. Bonac. *supra.* & alij contra Henriq. *supra*, & alios.

6 An autem aliquando teneatur Ordinarius in denuntiationibus dispensare, dicetur *dub. seq.*

D v b. X.

Ob quas causas possit Ordinarius in denuntiationibus dispensare.

1 Nota, causas ad dispensandum, aliquas esse sufficientes ad dispensandum in denuntiationibus ante matrimonium, hoc est, vt possit fieri, illis non præmissis, modò tamen præmittantur consummationi, hoc est, quòd illis non factis, non possit consummari matrimonium; alias esse sufficientes, vt omnino denuntiationes omittantur, tam antequam fiat matrimonium, quam post factum, etiam ante consummationem. Deinde aliæ sunt sufficientes, vt dispensare possit Episcopus, non tamen ad id teneatur; aliæ sufficient, vt non tantum possit, sed etiam teneatur dispensare, vt infra; de quibus agunt Sotus *in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. §. debitum.* Lopez *in instruct. part. 1. cap.* 87. Nauarr. *cap. 22. num.* 70. Syluest. *matrim. 6. quæst.* 7. Henriquez *cap.* 16. copiosissimè Sanchez *lib. 3. disput.* 9. Coninch. *disput. 27. dub.* 6. Bonac. *tom. 1. quæst. 2. de matrim. punct. 6. num. 7. versic. Rogabis.* Villalob. 1. *part. tractat.* 13. *diff.* 25. Filliuc. *tom. 1. tractat.* 10. *part. 1. num.* 275. & 279. Basilius *cap.* 32. & Hurtado *disp. 5. diff.* 20.

2 Prima igitur causa ad dispensandum in denuntiationibus est, quando prudenter timetur matrimonium iniuste, & malitiose esse impediendum per maleficium, aut per parentum, tutorum, & aliorum fraudes, seu factiones, vt si tutor puellæ intendat, vt indigno nubat, ipsa verò digno nubere velit: in hoc conueniunt DD. & habetur expresse in Trident. *sess.* 24. vbi statutum est, vt tunc omittantur duæ, aut vna denuntiatio, & si ex vna adhuc timetur impediendum matrimonium, quòd omittantur omnes tres, & contrahatur matrimonium; matrimonio verò contracto, quòd fiant denuntiationes ante illius consummationem, nisi aliud Episcopus expedire iudicauerit, quo iudicante ita expedire, poterant etiam tunc omnes tres omitti. Et quamuis Tridentinum solum faciat mentionem huius causæ; eo ipso tamen quòd id expresse concessit, etiam interpretatiuè concessit, quòd dispensare possit Ordinarius in aliis casibus, vt omitti possint ante matrimonium, & etiam post illud contractum, ante eius consummationem, præsertim cum hoc relinquat iudicio, & arbitrio Episcopi; vt docent communiter DD. & Villalobos *supra num.* 3. refert ex Rebello, declarasse congregationem Cardinalium, ita; *Non solum ex causis hic expressis possunt hæ denuntiationes omitti, sed aliis etiam arbitrio Ordinarij, qui eas remittere potest, etiam post matrimonium contractum, & ante illius consummationem.*

3 Secunda causa dispensandi ne præmittantur, sed vt postponantur, est, quando non possunt præmitti absque notabili periculo iacturæ animæ, aut rei temporalis, aut absque impedimento operis notabilis misericordiæ, vt quando duo concubinatij intendunt

intendunt contrahere, & prudenter timetur esse carnaliter miscendos, dum fiant denuntiationes: & quando vir articulo mortis vult concubinam ducere, vt legitimet filios ex ea habitos, vel vt discedat in bono statu; vel vt eam non relinquat inhonoratam, quamuis ex ea non genuerit filios.

4 Tertia iusta causa, vt postponantur, est, quando instat tempus, quo nuptiæ solennes prohibentur, nec possunt prius proclamationes fieri, nec nuptiæ differri sine notabili incommodo, aut periculo animæ ob incontinentiam, præsertim quando essent primæ nuptiæ, quas non expedit consummare, ante solennem benedictionem.

5 Quarta causa iusta, vt denuntiationes omnino omittantur, etiam post factum matrimonium, est, quando non possunt fieri absque infamia contrahentium, vt si viuentes in concubinatu habeantur publicè coniuges.

6 Quinta causa iusta dispensandi, vt omnino omittantur, est, quando nequeunt fieri absque pudore contrahentium, vt quando sunt senes, & quando valde senex contrahit cum valdè iuuene, & quando valde nobilis cum ignobili.

7 Sexta causa dispensandi, vt omnino omittantur, est; quando contrahunt magnates, & non repente, & occultè, quia tunc in ijs facilè constant impedimenta: imò generaliter est iusta causa dispensandi in quibuscumque, quando nullus est timor alicuius impedimenti, vt benè Hurtado *diff.* 10. *ci. num.* 70.

8 Septima iusta causa dispensandi, vt omnino omittantur, est, quando matrimonium prius publicè, & cum denuntiationibus contractum, postea constat esse nullum, quamuis hoc publicè constet, quia tunc ad dispensandum sufficit prior fama, ex qua nullum resultat impedimentum.

9 Octaua generaliter, ob quamcumque notabilem commoditatem contrahentium, siuè spiritualem, siue temporalem potest iustè dispensari ab Ordinario in denuntiationibus, aut præmittendis, aut omnino omittendis, vt commoditas, aut vtilitas exegerit, & prudens Episcopus iudicauerit expedire, vt si virginis deflorator vellet eam ducere, & sit periculum mutandi animum, aut si debeat statim longiùs proficisci, & expediat eum antea contrahere matrimonium, vt proles legitimetur, vel quia aliàs crediter, non depositurum seriò affectum erga concubinam, & ita permansurum in malo statu.

10 Supradictis igitur causis concurrentibus, conueniunt DD. citati, & ferè communiter omnes, posse Episcopum modo dicto dispensare: difficultas tamen est, quando non solùm possit, sed etiam teneatur dispensare.

11 Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap* 5. *num.* 179. Sanchez *disp.* 10. *quæst.* 1. & Villalob. *sup. n.* 5. breuiter respondent, teneri Episcopum dispensare quando scandalum sequeretur non dispensando, vel esset suspicio malitiosi impedimenti, vel expediret valde ad bonum animæ: quando verò nullum publicum, aut notabile damnum sequitur non tenebitur dispensare, sed erit gratia tunc dispensare. Ego autem existimo, loquendo in particulari, cum Hurtado, & Coninch teneri Episcopum dispensare in omnibus casibus supradictis, exceptis quinto, sexto, & septimo: nam tenetur dispensare, quoties dispensatio profuit notabiliter bono communi, aut ipsis contrahentibus, siue spiritualiter, siue temporaliter, vt contingit in 1. 2. 3. 4. & 8. exceptis 5. 6. & 7. quia potestas dispensandi in Prælatis est in bonum commune, & in bonum suorum subditorum, ideo, &c. Quare Episcopos nolens dispensare in illis casibus, quibus tenetur, peccabit; in aliis verò tribus non peccabit, quia non tenetur, cum illis solum agatur de commodo temporali procurando, vnde in illis tribus casibus poterit sine personarum exceptione in vno, & non in alio dispensare, quia Pastor, seu Episcopus non tenetur ex officio omnibus commodis, præsertim temporalibus suorum subditorum prospicere sed solum notabili commodo spirituali, Coninch *disp.* 27. *dub.* 6. *n.* 59.

12 Nota, in casibus in quibus Episcopos tenetur dispensare, si non vult, nec sit periculum in mora, poterit superior adiri per appellationem, ad quem causa tunc deuoluitur, qui tenebitur tunc dispensare, vel cogere inferiorem, vt dispenset, Filliucius *cap. exceptionem in* 6. *de except.* & cum eo Filiuc. *supr. num.* 181. Nihilominus tamen etsi in hoc casu liceat appellare, existimo non ad id teneri, præsertim quia in casibus in quibus licet, & tenetur Ordinarius dispensare, vel est periculum in mora, vel sequitur scandalum, aut notabile damnum, quibus concurrentibus non videtur obligandus inferior ad recurrendum ad alium superiorem, sed posse vti remedio sibi magis commodo, & à DD. approbato. Igitur, quando Episcopus noluerit dispensare in casibus, in quibus tenetur, vel dispensationem iuste petitam iniuste denegauerit, valde probabile, & tutum est posse, omissis denuntiationibus, contrahentes inire matrimonium absque peccato, & Parochum illos coniungere: idem dic, si Ordinarius non potest facilè adiri, & est periculum in mora. Quæ doctrina procedit in his casibus. Primus, si timetur matrimonium malitiosè impediendum. Secundus, quando non possunt præmitti absque periculo notabilis iacturæ animæ, vt in secundo casu. Tertius, quando tempus, quò nuptiæ solennes prohibentur, instat, vt in tertio casu. Quartus, quando non possunt fieri absque infamia, vt in quarto casu. Quintus est, vt si virginis deflorator voluerit eam ducere, & sit periculum mutandi animum, vt in octauo casu. Ratio horum est; quia præceptum non contrahendi absque denuntiationibus tantum est Ecclesiasticum, quod non obligat cum notabili damno, nec cum dicto impedimento: imò in his casibus, ait Hurtado, *supra num.* 72. non est necessaria dispensatio, quamuis Ordinarius possit commodè adiri, & sit paratus dispensationem concedere, quia dispensatio non est necessaria, vbi præcepti obligatio cessat: ideoque in Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 1. in casu, in quo est suspicio, quòd matrimonium iuste impedietur, dicitur, quòd denuntiationes omittantur, nulla facta mentione dispensationis. Ego autem existimo semper esse adeundum Episcopum, si commodè fieri potest, vt sit generaliter in omnibus casibus, quando inferior potest, non existente copia superioris dispensare: nec obstat Trident. *supra*, imò fauet nostræ, sententiæ, nam præmitti, vel omitti denuntiationes, relinquit iudicio, & arbitrio Episcopi, ergo requirendus est, si commodè fieri possit.

13 Nota secundò, non requiritur cognitio iudicialis causæ, vt Ordinarius dispenset: tenetur tamen se informare de veritate causæ, & etiam, an sit aliquod impedimentum, sufficit hæc informatio extraiudicialis, & in foro conscientiæ, vt docent Filiuc. *num.* 177. Villalob. *num.* 4. Hurtado *num.* 73. Sanch. *disp.* 8. Basilius, & alij. Ratio est, quia Trident. id relinquit iudicio, & arbitrio Episcopi ob idque, vt consequenter docet Villalob. *supra*, poterit Episcopus in his extra suum territorium dispensare, quia non exercet iurisdictionem contentiosam, sed voluntariam.

14 Adde,

14 Adde, quando Episcopus ex iusta causa dispensat non posse imponere ei, cum quo dispensat aliquam pecuniæ mulctam pro fabrica Ecclesiæ, vel alio opere pio, quia dispensatio facienda est gratis, vt generaliter disponit Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 18. *de reformat.*

Dvb. XI.

Quanam impedimenta sint manifestanda ex vi denuntiationum.

1 NOta, aut impedimentum est publicum, seu probabile per testes, aut occultum, & improbabile: deinde, aut ex manifestatione sequitur infamia, aut non.

2 Dico primò, si impedimentum sit publicum, aut possit per testes probari, tenemur illud manifestare, quamuis ortum sit ex peccato infami, vt ex fornicatione cum consanguinea: in hoc conueniunt DD. & meritò, quia est quasi quædam iuridica interrogatio, in qua iudex iuste, & iuridice interrogat, ob idque, & ad obuiandum peccato contrahentium, tenemur iusto iudicis præcepto obedire: tenemur tamen prius contrahentem cum tali impedimento, si commode, & absque scandalo possumus, corrigere, seu monere iterum atque iterum, si est spes emendæ, vt desistat, qui si monitus perseuerat, erit denuntiandus.

3 Dico secundò, si impedimentum sit occultum ita vt ipse solus nouerit, ob idque testibus probari non possit. Maior. *dist.* 21 *q.* 2. & supplementum Gabriel. quos sequitur Basil. *c.* 14. existimant, neminem teneri ad denuntiandum, quia aiunt, neminem teneri denuntiare quod probare non potest. At Sanchez *l.* 3 *disp.* 13. *n.* 2. Nauarr. *c.* 22. *n.* 83. Con. *de matrim.* 2. *p. c.* 6. §. 10. *n.* 21. Conin. *d.* 27. *dub.* 7. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *c.* 5 *n.* 185. Villalob *p.* 1 *tract.* 13. *diff.* 26. *n.* 1. Bonac. *tom.* 1. *q* 2. *de matrim. punct.* 6. *n.* 10. quorum opinionem, vt veriorem omnino tenendam censeo. Ratio est, quia quilibet tenetur detegere peccatum inferens damnum proximo, seu tertio, ex S Thom. 2. 2. *q.* 70. *artic.* 1 *ad* 2. quem communiter sequuntur DD. & dixi in Decalog. *l.* 8 *c.* 2. *dub.* 2. tale autem est non detegere impedimentum, nam si dirimens est, si non detegatur, erunt in perpetuo concubinatu; si est impediens fieret iniuria Sacramento, eo quòd contraheretur cum peccato mortali, & quia tales contrahentes peccarent mortaliter. Etenim quilibet tenetur vitare peccatum proximi, si commodè possit, præsertim quando id à superiore præcipitur. at denuntians impedimentum, quamuis ipse solus sciat, potest illud peccatum vitare; ergo tenetur impedimentum. etiam occultum, detegere: quod procedit, quamuis non possit impedimentum probare, quia non tendit hæc denuntiatio ad punitionem criminis admissi, sed ne admittatur; quo in casu denuntiator, si deponat vt testis. & iuratus, sufficit, cum agatur de peccato euitando, & non de punitione, vt dixi in Decalog. *l.* 8 *c.* 3. *dub.* 1. *n.* 8. procedit etiam hæc sententia, quamuis quis sub secreto (intellige extra confessionem) & iuratus sciuerit impedimentum occultum, & quamuis ortum sit ex peccato infamante. Hurtad. *sup. vers. Id autem.* Filliuc. *loco cit. n.* 185 *vers. An autem*, ex Sanc. *sup. n.* 6 Ratio est, quia maior ratio habenda est salutis animæ proximi, quam seruandi secretum, & famam illius, nec obligat iuramentum ad non denuntiandum, quod aliàs tenetur, saltem ex præcepto superioris id præcipientis, mediis denuntiationibus. Tenetur tamen, vt dictum est, & à fortiori in hoc casu, ante denuntiationem præmittere admonitionẽ iteratam, quamdio speratur correctio, præsertim si impedimentum oriatur ex peccato occulto, nisi periculum sit in mora; quòd si non pareat monitus, erit denuntiandus Prælato, modò id facere possit absque considerabili incommodo, aut sine scandalo aliorum, vt docent citati. Quare persona particularis, si ex reuelatione impedimenti timeat sibi graue damnum probabiliter euenturum, non tenetur reuelare, nam non tenetur bono proximi cum tanto suo damno consulere. Quòd si sciens impedimentum sit persona publica, cui ex officio competat prospicere saluti spirituali proximi, tunc tenebitur reuelare impedimentum cum suo notabili damno. Quid si ipsi contrahenti sequatur ex reuelatione impedimenti graue damnum; Respondeo, si sequatur ei damnum iuste, puta quia ex hoc manebit in perpetua paupertate, esse reuelandum, quia magis consulendum est saluti spirituali: si verò sequatur damnum iniuste, quia scilicet punietur publice propter delictum occultum, non est reuelandum; quia reuelatio fit ad peccata vitanda, at in hoc casu non vitantur, imò maiora sequuntur, sic à reuelatione excusatur, si ex ea scandalum graue probabiliter timeatur, etiamsi sciens impedimentum illud probare possit. & quamuis mandatum denuntiandi sub excommunicatione sit positum. Nauarr. *c.* 22. *n.* 83. Ledesm. *in sum c.* 7. *de matrim. concl.* 8. videndus, & alij.

4 Dico tertiò, seruatis supradictis, denuntiare etiã tenetur impedimentum ille, qui illud audiuit à personis fide dignis, si ille, aut illa illud non denuntiat, nam ad impediendum matrimonium sufficit vnus testis, imò infamia, seu fama impedimenti. At si audiuit à persona non fide digna, denuntiare non tenetur; esset enim leuis tunc denuntiando; non tamen est impossibile, vt tenet Hurtado *sup. n.* 76. teneri etiam in hoc casu denuntiare, quando impedimentum non inducit infamiam, quia tunc ea denuntiatio non obest, & prodesse potest, cum inde aliqua cognitio desumi possit; non verò tenetur quando infamiam inducit, neque tenetur quando audiuit, neque meminit à quo, quamuis impedimẽtum non sit infame; neque tenetur quando audiuit à persona nihil certi scienti, ita DD. supra citati.

5 Dico quarto, non solùm alij, sed etiam ipsi contrahentes interrogati, an sint aliquo impedimento irretiti, tenentur fateri veritatem quamuis impedimentum sit occultum, & infame, si nolunt à matrimonio desistere, vt docent Sanchez *l* 3. *d.* 14. Coninch. Basilius *sup.* Filiuc. *loco citato, n.* 18; Nam hic cum non procedatur ad puniendum, sed ad vitandum peccatum mortale, possunt ab Ordinario interrogari, quamuis nulla infamia præcedat, cum sit id fauorabile ipsis contrahentibus: etenim quando agitur de periculo animæ, vt hic, potest exigi iuramentum à reo, ex Abb. *capit continebatur, de sponsat. impuberum*, *num.* 8. Quòd si contrahentes iam sunt dispensati in impedimento occulto, quamuis occulte tantum, & in foro conscientiæ, non tenentur impedimentum manifestare, quia tunc impedimentum reputatur, vt nullum ac proinde interrogati negare possunt, vtendo mentali restrictione: imò si is interrogatus Notario, vel Iudici ipsius confessionem excipienti dicat, se habere impedimentum, sed iam obtinuisse dispensationem in foro conscientiæ, potest Notarius, vel Iudex id non scribere, & monere, vt se corrigat, id negando cum restrictione, & delere confessionem, si fortè iam sit scripta, ante quam ipse confitens subscribat, minimè

vero postea, quia iam tunc est iudicialis confessio, inceptumque iudicium, & confessio deducta ad forum contentiosum. Sanchez videndus *lib. 3. disputat.* 14 Ob eandem rationem alij, qui sciunt impedimentum occultum, si etiam sciant dispensationem, quamuis occultam, non tenentur illud reuelare, Hurtado *disp. 5. diff. 21. n. 76. vers. Et non.* Ratio est, quia contrahentes in hoc casu valide, & sine peccato contrahunt.

6 Ex his sequitur contra Basilium *cap. 35.* Parochum, qui extra confessionem scit impedimentum occultum, quamuis infame, non posse in matrimonio procedere, sed teneri illud ordinario Iudici denontiare, quamuis ipse solus sciat: similiter Ordinarius, quando extra confessionem nouit impedimentum occultum, quamuis infame, non potest dare licentiam ad contrahendum, quamuis ipse solus sciat, sed tenetur illud ad Nuntium, vel ad alium Iudicem legitimum defetre: limita tamen, nisi quando Parochus, & Ordinarius sciunt dispensationem occultam, quia tunc, quando non est ipsis denuntiatum, possunt dissimulare quia iam impedimentum tunc reputatur, vt nullum. Quòd si aliquis deontiet Parocho, vel Ordinario, tunc neoter poterit dissimulare, sed tenetur non admittere dispensationem; ideo non poterit illos coniungere, donec afferant dispensationem pro foro exteriori, quia illa solùm prodest pro foro interiori Dixi, *extra confessionem*, quia quando sciunt impedimentum ortum ex peccato noto tantum in confessione, non possunt illud denuntiare, poterit tamen intra confessionem monere pœnitentem, vt desistat, non autem extra confessionem, nisi prius petita venia (si commode potest) loquendi eum illo de auditis in confessione, quando creditur profuturum, & ipsum non ægre laturum eam veniam ab ipso peti, iis enim concurrentibus, tenebuntor eum secretò monere, vt à matrimonio desistat. Hurtado *sup. n.* 77. Villalob. 1. *p. tract. 13. diff. 26. n. 3.* Vide Sanch. *lib. 3. disp. 15. & 16.*

7 Colligitur secundò, quando opponitur aliquod impedimentum coram Parocho non posse ad matrimonium procedere, quamuis possint prosequi denuntiationes, sed teneri illud ad Ordinarium deferre, qui testimonio alicuius testis quamuis singularis, matrimonium impediet, ne contrahatur.

8 Colligitur tertiò, quando dispensatio conceditur pro solo foro conscientiæ, seu interiori, si postea matrimonio iam contracto detegatur impedimentum, recorrendum esse ad Papam pro foro externo, non quòd matrimonium sit nullum coram Deo, sed quòd in foro exteriori iudicandum sit nullum; potest tamen benignus iudex tacere, & relinquere eos in suo matrimonio, si nullius adsit instantia, quia tenetur est matrimonium, & dispensatio fuit valida. Sanchez videndus *lib. 3. disp. 15. n. 5. & 7.* vide etiam Barbosa in variis, vbi de locis *loco* 50. *n.* 4 *& 5.*

9 Tribus ergo monitionibus factis, si aliquod impedimentum non adparuerit, quod obsistat, Parochus ad matrimonium procedere potest absque alia Episcopi licentia, habet enim ad hoc facultatem à iure, & ex officio, vt docent Nauarr. *c.* 22. *n.* 69. Syluest. *matrim. 2. in fin.* & alij, & prius interrogatis contrahentibus de mutuo, & reciproco eorum consensu; dicat hæc, aut alia verba pro consuetudine regionis: *Ego vos coniungo, in nomine Patris, &c.* Id est, declaro esse coniunctos, quæ quidem verba non sunt de essentia, vt dixi *sup. c. 3. dub. 5. & hoc c. dub. 5.* & docent Henriq. *lib.* 11. *c.* 7. *n.* 1. Demum tenetur Parochus habere librum, & in eo scribere nomina coniugum, & testium, & locum, & tempus, in quo celebratum est matrimonium; quia id præcipitur in Trident. *sess.* 24. *c.* 1. ad quod tenetur sub mortali, quia est res grauis, vtpote maximè conducens ad euitandas lites, & inconuenientia, quæ ex omissione dictorum oriri possunt. Hurtado *disp. 5. diff. 21. n.* 78. Henriq. *l.* 11. *c.* 7. *n.* 4. & alij.

DVB. XII.

Vtrum benedictiones nuptiales vulgò Velaciones, *adhibendæ sint.*

1 Dico primò, benedictiones nuptiales, quibus iam coniugati benedicuntur solemniter, non esse necessarias ad valorem matrimonij. Ita communis DD & ratio est, quia matrimonium supponitur validum ante ipsas, quando adhibentur. In Can. autem. 30 *quæst.* 5. quando dicitur, coniugium, cui non accedunt benedictiones, non esse legitimum, tantum significatur, non esse secundum totum decorem, & secundùm totam honestatem requisitam à lege, seu iure.

2 Dico secundò, benedictiones nuptiales esse necessarias ex præcepto, ita etiam communis DD. & constat *ex* 30. *quæst.* 5 *præsertim ex cap.* 3. & ex consuetudine id declarante, quia in omnibus Diœcesibus iam coniugati compelluntur ad eas recipiendas: consequenter sequitur esse peccatum illas omnino omittere: est tamen difficultas, an sit mortale aut veniale. Ochagauia *tract. 5. q. 5.* docet esse mortale, quia sunt magni momenti, & valde congruentes progressui matrimonij. Sanchez verò *lib. 1. disp. 82. n.* 6. quem sequitur Hurtado *disp. 5. diff. 21. num* 83. docet esse tantum veniale, & meritò, secluso tamen scandalo, & contemptus quia tantum sunt sacramentale quoddam, quod non apparet magni momenti, neque valde congruens progressui matrimonij.

3 Dico tertiò, benedictiones istas nuptiales prohibitas esse fieri ab Aduentu, vsque ad diem Epiphaniæ inclusiuè, & à feria quarta Cinerum, vsque ad octauam Resurrectionis inclusiuè; in aliis verò temporibus, etiam in eis, in quibus antiquitus prohibitæ erant, nunc permittuntur fieri: patet ex Trident. *sess.* 24 *cap.* 10.

4 Dico quartò, stando in iure communi, quando vnus ex coniugatis, siue vir, siue fœmina contrahit secundas nuptias, & in prioribus benedictionem accepit, nuptias illas secundas non esse benedicendas, saltem respectu illius, qui eas accepit, quia benedictiones solemnes Ecclesiæ non repetuntur eidem rei, ex cap. *vir.* 3. *de secundis nuptijs*, quod verum est, etiam quando primæ nuptiæ benedictæ inueniuntur fuisse nullæ, vt docet Sanch. *supra*, & bene Hurtado *loco cit. n.* 84. & Filliuc. *tom. 1. tract. 10. p. 2. cap. 4. num.* 169. & dixi *supra*. At quia circa hoc variæ sunt consuetudines, & dispositiones synodales, & rituales in variis Diœcesibus, standum erit propriæ consuetudini, ideo consulendi sunt Rituales, & consuetudines.

5 Dico quintò, regularem, vel sæcularem, qui absque licentia Parochi, vel Ordinarij benedixerit nuptiis sibi non subditorum, tandiu manere suspensus, quamdiu Ordinario Parochi, ad quem pertinebat benedicere, videatur, vt statuit Trident. *sess.* 24. *c.* 1. ob quam pœnæ impositionem, cessare videtur pœna excommunicationis lata in Clement. 1. *de priuileg.* contra Religiosos matrimonia solemnizantes, vt docet Hurtado *sup. n.* 85. & dixi *hoc cap. dub. 7. vers. Nona.* Sacerdos autem proprius benedicens

cens secundò nuptias, in casu non permisso, venit puniendus ab Episcopo grauiter, aut leuiter secundum delicti circumstantias, vt cum Sanchez *loco cit. n.30.* docet Filiuc. *sup. n.70.*

6 Dico sextò, qui contrahunt matrimonium coram Parocho, & testibus, ac præmissis denuntiationibus, illud tamen consummant ante benedictiones nuptiales, nullam de facto iuris pœnam incurrunt, vt dixi *sup. hoc cap. dub.7. in fin.* imò nec peccant mortaliter, nisi adsit scandalum, aut contemptus; & aliquando nec venialiter, si adsit aliqua causa, nam de hoc nullum est præceptum, & Tridentinum solùm hortatur: aliquando verò erit sanum consilium, ante benedictiones consummare, præsertim si adsit periculum incontinentiæ. Alicubi tamen imponitur excommunicatio, si in eodem tecto, & lecto ingiter cohabitent ante benedictiones, vt in Salmanticensibus constitutionibus, in nostra autem Valentina Diœcesi nulla est imposita censura Vide de iis Henriq. *l.11. c.5. n.7. & c.7. n.3.*

7 De matrimonio clandestino, & pœnis clandestine contrahentium videre etiam poteris Barbosam *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 32. vbi *num.* 196. tenet esse peccatum mortale contrahere matrimonium sine licentia Episcopi, temporibus quibus prohibitæ sunt: quod intellige, nisi aliud ferat approbata consuetudo, modò benedictiones non adhibeantur: & à *num.* 198. *vsque ad* 204. tenet tempore interdicti, nec matrimonium, nec benedictiones absque priuilegio celebrari posse; sed de iis dixi in expositione Bullæ *lib.* 1. §. 3. *dub.* 2. *num.* 1. & *dub.* 9. *per totum*, & dicetur Deo fauente, vbi de censuris, & infra de impedimentis impedientibus tantum.

CAPVT VII.

De matrimonio coacto.

DVB. I.

Vtrum matrimonium contractum ex metu iniusto cadente in virum constantem sit nullum.

1 NOTA, metum alium esse intrinsecum à causa naturali, seu non libera procedentem; vt à fera, tempestate, &c. alium extrinsecum, ille scilicet, qui procedit à causa libera, vt ab homine. Rursus, alium esse cadentem in virum constantem, qui etiam dicitur grauis, seu probabilis; alium cadentem in virum inconstantem: deinde alius est iuste illatus, alius verò iniuste: demum alius infertur ad extorquendum matrimonium, alius verò minimè, sed in alium finem: quid ij sint, dixi in Decalogo *tomo* 1. *l.1. c.2. dub.3. n.1.* vbi de voto ob metum facto, & *t.2. l.7. c.16. dub.4. n.1.* vbi de contractibus metu factis vide ibi, ac Bonacin. *tom.1. q.3. de matrim. punct.* 1. à *n.1. vsque ad* 7. Nihilominus tamen circa diuisionem metus in grauem, & leuem, de quo est præcipua difficultas, breuiter dico.

2 Metus grauis, probabilis, aut cadens in virum constantem, esse dicitur, quo quis cogitur eligere minus malum ad maius vitandum, vt facit nauta, qui metu procellæ ne pereat, proiicit in mare merces; quando ergo malum, quod minatur, est maius, quam illud, quod per metum fit, dicitur cadere in virum constantem: nam illud constans vir eligeret eo in casu. Metus leuis, seu cadens in virum inconstantem ille dicitur, quo aliquis maius malum, & inconueniens eligit ad euitandum minus malum, vt si quis iuret se contracturum ob metum, ne perdat vnum aureum.

3 Mala autem, quæ inferunt grauem metum, hæc dicuntur. Primò metus mortis, vel mutilationis alicuius membri; vt manus, pedis, oculi, narium, & aurium; tum etiam magni cruciatus, verbera atrocia, vincula, carcer perpetuus, aut longinquus. Item, seruitus, stuprum, siue in viro, siue in fœmina, vel amissio status honorifici, *C. de his quæ metus causa fiunt cap. cum dilectus de his, quæ vi, & leg. ne timorem, ff. quod met. causa.* Item, metus amissionis omnium bonorum, vel maioris, aut magnæ partis, aut notabilis. Item, metus infamiæ iuris, aut facti, cum melius sit bonum nomen, quàm diuitiæ multæ. Item, metus excommunicationis iniustæ; quia excommunicatio est grauis pœna: secus si iusta sit, quia excommunicatio iusta facilè aliis mediis caueri potest, videlicet sublata contumacia, & quia est medicina. Idem existimat dicendum Henriq. *lib.11. cap.9. num.5.* & Basil. *lib.4. cap. 5.* absolutè de timore reuerentiali, qualis est filiorum respectu parentis, aut tutoris; vxoris respectu viri, & serui respectu Domini: verius tamen est præcisè, & absolutè hunc timorem non esse grauem, sed leuem, nisi coniunctus sit cum minis, vel cum timore malæ tractationis, vel cum alio incommodo, vt contingit, quando patres truculenti solent inferre graue damnum filiis non obedientibus. Idem dic de precibus importunis, hæc enim non inducunt grauem metum, nisi inuoluant vim aliquam, aut damnum aliquod: vnde nec grauis indignatio prædictarum personarum solum, nec Importunæ preces seorsum, seu præcisè inducunt grauem metum, quidquid Basilius *supra*, vt dixi *dub.4. de contract. cit.* & docet Hurtad. *disp.6. diff.1. n.2.* vide Sanch. *l.4. d.6. & 7.* & Bon *sup. n.6.* Ex his constat quisnam metus dicendus sit leuis, videlicet ille, qui iuxta superius dicta non censetur grauis.

4 Adde cum Sanchez *l.4. disp.* 3. & 5. Coninch. *disp.28. dub.2. num.33.* Bonacin. *vbi sup. vers. Addo*, ex S. Thom. *quæst.* 47. *artic.* 2. *ad* 2. relinquendum esse arbitrio prudentis viri, iudicare, quinam metus sit cadens in constantem virum, & qui non cadens: nam metus non est considerandus, nec metiendus ex causa, ex qua nascitur, & ex natura rei, sed potius ex persona, cui incutitur: vnde aliquando metus, qui ex obiecto est lenis, ex circumstantiis loci, & personæ, ac temporis potest esse grauis, non enim omnes homines æqualiter mouentur, etiam seruata virtute constantiæ, cum possit aliquando contingere, vt aliquis maius malum reputet colaphum, aut leuem verberationem, aut victus priuationem per aliquot dies, quam contrahere matrimonium; quod solet contingere in fœminis, ac viris meticulosis; quare contrahere matrimonium cum huiusmodi metu, censetur contrahere cum metu cadente in virum constantem.

5 Adde etiam, metum cadentem in virum constantem, non solùm censeri, quando aliquid ex prædictis malis imminet nobis, seu propriæ personæ; sufficit enim quòd immineat alicui personæ coniunctæ, quod aliqui recentiores nó improbabiliter, extendunt ad consanguineos, & affines (ex copula tamen licita) vsque ad quartum gradum, tum etiam ad amicum, maximè familiarem, quia amicus est alter ego; sed probabilius, & verius Henriq. *sup. n.5.* Id limitat vsque ad primum tantum gradum, seu ad has personas, vt sunt parétes, coniuges, filij, fratres, sorores, nepotes vel alij strictissimo necessitudinis vinculo nobis coniuncti, de quo Bon. *sup.* cum aliis.

6 Nota etiam, dubium hoc procedere in casu quo hic, qui per metum contrahit, verè, & realiter consentit, ex metu tamen, ita quòd aliter non esset consensurus; nam si reuera non consentit, sed tantum fingit, & simulat se consentire, certum est, tale matrimonium iure naturæ, & Ecclesiastico esse inualidum omnino, & irritum, quia vt sæpè supra dictum est, consensus internus est de substantia huius, & cuiuscumque contractus. His suppositis,

7 Dico igitur metus grauis seu cadens in virum constantem iniustè illatus à causa extrinseca, seu libera, animo extorquendi matrimonium, irritat illud in vtroque foro. Nauarr. *cap.22.n.5*. Henriquez *l.11.c.9.n.2.* Sotus *dist.* 29.*q.*1. Sanch. *l.4. disp.* 14. Coninch. *disp.28.dub.1.n.5.& 16.* Bon. *q.3. punct.* 8.*n.*8. & communiter DD cum S. Thom. *dist.29. q. unic. q.*1. & ita supponitur *in cap. significauit 2. de eo qui duxit in vxorem*, ibi: *Cum locum non habeat consensus, vbi metus, vel coactio intercedit, & cap. veniens eodem*, ibi: *Nisi metu coactus, &c. & cap. significauit de eo qui*, ibi: *Si constiterit, quòd tanta vis illata fuerit* Et merito quidem, etenim conuenientissimum fuit, talia matrimonia ab Ecclesia irritari in vtroque foro: tum quia coniunctio Christi significata per matrimonium libera fuit: tum, quia id requirunt indissolubilitas matrimonij, & illius onera, vt omnino libere contrahatur: sequuntur etiam quàmplurima damna, & exitus infœlices ex matrimonio coacto. Procedit hæc conclusio, etiamsi contrahens cogatur contrahere cum incerta de certis: & quamuis contractum sit in præsentia consanguineorum, modò metus non cessauerit, Filliuc. *tom.1.tractat.10.p.1.c.4 n.*104. Sanchez *sup. n.*21. cum aliis: vnde non est audiendus Cardinal. *c.2.de ys qui*, dicens tale matrimonium non esse irritum sed irritandum, sicut contingit in aliis contractibus; tum quia est contra communem Theologorum; & Canonistarum; tum, quia etsi Ecclesia non irritauerit omnino alios contractus, irritauit tamen matrimonium ob rationes dictas vt constat ex dictis iuribus, & dixi vbi de contractibus, *dub. 4. cit.* Hinc constat, si pater inueniens cum filia stupratorem incutiat metum mortis, mutilationis, aut aliud graue malum, ex dictis eo fine, vt ducat filiam stupratam, si stuprator ex hoc metu consentiat, matrimonium esse nullum, quia talis metus est grauis, illatus à causa extrinseca, scilicet homine, & animo extorquendi matrimonium.

8 Est tamen difficultas apud DD. an metus grauis non solum irritet matrimonium iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturali. Nam Couarruu. 2. *part.*2.3.§.5. quem sequitur Basilius *lib. 4. cap.*14. docent, esse etiam irritum iure naturæ. Henriquez verò *dict.cap.*9 Lessius *l.2.c.1.dub.7.n* 57. Sanchez *disp.*14.*citat.* Filliuc. *sup.n.* 109. Hurtado *diff.* 2. & cum aliis Bonac. *sup.n.8.in fin.* & alij, verius docent tale matrimonium non esse irritum iure naturæ, sed irritandum, vt contingit in aliis contractibus, vt dixi *loco citato*, & quia sequeretur etiam, quòd metus leuis irritaret iure naturæ matrimonium, quod est falsum, vt infra, nam hic etiam metus tollit liberum consensum. Hinc sequitur matrimonium per vim, & metum grauem celebratum inter fideles esse validum, nisi extet aliqua lex inter eos irritans tale matrimonium, Sanchez *l.4. disp.*14.*n.* 3. Bonacina *supra n.*9. & alij. Ratio est, quia matrimonium celebratum per metum grauem non est inualidum iure naturæ, vt dictum est, sed iure Ecclesiastico, cui non subsunt infideles. Hoc tamen pro certo habeo cum communi, matrimonium graui metu contractum non esse irritum iure diuino, quia de illo non constat: concludendum igitur est, tale matrimonium esse irritum omnino solo iure positiuo Ecclesiastico.

9 Dixi in conclusione, *metum grauem irritare*, nam si metus ex se, & ex circumstantiis sit leuis, nec iure Ecclesiastico irritat matrimonium, vt docent S. Thom. *distinct.29 quæst.vnic.artic 3. quæst.*1. Sot. *dist.29.quæst.1. artic.*3. Sanchez cum aliis *disp.* 17. Filiuc *supra n.*116. Bonacina *supra n.* 8. Hurtado *supra*, & communiter DD. quia nec iure naturæ, nec Ecclesiastico est irritum, sicut nec sunt irriti alij contractus ob talem metum celebrati, vt dixi in Decalogo *lib 7.c.16. dub. 4. n.7.* & confirmat vsus Ecclesiæ talia matrimonia approbantis; non enim fauet Ecclesia contrahenti ex metu leui, ac contrahenti ex metu graui; nam hic rationabiliter operatur eligendo minus malum ad maius vitandum: non verò ille, ideoque metus leuis non tollit libertatem, quam ius requirit ad matrimonium: & confirmatur, quia hic metus non irritat votum, nec professionem; ergo, &c. Quòd si metus ex se leuis ratione circunstantiæ personæ, loci, vel temporis prudenter iudicatur grauis, tunc dirimeret matrimonium, quia tunc absolute potest dici grauis, & vere potest dici tale matrimonium contractum ex metu cadente in virum constantem, ideoque erit irritum, Henriquez *lib.11.c.9.n.34.& c.17.n.1.* Filliu. *sup.n.*115 & alij, & patet ex supradictis.

10 Dixi secundò *iniuste illatum*, nam si metus iusto incutiatur, tunc matrimonium ex illo metu extortum validum est, vt docent Henriquez *l.11.c.9.* Ledesm. *de matrim.q.47.artic.3.dub.*1. Coninck. *d.*28. *dub.*1. Filliuc. *tom.1.tract.10.p.1.c.4.n.* 107. Sanchez *d.14.n.13.* Hurtad. *d.6.diff.3.n.*12. & alij. Ratio est, quia talis metus magis censetur oriri ab intrinseco, cum procedat ex lege, & natura delicti, quam ab extrinseco, sic valet matrimonium, quando quis comminatur, se accusaturum eum, qui virginem deflorauit, nisi eam ducat; nam tunc non censetur inferri metus, sed potius metus iam conceptus ex delicto censetur conferri, offerendo matrimonium tanquam medium: & confirmatur quia hic metus non rescindit cæteros contractus, nec professionem, ex Nauarr. *consil. 27. de regul. & consil.* 28. *de his quæ vi*, & aliis. Limitant tamen hanc doctrinam Rebellus *quæst. 11.sect.*2. & cum aliis Bonacin. *quæst.* 3. *punct.*8. quando metus incutitur ob causam, propter quam quis iure compelli potest ad matrimonium, vnde valet matrimonium, quando quis virginem stuprauit per vim, & eam ducit metu accusationis. Item valet matrimonium, quod stuprator dolosus contraxit cum stuprata, per metum excommunicationis, vel mortis, mutilationis, aut alterius grauis mali incussum sibi à iudice ad extorquendum consensum, quando scilicet lex statuit sub pœna excommunicationis, vel mortis, vel alterius mali, vt habetur *c.1.& 2.de adulterys*, & docent citati: iudex enim iuridice procedens non dicitur propriè inferre metum, propterea iudex per excommunicationem cogens sponsos ad contrahendum ex iusta causa, non reddit propterea matrimonium inualidum, vt si sponsus noluerit sine iusta causa stare sponsalibus. Quod procedit etiamsi sententia materialiter sit iniusta, modò iudex procedat secundùm allegata, & probata, Sanchez. *supra num.* 8. Secus autem dicendum, ait Bonacina, quando quis cogitur absque occasione ab ipso data ex se inducente ad eam coactionem: sic, ait, inualidum est matrimonium quando quis metu accusationis duxit virginē, quam cognouit, ipsa voluntarie consentiente, nam in hoc casu non tenetur eam alias ducere, etsi accusatio

cusatio

cusatio tunc licita sit ad petendam iniuriæ satisfactionem, non verò in ordine ad matrimonium. Item nec valet matrimonium contractum à Principe eum filia alterius, metu iosti belli, aliàs, iniustè inferendi ab illo Principe, aut, si quis minatur, accusare aliquem de furto, nisi talem mulierem ducat, ita Bonacina. Nihilominus tamen prior sententia absolutè videtur probabilior, vt etiam sentiunt Filiuc. *supra* & Villalob. 1. *part. tract.* 13. *diff.* 37. *n.* 7. Tum, propter rationes dictas; tum, quia tunc matrimonium non est inualidum iure naturæ, vt constat ex conclusione, quia hic metus non aufert sufficientem libertatem; neque iure Ecclesiastico, quia non constat eo irritari, nisi matrimonium factum ex metu graui iniusto, & ad id exterius incusso, vt significatur in iuribus in dicta conclusione adductis.

21 Dixi tertiò, *à causa extrinseca seu libera*, nimirum ab homine, vt si homo alteri comminatur graue malum iniustè, nisi Bertam ducat: vnde valet matrimonium contractum ob metum grauem ortum à causa intrinseca, seu naturali, vt quando quis, v.g. contrahit cum concubina metu tempestatis imminentis, vel pessimæ feræ, vel morbi periculosi, vel inferni timore, vt tenent DD communiter, quia metus non est extrinsecus, nec à causa liberat animo extorquendi matrimonium, sed intrinsecus, & à causa naturali, ad quem euadendum ille sponte, & voluntariè eligit matrimonium tanquam medium. Sanchez *disp.* 12. *l.* 4 Henriq. *dict. c.* 19. & alij.

22 Dicitur quartò, *animo extorquendi matrimonium*, vnde conueniunt DD. matrimonium contractum ob metum grauem iniustè ab homine incussum, esse validum, si non incutiatur ad finem extorquendi matrimonium, sed ob alium finem. Ratio est, quia Ecclesia non illud irritauit, & metus non est causa, sed occasio matrimonij, non enim ab aliquo inducitur ad matrimonium, sed potius ipse voluntariè se mouet, & eligit matrimonium ad vitandum malum alio fine commionatum, & imminens: ob quam rationem valet matrimonium, cùm morte damnatus ob sua crimina, sponte, vt euadat mortem, eligit matrimonium meretricis, iuxta morem aut statutum alicuius regionis. Item, si huic iam ad mortem damnato iudex promittat libertatem, si ipsius filiam ducat. Item quando parentes inueniunt stupratorem cum filia, & volunt illum interficere in vindictam, nulla facta mentione matrimonij, ipse verò stuprator sponte, vt euadat periculum, eligit matrimonium, & promittit ducere eam: at si probabiliter præsumitur, malum illud illatum esse animo extorquendi matrimonium, esset irritum. Item valet matrimonium, si inuasus à Petro etiam iniustè, postulat à Ioanne auxilium, qui non vult illud dare, nisi contrahat eum filia ipsius Ioannis: similiter si medicus non vult mederi Ioanni, nisi Ioannes cum filia ipsius medici contrahat, quia id petit tanquam stipendium. Item, valet matrimonium si inuasus à tyranno dicat: *Ne me occidas, & ego tuam filiam, aut aliquam ex tuis mulieribus ducam*, dommodo metus non fit incussus animo extorquendi matrimonium: eodem modo valet matrimonium, quo obsessus contraxit eum filia obsidentis, vt euaderet molestiam obsessionis, modò obsessus non fuerit ad hunc finem. Item, valet matrimonium contractum ab eo, quem medicus dixit periturum ob humorum abundantiam, nisi duceret vxorem. Vide de his, & similibus, Henriquez *lib.* 11. *c.* 9. Sanchez *l.* 4. *disp.* 12. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *c.* 4. *quæst.* 2. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 13. *diff.* 37. *num.* 2. & Bonacin. *tom.* 1. *q.* 3. *de matrim punct.* 8. *à num.* 16.

DVB. II.

In quo aliqua de matrimonio coacto resoluuntur.

1 QVæres primò, an matrimonium inualidum propter metum cadentem in virum constantem, postea fiat validum per copulam subsequutam? Affirmant Paludan. Bartol. Ledesm. & Angel. apud Hurtado *disp.* 6. *diff.* 6 *n.* 21. dicendum tamen est, nullo modo reualidari, si copula graui metu sit extorta, vt docent (quidquid dicant citati) Nauarr. *c.* 22. *n.* 51. Henriq. *lib.* 11. *c.* 9. *n.* 7. Sanchez *l.* 4. *disp.* 18. *num.* 5. Coninch. *disput.* 28. *dub.* 4. Basilius *lib* 4. *cap.* 17. Hurtado *sup. num.* 22. cum aliis Bonac. *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim punct.* 8. *num.* 14. Ratio est, quia non potest esse validum matrimonium, nisi validus sit consensus sed consensus per metum grauem extortus est inualidus; ergo etiam est inualidum matrimonium, quamuis consummatum sit, per metum, nam consensus non suppletur per copulam habitam ex metu.

2 Quid si copula subsequuta, non fuit coacta, sed libera? Respondeo, si habita sit affectu fornicario, & non coniugali, certum est, non reualidari tale matrimonium, quia non est signum affectus coniugalis: si autem habita sit sponte, & affectu maritali, reualidetur tale matrimonium, modò alter non coactus perseueret in consensu, vt dixi *supra*, quia vt dictum est, *loco citato*, cum non sit necesse, quòd consensus sint simul tempore, & consensus vnius fuerit legitimus, si alter accedat, videtur satis esse; quod quidem sufficienter exprimitur per copulam sponte affectu maritali habitam, *cap. is qui fidem de sponsalib.* & deducitur *ex cap.* 2. *de eo qui duxit* S. Thom. *dist.* 19. *quæst vnica, artic* 3. *quæst* 2. Nauarr. *vbi sup.* Filiucius *num.* 113. & alij. Eodem modo ratificatur per diuturnam cohabitationem spontaneam, quamuis non intercedat copula, si permaneant in tali matrimonio, etiam data opportunitate fugiendi, aut recedendi, *ex c ad id* 21. *de sponsalib.* talis enim cohabitatio videtur signum liberi consensus de nouo habiti Nota tamen, Hurtado *vbi sup n.* 20. existimare, prædicta matrimonia his duobus vltimis modis reualidari quidem, sed tantum in foro exteriori. At verius est, in vtroque foro renalidari vt dixi *dub citat.* nam copula affectu maritali habita, quando aliter non potest exprimi internus consensus, est sufficiens signum illius, quidquid Hurtado.

3 Quæres secundò, an matrimonium nullum ob metum grauem, fiat validum, propter iuramentum. Respondeo, & dico primò, si contrahens ex metu graui, eodem metu matrimonium confirmat iuramento, iurando se ex animo contrahere, etiamsi addat, se seruare tale matrimonium tanquam habiturum, non validatur matrimonium tali iuramento. Ita *ex c.* 2. *de eo qui duxit.* vbi expresse habetur, eum, qui post matrimonium metu contractum; & iuratum aliam duxit, permansurum cum secunda, & prius matrimonium fuisse nullum: & ratio est, quia tale matrimonium est irritum defectu liberi consensus; at iuramentum non supplet defectū consensus substantialiter requisiti. Ita Doctores communiter. Ex quo fit, si iuramentum apponatur matrimonio contracto per metum per verba de præsenti, vt *Duco te, & iuro me ducere*, esse nullum, sicut est matrimonium, quia iuramentum sequitur naturam actus, super quem cadit, & tacitè includit easdem conditiones ipsius actus; at matrimonium, super quod

cadit, est nullum; ergo Quod procedit, etiamsi hoc iuramentum addatur voluntariè tali matrimonio coacto, vt cum communi Hurtado *supra num. 25.* quis ex natura rei, neque ex aliquo iure positiuo matrimonium nullum validatur iuramento. Consequenter sequitur hoc iuramentum nulla egere dispensatione, aut relaxatione, vbi nullum est iuramentum, nulla obligatio, nullumque vinculum. Sanchez *lib. 4. disput. 20. num. 15.* & cum aliis Filiucius *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 6. num. 121.* & Bonac. *quæst. 3. de matrim punct. 8. num. 26. & 27.*

4 Dico secundò, si contrahens matrimonium per metum grauem ex eodem metu promittit cum iuramento se semper tale matrimonium ratum habiturum, seu illi non contrauenturum, seu de nouo illud contracturum, nec etiam tunc hoc iuramentum obligat, nec eget aliqua relaxatione, vt docent Sanchez *sup quæst. 4. num. 19.* Filiucius *loco cit. n. 122.* contra Henriquez *dict. cap. 9* Coninch. *disput. 28. dub. 4.* & Hurtado *sup. num. 23.* Ratio est, quia est contra bonos mores, & bonum publicum, vti tali matrimonio nullo, quod non potest conualescere absque nouo consensu libero. Ita etiam Bonacina *sup. num. 29.*

5 Quæres tertiò, vtrum quando matrimonium fuit nullum ob iniustum metum, cuius alter contrahens fuit causa, iste, qui fuit causa teneatur postea contrahere, si velit ille, qui fuit coactus. Certum est in hac re eum qui omnino liberè contraxit cum coacto ex metu irritante matrimonium, non teneri postea contrahere cum eo, quando non fuit causa dicti metus, quia ex nullo capite obligatur; nam hoc matrimonium nullam parit obligationem cum sit nullum ex parte vtriusque, nam est relatiuum, & si in vno est inualidum, erit etiam in alio: ideoque non coactus, si ignorauit alteri fuisse metum incussum, non est cogendus stare matrimonio, sed potest ab illo recedere, cognita eius nullitate, vt colligitur *ex cap. 1. de eo, qui duxit*, quia cùm non adsit dolus, non est, cur cogendus sit. Difficultas ergo est, an qui metum incussit, aut fuit occasio illius, teneatur contrahere de nouo, si alter velit., Affirmant Nauarr. *cap. 22. num. 5.* Henriq. *cap. 5c.* Coninch. *disp. 28. n. 7.* Basilius *lib. 4. c. 17.* Quod colligitur ex *cap. 1. de eo, qui duxit*, ne scilicet deceptor ex dolo commodum reportet: tum quia iniuriam intulit, quam aliter resarcire non potest: tum etiam quia idem contingit in aliis contractibus coactis, vt in venditione, in qua tenetur stare emens, si coactus venditor velit. Negat verò Sanchez *lib. 4. disput. 15.* & cum eo Hurtado *disp. 6. diff. 4. num. 16.* nisi aliàs ex tali matrimonio coacto secuturum sit aliud damnum extrinsecum, quod nequit aliter resarciri: & est adeò graue, vt ob eius recompensationem non iudicetur rigidum, ad tantum obligari. Hanc sententiam probant, quia, inquiunt, non tenetur ratione consensus, eò quòd fuerit nullus; nec ratione damni extrinseci quia supponimus, nullum esse, aut tale, quòd exigat hanc compensationem. Nec, aiunt, obstat dictum caput primum, nam ibi non continetur pœna coactionis, sed deceptionis, incurrenda post sententiam iudicis. Vtraque opinio valde probabilis: ego verò in priorem inclinarem, quia æquitati, & rationi videtur conformior. Vide Sanchez *dict. disp. 15.* Henriquez *lib. 11. cap. 10. num. 5.* & Bonacinam *tomo 1 quæst. 5. de matrimon. punct. 8. num. 33.* vbi in rigore reputat veriorem sententiam Sanchez. Non tamen displicet cum Bonacina, sententiam Nauarri, & aliorum intelligendam esse, quando ipse contrahens metum incussit, vel fuit conscius metus; nam si ipse est immunis, poterit alio inuito resilire, quia immunis est à culpa, & dolo, ideoque contra ipsum non militat ratio Nauarri. Subintellige tamen, modò aliunde, seu extrinsecus non intercedat damnum, quod aliter non possit reparari.

6 Quæres quartò, vtrum peccet, qui contrahit matrimonium ex metu illud irritante. Respondeo, & dico, si sic ignoret inuincibiliter, matrimonium sic contractum esse nullum, & præbuit ex se verum consensum, nullo modo peccat, vt de se patet, quia bona fide procedit: si autem sciat esse nullum, aut ignorantia sit culpabilis, præbuitque verum, & non fictum consensum: quantum in se fuit non peccauit nec venialiter, vt docent Sanchez *lib. 4. disp. 16.* Coninch. *disp, 28. dub. 3.* Basil. *cap. 16.* Hurtado *sup diff. 5.* Filiuc. *loco cit. n. 112.* & cum aliis Bonac. *sup. num. 30.* vbi ait cum Sanchez, hoc procedere, etiam quando matrimonium contrahitur per metum grauem cum iuramento. Ratio est, quia etsi matrimonium sit irritum, tamen ipse non est, qui illud irritat, sed Ecclesia, & talis consensus desinit esse vera materia, & vera forma, non causa ipsius, sed quia meritò Ecclesia illos irritauit. Vide Sanch. *disp. 16.*

7 Quòd si coactus fictè consentit, & solis verbis, Sotus *in 4. dist. 29. quæst. vnic. §. Hic dicitur*, existimat peccare mortaliter, quia alterum decipit in re graui. Sanchez verò, Coninch, Basilius, Hurtado, & Filiucius tenent, & meritò, non peccare mortaliter, quia nullam iniuriam alteri infert, illum decipiendo, quia ex iusta causa profert verba, quibus alter decipitur. Nec est mendacium perniciosum, nec irritat Sacramentum, qua parte fictus est, sed tantùm quia coactus est: imò nec peccat venialiter, si verba profert cum æquiuocatione, aut restrictione mentali, vt docent citati, quia tunc ex iusta causa æquiuocat alterum.

8 Quæres quintò, an sponsalia metu graui celebrata sint inualida, sicut est matrimonium: huic quæstioni satisfeci *cap. 1. dub. 3. versic. Quæres tamen.* vbi contra ibi citatos, & Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 4. num. 118.* dixi, probabilius esse, talia sponsalia non esse irrita, sed irritanda; consequenter dico, si his sponsalibus addatur iuramentum, obligare, quia potest sine peccato adimpleri, & alias sponsalia, cui adhibentur, sunt valida. Ita Henriq. *lib. 11. cap. 9. num. 6.* cum Syl. *verb. Sponsalia quæst. 6. in fine.* Alij verò ibi citati, quod etiam existimat probabilius Filiucius *sup.* existimant, talia sponsalia esse irrita, consequenter docent, non firmari iuramento per iniustum metum extortu, nec iuramentum indigere relaxatione, idque confirmant, quia cùm etiam iuramentum metu extortum sit, relinquit consensum in suo valore, vel nullitate; ergo si antea erant inualida, eodem modo remanebunt. Vtraque opinio probabilis, & tuta.

DVB. III.

Vtrum superior, aut parens possit subditum, aut filium compellere ad matrimonium.

1 Dico primò nullus Princeps sæcularis, aut Ecclesiasticus potest compellere, quempiam regulariter loquendo, vt matrimonium ineat. Ita cõmunis Doctorum, quia de essentia matrimonij est verus consensus, ad quem præstandum nemo cogi potest, nisi voluerit. Dixi, *regulariter*, quia aliquando poterunt ij subditos ex præcepto obligare,

gare, & compellere, vt enim consensu contrahant, quando scilicet id exigit bonum commune, aut aliqua iustissima causa, id enim dictat naturalis ratio. At si subditus etiam in hoc casu non consentiat, erit nullum matrimonium defectu consensus substantialiter requisiti, vt sepè dictum est. Filiucius *tom. 1. tract. 10. cap. 4. num. 124.* & DD. communiter.

2 Dico secundo, domini temporales, & magistratus, qui suos subditos, vel quoscunque alios ad matrimonia cogunt sine causa, siue directè, siue indirectè, sunt excommunicati ipso facto à Tridentino *sess. 24. cap. 9.* ibi: *Praecipit sancta Synodus, &c.* quæ excommunicatio est maior, vt benè probant Sanchez *lib. 4. disp. 22.* Cooinch. *disp. 28. dub. 5.* quia nomine, *anathematis*, in iure excommunicatio maior significatur *Canon. debent. 11. quæst. 3. & Canon. fin. 30. quæst. 4.* At in Tridentino dicitur, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant. Dixi, *sine iusta causa*, nam si causa iusta adsit, aut coactio iusta sit, non incurritur hoc in casu excommunicatio, Hurtado *disp. 6 diff. 7. n. 26.* non enim tunc peccant, vt dictum est, consequenter non debent censuram, & pœnam incurrere.

3 Circa hanc excommunicationem nota, non comprehendi dominos cogentes sua mancipia ad contrahendum, neque patentes, qui cogunt ad id suos filios, nec Parochus, si cogat suas oues; quia Concilium loquitur de cogentibus, qui habent iurisdictionem in foro externo sæculari, vt patet ex præfatione capitis citati, iuxta quam intelligendum est decretum, *l. fin. de hered. instit.* Sanchez & Bonac. *tom. 1. quæst. 3. de matrim. punct. 8. n. 34.* Sanchez *sup.* Coninch. *disp. 28. dub. 5.* Hurtado *sup. diff. 8.* Nec includit hæc excommunicatio superiores, qui non cogunt ad matrimonium, sed tantùm impediunt, nam de his non Concilium non loquitur de prohibentibus, sed de cogentibus. Henriq. *lib. 11. cap. 6.* Sanchez *sup.* & Bonacina cum aliis *loco cit.* Nec incurrit hanc excommunicationem Episcopus, qui non est dominus temporalis, quia non habet iurisdictionem in foro externo sæculari, imò neque Imperator, neque Rex, vt Sanchez, Hurtado *sup.* Henriquez *lib. 11. cap. 9. n. 5.* & Villalobos *1. part. tract. 13. diff. 38. num. 4.* quamuis habeant dictam iurisdictionem, quia isti exprimi debent, vt incurrant excommunicationem, vt exprimuntur in Tridentino *sess. 22. cap. 11. de reform. & in Bulla cœnæ Domini.*

4 Dico secundò, patentes non possunt cogere filios absque iusta causa ad matrimonium, vel ad tales nuptias, sed liberè debent contrahere, vel eligere alium statum. S. Thom. *dist. 29. quæst. vnica, art. 4.* Sanchez *lib. 1. disp. 14. num 4. & disp. 22. n. 4.* Bonacina *sup quæst. 4. de matrim. punct. 7. num. 22.* Filliucius *tract. 10. part. 1. cap. 4. num. 124.* & communiter Doctores, quia in matrimonio est seruitus perpetua, ad quam homo, qui liberæ est conditionis non potest compelli. Et quantum ad hoc sunt sui iuris, ideoque peccant patentes absque iusta causa impedientes matrimonium filiorum, quia filius est sui iuris circa electionem status; non tamen incurreret excommunicationem supradictam, vt dictum est *vers. Circa. num. 4.*

5 Dixi, *absque iusta*, nam ea intercedente, possunt patentes cogere filios ad matrimonium, quando filij aliàs promissione, aut alionde tenentur, modò tamen coactio fit moderata, absque vi, & metu graui, vt decet patrem, quando verò aliàs filij non tenentur matrimonium inire, & nolunt statum matrimonij eligere, sed meliorem, vt cælibatus, aut Religionis, non possunt à patentibus, adhuc paterna increpatione, ad matrimonium cogi, quia contra rationem est, filium, qui sui iuris est ad eligendum statum, & vult meliorem eligere, cogi adhoc leuiter ad statum minorem. At supposito, quòd filius velit matrimonium contrahere, poterit à patentibus paternè tantùm, & leuiter cogi ad matrimonium ipsi maximè expediens, & simili coactione ipsum retrahere à matrimonio ipsi indigno, quando filius ad id non habet rationabilem causam: non tamen poterit cogi adhuc leui coactione ad matrimonium ordinariè expediens, neque retrahi à simili matrimonio (quando non adest rationabilis causa) ob omnimodam libertatem filij ad electionem status perpetui. Hurtado *sup. diff. 8.* & communiter Doctores.

6 Hinc fit, quando adest iusta causa, nec Principem, nec patentes peccare mortaliter, impedientes mediis suauibus absque vi, & metu, ne filij contrahant matrimonium inæquale, aut indignum, quia hoc non est incutere metum grauem, sed leuem, nec impeditur filius absolutè matrimonium inire, sed tantùm tale, nempe indignum. Filliucius *sup. n. 126.* vide Sanchez *disp. 22.* & nostrum Salon. *2. 2. quæst. 61. quæst. 5. art. 6.* dum dicit, posse parentes comminari pœnam exhæredationis. Quòd si filius teneretur ad tale matrimonium, ratione fidei præstitæ, peccaret mortaliter parent impediens, non tamen incurreret supradictam excommunicationem vt dictum est.

7 Hoc tamen pro certo habe, matrimonium initum à filiis, inuitis, & contradicentibus parentibus, esse validum, nec posse annullari, vt habetur in Tridentino *sess. 24. capite 1. de reformat. de matrim.* & habet communis Doctorum. Certum etiam est, consensus parentum non esse satis ad matrimonium, vel ad sponsalia, sed opus est, vt filij etiam consentiant, vt constat *ex cap. sufficiat 17. quæst. 2. & cap. tuas de sponsal duorum.* In capite autem *aliter 39. quæst. 5. & capit. fin. 32. quæst. 2.* consensus parentum exigitur de honestate, non verò de necessitate. Filiucius *sup. num. 127.* & pluribus Bellarm, *lib. 1. de matrim. cap. 19.*

8 Quæres tamen primò, an filius teneatur ad contrahendum matrimonium, quod pater promisit, aut præcepit. Huic quæstioni satisfactum est *sup. cap. 1. dub. 9. vers. Quintò.* vbi dixi, filios non teneri implere sponsalia, quæ pro ipsis contraxerunt. Consequenter dico, filium (etiamsi non eligat meliorem statum) non teneri contrahere matrimonium, quod parentes promiserunt, & volunt fieri, vt contra Nauar *cap. 14. num. 15.* & contra aliquos docent Sanch. *lib. 4. disp. 23.* Coninch. *disp. 28. dub. 9.* Hurtado *sup. diff. 9. num. 32.* Sotus *dist. 27. quæst. 1. art. 2.* & cum Ricardo, Abbate, & aliis Filiucius *sup. num. 118.* Ratio est, quia matrimonium est perpetua seruitus, ideo quilibet est sui iuris, & in hoc independens ab alio, etiam quando vult eligere matrimonialem statum: durum enim esset, homines pro mera voluntate aliorum, quamuis parentum, contra propriam, ad perpetuam quasi seruitutem obligari. Nec obstat caput primum *de sponsal. impub.* nam satisfactum est illi *dub. 9. cit.*

9 Quæres secondò, an filij possint licitè, & sine peccato inire hoc, vel illud matrimonium, parentibus inuitis, seu resistentibus. Huic quæstioni satisfeci in Decalogo *lib. 4 capit. 1. dub. 13.* vbi quæritur, an filij teneantur obedire parentibus in matrimonio contrahendo: vide ibi, & Sanchez *lib. 4. disputat. 23.* Filiuc. *tom. 1. tractat. 10 cap. 4. quæst. 9. num.*

num. 28. Hurtado *disp.* 6. *diff.* 20. & Villalobos 1. *part. tract.* 13. *diff.* 39.

10 Quæres tertiò, an parentes possint exhæredare filios, eo quòd contrahant contra ipsorum voluntatem. Huic quæstioni satisfeci in Decalogo *lib.* 4. *cap.* 5. *dub.* 3. *num.* 16. & *lib.* 7. *capit.* 18. *dub.* 20. *num.* 11.

11 Quæres quartò, vtrum iudex possit prohibere, ne contrahat filius familias, quando periculum est, vt magnum scandalum oriatur ex illo matrimonio. Respondeo cum Bonac. *quæst.* 4. *de matrim. punct.* 17. *num.* 26. posse iudicem Ecclesiasticum, si consideratis prudenter omnibus circunstantiis, probabiliter timetur ex eo matrimonio oritura scandala notabilia, aut rixas inter parentes, ac consanguineos, illud prohibere. Tum quia in tali euentu filius contrahendo peccat, vt docent Nauar. *cap.* 14. *num.* 15. Sayr. *in Claui Regia lib.* 7. *c.* 5. *n.* 12. & dixi in Decalogo *lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 1. *n.* 13. Prælatus autem debet peccata impedire. Tum quia iuxta superius dicta, in tali euentu parentes possunt impedire tale matrimonium, & licitè implorare superioris auxilium; ergo superior potest, ac debet suam interponere authoritatem. Quod etiam verum existimat Sanchez *lib.* 1. *disp.* 14. etiamsi sequuta sit copula sub spe matrimonij: hoc tamen non est facilè admittendum, vt benè Bonacina *sup. n.* 27. nisi filius, alia ratione, possit occurrere damno sponsæ defloratæ, cum ex iustitia teneatur damnum sponsæ euitare, aut nisi tam graue sit scandali periculum, vt præponderet damno sponsæ.

CAPVT. VIII.

De matrimonio conditionato.

DVBIVM I.

Quod matrimonium sit conditionatum.

1 NOTA primò, contractibus matrimonij, sicut aliis contractibus, & dispositionibus, posse aliquid adijci per modum demonstrationis, seu tanquam demonstratio; per modum causæ, seu tanquam causa, per viam modus, seu tanquam modus, & aliquando per modum conditionis, seu tanquam conditio. Tunc fit dispositio cum demonstratione, quando denotatur aliqua qualitas personæ, cum qua contrahitur, quæ denotatur particula, *Quæ*, vt si dicatur: *Duco te, quæ es virgo, quæ pulchra, quæ nobilis, &c.* Tunc fit cum causa, quando contractus fit explicando motiuum, quo quis adducitur ad contrahendum, vt solet explicari per particulam, *Quia*, vt si dicatur: *Contraho tecum, quia es diues, nobilis, &c.* Tunc fit sub modo, quando in contractu adijcitur aliquod onus, quod solet explicari per particulam, *Vt*, vt si dicat: *Duco te, vt mihi inseruias*, aut, *duco te, vt diter.* Tunc fit sub conditione, quando apponitur aliqua conditio ad suspendendum matrimonium, quæ solet significari per particulam, *Si*, vt, *Do tibi equum, si cognatus es meus*, aut, *dummodo cognatus sis meus*: vel, *duco te, si parentes consenserint.*

2 Nota secundò, conditionem definiri posse, modificationem contractus, seu id, à cuius existentia, valor contractus aut dispositionis dependet, seu suspensio contractus, ex incerto euentu: ex quibus definitionibus duæ priores conueniunt omnibus conditionibus, tam de præterito, quàm de præsenti, & futuro, vltima solùm conuenit de futuro, quia solùm hæc suspendit contractum, vt constabit. Diuidunt autem communiter Doctores conditiones primò, in generales, siue intrinsecas, quæ etsi non exprimantur, insunt tamen in contractu, vt *Volo te in vxorem si viuis, aut consentis, aut si non es soror mea.* Et in particulares, ex quibus aliæ sunt intrinsecæ, vt *Contraho tecum, si non es mea consanguinea:* aliæ verò extrinsecæ, sed necessario eueniunt: vt *Contraho tecum, si cras Sol orietur:* aliæ impossibiles, vt *Si digito cælum tetigeris*: aliæ contingentes, & possibiles, ex quibus aliæ sunt honestæ, & aliæ turpes; & ex turpibus quædam sunt contra substantiam matrimonij, & bona illius, vt *Contraho tecum si generationem prolis euites*: aliæ verò non, vt *Si furtum feceris, tecum contraho.* Denique conditio, alia est de præsenti, alia de futuro, de quibus omnibus Syl. *matrim.* 3. §. 1. Nauar. *c.* 22. *n.* 62. Henriquez *l.* 11. *c.* 12. & Doctores infra citandi, & dixi in Decalogo, *l.* 2. *c.* 5. vbi de voto conditionato, *dub.* 2. & *l.* 7. *c.* 16. *dub.* 9. & constabit clariùs infra.

3 Nota tertiò, causam, demonstrationem, modum, & conditionem eo differri, quòd conditio propriè sumpta per se suspendit contractum; causa verò, demonstratio, & modus non suspendunt per se contractum, sed solùm aliquando per accidens, quando interuenit aliquod impedimentum dirimens, vt quando quis contrahit cum ea, quæ est serua, sed credit esse liberam, vt si dicat: *Contraho tecum, quæ es libera, vel quia es libera*: aut quando adijcitur onus repugnans substantiæ matrimonij, vt si dicas: *Contraho tecum, vt sumas venena sterilitatis.* Vide Sanchez *lib.* 1. *disput.* 19. Coninch. *disp.* 29. *dub.* 4. Bonac *tom.* 1. *q.* 2. *de matrim. punct.* 10. *n.* 2. & quæ de iis dixi in Decalogo *l.* 7. *c.* 16. *dub.* 9.

4 Nota quartò (quod est maximè aduertendum) cum communi Doctorum, in foro conscientiæ circa valorem, aut nullitatem matrimonij conditionati, semper standum esse intentioni contrahentis, sub conditione, qualiscunque illa sit, siue turpis, siue impossibilis, ita vt conditione non existente, non fiat matrimonium; vnde cùm conditio impossibilis nunquam sit ad actum reducenda, impossibile erit tale matrimonium, & nunquam fiet. Ratio est, quia sine consensu interno matrimonium subsistere non potest; at supponimus, contrahentem determinasse suam intentionem ad conditionem etiam impossibilem: ergo sine conditione non fiet matrimonium quamuis aliquando in foro exteriori pro qualitate conditionis oppositum præsumatur, & iudicetur, vt infra.

5 Quòd si dubius sit animus apponentis conditionem, tunc erit, standum præsumptioni fori externi, & reiecta conditione, iudicandum matrimonium valere. Filiuc. *tom* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 136. ex Syl. *supra* & communiter Doctores. Denique in dubio, pro vtroque foro est iudicandum pro matrimonio.

6 His obseruatis, respondeo, & dico, contractum matrimonij, cui apponitur conditio extrinseca, absque cuius existentia potest validè celebrari, esse conditionatum, vt si dicatur: *Duco te in vxorem, si es nobilis*, quia ex eius appositione aliquid noui intenditur, & sine illa potest stare matrimonium. Si verò apponatur conditio necessaria, & intrinseca, vt *Duco te in vxorem, si consenseris*, non censetur matrimonium conditionatum sed absolutum, quia ita est necessaria, vt absque existentia talis conditionis nequeant contrahentes conari ad contrahendum, ideoque non magis refert apponere illam conditionem, ac illam tacere, cùm per illam nequeant contrahentes aliquid noui intendere,

conse

consequenter est ita absolutum, ac est, quando dicta conditio apponitur: ob quam rationem idem dicendum est de conditionibus omnibus generalibus, & quæ insunt in contractu, quando apponuntur eo modo, quo insunt, vt si dicat: *Contraho tecum si vixerimus, &c.* Quòd si conditio sit necessaria, sed non ita, vt si deficiat, & non existat, contrahentes nequeunt conari ad perficiendum contractum, vt quando dicitur: *Volo te in vxorem, si non es consanguinea mea.* censetur matrimonium conditionatum, vt tenet Hurtado *disp. 7. diff. 1. n. 3. & 4.* cum Coninch. *disp. 29. dub. 2.* quia per eam potest aliquid noui intendi, nempe vt non contrahatur matrimonium illicitè contra pietatem consanguineis debitam, & non incurratur pœnæ diffidentiæ dispensationis impositæ à Tridentino *sess. 24. c. 5. de reform. matrim.* contra scienter contrahentes in gradibus prohibitis. At si nullo modo, aut per nullam dispensationem potest fieri matrimonium, videtur dicendum, ac de conditione necessaria & intrinseca, cùm eadem ratio militare videatur. Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. c. 4. n. 138.* & quia tacitè inest, & intelligitur.

7 Sed quæres primo, vtrum conditiones appositæ matrimonio illud suspendant vsque ad notitiam existentiæ illarum, v. g. si quis dicat: *Contraho tecum, si es nobilis*, ignorans esse nobilem, cùm tamen sit nobilis, an tale matrimonium suspendatur vsque dum habeat notitiam nobilitatis, an verò sit ipso facto validum, cùm tamen subsistat, & sit conditio impleta. Coninch. *disp. 29. n. 1.* existimat suspendi vsque ad notitiam. Veriùs tamen Sanchez *l. 5. disp. 7.* & cum eo Hurtado *disp. 7. diff. 1. n. 7.* docent valere ipso tunc ante notitiam, si conditio existat. Ratio est, quia qui contrahit sub dicta conditione, v. g. nobilitatis vxoris, non alligat suum consensum notitiæ, sed existentiæ rei; ergo tùm tunc existat nobilitas, ex tunc erit matrimonium validum; secus si nobilitatis conditio non existat, quia consensus præstatur dependenter ab illa. Ex his, constat, matrimonium contractum sub conditione de præterito, aut præsenti, statim absolutè valere, aut esse omnino nullum; valere quidem absolutè, si conditio existat; & esse omnino nullum si conditio non existat.

8 Quæres secundò, vtrum matrimonium contractum sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad euentum conditionis, fiat validum euentu ipso, seu illius adimpletione solùm, absque nouo consensu; vel an adimpleta conditione, necessarium sit adhibere nouum consensum, vt fiat matrimonium. Sanchez *lib. 5 disp. 8.* Hurtado *sup. diff. 3. n. 10.* & cum aliis Filliuc. *loco cit. n. 145* tenent adimpleta conditione de futuro, absque alio nouo consensu, validum esse matrimonium, argumento à contrario sensu, *ex cap. super eo de conditionibus appositis*, & quia dispositio adueniente conditione purificatur, & censetur perfecta, *l. potior. ff qui potior in pignore.* vt etiam contingit in aliis contractibus. Innoc. *cap. super eo cit.* Nauarr. *c. 22. n. 64.* & alij. Oppositum autem tenent Sotus *in 4. dist. 29. quæst. 2. artic. 1.* Henriq. *l. 11. c. 11.* Basilius *l. 3. c. 4.* sicque quando dicitur: *Contraho tecum, si pater tuus consenserit*, quando postea pater consentit, requiritur nouus contrahentium consensus, vt fiat matrimonium, aliter tale matrimonium, solùm habebit rationem sponsalium; quam opinionem existimo veriorem, & deducitur *ex cap. super eo 5. de conditionibus appositis*, dum dicitur, eum, qui contraxit cum fœmina sub conditione dicta, non esse compellendum ad matrimonium ante aduentum conditionis, vbi supponi videtur, impleta conditione, compellendum fore ad contrahendum matrimonium, ac proinde solo euentu conditionis non esse perfectum. Et ratio est, quia consensus de præsenti, sub conditione de futuro non est in rigore de præsenti, vt significatur in dicto capite; sed potiùs videtur de futuro, quia videtur alligatus euentui de futuro; ergo non sufficit ad matrimonium, sed tantùm ad sponsalia, nisi de nouo tunc accedat consensus. Idem dicit, & benè Filliucius securius esse, requiri nouum consensum.

9 Quæres tertiò, an quando matrimonium fuit celebratum coram Parocho cum conditione de futuro, requiratur necessariò noua præsentia Parochi & testium, quando impletur conditio. Sanchez *l. 5 disp. 8.* Filliuc. *supra 146.* & alij respondent negatiue, sicut valide existunt matrimonio facto per procuratorem, absque eo quòd coram eis fiat assignatio procuratoris, & absque eo quòd ostendatur eis assignatio illius. At non tantum securius, vt existimat Filliucius, sed probabilius, ac verius est, requiri tempore adimpletionis nouam præsentiam Parochi, & testium, sicut etiam requiritur nouus consensus, vt dixi *quæst. anteced.* & ita tenent Coninch. *disp. 29. n. 15.* Hurtado *supra diff. 7. n. 14.* Gutier. *de matrimon c. 81. n. 7.* Ledesm. *in sum. cap. 7. de matrimon conclus. 5. in fin.* & omnes asserentes requiri nouum consensum, vt Henriquez *l. 11. c. 5. n. 8. & c. 12. n. 5.* Ratio efficax est, quia ad valorem matrimonij vbi Tridentinum viget, necessarium est, quòd Parochus, & testes assistant matrimonio absoluto, & essentialiter perfecto, & non sufficit assistere matrimonio essentialiter inchoato, & imperfecto; at matrimonium absque adimpletione conditionis non est essentialiter perfectum quoad caeterius, sed inchoatū; ergo consequenter su quando matrimonium celebratum fuit coram Parocho, & testibus cum conditione de præterito, aut præsenti, debere eis constare de verificatione, seu adimpletione conditionis, vt docent citati pro hac secunda sententia, vt si quis dicat: *Contraho tecum, si es nobilis*: debet etiam constare Parocho, & testibus esse nobilem; ideoque requiritur noua eorum præsentia, dum habetur notitia adimpletionis huius conditionis. Nec obstat instantia de matrimonio celebrato per procuratorem, nam hoc est perfectum essentialiter, verum & absolutum, vt dictum est.

D V B. I I.

Quando matrimonium conditionatum sit validum, & quando non.

1 Dico primò, conditiones extrinsecæ necessariæ non suspendunt, sed habentur pro non adiectis, vt *Duco te in vxorem, si cras Sol orietur.* ac proinde validum erit matrimonium sub his conditionibus celebratum, ante expectationem euentuum conditionis, non solum in foro externo, sed etiam interno, modò contrahentes non habuerint intentionem suspendendi consensum, vsque ad conditionis euentum S. Thom. *dist. 29. quæst. vnica, artic. 3.* Nauarr. *c. 22. n. 67.* Sanchez *lib. 5 disp. 5.* & cum aliis Bonac. *tom. 1. quæst. 2. de matrimon. punct. 10. num. 5* & communiter DD. Probatur *ex l. pupillus. § qui sub conditione, ff. de nouat.* vbi dicitur: *Qui sub conditione stipulatur... quæ omnino exitura est, pure videtur stipulari.* Ratio est, quia cum adsit consensus de præsenti, & talis conditio sit determinata in sua causa naturali; & quasi præsens, censetur iam adimpleta: ob idque etiam valet matrimonium

monium statim cum hac conditione, *Si Antichristus nascetur*, quia ex infallibili scripturæ testimonio certum est, Antichristum nasciturum; idem dic de aliis conditionibus, quæ certo sciuntur euenturæ. Idem etiam dic de conditionibus necessariis de præterito, vel præsenti, vt: *Contraho tecum si fuisti Romæ, vel si es virgo.* Sanchez *loco citat. n.7.* Bonacin. *supra num.7.* & alij: hæ tamen conditiones non sunt admittendæ à Parochis in matrimonio. Dixi in hac conclusione, *modò contrahentes, &c.* nam etsi conditio necessaria habeatur pro non apposita, tamen quando vterque, vel alter contrahens intendit suspendere suum consensum, vsque ad conditionis euentum, non erit validum matrimonium, vsque ad conditionis impletionem, quia tunc consensus præstatur in ordine ad illius impletionem, & dependenter ab ea, & non aliter sicut nec valet matrimonium, quando apponitur conditio necessaria, dum non cognoscitur necessaria, sed existimatur contingens; in iis enim casibus deficit consensus de præsenti, Bonac. *sup. n. 5.* Hurtado *disp.7. diff.6.*

2 Aduertunt tamen, & benè Sanch. *lib.5. disp. 2. num.5.* Henriq. *lib.11. cap.12. num.4.* Coninch. *dub. 3. num.8.* & Bonac. *sup. num.6.* conditiones necessarias aliquando apponi, non vt conditiones, sed ad præfiniendum, & determinandum tempus, vt si dicat: *Contraho tecum, si pater meus è vita migrauerit*, id est, quando pater migrauerit; quo in casu certum est, matrimonium suspendi vsque ad mortem patris, & antea non fuisse validum, & factum, sed faciendum.

3 Dico secundò, quando apponitur matrimonio conditio impossibilis, & contrahentes ita apponunt eam, vt nollent contrahere nisi dependenter à subsistentia illius, vt cum dicitur: *Contraho tecum, si cœlum digito tetigisti, aut tetigeris*, in foro conscientiæ non valet matrimonium, nam deficit verus consensus, cum fiat dependenter à conditione, quæ fieri non potest. Ita communis Doctorum apud Bonacinam *tom.1. quæst. 2. de matrimon. punct. 19. num.* 16. si verò loquamur quoad forum externum, si aliunde constat ea aliqua coniectura, conditionem impossibilem fuisse seriò appositam, non reiicitur ab Ecclesia, sicque iudicandum est, non esse matrimonium: id autem poterit prudenter coniici, si contrahentes quando contrahunt, id exprimunt, aut si constat, se nolle contrahere, aut quando inter ipsos est magna disparitas. Hurtado *disput.7. diff.* 10. & alij. Quòd si non constat, an conditio impossibilis sit apposita seriò, an verò iocosè, & animo irridendi, in foro exteriori præsumitur, & iudicatur matrimonium validum, & conditio habetur pro non adiecta, & censetur iocose apposita, consequenter non suspendit contractum, vt habet communis, *ex cap. fin. de conditionibus appositis*, vbi dicitur: conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles sint, debent propter fauorem eius pro non adiectis haberi: & meritò quidem, quia quando oppositum non constat, præsumit Ecclesia contrahentes in re adeò graui, & sanctâ nolle nugari, & iocose agere, & suum actum irritum reddere: intelligitur autem hoc decretum, siue conditio sit impossibilis ex natura rei, vt *Contraho tecum si cœlum digito tetigeris*: siue à iure, vt *Contraho tecum, si liceat contrahere inter consanguineos*: siue de facto, vt *Contraho tecum, si des decem millia*, cum sit pauper, modò tamen cognoscant contrahentes conditionem esse impossibilem: addit etiam Filiuc. *supra num.* 140. & modò contrahentes habeant notitiam dispositionis dicti cap. fin. *de condit. apposit.* nam dictum caput dispono, quod videtur contra ius naturæ, conditio enim impossibilis, ex sua natura significat dissensum, velle ergo, vt significet consensum, seu vt habeatur pro non adiecta, contra ius naturæ videtur, atque adeò non potest obligare ignorantes; quare videtur vix in foro exteriori euenturum casum, in quo iudicandum sit validum matrimonium contractum sub conditione impossibili, quia vix hoc ius erit notum, saltem fœminæ contrahenti. At Hurtado *vbi sup.* tenet, hoc decretum locum habere, siue ignoretur à contrahentibus, siue non, quia absolutè loquitur, & in omnibus his casibus est eadem ratio præsumendi. Obseruat tamen, & benè, Hurtado, quòd quamuis in dubio, an conditio impossibilis sit seriò apposita, præsumatur in foro exteriori, fuisse iocose appositam: nihilominus tamen in foro interiori conscientiæ procedendum est, ac si fuerit seriò apposita, & ac si matrimonium fuerit nullum, & consequenter non poterunt vt coniuges procedere, ne se exponant periculo accedendi ad non coniugem, nisi priùs contrahant sub conditione, nempe si matrimonium sub conditione possibili antea celebratum, non fuit validum.

4 Dico tertiò, conditio contra substantiam, & essentiam matrimonij, aut contra bona illius radicaliter, seu quoad obligationem sumpta, irritat matrimonium, siue turpis illa sit, siue honesta. Ita communis Doctorum. Ratio est, quia destruit illius naturam, & essentiam, sicut contingit in aliis contractibus; quare ex natura rei, & iure naturali illud annullat: quòd explicatur in capite fin. *de condit. apposit.* vbi afferuntur hæc exempla: *Contraho tecum, si generationem prolis euites*, vel, *donec inueniam digniorem*, aut, *si pro quæstu adulterandam te tradas*, nam de substantia matrimonij est consensus in societatem perpetuam, & ad fidem seruandam, ac prolem suscipiendam, *c omne 27 q.2* at sine substantia, seu essentia nihil potest subsistere, *c. tua nos de sponsalib.* Vide Sanchez *lib.5 disp.* 10. *num.5.* Lessium *l.2.c.*18 *dub.*15. *n.*122. Coninch. *disp.* 29. *dub.*3 Bonacin. *tom.1. q.2. de matrim. punct.*10. *n.9.* Filiuc *tom.1. tractat.*10. *part.*1. *c.4. n.*148. & Hurtado *disput.7 diff.* 8. Quod verum est, quamuis conditio illa non exprimatur, sed solùm mente retineatur, quia etiam tunc tollit verum consensum, & destruit substantiam matrimonij, & hoc de iure naturæ, quamuis iure Ecclesiastico habeatur pro non apposita, eo quòd interior sit, & caput finale loquatur de conditionibus expressè appositis. Intellige tamen, modò istæ conditiones apponantur in ipso contractu matrimonij; secus si post iam ritè contractum, nam tunc iam supponitur validum. Intellige etiam quando ipsæ conditiones apponuntur de præterito, vel præsenti, si subsistunt, ex tunc erit validum, sin aliter verò, si non existunt, nam conditio de præterito, vel præsenti non suspendit actum, *l. institutio talis, ff. de condit. apposit.* Bonacina *sup.* vide Sanchez *lib.5. disp.9.*

5 Dixi, *contra bona matrimonij radicaliter, & quoad obligationem sumpta*: nam si bona matrimonij non sumantur radicaliter, seu quoad radicalem obligationem ex mutua corporum traditione ortam, sed tantùm in se ipsis, seu quoad executionem obligationis, ita vt reuera contrahens intenderit se obligare ad illa, non tamen exequi obligationem, non irritatur matrimonium, vt si quis contrahendo matrimonium habeat intentionem se obligandi ad vinculum insolubile, & simul tunc imedat dimittere postea vxorem, non habitando cum ea; tunc enim verum erit matrimonium, nam saluatur

eius

eius substantia, & essentia, eo quòd executio obligationis non sit de illius essentia, sicut nec est in voto, aut aliis contractibus.

6 Dixi etiam, *quamuis conditio sit honesta*, vt quando dicit: *Contraho tecum cum conditione, vt viuas in perpetua castitate*, aut, *vt ingrediaris Religionem*: est enim matrimonium cum tali conditione celebratum, nullum, vt docent S. Thom. *dist.* 28. *quæst. vnica. artic.* 4. *ad* 3. Sotus *dist.* 29. *quæst.* 2. *artic.* 3. Syl. *matrimon.* 4. *quæst.* 7. Nauarr. *cons.* 11. *de voto num.* 12. Fillincius *sup. num.* 149. & alij cum Sanchez *lib.* 5 *disput.* 10. *num.* 2. Ratio est, quia etsi non sit de essentia matrimonij, vt quis intendat expresse copulam, aut prolem, est tamen de essentia, vt non obligentur coniuges ad eam non intendendam, quia ius, & potentia ad copulam est de essentia matrimonij, vt diximus *sup.* Contrarium tamen tenent Coninch. *disput.* 24. *dub* 4. *n.* 4. Hurtado *disput* 7. *diff* 9 *num.* 33. & cum aliis Bonacina *supra num* 13. asserentes non esse contra substantiam matrimonij, cùm posita tali conditione, possit subsistere mutuum dominium in corpora; verior tamen est prior opinio, nam dicta conditione posita, non potest manere plenum, & perfectum dominium, & ius in corpora. Licitum tamen est, contrahentes manere in perpetua castitate, & profiteri Religionem, quando non ponitur in celebratione matrimonij hæc tanquam conditio, quia si non deducitur in pactum, non tollit ius, & obligationem essentialem ad corpus, & ad copulam. Henriquez cum aliis *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 2. *lit. M. lib.* 2. *de matrim. cap.* 2. *num.* 10.

7 Nota, conditionem contra substantiam matrimonij, illud irritare, quamuis ab altero contrahentium sit apposita, vt docent Sanchez *lib.* 5. *disput.* 13. Hurtado *sup. diff.* 8. *num.* 31. & alij. Ratio est, quia matrimonium coalescit ex consensu duorum; ergo si vnus sit irritus, irritum etiam erit matrimonium.

8 Ex hac tertia conclusione sequitur primò, esse inualidum matrimonium, cum hac conditione: *Contraho tecum, si voueas nunquam petere, nec reddere debitum*. Sotus *supra art.* 4. Filliucius *num.* 150. Item, cum pacto de non cohabitando in perpetuum (secus si ad tempus) Filliucius *sup.* Bonacina *loco citat. num.* 15. cum Sanchez, & alij. Item, cum hac conditione: *Si filios occidas, & mutiles*. Bonacina *n.* 10. quia omnes hæ conditiones videntur esse contra substantiam, & bona matrimonij. Valet tamen cum hac conditione: *Si prolem abijcias, & alijs exponas* Sanchez *lib.* 5. *disp.* 3. *num.* 13. Bonacina *num.* 11. Item non valet cum hac conditione: *Si domi semper manseris, aut vestem nigri coloris semper gestes*, si adhibeatur tanquam conditio, & non tanquam modus, quia hæc videtur contra insolubilitatem matrimonij. Bonac. *num.* 12. Sanchez videndus *lib.* 5. *disp.* 9. Item, inualidum est matrimonium cum pacto, *Vt non petam, reddam tamen*, quia licet reddendo possit generari proles, videtur tamen auferri totalis traditio corporum, ex qua oritur æquale ius, & mutuum ad corpus alterius. Filliuc. *num.* 150. contra Bonac. *sup. num.* 14. vbi, & benè, addit, valere matrimonium cum hac conditione: *Contraho tecum si neges mihi debitum, quoties illicitè petiero*, quia non est contratis proli. Demum vitiat matrimonium pactum de obligatione intrandi, vel de facultate ingrediendi Religionem post consummationem matrimonij, quia vldatur contra bonum matrimonij; est autem licitum pactum ingrediendi Religionem ante consummationem, quia iure licet, Filliuc. *loco cit. n.* 150.

9 Dico quartò conditionem turpem, si est contraria substantiæ matrimonij, certum est, illud irritare, modo dicto *concl.* 3. Si non est contra substantiam matrimonij, si conditio turpis est de præterito, vel præsenti, vt *Contraho tecum, si furtum admisisti, aut aliquem occidisti, aut si es inimica Petri*, non suspendit matrimonium, sed illa verificata valet matrimonium, aliter non; nam non inducit ad faciendum aliquod turpe sed factum supponit, ita DD. communiter. Quòd si conditio turpis non contraria matrimonij subsistentiæ sit de futuro, vt *Contraho tecum, si furtum admiseris, vel vxori Petri dederis venena sterilitatis*, si taliter contrahentes, ita seriò apponant dictam conditionem turpem, vt *Contrahere noluit, nisi illa existat*, tunc in foro conscientiæ matrimonium erit validum, si conditio impleatur, aliter non, quia deficit coosensus, deficiente conditione, quem Ecclesia non potest supplere, vt diximus *conclus.* 2. de conditione impossibili, ideoque in hoc casu talis conditio habetur pro adiecta. Quòd si non constat, an seriò, an iocose fuerit apposita, præsumit Ecclesia, fuisse iocose, & non seriò appositam, & matrimonium esse validum, ac si conditio talis non esset adiecta, & consensus absolutus, ne scilicet præsumat peccatum faciendum, ac proinde matrimonium, cui conditio hæc fuit apposita, iudicat validum; quod decretum habet locum, etiamsi ignoretur à contrahentibus, vt existimat Hurtado *disp.* 7. *diff.* 11 *num.* 45. Probabile tamen est, valde requiri scientiam huius dispositionis, & quòd contrahentes sciant, conditionem esse turpem, vt diximus de conditione impossibili, & cum aliis Villalobos 1. *part. tractat.* 13. *diff.* 30. *num.* 5. Quòd si ex aliqua coniectura constat, turpem conditionem esse seriò appositam, vt quando contrahentes id exprefferunt, aut si inter contrahentes est magna disparitas, tunc non reiicietur ab Ecclesia, quia non videtur rationabiliter præsumendum oppositum, ideoque habebitur pro adiecta, & expectandus erit illius euentus: in foro tamen conscientiæ in dubio coniuges non procedere possunt, vt coniuges, nisi de nouo contrahant, nempe sub conditione, si matrimonium antea celebratum sub turpi conditione, non fuit validum, ne se exponant periculo accedendi ad non coniugem. Hurtado *sup.* vide Sanch. *l.* 5. *disp.* 15.

10 Ex hac quarta conclusione sequitur, hanc conditionem, *Contraho tecum, si te inuenero virginem*, esse turpem, & ab Ecclesia reiiciendam, si inuentio facienda est per vsum, nam exponit se periculo habendi vsum, absque matrimonio: si verò facienda sit iudicio medicorum, aut matronarum, aut alio modo licito, non erit turpis, consequenter non erit reiicienda ab Ecclesia, sicque tunc tanquam honesta suspenderet matrimonium. Nauarr. *cap.* 22 *n.* 66. Filliuc. Hurtado, & alij communiter. Illæ autem conditiones, *Contraham tecum, si ante mecum concubas*, vel, *Si in primo concubitu placueris*, si prima intelligatur de concubitu fornicario, habetur tanquam non adiecta, quia turpis est, si de matrimoniali, suspendit, donec impleatur, illa autem impleta, est verum matrimonium. Syluest. *matrim.* 3 *quæst.* 4. Nauarr. *c.* 22. *n.* 65. secunda verò tanquam turpis reiicitur, & habetur in foro exteriori prò non apposita Filliuc. *loco cit. n.* 154.

11 Dico quintò, conditiones impertinentes suspendunt matrimonium, quia à iure non reprobantur, nam cap. fin. *de condit. apposit.* tantum reiicit turpes, quia incitant ad peccandum, at impertinentes non incitant; tales censentur, *Contraham tecum si nauis ex Asia venerit, aut si Petrus in Papam*

Papam eligatur, quæ quidem conditiones ſuſpendunt matrimonium, vſque ad earum impletionem, aut verificationem, quibus verificatis, ſubſiſtit matrimonium, & non aliter. Ita Filliuc. *num.* 156. & eum multis Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 18.

12 Dico ſextò, conditio honeſta, & poſſibilis, ſi eſt de præterito, vel præſenti, non ſuſpendit matrimonium, ſed ſi vera eſt, valet matrimonium, ſi falſa non valet, S.Thom. *diſt.* 29. *q. vnic. articul.* 3. *q.* 3. Sanch. *lib.* 5. *diſput.* 6. Henriq. *lib* 11. *cap.* 11. *num.* 5. Coninch *diſput.* 29. *dub.* 1. & Bonac. *tom.* 1. *q.* 2. *de matrim. punct.* 10. *n.* 20. & communiter DD. Ratio eſt, quia conditio de præterito, vel præſenti, cùm non ſit propriè conditio, non ſuſpendit, ſed ex eo quòd res eſt, vel nun eſt oratio, dicitur ex tuoc vera, vel falſa: vnde ſi quis dicat, *Contraho tecum, ſi es diues, ſi das tantam dotem, ſi patri placet*, valet matrimonium, iis verè exiſtentibus, aliter non.

13 Dico ſeptimò, matrimonium contractum cum conditione honeſta, & poſſibili de futuro, non eſt validum ante aduentum conditionis, *cap. ſuper, eo cap. de illis, de condit. appoſit.* modò apponatur in ipſo actu contrahendi, & non poſtea. Nauarr. Sanch. *lib.* 5. *diſput.* 8. *n.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *c.* 4. *n.* 143. Henriq. *ſup. n.* 3. & alij citati, & communiter DD. Ratio eſt, quia contrahentes non intendunt contrahere niſi dependenter ab illa conditione; ego expectandus eſt illius euentus ad validitatem matrimonij. Eſt tamen difficultas, an quando impletur conditio, requiratur nouus conſenſus, & noua præſentia Parochi. Negatiuè reſpondet Filliuc. *ſup n.* 45. Sanchez *diſp.* 8 & alij, ſed probabilius videtur oppoſitum, vt dixi *hoc c. dub.* 1. *q.* 2. & etiam tenet Villalob. 1. *p. tract.* 14. *diff.* 33 *n.* 5.

14 Ex hac concluſione ſequitur, quando quis contrahit matrimonium cum duabus per verba de præſenti cum conditione de futuro fieri matrimonium illius, cuius conditio prius adimpletur Sylu. *matrim.* 3. *q.* 10. Sanch. *lib.* 5 *diſp.* 8. *n.* 15. Coninch. *diſput* 29 *dub.* 1. *n.* 10. & cum aliis Bonac. *ſup. n.* 21. ſi verò vtriuſque editio ſimul adimpleatur, reputo verius cum Coninch. Sanch. Bonac *ſup* & Hurt. *diſp.* 7. *diff* 12. *n.* 50. incertum matrimonium valere. Ratio eſt, quia incertitudo vitiet matrimonium, *cap. in literis*. ſed in hoc caſu matrimonium eſt incertum, perinde ac ſi cum duabus contractum eſſet eodem tempore ergo eſt inualidum.

15 Sed dices, quid dicendum de matrimonio celebrato ſub hac conditione, *ſi patri placuerit*. Reſpondeo, ſi apponatur tanquam de præterito, vel præſenti, valet matrimonium, modo tamen pater tunc præſtet conſenſum, quia tunc verificatur conditio. Quod ſi intelligatur de futuro, vt communiter contingit, tunc ſi pater diſſentit, non valebit matrimonium, benè verò ſi conſentiat; ſi verò nec conſenſum, nec diſſenſum exprimit, ſtandum erit intentioni contrahentium, & habenda erit ratio coniecturarum, an taciturnitas habenda ſit pro conſenſu, an pro diſſenſu, quando contrahentium intentio non conſtat; in dubio autem, regulariter loquendo, habetur pro aſſenſu, ideoque iudicandum matrimonium validum, eo quòd hæc conditio videatur adhiberi ad hunc ſenſum, *Si patri non diſplicet*, aut, *ſi non contradicat*, vnde ſi pater moriatur, antequam rogatus ſit, an ſibi placeat, valet matrimonium, quia tunc repugnate, nequit, vt contra Baſil. *lib.* 3 *in fin.* docent Henriq. *lib.* 11. *cap.* 12. *num.* 5. Coninch. *diſp.* 29. *dub.* 1. *n.* 8. & *dub.* 2. *n.* 29. Sanch. *l.* 5 *diſp* 6. & 7 *n.* 19. Hurtado *diſp.* 7. *diff.* 5. *num.* 18 *in fin.* Quòd ſi tempore appoſitionis huius conditionis pater iam obierat, ſi id ſciebant contrahentes, valet matrimonium, quia tanquam impoſſibilis conditio habetur pro non adiecta: ſi ignorabant, ait Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 13. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 144. non valere matrimonium, quia conditio non poteſt impleri: at quia ſenſus huius conditionis eſt, vt patri non diſpliceat, aut non contradicat, & mortuos non poteſt contradicere, verius videtur eſſe matrimonium, vt dictum eſt. Denique ſi appoſita hac conditione, *Si patri placuerit*, ſi tenera diſſentit, poſtea verò conſenſit, non eſſet validum matrimonium; è contra verò eſſet validum, ſi prius conſenſit, quamuis poſtea diſſentiat, ita Sotus *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 2. *artic.* 3. Sanch *l.* 5. *diſp.* 7. Baſil. *ſup.* Villalob. 1. *part. tractat.* 13. *diff* 33. *n.* 4. quia *ex l. bones, ff. de verbor. ſignif.* verbum ſimpliciter dictum intelligendum eſt pro prima vice. Attamen Nauarr *c.* 22. *n.* 61. Coninch. *ſup. dub.* 2. & cum his Hurtado, valde probabiliter tenent, valere matrimonium, quando pater diſſentit, ſi poſtea conſentiat intra tempus aliquod, intra quod, attentis circunſtantiis, contrahentes contrahere, volebant quia tunc non deficit conditio: ob eandem rationem exiſtimant, matrimonium non valere, quamuis pater primò conſentiat, ſi poſtea intra breue tempus diſſentiat, & repugnet.

16 Dices etiam, vtrum matrimonium contractum inter inhabiles, aut impeditos, in quo ſolet Papa diſpenſare, ſub conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, perficiatur facta diſpenſatione; abſque nouo conſenſu. Suppono tale matrimonium eſſe validum, ſicut valida eſſe ſponſalia diximus *lib hoc c.* 1. *dub.* 12. *n.* 4 & docet Sanch. *lib* 5 *d* 5. *n.* 24. & *d.* 8. *n.* 10. & cum aliis Bonac. *tom* 1. *q.* 2. *de matr. punct.* 10 *n.* 23. quia hæc conditio eſt poſſibilis, & honeſta. Ad quæſitum ergo reſpondeodo dico, tale matrimonium non perfici abſque nouo conſenſu, quamuis diſpenſatio obtineatur, vt dixi *hoc dub. concl.* 6. & *dub.* 1. *q.* 2. & tenent Sot. *diſt.* 29 *q.* 2. Henr. *lib.* 11. *c.* 12. & alij. Ratio eſt, quia etſi conſenſus ſit de præſenti, eſt tamen inter perſonas, quæ de præſenti ſunt inhabiles; Sanch. verò *l.* 5. *d.* 8. Coninch. *d.* 29. *n.* 33. & Hurtado admodum probabiliter tenent, matrimonium in caſu dicto perfici obtenta diſpenſatione, abſque nouo conſenſu, quia conſenſus fuit datus de præſenti inter perſonas habiles ad contrahendum cum dicta conditione, & perſeuerat, vſque ad tempus impletionis conditionis. Nihilominus tamen prior ſententia non ſolùm eſt tutior, ſed etiam verior videtur.

DVB. III.

Quam vim habeant ſponſalia conditionata.

1 QVamuis omnia, quæ dicta ſunt de matrimonio conditionato, intelligi poſſint de ſponſalibus, & eis facilè applicari valeant, vt docent Syluest. *verſ ſponſalia q.* 5. & communiter DD. cum S.Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *q* 2. *artic* 1. eo quòd ſponſalia ſint via ad matrimonium. Nihilominus claritatis gratia breuiter, quid de iis dicendum, ſit proponam.

2 Dico primò, ſponſalia celebrata ſub conditione neceſſaria, ſtatim ſunt valida, & includunt impedimentum publicæ honeſtatis, modo illa conditio cognoſcatur, vt neceſſaria, & non adſit intentio ſuſpendendi conſenſum, vſque ad conditionis euentum, vt patet ex dictis *dub.* 2. *concl.* 1.

3 Dico ſecundò, conditio contra ſubſtantiam matrimonij appoſita ſponſalibus irritat illa, quando conditio ponitur implenda poſt matrimonium, ſeu quando cadit immediatè ſuper ipſum matrimoniũ, & non immediatè circa ipſa ſponſalia, vt promitto

me con

me contracturum matrimonium, quod tantum duret vsque inueniam aliam pulchriorem te, aut, vt teneatis procurate sterilitatem, vel adulterari, quia qui se promittit contrahere, non promittit contractum possibilem, ideo sponsalia sunt nulla, si verò dicta conditio non cadat immediatè supra matrimonium, sed super sponsalia, seu ett adimplenda ante matrimonium, non illa irritat: vt promitto me contracturum tecum si sterilitatem procurauerit, aut si fornicationem commiseris ante matrimonium, aut si ante illud aliam pulchriorem te non inuenero, aut si per fornicatiam copulam te virginem inuaniam; quia cum hæc sint ante matrimonium mandanda executioni, conditione impleta, manent sponsalia absoluta, Bonac. cum Sanchez, & aliis, q. 2. *de matrim. punct.* 10. *n.* 27. Huttado *disp.* 7. *diff.* 13. & alij. Peccant tamen huiusmodi contrahentes, consequenter non tenentur adimplere huiusmodi conditiones: conditionibus tamen adimpletis, tenentur seruare fidem, eo quòd præcesserit promissio de re, quæ est possibilis, & honesta postquam patratum est delictum, licet supponatur, aliquid inhonestum, vt patet à simili de voto.

4 Dico tertiò, conditiones impossibiles, & turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonij: habentur pro non adiectis in foro exteriori, in quo talia sponsalia iudicantur statim fuisse valida, ac si talea conditiones non fuissent appositæ, siue dictæ conditiones cadant immediatè supra matrimonium, siue super sponsalia, vt doc ent Sanchez *lib.* 5, *disp.* 17. & cum aliis Bonac. *sup. n.* 27. quidquid Hurtado *diff.* 14. consequenter fit, ex his in eodem foro externo oriri impedimentum publicæ honestatis. Probatur conclusio, quia sicut hæ conditiones in matrimonio habentur pro non appositæ, *in cap. fin. de condit. apposit.* ita habendæ sunt pro non appositæ in sponsalibus, quæ sunt via ad matrimonium: *ex l. oratio, ff. de sponsalibus.* Hinc fit iuxta nostram sententiam, sponsalia celebrata hoc modo: *Contrahaham tecum, si te virginem inuenero per fornicationem*, vel, *si permiseris coitum*, esse statim valida in foro externo. Sanchez *disputatione* 16. Bonacina. *supra num.* 28. & alij apud Sanchez. Dixi semper, *in foro externo*, quia in hoc foro quando non constat fuisse seriò appositas, præsumitur pro sponsalibus, & habentur tanquam appositæ, in foro autem interiori, seu conscientiæ talia sponsalia non sunt valida ante conditionis euentum, si contrahentes illa habeant intentionem promittendi dependenter tantum ab illa conditione, vt diximus *dub.* 2 *conclus.* 2. & 4. de matrimonio taliter conditionato. Consequenter fit, in foro conscientiæ, ex his non oriri impedimentum publicæ honestatis, Bonac. *sup. num.* 28. *versic. Dixi.* Conditio autem tot pis de præterito, vel præsenti, quæ non est contra substantiam sponsalium, non illa suspendit, sed sunt valida, si illa subsistit, aliter non, vt dixi *dub.* 2. *conclus.* 4. à fort iori idem dicendum est de conditione honesta de præterito, vel præsenti, vt ibidem dixi *conclus.* 6. quia hæ enim non suspendunt, non sunt verè conditiones.

4 Dico tertiò, conditio honesta, & possibilis de futuro habetur pro apposita, suspendit sponsalia, & non sunt valida ante eius euentum. Hæc conclusio probatur eodem modo, ac septima conclusio *in dub.* 2. vbi dixi, matrimonium taliter conditionatum non esse validum, vsque ad euentum conditionis.

5 An conditio hæc, *si Papa dispensauerit*, suspendat sponsalia, & illa sint valida conditionata, dixi *hoc lib. cap.* 1. *dub.* 12. *numer.* 4. & *hoc cap. dub.* 2. *vers. Dices.*

6 Quomodo autem intelligenda sit hæc conditio, *si patri placuerit*, si apponatur sponsalibus, patet *ex dub. anteced. vers. Sed dices*, nam eadem est ratio in sponsalibus, ac in matrimonio.

Dub. IV.

Quid operentur tempus demonstratio, causa, & modus quando apponuntur matrimonio, & sponsalibus.

1 Dico primò, circa tempus, *vt accipio te in meam in crastinum*, conueniunt Doctores, suspendere matrimonium vsque ad illud tempus, & eo tempore accedente, ex tunc valere absque nouo consensu, nisi interim fuerit reuocatus. Ratio est, quia tempus ad id apponitur, vt vsque ad illud suspendatur id, cui apponitur, & vt ex eo incipiat valere, quia sensus est: *Ex nunc volo, & consentio, vt cras incipias esse mea.* Huttado *disput.* 7. *de matrim. diff.* 15. *num.* 57. Quando verò tempus apponitur sponsalibus, vt *Contraho abhinc vno anno*, non suspendit sponsalia, sed statim sunt pura, sed non obligant ante tempus præscriptum: ratio est, quia id quod in diem stipulamur, statim debetur, quamuis non possit exigi, vsque ad illum diem. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 4. *n.* 138.

2 Dico secundò, quando in matrimonio apponitur demonstratio, vt *Contraho tecum, quæ es diues*, aut causa, vt *Contraho tecum, quia es diues*, si apponantur præcisè per modum demonstrationis, & causæ, non irritant matrimonium, quamuis sint falsæ, sed semper habentur pro non adiectis, in quo etiam conueniunt Doctores. Ratio est, quia hæc accidentia, non pertinent ad substantiam consensus in matrimonio, sed tantum ad opiniones rerum, quas habent contrahentes, vel ad causas, quæ ipsos mouent, ideoque nec materia, nec consensus deficit, quia ij non eliciuntur dependenter ab illis. Dixi, *præcisè*, nam si illa apponantur per modum conditionis, tunc iudicandum erit sicut de illis, vt *Contraho tecum, quæ es libera*, nam sic sensus est: *Si es libera contraho, & non aliter.* Idem dic, si dicatur: *Contraho tecum, quæ das centum*, id est, si des centum: similiter vitiant matrimonium, si reducantur ad errorem personæ, vel conditionis, vt *Contraho tecum, quæ es libera vel primogenita.* Tum his deficientibus est inualidum matrimonium, non præcisè quia deficiant demonstratio, & modus, sed quia tunc per hæc denotatur materia necessaria matrimonij, quæ deficit ratione illis deficientibus. Huttado, & Filliuc. *sup.* vide Sanch. *lib.* 5. *disp.* 19. Sotum *dist.* 29. *q.* 1. *art.* 1. & Syluest. *matrim.* 3. *q.* 12.

3 Dico tertiò, circa modum, si modus appositus sit contrarius substantiæ, vel bonis matrimonij, ipsum vitiat, vt si dicat: *Contraho tecum, vt procures venena sterilitatis*, vel, *vt te adulterandam tradas.* Syluest. *matrimon.* 3. *q.* 12. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 67. & cum aliis Sanchez *disp.* 19. & Filliuc. *sup. num.* 157. contra Sotum *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 1. & Huttado *sup. diff.* 15. *num* 60. & 61. & Villalobos 1. *part. tract.* 13. *diff.* 36. oppositum non improbabiliter tenentes. Probatur conclusio, quia obligat ad aliquid contrarium substantiæ, vel bonis; contrahens enim sub illis modis obligatur ad illos seruandos. At si modus non repugnat substantiæ matrimonij, non illud vitiat, sed statim valet, & obligat ad illud implendum, vt *Contraho tecum, vt mihi des centum*, vel *contraho cum mille aureis, vt habeas, vnde emas præmium.* Ita citati, & communiter DD. quia eo modo

Ii tantum

tantum significatur aliquid faciendum post matrimonium, iam absolutè, & perfectè factum: si verò modus sit turpis, vel impossibilis, valet matrimonium, reiecto illo, vt *Contraho tecum si digito cœlum tangas*: patet *ex c. fin. de cond. apposit.* & ex supradictis.

4 Ex dictis satis constat, quid dicendum quando modus, causa, tempus, aut demonstratio apponuntur sponsalibus mutato nomine matrimonij in nomen sponsalium.

C A P. I X.

De impedimentis matrimonij.

D v b. I.

Quinam habeant facultatem statuendi impedimenta matrimonij.

1 SVPPONO tanquam certum, & de Fide, esse in Ecclesia potestatem ad statuenda impedimenta matrimonij, non solùm impedientia, sed etiam dirimentia: patet id ex multis Canonibus, in quibus impedimenta sunt constituta, vt infra, & præcipuè ex Trident. *sess. 24. c. 3. &* 4. Ratio est, quia Ecclesia potest irritare contractus, quando non fiunt sub certa forma, solemnitate, aut cum certis conditionibus, at matrimonium est contractus, aut fundatur in contractu; ergo, &c. quo in casu Ecclesia non irritat Sacramentum, sed fundamentum illius, quod est contractus, & etiam inhabilitat personas, vt diximus vbi de matrimonio clandestino, & docent communiter DD. Hæc autem potestas Ecclesiastica, vt Ecclesiastica est, solùm se extendit ad fideles baptizatos, eo quòd infideles sint extra Ecclesiam. Dixi, *vt Ecclesiastica*, nam si Ecclesia habeat infideles sibi subditos, poterit tunc circa hoc facere, quòd aliàs posset Princeps respectu illorum, vt infra.

2 Suppono secundò, ad inducenda impedimenta, requiri iustam causam, non modò ad hoc, vt licitè fiat, sed etiam, vt validè: in priori omnes conueniunt, quia potestas huiusmodi concessa Ecclesiæ, est ad ædificationem, & ad rectam eius administrationem, & non ad destructionem: quod etiam non possit validè sine iusta causa, docent multi cum Sanch. *lib. 7. disp. 2.* quia cum matrimonium iure naturali, & diuino cuilibet concedatur, excepto primo gradu consanguinitatis, vt infra, non videtur pro arbitratu interdici, ne fiat vsque ad tertium, vel ad quartum; oppositum autem tenet eum Veracruz, & Couar. Villalob. *part. 1. tract. 14. diff. 1. n. 1.* at in re tam graui verior videtur nostra opinio.

3 Dico primò, non solum Concilium generale, quod Ecclesiam vniuersalem repræsentat, sed etiam Summus Pontifex, qui est totius Ecclesiæ caput, potest statuere impedimenta dirimentia, ita communis Catholicorum, & patet ex multis decretis Conciliorum generalium, & Pontificum, quibus multa impedimẽta introducta sunt, vt de singulis cõstabit. Hinc fit, posse Papam alicui priuatè ex iusta causa prohibere, ne validè cum certa persona contrahat matrimonium; quia si id potest generaliter facere; ergo etiam in particulari ex vrgenti causa: consequenter poterit interueniente iusta causa, Papa aliquam personam ita reddere inhabilem ad matrimonium perpetuo, vt irritus sit aliter contractus vt fertur egisse Vrbanum V. de quo latè Sanchez *sup. disp. 2. num. 8.* & cum eo, & aliis tenet Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 1. num. 9.*

4 Dico secundò, si respiciatur iura naturale, & diuinum, Episcopus in suo Episcopatu posset inducere impedimenta, etiam dirimentia, est contra Suarez *tom 5. disp. 7 sect. 4.* & Coninch *disput. 3. num. 8.* sed eam tenent, & meritò Sanch. *lib. 7 disp. 1.* Basil. *lib. 6. c. 1.* Filliuc. *sup. num. 10.* Hurtado *disp. 11. diff. 2. n. 5.* Ratio est, quia quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in suo Episcopatu, nisi Papa reseruet, vt alibi dixi. Etenim Episcopus ex vi sui officij est plenè, & perfectè Pastor, & Princeps in sua Diœcesi, quamuis subordinatus Pontifici: ergo habet plenam potestatem concedendi in sua Ecclesia, seu Diœcesi quascunque leges; & statuendi quidquid saluti spirituali animarum suorum subditorum expediat, & consequenter statuendi impedimenta matrimonij, quam quidem potestatem habet ex vi suæ ordinationis, & consequenter à Christo Domino, quamuis subordinatam Summo Pontifici, ideoque potest ab eo in totum, aut in partem impediri. Hodie tamen non potest Episcopus ea statuere, quia Papa sibi reseruauit ex generali consuetudine, vt cum Couarr. & aliis docet Sanch *sup. disp. 2. n. 9.* & Villalob. *1. part. tract. 14. diff. 1. n. 2.*

5 Dico tertiò, Princeps infidelium potest suis subditis impedimenta dirimentia matrimoniũ statuere, est commune apud Sanch. *lib. 7. disp. 3.* Ratio est, quia cum Regia potestas sit instituta ad bonum cõmune, ad eam spectat, prouidere ea, quæ desiderãtur ad hũc finem, sic potest statuere impedimenta, sicut alios ciuiles contractus irritare, aut solemnitatem in eis seruandam præcipere, ideo S. Th. 4. *cõtra gentes, c. 78.* dixit matrimonium, in quantum ciuilem contractum subiici ordinationi legis ciuilis. Filliuc. *sup. n. 1.* Ab hac autem potestate. Sot. *in 4. dist. 39 q. vnic. art. 1.* Sanch. *disp. 3. n. 6.* Nauarr. *cons. 4 de conuers. coniug.* excipiunt Rempublicam Hebræorum, quæ hodie, cum non sit libera, nec habeat Principem; non potest impedimenta statuere. Illa autem, quæ continebantur lege Moysi, Leuit. 18. expirarunt Christi morte, quia erant leges iudiciales, & cæremoniales: Quòd si Iudæi ante Christi Passionem, quando habebant Rempublicam, aliquod impedimentum statuissent, hodie etiam perseuerasset, quia huiusmodi leges sæculares non sunt abolitæ per Christi mortem. Hinc sequitur, fideles subditos Principibus infidelibus teneri eorum legibus iustis irritantibus matrimonia in omnibus iis casibus, in quibus tenentur ad alias eorum leges, est enim in iis, ac aliis eadem ratio.

6 Dico quartò, Princeps sæcularis fidelis ex vi suæ iurisdictionis potest statuere impedimenta etiam dirimentia suis subditis baptizatis, ita Doctores citati Bonac. *com. 1. q 3. de matrim. punct. 1. num. 4.* & Villalob. *1. p. tract. 14. diff. 1. n. 4.* contra Basil. *lib. 6. c. 2.* & Hurtad. *disp. 11. diff. 1. n. 6.* Probatur hæc conclusio iisdem rationibus ac tertia. Nec obstat quòd matrimonium sit Sacramentum, quia materia illius, ac fundamentum, est contractus ciuilis, qua ex parte potest illum irritum reddere, perinde ac si Sacramentum non esset. Dixi, *ex vi, &c.* nam hodie ab Ecclesia est eis talis facultas ablata, & meritò, eo quòd contractus matrimonij in Ecclesia Catholica est eleuatus ad esse Sacramenti, ideo hoc Ecclesia sibi reseruauit, *c. tuam de ordin. cogn. & c. 1. de sponsal.* Princeps autem infidelis potest adhuc suis subditis, quis non subiiciũtur legibus Ecclesiæ Dixi etiam, *suis subditis, baptizatis*, quia circa matrimonia infideliũ sibi subditorũ potest sicut infidelis circa suos, quia reseruatio Papæ non est circa matrimonia infidelium, quia hæc

hæc non sunt Sactamenta. Filliuc *sup. n. 4.* cum Sanchez *loco cit. n. 8.* Ex his sequitur primò, causas matrimoniales infidelium, qui subditi sunt Principibus fidelibus, non pertinere ad Iudices Ecclesiasticos, sed ad laicos, quia est contractus more temporalis, Sanch. *lib. 7. disp. 3. n. 9.* Filliuc. *sup. n. 5.*

7 Sequitur secundò, fidelem habentem domicilium apud infideles, si ibi contrahat, teneri ad leges Ecclesiasticas, quia hæ obligans fideles vbique terrarum: secus dicendum de infideli contrahente extra patriam suam in loco subiecto Principi fideli, aut infideli, cum impedimento irritante in sua patria, quia extra patriam non adstringitur patriæ legibus. Sanchez *sup. n. 10.* & Filliuc. *loco sup. cit.*

8 Nota, non quamlibet prohibitionem, qua prohibet Papa aliquos contrahere, irritare matrimonium aliter factum, sed tantum, quando prohibitio habet decretum irritans, secus si tantum est simplex præceptum, & prohibitio, vt de facto contingit in impedimentis, quæ tantùm impediunt, *ex cap. 2. de matrim. contra interd. Ecclesiæ*, vbi expressè dicitur, non esse dissoluendum matrimonium, ex eo quòd initum sit contra prohibitionem Ecclesiæ, & tenet communis ex Sanchez *disput. 2. num. 10.* At quamuis matrimonium contra simplicem prohibitionem, seu præceptum sit validum, tamen si prohibitio Iudicis fuit legitima, separandi sunt coniuges ad tempus in pœnam delicti, *cap. 1. de matrim. contra interd. Eccles.* quando autem *in cap. 2. eodem tit.* dicitur, non esse separandos, intelligendum est, de separatione perpetua, ex Gloss. *cap. tua fraternitas, vers. Poteris, de sponsa duorum*, quo in caso soli coniugi culpabili interdicendus est vsus coniugij, ne scilicet petat, quamuis debeat reddere: quod si vterque sit reus, vtrique erit prohibendus vsus: quod si adsit periculum incontinentiæ, non est separandum matrimonium, sed imponenda alia pœna, de quo latè Sanch *lib. 7. disp. 2.*

9 Dico quintò, consuetudo legitime præscripta, & à superiore saltem tacitè approbata, potest inducere impedimenta dirimentia, Sanch. *lib. 7. disp. 4.* Bonac. *q. 3. de matrim. punct. 1. num. 7.* Filliuc. *sup. num. 15.* Hurtado *loco cit. num. 8.* Villalob. *vbi sup. num. 8.* & communiter Doctores. Ratio est, quia consuetudo habet vim inducendi, & abrogandi leges, vt Doctores communiter in materia de legibus, vbi de consuetudine: debet autem hæc consuetudo esse mixta ex Clericis, & laicis, nam soli laici non possunt inducere legem Ecclesiasticam, Sanchez *sup. num. 11.* Filliuc. & Bonac. Similitèr consuetudo legitime præscripta potest derogare legi Ecclesiasticæ statuenti impedimentum dirimens, efficiendo habiles eos, qui alioquin erant inhabiles ad contrahendum, ita citati, eo quod consuetudo legitima habeat vim derogandi legem, & hoc deducitur *ex cap. fin. de consuetud.* generaliter id statuente, de omni consuetudine, quæ non est contra legem naturalem, vel diuinam; ergo consuetudo habet vim derogandi impedimenta dirimentia solo iure Ecclesiastico introducta. Vide Sanch. *sup num. 13. & 14* Hoc tamen pro certo habe, consuetudinem non posse habere vim ad dissoluendum matrimonium iam factum, etiamsi adiuuaretur ratione scandali in illo interuenientis, vt *ex cap. fin de sponsa duorum*, docent communiter Doctores, ex Filliucio *supra num. 14.* non enim est recedendum à veritate iuris diuini ob scandalum, ex cap. 2. *de operis noui nuntiat.* & ex regula, *qui scandalizauerit, de regul. iur. in 6.*

***

Dub. II.

Quot sint impedimenta matrimonij, & quomodo obligent.

1 Qvantum ad primum conueniunt Doctores impedimenta matrimonij alia dici, & esse impedientia, & dirimentia simul matrimonium: alia verò impedientia tantum. Impedimenta dirimentia dicuntur, non quòd dirimant contractum, quando illi iam contracto superueniunt, sed quòd dirimant matrimonium subsequens, ita vt tale matrimonium sit inualidum. Impedientia tantum illa dicuntur, quæ matrimonium reddunt illicitum, sed non inualidum, id est, quod peccant contrahentes, matrimonium autem tenet. Nunc de dirimentibus; & postea de impedientibus agemus.

2 Conueniunt etiam Doctores, impedimenta dirimentia esse quatuordecim, ex quibus duodecim sunt, aut de iure naturali, aut iure Ecclesiastico introducta, & alia de iure nouo Tridentini, vt de singulis constabit, quæ omnia sequentibus versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptaue sit mulier nec parti reddita tutæ,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta verò impedientia tantùm, communiter etiam duodecim tantum à Doctoribus assignantur, de quibus sigillatim infra.

3 Conuenientissimum fuit, vt Ecclesia præter impedimenta dirimentia iure naturæ, alia statueret, ita vt alienum sit à pietate, asserere contrarium, quia est quid pertinens ad bonos mores, & aliquo modo ad fidem: quare Trid. *sess. 24. Can. 4.* anathema dicit asserentibus, Ecclesiam errasse in impedimentis matrimonij statuendis; etenim in Republica benè ordinata statui debent ea, quæ pertinent ad rectam eius gubernationem, talis autem est lex de matrimonio, eiusque impedimentis. Filliuc. *tom. 1. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 27.* & communiter Doctores.

4 Quantum ad secundum conueniunt Doctores, esse peccatum mortale, contrahere matrimonium cum impedimento dirimente, quia est contra præceptum, aut ius naturale, si impedimentum sit iuris naturalis, vt contrahere cum consanguinea in primo gradu ascendentium, aut descendentium, aut iuris positiui Ecclesiastici, si impedimentum sit de iure Ecclesiastico, aut contrahere cum consanguineis in cæteris gradibus, cum affine, &c. Hoc autem præceptum, seu prohibitio est quid graue; ergo eius transgressio erit peccatum mortale. Non tamen est duplex peccatum mortale ex se, & præcisè, contrahere cum impedimento, vt quidam non improbabiliter dixerunt, videlicet vnum contra præceptum iuris naturalis, aut Ecclesiastici, alterum verò contra Religionem, quod est sacrilegium: sed est vnum tantum peccatum vnam solam ex se malitiam continens transgressionis nimirum præcepti naturalis, vel Ecclesiastici, contra prohibitionem in impedimento inclusam: Ita Sanchez *lib. 7. disput. 5. num. 1.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 1. num. 21.* Hurtado *disp. 12. de matrim. diff. 3. num. 11.* & alij. Ratio est, quia tunc non irritatur Sacramentum matrimonij, cum contractus inter taliter impeditos, qui est fundamentum matrimonij, non sit validus, sed irritus ex Ecclesiæ statuto, seu prohibitione; ergo tunc tantum peccatur contra prohibitionem, aut natura-

lem, aut positiuam in impedimento inclusam, quia impedimento dirimente non tantum dirimitur matrimonium, sed etiam prohibetur.

5 Dixi, *præcisè, & per se*, nam ex alio capite, & quasi per accidens contrahere cum impedimentu dirimente potest inuoluere aliam malitiam præter transgressionis præcepti naturalis, aut Ecclesiastici, vt si contrahat sic, & habeat copulam cum consanguinea, vel affine committit incestum; cum infideli, sacrilegium; cum habente impedimentum impotentiæ naturalis, peccatum contra naturam redo-ctiue, cum habente impedimentum voti, Ordinis sacri, vel matrimonij, sacrilegium; si copula fit cum rapta, habet malitiam raptus; at si impedimentum sit criminis, copula tantum habet malitiam fornicationis, ita citati.

6 Sed dices, an metus excusare possit à peccato contrahendo cum impedimento. Respondeo, si tantum sit impediens, metus grauis excusare potest à culpa. Ratio est, quia leges Ecclesiasticæ non obligant cum tanto periculo, nempe vitæ, vel grauis mali. Eodem modo posset quis excusari contrahendo cum impedimento dirimente, animo solum contrahendi, non verò consummandi, sicut nec peccat mortaliter contrahens ex metu cum impedimento consanguinitatis, vide pluta apud Sanchez *lib. 7. disp. 5. n. 4.* Hanc autem doctrinam limitat Hurtado *supra diff 4. num. 16.* quando impedimentum prohibitum est solo iure Ecclesiastico, secus, si impedimentum sit iuris naturalis, vt impotentia naturalis, & consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ. Nihilominus tamen absolutè dici potest, metum illum excusare à mortali sic contrahentem, modò non habeat animum consummandi; quia tunc non fit validum matrimonium, sed tantum intentatur. Dixi, *modò, &c.* Nam cum tale matrimonium sit irritum, copula non est licita, ideo non potest illam intendere.

DVB. III.

Quomodo error personæ, & qualitatis dirimat matrimonium.

1 SVppono primò cum communi, errorem, qui potest in matrimonio concurrere, esse triplicem. Primus dicitur, *circa substantiam personæ*, vt si quis ducat Franciscam, credens esse Catharinam, vt contigit Iacob ducenti Liam, quam existimabat esse Rachel. Secundus dicitur, *error conditionis*, non illius conditionis, quæ modificat, aut suspendit contractum, sed conditionis seruilis, aut libertatis, vt quando existimat liberam eam quam ducit, & est serua. Tertius *error qualitatis*, vt quando quis ducit Bertam, putans esse nobilem, diuitem, virginem, &c. sed postea comperit esse ignobilem, pauperem, aut defloratam. In hoc dubio solùm agimus de primo, & tertio errore, in sequenti de secundo.

2 Suppono secundò, quemlibet ex tribus erroribus posse esse duplicem. Primus est error antecedens matrimonium, qui dicitur dans causam contractui, quia scilicet causa est, vt matrimonium fiat, quod aliter non fieret, si adesset scientia illius erroris. Secundus est concomitans, seu incidens in contractum, ille scilicet, qui non est causa contractus, sed reperitur in contractu, & cum illo coniungitur, nihilominus tamen contractus etiam fieret, quamuis non interuenisset talis error: sit exemplum, si quis putans puellam esse filiam Principis, nubat cum alia, alioqui minimè nuptu-rus, si sciuisset, non esse talem, dicitur habere errorem antecedentem: sit verò nubat cum ea, quam putat esse filiam Principis, cum tamen non sit, sed etiamsi id sciuisset, adhuc tamen illam duxisset, dicitur esse errorem concomitantem. Vide de iis in Decalogo *lib. 7 cap. 16 dub. 3.*

3 Dico primò, error substantiæ personæ antecedens irritat matrimonium iure Ecclesiastico, & naturali, ita communiter Doctores. Quòd irritet iure Ecclesiastico patet, *ex cap. vnic. 29. quæst. 1. cap tua nos de sponsalib. in 6.* Quod etiam sit inualidum iure naturæ, patet, quia hic error aufert consensum in materiam substantialem contractus matrimonij, quia in hoc contractu personæ contrahentes sunt materia (etsi remota) substantialis: at consensus in materiam substantialem contractus ex natura sua, seu iure naturali ipsius contractus est necessarius ad valorem illius; ergo eo sublato, tollitur naturaliter matrimonium. Hinc fit, errorem personæ irritare matrimonium, etiam inter infideles, eo quod iure naturæ, cui infideles etiam sunt subiecti, sit inualidum; sequitur etiam neque Ecclesiam posse statuere, vt error personæ matrimonium non dirimat, eo quòd non possit supplere consensum, & materiam substantialem, vt pluribus Sanchez *lib. 7. disput 18. num. 16.*

4 Dico secundò, matrimonium celebratum, cum errore concomitante inualidum est, ita tenent (quidquid aliquid dicant) Sanch *lib. 1. disput. 34. & lib 7. disp. 18. n. 6.* Henriq *lib. 11. c. 10 n. 1.* Coninch. *disp. 31 dub. 1. n. 9.* Villalob. *part. 1. tr. 14. diff. 5. n. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part 1 cap 1. num. 31.* Hurtado *disp. 1 5 diff. 1. n. 1.* & cum aliis Bonacin. *tom. 1. q 3. de matrim. punct. 1. n. 4.* Ratio est, quia ad validè contrahendum requiritur legitimus consensus, & positiuus in certam, & determinatam personam, hic autem deficit, quando adest error concomitans; nihil est enim volitum, quin sit præcognitum; & quamuis hic error non faciat inuoluntarium simpliciter, facit tamen inuoluntarium secundùm quid, seu non voluntarium; at ad matrimonium requiritur voluntarium positiuè; ergo talis error irritat matrimonium. Hinc fit, esse inualidum matrimonium, quando quis contrahit cum Francisca, putans esse Ioannam, ita tamen est habitualiter affectus, vt si sciret esse Franciscam, etiam contraheret. Ratio est, quia etsi reuera sit Ioanna, consensus tamen positiuus, & actualis solum fertur in Franciscam, & non in Ioannam, cum solùm oriatur ex voluntate contrahendi cum Ioanna: imò erit etiam inualidum, quamuis tempore concursus hunc eliceret actum: *Ducerem Ioannam, si scirem esse Ioannam*; nam ad matrimonium requiritur positiuus consensus de præsenti, hoc autem modo contrahendo solùm indicat intentionem, & voluntatem eius, quod facturus esset, si illam nosset; esset autem validum si diceret: *Contraho cum tali persona, qualiscumque illa sit*, quia tunc datur consensus positiuus circa præsentem, & determinatam personam, Bonacina, Sanchez; & alij.

5 Dirimit autem matrimonium error personæ in foro conscientiæ, quamuis vincibilis sit, aut error ex ignorantia, etsi crassissima, nam etiam tunc aufert consensum essentialiter requisitum: erit etiã inualidum in foro exteriori, si probari possit. Etenim etsi error, aut ignorantia vincibilis sufficiat ad peccandum, nõ autem ad validè contrahendum, quia ad peccandum sufficit, se exponere periculo faciendi contra præceptum, cui se exponit, quia ex errore aut ignorantia vincibili peccati operatur; ad validè autem contrahendum cum aliqua, v. g. cum

cum Francisa, non sufficit se exponere periculo contrahendi cum illa, sed requiritur vera, & positiua voluntas contrahendi cum illa, quæ voluntas non stat cum errore illius personæ, quamuis vincibili, nisi errans habeat voluntatem contrahendi cum persona sibi proposita, quæcumque illa sit, quod rarissime, aut nunquam contingit in contractu matrimonij. Hurtad. *supra num.* 2. & alij.

6 Sed dices, si putans baptizare Petrum, baptizat Ioannem, tenet Baptismus; ergo si existimans contrahere cum Francisca, contrahat cum Ioanna: valebit etiam matrimonium. Respondeo concedendo antecedens, si habeat legitimam intentionem, nam hic intendit baptizare eum, quicunque sit nego tamen consequentiam, quia matrimonium, eo quòd requirat indiuiduam vitæ consuetudinem, requirit certum, & determinatum consensum in certam, & determinatam personam. Vide Henriquez *lib.* 11. *c.* 10. *n.* 3. & Ledesmam *in sum. c.* 11.

7 Dico tertiò, error qualitatis non irritat communiter matrimonium; ideóque matrimonium contractum cum hoc errore erit validum. Ita communiter Doctores. Quod procedit, etiamsi sit antecedens, & dans causam contractui, vt docent Sanchez *lib.* 7. *disp.* 18 Coninch. *disput.* 31. *dub.* 1. Filliuc. *supr. n.* 33. Hurtado *loco cita o diff.* 2. *numer.* 4. & cum aliis Bonacina *supra num.* 6. & communiter Doctores. quidquid Medina *de restitut. quæst* 33. Ratio est, quia error qualitatis personæ non impedit perfectum, & simpliciter voluntarium, & liberum consensum circa personam ipsam, quæ est materia (etsi remota) substantialis matrimonij: etenim etsi quando error qualitatis est causa contractus matrimonij, id efficiat inuoluntarium secundum quid; at cùm hoc inuoluntario stat voluntarium simpliciter, & consensus positiuus, quod sufficit ad valorem matrimonij. Nec est eadem ratio matrimonij, & aliorum contractuum, qui sunt ipso facto irriti, ex iuris dispositione, quando celebrantur per dolum dantem ipsis causam, modo quo dixi *dub.* 3. *supr. citat.* Procedit etiam, quamuis errans contrahat expresse motus à qualitate, circa quam errat, vt benè Hurtado *sup. num* 6. contra Basilium *lib.* 4. *cap.* 21. quia ex eo quòd expresse moueatur à qualitate illa, & ita, vt si nó erraret circa illam, non contraheret, non tamen contrahit dependenter ab illa qualitate, tanquam à conditione, sed tantùm motus ab illa, tanquam à causa finali.

8 Dixi, *communiter*, nam assignantur à Doctoribus duo casus, in quibus error qualitatis dirimit matrimonium. Primus est, si quis contrahat sub conditione qualitatis, aut si qualitas illa apponatur à contrahente, tanquam conditio, etiamsi mente retineatur, vt si dicat: *Contraho tecum, si es diues, si nobilis, aut virgo*; in hoc enim casu, si conditio vera sit, erit verum matrimonium; aliter enim erit inualidum, quia deficiente qualitate, deficit conditio, & consequenter consensus sub conditione præstitus; debet autem conditio esse actualis, id est, quòd apponatur actu in ipso actu contrahendi matrimonium, aut saltem virtualis, id est, quòd permaneat ab actuali priùs habita, ita vt non sit per contrarium actum reuocata; nam sicut hæc virtualis intentio, si sit affirmatiua, sufficit ad constituendum matrimonium, ita & ad illud dissoluendum, si sit negatiua: non autem sufficit intentio habitualis, quare validum esset matrimonium, etiamsi esset in habituali dispositione, vt abstineat à matrimonio illo, si nosset, fœminam illam esse corruptam, pauperem, aut ignobilem, vt docent Sanchez *lib.* 7. *disput.* 18. *num.* 51. Henriquez *supr. num.* 2. Ledesma *loco citat. cap.* 11. *concl.* 4. Sylu. *matrimon.* 8. *quæst.* 1. Sotus *dist.* 35. *quæst. vnic. artic.* 2. Couarruu. 2. *part. cap.* 3. §. 7. *num.* 3. Filliucius *supr. num.* 34. & alij. Ratio est, quia vt dixi *in hoc cap. dub.* 1. habitualis dispositio, & animi præparatio non facit actum conditionalem.

9 Secundus casus, in quo error qualitatis irritat matrimonium, est, quando transit, seu redundat in errorem personæ, id est, quando ex errore qualitatis erratur circa personam: est commune Doctorum. Ad cognoscendum autem, quando error qualitatis redundet in errorem personæ. S. Thom *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 1. *artic.* 2. *ad* 5. Sylu. *matrimon.* 8. *quæst.* 1. *dict.* 4. & alij, tradunt hanc regulam, nempe, si consensus contrahentis feratur in personam sibi præsentem directè, & formaliter, tunc error qualitatis non redundat in errorem personæ, nec irritat matrimonium: si verò feratur directè, & formaliter in personam, cui illa qualitas in est, vt in filium Regis, & indirectè, & quasi materialiter in personam præsentem quatenus existimatur filius Regis, error erit personæ matrimonium irritans. Alias autem regulas assignat Sanchez *lib.* 7. *disp.* 18. *n.* 25. quæ possunt reduci ad hanc, nimirum, si error sit circa qualitatem, quæ certam personam designat, quæ contrahenti priùs non erat nota absque illa qualitate, tunc error qualitatis redundat in errorem personæ, & irritat matrimonium, modò non constet, mentem contrahentis fuisse in personam præsentem; quæcumque illa sit, consentire, v. g Berta contraxit matrimonium cum Titio, qui se fingebat filium Regis Hispaniarum, cuius verè non erat filius, nihilominus Berta filium Regis sibi in mente prospicit, in illumque consentire voluit directè, in hoc casu error qualitatis dicitur redundare in errorem personæ, consequenter tale matrimonium est inualidum, quia Berta consentit in personam, quam sibi in mente proposuit; cùm autem sibi proposuisset personam filij Regis Hispaniarum, & non personam Titi, sequitur ipsam consensisse in filium Regis, non verò in Titium, quamuis Titius sit præsens: quando verò qualitas non respicit, neque determinat certam personam, & indiuiduam eo quòd persona erat iam perfectè nota absque illa qualitate, vt si certò cognoscebat Petrum, cui nubit, falso tamen existimabat esse filium Regis, tunc error qualitatis non redundat in errorem personæ, sed est error solius qualitatis, ideo non irritat matrimonium, eo quòd adsit consensus absolutus, circa illam personam cognitam absque illa qualitate, v. g. si quis se fingit nobilem aut diuitem, aut Ducem, aut filium Regis, non explicans cuius Regis sit filius, & Berta existimans illum habere illas qualitates contrahit cum illo, valet matrimonium, quia talis error est error solius qualitatis, & non personæ, quia qualitas illa apposita non determinat certam, & indiuiduam personam distinctam ab ea, quæ præsens est: sic similiter valet matrimonium ob eandem rationem, quando Berta contrahit cum eo, qui se fingit filium vnigenitum Regis, cùm reuera habeat alios fratres: secus verò si Berta contrahat cum eo, qui se fingit primogenitum, cùm reuera sit secundò genitus. Sanchez videndus *vbi sup. num.* 56. Item, est validum matrimonium, quando Petrus contracturus matrimonium cum primogenita Caij, voluit eam videre, an esset pulchra, cui Petro ostenditur alia pulchra, eo quòd primogenita erat deformis, & postea contrahit cum primogenita, aut quia contraxit per procuratorem, aut quia non aduertit: ratio est, quia non interuenit error personæ, sed qualitatis, secus tamen dicendum est, si Petro promis-

sa fuerit vna ex syllabis Caij indeterminatè, non determinando primam, vel secundam, vel tertiam; tunc enim si ostendatur illi vna, & vult cum ea contrahere, non valet matrimonium, si alia supponatur, quia per qualitatem visam fuit determinata persona, Sanchez, *dict. disp.* 18. *n.* 35. Coninch. *disp.* 31. *dub.* 1. *num.* 19. Bonac. *dict. punct.* 1. *num.* 9. vide etiam Henriquez *lib.* 11. *cap.* 10.

10 Ex dictis colligitur tanquam certum, non vitiari matrimonium, quando persona perfectè cognita est, & solùm errata in nomine, nam vt dicitur *l. in venditione. ff. de contrah. empt.* nihil facit error nominis, cùm de corpore constat. Villalobos *p.* 1. *tractat.* 14. *diff.* 5. *num.* 5. Vnde valet matrimonium, si eam, quam ducit, putat vocari Mariam, & vocatur Ioanna.

11 Nota, etsi sponsalia celebrata cum errore qualitatis, aut per dolum dantem causam contractui sint valida, modo dicto *cap.* 1. non tamen esse validum matrimonium modo explicato, eo quòd matrimonium indissolubile sit, non verò sponsalia. Vide Sanchez *lib.* 7. *disp.* 18. & cum aliis Bonacin. *sup. num.* 9. *in fin.*

12 Nota etiam, non peccare aliquem occultantem defectum suum, aut parentum, aut si fœmina celet defectum virginitatis; non enim tenetur se prodere, vtrumque suo iure conseruandi bonum nomen; alij inquiunt, si velint. Henriquez *libr.* 11. *cap.* 10. *numer.* 2. Nauarr. *cap* 14. *num.* 13. & 32. & quæ dixi *supr. hoc lib. cap.* 2. *dub.* 13. *concl.* 1. & in Decalogo *lib* 8. *cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 9.

DVB. IV.

Quomodo error conditionis, seu conditio seruitutis dirimat matrimonium contrahendum.

Loquitur dubium de iis, qui sunt propriè serui, aut mancipia, & nullo modo liberi, de illis scilicet, qui à domino vendi possunt, non verò de adscriptitiis, & originariis ab iis ortis, quia non sunt ij verè serui.

1 Dico primò, error conditionis seruilis in contractu liberi cum ancilla, vel liberæ cum seruo irritat matrimonium, quādo conditio errantis fit deterior, vt quando liber contrahit cum serua, quam credebat esse liberam; vel libera cum seruo, quem credebat esse liberum. Ita communiter Doctores, & est definitum *in cap.* 2. 3. *& fin de coniug. seru.* & meritò, quia serui non possunt commodè matrimonio inseruire, & ne fieret iniuria personis liberis; esset enim magna inæqualitas, si matrimonium esset validum, quando fit deterior conditio errantis, id est, quando liber contrahit cum serua, quam credebat esse liberam. Extenditur autem hæc conclusio ad seruum, qui reuera est seruus tempore contractus, quamuis postea libertate sit donandus; nam tempore verè est seruus, & erratur in conditione, vt supponimus; at si tempus sit breue, vt sex menses, probabile est fuisse matrimonium, vt tenet Sanchez *lib.* 7. *disp.* 19. *n.* 4. & cum Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 37.

2 Dico secundò, seruitutis error solo iure Ecclesiastico, & non naturali dirimit matrimonium. Quod dirimat iure Ecclesiastico, dictum est, *concl.* 1. Quòd autem non dirimat Iure naturali, docent S. Thom, Dur. D. Bonau. Palud. Sotus, & alij, tum Canonistæ, tum Theologi, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 7. *disput.* 19. *num.* 16. & tenent Filliucius *supra num.* 41. Coninch. *disp.* 31. *num.* 26. Hurtado *disput.* 14. *diff.* 1. *num.* 2. contra Sylu. *verb. Matrim.* 6. *quæst.* 1. Ratio est, est, quia seruitus non est defectus substantialis personæ, sed qualitatis; ergo error, aut ignorantia illius non aufert consensum perfectum, & simpliciter circa materiam substantialem matrimonij, ac proinde non dirimit illud ex natura rei, sed tantùm iure Ecclesiastico, fundato tamen in iure naturali, cui maximè consentaneum est. Hinc fit matrimonium liberi cum serua iure naturæ esse validum, & consequenter, errorem seruitutis inter infideles non dirimere matrimonium.

3 Dico tertiò, error seruitutis dirimit matrimonium, etiamsi error, aut ignorantia culpabilis, sit crassa, aut crassissima, modò verè adsit error. Ita Filliucius, Hurtado *sup.* & cum aliis Sanchez *loco cit. num.* 20. Probatur, primò, quia error personæ ex tali ignorantia proueniens irritat matrimonium, vt dixi *dub. antecedent.* ergo, &c. Secundò, quia qualiscumque sit ignorantia, tollit voluntarium, vel saltem facit actum non voluntarium, consequenter tollit verum consensum directum, & formalem, & animum cedendi iuri proprio, vt patet etiam in donatione, quæ fit Petro ex errore etiam leuissimo, seu crassissimo, quod sit Paulus, quæ nec etiam teneret. Matrimonium autem debet fieri cum libera electione, & omnino voluntaria illius conditionis seruilis; est enim conditio valde onerosa, & ideo debet esse conscius damni is, qui ex errore contrahit cum seruo, quam ferentiam aufert ignorantia, quamuis leuis. Nihilominus tamen probabile est, ignorantiam leuissimam, aut crassissimam erroris non irritare matrimonium, vt docet Sotus *dist.* 35. *q. vnic. art.* 2. & cum aliis Villalob. 1. *part. tract.* 14. *diff.* 6. *num.* 4. *Y assi el que contrae con vna negra, que vè que fu amo la trata mal, no es visto que tiene ignorançia, de que es esclaua*, quia talis ignorantia æquiparatur scientiæ; & sicut leuis metus non irritat matrimonium, ita leuis ignorantia. At responderi potest leuissimum errorem conditionis in matrimonio non æquiparari scientiæ in eo requisitæ; sicut nec in errore personæ: nec est eadem ratio de metu leui, quia hic non aufert consensum, sed tantùm minuit libertatem; at error aufert consensum circa rem, in qua erratur.

4 Dico tertiò, error conditionis statua dirimit matrimonium, siue hic error sit antecedens, vel dans causam contractui, siue sit concomitans, vel incidens in contractu, vt docent Sotus *distinct.* 35. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 4. Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 3. *num.* 5. contra Nauarr. *cap* 22. *num.* 33. Probatur hæc conclusio, sicut probauimus secundam conclusionem *dub. anteced.* nam quamuis error concomitans non faciat inuoluntarium, facit tamen non voluntarium, & consequenter tollit consensum substantialem; tum etiam quia ad validitatem matrimonij non sufficit consensus negatiuus, sed requiritur voluntas, & consensus positiuus, ac directus; vnde non est validum matrimonium quando liber contrahit cum serua, nesciens illam esse seruam, sed ita est affectus, vt si cognosceret illam esse seruam, nihilominus cum ea contraheret, quia defuit consensus positiuus, & directus.

5 Dico quartò, quando error conditionis seruilis non facit deteriorem errantis conditionem, tunc ille error non irritat matrimonium. Ita cum communi Sanchez *lib.* 7. *disp.* 19. *num.* 23. & alij citati. Vnde valet matrimonium, quando seruus contrahit cum serua, quam credebat esse liberam, aut cum libera, quam putabat seruam, vt habetur *cap. si quis*

quis, & cap. ad nostram de coniug. seruorum. Ratio est, quia hoc impedimentum est Ecclesiasticum, & inductum ad tollendam inæqualitatem, & ne fieret iniuria alteri contrahenti libero; sed nulla est inæqualitas, vel iniuria, quando persona, cum qua contrahitur, est melioris, aut æqualis conditionis, vt accidit in casu proposito: ergo tunc matrimonium erit validum.

6 Ex dictis sequitur, quando liber contrahit cum serua, sciens esse seruam, esse validum matrimonium, quia seruitus non irritat matrimonium de iure naturæ, vt dictum est *concl.* 2. sed de iure Ecclesiastico; at Ecclesia non irritauit tale matrimonium, vt definitum est *cap.* 2. *de coniug. seru.* Filliucius, *supra num.* 40. & communiter Doctores.

7 Quomodo autem reualidandum sit matrimonium cum errore personæ, vel seruitutis contractum, & an tunc requiratur noua Parochi, & testium præsentia, dixi *sup cap.* 4. *num.* 4.

DVB. V.

In quo aliqua circa matrimonium seruorum exagitantur.

QVæres primò, an seruus contrahens, sciente domino, & non contradicente, cum persona libera, consequatur libertatem.

1 Dicò primò, quando dominus tradit seruum, siue mancipium, siue masculum, siue fœminam, alicui libero ignaro seruitutis, in coniugem, tanquam liberum, statim mancipium absque vlla iudicis declaratione consequitur libertatem iure ciuili communi *in Authent. ad hoc, C. de Latina libertate Authent. de nuptiis, Collect.* 4. & iure Castellæ, *l.* 1. *tit.* 5. & *l.* 5. *tit.* 22. *part.* 4. Eandem libertatem consequitur iure ciuili communi, quando dominus scit, & ex studio, id est dolose tacet; iure verò Castellæ, quando non contradicit, vt patet ex dictis legibus, iure autem naturali, in nullo ex dictis casibus talis seruus consequitur libertatem, quia dominus non censetur donare mancipium libertate: vnde vbi iura supradicta non obligant, standum est iuri naturali, vt docet Hurtado *disp.* 14. *diff.* 2. *num.* 5. vnde Sanchez *lib.* 7. *disp.* 20. & Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 45. & 46. Dixi, *libero ignaro, &c.* nam si liber sciat alterum, esse seruum, tunc seruus non consequitur libertatem; nam liber tunc voluntariè, & sciente consentit in tali matrimonio cum seruo. Filliucius *sup.* & cum aliis Villalobos *tract.* 14. *diff.* 6. *num.* 7. In his ergo casibus, quando seruus taliter contrahens fit liber, Henriq. *lib.* 11. *cap.* 10. Sanchez *sup. num.* 14. Filliucius *loco cit. num.* 48. & Villalobos *sup. num.* 7. consequenter docent, tale matrimonium esse validum, quia talis seruitus nihil officit; nam etsi perseueret ignorata, quando matrimonium fit, est tamen nullius considerationis, vt possit irritari matrimonium, quia ita est, ac si non esset, quia statim ac finitur matrimonium finitur Hurtado *sup. num.* 6. cum Couar. 2. *part cap.* 3. §. 7. oppositum tenet, quis iure Canonico seruitus ignorata absque vlla limitatione dirimit matrimonium; sed quando matrimonium celebratur, adest dicta seruitus; ergo verè dirimit matrimonium. Nihilominus veriorem iudico priorem sententiam, nam illa seruitus nullius videtur esse considerationis, ac proinde videtur, iura non loqui de illa.

2 Quæres secundò, vtrum seruus contrahens cum domina, aut è contra, statim consequatur libertatem. Respondeo non consequi de iure communi etiamsi de iure Castellæ, *l.* 1. *tit.* 13. *part.* 4. ancilla, eo quòd ducitur à domino, fiat libera. Sanchez, & alij citati quia nullus textus reperitur, in quo id exprimatur. An autem fiat libera de iore naturæ, Henriquez, Sanchez & Couar. partem negatiuam supponunt, eo quòd Agar verè fuit vxor Abrahæ, & tamen Genes. 16. & 21. & ad Galat. 4. dicitur ancilla; & quia ex Aristotele. 1. *Polit. cap.* 1. apud aliquas nationes vxores habebantur tanquam ancillæ, Vazq. verò 3. *part. disp.* 8n. *cap.* 8. Basilius *lib.* 7. *cap.* 44. & cum his Hurtado *sup. num.* 9. partem affirmatiuam tuentur, quia status matrimonialis pugnare videtur cum statu seruitutis, eo quòd coniunx ex vi matrimonij fiat alteri socius, & vna caro, & eius nomine, & honore gaudeat: ideo hanc sententiam existimo probabiliorem, consequenter tale matrimonium esse validum, & maximè, quia seruitus cognita (vt contingit in hoc casu) non dirimit matrimonium, vt *dub. anteced.* dictum est. Ad illud de Agat respondetur, dici ancillam, non quia post matrimonium fuerit, sed quia antea erat ancilla. Ad aliud respondetur, illas nationes, vt ipse Aristoteles ait, esse barbaras.

3 Quæres tertiò, an seruus possit contrahere matrimonium, inuito domino. Respondeo posse validè, & licitè id facere; quia vt probat Sanchez *lib.* 7. *disp.* 21. & tenent communiter Doctores cum S. Thoma *dist.* 36. *q. vnica, art.* 1. nullo iure naturali, aut Ecclesiastico illis prohibetur; imò ius Ecclesiasticum supponit id eis licere, *in cap.* 1. *de coniugo seruor.* ibi. *Nec inter seruos debent vllatenus matrimonia prohiberi.* Ratio est, quia ius naturale, & diuinum concessit eum potestate ad propagationem humanæ naturæ, & in remedium concupiscentiæ, ideo non potest impediri per ius seruitutis iure gentium introductum. Hinc sequitur, dominum peccare mortaliter, si impediat, ne seruus contrahat matrimonium, quia iniustè id faceret, cum graui præiudicio serui, consequenter non potest eum ponire, aut minari supplicium, aut damnum, quamuis possit minari substractionem beneficij sponte io eum collati, vel conferendi, Filiucius *sup. num.* 59. vide Sanchez *dict. disp.* 21.

4 Quæres quartò, vtrum seruus teneatur potius satisfacere domino, quàm coniugi. Respondeo breuiter, si seruus duxit vxorem consentiente domino, tenetur priùs satisfacere vxori, vt docet Ledesma *in summ. cap.* 12. *de matrimon. concl.* 5. Quòd si domino inuito duxerit, si ministerium magis præponderat, quàm reddete debitum, tenetur ad ministerium, aliter tenetur ad debitum; cæteris autem paribus, præferendum est debitum coniugale; nam matrimonium est fauorabile. Sanchez *disp.* 2. *n.* 11. & cum aliis Bonacina *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 3. *num.* 7. Huic autem quæstioni satisfacit sic Hurtado *sup. diff.* 6. si matrimonium fuit priùs initum, quàm seruitus contracta, potiùs est satisfaciendum coniugi rationabiliter petenti, attenta seruitute: at si seruitus fuit priùs contracta, quàm matrimonium initum, potiùs satisfaciendum est domino rationabiliter præcipienti, attento coniugio, vt significatur *in cap.* 1. *de coniug. seruor.* dum dicitur dominis exhibenda esse debita, & consueta seruitia à seruo, quantumuis matrimonium contrahat. Nihilominus tamen non recedo à prima explicatione, quia videtur, & rationi, & textui citato conformior.

5 Quæres quintò, vtrùm dominus possit vendere seruum coniugatum ad partes remotas. Respondeo, si matrimonium contractum est de consensu domini, non potest illum in partes longinquas ven-

dere, in quo omnes conueniunt; nam dominus concedens licentiam cedit iuri suo. Quòd si inuito domino, vel eo ignorante, seruus contraxit, certum est etiam, sine necessitate domini vendi non posse, si ex venditione impediatur vsus matrimonij; nam qui habet ius ad matrimonium, habet etiam ius ad ea, quæ ex illo sequuntur; quare peccaret dominus mortaliter, si seruum tunc venderet, quando ex eo impediretur vsus matrimonij, & alter coniunx non potest commodè sequi alterum, vt cum S. Thoma *in add. ad 3. part. q. 5. art. 2.* docent Sotus *in 4. dist. 35. art. 4.* Sanchez *lib. 7. disput. 21. & 23. numer. 11.* Bonac. *sup. num. 9.* & communiter Theologi, quidquid Insisperiti. Dixi, *in partem longinquam*, quia licet, si partes non sunt ita distantes, vt impediant cohabitationem, & vsum matrimonij. Dixi etiam, *absque necessitate*, nam ea existente, aut vrgenti causa intercedente, poterit illum dominus in longinquum vendere, vt quando venditio serui est omnino necessaria ad tuendam vitam domini, vel si seruus, postquam contraxit, non potest tolerari à domino absque graui damno, quia scilicet fur est, aut ebriosus; & tamen commode vendi non potest, nisi in longinquum; in quibus duobus casibus, ait Henriquez *lib. 11. cap. 10. num. 4.* tenetur vxor sequi maritum, nisi bannitus, vel relegatus, aut excommunicatus sit. Hucusque autem dicta procedunt, quando ambo coniuges sunt serui; nam si vir sit seruus, & vxor libera potest à Domino vendi seruus, quia vxor tenetur tunc sequi virum: & è contra, si ipsa sit serua, & ipse vir liber, poterit etiam serua vendi; nam vir tenetur sequi vxorem, vt tenet Villalobos *1. part. tractat. 14. diff. 6. num. 13.* Attamen ad hoc vt licitè id fieri possit, videtur quòd iusta intercedat causa, vt dixi, & quòd vxor commodè sequi possit virum. Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. num. 53.*

6 Quæres sextò, quid iuris de seruitute superueniente matrimonio. Respondeo conuenire Doctores, seruitutem superuenientem matrimonio non illud dirimere, nullum enim extat ius matrimonium dirimens in hoc casu. Difficultas ergo est, an matrimonio contracto à liberis, possint se coniuges vendere vt seruos. Cui respondeo breuiter, virum posse se vendere, inito matrimonio, etiam renitente vxore, nam huiusmodi venditio non præiudicat redditioni debiti, & facta venditione, vir tenetur ad omnia, ad quæ lex matrimonij obligat: peccabit tamen mortaliter, si id faciat absque iusta causa, quia ex hoc redundat vxori, & familiæ dedecus, & infamia: hoc autem peccatum non erit contra iustitiam, quia vir vtitur iure suo, necesdit in damnum vxoris quoad debitum coniugale. Vxor verò non potest se vendere absque viri consensu, aliter peccaret contra iustitiam; quia etsi vxor, & vir sint pares in obligatione reddendi debitum, at vltra id vxor est subdita viro, tanquam capiti in reliquis, quæ pertinent ad regimen domus, & familiæ. Ita cum S. Thoma, Soto, & aliis Sanchez *lib. 7. disp. 23.* Filliuc. cum eo *sup. num 55. & 56.* Adde, nec seruitutem superuenientem matrimonio esse causam sufficientem ad diuortium, nisi vir sine causa, & in fraudem matrimonij seruus factus fuerit: sed de hoc infra, vbi de diuortio, vide Ledesm. *in sum. cap. 12. de matrim. concl. 5.* Villalobos *sup. num. 14.* Quòd si vir in bello captus fuerit, non tenetur eum vxor sequi; non enim tenetur cum tanto detrimento debitum reddere. Henriq. *lib. 11. cap. 10. num. 5.* & Ledesma *loco cit.* vide Sanchez.

7 Quæres septimò, an filij sequantur conditionem parentis quoad seruitutem. Respondeo, sequi conditionem matris; vnde si mater sit ancilla, filij erunt serui eius, cuius est mater, è contra verò, si mater sit libera, filij quoque erunt liberi, cuiuscunque conditionis sit pater, *cap. fin. de seruis non ordinand. & l. partum. C. de rei vendicat.* quod etiam statutum erat lege veteri, Exodi 21. Ratio est, quia filius recipit corpus à matre; at seruitus ad corpus spectat, & sufficit ad hoc, vt filius dicatur liber, quòd mater fuerit libera tempore conceptionis, aut partus filij, aut medio tempore, & inter conceptionem, & partum, vt habetur *instituta de ingenuis, §. sed si quis.* Excipe tamen, quando mater grauida sit serua iure belli, tunc enim filius sit seruus eum matre, quamuis mater tempore conceptionis fuerit libera. At si mater serua, quando grauida est, se vendit, filius conceptus ante venditionem, si conceptus erat, quando mater erat libera, remanet etiam liber. Sanchez *lib. 7. disput. 24.* Filliuc. *tom 1. tract. 10 part 2 c. q. 9. & 10.* Villalob. *1. part. tract. 14. diff. 6. num. 15.* & cum aliis Bonacina *quæst. 3. de matrim puncti. 3. num 10. 11. & 12.* Hinc sequitur, filium ex ancilla fœcundata à domino etiam esse seruum domini, *l. 1. C. si mancipium ita fuerit alienatum, & l. fin. C. communia de manumiss.* Item filij illegitimi eodem modo quoad libertatem, & seruitutem sequuntur conditionem matris, *l. & seruorum. ff. de statu hom.* Nihilominus tamen vbi consuetudo est, vt filij etiam legitimi sequantur conditionem patris; & non matris quoad seruitutem, vel vtriusque parentis, si legitimè præscripta sit, ea seruanda est; nam consuetudo præualere potest contra ius humanum, *cap. fin. de consuetudine.* Filliucius *supra num. 58.* vide Sanchez *dict. disp. 24.*

8 Quoad honores autem, & nobilitatem, filius non matris, sed patris sequitur conditionem, *l. cum legitimè. ff. de statu hom.* Ratio est, quia filius recipit esse à patre, tanquam à causa efficiente. Hinc fit, probabile esse, filium natum ex ancilla à viro nobili, quamuis is filius non sit nobilis, dum subiectus est seruituti, comparare tamen nobilitatem, quando manumittitur; nam iura sanguinis nullo iure ciuili possunt dirimi, *Reg. iura sanguinis. ff de regul. iur.* At nobilitas est quoddam ius sanguinis immutabile, *l. iura agnat. ff. de pract.* Tiraq. *de nobilitate, cap. 16. num. 5.* Sanchez *disput. 25. num. 4* Filliucius *sup. num. 59.*

9 Quæres octauò, an proles nata ex ancilla duorum, vel plurium dominorum, si ab aliquo manumittatur, sit libera. Respondeo affirmatiuè, si ante partum soluatur pretium (secus si non) quia mater tunc erit libera ante natiuitatem filij. Item, an partus ex ancilla statu libera sit seruus. Respondeo affirmatiuè, *l. statu libera. ff. de statu liberis*; quia interim ipsa ancilla est: dicitur autem statu libera, quæ habet statutam libertatem in tempus, vt per annum; vel conditionem, vt si hoc euenerit. Item, an Domino permittente manumissionem ancillæ certo tempore, vt post annum, si post annum Dominus non implet, & post illud ancilla pariat, fœtus sit liber. Respondeo esse seruum, donec Dominus non implet promissionem: at Dominus tenetur dare ancillæ libertatem promissam, & consequenter filij deinde liberi erunt. Filliuc. *sup. q. 10.* vide plura apud Sanchez *dict. disp. 24. à n. 25.*

Dvb. VI.

De impedimento voti.

1 Svppono, votum, omissis aliis decisionibus, vt ad præsens attinet, diuidi in votum solemne, & votum simplex, quid hæc sint, & quomodo differant,

ferant, diai in Decalogo *lib. 2. cap. 2. dub. 3.* sufficit modò scire, votum solemne esse illud, quod emittitur io professione in Religione à Pontifice approbata, & in susceptione Ordinis sacri, v. g. in Subdiaconatu: alia vero omnia vota ab iis dicuntur, & sunt vota simplicia: in hoc dubio solum agemos de voto castitatis, quod emittitor in professione: dubio verò 13. agemus de voto castitatis, quod emittitur in susceptione Ordinis sacri.

2 Dico primò, votum solenne Religionis emissum in Professione, seu professio solemnis dirimit matrimonium futurum, ideo matrimonium post eam contractum est omnino irritum: est de fide definitum in pluribus Conciliis, vt Toletano, Calcedon. Foroliuiensi, Turonico, Triburiensi, Vienoensi, Clementina vnica *de consanguinitate*, relatis à Sanchez *lib. 7. disput. 26. num. 1.* & nouissimè definitum à Tridentin. *sess. 24. Can. 9.* his verbis: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit.* Ratio congruentiæ est, qoia per votum solemne fit perfecta traditio acceptata, & spirituale matrimonium animæ cum Christo Domino; at æquum non est, vt violata nobiliori traditione, tradat se persona, per matrimonium carnale ignobiliori. Irritat autem matrimonium subsequens professio, etiamsi sit tacita, hoc est, quando quis cum cum habito per quinquennium gerit se vt Religiosus, quia censetur professus, Villalob. *1. part. tract. 14. diff. 7. num. 1.*

3 Dubitant tamen DD. quo iure professio dirimat matrimonium futurum, & quidem dirimere illud iure Ecclesiastico omnes conueniunt, & constat ex prima conclus. dubium ergo est, an illud dirimat iure diuino, & naturali. Henriq. *lib. 12. cap. 5. num 7.* Sotus *7. de vis. quæst. 2. artic. 5.* & alij existimant illud dirimere iure diuino, & naturali, quia per votum solemne castitatis quis se totum, & ius quod habet ad nuptias, tradit Deo; & quia voti substantia est de iure Diuino, quamuis eius solemnitas sit de iore Ecclesiastico; sicut substantia matrimonij, est de iure naturali, & diuino, quamuis eius solemnitas sit de iure Ecclesiastico, ideo concludit hæc opinio, votum solemne sua naturali vi, & efficacitet, seu iure suo naturali dirimere matrimonium futurum. At Sanchez *lib. 7. disp. 25.* Coninck *disp. 31. dub. 6.* Vasquez, *cap. 2. disput. 365.* Hurtado *disp. 15. num. 3.* Villalob. *1. part. diff. 7. num. 2.* Filliuc. *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 4. num. 118.* & eum aliis Bonacin. *tom. 1. quæst. 5. de matrim. punct. 4. num. 1. & 3.* existimant professionem solemnem, seu votom solemne professionis dirimere matrimonium futurom, solo iure Ecclesiastico: probant hanc sententiam, quia dirimere matrimonium, non conuenit voto solemni, eo tantum, quia votum est, nam etiam sic dirimeret votum simplex castitatis, quod est falsum, vt omnes concedunt (excepto voto bieonij tyrocinij Societatis Iesu, de quo infra) ergo ei tantum conuenit, quia solemne est; at solemnitas est de iure Ecclesiastico introducta, *cap. vnico de voto in 6.* ergo votum solemne solo iure Ecclesiastico dirimit matrimonium futurum, alias vero rationes vide apud Sanchez, & Filliuc. *loc. cit.* Vtraque opinio ex his probabilis est, & tute sequi posset, & iuxta secundam dicendum est, posse Papam dispensare, vt professus validè contrahat matrimonium, vt asserunt Doctores huius sententiæ.

4 Dico secundò, votom simplex castitatis (idem de voto Religionis simplici) antecedens matrimonium noo illud dirimit. Ita communis cum S. Thom. *quæst. 59. addit. artic. 1.* quia id nullo iore reperitur; est enim impedimentum tantum impediens.

5 Aduertendum tamen, votum simplex castitatis Religiosorum Societatis Iesu post biennium tyrocinij, seu nouitiatus dirimere matrimonium futurum, & hoc quidem non ea se; quia etiam tunc est votum simplex, sed extrinsecè, ex eo scilicet, quia ita decreuit Gregor. XIII. in Bulla quæ incipit: *Ascendente Domino*, nec dirimit inperpetuum, sed tamdiu, quamdiu illos Prælatus in Religione retinet, vt cum aliis Henriq. *sup. c. 5. num. 5.* de quo vide Sanchez *lib. 2 disp. 19 lib. 7. disp. 55. n. 24. & disp 26. num. 4.* hoc autem votum si superueniat matrimonium, non illud dirimit, seu dissoluit, etiamsi matrimonium tantom sit ratom, vt diai *hoc lib. c. 3. dub. 3. versic. Ex hac.* Henriquez *lib. 1. de matrim c. 8. n. 7.*

6 Dico tertiò, votum solemne professionis, seu professio solemnis subsequens matrimonium dirimit illud, si tantum est ratum, non verò si est consummatom, vt diai *hoc lib. cap. 3. dub. 3. concl. 1. 2. & 3.* vide ibi.

7 Quæres primò, an, & qoomodo coniuges possint vouere castitatem. Huic quæstioni satisfeci in Decalog. *lib. 5. c. 2. dub. 11. n. 3 4 5. & 6.*

8 Quæres secundò, qualiter peccet voto simplici castitatis adstrictus; si ineat matrimonium. Huic responsum est in Decalog. *loco cit dub. 15.* vbi etiam agitur de contrahente post votum Clericatus, Religionis, non nubendi, & virginitatis, vide etiam Ledesmam *in summ. c. 13. de matrim.*

9 Quæres tertiò, quis possit dispensare in votis castitatis à coniugatis, aut liberis emissis. De hoc diai in Decalog. *loco citat. dub. 39.* vbi agitur de facultate Episcopi circa commutanda vota. Quis autem possit commutare votum castitatis à coniugatis emissum, vide etiam in Decalog. *loco citat. dub. 36. & 37.* & in expositione Bullæ *lib. 1. §. 3. c. 3. dub. 15.* vbi agitur de facultate commutandi vota per Bullam. An, & qoomodo coniuges possint irritare sua vota, dixi etiam in Decalog. *sup. dub. 33.*

10 Quæres quartò, an coniuges possint validè & licitè post matrimonium consommatum Religionem ingredi, & in ea profiteri. Diai, *post matrimonium consummatum*, nam ante consummationem, certum est, eis licere tempore ad id statuto à iure, vt diai *hoc lib. cap. 3 dub 6.* de iis, quæ pertinent ad hanc quæstionem, & quando coniugatus sacris initiari possit, tractat latè, & doctè, vt solet, Sanchez *lib. 7 à disput. 33. vsque ad 34.* Nos autem breuitati studentes, solùm attingemus aliqua necessaria, & magis practicabilia pertinentia ad titulum quæstionis; nam quando coniuges initiari possint sacris agemus, vbi de impedimento Ordinis.

11 Dico primò, matrimonio consummato possint ambo coniuges de communi consensu ingredi Religionem, & in ea profiteri, patet *ex cap. qui vxorem 33. quæst. 5.* & ex multis aliis textibus relatis à Sanchez *lib. 7. disp. 33.* potest enim vterque cedere iuri suo, quod habet circa matrimonium. Non tamen est necessarium, quod vterque eodem die, vel tempore ingrediatur; sed potest vnus ingredi, & validè profiteri, post enius professionem tenetur alter etiam profiteri: imò in hoc casu compellendus est ad ingressum Religionis, com non possit licitè in sæculo manere post validam professionem alterius, vt docent Sanch. *sup. num. 14.* & cum aliis Henriq. *lib. 11. cap. 8. num. 9.* Tenentut tamen ij saltem de honestate, petere licentiam ab Episcopo, *ex cap si vir & vxor diuertere 27. quæst. 1.* Professio tamen aliter facta valida esset, vt cum Sanch. & aliis tenet Villalob. *1. part. tractat. 14. diff. 7. num. 4.*

12 Dico

12 Dico secundò, potest alter coniux licitè & validè ingredi Religionem, & in ea profiteri, altero in sæculo remanente, his tamen conditionibus obseruatis, videlicet, vt manens in sæculo sit, senex, & absque periculo incontinentiæ, & vt emittat votum castitatis; si autem remanens sit iuuenis, opus esse, vt pariter ingrediatur Religionem (sufficeret tamen, si fieret Clericus, & sacris initiaretur vt infra) habetur expresse *cap. cum sis de conuers. coniug. & cap. ad Apostolicam eod.* erit tamen valida professio, etiamsi remanens in sæculo iuuenis sit, & non emittat votum castitatis, modò ad ingrediendum licentiam concesserit, & eam ante alterius professionem non reuocauerit, vt docent Sanchez *lib. 7. disp. 33. num. 1.* Filliuc. *tom. 2. tractat. 10. p. 2. cap. 4. num. 136.* Henriq. *lib. 11. cap. 8. num. 9.* Syluest. *matrimon. 8. quæst. 12.* Bonac. *tom. 1. quæst. 3. de matrimon. punct. 4. num. 12. ex cap. ex parte 1. de conuers. coniug.* ibi: *Quia verò prædictus, &c.* & ex *cap. Agathosa 27. quæst. 2.* ibi: *Experientia tua præcipimus, &c.* Et ex alio capite, iura non irritant huiusmodi professionem, quamuis requirant, vt manens in sæculo votum castitatis emittat, vt patet *ex cap. cum sis, & cap. vxoratus de conuers. coniug.* Vnde si talis reuocaretur è monasterio, eo quòd desiderata essent aliqua requisita, teneretur coniuge defuncto, redire ad monasterium, quia verè fuit professus, & coactus redire solum ad consulendum periculo incontinentiæ relicti in sæculo, teneretur reddere, sed non posset petere, vt pluribus Sanchez *disp. 33. num. 5. & 6.* & Henriq. *lib. 11 cap. 15. num 9 lit. T.* Quoad ætatem manentis in sæculo est difficultas apud Doctores, eo quòd ius eam non describit, sed tantùm dicit, quòd sit senex seu prouectæ ætatis. Relictis opinionibus, existimo cum Sanchez *disput. 32. num. 16. lib. 7.* & Filliuc. *dict. cap. 4. num. 133.* & Villalobos *sup. num 5.* ætatem sexagenariam in viro, & quinquagenariam in fœmina sufficere, vt talis coniunx possit manere in sæculo cum voto castitatis; nam hodie ea ætate, vel paulò post communiter accidit sterilitas, & calor iuuenilis ferè extinctus est. Vide Sanchez *vbi sup.* & Basilium *lib. 7. de matrimon. cap. 25. num. 7.* Quòd si tales senes in sæculo manentes essent adhuc suspecti de incontinentia, valdè probabile est, non posse manere in sæculo, etiam cum voto; iura enim citata vtrumque requirere videntur. Ita Sanchez *disp. 32. num. 2.* Filliuc. *sup. num. 133.* Alij autem sufficere etiam tunc votum existimant, quod vt plurimum sufficit in ætate senili.

13 Sed dices, an ad talem ingressum requiratur licentia Episcopi. Respondeo, non esse de necessitate professionis; nam *cap. si vir, & vxor 27. quæst. 1.* non irritat professionem ingredientis cum licentia alterius coniugis absque licentia Episcopi. Ita Sanchez *disp. 33. num. 3.* Villalobos *sup. n. 4.* Bonacina *sup. n. 12. vers. Tertia.* Est tamen de necessitate præcepti obligante sub mortali, vt *loco cit.* cum Rebello tenet Bonac. Probabile tamen est, esse tantùm de benè esse, & honestate, vt existimant Gutierr. *de matrimon. c. 95. n. 4.* & Sanch. *lib. 7 disp. 33. n. 3.*

14 Dico tertiò, inualida est professio facta ab vno coniuge, altero eam ignorante, vel consentiente per vim, aut per metum, aut dissimulante, seclusa causa diuortij perpetui, si matrimonium iam sit consummatum. Bonacin. cum aliis *supra num. 9. & 10. ex cap. notificasti 33. quæst. 1. cap. veniens, cap placeat, cap. quidam de conuers. coniug.* non enim habet coniunx dominium sui corporis, quòd possit transferre in dominium Religionis, altero non consentiente: ex quo fit, inualidam esse professionem, quam vterque emisit credens bona fide alterum periisse, idcóque professus, postquam cognouit alterum esse superstitem, debet ad illum reuerti, illique reddere debitum: nam inualidè professus est, non tamen poterit petere, vt habetur *in dict. cap. placuit*, quia etsi professio sit inualida, habet tamen vim simplicis voti, & obligat, in quantum vouens se poterat obligare ad non petendum. Sanchez *libr. 7. disput. 34. & 35. num. 2.* Henriquez *lib. 1. de matrim. cap. 15. numer. 9. & lib. 2. cap. 5. numer. fin.* Potest tamen Episcopus dispensare, vt petat idem, *num. 9. cit.* Dixi *seclusa, &c.* quia quando coniunx potest facere perpetuum diuortium propria authoritate, potest etiam validè profiteri; aut sacris initiari, altero coniuge in sæculo manente: sicut enim coniunx innocens potest in sæculo abstinere à perpetuo consortio alterius, ita etiam potest ingredi Religionem. Ita citati. Quod verum est, quamuis eius culpa diuortium factum sit, & ex quacunque causa; sicque initiatus, vel professus non reuocabitur ad vxorem postea, vel amantem; sibi enim imputare debet fictam reconciliationem. Vide Syluest. *verb. Diuortium, quæst. 12. 13. & 14.* Henriquez *lib. 2. de matrimon. cap. 5. n. 10.* & Nauarr. *cons. 3. & 4. de conuers. coniugat.*

15 Ex his infertur primò, professionem coniugis post matrimonium consummatum factam ignorante altero, non habere vim voti solemnis, vt patet *ex cap. placuit, & cap. quidam de conuers. coniug.* Habebit tamen votum illud vim voti simplicis, & obligabit illum, in quantum se obligare potest, videlicet ad non exigendum debitum, *vt ex dict. cap. placuit.* nisi votum illud emisisset dependenter à professione, & propter professionem, tunc enim cessante professione ad nihil obligabitur ex vi, & virtute suæ intentionis, ita Filliuc. *sup. num. 140.* Secundo infertur, coniugem relictum posse reuocare professum absque sua licentia: patet ex dictis cap. nequit enim inuitus spoliari suo iure; reuocatione tamen facta, si moriatur vxor, non tenetur redire ad Religionem, eo quòd, vt dictum est, professio fuit nulla, vt pluribus Sanchez *disput. 34. vsque ad num. 16.* & cum eo Filliuc. *sup. n. 141.*

16 Tertiò, quando alter coniux professus est absque licentia alterius, talis professio irrita non reualidabitur, etiamsi postea relictus in sæculo consentiat, quia professio semel irrita nequit temporis tractu conualescere; vnde si relictus nunquam reuocaret sic professum, & moreretur, posset, eo defuncto, egredi sic professus, reclamare, aut cessante scandalo fugere, de quo Sanch. *lib. 7. disp. 34. n. 16.* At sit vir professus est, consentiente saltem tacitè vxore, quia scilicet scit, & non contradicit vsque ad mortem, tunc professus fit inhabilis, vt ea mortua, ducat aliam, vt cum Nauarr. & alij Henriquez *lib. 12. cap. 5. num. 10.*

17 Quando professus fuit cum licentia alterius coniugis per metum grauem, aut dolum extorta, professio est irrita, & relictus potest sic professum reuocare, & post mortem illius non tenetur sic professus redire ad Religionem, nec peccaret exequendo propria authoritate, cessante scandalo, & validum esset matrimonium, quod post mortem coniugis relicti iniret, peccaret tamen ob votum simplex castitatis, vt pluribus Sanch. *lib. 7. disp. 35.* Quòd si relictus adulteraretur, & adulterium notum est sic nulliter professo, non posset professum reuocare, benè verò posset sic professus exire, vt *ex c. veniens de cõuers. coniug.* probat Sanc. *lib. 8. disp. 36.* An autem sic professus possit, transacto quinquennio, post mortem relicti reclamare, vel Religio-

nem

nem deserere, vide Sanchez *disputat.* 37. *per tot.*

18 Nota, votum castitatis, quod emittit coniux in sæculo relictus, non effici solemne per professionem alterius in Religione, quia votum solemne non fit, nisi professione Religiosis, vel in Ordine sacro, *c.* 1. *de voto in* 6. Deinde nota, si coniux in sæculo relictus cum voto continentiæ id non feruet, post professionem alterius cogetur ingredi Religionem, vt *ex cap significant. de conuers. coniug.* docent DD. *in c placuit eodem tit.* Hostiens. *n.* 7. & Abbas *c. ad Apostolicam eodem tit.* Quòd si coniux ingressus Religionem de alterius licentia, tempore probationis egrediatur, cogendus erit redire ad coniugem relictum in sæculo, cum votum fecit sub conditione tacita professionis alterius: at si vouisset absolutè, ad summum deberet non petere. Vide Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 134. & 135.

19 Nota secundò, quando quis inscia, vel inuita vxore professionem fecit, & reuocatur, ad relictum in sæculo teneri reddere, & non posse petere, vt supra dictum est: hoc autem intellige, non posse petere compellendo, benè vero simpliciter; sicut adulter non potest compellere, benè verò simpliciter petere, ita Henriquez *lib.* 11. *c.* 55. *n.* 9. eo quòd professio fuit omnino irrita. At quia diximus *supra conclus.* 3. & *vers. Ex his.* huiusmodi professionem habere vim voti simplicis castitatis, verius videtur nullo modo posse petere.

20 Nota tertiò, in omnibus ferè casibus, in quibus licet viro ingredi Religionem, licere etiam illi sacris initiari, vt communiter docent DD. At claritatis gratia, agemus de hoc, vbi de impedimento Ordinis.

21 Nota quartò, Religiosos, & Moniales matrimonium contrahentes, & eos, qui cum Monialibus contrahunt, incurrere ipso facto excommunicationem latam in Clement. vnica *de consanguin.* hæc autem excommunicatio non est reseruata, de quo infra, vbi de impedimento affinitatis, *dub.* 16.

Dub. VII.

De impedimento consanguinitatis, & quo iure dirimat matrimonium.

1 Nota primò, cognationem in communi definiri, *Propinquitatem personarum*, & hæc communiter diuiditur in consanguinitatem, affinitatem, cognationem spiritualem, & cognationem legalem: itaque cognatio in communi, est veluti quoddam genus quod diuiditur in has species: in hoc dubio solùm agemos de consanguinitate.

2 Est autem consanguinitas, *vinculum personarum ab eodem stipite propinquo, aut proximo descendentium, carnali propagatione contractum.* Sanchez *lib.* 7. *disp.* 50. & communiter DD. ex S. Thom. *in* 4. *dist.* 40. *q. vnic. artic.* 1. Dicitur primò, *vinculum*, nam consanguinei, eo quòd ab eodem sanguine oriantur, maiori affectus, & amoris nexu, quàm cæteri connectuntur: tum, quia communicant in eodem sanguine, & in eo tanquam in vinculo vniuntur, ideo dicitur consanguinitas, id est vnitas, seu vnio sanguinis. Secundò dicitur, *personarum*, id est hominum, & non animalium, quia hæc etsi ab eodem stipite procedant, non dicuntur consanguinei, quia non coniunguntur ad amicitiæ vnitatem; non enim sunt capaces amoris, & amicitiæ, vt ait Aristot. 7. *Ethic. cap.* 11. Tertiò dicitur, *ab eodem stipite propinquo, seu proximo*, vt intelligatur, debere virtutem stipitis perseuerare in consanguineis, quod non contingit respectu remoti stipitis, sed tantum respectu propinqui, seu proximi: nam si stipitis remoti ratio haberetur, omnes essent consanguinei, cum omnes ab Adamo tanquam à remoto stipite descendant, vt optimè Sanch. *disp.* 51. Dicitur etiam ab eodem stipite, vel positiuè, vt duo fratres, qui descendunt ab eodem patre: vel negatiuè, id est, quòd non sint ab alio stipite, seu quòd vnus oriatur ab alio, vt Adam, & Cain. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 1. Est autem stipes, persona illa, à qua originem ducunt personæ illæ, de quibus tractatur, v. g. Caius habet filios, nepotes, & alios descendentes, stipes illorum est Caius, eo quòd filij, & nepotes Caij ab eo descendant, tanquam ab stipite proximo. Dicitur quarto, *carnali propagatione contractum*, nam consanguinitas non contrahitur per quamcumque dependentiam ab alio, sed per carnalem copulam: ideo Angeli creati à Deo, non sunt eius consanguinei; nec Adam habuit consanguinitatem cum Eua, etiamsi illa ex huius osse formata sit; Christus verò Dominus fuit verè consanguineus B. Mariæ semper Virginis, eo quòd ex purissimo eius sanguine Spiritus sancti virtute, quoad naturam humanam conceptus fuerit; ministrauit enim Maria Virgo purissima, & sanctissima materiam illam, quam cæteræ matres filiis administrant.

3 Nota secundò, consanguinitatem distingui per lineas, & gradus; est autem linea ordinata collectio, & series personarum descendentium ab vno stipite; continens diuersos gradus: linea est triplex, ascendentium, descendentium, & collateralium. Linea ascendentium, quæ dicitur recta est eorum, qui ab ascendentibus originem trahunt, qua scilicet progredimur à genitis ad genitores, vt à filio ad patrem, ad auum, pro auum, atauum. Linea descendentium, quæ etiam dicitur recta, est illa, qua progredimur à genitoribus, scilicet ad eos, qui ab ascendentibus originem trahunt, vt à patre ad filium, nepotem, pronepotem, &c. Linea collateralis, quæ & transuersalis appellatur, est illa, secundum quam multæ personæ ab vno stipite immediatè, vel mediatè procedunt, ipsæ tamen personæ à se ipsis inuicem non procedunt, vt sunt fratres, & filij patruelium, seu fratrum, qui dicuntur consobrini, &c. Gradus autem est habitudo, seu mensura personarum, qua cognoscitur, quanta propinquitas sit consanguinitatis, vel distantia inter ipsas personas, quæ in linea includuntur ad similitudinem graduum scalæ, per quam seorsum ascendimus, & deorsum descendimus, v. g. Caius habet filios, nepotes, pronepotes, abnepotes; omnes istæ personæ constituunt lineam; gradus verò est distantia, seu mensura, qua cognoscitur quanta sit distantia inter Caium, filios, &c. vtrum scilicet sint in primo, aut in secundo, aut in tertio gradu.

4 Nota tertiò, tres, regulas communiter assignari à DD. ad computandos gradus consanguinitatis, de quibus S. Thom. *in* 4 *dist.* 40. *q.* 1. *artic.* 2. & inter recentiores Sanchez *lib.* 7. *disp.* 50. *num.* 4. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 9. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 5. *num.* 173. & Bonacin. *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 5. §. 1. *n.* 6. Prima regula est in linea recta, tam ascendentium quam descendentium; tot sunt gradus, quot sunt personæ, vna dempta, scilicet stipe; vnde filius, & pater sunt in primo gradu; quia ipse, & pater sunt duæ personæ, quarum, vna dempta, superest altera tantum; nepos cum auo est in secundo gradu, quia sunt tres personæ, & vna dempta, remanent duæ personæ, & duo gradus. Secunda regula est pro linea transuersali, seu collaterali in hac linea; quando personæ æquali gradu distant à communi stipite, eodem etiam distant inter se; sic duo fratres sunt in primo

primo grado, quia eodem grado vnusquisque distat à stipite, scilicet à patre; filius verò vnius fratris, quia duobus gradibus distat à communi stipite, duobus etiam gradibus distat à filiis alterius fratris. Tertia regula est, etiam pro linea collaterali, & transuersali; quando consanguinei in distantia inæquali distant à communi stipite; eo gradu distant inter se, quo persona remotior distat à stipite; sic filius fratris, & patruus distant inter se secũdo gradu, quia eodem distant inter se; sumitur autem computatio graduum in hac tertia regula à remotiori, quia remotior gradus trahit ad se minus remotum.

5 Nota quartò, supradictam computationem graduum esse assignatam iuxta ius Canonicum, in qua ius ciuile tantum concordat in computatione graduum in linea rectâ; discrepant tamen in linea collaterali; nam in iure ciuili duo fratres sunt in secundo gradu, duo patrueles in quarto, duo consobrini in sexto, & sic deinceps; iure autem Canonico dimidio minus. Ratio diuersitatis assignatur *in cap. ad sedem 35. quæst. 5.* nam ius ciuile enumerat gradus in ordine ad successiones, & testamenta, vt hæreditas ab vna persona ad alteram deferatur, & ideo in singulis personis singulos assignant gradus. At ius Canonicum computat gradus propter matrimonia, & quia hæc non possunt esse, nisi inter duas personas, ideo duas personas ponit in vno gradu. Nihilominus tamen quoad matrimonia, etiam in foro ciuili seruatur computatio iuris Canonici, *ex dict. c. ad sedem*, & communi ex Sanch. *lib. 7. disp. 50. n. 8.* quoad successiones verò seruanda computatio iuris ciuilis. Consuli potest circa hæc arbor consanguinitatis, apud Syluestrum *matrimonium 8. quæst. 7.* apud Reginaldum *lib. 31. n. 141. & in 6. lib. Decretalium, in principio*, vt istæ regulæ facilius intelligantur. His positis.

6 Dico primò, quamuis olim iure Canonico consanguinitas dirimeret, vsque ad septimum gradum, vt constat *ex Can. ad sedem 35. quæst. 5.* nunc tamen eodem iure solum dirimit, vsque ad quartum gradum inclusiuè: nam ita definitum est ab Innocentio III. *cap. non debet de consanguinitate, & affinitate*, & confirmatur a Tridentino *sess. 24. c. 5. de reformatione*; cui definitioni nunc standum est. Debet autem intelligi conclusio, tam in gradibus lineæ transuersalis, quàm rectæ, ita vt quicunque ex dictis consanguinei vltra quartum gradum possint matrimonio iungi, non autem intra quartum; & quidem conuenienter restricta est prohibitio matrimonij, vsque ad quartum gradum, quia vnitas generalis non solet communicare sanguinem, & similitudinem, nisi vsque ad quartum gradum, *ex cap. consanguinitas 35. quæst. 4.* Ex quo patet matrimonium intra quartum gradum esse inualidum: patet etiam, eum qui est in secundo, tertio, vel quarto posse contrahere cum eo, qui est in quinto, quia hic gradus remotior trahit ad se propinquiorem, *c. fin. de consanguin.* Sylu. *matrim. 8. q. 6. §. sextum.* & DD. communiter.

7 Dico secundò, matrimonium in primo gradu consanguinitatis est irritum iure naturæ. S. Thom. *in 4 dist. 40. q. vnic. artic. 3.* Sanch *disput. 51. num 7.* & communis DD. tum, quia apud omnes nationes, ratione naturali duce, pro nefando habetur talis concubitus, vt ex Aug. Chrysost. & aliis docet Sanchez *disp. 51. n. 7.* Tum, quia in matrimonio ex duobus fiunt vna caro; at filius, & pater reputantur vnum, quia filius est quædam pars patris: tum quia matrimonij lex est, vt mulier subdita sit viro, & eius socia, eique par in actu coniugali; at repugnat filium esse æqualem parenti, nam reuerentia illi debita naturali præcepto pugnat cum æqualitate. Nihilominus tamen non est intrinsecè malum, vt est mendacium: ac proinde potest in eo Deus dispensare in casu extremæ necessitatis propagandi genus humanum, vt si in mundo tantum superessent mater, & filius, aut pater, & filia. Bellarm. *lib. 1. de matrim cap. 28.* Henriq. *lib. 12 cap. 9.* Sanchez *lib. 7. disput. 51.* Basil. *lib. 7. cap 31.* & alij contra Conioch *disp. 32. num. 14.* Hurtado *disp. 17. diff. 3. num. 7.* Ratio est, nam nullus gradus tollit omnino finem matrimonij, etsi aliqua ex parte impediat. Hinc fit, in eo casu absque Dei dispensatione, vt liceret possit filio, vt cum matre, & filiæ cum patre nubat, quod tanquam probabilius tenent Sanchez cum aliis *sup. n. 10.* & Filliuc. *tom. 1. tract. 10. p. 2. cap. 5. num. 178.* sic enim (aiunt) S. Chrysost. & S. Ambros. defendunt filias Loth à culpa; concubantes cum patre, quia sibi persuadebant omnia in cineres abiisse, & nullum præter illas, & patrem superesse. Vide Scotum *dist. 40. q vnic. art. 2.* & Valent. *4. p. disp 10. q. 5. p. 3.* In aliis autem gradibus lineæ rectæ, Hurtad. *sup. diff. 4 n. 9.* cum Scoto, Bellarm. Coninch Basil. & Vasq. existimant etiam dirimere in infinitum, etiam vsque ad Adam, propter reuerentiam naturalem, quæ debetur principio generationis. Quod etsi valdè probabile sit, probabile tamen est, prohibitionem terminari ad aliquem gradum, ad illum scilicet, ad quem virtus generantis reddita est ita debilis, vt penè extincta videatur: finitur enim tandem portio illa sanguinis, vel substantia, quæ per generationem communicatur. Ita cum aliis Sanchez *sup disp 51. à num. 15. vsq ad 20.* vbi docet, probabile esse iure naturæ tantum in primo gradu esse irritum, in aliis verò minimè; esse tamen prohibitum, ob quandam indecentiam naturalem, & reuerentiam auo, & proauo debitam intercedente tamen aliqua causa iusta, verius videtur nec prohibitum esse iure naturæ, quia illa iusta causa illud cohonestaret, vt cum multis probat Sanchez *sup. n. 19. & 20.*

8 Hinc patet, matrimonium contractum inter infideles, si sit in primo gradu lineæ rectæ, esse omnino inualidum, eo quod sit de iure naturali irritum, ius autem naturæ omnes comprehendit: extra primum autem gradum etsi illicitum sit, non tamen est irritum, ideo si ij postea ad fidem conuertantur, non sunt separandi, modò aliàs tale matrimonium non fuerit contra leges illius sectæ illud irritantes. Fideles verò contrahere poterunt in linea rectâ vltra quartum gradum, quia in his iure Ecclesiastico intra quartum gradum tantum se extendit prohibitio, Filliuc. *sup. num 180. & 181.* Vide Sanchez *loco sup. citat.* & Bonacin. *tom. 1. q. 3. de matr. punct. 5. §. 1. num. 9.*

9 Dico tertiò, consanguinitas in linea transuersali, seu collaterali in primo gradu, vt inter fratres, quamuis ex altera parte tantum, dirimit matrimonium de iure naturæ. Ita Henriques *lib. 12. cap. 9. num. 4.* Sanch *lib 7. disp. 51. num 11.* Ledesm. *in sum. cap. 14 de matrim. concl. 3* Filliuc. *tom. 1 tract. 10. p. 2. cap. 5 num. 182.* & cum aliis Bonac. *supra n. 12.* contra Caietan. *2. 2. q. 154 artic. 9.* Coninch *disput 32. num. 19.* Basil *lib. 7 c. 32.* & Hurtado *disp. 17. diff. 5. num. 12.* Probatur conclusio: tum quia omnes ferè gentes abstinent à tali matrimonio: tum quia Ecclesia in illo nunquam dispensauit, vt restantur DD. citati: tum quia est contra naturalem pudorem, & reuerentiam. Neque Abraham duxit Saram sororem carnalem, quia fuit neptis eius, vtpote filia Arao patris sui, & vocatur soror, sicut Loth dicitur

dicitur frater, cum esset frater Saræ, vt refertur ex August. *cap. quaritur* 12.q.2. & docent S.Thom.2.2. *quæst.* 110 *artic.* 3. *ad* 3. Probabilis tamen est opposita sententia, nempe, tale matrimonium esse quidem illicitum iure naturæ,non tamen irritum, maximè si fratres sint ex altera parte tantum. In aliis autem gradibus à primò conueniunt DD.matrimonium inter collaterales,seu transuersales non esse irritum iure naturali,probatur *ex cap.gaudemus de diuortiis*, in quo statuitur, infideles non esse separandos, quando conuertuntur ad fidem,nisi contraxerint in primo gradu. Ex quo textu duo colliguntur, & matrimonium inter infideles esse iure naturali irritum in primo gradu, & validum esse extra illud, vt in secundo,& tertio; aliter enim si iure naturæ esset irritum, essent vtique separandi, & confirmatur ex Trident. *sess.* 24. *de matrim. cap* 5. vbi concedit, posse Papam dispensare in secundo gradu cum magnis viris; signum ergo est non esse iure naturæ irritum, vnde, iure naturæ spectato, validum est matrimonium inter patruum, & consobrinam, & amitam, & consobrinum, quia non reperitur tanta repugnantia, ac in primo gradu; est tamen prohibitum ob maximam indecentiam. Ledesma *sup.concl* 3. vide Sanchez *supra n.* 11. & Bonacin. *loca cit. num.* 12. vbi cum Ledesma tenet,initio mundi matrimonium inter fratres fuisse validum propter necessitatem conseruandæ naturæ humanæ;sicut enim necessitas facit,vt licitum sit accipere rem alienam,ita etiam facere potest, vt matrimonium sit validum.

10 Nota,Leuit.decimosexto, prohiberi matrimonium intra certos gradus; at quia illa lex erat pertinens ad præcepta iudicialia, & hæc per mortem Christi Domini cessauerit,cessauit etiam illa prohibitio,& solùm,manet nunc prohibitio irritans matrimonium de iure naturæ,aut ex iure Ecclesiastico modis supra explicatis. Vide Henriquez *lib.* 12. *c.* 9. *n.* 5 & Sanch. *sup.n.* 6.

11 Ex dictis sequitur,Papam non posse dispensare in primo gradu lineæ rectæ,& transuersalis,quia dirimunt de iure naturali,in aliis gradibus probabilior est,posse ex publica causa, patet ex Trid. *sess.* 24. *de matrim. c* 5. quia non sunt iure naturæ irriti,sed tantum ob indecentiam secondùm communem consuetudinem prohibiti. Episcopus verò,aut Legatus,nisi ex priuilegio, aut speciali facultate, dispensare non potest in gradu prohibito in Lege Euangelica, sed de hoc latius *infra c.* 9. *dub.* 8.

12 Sequitur etiam, in nouo Orbe, illius Regionis incolas, quibus à Paulo III. concessum est priuilegium, vt contrahere possint matrimonium intra tertium,& quartum gradum,posse illud inire,quamuis alter illorum non distet ab stipite,nisi in primo gradu,aut secundo, vt docent Veracrux *in specul.* 1. *part.art* 44. *concl.* 3. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 14. *num.* 35. & Villalobos 1. *part tract.* 14. *diff.* 8. *n.* 7. *in fin.* sicut de lege communi,qui est extra quartum,potest contrahere cum illo, qui est ex alio capite intra secundum,aut tertium vt supra dictum est.

DVB. VIII.

De impedimento cognationis spiritualis.

1 Sit prima conclusio, cognatio spiritualis est propinquitas quędam personarum consurgens ex Ecclesiæ statuto, propter collationem Baptismi, & Confirmationis, vel susceptionem baptizati, & confirmati,ita communiter Doctores, & colligunt *ex cap.fin.de cognatione spirituali in* 6. Dicitur primò,*propinquitas*,quia hæc est quædam species cognationis, in quo conuenit cum cognatione carnali, legali,& affinitate.Dicitur secundò,*personarum*,quia hæc propinquitas tantum inter creaturas rationales oriri potest,imò inter solos homines,qui Sacramenta recipere possunt.Dicitur tertiò,*consurgens ex Ecclesiæ statuto*, quia vt infra constabit,hæc cognatio solo iure Ecclesiastico est inducta. Dicitur quartò, *per collationem,&c.* Dicitur quintò,*per susceptionem, &c.* quia his duobus modis contrahi solet, vt patebit ex dicendis. Ratio autem, cur Ecclesia constituerit hanc cognationem in Baptismo,& Confirmatione,fundatur in quadam congruentia,& similitudine generationis naturalis, nam sicut per generationem naturalem contrahitur cognatio naturalis, ita per generationem spiritualem,per hæc Sacramẽta factam,contrahitur cognatio spiritualis: & sicut cognatio naturalis dirimit matrimonium, propter reuerentiam debitam consanguineis,ita conueniens est,vt matrimonium dirimatur per cognationem spiritualem inter aliquas personas,vt infrà.

2 Secunda conclusio,secundùm ius commune antiquum tres sunt species cognationis spiritualis,videlicet,paternitas,compaternitas; & confraternitas, vt constat ex *cap.* 1. *de cognatione spiritual. in* 6. & *cap. Martinus* 1. & *cap. veniens de cognatione spiritual. & Can. de ea* 30. *quæst.* 1. Paternitas est, cognatio inter baptizantem, & baptizatum, & inter confirmantem, & confirmatum, & inter patrinos ex vna parte, & confirmatum, ac baptizatum ex altera. Compaternitas est inter parentes carnales, baptizati,& confirmati ex vna parte, & baptizantem, & confirmantem, & patrinos ex altera. Confraternitas erat inter baptizatum, & confirmatum ex vna parte, & inter filios carnales baptizantis, & confirmantis, & patrini ex altera. Hæc omnia de iure antiquo, iure tamen nouo (cui standum est) Tridentini *sess.* 24. *de reformat. matrimonij Can.* 2. Restricta est cognatio spiritualis ad duas tantum species, nempè ad paternitatem, & compaternitatem, & ablata est omnino confraternitas: vnde nunc cognatio solùm contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, inter baptizantem, ac patrem, & matrem baptizati; inter susceptorem, seu patrinum, & susceptum, & inter susceptorem; ac patrem, & matrem suscepti, ex quo constat patrinos nullam inter se contrahere cognationem spiritualem, & consequenter virum, & vxorem posse esse patrinos, seu susceptores, peccabunt tamen venialiter, vt existimat Suarez 3. *part.quæst.*67. *artic.*8. *ex cap. fin.* 30. *quæst.*4. nam videtur aliqua, etsi leuis, indecentia: probabilius tamen est, none nullum esse peccatum, quia illud decretum videtur per consuetudinem abrogatum, eo quòd absque scrupulo ij admittantur à Parochis. Ita Nauarr. *cap.* 22. *num.* 39. & cum aliis Sanchez *lib.* 7. *disputat.* 57. *num.* 5. idem tenet Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimonio. punct.* 5. §. 2. *num.* 5.

3 Tertia conclusio, cognatio spiritualis oritur ex Baptismo, & Confirmatione tantum, & non ex aliis Sacramentis: patet *ex* 2. *conclus.* & communi consensu Doctorum; quia vt docet Sanct. Thom. *distinct.* 42. *quæst.* 1. *artic.* 3. ratio generationis spiritualis solum in iis duobus Sacramentis reperitur nam per Baptismum homo nascitur spiritualiter, & per Confirmationem in ea roboratur, ideo in iis solis dantur susceptores, qui baptizatos, & confirmatos, quasi patroulos in suam curam, & protectionem suscipiant. Addunt tamen Sanchez *lib.* 7. *disput.* 55. Coninch *disput.* 31. *dub.* 2. & Filliuc. *tom.* 1.

tom.1.tract.10.part.1 cap.5.num.187. etsi ex Sacramento pœnitentiæ non oriatur cognatio spiritualis inter pœnitentem, & confessarium, nihilominus tamen si confessarius cognoscat fœminam, non, quæ olim, sed quæ nunc est pœnitens, & ei ordinariè confitetur, committere sacrilegium, & esse circunstantiam necessariò confitendam, quia est peculiariter prohibita talis fornicatio, intuitu reuerentiæ Sacramento pœnitentiæ debitæ, *in Can. omnes, Can. si quis Sacerdos, Can. non debet 30 quæst.1.* At non esse ex se circunstantiam necessariò confitendam, dixi *supra lib 4. dub.3. versic. Tertiò confessarius*, & ita etiam tenent Emanuel Sà *verb Confessio, num.* 25. & Basilius *lib.7. c.38.* & vt probabile cum Ledesm. *de matrim. quæst.36. art.2.* sustinet Hurtado *disp.18. diff. 1. num. 4.* quia si adderet supra fornicationem aliquam specialem malitiam luxuriæ, maximè incestus spiritualis ratione cognationis spiritualis filiationis, & paternitatis contractæ inter confessarium, & fœminam pœnitentem, vt significatur in Canonibus adductis, & non sacrilegij ratione reuerentiæ Sacramenti pœnitentiæ. At hæc cognatio, si ante contrahebatur, nunc iam non contrahitur, quia abolita est, vel contraria consuetudine, vel ad minus per constitutionem Bonifacij VIII. *de cognat. spirituali in 6.* Dixi, *ex se*, quia si talis confessarius sollicitauit filiam confessionis in confessione, vel proximè ad illam, commisit graue sacrilegium, & est denuntiandus tribunali sanctæ Inquisitionis, vt dixi latè in Decalogo *lib.1.c.3.dub.3.*

4 Quarta conclusio, cognatio spiritualis antecedens matrimonium dirimit illud, iure tantum Ecclesiastico, & tantum inter has personas, nempe inter baptizantem, & baptizatum, ac patrem, & matrem baptizati: inter susceptorem, & baptizatum, ac patrem, & matrem baptizati: in confirmatione inter confirmantem, & confirmatum; ac patrem, & matrem confirmati: inter susceptorem, & confirmatum, ac patrem, & matrem confirmati: est communis Doctorum constat *ex 2. concl.* & est expressè definitum in Tridem. *sess 24 cap.2. de matrim.* quod autem tantum dirimat iure Ecclesiastico, docet S.Thom. *dist 42. q.1. art.1.* communiter receptus Sanch. *lib 7. disput 54. num.2.* & constat ex iuribus allegatis *in 2. conclus* & præcipuè ex Trident. *loc. cit.* Et ratio est, quia non dirimit iure naturali, cum Sacramenta, ex quibus oritur, non habeant fundamentum in iure naturali, nec diuino positiuo, quia nullus locus Scripturæ assignari potest, vnde id constet; superest ergo, vt dirimat solo iure humano positiuo, seu Ecclesiastico. Ratio propter quam Ecclesia constituerit, vt per huiusmodi cognationem dirimatur matrimonium, est, quia sicut in generatione carnali contrahitur impedimentum dirimens matrimonium, propter reuerentiam debitam, consanguineis, ita æquum fuit, vt in generatione spirituali induceretur impedimentum dirimens, propter reuerentiam debitam parentibus spiritualibus, Sanchez *sup.* & Suarez *3.p.q.67.art.8.in comm.*

5 Ex his sequitur primò, susceptores Baptismi aut Confirmationis posse inter se contrahere, quia nulla inter eos oritur cognatio spiritualis, consequenter si vir, & vxor suscipiant, siue sint patrini, non esse impeditos à petitione debiti. Item, filij baptizantis, seu confirmantis possunt contrahere matrimonium cum baptizato, seu confirmato, quia modò per Tridentinum sublata est confraternitas, vt in hac, & secunda conclusione dictum est, & tenet communis Doctorum. Similiter baptizans, & patrini possunt inter se contrahere, eo quòd inter eos nulla cognatio spiritualis oriatur.

6. Sequitur secundò, hoc impedimentum esse perpetuum, seu dirimere in perpetuum, & non extingui morte personæ, qua mediante est contractum; iura enim, quæ de illo loquuntur, non limitant ad tempus, quo persona illa viuit, vt ibi habetur, & ita tenent Doctores, apud Sanch. *disp.54 n.8.*

7 Sequitur tertiò, huiusmodi cognationem contrahi, quamuis parentes carnales sint illegitimi, seu non coniugati, eo quòd sint vere parentes carnales, & ex alio capite Tridentinum non restrinxit ad parentes legitimos: vnde, qui filium suæ concubinæ baptizauit, non potest eam ducere, ratione cognationis spiritualis inde ortæ; parentes autem adoptiui non contrahunt hanc cognationem, nec cum confirmato, aut baptizato, nec cum patrinis, quia ante Tridentinum non contrahebant illam, & textus intelligitur de veris, & naturalibus parentibus. Sanch. *sup. num.16.*

8 Quinta conclusio, cognatio spiritualis superueniens matrimonio non illud dirimit, ita communis Doctorum. Potest autem superuenire cognatio spiritualis inter coniuges, casu quo pater filium communem leuaret è sacro fonte, aut ibi, aut in Confirmatione teneret: an autem oriatur impedimentum ad petendum debitum, dixi *cap.1. de Baptism. dub.5.* & latius Diana, vbi de petitione, & redditione debiti, vide Sanchez *lib 7. disp 54. n.4. & disp.26. lib.10.*

9 Sed quæres, quænam requirantur ad contrahendam hanc cognationem spiritualem. Respondeo plura requiri, & assignari à Doctoribus, vt ex sequentibus constabit.

10 Primò igitur, ad hanc spiritualem cognationem contrahendam requiritur, vt in Baptismo, quando fit per infusionem, vt fit in his partibus, teneat suscipiens baptizatum; quando vero fit per submersionem, vt patrinus suscipiat illum immediatè è manibus baptizantis, vel leuet e sacro fonte, & in Confirmatione, vt teneat, aut tangat confirmatum, quia iura, quibus dicta cognatio inducitur, vtuntur dictis, aut æquiualentibus verbis, nempe, *suscipit, accipit, tenet, leuat*, vt constat *ex cap. 1.2.3.4. & 5. 30. quæst.1.* & Trident. *sess.24. cap.2.* & ex aliis iuribus, quæ etiam vtuntur verbo, *tangit*, quod intelligitur de tactu suscipiendi, aut tenendi, aut alio æquiualente, præcipuè de tactu, quo adultus tactus, quamuis non subleuatus, dicitur teneri, & quod efficere tenetur patrinus, ex vi sui officij: vnde si id non efficiat, hoc est, si non leuet, suscipiat, teneat, aut tangat, non solùm, non satisfacit suo muneri, sed neque contrahit hanc cognationem, etiamsi assistat, quasi se offerens, aut in suam curam suscipiens adultum, vt probabilius contra Sotum, & Sà, cum aliis tenet Sanchez *lib.7. disp 56. num 5* Filliuc. *tom.1. tractat.10. cap.5. num.195.* Hurtado, *disp.18. diff.3. num.9.* Villalob. *1. part. tract.14. diff.9.* Diana *3. part. tract.4. resol.2.* & alij, quia verba supradicta *suscipit, &c.* requirunt verum contactum. Et multo minus contrahit eam matrina, quando ipsa non tenet, neque suscipit immediatè de manu baptizantis, quamuis suscipiat de manu patrini, ita citati. Nec contrahit, qui non tangit adultum dum baptizatur, aut consummatur, nam in vita spirituali est paruulus, ideo eget patrinis Nec contrahit, si tantum tangat extremitate digiti, aut tactu aliquo momentaneo, sed requiritur tactus talis, ex quo patrini dicantur tenere, aut leuare è sacro fonte, vt bene Lopez *de matrim cap.51.* Bonac. *sup. num.14.* & alij. Non autem requiritur, vt patrinus tangat baptizatum immediatè, satis enim est, eum tangere, quamuis vestibus sit contectus, vel eum teneri in disco, vel linteo, Sà *de imped. matrim. n.26.* Villalob. *sup. num.9.* & alij.

vide

vide Sanchez *disp.* 56. & Henriq. *lib.* 12. *cap.* 12. *n.* 3. Præter actum autem tenendi, vel suscipiendi, vel iis æquivalentem, non requiritur ad hanc cognationem contrahendam, quòd patrini respondeant pro puero, dum fit catechismus, vt benè Sanch. *lib.* 7. *disp.* 56. Basilius *lib.* 7. *c.* 39. Filliuc. Hurtado, Bonacina, & alij contra nonnullos, quia iura supra citata nullam requirunt responsionem, imò responsiones non fiunt, dum baptizatur, aut confirmatur, sed dum catechizatur; ex catechismo autem, secluso Baptismo; non oritur impedimentum dirimens matrimonium, vt omnes fatentur, imò neque impediens, vt dicemus *dub. vltim huius cap.*

21 Secundò requiritur, ad hoc vt patrini contrahant hanc cognationem spiritualem, vt teneant vel suscipiant in Baptismo solemni, propterea si dum domi ob necessitatem baptizatur, tenerant, non contrahunt illam, vt docent Sotus *in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. *art.* 8. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 62. Suarez 3. *part. quæst.* 67. *artic* 8. *dub vltim.* Hurtado *disp.* 18. *diff.* 6. *num.* 20. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *num* 197. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 5. §. 2. *num.* 11. & Diana 3. *part. tractat.* 4. *resolut.* 2. & 17. contra Nauarr. *cap.* 22. *num.* 4. Coninch *disp.* 32. *num.* 59. Basilium *lib* 7. *cap.* 40. quam sententiam existimat probabiliorem Villalob. 1. *part. tract.* 14. *diff.* 9. *num.* 7. Ratio est, quia tentio, & susceptio baptizati in Baptismo instituta est ab Ecclesia, vt cæremonia in solemni Baptismo, vt ad eius solemnitatem iuuet; ergo solum contrahitur hæc cognatio in solemni Baptismo, quod procedit, vt optimè Sanchez, etiamsi, qui in Baptismo priuato tenet, intendat exercere munus patrini, quia illa intentio non efficit, actum illum esse cæremonialem, & fieri, vt cæremonialem, quia non fit eo modo, quo institutus est ab Ecclesia: fauet Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 2. *de matrim.* vbi ait, suscipientem contrahere, quando baptizatum tenet in sacro fonte, vel leuat, aut suscipit è sacro fonte, & ita etiam tenet Ledesm. *in sum. cap.* 17. *de matrim. conclus.* 7. *dub.* 6. Conueniunt tamen DD. baptizantem priuatim, & non solemniter in extrema necessitate, contrahere hanc cognationem, quamuis laicus sit, Sanchez *disp.* 62. Bonacin. *supra num.* 11. & communiter DD. Ratio est, quia iura, quibus dicta cognatio inducitur, absolutè loquuntur de baptizante, nullum excipiendo. Hinc fit laicum, baptizantem in extrema necessitate filium suæ concubinæ, non posse illam ducere. An autem coniux baptizans proprium filium in necessitate priuetur iure petendi dicetur *infra c.* 10. *dub.* 6.

22 Tertiò, requiritur, quòd patrini habeant intentionem expressam, vel tacitam præstandi munus patrini, hoc est, exercendi illud ministerium, & illam cæremoniam, sicut alij fideles patrini faciunt: est enim actus humanus, ideoque requirit legitimam intentionem, sicut in baptizante. Non tamen requiritur, quod habeat intentionem contrahendi, hanc cognationem spiritualem, sed sufficit prædicta intentio suscipiendi, vt patrinus, qua supposita, ex Ecclesiæ statuto consurgit dicta cognatio: imò si detur casus, vt aliquia velit suscipere è sacro fonte, & munus patrini exercere, contrahit hanc cognationem, quamuis intendat non eam contrahere; nam cognatio non dependet à sua voluntate, sed ab officio patrini, cui est annexa ex Ecclesiæ statuto; ergo eo ipso, quòd verè vult exercere illud munus, contrahit eam. Coninch *disp.* 32. *dub.* 2. Reginaldus *lib.* 30. *num.* 155. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 58. Bonacin. *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 5. §. 2.

23. Hinc colligitur eum, qui tantum materialiter tenet, aut suscipit sine legitima patrini intentione non contrahere hanc cognationem, vt si suscipiat, vt motem tantum gerat parentibus, fingens se patrinum, vel qui tantum suscipit, vt adiuuet eum, qui ob debilitatem infantem tenere non potest, vel ne puer humi iaceat, Sa *verb. impedimentum dirimens num.* 16. Bonac. *supra num.* 16. & alij, vide Sanchez *dict. disp.* 58. Quid si quis per errorem leuat filium Petri existimans esse filium Pauli? Sanchez *lib.* 7. *disp.* 58. *num.* 7. existimat non contrahere cognationem spiritualem, quia in *cap.* 2. *de cognat. spiritua li*, dicitur, coniugem, qui per ignorantiam leuauit filium matris, non arceri à debiti petitione, ex quo, *cap. Abbas*, ibi *num.* 4. & alij colligunt requiri scientiam, & animum ad contrahendam hanc cognationem: idem tenet Villalobos 1. *part tract.* 14. *diff.* 19. *num.* 27. & probabilem dicit Diana 3. *part. tractat.* 4. *resolut.* 16. etsi contrarium sentiat Basil. *de matrim. lib.* 8. *c.* 39. *n.* 9.

23 Quartò requiritur, quòd patrini habeant vsum rationis, nam hoc munus est actus humanus requirens legitimam intentionem, vt dictum est, *versic. Tertiò*, quod præstari non potest absque vsu rationis; supposito tamen vsu rationis, non est in iure præscripta certa ætas ad hoc munus exercendum, Non tamen desideratur, vt patrinus Baptismi, vel Confirmationis ætate præcedat baptizatū, vel confirmatum, sed sufficit, quòd habeat vsum rationis, sic ante septennium, si ratione careat, & sciat munus, quod suscipit, poterit esse patrinus. Nauarr. *consil.* 3. *de cognat. spirit.* Ledesm. *c.* 17. *de matr. conclus.* 7. *dub.* 2. & 3. Vide Sanch. *lib.* 3. *disp.* 62. Henriq. *lib.* 12. *c.* 12. & Bonac. *sup. n.* 17.

24 Quintò requiritur, quòd patrini Baptismi, aut Confirmationis sint baptizati. S. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *ad* 3. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 60. *num.* 7. & communiter DD, quia hoc impedimentum est inductum iure Ecclesiastico, ideo non potest contrahi à non baptizato, quia non est subditus Ecclesiæ, quod procedit, etiamsi sit catechumenus, quia adhuc caret charactere Baptismali: vnde non baptizatus baptizans, aut suscipiens filium, non baptizatæ, poterit ducere illius matrem non baptizatam, non verò filiam eius, vt existimat Henriquez *lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 2. & 3. ait enim ex parte fidelis baptizatæ oriri impedimentum, ideo si talis infidelis baptizans, aut suscipiens conuertatur ad fidem, non poterit ducere à se baptizatam, aut susceptam. Verius tamen videtur oppositum, nempe, in hoc casu non oriri cognationem, nec ex parte fidelis, vt docent Sotus *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 3. Ledesm. *in summ. cap.* 17. *concl.* 7. Sanch. *disp.* 60. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 194. Hurtado *disp.* 18. *diff.* 2. *n.* 7. & cum aliis Bonac. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 5. §. 2. *num.* 19. Ratio est, quia hæc cognatio est quædam relatio mutua, quæ quidem petit necessario duo extrema; cum ergo non baptizatus, qui vnum est extremum, illam non contrahat; fit inde, vt nec illam contrahat fidelis cum ipso: inde fit, vt fidelis baptizans, aut confirmans, aut suscipiens filium infidelis, quòd non contrahat hanc cognationem cum parentibus infidelibus, sed tantum in illo, quem baptizat, confirmat, aut suscipit; consequenter hunc fidelem, seu baptizatum contrahere matrimonium cum parentibus infidelibus, seu non baptizatis eius, quem baptizauit, si postea ad fidem conuertantur; nec consurgit impedimentum hoc, quando conuertuntur, vt bene Sanchez *disp.* 60. *num.* 11. & 15. & cum eo Bonac. *sup. num.* 21. quidquid Hurtado, & Henriquez, quod ab initio, non subsistit, *regul. non firmatur de regul. iur. in* 6.

15 Conueniunt tamen Doctores, hæreticum contrahere cognationem cum baptizato, aut confirmato, & eius parentibus, quia omnes sunt baptizati, vt supponitur, & subditi legibus Ecclesiæ. Non tamen est assumendus ad hoc ministerium, quia non est aptus ad instruendum in fide, hoc ipso, quia hæreticus est. Similiter consentiunt Doctores, etsi prohibitum sit Religiosis, ne suscipiant, *cap. non licet de consecrat. dist.* 4. at si suscipiant, contrahere hanc cognationem, eo quod verè hoc munus exerceant, ex quo ipso iure consurgit hæc cognatio. Consentiunt etiam, non confirmatum baptizantem, aut suscipientem in Baptismo contrahere hanc cognationem, nam reperiuntur omnia requisita, & nulla datur iuris dispositio in contrarium, Villalob. 1. *part. tr.* 14. *diff.* 9. *num.* 21. & alij. Quòd si non confirmatus teneat, aut suscipiat in Confirmatione, probabilius & verius est non contrahere hanc cognationem, vt contra Palud. & Rebell. docent Henriq. *lib.* 12. *c.* 11. *num.* 2. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 60. *numer.* 20. Coninch *disp.* 31. *num.* 25. Hurtado *disp.* 18. *diff.* 7. *num.* 6. & cum aliis Bonacin. *quæst.* 5. *de matrim. punct.* 5. §. 2. *num.* 25. & Diana 5. *part. tract.* 4. *resol.* 26. Probatur *ex cap. in Baptismate de consecrat. dist.* 4. vbi habetur, in Baptismate, vel chrismate non potest alium suscipere in filium ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus, vbi satis denotatur, non baptizatum non posse validè esse patrinum in Baptismo; neque non confirmatum in Confirmatione; nam illa particula, *non potest*, tollit potentiam, & efficit actum nullum.

16 Hoc tamen aduerte, posse aliquem in Baptismo, vel Confirmatione tenere filium eius, qui suum tenuit; nullus enim textus id prohibet, quo in casu tunc duplex paternitas orietur. Sà *verb. Matrimonij impedimenta, num.* 27.

17 Sextò, patrini debent esse determinati quoad numerum, vt statuit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. *de matrim.* his verbis: *Statuit sancta Synodus, vt vnus tantùm, siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum teneant.* Quo quidem decreto consequenter prohibetur, ne duo viri, aut duæ fœminæ sint patrini, præcipiturque, ne dimittantur plus quàm duo patrini, vir scilicet, & mulier, *ex cap. non plures de consecrat. dist.* 4. Ex quo fit, peccare Parochum, qui plures admittit patrinos, quàm hic sunt determinati: quod quidem peccatum, secundùm sententiam Rodrig. 1. *part. cap.* 216. *num.* 1. Bonacinæ *sup. num.* 33. & Hurtado *loco citat.* est mortale, quia est contra præceptum Ecclesiæ in re graui. At Sanchez *disp.* 57. *num.* 6. *sup.* & cum Lopez. & Sanchez, Villalobos, *sup. num.* 11. solùm existimant esse veniale, quia ante Tridentinum præceptum illud *ex dict. cap. non plures*, non obligabat ad mortale: ergo neque post Tridentinum, quod vt valdè probabile sequi potest.

18 Septimò, patrini non solùm quoad numerum, sed etiam quoad personas debent esse determinati, & designati, ad hoc vt contrahant hanc cognationem, ita quòd alij suscipientes, si non sunt designati, non contrahant dictam cognationem, vt expressè statuit Tridentinum *vbi sup.* dicens: *Quòd si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.* Quo in loco Tridentinum restringit ius antiquum, videlicet *Can. non plures de consecrat. dist.* 4. *& cap. fin. de cognat. spirit. in* 6. vbi dispositum erat, quod omnes tangentes, etiam vltra designatos, contraherent hanc cognationem, quod quidem sustulit Tridentinum, & restringit ad designatos tantùm: quæ quidem restrictio non solùm habet locum in baptismo, sed etiam extenditur ad patrinos in Confirmatione, vt probat Sanchez *lib.* 7. *disput.* 56. *numer.* 9. & tenet Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 5. §. 2. *numer.* 31. vbi dicitur rationes Cardinalium, & decreta Tridentini, sicut militant in cognatione orta ex Baptismo, ita etiam militare in cognatione orta ex confirmatione; Tridentinum enim, ait, sicut restrinxit cognationem ortam ex Baptismo, ita restrinxit ortam ex Confirmatione, vt patet *ex dict. cap.* 2. præcipuè illis verbis: *Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentum sublatum.* Verum tamen est, in Confirmatione adhibendum esse vnum tantùm patrinum *cap. fin. de cognat. spirit.* quamuis in Baptismo possint duo adhiberi, si vnus sit masculus, & alter fœmina. Sanch *sup. disput.* 57. *num* 9. & cum aliis Bonac. *sup.* sicque intelligendus Hurtado *disp.* 18. *diff.* 4. *num.* 13. vbi dicit, ius antiquum quoad patrinos in Confirmatione in suo robore manere. Designatio autem patrinorum spectat ad parentes, vel ad alios, quibus incumbit cura baptizandi, vt innuitur in Tridentino, in eorum verò defectu pertinet ad baptizantem, quia ei incumbit, vt Baptismus legitimè celebretur, quod non fieret absque patrino: ideoque præcipit Tridentinum Parochis, vt ante Baptismum inquirant diligenter, quinam patrini designati sint, & solùm admittant designatos, eorumque nomina tantùm in libro Baptismi scribat, aduertatque illos de cognatione, quam contrahunt, qui si negligens in hoc fuerit, venit ab Ordinario puniendus.

19 Ex hac septima conditione suboriuntur aliquæ difficultates. Prima igitur difficultas est, an quando plures non designati tangunt, vel suscipiunt, contrahant hanc cognationem. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 21. *n.* 3. Nauarr. *c.* 22. *num.* 39. Ledesma *in summ. c.* 17. *concl.* 6. *dub.* 2. Hurtado *disp* 18. *diff.* 4. *num.* 16. & cum aliis Bonacina *tom.* 1. *q.* 3. *de matrim. punct.* 5. §. 2. *num.* 24. existimant, si omnes simul tangant omnes contrahere hanc cognationem, siue successiuè, siue simul tangant, modo id faciant, dum confertur Sacramentum, vt tenent citati; præter Bonacin. Id autem probant, quia hic casus est omissus à Tridentino, ideo standum est iuri antiquo, *cap. fin. de cognat. spirit. in* 6. iuxta quod omnes tangentes contrahunt illam: quod procedit, siue simul suscipiant, aut teneant, siue successiuè, vt existimant Henriquez, & Hurtado *sup.* contra Nauarr. & alios. At Sanchez *lib.* 7. *disput* 57. Coninch *disp.* 32. *num.* 29. Suarez 3. *part. quæst.* 67. *art.* 8. *in fin.* asserunt, neminem ex his hanc cognationem contrahere, quod valde probabile, & meritò, dicit Villalob. 1. *part. tract.* 14. *diff.* 9. *num.* 14. Id probant, quia ad rationem patrini, ex Tridentino requiritur designatio tanquam forma, ideo ea deficiente, nec datur patrinus, nec oritur hæc cognatio.

20 Secunda difficultas est, an contrahatur hæc cognatio, quando plures, quam duo patrini designantur, aut duo viri, aut duæ fœminæ contra id, quod disponit Tridentinum *dict. cap.* 2. *de matrim.* Suarez *sup.* docet, in hoc casu nullum contrahere, quia nullus exercet munus patrini modo præscripto à Tridentino. Probabilius tamen videtur, omnes contrahere hanc cognationem, si verè suscipiant, aut teneant, vt docent Sanchez, Coninch, Bonacina, Hurtado, Villalobos supra citati, & Ledesma *in summ. cap.* 17. *concl.* 6. *dub.* 7. & Basilius *lib.* 7. *cap.* 30. nam quamuis Tridentinum statuat, & præcipiat, vt non designetur nisi vnus, aut ad summum vnus, & vna, non tamen irritat designationem plurium duobus: quo in casu non solum

vnus,

vnus,aut vna, qui prius incipiunt teoere, aut ſuſcipere, contraherent haoc cognationem, vt exiſtimant Bonacioa *dict*.4. *punct*.5. §.5.*num*.15. Saocb. *ſupr. num* 14. Baſil. *ſup*. ſed etiam omnes alij, qui poſt vnum, aut poſt vnam,& vnam incipiunt tenere,vel ſoſcipere,modò teneant, vel ſuſcipiant, dum confertur Sacramentnm,quia etiam ij tune exercent munus pattini,vt tenet Hurtado *diſp*.18.*diff*.4.*n* 17. contra Bonacinam,Sanchez,Suarez,& alios, exiſtimantes valdè probabiliter, ſolùm vnum,aut vnum, & vnam,qui incipiunt tenere,contrahere hanc cognationem, quia quando alij accedunt,iam erat abſolutum miniſterium ſuſcipiendi, iuxta formam Tridentini *loco cit*.

21 Tertia difficultas, quinam contrahant hanc cognationem ſpiritualem, quando parentes ſolùm deſignarunt duos,ſed Parochus plures admittit, qui omnes ſuſcipiont,aut tenent. Reſpondeo, ſolos deſignatos à parentibos contrahere. Ita Bonacina *ſup. n*.17. & alij, quia Parochi officium non eſt deſignare,qoando parentes,vel ij,qoibus incumbit,deſignarunt,ſed ſolùm indagare,quinam deſignati ſont, vt apertè colligitur ex Tridentino. Quid ſi Parochus non admittat deſignatos à parentibus. Reſpondeo, ſi illos iniuſtè expellat,ſi tamen teneant, verè contrahere hanc cognationem.Ratio eſt,quia ij verè,& legitimè vt ſupponimus,à parentibus ſunt deſignati,quod requirit Tridentinum, & admiſſio Parochi tunc non eſt de eſſencia ad hunc effectum,ideo contrahunt, etiamſi contra voluntatem Parochi teneant. Secus,verò, ſi illos Parochus iuſtè expellat, vt ſi illi deſignati ſint hæretici, aut Religioſi,vel ſi duo deſignati ſunt eiuſdem ſexus; nam tunc perinde eſt,ac ſi deſignati non fuerint,conſequenter non contrahunt cogoationem.Ita Bonacina *ſup.num*.28. cum Sanchez.

22 Quòd ſi parentes nullum deſignarunt,deſignauit tamen Parochus,ij,qui à Parocho ſunt deſignati, contrahunt hanc cognationem,vt benè docent Sanchez *diſp*.57.*cit*.Bonacina *ſupra num* 29. Coninch *ſupra num*.30. & alij, quia quando non ſunt aliqui deſignati, ad Parochum ſpectat deſignare. Quod quidem alicubi contingit in Confirmatione,in qua Epiſcopus deſignat patrinum, non verò parentes, vt ait Bonacina citatus. Quid ſi nullus ex deſignatis ſoſcepit, aut tenuit, ſed quidam inuitis parentibus ſe ingeſſit? Reſpondet Henriquez *lib*.12. *cap*.11.*num*.3. hunc tantùm ſuſcipientem contrahere cognationem; nam virtualiter cenſetur deſignatus. At in opinione valdè probabili, quam ſequuti ſumus *diff*.1. quæ requirit neceſſariò expreſſam deſignationem, dicendum eſt, hunc non contrahere hanc cognationem, eo quòd non fuerit deſignatus.

23 Sed quæres, an qui ſuſcipit,vel tenet per procuratorem, contrahat hanc cognationem. Sanchez *lib*.7.*diſp*.59.*num*.4. Henriquez *ſup num*.4. Reginald. *lib*.31. *num*.156. Villalob.*ſup.num* 18.& Diana 3 *part.tract*.4.*reſol*.5. aſſerunt, nec à principali, nec à procuratore contrahi:non à procuratore, quia non intendit exercere hoc munus nomine proprio: nec à principali, quia iura, & Tridentinum videntur requirere contactum realem,& phyſicum,quem tunc non exercet principalis. Toletus *lib*.7. *cap*.4. exiſtimat contrahi à procuratore, modò, ipſe eam intendat contrahere. Probabilius tamen cenſeo, ſolùm contrahi à principali,vt docent Rebel. *lib*.3. *quæſt*.6. Coninch *diſp*.32. *num*.4.Baſilius *lib.cap*.30. Hurtado *diſp*.18. *diff*.5. *num*.18. & cum aliis Bonacina *quæſt* 3. *de matrim. punct*.5.§.2. *num*.34. Tum quia quæ per alium facimus, per nos facere videmur,qoando iure aliquo id non prohibetur, vt non prohibetur in præſenti caſu,ideo verè hic per alium tenet, aut ſuſcipit, ideoque contrahit hanc cognationem. Tum quia ipſe fuit deſignatus, non verò procurator. Tum quia ita declarauit S.Congregatio Cardinalium,teſte Nauar.*lib*.5.*conſ. in fin*. Rebello, & Coninch.

24 Sed dices, baptizans per procuratorem non contrahit hanc cognationem, ſed procurator baptizans; ergo. Reſpondeo cum Doctoribus huius ſententiæ non contrahere eam principalem, ſed procuratorem baptizantem; qoia qui baptizat,non poteſt baptizare nomine alieno, ſed in propria perſona, & nomine proprio, & vt miniſter Chriſti Domini; at poteſt tenere,ſeu ſuſcipere nomine alieno, ſeu principalis poteſt ſuſcipere,vel tenere per alium, ideo contrahit hanc cognationem principalis, & non procurator,præſertim ſi id conſuetudine ſit introductum, qualis eſſe videtur inter Principes, qui per procuratorem ſæpè leuant infantem nobilem, teſte Soto apud Filliucium *tom*.1. *tract*.10. *part*.2. *cap*.5.*num*.192.

25 Quæres ſecundò, vtrum Epiſcopus diſpenſare poſſit, vt duo viri, vel duæ fœminæ ſimul ſuſcipiant infantem in Baptiſmo. Reſpondeo negatiue, ita Sanchez *lib*.7. *diſput*.57. *num*.7. Bonac. *ſup. n*. 33. & alij. Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris; ſed Epiſcopus eſt inferior Papa, ſeu Concilio Tridentino, in quo lata eſt lex circa patrinos; ergo non poterit in illa diſpenſare.

26 Quæres tertiò, an qui per errorem ſuſcipit, aut tenet filium Caij, putans eſſe filium Titij,contrahat hanc cognationem. Reſpondeo, nec contrahere cognationem cum Caio, nec cum Titio. Ita docent Sylo. *verb. Matrimonium* 8. *quæſt*.7. Sanchez *diſp*.57. *num*.7. Villalobos 1. *part. tractat*.14. *diff*.9 *concl*.8. *num*.17. & cum aliis Bonacina *q*. 3. *de matrim. punct* 5. §.2. *num*. 18. Ratio eſt, quia etſi reuera ſuſcipiat filium Caij,putat tamen eſſe filium Titij, ideo ſolùm habet intentionem exercendi munus patrini circa Titij filium, & non circa filium Caij, conſequenter non contrahit hanc cognationem cum Caio, eiuſque filio, niſi fortè haberet intentionem ſuſcipiendi perſonam præſentem, qualiſcunque illa ſit. Quòd ſi dicas baptizantem filium Caij,quem exiſtimat filium Titij,verè baptizare,& contrahere hanc cognationem; ergo,&c. Reſpondeo concedendo antecedens, ſi habeat legitimam intentionem, vt habere tenetur, videlicet baptizandi perſonam præſentem, vt dixi de baptiſmo; nego tamen conſequentiam, quia ſuſcipiens non tenetur habere intentionem ſuſcipiendi perſonam præſentem. Ideo,&c.

27 Quæres quartò,an hæc cognatio oriatur,quando Baptiſmus iteratur. Reſpondeo, ſi quando iteratur, conſtat præcedentem Baptiſmum fuiſſe validum, certum eſſe,ex eius iteratione non oriri hanc cognationem; nam vt ſupra dictum eſt, ad hoc vt hæc cognatio oriatur, requiritur, quòd validè Sacramentum Baptiſmi, vel Confirmationis conferatur; non enim præſtat impedimentum,quod de iure non ſortitur effectum, iuxta regulam iuris *non præſtat, &c*. Quòd ſi verè dubium ſit, Baptiſmum fuiſſe validum, & baptizatur ſub conditione, præſumendum eſt, tunc oriri hoc impedimentum, quia cùm non conſtet, primum fuiſſe validum, poteſt fieri, vt ſit ſecundus, & conſequenter ex ſecundo oriri hanc cognationem ſpiritualem Sanchez *lib*.7. *diſp* 62. *num*.5. & cum aliis Bonacina *ſup.num*.10.

28 Nota, omoia, quæ dicta sunt de suscipieote, aut teneote in Sacramento Baptismi, dicenda esse da suscipiente, aut tenente in Confirmationis Sacramento, proportione seruata, vt docent communiter Doctores, & patet ex dictis, colligiturque apette ex Trid. *sess.* 24 *c de reformat.* eadem enim est ratio, & iuris Tridentini dispositio.

29 Denique aduertat Parochus, an patrinus sit patrinus Baptismi, vel catechismi tantum, nam quaodo est patrinus Baptismi, contrahit impedimeotum dirimeos, quando verò solius catechismi, solùm impediens, & secundum veriorem opinionem, nullum, vt dicemus infra. Quando ergo fuerint patrini solius catechismi, scribat in libro, eos fuisse patrinos solius catechismi, ne dent ansa dirimendi matrimonium futurum, vel iam contractum; scribat etiam eum, qoi domi baptizauit, nam vt dictum est, ille contraxit hanc cognationem, non tamen, qui ibi tenuit, quia ille non contraxit haoc cognatiouem, vt ibidem dictum est.

D v b. IX.

De impedimento cognationis legalis.

1 CVm hoc impedimeotum parum sit in vso, ideo breuiter nos expediemus. Vide inter recentiores Sanch. *lib.* 7. *disp.* 63. Filliuc. *tract.* 10. *p.* 2. *cap* 5. *à num.* 198. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 12. Ledesm *in summ cap.* 18. Bonacin *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 5 §. 3. Hurtad. *disp.* 29.

2 Dico igitur primò, cognatio legalis est propinquitas quarundam personarum consurgens ex adoptione, ita D. Thom. *in* 4. *dict dist.* 42. & communiter Doctores. Dicitur, *legalis*, quia hoc impedimentum non à natura, sed à lege introductum est, ideo non reperitur inter infideles, patet *ex cap.* 1. *de cognat. legal.* Cætera huius definitionis constant à simili, ex dictis de consanguinitate, & cognatione spirituali: cum autem hæc cognatio oriatur ex adoptione, videndum quid hæc sit.

3 Dico secondò, adoptio, vt docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 2. *art.* 1. Sanch. *sup.* & Coninch *disp.* 32. *dub.* 3. *n.* 42. & communiter Doctores, est assumptio legitima extraneæ personæ in filium, vel filiam, nepotem, vel neptem. Dicitur, *assumptio*, id est, electio. Dicitur, *legitima*, id est, secundum leges, oam à lege introducta est adoptio. Dicitur, *extranea*, &c. id est, quæ non sit in potestate adoptantis, siue sit consanguineus, siue non. Dicitur, *in filium*, &c. quia io fratrem, vel parentem fieri non potest.

4 Dico tertiò, adoptio duplex est: altera perfecta, quæ vocatur etiam arrogatio: altera verò imperfecta, quæ communi nomine adoptionis donatur: perfecta est, per quam adoptatus Principis authoritate, transit in potestatem adoptantis, & illi succedit ab intestato in totum tanquam filius naturalis, & necessarius hæres, & non potest pater adoptiuus priuare illum sua legitima, seu quarta parte bonorum; imperfecta verò est, qua filius adoptantis non transit in eius potestatem, nec est eius necessarius hæres ex testamento, sed tantum ab intestato, & non requirit authoritatem Principis, sed fieri potest authoritate Magistratus. Ita Doctores communiter.

5 Dico quartò, vt aliquis possit aliquem adoptare, requiruntur de iure communi hæ conditiones. Prima est, vt adoptans sit sui iuris, & maior viginti quinque annis. Secunda, vt adoptans oon sit fœmina, hæc enim absque priuilegio Principis, oon potest adoptare. Tertia, vt adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum, quam ad hunc effectum censentur habere secti gladio, aut facti eunuchi per morbum, aut Clerici, modò non sint impotentes, ex defectu naturali. Quarta est, vt adoptans excedat adoptatum octodecim annis, quibus concurrentibus potest adoptare etiam Sacerdos, & quilibet adoptari, modò sit præsens, nam absens non potest adoptare, neque adoptari: nec potest fieri adoptio per procuratorem. Vide Syluest. *verb. adoptio*, & Sanchez *lib.* 7. *disput.* 63. vbi recenset sex modos, quibus dissoluitur adoptio, videlicet per mortem oaturalem, aut ciuilem, per nuptias incestuosas, propter dignitatem, quam acquisiuit adoptatus, vt si factus sit Episcopus, propter sententiam, aut emancipatiooem.

6 Dico quintò, cognatioois legalis tres sunt species. Prima est in linea recta descendentium, id est inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, filios eius, & deinceps, sicut in lioea recta consanguinitatis. Secunda est collateralis, seu transuersa inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Tertia est, quasi affinitas inter adoptantem, & vxorem adoptati, & è contra ioter adoptatum, & vxorem adoptantis, de quibus omoibus fit mentio in iure Canonico, & Cæsareo, vt videre poteris apud Doctores citatos, præcipuè Sanchez *dict disp.* 63.

7 Dico sextò, cognatio legalis non dirimit matrimonium iure naturali, in quo conueniont Doctores, sed tantum iure Ecclesiastico: patet *ex Can. ita diligere*, & *ex Can per adoptionem* 30. *quæst.* 3. & *ex cap. vnico de cognat. legali*, approbantibus leges Cæsareas, quibus primò dicta cognatio fuit inducta: est tamen difficultas, ao cognatio ex adoptione imperfecta dirimat matrimooium. Affirmant Tolet. *lib.* 7. *cap.* 4. Basilius *cap.* 14. Hurtado *supra diff.* 2. *numer* 3. Villalobos *loco citat. num.* 8. vbi ait, hoc esse iuri conformius, & alij, quia iura ita absolutè, & simpliciter, absque vlla distioctione loquuntur de adoptione; quod quidem etsi probabile sit, existimo tamen noo minus probabile solùm oriri hoc impedimentum ex adoptione perfecta, seu arrogatione, vt docent Heoriquez *lib.* 12. *cap.* 12. Coninch *disput.* 32. *numer.* 34. Ochagauia. *quæst.* 58. Ledesm. *in summ. cap.* 18. *de matrim. concl.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *numer.* 199. & cum aliis Bonacin. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 5. §. 3. *num.* 2. Probatur, tum quia hæc cognatio iure Ecclesiastico inducta est ad impediendam fornicationem, quæ facilè committi solet inter personas manentes in eadem domo. Ideo de ea sola intelligenda, quæ affert secum commoratiooem in eadem domo; id autem tantum competit perfectæ, & non imperfectæ adoptioni: tum qoia potius restringeoda sunt iura statuentia impedimentum dirimens, quam amplianda, ideo cum res matrimonij sit fauorabilis, iura de adoptione loquentia sont restringenda ad adoptionem perfectam, ob idque imperfecta non dirimit; imò oeque impedit matrimonium, vt ait Ochagauia. *sup.*

8 Dico septimò, cognatio legalis in linea recta dirimit subsequens matrimonium, & hoc vsque in perpetuum, id est, etiamsi dissoluatur adoptio eo modo, quo dirimit cognatio carnalis, ita Doctores communiter *ex cap. ita diligere* 30. *quæst.* 3. & *instit. de nuptiis*, §. *ergo non omnes*. & *l. quam etiam*. *ff. de ritu nupt.* Differunt tamen Doctores, vsque ad quem gradum dirimat, Nauarr. *cap.* 22. *num.* 45. Toletus, Basilius, Bonacina, Villalobos, & alij ferè communiter existimant, extendi vsque ad quartum gradum, & non vltra, sicut dirimit cognatio carnalis, consequenter adoptans non poterit ducere filiam adoptatam, nec eius filiam, & sic deinceps vsque ad quartum

quartum gradum. Henriquez verò *lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 3. inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum, eiusque filios ex altera vsque ad secundum gradum. Denique Sanchez *disp.* 63. *n.* 34. Filliuc. *sup. num.* 204. & Hurtado *dispu.* 19. *diff.* 3. *n.* 8. existimant, hanc cognationem dirimere matrimonium in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, & huius filios vsque ad quartum gradum, qui erant constituti sub potestate adoptati, quando is adoptatus fuit; secus si adoptati descendentes non erant tempore adoptionis sub ipsius potestate. Prior pars probatur, quia adoptata aliqua persona, etiam censentur adoptatæ omnes personæ, quæ erant sub eius potestate, quando illa adoptabatur, *l. si pater familias ff. de adoptionib.* S.Thom. *dist.* 43. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 4. Sylu. *matrimon.* 8. *quæst.* 8. *dict.* 2. Quare non poterit adoptans contrahere matrimonium cum filiis adoptiuis, neque cum filiis, aut nepotibus eius filij adoptiui, aliisque descendentibus, qui erant sub potestate filij adoptiui, dum adoptatos fuit vsque ad quartum gradum. Secunda pars probatur, quia in iure, quo dicta cognatio inducitur, nulla alia persona exprimitur in hac linea, nisi adoptans, & adoptata, & nulla persona censetur adoptata, nisi quæ erat sub potestate personæ adoptatæ, quando adoptabatur; quare adoptans poterit contrahere matrimonium cum filiis adoptati, eiusque nepotibus quibuscumque, qui erant extra adoptati potestatem tempore adoptionis. Conueniunt tamen Doctores, durare hoc impedimentum in perpetuum, hoc est, etiamsi dissoluatur adoptio.

8 Dico octauò, secunda species huius cognationis, quæ dicitur lateralis dirimit matrimonium inter has tantùm personas, hoc est, inter filium seu personam adoptatam, & filios carnales adoptantis solùm, & non inter alios collaterales. Communis Doctorum *ex cap. vnico de cognat. legal.* vbi dicitur, matrimonium non posse subsistere inter filium legitimum, & sororem adoptiuam eius. Conueniunt etiam Doctores, hoc impedimentum non esse perpetuum, sed tantùm durare, dum filij adoptantis non sunt emancipati: vnde cessat, quando filij adoptantis sunt emancipati, seu extra patriam potestatem, constat *ex cap. vnic. de cognat. legal. & Cau. per adoptionem* 30. *q.* 3. ideòque si filij adoptiui emancipantur, vel si pater moriatur, possunt contrahere cum filio adoptato. Item filius adoptatus contrahere potest cum filia illegitima adoptantis. Ratio est, quia ideo filius adoptatus non potest contrahere cum filiis legitimis adoptantis, quia sunt sub potestate patris; at illegitimi non sunt sub patria potestate; ergo, &c. Ob eandem rationem adoptans potest contrahere cum filia filiæ adoptatæ, quia mulier neminem habet in sua potestate, *instit. de adoptat. §. fœmina.* Ita Sanchez *disp.* 63. *num.* 10. & cum aliis Bonacina *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 5. §. 5. *n* 8. Item duo fratres adoptiui possunt inter se contrahere, & à fortiori duo filij duorum fratrum adoptiuorum, nam inter hos nulla oritur cognatio. Sanchez *dict. disp.* 63. *num.* 28. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 9. *n.* 202. Henriquez *lib.* 12. *c.* 12. Ledesma *vbi supr. conclus.* 4. & communiter Doctores. Item, filius adoptantis potest contrahere matrimonium cum filia adoptati, quia nulla est inter hos cognatio. Bonacina *sup. num.* 6. cum Sanchez *disput* 6. & aliis.

10 Dico nonò, tertia species cognationis legalis, quæ dicitur affinitas, dirimit matrimonium subsequens inter has tantùm personas, videlicet inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & adoptantem, quia istæ tantùm personæ iure exprimuntur, & redduntur inhabiles; dirimit autem inter has personas in perpetuum, vt constat *ex l. quin etiam, l. Adoptiuus. ff. de ritu nup. iar.* quæ approbatæ sunt iure Canonico, tam consuetudine introducto, quàm scripto *in Can.* 1. 30. *quæst.* 3. & docent communiter Doctores. Ex quo pater, adoptantem, & parentes filij adoptiui nullam contrahere cognationem; ideo posse inter se contrahere, Filliucius cum Sanchez *vbi supra.*

11 Dico vltimo, cognatio legalis superueniens matrimonio non impedit debiti petitionem; non enim hoc reperitur in iure, vt docent Sanchez *lib.* 7. *disput.* 63. *n.* 19. Ledesma *in sum. cap.* 18. *de matrim. conclus.* 4. *dub.* 3. Bonacina *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 5. §. 5. *num.* 9. Tunc superueniet cognatio legalis matrimonio, quando pater naturalis genitum sibi adoptat. At si hæc cognatio superuenit sponsalibus, illa dissoluit. Sanchez *disp.* 63. *n.* 20. Bonacina *sup.* Villalobos 1. *part. tract.* 14. *diff.* 10 *num.* 9.

12 Hoc tamen aduertendum, adoptionem legalem, quæ non fit secundum iuris dispositionem, non inducere hanc cognationem; vnde ex adoptione, quæ fit propria, & priuata authoritate nullum oritur impedimentum, quia si non adest iudicis authoritas, non est vera adoptio, ex Villalob. *sup. n.* 12.

D V B. X.

De impedimento criminis.

1 Impedimentum criminis est quoddam impedimentum merè Ecclesiasticum dirimens matrimonium subsequens eorum, qui certum genus peccati commiserunt, modo, quo diximus. Dixi, *merè Ecclesiasticum*, quia hoc impedimentum non à iure naturali, nec diuino, sed solùm ab Ecclesia est inductum, vt omnes fatentur, & ex dicendis constabit; Ecclesia enim certa crimina committentes omnino ad contrahendum matrimonium inhabilitat. Ex quo fit, hoc impedimentum non comprehendere infideles; eò quòd Ecclesiæ non sint subiecti; vnde etiamsi connectantur, possunt cum socio criminis contrahere. Quòd si vnus complex esset fidelis, & alter infidelis; fidelis contraheret hoc impedimentum, cùm ipse sit subditus Ecclesiæ, non verò infidelis Ecclesiæ non subditus, vt docent Sanchez *lib.* 7. *disp.* 78. *num.* 3. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 2. Gutier. *de matrim. cap.* 105 *num.* 5. Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 7. *num.* 20. Hurtado *disp.* 23. *diff.* 1. *num.* 2. idque colligunt *ex cap.* 1. *de conuers. infidel.* & Ledesma *in summ. cap.* 15. *de matrim. conclus.* 4. Vnde si infidelis interficiat vxorem suam, animo ducendi adulteram fidelem, si hæc non fuit particeps homicidij, potest infidelis, si baptizetur, illam ducere, quia infidelis non afficitur hac pœna, nec fidelis, cùm non sit rea homicidij. Sanchez *sup. num.* 3. & 4. Addit tamen, & benè Sanchez *sup. num.* 43. & cum eo Bonac. *num.* 21. contra Henriquez *sup. num.* 3. Rebellum, & alios, requiri, quòd totum delictum sit contractum à fideli post Baptismum, idcòque non sufficere promissionem, aut matrimonium fuisse factum ante Baptismum, & adulterium fuisse commissum post Baptismum; quare si infidelis contraxit matrimonium ante Baptismum, & post Baptismum commisit adulterium, non incurrit hoc impedimentum. Ratio est, quia hoc delictum, seu criminis impedimentum, non fuit integrè, & totaliter, seu ex omni parte commissum post Baptismum, sed tantùm ex altera parte: at hoc impedimentum non incurritur ex vnius

vnius voo tantùm delicto, sed ex vtroque, vt infra constabit.

2 Est autem impedimentum criminis quadruplex, seu quatuor assignantur crimina ab Ecclesia, & Doctoribus matrimonium dirimentia. Primum est, homicidium alterius coniugis sine adulterio, vtroque, machinante, cum intentione inducendi. Secundum est, adulterium cum homicidio, vtroque, vel altero machinante, cum intentione contrahendi: Tertium est, fides data cum adulterio, absque homicidio. Quartum est, quando duo adulteri de facto contrahunt per verba de præsenti, viuente adhuc altero coniuge: hæc sunt crimina, quæ iure Ecclesiastico dirimunt matrimonium, concurrentibus tamen conditionibus, seu circunstantiis quibusdam, de quibus sigillatim in sequentibus. Ratio, cur hoc impedimentum ab Ecclesia est inductum, est, vt euitentur mortes, & adulteria inter coniuges, quæ vitari possunt, sublata spe contrahendi inter coniuges. Sit.

3 Prima conclusio, homicidium alterius coniugis sine adulterio, vtroque machinante, commissum dirimit matrimonium subsequens. Ita communis Doctorum, & colligitur apertè *ex cap. 1. de conuers. infidel.* Vt autem hoc crimen dirimat matrimonium requiritur primò, vt machinatio mortis alterius coniugis reuera sortiatur effectum, siue occidat per se immediatè, siue per alium, siue occidat ferro, siue veneno, siue fiat consilio, siue mandato, vt docent communiter Doctores, *ex Can. si quis viuente 37. q. 1. & ex cap. 1. & 6. de eo, qui duxit in matrim.* quare si mors reuera non sequatur, aliquo ex dictis modis, non oritur hoc impedimentum. Nec inducitur hoc impedimentum ex sola ratihabitione machinationis, seu mortis reuera sequutæ, si nullo ex dictis modis morti cooperatus est: vt docent communiter DD. apud Sanch. *lib. 7. disput. 78. n. 63.* quia in omni interueniit machinatio; ratihabitio autem non est machinatio physica, vt de se patet neque moralis medio consilio, aut mandato; nam ratihabitio non æquiparatur mandato, nisi in iis quæ à sola nostra voluntate dependent, vt rata sint; aut quando iure exprimitur, vt contingit in ratihabitione, qua quis ratam habet occisionem violentam Clerici, *cap. quis de sentent. excommun.* Secundò requiritur, vt vir, & fœmina, qui matrimonium contrahere volunt, ambo simul conspirauerint in mortem coniugis occisi, ita vt vtroque machinante sit sequuta; vnde si vnus tantùm eorum machinatus est talem mortem, non oritur hoc impedimentum (modò non adsit adulterium, de quo in sequenti conclusione) patet *ex cap. super hoc, de eo qui duxit in matrim.* Quod autem quando non adest adulterium, requiratur quòd ambo in mortem conspirauerint, constat *ex cap. 1. de conuers. infidel.* vbi nulla facta mentione adulterij, sed solæ machinationis dicitur, matrimonium inter vxores occisorum à Sarracenis, & inter ipsos Sarracenos, etiam ad fidem conuersos, non valere, quia vxores occisorum cum ipsis Sarracenis machinatæ fuerunt in mortem suorum maritorum. Tertiò requiritur, vt machinatio, seu conuentio in mortem alterius coniugis fiat animo, & intentione ducendi superstitem. Ita contra Caiet. *verb. Matrimonium, cap. 1. impedimento 5.* docent, & meritò, Sanchez *supr. num. 13.* Coninch. *disput. 31. dub. 5.* Basil. *libr. 7. cap. 45.* & cum aliis Bonacina *quæst. 3. de matrimon. punct. 6. num. 4. vers. Tertia est.* Hurtad. *supr. num. 13.* & alij. Ratio est, quia quamuis in iure non exprimatur, insinuatur tamen *in cap. super hoc de conuers. infidel.* dum dicitur, *malitiose fuerint machinati, & in Can. si quis viuente*, dum dicitur, *occidisse noscitur.* Ratio huius intelligentiæ est, quia finis huius impedimenti, seu pœnæ fuit, ne alter coniunx priuaret alterum vita, ad contrahendum matrimonium cum eo, cum quo fecit conuentionem occidendi alterum coniugem: in hoc autem casu non priuat alterum vita ad hunc finem; ergo secundùm iuris intentionem tunc non incurritur. Addit Hurtado *sup.* cum Vasquez *1. 2. quæst. 160.* necessarium etiam esse, eam intentionem exterius indicari, quia aliter nequit puniri ab Ecclesia, à qua sola introducta est hæc pœna. Addit etiam Bonacina *vbi sup.* non requiri intentionem vtriusque machinantis mortem ad contrahendum, sed sufficere, vt vnus hac intentione occidat; nullo enim iure (ait) probatur istam intentionem requiri ex parte vtriusque. Attamen cùm dictum sit cum eodem, & aliis requiri in hoc casu vtriusque machinationem in mortem alterius, & hæc dispositio sit pœnalis, videtur dicendum, requiri etiam vtriusque intentionem occidendi ad contrahendum.

4 Nota, hoc impedimentum non solùm induci, quando vir occidit vxorem per se, vel alium, animo contrahendi, vt omnes concedunt, & habetur in iuribus citatis, sed etiam quando vxor ipsa, altero etiam machinante, occidit virum intentione contrahendi matrimonium, vt contra Victoriam *de matrim. num. 291.* & alios apud Sanchez *disp. 78. num. 8.* docent ipse Sanchez *sup.* Coninch *disput. 31. dub. 5. num. 55.* Basilius, Hurtado, & alij apud Bonacinam *sup. num. 7.* quia quamuis in aliquibus iuribus fiat tantùm mentio machinationis in mortem vxoris; at in Can *si quis viuente 31. quæst. 1. & cap. 1. de conuers.* fit etiam mentio machinationis in mortem mariti.

5 Ex dictis sequitur, non incurri hoc impedimentum, quando quis dedit mandatum occidendi, si ante mortem reuera reuocauit mandatum, hocque innotuit mandatario; sicut nec qui consilium dedit, quod nihil influxit. Sanchez *sup. num. 7.* Bonacina *numer. 5. vers. Hinc patet,* & alij, quia in dubiis casibus homicidium non imputatur mandanti, aut consulenti.

6 Sequitur secundò, nec incurri hoc impedimentum, quando mors machinata fuit, ex odio, aut ira, aut vt liberiùs expleretur libidinem, si non fuit facta animo contrahendi: patet *ex cap. si quis viuat.* vnde taliter occidens virum Bertæ poterit postea cum ea contrahere.

7 Sequitur tertiò, hoc impedimentum tantum contrahi inter machinantes mortem coniugis alterius ex machinantibus, vt patet ex dictis iuribus: vnde Petrus, & Franciscus machinantes mortem vxoris Petri, vel mariti Franciscæ, non possunt inter se contrahere, benè verò cum vxore, vel viro alterius, qui non fuit cooperatus huic morti; tunc enim solùm erit impedimentum impediens, quod iam non est in vsu, vt *infra dub. vlt. hoc cap.*

8 Secunda conclusio, homicidium cum adulterio dirimit matrimonium subsequens cum adultera. Ita Doctores communiter, *ex Can. si quis 31. quæst. 1. cap. significasti, de eo, qui duxit, cap super hoc, eo tit.* & alibi. Vnde si Caius, qui adulteratus est cum Berta, occidat proprìam vxorem, vt ducat Bertam adulteram, vel Bertæ virum, vt illam ducat, non valet matrimonium. Vt autem hoc impedimentum inducatur, requiruntur hæ conditiones. Prima, vt homicidium reuera sequatur, sitque adulter particeps illius, vnde non sufficit ratihabitio, vt in prima conclusione dictum est. Secunda, iuxta Victoriam *sup.* & aliquos, vt homicidium sit vxoris; vnde si vir occidatur, non inducetur hoc impedimentum; verius

verius tamen est, etiam viricidium inducere hoc impedimentum, vt dictum est *sup.* & cum ferè communi tenet Sanchez *disp* 78. *n* 8. & videtur expressum *Can si quis viuente supr. cit.* dum dicitur: *Nisi fortè adulter, aut mulier virum si qui mortuus fuerit, occidisse notetur*; ergo etiam propter viricidium incurretur. Quare si Titius interficiat Caium virum Bertæ, cum qua adulteratus fuit, & postea eam ducat, non valet matrimonium. Nec valet matrimonium, si Berta soluta occidat vxorem Titij, cum quo adulterata est, vt Titio adultero nubat. Non tamen est impossibile, secundùm Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 5. adulteram interficientem vxorem adulteri non contrahere hoc impedimentum. Recedendum tamen non est à communi vera, receptaque sententia, nempe in hoc casu etiam induci hoc impedimentum. Hinc fit, si adulter occidat propriam vxorem, aut virum adultera, vt eam ducat, aut adultera vxorem adulteri, vt illi nubat, non valere matrimonium. Tertia conditio est, vt homicidium coniugis factum sit animo, & intentione ducendi illam personam, cum qua adulteratur, secus si ex ira, odio, aut alio fine sit commissum, vt dixi in prima conclusione, & cum communiori docet Sanchez *lib.* 7. *disp.* 78. *num.* 13. Hoc enim impedimentum inductum est, ne alter coniuna alterum interficeret, fine ineundi aliud matrimonium; ergo hoc deficiente, etiam deficiet hoc impedimentum, cum restringendum sit in pœnalibus. Addit tamen Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 8. *num.* 153. sufficere intentionem vnius, quod libenter admitto in hoc casu, seu modo impedimenti; nam cum adsit adulterium, sufficit, quòd occidens habeat eam intentionem; sicut sufficit, vt vnus tantum machinetur mortem coniugis ad ducendam adulteram, vt clariùs infra. Hoc tamen aduerte, in foro exteriori semper præsumitur talis intentio, quando quis coniugem occidit, & vult contrahere cum ea, cum qua adulteratur: in foro tamen conscientiæ standum est dicto occidentis. Quartò requiritur verum, & formale adulterium, ad quod necessarium est, quòd vterque habeat notiam proprij matrimonij, aut matrimonij alterius adulteri, vt constat *ex cap.* 1. *& 7. de eo qui duxit*, in quibus, quia fœmina ignorauit matrimonium alterius, ob quod non peccauit peccato formali adulterij, dicitur non incurrisse hoc impedimentum. Ita Sanchez. *supr disp.* 78. *num.* 12. Coninch. *disput.* 31. *dub.* 5. *num.* 53. Filliucius *supr. num.* 153. *vers. Quinta*, Bonacina *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 6. *num.* 8. & alij, quidquid dicat Hurtado *supr. num.* 6. sufficere quando vterque adulter est coniugatus, nosse proprium coniugium, quamuis ignoret coniugium alterius. Probatur nostra sententia *ex cap.* 1. *& c. veniens de eo qui duxit, & ex cap. significasti, tit.* & ex communiore sententia, quod etiam clarius constabit *conclus. seq.* vnde si vir coniugatus adulteretur cum fœmina, quæ nesciat ipsum esse coniugatum, & is deinde occidat propriam vxorem, vt illam ducat, non est vllum impedimentum, quia fœmina non commisit adulterium formale, cum supponamus nesciuisse eum, cum quo commixta est, fuisse coniugatum.

8 Nota tamen, quòd ad hoc impedimentum incurrendum, quando scilicet procedit adulterium, sufficit, quòd alter coniunx tantum occiderit coniugem cum intentione ducendi adulteram, quamuis adultera non sit particeps homicidij, & sit omnino ignota; per hoc enim hic modus criminis, seu impedimenti distinguitur à primo, nam in primo, cum non supponatur adulterium, iura requirunt vtriusque machinationem in mortem coniugis: in hoc autem, quia supponit adulterium, sufficit, quòd alter adulter machinetur mortem coniugis adulteri, vt constat *ex cap.* 1. *super hoc, cap. significasti de eo qui.* & docent DD. citati, ac omnes communiter. Ex quo fit, si Titius adulter cum Berta, occidat propriam vxorem, inscia Berta, vt eam ducat, esse nullum matrimonium.

9 Tertia conclusio, fides data cum adulterio, seu adulterium cum promissione ducēdi adulteram post mortem coniugis, dirimit matrimonium subsequens cum ipsa adultera, vel adultero. Ita DD communiter, & habetur expresse *cap. relatum* 31. *q.* 1. *cap. veniens, & cap. fin. de eo qui, &c.* ibi: *Si quis vxore viuente fide data promisit se illam ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, &c.* & infra: *Si prius vel postea dum vixerit vxor ipsius, illam adulterio polluisset, matrimonium tolerari non debet.* Ratio huius impedimenti eadem est cum ea, quæ in superioribus conclusionibus allata est, videlicet, ne detur occasio captandæ mortis alterius coniugis. Vt autem hoc impedimentum inducatur, requiritur primò, vt promissio sit externa, siue aliquo signo exteriori expressa, nam interior tantum promissio, non habet vim promissionis, quantum ad obligationem erga homines, vt dixi in Decal. *lib* 7. *c.* 17. *dub.* 3. nec habet adiunctum periculum machinandi mortem alterius ad quod præcauendum ius induxit hoc impedimentum. Secundò requiritur, quòd promissio externa sit ab adultero, vel adultera acceptata, nam promissio homini facta ante acceptationem non est proprie promissio, nec parit obligationem, vt dixi *loco cit. dub.* 4. vnde secundum Sanchez *lib.* 7. *disput.* 79. *num.* 19. *&* 25. non sufficit taciturnitas illius, cui fit promissio, cum quo sentiunt Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10 *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 156. *vers. Quinta*, & Bonacin. *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim punct.* 6. *num.* 9. quia cum noceat acceptanti, vtpote incurrendo in impedimentum dirimens, non est satis taciturnitas, secus in aliis casibus, in quibus acceptatio non affert damnum acceptanti, vt pluribus Sanchez *vbi supra*. sufficere tamen taciturnitatem, docet Hurtado *disput.* 13. *diff* 2. *num* 9. *in fin.* cum Rebelio, Coninch, & Basilio, censeo tamen cum Sanchez ob rationem dictam, quæ validior videtur. Deinde requiritur, vt promissio externa, & acceptata, sit vera, & eò animo facta, vnde non sufficit ficta promissio, quamuis exterius appareat seriò facta, vt docent Henriq. *lib.* 12. *cap.* 14. Rebellus *lib.* 3. *quæst.* 8. & cum his Hurtad. *loco citat. n.* 9. Bonacin. *supra num.* 8. *versic. Tertium.* contra Sanchez *supra num.* 12. Coninch. *disp* 31. *dub.* 5. *n.* 57. & Filliucius *supra num.* 156 *versic. Tertia.* Ratio est, quia hoc impedimentum inducitur tanquam pœna, ideò restringenda videtur ad veram promissionem, ficta autem promissio non est vera promissio, sed solo nomine, ob idque non inducit hoc impedimentum, sicut non inducitur, nisi quando adulterium est perfectum. Addit etiam Henriq. *sup.* requiri etiam, quòd vera promissio sit mutua, quia mutua promissio necessaria est ad sponsalia, quæ ad dictum impedimentum requiri videntur; vnde ait, altero non repromittente, non contrahi hoc impedimentum. Verius tamen est, non requiri mutuam promissionem, sed sufficere, quòd vnus verè promittat, modò alter acceptet. Ita Sanchez, Coninch, Bonacina, Rebellus, & Hurtadu. Ratio est, quia *in cap* 6. *de eo qui duxit.* vbi fit mentio huius impedimenti, supponitur sufficere promissionem vnius, & in aliis iuribus in quibus fit mentio dicti impedimenti, tantum fit mentio adulterij cum promissione, seu cum fide data, quæ verè reperitur,

quamuis

quamuis non sit vtrinque facta, sed ab vno, modò ab altero sit acceptata; & ex alio capita iura non requirunt reciprocam promissionem, vt patet *ex cap. significasti de eo qui duxit.* Addit etiam Sanch *supra n.11.* ex promissione conditionali etiam oriri hoc impedimentum, quia ex hac etiam datur occasio captandæ mortis alterius coniugis: limitat Filliuc. *supra versic Tertia.* nisi conditio esset de præterito, aut de præsenti, & conditio non extitit, nec extat. Verius tamen videtur ex promissione cum conditione de futuro, ante ipsius euentum non oriri hoc impedimentum, vt docent Coninch *disp.31.num.59.* & Hurtado *sup.num.10.* quia in iure ad id requiritur promissio, qualis non est conditionata ante conditionis euentum; & quia ad id promissio debet esse ante mortem alterius coniugis, ideo quando fuit à principio conditionata, necessarium est conditionem impleri ante mortem illius: quare si quis promiserit adulteræ matrimonium, si eius vir obierit, non oriri ex hac promissione impedimentum, nam si obierit, iam non est promissio viuente coniuge, si non obierit, est nulla promissio, vide de his Sanchez *supra*, vbi plura. Addit deinde Filliuc. *sup.num.256. versic.Secunda.* satis esse, ad contrahendum hoc impedimentum, fidem dare adulteræ de contrahendo matrimonium cum persona, quam designauerit quidam tertius, si id fraude fiat, vt scilicet tertius ille nominet ipsam adulteram: secus si non adsit talis fraus, quia tunc non datur fides contrahendi cum adultera, quia absque fractione dictæ promissionis potest ille contrahere cum alia fœmina, si illam ille tertius designauerit. Quartò requiritur, quòd promissio, & adulterium sint simul, id est, vt concurrant viuente adhuc altero coniuge, siue adulterium præcedat promissionem siue promissio sit ante adulterium, modò concurrant viuente adhuc vxore, constat *ex cap vltim. de eo qui duxit*, & habet communis Doctorum, vnde non contrahitur hoc impedimentum, si Titius copulam habuit cum Berta sine promissione matrimonij, viuente eius viro, post cuius mortem promisit matrimonium Bertæ, quia adulterium, & promissio non fuerunt simul viuente coniuge illius, qui est complex adulterij. Nec contrahitur hoc impedimentum, quando Titius promisit matrimonium Bertæ, mortua sua vxore, qui mortua sua vxore contraxit cum Simplicia, & viuente Simplicia carnaliter cognouit Bertam absque noua promissione, nam promissio, & adulterium, non fuerunt simul durante eodem matrimonio, Bonacin. cum aliis, *quæst.3. de matrim. punct.6.n.12.* vide Sanchez *lib.7.disp.79 à num.16.* & Coninch *disp.31.num.60.* Nec contrahitur hoc impedimentum, quando duo promiserunt sibi matrimonium absque adulterio, sed postea pœnitentia ducti resilierunt à promissione ante sequutam copulam, quæ deinde sequuta est, absque noua promissione, post dissolutionem promissionis, quia non concurrit adulterium cum promissione, nam fides, antea data soluta est, & extincta ante sequutam copulam; secus tamen dicendum est, si sequuta copula, & promissione, velint resilire à promissione nam impedimentum est, eo quòd concurrit adulterium cum promissione, semel autem inductum hoc criminis impedimentum, in quocumque ex quatuor supradictis modis, semper manet, quia est perpetuum. Coninch *sup. num. 60.* & cum aliis Bonac *loc.cit.num.13.* Quando verò dubitatur, an fides data sit, vel adulterium commissum, non est impedimentum criminis, quia in dubio melior est conditio possidentis: secus tamen, si solum dubitatur, an dum promissio, & fides intercesserunt, viueret alter coniux, Sanchez videndus *sup.num.36.* Quinto requiritur, vt adulterium sit formale, & perfectum, hoc est, quòd vterque sciat, alterum esse coniugatum, vt diximus in secunda conclusione, & docent communiter DD. & deducitur ex iuribus citatis *in dict. conclus. versic. Quartò requiritur*, vnde quando ambo sunt coniugati, non sufficit, nosse vtrumque matrimonium proprium, sed prætera debet nosse matrimonium alterius, cum quo copulatur; vnde excusarat ignorantia crassa, modò non sit affectata, aut adeò crassa, vt scientiæ æquiparari videretur, vt docent Sanch. *disp.79.n.38.* cum aliis, & cum eo Filliuc. *sup. num.256. vers. Quarta*, contra Coninch. *sup.* existimantem, requiri ignorantiam inuincibilem. Hinc fit, quando vterque ignorat, superstitem esse alterius coniugem, posse vtrumque post alterius mortem celebrare matrimonium, si verò vnus tantùm nouit superstitem esse coniugem alterius, alter verò id ignorat, seu ignorat illum esse coniugatum, poterit inscius cogere conscium ad contrahendum matrimonium post mortem coniugis Bonacin. *supra num. 8. versic. Secundum*, ex *cap. significasti de eo qui duxit.* Non autem contraheretur hoc impedimentum, si talis promittens, credens superstitem esse coniugem, cum reuera mortua sit, promisit, quia tunc reuera non concurrit adulterium cum promissione. Ita cum Sanchez, & Coninch. Bonac. *loco cit.*

9 Quarta conclusio, adulterium coniunctum matrimonio inducit impedimentum dirimens subsequens, hoc est, facit quòd mortua sua vxore, non possit de nouo valide contrahere cum adultera, cum qua, viuente vxore, de facto contrahere attentauit, inhabilitatur enim hic ob tale crimen ab Ecclesia ad contrahendum, etiam mortua vxore, cum adultera, cum qua quidem aliàs validè contrahere posset, nisi ab Ecclesia fuisset ob crimen inhabilitatus, patet *ex cap citat. in 2. & 3. conclus.* præcipuè, *ex cap. fin. de eo qui duxit*, & tenet communis. Vnde, si Titius, viuente vxore, copulam habuit cum Berta, & cum ea de facto per verba de præsenti contraxit matrimonium, non poterit, mortua vxore, matrimonium contrahere cum Berta validè; quod procedit, siue matrimonium præcedat adulterium, siue subsequatur, modò hæc duo concurrant, viuente altero coniuge. Requiritur tamen primò, vt prius matrimonium validum fuerit, quamuis non fuerit consummatum, quia iura requirunt formale adulterium quod quidem esse non potest, nisi prius matrimonium, contra quod peccatur, sit validum, & hoc procedit in casu secundæ, & tertiæ conclusionis ob rationem dictam: sufficit tamen, quòd prius matrimonium sit ratum; nam est verum matrimonium, aut quamuis sit dissolutum, seu separatum quoad habitationem tantum per diuortium: sufficit etiam, quòd matrimonium, quod adulteri contrahunt, sit clandestinum, vt docent Sanchez, Filliuc. Coninch, & cum aliis Bonac. *q. 3. de matrim. punct.6. num.8. versic. Secundum præceptum.* quia iura, & DD. absolutè dicunt, adulterium cum matrimonio coniunctum inducere hoc impedimentum. Hoc tamen difficile esse existimat Hurtado *disp.23. diff. 2. n.8* & meritò, quia quod adulterium cum matrimonio inter adulteros dirimat matrimonium, etiam mortua vxore, est pœna; ergo restringenda ad verum, & validum matrimonium. Secundò requiritur, vt adulterium sit vtrique notum, vt diximus *in 2. & 3 concl.* & docent communiter DD. vnde, non induceretur hoc impedimentum, si ipsa ignoraret eum, eum quo contrahit matrimonium, esse coniugatum; vt si dum sciuerit, illum esse coniugatum, se separat ab illo, & illum amplius non cognoscit, poterit mor-

tua

tua illius vxore, cum illo matrimonium inite; minime verò, si adueniente scientia matrimonij illius, eum cognoscat; quia tam tunc, viuente altetius vxore, adest formale adulterium coniunctum cum matrimonio. Tertiò requiritur, tàm in hoc casu, quàm in secundo, & tertio, vt copula adulterina sit perfecta, hoc est consummata cum emissione seminis intra vas: aliter enim adulterium non censetur omnino perfectum; vnde non sufficeret conatus ad copulam, ea non sequuta, quia iura requirunt adulterium, & sumus in pœnalibus. Fillucius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 256. *versic. Sexta.* & alij, vide eundem *loco cit. quæst.* 5. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 79. Bonacina *loco cit.* & Hurtado *vbi sup.*

10 Nota, promissionem matrimonij cum aliqua post mortem coniugis esse illicitam, & sic promittentem peccare mortaliter, vt docent Sanchez *lib.* 7. *disput.* 79. *num.* 40. Fillinceius *supr. num.* 255. & cum aliis Bonacin. *loco citat. num.* 10. quia datur occasio captandæ mortis alterius coniugis, *cap. fin. de eo qui, &c.* ideò peccat etiam mortaliter acceptans talem promissionem, quia cooperatur peccato alterius: item, inualida est omnino talis promissio, quia ei resistit ius, & est occasio ad peccatum. Ita citati.

11 Ex dictis colligitur, adulterium solum non inducere hoc impedimentum, nec obstare matrimonio nisi coniungatur cum homicidio coniugis, aut cum promissione ducendi adulteram, aut cum matrimonio adulteræ, viuente altero coniuge, modo supra explicato *in* 2. 3. & 4. *conclus.* nam iura supra citata semper coniungunt adulterium, aut cum homicidio, aut cum promissione ducendi adulterum coniugem, aut si de facto adulteram ducat: vnde si quis viuente sua vxore, adulteratus est cum Berta, cuius virum non occidit, nec viuente sua vxore cum illa contraxit, aut matrimonium promisit, potest, mortua ipsius vxore Bertam valide ducere.

12 Colligitur etiam, hoc impedimentum tantum induci inter personas, quæ sunt participes criminis ob quod hoc impedimentum ab Ecclesia imponitur; vnde si duo machinantur alterius coniugis mortem, vt alter eorum contrahat cum tertio, qui non fuit homicidij complex, valet cum illo matrimonium. Item, nec incurritur hoc impedimentum, quando adulter occidit vxorem, animo ducendi aliquam determinatam, modò non habeat forte rationem ducendi illam, cum qua peccauit. Nec qui occidit vxorem in flagranti crimine adulterij deprehensam, nisi forte per dolum dederit causam adulterij, vt eam posset occidere, (& ea mortua, contrahere possit cum alia complice talis machinationis, seu proprij adulterij. Bonacina. *tom.* 1. *q.* 3. *de matrim. punct.* 6. *num.* 17. & 18. vide Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. Reginaldum *lib.* 31. *cap.* 19 *num.* 137. & Sanchez *lib.* 7. *disp.* 78. & 79. Item qui occidit propriam vxorem, vt matrimonium contrahat cum adultera, quamuis non possit cum ea contrahere, tamen cum quauis alia potest valide contrahere, nam hoc impedimentum inductum est, ne possit cum adultera contrahere, non verò cum alia. Sanchez *disput.* 78. *num.* 21. Bonacina. *sup. num.* 14. & alij. Incurrit tamen impedimentum impediens, qui propriam vxorem occidit, vt infra Sanchez *disp.* 79. *n.* 41. Coninch. *disput.* 31. *num.* 64. & DD. communiter.

***

Dub. XI.

De impedimento disparitatis cultus.

1 Per cultus disparitatem intelligunt DD. quando vnus ex contrahentibus est baptizatus, qui communiter dicitur fidelis: alter verò non est baptizatus, qui dicitur infidelis.

2 Dico igitur primò, matrimonium baptizati cum non baptizato est irritum iure Ecclesiastico, patet ex Concil. Tolet. 3. *cap.* 4. & ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ, & Apostolorum traditione, nam ab anno quadringentesimo semper creditum est in Ecclesia, eiusmodi matrimonium esse nullum, vt testantur Bellarmin. *de matrimon. cap.* 23. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 71. Etenim etsi hoc impedimentum non reperiatur iure expressum, potuit tamen introduci consuetudine, nam vt diximus *hoc* *dub.* 1. consuetudo potest inducere impedimenta matrimonij. Conuenientia est, quia cum apud nos matrimonium sit Sacramentum, non debuit tribui incapaci, qualis est non baptizatus: procedit etiam hæc conclusio, quamuis baptizatus contrahat cum catechumeno nondum baptizato, quia catechumenus caret ianua Sacramentorum, & est incapax Sacramenti, *c. caue* 28. *q.* 1. Gloss. *verb. Si Christiana*, & communiter DD. Ob eandem rationem inualidum erit matrimonium baptizati, cum ficte, & inualide baptizatis, aut hæretici, seu apostatæ cum non baptizato, quia hæretici, seu apostatæ cum sint baptizati, subduntur legibus Ecclesiæ, ideo Ecclesia potuit irritare illorum matrimonia, cum non baptizato. Filliuc, *tom.* 1. *tract.* 10 *p.* 2. *c.* 7. *n.* 225. & alij.

3 Dico secundò, matrimonium baptizati cum non baptizato non est irritum iure naturali, nec diuino, sed tantum Ecclesiastico. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 71. *n.* 7 Coninch. *disput.* 21 *num.* 41. Bonacina cum aliis *q.* 3. *de matrim. punct.* 7. *num.* 2. Fillinc. *sup.* 226. & alij: Quòd dirimat iure Ecclesiastico, probatum est in prima conclusione. Quòd autem non dirimat iure naturali, probatur: tum quia disparitas in Baptismo nullam ex natura rei habet disparitatem cum matrimonio, non enim aduersatur fini matrimonij, cum proles possit procreari, & educari etiam in Christiano cultu. Tum, quia multi sancti Patres, ita contraxerunt, tum in lege naturæ, vt Iacob cum filiabus Laban Gentilis, Ioseph cum Ægyptia, Moyses cum filia Iettro Æthyopissa. Tum in lege scripta, vt Esther cum Assuero, Salomon cum filia Pharaonis, Dauid cum filia Regis Gessur 2. Regum. 3. Tum in lege gratiæ, vt sancta Monica cum Pagano, S. Clotildis cum Clodoueo, de quibus Bellarmin. *loco citat.* Erit tamen illicitum ex natura rei tale matrimonium, quando scilicet, adest probabile periculum malæ educationis prolis aut desertionis fidei in persona fideli, Sanchez, Bonacina *supr.* & alij. Quòd non dirimat matrimonium hoc impedimentum de iure diuino, patet, quia de eo iure diuino non constat in noua lege, imò in lege gratiæ nullum ius diuinum positiuum agnoscitur, nisi de iis, quæ pertinent ad fidem, & ad recipienda Sacramenta; Christus enim Dominus nihil immutauit in matrimonio pertinens ad ius naturæ, sed tantum eleuauit ad esse Sacramenti. Ita Sanchez *sup. num.* 7. Coninch. *disput.* 32. *dub.* 3. Filliuc. *supr. num.* 226. *vers. Secundò.* Hurtado *disputat.* 14. *diff.* 1. *num.* 8. & communiter Doctores contra Vasquez *disputat.* 2. *numer.* 20. Hinc fit, neque iure diuino tale matrimonium esse prohibitum; restat ergo, hoc matrimonium tantum esse irritum iure Ecclesiastico.

4 Ex

4 Ex hac conclusione sequitur, Posse Papam ex iusta causa dispensare, vt baptizatus contrahat cum non baptizato, quando non adest vllum periculum subuersionis, aut scandali. Ratio est, quia Papa potest dispensare in iure Ecclesiastico; at hoc impedimentum, vt probatum est, solo iure Ecclesiastico dirimit matrimonium; sed Pontifex dispensare potest iure Ecclesiastico; ergo hæc dispensatio cum causa erit valida, & licita; cessante autem iusta causa, etsi tunc validum sit matrimonium, eo quòd solo iure Ecclesiæ irritum sit, dispensatio autem non excusaret contrahentes à peccato mortali contra ius diuinum, videlicet ob periculum peruersionis, & scandali. Filliuc. *supra num.* 227. vide Sanchez *lib.*7. *disput* 70. *num.* 10. Hoc autem in casu tale matrimonium erit verus, & legitimus contractus naturalis, non tamen erit Sacramentum, vt dixi supra, quia matrimonium est vnum Sacramentum, quod ex duobus perficitur, & cum non possit esse Sacramentum ex parte non baptizati, ita neque ex parte baptizati, vide Henriq. *lib.* 12. *c.* 13.

5 Sequitur secundò, matrimonium personæ baptizatæ fidelis cum baptizata infideli, vt si hæreticus, vel apostata contrahat cum fideli, non esse irritum, etiam de iure Ecclesiastico, quia in nullo iure reperitur irritum, imò *in cap. de hæret. in* 6. supponitur valere tale matrimonium, tantum enim ibi priuantur vxores dote in pœnam delicti, si scienter nupserunt hæreticis, at non iubentur separari, si autem esset irritum, separari debuissent. Nec in Can. *caue*, 28. *q.* 1. irritatur, sed tantum prohibetur. Nec obstat Can. 27. *in* 6. vbi dicitur, tale matrimonium esse dissoluendum, quia vel caret illud Concilium authoritate, vt docent Sanchez *disput.* 72. *num.* 1. & 7. eo quòd dictus Canon cum aliis multis Canonibus, quos Trullanos vocant, editus fuit à nonnullis Episcopis, post dissolutam dictam Synodum: vel dici potest, illud statutum reuocatum esse per contrarium vsum Ecclesiæ: & potest confirmari, quia cum omnes sint baptizati, vt supponitur, sunt capaces Sacramenti, & pares in Baptismo, quamuis dispares in fidei professione, & periculum subuersionis tantum efficit, vt sit peccatum mortale contra ius diuinum (vt infra) naturale, & positiuum, non tamen facit illud irritum, sicut neque inter fidelem, & infidelem, vt supra probatum est. Nihilominus tamen etsi validum sit tale matrimonium, est tamen iure optimo ab Ecclesia prohibitum ob periculum peruersionis, quod imminet coniugi fideli, & proli: *Can. caue Can. non oportet*; *Can. si quis Iudæi* 28. *quæst.* 1. Idque confirmat vsus Ecclesiæ; vnde esset peccatum mortale sic contrahere, vt docent Sotus *dist.* 39. *quæst. vnic. art.* 2. *ad vltim.* Nauarr. *cap.* 22. *n.* 49. cum aliis Sanch. *disp.* 72. *num.* 4. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *n.* 228. Excipe tamen loca, in quibus Catholici passim viuunt cũ hæreticis, vt in Germania, Gallia, Polonia, nam ex recepta consuetudine non peccant Catholici nubentes cum hæreticis, dummodo Catholici libere permittantur, & absque periculo peruersionis permanere in fide. Nauar. *consil.* 1 *num.* 59. & 60. *de constit.* Azor. *tom.* 1 *lib* 8. *cap.* 11. *quæst.* 6. Sanchez *sup. num* 5. & alij. Nec ideo persona Catholica cooperatur sacrilegio, quod alter committit, quia persona hæretica potest se disponere ad gratiam, & sua malitia non vult, ideo illi est imputandum. Hinc colligitur, posse dispensare Pontificem in huiusmodi prohibitione, eo quòd solum sit de iure Ecclesiastico, qua supposita, & cessante periculo subuersionis, tale matrimonium, non solum validum, sed etiam licitum erit, vt tenet communis opinio Theol. *distinct.* 39. vbi S. Thom. D. Bonau. Durand. Richard. Sotus, & Canonistæ *in cap. non oportet.* 28 *quæst.* 1. & Summistæ *verb. matrimonium* quos refert, & sequitur Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 27. *n.* 4.

6 De matrimonio infidelium, & an dissoluatur per alterius conuersionem ad fidem, & an ij separandi sint, dixi *hoc lib. cap.* 4. *dub.* 4.

Dvb. XII.

De impedimento vis.

1 QVando vis, & metus dirimant, aut, vt propriè loquamur, irritent matrimonium, dixi *hoc lib. cap.* 6. *dub.* 1. & 2. vide ibi, & Nauarr. *c.* 12. *à num.* 5. Ledesm. *in sum cap.* 7. *de matrim.* Sotus *in* 4 *dist.* 29. *quæst.* 1. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 9. Sanchez *lib.* 4. *disp.* 14. Reginald. *lib.* 31. *à num.* 76. Coninch. *disput.* 28 *dub.* 1. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 8.

Dvb. XIII.

De impedimento Ordinis.

1 REuocandum est ad memoriam, Ordines, alios dici maiores, seu sacros alios minores, seu non sacros, de quibus dixi *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 1. Maiores sunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, seu Sacerdotium. Minores verò sunt Ostiarius, Lector, Acolytus, & Exorcista.

2 Dico primò, Ordines minores, seu non sacri, & à fortiori prima tonsura, non dirimunt, imò nec impediunt matrimonium subsequens, ita Nauarr. *cap.* 25. *num.* 120. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 31. Bonacina cum aliis, *q.* 3 *de matrim. punct.* 9. *num.* 1. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4 *numer.* 129. & DD. communiter. Probatur primò *ex cap. si quis eorum, distinction.* 32. & *cap.* 1. *de Clerico coniugato.* Secundò ratione, quia in tantum Ordo repugnat matrimonio, illudque impedit, in quantum habet annexum votum continentiæ, vt infra, at Ordines minores non habent annexum votum continentiæ, vt dixi *lib.* 7. *c.* 1 *dub.* 5. ergo, &c. Quod procedit, etiam si recipiens minores crederet, illis adnexum esse votum solemne castitatis: ratio est, quia talis non habuit intentionem per se vouendi, sed quatenus existimabat, votum esse adnexum Ordinibus minoribus, & accessoriè ad illos; cum ergo reuera non sit adnexum, non est cur teneatur. Sanchez *sup. n.* 5. Filliuc. & Bonacin. *loco citat.* Hinc fit, initiatum minoribus non peccare mortaliter, si matrimonium contrahat, quia nullo iure illi prohibetur, vt DD. communiter: imò nec peccat venialiter, si cum iusta causa retrocedat, & ducat vxorem, quamuis viduam; sicut nec peccat nouitius venialiter intra annum ex iusta causa egrediens: si verò absque iusta causa, est tantum veniale, saltem quando ducit viduam, quia reddit se incapacem ad obeunda munera illorum Ordinum propter irregularitatem; quòd si virginem duxerit, valdè probabile est, nec peccare venialiter Sanchez *sup. num.* 12. Sequitur etiam, non peccare eum, qui recipit primam tonsuram, aut Ordines minores, animo non ascendendi ad maiorés Ordines, quia non tenetur habere huiusmodi animum, aut intentionem superius ascendendi, cum id nullo iure exigatur, nec in Tridentin. *sess.* 23. *c.* 4. *de reformat.* vbi agitur de conditionibus ordinandorum, fit mentio huius sententiæ. Nec peccat

saltem

ſaltem mortaliter, ſed ad ſummum venialiter, qui recipit minores, aut primam tonſuram cum intentione tantum euitandi forum ſæculare, videtur enim vti iure ſuo. Nauarr. *cap.7.num.15.* Bonacina *ſupra num.6.* Filliucius *loco citat. num.*131. cum Sanchez *diſp.31:* Limita, modò non habeat aliquam intentionem mortalem, qualis eſſet, vt liberius poſſet vlciſci iniurias, Sanchez *ſupra num.*17. Conſequenter fit, Epiſcopum non peccare mortaliter conferendo minores Ordines illi, qui non habet animum aſcendendi ad maiores, Bonac. *ſup num.7.* Sanchez *loco cit.* & alij.

3 Dico ſecundò, Ordo ſacer, etiam Subdiaconatus, dirimit matrimonium ſubſequens. Ita definitum eſt, *cap.1. & 2. qui Clerici, vel vouentes, &c. cap. vnico de voto, in* 6. & alibi, & nouiſſimè in Trident. *ſeſſ.*24. *Can.*9. tanquam de fide. Ita etiam communiter Doctores apud Sanchez *lib. 7. diſput.* 28. Coninch *de Sacram. Ordinis, diſp* 20. *dub.*11. & Bonacin. *queſt.*3. *de matrim punct.9. num.*8. Ratio eſt, quia congruum eſt, vt miniſtrantes Chriſto ſint cælibes. Etenim nunquam fuit permiſſum in Eccleſia, etiam in Græca, ordinatos in ſacris tranſire ad matrimonium, *ex cap. ſi quis eorum. diſt.*32. & ſexta Synodo generali, vt pluribus probat Azor *tom.1. lib.13. queſt.3. & 5.* Idcoque Græci poſt matrimonium initum ordinari in ſacris non poſſunt, mortua vxore, validè tranſire ad ſecundas nuptias: hæc eſt enim differentia inter Græcos, & Latinos, quod Græcis licet poſt matrimonium contractum aſcendere ad ſacros Ordines, & vti matrimonio, Latinis autem minimè, vt dixi *lib.7. cap.1. dub.5. num.1.* vide de his Azor *tom.1. lib.13. c.12. queſt.3.* & Bellarm. *lib.1. de Cleric. c.*21. Sanch. *lib.7. diſp.*28. & Bonac. *ſup. n.*13.

4 Dico tertiò, Ordo ſacer non iure diuino, nec naturali, ſed ſola Eccleſiæ conſtitutione dirimit matrimonium ſubſequens. S.Thom. *in 4. diſt.37. qu.1. art.1.* Sotus *lib.7. de iuſt. queſt.5. art.3. ad* 1. Ratio eſt, quia votum ſolemne caſtitatis ex ſola Eccleſia conſtitutione eſt adnexum Ordini ſacro, vt dixi *lib.7. cap.1. dub.5.* ſed nullitas matrimonij oritur ex voto ſolemni; ergo, &c. Etenim votum hoc non eſt ſolemne ſua natura, ſed tantum ex Eccleſiæ conſtitutione; ergo non dirimet matrimonium ſubſequens niſi ex eadem Eccleſiæ conſtitutione. Imo Ordo ipſe ſacer, quamuis à Chriſto Domino inſtitutus, ratione ſui, voto dicto excluſo, non dirimit matrimonium iure diuino poſitiuo; quia de illo non conſtat; neque iure naturali, nam Ordo ſacer ſua natura non eſt incompoſſibilis cum traditione, qua quis alteri tribuit dominium ſui corporis ad vſum coniugalem, vt de ſe patet; ergo Ordo ſacer, tam ratione ſui, quàm ratione voti ſibi annexi tantum dirimit matrimonium iure Eccleſiaſtico, vt docent citati, & Rebell. *lib.3. quaſt.4.* Vaſquez *3. p. diſt.349. cap.*2. Hurtad. *diſp.16. diff.1. num.2. & 3.* Nihilominus tamen etſi non dirimat matrimonium iure diuino, & naturali, impedit tamen illud iure diuino naturali; quia obligatio eſt de iure diuino naturali; ergo cum ſit votum caſtitatis, obligat ex ſe iure diuino naturali ad non contrahendum matrimonium, vt dicetur *inf. de impedimentis impedientibus tantum.* Hinc fit, poſſe Papam diſpenſare in hoc impedimento, cum grauiſſima cauſa concernenti bonum commune; at ſi abſque cauſa iuſta diſpenſaret, valeret quidem matrimonium, quia fuit ſublatum impedimentum, eò quòd ſit hoc impedimentum ſolum de iure Eccleſiaſtico, eſſe tamen tunc illicitum tale matrimonium, quia etſi votum caſtitatis non faciat iure naturæ inualidum matrimonium, vt dictum eſt, facit tamen illicitum, quia votum includit abſtinentiam à copula, quam matrimonium includit. Bonacin. *ſupra numer.*12. & communiter DD. apud Coninch. *ſupr. diſp.20. Ordin. num.*114.

5 Ex hac concluſione colligitur non eſſe validum matrimonium, quotieſcunque Ordo ſacer ſuſceptus inualidus eſt propter aliquem defectum eſſentialem, vt quia ordinans finxit ſe Epiſcopum, aut ſi ordinatus non habuit intentionem recipiendi Ordinem ſacrum. Sanch. *lib.7. diſp.77. n.*13. Bonac. *ſup. n.8.* & alij, ac dixi *lib.7. c.1. dub.5. verſ. Sequitur primò,* & in Decalog. *lib.2. c.2. dub.1. num.7.* tenet Coninch *diſp.20. dub.14. num.*133. Ratio eſt, quia taliter ordinatus non tenetur voto caſtitatis, etiam ſimplicis, eo quòd ſuſcipiens Ordinem ſacrum non vouet per ſe, & expreſsè caſtitatem, ſed tantum ſecundariò, & implicitè, & dependenter ab Ordine ſacro, quatenus ſcilicet, id votum eſt annexum Ordini, quem putat ſuſcipere; cum ergo principale non ſubſiſtat, ita nec ſecundarium, & acceſſorium per accidens ei adnexum.

6 An autem ordinatus, ignorans tamen inuincibiliter votum caſtitatis eſſe adnexum ſacro Ordini, cōtrahat hoc impedimentũ, patet ex dictis *lib.7. c.1. dub.5. verſ. Sequitur tertiò,* in qua re exiſtimo cum Sanch. *ſup diſp.*27. Bonac. *loco cit. num.*10. Hurtad. *diſp.16. diff.2. n.4.* & aliis, contra Vaſq. *3. p. diſp.34. n* 98. & dixi in Decalog. *lib.2. c.2. dub.1. n.6. in fin.* illud contrahere, nam qui vult expreſsè ſtatum aliquem, vult etiam ea, quæ ſunt illi ſtatui adnexa, quale eſt votum ſacris Ordinibus adnexum: at hic caſus vix poteſt in Eccleſia Latina contingere.

7 Vtrum vero ille voto caſtitatis obligetur, qui ad Ordines ſacros accedit, & ſciens illis adnexum eſſe votum caſtitatis, ſed illud poſitiuè reſpuit, ſeu non vult ſe ad votum caſtitatis obligare, dixi in Decalog. *lib.2. c.2. dub.1. num.7. & 12.* vbi oſtendi non teneri voti ratione ad caſtitatem, cum votum abſque voluntate vouendi non ſubſiſtat, teneri tamen ad caſtitatem ex ſtatuto Eccleſiæ, quæ præcipit obſeruantiam caſtitatis illi, qui voluit ordinari, & noluit vouere, illumque facit inhabilem ad matrimonium; ideoque ſi hic nubat, erit nullum matrimonium; & tenebitur ad alia onera ſacro Ordini adnexa, vt ad horas Canonicas, vt cum Sanch. Nauarr. & Bonac. dixi *loc. cit.* vide ibi, & Bonac. *q.3. de matrim punct.9. num.*11. ac Sanchez *lib.7. diſp.27. num.*12.

8 Difficultas tamen eſt primò, an ordinatus per vim, aut metum ſit inhabilis matrimonio, ſeu an Ordo ſacer per vim, aut metum ſuſceptus dirimat matrimonium ſubſequens. Reſpondeo, & dico primò, Ordinatus per vim abſolutam, ſeu omnino inuitus, non eſt ordinatus, conſequenter non tenetur ad votum caſtitatis, & poteſt validè contrahere matrimonium. Ratio eſt, quia ad validitatem Ordinis requiritur voluntas ſuſcipientis, ſicut ad alia Sacramenta, alioquin character non ſuſcipitur, *cap. maiores de Bapt.* Similiter ad votum requiritur voluntas: & libertas, cum huius obligatio oriatur ex propria voluntate, & ideo in hac concluſione conueniunt omnes apud Sanch. *lib 7. diſp.29. num.*1.

9 Dico ſecundò, ordo per metum grauem (ſecus ſi fuerit leuis) ſuſceptus, ſeu cadentem in virum conſtantem non dirimit matrimonium, ſi fuerit incuſſus à cauſa libera: hæc concluſio patet ex dictis in Decalog. *lib.2. c.2. dub.3. per tot.* præcipuè *num.*11. & eam tenent Sanch. *ſup. n.5.* Coninch *diſp.20. de Ordin. n.*145. Filliuc. *tom.1. tract.10. p.2. c.4. num.*114. Bonac. *ſup. num.11. verſic. Dixi,* & alij apud Sanch. & Coninch contra Hurtad. *diſp.16. diff* 2. *num.5.* Probatur, nam ex duplici capite poteſt eſſe irritum hoc matrimonium, aut ratione voti, aut ex conſtitu-

tione; at non est irritum ratione voti, quia tale votum est nullum; nec ex constitutione Ecclesiæ, quia Ecclesia solùm intendit obligare eos, qui voluntariè suscipiunt sacros Ordines, non verò eos, qui suscipiunt eos per metum grauem. Dixi, *grauem*, nam metus leuis non irritat votum, vt dixi *loco citat.* & tenent communiter Doctores. Hinc fit eum, qui per metum grauem ordinatus est, si nolit vti Ordine; non teneri ad castitatem, nec ad Officium diuinum, nec gaudere priuilegiis clericalibus, onera enim illa sunt Ordinis sponte suscepti. Nauarr. *c.22. num 51.* & qui non sentit onus, non debet consequenter gaudere commodis, Glossa *c.161. dist.74. verb. honorem*, Azor. *tom.1. lib.13 cap.14 quæst.8.* At si metu graui ordinatus ratificauerit sponte ordinationem verbis, aut factis, aut semel, vel pluries vtendo Ordine suscepto, tenetur ad supradicta, Sanch. videndus *disp.19* & Coninch *n.50.* & cum his Bonac. *sup. n.12.* Antequam autem hic sic ordinatus ratificet suam ordinationem, vel Ordine sic suscepto vtatur, habet liberam facultatem, vt possit matrimonium contrahere; coget tamen illum Ecclesia, vel ad emittendum de nouo votum continentiæ, vel ad abstinendum vsu, & exercitio suorum Ordinum, vt cum Sanch. dixi in Decalog. *loco cit. n.11.*

10 Secunda difficultas, an ordinatus ante vsum rationis teneatur seruare castitatem, ita vt matrimonium ab ipso postea celebratum sit inualidum. Hurtad. *disp.16. diff.2. num.4.* Paludanus cum ipso, Ledesma, D. Antoninus, & Rebell. respondet talem ordinationem dirimere matrimonium subsequens, non ratione voti, quia nullum fuit, sed ratione iuris Ecclesiastici Ordini annexi: verius tamen existimo, sic ordinatum, nec ratione iuris Ecclesiastici fieri inhabilem ad contrahendum, vt dixi *lib 7. cap.1. dub.5. vers. Sequitur secundò*, & docent Sanch. *lib.7. disp.30.* Henriq. *lib.10. cap.14.* Filliuc *tom.1. tract.10. part.2. cap.4. num.128.* & cum aliis Bonac. *quæst.3. de matrim. punct. 9. 14.* Et quidem non ratione voti, quia vt omnes concedunt, nullum datur in hoc casu, cum ad illud emittendum requiratur vsus rationis, nec ex præcepto Ecclesiæ; credibile enim non est, velle Ecclesiam hunc suo præcepto obligare ad castitatem, nisi Ordines susceptos ratificauerit: inde istius matrimonium erit validum, si postquam ad vsum rationis peruenerit libere votum non ratificauerit dicto, vel facto: quare huiusmodi infanti, postquam ad vsum rationis peruenerit, danda est optio, an velit in Ordine sic suscepto permanere, an vero resilire; qui, si volt permanere, manebit vinculo castitatis adstrictus, si autem noluerit in ordine permanere, manebit ab ordine suspensus.

11 Idem ac de infanti, cum multis existimat Sanchez *supra num* 8. dicendum de Ordinato ante pubertatem, cum quo etiam sentit Filliuc. *sup. n.128.* quia sicut professio non obligat ante decimum sextum annum, ita nec votum Ordini sacro adnexum videtur obligare ante pubertatem; imò nec ante annum decimum sextum: ex quo infert Sanchez, hunc non teneri ad castitatem, nisi post annum decimum sextum votum ratificet, consequenter posse matrimonium contrahere, si votum non ratificauit, nec teneri voto non ratificato ad horas Canonicas. Probabilius tamen, & verius existimo, habentem vsum rationis, & ordinatum ante pubertatem teneri voto castitatis, & ad horas Canonicas, & non posse validè contrahere matrimonium, vt docent Sotus *lib.7 quæst. 2 artic. 5.* Sayrus *in claui. lib.6. cap.5. num.9.* Coninch *disp. 20. de Ordine, dub.14 num.136.* Caietan. 2. 2. *quæst. 88. artic. 9.* Bonacin. *supra num.16.* & cum aliis Hurtado *disp.16. diff.2. num.6.* Ratio est, quia hoc votum, quamuis solemne, potest fieri validè ante decimum sextum annum, etiamsi professio solemnis in Religione ante decimum sextum annum validè fieri non possit; nam ius ita disposuit in professione, non verò circa hoc votum, quamuis sit solemne.

12 Hoc tamen pro certo habe in hac materia, votum hoc, seu Ordinem sacrum non dirimere matrimonium legitimè contractum ante superuenientem Ordinis susceptionem, seu Ordinem sacrum susceptum post matrimonium, non illud dirimere, vt docent DD. communiter, & dixi *hoc lib cap.4. dub.3. versic. Sequitur secundò*, & definitum est in quadam Extrauagant. Ioann. XXII. de voto: quod procedit, etiamsi matrimonium, tantum sit ratum; vt dixi *loco citato.* nullo enim iure probatur matrimonium, etiam tantum ratum, dissolui per Ordinem sacrum superuenientem, sicut dissoluitur per professionem, vt ibidem dixi. Bonacina *supra n.12. versic Dixi.*

13 Nota, Clericum per contractum matrimonij validum, quamuis sit tantum ratum, amittere ipso facto omnia Beneficia, ita vt ea non possit in conscientia retinere, nec fructus suos; ideo teneroc Beneficia statim dimittere, nec potest ea commutare, vt pluribus Sanchez *lib. 7. disput. 42. & 43.* & cum eo Filliuc. *tom.1 tractat 10. part.2 cap.4 n.153. & 154. ex cap ex transmissa de renunciat.* Ratio est, quia assumit statum incompossibilem cum clericatu, ideo si illud Beneficium non renuntiat statim, potest ab alio impetrari. Dixi, *validum*, quia etsi aliqui dicant, etiam amitti Beneficium per matrimonium irritum, verius tamen est oppositum, vt docet Sanchez *disput 43.* tum, quia non est textus id disponens, & ex alio capite nullum præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, *regul. non præstat, de regul. iur. in 6.* De hac vacatione vide Azor, & Sanchez *vbi supra*, Garciam *de benefic part.11. cap.8.* & Barbos. *de offic & potest. Episcop allegat.57. à num.202.* & de iure vniuerso *lib.3. cap.14. à num. 902.* Item, incurrunt ipso facto excommunicationem latam in Clement. vnica *de consanguin.* requiritur tamen, vt cum scientia huius prohibitionis contrahat matrimonium: vnde liberat ignorantia modò non sit affectata. Nauarr. *cap.27. n.141.* & alij communiter.

14 Nota etiam, coniugatum, etiamsi nondum sit matrimonium consummatum, incurrere irregularitatem, si transeat ad sacros Ordines absque licentia vxoris, ita vt non possit in susceptis ministrare, nec ascendere ad superiorem, nec officium, aut beneficium acquirere, habetur in extrauag. *Antiqua de voto*, Glossa *ibi verb. nec matrimonio. & verb. nec officium*, & docent Sotus *dist.27. quæst. 1. art.4.* Azor, *tom.1. lib. 13. cap.14. quæst. 3.* Filliuc. *supra num.159.* Henriq. *lib.13. cap.39. num 5.* Sanchez *lib.7. disp.40. num 4.* Bonacin. *quæst. 3. de matrim. punct.9. num.20.* & alij. Requiritur tamen ad hanc pœnam incurrendam dolus, ideoque ignorantia etiam crassa iuris, vel facti excusat: patet ex verbo, *non præsumat.* Requiritur etiam, secundum probabiliorem opinionem, vt matrimonium iam contractum sit verum, & non irritum, vt pluribus Sanch *loco citato*, & cum eo Filliuc. nam ius tantum punit iniuriam irrogatam matrimonio, non autem erit iniuria, si verum non sit matrimonium. Non tamen incurret hanc irregularitatem vir, si de licentia vxoris transeat ad sacros Ordines, sed non seruatis à iure requisitis, de quibus infra; nam dicta Extrauagans tantum loquitur casu, quo suscipiat Ordines absque licentia, posset enim vir in hoc

euentu

euentu seruare votum continentiæ inclusum in Ordine suscepto, consequenter posset io Ordine ministrare, vt colligitur ex S. Thom. *dist.* 37. *quæst.* 1 *art.* 1. & cum aliis tenet Sanch. *supra n.* 6. Incurret autem si licentia dolo, vel metu graui extorta esset, quia tunc vxor haberet ius reuocandi virum ad vsum coniugij, vide Sanchez *vbi sup.*

15 Solent DD. hic exagitare, an aliquando liceat viro, post matrimonium contractum, suscipere Ordines sacros: in qua re conueniunt omnes, id licere in omnibus casibus, io quibus licet coniugi ingredi Religionem, & in ea profiteri, de quibus dixi *hoc cap. dub.* 6. *quæst* 4. Conueniunt secundò, licere viro sacris initiari, quotiescumque licet ei legitimè facere diuortium quoad torum simol, & cohabitationem. Tertiò conueniunt, Idem illi licere com legitimo, & libero consenso vxoris: vt autem licentia vxoris, aut illios consensus sit legitimus, requiritur, vt vxor si sit senex, & non suspecta de incontinentia, voueat in sæculo in manibus Episcopi continentiam, seu votum simplex castitatis emittat; si aotem sit iuuenis, debet ingredi Religionem, *ex cap. vxoratus, cap. cum sis, cap. ad Apostolicam de conuers. coniug.* Idem enim requiritor ad promotionem ad Ordines in viro, quod in emittenda professione, idemque patet *ex cap. Agatosa* 27. *q.* 2. 7. *cap. Episcopus, dist.* 77. vt rectè ponderat Sanchez *lib.* 7. *disp.* 39. *num.* 6. Quænam autem dicatur senex, seu quænam ætas reqoiritur, vt censeatur senex, vt possit mulier, seu vxor manere in sæculo, emisso tamen voto castitatis, iura non determinant, ob idque Basilius *lib.* 7. *de matrim cap.* 25. *num.* 7. existimat, quando vir promouetur ad sacros Ordines de licentia vxoris, non teneri vxorem ingredi Religionem, quamuis non sit senex, sed sufficit, quòd vxor io sæculo emittat votum castitatis, nisi vir ad Episcopatum assumatur; at non est recedendum à commoni sententia, vsu, & consuetudine approbata, vt ipse Basilius confitetur, videlicet, quòd si vxor non sit senex, teneatur ingredi Religionem, nec sufficere quòd in sæculo votum castitatis emittat, quamois vir non assumatur ad Episcopatum. Dicitur autem senex vir, si sit sexagenarios, & vxor, si sit, quinquagenaria, vt dixi *hoc cap. dub.* 6. *q.* 4. *conclus.* 1. vide ibi. Quod si vir assumatur ad Episcopatum, vxor manens in sæculo tenetur ingredi Religionem, & non sufficit, quòd in sæculo emittat votum castitatis, quamuis sit senex, vt habetur expressè, *c. sanè. de conuers. coniug.* Idem dic, si vir assumatur ad Cardinalatum vt tenet Filliuc *tom.* 1. *tract.* 10 *part.* 2. *c.* 4. *n.* 152. vide Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *c.* 13. *q.* 7. & Sanchez *disp* 41. *n.* 2.

16 Præter licentiam vxoris requiritur etiam licentia Episcopi, quam requiri ex præcepto aliqui affirmant, alij verò solùm de honestate, & benè esse, de quo dixi *dict. dub.* 6. *q.* 4 *conclus.* 1. *& versic. Sed dices.* Ego autem semper consulerem vt petant licentiam ab Episcopo cui tanquam pastori competit agnoscere vultum pecoris sui, vitam, & mores examinare, vtilitatique suorum ouium consulere.

17 Ex dictis multa inferri possunt. Primò, virum legitimè ordinatum non posse cohabitare cum vxore, si sint suspecti de incontinentia, quamuis vxor sit senex, & vouerit continentiam; si aotem non sint suspecti, benè possunt, modò non in eodem cubiculo, nedum toro, commorentur: sanum tamen consilium est; ne sic simul habitent, qoia moraliter res non vacat periculo, vt benè Sanch. *lib.* 7. *disp.* 39. *n.* 8. Filliuc. *sup. n.* 150.

18 Infertur secundò eum, qui cum legitimo vxoris consensu Ordines suscepit, non posse petere, aut reddere: si aotem absque legitimo consensu non potest petere, potest tamen reddere, nam ipsa non fuit priuata suo iure propter Ordines à viro absque vxoris consensu susceptos. Vide Henriquez *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 10. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 32. Sanchez *disput.* 39. & cum aliis Bonacin. *q.* 3 *de matrim. punct.* 9. *n.* 18.

19 Infertur tertiò, si vir de licentia vxoris suscipiat ordines, deficiunt tamen alia de iure requisita ad dictam promotionem, posse tunc reuocari virum ab vxore, si ipsa ignorabat ios, quid ipsa efficere debeat, secus si non ignorabat, quia tunc eo ipso quòd dedit licentiam, censetur vouere castitatem. Ita cum aliis Sanch. *sup. n.* 12. & cum eo Filliuc. *loco cit. n.* 150. ex Gloss. *c. seriatim. dist.* 31. *verb. Post mortem.*

20 Infertur quartò, vxorem relictam in sæculo, com voto continentiæ, non posse, viro defuncto, transire ad alias nuptias absqoe peccato, propter votum continentiæ quod saltem impedit; imò matrimonium tale esse irritum, tanquam probabilius docent Sanchez *disputat* 40. *num.* 2. *&* 3. Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 14. *quæst.* 11. & alij apud ipsos idque factum esse aiunt ab Ecclesia, ob reuerentiam Ordinis suscepti à viro de licentia vxoris, colliguntque *ex cap. quia sunt dist.* 28. ibi: *Si in coniugio, &c. & cap. si se, ead. dist.* ibi: *Si se cui quam, & cap. seriatim. dist.* 32. asserúntque id procedere, etiam si ipsa ignoret ius reddens eam inhabilem, quia hoc non pendet ex voto illius, aut voluntate, sed ex iure Ecclesiastico ob reuereotiam Ordiois. Filliuc. *sup. n.* 151.

21 Infertur quartò, non posse virum sacris initiari, imò nec ad primam tonsurám, post matrimonium, etiam ratum tantum absque vxoris licentia, Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *cap* 3. *quæst.* 7. cum aliis Sanch. *lib.* 7. *disp.* 38. *num.* 7. Filliucius *tom.* 1 *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 146. & alij, idque colligunt *ex cap. coniugatus de conuers. coniug. & extrauag. antiqua, de voto, & ex cap. fin. de temporibus ordinat.* & Gloss. *dict. cap. verb. Definitum, & cap. coniugat. cit. & verb. Ad sacros.* Quare sic ordinatus in sacris debet non ex præcepto, sed ex consilio tantum, Religionem intrare ad votum implendum Ordini sacto adnexum, vt habetur Extrauag. *antiquæ de voto*, at si vxor illum repetat, ei est restituendus, cui vxor non tenetur debitom reddere, etsi aliqui oppositom non improbabiliter existiment, asserentes hunc noo amisisse ius ex iustitia petendi debitum, sed tantum impeditum fuisse, sola voti Religione. Quòd si reuocatus ad debitum coniugale, velit, vxore mortua, transire ad secundas nuptias, conueniunt omoes, non posse validè, quia Ordo absque licentia vxoris validus fuit. Filliuc. *sup. n.* 146. 148.

22 Infertur qointò, posse vxorem reuocare virum, qui, ipsa contradicente, aut ignorante, initiatus fuit, etiamsi matrimooium tantum sit ratum, *ex dict. Extrauagant. antiqua de voto*, & etiamsi asceodisset ad Papatum, quia ius ex iustitia debitum, non potuit lædi per Pontificatum assumptiom, vt ex multis Sanchez *supra num.* 12. Idem dic, si licentia extorta fuit per vim, aut metum grauem, aut si ipsa tantum dissimulauit, semper enim remanet ipsius ius illæsum, *ex cap consuluit de conuers.* Quòd si vxor non repetat virum hunc sic ordinatum, non poterit ordinatus redire ex se, quia validè recipit Ordines, secus in professione, quæ valida non est, facta absque licentia coniugis, vt dixi *hoc cap. dub.* 6. *quæst* 4. *concl.* 3. Filliuc. *sup. n.* 147. vide Sanch. *disp.* 38. *cit. per tot.*

Dub. XIV.

De impedimento ligaminis.

1 Nota polygamum dici, quando quis ducit duas, aut plures vxores, omnibus viuentibus, bigamiam esse, quando quis ducit plures vxores, non simul, & omnibus viuentibus, sed successiuè, vt si vna mortua, ducat aliam, & hac mortua, aliam, & sic deinceps: ligamen verò dicitur quando quis viuente prima, & legitima vxore, ducit aliam per verba de præsenti.

2 Dico primò, ligamen, siue polygamia dirimit matrimonium posterius iure Ecclesiastico, ita definitum est, *cap. gaudemus, & cap. vltim. de sponsa duorum*, tum etiam iure diuino, vt definitum est à Trid. *sess. 24. de matrim. Can. 3.* & olim, *in dict. cap. gaudemus, & cap licet, & cap. final. de sponsa duorum*, & colligitur apertè, ex Euangelio Matth. 19. *Qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: quo in loco prohibetur dimissa vxore ob fornicationem transitus ad aliud matrimonium; ergo à fortiori prohibetur idem transitus, retenta priore vxore. Item, talis ducens posteriorem dicitur mœchari, & hoc, quia prior non desinit esse sua vxor, & vera, sicque committit adulterium, si copulatur cum secunda. Quare sententia Caiet. 1. ad Timoth. 3, dicentis, initio Ecclesiæ Euangelicæ pluralitatem vxorum licuisse, non potest defendi sine errore, vt probat Sanchez *lib. 7. disp. 80. num. 3.* Hinc fit, si Titius verè coniugatus cum Berta ducat simul Meuiam, secundum matrimonium cum Meuia esse irritum, eo quòd est vero matrimonio ligatus cum Berta. At mortua Berta posset ducere Meuiam, quia per mortem Bertæ fuisset solutum matrimonium, & sublatum ligamen, modò tamen non cognouerit Meuiam; nam si eam cognouit, committit quartum modum impedimenti criminis, quod est adulterium cum matrimonio cum ipsa adultera, ob quod ab Ecclesia inhabilis efficitur ad ducendam secundam vxorem, etiam mortua priori, vt dixi *hoc cap. dub. 10. conclus. 4.*

3 Dico secundò, pluralitas vxorum respectu vnius viri non solùm est contra ius Ecclesiasticum, & diuinum, vt probatum est in prima conclusione, sed etiam contra ius naturale, non quidem primarium, sed secundarium. Ita Couarr. 4. *Decretal. 2. part. cap. 7. §. 3.* Henriquez *lib. 12. cap. 7.* Bellarmin. *lib. 1. de matrimon.* Sanchez *lib. 7. disput. 80.* Filliuc. *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap. 4. num. 162.* Bonacio. *quæst. 3. de matrim. punct. 10. num. 3.* Hurtado *disp. 9. diff. 1. num. 3.* contra Durand. *in 4. dist. 33. quæst. 1.* Caietan. *cap. 16. in Genes.* Abulens. Veracruz, & Speculum apud Hurtado; ita enim definitum esse videtur, *cap. gaudemus 8. de diuort.* dum dicitur: *Nulli vnquam licuisse habere plures vxores simul, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum.* Quibus verbis supponitur fuisse tale matrimonium iure naturali illicitum, & consequenter irritum, & inualidum, absque Dei dispensatione, vt infra probatur, & declaratur, pluritatem vxorum non esse contra ius naturæ primarium, sed secundarium: nam finis matrimonij est generatio prolis, eiusque educatio: secundarius verò est tranquilla, ac pacifica cohabitatio coniugum, & gubernatio domestica: pluralitas ergo vxorum non repugnat naturaliter fini principali matrimonij; nam proles est certa, & potest educari, nec impeditur generatio, quia vnus vir sufficiens est multis fœminis fœcundandis, & eorum liberis educandis: repugnat, verò fini secundario, & iuri naturali, ac conclusionibus deductis ab ipsis principijs, quia contrahente matrimonium cum pluribus, ita repugnat quieti, & paci domus, ac familiæ, vt ratio naturalis dictet posterius matrimonium debere esse inualidum, vt vitentur hæc incommoda: repugnat etiam alteri fini secundario, qui est, vt sit remedium concupiscentiæ, at vnus vir non potest commodè satisfacere concupiscentiæ plurium vxorum. Hinc est, quòd *cap. gaudemus de diuort.* dicatur, nulli vnquam licuisse, absque diuina dispensatione plures habere vxores: hinc etiam est, quòd matrimonium posterius viuente prima vxore, sit nullum, attento iure naturæ, quia repugnat finibus secundarijs matrimonij. At quia non repugnat fini primario, ideo potest in eo dispensare Deus, sicut olim dispensauit in patribus antiquis ob multiplicationem populi Hebræi fidelis, ex quo Messias venturus erat, vt exiguus multiplicaretur vt arena maris, non externa aliqua scriptura, aut locutione, sed inspiratione interna facta Patriarchis, & deinde eorum exemplo, & vi consuetudinis propagata est ad reliquos ex populo Israelitico, vt ex S. Thom. Bonauent. Ricardo, Gabriel, Soto, & aliis docet Sanchez *lib. 7. disp. 80. num. 12.* Quæ quidem dispensatio non fuit extensa ad populum Gentilem, quia soli populo Hebræo concessa fuit, vt dictum est, & constat Deuteron. 21. dum dicitur: *Si habuerit homo vxores duas.* Quæ quidem concessio, & dispensatio populo fideli facta reuocata fuit à Christo Domino. Matth. 5. & 19. reducente matrimonium ad pristinum statum, & naturalem institutionem, quando dixit, eum, qui dimissa vxore aliam ducit mœchari, & esse adulterum: vnde nulli, quantumuis baptizato, licet habere duas vxores simul, vt contra Luthetum desiuit Trident. *sess. 24. Can. 2.* addens id esse iure diuino prohibitum, de quo lege Bellarmin. *lib. 1. de matrimon. cap. 10.* Nec obstat August. 16. *de ciuitate Dei, cap. 38.* adductus pro aduersariis, quia loquitur, supposita diuina concessione, qua supposita, non est contra ius naturale pluralitas vxorum, sicut nec accipere ex diuina concessione bona alterius; quia definir esse contra ius vxoris, cum Deus, vt supremus Dominus corporum, sicut, & bonorum, ac vitæ, possit viro concedere facultatem, vt validè, & absque iniustitia vxoris tradat etiam suum corpus aliis vxoribus, & vt tradit gubernationem domus, ei cui sibi placuerit: sicut nec facit contra ius naturæ, qui ex diuina dispensatione alium occidit, aut bona eius accipit, vt diai in Decal *prælud. 1.* quia Deus est supremus Dominus bonorum, & vitæ hominum, ideo tunc is non agit iniustè. Nec obest, quòd posteriores vxores aliquando in Scripturis vocentur concubinæ, quia etiam vocantur vxores. Genes. 16. & 25. imò vnica vxor Leuitæ dicitur concubina, Iudith 19. communiter autem in Scriptura dicuntur concubinæ vxores, quæ tantùm assumebantur ad generationem, & non ad domus administrationem. Hurtado *sup. diff. 2.*

4 Dico tertiò, pluritas virorum respectu vnius vxoris, seu vnam vxorem habere plures, numquam fuit licita, nec tale matrimonium vnquam fuit validum, quia est iure naturali prohibita, & nulla, vt docent communiter DD. nam aduersatur fini primario matrimonij, qui est prolis generatio; ex ea enim nasceretur incerta proles, & impediretur generatio commixtione multorum seminum; ideo Bellarm. *lib. 1. de matrim. cap. 11.* existimat, Deum non posse dispensare in hac pluralitate, quia dispensatio non cadit in ea, quæ repugnant primis principiis: & quia Deus numquam in hoc dispensauit.

Oppositum

Oppositum tamen valdè probabilitet tenent Sanchez *sup.* Cuninch *disp*,16 *n.*19. & cum bis Hurtado *disput.9.diff.1.num.9.* quia Deus, vt supremus Dominus corporum omnium porest concedere vxori facultatem, vt validè, & absque iniustitia in maritum, etiam tradat dominium sui corporis aliis, vt ab eis accipiat dominium corporum ipsorum, & vt reliqua alia necessaria ad complementum vinculi efficiat.

5 Ex dictis sequitur, Summum Pontificem non posse dispensare, vt vnus vir habeat plures vxores, aut vna vxor plures viros, quia vtrumque est contra ius naturæ, & diuinum, at Pontifex dispensare non potest in iis, quæ iure naturæ, & diuino illicita, & prohibita sunt. Hinc est, vt nulla consuetudine pluralitas hæc possit fieri licita, nam consuetudo nequit habere vim contra ius diuinum, & naturale. Ita citati, & communiter omnes DD.

6 Sequitur secundò, matrimonium infidelis cum multis fœminis esse inualidum, & tantum valere matrimonium cum prima, ideo si postea ad fidem conuertatur, debet permanere cum prima, si ea voluerit cum illo cohabitare absque Saluatoris iniuria; si autem omnes conuertantur præter primam nolentem cum ipso permanere, aut volentem permanere, sed cum pertractione ad peccatum, & cum iniuria creatoris, vir in rigore nullam ex conuersis ducere tenetur, quia nulla est verè coniux, excepta prima, vide Henriq *lib.* 12. *cap.* 6. Sanchez *lib.* 7. *disp.*80. Bonacina *dict.punct.*10. *num.* 7. & ea quæ dixi *supr.c.4.dub.*4.

7 Dico quartò, pluralitas vxorum successiuè licita, & valida est, etiam apud gentes, & in omni natione, & in noua lege vnumquodque eorum est Sacramentum, vt si mortua prima vxore (aut è contra mortuo viro) ducat aliam vir, & mortua secunda alteri nubat, & sic deinceps. Ita Bellarmin. 1. *de matrimon.cap.9.* Sanchez *lib.7.disput.*81.*num.*2. & communis sanctorum Patrum, & omnium Catholicorum apud Sanchez *supra*, Bonacin. *quæst.*3. *de matrim. punct.*10. *num.*10. & 11. & Hurtad. *disp.*9. *diff.*3.*num.*11. quod expressit Paul. ad Rom. 7. & ad Corinth. 7. dum dicit: *Si mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro*, & constat ex Ecclesiæ, & omnium gentium consuetudine, & est definitum in Concil. Florentin. in instructione Armenorum. Et ratio est, quia morte vnius coniugis soluitur vinculum matrimonij, & superstes manet omnino liber, vt patet ex locis Diui Pauli, quia iam non est is, cui sit obligatus; ergo cum sit liber ab obligatione, poterit cum altero contrahere, & verum efficere Sacramentum, cum in hoc secundo reperiantur, etiam omnia, quæ pertinent ad Sacramentum matrimonij: verum tamen est, per secundas, aut tertias nuptias contrahi irregularitatem, si secundum matrimonium consummatum sit per veram seminis effusionem, & hoc, non quia secundæ nuptiæ licitæ non sint, sed quia non significat perfectè vnionem vnius Christi cum Ecclesia, vt latè DD. agentes de irregularitate ex bigamia: denegantur etiam aliquando benedictiones secundis nuptiis, non quia hæ sint illicitæ, sed ne benedictio repetitione vilescat.

8 De benedictionibus nuptialibus, quæ matrimonio sunt adhibendæ, dixi *hoc lib. cap.5.dub.*11. *circa fin.* vide ibi & Sanchez *lib.*1. *disp.*81. Filliucius *tom.*1. *tractat.*10. *part.*2. *cap.*4. *à num.* 105. & Hurtado *disp.*5.*diff.*13.

9 Sed quæres, quænam certitudo requiratur de morte coniugis, vt superstes possit cum alio matrimonium inire. Respondeo cum Soto *dist.* 22. *q.* *vnic. artic.*5. Sanchez *lib.*2. *disput.*45. & Bonacina (apud quos alij) *quæst.*3. *de matrim. punct.*10. *n.*12. requiri certitudinem moralem tantam, quantam prudens vir iudicauerit sufficere, ad credendum priorem coniugem esse mortuum; quod iudicium relinquitur iudicio prudentis viri, consideratis diligenter circumstantiis, & testium depositionibus. Non est autem sufficiens probatio, aut certitudo ad secundù contrahendum, quòd vir abfuerit per multos annos, nam certitudo moralis non habetur per absentiam multorum annorum, sicut nec habetur per solam famam; eo quòd fama oriri solet, ex auctore incerto, & plerumque fallaci, nisi forte existant tanta indicia facti, vt nullus dubitandi locus relinquatur de morte illius. Sanchez *lib.*2.*de matrimon. disput.*46. Syluest. *matrimon.* 8. *quæst.*13. Nauarr. *cap.*22.*num.*53. & cum aliis Bonacina *supr num.*15. Hinc fit, vxorem posse cum alio contrahere, quando ipsius vir ingressus est prælium, & non amplius comparuit, & est fama ipsum periisse; aut quando per literas eorum, qui prælio interfuerunt, acceptum est, ipsum periisse Henriquez *supra n.*5. Bonacina *n.*14. & alij. Non tamen sufficienter probatur mors, absolutè loquendo, per vnum testem, vt contra Gutierr. Speculum, & alios tenet Sanchez, *supra num.*10. & cum eo Bonac. *num.*16. nisi fuerit in loco ita distante, vt non possint facilè haberi aliæ probationes: quo modo intelligendum caput *in præsentia de sponsalib.* vbi præcipitur Ordinariis, ne permittant contrahi matrimonium, donec certum nuntium de morte percipiant.

10 Caueat ergo Parochus, ne aliquos coniungat, non obtenta facultate ab Ordinario, apud quem fieri solent probationes de morte alterius coniugis, vide Sanchez *vbi sup.* Gutierr. *cap.*52.*num.*2. & Bonacin *supra num.*16. Concedo tamen cum Gutierr. & Bonacin. *supra*, mulierem posse contrahere matrimonium, secluso scandalo, & in foro conscientiæ, quando sola scit mortem sui viri, eo quòd ipsa sola præsens fuit illius morti.

11 Quæres secundò, vtrum sit validum matrimonium contractum ab eo, qui falsò credebat viuere priorem coniugem, sed reuera mortua est. Respondet Bonacin. *dict. punct.*10. *num.*18. affirmatiuè, si contrahens credebat se validè contrahere, aut si habebat intentionem contrahendi, quantum poterat, quia reuera adest consensus inter personas habiles: secus verò si non habuit intentionem contrahendi, quantum poterat, de quo vide, quæ dixi, *sup.cap.*4. *dub.*2. *versic Sed quæres*, & Nauarr. *cap.*22.*num.*50. Syluest. *matrimon.*8.*quæst.*13. & alios apud Bonacin. *sup. numer.* 18. & 19. & Henriquez *lib.*11. *cap.*11. *numer.*5.

12 Quæres tertiò, vtrum vxor, quæ contraxit matrimonium cum secundo, credens, aut dubitans, priorem virum mortuum esse, teneatur recedere à secundo, postquam cognouit, priorem virum superstitem esse, & quid faciet circa debiti redditionem. De hac quæstione partim dixi *supra cap.* 5. *dub.* 4. *versic. Ex his sequitur*, & latiùs, ac commodiùs tractabitur infra *cap.* 10. *dub.* 10. vbi agemus, vtrum coniuges teneantur reddere debitum, quando adest scrupulus, vel dubium, vel opinio, vel certitudo de inualiditate matrimonij, de quo inter recentiores, Sanchez *lib.* 2. *disput.* 41. 42. 43. 44. 45. & 46. cum Bonacin. *quæst.*4. *de matrimon. punct.*4. Henriquez *lib.*11.*cap.*15. Coninch *disp.*34. *dub.*10. Filliuc. 1.*tom. tractat.*10. *part.*2. *cap.*9. *quæst.*12. & Hurtado *de matrimonio disput.*10.*diff.*9. Breuiter tamen respondeo, si certò sciat priorem virum viuere, teneri recedere à secundo, alioquin exponit se periculo

periculo adulterij, & peccat mortaliter tunc petendo, aut reddendo; quia secundum matrimonium, ipsa sciente, est inualidum: quid autem facere possit, si recedere nequeat, dicemus *loc. cit.* Si autem non certò nouit, sed tantum dubitat, priorem virum esse superstitem, non potest existente dubio, petere debitum, *c. Inquisitioni de sententia excomm.* tenetur tamen reddere, quamdiu non constat, alterum coniugem superstitem esse, quod clarius constabit ex dicendis *infra cap cit. dub.* 10.

Dub. XV.

De impedimento publicæ honestatis.

1 Nuncupatur autem hoc impedimentum iustitia publicæ honestatis, quia iustum, æquum & decens est publicam honestatem, & decentiam, vt matrimonium impediatur inter aliquas personas (de quibus infra) quæ factæ sunt sibi propinquæ ob sponsalia, vel matrimonium.

2 Dico primò, iustitia publicæ honestatis est propinquitas personarum proueniens ex sponsalibus, vel matrimonio rato introducta ex institutione Ecclesiæ, propter honestatem matrimonij. Ita communiter DD. Dicitur primò, *propinquitas*, quia est introducta ad similitudinem cognationis, ideo in hoc cum ea conuenit. Dicitur, secundò, *proueniens ex sponsalibus, vel matrimonio rato*: quia hoc impedimentum ex his duobus tantùm oritur, vt infra constabit. Dicitur tertiò, *introducta ex institutione Ecclesiæ*, quia vt omnes Doctores fatentur, & habetur in iuribus citandis, hoc impedimentum non dirimit de iure naturæ, nec diuino, sed solo iure Ecclesiastico, vt constat *ex Can. si quis 27. quæst. 2. cap. litteras 4. de sponsal. impub. ex cap. 3. cap. ad audientiam 4. cap. sponsam 8. de sponsal. cap. vnico de sponsal. in 6.* & in Tridentino *sess. 24. de matrimon. cap. 3.* Hinc fit, hoc impedimentum non habere vim inter infideles, ideoque eos posse validè sororem, aut matrem prioris sponsæ ducere.

3 Dico secundò, hoc impedimentum iure antiquo extendebatur vsque ad quartum consanguinitatis gradum, vt communiter Doctores deducunt ex textibus citatis indistinctè loquentibus, non quia in illis capitibus assignentur gradus, sed quia in illis dicitur dirimere inter sponsam, & consanguineos sponsæ, & è contra; at consanguinitas extenditur ad quartum gradum, vt constat *ex cap. non debet 8. de consanguinit.* ideo, &c. Nunc autem iure nouo Tridentini *sess. 24. cap. 3. de matrim.* restrictum est hoc impedimentum oriens ex sponsalibus, vt non extendatur vltra primum gradum consanguinitatis: vnde iam nunc publica honestas ex sponsalibus orta solùm dirimit matrimonium futurum intra primum gradum consanguinitatis lineæ rectæ, aut collateralis: quare si quis promisit matrimonium Bertæ, non potest postea validè ducere ipsius Bertæ matrem, aut sororem, benè verò alias quascunque consanguineas Bertæ. Dixi, *ex sponsalibus orta*, nam quæ oritur ex matrimonio rato, extenditur vsque ad quartum gradum, vt infra. Dixi etiam, *cum consanguineis sponsæ, & è contra*, quia hoc impedimentum non extenditur ad affines sponsæ, aut è contra, quia iura citata, & Doctores tantùm de consanguineis loquuntur: vnde qui post sponsalia facta cum Berta contrahit matrimonium cum affine Bertæ intra primum gradum, vt cum ea, quæ fuit vxor fratris Bertæ, validè contrahit. Sanch. *lib. 7. disp. 68. num. 3.* Gutierrez *de matrimon. cap. 103. n. 4.* Bonacina *quæst. 3. punct. 11. num. 2. fin.* & alij. Extenditur autem ad consanguineos, etiam illegitimos intra primum gradum, quia ij sunt vere consanguinei, & ius non distinguit; ergo neque nos. Dixi etiam, *dirimere matrimonium futurum*, quia hoc impedimentum non potest superuenire matrimonio; nam si Titius coniugatus cum Berta promittat matrimonium alicui, cùm talis promissio sit irrita, & nulla, & ad hoc, vt hoc impedimentum oriatur, requiratur, quòd sponsalia sint valida, vt infra; inde fit, ex tali promissione non oriri hoc impedimentum, consequenter nunquam posse superuenire matrimonio vero.

4 Dico tertiò, requiruntur ad hoc, vt inducatur ex sponsalibus impedimentum publicæ honestatis matrimonium dirimens: Primum, quòd sponsalia sint valida: Secundum, vt sponsalia sint certa: Tertium, vt sint absoluta, & non conditionalia, vt communiter Doctores, & colligitur ex Tridentino *sess 24. cap. 3. de matrim. & ex cap. vnico de sponsalib. & matrimon.* & constabit statim, vbi de iis sigillatim.

5 Requiritur ergo primò, quòd sponsalia sint reuera valida; vnde si valida non fuerint, non oritur hoc impedimentum: habetur expressè in Tridentino *sess. 24. de matrimon. cap. 3.* ibi: *Iustitia publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit.* Vnde fit, non oriri hoc impedimentum, quando quis fictè, & non ex animo promisit, aut præstitit consensum sponsalibus, vt docent Nauarr. *cap. 22. num. 57.* Ledesma *in summ. cap. 15. de matrimon. concl. 9. dub. 1.* Villalob. *part. 1. tract. 14. diff. 16. num. 2.* Bonac. *quæst. 3. de matrim. punct. 11. num. 3.* Filliuetus *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap. 7. num. 210. vers. Nunc autem.* & cum Rebello, & Veracruz Hurtado *disput 12 diff. 1. num. 3.* contra Sanch. *lib. 7. disp. 68.* & Henriquez *lib 12. cap. 10.* Sed nostra sententia apertè constat ex Tridentino *sup.* ibi: *Vbi sponsalia quacumque ratione valida non erunt.* Vbi notanda illa verba, *quacumque ratione valida non erunt* quæ generaliter comprehendunt omnem inualiditatem; at si deficit consensus, sponsalia non sunt valida; ergo ex illis in foro conscientiæ non inducitur impedimentum hoc; nullum enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, *regul. de reg. iur in 6.* nulláque erit indecentia, cùm nulla fuerint sponsalia. Dixi, *in foro conscientiæ*, nam si defectus consensus sit occultus, in foro exteriori iudicabitur ortum fuisse impedimentum, proinde tunc propter scandalum illicitum erit contrahere (secus cessante illo) si tamen de facto fiat, validè fiet. Ex his colligi potest hæc regula: Quotiescunque sponsalia nulla, & inualida sunt quacunque ex causa, quamuis nullitas occulta sit, & ipsa sint publica, non oritur hoc impedimentum: quare diligenter attendendum est, an sponsalia sint valida, necne, de quo latè *sup cap. 1. per totum.* Aduertit tamen Villalobus *supra num. 2. in fine*, cum Soto *in 4. dist. 41. quæst. vnica, artic. 2. concl. 2.* si fortè impedimentum sit tale, quod ratione ætatis probari non possit, quale esset pueri, quia reuera est frigidus, ac impotens, nihilominus tamen induci hoc impedimentum honestatis, eo quòd illud impedimentum in illa ætate non extabat. Colligitur etiam per Tridentinum esse ius antiquum *in dict. cap. vnico*, correctum, seu moderatum, nam dicto iure antiquo hoc impedimentum oriebatur ex sponsalibus, etiam irritis, & inualidis, modò non irrita defectu consensus, vt docent citati; nunc verò post Tridentinum non oritur, si inualida quocumque modo sint; requiritur ergo, vt promissio

sit

sit sufficiens ad constituenda sponsalia, iuxta dicta *in hoc lib. c. 1. dub. 1. 2. 3. 4. & 5.*

6 Requiritur secundò, vt sponsalia sint certa, seu quòd promissio fiat cum certa, & determinata, persona. Ita citati, & communiter Doctores. Vnde non oritur hoc impedimentum, si quis dicat patri habenti multas filias: *Ducam vnam ex tuis filiabus*, eo quòd talia sponsalia sint incerta. Vide *supra cap. 1. dub. 8.*

7 Requiritur tertiò, vt sponsalia sint pura, & absoluta; vnde si sint conditionalia cum conditione de futuro, non oritur hoc impedimentum, donec conditio sit adimpleta. Ita communiter Doctores, *ex dict. cap. vnic. de sponsal. in 6.* Vnde si quis promisit matrimonium Bertæ cum conditione de futuro, si ea pendente contrahit cum sorore, validum est matrimonium, eo quòd, conditione non adimpleta, nullum fuit ortum impedimentum; conditione autem adimpleta oritur impedimentum, eo quòd sint sponsalia purificata, & perfecta, absque eo quòd accedat nouus consensus, vt dixi *supra hoc lib. cap. 1. dub. 17. & cap. 7 dub. 2. conclus. 7.* etsi Henriq. *lib. 12. cap. 10. num. 4.* existimet, necessarium esse nouum consensum; quam opinionem existimo veram, si inter ipsos sponsos erat aliquod impedimentum, & sponsalia celebrata fuerunt cum conditione, si Papa dispensauerit. Vide *supra hoc lib. cap. 1. dub 12. & cap. 7. dub. 2. conclus. 7. & versic. Dices etiam ibid.* Dixi, *sub conditione de futuro*, nam si conditio sit de præterito, vel præsenti, secus dicendum est, eam cum hæc conditio non suspendat, inde fit, si illa subsistat, sponsalia ex tunc esse valida, & pura, consequenter inducere impedimentum publicæ honestatis; si verò non subsistat statim, sponsalia sunt irrita & nulla, ac proinde non pariunt hoc impedimentum.

8 Dico quartò, hoc impedimentum est perpetuum, sicut affinitas, ideo durat post mortem sponsæ. Ita communiter Doctores, *ex cap. sponsam de sponsal. cap. si quis vxorem, cap. si quis desponsauerit 27. qu. 2.* Difficultas, an cesset hoc impedimentum, quando sponsalia valida, & certa, mutuo consensu contrahentium dissoluuntur, affirmant tunc cessare hoc impedimentum, Emanuel Sà *verb. matrim. num. 12.* Rebellus *2. part. lib. 3 quæst. 14. num. 2. & in Decretal. Card. sect. 5. num. 99.* Gutierrez. *de matrim. cap. 103.* Hurtad. *disp 21. diff. 1. num. 5.* cum Rebello, & Basilio, & cum aliis Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 51 num. 188.* quia aiunt, sponsalia, quæ mutuo consensu dissoluuntur euanescunt immediatè, & ratione sui; illa verò, quæ morte dissoluuntur, non euanescunt immediatè, sed mediatè, ex defectu scilicet subiecti, ideo post mortem sponsi durat hoc impedimentum, non verò si mutuo consensu dissoluantur, quod ita declarasse Cardinales, refert Rebell. *dict. num. 99.* Non cessare autem hoc impedimentum, quando sponsalia mutuo consensu dissoluuntur, sed in perpetuum durare, sustinent Sanchez *lib. 7. disput. 68. num. 21.* Præsecius *in praxi Episc. part. 1. cap. 4.* Bonac. *quæst. 3. de matrim. punct. 11. n. 7.* & multi ab ipso consulti, idque colligunt ex iuribus citatis, in quibus supponitur, hoc impedimentum esse perpetuum: tum quia eadem ratio honestatis militat quando mutuo consensu dissoluuntur, ac quando per mortem; sed quando per mortem dissoluuntur, adhuc manet hoc impedimentum; ergo etiam quando mutuo consensu dissoluuntur: tum quia sequeretur, hoc impedimentum posse etiam cessare per mortem alterius, quod est contra iura citata, non enim sponsalia videntur magis dissolui per mutuum consensum, quàm per mortem; ergo. Hæ opiniones valde probabiles sunt, sed quia Bonac. *vbi sup.* refert nouam Cardinalium declarationem pro secunda sententia, ideo eam amplectendam censeo, dicta declaratione extante.

9 Nota, impedimentum publicæ honestatis posse aliquando concurrere cum impedimento affinitatis, vt habetur *cap. literas de sponsalib. impub* v. g. si sponsus Franciscæ postea cognoscat eius sororem Catharinam, tunc propter copulam, quam habuit cum Catharina sorote ipsius sponsæ, contrahit affinitatem cum Francisca sua sponsa, quo in casu non poterit ducere Franciscam, cum qua habuit copulam, propter honestatem ortam ex sponsalibus præcedentibus cum sorore Franciscæ: nec poterit ducere suam sponsam propter affinitatem illi superuenientem ex copula habita cum Francisca sorore ipsius sponsæ. Nauarr. *cap. 22. num. 57.* Henriquez *lib. 12. c. 10.* Sanch. *lib. 7. disp. 68. ad fin.* & Doctores communiter. Quid si de facto contraxit matrimonium cum sorore sponsæ. Respondeo, esse nullum propter impedimentum honestatis: vnde si non consummauit, tenetur redire ad priorem sponsam si vero consummauit, non poterit propter affinitatem subortam, ideo in hoc casu neutram ducere poterit, vt dictum est.

10 Ex dictis sequitur, illum, qui validè contraxit sponsalia cum Berta, si postea alia celebrat cum eius sorore, non contrahere hoc impedimentum cum sua sponsa Berta, quia secunda sponsalia sunt inualida. Sanchez *disput. 68. num. 23.* & alij. Nec afficitur hoc impedimento ille, qui postquam contraxit sponsalia cum Berta, cum conditione de futuro, alia celebrat absolutè cum sorore Bertæ; nam secunda sponsalia, pendente conditione, sunt illicita, eo quòd sponsus Bertæ teneatur expectare euentum conditionis, & cum secunda sponsalia non possint inducere obligationem ad aliquid illicitè faciendum, ideo nec inducere hoc impedimentum, Sanchez *lib. 7. disp. 69. num. 2. & 3.* & cum eo, & aliis Bonac. *dict. punct. 11. n. 4. & 5.*

11 Dico quintò, impedimentum iustitiæ publicæ honestatis non solum oritur ex sponsalibus veris, certis, & absolutis, sed etiam ex matrimonio tantum rato, vt dictum est *in 1. conclus.* in definitione honestatis, & docent Sotus *in 4. dist. 41. quæst. vnic. art. 2.* Sanch. *lib. 7. disp. 70. num. 1.* Hurtado *disp. 21. diff. 2. num. 7.* & cum aliis Bonac. *tom. 1. quæst. 3. de matrim. punct. 11. num. 9.* & communiter alij, & colligitur apertè *ex cap. sponsa, & cap. ad audientiam de spons.* & declarauit Pius V. in Motu proprio, quod incipit: *Ad Romanum spectat.* & quamuis hoc impedimentum ab aliquibus dicatur affinitas, propriè tamen non est affinitas, cum hæc supponat copulam, à qua oriatur, hic autem nulla reperitur, sed sola honestas, ideo propriùs appellari debet, iustitia publicæ honestatis. Dirimit autem hoc impedimentum ex matrimonio tantum rato ortum vsque ad quartum gradum, sicut iure antiquo dirimebat, vt deducitur ex iuribus citatis, & quia ita expressè declarauit Pius V. in dicto Motu proprio, quod non est restrictum à Trid *sess. 24. cap. 3.* nam ibi solùm restrinxit ad primum gradum honestatem ortam ex sponsalibus, vt ibi patet: quare Titius, qui contraxit matrimonium tantum ratum cum Berta, non poterit validè ducere consanguineas Bertæ intra quartum gradum. Vide Nauarr. *loco citat. num. 58.* Sanchez *lib. 7. disp. 70. num. 16.* Coninch *disp. 32. dub. 5. n. 70.* Reginald. *lib. 31. n. 328.* Henriq *lib. 12 cap. 10.* Vnde audiendi non sunt Toler. *lib. 7. c. 10.* & Lopez *1. part. cap. 30.* dicentes, hoc impedimentum non extendi, nisi ad primum gradum, quia forsan non viderunt declarationem Pij V.

12 Dico sextò, oritur hoc impedimentum vsque ad quartum gradum, ex matrimonio rato etiam irrito, & nullo, modò non sit inualidum ex defectu consensus. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 70. num. 5.* Hurtado *supra* Filliuc. *loco citat. num.* 223. & cum aliis Bonacin. *quæst. 3. de matrimon. punct.* 11. *num.* 11. Probatur, quia ex tali matrimonio oriebatur hoc impedimentum iure antiquo, *cap. sponsa de sponsalib. & cap. accessit de desponsat. impuber.* at hoc ius non est correctum per Tridentinum *sess. 24. cap. 3.* & patet ex dicto motu proprio Pij V. ergo remanet in suo vigore. Alij autem, vt Nauarr. *cap. 22. n. 58.* & Sà *de impedimeut. matrim.* non improbabiliter existimant ex matrimonio inualido non oriri impedimentum publicæ honestatis, quia non consurgit ex sponsalibus inualidis; sed hæc ratio facilè solui potest, eo quòd aliter sancitum sit iure nouo in sponsalibus, quàm in matrimonio, vt patet ex motu Pij V. citato.

13 Ex his sequitur, non oriri hoc impedimentum ex matrimonio rato amentium, aut habentium legitimam ætatem, celebrato tamen per metum grauem, vel errorem personæ, quia est nullum defectu consensus. Ob eandem rationem non contrahitur, quando aliquis fictè consentit, vt dixi *hoc dub. vers. Ergo requiritur*, nec contrahitur ex sponsalibus nullis ex defectu consensus vt tenet Bonacina *sup. num.* 14. contra Sanchez *lib. 7. disp. 70. num.* 11. cogendus tamen est fictè consentiens, stante matrimonio ratione scandali, vel alterius incommodi vitandi, propter quod debet ex animo contrahere. Vide Nauarr. *c. 22. n. 57.* Item, nec oritur hoc impedimentum ex matrimonio celebrato cum incerta persona, quia talis consensus est inualidus, vt patet à simili de sponsalibus *per c. vnic. de sponsalib. in 6.* Sanchez *disp. 70. n. 13.* Bonac. *sup. num.* 15.

14 Nec oritur ex matrimonio conditionato ante conditionis euentum, vt Sanchez *disp.* 71. *num.* 21. Bonacina *sup. num.* 16. & Hurtado, quia ante eam non habet vim matrimonij absoluti, neque sponsalium; at hoc impedimentum non oritur nisi ex sponsalibus absolutis; impleta autem conditione, statim oritur absque nouo consensu, vt ait Bonacina: sed tu dic vt dixi *hoc dub. vers. Requiritur tertiò*, vide ibi, & loca ibi citata, ac Filliucium *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *num.* 124. *vers. Infertur.* Nec oritur ex matrimonio clandestino sine Parocho, & testibus celebrato, vt docet Sanchez *lib. 7. disput.* 70. *num.* 13. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *c* 7. *n.* 224. quia deficit sensus legitimus ex defectu solemnitatis: oppositum tamen valde probabiliter sustinent, Bonacina *supra num.* 18. & Hurtado *loco cit. num.* 7. cum Coninch. *disp.* 32. *dub.* 5. & Basil. *c.* 35. quia non est nullum defectu consensus, sed solemnitatis. Item, nec oritur ex matrimonio impuberum, nisi malitia suppleat ætatem; nam matrimonium inter impuberes irritatur ab Ecclesia, eo quòd præsumatur non adesse iudicium, & consensus sufficiens ad contrahendum. Attamen etsi ex matrimonio impuberum non consurgat hoc impedimentum vsque ad quartum gradum; consurgit tamen publica honestas vsque ad primum tantùm gradum, in sententia asserentium, matrimonium impuberum resolui in sponsalia, vt colligitur *ex c. tua nobis de desponsat. impub* & docent Nauarr. *vbi supra.* Valentia *tom.* 4. *disp* 10 *quæst* 5. *punct.* 3. §. *honestas* & cum Sanchez *disp.* 69. *num.* 3. Bonac. *loco cit. num.* 17.

15 Sequitur etiam, hoc impedimentum contrahi ex matrimonio inualido propter quodcumque impedimentum dirimens. Vnde si consanguineus, affinis, aut alio impedimento dirimente irretitus contrahat cum Berta, non poterit validè contrahere cum eius consanguineis intra quartum gradum, ita Bonacina *sup. num.* 19 & alij, quia hoc matrimonium non est nullum defectu consensus, sed ratione impedimenti, quo in casu contrahitur hæc honestas vsque ad quartum gradum, quamuis matrimonium sit tantùm ratum, vt patet ex iuribus, & Doctoribus adductis in sexta conclusione. Hinc fit, quando quis promisit matrimonium Bertæ, & postea contraxit matrimonium cum eius sorore, absque consummatione tamen, non posse contrahere cum consanguineis Bertæ intra quartum gradum; bene verò cum ipsa Berta sponsa. Prior pars probatur, quia cùm tale matrimonium sit irritum ob impedimentum dirimens honestatis, inducit impedimentum vsque ad quartum gradum. Posterior patet, quia ex matrimonio rato inualido non inducitur impedimentum ad dissoluenda sponsalia valida antecedentia, argumento desumpto *ex cap. vnico de sponsalib. in 6.* & docet communis sententia, cui consentit Bonacina *supr. num.* 21. vbi habetur, per impedimentum publicæ honestatis non dissolui præcedentia sponsalia, vel matrimonium. Dixi, *absque consummatione*, nam si illud consummauit cum sorore Bertæ, non poterit Bertam ducere propter affinitatis impedimentum ortum ex copula cum sorore Bertæ. Vide Sanchez *lib. 7. disp.* 68. *n.* 24. Reginald *lib.* 31. *c.* 18. Coninch. *disp* 32. *dub.* 5. Henriquez *lib.* 12. *c.* 10. & Bonacinam *vbi sup.*

Dub. XVI.

De impedimento affinitatis.

1 Nota, primò, affinitatem dici, quasi vnitatem finium consanguinitatis, seu sanguinum cōfinitas; trahit enim affinitas personas ad finem alterius cognationis, vt constabit infra. Definitur autem communiter affinitas; Propinquitas personarum ex carnali copula proueniens, omni parentela carens. Prima particula, *propinquitas*, habet locum generis, cum quo conuenit cum consanguinitate, & aliis cognationibus, de quibus supra. Secunda, *ex carnali copula proueniens*, habet locum differentiæ, per quam distinguitur ab aliis cognationibus, & constituitur in esse affinitatis; requiritur enim necessariò, ad hoc vt oriatur affinitas, quòd præcedat copula licita, aut illicita, vt infra: vnde etsi ex matrimonio tantùm rato oriatur impedimentum dirimens vsque ad quartum gradum, hoc impedimentum non dicitur, nec est affinitas, quia non adest copula, sed est publica honestas, vt dixi, *dub. anteced. concl.* 1. *&* 5. Dicitur, *omni parentela carens*, ad denotandum, quòd ad hoc vt oriatur affinitas, non requiritur, quòd ij, qui commiscentur, sint consanguinei, seu propinqui, sed quòd ex ipsa copula oriatur affinitas, quibus ij, qui eam habent, non sint consanguinei, etsi aliquando possit contingere, quòd eam habentes sint consanguinei. Vnde si Petrus cognoscit Ioannam extraneam, seu non consanguineam, oritur affinitas ex personis carentibus omni parentela; & hoc est, quòd significat illa particula, *omni parentela carens*; at quia potest contingere, quòd Ioanna sit consanguinea Petri, ideo aliquando affinitas coniungitur cum consanguinitate.

2 Nota secundò, duplicem esse affinitatem, seu ex duplici capite oriri affinitatem: prior oritur ex copula licita, id est, ex copula matrimoniali inter coniuges habita: posterior ex copula illicita, seu fornicaria, vt quando non coniuges se cognoscunt, quomodo autem hæc oriatur, & ad quos gradus se extendat,

extendat, infra. Dixi, *ex matrimoniali copula*, quia ex matrimonio rato, & non consummato non oritur affinitas, vt dixi, sed iustitia publicæ honestatis, vsque ad quartum gradum.

3 Nota tertiò, copulam ex qua oritur affinitas, siue talis copula sit matrimonialis, siue fornicaria, debere esse completam, & perfectam, & talem, quòd ex sua natura sit sufficiens generationi, id est, cum seminatione viri intra vas fœminæ. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 10.* Ledesma *in sum. cap. 15. concl. 5.* Sanchez *lib. 7. disp. 64. num. 11.* Reginald. *lib. 31. n. 147.* Coninch. *disp. 32. dub. 4. num. 46.* Villalob. 2. *part. tract. 14. diff. 17. num. 6.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 6. num. 108.* Hurtado *disp. 20. diff. 1. num. 3.* & cum aliis Bonacin. *q. 3. de matrim. punct. 12. n. 11.* & communiter DD. contra Medinam *lib. 5. de sacror. hom. continentia*, singulariter asserentem sufficere penetrationem vasis etiam absque seminatione. Ratio autem cur requiratur copula perfecta, est, quia totalis ratio, ob quam ex commistione viri, & fœminæ oritur affinitas, est, quia sic se commiscentes fiunt vna caro, itaenim requirunt, vt fiant vna caro, *cap. fraternitatis 35. q. 10.* & vt fiat sanguinis commixtio, *cap. lex diuina 2. q. 27.* sed vir, & fœmina non fiunt vna caro, nisi adsit seminis emissio intra vas fœminæ, vt communis Theologorum, Iuristarum, & Summistarum opinio docet apud Sanchez *disp. 64. n. 8.* & dixi *hoc lib. c. 4. dub. 5.* ergo vt oriatur affinitas copula debet esse perfecta.

4 Ex hoc notabili secundo sequitur primò, non oriri affinitatem, quando sola fœmina, & non vir seminat, nam fœminæ semen non est sufficiens generationi: è contra verò oritur, si solus vir seminet, quia solius viri semen sufficit ad generationem, Sanchez *sup. n. 1.* Bonac. *loco cit. n. 12.* Filliuc. *n. 109.* & alij contra Lop. *2. p. instruct. c. 50.* quem sequitur Hurtado *sup. n. 4.* existimantem requiri etiam fœminæ seminationem; putant enim illius semen esse necessarium generationi, sed de hoc dixi *supra dub. 5. cit.* Nec oritur affinitas ex congressu cum spadone, seu eunucho, nec ex copula sodomitica, aut ex pollutione extra vas fœminæ, & multò minus ex tactibus impudicis: sic omnes DD. citati: & ratio est, quia nulla copula ex his est apta generationi, nec si commiscentes fiunt vna caro.

5 Sequitur secundò, oriri affinitatem, quotiescumque semen viri intra vas fœminæ recipitur quacumque arte, siue recipiatur arte humana, siue diabolica, seu ope dæmonis, siue cum claustri violatione, siue absque illa, siue sponte, siue coactè, siue casu. Sotus *in 4. distinct. 27. quæst. 9. artic 4.* Sanchez *lib. 7. disp. 64. n. 15.* cum aliis Bonac. *supra num. 13.* & alij. Ratio est, quia ex tali copula, seu seminis commixtione potest sequi generatio, quamuis aliquando impediatur. Limitat tamen hanc sententiam Filliuc. (& non improbabiliter) modò saltem ea intentione semen ministratum sit à viro, vt vas intret fœminæ, alioquin per accidens omnino id eueniret. Affirmat tamen cum communi, oriri affinitatem ex copula cum fœmina dormiente, insana, ebria, inuita, vel ignorante, quia est apta generationi; oritur etiam ex copula perfecta, quamuis sit occulta, quia iura non distingunt, Nauarr. *consil. 1. num. 2. de consanguinitate.*

6 Nota tertiò, affinitatem ex se non habere propriè gradus, sed mensurandos, & computandos esse illius gradus, per gradus consanguinitatis, hoc est, quoto gradu aliquis est consanguineus viri, qui habuit copulam cum tali fœmina eodem gradu est affinis fœminæ ab illo cognitæ: & quoto gradu quis est consanguineus fœminæ cognitæ, eodem est affinis viro, qui eam cognouit. *De suerte que en el grado de consanguinidad, que estuuieren los parientes de la muger que conocio con la dicha muger, en esse mismo grado está el que la conocio con los dichos parientes della, y la dicha contrahe afinidad con los deudos del que la conocio en el mismo grado que los dichos están en consanguinidad.* v. g. cognouit quis Franciscam, quæ habet matrem, & auiam, Franciscus contrahit affinitatem cum matre in primo gradu, quia mater, & filia sunt in primo gradu consanguinitatis, & cum auia in secundo, quia auia, & neptis sunt in secundo gradu consanguinitatis; & sic deinceps: vir autem, & mulier se cognoscentes non contrahunt inter se affinitatem, nec dicuntur affines, sed stipes, seu origo affinitatis, quia se habent, vt vna caro, & origo affinitatis aliorum. Duplex assignatur linea affinitatis à Doctoribus tecta scilicet, & transuersalis, sicut in consanguinitate, eò quòd gradus affinitatis desumantur ex consanguinitate, quare qui est in linea recta cum fœmina, quam Petrus cognouit, erit etiam cum ipso Petro, & qui fuerit in transuersali cum illa erit in eadem cum Petro, & cum in consanguinitate linea recta alia sit ascendentium, alia verò descendentium, similiter in affinitate; linea ergo recta ascendentium, sunt socer, socrus, vitricus, & nouerca, descendentium gener, nurus, priuignus, & priuigna, collateralium linea in affinitate est eorum, qui sunt consanguinei collaterales fœminæ cognitæ, cum viro, qui eam cognouit, v. g. Petrus cognouit Franciscam, quæ habet fratres, aut sorores, aut consobrinos, qui sunt consanguinei collaterales, Petrus contrahit cum his affinitatem in linea collaterali, seu transuersali.

7 Nota quartò, consanguineos viri, & consanguineos fœminæ nullam inter se contrahere affinitatem, v. g. Petrus cognouit Franciscam parentes, aut fratres, aut alij consanguinei Petri, & parentes, fratres, ac alij consanguinei Franciscæ nullam contrahunt affinitatem cum consanguineis Petri; solum ergo contrahit eam Petrus cum consanguineis Franciscæ, & Francisca cum consanguineis Petri. Sanchez *lib. 7. disputat. 67. num. 2.* Henriquez *lib. 12. cap. 10. num. 2.* Bonacin. *qu. 3. de matrimonio, punct. 12. nnmer. 2.* & alij communiter *ex cap. super his de consanguinitate, & affinitate, & ex cap. non debet 8. de consanguinit. & affinit.* In quo Innocent. III. limitauit ad alias species affinitatis, de quibus *in titul. de consanguinit. & affinit. & Can. porro, & Can. de propinquis 35. q. 3.* & Filliucius *tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 6. num. 211.* ex Sanchez *vbi sup.* vnde hodie solum contrahitur inter dictas personas. Hinc fit, vt filia vxoris ex alio matrimonio habita, vel ex fornicatione, possit nubere filio, aut fratri viri. Item duæ sorores possunt nubere duobus fratribus. Item potest quis in vxorem accipere relictam à fratre suæ vxoris Item, filius potest diuersis temporibus accipere Titiam, & Bertam, quæ fuerunt vxores Caij fratrum. Item, pater viduus, & filius eius, possunt contrahere matrimonium, v. g. cum Berta vidua, & filia eius, Filliuc. *tom. 1. tract. 10 p. 2. c. 6. n. 219.* Ratio horum est, quia nullus textus id prohibet & ex alio capite affinitas non parit affinitatem, *ex d. c. super his de consang. & affin.* & quia affinitatem solum contrahit vir cum consanguineis fœminæ, & fœmina cum consanguineis viri; non verò consanguinei fœminæ, & viri inter se, vt dictum est.

8 Nota quintò, affinitatis impedimentum vna vice contractum, durare in perpetuum, quia quamuis deficiat tunc persona, quæ fuit origo, & principium affinitatis,

affinitatis, non tamen deficit subiectum affinitatis originatæ seu inductæ, & terminus illius; vnde quando Petrus cognouit Ioannam, etiamsi Petrus moriatur, Ioanna non poterit validè nubere cum consanguineis Petri, nec consanguinei Petri poterunt validè ducere Ioannam, Hurtad. *sup. diff.* 1. *num.* 1. & alij & deducitur ex iuribus citandis, & citatis, eo quod absolutè, & sine temporis determinatione loquantur.

9 Nota sextò, ex matrimonio rato tantum, nullam propriè induci affinitatem, sed impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, quod extenditur vsque ad quartum gradum, ex declarat. Pij V. in motu proprio incipiente: *Ad Romanum spectat* de quo *dub. anteced.*

10 His obseruatis respondeo, & dico primò, iure Ecclesiastico antiquo affinitas dirimebat matrimonium, vsque ad septimum gradum vtriusque lineæ inclusiuè, constat *ex Can. nullum*, *& Can. æqualiter* 35. *quæst.* 3. deinde de iure nouiori restricta fuit ad quartum gradum, patet *ex d. c. non debet* 8. *de consang. & affin.* & quamuis in hac restrictione textus expressè non loquatur de affinitate orta ex copula illicita, communi tamen DD. consensu receptum est, vt etiam de illa intelligatur, quod iure consuetudine introducto fuit obtentum, idque supponit Tridentinum *sess.* 24 *c.* 4. *de reform. matrim.*

11 Dico secundò, iure Ecclesiastico nouiori, cui standum est, affinitas orta ex copula licita, seu ex matrimonio cõsummato dirimit matrimonium futurum vsque ad quartum gradum vtriusque lineæ inclusiuè, sicut dirimit consanguinitas. Ita communis DD. constat *ex d. c. non debet*, vbi expressè habetur, hanc affinitatem dirimere vsque ad quartũ gradum: qui quidẽ textus non fuit correctus, nec restrictus, per Trid. *sess.* 24. *d. c.* 4. *de refor. matr.* nam ibi solum restrinxit affinitatem ex copula illicita, vsque ad secundum tantum gradum, nulla facta mentione de affinitate orta ex matrimonio consummato, & merito quidem, quia prior contrahitur occultè, & ex illa non amicitiæ, sed inimicitiæ oriuntur, at matrimonium fit publicè, & inde non inimicitiæ, sed amicitiæ originantur, ideo fuit conueniens restringere affinitatem ex copula illicita, non ex licita, seu ex matrimonio. Hinc fit Petrum, qui consummauit matrimonium cum Francisca, eu mortua, non posse validè contrahere cũ consanguineis Franciscæ vtriusque lineæ intra quartũ gradum, nec Franciscam posse nubere cũ consanguineis Petri intra eundẽ quartum gradum vtriusque lineæ: fit etiam, Petrũ cognoscentẽ consanguineas suæ vxoris intra quartum gradũ, & vxorem cõsanguineos viri intra eundẽ, committere incestũ, quia commiscentur cum affinibus.

12 Dico tertiò, iure etiam nouo, cui similiter standum est, affinitas ortae ex copula illicita, seu fornicaria dirimit matrimonium futurum, vsque ad secundum tantum gradum inclusiuè vtriusque lineæ, ita communis est que aperte definitum in Trid. *sess.* 24. *c.* 4 *de reform. matr.* his verbis: *Sancta Synodus eisdem, & aliis grauissimis de causis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo, & secundo gradu coniunguntur restringit, in vlterioribus vero gradibus statuit huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere* Hinc fit, in tertio, & quarto gradu non dirimere, imo nec impedire, quin possit validè, & licitè talis fornicarius contrahere matrimonium, vt declarauit Pius V. in motu proprio incipiente: *Ad Romanum*, ann. 1560. vbi dicit: *Declaramus, & authoritate Apostolica decernimus nullum hodie impedimentum remanere, quo minus in vlterioribus gradibus huiusmodi liberè, & licitè matrimonium contrahi possit.* Per fornicationem autem Trid. *vbi sup.* intelligit non tantum simplicem, sed omnem non coniugalem, vt adulterij, sacrilegij, incestus, & raptus, vt communiter Doctores, quia Tridentinum talem constituit affinitatem ortam ex fornicatione ab affinitate, quæ oritur ex matrimonio. Ex dictis constat, Petrum, qui illicitè cognouit Franciscam, non posse contrahere validè matrimonium cum consanguineis Franciscæ intra secundum gradum vtriusque lineæ, vt cum matre eius, aut auia, cum filia illius, aut nepte, cum sorore eius, & filia sororis, quia omnes hæ personæ sunt consanguineæ Franciscæ in primo, & secundo; consequenter nec Francisca poterit nubere cum patre, auo, filio, nepote, fratre, aut filio fratris Francisci. Constat etiam, si Petrus, qui cognouit illicitè Franciscam (similiter si Francisca), cognoscat illicitè consanguineos Franciscæ intra secundum gradum, committere incestum, quia accedit ad affines, & propinquos, quòd si accedat ad consanguineos fornicatæ extra secundum gradum, non committit incestum, quia non sunt ipsius Petri affines, eo quòd affinitas ex copula illicita non extendatur vltra secundum gradum. In iis omnibus communiter Doctores, vide Sanchez *lib.* 7. *disp.* 67. Villalob. 1. *part. tract.* 14. *diff.* 12. *&* 13. Hurtado *disp.* 20. *diff.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 3.

13 Dico quartò, affinitas superueniens matrimonio legitimè iam contracto non illud dirimit, vt habet communis, & deducitur expressè, *ex cap.* 2. *de consang. & affinit.* vbi statutum est, affinitatem superuenientem sponsalibus illa dissoluere, quasi significans, affinitatem superuenientem matrimonio non habere vim ad illud dissoluendum, bene verò ad dissoluenda sponsalia; quia sponsalia non sunt tam forte, & indissolubile vinculum, sicut est matrimonium: quod procedit, quamuis tantum sit ratum, nam hoc tantum dissolui potest per Pontificis dispensationem, aut solemnem professionem in Religione approbata, vt dixi *hoc lib. cap* 4. *dub.* 2. *&* 3. Hinc fit eum, qui promisit matrimonium Bertæ, si postea cognoscat eius sororem, non posse ducere Bertam, quia propter copulam cum sorore Bertæ fuit factus affinis cum sua sponsa Berta, & fuerunt sponsalia dissoluta. Quòd si reuera iam contraxerat legitimum matrimonium cum Berta, & postea cognoscit eius sororem, affinitas superueniens non dirimit illud, facit tamen, quod ille non possit petere debitum, modò infra explicando.

14 Sed quæres primò, vtrum affinitas dirimat matrimonium iure naturali. Ad intelligentiam aduerte, conuenire Doctores, ex copula coniugali oriri de iure naturæ affinitatem, etiam inter infideles, quia per illam coniuges efficiuntur vna caro, ratione cuius quilibet coniux fit affinis consanguineis alterius coniugis, vtpote accedens ad vlterius sanguinem: hinc est, vt apud omnes gentes oriatur amicitia inter affines, ideoque etiam apud illos sunt imposita nomina, ad significandam huiusmodi affinitatem, vt soceri, socrus, priuigni, nurus, &c. atque ita docet S. Thomas *dist.* 41. *quæst vnic. art.* 1. *quæst.* 1. Sotus ibi *quæst.* 1 *art.* 1. & alij apud Sanchez *disput.* 65. *num* 4. oritur enim ex matrimonio quædam amicitia inter affines, vt docet Aristoteles 8. *Ethic* 12. Differunt tamen Doctores, an etiam de iure naturæ oriatur affinitas ex copula fornicaria. Affirmant Coninch *disput.* 31. *num.* 49. & Hurtado *disp.* 20. *diff.* 1. *num.* 7. quia etiam fornicarij fiunt vna caro, & tradit Paulus 1. ad Corinth 6. *Qui adheret meretrici*,

meretrici, vnum corpus efficitur, erunt duo in carne vna. Oppositum tamen censeo probabilius, vt docent Nauarr. *conf.* 12. *de consanguinit. num.* 3. 4. & 5. Victoria *de matrim. num.* 216. Henriquez *lib.* 12. *c.* 1. *num.* 1. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 65 *num.* 9. Villalob. 1. *part. tractat.* 14. *diff.* 17. *num.* 10. & Filliuc. 1. *tom. tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 216. Quod significare videtur *in l. non facile, §. secundum est, ff de gradibus affinit.* dum dicitur, *neque cognationem, neque affinitatem posse esse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas coniungitur.* Et confirmatur, quia inter consanguineos viri, & fœminam fornicariè ab eo cognitam, non oritur vlla naturalis amicitia, sed potius inimicitia, & odium, & non sunt imposita nomina vlla tali coniunctioni.

15 In hac re conueniunt DD. affinitatem in secundo, & aliis gradibus non dirimere matrimonium iure naturali, quia nec id efficit consanguinitas, quæ est strictior propinquitas. Difficultas est, an in primo gradu dirimat matrimonium futurum iure naturali. Dico igitur, affinitatem in primo gradu lineæ transuersalis non dirimere matrimonium iure naturali. Ita S. Thom. 2. 2. q. 154. *artic* 9 *ad* 3. Caiet. *ibi* Sanchez *lib.* 7. *disp.* 66. *num.* 1. Basil. *lib* 7. *cap.* 34. Hurtado *disp* 20. *diff.* 3. *n.* 10. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 218. Villal. *part.* 1. *tractat.* 14. *diff.* 17. *num* 11. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *q* 3 *de matrimon. punct.* 11. *n.* 6 & Henriq. *lib.* 12. *c.* 9. *n.* 5. Et probatur, tum quia Pontifices in eo gradu dispensarunt, vt Innocent. III. cum Linouiniensibus, vt constat *ex c. fin. de diuort.* Alex. VI. cum Emanuele Rege Lusitaniæ, & Iulius II. cum Henrico Octauo, cuius dispensationem approbauit Clemens VIII. Tum quia id constat ex sacra Scriptura, quia Iacob vir sanctissimus Genes. 29. Liam, & Rachel sorores duxit, & Deut. 25. frater iubebatur ducere vxorem fratris sui defuncti absque liberis. Tum quia consanguinitas, quamuis strictior sit affinitate, non dirimit matrimonium iure naturali in eo, grado, vt dixi *supr.* Denique quia nulla inter affines lineæ transuersæ reperitur superioritas, aut quasi superioritas ex natura rei ac proinde dicta affinitas non dirimit matrimonium ex natura rei; imò neque impedit, quia si dirimeret, aut impediret, esset quia commixtio carnalis, ad quam matrimonium ordinatur, posset absque irreuerentia fieri. Nec obstat, Baptistam reprehendisse Herodem, quia duxerat vxorem fratris sui Philippi; quia id fecit, vel quia adhuc viuebat Philippus, vt testatur Iosephus 12. *Antiquit. cap.* 9. Nicephorus, & alij: vel si erat defunctus, vt credit, Chrysostom. *Hom.* 44. *in Matth.* non tamen obiit absque liberis, quia relinquerat puellam salatricem, quod erat prohibitum, Leuit. 18. qua lege Herodes, quamuis gentilis, tenebatur, quia erat filius Iudæi. Hurtado *supra* Bonacina *loco cit.* & Sanchez *vbi sup.* videndus. Maior difficultas est, an affinitas dirimat iure naturali matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, vt inter priuignum, & nouercam, inter priuignam, & vitricum, inter socerum, & nurum, inter socrum, & generum. Affirmant Sotus *in* 4 *dist.* 41. *quæst.* 1. *artic.* 3. Coninch. *disput.* 32. *dub.* 4. & alij. Probabilior tamen est pars negans, quam sequuntur D. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 9 *ad* 3. Caiet. *ibi.* Henriquez *lib.* 12 *cap.* 1. & 9. Basilius, Hurtado, Sanchez, Filliucius, Bonacina, & Villalobos *locis cit.* quia in istis nulla reperitur superioritas. Tum quia ij non sunt principium naturale alterius, nec apparet in illo repugnantia vlla fini primario, aut secundario matrimonij, & reuerentia solùm oritur erga parentes veros, non affines: & quia non apparet tanta indecentia inter has personas, quanta est inter consanguineos in primo gradu nec tanta turpitudo reperitur, quæ videatur sufficiens ad irritandum matrimonium iure naturali. Tum quia referunt D D. matrimonia apud gentes, & Iudæos celebrata in hoc gradu affinitatis: & facit, quod Pontifices non rarò pro foro conscientiæ dispensant in dicta affinitate, ex dicta copula fornicaria orta, cùm sit eiusdem rationis cum ea, quæ oritur ex copula coniugali, ex quo patet tale matrimonium necesse irritum, nec illicitum iure naturæ, quia nulla reperitur irreuerentia, etsi non desit aliqua indecentia. Hurtado *sup. n.* 13. & 14. Ex quo etiam patet, affinitatem in primo grado non dirimere iure diuino positiuo; non euangelico, quia tale ius non reperitur, nec veteri, Leuit. 18 quia lex vetus purè diuina cessauit morte Christi, restat ergo, quod affinitas solùm dirimit matrimonium iure Ecclesiastico explicato *concl.* 1. 2. & 3. Nec obstat Paul. 1. ad Cor. 5. dum dicit: *Auditur, &c. ita vt vxorem patris sui quis habeat*; nam loquitur, viuente patre, quo casu maxima illi irrogatur irreuerentia, & iniuria.

16 Ex dictis constat, non baptizatos validè contrahere matrimonium cum quauis sibi affine, vt cum priuignum cum nouerca, &c. quia quamuis ante baptismum contrahatur affinitas modo explicato initio huius quæstionis; tamen ante baptismum non dirimit, quia ius Ecclesiasticum, quo solo affinitas dirimit matrimonium, non ligat ante baptismum: si Infidelis baptizaretur, inualidè postea contraheret cum affine, ex affinitate orta ante baptismum, quia dicti affines iam post baptismum tenentur iure Ecclesiastico dirimente matrimonium. Quare si fidelis habeat copulam cū infideli, fit affinis sororis illius; vnde si hæc conuerteretur, non poterit illam ducere, nam quamuis illa antè baptismum contraxerit hanc affinitatem, contraxit tamen illam tempore, quo baptizata fuit, sicut qui habet copulam cum Ioanna, fit affinis cum sorore eius, quæ post multum temporis nascetur. Item, si fidelis habeat copulam cum infideli habente sororem fidelem, contrahit affinitatem cum hac, & consequenter non potest eam ducere, quia ipse, & illa sunt subiecti legibus Ecclesiæ, vnde si hæc infidelis, quæ habuit copulam cum hoc fideli, postea commisceatur cum alio, & concipiat ex eo filium, & baptizetur, vir fidelis, qui priùs habuit copulam cum illa infideli, fit affinis eius filiæ baptizatæ, sicque non poterit eam validè ducere. Quòd si quis infidelis aliam infidelem fornicariè cognouit, si infidelis conuertatur, potest ducere consanguineam illius fœminæ infidelis, nam vinculum istius affinitatis non erat naturale, cum secundùm probabiliorem, inter infideles non oriatur affinitas ex copula fornicaria; erit ergo Ecclesiasticum, & cùm non fuerint eo tunc adstricti, ideo sequitur, posse postea validè contrahere. Vide Henriquez *lib.* 11. *c.* 10. Sanchez *disp.* 65. & Filliucius *cap.* 6. *cit q.* 4. *num.* 215. qui *verb. Ex sponsalibus* tenet cum Sanchez *sup. n.* 7. & Henriquez, esse probabile, ex sponsalibus tempore infidelitatis celebratis non oriri vllum impedimentum, quia nullum vinculum naturale oritur, sed omnis prohibitio est à iure Ecclesiastico; cùm ergo post Baptismum non maneat vllum vinculum, ideo fidelis conuersus posset ducere vxorem eius, cum qua sponsalia celebrauit.

17 Quæres secundò, quid operetur affinitas superueniens matrimonio legitimè contracto, v. g. quando coniugatus cognoscit consanguineas vxoris, aut vxor cognoscit consanguineos viri: in hac re certum est, hanc affinitatem non dirimere matrimonium antecedens, vt dixi conclusione quarta. Dico igitur, vir cognoscens voluntariè, & liberè,

&

libere, & scienter consanguineam vxoris in primo, vel secundo tantùm gradu, non potest petere debitum ab vxore absque culpa peccati mortalis; tenetur tamen reddere. Idem dic de vxore liberè, & scienter cognoscente viri consanguineos intra secundum tantum gradum; non enim potest petere, sed tenetur reddere. Ita communiter DD. vt infra: & quidem quòd non possit talis petere, habetur *cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam*: quòd autem teneatur reddere, constat *ex cap. 6. 10. & 11. eod. tit.* Incurritur autem hæc pœna quamuis incestus sit occultus, nam affinitas etiam tunc contrahitur. Sanchez *lib. 9. disp. 27. n. 2.* & cum eo Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. n. 349.*

18 Dixi primò, *voluntariè, & liberè*, nam vis absoluta non priuat iure petendi, vt habetur expressè *cap. discretionem de eo, qui cognouit, &c.* Vnde vxor vi oppressa potest petere debitum: rationem dat textus dicens: *Iniustum quippe est, quemquam culpa immunem iure suo priuari.* Villalob. *part. 1. tract. 13. diff. 52 num. 6.* & alij, qui *num. 7.* ait, & benè, & cum aliis Bonacin. *tom. 1. quæst 4. de matrim. punct. 9 n. 5.* contra Ledesma *in sum. cap. 13. de matrim. concl. 13. diff. 1. vers. Dico lo quarto.* Sanchez *lib. 9. disp. 31. n. 4.* idem procedere, si fuit oppressa ob metum cadentem in virum constantem; hoc enim casu ius positiuum non obligat, consequenter non incurritur eius pœna, sicut nec eam incurrit, qui ius inuincibiliter ignorat, vt infra.

19 Dixi secundò, *scienter*, nam ignorantia, siue facti, siue iuris excusat ab hac pœna, vt docent Sanch *lib. 9 disp. 22 num. 47. & 49.* Villal. *sup. n. 8. & 9.* Ignorantia facti est, quando quis ignorat, eam, ad quam accedit, esse consanguineam suæ vxoris. Ignorantia iuris est, quando ille ignorat ius priuans illum iure petendi in hoc casu. Probatur hæc conclusio *ex cap. 1 de eo, qui cognouit, &c.* ibi: *Si quis cum filiastra sua cognouit scienter, &c.* Ex quibus colligitur, excusare ab hac pœna ignorantitam, etiam crassam, & culpabilem, modò non sit affectata, vt æquiparetur scientiæ. Probatur, quia textus dicit, *scienter*, quod verbum apertè significat, requiri scientiam dictæ prohibitionis. Nec priuatur iure petendi ille, qui scit eam, quam cognoscit, esse consanguineam suæ vxoris, & ex tali copula oriri affinitatem, ignorat tamen ius priuans petitione debiti, seu pœnam priuationis debiti esse his impositam, vt tenet Nauarr. *cap. 15. num. 47* Sanchez *lib. 9. disp. 32.* & cum his Bonac *tom. 1. q. 4 de matrim. punct. 1. n. 6. vers. Respondeo secundò.* Ratio est, quia ignorantia pœnæ excusat ab incurrẽda excommunicatione, irregularitate ex delicto, & aliis censuris; ergo etiam excusatur qui ignorat hanc pœnam.

20 Dixi; *consanguineam vxoris*, nam coniux, qui cognoscit propriam consanguineam, non impeditur à petitione debiti, nam textus citati solum loquuntur, quando vir cognoscit consanguineas vxoris, & vxor consanguineos viri. Et probatur, quia ratio, ob quam vir cognoscens consanguineas vxoris intra secundum gradum priuatur iure petendi, est, quia ex tali copula incestuosa oritur affinitas cum sua vxore, quæ quidem affinitas superueniens matrimonio non illud dirimit quoad vinculum, vt dictum est, sed tantùm facit, vt talis coniux non possit petere debitum; ergo cùm per talem copulam non fiat affinis suæ vxoris, eo quòd non cognouerit consanguineas vxoris, sed proprias, fit inde, vt non ex eo priuetur iure petendi. Ita communiter DD. apud Sanch *lib. 9. disp. 27 num. 7.*

21 Dixi quartò, *consanguineas in primo, vel secundo gradu*, quia si vir cognoscat consanguineas vxoris, & vxor consanguineas viri extra secundum gradum, non priuantur iure petendi. Sanch. *lib 9. disp. 2. num. 14.* Villalobos 1 *part. tract. 13 diff. 52. num. 4.* Bonacina *tom. 1. quæst. 3. de matrim. punct. 12. num. 19. vers Dixi.* Hurtado. *disput. 10. diff. 7. n. 29.* & alij. Ratio est, quia impedimentum non petendi debitum in hoc casu oritur ex copula incestuosa coniugum, ex qua oritur affinitas cum altero coniuge; at qui cognoscit consanguineas vxoris (& è contra) extra secundum gradum, non fit affinis suæ vxoris, quia affinitas ex copula illicita non extenditur vltra secundum gradum, ergo talis non prohibetur petere debitum. Vnde qui cognoscit consanguineam suæ vxoris in tertio, vel quarto gradu, committit quidem incestum, quia committetur cum consanguinea vxoris, & consequenter cum affinibus ipsius viri intra quartum; non tamen prohibetur petere debitum, quia affinitas, quæ oritur ex illa copula, cùm non excedat secundum gradum, non extenditur vsque ad vxorem; solum ergo prohibetur petere, si accedat ad consanguineas vxoris intra secundum; vt si cognoscat filiam, aut neptem, matrem, aut auiam, sororem, aut filiam sororis suæ vxoris; aut si vxor cognoscat fratrem, aut auum, filium, aut nepotem; fratrem, aut filium patris sui viri. Quod procedit, etiamsi copula sit occulta, nam iura non distinguunt, & ex alio capite affinitatis, vt dixi, & docet Sanchez *lib. 7. disp. 15. n. 13. & lib. 10. n 30.* Bonac. *sup. n. 22.* & alij oritur ex copula occulta. Nec requiritur ad hanc pœnam incurrendam sententia iudicis, sed statim in conscientia incurritur, nam cùm sit priuata nullam iudicis requirit authoritatem, & ita vsu receptum est, teste Sanchez *lib. 7. disput. 64. num. 18. & lib 9. disput. 30.* Reginaldo *lib. 31. num. 194.* & Bonac. *sup. vers. Addo.*

22 Ex dictis sequitur, coniugem innocentem, qui non fuit incestuosus, nec illi cooperatus est, posse petere debitum, quia non est causa affinitatis subortæ, nec incestus, ex quo orta fuit: in hoc omnes conueniunt, consequenter alter tenetur reddere. *c. discretionem de eo, qui cognouit, &c.* quia par non est, vt innocens damnum patiatur ob culpam delinquentis. Bonacina *supra num. 19. & 21.* & alij communiter.

23 Sequitur secundò, peccare mortaliter coniugem incestuosum petentem debitum, casu, quo iuxta dicta priuatus est iure petendi. Henriq. *lib. 12. cap. 2. numer. 8.* Ledesma *in summ. cap. 15. de matrimon conclus. 13. dub. 1.* Villalobos 1. *part. tractat. 13. diff. 52. num. 1.* agit enim in re graui contra prohibitionem Ecclesiæ.

24 Sequitur tertiò, vtrumque coniugem priuari iure petendi debitum, quando vterque copulam habuit cum alterius consanguineis intra secundum gradum, in quo omnes conueniunt cum Sanchez *libr. 9. disputat. 28.* quia vterque fuit causa affinitatis inter ipsos subortæ ex tali copula fornicaria; at si alter id fecerit animo defraudandi alterum, ne peteret, tenetur hic reddere. Addunt Bonacina, Ledesma, Sanchez, & Villalobos id etiam procedere, quando vxor v. g. non fuit quidem incestuosa, sed tamen consensit incestui viri, idque colligunt argumento à contrario sensu, *ex dict. cap. discretionem.* Quod quidem non probant Hurtado *sup. num. 28.* & Ochagauia *tractat. 3. quæst. 5.* quia id nullo iure statuitur, & argumentum à contrario sensu, ex quo id inferant, inefficax est, saltem ad inferendam pœnam: propter quod hæc opinio mihi videtur valde probabilis. Hoc tamen pro certo habe, quando ambo coniuges sunt incestuosi, si alter

Ignorat

ignotat alterius incestum, teneri durante ignorantia, teddere debitum.

25 Sed dices, peccabit ne coniux, qui non cooperatus est incestui alterius coniugis, si reddat debitum coniugi incestuoso petenti: communis affirmat teste Filliuc. *tractat.* 10.*part.* 1.c.9.*n.* 310. quia cùm non teneatur reddere, reddendo videtur cooperari culpæ petentis. Ipse tamen Filliucius cum Sanchez *l.* 9.*d.* 1. probabile existimat, & merito, reddentem in hoc casu non peccaturum, quia non cooperatur peccato alterius; nam alter peccat tantum petendo actum sibi prohibitum, at reddens non cooperatur petitioni, sed hac proposita, cooperatur actui ex se licito. Et confirmatur, quia qui est in pacifica possessione matrimonij, & non dubitat, potest reddere debitum petenti; ergo à paritate.

26 Nota eum, qui contracto matrimonio, sed nondum consummato, cognouit consanguineam vxoris intra secundum gradum, etsi non possit petere, teneaturque reddere, non tamen teneri ingredi Religionem, vt Bonac. *sup.n.* 23. & communiter DD. tenent. Ratio est, quia id nullo iure probatur, imò oppositio colligitur *ex c. discretionem, & c. tua fraternitatis de eo qui, &c.* eo quòd per illam copulam non sit priuatus obligatione reddendi.

27 Addit Bonac. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 12. *num.* 19. *vers. Secundus effectus*, coniugem incestuosum nocentem, non posse, mortua priore coniuge, aliam ducere, *cap.* 1. *de eo, qui cognouit, &c.* nam est impedimentum impediens tantùm, de quo infra. Superaddit tamen cum Azor, & Lessio, non posse in secundo matrimonio petere debitum, absque dispensatione, quod non probant, & meritò, Henriquez *lib.* 12.*cap.* 2. *num.* 3. & Sanchez *lib.* 9. *disp.* 67. quia nullus textus, nec ratio id conuincens adducitur.

28 Sed rogabis, quis possit dispensare, vt coniux incestuosus possit petere debitum, casu, quo prohibetur illud petere, iuxta superius dicta. Respondeo breuiter, & dico posse primo dispensare Commissarium sanctæ Cruciatæ, vt dixi in eius expositione *lib.* 2.§.4. *dub.* 3. Secundò Episcopus, vt dixi *loco cit.* & tenent Sotus *in* 4. *dist.* 39. cum multis Sanchez *lib.* 8. *disput.* 12.*num.* 13. & 14. in hoc enim casu fideles non ad Papam, sed ad Episcopum recurrunt pro huiusmodi dispensatione: possunt etiam Religiosi mendicantes per sua priuilegia dispensare, vt incestuosi petant debitum, de quibus Villalobos *part.* 1. *tractat.* 13. *diff.* 52. *n.* 10. Manuel Rodrig. *in Bulla* §.9.*n.* 143. & §.13.*n.* 1. & *in summ.* 1.*part.cap.* 258. Potiel. *verb. Prelat* & Sanchez *l.* 8. *de matrim.disp.* 56.*num.* 8. & *disput.* 11. & 55. Requiritur autem ad hanc dispensationem legitima causa, vt adsit periculum incontinentiæ.

29 Pro complemento huius dubij nota, contrahentes de præsenti in gradibus prohibitis consanguinitatis, vel affinitatis præter peccatum mortale incurrere excommunicationem non reseruatam, vt habetur Clementina *de consanguin. & affinit.* quam etiam contrahunt ipso facto Clerici sæculares initiati sacris, & Religiosi (non tamen fœminæ cum his nuptæ, nisi sint moniales) contrahunt etiam moniales nubentes, & quicumque cum illis contrahentes Ad hanc autem excommunicationem incurrendam, requiritur primò, quod ij scienter id faciant, nam in dicta Clementina habetur verbum, *scienter*; vnde excusat ignorantia crassa, & culpabilis, modò non sit ita affectata, & temeraria, vt æquiparetur scientiæ Nauarr. *cap.* 27. *num.* 141. vbi addit, & benè quòd si ignoranter contraxit, & postmodum perseuerauerit in cohabitatione, non propterea incurrit, quia dicta Clementina non excommunicat cohabitantes, sed contrahentes, Glossa *vbi verbo scienter*: at si vnus tantum sciebat, ipse solus erit excommunicatus, quia scienter agit contra dictam Clementinam. Secundò requiritur, vt adsit impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, vel Religionis, aut Ordinis sacri, vnde si contrahant alio quocumque impedimento irretiti, non contrahunt hanc excommunicationem, nam Clementina solum facit mentionem de illis impedimentis, & pœnæ non sunt extendendæ. Nauarr. *c.* 27.*num.* 45. Tertiò requiritur, quòd contrahatur matrimonium, siue consummatum, siue ratum tantum sit, vt cum Angelo *excommun.* 7. *casu* 41.*n.* 76. tenet Filliuc. *tom.* 1 *tractat.* 10.*part.* 2 *c.* 4. *n.* 158. At verius videtur non incurri, si matrimonium tantùm sit ratum, quia ex hoc non consurgit affinitas propria, sed iustitia publicæ honestatis; pœna autem restringenda est ad verba propriè sumpta. Hinc fit, non incurrere hanc excommunicationem contrahentes sponsalia cum aliquo ex impedimentis supradictis; nam Clementina loquitur de matrimonio per verba de præsenti. Item nec qui per verba de præsenti contrahunt, cum conditione, si Papa dispensauerit. Item nec qui absolute contrahunt, si neuter (bene verò si alter) contrahendi animum non habuerit; in foro tamen exteriori pro excommunicatis reputabuntur. Item, nec contrahitur per matrimonium clandestinum, quia nullum est matrimonium. Item, nec si contrahant per metum cadentem in virum constantem, nam lex humana, seclusо contemptu, non obligat cum tanto damno: igitur vt dicti contrahentes incurrant in dictam excommunicationem, requiritur, vt vere per verba de præsenti coram Parocho, & testibus, sine vi, & metu, scienter matrimonium contrahant: quam excommunicationem etiam incurrit Sacerdos matrimonio talium assistens. Quod si contrahentes existiment, se esse consanguineos, vel affines; re vera tamen non sunt, & vere contrahant, non incurrunt [illegible]ommunicationem hanc, & matrimonium valet. [illegible]e de omnibus his Ledesm. *in summ. c.* 15 *de matrim à conc.* 14. Caietan. *excommunicat.* c.47. Syluest. *eo verbo excommunic.* 1. Nauarr. *c.* 27.*n.* 141.

Dvb. XVI.

De impedimento impotentiæ.

1 AD intelligentiam suppone primò, impotentiam aliam esse intrinsecam, seu naturalem, quæ in viris dicitur, *frigiditas*, in fœminis, *arctatio*, aliam verò extrinsecam, seu non naturalem, vt in maleficio, quæ communis est vtrique sexui; vel ex castratione, quæ peculiariter conuenit viris. Secundò, alia est perpetua, vt quæ oritur à causa extrinseca, & quæ non potest auferri absque miraculo, peccato, vel periculo mortis, vel sine peccato. Alia temporalis, vt quæ oritur ex defectu ætatis, & à causa accidentali, & quæ potest auferri absque miraculo, peccato, vel periculo mortis. Tertiò, quædam impedit copulam, ita vt nullo modo possit esse vsus illius, vt si in viro sit abscissum membrum generationis; & in fœmina, si ita sit arcta, vel clausa, vt aperiri non possit. Quartò, quædam est impotentia non ad vsum, sed ad finem generationis, vt contingit in eunuchis. Demum alia est absoluta respectu cuiusque coniugis, vt frigiditas; vel abscissio membri, alia respectiua tantùm, respectu scilicet vnius, & non respectu alterius, vt si vir adeò sit debilis, vt non possit penetrare virginem, benè

vere corruptam, aut quia habet impar instrumentum, omnino tali fœminæ improportionatum. Ita communiter Doctores, & constabit clarius, dum de singulis agemus. Sit ergo.

2 Prima conclusio, impotentia naturalis absoluta, & perpetua in viro, quæ dicitur frigiditas, impedit, & dirimit, seu irritat matrimonium futurum. Est communis Doctorum apud Sanch. *lib 7. disp.93. num.3.* & Bonacina *quæst. 3. de matrimon. punct.13.* & habetur expresse *cap.1.& 3.de frigidis & maleficiatis.* Et ratio est, quia impotentia perpetua repugnat obligationi ad copulam coniugalem,& tollit mutuam ad eam obligationem:quæ ratio procedit, etiamsi potens coniuna id sciat, & insi suo cedat. Ampliatur hæc conclusio ad quamcumque causam, ex qua eiusmodi impotentia contingit, sive consurgat ea frigiditate, vt solet sæpius euenire, propter quam non potest vas penetrare, siue ex nimia calliditate, propter quam præproperè seminat, vt vas expectate nequeat, si id impedimentum est perpetuum, nec cessat per experientiam triennalem, vt infra,dirimit matrimonium.Idem dic,si impotentia proueniat ea abominatione mulieris,si adhibitis mediis,& experientia triennali, non cessat, erit dissoluendum. Filliuc.*t. tom tractat.10 part.2.cap.3.num.62.* cum S Thom. *in 4.dist.34.quæst.vnica,artic.2.* & Sanchez *sup. n. 13.* Ampliatur secundò, quamuis vir habeat potentiam ad penetrandum vas fœmineum, si potens non sit ad seminandum intra illud,si huiusmodi vitium sit perpetuum. Ratio est, quia in iis casibus non possunt coniuges fieri vna caro per copulam, quia deficiente semine non potest reputari copu a. Sotus *in 4. quæst. vnica, art 2.* Sylu.*matrimon. 8.q. 16. dict. 3.* Nauarr.*cap.22.num.59.* Villalob. *t.part. tractat.14.diff.18.num.3.* & cum aliis Sanchez *sup. num. 7.*& Filliuc. *num.7.* Valeret tamen matrimonium, si vir seminata posset intra vas, etiamsi impotens asset fœmina ad seminandum, quia ea valde probabili sententia, vt dixi *sup. hoc lib cap.3. dub.t.* semen fœmineum non est necessarium ad generationem, quamuis multum conferat. Ita Filiuc. *sup.* Sanchez *loco cit.num.9 & 10.* Villalobos *sup. num.4.*contra Hurtado *disp.22.diff.5. num.18.* & alios existimantes, semen fœmineum esse necessarium ad generationem, consequenter si fœmina non potest seminare, esse inhabilem ad matrimonium,quod non est improbabile, ideo in hac sententia tale matrimonium non esse validum. Item valeret matrimonium,ea sententia Sanchez & Filliucij *locis cit.*si vir partem seminis posset intra vas effundere, etiamsi non totum semen; nam illa pars sufficit ad consummandum, & efficiendam vnam carnem:esset tamen irritum matrimonium,si vir esset omnino impotens ad penetrandum vas. quamuis posset seminare extra vas,aut in ore vasis: tum quia hæc seminatio per se non sufficit, vt per eam coniuges fiant vna caro;id est principiū vnius carnis,etiamsi aliquando per accidens sufficiat,etiamsi fortè aliquando virtute naturali matricis intromittitur pars aliqua seminis sufficiens ad generationem, & consequenter ad affinitatem: tum etiam quia impotentia ad sic seminandum est,impotentia moralis ad seminandum, quia talis seminatio nequit fieri absque peccato. Ita Hurtado *sup.n.8.*

3 Secunda conclusio, impotentia naturalis absoluta,& perpetua in fœmina, quæ dicitur arctitudo, si sit fœmina tam arcta, vt non possit recipere semen intra vas, dirimit matrimonium, illudque omnino irritat.Ratio est eadem,quæ in viro, quia siue ex parte viri, siue ex parte fœminæ contingat impotentia seminandi intra vas,est inualidum matrimonium,quia non potest consummari, nec possunt fieri coniuges vna caro. Est commune. Idem dic, si fœmina quacumque alia ratione cognosci non possit:secus tamen,si susceptum semen retinere non posset intra vas, quia id satis est ad consummandum matrimonium, & ad efficiendam vnam carnem, vt docent Filliucius *supra n.64.* cum Sanchez *lib.7.disp.92.num.11.* Similiter valeret matrimonium (etsi oppositum improbabile non sit) si fœmina, suscepto semine, potest concipere,non tamen parere absque periculo mortis. Ita docent Henriquez *lib.12.c.4.n.8* Filliucius *loco cit.num.65.* Sanchez *sup num. 28.* & alij, quia periculum hoc non est perpetuum, sed temporale, & remotum. Idem dic de fœmina, quæ filios omnes pareret mortuos, nam hæc est habilis matrimonio. Sanchez *sup n.29.* & Filliucius *loco cit.*

4 Ex hac conclusione sequitur, fœminam arctam, quæ non potest fieri apta absque miraculo, vel absque peccato, vel non potest aperiri absque periculo mortis, esse inhabilem matrimonio,quia talis impotentia censetur,& est,perpetua, & absoluta:vnde si hæc contrahat matrimonium, est irritum,quamuis postea, matrimonio contracto,facta fuerit apta per miraculum. Sotus *in 4. dist. 34. q. vnica, art. 3.* Sanchez *lib 7.disp.93.* Coninch.*disp. 31.dub.7.num. 85.* Bonacina *tom.1. quæst.3. de matrim.punct.13 num.4.* Filliuc.*sup. num.69.* Vnde in tali casu, ad reualidandum tale matrimonium requiritur nouus consensus. Item,inualidum est matrimonium, quando mulier arcta non potest fieri apta absque arte magica fine peccato, quia talia impotentia censetur perpetua, & non possibilis; nam ea possumus,quæ licitè possumus;sic fœmina, quæ non potest aptari viro,nisi ab altero priùs cognoscatur, habet impedimentum perpetuum. Sanchez *l.7 disp.93.num 10.* Henriquez *lib. 12. cap.7. num.9,* Hurtado *disp.22. num.3* Filliucius *tom. 1. tract.10. part. 2. cap.3. num. 62.* Bonacina *loco cit. num.1.& 8.* & alij. Per periculum mortis intelligitur periculum vitæ,& periculum grauis, & perpetui morbi, quia hic morti æquiparatur, moraliter loquendo, vt benè Sanchez *disp. 93. à num. 16.* & cum eo Filliucius *loco cit.num. 69. in fine*, & Hurtado *sup. num. 4* & deducitur *ex cap. fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis*; vnde si talia contrahat, erit irritum matrimonium, quia arctitudo hæc censetur impotentia perpetua.

5 Sequitur etiam, fœminam arctam, quæ potest fieri apta aliqua arte, aut industria, aut incisione, fine miraculo, fine peccato, seu absque periculo vitæ, vel grauis morbi,esse aptam matrimonio, & matrimonium ab ea contractum, non esse irritum, quia talis impotentia non est absoluta, & perpetua, sed temporalis; at impotentia temporalis, iuxta communem sententiam, non dirimit matrimonium, consequenter erit validum cum illa celebratum,quamuis ipsa renuat incisionem,aut medicinam, nam attendenda est rei natura, secundùm quam in præsenti casu impedimentum non est perpetuum,sed temporale,cùm possit arte humana auferri absque probabili vitæ periculo. Henriquez *lib.12.cap.7.num.9.* Bonacina *sup.n.5.*Sanchez, Coninch, Filliucius,& alij communiter.

6 Dices tamen,vtrum coniuna naturaliter impotens, cui licitè, & absque periculo vitæ potest humano aliquo remedio subueniri,teneatur pati tale remedium, altero id exigente. Respondeo, & dico, quando defectus est in ipsa vaore ob extraordinariam arctitudinem, si iudicio medicorum potest fieri

ficri apta viro absque periculo mortis vel gravis morbi, tenetur pati incisionem cum aliqua molestia, & gravi dolore, non tamen cum incommodo gravis morbi, & multo minùs cum periculo vitæ. Ita Henriquez *lib.* 11.*cap.*7.*num.* 8. Sanchez *lib.* 7. *disp.*93.*num.*32. Sotus *in* 4.*dist.*34.*quæst.vnica, art.* 2. Filliucius *tom.*1.*tract.*10. *part.* 2. *cap.*3. *num.*70. Villalob.1.*part.tract.*14.*diff.* 18.*num.* 15. Hurtado *disp.*21 *diff.*7.*num.*24. & alij: Prior pars probatur, nam eo ipso, quòd vxor transtulit in maritum ius copulæ, necessarium videtur, vt se subiiciat aliquali molestiæ, & dolori,ne cogatur vir innoxius perpetuo esse in matrimonio absque fine illius:etenim cùm defectus sit in ipsa vxore,non videtur durum obligari ad gravem dolorem citò transiturum, ne alterum in perpetuum priuet debito. Posterior patet,quia durum videtur,fœminam obligari ad solutionem debiti cum tanto detrimento,ideo vir non habet ius ad sic cogendum illam ad incisionem.Quòd si defectus non sit in illa , sed in viro ob extraordinariam imbecillitatem ; ita vt solùm obstet ordinarium signaculum virgineum, Sanchez, & Filliucius *sup.* existimant , etiam teneri ipsam , absque magno incommodo reddere se aptam viro Hurtado verò *sup. n.*15. cum Ledesma *quæst.*58 *de matrim.art.* 1.teneri fœminam ad id non teneri, & quidem valde probabiliter , quia in fœmina nullus est defectus ad reddendum,sed tantùm in viro;ergo ipsi tantùm,& non vxori incumbit vti remedio , quod defectus ipsius suppleatur ; sufficit enim fœminæ offerre debitum modo ordinario: maximè , quòd fœmina (præcipuè virgo) podica, & honesta horreat corrumpi aliquo artificio. Aduertunt tamen Villalobos *sup. n.* 17. & Filliucius *num.*70. in casibus , in quibus iuxta dicta tenetur vxor pati incisionem, si non id facit , eo quòd vir cedit iuri suo,eùm matrimonium sit validum,licere inter ipsos amplexus , tactus , & oscula , modò absit periculum pollutionis ; sicut liceret, si impedimentum superueniret matrimonio.

7 Tertia conclusio , impotentia respectiua naturalis respectu vnius , & non alterius , si perpetua est, dirimit matrimonium contrahendum respectu illius , cuius est impotens, non verò alterius,respectu cuius non est impotens.Sanchez *lib.*7.*disp.* 92. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.*2.*c.*3. *n.* 66. *&* 67. Hurtado *disp.*22.*diff.*6.*n.*19.& alij.Quod deducunt *ex cap fraternitatis, argumento à minori ad maius;* & ratio est , quia matrimonium respicit particularem personam; ergo si respectu illius particularis est impotens in perpetuum , & non respectu alterius, illa impotentia dirimet matrimonium respectu illius, & non respectu alterius. Et confirmatur, quia naturaliter impotens respectiuè , est impotens,vt pro tempore impotentiæ fiat vna caro cum persona respectu cuius est impotens : vnde si mulier aliqua tam arcta sit respectu alicuius viri, vt ab eo ob excessum instrumenti penetrari non possit , respectu illius erit inhabilis ad matrimonium. Item, si vir ita debilis virtutis sit , vt virginem penetrare nequeat, benè verò corruptam,censetur inhabilis respectu virginis.Vide Sanchez *vbi sup.*

8 Quarta conclusio , impotentia naturalis perpetua, siue absoluta, siue respectiua, siue intrinseca, siue extrinseca ex maleficio orta,dirimit matrimonium contrahendum, non solùm iure Ecclesiastico, vt patet ex iuribus citatis,& cap. *quod sedem de frigidis , & malef. & cap.* 1. *num.*33. *q.* 1. & docent communiter Doctores,sed etiam iure naturali , vt docent Sanchez *disp.*98. *num.*2. Henriquez *lib.*12. *cap.*7. Conioch. *disp.* 31. *dub.* 7. Hurtado *disp.* 22. *diff.*9.*num.*30. Filliuc. *tom.*1.*tract.*10.*p* 2 *cap.*3.cum aliis Bonacina *tomo* 1.*q* 3.*de matrim.punct.*13.*n.*12. & alij cum S.Thom. *dist.*34 *quæst.vn.art.*2.*ad* 1. & quidem quoad impotentiam ortam ex frigiditate, habetur in motu proprio Sixti V. edito anno 1587. quem referunt Sanchez *disp* 92.& Basilius *l.*7.*c.*68. vnde si hæc dirimit iure naturæ etiam quæcumque alia eodem modo dirimet, quia omnium eadem est ratio, nam qui ea natura rei,siue physicè. siue moraliter,siue intrinsece , siue extrinsece est perpetuò impotens,est ea natura rei perpetuò ineptus , vt alteri tradat dominium sui corporis , & contrahat obligationem ad commixtionem carnalem , quia nemo potest ad id,quod impossibile sibi semper est, obligari;ergo ex natura rei,siue ex iure naturali est inhabilis ad contrahendum matrimonium Hoc autem procedit, etiamsi impotentia tantum sit respectiua, si vt talis,est perpetua, eadem enim est ratio, Filliuc *n.*72.& Sanchez *disp.*98. *n.*5. vnde quando vir non est omnino frigidus,quia scilicet verum semen emittat, sed præ nimio calore non capescat locum vasis,& sic emittit semen contra illud,vel ex indebita figura instrumenti non potest intra vas seminare,erit matrimonium nullum iure naturæ,modò nulla sit ea arte tale vitium medicabile sit , Filliuc. *n.*73. Hinc sequitur, matrimonium inter infideles contractum cum impotentia perpetua , esse etiam irritum,quia hoc impedimentum oritur iure naturæ,ad quod etiam infideles obligantur.Dixi in concl.*probabilius*,quia non est improbabile, dicere solum dirimere iure Ecclesiastico,vt docent Palud. D.Antonin.& Michael Med.apud Hurtado *sup.diff.* 9.*n.*19.conantur id deducere *ex c.*2.*de frigidis*,dum. dicitur: *Sicut puer,qui non potest reddere debitum,nō est aptus coniugio,sicque qui impotentes sunt, minimè apti ad matrimonia reputantur.* At in hoc capite matrimonia puerorum,& impuberum ex vna parte,& impotentium ex altera,tantum comparantur quoad nullitatē,non verò quoad ius,ex quo nullitas oritur, ideò hoc caput non est contra nostram sententiam.

9 Quinta conclusio, impotentia temporis ad eundum,quamuis sit naturalis,& absoluta, non dirimit matrimonium futurum , excepta impotentia ætatis, de qua infra. Ita Doctores communiter, & supponitur *in cap.fraternitatis de frigidis.* Et probatur,quia non dirimit iure positiuo,quia nullum extat,neque iure naturali,quia qui tantum est impotens ad tempus,potest ex natura rei ea tunc tradere dominium sui corporis ad vsum coniugalem postea possibilem , & ad eum à se postea soluendum obligare.Quod procedit,quamuis dicta impotentia ignoretur ab altero contrahente , nam error , vel ignorantia talis impotentiæ non tollit simpliciter finem matrimonij , adhuc enim matrimonium ordinatur ad copulam saltem pro tempore, quoad erit potentia coeundi.Hurtado *disp.*22.*diff* 5.*n.*17. Sanchez *l.*7 *disp.*91.*n.*5.Bonacina *q.* 3. *de matrimonio puncto* 14.*n.*11. *vers. Dixi* Verum tamen est , confitium suæ impotentiæ posse aliquando mortaliter peccare, non detegendo impotentiam , vt quando impotentia diu duratura est,nam tunc censetur decepitio grauis,vt benè Sanch.& Bonac.*sup.*

10 Ex dictis sequitur primò,validum esse matrimonium contractum à senibus,loquendo communiter,& regulariter.Ita communis apud Sanch. *l.*7. *disp.*91.*n.*19.Tum primò,quia possunt senes, sæpe habere perfectum actum coniugalem,& sæpe etiam prolificum. Secundò, quia nullus est senex, etiam decrepitus , qui aut vi naturæ , aut arte non possit inexcelscere ad actum coniugij,ex Gloss *cap. nuptiarum* 27.*quæst.*1.*verb.In quibusdam.*Tertiò,quia vsus Ecclesiæ

Ecclesiæ admittentis ad nuptias quoslibet senes, aperte testificatur, senectutem non obstare matrimonio: idem, & certius, dicendum de quacumque vetula, quia in ea minus obstat frigiditas ætatis, eo quòd patiens sit, & recipiat semen ab altero. Dixi *communiter, &c.* quia si aliquis senex ita esset exhaustis viribus, vt omnino impotens sit ad copulam, nec posset vlla arte inualescere. Sanchez cum aliis *sup. n.* 14. Sylu. *verb. Matrimonium* 8 *q.* 16. *dicto* 3. Sotus *dist.* 34. *quæst. vnica artic.* 2. Filliucius *sup. n.* 75. Hurtado *loco cit. n.* 17. *in fin.* Bonacina *sup. n.* 18. & multi alij asserunt, huiusmodi matrimonium esse innalidum, sicut etiam illius, qui etsi possit coire, non tamen seminate intra vas, quia nihil refert vnde impotentia proueniat, siue à natura, siue ex accidenti, modo sit vera impotentia, vt est in hoc casu. Nauarr. autem *cons.* 4. *de sponsal.* Tabien. *verb. Impedimentum. n.* 12. *quæst.* 2 existimant, hunc esse probabilem ad matrimonium, quia, aiunt, semper retinet habitu intrinsecam potentiam seminandi intra vas, & impeditam per accidens ob senectutem: cui quidem sententiæ magis facere videtur vsus communis nulli seni denegans matrimonium, ob idque hæc sententia non est omnino improbanda, etsi prior in rigore theologico verior sit. Infirmi autem qui sunt in articulo mortis, quamuis iam non possint coire; valide tamen tunc contrahunt, vt docent communiter Doctores, & probat vsus Ecclesiæ, quia horum impotentia non censetur perpetua, nam quamuis duret vsque ad mortem, id contingit per accidens ex defectu subiecti quia si subiectum non moreretur, tandem potentia fieret expedita. Hurtado *loco sup. citat.* Sanchez *lib.* 7. *disp.* 105. *n.* 3. & Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 10. *c.* 3. *n.* 89. per quod quidem matrimonium legitimatur proles naturalis antea habita, quæ legitimatio habet vim excludendi substitutum, modò non concurrat suspicio aliqua fraudis, de quo plura apud Sanch. *loco cit. à n.* 7.

11 Sequitur secundò, spadones, siue eunuchos vtroque teste priuatos, siue quia eis sunt euulsi, siue ita sunt contusi, seu attriti, vt sint inepti ad verum semen emittendum, esse inhabiles matrimonio iure Ecclesiastico, & naturali. Ita communiter Doctores, & declarauit Sixtus V. in suo proprio motu anno millesimo quingentesimo octogesimo-septimo, de quo supra his verbis: *Coniugia per quoscunque eunuchos, & spadones vtroque teste carentes, &c. nulla, & irrita, & inualida esse decernas, idque etiamsi fœmina censcia illius defectus velit cedere iuri suo.* Ratio est, quia vt docet Sanchez *disp.* 92. *n.* 17. ex Hippocrate, Galeno, & Aristotele, ij eunuchi, etsi vas penetrare possint, & humorem quemdam aquosum similem semini emittant, non tamen illud est verum semen, & prolificum, seu generationi aptum. Nec obstat, quòd matrimonium senum sterilium sit verum, nam emittunt verum semen, & eiusdem rationis cum fœcundo, & per accidens non generant. Quòd si vno teste tantùm careant, apti sunt matrimonio, nam ij emittunt verum semen aptum generationi, nam ille vnus testis potest ministrare spiritus necessarios generationi, vt docet Sanchez *l.* 7. *disp.* 92. *n* 15. 16. & 17. ea Cod. *si serua*, §. *si spadoni, ff. de iure dotium*, & Glos. fin. Ibi vide, Henriq. *l.* 12. *c.* 8. *n.* 1. Reginald. *l* 31. *n.* 102. & Bonac. *q.* 3. *de matrim. punct.* 13. *n.* 19.

12 Sequitur Tertiò, validum esse matrimonium inter steriles, Sanchez *sup disp* 92. *num.* 16. cum S. Thom. *loco cit. art.* 2. *ad* 3. & aliis Henriq. *lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 4. Reginald. *sup n.* 103. Filliuc. Bonac. & communiter Doctores. Probatur, tum quia ex Ecclesiæ vsu nunquam dissoluitur matrimonium ratione sterilitatis, imò passim admittuntur senes, qui vt plurimum sunt steriles. Tum quia inter ipsos intercedit copula apta ex sua natura ad generationem: quare valide contrahit fœmina sterilis; legitur enim in sacra Scriptura quasdam fœminas contraxisse, & in senectute concepisse, vt B. Elizabeth, & B. Anna mater B. Virginis Mariæ, & aliæ.

13 Sequitur quartò, validum esse matrimonium cum leproso, nam quamuis sit periculum contrahendi lepram, adest tamen potentia congrediendi, *cap.* 1. *de coniug lepros.* Bonac. *sup. num.* 15. & Doctores communiter. Item, quando potest fœmina reddere debitum, sed non nisi cum grauissimo sanitatis periculo, vel quando non potest absque graui periculo vitæ, vel quando credit fore, vt filij mortui in lucem edantur Sanchez *lib.* 7. *disp.* 92. & 101. & cum Coninch, & aliis Bonac. *sup. n.* 16. in iis enim casibus adest copula apta ad generationem.

14 Ea, quæ hucusque dicta sunt, procedunt de impotentia intrinseca, seu naturali: agendum nunc restat de impotentia extrinseca, seu non naturali, quæ dicitur maleficium: ad cuius intelligentiam suppone, maleficos posse reddere homines impotentes ad copulam, vt constat ex praxi Ecclesiæ, quæ post experientiam triennij tales separat à coniugio, *ex cap de frigid.* quod multis modis demum præstare pote st, de quibus Delrius *l.* 3 *disquisit. mag. part.* 1. *q.* 4 *sect.* 8. *per totam* præcipuè autem demum reddit viros inhabiles minuendo calorem, & impediendo spiritus, quæ duo sunt necessaria ad copulam; fœminas communiter per solam læsionem phantasiæ inhabilitat, aliquando etiam arctando vas fœmineum, contingere autem solet in fœmina, quando ipsa, vbi primum accedit ad virum suum, subito ipsum membrum abhorret, tanquam quid improportionatum, & distorme; in viro contingit, quando ipse aptatur ad copulam, & subito deprimitur membrum eius quando vult accedere, & si recedit, erigitur, & si vult accedere, deprimitur. Signum etiam maleficij est, quando vir respectu vnius est ligatus, potens verò respectu aliorum, de quibus vide Sanchez *l.* 7. *disp.* 94. Secundo suppone, maleficium aliquando causare impotentiam absolutè, & quoad omnes, aliquando verò tantum respectu vnius; nam demum qui voluntarie id agit, potest respectu vnius impedire, relinquendo potentiam liberam erga alios: de signis, quibus dignoscitur an impotentia proueniat ex naturali frigiditate, an verò ex maleficio, vide Sanch. *sup n* 5 & 6. Potest etiam maleficium esse perpetuum, aut temporale.

15 Seata conclusio, si maleficium sit perpetuum, seu si impotentia ex maleficio sit perpetua, dirimit subsequens matrimonium. Ita Sanchez. *lib.* 7. *dispu* 94. *num.* 8. Bonac. *tom* 1. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 13. *num.* 9. Villalobus 1. *part tractat* 14. *diff. num.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 3. *n.* 80. Hurtado *disp.* 22 *diff* 8 *n* 27. Coninch *disp.* 31. *dub.* 7. Basil. *l* 7. *c.* 63. & ferè omnes contra Almainum, Glossam, & Innocentium apud Hurtad. Probatur primò *ex cap final.* 33. *q.* 1. quamuis sit cuiusdam Archiepiscopi, quaad hoc tamen vsu totius Ecclesiæ receptum est: quod etiam non leuiter deducitur *ex cap laudabilem* 5 *de frigidu.* Item *ex cap. fin. de frigidu.* Quod omnes, præter Innocentium, intelligunt, & meritò, de impedimento maleficij, quia vir qui petebat separationem, dicebat se potentem ad omnes alias, præterquam ad vxorem, quod arguit maleficium. Potest etiam probari hæc conclusio iisdem rationibus, quibus probata est prima, nā si hæc impotentia est perpetua, non poterit illa persona maleficata tradere potestatem sui corporis, obligan

obligando se ad actum coniugalem sibi impossibilem ratione maleficij; parum enim refert, quòd impotentia perpetua procedat à causa naturali, aut à non naturali, seu extrinseca, modo sit vera impotentia perpetua, nam eodem modo sic impeditus, est inhabilis ad copulam coniugalem: procedit hæc conclusio, etiamsi maleficium sit perpetuum respectu vnius, & non alterius vt dictum est de impotentia naturali respectiua perpetua, tunc enim maleficium respectu illius, cuius est impotens, irritabit matrimonium, non verò respectu potentis. Dixi *si perpetua est*, nam si temporalis sit, non dirimit matrimonium, sicut cum communi de omni impotentia temporali dictum est, *sup. conclus.* 5. Censetur autem hæc impotentia perpetua, seu maleficium dicitur perpetuum, primò quando non potest auferri, nisi per aliud maleficium, nam illud, quod sine peccato auferri non potest habetur pro impossibili. Secundò, si tantum per miraculum auferri potest, secus si per exorcismos Ecclesiæ, nam tunc res est humana ope factibilis. Tertiò, quando non constat, an sit perpetuum, vel temporale, præsumitur perpetuum, si post triennium experientiæ non potuerunt coniuges consummare vt pluribus Sanchez *l.* 7. *disp.* 94. *à n.* 9 *vsque ad* 15.

16 An autem liceat, vno maleficio tollere aliud maleficium, aut petere à malefico parato maleficium soluere alio maleficio, vt illud soluat; aut an liceat maleficij signum destruere, ad obtinendam sanitatem, dixi in Decalog. *lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 13.

17 Septima conclusio, quando impotentia siue naturalis, siue extrinseca dirimit matrimonium futurum, dirimit illud, siue cognoscatur ab alio, siue ab eo ignoretur, imò etsi iure suo ad copulam cedat. Ratio est, quia ex natura rei repugnat mutuæ corporum traditioni ad vsum coniugalem (vt dixi *concl.* 1.) in quo consistit essentia matrimonij; non enim potest is, cui impossibilis est vsus, obligari ad illum, etiamsi alter admittat obligationem, & sciat. Et confirmatur *ex c. consultationi de frigidis*, vbi dicitur inter tales non posse consistere matrimonium: idem *cap laudabilem eod.* & nouissime Sixtus V. in motu proprio *sup. cit.* decidit matrimonia eunuchorum esse irrita, etiamsi scienter contracta sint. Et ita etiam docent Sotus *in* 4. *dist.* 34. *q. vnic. art.* 2. Henriquez *l.* 11. *de matrimon c.* 10. *& l.* 12. *c.* 8. cum aliis Filliuc. *tomo* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *c.* 3. *n.* 92. & Sanch. *disp.* 97. *num.* 2.

18 Octaua conclusio, quando ab initio, bona fide, contractum est matrimonium cum impotentia perpetua, & ignorata, & postea detecta est impotentia, & consequenter nullitas matrimonij, possunt ij non coniugati, sic permanere, & cohabitare, sicut frater, & soror, si absit periculum incontinentiæ, vt docent communiter Doctores, & conceditur expressè *in c. consultationi, & c. laudabilem, de frigidis*. non licent tamen illis tactus, oscula, & amplexus, sicut nec licent solutis; at ij reuera non sunt coniuges, soluti. Sotus *in* 4. *distinct.* 34. *quæst. vnic. artic.* 2. Nauarr. *conf.* 1. *de frigidis* Henriquez *l.* 12. *c.* 7. *n.* 7. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 94. Bonacin. *sup. n.* 20. & alij communiter. Quòd si adsit periculum incontinentiæ, non debet permitti, vt cohabitent, vt constat ex dicto motu proprio Pij V. Circa autem hæc spectat ad Episcopum: imò si non possunt continenter viuere, vt fratres, & non possunt separari absque scandalo, tenentur reclamare: idque locum habet, etiamsi impotens conscius suæ impotentiæ fœminam decepisset, neque eam propterea tenetur, vt sororem habere, & alere; vt cum multis docet Sanchez *hac disp.* 97. *n.* 10. etsi aliqui contra sentiant. Idem dic, si ambo suam impotentiam cognouissent, neque enim tunc tenentur, vt fratres cohabitare, vt contra aliquos docet idem Sanchez *n.* 11. & cum eo Filiuccius *tomo* 1. *tractat.* 10 *part.* 2. *c.* 3. *n.* 94. qui *n.* 95. cum Soto *in* 4. *distinct.* 34. *quæst. vnic. artic.* 2. *ad fin.* Lopez *de matrimon. c.* 52. & Sanchez *sup. n.* 13. addit, quando vir, & fœmina cognoscunt ab initio impotentiam, posse inire contractum, vt simul viuant, & habitent, vt fratres, non in ordine ad generationem, sed ad mutua obsequia in ordine ad naturalem vitæ, & officiorum societatem, modò absit periculum incontinentiæ. Ratio est, quia sicut possunt alios contractus ciuiles inire, ita & hunc; & quemadmodum possent ita permanere, si ab initio, bona fide, contractum esset, ita etiam à principio possunt ita conuenire: talis autem contractus nullo modo est, nec esse potest matrimonium, vt docent D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 34. *artic.* 2. *quæst.* 1. Ricard. *eadem dist.* Sotus *quæst.* 1. *artic.* 2. Sanchez *l.* 7. *d.* 97. Vazquez 3. *part. d.* 125 *c.* 7. & cum ijs Hurtado *disp.* 22. *diff.* 4. *n.* 10. nam dicta impotentia perpetua, non solum dirimit matrimonium contrahendum in ordine ad generationem, sed etiam in ordine ad naturalem vitæ, & officiorum societatem in diuerso sexu, quidquid Basilius *l.* 7. *c.* 56. cum Palud. *in* 4. *dist.* 34. idque videtur definitum à Sixto V. in dicto motu proprio, dum absque vlla distinctione matrimonij ad hunc, vel illum vsum absolute, sit, impotentes esse ineptos ad contrahendum matrimonium, & deducitur *ex dict. c. consultationi & c. laudabilem*, vbi absque vlla matrimonij distinctione, quando est impotentia ad coitum, dicit fœminam non posse haberi, vt vxorem, sed vt sororem: & ratio fundamentalis est, quia de essentia matrimonij est mutua corporum traditio in ordine ad commixtionē carnalem, & naturalem propagationem: sed dicta impotentia tollit hanc traditionem, & corporum dominium; ergo etiam tollit omnino matrimonium, non solùm in ordine ad generationem, sed etiam in ordine ad dictam societatem; ergo dicta societas nullo modo erit matrimonium.

19 Nona conclusio, impotentia perpetua subsequens matrimoniū, seu contingens post matrimonium, qualiscumque illa sit; non dirimit illud, quāuis tantum sit ratum, vt habet communis, & apertè colligitur ex *c. hi qui* 32. *q.* 7. vbi dicitur, ob nullam impotentiam superuenientem matrimonium cessare: idem *c. vxorem* 32. *q.* 7. Et confirmatur, quia matrimonium consummatum solum soluitur per alterius conuersionem ad fidem, & ratum per solam professionem, aut Pontificis dispensationem, vt dixi *hoc l. c.* 4 *dubio* 1. *&* 3. *dub.* 3. *&* 4. vnde si matrimonio superueniat furor, aut perpetua amentia, maleficium, aut virilium abscissio, non illud soluit, etsi tantum ratum sit; vide Henriq. *l.* 11. *c.* 5. *n.* 5. *c.* 17. *n.* 7. *& l.* 12. *c.* 8. *n.* 1. & Sanchez *l.* 7. *disp.* 102. *n.* 8. & Hurtado *disp.* 22. *diff.* 9. *n.* 32.

20 Difficultas tamen est, an quando impotentia superuenit matrimonio, possint illo coniuges vti: quo in casu dico, si vir incidat in eum morbum, vt nullo modo possit vas penetrare, vt si detruncetur, vel fœmina fiat arcta omnino, tunc accessus coniugalis illicitus est: quòd si probabilis spes sit seminandi intra vas, licitum erit conari ad copulam, quamuis per accidens effunderetur semen aliquoties extra; vtuntur enim iure suo, & parua effusio sequitur per accidens, Henriq. *l.* 11 *c.* 17. *num.* 7. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap* 3. *num.* 103. & alij apud Henriquez: si verò, contracto matrimonio vir vtroque teste orbaretur, non dubito, quin posset

vti matrimonio, quia vtitur iure suo, & quòd non emittat verum semen, est per accidens, sicut si ex morbo esset corruptum, vel ex ætate sterili, Sanch. cum aliis *disput.* 102. *num.* 7. & cum eo, & Tolet. Filliuc. *sup. num.* 13. Item, si fœmina cognouerit experientia se non posse prolem viuam edere, possunt ambo vti matrimonio, quia non tenentur vitare eiusmodi prolis damnum, cum proprio detrimento, & periculo incontinentiæ: si vero fœmina nequeat patere sine graui periculo, etiamsi non teneatur reddere, potest tamen, si velit, reddere, & petere; potest enim exponere periculo vitam ob magnum detrimentum abstinentiæ perpetuæ à coitu cum periculo incontinentiæ propriæ, & alterius. Tum, quia nec periculum ex partu solet adeò certum esse, nec certa conceptio futura: demum si mulier certa sit de viri impotentia, ex triennio iam transacto, sed id non potest probare, eo quòd vir negat, tunc neutrè potest petere, aut reddere, quia matrimonium est nullum. S. Thom. *dist.* 34. *in exposit. lit.* Sanchez *supra num.* 12. & Filliucius *loco cit.*

21 Decima conclusio, quando est in dubio, an impotentia præcesserit matrimonium, vel subsequuta fuerit, si impotentia est naturalis ex frigiditate, vel arctitudine, præsumitur præcessisse, quia naturalia solent esse perpetua, Abbas *cap. fraternitatis n.* 16. *de frigid.* Syluest. *matrimon.* 8. *quæst.* 16. *dict.* 29 & cum eis, & Hostiens. ac Ioann. Andr. Filliuc *tom.* 1. *tractat.* 10. *cap.* 3. *num.* 104. quòd si fit accidentalis ex maleficio, vel abscissione, tunc præsumendum est subsequutam esse, quando aliquod tempus intercesserit inter matrimonium contractum, & eius consummationem attentatam, consequenter non esse impedimentum dirimens: secus tamen quando breue tempus intercessit, tunc enim præsumitur præcessisse, quo modo, ait Filliucius, possunt conciliari prima, & tertia sententia relatæ, à Sanchez *disp.* 103. at Bonacina *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 13. *num.* 11. cum Henriq. *lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 3. & aliis absolute tenet, maleficium in dubio præsumi factum ante matrimonium, consequenter esse impedimentum dirimens, contra Sanchez *vbi supra num.* 5. existimantem, in dubio maleficium iudicandum esse factum post matrimonium. Id autem probat Bonacina primò, quia hoc modo fauetur proli. Secundò, atsi verum sit, in dubio iudicandum esse in fauorem matrimonij, hoc procedit, quando matrimonium potest sortiri suum effectum, id est, procreationem prolis; vel saltem fugam fornicationis, ne quod fauore alicuius inductum est, in eius damnum retorqueatur, *regul. quod gratia, de reg. iur. in* 6. at matrimonium non potest sortiri hunc effectum, iudicando maleficium factum fuisse post matrimonium; nam cum hoc maleficio non stat procreatio, & generatio: probabilis quidem sententia, non tamen recedo à sententia Filliucij, quia videtur æquior, & rationi conformior. Denique si dubitatur, an impotentia sit vera, nec ne, & an sit consummatum, si adhibita diligentia, dubium separari non possit, tunc præsumendum est in valorem matrimonij, nam matrimonium possidet, & dubitatur, an adsit impedimentum, quod non præsumitur adesse, nam potentia ad copulam est naturalis homini, consequenter quilibet præsumitur esse ad illam aptus, nisi aliud constet, & asserenti se esse impotentem ad generationem, incumbit onus probandi suam impotentiam, cùm habeat præsumptionem in contrarium. Ita Sanchez *sup. num.* 8. & cum eo Filliucius *loco cit. num.* 104. & Bonacina *sup. num.* 11.

22 Sed quæres primò, quantum temporis experientiæ concedatur ad declarationem nullitatis matrimonij, ob impotentiam perpetuam. Respondeo & dico primò, in foro conscientiæ, quando certò constat, impotentiam esse perpetuam, vt si adsit amputatio virilium, aut vtriusque testis, aridiras virilium, aut arctitudo mulieris; aut quando constat ferè certò de impotentia, id est, quando est probabile, esse perpetuá absque probabilitate oppositi, ex tunc coniuges non posse se maritaliter tractare; quamuis ad id per censuras compellantur: est commune teste Hurtado *de matrim. disp.* 22. *diff.* 11. *n.* 36. Ratio est, quia tunc est certum, aut ferè certum, matrimonium esse nullum: è contra verò quando est probabile, impotentiam non esse perpetuam, quamuis oppositum etiam sit probabile, ex tunc possunt se maritaliter tractare, quia prudenter tunc iudicatur, matrimonium esse validum. Quando verò non est certum, neque fere certum, impotentiam esse perpetuam & non est probabile esse perpetuam, sed est dubium, an sit, vel non sit perpetua, possunt coniuges in matrimonio, & eius vsu pro tempore aliquo perseuerare; quia in dubio habent ius inquirendi, an impotentia sit perpetua, quod aliter inquiri non potest, quam experiendo carnaliter commiscere. In hoc ergo dubio ad talem experientiam, concedit Ecclesia tempus triennij, vt habetur *cap. laudabilem* 5. *& cap. fin. de frigidis* quia id tempus videtur necessarium ad veritatem inueniendam, ac proinde vltra triennium nequeunt coniuges se maritaliter tractare, quando eo transacto constat impotentiam esse perpetuam; Triennium autem hoc experientiæ computandum est à die conatus ad copulam, seu à die copulæ attentatæ, vt docent Henriq. *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 1. Reginald. *lib.* 31. *num.* 107. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 107. Coninch. *disp.* 31. *num.* 83. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 112. & Hurtado *disp.* 22. *diff.* 9. *num.* 41. vnde non est computandum à die contractus matrimonij, nisi eo die copula fuerit attentata. Colligitur hæc computatio, ex *cap laudabilem*, vbi expresse dicitur, triennium computandum esse à die celebrationis coniugij, id est, à die intentatæ copulæ, quæ eo die intentari solet: quod habet locum in impotentia ratione frigiditatis, &c. quàm ratione maleficij, eadem enim est ratio: quæ quidem computatio eodem modo fieri debet in puero quatuordecim annorum, & in puella duodecim annorum, Hurtado *sup. n.* 41. quia ita indistinctè loquuntur, etsi Sanch. *sup. d.* 110 existimet, hoc tempus in puero esse computandum ab octuagesimo anno, & in puella à decimo quarto. Hoc autem tempus non requiritur, quòd sit mathematice continuum, sed morali modo, & ciuili iuxta communem cursum: vnde si per aliquot menses, vt quinque, vel sex, absens fuisset alter coniugum, posset eo completi, adijciendo tantum de tempore post exactum triennium, Hurtado *supra*, Filliucius *loco citat. num.* 113. & Sanchez *disp.* 111.

23 Dico secundò, in foro exteriori quando certò, aut ferè certò constat impotentiam esse perpetuam, quia signa sunt euidentia, aut ferè euidentia, tunc non est expectandum triennium, sed statim absque expectatione alicuius temporis, declarandum est matrimonium esse nullum, quia tempus tantum requiritur in dubio impotentiæ; quando verò neque fere certò constat iudici de impotentia perpetua, & vterque non fatetur impotentiam, quia alter negat, tunc necessaria est experientia triennialis ad declarationem nullitatis matrimonij. Idem etiam obseruandum est, quando vterque

vterque impotentiam fatetur, quia cum sit dubium de impotentia; quamuis vterque illam fateatur, potest dubitari, an sit perpetua. Sanchez *l.7. disput.*108. Basil. *l.7 cap.*66. & Hurtado *disput.* 12, *diff.*15. *num.*38.39.40. qui *num.*43. asserit, in dubio impotentiæ perpetuitatis, requiri hoc triennium pro foro exteriori, quamuis pro perpetuitate impotentiæ sit probabilis opinio, si pro non perpetuitate sit etiam opinio probabilis, quia in tanta contingentia, æquum est, vt experientia inquiratur veritas, & ante inquisitionem matrimonium non declaretur nullum à iudice: Hinc fit, si coniunx alter ante triennium exactum recedat propria authoritate, cogendum esse per excommunicationem ad cohabitandum, Sanchez *lib.7. disp.* 112. si vero post triennium ita discedat, probabilius est, quòd sponsus spoliatus restituatur, quoad, cohabitationem, quia alter non potuit recedere propria authoritate. Filliuc. *num* 114.

24 Quod si postquam declaratum fuit, impotentiam fuisse perpetuam, postea naturaliter, sine miraculo, & sine vitæ periculo, cesset impotentia, contrahentes sunt iterum coniungendi, quia matrimonium vere non fuit nullum, quamuis vnus ex illis iam sit sacris initiatus, imò quamuis iam sit Religiosus professus, si matrimonium fuit consummatum; nam ratum tantum professione dissoluitur: professus autem, & sacris initiatus ad coniuges redeuntes, quamuis reddere teneantur, non tamen possunt petere, eo quòd voto castitatis sint adstricti. Hurtado *supra num.*42. si verò in hoc casu vterque in Religione profiteatur, valet professio, & dissoluitur matrimonium, si tantum fuit ratum, Bonacin. *quæst.*3. *de matrimon. punct.*13. *n.*23. cum Sanch. *disput.*99. Henriq. *lib.*12. *cap.*7. & aliis. Quòd si in dicto casu vnus coniunx professus est in Religione, & alter contraxit secundas nuptias, si matrimonium erat tantum ratum, validæ sunt secundæ nuptiæ, nam professio dissoluit matrimonium ratum; si autem matrimonium erat consummatum, inualidæ erunt secundæ nuptiæ, nam vinculum prioris matrimonij adhuc perseuerat, nec dissoluitur per professionem. Idem dic, si contrahat secundas nuptias ante professionem alterius, quamuis matrimonium sit tantum ratum, nam hoc non dissoluitur per solum ingressum in Religionem, sed per legitimam professionem, vt dixi *supra hoc lib.* vide de his Sanchez *dict. disput.* 99. & Bonacin. *loco citato num.* 22.23.24. *&* 25.

25 Quæres secundò, quænam probationes requirantur, & sufficiant, ad declarandum matrimonium esse nullum ob impotentiam perpetuam præter experientiam triennij, modo explicato *in quæst. anteced.*

26 Dico primò, si sint signa euidentissima, vt amputatio virilium, carentia vtriusque testis, dissoluendum est statim matrimonium, nec expectandum est triennium, nec requiritur iuramentum propinquorum, quia cum manifeste constet impotentia, contra legem naturalem esset, permittere copulam. Si verò signa sint euidentia verosimiliter, vt arctitudo fœminæ, tunc non requiritur triennium experientiæ, sed iuramentum coniugum, qui asserant, se non posse habere copulam, & septimæ manus propinquorum, id est septem consanguineorum, qui iurent, se credere, quòd coniuges verum dicant DD. *in capit. laudabilem de frigid.* Sanchez, *lib.* 7. *disput.* 107. *num.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.*10. *p.*2 *cap.*3. *num.*106. Hæc autem procedunt de impotentia naturali, nam in maleficio requiritur triennium experientiæ, nam eo quòd accidentalis est, præsumitur posse remoueri, adhibitis remediis. Abb. *in dict. cap. laudabilem,* & alij: & post triennium est etiam assignandum à iudice tempus arbitrarium, vt coniuges vacent orationi, & operibus pœnitentiæ, vt colligitur ex *cap. fin. de frigidis.*

27 Quòd si signa sint tantum præsumptiuè probantia, & consequenter impotentia dubia, & vterque coniunx illam fatetur, requiritur triennium experientiæ, quia dubitatur de impotentia, & ex confessione vtriusque coniugis non est vera probatio, Sanchez *supra diff.* 108. *num.* 5. quo in casu vltra triennium, & iuramentum vtriusque coniugis, requiritur etiam iuramentum septem consanguineorum vtriusque coniugis, & his deficientibus, adhibendi sunt septem vicini cuiuslibet coniugis, qui sint bonæ famæ; si tot haberi non possint, sufficient pauciores arbitrio Iudicis, Gloss. *in cap. requisiuisti* 33. *quæst.* 1. *verbo, septima manu,* sanct. Thom. *in* 4. *dist.* 34. *in fin. & in exposit. lit.* Nauarr. *consil.* 1. *de frigidis,* & cum aliis Sanchez *supra num.*7. & cum his Filliuc. *num.* 107. Quandò verò impotentia certa non est, & mulier affirmat esse impedimentum, & vir negat, si fœmina proclamat initio matrimonij, vt post mensem, vel bimestre, audienda est, *ex cap.* 1. *de frigidis,* Sanchez *disputat.* 109. *num.* 26. quo in casu si mulier erat virgo tempore matrimonij initi, est matrimonium dissoluendum, accedente tamen prius inspectione coniugum per medicos, & matronas, & probatione impotentiæ viri per aliqua signa: si verò corrupta erat, probabile est satis esse iuramentum ipsius, & septem propinquorum eius cum aliquibus signis impotentiæ. Abb. *cap.* 1. *de frigidis, num.* 5. Sanchez verò *num.* 18. cum aliis vlterius requirit, vt vir conuincatur per aspectum, esse impotentem, vel expectandum triennium. Quòd si fœmina non reclamauit statim post bimestre à copula intentata, audienda non est, sed fidès adhibenda est viro fatenti, se consummasse, *ex eodem cap.* illis verbis: *Illa autem, si prior post annum, aut dimidium, &c.* Abb. *ibi num.* 5. & alij, Sanchez *supra num.* 4. & cum iis Filliuc. *sup. num.* 109. Nihilominus tamen in quibusdam casibus audienda esset post bimestre: primò, si per certa signa vxor intenderet viri impotentiam: secondo, si per inspectionem probet se virginem, nec cognitam à viro: tertiò, si post triennium reclamat, tunc enim si per aspectum probet se virginem, & accedat iuramentum septimæ manus propinquorum, dissoluendum erit matrimonium, *c. laudabilem de frigid.* Glossa *verbo iustum.* Abb. *in fin.* & alij. Quartò, si mulier asserat, se cognitam à viro, potius illi credendum est, quàm viro neganti, nisi vir contrarium probet, non enim credendum est eam velle habitare cum viro impotente, & in dubio fauendum est matrimonio, nisi conuincatur per aspectum esse virginem, Sanch. cum aliis *supra num.* 9. Filliuc. *loco cit.*

28 Ex dictis infertur, si mulier corrupta duxit matrimonium, & prætendat virum esse frigidum, & non reclamauit initio matrimonij, si per aspectum viri non possit cognosci, an sit frigidus, nec ne, habendam esse fidem potius viro asserenti, se consummasse, quàm vxori neganti. Infertur etiam idem dicendum de viro proclamante contra matrimonium ratione arctitudinis fœminæ, quod dictum de muliere reclamante contra matrimonium ratione frigiditatis viri; nam quamuis, *cap.* 1. *de frigid.* sermo sit de sola fœmina, quia de illa casus fuit propositus, tamen eadem est decisio, quia

eadem est ratio, & cum sint correlatiua, quod de vno disponitur, etiam de altero dispositum esse censetur *l. fin. Cod. de indic. viduit.* Filliucius *loco citat. n.* 110. vide Sanch. *locis cit.*

29 Quales autem debeant esse matronæ depositura de sponsæ virginitate, quibusue diligentiis præmissis deponere debeant, & alia ad id pertinentia, vide apud Sanch. *lib. 7. disp.* 117. vbi de iis late, *& disp.* 114. vbi probat posse proclamare, non solùm coniugem potentem, sed etiam impotentem, vtriusque enim interest dissolui matrimonium, viri quidem, ne sustineat onera matrimonij irriti, mulieri, verò, vt possit recepta sua dote, & libertate, separari ab eo qui non est suus vir, nec ratione, aut Canone cogi potest, vt habitet cum eo viro tanquam soror: sed de iis satis, quia pertinent magis ad forum externum. Vide Sanch. *disp.* 114.

30 Quæres tertiò, an soluto matrimonio propter impotentiam vnius, possit alter transire ad secundas nuptias. Respondeo, & dico, si dissoluatur ratione frigiditatis in viro, hic ad secundas nuptias transire non potest, quia vel hic est impotens, vt prius, & sic secundum matrimonium etiam erit irritum; vel est factus potens, & sic obstabit primum, quia remanet validum, eo quòd solutum fuerit falsa præsumptione, ideo restaurandum prius matrimonium, ad quod satis est probare, eum consummasse secundas nuptias, vel fornicatum fuisse. Quòd si vxor separata à frigido alij nupta est, potest relinqui pacifice in secundo matrimonio, donec legitimè probatum sit, frigidum esse potentem, & tunc restituenda erit illi; si verò non est nupta, & velit nubere, deneganda est illi licentia, donec constet, an vir separatus ob frigiditatem consummauerit cum secunda, vel fornicatus fuerit, de quo Sanchez *disp. 99. quæst.* 1. & Filliuc. *tomo* 1. *tract.* 10 *part.* 2. *num.* 96.

31 Dico secundò, si dissoluatur ratione arctitudinis in fœmina, tunc si illa alteri nupta ab eo cognita est, restaurandum est primum matrimonium, si inter primum, & secundum virum similitudo sit, *ex cap. fraternitatis de frigidis*: si verò dissimilitudo, non dissoluendum secundum, quia validum: intellige hoc, si prius matrimonium fuit solutum non ratione arctitudinis absolutæ, sed respectiuæ, nam si absoluta sit, semper matrimonium erit nullum. Filliuc. *sup. num* 97.

32 Dico tertiò, si matrimonium legitime per Ecclesiam soluatur ratione maleficij, facta hac solutione, concedenda est vtrique coniugi licentia transeundi ad secundas nuptias, si velint, *ex cap. fin.* 33. *quæst.* 1. vbi deciditur, separatam ratione maleficij, si ad alias nuptias transierit, non esse restituendam priori matrimonio, etiamsi cessaret impotentia ex maleficio. Ratio est, quia maleficiatus regulariter est impotens tantum respectu vnius, vel alterius, non absolute, ideoque poterit legitime coniungi cum alio. Sanchez *lib. 7. disp. 99. quæst.* 3. *num.* 21. Quòd si hic vir dissoluto matrimonio, primam vxorem fornicarie cognosceret, instaurandum est prius matrimonium, quia experientia constaret, iudicem fuisse deceptum, Syluest. *matrimon.* 8. *quæst.* 26 *dub.* 8. & cum aliis Sanchez *disp.* 99 *num.* 25. Filliucius *num* 95.

33 Ex his sequitur, dissoluto matrimonio causa frigiditatis viri, fœminam posse alium ducere, non autem virum, quia ipse, & non ipsa est impotens, quòd si vir hic ineat aliud matrimonium, inualidè init, quia adhuc præsumitur ineptus ad matrimonium. Sanchez *disp.* 93. *num.* 37. Coninch *disp.* 31. *dub.* 7. *num.* 8. & Bonacin. *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 13. *n.* 8. si verò post separationem probat, se non esse frigidum, vel quia fornicatus est, vel quia secundas nuptias consummauit, restituendus est primæ vxori, quia validum fuit primum matrimonium, eò quòd reuera impotentia non fuit perpetua. Idem dic de muliere, quæ separata fuit à viro propter præsumptionem impotentiæ prouenientis ex arctatione, nam si postea cognoscatur apta, restituenda est priori viro, modò non sit reddita apta per fornicationem cum alio, nam sic censetur impotentia perpetua, vt dixi *supra*, & docent Henriquez *l.* 12. *c.* 7. *num.* 9. Sanchez *lib. 7. disp. 93. num.* 10. Bonacin. *supra* & alij.

34 Quomodo autem retractanda sit sententia data, comperto errore, & coram quo iudice: item, an comperto errore, integrum sit coniugi potenti celebrare diuortium, vide apud Sanchez *disp.* 99. *quæst.* 6. nam hæc potius sunt fori externi, quàm interni.

35 Quæres quartò, vtrum hermaphroditus possit valide contrahere. Hermaphroditus dicitur, qui habet vtrumque sexum, virilem videlicet, & fœmineum.

36 Dico igitur, si in hermaphrodito præualeat vnus sexus, potest iuxta sexum in eo præualentem inire matrimonium, vnde si præualet sexus virilis, potest contrahere cum fœmina; si fœmineus, cum viro, nam censetur illius sexus, quo præualet. Sanchez *lib. 7. disp.* 106. Coninch. *disp.* 31. *dub.* 7. Syluest. *hermophrodit. fin.* Nauarr. *consil.* 8. *de ætate, & qualitate, & consil.* 47. *de regular.* Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 90. Hurtado *disput.* 12. *diff.* 10 *num.* 34. Bonacin. *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 13. *num.* 27. Ex quo sequitur, irritum esse matrimonium contractum iuxta sexum minus præualentem, esset enim tunc matrimonium inter duas personas eiusdem sexus, ideo inualidum iure naturæ, nam si præualet sexus fœmineus, censetur fœmina, consequenter non potest cum fœmina contrahere; si præualet virilis, non potest cum viro nubere, eo quod censetur nuptias celebrare cum persona eiusdem sexus. Nihilominus tamen si iuxta sexum minus præualentem est potentia ad copulam, non est improbabile matrimonium contractum iuxta illud esse validum, vt cum Basilio *cap.* 65. tenet Hurtado *supra num.* 35. iudicare autem, quisnam sexus præualeat, spectat ad Medicos, & ad Matronas peritas: in dubio autem iudicium ferendum est, ex ipsius hermaphroditi assertione. Bonacin. *sup. num.* 18. Sanchez, & alij.

37 Dico secundò, si vterque sexus est æqualis, tunc in optione illius est eligere quem voluerit, & secundum illum contrahere matrimonium. Ita citati, qui aduertunt, & bene, Parochum antequam tali matrimonio intersit, debere prius hermaphroditum, coram iudice Ecclesiastico protestari quo sexu vti valet, vno autem electo, non potest amplius alium eligere, sed in eodem debet semper perseuerare, & debet iurare, se nunquam vsurum alio sexu, *argumento cap. Presbyteros* 16. *quæst.* 1. *& cap. diuersis de Cleric. coniug.* Dato tamen, quòd viduus factus mutaret electionem, matrimonium validum esset, quia est æquè vir ac fœmina, nec eius electio abstulit, quod natura tribuerat: peccaret tamen grauiter, mutando electionem, vt ait Bonacina *num.* 29. non tamen est improbabile, non peccare saltem mortaliter, si in protestatione non iurauerit se non mutaturum electionem sexus, vt tenet Hurtado *supra num.* 34. Vide de his Henriquez *lib.* 14. *capit.* 8. *num.* 6.

num. 6. Sanchez *dict. disput.* 106. & alios supra citatos.

38 Sed dices, hermaphroditus, si in eo vterque sexus est æqualis, non potest ordinari, neque profiteri in Monasterio; ergo neque nubere poterit. Respondeo, esse disparem rationem, nam fœmina est incapax ordinis, non autem matrimonij, & ad professionem etiam est inhabilis ob periculum peccatorum carnalium, si vel apud viros, vel apud Moniales profiteretur. Vide Sanchez *lib. 7. disput.* 106.

39 Quæres quintò, quid iuris de impotentia temporali, defectu ætatis.

40 Suppono, ad validitatem matrimonij de iure Ecclesiastico requiri pubertatem, id est, quòd vir habeat quatuordecim annos completos, & fœmina duodecim etiam completos: vnde matrimonium contractum ante dictam ætatem est irritum eodem iure, vt habet communis *ex c. continebatur de disp. impuber. & ex cap. liberis, cap. puberes cap. attestationes, eod.* debent prædicti anni esse completi mathematicè (nisi malitia suppleat ætatem, vt infra) vt ex dictis iuribus colligitur, & docent communiter DD. apud Sanch. *lib. 7. disput.* 104. Basil. *lib. 7. cap. 65.* aut quòd saltem sit inchoatus vltimus dies, vt docent Sanchez *supra* Filliuc. 1. *tome tract.* 10. *part. 2. cap. 3. num. 84.* & Coninch. *disput.* 31. *n.* 51. fauore matrimonij, sicut fauore testamenti deciditur, *l. qua ætate, ff. de testam.* aliter enim matrimonium erit nullum, vt patet à simili de testamento, & professione; non tamen est improbabile sufficere, eam ætatem esse completam moraliter, quando scilicet duo, aut tres dies deficiunt ab impletione quatuordecim, aut duodecim annorum, vt cum Ledesm. tenet Bonac. *tom. 1. q. 3. de matrim. punct.* 13. *num.* 11. etsi ipse, & bene, asserat, hoc non esse facilè admittendum: assignatum autem est hoc tempus à iure tanquam sufficiens, & necessarium, quia his temporibus censentur contrahentes apti ad generationem, & quia hæc potentia tardius reperitur in viris, quàm in fœminis, ideo assignantur in fœminis duodecim anni, & in viris quatuordecim. Sanchez *lib. 1. disp. 17. num. 2.*

41 Dixi, *de iure Ecclesiastico*, nam ad validitatem matrimonij, de iure naturæ non requiritur illa ætas, sed sufficit, quòd contrahentes habeant vsum rationis (modò non obstet aliud naturale impedimentum) quia habentes vsum rationis ex natura rei apti sunt ad se obligandum ad actum coniugalem postea possibilem, ideo matrimonium ante pubertatem contractum, si habeant vsum rationis iure naturæ, non est irritum: & confirmatur, quia impotentia temporalis non dirimit iure naturæ, matrimonium, vt diximus *conclus. 6.* sicut nec dirimit morbus, qui reddit hominem inhabilem multos annos ad copulam; & quamuis pueri pro tunc non sint apti ad copulam, erunt tamen pubertate accedente. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 7. num. 1.* Sanchez *lib. 7 disput. 104. num. 19.* Nauarr. *consil. 39. de dispensat impuber.* Bonscin. *quæst. 3. de matrim. punct. 13. num. 10. versic. Dixi,* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. cap. 3 num. 85.* Hurtado *disp. 22. diff. 12. num. 44,* & communiter DD. cum S. Thom. *in 4. dist. 36. quæst. vnic. artic. 5.*

42 Dixi etiam, *nisi malitia suppleat ætatem*: hoc est, nisi habeant sufficientem discretionem ad intelligendam vim obligationis coniugalis, & potentiam ad copulam: nam tunc matrimonium ante pubertatem, etiam iure Ecclesiastico est validum. Ita citati, & communiter Doctores, & constat *ex c. continebatur, & cap. de illis 9. cap. fin. de desponsat. impuber.* Tempus autem, quod malitia supplet ætatem, debet esse proximum pubertati, vt constat *ex dict. cap. continebatur, & cap. de illis 9.* tempus vero dictæ ætati proximum, secundum aliquos est illud, quod à pubertate non distat amplius, quam sex menses, alij in pueris dicunt esse tempus excedens annum decimum, & dimidium; & in puellis, nonum, & dimidium, Sanchez verò, *supra lib. 7. disput.* 104. id relinquit arbitrio iudicis, vt illud assignet, quia nihil videtur iure præscriptum: demum Hurtado *disp. 22. diff. 12. num. 46.* existimat, tempus proximum pubertati, à quo malitia supplet ætatem, esse, cui non deficit plus quàm vnus annus integer, vt significatur *in dict. cap. continebatur*: vnde, inquit, puella, quæ vndecim habet annos completos, & puer qui habet tredecim, sunt proximi pubertati, vt quando malitia suppleat ætatem, possint matrimonium contrahere; ex his oppinionibus tertiam, & quartam existimo probabiliores. Quando vero dubitatur, an malitia suppleat ætatem, præsumendum est, non supplere, consequenter tunc non posse matrimonium valide celebrari: quare asserenti, malitiam supplere ætatem, incumbit onus probandi, cum habeat præsumptionem contra se. Sanchez *supra num.* 4. Bonacina *quæst. 2. de matrimonio, punct. 13. num. 10. versic. Dixi.* & communiter Doctores, Coniecturæ autem ad cognoscendum, an malitia suppleat ætatem, sunt. Primò, si fœmina impubes fuit ab alio cognita, vel si impubes aliam cognouisset. Secundò, nixus ad copulam fecit præsumere illam. Tertiò, etiam copula non habita, potest probari potentia ex aliis signis arbitrio iudicis, inspecta personæ qualitate, membrorum dispositione, & bona valetudine. Quartò, menstruum in fœmina sufficit ad probandam aptitudinem ad generationem, nam tunc valet concipere. Quintò, si puer aptus sit ad effusionem seminis, præsumitur quoque aptus matrimonio. Sextò, sola lanugo in membris genitalibus non arguit potentiam generandi, quia neque omnes pilosi potentes sunt, neque omnes non pilosi impotentes. Vide Sanchez *lib. 7. disput. 104. quæst. 5.* & Filliucius *supra num.* 88. & Villalobos *1. part. tract. 14. diff. 22. num. 7.*

43 Dices, quis possit dispensare, vt matrimonium contrahatur ante pubertatem. Respondeo certum esse, posse Papam dispensare, quia hoc impedimentum est tantum de iure Ecclesiastico: Episcopum verò etiam posse, non absolutè, sed solum in casu vrgentis necessitatis, vt constat *ex cap. 1. de desponsat. impuber.* ibi: *Nisi fortè aliqua vrgentissima necessitate occurrente, vtpote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.* At quando in aliquo textu dispensatio permittitur, nec explicatur cui, intelligitur concessa Episcopo, Filliucius *supra n.* 78. Bonacina *loco citato num.* 13. vide Henriquez *lib. 11. c. 13. n. 11.* & Villalobos *1. part. tract. 14. diff. 22. n. 5.*

44 Ex dictis colligitur contrahentes ante ætatem præscriptam à iure peccare, quia est prohibitum, *in cap. vbi non, 2. de desponsat. impub.* quod peccatum existimant esse mortale, contra Sanchez *lib. 1. disputat.* 17. Coninch. *disput. 21. num.* 54. Hurtado cum Basilio *supra num.* 47. quibus libenter assentior, quia est quid graue: excipe, nisi contrahant, præmissa Episcopi dispensatione, vt dixi in antecedenti.

45 Colligitur secundò, defectum ætatis non esse impedimentum dirimens, de iure naturæ, sed tantum iure Ecclesiastico, & hoc non semper, sed tantum vsque ad pubertatem, nisi malitia suppleat ætatem modo in superioribus explicato; defectus enim

enim ætatis non est impotentia perpetua, sed tantum temporalis, vsque ad tempus à lege præscriptum. Hinc fit, matrimonium inter infideles validum esse ante pubertatem, modò habeant vsum rationis.

46 Colligitur tertiò, puberem si fortè adhuc non sit habilis ad copulam, non quidem ex frigiditate, sed ex sola ætatis debilitate, probabilius esse habilem esse ad matrimonium de iure Canonico, quia lex non curat de casu raro, vt est hic, sed solum attendit ad id, quod communiter accidit, vt matrimonium in ea ætate firmum sit: quo quidem in casu expectandum esset vsque ad plenam pubertatem, quæ in fœminis est annorum quatuordecim, in maribus octodecim completorum; quod intellige, in casu quo præsumitur impotentia eiusmodi prouenire ex debilitate potius ætatis, quam ex frigiditate; nam si ex frigiditate proueniat in dubio expectandum esset triennium modo supra explicato. Sanchez *lib 6. disp.* 104. *num.* 18. & Filliuc. *loco cit* *n.* 86. *&* 87.

Dub. XVII.

De impedimento raptus.

1 DE raptu, prout est species, seu peccatum ad luxuriam spectans, & de pœnis raptoris dixi in Decalog. *lib. 6. cap. vnic. dub. 4.* nunc solum videndum est, quomodo matrimonium dirimat, est autem raptus, prout ad præsens attinet, voluntaria puellæ extractio de domo patris.

2 Dico primò, quidquid sit de iure antiquo, de quo Sanchez *l. 7. disp.* 13. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10 *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 261. & Hurtado *disp.* 23. *diff.* 3. *num.* 11. de iure nouissimo (cui standum est) edito à Trident. *sess.* 24 *cap.* 6. *de matrimonio*, est impedimentum dirimens matrimonium futurum, non in perpetuum, sed quamdiu rapta est sub potestate raptoris, nec separata est, & loco tuto, ac libero constituta: constat ex ipso Tridentin. ibi: *Decernit sancta Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat. & nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames.* Vbi notanda sunt illa verba, *nullum posse consistere matrimonium*, nam per illa inducitur hoc impedimentum dirimens, quia *in cap. vnic. de cognat. legali* iisdem verbis dicitur, inter adoptantem, & adoptatum non posse consistere matrimonium, ex quibus etiam verbis colligunt Doctores esse impedimentum dirimens; sic ergo in nostro casu, & ita sentiunt Nauarr. *cap.* 22. *num.* 74. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 2. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 4. & cum aliis Sanchez *lib.* 7. *disput.* 13. *num.* 2. & Bonacina *quæst.* 4. *de matrimon. punct.* 17. §. 18. *num.* 9 *vers. Tertia est.* Procedit autem hoc decretum de raptore cuiuscumque fœminæ, siue sit virgo, siue sit vidua, siue honesta sit, siue inhonesta, modò fiat causa ducendi illam, Sanchez *n.* 14. nam Concilium absolute loquitur.

3 Dico secundò, raptus quo fœmina rapit virum, non dirimit matrimonium, Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. Sanchez *lib* 7. *disputat.* 13. Coninch. *disp.* 30 *dub* 4. Filliuc. *supra num.* 266. & cum Rebello, & Basilio, Hurtado *loco citato num.* 12. Ratio est, quia decretum Tridentini est odiosum, & pœnale, & tantum loquitur de raptore, & non de raptrice; ergo non est extendendum ad raptricem, præsertim cum sit maior ratio ad fauendum fœminis, ne cogantur, quàm viris.

4 Dico tertiò, raptus, quo fœmina, inuitis parentibus, ipsa tamen consentiente, rapitur, non dirimit matrimonium, ita Sanchez, Coninch. Filliuc. & Hurtado citati contra Henriquez *vbi sup.* Ratio est, quia Tridentinum tantum loquitur de raptu, quo læditur libertas ad matrimonium, quia huic tantum læsioni occurrere intendit; at dicto raptu, quamuis verò non lædatur libertas ad matrimonium, quia inuita fœmina non fit, cuius tantum libertas, & non parentum conducit ad matrimonium.

5 Dico quartò, raptus propriæ sponsæ, si fiat ipsa inuita, dirimit matrimonium, vt contra Henriquez *supra* tenet Bonacina *supra num.* 11. Sanchez *loco citato num.* 15. & Hurtado *loco citat. num.* 13. Ratio est, quia Tridentinum indifferenter, ac indiscriminatim loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur: at in hoc casu verè læditur, vnde si quis post sponsalia legitime celebrata cum Berta, illam inuitam rapiat, & cum ea contrahit, dum est sub ipsius potestate, non valet matrimonium: bene verò si postea constituta in sua libertate, & loco sibi tuto, libere consentiat.

6 Dico quintò, sponsalia inter raptorem, & raptam etiam sunt inualida, ita Sanchez *disput.* 15. *num.* 17. & cum aliis Bonacina *supra num.* 10. *versic. Tertia est.* vbi refert, ita declaratum esse à sacra Congregatione Cardinalium, & meritò, nam aliter Tridentinum non satis prouidisset malo vitando, & libertati matrimonij: validum tamen erit matrimonium, si postquam constituta fuerit in loco tuto fœmina, & separata à raptore, libere consentit, ita citati.

7 Ex dictis constat, raptorem non posse contrahere cum rapta à se, vel per alium, antequam constituatur in loco tuto, vt constat ex Tridentino, poterit tamen contrahere cum rapta tertius, qui raptui non fuit cooperatus; quia pœna Tridentini est contra raptorem, & raptam, non verò contra raptam, & alium, qui non rapuit, Sanchez *disputat* 13. *num* 7. Gutterrez *de matrimon. cap.* 86. *num* 10. & Bonacina *sup. num.* 17. Constat etiam, non dici raptam eam, quæ abducitur domo, non per vim, sed per preces importunas, aut per dolum absque vi, Sanchez *supra num.* 12. quia absque vi non est raptus, multò minùs erit raptus, si ipsa consentiat Filliuc. *sup. n.* 266. & dixi *concl.* 3. Nec dicitur raptus, quando virgo amore capta adolescentuli, ipsius domum adit, à quo ibi spontaneè violatur, solum enim est voluntarium stuprum, ita Rodrig. *verb. Raptor.*

8 Sed dices, an raptus factus non causa contrahendi matrimonium cum rapta, sed causa libidinis, dirimat matrimonium. Affirmatiuè respondet Sà, *verb. matrimonium*, Ochagauia *tractat.* 3 *quæst.* 44. & Bonacin. *sup. num.* 2. verius tamen negat Hurtado *supra num.* 14. cum Sanchez, & Coninch, quia Tridentinum in dicto decreto tantum intendit punire eum, qui sic lædit libertatem ad matrimonium quam non censetur lædere, qui fœminam ad libidinem tantum rapit.

9 An raptus alienæ sponsæ incurrat in impedimentum impediens tantum, dicetur *infra dub. vlt.* Dixi, *impediens*, non in esse dirimens, nec habetur in iure, nec vllus dubitat.

10 De aliis pœnis contra hos raptores vide in nostro

nostro Decalogo *loco supra citat.* & Filliucius *tomo* 1. *tractat.* 10. *cap.* 9. *quæst.* 8. Bonacin. *quæst.* 4. *de matrimon punct.* 17. §. 18. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 13. & 14. Coninch. *disput.* 31. *dub.* 4. Henriquez *lib.* 11. *c.* 14. Iul. Clar. §. *receptum*, Azot 3. *part. lib.* 3. *cap.* 15. & alios, quos ipsi.

D v b. XVII.

De impedimento contrahentium clandestine.

1 QVando matrimonium clandestinum sit validum, & quando inualidum, & de pœnia clandestine contrahentium, late dictum est *sup. hoc lib. cap.* 5. *per tot.* vide ibi.

D v b. XVIII.

Quot, & quæ sint impedimenta impedientia tantum, & non dirimentia matrimonium.

1 COmmunis, & certa sententia tenet, duodecim esse impedimenta, quæ tantum impediunt matrimonium, siue de iure naturali, siue Ecclesiastico, quæ bis versiculis continentur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque catechismus sponsalia, iungito votum,
Incestus, raptus sponsæ, mors mulieris,
Susceptor propriæ filiæ, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem,
Accipiat, prohibent hæc coniugium faciendum.

2 Dicuntur autem hæc impedimenta impedientia tantum, quia impediunt, ne licite matrimonium contrahatur, factum autem tenet, sed peccant contrahentes modo explicando.

3 Primum ergo impedimentum est, Ecclesiæ vetitum, id est, prohibitio Iudicis Ecclesiastici, qui ex iusta causa prohibet ad tempus, ne aliqui matrimonium contrahant, vt quando dubitatur de impedimento inter eos, donec certò constet: hæc autem prohibitio potest fieri à Parocho, non quidem iudicialiter, quia non habet iurisdictionem in foro exteriori, sed extraiudicialiter tantum. Contrahens ergo matrimonium contra hanc interdictum, seu prohibitionem valide contrahit, sed peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem superioris in re graui. Sylvest. *verb. matrimonium* 7. q. 1. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 7. Nauarr. *c.* 22 *n.* 68. Coninch. *disput.* 30. *dub.* 3. Reginald. *l.* 31 *n.* 189. Bonacin. *de ma rimon. quæst.* 3. *punct.* 24. *num.* 3. Hurtado *disp.* 23. *diff.* 1. *num.* 1. & alij.

4 Secundum est tempus feriarum, seu interdictum iuris, id est prohibitio iuris, quia certis temporibus prohibetur à iure, matrimonium solemniter celebrari. Tempus autem quo prohibentur nuptiæ, seu benedictiones nuptiales, & matrimonium celebrare solemniter, statutum est à Trident. *sess.* 24. *cap.* 10 *de matrimon.* videlicet à primo die Aduentus Domini, vsque ad diem Epiphaniæ inclusiue, & à quarta feria Cinerum, vsque ad octauam Paschæ Resurrectionis etiam inclusiuè; quod quidem tempus incidit à media nocte Dominicæ Aduentus, & à media nocte feriæ quartæ Cinerum, tunc enim incipit Aduentus, & Quadragesima ritu Romano. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 1. Sanchez *lib.* 7 *disput.* 7. *num.* 1. Bonacin. *supra num.* 4. & alij. Ratio huius prohibitionis fuit, vt fideles dictis temporibus liberius ieiuniis, & orationibus vacarent, & à carnalibus se abstinentes digniùs ad communicandum se pararent diebus Natalis, & Paschæ; olim autem erat à Rogationibus, vsque ad Pascham Pentecostes, sed hoc iam per Tridentinum derogatum. Conueniunt Doctores, eum qui tempore Aduentus, & Quadragesimæ matrimonium solemnizaret, id est benedictiones nuptiales acciperet, aut daret, peccare mortaliter ex se, quia agit in re graui contra prohibitionem Ecclesiæ, nisi fortè aliud legitime per consuetudinem fuerit introductum. Supradictis autem temporibus non prohibetur consummare matrimonium antea contractum, nullibi enim prohibetur, ideo absque fundamento dicitur. Imo nec prohibetur contractus matrimonij præcisè, id est absque solemnitate, vt probat consuetudo recepta, teste Sanchez *sup. n.* 12. & deducitur *ex c. Capellanus*, dicente, posse omni tempore matrimonium celebrari. Excipe tamen vbi est contraria consuetudo, nam illa tunc esset seruanda. Filliuc. *sup. n.* 169. cum Sylo. Nauarr. Sanch. & Bellarmio. *lib.* 1. *de matrim. c.* 31. Nec prohibetur traductio non solemnis sponsæ ad domum sponsi, vt probat etiam consuetudo, aliter enim frustra fierent matrimonia, si sponsa non posset traduci ad domum sponsi ad consummationem: prohibetur autem traductio sponsæ cum solemnitate, & pompa, tum etiam nuptiæ solemnes cum saltationibus, comœdiis, & aliis lætitiæ signis, Nauarr. *c.* 22. *n.* 71. Sanchez *supra num.* 12. Celebrare ergo his temporibus matrimonium, cum his solemnitatibus, censetur peccatum mortale, vt ait Filliucius *n.* 170. et si Sanchez *n.* 18. cum quibusdam aliis eos à mortali excuset; quod quidem verum esset, vbi adesset contraria consuetudo, & permissio. At iam nunc non nisi benedictiones nuptiales prohibitæ videntur, pro dictis temporibus, & non traductio sponsæ, conuiuio, & reliquis lætitiæ signis comitata, Hurtado *supra num.* 3. Attendenda tamen est in iis consuetudo approbata, cui standum erit; consuetudine tamen in contrarium non existente, existimo traductionem sponsæ solemnem illis temporibus factam, esse peccatum mortale, quia videtur agi contra Ecclesiæ prohibitionem in re graui, & fauet Tridentin. *supra*. dum ait: antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones, sancta Synodus obseruari præcipit.

5 Nota primò, Episcopum non posse, regulariter loquendo, dispensare, vt benedictiones nuptiales, prædictis temporibus conferantur, quia dicta prohibitio est iuris communis, & Tridentini, & quia ab eodem iure non committitur illi dispensatio, in casu tamen vrgentis necessitatis, vbi non esset facilis recursus ad Papam, possent in hac prohibitione dispensare Episcopos, sicut in tali casu conceditur in aliis dispensatin. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 168.

6 Nota secundò Sacerdotem, qui temporibus supradictis nulla præcedente dispensatione, benediceret sponsos, peccare grauiter, & grauiter puniendum esse arbitrio iudicis Ecclesiastici: sponsos verò separandos esse ad tempus, in pœnam delicti, *c. non apportet* 2. 33. *q.* 4. nisi esset periculum incontinentiæ, tunc enim ij pœna alia arbitraria plectendi essent, ita cum Sylu. Caiet. & Palud. Filliuc. *loco cit.*

7 An autem matrimonium, & benedictiones possint celebrari tempore interdicti, dixi in expositione Bullæ *lib.* 3. §. 3. *dubia*. Tertium est catechismus, quo quis pro baptizando, aut iam baptizato, respondet Sacerdoti interroganti, an credat, an renuntiet diabolo, &c. quamuis non teneat

baptizatum, dum baptizatur, aut catechizatur: ex hoc igitur catechismo oritur quædam cognatio spiritualis perfecta, quæ impedit, ne contrahatur matrimonium cum iisdem personis, cum quibus impedit, & dirimit cognatio spiritualis perfecta ex Baptismo orta, vt habetur *cap. per catechismum de cognatione spirituali in* 6. Attamen etsi hæc vera sint de iure communi antiquo, iure tamen nouissimo Tridentin. *sess* 24. *cap.* 2. *de matrimonio*, videtur omnino sublatum hoc impedimentum, vt constat ex progressu capitis ab initio eius vsque ad finem, nam initio dicit, se velle tollere multitudinem prohibitionum, deinde statuit de cognatione spirituali generaliter, inter quas personas contrahatur, & in fine, nulla facta mentione huius impedimenti, concludit, inter nullas alias personas contrahi; quare cum non numeretur hæc cognatio, signum est, esse sublatam, consequenter nullum ex catechismo præcisè oriri impedimentum. Ita Sanchez *disput. lib.*7 *num.*11. Coninch. *disput.* 30 *dub.* 3. *num.* 24 Basilius *lib.* 6. *cap.*11. Filliuc. *tom.*1 *tractat.*10 *part.*1.*cap.*9 *n.*273. Henriquez *lib.* 2.*cap.*2 & alij apud Bonacinam, in quam sententiam ipse inclinat. *quæst.* 3.*de matrimon punct.* 14. *num.* 6. & Ledesma *in summ cap. vltim. de matrimon.* contra Nauarr. *cap* 22. *num.* 71. & alios, apud Sanchez *supra*, & Gutierrez *cap.* 84 *num.* 6. oppositum probabiliter tenentes: mihi autem probabilior videtur sententia Sanchez, vt etiam dixi *supra lib.* 3. *dub.* 9. *in fin* Ex quo fit, tenentem in catechismo, si non tenuit in Baptismo, posse contrahere cum ea, quam in catechismo tenuit, aut cum eius matre, absque vllo peccato, & absque vlla dispensatione, quia vbi nullum est impedimentum, nullaque prohibitio, nulla incurritur culpa, nec vlla desideratur dispensatio. Nihilominus, dato quòd, hoc impedimentum non sit sublatum, poterit in eo dispensare Episcopus, nam consuetudine receptum est, vt impedimentorum impedientium dispensatio non obtineatur à Sede Sede Apostolica, excepto voto castitatis, & Religionis, vt docet Nauarr. *in man. cap.* 22 *num.* 83. imò Sanch. *lib.*17 *disput.* 22. *n.*9. ait, absque vllo peccato posse contrahi matrimonium si non obtenta dispensatione, eo quòd existimet, per consuetudinem introductum esse, vt dispensatio non petatur in impedimentis impedientibus, excepto voto, sponsalibus, & interdicto Ecclesiæ, sed de hoc infra.

8 Quartum impedimentum impediens tantum est, sponsalia prius celebrata cum alia persona; impediunt enim sponsalia iure naturali, ne licitè contrahatur matrimonium cum altera, nisi adsit iusta causa ea dissoluendi, si tamen fiat, validum erit matrimonium, vt *supra* dixi, & tenet communis: vnde qui manentibus sponsalibus sine iusta causa recedendi ab eis cum alia contrahit, peccat mortaliter, quia agit contra fidelitatem, & regulariter etiam contra iustitiam in re graui, ita Nauarr. *cap.* 22.*num.*74. Sanchez *lib.*1.*disp.* 27. *num* 2 Filliuc. Hurtado, Reginald, Henriq. & cum aliis Bonacin. *q.*3.*de matrim punct.*14.*n.*3.

9 Quintum est *votum*, nomine autem voti impedientis matrimonium, intelligunt DD. votum simplex castitatis, votum simplex Religionis, votum cælibatus, seu non nubendi, & votum suscipiendi sacros Ordines: hæc enim vota ex sua natura, seu ex suo iure naturali impediunt sub mortali, ne fiat matrimonium, si autem fiat, validum erit: quòd talis transgressor peccet mortaliter, patet, quia violat votum, & promissionem Deo factam in re graui; quòd autem validum sit, patet *ex cap. consuluit, cap. si quis votum* 27. *quæst.*1. *& cap. vnic. de voto in* 6. & docent Sanch *lib.*7 *disput.*11. *num.* 4. Coninch. *sup. num.* 24. Bonacin. *loco citat. num.* 7. & communiter DD. Ex quo fit, nulli licere, quantumuis valde stimulis carnis agitetur, si aliquo ex his votis sit adstrictus, inire matrimonium absque dispensatione, aliàs peccat mortaliter: similiter, & qui scienter cum illo contraheret, nisi fortè contrahat cum conditione obtinendi dispensationem: quis autem possit in iis votis dispensare, dixi, ab eude in Decal *lib.*2.*c.*2.*dub* 38 *&* 39. vide ibi.

10 Qualiter peccet, & ad quid teneatur, qui post votum simplex Religionis init matrimonium, dixi in Decal. *lib.*2.*c.*2.*dub.*20. *n.*14. Quænam autem peccata committant, & ad quid teneantur, qui contrahunt matrimonium post votum simplex castitatis, aut cælibatus, aut suscipiendi sacros Ordines, dixi *eod. loco dub.* 25. de primo vide Sanch. in Decalog. *l.*4.*c.*16.*n.*117.& Bonac.*tom.*2 *disp* 4.*q.*7.*punct.* 5.*§* 6.*n.*19.& aliis, vide DD. citatos *in d.dub.* 25.

11 Sextum impedimentum impediens est, *incestus*. Est autem incestus commixtio cum consanguineis, vel affinibus, de quo, vt peccatum est, egi in Decalog. *lib.*6 *cap vnic. dub.* 6. nunc ergo de illo prout impedit matrimonium contrahendum. Igitur incestus impediens matrimonium est, quando vir cognoscit consanguineas vxoris, & vxor consanguineos viri, *ex cap. si quis viduam* 32. *q* 7. *& cap. si quis cum matre* 32. *quæst* 2. olim impediebat intra quattuor gradum; imò, & nunc, vt aliqui existimant, vt Bonacin. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.*14.*num.*10. Probabilius tamen videtur, nunc post Trident. *sess.*24.*cap.* 4.*de matrim.* solum incestum eum consanguineis coniugis intra secundum gradum impedire matrimonium, vt docent Sanchez *lib.*7 *disput.*25.*n.*4 Filliuc. *tom.*1.*tract.*10.*part.* 2.*n.* 280. & cum aliis Villalobos *1. p. tractat.* 14. *diff.* 2. *num.* 8. Nam Tridentinum restringens affinitatem ex copula illicita ad secundum tantum gradum, censetur etiam restringere hoc impedimentum ad eundem gradum: tutius tamen est, extendi ad quartum, donec aliud clarius ab Ecclesia sit dispositum. Non autem extenditur hoc impedimentum ad incestum commissum cum propriis consanguineis, vt probabilius docent Sanchez *sup. num.*6. Villalob *loco cit.* Filliuc *vbi sup. num.* 284. Sylu.est. *matrimon.*7 *q* 6.*ad* 3. S. Thom. *dist.*34. *qu. vnic. artic.*5.& alij cum Bonac. *sup.num.*10, nam etsi talia incestus sit grauius crimen, quàm eum affinibus, tamen non inducit affinitatem cum coniuge, nec peccatur contra matrimonium, quæ fuit causa inducendi hoc impedimentum, & iura videntur loqui tantum de incestu cum affine, & versamur in materia pœnali, quæ restringenda est. Nec obstat stylus Curiæ, qui in dispensationibus incestus inter consanguineos addit, vt superstes maneat sine spe coniugij, nam id tantum est grauamen impositum præcepto Pontificis. Nec contrahitur hoc impedimentum, quando incestus commissus fuit cum affine, si ignorabat esse affinem, *cap.* 1 *de eo qui cognouit, &c.* ignorantia enim sicut excusat à culpa, ita à pœna, Bonacina *vbi supra*. Probabile etiam est, non incurri, quando coniux cognoscit consanguineas alterius coniugis, etiam intra secundum, si tunc coniux erat iam mortuus, vt tenent Henriq. *lib.*11. *cap.*2.*lit. P.* Nauarr. *cap.* 22, *num,* 75. qui aiunt debere intercedere simul adulterium, & incestum, nam odia sunt restringenda, idque colligunt ex *cap.* 1. *& 2.de eo qui, &c.* verius tamen est, etiam soluto matrimonio, incestum cum cosan

consanguineis coniugis impedire matrimonium, vt docent Sanch. *sup. num.* 12. Filliuc. *loco cit. num.* 178. & alij, constatque aperte *ex cap. transmissa de eo qui cognouit, &c.* vbi, qui cognouerat priuignam defunctâ iam vxore, prohibetur, in matrimonio iam contracto non petere, & post mortem vxoris non contrahere cum alia. Ita etiam Ledesma *in sum. cap.* 22. *de matrim.* Non autem contrahitur hoc impedimentum ex copula habita cum cognata legali, vel spirituali, quia hoc non est expressum in iure, nec dicta copula est propriè incestus, Bonac. *supra*, & Filliuc. cum aliis *loco citat. n.* 183. vbi dicit, referri quandam responsionem Cardinalium, qua decernitur, spirituales affinitates pertinere ad matrimonia contrahenda, sed non dirimere contracta, quæ si vera sit, & recepta, seruanda erit.

11 Sed difficultas est, an hoc impedimentum extendatur ad copulam habitam cum consanguinea sponsæ in primo gradu. Affirmant Sanchez *vbi supr. num.* 5. Filliuc. *num.* 181. & cum aliis Bonacin. *sup. num.* 11. cum hac modificatione, vt non excedat primum gradum, & tantum duret viuente complice, seu ea, cum qua commisit incestum; nam etsi hoc impedimentum non habeatur in iuribus, eiatis, colligitur tamen *ex cap.* 2. *de eo, qui cognouit, &c.* At quia materia hæc est odiosa, & quia talis copula non est propriè incestus, nec tale impedimentum habetur expressè in iure, existimo valde probabile, ex illa copula non oriri hoc impedimentum; oritur autem hoc impedimentum ex copula cum consanguinea vxoris, matrimonio tantum rato; nam etsi ex hoc non oriatur propriè affinitas, sed honestas, hæc tamen maior est, quàm ex sponsalibus, & quoddam genus affinitatis, quia dicuntur cognati, Filliuc. *supra n.* 182. cum Sanchez *disp.* 15. *n.* 6. *ex c.* 1. *& cap transmissa, de eo qui cognouit.*

12 An irretitus hoc impedimento peccet contrahendo, & egeat dispensatione, dicetur infra.

13 An incestuosus sit priuatus facultate petendi debitum, & quis possit cum eo dispensare, dixi *supra*, vbi de impedimento affinitatis, & infra vbi de petitione debiti.

14 Septimum impedimentum impediens est, raptus alienæ sponsæ, *c. statutum* 27. *q.* 2. quamuis ipsa consentiat in raptu, quo in casu nec ipsa, nec ipse possunt cum quocumque alio licitè contrahere, si ipsa in raptu consentit: nomine alienæ sponsæ intelligunt Bonac. & alij sponsam non solum de præsenti, sed etiam de futuro, quia sic etiam irrogatur iniuria matrimonio de futuro; at cum simus in materia pœnali probabile valde est, non extendi ad sponsam de futuro, Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 10 *part.* 2. *cap.* 9 *n.* 186. vide Sanchez *lib.* 7 *disp.* 12. *n.* 43. Coninch. *disp.* 30. *n.* 25. & Henriquez *lib.* 12. *cap.* 2.

15 Octauum est, vxoricidium; quando scilicet vir propriam vxorem occidit, priuata authoritate: *ex cap. interfectores* 33. *quæst.* 2. *cap.* 1. *admonere, cap. quicumque eod.* & hoc vt reprimeretur audacia occidendi vxores. Dixi, *priuata authoritate*, nam si illam occideret, authoritate iudicis, sicut non peccat tunc, ita nec incurrit hoc impedimentum. Quid si eam deprehensam in adulterio priuatè occidat? S. Thom. *dist.* 47. *quæst.* 2. *artic.* 2. Sotus ibi *quæst. vnic. artic.* 4. Henriquez *lib.* 2 *cap.* 12. *numer.* 1. Filliucius *supra numer.* 187. *versic. Dixi*, cum Sanchez *lib.* 7 *disp.* 19. *n.* 2. affirmant contrahere hoc impedimentum, quia sicut tunc peccat, ita in hoc impedimentum incidit. *cap. quicumque citat.* ibi, *absque, certa probatione.* Oppositum tamen non improbabiliter tenent Palud. *in* 4. *dist.* 57 *quæst.* 22. Emannel. Sà *de impediment. non dirim.* & Bonacina *quæst.* 3. *de matrim. punct.* 14 *num.* 16. nam tunc, et si vir peccet, impunè tamen per leges occidit. Sed quid si vxor proprium virum occidat? Nauarr. *cap.* 22. *num.* 37. Henriquez *sup. num.* 1. & aliqui existimant incurrere hoc impedimentum; verius tamen oppositum, vt docent Sanchez *lib.* 7. *disput.* 16. *num.* 6. Syluest. *matrimon.* 7. *quæst.* 15. *ad* 1. Bonacina *supr. num.* 14. & cum S. Thom. & aliis Filliuc. *loco citat. num.* 188. Ratio est, quia nullus textus loquitur de homicidio viri patrato ab vxore, & pœnæ non sunt extendendæ, nec ratio similitudinis procedit in pœnis: nota quando diximus, vxoricidium, esse impedimentum impediens, intelligendum, quando non occidit intentione ducendi adulteram, nam sic dirimit etiam matrimonium, vt dixi in impedimento criminis.

16 Nonum est, susceptor propriæ filiæ, hoc est, quando quis suscipit proprium filium, vel alterius coniugis in Baptismo, vel Confirmatione, aut illum baptizat, modò aliquid ex his faciat malo animo, & dolosè, hoc est, vt contrahat cognationem cum coniuge, ne debitum reddat: hic enim mortua coniuge, non potest licitè aliam ducere, ex *c. de eo* 30. *q.* 1. Henriq. *lib.* 11. *c.* 2. *n.* 1. & cum Sanch. Filliuc. *sup num.* 189 Bonacina *supr. num.* 17. & alij.

17 Decimum est, presbytericidium, id est, qui Presbyterum, aut Sacerdotem occidit, hic enim licitè contrahere non potest matrimonium, *cap. qui Presbyterum de pœnit. & remiss.* quod impedimentum comprehendit quemcumque presbytericidam, vt docent Syluest *matrimon.* 7. *quæst.* 6. *dist.* 1. Nauar. *c.* 22. *num.* 74. & alij: probabilius tamen est tantum comprehendere presbytericidam coniunctum in iudicio, ex verbis *dicti cap. qui Presbyterum*, ibi: *Coniunctus*, & ita docent Sanch. *disput.* 6. *num.* 9. Filliuc. *num.* 190. Bonacina *num.* 18. & alij.

18 Vndecimum est, solemnis, seu publica pœnitentia, *cap. de his fin.* 33. *quæst.* 2. hic enim dum illam facit, non potest licitè contrahere, tunc enim non est tempus lætitiæ, & nuptiarum, sed mœroris. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 6. & alij citati; at quia iam publica pœnitentia non est in vsu, ita nec hoc impedimentum.

19 Duodecimum est, quando quis contraxit cum Moniali professa, tunc enim præterquam quod tale matrimonium est nullum, vt dixi *supra in impedimento voti*, impeditur etiam, ne licitè cum quauis alia contrahere possit, *cap sic ergo* 27. *quæst* 1. si tamen contrahat, tenet matrimonium, *ex dict. c.* Ita citati, & communiter Doctores.

20 Sed quæres primò, quale peccatum sit contrahere cum aliquo ex dictis impedimentis. Respondeo, si omnia hæc supradicta impedimenta essent in vsu, certum est, peccare mortaliter, quia ageret contra Ecclesiæ prohibitionem; at quia solum sunt in vsu hæc impedimenta, videlicet prohibitio iudicis, sponsalia, & votum, vt docet Sanch. *lib* 7. *disp.* 17. Coninch. *disputat.* 30. *dub.* 13. Basilius *lib* 6 *cap.* 14. Hurtado *disputat.* 25. *diff.* 1. *numer.* 7. *in fin.* Villalob. *tom.* 1. *tract.* 14. *num.* 3. Bonacin. cum aliis *quæst. de matrim. punct.* 14. *num.* 21. & Nauarr. *cap.* 22. *num.* 75. vbi dicit se in tanta annorum ætate prope centum, nunquam vidisse, qui dispensationem in iis petierit, cum tamen esset consultor sacræ pœnitentiariæ, quo ex omnibus fere partibus deferuntur quæstiones dissoluendæ, & dispensationes ad matrimonia. Ex quo fit, cum alia impedimenta, non sint in vsu, cum illis contrahere, non esse peccatum, nec ad matrimonium contrahendum desiderari aliquam dispensationem. Nihilominus tamen si alicubi essent in vso, & lex in suo

suo robore permanserit, ibi obligat sub mortali, vt benè Bonacin. & Villalob. *supra*, consequenter ad licitè contrahendum, desideratur dispensatio, vt infra.

21 Quæres secundò, quis possit in iis impedimentis dispensare. Respondeo, prohibitionem iudicis posse ex causa tolli ab ipso iudice, cætera verò impedimenta, exceptis sponsalibus, possunt à Papa dispensari, nam Papa potest in voto, & aliis dispensare. Dixi, *exceptis sponsalibus*, nam sponsalia obligant de iure naturali, & diuino, aliquando tamen potestate extraordinaria, & superaddita Christi commissione, poterit in sponsalibus, dispensare ex causa spirituali cedente in ædificationem, vt si timeatur priorem sponsam futuram sponso occasionem peccandi; aut si ex matrimonio cum posteriori speretur pax publica. Hurtado *disp. 26. diff. 1. num. 3.* Episcopus autem exceptis sponsalibus, & voto simplici Religionis, & castitatis, poterit in aliis dispensare, vbi est in vsu eorum obligatio; quia consuetudo obtinuit, vt dispensatio istorum impedimentorum non obtineatur à Papa excepto voto castitatis, & religionis, Nauarr. *cap. 22 num. 85.* Sanchez *libr. 7. disput. 17. n. 25.* Bonacina *supr. num. 3.* & cum aliis Filliucius *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap 10. num. 305. & sequentibus.* Dixi, *excepto voto castitatis, & Religionis*, nam in voto non nubendi, aut suscipiendi sacros Ordines dispensare potest Episcopus. Hurtado *disput. 26. diff. 1. num. 9.* & dixi late in Decalog. vbi de dispensatione voti, *lib. 2. cap. 2.* Non autem poterit Episcopus dispensare, vt benedictiones conferantur tempore feriatum, seu ab Ecclesia prohibito, nisi modo dicto *hoc dub. num. 7. versic Nota Episcopus.* Dixi, *exceptis sponsalibus*, nam in iis nullatenus dispensare poterit Episcopus, quis per sponsalia acquiritur ius institiæ ad corpus alterius, quod Episcopus nulla causa auferre potest. Hurtado *supra num. 10.*

CAP. X.

De dispensatione impedimentorum matrimonij.

Dub. I.

Quis possit dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium.

1 QVis possit dispensare in impedimentis tantum impedientibus dixi *c. anteced. dub. vltim quæst. 2. num. 35.* ideò hic solùm loquimur de potestate dispensandi in impedimentis dirimentibus, & de iis solum, quæ ad dispensationes matrimoniales spectant; cætera verò, quæ ad dispensationem in communi pertinent, inter recentiores poteris videre. Suarez *lib. 6. de leg à cap. 10. vsque ad 27.* Bonacina *tom. 2. vbi de legib. disp. 1. q. 2. per totum.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 1. & seqq.* & in consiliis *lib 5. cap. 1 dub. 5.* & Castro Palao *tom. 1. tract. 3. de leg. disp. 6 per totum.*

2 Suppone primò, dispensationem esse, aliquem ab obligatione ex causa omnino liberare, manente lege quoad alios, verbi gratia, quando ex causa Pontifex aliquem à lege ieiunij eximit, manente hac lege quoad alios, & sic de aliis: differt autem à commutatione, quia in commutatione non tollitur omnino obligatio, sicut in dispensatione, sed ab vna materia in aliam commutatur, vt latè dixi in Decalogo *lib. 2. cap. 2. vbi de votorum dispensatione, & commutatione.* An autem dispensationis potestas, & ipsa dispensatio sit ampl è, aut strictè interpretanda, dixi in expositione Bullæ *lib. 4. proœmial. num. 3. & 4.* vbi inter alios plures adduxi. Sanchez *lib. 8. disp. 1. & 2.* & alios supra citatos. An autem peccet dispensans sine causa, aut illam sic petens, dixi in Decalog *prælud. 5. num. 4. & lib. 3. cap. 2. dub. 7. num. 18.*

3 Suppone secundò, tanquam probabilius, imò & mihi certius, posse Pontificem, Episcopos, & alios Prælatos, vt Generales, Prouinciales, Abbates, &c. secum ipsis dispensare in his, in quibus possunt dispensare circa suos subditos, vt late Sanchez *lib. 8. disput. 3.* & cum eo, & aliis Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. quæst. 1.* Non enim id repugnat iuri naturali, nec diuino, nec Ecclesiastico, nam non exercet in ipsum tunc iurisdictionem punitiuam, aut coerciuam, sed omnino voluntariam, ad quam non requiritur probatio testium, partis citatio, nec distinctio personarum, solùm enim importat directionem quandam ex prudenti iudicio, vt scilicet expendat, an habeat iustam causam, quod esti expediétius sit, & securius, vt hæc dispensatio ab alio fiat, non tamen repugnat fieri ab eodem. Vnde Episcopus in casibus, in quibus potest eum suis subditis dispensare, poterit etiam cum se ipso, similiter, & Prælatus Religionis, non enim debent esse peiores, quàm sui subditi. Idem etiam poterit, qui habet potestatem delegatam dispensandi cum aliqua communitate, nam est pars illius, & non debet esse deterioris conditionis, quàm alij. Hinc fit, vt Prælatus, aut Episcopus dispensans cum communitate, possit etiam ipse frui ea dispensatione quasi indirecte. At si quis haberet potestatem dispensandi limitatam cum determinatis personis, non potest secum dispensare, nam hoc ipso mens concedentis videtur illum excludere. Item, Prælati, qui possunt secum dispensare, possunt etiam suo confessario committere, vt cum ipsis dispenset in quibus ipsi possunt dispensare, & hoc est conuenientius, vt pluribus Sanch. *lib. 8 disput. 3. punct. 11.* A fortiori Prælati possunt vti iisdem licentiis, quas possunt concedere suis subditis, quia hoc non est propriè dispensare, sed tantum Prælatum concedere suum consensum, vel aliquid approbare, quod prohibitum fuerat, ne fieret absque eius licentia. S. Thom. *2. 2. quæst. 185. art. 8.* Syluest. *relig. 6. quæst. 10. & relig. 7 quæst. 12.* & Filliucius *supra num. 298.* demum vide de iis Bonacina *tom. 2. disput. 1. quæst. 2. punct. 1. n. 9. vbi n. 7.*

4 Suppono tertiò, quando Princeps supremus scienter admittit aliquem ad actum eum, qui habet impedimentum ad illum, censetur dispensare cum illo, si aliàs Princeps dispensare in illo casu poterat, vt si Papa scienter admittat irregularem ad Ordines, vel ad beneficia, vel matrimonio coniungat impeditos à iure à se dispensabili. Ratio est, quia ad valorem dispensationis in lege humana non requiritur cognitio causæ, sed sufficit voluntas dispésantis, etenim eo quòd scienter inhabilem admittat, & promoueat ad actum, ad quem de iure non posset admitti, satis illi constat de causa, patet *ex l. Barbarius*, nam populus Romanus, cognita seruitute, consentit eum præfectura fungi, & cecidit, quod videatur consentiendo in eius officium, & illum libertate donare. Dixi, *scienter*, nam si adest ignorantia

ignorantia impedimenti, certum est, non censeri dispensare; vndè cum scientia Principis minimè præsumatur, eum sit quid facti, ad inhabilem pertinet eam probare. Idem etiam potest Princeps inferior, seu Prælatus in impedimentis à se impositis, quia potest dispensare in propria lege, absque causæ cognitione, Azor. *tom.* 1. *lib.* 13. *cap* 13. *q. vltim.* imo inferior Prælatus scienter admittens impeditum, non à lege sua, sed à iure communi, in quo tamen aliàs poterat dispensare censetur etiam hoc ipso dispensare: in hoc autem casu præmittenda est in praxi cognitio causæ, vt dignoscatur, an expediat. Idem etiam dic in admissione impediti iure diuino, in quo possit Princeps supremus Ecclesiasticus dispensare, vt in voto, vel iuramento, Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10 *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 299. & pluribus Sanchez, *lib* 8 *disp.* 4. vide Bonacinam *tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct* 3. *num.* 18. *vers. Obseruant*, etsi in aliquo nobis contrarios, & in nostro Decalog. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap* 2 *dub.* 33. *num.* 19.

5 Suppono quartò, quotiescumque in Canone aliquo, aut lege iuris communis, aut Concilij generalis, permittitur dispensatio, vt si post prohibitionem dicatur, *nisi in eo dispensetur*, vel quando impersonaliter dicitur, quod posset dispensare, etiamsi non exprimat, à quo dispensandum sit. Intelligitur concessa dispensatio Episcopo. Ratio est, quia aliàs verba illa nihil operarentur, & frustra essent nam non possunt intelligi de Papa, cum de illo nullum dubium sit; ergo intelligi debent de Episcopo: & confirmatur, quia etsi dispensatio absolutè sit odiosa, tamen quando clauditur in corpore iuris, interpretanda est late, nam dispensandi potestas fauorabilis est, vt dixi *loco citat. Bulla*: excipe autem ab hac doctrina, nisi Canon ipsis Episcopis legem imponeret, & non subditis, tunc enim quia non est rationabile, in proprio facto eos dispensare, intelligi debet superiori alteri commissa dispensatio, Filliuc. *supr num.* 300. & latius Sanchez *lib* 8. *disp.* 5. vbi etiam exagitat, quando dicatur constitutio Concilij, & quando Pontificis, & resoluit, tunc constitutionem dici Conciliarem, quando materia trahit originem à Concilio: tunc verò dicetur Pontificia, quando trahit originem à Pontifice, vide illum. Quòd si superior, qui legem condidit, expresse non ademit, nec prohibuit dispensandi facultatem? Sotus in 4. *dist.* 17. *cap.* 1. *art* 4. Couarruuias *cap. alma mater* 1. *part.* §. 7. *n.* 8. & alij apud Bonacinam 2. *tom. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 17. affirmant posse inferiorem dispensare, nam eo ipso, quòd superior non reseruat facultatem dispensandi censetur inferiori concessa, quia Episcopus potest in sua Diœcesi, quidquid Papa in tota Ecclesia, nisi Papa expresè aliquod reseruauerit, vt cum aliis tradit Sanchez *lib.* 1. *disput.* 60. *num.* 3. Probabilius tamen est, non posse exceptis casibus concessis inferiori, vel quando dispensatio permittitur, quamuis non exprimatur à quo sit dispensandum modo dicto, ita Suarez *lib.* 6 *cap.* 14 *n.* 4. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 40. & *lib.* 8. *disp.* 5. & cum aliis Bonacina *supra*, quia ex Clement. *Ne Romani de electione*, inferior non habet potestatem supra superiorem, nec potest ipsius voluntatem, vel dispositionem impedire, ipso inuito, vel non consentiente, vide Barbos. *de offic & potest Episc. alleg.* 33. n. 21. & *alleg.* 35. *num.* 3.

6 Dico primò, Papa dispensare non potest in impedimentis iure diuino naturali matrimonium dirimentibus, ita communis Doctorũ apud Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. & Bonacin *tom.* 1. *quæst.* 3. *de matrimon. punct.* 15. *numer.* 1. quia non reperitur talis potestas ei à Christo concessa, quod probatur à posteriori, eo quod nunquam est dispensatum in primo gradu, verbi gratia, inter fratres, aut patrem, & filiam, & ab argumento ad incommodum, quia si hæc potestas Ecclesiæ relicta esset, multa inde consurgerent pericula fornicationum, vt inter fratres, & sorores, spe obtinendæ dispensationis ad contrahendum matrimonium, quæ quidem pericula præponderant cuicumque bono, quod in aliquo casu sequi posset ex tali dispensatione, idque colligitur *ex cap. literis* § *sane in fin de restit. spoliat.* Vnde non potest Papa dispensare in impedimento impotentiæ perpetuæ, nec in impedimento ligaminis, neque in impedimento consanguinitatis in linea recta in primo gradu, imò nec in aliis gradibus eiusdem lineæ, secundum opinionem asserentium, etiam in illis impedire de iure naturali, vt dixi, *supr. cap. anteced. dub.* 7. n. 7. nec dispensare potest in impedimento erroris: ratio est, quia supradicta dirimunt matrimonium de iure naturali.

7 Dico secundò, Papa potest dispensare in omnibus impedimentis, quæ solum dirimunt matrimonium iure Ecclesiastico: est etiam communis hæc conclusio, & ratio est euidens, quia Pontifex est Pastor supremus, & generalis totius orbis, & potest in omni iure Ecclesiastico dispensare: vnde potest dispensare in omni gradu consanguinitatis, præter primum in linea recta, & transuersali in impedimento affinitatis in quacumque linea, & in quocumque gradu, & in impedimento cognationis spiritualis, & legalis, & in impedimento criminis, quia hæc solo iure Ecclesiastico dirimunt matrimonium. Potest etiam Papa dispensare in impedimento voti solemnis in Ordine sacro, quia illud votum adnexum est Ordini sacro iure tantum Ecclesiastico. Idem etiam potest in voto solemni Religionis, vt pluribus Sanchez *lib.* 8. *disput.* 8. *num.* 6. & communior Doctorum sententia, etsi opposita non careat probabilitate. Ratio nostræ sententiæ, est quia potest dari casus, in quo bonum totius Regni id requirat; ergo credendum est, Christum Dominum eam potestatem reliquisse Christi Vicario, ne in necessariis videatur bono Ecclesiæ defecisse; ergo expedit in Ecclesia dari talem potestatem. Est tamen necessaria ad huiusmodi dispensationem causa publica, & quidem vrgentior, quàm ad dispensationem voti Ordinis sacri Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 303. Causa autem iusta non existente, peccaret Papa dispensans, valeret tamen dispensatio, iuxta opinionem valde probabilem asserentium hoc impedimentum solo iure humano dirimere, de quo dixi *supra cap. antecedent.* & in Decalogo *lib.* 2 *cap.* 2. *dub.* 37 *n.* 4.

8 Dico tertiò, in impedimentis solo iure Ecclesiastico dirimentibus, non potest Episcopus ordinariè dispensare, est etiam communis sententia ex Sanchez *libr.* 8. *disputat.* 6. Ratio est, quia hæc impedimenta dirimunt de iure communi, nec concessa est alicui potestas dispensandi ab eodem iure; ergo cum Episcopi sint inferiores, & adstricti iuri communi non poterunt in lege superioris, & iuris communis dispensare *cap. inferiores* 21. *distinct. Clem. ne Rom. de elect.* Nec poterit in iis dispensare Legatus à Latere, nam hic in sua Prouincia potest facere tantum ea, quæ Episcopus in sua Diœcesi; at Episcopus non potest in iis dispensare; ergo nec talis legatus. Filliuc. *supr. num.* 302. Villalob. 1. *part. tractat* 14. *diff.* 25. *numer.* 2. Couarru. 4. *Decretal.* 2 *part. cap.* 6. §. 10 *numer.* 10. & alij. Dixi *dirimentibus iure Ecclesiastico*: nam in dirimentibus iure naturali cum Papa non possit, minus poterit Episcopus.

9 Dixi, *ordinariè*, quia in foro conscientiæ potest Episcopus aliquando dispensare in impedimentis solo iure Ecclesiastico dirimentibus, vt docent Sanch. *lib.2.disp.40.& lib.9.disp.5.* Henriquez *lib.12 cap.5.* Filliuc. *sup.n.302.& 304.* Villalob. *loco citat num.3.* Coninch *disp.33.dub.3.* Basilius *lib 8 c.13.* Vasquez 1.2.*disp.178. cap.2.* Hurtado *disp.26. diff.2. num.6.* cum aliis Bonac. *quæst.3. de matrimon. punct.14 n.4.* Barbosa *de offic & potest. Episcop. allegat.35.* & communiter Doctores, debent tamen seruari conditiones sequentes.

10 Prima, vt matrimonium sit præsumptum, quia publicè in facie Ecclesiæ contractum est, & non possit fieri separatio coniugum absque scandalo, aut infamia, aut suspicione grauis delicti, vt omnes DD. citati conueniunt, nam iis concurrentibus, censetur Pontifex ob vrgentem necessitatem concedere facultatem, secus si deficiant, nam deficit necessitas, & cessat dicta præsumptio.

11 Secunda, vt matrimonium sit bona fide contractum, saltem ex parte alterius, Sanchez *lib.2.disp.40. n.4.* vnde dispensare non poterit Episcopus, si contractum sit mala fide ex parte vtriusque, id est, si vterque notitiam habebat impedimenti dirimentis, quidquid Henriq *lib.12 cap.3.num.2.lit. K.& lit.O.* ea solum ratione ductus, quia Angel. Syluest. Nauarr. & alij bonæ fidei non meminerunt; nostra tamen sententia, quam tenent Sanchez *supra*, Hurtado, & alij, verior est: & probatur, quia mens Pontificis non est, iniquitati fauere, & peruersæ contrahentium audaciæ, & vt illa sit facilioris dispensationis occasio, ne quotidie hac spe celebrarentur matrimonia contemptis impedimentis dirimentibus. Quod autem sufficiat bona fides saltem ex parte vnius, videtur æquitati consonum, non enim videtur æquum puniri innocentem, ob alterius delictum, vide Sanch *loco cit.*

12 Tertia conditio est, vt matrimonium sit iam contractum: vnde antequam contrahatur matrimonium, Episcopus non poterit dispensare, regulariter loquendo, in impedimento dirimenti, nam tunc non vrget necessitas, nec inueniuntur aliæ circumstantiæ (de quibus infra) ratione quarum conceditur Episcopis dispensatio. Dixi, *regulariter*, nam valdè probabile est, in casu raro posse Episcopum dispensare ante matrimonium, quando scilicet vrgens necessitas id postularet, & tentatis omnibus mediis, nulla via pateret vitandi, vel differendi tale matrimonium, sine suspicione alicuius criminis, ita Sanchez *lib.2. disput. 40. num.7.* & cum eo Henriq. & Val. Bonac. *quæst.3. de matrimon. punct. 14. num.6.* Hurtado *disput. 26. diff.2. num.7.* cum Sanchez, & Basilio, & Villalobos, *tractat.14.diff. 25. num.6.* & cum aliis Diana *part.2. tractat.16.resolut.19.* Vnde, inquit Sanchez, Episcopus poterit in foro conscientiæ dispensare cum illa, quæ manè accedit ad confitendum, & inuenitur habere impedimentum dirimens, cuius manifestatio esset illi causa grauis infamiæ, v.g. quia cognouit fratrem sponsi, sed iam parata sunt omnia ad nuptias eo manè, aut vespere celebrandas, nec adest alia via ad euadendam infamiam, vel suspicionem grauis delicti in confessione manifestati, si tunc non celebrarentur nuptiæ: idem posse Episcopum, quando non est aditus ad superiorem, casu quo quis est morti proximus, & vult legitimare filios, vel restaurare honorem concubinæ, vel pro bono pacis, docet Hurtado *supra*, cum Sanchez, & Basilio: hoc autem intellige, casu quo matrimonium non posset, moraliter differri, absque graui scandalo, & nullum suppeteret remedium ad illud differendum.

13 Nota tamen diligenter pro praxi cum Sanchez *lib.2.disp 40.num.7.* ad hoc, vt matrimonium possit differri sine scandalo, aut suspicione in casu dicto in secunda conditione, quando scilicet sponsus, vel sponsa confessa fuit illud impedimentum, paratis iam omnibus ad nuptias, optimum medium esse, vt confessarius consulat tali coniugi vt emittat votum castitatis ad tempus, v.g. ad mensem, & dicat consanguineis, se voto castitatis obligatam esse, iussumque sibi esse à confessario, vt à nuptiis abstineat, donec voti dispensatio impetretur à summo Pontifice, & dum pro illa dispensatione obtinenda existimant consanguinei, Romam mitti, poterit dispensatio veri impedimenti ab ipso Papa obtineri. Caueat tamen ne ipsa dicat, votum, quod tunc emisit, esse ad tempus, ne audientes asserant sufficere dispensationem Episcopi, & sic remedium sit frustratorium. In quo quidem casu si vrgeret necessitas, & immineret periculum scandali ex dilatione, posset Episcopus dispensare, vt dixi *num. anteced.* Quid si omnibus supradictis paratis ad nuptias, & medium voti non esset sufficiens ad differendum matrimonium, nec est locus adeundi Episcopum pro dispensatione, aut si Episcopus noluerit dispensare ante contractum matrimonium, quod si statim non celebratur, sequentur grauissima scandala, & detrimenta? Quidam magister consulit, vt confessarius dicat habenti, & scienti impedimentum, vt contrahat, sine intentione tamen, ne peccet, & sit sacrilegus; quo quidem modo contrahens non peccat, vt insinuant Castro Palao *tract.3. de legib.disp.2. punct.11.num.1. & de peccatis tractat.2.disp 1.punct.13. num.7.* & Sanch. *de matrimon.lib.4.disp.16 num 6.* Nullo tamen modo petat, nec reddat, dicatque, se vouisse per tres, vel aliquot dies non accedere ad coniugem: *El qual voto hizo por lo mucho que de seaua aquel matrimonio, y para que tenga buen fin y fruto de bendicion, para honra, y gloria de Dios.* Et interim, matrimonio iam contracto bona fide, saltem ex parte alterius, poterit Episcopus dispensare modo supradicto, & matrimonium reualidari modo explicato *c.4. dub. 4.* Sed quid faciet, si intra illud tempus vir cogat illam ad debitum reddendum? Huic dubio partim satisfactum est *dub.cit.vers. Ex his sequitur.* & dicemus vbi de redditione, quando dubitatur an sit validum matrimonium, vel adest incertitudo de illius inualiditate.

14 Quarta conditio est, vt matrimonium sit publicum, & impedimentum occultum, nam si impedimentum est publicum, cessat ratio scandali, & suspicio delicti; quæ sunt causa, cur Episcopus dispensare potest. Ideo si matrimonium est occultum, similiter & impedimentum, non poterit dispensare Episcopus, modo tamen fieri possit separatio, absque graui scandalo, & periculo alterius, qui tenetur impedimento dirimenti. Vnde si vxor esset ignara talis impedimenti, & non posset à viro separari, absque periculo vitæ, vel graui scandalo, posset Episcopus dispensare, si bona fide ex parte alterius matrimonium fuit contractum, Villalob. 1.*p.tract.14.diff.25. n.5.* nam in hoc casu eadem ratio militat, ac si matrimonium esset publicum. Dicitur autem impedimentum occultum, quando non publicè constat, nec facilè constare potest, nec est periculum, quod in foro externo detegatur, vt benè Henriq. *lib.12.cap.3. num.1.& 2.* & cum eo Sanch. *sup. num.11.*

15 Quinta est, vt non sit facilis aditus ad Pontificem, vel quia longissimè distat, vel quia ob paupertatem facultates non suppetunt, & non possunt separari absque graui scandalo, & periculo sus-

picientis

picientis alicuius delicti; quod procedit, etiamsi diuites sint, si Roma longissime absit, & adsit periculum incontinentiæ, aut scandalum, & infamia ex separatione. Sanchez *lib.2.disp.40.num.5.* Villalobos *supr. num. 5.*

16 His igitur concurrentibus, poterit Episcopus dispensare in impedimento dirimenti, matrimonio iam contracto, & etiam ante contractum, in casu rarissimo, *vt supra*, imò, & poterit hanc facultatem alteri delegare, vt probabilius existimant Sanebez *vbi sup num.*14.& Villalob. *loco cit. num.*7. Nam hæc facultas non competit ei iure delegationis, sed potestate ordinaria ob vrgentem necessitatem, at qui habet potestatem ordinariam, potest eam delegare, vt diximus vbi de ministro pœnitentiæ, vbi de assistentia Parochi in matrimonio, Procedit etiam hæc doctrina modo explicato, quando alter coniunx esset irretitus duplici impedimento dirimenti occulto, nam vt bene docent Sanchez *sup. num.* 7. & Villalob. *num.*6. eadem est ratio vnius ac duplicis impedimenti. Id autem quod potest Episcopus, non potest Vicarius Episcopi nisi ex peculiari commissione Episcopi, vt bene Sanchez *supra num* 12. & cum eo Coninch, & Basilio, & Hurtado, *sup. num* 7. Ratio est, quia ex generali commissione Vicariatus non habet potestatem dispensandi, nisi sibi committatur, vt cum multis idem Sanchez *loco citat.*

17 Aduertendum tamen est, hanc potestatem, quam habent Episcopi, dispensandi in impedimentis dirimentibus occultis, esse pro solo conscientiæ foro similem illi, quæ Episcopis in Trident *sess.*24. *cap.* 6. *de reformat.* conceditur circa casus occultos pro solo conscientiæ foro. Henriquez *supra num.* 2. & Sanchez *num.*10.

18 Notandum etiam est, habentem priuilegium dispensandi in casibus Episcopalibus, etiam matrimonialibus, minimè posse dispensare in casibus, qui non iure ordinario, sed ratione vrgentis necessitatis competunt Episcopo, quia ij non dicuntur casus Episcopales, sed verè ad Pontificem pertinent, & ex quadam iuris interpretatione Episcopis permissi censentur. Henriquez *lib. 6. de pœnitent. c.*14. *num.*7 *lit. P.* Sanchez *lib.* 2. *disput.* 40. *num.* 9. & dixi in Bulla *lib.*1.§.7.*cap.*3. *dub.*15. & in Decalog. *lib.*2.*cap.*2.*dub* 39.

19 Sed difficultas est, an in prædictis casibus possit Episcopus dispensare, quando facile recurri potest ad Nuntium Apostolicum, si potestatem habeat ad dispensandum, vel ad alium quemcumque, qui habet potestatem talem, vt est Commissarius Cruciatæ (de quo infra) Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 10. *numer.* 1. *lit. D & lib.*12. *de matrimon. cap.* 3. *numer.* 1. *lit. H.* ait posse, quia ius soli Pontifici reseruat dispensationem; cum ergo is adire nequeat, poterit tunc Ordinarius dispensare: probabilis quidem opinio, de qua etiam dixi *lib.*4. *de pœnit.* vbi de absolutione à casibus reseruatis: probabilius tamen, & verius est, tunc non posse, vt docent Nauarr. *c.* 12. *num.*85.& 89. Sanchez, *lib.*2.*disput.*40. *num.*8. Ratio est, quia tunc cessat vrgens necessitas, quæ est causa cur possit Episcopus dispensare, & cur ex iuris interpretatione, & tacita commissione ei talis facultas conceditur, proinde id tanquam certum supponunt Bonacina *quæst.*3.*de matrim. punct.* 14. *n.*4. Villalobos *tract.*14.*diff.*25.*num.*3. Hurtado *disp.*26. *diff.*2. *num.*7. & alij.

20 Dico tertiò, concurrentibus supradictis conditionibus, potest dispensare in impedimentis dirimentibus Legatus à latere in sua prouincia, quia in ea eandem habet potestatem, quam Episcopus in suo Episcopatu, quamuis non maiorem. Henriquez *lib.*12.*cap.*3.*num.*2. Villalobos *supr. num.*3.*vers. Lo mismo.* Hurtado *sup. num* 7. *vers. Id quoque.* Coninch. *disp.* 30. *num.*3. Idem etiam poterit Capitulum Sede vacante, quia eandem iurisdictionem habet, quam habet Episcopus. Villalobos *loco cit.* & alij.

21 Dico quartò, Commissarius Bullæ Cruciatæ potest pro foro conscientiæ dispensare cum his, qui bona fide, saltem ex parte alterius, inualidè contraxerunt, ob affinitatem occultam ortam ex copula fornicaria, etiam in primo gradu, vt interim validè contrahant, modò tamen moneatur ignorans, quod matrimonium fuit nullum, quamuis non sit necessarium manifestare ei causam nullitatis. Quod potest facere Commissarius, quamuis Pontifex sit præsens, quia hoc illi conceditur absque aliqua limitatione. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 6. *num.*23 *tom.*3. Hurtado *supr num.*8. Villalobos *loco cit. num.*8. & dixi late in expositione Bullæ Cruciatæ *lib.*2.§ 4.*dub.*1.

22 Nota, posse etiam Episcopum dispensare in coniugatis, vt debitum petere possint, quando matrimonio iam contracto, superuenit impedimentum, ratione cuius priuantur debiti petitione, vt si superueniat affinitas, vel cognatio spiritualis, vt restatur consuetudo iam præscripta. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 12. *n.*13. Henriq. *lib.* 11. *c.*15. Filliuc. *tom.*1 *tr.*10. *part.*2.*c.*10.*n* 308. Nauarr. *cap.*16 *num.*14. Bonacina *quæst.*3.*de matrim. punct.*15 *num* 5. cum aliis. Similiter potest dispensare, vt coniugatus voto castitatis irretitus, possit petere debitum, de quo latiùs dixi in Decalogo, vbi de votorum dispensatione, & docent Sanchez *sup. num.*4. & alij citati, nam id non est dispensare in voto, quia matrimonio soluto tenetur ad illud, sed tantùm ad effectum quendam, durante matrimonio, videlicet, vt possit petere debitum ob periculum incontinentiæ; quod etsi absolutè pertineat ad Papam, tamen ex consuetudine (quæ indicat dari iurisdictionem) dispensare solet Episcopus, vt pluribus Sanchez *disp.*12.*num.*4. vide Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.* 36. & 37. & nos infra, vbi de redditione debiti.

DVB. II.

Quæ sint iustæ causæ ad dispensandum in impedimentis matrimonij.

1 SVppono primò, loquendo de dispensatione in communi, si inferior dispenset in lege superioris sine causa, dispensationem esse inualidam, vt docet communis Theologorum, ex Sanchez *lib* 8. *disput.*17. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & Canonistarum cum Glossa *cap. non est verb. Adimplere, de voto.* vt cum multis Bonacina *tom.*1. *disput.*1. *quæst.*1 *punct.*3. *num.* 12. Ratio est, quia cùm tunc fiat dispensatio in alienis bonis, & in aliena voluntate, non potest præsumi, concedi facultatem à superiore in tali casu, sicut nec dominus œconomo non censetur dare facultatem, vt domini bona dissipet. Vnde Papæ dispensatio in iure diuino naturali, vt voto, iuramento, &c. sine causa inualida est, vt dixi suis locis, quia dispensatur in lege superioris. Similiter inualida est dispensatio Episcopi sine causa facta in lege ieiunij, aut obseruationis festorum, quia quoties cumque committitur inferiori potestas dispensandi, intelligitur iusta causa existente, vt pluribus Sanchez *disp.*17.*num.*4. At causa reuera existente, non requiritur

quiritur cognitio causæ, vt valida sit talis dispensatio in foro conscientiæ, potest tamen irritari in foro externo, in quo præsumitur subreptitia, ex Tridentino *sess. 25. cap. 18. de reformat.* ibi: *id causa cognita, summaque maturitate, &c. quòd si aliter fiat, dispensatio subreptitia censeatur.* Ob quæ verba aliqui non improbabiliter existimant, dispensationem talem absque causæ cognitione esse nullam. Vide Sanchez *dict. disput. 17. numer. 10. & 11.* Præsumi autem debet causa in dispensatore, quamuis de ea non constet, si dispensat motu proprio in iure humano, secus si dispensat ad instantiam partis vel in iure diuino, aut naturali; tunc enim non præsumitur, nisi probetur, quia censetur dispensatio extorta per importunitatem, quamuis in foro conscientiæ præsumi possit pro superiore, dum non constat subdito defectus causæ. Sotus *dist. 25. quæst. 2 artic. 2.* Suarez *tom. 5. disput 41. sect. 3.* Filliucius *tract. 10. tom. 1. part. 2. cap. 10. numer. 211.* & alij. In foro conscientiæ credi potest cuicumque viro timorato dicenti, se habere potestatem delegatam ad dispensandum: in foro autem externo probanda est commissio delegata, ostensis litteris, nisi delegatus sit persona constituta in excelsa dignitate, nec agatur de præiudicio tertij, vt pluribus Sanchez *lib. 8. disput. 17. à numer. 18.* Ex dictis constat, dispensantem sine causa in lege superioris peccare mortaliter, nisi leuitas materiæ excuset, vt docent communiter Doctores, quia versamur in materia graui; erit ergo talis dispensatio irrita, & ea se peccatum mortale. Sanchez *sup.* Bonacina *loco citat. num. 15.*

2 Suppono secundò, quando Princeps, vel quicumque alius inferior legislator dispensat in sua lege, quam ipse condidit, dispensatio absque aliqua causa facta, valida est. Nauarr. *prælud. 9.* Couarr. *cap. alma mater. 1. part. §. 1. numer. 7.* Caietan. *2. 2. quæst. 95. artic. 5. fin.* Sotus *lib. 1. de iustit. quæst. 7. artic. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. numer. 213.* Sanchez cum aliis *lib. 8. disp. 17. numer. 24.* Ratio est, quia tunc legislator dispensat in re propria, & in propria voluntate, eam mutando, à qua sola vim habet lex. Hinc fit, Episcopum dispensantem in constitutione Synodi diœcesanæ absque causa, validè dispensare, quia solus Episcopus habet suffragium decisiuum, ideo est lex eius; non autem sic Archiepiscopus in prouinciali constitutione, nam Archiepiscopus est inferior Concilio prouinciali, Bonacina *2. tom. disput. 1. quæst. 2. punct. 3. numer. 4.* cum Sanchez *lib. 8. disput. 17. num. 28.* At etsi talis dispensatio valida sit, est tamen illicita, & peccatum, quia dispensare sine causa est prohibitum à iure, *cap. cùm omnes, de constitut.* vbi prohibetur, ne inferiores dispensent in suis legibus, violaturque ius naturæ dictans, partem suo toto debere se conformare, & æqualitatem erga omnes debere seruari ex iustitia. Hoc autem peccatum, secluso scandalo, solùm videtur veniale; quia non videtur res tanti momenti, quempiam à legis obligatione absque causa eximere, eo quòd hoc pendeat à voluntate legislatoris: at si adsit scandalum, esset tunc mortale, vt quando nimis grauantur alij, ea eo quòd aliquis absque causa solueretur à lege tributi. Nauarr. *cap. 25. num. 5.* Filliucius *sup. num. 314.* & cum aliis Sanchez *lib. 8. disput. 18. num. 7.* Hinc sequitur, eum, qui petit dispensationem absque iusta causa scienter, peccare eo modo, quo concedens peccat, quia hunc inducit ad peccandum. Similiter vtens hac dispensatione sine causa concessa, validè tamen, peccat tantùm venialiter, vt cum Nauarr. Soto, Couarr. & aliis docet Sanchez *vbi supra num. 12.* & cum his Filliucius *vbi supr.* modò tamen absit scandalum, & notabile damnum aliorum, vide in nostro Decalogo *locis sup. cit.* de his suppositis, vide Bonacinam *tom. 2. disput. 1. quæst. 2. punct. 2. & 3.* Sequitur etiam, ea quæ dicta sunt de ipso legislatore, procedere etiam de eius successore ipsi æquali in officio, & potestate; nam æqualis in iurisdictione potest dispensare in legibus latis ab eo, cui ipse in iurisdictione successit; nam gaudet eadem potestate: vnde Papa dispensare potest in legibus Canonicis, siue latis à Pontificibus, siue à Conciliis, & in legibus latis ab Apostolis tanquam Episcopis, & Pastoribus Ecclesiarum, vt in ieiunio, &c. & Episcopus in legibus synodalibus latis à suo successore. Clauis Regia *lib. 3. cap. 15. num. 6.* Suarez *lib. 6. cap. 12. numer. 5. & cap. 14. num. 2.* & cum aliis Bonacina *tom. 1. disput. 1. quæst. 2. num. 7. & 8.*

3 Respondendo igitur ad titulum dubij, dico, varias adduci à Doctoribus causas ad iustificandam dispensationem matrimonialem, quarum quædam spectant ad dispensationem in communi, siue in quocumque gradu, aliæ verò ad certum gradum, de quibus sigillatim.

4 Prima ergo causa ad dispensandum est bonum pacis inter consanguineos, aut inter alias personas, vt est extinctio magnæ litis, euitatio grauis scandali, probabilis timor inimicitiarum, aut si dispensatio est causa obuiandi alicui magno delicto. Nauarr. *c. 22. num. vlt.* Henriq. *lib. 12. cap. 3. n. 9.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10 part. 2 c. 10. num. 315.* & communiter omnes apud Sanchez *lib. 8. disp. 19.*

5 Secunda est inæqualitas matrimonij ob loci angustiam, vel nimiam cognationem in loco quem habitat, nisi tradatur consanguineis, vel affinibus, hoc est, quando ob loci angustiam, vel nimis propagatam fœminæ coniunctionem, non reperitur matrimonium æquale, præterquam cum consanguineis, & affinibus. Ita citatt, Hurtado *disput. 26. diff. 3. num. 11.* Villalobos *1. part. tract. 14. diff. 16. num. 6.* & communiter omnes apud Sanchez *disp. 19. num. 12.* Ratio est, quia expedit bono communi, vt matrimonium contrahatur inter pares, & æquales, ideo hispanè dicitur: *Si quieres bien casar, casa con tu igual.* Nec requiritur, quòd in locis circumuicinis non reperiatur matrimonium æquale; satis enim est, non reperiri in loco ipso mulieris, vt declarauit sacra Congregatio apud Sanchez, & Villalobos; non enim cogenda est mulier, vt extra patriam nubat. Nec requiritur ad verificandam hanc causam, vt inquisitio personæ æqualis fiat discurrendo per totum illum locum, sed satis est, quod maior pars sibi æqualium in loco, vel ciuitate, vbi habitat fœmina, sint consanguinei, vel affines; non enim mulier ita adstringenda, vt cum vno, aut duobus possit nubere, sed danda est ei libertas, vt possit eligere, propter nimiam libertatem matrimonij, & eo quòd multa requirantur, vt sint æquales, v. g. quòd æqualitas reperiatur in nobilitate, diuitiis, & moribus, & in ætate, de quo Sanch. *vbi sup. num. 24.* Filliucius *sup. num. 316.* & alij.

6 Tertia causa est defectu dotis competentis, vt fœmina iuxta suam conditionem nubat extraneo æquali, hoc est, quando fœmina non habet dotem competentem, vt possit nubere cum non consanguineo, aut affine; spectat enim ad bonum commune, ne mulieres ob defectum dotis maneant innuptæ, & vt ne nubant inæquali, sed æquali. Idem ob eandem rationem dicendum est de viro, si de-

fectu

fectu substantiæ nequeat inuenire vxorem sibi dignam, nisi eam, inter quam, & ipsum est impedimentum, Hurtado *sup. n. 1. fin.*

7 Circa hanc tertiam causam notandum est primò, non dici fœminam carere dote competenti, si dos, quam habet, sufficiens sit, vt nubat sibi æquali absque dispensatione, quamuis non sufficiat, vt nubat viro maiori, diriori, &c. quia in hoc nulla est pietatis causa, neque Ecclesia debet fauere dispensando, vt quærat virum sibi maiorem; vnde talis defectus dotis non erit sufficiens causa ad dispensandum, Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. c. 10. n. 317.* & alij. Secundò censetur causa sufficiens, periculum amittendi patrimonium, vel bonam illius partem, nisi nubat consanguineo, qui Doctor est, vel Procurator, &c. vt negotium tanquam proprium gerere possit. Tertiò, censeri fœminam pauperem, si nihil ipsa possideat, etsi parentes habeat diuites, si in eorum libertate sit relinquere bona, cui placuerit, relicta parua summa filiæ, vel legitima, quæ incompetens sit ad dotem; vel si non possint se boois spoliare, dum viuunt, vt vitam secundùm statum conuenientem ducant; secus si habeat ius succedendi in bonis paternis, & compelleodi eos, vt eam statim competenter dotent. Dicetur autem pauper, & carere dote, si verè eam non habeat, quamuis habeat patrem diuitem habentem voluntatem dotandi illam, si ad eam dotandam ex pacto, aut obligatione aliqua non teneatur. Villalobos 1. *part. tract.* 14. *diff.* 26. *num.* 6. vide Filliucium *vbi supra.* Quartò, non censeri fœminam pauperem, quæ bonis renuntiauit, ea intentione, vt titulo paupertatis obtineret dispensationem ad nubendum consanguineo; nam si hæc causa allegaretur, potius retraheret dispensatorem; si taceatur esset subreptitia: secus si non ea intentione, sed alio fine etiam inhonesto, quia reuera pauper esset, nec esset exprimenda renuntiatio. Filliuc. *loco citato*, cum Sanchez *lib. 8. disp. 19. num. 26.* Quintò, si quando dispensatio quæritur, fœmina verè pauper est, at dum expeditur dispensatio Romæ vel apud Ordinarium, fit diues ob hæreditatem, vel legatum relictum, potest etiam renuntiare hæreditati, vel legato, antequam tacitè, vel expressè acceptet, nec tunc cessat valor dispensationis: quia iura concedunt renuntiationem prædictam, eo quòd hoc non sit minuere proprium patrimonium, sed tantum non acquirere; non autem potest renuntiare in fauorem alterius, quia tunc prius natura includitur tacita aditio hæreditatis, aut legati, vt pluribus Sanchez *num.* 27. & cum eo Filliuc. *loco citato, versic. Quinto si.* Sextò, quoties fœmina verè innupta remanerer, etiamsi aliunde, quam ea paupertate id proueniret satis esset; omnibus enim pensatis dos sufficiens non esset. Filliuc. *sup. vers. Sextò.*

8 Quartò, causa est conseruatio facultatis in eadem cognatione, modò facultates, seu diuitiæ, habita consideratione loci, & personarum, amplæ sint, seu magni momenti, ita citati: expedit enim Reipublicæ, seu bono publico familias conseruari locupletes, & integras, *l. 1. ff. de ventr. inspic.* Filliuc. *supra num.* 318. & communiter Doctores.

9 Quinta est conseruatio illustris familiæ intra eundem sanguinem, pertinet enim ad bonum commune conseruatio illustrium familiarum; sic ait Henriquez *lib. 11. c. 1.* Gregor. XIII. dispensasse cum D. Luisa Comitissa S. Cadiæ, vt nuberet patruo, cui prior soror eius nupserat, & præterea illa voto continentiæ adstricta erat.

10 Sexta est excellentia meritorum erga Ecclesiam, siue petentis dispensationem, siue eius, in cuius gratiam petitur, quia æquum est, vt qui de Ecclesia sunt benemeriti, eius benignitatem experiantur: expedit etiam bono communi Papam remunerari sic homines, vt animosiores reddantur ad egregia facinora.

11 Septima est, quando proles habita ex consanguinea, bona fide, id est, ignorando esse consanguineam, si enim mala fide habita esset, potius retardaret Papam à dispensando. Hinc fit, esse sufficientem causam dispensandi, quando matrimonium contractum fuit bona fide, & postea apparet matrimonium nullum propter impedimentum occultum ignoratum, & proles iam suscepta est, ea bona fide durante. Villalob. *sup. num.* 7. vide Henriquez *dict. cap.* 3. & Sanch. *disp.* 19.

12 Octaua, est magna pecuniæ quantitas ad opera pia ad sumptus publicos, vt expeditionem contra Turcas, subsidium contra infideles, Ecclesiæ restaurationem, & similia: præsertim quando impedimentum non est adeo arctum, vt contingit in gradibus remotioribus, quibus in causis dicta compositio habet vim causæ, iuncta benignitate, & clementia Pontificis. Vide Sanchez *disp.* 19. *cit.* & Nauarr. *cap.* 22. *num. vltim.*

13 Quòd si loquamur de dispensatione in aliquo gradu propinquiore, vel cum aliquibus personis determinatis, hæc breuiter aduertenda sunt.

14 Primò, causam debere referri in bonum commune, vel directè, vel indirectè, seu virtute, quatenus bonum partis redundat in totum, quo modo dispensator ob inopiam fœminæ, ob periculum incontinentiæ in ea, quæ habet votum: vnde sufficit, quod immediatè respiciat bonum partis, & mediatè bonum commune, quatenus bonum partis redundat in bonum commune. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *numer.* 319. Villalobos 1. *part. tractat.* 14. *diff.* 26. *num.* 2. & alij.

15 Secundò, dispensatio in secundo gradu concedi non debet nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam, ex Trident. *sess.* 24. *de matrimon. cap.* 5. ibi: *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Per magnos Principes non solum Reges, eorumque filij aliique Regibus comparati, vt Dux Bauariæ, Sabaudiæ, Florentiæ, Mantuæ, Parmæ, & similes, sed etiam Domini titulati, etiam feudatarij, & subiecti Principibus liberis possunt intelligi, vt ex Baldo *cap. innotuit, num. penult. de elect.* docet Sanchez *lib.* 8. *disp.* 19. *num.* 2. & cum eo Filliuc. *supra, versic. Secundo*, & Villalobos *tract.* 14. *part.* 1. *diff.* 26. *n.* 4. quod etiam extendunt ad viros valde opulentos. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 6. & 9. & Ledesma *in summ. cap.* 17. *conclus.* 4. Sub hoc autem decreto, iuxta communem Doctorum intelligentiam, non comprehenditur impedimentum publicæ honestatis, etiam in primo gradu, vt ait Nauarr. *consil.* 4. *de consanguinitate*, nec affinitas ex fornicatione, Sanchez *num.* 2. quia valde imperfecta est; tantum enim comprehendit gradus consanguinitatis, & affinitatis ortæ ex matrimonio: at quia Papa non cogitur eo decreto, solet aliquando ex benignitate dispensare in secundo gradu consanguinitatis cum personis non tam grauibus, sed ordinis, & notæ inferioris, etiamsi dispensatio non tendat directè in bonum publicum, vt innuit ipsum Tridentinum *sup. c.* 8. ibi: *Quòd si vrgens necessitas, iustaque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerint cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, &c.* modò tamen hæ causæ adsint. Prima, quòd matri

matrimonium sit bona fide contractum nesciendo Tridentini decretum: secunda, si proles iam sit habita: tertia, diuturnitas matrimonij iam contracti: quarta, si scandalum secuturum sit in separatione: quinta, clementia, & benignitas Pontificis, præsertim si puella sit pauper, & vult patruus eam ducere, ac dotare, aut si puella non attingat octodecim annos. Vide Ledesmam *loco sup. citat.* Nauarr. *consil.* 13. *de consang.* Filliucium *vbi sup. num.* 319. Villalobos *loc. cit. num.* 5. & Sanchez *dict. disp.* 19.

16 Tertiò nota, facilius dispensari cum diuitibus, & potentibus, quia id magis est necessarium bono communi ad firmandam pacem: neque propterea est vlla acceptatio personarum (vt stultè garriunt hæretici) S. Thom. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 2. Couarr. 2. *part. de matrim. cap.* 6. §. 9. *num.* 7. Filliuc. *loco citat.* Villalobos *vbi sup.* & alij.

17 Quartò, ad dispensandum in gradu propinquiore requiri causam magis vrgentem, & in gradibus consanguinitatis maiorem requiri, quàm in gradibus affinitatis, & magis in linea recta, quàm in transuersa; item magis in cognatione spirituali, quàm in carnali. Sanchez *disp.* 19. *n.* 7. & alij citati.

18 Quintò, quando aliquæ causæ singulæ non sufficiunt, plures tamen causæ aggregatæ sufficere possunt, & se ad inuicem adiuuare. Leuior tamen causa requiritur ad dispensandum in matrimonio iam contracto, si impedimentum sit occultum, & contractum bona fide, in quo faciliùs dispensatur, imò regulariter solleicit fuisse contractum, quia ex separatione contrahentium regulariter grauia incommoda oriuntur, præsertim quando matrimonium fuit consummatum, & maximè quando iam fuit proles genita. Hurtado *diff.* 26. *diff.* 5. *num.* 13. & alij.

19 Sed quæres, quænam censeantur causæ sufficientes dispensandi in impedimentis non dirimentibus; huic quæstioni satisfactum est, partim *cap. antecedent. dub. vltim.* & fusiùs in Decalog. *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 32. vbi de causis, ad dispensandum in votis præcipuè castitatis, & religionis, quæ sunt præcipua impedimenta impedientia, vide ibi & Sanch. *lib.* 8. *disp.* 20. ac Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *num.* 320. 321. 322. Breuiter tamen dico, ad validè dispensandum in votis, quibus matrimonium impeditur, seu prohibetur, esse etiam necessariam causam rationalem, iudicio prudentis discernendam, qualis est, spes publica pacis, aut quòd materia voti, facta sit periculosa vouenti, siue ob occasiones moraliter ineuitabiles, siue ob scrupulos, siue ob fragilitatem, aut quòd sit dubium, an fuerit validè promissa Deo, vel an sit maturè promissa, & etiam ad validè dispensandum in sponsalibus, vt possit contrahi cum alia, est necessaria causa arbitrio prudentis discernenda, qualis est, si timeatur priorem sponsam futuram esse occasionem peccandi sponso, aut si ex matrimonio cum altera speratur publica pax, aut extinctio, vel impeditio grauium discordiarum. Hurtado *disp.* 26. *diff.* 5. *n.* 13. vide *dub. vltim. citat.* & *dub.* 32. *de voto.*

DVB. III.

Vtrum dispensatio, in cuius petitione exprimitur falsum, aut reticetur verum, sit nulla.

5 De hoc dubio egi in Decal. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 33. *per tot.* vide ibi, & Sanchez *lib.* 8 *de matrim. disp.* 21. vbi de hoc latè & *lib.* 2. *operu mor. cap.* 47. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto c. vlt.* Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 1. *punct.* 5. & vbi de voto, *q.* 1. *punct.* 7. §. 4. Villalob. 1. *part. tract.* 2. *diff.* 43. & *tract.* 34. *diff.* 28. Hurtado *disput.* 26. *diff.* 4. & Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *quæst.* 7. *num.* 323. 324. & 325. Solum aduertendum occurrit, quando in dispensatione ponitur hæc clausula, *motu proprio*, talem dispensationem tollere vitium subreptionis, quod oritur, ex eo quòd tacetur veritas, quæ necessariò erat exprimenda; secus autem quando vitium prouenit ex eo quòd in contrarium proposita fuit causa falsa, vt docet Sanchez *d. disp.* 21. *à n.* 47. Ratio disparitatis est, quòd Pontifex in priori casu ex sua liberalitate in illa clausula supplet ignorantiam veritatis, vt constat ex iure, *cap. si motu proprio, de præb. in* 6. *Clem. si Romani de Prabend.* at in secundo casu cum allegatur falsa causa, non præsumitur mens Pontificis in tali casu velle dispensare de clausula motu proprio: vide Barbos. *in variis*, vbi de clausulis.

DVB. IV.

Quæ sint exprimenda, & narranda in petitione dispensationis, vt sit legitima, & non subreptitia.

5 Dico primò, quando sunt plura impedimenta diuersæ rationis, seu distincta specie, & minimè connexa, vt consanguinitas, affinitas, votum, &c. conueniunt Doctores, esse necessariò in petitione exprimenda ad dispensandum. Ratio est euidens, quia ex vna parte quodlibet impedimentum eget dispensatione, ac proinde quodlibet est in petitione Pontifici exprimendum, & ea altera parte, cum non sint connexa, vnum non exprimitur expressione alterius. An hæc impedimenta necessariò exprimenda sint simul in vna petitione, vt simul dispensetur; an sufficiat petere dispensationem separatim de singulis in diuersis petitionibus, Henriquez *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 8. Sà *verbo dispensatio, num.* 16. & Rodriguez *cap.* 236. *conclus.* 1. absoluè asserunt non esse necessarium, omnia simul exprimi in vna petitione, sed sufficere vno tacito, postea dispensando exprimere alterum: quia id non requiritur iure naturali, vt de se patet, nec positiuo, quia non extat. Sanchez verò *lib* 8. *disp.* 23. Ledesma *in summ. cap. de matrimon. conclus.* 6. Villalobos 1. *part. tract.* 14. *diff.* 27. *num.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10 *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 356. docent necessarium esse, omnia illa exprimi in eadem petitione, alioquin si in vna exprimatur vnum, & in alia aliud, erit dispensatio subreptitia. Hurtado verò *disput.* 26. *diff.* 6. *num.* 30. media incedit via, ait enim, primam opinionem esse veram, quando impedimenta sunt omnino disparata, ita vt coniungi nequeant, vt affinitas, & votum: secundam verò esse veram, quando coniunguntur specie, vel saltem genere, vt si sint duæ consanguinitates, vel consanguinitas, & affinitas; ego autem etsi existimem primam, & tertiam opinionem esse probabilem, & posse tute sequi saltem post factum, probabiliorem tamen, & in praxi veriorem reputo opinionem Sanchez, & aliorum, quam etiam sequitur in dispensationibus matrimonialibus (secus in aliis) Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 9. Ratio est, quia vnum impedimentum coniunctum cum altero facit fortius vinculum, & est difficilioris dispensationis, & impetrationis, quod procedit etiamsi ignoranter id fiat, nam eadem militat ratio: attamen si dispensatio non peteretur ad aliquid, vt ad matrimonium, ad quod habet duplex impedimentum, v.g. voti, & consanguinitatis, sed quod petatur absoluè, videlicet, vt liber sit à voto, & capax matrimonij, tempore quo ei placuerit illud contrahere; tunc

enim

enim si tantum exprimatur votum, non esse dispensationem subreptitiam. Item, quando vnum impedimentum esset occultum, vt affinitas ex fornicatione, aliud publicum, vt consanguinitas, tunc publicum posset aperiri in dispensatione publica, & occultum in confessione Pœnitentiarij Papæ, vel tacito nomine in supplicatione apud summum Pœnitentiarium, vt pluribus Sanchez *lib.*8. *disp.*23. & cum eo Filliuc. *sup. num.*326. Obiter nota, validam esse dispensationem, quam quis obtinet, non exprimendo se illam antea petiisse, sed non obtinuisse, quamuis eam petat cum iisdem circumstantiis, quibuscumque antea petierat, siue eam petat ab eodem, qui antea denegauerat, siue à successore, siue ab inferiori, quia adest voluntas, & potestas dispensantis cum causa. Ita Bonac. *sup. punct.*7. cum Suarez *lib.*6. *de legibus, cap* 22. Sanchez *lib.*8. *disput* 14. & 22. & Salas *de legib. disp.*20. *sect.*13. & 15.

2 Dico secundò, si agatur de dispensatione in impedimento consanguinitatis, explicanda sunt, quæ sequuntur. Primò gradus illius, vt secundus, tertius, vel quartus, nam quo gradus proximior est, eò difficilior est dispensatio; quare si quis in communi, & in genere diceret se esse consanguineum, esset dispensatio subreptitia, nam deesset qualitas necessariò exprimenda: communis ex Sanchez *lib.*8. *disp.*24. *num.*2. & 3.

3 Secundò, si contingat, alterum, vel vtrumque contrahentium esse alteri coniunctum duplici titulo consanguinitatis, in eodem, vel diuerso gradu, vt in tertio ex vtroque latere parentis, patris scilicet, & matris, vel in tertio ex vno tantum, & in quarto ex duplici latere, vel in tertio, & quarto ex vtroque latere bis, debent omnia hæc exprimi, fierique debet mentio multiplicis gradus vtroque titulo, alioquin dispensatio erit subreptitia. Ita docent Sanchez *sup. num.*5. Coninch *disp.*33. *dub* 6. Basilius *lib.*8. *cap.*17. Hurtado *disp.*26. *diff.*6. *num.*28. Bonac. *tom.*2 *disp.*1. *quæst.*2. *punct.*5. *num.*3. *versic. Secundò*, & Filliuc. *tom.*1. *tract.*10. *part.*2. *c.*10. *n.*327. *versic. Secundo si.* quidquid Rodriguez 1. *part. cap* 228. *num.*1. *ad fin.* & Vega loquentes de affinitate, & Ledesm. *in summ. cap.*27. *conclus.*6. *dub.*2. Ratio est, quia tunc etsi impedimenta non differant specie, sunt tamen plura numero distincta, & realiter, cum sint relationes respicientes diuersa extrinseca, aut si est tantum vnum impedimentum, habet tamen plures gradus, quorum quilibet auferri potest, altero remanente, sicut vnus introduci potest absque alio: ac proinde non eo ipso quòd est dispensatio vnius gradus, est dispensatio aliorum: deinde, quia in odiosis mixtum non comprehenditur sub simplici; at dispensatio est odiosa, & multiplex cognatio mixta dicitur, ergo, &c. ideo hæc sententia, vt probabilior, & verior tenenda est, & quia conformior praxi sacræ Pœnitentiariæ, & stylo Curiæ; vt referunt Filliuc. & Bonac. *locis citatis*.

4 Tertiò debet exprimi, an distantia graduum sit in linea recta, vel transuersali, vt si quis velit ducere auiam, vel neptem, proauiam, vel proneptem, vel filiam fratris sui, &c. Tum quia sic stylo Curiæ videtur receptum, teste Bonacio *sup. num.*5. Tum, quia secundum probabilem sententiam, gradus in linea recta est prohibitus iure naturali, & quamuis solo iure humano sit prohibitus, vt habet probabilior opinio, de qua *supra cap. antecedent.* tamen adest quædam indecentia maior, quàm si esset in linea transuersali, Sanchez *sup. num.*14. Filliuc. Hurtado, & alij.

5 Quartò, in explicando gradu inæquali, si inæqualitas oriatur ex eo quòd fœmina sit propinquior stipiti, debet id exprimi, alioquin dispensatio erit subreptitia, vt si fœmina sit amita, vel matertera in primo, & secundo gradu. Molina *tract.*2. *disp.*161. Sanchez *sup. num.*10. & Filliuc. *loco cit. num.* 327. *vers. Quarto in.* quia vir in matrimonio est superior; at si esset amita, vel matertera, illa est iure naturæ superior, ideo esset peculiaris indecentia, ac proinde necessariò exprimenda. Ita etiam Bonac. *sup. num.*16. *vers. Secunda est.*

6 Quintò, si error fiat in gradu explicando maiorem, vt tertium, cum tamen sit minor, vt quartus, non vitiatur dispensatio, vt docent communiter Doctores, quia gradus minor continetur in maiori, & qui dispensat in maiori, eo ipso, & à fortiori dispensat in minori. Hoc autem intellige, quando gradus maior, & minor sunt eiusdem speciei, vt consanguinitatis, aut affinitatis, quia si sunt diuersæ speciei, dispensatio est nulla, vt si exprimatur secundus gradus consanguinitatis, pro tertio affinitatis, quia minor tacitus non continetur in maiori expresso; & ex alio capite hæc impedimenta differunt specie; at quando est error in impedimento diuersæ speciei, quamuis exprimatur illud quod est maius, vt quando exprimitur consanguinitas pro affinitate, dispensatio est nulla, quia tunc vnum non continetur in alio: quod procedit, etiamsi communi errore putentur esse in tali consanguinitatis gradu, error enim non supplet intentionem concedentis, qui dispensare censetur in specie, sibi expressa, & non in alia, Bonacina *supra numer.*8. Quòd si minor gradus exprimatur pro maiori, vt tertius pro secundo, certum est non valere dispensationem, quia maior non continetur in minori, nec dispensatio minoris continet dispensationem maioris, vt de se patet. Hurtad. Filliuc. *vbi sup.* Sanchez *loco cit. num.* 19. & 20.

7 Dico tertiò, quando contracturi matrimonium distant à stipite in grado inæquali, vt vnus in secundo, alter in tertio, aut vnus in tertio, & alter in quarto, de iure communi ad validitatem dispensationis sufficit exprimere gradum remotiorem, quia reuera tantum sunt in eo grado, eo quòd computatio graduum sumatur à remotiori, vt dixi *cap. antecedent.* nam gradus remotior trahit ad se minus remotum. Dixi, *iure communi*, nam iure peculiari Pij V. reuocantis motum proprium Pij IV. in motu proprio de anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, qui incipit: *Sanctissimus*, quando propinquior distat à stipite in primo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, non sufficit exprimere gradum remotiorem, sed etiam cum illo exprimendus est primus gradus, qui est propinquior, aliter dispensatio est irrita, & nulla, vt habetur expressè in dicto motu proprio, in quo postquam declarauit, non posse literas subreptitias notari, defectu expressionis gradus propinquioris consanguinitatis, aut affinitatis, addit: *Dummodo primum quoque modo non attingat, cum in eo Sanctitas sua dispensare nunquam intendat.* Ex quo liquido constat, talem dispensationem esse nullam, nisi exprimatur etiam primus gradus consanguinitatis, aut affinitatis, qui est propinquior. Dixi, *consanguinitatis, vel affinitatis*, quia motus proprius Pij V. indifferenter loquitur, ibi: *Dummodo primum quoque modo non attingant*, & ita de affinitate, etiam intelligunt Sanchez *lib.*8. *disp.*24. *num.*32. & alij citandi; hoc autem intellige, modò alter, qui est in gradu remotiori, sit intra quartum, nam si extra illum sit, nulla est necessaria dispensatio, Sanchez *supra*, & dixi *in cap. antecedent.* Quòd si proximior gradus non sit primus, sed secundus, aut tertius, vt si sint in secundo, & tertio,

aut

aut in tertio, & quarto, non requiritur necessariò, quòd exprimatur gradus propinquior, sed sufficit, quòd fiat mentio gradus remotioris, seu magis distantis à stipite, quo solo expresso, valida erit dispensatio, Bonac. *supra num.* 16. Villalob. *tractat.* 14. *diff.* 27. *num.* 15. Filliuc. Hurtado *disput.* 26. *diff.* 7. *num.* 32. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 6. & cum aliis Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24. & deducitur apertè ex dicto motu Pij V. *Dummodo primum gradum non attingāt.* Nihilominus tamen si in hoc casu non fuit facta mentio in petitione dispensationis gradus propinquioris, sed solius remotioris, requiruntur post obtentam dispensationem literæ Pontificiæ declaratoriæ super propinquiore gradu, non expresso in petitione, vt expressè disponit Pius V. *vbi supra*, quæ quidem literæ expostulantur, non quòd dispensatio non fuerit valida; fuit etenim, vt dictum est, sed ad vitandum scandalum, quod solet in vulgo oriri, existimante duos inæqualiter distantes, v. g. alterum in secondo, alterum in quarto, esse magis propinquos, quam si vterque distaret in quarto, ideoque hæ literæ solum prosunt pro foro externo, ob idque Ordinarius non deberet dispensare, donec literæ declaratoriæ accedant, Sanchez *sup. num.* 29. at si de facto dispensasset, validum erit matrimonium, Villalobos *supra*. Ex quo fit, dato quòd impedimentum esset occultum, non requiri has literas declaratorias: imò quoties non timetur scandalum, vel quando res non est delata ad forum externum, possunt contrahere, absque dictis literis declaratoriis, eo quòd dictæ literæ solùm requirantur pro foro externo ad vitandum scandalum, & ita docent Sanchez *supra numer.* 31. Filliuc. *supra numer.* 328. Basilius *lib.* 8 *cap.* 17. §. 5. Hurtado *loco citat num.* 33. De consuetudine tamen, & stylo Curiæ semper solet exprimi gradus propinquior; etiamsi non sit in primo, ad euitanda dubia, & literas declaratorias, quæ postea obtinendæ essent, obtenta dispensatione, casu quo remotior tantum expressus fuisset, & ita tenentur exprimere, an sint in secundo, & tertio.

8 Aduerte tamen Bonac. 1. *tom. disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 5 *num.* 19. existimare, supradictas declaratorias non esse necessarias in impedimento affinitatis; nam ait, Pium V. solùm velle obtinendas esse literas declaratorias, quatenus Cælestinus III. *cap. quod dilectis, de consang. & affinit.* & quatenus Gregor. IX. *c.* 9. *eod tit.* volebant, fieri mentionem primi gradus, seu stipitis in dispensatione: at ij Pontifices solùm loquebantur de consanguinitate; ergo non procedit in affinitate. Sententiam Bonacinæ admitterem, nisi obstaret dictus motus proprius Pij V. qui loquitur indifferenter de consanguinitate, & affinitate, & stylus Curiæ indifferenter etiam de iis procedens, similiter Doctores, absolutè de iis loquentes; quare facienda est mentio in affinitate gradus remotioris, sicut in consanguinitate, modo sup. explic.

9 Dico quartò, si petatur dispensatio in impedimento affinitatis, hæc obseruanda sunt. Primò, exprimendus est gradus primus, secundus, vel tertius, vt diximus in consanguinitate. Secundò, exprimenda est multiplicitas eius, vt si essent affines duplici titulo, videlicet, quia contracturus matrimonium cognouit duas sorores consanguineas eius, cum qua vult contrahere intra secundum gradum, vel si ex duplici capite habet impedimentum publicæ honestatis, nimirum quia contraxit matrimonium ratum cum duplici consanguinea intra quartum gradum illius, cum qua vult contrahere, militat enim eadem ratio sicut in consanguinitate. Tertiò, si affinitas esset contracta ex pluribus fornicationibus cum eadem consanguinea illius, quam vult ducere, non est opus exprimere, copulam fuisse multiplicatam, satis enim esset exprimere affinitatem ex fornicatione, vt obseruat stylus Curiæ (idem in irregularitate contracta ex pluribus celebrationibus in censura) & docent Sanchez *lib.* 8. *disput.* 24. *num.* 4. *& seqq.* Villalob. 1. *part. tract.* 14. *diff.* 27. *n.* 1. Filliuc. *tract.* 14. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 329. & cum aliis Bonac. *tom.* 1. *disp* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. *vers. Non tamen.* Ratio est, quia sicut ex multiplici repetitione voti non multiplicatur votum, ita ex multiplici copula cum eadem, non iteratur affinitas. Henriq. *lib.* 12 *c.* 10. *n.* 3. Hinc fit, vt impetrans dispensationem in affinitate ex fornicatione, si postquam Pontifex dedit mandatum Episcopo, aut confessario ad dispensandum, antequam dicti exequantur illud, & dispensent, iterat copulam cum eadem fœmina, valeret dispensatio: nam per iteratam copulam non inducitur noua affinitas; ideo is, cui committitur dispensatio, potest virtute illius rescripti dispensare. Consequenter sequitur, si Titius postquam petiit à Pontifice dispensationem incestus cum Berta, eam iterum cognoscat, antequam Ordinarius literas exequatur, suffragari ei dictas literas, eo quòd non inducatur nouum impedimentum per superuenientem copulam, ita cum Bonacina *supra num.* 3. & 4. Secus tamen in vtroque consectario dicendum est, si copula sequatur vel iteratur, postquam is, cui datum est mandatum functus est munere suo dispensando, nam per dispensationem sublatum fuit impedimentum ante ipsam contractum, non verò sublatum est impedimentum, quod iterum, & de nouo consurgit ex copula post dispensationem. Filliuc. *loco cit. num.* 330. Sanchez *lib* 8. *disp.* 24 *num.* 7. & 8 & Villalob *loco cit. num.* 1. *vers. Tamen.* & cum aliis Bonacina *loco citato.* Quartò non est necesse in affinitate, & publica honestate explicare fœminam esse proximiorem stipiti; sicut è contra diximus, id esse necessarium in consanguinitate, sed sufficit explicare gradus inæqualitatem, vt diximus in consanguinitate, v. g. Titius vult ducere amitam, vel materteram vxoris suæ iam mortuæ cognitæ, vel non cognitæ, non est necesse, dicere esse amitam, vel materteram, sed sufficit dicat, se velle ducere fœminam consanguineam suæ vxoris in primo cum secundo. Ratio est, quia non adest peculiaris indecentia, ex reuerentia illi fœminæ, quæ debetur, sicut deberi in consanguinitate diximus, & ita tenent Filliucius *sup versic Quartò*, & cum Sanchez, & aliis Bonacina *loco citat. num.* 16. *versic. Secunda est.* Est tamen exprimenda distantia graduum in linea recta, vel transuersali, vt si quis vellet ducere auiam, vel neptem, proauiam, vel proneptem vxoris à se cognitæ, vel non cognitæ, vt diximus de consanguinitate ob rationes ibi allatas Sanchez *lib* 8. *disp.* 14. *num.* 14. & Filliuc. *loco citato, vers. Quintò.*

10 Dico quintò, quando publica honestas oritur ex matrimonio rato, debet id exprimi, non enim satis est dicere, intercedere impedimentum publicæ honestatis, sed debet addere, quod ex matrimonio rato quia hoc vinculum est multò arctius, quam si oriretur ex sponsalibus, Sanchez *sup. num.* 26. Filliuc. *loco citato, vers. Sextò*, & Bonacina *supra num.* 7. vbi asserit, id esse vsu receptum: si verò publica honestas sit in secundo, vel tertio gradu, vel quarto, non est necesse dicere, impedimentum publicæ honestatis oriri ex matrimonio rato, quia constat impedimentum publicæ honestatis, excepto primo gradu, non aliunde consurgere, quam ex matrimonio rato, cum ex sponsalibus non oriatur vltra primum gradum, ita Sanchez, & Bonac. *vbi sup.*

11 Quando

21 Quando verò honestas, & affinitas concurrunt, distinguendum est: si affinitas orta sit, ex copula licita, seu ex matrimonio consummato, sufficit declarare affinitatem ex copula licita, seu matrimoniali, tacita publica honestate, quia tunc tacitè fit mentio honestatis, cum in tali affinitate necessariò includatur: secus si fiat mentio in genere solius affinitatis; quia tunc nec tacitè, nec expressè fit mentio publicæ honestatis, cùm ea affinitas, tam de licita, quàm de illicita, possit intelligi. Ita cum multis Sanchez *lib.8. disp.24. num.37.* Hinc fit valere dispensationem affinitatis in tertio, vel quarto gradu, quamuis non explicetur, an ex copula licita oriatur hæc publica honestas; quia hæc affinitas non potest oriri, nisi ex copula coniugali; ac proinde tacitè declaratur honestas: in petitione autem affinitatis in primo, vel secundo grado, si ex copula coniugali oriatur, necessario narrandum ex copula coniugali consurgere, quia tunc duplex oritur impedimentum, nempe affinitatis, & publicæ honestatis, quod tunc tacetur, Sanchez *supra num* 40. vbi addit, nec sufficere mentionem affinitatis in genere, & publicæ honestatis in genere, quia cum publica honestas oriatur quoque ex sponsalibus, non explicatur, an ex matrimonio orta sit, cum tamen id esse necessarium, diximus *supra*. Item quia non explicatur, an affinitas ex matrimonio orta sit, cum hoc sit necessarium; nam hæc affinitas est multò fortius vinculum affinitate orta ex fornicatione, ita Sanchez. Attamen probabile est sufficere, exprimere affinitatem oriri ex matrimonio consummato, seu ex copula matrimoniali, nam ibi includitur publica honestas, vt tenet Couarr. & alij, apud Sanchez *supra num.*36. & Ledesm. *in summ. cap* 27. *de matrim. conclus.*6. *vers. De lo dicho.* & Filliuc. *supra num.*332. Quòd si affinitas orta sit ex copula illicita, separatim est facienda mentio de affinitate, & honestate, si tunc concurrant, vt si sponsus Franciscæ eam cognouit, & postea velit eius sororem ducere, tenetur tunc separatim exprimere affinitatem, & honestatem, quia hæc non includuntur mutuo, ideo expressa affinitate non exprimitur honestas, nec è contra, ita cum Syluest. *matrim.*8. *q.*41. Ledesm. *vbi supra.*

22 Infert Sanchez *supra num.* 14. in potestate dispensandi in affinitate, includi quoque publicam honestatem cum illa concurrentem, eo quod affinitas sit genus ad ortam ex copula licita, & illicita, & potestas dispensandi sit latè interpretanda, vide ibi.

23 Dico sextò, si impedimentum sit cognationis spiritualis, exprimenda est primò persona, cum qua contrahitur, vt si sit persona baptizata, quæ dicitur filia spiritualis, vel cum patre, aut matre eius, quæ dicitur compaternitas, nam indecentius est contrahere cum filia spirituali, quàm cum matre eius. Secundò, si baptizauit, vel tenuit, nam ex Baptismo collato fortius vinculum oritur; quam ex susceptione. Tertiò, Idem obseruandum in confirmatione, videlicet, si sit cum persona quam tenuit, vel cum patre, aut matre eius. Quartò, eodem modo si duplici titulo contracta esset cognatio, est exprimenda, vt si, Titius baptizauit duos filios Caij, & Bertæ, habet cum Berta cognationem duplici titulo: idem si leuasset à fonte, vel suscepisset in confirmatione, vel eundem tenuisset in Baptismo, & confirmatione, vel si Titius fuit mutuo patrinus filij Caij, & hic filij Titij. Ratio bonum est, quia hic videtur stylus, & praxis, & colligitur ex dictis Sanchez *lib.8. disputat.*24. *num.*15. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 331. Bonacina *tom* 2. *disput.*1 *quæst.*2. *punct.... num.* 6. & alij.

24 Dico septimò, potestas dispensandi in aliquo grado coniunctionis, extenditur ad illum gradum, etiamsi duplicatus sit, vt si quis habet potestatem dispensandi in secundo, vel tertio, potest dispensare, etiamsi is esset duplicatus, ex vtroque scilicet patente, quia potestas dispensandi est fauorabilis, ideoque extendenda, secus si sit actualis dispensatio, quia hæc, vt odiosa, est restringenda, Sanchez *supra num.*9. Quòd si facultas dispensandi concessa est in certo gradu, vt in secundo, non potest in alio, etiam inferiori, vt in tertio, si in eodem tertio coniunctus sit, quia multò maior est secundus cum tertio, quàm tertius solus: si autem, non esset coniunctus cum secundo, posset is, qui habet in secundo, dispensari in tertio, quia minor est, præterea potens dispensare in aliquo gradu, etiam potest cum eo, si sit mixtus, & ex alio propinquiori, quia reuera non est mixtus, sed simplex, nam remotior trahit ad se, & combibit propinquiorem: excipe tamen, nisi esset primus gradus ob motum proprium Pij V. in quo excipitur, modo supra explicato *num.* 11. ita Filliuc. *supra num.*335. cum Syluest. *matrim.*8. *q.*6. & Toleto *lib.*7 *c.*5. *num.*6. vide Sanch. *lib.*8 *disp.*24. *num.*9 & 10.

25 Sed quæres, quæ obseruanda sint, quando impedimentum fuerit voti, vel iuramenti. Respondeo, & dico primò, si sæpius est repetitum votum, vel iuramentum, non est necesse facere mentionem repetitionis in dispensatione, quia non additur nouum vinculum per repetitionem, sed solum primum semper confirmatur. Azor *tom.*1. *lib.*12. *c.*14. *quæst.*1. Sanchez *lib.*8. *disput.*2. *num.* 25. & dixi in Decalog. *lib.*2. *cap.*1. *dub.*4. Secundò, si votum, vel iuramentum solum Deo sit factum, valet dispensatio, etiamsi vnum pro alio ex errore, vel data opera exprimatur, æquiualet enim in obligatione orta ex Religione, & mendacium non esset circa substantialia, & sic non vitiaret. Tertiò, si iuramentum factum sit ad confirmationem voti (vt in dubio semper præsumendum est) satis est, etiam ad iuramentum dispensandum, vt votum exprimatur; quia cessat iuramentum, sublata obligatione voti, cui erat accessorium: quod verum est, etiam si falsò affirmatum esset, esse tantum votum, cum esset etiam iuramentum. Quartò si iuramentum non est in confirmationem voti, sed factum independenter ab illo, vt si quis iurauit castitatem, & postea vouit illam, vel si prius vouit, & postea immemor voti eandem iurauit, tunc oportet vtriusque fieri mentionem, aliter esset subreptitia, vt pluribus Sanch. *loco citato num.*14. Quintò, si votum, vel iuramentum non nubendi esset emissum, etiam in fauorem tertij, id necessariò exprimendum est, quia cum sit in damnum tertij, facit dispensationem difficiliorem: quòd si tertius remisisset obligationem, non esset opus facere illius mentionem, eo quòd ea obligatio cessat partis remissione. Sextò, si professus contracturus esset matrimonium, & etiam esset ordinatus in sacris, tenetur vtrumque exprimere in dispensatione, quia sunt duo impedimenta diuersa. Septimò, si sacerdos sit, vel Diaconus, non sufficit dicere, se esse in sacris, sed debet explicare gradum Sacerdotij, vel Diaconatus, quia difficilior, quò maior est. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 334.

26 Nota, non requiri speciale mandatum, nec generale ad impetrandam dispensationem in prædictis impedimentis, potest enim validè impetrari: etiam ignorante illo, qui ea indiget, constat ex generali

nerali ratione in omnibus grariis, & priuilegiis *ex cap. si motu proprio de Prabend. in 6.* At non proderit ignoranti, donec ab ipso acceptetur, vel ab alio habente speciale eius mandatum, vt pluribus Sanchez *lib.8. disputat.26.* & cum eo Filliucius *supra num.341.*

D v b. V.

Vtrùm taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos, aut affines irritet dispensationem consanguinitatis, aut affinitatis: seu an in dispensatione consanguinitatis, & affinitatis sit exprimenda copula incestuosa inter illos habita.

1 IN hoc dubio conueniunt DD. copulam habitam inter consanguineos, aut affines, postquam Ordinarius, aut confessarius expediuit dispensationem sibi à Papa commissam, non irritare dispensationem iam expeditam, nec opus esse, vt iterum recurrant ad Papam pro noua dispensatione, sed posse licitè, & validè matrimonio coniungi virtute illius dispensationis iam expeditæ. Ita Bonac. *tom.2. disp.1. quæst.2. punct 5. num.9. versic. Et hoc,* Villalob. *tom.1. tract.14. diff 27. num.5.* & cum multis Sanchez *lib.8. disp.25. num.4.* quod etiam congregatio Cardinalium declarauit, teste Hurtado *disp.26. diff.5 n.22.* Ratio est, tum, quia nullo iure, neque stylo Curiæ constat huiusmodi copulæ faciendam esse mentionem. Tum, quia illa copula habita post dispensationem non est incestus, quia tota ratio copulæ incestuosæ desumitur, eo quòd accidat inter personas, inter quas contrahere prohibitum est; quæ ratio cessat, eo quod per dispensationem iam personæ illæ sunt habiles ad contrahendum matrimonium: & confirmatur à simili, sicut enim hodie non committitur incestus per copulam habitam cum cognata in quinto gradu, quia ad illam non extenditur impedimentum de iure nouiore, ita nec in hoc casu erit incestus, eo quod respectu harum personarum sublatum est impedimentum. Quod verum est, etiamsi in rescripto summi Pontificis adesset clausula sub hac conditione, *si copula non intercesserit*, nam hæc conditio adimpleta fuit, eo quod (vt supponimus) copula non intercesserit antequam expediretur dispensatio, & quando accidit, iam dispensatio erat expedita, & completa. Bonacin. *vbi sup.*

2 Difficultas ergo est, an taciturnitas copulæ habitæ ante concessionem, vel commissionem Papæ, vel antequam Ordinarius, aut confessarius eam exequantur, irritet dispensationem consanguinitatis, vel affinitatis.

3 Duæ sunt in hac re sententiæ oppositæ, & vnaquæque habet pro se graues authores. Prima, ergo sententia tenet talem taciturnitatem irritare dispensationem, ita cum multis Sanchez *lib 8. disp. 25. num.8.* Ledesm *c.27. de matrim conclus 1. dub.5.* Filliucius *tom.1. tractat.10. part.10. p.2 cap.10. n 336.* & cum aliis Bonacina *tom 2. disput.1. quæst.2. punct. 5. num.9.* Quam opinionem reputat veriorem, & probabiliorem, atque procedere, non solùm quando copula fuit habita antequam Papa concederet litteras, sed etiam post concessionem earum, antequam tamen Ordinarius, vel confessarius illas exequeretur, vt docent Sanchez, & alij, quia dispensatio summi Pontificis non censetur perfecta, & completa antequam confessarius, vel Ordinarios, cui demandata est cura expediendæ dispensationis, eam expedierit. Probari potest hæc sententia primò ex declaratione Cardinalium apud Rebel. *num. 122. & 129.* Secundò, ex stylo Curiæ, qui obtinuit, vt incestus exprimatur in petitione; non quia incestus sit impedimentum dirimens, nam solum est impediens, eo modo quo dixi *cap. anteced. dub. vltim.* sed vt ob timorem manifestandi incestuosam copulam, retrahantur ab illa affines, & consanguinei. Tertiò, quia manifestatio dictæ copulæ facit, vt dispensatio concedatur cum quibusdam moderationibus, nempe imposita maiori pœnitentia contrahentibus, & maiori compensatione pecuniæ, & quòd eo matrimonio per mortem dissoluto, superstes non contrahat aliud; ergo taciturnitas copulæ, vtpote pertinens ad causam motiuam, efficit dispensationem nullam, ideo hanc sententiam reputat probabiliorem Villalobos *tract.14. part. 1. diff. 27. n.6.* & consulendam saltem ante factum. Iuxta hanc sententiam Graff. *lib.4. decis. cap.15.* cui adhærere videtur Sanchez *dict. num. 8.* tenet exprimendum esse incestum de nouo commissum post concessionem dispensationis, antequam tamen illam Ordinarius exequatur: fundantur in stylo Curiæ, qui facit legem. Verius tamen existimo cum Filliucio *supra num.337.* non esse de nouo impetrandam dispensationem, sed eandem valere, & posse Ordinarium ad executionem procedere. Ratio est, quia ex omnibus actibus incestuosis oritur vnum tantum impedimentum, & multiplicatio actus, etiam post datam literarum, non vitiat gratiam, prout decisum à sacra Pœnitentiaria refert Filliucius *vbi supra* in qua præualet hic stylus, etiamsi incestus sit publicus, vt resoluit Filliucius *vbi supra* ob rationem dictam.

4 Obseruant autem Doctores huius primæ sententiæ, copulam non esse exprimendam in cognatione spirituali; nam ex stylo Curiæ solùm videtur receptum, vt exprimatur incestus cum affine, vel consanguinea, Nauarr. *cons. vlt. num 6. & 9. de cognat. spir.* quem sequuntur Sanchez *lib.8. disp.25. num.9.* Filliucius *tom. 1. tractat. 10. part.2. cap.10. num.338.* Bonacina *tom.2. disp.1. quæst.2. punct.5. n.12.* & alij.

5 Secundò, nec esse exprimendam copulam cum affine, vel consanguinea, nisi sit completa, & perfecta, id est, cum seminis effusione, saltem ex parte viri, vt docent Sanchez *num. 10.* Filliucius. & Bonac. quia non videtur incestus perfectus, nec talis copula est apta ad causandam affinitatem. Idem asserit dicendum Sanchez, si incestus committatur formaliter tantùm ex parte vnius, eo quòd alter ignoraret alterum esse affinem, vel consanguineum, quod non probatur Bonacinæ *num. 11.* nec mihi; nam saltem ex parte vnius est formaliter incestus, & completus. Tum quia sequeretur etiam, non opus esse dispensatione, quando vir congrediens cum affine, vel consanguinea, solus seminat, quod non videtur admittendum.

6 Tertiò aduertunt, quando affinitatis impedimentum, aut consanguinitatis est publicum, copula verò occulta, quòd petatur dispensatio à Summo Pontifice affinitatis, vel consanguinitatis, tacita apud eum copola incestuosa, & postea obtineatur in foro conscientiæ dispensatio incestus, explicata tamen consanguinitate, vel affinitate publica, in qua Papa dispensationem concessit, vel concedet. Sanchez *supra num.7.* Filliucius *loco cit.* Bonacina *supra num.13.* & Villalobos *sup. num. 2.* Piè enim credendum est, talem esse Pontificis voluntatem, ne tales careant remedio dispensationis, sicque fuisse à sacra Pœnitentiaria responsum, refert

fert Sanchez. Potest etiam priùs peti dispensatio à sacta Pœnitentiaria incestus occulti, & postea à Papa impedimenti publici; nam idem est petere antea, vel post. Villalobos *sup.*

7 Secunda sententia, quam tuentur Rodriguez *tom.1.cap.238.* Nauarr. *cons.8.9.10.& 11. de consang. & affinit.* Sà *verb. matriman.* vbi de impedimentis, *num.4.* Henriquez *lib.12. cap.2.num.4.* Basil. *lib.8. cap.17.§.6.* Salzedo, Bernardus Dias, & Orcando asserunt, non esse irritam dispensationem, nulla facta mentione copulæ incestuosæ, siue habita sit antequam Papa dispensauerit, siue postquam commissionem dispensandi concesserit: quam quidem sententiam existimat Sanchez *sup. num.6.* probabilem, similiter Hurtado *disput.26. diff.5. numer.24.* imò in puncto iuris reputat probabiliorem Villalobos 1. *part. tractat.10. diff.17. num.7. vers. El fundamento.* Confirmatur hæc sententia, quia incestus neque est impedimentum, quod ratione sui egeat dispensatione, vt omnes concedunt; neque iure præcipitur exprimi, quia non præcipitur iure scripto, vt patet, neque iure introducto consuetudine, seu stylo Curiæ, cùm non semper exprimatur ex consilio virorum doctorum, quamuis aliquando ex consilio aliorum exprimatur: & quando exprimitur, non est causa motiua ad negandam dispensationem consanguinitatis, aut affinitatis. Et quamuis sit in causa ad concedendam dispensationem cum supradictis additamentis, non tamen pertinet ad causam motiuam, quia illa non adduntur pro dispensatione consanguinitatis, aut affinitatis, sed in pœnam copulæ expressæ. Congregatio verò Cardinalium in contractum adducta sequuta est partem probabilem, & tutiorem, sed forsan non probabiliorem, vt ait Hurtado *sup. num.24.* Hinc inferunt Doctores huius sententiæ, quando in dispensatione non apponitur illa clausula, *dummodo copula non interuenerit*, dispensationem esse validam, quamuis copula non taceatur; & contrahentes, quamuis ab Ordinario interrogentur sub iuramento de copula habita, possunt sub æquiuocatione negare eam habuisse, quamuis copulæ adsit infamia, aut semiplena probatio, quia tunc iudex non interrogat iuridicè, quia interrogat de re non pertinente ad suam commissionem. Hurtado *vbi sup.*

8 Sed dices, quid dicendum, quando Papa concedit dispensationem, addita hac clausula, *dummodo copula non interuenerit.* Respondeo cum Sa, & aliis authoribus secundæ sententiæ, si dispensatio sit pro foro externo, & copula sit occulta, valere dispensationem ea tacita: quo in casu, quando copula Ordinario non plenè constat, quamuis sit infamia, aut semiplena probatio copulæ, & quamuis contrahentes interrogati negent illicitè (quia existente infamia, aut semiplena probatione tenentur id fateri) dispensatio ab Ordinario expedita erit valida, quia quando Ordinario non constat plenè, non dicitur interuenisse copula modo sufficienti, quia cùm commissio fuerit facta Ordinario in foro externo, seu iudiciali, etiam clausula illa intelligenda est in eodem foro. Quòd si Ordinario plenè constet copula, & hoc non obstante dispensat, dispensatio erit nulla, quia clausula illa est conditionalis, quia limitatur Ordinario commissio ei mandata, videlicet, vt dispenset iuridicè dependenter à veritate, quæ constat iuridicè; ac proinde quando ei plenè constat, copulam interuenisse, nequit validè dispensare. Propter easdem rationes, quando in petitione exprimitur copula, & in commissione Papæ additur illa clausula, *dummodo copula illa habita non sit spe facilioris dispensationis*, dispensatio facta ab Ordinario erit nulla, si ipsi iuridicè constet, ea spe fuisse habitam; erit tamen valida, si ei non plenè constet, quamuis verè fuerit sic habita. Hurtado *vbi supra num.26.* Quando vero commissio Papæ sit pro foro conscientiæ, vt quando committitur discreto viro, & in ea ponitur hæc clausula, *dummodo copula non fuerit*, tunc tenentur eam aperire confessario, etsi occulta sit, aliter dispensatio erit irrita, quia non seruatur conditio concessionis. Villalobos *supra numer.7.* Hurtado *numer.26.* Filliucius *loco citat. numer.338.* & alij. Est etiam manifestanda talis copula occulta in hoc casu, ob clausulam, *si preces veritati nitantur.* Quòd si apponatur in tali dispensatione illa clausula, *dummodo copula habita non fuerit spe facilioris dispensationis*, erit etiam dispensatio nulla, si copula ea spe verè fuerit habita, quia tunc commissio fuit facta commissario, vt dispenset dependenter à veritate non habitæ copulæ, aut non habitæ dicta spe, tanquam à conditione, dummodo spes sit exteriùs significata, & non tantùm interiùs concepta, quia spes merè interna non subest humanæ potestati. Hurtado *sup. num.26. vers. Quando verò* Quare non explicata copula hoc animo habita, quando ponitur illa clausula, dispensatio erit irrita; est enim clausula conditionalis. Filliuc. *num.340.* Sanch *lib 8. disp.25. num.38.* & alij.

9 Ex his opinionibus, etsi prior videatur probabilior, vtpote stylo Curiæ, & declarationi Cardinalium conformior; posterior tamen est valde probabilis, & tutè sequi potest in praxi, vt cum Sanchez tenet Villalobos *num.7.* tum propter tantorum Doctorum authoritatem, tum propter rationes, & fundamenta, quibus nituntur, præcipuè si ex copulæ manifestatione sequatur infamia, aut aliquod aliud incommodum, vt aduertunt Villalobos *sup. num.8.* & Bonacina *loco citat. num.9.* Consulit tamen idem Villalobos *dict. num.8.* vt Doctor consultus consulat priorem opinionem, nisi ex hoc sequeretur aliquod graue incommodum: matrimonio verò iam contracto, ait, sequenda est posterior opinio, etiamsi non esset adeò probabilis. Sequendo igitur secundam opinionem mihi valde probabilem, dico cum Henriquez *lib.12. cap.2. num.5. & 6. & cap.3. num.7.* & Sà *verb. Dispensatio*, esse validam dispensationem, tacito incestu, in foro interiori, non verò in exteriori: ad stylum ergo Curiæ responderi potest, procedere in foro exteriori, & quando incestus est publicus, non verò in foro interiori, & quando incestus est occultus. Ad declarationem Cardinalium responderi etiam potest primò, procedere in foro externo. Secundò, sacram Congregationem sequutam fuisse opinionem sibi probabiliorem. Tertiò, eam non habere vim legis (etsi sint magnæ authoritatis) nisi iuridicæ, & authenticæ sint, de quibus dixi in expositione Bullæ *dub.5. proœmiali, num.7.* Villalobos *sup. num.7. vers. Sola queda.* Concludendum igitur iuxta hanc secundam sententiam, ad validitatem dispensationis non requiri, quòd fiat mentio in foro interiori de copula incestuosa, siue habita sit antequam Papa committat dispensationem Ordinario, siue postquam illam ei, aut confessario demandauit, antequam hi illum exequantur, cùm probabilissimum sit, ex se non esse necessarium explicare copulam, sed solùm ratione conditionis appositæ, vt supra dictum est. Quare si consanguinei non incestuosi, postquam Papa commisit dispensationem Ordinario, antequam hic illam exequatur, se cognoscunt, valet dispensatio tacito incestu, quia si copula incestuosa non est necessariò exprimenda, quando habita est ante concessionem mandati ad dispensandum, minùs exprimenda erit, si

contingat post concessionem dispensationis, antequam exequatur: hoc autem intellige, si occulta est copula: nam si publica est, non dispensabit Ordinarius; nam vt dictum est *sup.* quando incestus est publicus, est exprimendus in petitione: quo in casu procedit prima sententia; secus autem si occultus sit, vt asserit hæc secunda sententia; proinde eo tunc requiritur noua dispensatio, seu petinde valere, quando incestus tacitus, & occultus publicus sit, antequam dispenset Episcopus. Quid si talia incestus fiat publicus post dispensationem, matrimonio iam contracto? Respondeo, si benignus iudex taceat, posse coniugatos permanere in matrimonio, quia reuera dispensatio valida fuit; potest tamen Ordinarius eos separare, & cogere, vt mittant, & obtineant aliam dispensationem pro foro externo, non quia prior valida non fuerit, sed vt vitetur scandalum, & fiat satis foro exteriori, vt dixi *hoc lib. cap. 5. dub. 11. conclus. 4.* & io consectariis illius.

10 Quid autem dicendum sit, quando apponitur clausula, *dummodo copula non interuenerit*, aut, *quod habita non fuerit spe facilioris dispensationis*, dictum est *sup. hoc dub. num. 10.* Quòd si contrahentes non solùm omittant copulam, sed expressè narrauerint, se non habuisse copulam, cùm reuera habuerint, concedatque Pontifex Ordinario, vt dispenset, *modo preces veritati nitantur*, non valet dispensatio, quia non verificatur narratiua; dispensatio autem fuit conditionalis. Ob eandem rationem est irrita dispensatio, quando consanguinei, qui non habuerunt copulam, exprimunt in petitione eam habuisse, vt ideo faciliùs Papa dispenset; non enim nititur veritati. Similiter erit nulla dispensatio, si ignorantibus contrahentibus, procurator dixit, illos habuisse copulam, cùm reuera non habuerint, propter quod Papa dispensat, quamuis procurator aduertat contrahentes, vt eam habeant, antequam Ordinarius exequatur dispensationem; nam facultas Ordinarij, aut confessarij dispensantis habet à concessione Papæ, quæ vt tunc fuit subreptitia. Ledesma *in summ. cap. 27. de matrim. conclus. 7. dub. 4.* vide Sanchez *lib. 8 disp. 30. num. 4.* Item inualida est dispensatio, quando Papa illam committit Ordinario, si testes sunt falsi. Quod si contracto iam matrimonio, dubitatur, an dispensatio sit valida, quia alij affirmant narratiuam esse veram, alij verò negant, standum est pro matrimonio. Vide Ledesmam *conclus. 7. citat.* & Sanchez *lib. 8. disp. 25. à num. 12.*

11 Nota, quando quis scienter intra gradus prohibitos matrimonium contrahere præsumpserit, ea intentione, vt faciliùs Papa dispenset, carere debet spe dispensationis; vnde, vt valeat dispensatio, debet totum id manifestare Papæ, & si illud consummauit, tenetur id etiam exprimere: excusat autem ab hac pœna ignorantia, quamuis crassa, modò denuntiationes fuerint præmissæ. Ita statutum est in Tridentino *sess. 24. cap. 5.* ibi: *Si quis intra gradus prohibitos, &c.* Quod sanctissimè cautum est ad reprimendam audaciam molientium, qui ea spe freti contrahebant matrimonium, non obstante impedimento dirimente, de quo Naoarr. *in cap. quando de rescript except. 5. num 5.* Couarr. *2. part de matrim. cap 6 §. 10 num. 14.* cum aliis Sanchez *lib. 8. disp. 25. num. 12.* Filliucius *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap. 10. num. 339.* Villalob. *part. 1. tract. 14. diff 27.* Eandem pœnam contrahunt, qui ignorantes impedimentum contrahunt, clandestinè, hoc est, omissis denuntiationibus, vt habet Tridentinum *loco cit.* vnde totum hoc est in petitione narrandum, aliter erit dispensatio subreptitia. Addit Tridentinum: *Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis dispensari poterit.* Nota circa hoc primò, non ligari hic Pontificis manus, sed solùm esse hæc omnia respectu illius, vt quædam instructio, sicque poterit Papa dispensare: tamen vt dispensatio sit valida, debent illi exprimi omnia supradicta. Secundò, intelligi debet hoc decretum de sic contrahentibus, non solùm in gradibus consanguinitatis, & affinitatis, sed etiam cum alio quocumque impedimento, vt docent Toletus *lib. 7. cap. 18. num. vlt.* Filliucius *sup. vers. Circa quod.* Sanchez *lib. 8. disp. 25. num. 24.* & alij. Quod colligi potest ex illis verbis: *Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod, &c.* vbi vniuersaliter loquitur de quocumque impedimento, etiamsi superiùs sermonem fecerit de contrahente in gradibus prohibitis. Tertiò, excusat ab hac pœna ignorantia crassa, si denuntiationes fuerint præmissæ, aliter requiritur ignorantia probabilis, vt patet ex ipso textu. Quartò, ignorantia alterius coniugis sufficit ad non contrahendam hanc pœnam: at non sufficit ad gratiam consequendam, allegare coniugem ignorantem contraxisse, sed debet exprimi ille, qui conscius est impedimenti, siue vir, siue fœmina sit. Filliucius cum Sanchez *vbi sup.*

DVB. VI.

Quo tempore sit verificanda causa dispensationis allegata in petitione, seu an cessante causa dispensationis, cesset etiam dispensatio.

1 Qvatuor tempora assignari possunt, in quibus dubitari potest, an valida sit dispensatio, si causa in quolibet eorum non adsit. Primum est, quando literæ mittuntur Romam, antequam Papa committat dispensationem Ordinario, vel confessario. Secundum est, quando Papa, aut superior concedit indultum inferiori ad dispensandum. Tertium est, quando Ordinarius, aut confessarius exequitur. Quartum assignari potest, quando iam per Commissarium fuit executioni mandata, & completa dispensatio.

2 Dico primò, ad validitatem dispensationis non est necesse, vt causa sit vera, quando literæ mittuntur Romam, antequam Papa committat dispensationem, modò sit vera, quando Pontifex concedit, vel committit dispensationem. Sanchez *lib. 8. disput. 30. num. 2.* & cum aliis Bonac. *tom. 2. disp. 1. quæst. 2. punct. 10. num. 2.* Prior pars probatur: tum quia talis necessitas nullo iure probatur: tum quia verba dispensationis, *si preces veritati nitantur*, sufficienter verificantur, si causa narrata subsistat, dum Pontifex committit, vel concedit dispensationem.

3 Dico secundò, causa dispensationis debet esse vera, quando Pontifex, vel Pœnitentiarius concedit Ordinario, vel confessario commissionem dispensandi. Ita citati, & cum aliis Filliucius *tom. 1. tr. 10. part. 2. cap. 10. num. 350.* Probatur *ex cap. quia circa, de consang. & affinit.* ibi: *Cùm tamen ante dispensationem adeptam, viam fuerat vniuersæ carnis ingressa vnica filia, quam habebat.* Et ratio est, quia hic est sensus eius clausulæ, *si preces veritati nitantur*, nempe si quãdo ei propositæ sunt, veræ sint. Ex quo fit, valere dispensationem, si ante petitionem causa non subsistat; si tamen subsistit, dum à Pontifice, vel

vel Pœnitentiatio petitur dispensatio, vt docent eitati, & Villalobos *tom.1 tractat.14 diff.28. num.2. & 3.* E contra non valete, si causa erat subsistens, dum Pontifex concessit, si antequam exequatur ab inferiore, cessat causa, vt in conclusione sequenti.

4 Dico tertiò, causa debet subsistere, & verificari, non solùm quando Pontifex concedit dispensationem, sed etiam quando illam Ordinarius, aut Confessarius exequitur, ita quòd si causa, quæ tempore concessionis existebat, cessauerit tempore, quo dispensatio exequitur ab inferiori, etit tunc dispensatio nulla. Ita citati, & alij apud Bonacin. *supra num.3.* Ratio est, quia mandatum datur *si preces veritati nitantur*, at cessante causa, preces non nituntur veritati; ergo dispensatio non erit valida, talis enim censetur voluntas sic concedentis. Vnde si Papa commisit Episcopo facultatem dispensandi cum Petro irregulari propter patris paupertatem, si antequam Episcopus exequatur dispensationem, parentes Petri deuenerint ad pinguiorem fortunam, non poterit validè Episcopus dispensare. Suarez *lib.6. de legib cap.20. num.13.* & cum Sanchez, & aliis Bonacina *supra num.13.* Ratio est, quia cessat causa dispensationis, ob eandem rationem erit inualida dispensatio Bertæ ob defectum dotis, si antequam confessarius, aut Episcopus eam exequatur habet iam dotem competentem Hoc tamen pro certo habeo, si causa cessat medio tempore, intra illud reuiuiscat, valere dispensationem, v.g. si erat vera, & subsistens tempore concessionis à Papa, & postea, antequam inferior dispensasset, cessauit, & postea ante executionem dispensationis reuixit; quia tenera causa erat subsistens tempore concessionis, & executionis. Ita citati. Ex his patet, causam requiri, non solùm quando Papa concedit mandatum, sed etiam quando inferior vtitur facultate sibi commissa ad dispensandum, quòd debet maximè aduertere, & vti magna diligentia ad indagandam rei veritatem, & videndum, an preces veritati nitantur in vtroque tempore.

5 Dico quartò, probabilius est, non solùm requiri causam finalem dispensationis subsistere, quando Papa committit dispensationem, & quando inferior dispensat, sed quando ab ipsis dispensatis, seu contrahentibus executioni mandatur; vnde si postquam dispensauit inferior cum Berta ob defectum dotis, Berta antequam matrimonium exequatur, & de facto nubat, habeat dotem competentem, inualidum erit matrimonium: similiter si Episcopus ex mandato Papæ dispensat cum Titio in irregularitate propter parentum paupertatem, sed ante susceptionem Ordinis parentes Titij diuitias sibi comparatunt, non potest Titius licitè, & validè Ordines suscipere. Ita Sanchez *lib.8. disp.3. num.14.* Villalobos *supra num.4.* & cum aliis Bonacina *sup. num.5. & 7.* Ratio est, quia tenera cessat causa finalis dispensationis, qua cessante, non est verosimile, velle Pontificem dispensare, & sicut cessante causa, cessat lex, ita cessante causa dispensationis, cessat ipsa dispensatio: & sicut dispensatus ad comedendas carnes tempore Quadragesimæ ratione infirmitatis, cessat dispensatio, cessante infirmitate, ita, &c. Dixi, *probabilius*, quia oppositum etiam est probabile, vt tenent Angelus *dispensatio n. 4.* Sylu. *eo verb. quæsito 6.* Salas *de legib. disp.10 sect. 6. n. 67.* Suarez *lib.6 cap.20. num.15.* Sa, Gutier. & Mascardo apud Bonacinam *sup. vers. Prima sententia, & num.9. vers. Secunda sententia.* quia censetur legitimè facta ex vera causa, & completa, ac consummata: at tenera non censetur consummata, & completa, donec sortiatur suum effectum; ergo si antea causa cessat, cessabit & dispensatio. Limitat tamen Bonacina *sup. num.9.* primam sententiam, nisi superior ob hanc causam temporalem, quam putat sufficientem, absolutè, & in perpetuum dispenset, v. g. si in fœmina dispenset ad petendum debitum ob periculum incontinentiæ, poterit, illo cessante, debitum petere, alioquin multis scrupulis aliquando augeretur. Quando verò dubitatur, an causa dispensationis cessauerit, præsumi potest non cessasse, consequenter dispensationem esse validam: tum quia possessio stat pro dispensatione, quam constat validè concessam fuisse: tum quia in dubio valotis dispensationis præsumendum est in valorem dispensationis, ergo, &c. Ita Sanchez *lib.8. disp. 30. num. 9.* & cum Gutierrez, & aliis Bonacina *sup. n.10.*

6 Ex dictis infertur, in tribus temporibus requiri necessariò, quòd causa dispensationis existat. Primum est, quando superior dispensationem inferiori committit. Secundum, quando Ordinarius, aut confessarius dispensat. Tertium, quando matrimonium de facto contrahitur.

7 Secundò infertur, quando Papa dispensauit in voto castitatis, aut religionis, ad contrahendum matrimonium ob periculum incontinentiæ, absolutè non restringendo dispensationem ad primum matrimonium tantùm, si causa omnino cessauerit, non poterit soluto primo matrimonio aliud inire, nam cessat ratio dispensationis. Hac ergo de causa vsu receptum est, vt in huiusmodi Apostolicis rescriptis apponatur particula indicans, talem dispensationem non prodesse, soluto matrimonio. Bonacina *supra num.9.* Villalobos *loco cit. n.6.* ex Sanchez *lib.8. disp. 31. n.9. & 10.*

8 Dico quinto, dispensatio semel obtenta, etiam à partibus executioni mandata, non cessat, nec renocari potest, cessante causa, ob quam fuerat concessa, vt si iusta de causa concessa fuit dispensatio ad contrahendum matrimonium, & vi talis dispensationis de facto contractum sit, non cessat dispensatio, si contracto iam matrimonio, cessat causa dispensationis. Item, nec cessat dispensatio in irregularitate in illo, qui ratione paupertatis parentum dispensationem ad Ordines obtinuit, si Ordinibus iam susceptis, cessat paupertas. Ratio est, quia effectus licitè, validè, legitimè, & absolutè factus, & omnino consummatus fuit virtute præteritæ dispensationis: effectus enim consummatus non cessat, cessante causa, modò totus sit consummatus, dum causa cessat: secus si diuisibilis, & non omnino consummatus; vnde si alicui concedatur dispensatio comedendi carnes in Quadragesima, si transacta media Quadragesima cessat infirmitas, quę fuit causa dispensationis, cessat etiam dispensatio respectu subsequentis temporis. Ita cum Sanch. & aliis Bonac. *tom.2. disp.1. quæst.2. punct.7. §.1. n.11.*

9 Nota, conformationem, seu examinationem causæ, quam tenetur facere Ordinarius, posse eam facere extraiudicialiter, & extra suum territorium, vt diximus de denuntiationibus. Item, in dispensationibus, quæ sine causa conceduntur, non tenetur Ordinarius causam examinare: nam etsi in istis dispensationibus dicatur: *Ipsi ex certis rationabilibus causis eorum animum mouentibus cupiant inuicem matrimonio copulari*: & infra: *Te de præmissis diligenter informes*, hæc vltima clausula referenda est ad impedimentum, quod dispensatur, non verò ad causas dispensationis; solet enim poni dicta clausula ex stylo notarij, ideo non refertur ad omnia antecedentia; nam quando Papa vult omnes causas verificari, id io particulati exprimit. Villalobos 1. part.

part. tract. 14. *diss* 18. *n.* 7. *&* 8. ex Rebuffo *in praxi benef. tit. de clausula mandat.*

D v b. VII.

De modis, quibus extinguitur dispensatio ex parte personæ, cui delegata est potestas.

1 AD intelligentiam suppono, delegationem censeri personalem, quando fit alicui, expresso nomine proprio solùm, vt si dicatur: *Committo Titio dispensationem*: hoc autem intellige, nisi ex circumstantiis certior regula habeatur: è contra verò censenda est commissio realis, si solùm nomen dignitatis exprimatur, vt: *Committo Episcopo Dertusensi facultatem dispensandi.* Probari solet hæc regula *ex cap. quoniam Abbas, de offic. delegati*, ibi: *Quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanauit, &c.* vbi *locorum* nomen sumpsit pro nomine dignitatum, vt exponit Abbas communiter receptus. Inde fit, si commissio fiat primo modo, id est, personæ, morte personæ, cui facta est delegatio, extinguitur potestas; si verò fiat secundo modo, id est, loco, aut dignitati, transibit ad successores in illa dignitate, vt pluribus Sanchez *lib.* 8 *disput.* 27. *à num.* 7. vbi adducit multas limitationes.

2 Secundò, quando delegatio fit expresso simul nomine proprio, & nomine dignitatis, vt, *Committimus Titio Episcopo Dertusensi*, tunc si ex aliis coniecturis veritas colligi non potest, eiusmodi commissio personalis censenda est, quia cùm nomen proprium sit speciale, & nomen dignitatis sit generale, & quando genus, & species conueniunt species restringat genus, nam generi per speciem derogatur, sequitur potiorem rationem habendam esse expressionis nominis proprij, quàm dignitatis. Excipe, nisi commissio intellecta secundùm nomen speciale redderetur inutilis, tunc enim intelligi debent secundum nomen generale, vt pluribus Sanchez *loco cit. à num.* 17.

3 Tertiò, quando commissio est personalis, non expirat, finita dignitate personæ concedentis eam, sed potest illa persona delegata adhuc de ea re cognoscere, dummodo res non sit integra, sed ante cessationem dignitatis cœperit vti iurisdictione, vel non sit priuatus dignitate in pœnam, vel nisi transiisset ad statum incompatibilem. Quando verò commissio est realis, transit ad successorem in dignitate. Ratio est, quia in primo casu, cum sit habita ratio solius personæ, sequitur illam ad modum priuilegij personalis: in secundo verò, cum attendatur ad solam dignitatem, sequetur illam, in quacunque inueniatur persona. Sanchez *sup quæst.* 3. *à num.* 12. His suppositis

4 Dico primò, quando dispensatio matrimonialis alicui committitur, vt cognita precum veritate dispenset, si solum nomen delegati exprimatur, & non constet ex aliis coniecturis, & circumstantiis contrarium, in dubio censenda est commissio illa personalis, consequenter extinguetur morte illius. Quando verò solùm nomen dignitatis expressum est, censenda est commissio realis (nisi aliud constet ex circumstantiis) consequenter morte illius, aut cessatione dignitatis non expirabit, sed transibit ad successorem in dignitate. Denique quando in commissione expressum est, vtrumque nomen, videlicet nomen proprium, & dignitatis, tunc regulariter censenda est personalis, nisi sic intellecta, redderetur inutilis dispensatio; tunc enim censebitur realis, & sic finita dignitate, vel morte personæ interueniente, transibit, iuxta quod censebitur realis: vel non transibit, in quantum censebitur personalis commissio. Hæc omnia patent ex suppositis, & probat latiùs Sanchez *lib.* 8. *disp.* 27. *quæst.* 1. 2. *&* 3.

5 Dico secundò, commissio facta Officiali, aut Vicario generali Episcopi, non potest expediri per Episcopum, etiam amoto Officiali, quia cùm sit differentia inter Episcopum, & eius Officialem, *ex cap. venerabilibus de sentens. excommun. in* 6. & commissio soli Officiali fiat, non poterit expediri ab Episcopo: & quamuis dicatur vtriusque vnum tribunal, id verum est in causis iure ordinario competentibus Vicario, non verò iure delegato. Federic. *cons.* 130. & Doctores *Clem.* 1. *de rescript.* Hinc sequitur, si desinat esse Vicarius, vel fiat Episcopus eiusdem Diœcesis, non posse commissionem prosequi, quia cum facta sit commissio dignitati, est realis, & transit ad successorem: solet enim ita committi, *Tibi Officiali Valentino, &c.* Quòd si fuisset personalis, tunc posset de ea cognoscere. Sequitur etiam, Vicarium Capituli, Sede vacante, posse exequi commissionem factam Officiali Valentino, vel Officiali Episcopi Valentini. Ratio est, quia, si fiat primo modo, tantùm nominatur Officialis Diœcesis, at Vicarius Capituli est Officialis Diœcesis: si secundo modo, quia Vicarius Capituli succedit Vicario Episcopi; at commissio facta est dignitati; ergo poterit de ea cognoscere Vicarius Capituli, vt pluribus Sanchez *lib.* 8. *disp* 27. *num.* 32 *&* 33.

6 Dico tertiò, si sint duo Officiales Episcopi, & delegatio fiat simpliciter Officiali, & alter ex illis est principalior, seu Vicarius generalis, illi soli censetur facta commissio: constat ex Clem. 2. *de rescript.* vbi dicitur, principalem Officialem Episcopi esse capacem huius delegationis: quando verò vterque Officialis esset æquè principalis, & nullus designaretur in rescripto, debet Princeps declarare, de quo intellexerit, si commissio contineat causam fori contentiosi; si non hanc contineat, poterit esse iudex ille, cui fuerit præsentata commissio: at postquam vni ex his est præsentata commissio, non potest alter adiri; nam vbi semel iudicium cœptum est, ibi finiri debet. Contrarium verò contingit in dispensationibus sacræ Pœnitentiariæ, quæ committuntur discreto confessario; nam cùm istæ sequantur naturam fori conscientiæ, & non astringatur pœnitens ad sententiam vnius confessarij, poterit præsentans adire alium; imò idemmet confessarius poterit mutare sententiam. Filliuc *tom.* 1. *tr.* 14. *part.* 1. *cap.* 10 *num* 345. vide Sanchez *lib.* 8. *disp.* 27. *à num.* 36. *vsque ad* 40.

7 Dico quartò, Vicarius, seu Officialis Episcopi, cui facta est delegatio, non potest subdelegare facultatem dispensandi in impedimentis matrimonij, vt dispensationem exequatur; potest tamen subdelegare testium examinationem, & informationem. Ratio est, quia vbi nudum ministerium cum aliqua iurisdictione committitur à Principe, ministerium subdelegari non potest, quia committitur industriæ personæ; at iurisdictio potest subdelegari. Innocent. *cap. fin. de offic. delegati.* Abbas ibi *num.* 6. & pluribus Sanchez *sup. num.* 43. qui fusè, & doctè, vt solet, tractat de delegatione commissionis ad dispensandum, *per totam disp.* 27. vide ibi.

***

D v b.

Dub. VIII.

Quibus modis extinguatur potestas dispensandi ex parte delegantis, & an morte eius expiret.

1 AD intelligentiam suppone, quando literæ sunt iustitiæ, seu quando rescriptum in communi spectat ad iustitiam, tunc iurisdictio delegata non perit morte concedentis, si res non est integra; perit autem, si res sit integra. Dicitur autem res integra, quando nulla citatio partis præcessit: dicitur autem non integra sed incepta, quando index iussit citare partes, quamuis citatio non sit intimata parti, vt pluribus Sanchez *lib.7. disp.28. n.13.* quando verò literæ sunt gratiæ, seu continent concessionem alicuius gratiæ, & fauoris, distinguendum est; aut tunc gratia conceditur absolutè, aut sub aliqua conditione; si absolutè concedatur, aut est iam facta, quia non pendet ab executione alterius, respectu eius, in cuius fauorem conceditur, sed tantùm imponitur præceptum Commissario, vt exequatur, vt accidit in dispensationibus matrimonialibus, & tunc non perit morte concedentis, etiamsi res sit integra. Aut est gratia facienda, quia respectu eius, cui fit, non est perfectè concessa, sed pendet à commissione Commissarij voluntarij, cui datur licentia exequendi gratiam, non verò ei præcipitur, & tunc perit morte concedentis re integra, secus re non integra. Dicitur autem res non integra in rebus gratiæ, quando Commissarius cœpit exercere primum actum commissionis. Si verò gratia est concessa cum limitatione, aut ad beneplacitum personæ concedentis, quamuis res non sit integra: secus si concedens dicat, donec reuocauero, vel talem rem fecero; nam tunc si ante mortem concedens non reuocet, vel non faciat rem illam, gratia erit perpetua. De quibus omnibus, & aliis ad hoc punctum spectantibus latissimè Sanchez *lib.8. disp.27. & 29.* & Castro Palao *tom.1.* vbi de legibus, *tract.3. disput.4 punct.16 à §.1. vsque ad 8.* His suppositis.

2 Dico primò, commissiones dispensandi in impedimentis matrimonij in foro externo, vel interno non expirant morte concedentis, etiam re integra, Suarez *de cens. disp.41. sect.1.* Bonacin. *tom.2. disp.1. quæst.2. punct.7. §.2. num.1.* Filliuc. *tom.1. tract.10. part.2. cap.10. num.347.* & cum aliis Sanchez *lib.8. disp.28. num.87.* Basilius *lib. 8. cap.18.* & Hurtado *disp.26. num.3. versic. Circa.* Ratio est, quia in eiusmodi dispensationibus, seu commissionibus, non relinquitur voluntati Ordinarij, aut confessoris concedere dispensationem, vel eam negare, sed ipsis præcipitur, vt dispensent, cognita, & inuenta veritate, vel vt eam negent, si preces veritati non innitantur; quare gratia erit iam facta, & non facienda, ac proinde non extinguetur morte concedentis; nam tunc executor non est voluntarius, sed necessarius, consequenter est ius quæsitum ad rem illi, in cuius fauorem gratia concessa est, ideo respectu illius gratia est facta, & concessa, & solum requiritur executio, confirmatique potest, *ex cap. si cui nulla, de præb. in 6.* ibi: *Secus si super prouisione.* Hinc sequitur primò, posse dispensatum contrahere matrimonium, mortuo Commissario, qui dispensauit quamuis eo viuo non fuerit opus dispensatione, sicut ille, qui exemptus fuit à ieiunio toto tempore quadragesimæ, manet liber, si nondum Quadragesima elapsa moriatur superior. Ratio est, quia res tempore mortis iam non est integra, & dispensatio iam legitimè facta, & completa est, ideoque hoc procedit, siue dictæ commissiones dicantur gratiæ factæ, siue faciendæ. Filliuc. *supra num 348.* ex Sanchez *supra, quæst.3. à num.48.* Bonacina *supra*, vide Suarez *lib.6. de legib. cap.20. num.4. & cap.31. num.3.* & Barbosam *in remiss. circa Concil. sess.22. cap.5.* Sequitur secundò, dispensationes, quæ expediuntur à Legato Apostolico, vel à summo Pœnitentiario Papæ, non expirare morte Papæ, etiam re integra, etiamsi essent gratiæ faciendæ, quia neutrum officium expirat morte Papæ, *cap. legatum de offic. legati in 6. & Clement. 2. de elect.* imò, nec expirant morte Pœnitentiarij. Filliuc. *sup.* & alij.

3 Dico secundò, ad valorem dispensationum, & cuiuscunque alterius gratiæ, sufficere concessionem per verbum, *fiat*, ad probationem autem, & vt ex illa agi possit in iudicio, requiruntur literæ expeditæ: prior pars probatur, quia gratia est donatio quædam, quæ quidem perfecta est ante instrumentum donationis: quare in foro conscientiæ potest quis vti gratia concessa, etiam ante literas expeditas, nec expirat gratia mortuo Papa, ante literarum expeditionem, vt cum aliis Filliuc. *tom.1. tract.10. part.2. cap.10. num.349.* & pluribus Sanchez *lib 8. disp.29. num 2.3. & 4.* imò quamuis commissio fuerit tantum viua voce concessa, quamuis ante mortem Papæ non fuerint literæ expeditæ, valet pro foro conscientiæ, vt tenet Hurtado *disput.26 diff.7. num.33. versic. Circa.* Secunda pars constat, quia ita expressè habetur in regulis Cancellariæ, præsertim in 36. vbi dicitur nulla dispensatio suffragetur cuiquam in iudicio, vel extra, antequam super ea literæ Apostolicæ sint confectæ: attamen postquam literæ sunt confectæ, seu expeditæ, suffragatur gratia in iudicio à puncto concessionis, etiamsi mortuo Papa literæ expediantur nomine successoris, *rationi congruit*: ex quo patet, gratiam concessam suffragari in foro conscientiæ ante literarum expeditionem; vt autem suffragetur in vtroque foro, requiri, vt literæ expediantur. Vide Gomez *regul Cancellar. de non iudicando iuxta formam suppl q.1.* & Sanch. *dict. disp.29.*

4 Dico tertiò, dispensatio amittit suam vim, si reuocetur, antequam adimpleatur effectus, ad quem fuerat concessa, Sanchez *lib.8. disp.33.* Suarez *lib.6. cap.30. num.6.* Bonac. *tom.2. disp.1. quæst.2. punct.7. §.2. num.4* quia dispensatio habet vim à voluntate concedentis, donec executioni demandetur, vnde sicut dispensator eximit subditum ab obligatione legis, ita poterit illum ei subiicere per reuocationem dispensationis effectu nondum completo, quod quidem non solum validè, sed licitè iusta causa intercedente, facere poterit, si absit causa valida, sed minor laudabilis erit reuocatio: inferior autem, cui à superiore data est facultas reuocandi legem, nam validè absque causa reuocare non poterit, vt docet Sanchez *sup. num.14* contra Suarium *cap.37. num.15.* ex quo infert Bonacin. *supra versic. Et quo,* dispensationes in foro conscientiæ obtentas à sacra Pœnitentiaria non posse sine causa reuocari, quia sunt dispensationes in lege superioris. Dixi, *si reuocetur antequam, &c.* nam adimpleto effectu, ad quem dispensatio concessa fuerat, non potest amplius suam vim amittere per reuocationem: vnde si concessa sit alicui dispensatio ad contrahendum matrimonium, & vi dispensationis iam contractum sit, talis dispensatio non cessat, nec potest vim suam amittere per reuocationem, aut alio pacto, nam dispensatio sortita est suum effectum, & matrimonium licitè, & validè contractum fuit;

quod autem factum est, infectum fieri non potest. Vide *lib 6. de leg. cap. 20. num. 6. & lib. 8. cap. 37. n. 10.* Sanchez *lib. 8. disp. 33. & disp. 28. num. 91.* & Bonac. *loco supra cit.*

5 Dico quartò, amittere potest suam vim dispensatio per renuntiationem eius, in cuius fauorem facta fuit, si fiat renuntiatio, antequam dispensatio sortita fuerit suum effectum, & deinde acceptetur à dispensante talis renuntiatio: vnde si Titius obtinuit dispensationem ducendi consanguineam, sed ante contractum matrimonium cedit dispensationi, dispensatio cessat, si cessio, seu renuntiatio dispensationis acceptetur à dispensante. Ratio est, quia per talem renuntiationem subditus iterum subiicitur legi, à qua fuerat exemptus, quilibet enim potest iure suo, & fauori cedere, *cap ad Apostolica de regularibus*, Suarez *lib. 6. cap. 20. num. 7.* & alij communiter. Ille autem qui proposuit non vti dispensatione, aut illi renuntiare, potest, si velit, postea ea vti, aut renuntiationem reuocare, modo renuntiatio non sit acceptata à superiore dispensante. Ratio est, quia per tale propositum non abdicauit sibi ius ea dispensatione vtendi, vel non. Suarez *supra num. 8.* Sanchez *disp. 32.* & cum his, & aliis Bonac *sup. n. 5.* Excipe tamen, nisi renuntiatio fuerit facta in dispensatione voti, vel iuramenti iam perfecta, & consummata, nam renuntians tali dispensationi, quamuis renuntiatio à superiori non sit acceptata, non poterit ea amplius vti, quia per talem renuntiationem præsumitur sibi iterum velle imponere legem, & obligationem voti, vel iuramenti, quæ ab ipsius voluntate dependet; secus tamen in renuntiatione aliarum legum, quæ non dependent ab ipsius voluntate, de quo latiùs Sanchez *lib. 8. disp. 32. num. 3.* Dixi, *iam perfecta, & consummata*, nam si Commissarius nondum dispensauit, poterit hic renuntiare reuocationi, & mutato proposito, vti dispensatione voti, vel iuramenti, Bonac. *num. 6.*

6 Dico quintò, dispensatione absolutè, & sine limitatione concessa, non finitur vnico, seu primo actu, vt dispensatio non ieiunandi absolutè concessa, non cessat, non seruato vno die ieiunij, & dispensatio in voto castitatis sic concessa non cessat, violata semel castitate, & dispensatio absoluta irregularitatis non cessat susceptione alicuius Ordinis, vel Beneficij & sic de cæteris. Ratio est, quia quando superior intendit ad vnum actum dispensationem concedere, solet id exprimere; & ex alio capite verba non sunt restringenda vltra propriam significationem, secus tamen dicendum, si non fuerit absolutè concessa; quapropter dispensatio ad Ordines intelligitur de minoribus, & dispensatio ad Beneficium, intelligitur de vnico Beneficio, & dispensatio ad contrahendum matrimonium cum consanguinea, mortua ea cessat, quia non est simpliciter concessa ad contrahendum matrimonium cum qualibet consanguinea, dispensatio verò voti castitatis, aut Religionis ad contrahendum matrimonium non finitur primo matrimonio, modò causa perseueret nec superior aliter expresserit, nam absolutè concessa est, ad ineundum matrimonium, vt docet Sanchez *lib. 8. disp. 31. num. 11.* etsi oppositum probabile etiam sit. Item, si duo voto castitatis adstricti impetrent dispensationem ad mutuò contrahendum; allegata causa, quam vterque habet, independenter ab altero contrahente, possunt mortuo coniuge cum altero contrahere, modò dispensatio non fuerit limitata ad vnicum matrimonium, & modò causa dispensationis adhuc perseueret: quare qui pro causa dispensationis expresserunt stimulos carnis, possunt, soluto primo matrimonio, ad aliud transire, si stimulis carnis adhuc vexentur, nec dispensatio limitata fuerit ad primum matrimonium, nam tunc est duplex dispensatio, vna ab altera independens. Quòd si pro causa dispensationis voti allegatus fuit mutuus inter contrahentes concubinatus, vel infamia fœminæ, quam alter contrahens constuprauit, vel alia similis causa specialiter ambos contingens, non poterunt, soluto matrimonio primo, aliud celebrare: quia dispensatio non censetur absoluta, sed limitata, ad contrahendum, inter quos causa allegata specialiter versatur. Sanchez *loco cit. num. 14.* & cum eo Bonacin. *tom. 2. disput. 1. quæst. 2. punct. 7. §. 3. n. 1.*

DVB. IX.

Quid exprimi debeat in supplicatione, quando petitur dispensatio in aliquo impedimento matrimonij.

Circa hanc praxim solum referam ea, quæ assignat Filliuc. sacræ Pœnitentiariæ Pœnitentiarius *tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 10. q. 11. n. 351.*

1 Dico igitur primò, in dispensatione affinitatis, si agatur de contrahendo matrimonio, quatuor sunt exprimenda: primum, an sit secretum impedimentum, & quomodo: secundum, an sequantur scandala, nisi contrahant, & vnde, v. g. quia habitus sit tractatus de matrimonio, secuta sit sponsio à consanguineis, parentibus, aut amicis; tertium, quia subsit periculum vitæ, infamiæ, & vnde: quartum, an impedimentum sit vtrique parti notum, an vni tantum.

2 Secundò, si agatur de dispensatione affinitatis, & matrimonium sit iam contractum, exprimenda sunt sex: primum, an sit contractum, seruata forma Tridentini: secundum, à quot annis contractum sit; tertium, an extent filij, quorum etiam peti debet legitimatio: quartum, an impedimentum secretum sit, vel saltem ius ignotum, quod scilicet tale impedimentum dirimeret: quintum, an secutura sint scandala ex separatione, & nequeant abstinere à copula: sextum, an vterque, vel alter sint in bona fide.

3 Tertiò, in dispensatione cognationis spiritualis, si agatur de contrahendo matrimonio, exprimi solent quatuor: primum, à quot annis sit contracta cognatio: secundum, vnde oriatur, an ex Baptismo, an ex Confirmatione; & an sint in primo, vel secundo gradu, hoc est baptizantis, vel suscipientis, cum baptizato, vel suscepto, an vero baptizantis, vel suscipientis, cum patre, & matre baptizati, vel suscepti: tertium, quomodo sit secreta, cum describi soleant in codice, seu libro Baptismi nomina eorum, qui baptizant, vel suscipiunt, & natura sua publicum sit impedimentum: quartum, quæ, & quomodo scandala immineant, infamiæ, & pericula mortis, nisi matrimonium contrahatur.

4 Quartò in dispensatione consanguinitatis, si occulta est, aliquando etiam dispensat sacra Pœnitentiaria; vt plurimum autem, quia publica est, pertinet ad Datariam: primò ergo exprimendus est gradus; nam si sit primus, vel secundus non est facultas in Pœnitentiaria: secundò, à quo tempore sit contractum, nam dispensatio ad contrahendum non datur in Pœnitentiaria: tertium, quomodo occultum impedimentum, cui venerit in notitiam, & quomodo: quartum, an sint pericula scandalorum, si petatur dispensatio in Dataria, & quomodo.

5 Quintò

5 Quintò, in dispensatione impedimenti criminis, vt adulterij cum machinatione, hæc exprimenda sunt. Primò, an contractum sit in facie Ecclesiæ, & seruata forma Tridentini: secundò, à quo tempore: tertiò, quando sit occultum: quartò, an secutura sint scandala ex separatione: quintò, an fuerit altero tantum, an vero vtroque machinante, & series facti exprimenda est cum suis circumstantiis, vt verè patratum est: sextò, an sint filij, & tunc peti debet eorum, legitimatio: hæc eadem respectiuè proponenda sunt in contrahendo hoc matrimonio, excepto tamen primo, & secundo puncto, reliqua verò vsque ad sextum exclusiuè, etiam in eo exprimi debent: eadem etiam exprimenda sunt in impedimento adulterij cum fide data: hæc Filliuc.

DVB. X.

Qualiter intelligantur clausula, qua apponuntur in dispensationibus matrimonialibus, qua expediuntur in foro interiori à sacra Pœnitentiaria.

1 Dispensationes matrimoniales sunt in duplici genere: quædam pro foro conscientiæ, & hæ expediuntur à sacra Pœnitentiaria: aliæ pro foro externo, & hæ expediuntur per Datariam, vel Cancellariam: in hoc dubio agemus de prioribus in sequenti de posterioribus de quibus omnibus late Sanchez *lib.*8. *disput.* 34. & 35. qui *disput.* 34. *in princ.* refert tenorem literarum dispensationum, quæ in sacra Pœnitentiaria expediuntur.

2 Prima igitur clausula petit, vt delegatus, seu is, qui executurus est dispensationem, sit Doctor in iure Canonico, vel Magister in Theologia, quod est idem quod in ea Doctor, nam in aliquibus vniuersitatibus promoti ad gradum Theologiæ appellantur Magistri, in aliis verò, vt in nostra Valentina, Doctores. Posterior est, vt is sit confessor approbatus ab Ordinario. Ex quo deducitur non posse has literas aperire, & eas validè exequi DD. in Iure Cæsareo, nec eos, qui tantum habent gradum Licentiati, aut Bachalaureatus in Iure Canonico, aut Theologia, nam clausula petit DD. vel Magistrum, quod verum est, etiamsi Licentiati, publice doceant Canones, vel Theologiam. Item, nec possunt has literas aperire regulares, qui iuxta suorum ordinum instituta Magistri appellantur, nisi ij vere ad Magistratus gradum in aliqua Academia promoti sint: frustrantur etiam hæ dispensationes suo effectu, si eas expediens non sit vere dicto gradu insignitus, quamuis communi errore Doctor existimetur, secus tamen si eo gradu est insignitus reuera, quamuis indoctissimus esset, ac gradus esset irritus ob defectum occultum, nam hic iam habet titulum, etsi coloratum. Sanchez videndus *disput.* 34. *à num.* 5. *vsque ad n.* 10. qui *n.* 11. refert Greg. XIII. concessisse Religiosis Societatis Iesu, vt possint has literas expedire, quamuis non sint in Vniuersitate Doctoratus gradu insigniti, modò sint designati per suos Generales, aut alios eorum superiores de licentia Generalis, & quòd sint ab Ordinario approbati: quo quidem priuilegio ait, posse frui alios Mendicantes, & eos, qui eorum priuilegiis fruentur per communicationem, modò tamen sint à suis Generalibus designati, vel de eorum licentia ab aliis superioribus; aliàs enim quidquid egerint erit irritum, & inane, sic etiam Manuel *tom.* 1. *quæst.* 63. *art.* 8. *fin.* Villalob. 1. *part. tract.* 14. *diff.* 10. *num* 2. & 3. Aduertit etiam Sanch. *num.* 12. quod est valde notandum, casu quo hæ literæ aperiantur ab eo, qui non est Doctor, non ideo suo effectu frustrarentur, hoc tamen non obstante, poterit alius, qui sit Doctor, eas exequi; solum enim hæ literæ petunt, vt valida sit executio, quòd exequantur ab insignito Doctoratus gradu, vt etiam tenet Villalob. *sup. num* 4.

3 Secunda clausula, præter Doctoratum supradictum petit, vt executor literarum sacræ Pœnitentiariæ sit confessor approbatus ab Ordinario, aliàs dispensatio, erit irrita, quamuis aliàs doctus sit, & publico testimonio Academiæ approbatus: valide tamen eas exequitur, qui reuera fuit ab Ordinario approbatus, si occulte reuocatus sit, & communiter reuocatio ignoretur, habet enim tunc titulum coloratum: secus tamen si non fuerit approbatus vnquam, quamuis pro confessore habeatur, quia non habet titulum coloratum. Item, valide dispensaret, si esset approbatus cum limitatione, vt pro maribus tantum, aut pro fœminis, si simul Doctor sit modo dicto: quod procedit, etiamsi approbatus ab Ordinario sit indoctus, modò sit graduatus in Theologia, aut in iure Canonico, quia reuera est approbatus. Sanch. *lib.* 8. *disput.* 34. *à num.* 13. *vsque ad num.* 17. qui *n.* 18. aduertit, & bene, dato, quòd literæ hæ præsentatæ fuerint alicui Doctori confessario ab Ordinario approbato, si is negat dispensationem, eo quòd iudicet eam subreptitiam, posse oratorem, seu pœnitentem adire alium confessarium Doctorem, vt illam exequatur, imo prior confessarius poterit retractare suam sententiam, & dispensare: quod quidem non contingit in dispensationibus, quæ committuntur in foro externo, vt dixi *dub.* 8. & tenet Villal. *sup. n.* 4. & alij, vide Sanch *sup. disp.* 27. *n.* 38 39. 40. & Bonac. *tom.* 1. *q.* 5. *de matr. punct.* 15. *n.* 7. *v. Sexto.*

4 Tertia clausula est, quæ continet causam dispensationis, quæ in voto castitatis, & Religionis, vt plurimum solet esse timor, seu periculum incontinentiæ: vbi notandum, non sufficere timorem vnius aut alterius lapsus in carnis tentationem, sed exigi maximum frequentis lapsus periculum, ita vt ea persona dici possit, viuere incontinenter, siue id contingat ex fragilitate, siue ex prauo habitu, & occasionibus sæculi, vt bene Sanch. *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 19. & cum eo Filliuc. *supr. num.* 353. & Villalob. *loco cit num.* 5. & deducitur ex illis verbis clausulæ, *continenter viuere non sperat*, & infra *quatenus si ita est, ac oratorem stimulus carnis adeò agitatum, vt maximè dubitet continere posse, & propterea de illius incontinentia probabiliter timendum sit.* Quando autem continentur aliæ causæ, vt oritura scandala, vel fœminam ineptam mansuram, dicetur *dub. seq.* vbi de dispensatione in foro externo.

5 Quarta clausula continet, qualiter confessarius debeat verificationem, & iustificationem causæ indagare, ibi: *Si ita esse per diligẽtem oratoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita inueneris.* Circa quam clausulam notandum primo, confessarium hunc teneri diligenter examinare pœnitentem, secretò tamen, & in foro conscientiæ, & ipsum solum, cuius dicto stare tenetur, absque testibus, iuramento, & alia solemnitate, sicut ipsi creditur in foro pœnitentiæ: quando verò est notoria veritas causæ, non est opus examinatione. Notandum secundo, si omitteretur causæ examinatio, & aliàs causa non est notoriè vera non esset valida dispensatio quantumuis aliàs preces sint veræ, si id non cõstat confessario, vt docet Sanch. *lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 26. & cum eo Filliuc. 1. *tom. tr.* 10. *p.* 2. quia clausula importat conditionem, & formam, dicens: *Si per diligentem examinationem inueneris ita esse.* Notandum tertiò, monita, & consilia quæ præstanda sunt à confessario, eò referri, vt pœnitens sincere expliret

 veritatem,

veritatem, ne dispensatio sit frustratoria, eo quòd non aperiatur rei veritas; quod si omitterentur, modo præcesserit diligens examinatio, non propterea esset irrita dispensatio, quia non pertinent ad formam, sed ad instructionem dispensantis tantum. Sanch. *sup. n.* 27. & cum eo Filliuc. *sup.* & Villalob. 1 *p. tract.* 14. *diff.* 30. *n.* 5.

6 Quinta clausula continet absolutionem à mutatione propositi, per illa verba: *Eundem à mutatione propositi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta ei pœnitentia salutari.* Per absolutionem autem hanc intellige, vel absolutionem à culpa, v.g. si aliqua ratione transgressus esset votum, quod dispensatur, vel negligentiam dilationis in ingredienda Religione, vel absolutionem ad cautelam, si non esset causa adeò sufficiens, & ideo non debuisset petere absolutionem, seu voti dispensationem. Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 355.

7 Difficultas tamen est, apud DD. an ad huiusmodi dispensationem sit necessariò præmittenda confessio, seu an necessariò sit facienda dispensatio intra confessionem sacramentalem. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 29. Gutierr. *c.* 128. *n.* 18. Bonac. *tom.* 1 *q.* 3 *de matrimon. punct.* 15. *num.* 7. & Villalob. 1. *p. tractat.* 14. *diff.* 30. *num.* 6. cum Rodrig. & aliis respondent negatiuè; existimant enim Pontificem, seu Pœnitentiarium non exigere confessionem tanquam conditionem sine qua non, sed solum volunt, vt hæc dispensatio fiat in foro conscientiæ, ita vt non prosit in foro externo; distinguunt enim, præcipuè Sanchez *n.* 30. forum in internum, & externum: internum in forum pœnitentiale, seu sacramentale, & in forum conscientiæ, de quibus etiam dixi in expositione Bullæ, *lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 15. *num.* 9. ideo concludunt huiusmodi dispensationem faciendam esse in foro conscientiæ, non verò in foro pœnitentiæ. Filliuc. verò *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 355. respondet, olim quidem probabile fuisse, non requiri ad hanc dispensationem, confessionem sacramentalem, quia non addebatur clausula, *audita confessione, non aliter, neque alio modo*, sed tantum exigebatur, vt fieret in foro conscientiæ, qui distinguitur à foro pœnitentiæ, & est medius inter forum externum, & forum pœnitentiæ sacramentale: eo quòd in foro conscientiæ procedatur non publicè adhibitis testibus, & notoriè, sed secretò in foro animæ interno absque testibus, sed extra confessionem: hodie autem ex clausula dicta (ait Filliuc.) est omnino necessaria confessio. An autem sufficiat, si sit inualida, respondet cum Suarez *tom* 4 *disput.* 31. *sect.* 4 *num.* 9 si sit inualida defectu doloris, vel integritatis circa alia peccata, non autem circa id, de quo petitur absolutio, vel circa rem de qua petitur dispensatio, satis esse: si verò non esset integra respectu eius, cuius quæritur dispensatio, non satis esse: hæc Filliuc. Ego autem existimo dicendum cum Sanchez, & aliis, non esse necessariò præmittendam confessionem, modo non apponatur supradicta clausula, ea autem existente, videtur dicendum, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem, nam illa verba: *Audita confessione, nec aliter, nec alio modo*, apertè indicant requiri sacramentalem confessionem tanquam conditionem, sine qua non, ad huiusmodi dispensationem. Sed dices, quid si in commissione contineantur hæc verba, *auditis confessionibus dispensa.* vt continentur in priuilegio, quod circa hæc concessit Greg. XIII Societati Iesu, de quo sup. & Sanchez *loco cit. n.* 30. Sanch. *vbi sup.* existimat, non requiri in hoc casu, quòd præmittatur necessariò confessio sacramentalis, idem existimat Villalobos *vbi sup. n.* 7. quod ego existimo valdè probabile, & tutum, vt in simili dixi in Bulla *loco citato num.* 6. à simili in absolutione à reseruatis excommunicationibus per Bullam, quàm conferri posse extra confessionem. Dixi, *valde probabile*, etiamsi in Bulla adesset clausula, *auditis confessionibus.* Ratio est, quia ille ablatiuus absolutus, etsi importet conditionem, referendus est ad absolutionem sacramentalem à peccatis, & non ad dispensationem: singula enim singulis sunt referenda iuxta eorum naturam, & cum natura absolutionis à peccatis requirat sacramentalem absolutionem, & forum sacramentale pœnitentiæ, non verò natura dispensationis cum extra Sacramentum fieri possit, ideo verba, *auditis confessionibus*, referenda sunt ad forum sacramentale pœnitentiæ, non verò verbum, *dispensa*, aut, *dispenses*, cum dispensatio fieri possit extra Sacramentum, vide Sanchez *d. num.* 30. & in Bulla *dict. num.* 6. & 9.

7 Sexta clausula continet opera, quæ imponenda sunt, seu in quæ confessarius debet commutare votum castitatis, & Religionis, admixta tamen dispensatione, non enim Pontifex concedit absolutè facultatem dispensandi, vt indicant illa verba: *Dispensando commutes.* vbi notandum primò, non esse in arbitrio confessarij, commutare opera, quæ ibi exprimuntur, nam ideo ibi exprimuntur, vt ea imponantur, ideo hortandus est pœnitens ad ea admittenda: quòd si difficilia deinde experiatur, & labatur ea omittendo, probabile est, posse etiam ab inferiori commutari, vt dixi in expositione Bullæ *lib* 1. §. 7. *cap* 2. & in Decalogo *lib.* 2. *cap.* 2. Opera autem, quæ ibi non exprimuntur, sed ex mandato Pontificis iniungere debet Confessarius, debent esse perpetua, vt exprimunt illa verba: *Vt adimplens semper meminisset obligationis, qua huiusmodi voto adstringebatur*, & quamuis relinquatur arbitrio confessarij designare quantitatem operum, quæ ibi non sunt expressa, sed non est in eius arbitrio, quòd non sint perpetua, propter verba proximè allegata, ibi *vt adimplens*, &c. Notandum secundò, circa confessionem menstruam, quæ ibi præcipitur, non posse obligare Confessarium ad frequentiorem confessionem, videlicet, vt bis in mense fiat, nam sacra Pœnitentiaria non obligat ad frequentiorem confessionem, quam menstruam; durumque esset iugum, velle ad frequentiorem obligare pœnitentem. Poterit tamen prudens Confessarius, si expedire iudicauerit, ob fragilitatem personæ, confessionem menstruam, & alia opera perpetuo ibi præscripta moderari: vt si confessio menstrua per totam vitam esset difficilis, reducere poterit eam ad bimestrem confessionem: si recitatio septem Psalmorum pœnitentialium, vel Officium B. Mariæ Virginis quotidie grauior censetur, restringat ad Psalmum Miserere, vel ad recitandum Pater Noster, & Aue Maria, singulis diebus, modò tamen hæc opera moderata semper maneant perpetua, vt antea, & vbi in dispensatione præcipitur. Quòd autem possit hæc confessarius moderari, significant apertè illa verba: *Singulis scilicet mensibus vel quoties sibi videbitur.* Et infra: *Secundum Deum ipsius animæ saluti expedire iudicaueris.* Quæ quidem verba significare videntur, esse in arbitrio confessarij, horum operum frequentiam moderari, prout saluti spirituali pœnitentis expedire iudicauerit, modo tamen, vt semper sint perpetua: & cum hæc clausula sit apposita in fine omnium operum, ad omnia illa referenda est. Ita Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *num.* 356. Villalob. 1. *part. tractat.* 14 *diff.* 30. *num.* 8. & latius Sanchez *lib* 8. *disput.* 34. *num.* 31. 32. 33. 34. & 35. Nota tertiò, satis esse ad hanc confessionem

confessionem menstruam, dum imponitur, vt fiat quocumque die mensis,,modo,vt singulis mensibus fiat,Sanchez *sup. n.36.* ita enim indicant illa verba, *singulis adiuncta mensibus*, Hispane,*cada mes*, quòd sit transeat mensis absque confessione existimo eum Sanchez *num.* 37. non teneri omissam supplere alio mense,quia videtur onus affixum mensi: sicut vouens quotidie recitare, non tenetur preces alicuius diei omissas suplere. Nec tenetur hic duplicate confessionem eo mense, quo Ecclesiæ præcepro satisfacit; sicut nec ille,qui confessionem menstruam vouit etenim cum nôrit Pœnitentiarius, confessionem ex præcepto coincidese in aliquo mense, videtur ea esse contenta, & ad aliam non obligare.

8 At si pœnitens aliàs teneretur ex voto, vel pœnitentia iniuncta ad confessionem menstruam, vel bimestrem, non satisfaceret huic obligationi confessionis menstruæ, sicut vouens aliquo die ieiunare non satisfacit voto, ieiunio ab Ecclesia præcepto: censetur namque Pœnitentiarius imponere confessionem supererogatoriam, & aliàs non debitam: omnia autem hæc,quando aliud non exprimitur,intelliguntur de operibus supererogationis iuxta communem sententiam, teste Sanchez *sup.n.39.* posset tamen in hoc casu prudens confessarius moderari confessionem menstruam ad trimestrem, vel quadrimestrem,ne pœnitens teneatur singulis mensibus bis confiteri, quia iuxta hanc datur ei arbitrium,vt dictum est,vrgente tamen necessitate,vt est hæc. Non tamen satisfaceret confessarius suæ obligationi,iniungendo solas confessiones, ad quas ille aliàs tenebatur; nam Pœnitentiarius expostulat opera erogationis,quale erat votum,quod commutatur Sanchez *dict.n* 39.qui *n.*40.aduertit, & bene, non esse voluntarium confessario moderari supradictas pœnas,sed secundùm prudentiæ regulas, attenta fragilitate,viribus tam corporeis, quàm spiritualibus pœnitentis. Sanchez *supra n.* 40. qui *n.*41. assignat opera, in quæ commutari poterunt votum castitatis, & Religionis: vide ibi,& ea quæ diai in expositione Bullæ *lib.1.§.7.cap.3.dub. vltim.* vbi de praxi commutandi vota.

9 Septima est, de literis laniandis, solet enim aliquando apponi hæc clausula, *laniare tenearis*, (scilicet literas) *nec latori restituas, quòd si restitueris nihil illi præsentes literæ suffragentur.* Quod quidem præcipitur confessario quandoque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quandoque sub pœna, quòd non suffragentur parti si illi reddantur. Circa quod aduertit Sanchez *lib. 8. disput.*34. *num.* 42 non frustrari dispensationem in foro interiori, si facta dispensatione literæ parti reddantur, & eas apud se retineat, nam mens pœnitentiariæ est, vt illi non suffragentur in foro externo, at hoc non videtur certum. Villalob. 1. *part. tract.*14. *diff.*30.*num.*15. & meritò,quia cum hæ literæ concedantur non nominata persona, certum est, non posse prodesse in foro externo; ergo loquitur Pœnitentiarius de foro interno: monet etiam Sanchez, si postquam hæ literæ parti restitutæ fuerint dilanientur,aut combutantur, valere, & tunc dispensationem: & idem credit, si omnino amittantur sine spe recuperandi: quia mens Pœnitentiariæ ea esse creditur, vt hæ literæ non prosint, dum apud partem manserint, itaque non sunt relinquendæ literæ apud pœnitentem, sed confessor eas laceret; aut conburat,vel apud se retineat ad aliquem vsum materialem. Filliuc.*tom.1.tract.*10.*p.*2.*c.*10.*n.*357.

10 Octaua clausula,quæ solet apponi in omnibus dispensationibus fori conscientiæ, est vt in solo conscientiæ foro hæc dispensatio prosit, & non in foro externo,& de eo iudex in foro externo potest illum punire, & de eo inquirere, sicut si absolutus, aut dispensatus non esset. Non tamen videtur prohiberi, quo minus fiat aliqua fides à confessario de absolutione, vel dispensatione impensa pro consolatione pœnitentis,vel pro testimonio apud Episcopum obtentæ dispensationis in foro interno,& conscientiæ,id enim fieri in foro interiori,etiam in aliis ab absolutionibus nihil vetat. Filliuc.*tom.*1.*tract.*10. *part.*2.*cap.*10.*num.*358.

11 An autem si Parochus, vel Ordinarius norit impedimentum,& simul dispensationem in foro conscientiæ impetratam, possit dissimulare matrimonium, dixi *hoc libr. cap.5. dub.*11. *versic. Ex his*, vide Sanchez *lib.3. disput.*15. *à num.*13. *vsque ad* 17. vbi etiam disputat, an matrimonium initum cum dispensatione in foro interiori sit, detecto impedimento, dissoluendum in foro externo,vide ibi, *& dub.* 11. *citato versic. Colligitur tertio.* vbi etiam diximus, an parieos hoc impedimentum occultum, si secum in foro conscientiæ dispensatum sit, teneatur in foro externo id fateri, de quo etiam Sanchez *lib.* 3. *disput.* 14. *num.* 4. ibidem etiam dixi, an conscij illius impedimenti, & dispensationis teneatur illud denuntiate, vide etiam de hoc Sanchez *lib.*3 *disp.*13.*num.*8.

12 Nona clausula continet prolis legitimationem, quæ dupliciter solet apponi. Primò,ad legitimandam prolem suscipiendam, his verbis: *Dispenses prolem suscipiendam exinde,legitimam nuntiando in foro conscientiæ tantum.* Secundò,quando dispensatur vt matrimonium irritum ob impedimentum dirimens occultum,iterũ valide celebretur, his verbis: *Dispensa,vt matrimonium inter se secrete contrahere valeant prolem susceptam si qua sit & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ tantum.* Ad intelligentiam huius clausulæ quatuor casus distinguendi sunt: primus est,quando ante dispensationem proles nondum suscepta est: secundus, quando legitimatur proles ante matrimonium suscepta: tertius,quando præcessit matrimonium irritum, & dispensatur, vt valide ineatur, legitimando prolem in posterum suscipiendam in solo conscientiæ foro: vltimus est, quando tunc quoque legitimatur proles antea suscepta. His positis.

13 Dico primò,circa primum casum,nempe quando nondum inito matrimonio dispensatur legitimando prolem suscipiendam,talem prolem vere esse legitimam quoad spiritalia, & temporalia in solo cõscientiæ foro,quod verũ est,etiamsi talis clausula non adesset, ponitur tamen ad maiorem abundantiam, & ad vitandos scrupulos. Ratio est, quia tunc proles nascitur ea vero matrimonio in foro conscientiæ: idem dic de prole, quæ nascitur post dispensationem, antequam tamen matrimonium celebretur, quamuis ante dispensationem fuisset concepta, quia talis proles censetur naturalis, ideo legitimatur per subsequens matrimonium, quoad spiritualia,& temporalia: in foro tantum conscientiæ, iuxta *cap. tanta qui filij sunt legitimi*, Sanchez *lib.7.disput.*34 *n.*47. & Villalobos 1. *part. tract.*14. *diff.* 30. *num.* 11. Ex quo fit,hanc prolem in foro conscientiæ non futuram irregularem, sed capacem ordinum,& cuiusuis beneficij,tanquam vere legitimam,atque succedere vtrique parenti,& vtrumque parentem ipsi,quia ea vero matrimonio habita fuit, vel tanquam naturalis est legitimata per verum subsequens matrimonium. Infertur etiam, hanc prolem censeri illegitimam in foro externo, tam quoad spiritualia, vt ordines, & beneficia,

quam

quam quoad temporalia, nec succedere parentibus, nec parentes ipsi, nisi eo solo modo, quo filij spurij possunt parentibus succedere, vt dixi in Decalogo *lib.7.cap.18.dub.7.* & parentes ipsi. Ratio est quia cum dispensatio nullo modo suffragetur in hoc foro, reputatur in eo proles spuria, vtpote nata ex parentibus, inter quos non poterat consistere matrimonium, ob impedimentum dirimens, Sanchez *supr. num.48. & 49.* vbi addit hæc intelligenda esse, quando vterque parens est in mala fide, id est, est conscius impedimenti, nam si alter bona fide ignorat illud, proles ex tali matrimonio, de iure communi, etiam seclusa dispensatione, censetur legitima in vtroque foro, vt probat Sanchez *supra num. 46. & 49.*

24 Dico secundò, in secundo casu, quando non inito matrimonio dispensatur, vt ineatur legitimando prolem antea à contracturis susceptam Sanchez *lib 8 disp.7.n.4.* existimat per huiusmodi clausulam, & dispensationem, talem prolem legitimari, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, in foro tantum conscientiæ: idque probat, quia Papa dispensat in radice matrimonij, tollendo suam legem, seu reuocando impedimentum, quod irritabat, ac si nunquam irritasset, sicque efficit, vt quasi retrahatur dispensatio. Quæ quidem sententia, etsi probabilis sit, probabilius tamen videtur in hoc casu non posse Papam prolem legitimare, nisi quoad spiritualia, & non quoad temporalia, nisi in terris sibi temporaliter subiectis, vt cum Molina, & aliis tenet Villalob. *1. part. tract. 14. diff. 30. n. 9.* est enim difficile intellectu, quomodo possit Papa dispensare in radice matrimonij, non enim potest facere validum, quod tempore contractus fuit inualidum; nam quod factum est, infectum fieri non potest: atqui illud matrimonium fuit inualidum, quia personæ erant inhabiles; ergo illud non potest fieri validum per fictam retrotractionem dispensationis: alias rationes, vide apud Villalobos.

25 Dico tertiò, in tertio casu, nempe quando matrimonio irrite contracto, dispensat sacra Pœnitentiaria, vt valide ineatur, legitimando prolem inde suscipiendam in solo conscientiæ foro, proles suscipienda legitimatur eodem modo, quo dictum est in primo casu, Sanchez. *sup. n. 52.* vbi addit valere hanc legitimationem in vtroque foro, quando tale matrimonium fuit initum bona fide, & fit instauratio matrimonij, inscio altero, secus, quando in instauratione vterque fit conscius impedimenti, iuxta dicta *supr cap 4. dub. 4.* nam tunc legitimatio solum est pro foro conscientiæ: qualis etiam est legitimatio facta per Commissariū Cruciatæ, cùm non possit legitimare, nisi vtrique coniugi constet de nullitate in communi matrimonij, vt dixi in exposit. Bullæ *lib. 1. §. 4. dub. 2.* Quòd si Commissarius, vel confessor non admonuit impetrantem dispensationem, vt certiorem faceret alterum coniugem de illa nullitate, aut impetrans non admonuit ex ignorantia, obliuione, vel malitia, sed eo non admonito instaurauit matrimonium, proles suscipienda erit legitima in vtroque foro, perinde ac si dispensatio concessa non esset tanquam nata ex matrimonio cum bona fide alterius inito. Vide Sanchez *loc. cit.*

26 Dico quartò, quando matrimonio inualide inito dispensatur in foro conscientiæ, vt valide ineatur legitimando prolem antea susceptam: si fuit tale matrimonium contractum mala fide ex parte vtriusque contrahentis, solùm legitimatur proles quoad spiritualia: at si adfuit bona fides saltem ex parte vnius, & matrimonium fuit contractum in facie Ecclesiæ, filij ex tali matrimonio orti sunt legitimi respectu vtriusque parentis, Villalobos *supra num. 51. & tract. 13. diff. 57. n. 4. & 5.* videndus: sed de his latius Sanch. *lib. 8 disp. 7. & 34.*

17 Aduertendum tamen est circa prædicta, quando Confessarius dispensauit in matrimonio, non verò legitimauit prolem, tunc non manere filios legitimos: poterit tamen ipse postea prolem legitimare, quia adhuc non est functus officio, sit verò sit mortuus, vel absens, poterit legitimare alius confessarius, qui sit Doctor, sicut erat prior, nam videtur succedere in officio, ita Villalobos *1. part. tract. 14. diff. 30. n. 12.* & Suar. *lib. 8. disp. 7. n. 17.*

18 Decima est, *dummodo impedimentum inde proueniens sit occultum.* Sumitur autem hic occultum, prout opponitur publico, sicut sumitur à Trident. *sess. 14. cap. 6. de reformat.* & dixi in Decalogo. *lib. 1.* vbi explicatur Tridentini caput, & in expositione Bullæ *lib. 1. cap. 2 dub. 8.* & sæpè in Decalog. Requiritur ergo, vt valeat hæc dispensatio, vt impedimentum sit occultum, & non publicum, id est, quod non sit notum maiori parti Parochiæ, vel viciniæ, vel Collegij, vel Monasterij, dummodo saltem decem inueniantur in Parochia, vicinia, &c. & quòd non sit deductum ad forum contentiosum, & non sit de eo publica fama, seu infamis: quòd si reus se defendendo in iudicio fuit liber, adhuc dicetur crimen occultum; similiter si non est de illo infamia, quamuis per testes probari potest. Debet ergo impedimentum esse publicum, non tantum in ratione delicti, sed etiam quatenus impedimentum est, vnde quamuis copula, ex qua oriatur affinitas, publica sit, si tamen non sit publicum, seu non sciatur publice id esse matrimonij impedimentum, adhuc dicetur impedimentum occultum. Sanchez videndus *lib. 8 disput. 34. n. 55. 56. & 57.*

19 Vndecimo solet apponi hæc clausula, *si ita est cum eis inter se publice, & seruata forma Tridentini, contrahant, dispenses.* Quæ autem circa hanc clausulam occurrunt, dixi *hoc lib. capit. 4 dub. 4. à versic. Difficultas etiam est*, vide ibi, & Sanchez *lib. 2. disput. 37.* Bonacin. *1. tom. q. 3 de matrim. punct. 15. num. 7. vers. Octauo*, qui asserunt tunc iterum esse celebrandum coram Parocho, & testibus, quando Parochus, & testes fuerunt conscij impedimenti occulti, aut quando impedimentum probari potest in iudicio: secus quando est omnino occultum, nec Parochus, nec testes erant conscij, & non est periculum, vt detegatur, tunc enim poterit confessarius dispensare, & iterum occulte eos coniungere, absque noua præsentia Parochi, & testium.

20 Duodecimo solet apponi in dispensatione *vt matrimonium irritum iterum celebretur*, præcipiturque etiam ibi dispensaturo, vt ante dispensationem videat, & experiatur an sine scandalo separari possint, deinde, an simul possint viuere tanquam frater, & soror: hanc autem experientiam non tenetur facere, si ei iam constat non posse hæc fieri, sed statim potest dispensare: at quia fere semper adest scandalum ex separatione, & periculum incontinentiæ ex cohabitatione, rarissime, aut nunquam talis experientia est necessaria, ideo totum hoc relinquit Pœnitentiarius prudentiæ confessarij, vt videre est in fine clausulæ. Sanch. *lib. 8 disp. 34. n. 60.*

21 Decimo tertiò solet etiam apponi hæc clausula: *Cum ipsis latoribus dispenses, muliere de nullitate consensus certiorata, sed ita caute, vt si illa adhuc ignara sit; latoris delictum nunquam detegatur.* Hanc autem clausulam Sanchez *lib. 8. disp. 34. num. 61.* & cum eo Villalob. *tractat. 14. diff. 30. num. 15. part. 1.* existimant non esse conditionem, sed tantum apponi tanquam instructionem, nam multoties non posset

posset manifestari impedimentum sine magno mulieris damno, & periculo, & aliquando expedit non manifestare impedimentum, aut nullitatem matrimonij, ob idque *cap. 4. dub. 4.* diximus posse sualidasi matrimonium aliàs nullum obtenta dispensatione impedimenti, absque eo, quod alter ignarus impedimenti conscius fiat nullitatis matrimonij. Et confirmatur, quia si id esset necessarium, sæpe dispensationes frustrarentur suo effectu, cum sæpè adsit periculum ex manifestatione impedimenti: habebit tamen locum hæc clausula, quando iuxta ea, quæ diximus *lib. hoc c. 4. dub. 4.* potest manifestari nullitas occulta matrimonij, seu impedimentum occultum coniugi ignoranti. Vide ibi.

22 Decimo quartò, à tergo literis dispensationis sacræ Pœnitentiariæ solet apponi hæc clausula, *gratis vbique*, quæ denotat has literas gratis esse expediendas, ita vt nihil pro ipsis possit exigi, nec per viam compositionis: imò nec Pœnitentiarius illas concedens potest aliquod sponte datum in signum gratitudinis accipere, vt habetur in facultatibus ei concessis, teste Nauarr. *consil. 50. n. 3. de sponsalibus*, vide Sanchez *lib. 8. disput. 34. n. 64.*

23 Nota primò, quando vterque coniux deliquit, vtrique esse imponendam confessionem menstruam, & alia opera in dispensatione præscripta; quia ibi dicitur, imponendam tam enormis libidinis excessus, ergo illis imponenda est, qui participes sunt delicti, Sanchez. *lib 8. disput. 34. num. 59.* Si alter tantum deliquit, illi soli est imponenda pœna.

24 Nota secundò, quandò in precibus dicitur contrahentes contraxisse cum bona fide, requiri necessariò, quòd vterque bona fide contraxerit, quia est fauor vtrique concessus. Nauarr. *consil. vltim. de consanguinit. lib. 4.* Sanchez *lib. 8. disput. 25. num. 30.* & Villalob. *1. part tract. 14. diff. 30 n. 14.*

25 Nota tertiò, non esse validum matrimonium contractum, antequam Ordinarius vel confessarius virtute mandati summi Pontificis, vel Pœnitentiarij dispenset. Sanchez *lib. 8. disp. 30. num. 12.* & alij; nam aliud est mandatum dispensandi, aliud verò ipsa dispensatio, superior enim tunc non dispensat, sed dat mandatum, seu facultatem ad dispensatum, vnde donec mandatum ab inferiore exequatur, dispensatio non erit completa.

Dub. XI.

Quænam obseruanda sint ab iis, quibus à sacra Pœnitentiaria committuntur per literas priuatas dispensationes matrimoniales.

1 Circa hoc solum referam ea, quæ Fillincius sacræ Pœnitentiariæ Pœnitentiarius, notat *tom. 3. tractat. 10. part. 2. cap. 10. quæst. 12. num. 362.* Ratio dubitandi est, quia semper in iis literis addi solet, vt dispensetur in forma Pœnitentiariæ, ideo videndum est, quænam sit hæc forma, quæ ex sequentibus poterit cognosci. Supponendum tamen primò est, quòd omnis dispensatio, vel est, primò circa affinitatem de contracto iam matrimonio, vel de contrahendo. Vel secundò circa cognationem spiritualem eodem modo de contracto, vel contrahendo, nam consanguinitas, quia vtplurimum publica est, & nota, aut saltem cognosci potest, non comprehenditur sub dispensationibus sacræ Pœnitentiariæ. Vel tertiò, circa incestum, qui contingat ante habitam dispensationem, & applicatam, & propterea impediat matrimonium contrahendum, modo *supra* explicato, & ad id reddat nullam dispensationem. Vel quartò, circa votum castitatis, & Religionis, quæ sunt impedimenta ad contrahendum, vel petendum debitum, si iam sit contractum matrimonium. Vel quintò, circa incestum contingentem post matrimonium, quod impedit exactionem debiti.

2 Primò igitur, si sit circa affinitatem de contrahendo, tria facienda sunt. Primò, absoluendus est pœnitens ab incestu (sermo enim est de affinitate orta ex fornicatione occulta, quæ vtplurimum solet esse occulta) & iniungenda pœnitentia salutaris. Secundò, examinanda sunt duo: primum, an sit tale impedimentum occultum: secundum, an sit periculum infamiæ, si non fiat matrimonium. Tertiò, dispensando cum duplici declaratione: altera, prolem legitimam esse futuram, altera, dispensationem tantum suffragaturam in foro conscientiæ, ideò literæ cõtinentes huiusmodi dispensationẽ laniandæ sunt, nec reddendæ oratori sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quod si reddantur non suffragentur oratori, vt supra dictum est, *hoc cap. dub. 6.*

3 Secundò, si circa affinitatem de contracto: tria item agenda sunt. Primum absoluendus est pœnitens à censuris, & incestu iuncta confessione menstrua, vel quoties confessori visum fuerit, iuxta dicta *dub antecedent.* Secundum, quatuor sunt examinanda, si sit occultum, si possit separari, si sit periculum incontinentiæ, si sit aliud impedimentum: & quidem si possunt separari omnino faciendum, si non possit, & non sit periculum incontinentiæ, habitent simul tanquam frater, & soror; si sit periculum, & non sit aliud impedimentum Canonicum, tunc dispensetur, altero coniuge admonito de nullitate secreto, & cautè, modo vt *in dub. proxim.* Tertium, dispensandum cum duplici declaratione, vt in *num. anteced.*

4 Tertiò, si sit commissus incestus ante applicatam dispensationem consanguinitatis, vel affinitatis, vel alterius impedimenti, tunc dispensatio est inualida, iuxta *sup. dub. 5.* ideoque petenda erit noua dispensatio, & faciendum, vt in præcedente notato: addito examine, an sit secretum, priorem dispensationem nullam esse, & etiam declarata legitimatione prolis, vt in primo notatu.

5 Quartò, si incestus superuenerit matrimonio, & ideò ortum sit impedimentum affinitatis, primò auferenda est occasio recidiui, deinde absoluatur imposita pœnitentia, vt in secundo notatu, tum dispensetur, vt remaneat, & petat debitum; denique admoneatur, si superuixerit, eam manere sine spe coniugij.

6 Quintò, si etiam esset votum castitatis, & Religionis, fiat iuxta illud, quod describitur in commissione, & dixi in Decalogo *lib. 2. c. 2.* vbi de commutatione votorum, & in expositione Bullæ *lib. 1 §. 7. c. 3. dub. vlt.* & tetigi *sup hoc c. dub. 9 & 10.*

7 Sextò, si sit impedimentum compaternitatis, & quia se carnaliter cognouerunt, & tractarunt de matrimonio, vel nondum receptis literis, vel non applicata dispensatione se cognouerunt, fiat, vt in primo notatu de affinitate.

8 Septimò, si sit impedimentum criminis, præter communia, absoluendi sunt à censuris, ab adulterio, & homicidio, si sequutum sit: dispensandum est, vt in primo notatu affinitatis: pœnitentia verò iniungenda est, vt in primo ieiunet singulis ferijs sextis. Secundò, oret tribus diebus in hebdomada per annum pro anima occisi. Tertiò, celebrare faciat quinquaginta Missas, vel iuxta facultatem

cultatem

culpatem arbitrio confessoris. Quartò, confiteatur semel in mense per annum. Quintò, satisfaciat hæredibus occisi, & aliis, quibus ille forsan solebat subuenire, prout de iure, & dixi in Decalogo *lib.7.cap.8. dub.11.& 3.*

Dub. XI.

De clausulis dispensationum in foro externo.

1 Dispensationes in foro externo expediuntur per datariam, & Cancellariam Apostolicam, quarum exemplum refert Sanchez videndus *lib.8 disp.35.* vbi de his latè, & breuius. Filliuc. *tom.1. tract.10.q.3.n.365.*

2 Prima clausula continet personam, cui committitur dispensatio, quæ solet communiter esse Officialis Diœcesis, nempe Vicarius generalis in spiritualibus: & quando contrahentes essent ambo ex diuersa Diœcesi, satis est vnus alterius coniugis ad dispensandum in vtroque coniuge, vt etiam satis est Parochus vnius ad celebrandum matrimonium inter eos, vt diximus *sup lib.hoc, cap 5.dub.5.* Commissione autem facta alteri ex his Officialibus, solus ille poterit eam exequi, & non alterius contrahentis Ordinarius, cui à Pontifice commissa non est. Sanchez *sup.n.5.*

3 Secunda continet causam dispensationis, de qua diximus *sup.dub.4.* Solùm hic notandum occurrit, quando allegatur defectus dotis, dotem esse augendam integrè, ad hoc vt cum dote fœminæ compleatur dos sufficiens illius, siue ipsemet vir illam augeat, siue alius, vt ille ducat: ideoque Ordinarius debet diligenter illud examinare, & efficere, vt cum effectu dos promissa reddatur, & constituatur. Vide Sanchez *sup.n.6.7.& 8.*

4 Tertia continet *prohibitionem*, sub excommunicatione latæ sententiæ, *ne recipiat Ordinarius quodcumque munus*; vbi notandum, non prohiberi stipendium labori debitum, vel ex consuetodine, sed præmia, & donationes, ne iis Ordinarius corruptus minus rectè iudicet. Nauarr. *cons. vlt. de rescript.* Prohibentur etiam esculenta, & poculenta, quæ permittuntur delegatis *in cap statutum, §. insuper. de rescript.in* 6. non tamen prohibetur accipere expensas itineris faciendi extra ciuitatem. Post dispensationem autem videtur posse recipere munera gratis oblata; nam prohibitio videtur respicere tempus ante dispensationem, Filliucius *sup.* vide Sanch *lib.8. disp.35 n.9.vsque ad* 14.

5 Quarta continet *cognitionem veritatis causarum*, circa quod notandum, non requiri iudicialem cognitionem, sed satis esse extraiudicialem, modo fiat ab aliis, quam à contrahentibus matrimonium, & in hoc differt ab examinatione causæ in foro interiori, in quo sola partis informatio sufficit. Filliuc. *loco cit* & Sanch. *sup.n.15.& 16.*

6 Quinta continet derogationem quarumcumque constitutionum, quibus nimirum prohibetur matrimonium intra gradus prohibitos, derogatum etiam Concilio generali, *cap.non debet de consanguinit.* Etenim quando Papa dispensat in casu speciali contra Concilium, valet dispensatio, etiamsi non fiat mentio Concilij, quia alioquin non redderetur vera clausula generis. Sanchez *supra num.17.*

7 Sexta clausula est, *vt matrimonium inter se publicè, seruata forma Concilij Tridentini, contrahere valeant dispensati*; quæ quidem clausula continet mandatum dispensandi; vnde non valet matrimonium, antequam Ordinarius dispenset; facta autem dispensatione, possunt contrahere, iuxta formam Tridentini, id est, coram Parocho, & testibus, & præmissis denuntiationibus, his tamen omissis, validum esset matrimonium, si cætera essentialia, aut substantialia adsint. Sanchez *lib.8.disput.25.num. 19 & 20.*

8 Septima est, *dummodo propter ipsa N. rapta non sit*; per quam significatur nouum impedimentum, quando fœmina rapta fuit ad finem contrahendi matrimonium cum ea, de quo Tridentinum *sess. 24.cap.6.* & dixi *sup.cap.8. dub.17.* mens enim Papæ est, non dispensare, quando huiusmodi raptus interuenisset, & non fuisset expressus in dispensatione.

9 Octaua est, *prolem suscipiendam exinde legitimam nominando.* Circa quam notandum, prolem suscipiendam post dispensationem, matrimonio inito, esse legitimam in vtroque foro, ac si dicta clausula non adderetur, quia habetur ex matrimonio contracto cum legitima dispensatione in vtroque foro. Quare intelligenda est de prole suscepta ante dispensationem; & quidem quando, nullo contracto matrimonio, fuit suscepta, legitimatur tantùm quoad spiritualia in vtroque foro, nisi esset locis temporali Papæ iurisdictioni subiectis, & Papa exprimeret, se legitimare quoad temporalia etiam; quando verò ex matrimonio irrito suscepta legitimatur, si fuit contractum mala fide vtriusque, tantum legitima erit quoad spiritualia in vtroque foro, nisi Papa dispensaret in matrimonij radice, secundum opinionem Sanchez, de qua *hoc cap.dub.10.à n.21.* aut esset in locis suæ iurisdictionis temporalis; Papa enim legitimare quoad temporalia non potest, nisi in suis terris temporaliter sibi subiectis, vt latè Sanchez. At si alter tantum fuit in mala fide, tunc erit proles legitima quoad omnia in vtroque foro, etiamsi Papa non legitimaret; parens tamen, qui fuit in mala fide, non gaudebit iure parentis. Sanchez *lib.8.disp.35. num.23.* vide *dub.10 citat. à num.21.* & Sanchez *lib.8.disp.7.& disputat.34.à num.47.& lib.3.disp.42.43.&* 44. quibus in locis agit de legitimatione illegitimorum.

10 Nona in dispensationibus concessis sine causa additur: *Ipsi ex certis rationabilibus causis, eorum animum mouentibus, cupiunt inuicem matrimonialiter copulari*: vnde tunc non oportet illas examinare, quamuis dicatur, *discretioni tuæ mandamus, vt de præmissis te diligenter informes*, quia hæc verba referuntur ad impedimentum, quod allegatur, super quo est dispensandum, & non ad præmissa, sunt enim verba hæc contenta in formula generali ex stylo notariorum, ideo quoad indagationem causæ in hoc casu nullam obligationem inducunt: etenim quando vult Pontifex, causas verificari, eas in specie narrat. Sanch. *sup.n.24.*

11 Decima continet contrahentium qualitatem, nempe dum allegant se nobiles, aut loci principaliores, quæ quidem qualitas, si allegatur vt causa ab ipsis contrahentibus, vt iis verbis, *asserentes se ex principalibus ciuitatis existere*, verificanda est tanquam causa dispensationis: secus quando qualitas refertur merè narrando, & non vt causa, & quando dicitur per verbum impersonale, vt *asseritur*, tunc enim qualitas non censetur allata vt causa, ideo non est probanda, benè verò per verbum non impersonale, vt *asseris*, vel *asserentes*, vel *asserunt*, vel *vt ab ipsis asseritur*, tunc allegatur vt causa, ideo est probanda. Sanch. *lib.8 disp.35.n 25.*

12 Sed quæres, ad quem pertineant expensæ dispensationis:

pensationis: de quæstione hac Sanch. *lib.8.disp.36.* Respondeo primò breuiter, si communi consensu impetretur, ad vtrumque pertinent æqualiter, etiamsi nihil actum sit de illis; est enim id in vtriusque vtilitatem, & tacitè continentur in consensu dato: si verò vnius tantùm voluntate petatur, altero inscio, tunc ad illum tantùm pertinebunt, qui propria voluntate impetrauit. Sanchez *sup. num.3.* & cum eo Filliucius *tom.1.tract.10.part.2.cap.10. num.364.* Secundò, si iustè alter recedat ab sponsalibus, absque alterius culpa, debet nihilominus soluere suam partem: si verò dolosè contraxit, habens animum recedendi, etiam ob Religionem, tenetur ad soluendas omnes expensas; nam debet seruare alterum indemnem, eo quòd habuit talem animum. Tertiò, si alter dat causam culpabilem, vt alter recedat, & quidem cum proprio damno, & dedecore, tenetur culpatus ad omnes expensas, vt si sponsa fornicata est, contra verò si sponsus fornicaretur, quia hoc non esset dedecus sponsæ, sed tantùm liberè recideret, & si iustè recedat illa, tantùm soluet partem suam. Hinc infertur, virum, qui virginem violauit, si postea ingrediatur Religionem, teneri ad expensas dispensationis iam factas, quando ingressus tribuendus est culpæ illius; quando culpa caret: tantùm tenebitur ad suam partem: atque ita quando declaratio fuit iniuriosa, nempe vi, aut precibus importunis æquiualentibus violentiæ, tenebitur ad totas expensas, quia tunc non debet Religionem ingredi: secus quando, nulla data fide matrimonij, consentiens virgo deflorata est, de qua re pluribus Sanchez *lib.8.disp.35.à num.8.*

CAPVT XI.

De debito coniugali.

DVBIVM I.

An actus coniugalis sit licitus, & sub præcepto.

1 Dico primò, communis Catholicorum sententia est, actum coniugalem esse ex se licitum, & posse exerceri absque omni culpa: constat apertè ex illis verbis Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*, quibus Deus primis parentibus commendauit vsum coniugalem: & ex eo quòd ad Hebr. 7. torus coniugatorum dicitur à D. Paulo *immaculatus*. Probatur ratione, quia est vsus matrimonij, quod est res bona, vtpote à Deo instituta, & præcepta, ergo etiam vsus illius erit res bona, & licita, aliàs matrimonium esset illicitum. Quare si actus coniugalis vestiatur debitis circunstantiis, erit etiam meritorius; non tamen confertur in ipso gratia ex opertato, quia non est Sacramentum, nec pars eius sed ex opere operantis: conferret autem, quando in ipso actu coniugali perficeretur matrimonium, quod fuit inualidum defectu consensus requisiti, & reualidatur per copulam animo coniugali habitam, quando non est alius modus possibilis, iuxta dicta *cap.4. dub.4.* Nec huic conclusioni obstat primò, quod inueniatur in eo actu quædam turpitudo, & immunditia, quia est tantum naturalis, & non moralis. Nec effrænata delectatio appetitus sensitiui, quia hæc non est culpa, sed tantum pœna peccati originalis, modò tamen delectatio non excedat limites rationis, vt infra. Nec tertiò, quòd priuet bono vsus rationis, quod postponitur in illo actu bono inferiori habendæ prolis, nam potest postponi leue detrimentum in bono potiori ob inferius, quod sit maximi momenti, vt est bonum generationis. Filliuc. *tom.1 tractat.10.part.1. cap.9. n.302.* vide plura apud Bellarm. *lib.1.de matrim. cap.1.* & Sanchez *lib.9. disput.1.*

2 Dico secundò, redditionem debiti esse in præcepto respectu vtriusque, siue expresse, siue tacitè fiat ab altero petitio: tunc coniuges tenentur ex iustitia sibi inuicem debitum coniugale reddere, quando alter petit tanquam debitum, & moderatè. Ita S.Thom. *addit.quæst.64. art.1. & 3.* communiter receptus, & expressit D. Paulus 1. ad Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro.* Ratio est, quia ex iustitia tenemur reddere vnicuique quod suum est; at corpus viri est vxoris, & corpus vxoris est viri, ergo tenentur sibi inuicem ex iustitia debitum reddere; habent enim coniuges ius, & potestatem mutuam in corpus alterius. Dixi, *siue expresse, &c.* nam nihil refert qualiter voluntas exprimatur; sufficit namque, vt alter sciat alterum quoquomodo petere. Tunc autem vxor tacitè censetur petere, quando quibusdam signis percipit vir in ea voluntatem petendi, & tamen præ pudore se abstinet; quod sæpè contingere potest ob verecundiam, vt cum S. Thoma *supr.* Sylu. *verb. debitum. quæst. 8.* Nauarr. *cap. 16. num.26.* & alij, quod non ita regulariter accidit in viro ideóque licitum erit vxori expectare petitionem viri: at in casu, quod vxori euidenter constaret de timore viri ex pudore, teneretur etiam vxor reddere, vt docent citati. Idem dic, quando alter coniunx ex quibusdam signis coniiceret in altero periculum incontinentiæ, tunc enim petere est moraliter reddere, vt cum S. Thoma & aliis Sanchez *sup. disp.2. num. 6.* Probabile tamen est, tunc talem redditionem non esse tam actum proprium iustitiæ, quàm charitatis. Filliucius *supr.num.303.*cum Soto *in 4. dist.32. quæst. vnica art. 2.* Dixi etiam, *quando petit tanquam debitum*, quia si sic non petat, sed tantùm beneuolè, & amicè, vt solemus, alias res ab amicis petere, non animo obligandi, tunc enim est præcisa obligatio reddendi. Dixi *moderatè*, quia vt benè Coninch. *disp. 34. dub. 2.* ex matrimonio non oritur obligatio ad importunam, & immoderatam redditionem, ideo excusatur non reddens, quando alter frequentiùs petit, quàm par sit; nam in omnibus seruandus est modus, modò tamen absit periculum incontinentiæ in petente aut grauis morbi.

3 Ex hac secunda conclusione sequitur, regulariter loquendo, teneri coniugem sub mortali alteri coniugi petendi copulam, reddere debitum, quia copula est res grauis: erit tamen veniale, quando etiam remisse petit, aut est nimius in petendo, aut quando non negatur absolutè, sed tantùm differtur vt quando exigenti mane, redditur nocte, aut quando exigenti nocte redditur mane. Sanchez *lib.9.disput.2.numer.9.* Hurtado *disput.10. diff.11.* Filliucius *tom. 1. tractat. 10. part. 1. cap. 9. 303. & 304.* Villalobos *1. part. tractat. 13. diff.45 num.45. & 6.* Henriquez *lib.11. cap.15. num.7.* & cum aliis Bonacina *tom.1.quæst.4 de matrim. punct.1. num.1.* vbi *vers. Dixi.* at: hæc intelligenda esse, modò non sit periculum incontinentiæ, vel grauis morbi ob denegationem, vt latiùs *infra.* Hoc autem quod diximus, teneri sub mortali coniuges reddere sibi inuicem debitum, intelligendum esse, modò id moraliter facere possit; ad impossibile enim nemo tenetur. Hinc fit, non teneri virum vti calidis, vt fiat potens, nisi aliquando ex charitate, quando scilicet

ſcilicet id facere poteſt abſque vllo ſoo incommodo,& aduerteret in vxore periculum incontinentiæ. Sanch.*lib.9.diſp.3.n.6.* Villalobos *ſup n.7.*

4 Seqoitur ſecundò, illum coniugem peccare mortaliter, qui ſe mediis illicitis reddit impotentem ad reddendum debitum, vt ſi ſe vir crebiò pollueret, vel fornicaretur, aduertens ſe reddi notabiliter impotentem ad reddendum : colligitur ex S. Thoma *add.quæſt.64 artic.1. ad 3.* & docent Sanchez *ſupra diſput.3. num.3.* Filliucius *ſup. num* 305. Coninch *diſp.34. dub.2. num.18.* & cum aliis Bonacina *ſup. num.* 2. Ratio eſt, quia facit contra obligationem contractus matrimonij,quo ſe obligauit ad reddendum debitum; eadem enim lege Iuſtitiæ obligatur ad reddeodum, & ad non reddendum ſemipotens mediis illicitis; nam primom eſt finis, hoc autem medium. Aduerte tamen, hunc non peccare,quando peritus non reddit, quia ſe impoſſibilitauit,alioquin ſemper eſſet io malo ſtato, ſed quando ſe impotentem fecit, quia tunc voluntariè ſe ſubiecit illi impotentiæ contra obligatiooem contractus matrimonij. Ita cum aliis Bonacina *vbi ſup.* Idem dic, ſi mediis aliàs licitis, ſed immoderatè aſſumptis (ſecus ſi moderatis, & bona fide aſſumptis) vt vigiliis indiſcretis, nimiis ieiuniis; &c. ſe notabiliter ad reddendum debitum reddit. Ita citati. Hinc fit primò, virum ſine conſenſu vxoris non poſſe vouere ieiunia, vigilias, &c. nec è contra vxor, quæ obſtent debito coniugali reddendo. Secundò, neutrum poſſe mutare habitum abſque alterius conſenſu, vt aſſumere habitum tertij Ordinis S.Franciſci, vel aliorum; nam vt docet Nauarr. *cap. 22. num.6.* generat horrorem, & nocet aliqua ratione obligationi reddendi debitum. Tertiò, excuſari à ieiunio Eccleſiæ coniugem, qui non poteſt aliter reddere debitum ſoæ vxori. Saochez *ſup.diſp.3.* & alij, quia obligatio iuſtitiæ, qoa vir tenetur, præferenda eſt dicto præcepto. Quartò, vxorem excuſari à ieiunio Eccleſiæ, ſi ieiunando redditur ita pallida, aut deformis, vt ob id non placeat viro, & ab eo minùs ametur, quàm par ſit, quia defectua amoris viri erga vxorem, vtpote valdè neceſſarij ad pacificè traducendam vitam, ideo cum hoc damoo oon tenetur ad obſeruantiam huius præcepti Eccleſiaſtici. Ita Caiet. *verb.ieiunium. cap.3.* Filliucius *ſup. num.306.* Sanchez *dict.diſp.3. num.11.* Hurtado *loco cit. num* 52. & alij : quod limita cum Filliucio, modò verò ex ieiunio minuatur amor ſenſibiliter. Quintò, excuſaretur à ieiunio vxor, ſi inde notabiles diſcordiæ inter ipſos orirentur. Nauarr. *cap.21. n.19.* Filliucius *ſup.*& alij. & dixi in Decalogo *lib.3. cap 7.dub.7.n.15.*

5 Sequitur tertiò, coniuges teneri de iure naturæ, & diuino ad mutuam cohabitationem, & neutrum poſſe ab altero inuito diu abeſſe abſque neceſſitate, v. g. longè peregrinando, quia id eſt pro longo tempore impotentem ſe conſtituere ad reddendum debitum, quod abſque neceſſitate facere non poteſt, quia eſt contra ius alterius, vt deducitur *ex cap.1. & 2. de coniug. leproſ.* Dixi *abſque neceſſitate*, nam ea exiſtente, poteſt vir à domo abeſſe, vt dixi in Decalogo *lib.4.cap.4. dub.4. num.6.* Tenentur autem coniuges non ſolùm cohabitare in eadem domo, ſed etiam in eadem menſa, & io eodem lecto, ſaltem vt in plurimum, niſi iuſta cauſa excuſet; ad id eoim obligat natura ipſius contractus: poſſunt tameo mutuo conſenſu ſeparari quoad torum, ex 1. Corinth.7. ad tempus ex legitima cauſa, vt amore continentiæ, vel ne grauentur tam multa prole. Filliucius *tom.1. tractat. 10. part.1. cap.9. num.314.* Hinc fit, iudicem Eccleſiaſticum poſſe cenſuris (vt fit in Diœceſi Valentina) cogere ad cohabitandum, *cap. litteras de reſtit ſpol.* Abb *ibi. num.29.* & cum aliis Sanchez *lib.9. diſp.4. num.6.* Id etiam poteſt ſæcularis, quando non ſit controuerſia de valore matrimonij; eſt enim matrimonium contractus ciuilis. Couarr. *de matrim.part.2 cap.7. num.3.* Sequetur etiam, vxorem teneri ad comitandum virum aliò mutantem domicilium, de quo diximus *ſupr hoc lib.* vide etiam Sanchez *lib.9.diſput.4. num.13. & 14.* & Villalobos *part. 1. tractat. 13. diff 43.* & Bonacina *quæſt.4. de matrim. punct.6. à num.20.*

6 De obligatione, qua tenetur vir alere vxorem, dixi in Decalogo *lib.4.cap.4.dub.4.* vbi etiam diximus, an vxor ex bonis dotalibus teneatur ſoluere debita à viro contracta ad alendam familiam. Vide ibi & Sanchez *lib.9. diſput. 4. à num.* 20. & totam diſputationem quintam,& Villalob.*ſup diff.44.*

7 Dico tertiò, petitionem regulariter non eſſe in præcepto: ideo cooiuges per ſe non teneri petere debitum coniugale, quia nemo tenetur iure ſuo vti, ſed poteſt illi cedere, *cap. ad Apoſtolicam de regul.* Dixi, *regulariter, & per ſe*, oam per accidens tenetur, ob periculum incontinentiæ in ſe, vel in alio, tunc ſcilicet, quando prudenter credit imminere alteri periculum incontinentiæ, quod petendo poſſet auertere, vt docent Sanchez *lib.9. diſp. 7.* Coninch *diſp.34.dub.2.* & alij communiter. Ad id autem non tenetur ex iuſtitia erga alterum, vt contra Ledeſmam tenent Coninch, Sanchez *ſupra* & Hurtado *diſp.10.diff.11. num.1.* quia matrimonium non obligat ad cogendum alterum, vt vtatur matrimonio: tenetur verò ex caſtitate, non primariò, ſed ſecundariò, quia hæc (ſicut alia quæcunque virtus) obligat ad impediendum in aliis peccatum contra illam: & etiam ob eandem rationem tenetur ſecundariò ex iuſtitia erga ſe ipſum, quando actus incontinentiæ, quem timet in alio, eſt contra iuſtitiam erga ſe ipſum.

Dvb. II.

Quo fine exercendus ſit vſus coniugalis, vt licitè fiat.

1 SVprà *hoc lib.cap.4 dub.3.q.3.* dixi, quem finem intendere debeant contraheotes matrimonium, vt abſque peccato contrahere poſſint: nunc ergo ſolùm inquirimus, quem finem intendere debeant in ipſo actu coniugali, vt licitè fiat.

2 Dico primò, vſus coniugalis factus ob prolis generationem bonus eſt, ita communis, quia matrimonium ad hunc finem eſt inſtitutum, ergo nullo modo peccat, qui eo fine vtitur. Debet autem proles intendi ad ampliandum Dei cultum, ſiue intendatur actu, & expreſsè, ſiue habitu, & virtualiter; ad quod ſatis eſt, ſi à principio coniuges contraxerint in hunc finem, nec habent deinde contrariam intentionem. S.Thomas *in add. quæſt. 49.* Sylu. *debitum. quæſt.12.* & alij. Quare non eſſet ſatis intendere prolem, ſolùm vt quis habeat ſucceſſionem, ſed ad vitandum peccatum veniale, debet referri modo dicto: non tamen eſt neceſſe, prolem formaliter, ſed ſatis eſt, vt virtute intendatur, dum ſcilicet tanquam coniux copulatur alteri coniugi abſque alia contraria intentione. Sanchez *lib. 9. diſput.8.num.4.* Filliucius *tom.1. tract.10. part.1. c.9.* 313. & ali.

3 Dico ſecundò, actus coniugalis licitus, & bonus eſt, ſi fiat ad vitandam incontinentiam alte-

rius

rius coniugis, siue ad reddendum ei debitum. Conueniunt etiam in hoc Doctores, quia isti sunt fines proprij, & immediati ipsius vsus coniugalis; tenentur enim coniuges ex iustitia ad mutuam redditionem debiti coniugalis.

4 Dico tertiò, vsus coniugalis ad vitandam propriam incontinentiam non est peccatum mortale, in quo conueniunt Doctores: erit autem peccatum veniale, quia non intenditur proprius finis, qui est prolis generatio; quod limitant Sanchez *lib. 9. disput. 9.* & Fillincius *supra num.* 320 quando ille potest aliis mediis incontinentiam vitare in se ipso, secus si aliis mediis non possit carnis tentationes sedare. Probabile tamen est, absolute loquendo, talem vsum nullam esse culpam, nec venialem, vt docent Nauarr. *cap. 16. num. 32.* Coninch. *disput. 34. num. 6.* Basilius *lib. 10. cap* 8. & cum Rebello, & his Hurtado *disput. 10. diff. 3. n. 4.* & faciunt ea, quæ diximus de contrahente, intendendo solum remedium concupiscentiæ, *supra hoc lib. cap. 4. dub. 3. quæst. 3. conclus. 2.* vbi diximus, esse valde probabile, hunc non peccare, nec venialiter: deducitur que ex Paulo 1. Corinth. 7. dum ait: *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat*: & dum subdit: *Iterum, reuertimini in id ipsum, ne tentet vos propter incontinentiam*: illa autem verba, *hoc secundum indulgentiam dico*, non significant, talem vsum esse peccatum, sed tantum significant esse minorem perfectionem, quàm abstinentia à copola: sicut illa verba, *& si nupserit virgo, non peccabit; ego autem vobis parco*, non significant reperiri culpam in nuptiis, cùm immediate antea dixerit Apostolus, non reperiri peccatum, sed tantùm innuunt, in eis esse minorem perfectionem, quàm in cœlibatu. Et confirmatur ratione, quia vsus coniugalis, supposito peccato, ordinatur sua natura in remedium propriæ concupiscentiæ (vt ea se patet, & significat Paulus *vbi supra*,) quamuis minùs principaliter, quàm in prolis generationem; ergo in vsu coniugali ob aum finem facto nulla est deordinatio. Vide Hurtado *vbi sup.*

5 Dico quartò, actus coniugalis exercitus ob solam delectationem carnalem capiendam intra fines matrimonij, non est peccatum mortale, vt omnes concedunt: putat tamen Sanchez *sup. disp.* 11. esse peccatum veniale, & cum eo Filliucius *loco cit. num.* 322. Villalob. 1. *part. tractat. 13. diff* 40. *num.* 3. ex S. Thom. *in 4 dist. 31. quæst. 2. artic. 3.* quia est peruersio debiti ordinis; actus enim coniugalis sua natura refertur ad prolem, & delectatio non debet esse finis operationis, sed honestas. Hurtado verò cum Basilio *vbi supr.* Almaino, & Malore, existimat (& probabiliter quidem) dictam copulam esse immunem à culpa, adhuc veniali, quia delectatio, seu voluptas etiam est licita, sicut & actus ipse. Et potest confirmari, quia vt dixi in Decalogo *libr. 3. cap. 1. num. 7.* cum Ioan. Sanchez *in Select disput. 2. num. 14.* probabile est, non esse peccatum veniale, edere, vel bibere absque necessitate ob solam voluptatem capiendam si alias non noceat saluti, sicut nec est peccatum, odorari species aromaticas ob solam voluptatem capiendam, aut inspicere res pulchras: ergo, &c. Addit tamen, & benè, Hurtado: Nihilominus non carebit culpa veniali, si fiat ob capiendam nimiam delectationem, seu ea desiderio nimiæ delectationis, vt significat August. *de bono coniugal. cap. 6.* dum ait: *Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ verò faciendæ venialem habet culpam*: & in hoc sensu possunt intelligi Henriquez *lib. 1. de matrimon. cap. 35. num. 4.* Ledesma *in summ. cap 9. de matrimon. concl. 6.* & alij asserentes, copulam coniugalem ob delectationem solam esse peccatum veniale, coniugem verò reddentem petenti ob delectationem, non peccare, quia reddit quod tenetur. Bonacina *quæst. 4 de matrimon. punct. 6. num. 7.* Dixi, *intra limites matrimonij*, nam si delectatio affectatur extra fines matrimonij, id est, ita accedit ad coniugem, taliter quòd etiam accederet, ac si non esset sua vxor, sed alia extranea, conueniunt omnes tunc peccare mortaliter: sic peccat mortaliter, qui in actuali copula cum sua vxore delectatur, ac si esset cum alia muliere; vnde in confessione tenetur aperire statum illius, cum qua delectabatur, nam actus internus sumit speciem ab obiecto. Henriquez, Ledesma, & alij.

6 Dico quintò, si fiat solum ob bonum Sacramenti ad repræsentandam scilicet vnionem Christi cum Ecclesia, esset peccatum veniale, quia bonum Sacramenti est finis extrinsecus, & non respicit vsum matrimonij, sed vinculum; bonum autem prolis est intrinsecum, & respicit vsum matrimonij; erit ergo contra rectum ordinem, vti sic matrimonio, & non ob prolem; si tamen non excludatur hic finis nullum erit Peccatum, vti ob Sacramentum. Ita Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. n. 318.* ex D. Thom. *dist. incit. 31. quæst. 1 art. 2.*

7 Dico sextò, si vsus coniugalis referatur in finem malum mortalem, erit peccatum mortale, si in venialem, erit peccatum veniale. Ratio est, quia actus ad finem relatus, est talis, qualis est finis, *cap cum minister 23. quæst. 5.* Quid si in ipso actu expresse excludatur finis prolis, intendendo se nolle habere prolem. Respondeo, si tantum excludatur hic finis, & non fiat, aut sumatur aliquid ad prolem vitandam, & non concipiendam, non esse peccatum mortale, quia non est ex se malum desiderare non habere prolem, imò propter defectum diuitiarum potest esse licitum, vt docent Nauarr. Angel. & alij apud Sanchez *lib. 9. disp. 8. num. 10.* & cum his Filliucius ideoque de communi consensu possunt abstinere à copula carnali, nisi alteri esset probabile, consortem fornicaturum iri, nisi debitum petat, vt dixi *hoc cap.* Esset autem peccatum mortale, si sumeretur aliquid, quod obstaret conceptioni prolis, ita citati; impeditur enim illicite finis matrimonij.

8 Dico septimò, vsus coniugalis ob finem sanitatis consequendæ, vel conseruandæ, vel alleuiationem naturæ, aut ob quemlibet finem honestum, quamuis illi extrinsecum, quando deficiunt alia media ad id consequendum, nullum est peccatum; quando verò alia media occurrunt, esset tantum peccatum veniale, quia esset quædam peruersio debiti ordinis, vt docent Sanchez *disp.* 10. Ledesma, *sup concl. 5. dub. 3.* Henriquez *dict. cap. 15. n. 5.* Filliuc. *sup. n. 322.* & alij: absolute autem nullum esse peccatum, docent Coninch, & Basil. & cum his Hurtado *sup. diff. 2. n. 6.* quia, inquit, nulla est inordinatio, relicto proprio fine operis, assumere aliquid ad alium finem honestum, ad quem habet proportionem: probabilior tamen, & rationi conformior videtur prior sententia dicta limitatione.

DVB. III.

Vtrum quando vnus coniunx illicite petit, possit alter reddere debitum.

1 Dico primò, quando actus coniugalis, qui exigitur, est illicitus exigenti ratione alicuius

circunstantiæ se tenentis immediatè ex parte ipsius actus vt quando exigitur cum periculo abortus, aut publicè, tunc alter non potest reddere licitè, quia tunc actus coniugalis, qui exigitur, est absolutè, & ratione ipsius illicitus, ac proinde erit illicitus exigenti, & reddenti, consequenter iste non poterit reddere, sicut nec alter petere. Ita citandi, & omnes communiter.

2 Dico secundò, quando actus coniugalis est illicitus exigenti, non ex se, sed ratione alicuius circunstantiæ se tenentis ex parte indigentis, vt si malo fine petat, aut si sit ligatus voto castitatis, aut si sit adulter, aut si matrimonio inito contraxit affinitatem, vel cognationem spiritualem cum altero coniuge, non peccat coniunx alter innocens reddendo. Sanchez *lib. 9. disput. 6.* Bonacina *tom. 1. quæst. 4. de matrimon. puncto 3. numer. 3.* & alij, contra Basilium *lib. 9. cap. 3.* & Hurtado *disput. 10. diff. 23. num. 58.* Ratio est, quia innocens cum non commiserit delictum, ratione cuius sit priuatus iure petendi, & reddendi, poterit petere, vel reddere, si voluerit, argumento capitis *transmissæ, &c. tua de eo qui cognouit consang.* Nec taliter reddens cooperatur peccato alterius illicitè petantis, cum non suadeat, nec consulat, vt petat sed solum actui coniugali licito ex sua natura, ideo peccato alterius non formaliter, sed tantum materialiter cooperatur. Verum tamen est, teneri ex charitate coniugem innocentem si commodè possit, & absque periculo incontinentiæ, & indignatione alterius, negare debitum, & illum per correctionem fraternam diuertere; quæ quidem correctio tarò in fœmina obligat, vt bene Villalobos *tom. 2. tract. 13. diff. 47. numer. 2.* nam poterit vir aliquid mali de illa suspicari.

3 Difficultas tamen est, an in casu secundæ conclusionis innocens delicti non solum possit petere, & reddere, sed etiam, an teneatur reddere illicitè petenti. Respondeo, si solum petat illicitè, & non iniustè, eo quòd ob tale impedimentum non amiserit ius petendi, alter non solum potest reddere, sed etiam tenetur ad id, vt si quis petit, habeat malum finem, aut sit voto castitatis obstrictus; nam hic quamuis illicitè petat, non tamen iniustè petit, quia ob id non amisit ius petendi, & petitio solum est illicita ratione circunstantiæ personæ, ideo tenetur reddere: Secus autem si alter coniunx petat, non solum illicitè, sed etiam iniustè, aut sine iure petendi, vt accidit, quando petens contraxit affinitatem cum altero coniuge, aut si adulteratus est, aut contraxit cum vxore cognationem spiritualem; his enim casibus cum petens sit priuatus iure petendi, vt infra constabit de singulis, alter non tenetur reddere: ideo negando debitum nullam ei facit iniuriam, poterit tamen, si voluerit, reddere, imo, & petere, vt dictum est *concl. 2.* Bonac. *sup. n. 3.* Villalobos *loco citato, n. 2 3. & 4.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. p. 1. c. 9. num. 309.*

4 Ex dictis sequitur primò, coniugem posse petere, & reddere debitum suæ vxori, quam scit obstrictam esse voto castitatis, etiamsi ipse consenserit in illius voto, modò non renuntiauerit iuri suo, quia vir talem consensum non amisit ius petendi; ergo post petere, & reddere, imo tenetur reddere, vt dictum est *num. anteced.* nam petens solum illicitè petit ob circunstantiam personæ, & non iniustè. Bonac *sup n. 7.*

5 Secundò sequitur, quando vterque coniux est obstrictus voto castitatis, si alter petat teneri alterum reddere. Sotus *distinct. 38. quæst. 2. articul. 1.* Reginald. *lib. 31. numer. 152.* Sanchez *lib. 9. disp. 37. num. 10.* & cum aliis Bonacin. *supr. num. 8.* contra Nauarr. & alios. Ratio est, nam etsi illicitè petat, at per votum non amisit ius petendi, nec dominium corporis alterius, vt benè Coninch *disput. 34. dub. 4. num. 31.* & alij; ergo petitus tenetur reddere, ne violet ius alterius, quamuis ipse simile votum habeat. Quod verum est, quamuis vterque emiserit votum castitatis de communi consensu, modò tamen ipsi coniuges non intenderint remittere sibi obligationem reddendi debitum, tunc enim non poterit petitus reddere absque peccato, eo quòd alter ob remissionem factam non habet ius petendi. Henriq. *lib. 11. c. 15.* Lessius *lib. 2. c. 40. de voto dub. 10. n. 85.* Sanchez videndus *lib. 9. disp. 36. & 37.* & cum aliis Bonac. *sup. n. 8.*

6 Dico tertiò, quando coniux petens peccat venialiter petendo, alter tenetur reddere, vt existimant Sanchez *lib. 9. disp. 6. n. 6.* & Filliuc. *sup. n. 308.* nam tunc actus non est simpliciter malus, sed tantum ex parte exigentis; & quia semper adest iusta causa excusans reddentem, qualis est, ne displiceat petenti, & ne oriantur lites, & discordiæ: placet tamen distinctio à Bonacina adducta *sup. n. 9.* videlicet, teneri reddere, si petens solum petit illicitè ob circunstantiam personæ; secus tamen si ipse actus ex se sit illicitus, modo supra explicato: sic non tenetur reddere petenti modo indebito, nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo, de quo *infra dub 5.*

7 Nota tamen, aliquando eum, qui non potest petere ob aliquod impedimentum, posse petere, quando ipsum petere, potius censetur reddere, quam petere: sic vir, cui ob incestum, aut affinitatem est prohibitum petere, potest aliquando se offerre vxori ad vsum coniugalem, eo scilicet fine, vt non reddat ei onerosum matrimonium, nam hoc petendi genus est, quoddam reddere: ideoque quoties cognoscit, vxorem velle petere, quod tamen non facit præ verecundia, poterit exigere, quia tunc illa tacitè petit, & exigere, est reddere. Idem dic, si agnosceret in vxore periculum incontinentiæ: potest etiam impeditus, id alteri nuntiare, ne suam petitionem expectet. Item, si ambo coniuges promisissent Deo, se non petituros debitum, possent tamen ambo copulari, quando quilibet agnosceret alium indigere, vt propter periculum incontinentiæ: ratio est, quia neuter verè petit, sed quodammodo reddit, cum neuter id faciat gratia sibi satisfaciendi, sed vt morem alteri gerat, & vitetur incontinentia. Cauendum tamen, ne intemperantia decipiar, &, in dubio, potius est abstinendum, quia sic securius. Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9 n. 312. & 313.* & Syluest. *matrim. 7. q 5. ad 4.* Nauar. *cap. 16. num. 31.* & Sanch. *lib. 9. disput. 7.* ita etiam Villalob. *sup. diff. 47. in fin.*

Dvb. IV.

An actus coniugalis ratione circunstantia temporis, aut loci fiat illicitus.

1 Dico primo, actus coniugalis tempore feriatum, id est, tempore quo prohibentur ab Ecclesia nuptiæ, & extra id tempus, ante benedictiones nuptiales habitus, secundum Sotum *in 4. dist. 28. quæst. 1. artic. 2.* Henriquez *lib. 11. cap. 15.* & aliquos, est illicitus, verius tamen est non esse illicitum, vt docent Nauarr. *cap. 22. num. 83.* Sanchez *lib. 3. disp. 12.* Basilius *lib. 10. cap. 4.* Hurtad. *disp. 10.*

disp. 10 *diff.* 3. *num.* 8. Villalob. 1. *part. tractat* 13. *diff.* 41. *num.* 1. & dial *hoc lib. c.* 1. *dub.* 6. Ratio est, quia id non est in iure prohibitum, & quamuis Trident. *sess.* 24. *de matrim. cap.* 1. suadeat & hortetur, ne habeatur ante dictas benedictiones, nullibi tamen prohibetur.

2 Dico secundò, actus coniugalis non est illicitus in diebus festis, etiam solemnissimis, quidquid Magister, & Durandus, & multò minus in diebus ieiunij, & supplicationum, seu rogationum. Ita Sanchez *lib.* 9. *disput.* 12. Coninch *disput.* 34 *dub.* 9. Basilius *lib.* 10 *cap.* 9. Hurtado *sup. num.* 9. cum S. Bonauent. Scoto, Richardo, Villalob. *loco citat num* 2. Filliuc. *tom.* 1 *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 323. Ratio est, quia nullo iure id prohibetur his diebus, & alioqui est actus in se bonus, ideo non est illicitus, quamuis non nihil habeat indecentiæ, quod solum innuunt Patres, dum dicunt, in eis diebus abstinendum esse ab actu coniugali, quod quidem est consilium, & non præceptum. Gloss. *capit proposuisti, dist.* 82.

3 Dico tertiò, actus coniugalis non est illicitus (quamuis non nihil habeat indecentiæ) in die communionis, tam ante eam, quam post eam, nam ratione sumptionis Eucharistiæ, nec ante illam, nec post illam est vllum præceptum abstinendi à copula coniugali, sed tantum consilium, vt docent citati, & dixi *sup. lib.* 4. *cap* 5. *dub.* 5. *num.* 8. vnde vxor non excusatur à redditione debiti, eo quod eo die sit sumptura Eucharistiam: an autem sit illicitum, communicare eo die, quo habita est copula coniugalis, dixi *loco citato*, & breuiter dico, si quis eodem die petat recto fine, vt causa prolis, vel ad vitandum periculum incontinentiæ, etsi consilium sit abstinere eo die à communione, potest tamen relinqui suo iudicio, vt communicet, vel non, vt sibi videbitur, ex D. Gregor. vt refertur *in cap. vir cum propria* 33. *quæst.* 4. Quòd si accederet ad coniugem ex delectatione, & nimia carnis concupiscentia, regulariter esset culpa venialis, eo die accedere ad communionem, ob nimiam distractionem; at si adsit tunc iusta causa, nulla esset culpa, qualis esset magna solemnitas, vt dies Paschalis, Iubileus, aut specialis deuotio, vel aliqua nota: si verò quis petat post sumptionem eadem die, nulla etiam erit culpa, quamuis sit bonum consilium abstinere ob Eucharistiæ reuerentiam. Qui autem reddit, quamuis sit optimum consilium, tunc eo die abstinere à communione, tamen nulla erit culpa, si communicet, modò tamen non sit nimia mentis euagatio, & distractio. Quantum autem temporis debeat intercedere inter copulam, & Eucharistiam, ne sit culpa saltem venialis, accedere ad Eucharistiam, non potest definiri, nisi ex mera euagatione mentis, & habitudine, quæ solet oriri ex huiusmodi copula; quamdiu enim illa perseuerat, est indecentia, ea cessante, cessat etiam indecentia. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap* 9. *num.* 324. & Sanchez *lib.* 9. *disput.* 22.

5 Dico quartò, actus coniugalis non est illicitus tempore excommunicationis, id est, quando alter coniunx est excommunicatus, ideo possunt petere, & reddere; nam esto quòd Ecclesia permittit participationem mutuam inter coniuges, & cohabitationem, nam lex matrimonij excusat, vt Doctores in materia excommunicationis, censent etiam permittere actum coniugij; vnde etsi vterque excommunicatus sit, poterunt inuicem petere. Excipe tamen, nisi excommunicatio lata esset in causa matrimonij, de cuius valore lis penderet. Item, quando vxor vellet esse particeps criminis, ob quod vir excommunicatus est. Filliuc *sup. num.* 325. vide Sanch. *lib.* 8. *disp.* 22 *q.* 1. & 3.

6 Dico quintò, actus coniugalis tempore menstrui, seu fluxus sanguinis fœminæ, si fluxus sit innaturalis, & perpetuus, non est illicitus, vt habet communis, aliàs rarissimè coniuges possent vti iure suo, quod est durissimum, præsertim cum tunc nullum proli damnum immineat, cum fœmina tunc non possit concipere: si verò menstruum fuerit naturale, quod communiter singulis mensibus accidit, quidam existimant esse mortale peccatum tunc petere, alij veniale, alij verò putant non esse illicitum, vt Hurtado *disp.* 10. *diff* 3. *num.* 10. quod probabile esse, asserit Sanchez *lib* 9. *disp.* 21. nam non sequitur damnum proli, eo quòd non sit periculum infectionis, quia non est, vel exiguissimum, & quamuis sit tale periculum, melius est nasci leprosa, aut monstruosa, quàm absolutè non nasci: censeo tamen probabilius esse, non esse mortale, esse tamen veniale, petere absque causa, & nullum, si adsit causa, vt periculum incontinentiæ in alterutro, vel ne mulier reddatur odiosa viro, vel quid simile. Reddere autem non solùm licet vxori, sed etiam tenetur, quando vir admonitus de periculo fortè concipiendi monstruum non resipiscit; seu non vult continere. Filliuc. *tom.* 1 *tract.* 10. *p* 1. *cap.* 9 *num.* 336. ex Sanch. *lib* 9 *disp.* 21. vide Nauarr. *c.* 16. *num.* 32. Henriquez *lib.* 11. *c.* 15 *num.* 7. Ledesm. *in summ c.* 3. *de matrim. conclus* 5. & Villalob. *p.* 2. *tract.* 40. *diff.* 15. *num.* 3. vide Bonac. *q.* 4. *de matrim. punct.* 6. *num* 9. & 10. vbi habet, peccare venialiter vxorem reddendo, ideoque non ad id teneri, nisi adsit iusta causa, at quia hæc censetur ordinariè adesse, ideo reddendo non peccat, nec venialiter, modo dicto.

7 Dico sextò, actus coniugalis tempore prægnationis, quando est periculum probabile abortus prolis iam formatæ, est peccatum mortale, in hoc omnes conueniunt: at quia rarissimum est id periculum, vt experientia constat, teste Hurtad. *disp.* 10. *diff.* 5. *num.* 11. proinde ex hac parte, quando ob aliquam rationem peculiarem id non timetur, actus coniugalis non erit mortalis; ad vitandum autem omne periculum poterunt ordine præpostero coire, dummodo coitus sit intra vas naturale, & absque periculo effusionis. Henriq. *lib* 11 *cap.* 15. *num.* 7. si verò proles non sit adhuc formata, sed materia incipit coagulari, & formari, non erit peccatum mortale actus coniugalis, quamuis sit probabile periculum dissipationis materiæ, quia hæc dissipatio non videtur tanti momenti; erit tamen peccatum veniale, vt docent Sanch. *disp.* 12. & Hurtado *vbi sup. num.* 12. quia in tali periculo dissipationis videtur aliqua inordinatio: at quia est rarissimum, id accidere, eo quòd, vt ait Auicenna, matrix statim post conceptionem ita clauditur, vt difficillimum sit aperiri: proinde ex hac parte, quando ob aliam peculiarem rationem id non timetur prudenter, actus coniugalis tunc, nec venialiter erit illicitus. Hinc fit, actum coniugalem tempore prægnationis, cessante periculo abortus, & dissipationis materiæ, nec esse illicitum venialiter, vt docent Sanch. *lib.* 9. *disp.* 22. Coninch *disp.* 34. *num.* 78. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. Bonac. *q.* 4. *de matrim. punct.* 6. *num.* 11. & Hurtado *supra num.* 13. contra Basilium *lib* 9. *cap.* 14. Sotum, & Paludan. quia etsi fruiticetur sine generatione, ob quod illi asserunt esse peccatum veniale, fieri potest debito modo, & potest ad alios fines deseruire, & quamuis Patres id reprehendunt, non tamen id faciunt tanquam illicitum, sed tanquam sit minus perfectum.

8 Dico septimò, actus coniugalis tempore pur-

gationis post partum, nec est illicitus, venialiter, vt docent Sanchez Henriq. Coninch, & Hurtado citati, Filliuc. *tom. 1. tract. 10. p. 1. cap. 9. num.* 337. & communiter DD. contra Basilium; quia in eo tune habito nulla apparet inordinatio, & lex Leuit. 12. quia cæremonialis, iam est abolita. Limita tamen, nisi ex ea copula immineret grauis morbus fœminæ, tunc enim esset mortale, vel veniale iuxta grauitatem morbi, qui timeretur. Tempore autem, quo mater lactat sobolem, neque etiam est veniale peccatum petere, vel reddere, ita citati, quia nullum imminet periculum proli, quæ lactatur, neque fœtui, qui concipitur, vt experientia constat; nullaque reperitur inordinatio: durissimum enim esset, cogere coniugatos, toto tempore lactationis abstinere ab actu coniugali. Verum tamen esse, si coniuges adeò pauperes essent, vt nō possint filios ab aliis nutriendos tradere, casu quo vxor tempore lactationis grauida fieret, posset eo tempore negare debitum, vt docent Ledesm. *de matrim. q. 94. art. 1.* Sanch. *lib. 9. disp. 22. num. 15.* & cum his Villalob. *sup. num. 9.* nam si tunc conciperet, cogeretur prolem, quam lactabat, tradere hospitali, at cum tanto damno non tenetur reddere debitum, maximè si aduertat lac futurum valdè perniciosum proli, aut vbera exsiccari, Sanch *lib. 9. disput. 22.* Bonacin. *disp. 4. de matrimon. punct. 1. n. 11.*

9 Dico octauò, tempore furoris, & amentiæ, si ambo sint amentes, actus coniugalis ex suo obiecto est mortalis, ideo sunt separandi, & peccaret mortaliter, qui eos ad copulam incitaret, quia concurreret ad damnum prolis educandæ, quamuis amentes excusarentur ob defectum vsus rationis. Si autem vir sit sanæ mentis, & vxor furiosa, esset peccatum mortale ad illam accedere ob periculum suffocationis prolis, nisi vxor esset sterilis, quo casu nec esset peccatum veniale; aut si non esset furiosa, quamuis sit amens modò non sit omnino mente capta, quia tunc non est periculum suffocationis, neque malæ educationis prolis, & aliunde non est vnde reddatur illicitus ob eamdem rationem non est illicitus, quando maritus est omnino amens, imò & furiosus, si vxor sit sanæ mentis, nullum enim est tunc periculum. Quando autem fatui tantummodo essent, aut haberent lucida interualla, tunc eadem est ratio, quæ de sanis: an coniux sanus teneatur amenti reddere, *infra dub. 11.*

10 Dico nonò, exercere actum coniugalem publicè, aut coram aliis est peccatum mortale scandali, eo quòd aliis præbeatur ruina spiritualis, quod ita malum est, vt non possit cohonestari: ob eandem rationem tactus inter coniuges coram aliis sunt peccatum mortale, vel veniale secundum tactus qualitatem, & aspicientium fragilitatem; si enim aspicientes inducerentur ad venerem, esset mortale, Filliucius *tom. 1. tr. 10. p. 1. c. 9. n.* 326. Villalob. *part. 1. tract. 13. diff. 41. n. 4.* & communiter DD.

11 Dico decimò, actus coniugalis, siue reddere, aut petere in loco sacro, est peccatum mortale sacrilegij, si id fiat extra necessitatem. Ita communior sententia apud Sanchez *lib. 9. disp. 15.* Suarez *tom. 1. de Religion. lib 3. cap. 8.* Coninch *disp. 34. dub 9.* quia irrogatur irreuerentia loco sacro, & Ecclesia polluitur, si est actus ille publicus, *cap. fin. de consecrat. Eccles. & cap. Ecclesias de consecr dist. 1.* Dixi, *extra casum necessitatis*, nam si coniuges, aut alter eorum in Ecclesia obsessi diu essent, & adesset probabile periculum incontinentiæ, nec esset aliquod cubile, aut locus illi adiacens, excusati tunc possent à peccato, vt DD citati, & Filliuc. *tom. 1. tractat. 10. p. 1. cap. 9. num.* 327. Villalob. *1. p. tractat. 13. diff. 41. num. 5.* & alij. Non tamen est improbabile, actum coniugalem in loco sacro, aut benedicto, absolutè loquendo, non esse illicitum, nec sacrilegium, quia iure naturali, aut diuino non est prohibitum, vt patet; nec Ecclesiastico, quia iura citata non constat loqui de effusione seminis coniugalis, ita Basil. *lib. 10. cap. 10.* & aliqui apud Hurtado *disp. 10. diff. 4. num. 17.* quod ait non carere probabilitate. Nihilominus tamen prior sententia tenenda est, vt communior, ac iuri, & æquitati conformior: hoc tamen pro certo habe, desiderare in Ecclesia actum matrimonialem, exercendum tamen extra Ecclesiam, non esse illicitum: idem dic de tactibus inter coniuges in Ecclesia, si absit periculum effusionis seminis. Villalob. *sup.* & alij, vide in exposit. Decalog *lib. 1. cap. 10. dub. 15. de sacrileg. & lib. 6. cap. vnic. dub. 7, n. 11.*

DVBIVM V.

An ratione modi, vel situs actus coniugalis fiat illicitus.

1 DE modo innaturali concubendi, dixi in Decalog. *lib. 6. cap. vnic. dub. 9* §. 4. ideo breuiter dico primò Coniuges qui seruato legitimo vasse se cognoscunt, non seruato modo naturali, vt si vir sit incubus, & mulier subcuba, aut se cognoscant auerse, seu præpostere more brutorum, aut sedendo, aut stando, aut à latere, nunquam peccant mortaliter (quidquid aliqui) quando non est probabile periculum effusionis extra vas legitimum, vt docent communiter DD. Addit Basil. *lib. 10. c. 11.* non esse mortale, etiamsi elabatur aliqua pars seminis, dum retineatur alia, esse tamen mortale, si semen extra vas effundatur, vt de se patet: peccant verò venialiter, & grauiter coniuges ita se cognoscentes, non existente aliqua necessitate, quia datur deordinatio, quamuis non secundùm substantiam actus, sed secundùm modum, eo quòd non seruatur modus naturalis, & quamuis dictus actus secundùm substantiam non sit contra naturam, est tamen contra secundum modum, & verè præter naturam. Sanchez videndus *lib. 9. disp. 16.* Henriq. *lib. 11. cap. 16.* Hurtado *disp. 10. diff. 5. n. 19.* & cum Sylu. Caiet. Angelo, Nauarr. Filliuc. *tom. 1. tract. 10. p. 1. cap. 9. n.* 328. At quia talis variatio non impedit effusionem seminis intra vas, nec obstat generationi, ideo non erit peccatum mortale, modò non effundatur semen extra vas, vt dictum est. Dixi, *cessante necessitate*, nam ea existente, & cessante periculo probabilis effusionis extra vas, nullum erit peccatum, vt docent citati, vt si grauida sit, adsitque periculum abortus, vel si corporis dispositio aliud non patitur. Hinc sequitur, eum, qui sic petit, nulla existente causa, secus si adsit, peccare venialiter, & tunc alterum non teneri reddere, benè verò si causa adsit, vt verius existimat Henriq. *sup. n. 6.* & quia ferè semper ex parte mulieris reddentis censetur adesse causa, videlicet, vt non displiceat coniugi, & illum excitet ad indignationem, in se non mala ex sua natura, ideo reddens nullo modo peccat, quamuis petens peccet venialiter, vt ex Caiet. Soto, & aliis docet Sanch. *disp. 16. n. 8.* & cum eo Filliuc. *loco cit.*

2 Circa hanc circumstantiam modi solent hic DD. exagitare, an vxor, quæ prior seminauit, teneatur expectare viri seminationem, & è contra vir, & an incepta copula possint se retrahere ab actu ante seminationem, & alia id genus, de quibus dixi in Decalog. *lib. 6. cap. vnic. dub. 7. n. 13.* vide ibi

ibi, & Sanch. *lib.9.disp.*17. ac Filliuc. *tom.*1. *tract.*10. *c.9.q.9.*& Hurtado *disp.*10. *diff.*5. *n.*21.

3 Dico secundò, omnis modus copulæ inter coniuges, ex quo sequitur effusio seminis extra vas, est peccatum mortale contra naturam; est commune, & euidens, quia aduersatur fini naturali generationis; quod verum est, siue totum semen, siue pars aliqua, modò sit notabilis, effundatur. At si præter intentionem, vt præ nimia caliditate, vel concupiscentia aliquando præueniret pollutio congressum, ita vt non posset expectare vas, excusaretur, saltem à peccato mortali, vt cum Soto, Ledesma, & aliis tenent Sanch. *disput.*17. *n.*14. & Filliuc. *loco cit. n.*331. nullo tamen modo licet pollutionem extra vas procurare, quia est intrinsece malum, & peccatum pollutionis contra naturam, imò, & cõmittere adulterium coniuges se polluentes, & teneri hanc circumstantiam confiteri, valde probabiliter tenent Ledesma *in sum. c.9. de matrim. concl.*7. & 8. Bonacina *q.*4. *de matrim. punct.*6. *n.*19. & Sanchez *lib.* 9. *disp.* 18. valde etiam probabile est, tantum peccare contra naturam. Nec licet cooperari ad effusionem seminis è lumbis iam decisi, quamuis illius retentio sit allatura corpori graue damnum; est enim voluntaria pollutio, & intrinsece malum; licet tamen, vbi pollutio est in fluxu, eam non reprimere ob morbi periculum, cessante periculo consensus, modo quo dixi in Decalog. *lib.6. cap. vnic. dub.*8. *§.*1. vide ibi & Sanch. *lib* 9. *disput.*17. quod verum esse, ait, etiamsi pollutio inceperit culpa illam patientis, modò in ipso fluxu præteritæ culpæ illum pœniteat, vide etiam Lud. Lop. 1. *p. instruct. c.*14 *§. accedit ad hoc.*

4 Sed quæres, ac liceat coniux expellere semen corruptum in vase, ex quo pariuntur venenosa accidentia, quod sæpè contingit in fœminis: huic quæstioni satisfactum est in Decalog. *lib.* 6. *cap. vnic. dub.* 8. *§.* 1. *num.* 14.

5 Dico tertiò, quando vir post matrimonium incidit in eam impotentiam, vt non possit seminare intra vas, vel quia detruncatus est, vel quia habet foramen in superiore parte, qua vrina, semenque exeunt, vel si fœmina ita arcta est, vt semen recipere non possit, si nullo modo possunt seminare intra vas, nullaque spes remaneat, non possunt conari ad copulam, quia hæc solum coniugibus concessa est intra vas legitimum; ergo vbi hæc impossibilis est, non licebit, Caiet. 2. 2. *quæst.* 1. 2. 2. *q.*154. *artic.* 1. *ad* 4. Sotus *dist.*34 *q. vnic. art.*2. Lopez 2. *p. instruct. c.*79. *ad fin.* Filliuc. *tom.*1. *tract.*10. *p.*1 *c.*9. *num.*332. & alij citandi, licent tamen inter istos oscula, tactus, & amplexus, modò absit periculum pollutionis. Quòd si probabilis adsit spes seminandi intra vas, quamuis per accidens, & præter intentionem extra vas semen effundatur, licet ad copulam conari tanto tempore, quantum necessarium est ad cognoscendam impotentiam perpetuam, & an sit spes seminandi intra vas, quamuis sit vix possit intra vas semen effundere. Ratio est, quia coniux dat operam rei licitæ, & sibi permissæ, & præter intentionem sequitur illa effusio. Secundo, quia ius, *c. laudabilem de frigidis, & malef.* concedit triennium ad experiendum, an impotentia sit perpetua, in quo spatio constat, aut semper, aut sæpè fore, vt semen extra vas discedat, & stante tali periculo, licitum est, conari ad copulam, inteque approbatur; ergo à fortiori id licebit, quando dicta impotentia est post matrimonium certum, ratione cuius coniuges certiùs, & fortiùs ius habent copulæ vacandi, & experiendi, num illa impotentia seminandi intra vas perpetua sit. Ita Caiet. & Lopez citati Nauarr. *c.*22. *num.*50. Henriquez *lib.*11. *de matrim. c.*15 *num.*4. *lit. N. c.*16. *num.*7. Sanchez *lib* 9. *disput.*17. *num.* 20. 21. & 22. & Filliuc. *sup.* Bonac. *q.*4. *de matrimon. punct.*6. *n.*18.

6 Ex his colligitur, quid dicendum de senibus; nam ij, si impotentia est perpetua, non possunt conari ad copulam, sed tantum oscula, & tactus habere, modo dicto: at si sit aliqua spes seminandi intra vas, licet vix aliquando seminent intra, licebit copula cum tali periculo, vti, quamuis vir persuadeat sibi fore, vt illa vice non seminet intra vas, potest tuta conscientia accedere ad vxorem, fieri enim potest, vt præ voluptate coitus membrum vires assumat, erigaturque atque ita possit intra vas seminare, quòd si pro illa vice certus sit, non posse intra vas seminare, tunc non licebit ei habere copulam, Sanchez *supr. num.*13.

7 Sequitur secundò, licere congressum inter coniuges, vbi fœmina receptum semen intra vas retinere non potest; nam perfecta copula habetur intra vas, & expulsio illa est per accidens; sæpè enim matrix, retento semine necessario, reiicit superfluum, Sanch. *supr. n.*24. vide Rodrig. *c.*243. *n.*9. & Lop. *d. c.*79 *vers. Dubio de quo.* Tertiò colligitur, tandiu posse conari ad copulam, quamdiu dubitatur, impotentia superueniens sit perpetua, & quandiu est probabilis spes seminandi intra vas, vt bene Henriquez *supra num.* 4. *citat.* & Caietan. citatus, qui refert quendam per sex annos semen intra vas effundere minime potuisse, sex annis transactis, potuisse, & interim (ait) conando ad copulam minime deliquisse, quando verò non esset ea probabilitas, sed omnibus circumstantiis consideratis, esset omnino dubium de impotentiæ perpetuitate, standum est triennio assignato in cap. *laudabilem* citato, quando impotentia antecedit matrimonium. Ita Sanchez *supr. num.*25.

8 Nota tamen, fœmina non tenetur, anxiè diu manens in lecto, resupina, & susceptum semen seruare, quoniam rarissime seminis fluxus ex diuerso corporis situ contingit, habet enim matrix vim attrahendi; peccat tamen mortaliter, si post coitum vrinam effundit, aut se erigit, aut quidquam facit, quo receptum semen expellat potu aquæ frigidæ, vel alio remedio: & grauius peccat, etiam contra naturam, si diu retentum, expellat aliquo medicamento, seu venæ incisione, etiam antequam fœtus si animatus, quia impedit naturalem viam, qua author naturæ Deus, connaturali pacto, fuisset homini futuro vitam daturus, sic cum aliis Henriquez *lib.*11. *cap.*16. *num.*8. Sanchez *lib.*9. *disp.* 20. *vsque ad num.*5.

9 An autem aliquando liceat prægnanti ad abortum sumere, dixi late in Decal. *lib.*5. *cap.*1. *dub.*4.

10 Dico quartò, non est peccatum mortale, vicum ante seminationem se retrahere, si vxor ipsa non seminauit, & consentiat retractioni, modò non sit periculum pollutionis (quod fere semper imminet, eo quòd sit natura irritata) nam fœmina consentiente (secus si dissentiat) nulla ei, nec proli fit iniuria; sic licet de communi consensu, se abstinere à copula. At si fœmina seminauit, vel si ita excitata est, vt sit probabile periculum seminandi, tenetur vir, regulariter loquendo, sub mortali seminare, aliter peccaret contra naturam, nam cum actus sit, consummatus ex parte fœminæ, si vir non seminaret, impediret generationem. Henriquez *lib* 11. *cap.*16. *num.*7. Bonac. *q.*4 *punct.*6. *num.*16. & alij citandi. Dixi, *regulariter loquendo*, quia aliquando posset excusari, ea aliqua vrgentissima causa, vt si post fœminæ seminationem adueniret vir, imminere sibi graue periculum vitæ, vel si fera, aut hostis superueniat, vel si aduersatur naturali honestati, in his

enim casibus non est condemnandus vir de mortali, quamuis membro extracto animaduerteret, ipso inuito, semen extra fluxurum, nam talis fluxio, est per accidens, & alias dat operam rei illicitæ. Regulariter ergo loquendo peccat mortaliter vir, qui inuita vxore non vult seminare: nam fit iniuria, & vxori, & proli, & est quasi negare debitum, Sanchez videndus *lib. 9. disputat. 19. numer. 3. 4. 5. & 6.* Quòd si vir præmaturius seminauit, non tenetur expectare tardantis fœminæ seminationem, etiam experimento sibi notam, nam non impeditur generatio, cum probabilissimum sit, fœminæ semen non esse necessarium, Henriquez *sup. cap. 16. num. 9.* Ledesma *in sum. cap. 9. de matrimon. in fine.* Sanch. *lib. 5. disput. 17.* & Basilius *lib. 10. cap. 11.* contra Hurtado *disputat. 10. diff. 5. num. 11.* Quare non est mortale, si vir tactu irritet venerem, præsciens se ex hoc præmaturius intra vas fœminæ seminaturum, antequam fœmina seminet, nō enim requiritur ad generationem seminum commixtio, Henriquez *lib. 11. c. 15. n. 3.* vbi ait, licere accedere ad frigidam, etiamsi illa non seminet: licet tamen viro prius seminanti expectare tardantis fœminæ seminationem, copulam adhuc continuando, Henriquez *sup numer. 14.* Caietan *2. 2. q. 154. art. 11. ad fin. dub. 5.* qui ait sanum esse consilium, vt curetur, vtrumque semen simul effundi, quare coniugi tardiori consulendum est, vt ante concubitum venerem tactibus excitet, vt sic possit effundere semen. Idem Henriq. *c. 16. n. 7.* tenet non videri mortale, si vir infirmus, & parum efficax tardusque ad seminandum, præsciat saluti nimium nocere seminationem, & post inchoatam copulam cessat ante seminationem vtriusque, non quidem intentione impediendi prolis generationem, sed ne morosè insistens grauem morbum acquirat; hoc autem intellige, modò ipsa consentiat, & ne adsit periculum pollutionis. Non tamen videtur peccatum mortale, sed tantum veniale, si postquam vir seminauit, fœmina de industria se substraheret, & nollet seminare, si non est periculum pollutionis, cum eius semen non sit necessarium, Sanchez. *sup. disp. 19.* & Filliuc. *loc. cit. n. 333. vers. Quod si,* contra Hurtado *loc. cit.* existimantem, peccare mortaliter. quòd si vir, semine intra vas emisso membrum virile extrahit, manente vxore, valdè excitata libidine, potest fœmina postea tactibus excitare se ad seminandum, quia talis excitatio est perfectio, & consummatio actus coniugalis; aliàs enim euidentissimo periculo peccandi mortaliter exponerentur fœminæ, cum frequenter vir prius seminet, & cum illico recedat, manet fœmina valde irritata libidine. Sanchez *disp 17.* & cum eo Bonac. & Diana *2. p. tr. 17. resol. 36.* dixi in Decalog. *lib. 6. c. vnic. dub. 8 §. 1. n. 13.* vide, & Bonac. *q 4 de matr punct. 6.*

81 Ex dictis infertur primò, eunuchum in fornicatione duplex committere peccatum, alterum fornicationis, alterum verò contra naturam, quia inutiliter fœmineum semen in eius dispendium prouocat. Sequitur secundò in coitu fornicario post seminationem fœminæ licere viro, imò, & teneri se retrahere, cedit enim fornicarius concubitus in graue detrimentum prolis; etenim quamuis simplex fornicatio ex nulla causa honestari possit, potest tamen cohonestari non consummatio, vt dictum est; vnde non erit reus culpæ fornicarius, si pœnitentia ductus à fœmina recedens seminet inuoluntariè extra vas, quia tunc recessio est per accidens & inuoluntaria. Similiter est à culpa immunis fœmina fornicans, quæ pœnitentia ducta corpus suum substrahit ne virile semen suscipiat, fornicationémque cœptam consummet, nec sibi tribuitur culpæ, si ex eo vir extra effundat, quia id non intendit, datque operam tunc rei licitæ ab incepto crimine resiliens, ita Sanchez videndus *vbi supra,* & Caietan. *2. 2. quæst. 154. artic. 11.* vide etiam in nostro Decalog. *loco supr. citat.*

Dvb. VI.

Vtrum actus coniugalis fiat illicitus, quando cognatio spiritualis superuenit matrimonio iam contracto.

1 Dico primò, baptizans proprium filium in necessitate, eò quòd non sit aliud, qui illum baptizare possit, potest licitè petere, & reddere, ita *ex c. ad limina 30. q. 1. & c. si vir de cognat. spirit.* & habet communis, quia nulla adest culpa; ergo nec pœna: idem existimant dicendum, si in necessitate sit patrinus proprij filij, si alius non adsit, qui hoc munere fungi possit, Suarez *3. de Baptism. q. 67. art. 8.* Sanch. *lib. 9. disp. 16. n. 3.* Coninch *disput. 34. dub. 8. n. 69* Villal. *1. p. tract. 13. diff. 51. n. 3.* Hurtado *disp. 10. diff. 6. num. 12.* & alij contra Henriquez *lib. 11. c. 15. num. 11.* Ledesm & Basil. quia quando id fit in necessitate, fit absque culpa, etiamsi tentio sit necessaria necessitate salutis, sicut est Baptismus. Idem etiam dicendum, si ex ignorantia inuincibili proprium filium baptizaret, aut susciperet, ita citati, quia tunc nulla est culpa; imò etsi scienter pater filium in necessitate baptizauerit misericordia motus, etiamsi alij ibi adessent, non tamen præ turbatione aduertens, alium hoc ministerium præstare potuisse, quia tunc nulla adest culpa, vt bene Sanch. *sup.* & cum eo Villalob. Ita intelligendus Diana *3. p. tract 4. resol. 3.* vbi cum Coninch *supr.* & Suar. *in 3 p. q. 67 articul. 8. §. penult. in fin.* dicit patrem, qui ob periculum mortis baptizauit filium, adstantibus tamen aliis, qui hoc facere poterant, non priuari iure petendi debitum.

2 Dico secundò, parens, vel coniunx suscipiens, vel baptizans filium extra necessitatem, & scienter, priuatur iure petendi, tenetur tamen innocenti reddere, ita Sanch. Henriq. & communiter DD. & cum eis Bonacin. *tom. 1. q 4. de matrim. punct. 2. n. 3.* quod saltem argumento à contrario sensu deducunt, ex *Can 1. & 2. 30. q 1 & ex Can. ad limina eas, & ex cap. si vir de cognat. spirit.* & quia cum contraxerit cognationem spiritualem cum altero coniuge, consequenter erit priuatus iure petendi: quod autem teneatur reddere petenti, patet, quia fraus, & malitia non debet illi patrocinari, nec est æquum, vt alter innocens absque culpa priuetur suo iure, & ideo in hoc conueniunt DD. Addunt Armill. *verbo matrimonium n. 9.* & Lopez. ac Ledesm. apud Villalobos *sup. n. 1.* etiam priuari iure petendi coniugem, qui particeps culpæ fuerit, cur alter coniunx baptizarit, quamuis ipse non baptizauerit: procedit autem hæc sententia, quamuis impedimentum hoc sit occultum, & hanc iuris petendi priuationem incurri ipso facto ante iudicis sententiam, nam est pœna priuatiua, quæ ipso facto incurritur, quòd si ambo hanc cognationem contraxissent, neuter poterit alteri reddere, quia faceret actum illicitum; Filliuc. *tom. 1 tract. 10. p. 1. n. 349* cum Sanchez *lib. 9. disp. 16. 27. & 28.* Nihilominus tamen valde probabile, & tutum existimo, coniugem baptizantem, vel tenentem scienter puerum filium suum in baptismo, aut confirmatione, quamuis contraxerit cognationem spiritualem, vt diximus *hoc libro cap. 8. dub 8.* non tamen esse priuatum iure petendi debitum,

consequenter

consequenter non peccare illud petendo, ita docent gloss. *in cap. si vir*, Durand. *in 4. dist. 42. q. 1 art. 3.* Coninch *disp. 34. dub. 8. n. 69* Suarez *vbi sup. §. penult.* & cum his Hurtado *vbi sup. n. 24.* asserunt enim dictam priuationem, seu prohibitionem petendi in nullo iure perseuerante in sua obseruantia contineri & in odiosis mitiorem partem esse accipiendam; & quia argumentum à contrario sensu in iure est inefficax, præsertim in odiosis, & ad inducendam pœnam, quæ potius est restringenda. Vide Hurtado vbi latius ponderat, & soluit iura ab alia sententia adducta. Hoc autem pro certo habeo, si pater, aut mater tantum tenent materialiter filium, quando baptizatur sine intentione fungendi munere patrini, sed ob maiorem filij commoditatem videlicet ne cadat in terram, aut lectum, non contrahere hanc cognationem, nec esse priuatos iure petendi, vt bene Sanch. *vbi sup.* & Villalob. *loco cit. n. 4.*

3 Dico tertiò, casu quo coniuges sint priuati iure petendi ob cognationem spiritualem: superuenientem matrimonio, potest Episcopus dispensare propter periculum incontinentiæ, vt priuatus possit licitè petere, consuetudine enim præscripta, introductum est, vt non ad Papam, sed ad Episcopum recurratur pro huiusmodi dispensatione, vt cum multis Sanchez *lib. 8. disput. 12. quæst. vltim. numer. 15.* Hanc etiam facultatem extendit Villalob. *1. part. tractat. 13. diff. 51.* ad Commissarium sanctæ Cruciatæ, & ad confessarios Religionis S. Francisci, & ad eos qui cum illis communicant in eorum priuilegiis: oppositum tamen, vt verius tenendum, vt dixi in exposit. Cruciat. *lib. 2. §. 4. dub. 2.* vide ibi, & Sanch. *lib. 8. disput. 15. num. 13. & disput. 16. num. 9.*

Dub. VII.

Vtrum actus coniugalis fiat illicitus, quando matrimonio superuenit affinitas.

1 QVando, & quomodo affinitas superueniens matrimonio priuet iure petendi, seu vtendi matrimonio incestuosos, & quis possit in his dispensare, dixi abunde *hoc lib. c. 8. dub. 15. q. 2.*

Dub. VIII.

Vtrum actus coniugalis fiat illicitus, ob votum Religionis, aut castitatis, non nubendi, vel suscipiendi Ordines sacros.

1 DE iis dixi in Decalog. *lib. 2. cap. 2. dub. 25.* vide ibi, & præter illic citatos Villalobos *1. part. tract. 13. diff. 53.* Hurtado *disp. 10. de matrim. diff. 8.* & Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 1. qu. 10. n. 351.* vide etiam *supra hoc cap. dub. 3.*

2 An, & quomodo Episcopus dispensare possit, vt coniuges voto castitatis astricti possint petere debitum, & an possit dispensare in ipso voto castitatis, aut non petendi debitum, & in aliis votis supradictis, dixi abunde in Decalogo *lib. 2. capit. 3. dub. 40.* de quo latissime, & doctissime Sanchez *lib. 9. disput. 9. 10. & 11.* & præcipuè *12.* vbi resoluit posse Episcopum dispensare, vt voto castitatis astrictus possit petere debitum; similiter in illo, qui priuatus est iure petendi, ob subortam affinitatem, aut cognationem spiritualem, de quibus dixi locis citatis.

Dub. IX.

An adulter peccet petendo debitum.

1 DE hoc etiam dixi in Decalog. *lib. 6. cap. vnico, dub. 5. num. 8.* vbi dixi non posse exigere ex iustitia, seu petere cogendo, sed solum posse amicè petere, non tamen est improbabile, posse etiam exigere, antequam per sententiam sit à iudice priuatus iure petendi, vt docent Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnic. artic. 3.* Sanchez *libr. 1. de matrimon. disp. 68. num. 4.* nam hæc priuatio est pœna, ideo requirit iudicis sententiam, ideoque qui hanc sententiam amplecti voluerit, non est condemnandus, vt bene Villalobos *1. part. tractat. 13. diff. 46. in fine.* et si oppositum existimer probabilius, hoc tamen certum est, teneri reddere debitum coniugem adulterum, si alter innocens illud petat: non enim priuandus est innocens iure suo ob delictum alterius, nec debet adulter ex suo delicto commodum reportare: ad hoc autem, vt adulter sit priuatus iure petendi, modo dicto debet adulterium esse moraliter certum; nam si dubius sit innocens de adulterio, alterius secundum Sanchez, & Coninch, poterit tunc adulter petere: oppositum tamen cum Caietan. & Rebello, tenet Hurtado, *disp. 11. dub. 7. n. 24.* quia priuatio inquit, iuris petendi non est pœna, sed effectus violationis fidei; ergo innocens dubius de adulterio alterius non tenetur reddere, consequenter adulter inique ab eo exigeret debitum: communiter tamen sententia videtur vsu recepta.

Dub. X.

Vtrum actus coniugalis sit licitus, quando adest scrupulus, vel dubium, vel opinio de valore matrimonij.

1 SVpponendum est tanquam certissimum cum communi contra Magistrum *in 4. dist. 33.* coniugem certum de nullitate matrimonij, non solum non posse petere, sed etiam nec reddere, quidquid dicat Magister, ita colligitur, ex cap. *inquisitioni de sent. excommun. cap. vt Dominus de secundis nupt.* & docet D. Augustinus *lib. de fide, & operibus*, & refertur *in can. si virgo 34. quæst. 2.* ibi: *Si virgo nupserit nesciens viro alieno, si semper nesciat, nunquam adultera erit: si autem sciat, iam ex hoc adultera esse incipit.* Ratio est euidens, quia fornicatio in nullo casu est licita, etiam præcipiente superiore, vel ad vitandum periculum famæ, vt dixi in Decalog. *lib. 6. cap. vnic. dub. 2.* at quando coniux est conscius certò de impedimento, vel nullitate matrimonij, fornicatur; quia scienter accedit ad non suam; ergo non licet, nec reddere: quod quidem procedit siue matrimonium contractum sit bona fide, siue mala: nam tunc semper accedit scienter ad non suam. Sanchez *lib. 2. disp. 44.* Coninch. *disp. 34. dub. 10. num. 96.* Bonacin. cum aliis *quæst. 4. de matrim. punct. 4. n. 16.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. n. 342.*

2 Dices, quid ergo erit remedij, quando impedimentum est occultum, & alter coniux est ignarus impedimenti? De hoc dixi *hoc lib. cap. 4. dub 4. in fin. vers. Ex his.* breuiter tamen dico. Primò, coniunx conscius impedimenti, si potest, fugiat in locum, vbi scandalum cesset. Secundò, petat ab Episcopo dispensationem, vel si matrimonium non est consummatum, ingrediatur Religionem. Tertiò, petat diuortium, si adest causa, vt sæuitia, adulterium, &c. Quartò, potest habitare cum alte-

20

to coniuge inscio tanquam pater, & soror, modò non sit periculum congressus, vide Sanch *lib.9. disp.19.* Henriq. *lib.11. cap.11. & supra loco citato.* vbi de hoc latius.

3 Vtrum vxor teneatur credere alteri coniugi dicenti fictè concessisse, dictum est *dict. dub.4 versic. Aduerte.* idem dic, si vir asserat habere aliquod impedimentum dirimens, vide ibi, & Sanch. *lib.2. disp 45. num.2. & disp 41. num.32.* Henriquez *lib.11. cap.11. num.3.* & Bonacinam *vbi sup. num.19.* vbi resoluit, regulariter loquendo, non teneri credere, quia verisimilius est, ipsum mentiri, potest tamen, si vult, illi credere in illius præiudicium, ne petenti reddat. Dixi, *regulariter*, quia tales circunstantiæ possunt concurrere, vt teneatur credere, consequenter non poterit petere, nec reddere. Nec tenetur credere vni tantum testi asserenti, adesse impedimentum, si matrimonium iam sit contractum, secus si duo id asserant fide digni: quando vnus solus id asserit, tenetur dubitare de validitate matrimonij, & non potest petere, donec adhibeat debitam diligentiam, vt infra; at antequam matrimonium contrahatur, tenetur vni fide digno fidem adhibere, ne se exponat periculo fornicationis, & inualidè contrahendi, ita Bonacina *supra num.20.* cum Sanch. *disp 46. n.25.* vbi de hoc late, & Henriq. *loc. cit. n.13.* ac Villalob. *supra diff.24.*

3 Quænam autem certitudo requiratur de morte coniugij, vt superstes possit inire matrimonium, dixi *dub.24. de impedimentis, versic Sed quares*, vide ibi, & Villalob. *1. p. tract.14. diff.25.*

4 Dico primò, quando matrimonium fuit contractum bona fide, & postea suboritur scrupulus, ex leuibus indiciis de validitate matrimonij, deponat illud dubiolum, siue illum scrupulum, saltem de consilio docti, & sic poterit reddere, & petere. Nauarr. *cap.22. num.34.* Henriq. *lib.12. cap.15 num.13.* Sanchez *lib.2. disp 41 num.42.* & cum aliis Bonacin. *q.4. de matrimon punct 4. num.2* ita enim colligitur *ex cap. inquisitioni de sentent. excommun.* & ratio est, quia eadem ratio est indicij exterioris, & interioris, quando iudicium externum non fundatur in præsumptionibus, sed in rei veritate, vt sæpè dictum est, sed iudex in foro externo ita iudicaret; ergo idem dicendum in foro interno: imò licitum est operari contra scrupulos, vt DD. in materia de conscientia.

5 Difficultas ergo est, quando est verum dubium de valore matrimonij, id est, quando verè animus manet anceps, & dubius in neutram partem inclinans, aut quando habet opinionem de nullitate matrimonij.

6 Dico ergo secundò, qui bona fide contraxit matrimonium, si postea verè dubitet de illius validitate, non potest petere debitum antequam debitam adhibeat diligentiam ad superandum dubium, & ad sequendam veritatem Bonacin. *q.4. de matrimonio, punct 4 num.4* & alij. Patet *ex cap. Dominus, §.2 de secundis nupt. & dict cap inquisitioni*: nam tunc ageret contra conscientiam, & exponeret se periculo fornicationis, si ante debitam diligentiam præstitam peteret: tenetur tamen reddere coniugi petenti, sed non dubitanti de matrimonij validitate, nam habet ius petendi, & est in possessione petendi; at melior est conditio possidentis. Ita cum Sanchez *lib. 2. disp 41. num.45. 46. & 47.* Villalobos *loco citato diff. 23. num 1.* tenetur ergo hic coniunx alteri in bona fide existenti, non solum quando facta debita diligentia non potuit superare dubium, sed etiam antequam illam adhibeat diligentiam, ita Bonac. *sup. num.4.* cum Sanchez *loco citato*, & Reginald. *lib.31. num.299.* & alij. Probatur primò ratione supradicta: secundo, quia de duobus malis minus est eligendum; sed minus malum est reddere, quàm non reddere; nam non reddendo est periculum iniustitiæ, reddendo verò solum se exponit periculo fornicationis contra castitatem, & per se loquendo, maius malum est peccatum contra iustitiam, quàm contra castitatem; ergo, &c.

7 Dico tertiò, quando coniunx, matrimonio bona fide contracto, cœpit dubitare de illius valore, & adhibita debita diligentia, adhuc manet dubius, & veritas comperta non est, non solum potest reddere modo in secunda conclusione, sed etiam potest licitè petere, ita Rodrig. *cap 243. num.4.* Reginald. *sup. num 299.* Coninch *disput.34. dub.10. num.105.* Filliuc. *tom.1. tractat.10 part.1. cap.9 num.343.* Villalobos *supr. num. 2.* & cum aliis Bonacina contra Rebellum, Ledesmam, & Gutierrez, apud eundem Bonacinam, & contra Hurtado *disp.10. diff.9. n.40.* asserentes, hunc sic dubitantem teneri reddere non dubitanti, non autem posse petere. Nostra autem sententia, quæ probabilior, videtur, probatur, quia in aliis contractibus, qui bona fide rem accipit, & postea incipit dubitare, an res sit sua, vel aliena, si facta debita diligentia, non inuenit veritatem, licitè potest eam retinere, & consumere, nam melior est conditio possidentis bona fide, vt dixi vbi de restitutione; ergo etiam coniunx dubitans de valore matrimonij bona fide contracti, si facta debita inquisitione, adhuc perseuerat dubium speculatiuum, potest vti matrimonio, petendo, & reddendo, laborat enim tunc ignorantia inuincibili, consequenter excusatur à peccato.

8 Ex dictis sequitur primò, quando post matrimonium bona fide ex parte vtriusque contractum vterque coniunx incipit dubitare de illius valore, neutrum posse petere ante factam debitam diligentiam, sicut neque potest delectari de copula prius habita, aut de tactibus, qui licitè exercentur inter coniuges; ratio est, quia vterque exponeretur periculo fornicationis: imò in hoc casu, ob dictam rationem, neuter potest reddere petenti: facta autem debita diligentia, vterque potest petere, & reddere, vt dictum est *conclus.3.* vt cum Sanchez *lib.9. disp 44.* tenet Bonacina *q.4. de matrimonio, punct.4. num.6. & 7.*

9 Secundò sequitur, si alter coniux, matrimonio contracto, dubitat de valore matrimonij, & ante factam debitam diligentiam petat, alterum qui est in bona fide, non teneri reddere, quia sic petens non habet ius vtendi matrimonio ante præmissam diligentiam, potest tamen reddere, si velit, modò non credat alteri, vt non tenetur, vt plutibus Sanch. *lib. 9. disp.41.* & cum eo Filliuc. *tom.1. tract.10. part.1. c.9. n.344.* & Bonacin. *loco cit. n.8.*

10 Tertiò sequitur, coniugem dubium de valore matrimonij bona fide contracti, sed nondum consummati non posse priori bimestri reddere debitum bona fide petenti, si non adhibuit debitam diligentiam, nam ea non facta, exponit se periculo fornicationis, & ex alio capite intra bimestre non compellitur reddere: facta autem debita diligentia, & manente dubio, potest petere, & reddere: vt dictum est tertia conclus. & docent cum Sanch. Bonac. *sup. num.9.*

11 Quartò, sequitur, coniugem dubium, vt possit reddere modo dicto *supra* teneri prius adhibere diligentiam ad inquirendam veritatem, ne se exponat periculo, quod si alter in bona fide existens petat, antequam hic præmittat sufficientem inquisitionem, iste dubius tenetur alteri dubitationem

reuelare

reuelate (si credat reuelationem profuturam, & non nocituram) vt interim, dum inquiritur veritas, non petat: quòd si alter etiam admonitus petat, ei reddendum est, dum non constet admonitione non mansisse admonitum dubitantem, ita cum Vasquez, Hurtado *disp.* 10. *diff.* 9. *num.* 44.

12 Dico quartò, coniunx qui mala fide contraxit, dubitans de aliquo impedimento dirimente, vel de valore matrimonij, non potest petere debitum, Sanchez *lib.* 2. *disp.* 45. Filliuc. *sup. n.* 345. Villalob. *loco citat. num.* 3. & cum aliis Bonacin. *sup. num.* 10. & communiter alij. Ratio est, quia cum contraxerit mala fide, nullum ius acquisiuit, nam possessio mala fide incepta non tribuit ius, vt dixi in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 5. etenim, qui incipit rem alienam mala fide possidere, non potest illa vti, vel retinere, vt dixi in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 11. *dub.* 4. ergo, qui mala fide contraxit matrimonium, non potest illo vti: quòd si is petat, alter non tenetur reddere, sciens mala fide petere, vt dictum est *supra*, tenetur tamen iste dubius reddere alteri coniugi, qui bona fide contraxit, nec vllum habet dubium de valore matrimonij, vt docent citati, *ex cap. Dominus de secundis nuptiis*, nam hic coniunx habet ius petendi, nec eo debet spoliari ob malam fidem alterius, donec constet inualidum esse matrimonium. Quòd si vterque dubius de impedimento, seu valore matrimonij, contraxit, neuter potest petere, nec reddere. Ratio est, quia incipiens possidere rem mala fide non acquisiuit ius in eam, vt dixi in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 4. at quando vterque coniunx dubia fide contraxit, incepit possidere matrimonium mala fide; ergo nullum ius acquisiuit, consequenter neuter potest petere, nec reddere, ita Sanchez *lib.* 2. *disp.* 42. Coninch *supra num.* 101. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 54. Sotus *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. Villalob. *loco citat.* & cum aliis Bonacin. *vbi sup. num.* 11. contra Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. & alios asserentes, neutrum posse petere, sed teneri reddere, quando post adhibitam diligentiam, potest dubium practicè deponi: sed nostra sententia, vt verior, ac securior tenenda est.

13 Ex hac conclusione sequitur, quando alter coniux dicit alteri se non præstitisse consensum tempore contractus matrimonij, aut esse irritum aliquo impedimento dirimenti, dum ille de nouo non consentit, aut tollitur impedimentum, alterum non teneri illi soluere debitum, quia ipse confitetur alterum nihil ipsi debere. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 13. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 45. Villalob. *loco cit. num.* 5. & alij: limita, nisi ipse se retractauerit, nam tunc illi credendum est, attentis prudenter circunstantiis occurrentibus. Quòd si tenera crediderit matrimonium fuisse inualidum, non solum non potest petere, verum nec reddere; quia ageret contra conscientiam: imò si ex dicto alterius hic innocens maneret dubius, non potest reddere, nec petere, propter dubium in eo suborium: at si hic facta debita diligentia adhuc maneret dubius, potest reddere, & petere debitum, vt cum Sanchez tenet Villalob. *sup. num.* 5. & constat ex supradictis.

14 Dico quintò, coniunx qui bona fide contraxit, deinde verò opinatur, matrimonium esse nullum, hoc est iudicat cum formidine oppositi, non potest petere debitum, Sanchez *lib.* 2. *disp.* 44. *num.* 3. Filiuc. *loco cit n.* 346. Bonacin cum aliis *quæst.* 4 *de matrim. punct.* 4. *num.* 13. Ratio est, quia possessio non suffragatur opinanti, sed dubitanti, sicut contingit in aliis contractibus; ergo taliter opinans non poterit petere debitum, poterit tamen, imò, & tenebitur reddere, nisi certus sit de nullitate matrimonij, quia licet huic non suffragetur possessio, ita vt petere possit, tamen suffragatur, ita vt non possit alterum spoliare re sua. Quòd si hic opinans habeat opinionem probabilem pro vtraque parte, videlicet pro validitate, & nullitate matrimonij, tunc poterit petere, quia licitum est amplecti opinionem probabilem: quod verum est, etiamsi probabilius credat, matrimonium esse nullum, modo tamen habeat probabilitatem valoris, nam licitum est sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, ita de iis omnibus Sanchez *lib.* 2. *disp.* 44. *num.* 3. & 4. Villalob. 1. *part. tractat* 13. *diff.* 23. *num.* 7. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 9. *numer.* 346. & cum aliis Bonacin. *quæst.* 4. *de matrimonio punct.* 4. *numer.* 13.

15 Dico sextò, quando Petrus, v.g. duxit Mariam, putans bona fide esse liberam, incipit tamen postea dubitare, an sit serua, manente dubio non tenetur reddere debitum, ita Azor *tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 19. *quæst.* 1. vbi dicit commune, & cum eo Villalobos *sup. n.* 8. quia tunc reddere esset in graue detrimentum viri, eo quod cogi possit ad ducendam seruam: *ad cap. Dominus, de secund. nupt. & cap. inquisitioni de sentent. excommunic.* in quibus decernitur, dubium de valore matrimonij teneri ad reddendum debitum, respondent intelligi debere, quando adest dubium sine notabili periculo. Nihilominus tamen valde probabile censeo, cum Vasquez 1. 2. *disput.* 66. *cap* 4. *num.* 28. & Hurtado *disp.* 10. *diff.* 9. *numer.* 41. in hoc casu teneri reddere, quia ex vna parte exponitur, non reddendo, periculo iniustitiæ, & ex alia, reddendo nullum damnum patitur, quia reddendo affectu maritali, vt tenetur accedere, non ideo reualidat matrimonium præcedens, quia non intendit de nouo contrahere, sed tantum accedit, vt soluat debitum, si fortè debeat, ne se exponat periculo iniustitiæ.

16 Dico septimò, dubitans de impedimento impotentiæ, quod est frigiditas, potest reddere, & petere debitum, quia hoc impedimentum non dirimit, nisi constet, esse perpetuum, & ideo in dubio impotentiæ vnusquisque habet ius ad inquirendum de impotentia, quod fieri nequit absque experientia, & vsu coniugali, & ideo quamuis ambo dubitent, conceditur triennium, *in cap. laudabilem* 5 *de frigidis*, vt in eo possint matrimonio vti quousque veritatem inueniant, vt dixi in impedimento impotentiæ, & ita docent Villalobos *sup. num.* 9. Hurtado cum Basilio, *sup. num.* 44. & alij.

17 Sed dices, quid dicendum, quando lis mota est circa validitatem matrimonij. Respondeo cum Villalobos *sup. loco citato num.* 4. litem nec addere, nec tollere ius aliquod, & ita iudicandum de re, ac si nulla lis mota fuerit, vt colligitur ex *cap.* 2. *vt lite pendente:* verum tamen est, per litem fieri diligentem inquisitionem ad indagandam veritatem valoris matrimonij, & ita coniuges in hoc statu existentes, debent considerari, & haberi, & se gerere, sicut illi, qui nondum in hac re debitam diligentiam adhibuerunt.

DVB. XI.

Quæ excusent coniuges à redditione debiti.

1 SIt prima conclusio communis, & certa, coniuges, regulariter loquendo, excusantur à redditione debiti coniugalis ob probabile periculum vitæ, aut notabilis infirmitatis. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 24. Coninch *disp.* 34. *dub.* 3. Villalob. 1 *part tract.* 13 *diff. num.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 339. Bonacin.

Bonacin *quæst.4. de matrim. punct.1. num.4.* Hurtado *disp.10. diff.12. num.53.* & alij communiter. Ratio est, quia rectus naturæ ordo postulat, vt prius consulatur incolumitati proprij indiuidui, quàm generationi prolis: imò non solùm tunc excusatur, sed etiam tenetur non reddere cum notabili salutis detrimento, consequenter peccant si cum graui damno proprio reddant, nisi iusta causa intercedat, vt cum Soto, Caietan. Armilla, & Sanchez, tenet Villalobos *sup.* quia non sunt domini vitæ suæ, ideo non possunt eam exponere graui periculo: procedit hæc conclusio, quamuis exigenti immineat periculum incontinentiæ, vt docent, Sanchez, Coninch, Hurtado, Bonacina, Filliucius, & Villalobos contra Ledesma *in summ. de matrimon. cap.3. conclus.3. & 4.* & Rodrig. *cap.243.* quia cum tanto detrimento non tenetur vitare peccatum alterius, præsertim cum alter non sit in extrema necessitate spirituali, ideo etiam tunc excusatur à redditione debiti, an autem possit suo iuri renuntiare, & cum aliquo detrimento sui reddere, dicetur infra.

2 Dixi, *regulariter loquendo, & nisi iusta causa intercedat*, nam ea existente, non est peccatum, reddere, imò ad id teneri potest, si causa est grauissima, vt si redditio, & prolis generatio esset necessaria ad bonum commune Reipublicæ, vel vniuersitatis, nam bonum commune præferendum est particulari, sic Rex imbecillis, & debilis, non habens successorem Regno maximè necessarium, teneretur cum periculo vitæ reddere, ita Ledesma *loco citat. concl.5.* Villalob. *vbi sup. n.1.* & alij.

3 Dixi, *cum graui damno*, nam si damnum, aut detrimentum salutis leue sit, tenetur reddere, præsertim cum alter ex negatione subiret periculum incontinentiæ, hoc enim videtur dictare recta ratio, & ordo charitatis, vt docent Bonac. *sup. n.4.* & alij, vnde si tantum doleat caput absque febri, vel dens molaris, aut quid simile, tenebitur exigenti reddere.

4 Ex dictis in conclusione sequuntur multæ resolutiones: primò, excusari à redditione debiti laborantes febri: aut si mulier sit pthisica, aut si sanguinem hauserit ex vena, vel statim à balneo, vel statim post prandium, quia tunc iudicio medicorum solet esse periculum grauis detrimenti, imò in iis casibus non solum excusatur, sed etiam peccaret reddendo, cum notabili damno salutis, vt dictum est in conclusione. Item, excusatur fœmina, quæ mortem pateretur, si reddendo debitum conciperet, Bonacin. *supra num.7.* & alij.

5 Secundò sequitur, coniugem sanum non teneri reddere debitum alteri coniugi leproso, quoties iudicio medicorum subiret periculum grauis infectionis, Henriquez *lib.11. cap.5. num.7.* & alij citandi, quia nullus se obligat ad reddendum; debitum, nisi salua indiuidui substantia. Idem dic, si vir sit infectus morbo gallico, & est periculum infectionis ex redditione, vt docent Filliuc. *tom.1. tract.10. part.1. cap 9. num.340.* & cum aliis Bonacina *quæst. 4. de matrim. punct.1. num 8.* imò non solum periculum infectionis lepræ excusat, sed etiam excusare videtur à redditione horror coniugis, ex accessu ad leprosum, modò horror grauis sit, vt docent Filliuc. *sup.* Villalob. *1. part tractat.13. diff.48. num.3.* cum Sanchez *lib.9. disp.24.* esset enim grauissimum onus, tunc obligare coniugem ad reddendum: intelligenda tamen est hæc doctrina, quando lepra, aut morbus gallicus superuenit matrimonio, nam si præcessit matrimonium, & erat conscius talis morbi alter coniunx, tenetur reddere etiam cum periculo infectionis, vt docent Filliuc. *sup.* Hurtado *loco citat. num.54.* Sanchez *vbi sup. num.15.* Bonac. *loco citato*, quia tunc eo ipso quòd contrahit matrimonium, censetur obligari, non obstante eo periculo; non tamen est improbabile, etiam tunc non teneri, vt docent Villalobos *loco citato num. 2.* cum Angles *de matrim. quæst.6. de solut. debiti, art. 1.* ait enim: coniunx sanus cum leproso contrahens, ideo non tenetur tunc reddere, quia non potest renuntiare iuri suo, cum non sit dominus suæ salutis, sicut est bonorum suorum dominus: tenenda tamen est communis sententia, quam etiam ipse Villalobos approbare videtur *infra num.4.* vbi dicit, posse sanum, si velit, reddere leproso, non habita consideratione salutis. Cessante autem periculo infectionis, & grauis horroris, coniunx sanus tenetur viro leproso reddere debitum, etiam quando lepra aduenit post matrimonium, quamuis sit periculum, quod proles nascatur infecta lepra. Ita omnes citati; non enim adest iusta causa negandi debitum: & melius est proli sic nasci, quam nullo modo nasci. Adde cum ceteris, & aliis, coniugem sanum, etsi non teneatur reddere debitum leproso, aut morbo gallico affecto modo explicato, posse tamen reddere, si velit, licet periculum subeat infectionis illius morbi, nam cum huiusmodi morbus regulariter non tendat ad mortem, non impedit, quominus coniunx possit, iuri suo renuntiare, & reddere debitum ad fouendum coniugalem amorem, & ad vitandam incontinentiam, alioquin grauissimum onus esset, si coniunx sanus in his morbis ita diuturnis, teneatur abstinere ab actu coniugali, præsertim cum periculo incontinentiæ, quare tunc, vt ait Villalobos, contempto periculo salutis, posset (etsi non teneatur) ex charitate reddere debitum, præsertim si in altero adsit periculum incontinentiæ.

6 Adde, coniugem sanum non teneri habitare cum coniuge leproso, si ex cohabitatione immineat notabile periculum infectionis, sicut eo in casu non tenetur reddere debitum, modo supra explicato: obligatur tamen in hoc casu, prope domum illius manere, & aliis obsequiis illum iuuare. Item, proles sana debet esse apud sanum, vt libera sit à contagione, vt pluribus Sanchez *sup. num.26.* Quòd si non sit periculum infectionis, debet vxor cum leproso habitare, sicut tenetur reddere debitum, Villalob. *sup. num.6 & 7.* Filliuc. *loco citat. num 341.*

7 Secunda conclusio, coniuges, per se loquendo, non excusantur ab obligatione reddendi, ex eo quòd plures filij nascantur. Nauarr. *cap.16. num.24.* Sanch. *lib 9. disput.25.* Coninch *disput.34. dub 3.* Hurtado *disput.10. diff.12. numer.54.* & cum aliis Bonacina *quæst.4. de matrim punct.1. num.12.* quia cum matrimonium ordinetur ad multiplicationem prolis, absurdum est ab eius obligatione excusare, ne proles multiplicentur. Dixi, *per se loquendo*, nam excusari per accidens potest, saltem à mortali, non ob id reddendo (modo non adsit periculum incontinentiæ in alio) si ita pauperes sint, vt secundum præsentem statum non possint filios alere, vt contra Rebell. Coninch, & alios, docent Sanchez, Bonacina, & Hurtado *supra*, citati. Ratio est, quia in aliis debitis ex iustitia excusat incommoditas restituendi; ergo etiam in hoc casu, &c. Secundò, quia hoc cederet in damnum prolis natæ: secus tamen dicendum, si coniuges habeant facultates ad alendos filios, quando vterque, vel alter viuit, licet post eorum mortem non supersit filiis, quo se alant, mortuis enim parentibus, pertinet ad prolem sibi victum quærere, & melius est proli nasci cum illa incommoditate, quam non nasci. Ita limitant Villalobos *tom.1. tract.13. diff 49. num.2.* & Bonacin. *supra num.12.* Hoc tamen pro certo habeo, coniuges de

communi

communi consensu posse abstinere à copula, ne plures filij generentur, secluso tamen periculo incontinentiæ: ratio est, quia vnusquisque voluntariè cedit iuri suo. Bonacina, *supra*, & alij, & dixi *supra hoc cap.* Addit Villalobos, ob rationem dictam in hac conclusione, licitum esse negare debitum, ad vitandum graue detrimentum in bonis, aut in fama, aut propter aliquam notabilem vtilitatem, atque id esse commune, & videtur dictare recta ratio.

8 Tertia conclusio, excusatur coniunx à redditione debiti, quando alter coniunx est amens, aut ebrius, quia amens, aut ebrius non exigit, vt homo, sicut nec dormiens, ideo negans debitum nullam facit ei iniuriam: potest tamen per accidens aliquando sanus obligari ad reddendum, vt si alter defectu redditionis accessurus sit ad aliam, aut se polluturus, quia ratio exigit, vt valde egenti debito, sibi reddatur, quamuis non petat, vt homo, quia non potest. Sanchez *lib. 9. disp.* 23. Coninch, *disput.* 34. *dub* 9. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 10. Hurtado *disp.* 10. *diff.* 12. *num.* 55. & cum aliis Bonacin. *quæst.* 4. *de matrimon. punct.* 1. *num.* 10. Adde virum sanæ mentis peccare reddendo debitum vxori amenti; nam adest periculum abortus, si ipsa concipiat: si vero vir sit amens, & vxor sanæ mentis, potest viro reddere debitum, nam tunc periculum prolis potest præcaueri, Bonacina *loco cit.* vide *supra hoc cap dub.* 4. *concl.* 8.

9 Quarta conclusio, non peccat fœmina negando debitum, quando experta est, se non posse filios viuos in lucem edere; quia coniunx non tenetur reddere debitum cum probabili periculo vitæ, at vxor subit magnum vitæ periculum ex morte fœtus in ventre; potest ad vitandum graue periculum incontinentiæ petere, & reddere cum dicto periculo, nam eligit minus malum ad maius vitandum, Bonacina *supra num.* 14. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 102. *num* 10. & alij.

10 Quinta conclusio, non licet coniugi negare debitum alteri, eo quod docat stirpem a Iudæis, aut Mauris, ita Sotus *in* 4. *distinct.* 32. *quæst. vnica, artic.* 1. Graffis 1 *part. decis. lib* 1. *capit.* 63. *num.* 8. Villalob. 1. *part. tractat.* 13. *diff.* 49. *num.* 3. Ratio est, nam etsi ex tali matrimonio nascantur filij infecti, hoc tamen non impedit quominus coniunx infectus non acquirat dominium in corpus alterius coniugis, nec fit iniuria proli, nam melius est nasci cum ea macula, quam absolute non nasci, vt dictum de leprosis.

11 Cætera, quæ ad hoc dubium spectare possunt, constant ex dictis in dubiis antecedentibus.

Dvb. XII.

Vtrum tactus, & aspectus turpes, ac verba turpia licita sint inter coniuges.

1 Conueniunt Doctores, tactus, & aspectus turpes, similiter, & turpia verba inter coniuges esse peccatum mortale, quando adest periculum effusionis seminis extra vas; patet, quia sunt causa peccati mortalis, scilicet pollutionis extra vas, quæ est omnino illicita: probabile tamen est, posse petentem hos tactus à mortali excusari, quando adest vrgens causa exercendi illos cum coniuge, vt sunt amplexus, & oscula ad mutuum amorem indicandum, eumque fouendum; tunc enim etiamsi præuideat periculum pollutionis, modò sit securus, quod non consentiet in illam delectationem, non peccat mortaliter, vt docet Sanchez *lib.* 9. *disp.* 45. *num.* 38. & cum eo Filliuc. *tom.* 1 *tractat.* 10 *part.* 1. *num* 356. Reddens etiam excusatur ab eodem mortali, quia dat operam rei licitæ, ad quam obligatur ex iure alterius, & etiam quia adest causa reddendi tales actus, vtpote ab alio exactos, modò tamen, nisi tales sint, qui dici possint inchoata pollutio: & coniuges eo loco sint, vt non possint habere copulam præuiso periculo pollutionis, Sanchez videndus *supra n.* 35.

2 Conueniunt etiam DD. tactus turpes, & aspectus, & turpia verba, quando fiunt ad præparandum se ad copulam coniugalem, cessante omnino periculo pollutionis, esse licitos, nec esse peccatum veniale, vt docent Sanchez *lib.* 9. *disp.* 44. *n.* 8. Coninch. *disput.* 34. *dub. vltim.* Hurtado *disput.* 10. *diff.* 10. *num.* 45. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *part.* 1 *c.* 9. *num.* 354. quia licitum est iuuare naturam ad actum rationi consonum, mediis sua natura ordinatis ad illum. Quod verum est, vt docent citati, etiam quando fiunt ob alium finem honestum, vt ad sedendas tentationes carnis, vel ad ostendendum amorem erga alterum coniugem.

3 Difficultas ergo est, an tactus, aspectus turpes, & verba turpia inter coniuges, quando fiunt tantum ad capiendam libidinem, seu voluptatem veneream in ipsis repertam, seu voluptatem captandam, absque animo perueniendi ad copulam, sint peccatum, & quale.

4 Syl. *verbo, debitum, quæst* 9. Antonius, & Margarita confess. apud Hurtado *disp.* 10. *diff.* 10. *n.* 46. docent esse peccatum mortale, quia sunt actus libidinosi, seu venerei, & non referuntur ad copulam coniugalem, in quam sua natura ordinantur: Vazquez verò t. 2. *disput.* 115. *cap.* 2. Hurtado, & alij supra citati docent non esse mortale, & meritò, quia illa voluptas non quæritur extra matrimonium. Quod verum putat Sanchez, quamuis in eis sit probabile periculum alterationis in membris pudendis, imò & distillationis (quæ est effusio cuiusdam humoris aquei similis semini) quia dicta alteratio, & distillatio oriuntur naturaliter ex tactibus licitis, aut non mortalibus. Imò Idem Sanchez, & Ochagauia *tract.* 5. *q.* 11. excusant à mortali tactum, quo coniunx, etiam in absentia alterius, tangit libidinose sua membra pudenda, quamuis commouenda, & alteranda, quando non est probabile periculum effusionis seminis futuræ extra vas, quia etiam illi tactus sua natura ordinantur ad actum coniugalem, quamuis actu non referantur ad illum. Est tamen supradicta delectatio peccatum veniale, sicut est copula in eum finem relata, hoc est ad finem captandæ tantùm delectationis. Filliucius *supra num.* 354. & alij.

5 Nec peccat mortaliter coniux, etiam dum absens est, qui delectatur de copula præterita, aut futura cogitata vt præsenti, quando non est probabile periculum pollutionis, vt contra Nauarr. & aliquos docent Sanchez *disp.* 44. Filliucius *loco cit. num.* 353 Hurtado, Vazquez, Coninch, & alij communiter, quia talis delectatio est coniugalis, vtpote habita constante matrimonio, & de actu coniugali; & sicut consensus in actu non est peccatum mortale, ita nec delectatio morosa de illo. Quod verum putant Vazquez, & Sanchez, etiamsi periculum sit commotionis, & alterationis in membris pudendis, quia tunc alteratio oritur naturaliter ex delectatione licita, aut non mortali: & addit Sanchez, id esse verum, quamuis sit periculum distillationis. Est tamen dicta delectatio peccatum veniale, quia caret debito fine, ad quem actus coniugalis sua natura dirigitur. Filliucius *dist.* 1. *num.* 353. vide

Sanchez *lib 9.disp.44.* vide in Decalogo *lib. 6.cap. vnico, dub* 13 *num.*12.

6 Quando verò copula non est licita inter coniuges ob aliquod impedimentum, vt ex voto castitatis, vel dubio de valore matrimonij, tunc nec etiam tactus licent: si verò copula sit illicita ex circunstantia aliqua intrinseca, vt ratione periculi abortus, vel ratione damni corporis, vel ratione interdicti Ecclesiæ, tunc tactus videntur esse liciti, quia tunc sua natura est licitus vsus matrimonij, & solùm ab extrinseco prohibetur ratione charitatis, vel pietatis, quibus virtutibus non sunt contrarij dicti tactus. Ita cum Sanchez, Filliucius 1. *tom. tract.* 10.*part.*1.*cap.*9.*num.*355. vide Sanchez *lib.* 9. *disp.*44. vide in Decal. *lib.*6.*cap.vnico,dub.*13.*n.*12.

7 Quantum verò ad sponsos de futuro attinet, dico, tactus turpes, & impudicos, hoc est, in partibus inhonestis, inter ipsos esse peccatum mortale. Ita communiter Doctores apud Sanchez *lib.* 9. *disp.*46.*n.*52. quia sunt eiusdem speciei cum copula, cuius sunt proximæ inchoationes; neque enim apparet vlla causa, quæ eos excusare possit, sicut nec à copula peccato excusari possunt; & cùm res hæc grauis sit, inde fit, vt tactus impudici inter eos sint peccatum mortale, sicut est ipsa copula: vnde sponsis non debet permitti, vt soli sint, propter periculum huiusmodi tactus admittendi. Quod si tactus sint pudici, vt oscula, amplexus, & tactus non in partibus inhonestis, Hurtado *disp.* 10 *diff.* 10. *n.*48. Henriq. *lib.*11.*cap.*19 *n* 4. Lessius *lib.* 4.*cap.*3. *dub.* 15.*num.*121. & alij existimant esse peccatum mortale, quia delectatio eos actus concomitans est à natura instituta ad copulam, quæ cum sit illicita inter ipsos, ita etiam erit delectatio ex illis actibus, Nauarr. verò *cap.* 16.*num.*11. Toletus *lib.*5.*cap.* 24. Bonacina *quæst.*4. *de matrimon. punct.*9. *num.*6. Filliucius *tom.*1.*tractat.* 10. *part.*1.*cap.*9.*n.*357. docent, tales tactus non impudicos, & delectationem sensitiuam eos concomitantem non esse illicitam, modò tamen absit periculum pollutionis, & periculum in copulam, quod etiam probabile dixi in Decalogo *lib.* 6. *cap. vnico*, *dub.*11.*num.*7. Ampliant Doctores citati hanc doctrinam ad amplexus, oscula, & quando fiunt ad faciendum mutuum amorem, aut in signum beneuolentiæ in illis. Probatur hæc sententia, quia sicut matrimonium de præsenti cohonestat copulam, sic sponsalia, quæ sunt inchoatio quædam remota matrimonij, cohonestant tactus illos, qui sunt inchoatio remota ad copulam, modò tamen non sit periculum pollutionis, vel consensus in copulam, vel in delectationem veneream copulæ: sententia est mitior, ac probabilis; prior videtur probabilior, & est securior, ac fortè verior. Peccant tamen mortaliter sponsi de futuro, qui delectantur de copula futura cogitata, & apprehensa vt præsenti; nam sicut est illicita tunc de præsenti copula, ita præsentialis delectatio de illa, vt cum Lessio, Bonac. & Diana dixi in Decalogo *lib.*6.*capitul.vnico,dub.*13. *num.*14. & docent Nauarr. *capit* 16.*num.*7. Vazquez 1.2. *q.*74. *artic.*8.*disp.*114.*n.*3. Sanchez *lib.*9.*disp.* 46. *n.*4. & Filliuc. *loco citat.n.*358.*vers. Aly contendunt.* contra Caiet. Sylu. & alios apud Sanchez *sup. n.* 47. admittentes delectationem appetitus sensitiui consurgentem ex copula cogitata, modo absit periculum pollutionis, ne copula cogitetur tanquam præsens, de eaque vt præsenti delectatio habeatur: nostra tamen sententia verior videtur, & securior est, ideoque tenenda; altera verò vt periculosior in praxi reiicienda. Licet tamen sponsis desiderare copulam futuram, & gaudere, quòd illam habebunt, modò absit delectatio venerea de præsenti de illa, vt omnes concedunt, quia obiectum huius actus voluntatis est licitum, nempe copula futura. Vide in Decalogo *loco sup. cit.*

CAPVT XII.

De diuortio inter coniuges.

DVB. I.

An matrimonium dissoluatur ob adulterium, & quomodo.

1 NOTA, diuortium dici à diuersitate mentium, vel quia ad diuersas partes tendunt, qui matrimonium distrahunt, *l.*2.*ff. de diuort.* Est autem diuortium, legitima viri ab vxore, vel è contra, separatio. Ita communiter Summistæ *verb diuortium.* Dicitur, *legitima separatio*, quia non debet fieri sine lege, vel ratione: vsurpatur autem nomen *diuortij* tripliciter. Primò, pro dissolutione quoad torum tantum, de quo cap. antecedenti, vbi de petitione, & redditione debiti actum est. Secundò, pro separatione quoad torum, & habitationem, non verò quoad vinculum, prout communiter sumitur à Theologis, & de quo in hoc capite tractandum. Tertiò, pro dissolutione matrimonij quoad torum, habitationem, & vinculum, de quo egimus *lib.*4. vbi de indissolubitate matrimonij; in qua significatione sumitur hoc nomen *diuortium*, à Iurisperitis, tit. *de diuort.*

2 Nota etiam, quamuis aliquando nomen diuortij, & repudij sumantur promiscuè pro eodem, differunt tamen, propriè loquendo, quòd diuortium solùm dicatur separatio ab vxore, matrimonio iam consummato: repudium verò de vxore, & de sponsa de præsenti nondum cognita, dicitur *l. inter stuprum l.inter diuortium.ff.de verb.signif.* An autem repudium solueret in lege veteri matrimonium quoad vinculum, dixi *hoc lib cap.*4.*dub.*4.*vers. Quæres etiam.* Hoc autem pro certo tenendum, post legem euangelicam nulli, nec Iudæis licere repudium, quia illud Christus Dominus reprobauit Matth. 19.& Matth. 5. *Ego autem dico vobis, &c.* quod cùm sit naturale, omnes obligat, nisi adsit Dei dispensatio; ideoque Iudæi, & Gentiles vxores repudiantes peccant mortaliter, & qui ex infidelitate conuertuntur, tenentur ad illas vxores redire, quibus dedissent libellum repudij. Vide de iis notatis Sanchez *lib.*10.*disputat.*1.& Filliuc *tom.* 1.*tract.*10.*part.*1.*cap* 10.*quæst.*1.

3 Dico primò, coniux innocens ob adulterium alterius non potest ab eo quoad vinculum separari, seu adulterium non potest dissoluere matrimonium quoad vinculum, ita vt alter possit aliud matrimonium inire: est de fide definitum ab Alexandro III. *in cap.ex parte 9 de sponsal.*& in Concilio Florent. *in instruct. Armenorum*, & nouissimè in Tridentino *sess.*24 *Can.*7. quod etiam Ecclesia semper censuit, ac tenet, vt probat Bellarm. 1.*de matrim.cap.* 16. & deducitur ex Paulo 1. Corinth. 7. dum ait *Præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere* (intellige absque causa) *quòd si discesserit* (existente causa) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari*; ergo si vxor discedens à viro manere debet innupta, benè sequitur, matrimonium non dissolui per adulterium: congressio autem illa Deuter. 24. cessauit cum lege veteri, & fuit etiam expressè derogata à Christo Domino, Matth. 19. vt

finitum

finitum est *in cap. gaudemus de divort.* & constat ex contextu. Quare verba illa Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ita interpretanda sunt: quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur, & qui dimissam duxerit, item mœchatur. Dicitur autem, qui dimittit absque causa fornicationis, mœchari, quia est causa fornicationis uxoris, ut declaratur ab ipso Christo Domino, Matth. 5. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari.* Sic explicant D. Thom. Bonavent. & alij apud Sanchez *l. 10. disp. 2.*

4 Dico secundò, adulterium potest soluere matrimonium quoad torum, & cohabitationem: id est, coniux innocens potest separari, & facere diuortium ob alterius adulterium. Vnde adulterium est causa sufficiens ad diuortium: est commune, & de fide, Matth. 5. & 19. *c. significasti. cap. gaudemus*, idque oritur ex natura matrimonij, nam frangenti fidem, ut frangit adulter, fides seruanda non est, 28. *quæst.* 2. *cap. si infidelis cap. peruenit 2. de iure iurando, & l. si cum venerit. ff. pro soro.* Item, quia contractus includens promissionem non obligat rebus notabiliter mutatis; vnde etiam inter infideles id habet locum. Dixi, *ob adulterium alterius*, quia in hoc sunt pares vir, & uxor, *cap fin.* 32. *quæst.* 5. De viro constat *cap. significasti, & gaudemus citat. & cap. ex literis 5. eodem tit.* De uxore patet *ex dict. cap. fin. & 1. Corinth. 7.* ibi: *quòd si discesserit*, id est mulier. Vnde non est audiendus Caiet. *super cap. 19. Matth.* existimans id solis viris esse concessum, cuius sententia tanquam falsa, & temeraria iudicatur à Sanchez *lib. 10. disp. 3. n. 6.* est enim contra communem Theologorum, Canonistarum, & Summistarum. Neque contraria consuetudo, si quæ esset, tollit ius, si mulier velit eo uti, nec desideratur monitio, nec præscribitur contra id ius silentio quinquennij, nisi quoad pœnam criminalem, & ciuilem, ut pluribus Sanchez *loco cit.* & cum eo Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 10. num. 365.* Huttado *disput. 1 t. diff. 1.* Bonacina *quæst. 4. de matrimon punct. 5. num. 2.* & Villalobos *1. part. tract. 15. diff. 1. num. 3.*

5 Sed quæres, an ob alia peccata luxuriæ possit fieri diuortium quoad torum, & habitationem; nam quoad vinculum, certum est, fieri non posse. Respondeo, dissolui posse matrimonium quoad torum, & habitationem, per omnes species luxuriæ, in quibus coniux diuidit suam carnem cum alio. Ratio est, quia matrimonium tendit, ut coniuges fiant vna caro, Genes. 2. *Erunt duo in carne vna*, qui ergo diuidit carnem suam, violat perfectam fidem matrimonij, ideoque alter non tenetur seruare fidem, & consequenter potest diuortium facere, ut pluribus Sanchez *lib. 10. disput. 4. num. 3.* & Doctores infra. Vnde est iusta causa diuortij non solùm adulterium viri per copulam naturalem, siue cum coniugata, siue cū soluta, aut alia quacunque fœmina habita, sed etiam per copulam sodomiticam habitam, siue cum viro, siue cum fœmina, modò non sit sua uxor: similiter & bestialitas, ut docent S. Thom. *3. part. quæst. 62. addit artic. 1. ad 4.* Sylo. *diuortium quæst. 7.* Bonacina *sup. num. 4.* Villalob. *loco cit. num. 4.* Filliucius *sup num. 367.* & communis Theologorum apud Sanch. *vbi sup.* contra Innocentium *cap. 1. de adulter. n. 1.* asserentem, copulam contra naturam non esse sufficientem causam diuortij, eo quòd non fiat vna caro cum alia, nisi per commixtionem seminis in vase naturali apto ad generationem: quod etsi non sit improbabile, ut ait Filliuc. tenenda tamen est communis sententia, quia verè carnem suam diuidit, & communicat cum alio, & verè frangit fidem alteri coniugi, ob idque satis est ad diuortium copula sodomitica cum alia fœmina, siue cum mare, siue actiuè, siue passiuè, modò completa sit. Item, copula sodomitica fœminæ cum fœmina, modò semen vnius immittatur in vas alterius, siue medio instrumento, siue absque illo. Item, copula bestialis erit etiam causa sufficiens diuortij propter rationem dictam. Ita Sanchez citatus *num. 5.* & alij. Dixi, *cum fœmina, quæ non sit sua uxor*, nam sodomia cum propria uxore non satis est ad diuortium, ut docent citati, quia per eam non diuidit vir carnem suam, cum non accedat ad extraneam; potest tamen uxor ad tempus recedere à viro, ut resipiscat, non tamen in perpetuum: si tamen vir admonitus ab uxore non destiterit, tunc haberet uxor iustam causam diuertiendi, ob inductionem ad peccatum, ut infra dicetur: idem dic de quacumque pollutione extraordinaria facta cum ipsa uxore. Sanchez *supra num. 8.* & Filliuc. *num. 370.* & cum aliis Bonac. *num. 5.* Hinc sequitur, non dissolui matrimonium quoad torum, & habitationem per alias species luxuriæ, per quas caro non diuiditur cum alio, ut docent DD. citati, quia non violatur tunc perfectè fides matrimonij: vnde non dissoluitur per mollitionem, seu pollutionem, siue fiat adminiculo proprio, siue alieno, nec per aliam extraordinariam pollutionem, quæ cum altero fiat extra vas naturale, vel præposterum. Item, nec per oscula, amplexus, tactus libidinosos, etiamsi animus fuerit perueniendi ad adulterium. Item, nec per immissionem instrumenti virilis in vas alterius ab uxore, absque seminatione tamen. Item, nec receptio seminis in vase absque adminiculo viri, ut si in balneo matrix attraheret semen effusum à viro, Filliuc. *sup. n. 369.* cum Sanchez *loco citato à n. 4.* Item, neque concubitus cum fœmina, aut bestia mortuis, quia non est diuisio carnis propriè cum alio, sicut non est cum statua, atque ita reputatur quoad hoc, ut pollutio. Item, copula, siue naturalis, siue sodomitica, absque seminatione tamen, non videtur sufficiens ad diuortium, quia absque seminatione non est completa iniuria: bene tamen immissio seminis intra vas, etiam absque copula, si absque ea fieri possit, quia esset iniuria completa. Huttado *disp. 1 t. diff. 2. n. 8.* cum Sanch. *lib. 10. disp. 4 n. 3.*

DVB. II.

In quibus casibus adulterium non sufficiat ad diuortium.

1 Communis DD. cum S. Thom. *in addit. qu. 72. artic. 1.* assignat septem casus, in quibus non licet facere diuortium ob coniugis adulterium.

2 Primus casus est, quando vterque coniunx committit adulterium; tunc enim neutri licet diuertere, constat *ex cap. significasti 4. de diuortijs, c. intelleximus, capit. fin. de adulterijs.* Ratio est, quia paria delicta mutua compensatione abolentur: etenim iniuria vni facta compensatur iniuria ab altero illata, & è contra, utrum vnus commiserit adulterium propriè, & alter sodomiam, vel bestialitatem, modò certò constet de adulterio, & delicto. Item, nec refert, vtrum vnus deliquerit antea, vel post, vel vnus sæpius adulteratus est, alter verò semel, quia pares sunt quoad hoc, quod esse infideler, & dedisse causam sufficientem ad diuortium, ac proinde causa, & infidelitas vnius, etiam qui

pluries adulterauit, compensatur causa, & infidelitate alterius, etiam qui semel adulterauit. Item, nec refert, quòd vnus publicè, alter verò secretò sit adulteratus, quia æquales sunt quoad hoc, quod est, esse fidei fractores, & dedisse causam sufficientem diuortij. Sanchez *lib.* 10. *disput.* 6. Coninch. *disput.* 35. *num.* 12. Bonacina *quæst.* 4. *de matrimonio, punct.* 5. *num.* 14. & Hurtado *disp.* 11 *diff.* 3. *num* 9. in foro namque conscientiæ non requiritur probatio, sed sufficit, vt reuera caro coniugum diuisa sit: ita etiam cum aliis Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 10. *num.* 375. vbi Sanchez *sup. disput.* 6. *num.* 12. addit exceptionem adulterij in causa diuortij, vel amissionis dotis dici peremptoriam, ideoque opponi posse ante, & post litem contestatam, colligiturque ex *cap. penul. & fin. de adulterijs.* vt in hoc Abbas, & alij apud Sanchez.

3 Sed dices, vtrum quando vterque coniunx commisit adulterium, sed alter iam emendatus est, possit emendatus petere diuortium, altero non emendato. Respondeo negatiuè, quia emendatio non extinguit iniuriam alteri illatam, ac proinde manet dignus, vt ei nunquam seruetur fides: quod verum putat Hurtado *sup. n.* 10. cum Basilio *lib.* 9. *c.* 17. contra Sanchez, & Coninch, quamdiu emendatus admoneat, seu inducat alterum ad emendationem, quia ea inuitatione non extinguitur iniuria inuitato illata, nam talis inductio non est satisfactio pro illa. Nihilominus tamen si monitus noluit se corrigere, sed denuo lapsus est in adulterium, existimo posse emendatum diuortium petere, vt docent Sanchez *lib.* 10. *disput.* 7. *num.* 4. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 17. Coninch. *disputat* 34 *dub.* 12. *n.* 17. Reginald. *l.* 31. *num.* 321. & cum his Bonacin. *quæst.* 4. *de matrim punct.* 5. *num.* 15 Ratio est, quia si vterque coniunx in adulterium lapsus esset, & post adulterium reconciliati fuissent, vno eorum relabente, posset alter facere diuortium, vt infra, sed hoc idem accidit in præsenti casu; nam quando coniunx emendatus alterum admonet, offert illi reconciliationem; ergo si post admonitionem non vult emendari, potest emendatus ab illo diuertere. Ita Villalobos 1. *part. tractat.* 15 *diff* 4.

4 . Secundus casus est, quando vir dedit vxori causam proximam adulterandi, vt quando vir vxorem prostituit, *cap. discretionem de eo qui cognouit consanguin.* siue inuitam prostituat, siue volentem, & consentientem, vt indicant illa verba textus *præsertim inuitam.* Idem dic, si vir in adulterio coniugis consentiat, aut det facultatem adulterandi aut si conscius adulterij non prohibet, cum possit absque graui damno, nam censetur consentire, ideo non potest tunc diuertere, nam quamuis vxor adultera viro iniuriam inferat, etiamsi ipse consentiat, æquum tamen non est, vt obijciat vxori adulterium factum consensu ipsius, & ob id debitum neget. Quòd si vir non fuit causa proxima adulterij vxoris, sed tantum remota, seu occasio remota, potest diuortium facere, quod accidere potest, quando vir iratus vxorem expellit domo, aut si ei necessaria deneget alimenta, aut si illi debitum denegei: modò tamen non hæc efficiat, ex intentione, quod adulteretur, vt deducitur *ex cap. significasti* 4. *de diuort.* & docent Sanch. *lib* 10. *disp.* 5. *n.* 7. Henriquez *lib* 11. *capit.* 17 *num.* 4. Hurtado *disput.* 11. *diff* 3. *num* 12. Coninch. *disp.* 35. *num.* 7. Filliuc. *tom.* 1. *tractat* 10. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 371. Villalobos 1 *part tractat.* 15. *diff.* 1. *num.* 9. & cum aliis Bonac. *quæst.* 4. *de matrim punct.* 5. *num.* 14. Aduertit tamen Villalobos *supra*, cum Soto, non censeri virum consentire in adulterio, eo quòd domi retineat vxorem aliquo modo suspectam de adulterio, modò tamen faciat, quod in se est, ne adulteretur, & dato quòd sit adultera, nullo modo consentiat, sed prohibeat.

5 Tertius est, quando adulter excusatur à culpa adulterij, vt si bona fide, credens virum obiisse in partibus longinquis nubit alij viro, aut fornicatur, probabiliter credens esse viduam. vt deducitur *ex cap. cum per publicam* 34. *quæst.* 2. *& l. vxor. Cod. de repudijs*, ignorantia enim probabilis excusat à pœna; sic qui inuincibiliter ignorat, Petrum, quem percussit, esse Clericum, excusatur ab excommunicatione, *c. si verum el.* 2. *de sentent. excommun.* ideo in iis casibus vir non potest facere diuortium, nisi ipsa certificata de vita prioris coniugis perstiterit in secundo matrimonio reddendo, vel si dubia ante debitam diligentiam petierit debitum. Sanchez *dict. disp.* 5. Doctores citati, & alij communiter.

6 Quartus est, quando vxor fuit violenter cognita, *cap. ita, cap. proposito* 32. *quæst* 5. secus tamen si non per vim, sed propter metum cadentem in virum constantem vxor adulteratur; tunc enim ipsa diuertere non posset, vt contra Sylu. Rosell & Armillam docent Sanch. *lib.* 10. *disp.* 5. *num.* 13. Hurtado *loco cit num.* 13. Filliuc. *num* 373. & Villalob. *sup. num.* 12 quia tunc non excusatur ab adulterio, consequenter nec à pœna.

7 Quintus est, quando vnus coniux commisit adulterium inuincibiliter, ignorans illum, cum quo adulteratur, non fuisse proprium coniugem, quia alter sub viri specie latenter eam decepit; tunc enim sicut excusatur à culpa, ita à pœna: ita Doctores communiter. Hic casus coincidit cum tertio.

8 Sextus est, quando coniux innocens reconciliauit sibi adulterum, condonando illi, aut remittendo iniuriam sibi illatam, quia sic cessit iuri suo discedendi, aut diuertendi, vt omnes fatentur. Potest autem fieri reconciliatio, aut condonatio dupliciter. Primò expressè, vt quando expressè affirmat innocens, se alteri remittere iniuriam illatam per adulterium. Secundò tacitè, quando signis, aut factis indicatur animus condonandi, ad quod non est opus acceptatione remissionis, satisque est, si sola mente fiat condonatio adulterij quoad forum conscientiæ, ita vt non possit deinceps celebrare diuortium: pro foro verò externo debet constare per confessionem innocentis, vel alio modo, vt infra. Tunc autem censetur tacitè innocens remittere, seu condonare iniuriam adultero, quando scienter, liberè & sponte habet copulam cum eo, siue reddendo, siue petendo Glos. *cap. fin. verb. fornicationis, de adulter.* Canonistæ *c.* 1. *& tribus sequent.* 32. *q.* 1, & cum D Bonauent. Syl. & aliis Sanch *l.* 10 *disp.* 14. *n.* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *part.* 1. *c.* 10. *n.* 392. Villal. 1. *part. tract.* 15. *diff.* 1. *n.* 13. Bonacin. cum aliis *q.* 4. *de matrim. punct.* 5 *n.* 14. *vers. Sextus.* Henriq. *lib* 11. *c.* 17. Coninch. *disp.* 34. *dub.* 2 *n.* 11. & communiter DD. Ratio est, quia copula illa est actus amicitiæ, & caro diuisa antea per illam restituitur ad vnionem, & fit vna caro cum innocente: quod verum est, siue fiat ante diuortium, siue post; semper enim per talem copulam censetur condonare.

9 Dixi, *scienter*, quia nulla est remissio, vbi est ignorantia iniuriæ, *l. manifestissimi C. de furtis.* Quod si præsumat probabiliter tantùm adulterium, non censetur condonare, si reddat, benè si petat: debet ergo constare moraliter innocenti adulterium alterius, vt censeatur remittere illi iniuriam, reddendo, aut petendo debitum: censetur autem certitudo moralis, quando consideratis circunstantiis, stultum esset, fidem non adhibere. Nec censetur

condonare

condonare innocens iniuriam, quando scit alterum esse adulterum;existimat autem, se teneri reddere, taliter,quòd si sciret non teneri,minimè redderet. Quid si alter coniux commiserit adulterium, & sodomiam, & innocens tantùm erat conscius sodomiæ, aut adulterij, & condonauit illi adulterium, v. g. quòd sciebat, quidam dicunt non censeri condonatum illud alterum,quod ignorabat, vt existimat Villalobos *sup.vers. T haso de aduertir.* Filliucius verò *loco citat.vers. Dixi primò.*existimat probabilius, vtrumque esse condonatum, quia in omnibus eadem est ratio,nempe diuisio carnis. At si vir multa adulteria eiusdem speciei commiserit, per condonationem vnius,censentur omnino condonata, vt pluribus Sanchez *disp.*14 *num.*11.

10 Dixi etiam, *sponte, & liberè,&c.* quia condonatio,& reconciliatio, per vim,& inuoluntariè facta,non valet:vnde si ex præcepto Ecclesiæ compelleretur,non esset condonatio; in necessitate autem nemo censetur liberalis, *l. rem legatam. ff. de adimend.legat.*S.Thom.*add quæst.* 62. *art.* 3. Sotus *dist.*36.*quæst.vnica art.*1.& cum aliis Sanchez *disp.* 14. *num.* 13. Vnde vxor reddens viro adultero ex graui metu, vel ad redimendam vexationem aliquam,vel quia existimabat se ad id teneri,non censetur condonare, quia cùm cesset liberalitas accessus, non censetur sufficiens signum remissionis. Ita etiam Hurtado *sup.n.*13.*in fine.*

11 Censetur etiam innocens condonare tacitè adulterium coniugis, & sibi illum reconciliare, si certò sciens illius adulterium, illum apud se retineat, (idem dic, si cum eo in eadem mensa comedat, & in eodem lecto dormiat, aut si sponte, & scienter familiarem se exhibeat adultero,colludendo, ridendo,& à fortiori si oscula,& amplexus intercederent) Ita Sanchez *lib.*1.*disp.*14.*n.*17.Filliuc. *tom.*1.*tract.*10.*part.*1.*c.*10. *num* 393. Villal.1.*part. tract.*15.*diff.*1. *n.*13. *vers. Otra manera.* Ratio est, quia hæc sunt manifesta amicitiæ signa, quæ etiam in aliis iniuriis significant tacitam remissionem, *ex l. Crimen C.ad l. Iul. de adulter.* & docent citati eum Syl. *verb diuortium,*9 *vers.*5. Hoe autem intellige primò, si innocens est certus de adulterio, secus si tantùm haberet suspicionem. Secundò, quando publicum est adulterium, nam si est occultum retentio est spontanea, sed ex præcepto: imò debet esse ita publicum, vt nulla possit tergiuersatione celari. Tertiò, vt retentio huiusmodi sit in consortio maritali; nam si esset in eadem domo, non verò in eadem mensa,lecto, &c. non censetur condonatio: nec si retineret domi ad vitandum scandalum,quia delictum est occultum;aut si paruo tempore, expectando opportunitatem ad petendum diuortium. Sanchez *sup.n.*17. Quartò, vt hæc condonatio valida sit in vtroque foro, requiritur etiam, quòd innocens aliquid supradictorum faciens habeat animum condonandi adulterium alterius;aliter enim in foro conscientiæ non erit valida condonatio;in foro tamen exteriori præsumitur condonare:colligitur ex Glos. *c.* 1 *verb.potestas* 32. *quæst* 1.Innocentius *c.penult. de adulter* Abbas *c eo n.*7.Sotus *dist.*36 *q.vnica, art.*5. Lopez 1.*part. instruct.c.*295. Filliuc.*sup. n.*394. Villal *loco cit n.*14. & alij apud Sanchez *sup.n.*21. Ratio est, quia nullum est ius,quod decidat esse condonationem, sed quòd videatur esse condonatio,hoc autem tantùm indicat præsumptionem, & confirmatur, quia hæc condonatio tantum habetur factis;facta autem non operantur vltra agentis intentionem; quare innocens si petat debitum ab adultero, vel vtatur aliis signis condonationis, si petat animo non condonandi iniuriam ex adulterio, potest deinde in foro conscientiæ celebrare diuortium, & poterit in iudicio copulam negare, respondendo iuxta mentem iudicis, videlicet, quòd non habuit copulam,quæ sit condonatio, & priuet iure diuortij, vt pluribus Sanchez *supra,* & cum eo Filliuc.*loco cit.*qui *n.*24. consequenter docet, idem dicendum de sponsalibus, quando iis celebratis detegitur aliquod impedimentum sufficiens ad ea dissoluenda, & nihilominus sponsi contineant eandem amicitiam, vt amplexus,oscula,sed non animo condonandi,tunc enim possent dissoluere sponsalia;at si intercedat aliqua iniustitia, poterit hic obligari ad perficiendum sponsalia iuxta damnum illatum,vide Sanch. *loco citat.*Hoc autem pro certo habe, quando coniuxa innocens reconciliauit sibi adulterum,si post reconciliationem iterum adulteretur, habere ius alterum coniugem innocentem ad celebrandum diuortium, propter iniuriam de nouo illatam. Ita Doctores communiter.

12 Septimus casus, in quo non potest fieri diuortium ob alterius adulterium, est, quando ob libellum repudij apud infideles,coniuxa dimissus transit ad secundum matrimonium, hoc enim casu non potest illi obiici pro crimine, quoad effectum diuortij, hoc adulterium,*cap.gaudemus de diuort.*vnde si ambo conuertuntur ad fidem, tenetur vir reducere repudiatam, ex *dict.cap gaudemus.*Ratio est, quia illi putant (etsi falsò) eis licere repudium, & vxor quoad effectum diuortij excusatur ab adulterio propter ignorantiam. Vide plura apud Sanchez *lib.*9.*disp.*5. vide etiam Villalob.1.*part.tractat.*15. *diff.* 1. *num.*15. vbi *num.* 16. aduertit in casibus, in quibus iuxta supradicta non permittitur diuortium non solum procedere de iure Ecclesiastico, sed de iure naturali, & diuino, nam fundantur in compensatione delicti, aut quod non sit formale adulterium, aut quòd fuit condonatum, aut quia alter fuit particeps delicti, quæ omnia sunt conformia iuri naturali, & diuino.

13 Nota, quando fuit reconciliatio ob adulterium vtriusque, si alter relabatur, potest alter diuortium petere: nam prior reconciliatio reduxit matrimonium ad suum pristinum statum,ac si nullum commissum fuisset adulterium,sicque coniuxa postea delinquens fit reus adulterij, & dat causam diuortij,Sotus *dist.*36.*q.vnic.artic.*1.Filliucius *tom.* 1.*tractat.*10.*p.*1.*cap.*10.*num.*376.& cum aliis Sanchez *lib.*10. *disp.* 7. *num.* 1. Quòd si non præcessit reconciliatio, sed alter fuit emendatus, alter verò persistat in peccato, postquam ab alio admonitus est, tunc qui est emendatus, potest diuertere, vt ait Filliuc. & dixi probabile *hoc dub* quia admonitio hæc habet vim reconciliationis, etiamsi alter eam non acceptet: vnde si alter relabatur, perinde est, ac si facta reconciliatione commisisset adulterium, ita Syluest.*verbo matrimon.*9.*q.*46. Nan.*consil.*3.*de diuort.*5. Bonauent.*in* 4. *dist.* 35.*in exposit. litera,* vide Sanchez *lib.*10.*disp.*8.

DVB. III.

Vtrum maritus teneatur dimittere vxorem adulteram, & persistentem in adulterando.

1 Conueniunt Doctores, maritum non teneri dimittere vxorem adulteram, si iam emendata sit, dubium ergo est, quando est pertinax, & perseuerat.

2 Dico ergo, ratione solius adulterij vir non tenetur

tenetur relinquere vxorem, aut facere diuortium, etiamſi vxor perſiſtat in publico adulterio, ita Sanchez *lib.*10.*diſp.*13. Coninch *diſput.*35. *dub.*3. Filliucius *tom.*1 *tract.* 10.*p.* 1. *cap.*10.*n.* 389. Villalob. *part.*1. *tract.* 15.*diff.*2 *num.* 3 Bonacin.*q.*4 *de matrim punct.*5.*num.*13.& communiter DD Ratio eſt primò, quia Chriſtus Dominus per illa verba Matt. 19.*Qui dimiſerit vxorem,&c.* non præcepit diuortium, ſed permiſit, nec alibi reperitur præceptum ad id obligans: ſecundò, quia diuortium eſt inductum in fauorem innocentis, quare poterit cedere iuri ſuo, ſi velit.

3 Dico ſecundò, nec tenetur vir vxorem adulteram dimittere ratione correctionis fraternæ, Sotus *in* 4.*diſtinct.*36.*q vnic.artic.*2.*poſt* 2.*concluſ.*& DD. citati, quia obligationi ſatisfaciet eam admonendo, & moderate, prout poteſt, puniendo. Item, quia vxorem dimittere, eſt medium rigidum, & viro nimis incommodum, ad quod ratione correctionis, non tenetur, quia ſic teneretur cælebs viuere, & domum ſolus regere, & eius infamia manifeſtior fiet, imo, & ipſi vxori hoc medium eſt periculoſius, quia ſi ipſa in domo mariti exiſtens ab ipſo reprehenſa, & punita non emendatur, liberius viuet, ſi dimittatur. Nihilominus tamen ſi ex circumſtantiis conſtaret, dimiſſionem vxoris eſſe vnicum medium ad illius correctioné, teneretur ſub mortali vir ad illius dimiſſionem, ſi abſque inconueniente id facere poſſit, vt docent citati, & dicetur *concl. ſeq.* At quia ex hoc medio rariſſime ſequitur emenda, & alioquin ex dimiſſione vxoris vir patitur damna ſupradicta, vix dari poteſt caſus in quo ob correctionem vir teneatur dimittere vxorem adulteram; ideoque hic caſus videtur metaphyſicus, vt bene Villalob. *ſup n.*4.

4 Dico tertiò, vir innocens tenetur vxorem adulteram dimittere ratione ſcandali, quando ſcilicet imminet ſcandalum, quòd ipſe exiſtimabitur conſcius, conſentiens, & patronus, aut fautor delicti vxoris, ſi cum ipſa inhoneſte viuente cohabitat. Sanch. *lib.*10.*diſp.*13.*n.*10.& communiter DD. & conſtat ex *c.quemadmodum* §.*vlt de iur.c.non ſolum* 28 *q.*1.ideoque vir, vt huic ſcandalo occurrat, tenebitur ſub mortali, dimittere vxorem, ſi nullum aliud medium ſuppetat ad illud ſcandalum obuiandum. Secus tamen ſi alia via occurrere poſſit ſcandalo, Sylu *verb debitum,n.*15. Nauarr *c.*16. *n.* 18. Coninch *ſup.*& cum aliis Bonac. *n.*13. *cit.* Poterit tamen vir vitare ſcandalum, manifeſtando ſibi adulterium diſplicere, reprehendendo vxorem, verberando, &c. Quòd ſi hoc modo non poſſet occurrere ſcandalo ſuſpicionis ipſius patrocinij, tenetur illam dimittere. Hoc autem intellige, modò eam dimittere poſſit abſque ſuo graui incommodo, nam in hoc caſu tenebatur eam ex præcepto charitatis dimittere; at charitas in proximum non obligat cum tanto damno; vnde non tenetur etiam in hoc caſu vxorem dimittere adulteram, etiamſi poſt correctionem noluerit emendari. Primò, ſi timeat periculum proprium ſpirituale, nempe lapſum in peccatum carnis ob ſtimulos, quos patiatur, Sotus *ſup.*Nauarr.*c.*16.*n* 24.Syluest. *debitum q.* 10. & alij. Secundò, ſi timeat damnum ſpirituale vxoris, quia efficeretur deterior dimiſſione. Tertiò, ſi illam retineat, ne ſe vel eam infamet, quia id eſſet graue detrimentum. Quartò, ſi ſit ſpes probabilis fore, vt retenta, & correpta per virum, aut alium emendabitur. Quintò, ſi maritus ita eſſet pauper, aut æger, vt omnino indigeret obſequio, & auxilio vxoris, ſic enim ceſſabit ſcandalum, & interim poterit caueri aliis modis, procurando etiam vt intelligant vicini, ſe retinere talem vxorem inuitam, & ob cauſas iuſtas, ac neceſſarias, ne ſuſpicentur ipſum patrocinari adulterio vxoris. Ita Villalob. *ſup n.*6. Filliuc.*tom.*1.*tractat.*10.*par.*2. *c.*10.*n.* 389.*in fin.*Sanch *ſup.n.*13.& alij.

5 Ex dictis infero cum Sanchez *vbi ſup. diſp.* 13. *num.* 16. dato quòd ambo ſint adulteri, ſed adulterium viri eſt occultum, vxoris verò publicum, taliter, quod daretur ſcandalum, ſi vir non dimitteret vxorem, teneri virum ſeruatis ſupradictis, ad illud vitandum, dimittere vxorem per aliquod tempus, nec ad id obſtat, virum eſſe adulterum, nam non dimittit illam in perpetuum, ſed pro aliquo tempore.

6 Infertur etiam, virum non teneri denegare alimenta vxori adulteræ; nam ex conceſſione horum non oritur ſcandalum, & ex denegatione illorum fieri poteſt ipſa deterior, ſi caret parentibus, aut alia perſona, quæ poſſit illi alimenta præſtare.

7 Dico quartò, vxor non tenetur dimittere virum adulterum perſiſtentem in adulterio: tum quia vxor eſt ſubdita viro, atque ita ſi dimittat, non erit ſpes correctionis, ſed potius peioris malitum, quia ex eo vir tenetur vxorem in adulterio perſiſtentem dimittere, quia ex retentione illius oriri ſolet ſcandalum, quæ ratio ceſſat in vxore reſpectu viri, nam omnibus conſtat, vxorem eſſe zelotypam, nec habere poteſtatem cohibendi viros, vt pluribus Sanchez *loco citato*, & communiter DD. Nihilominus tamen tenetur vxor præcepto correctionis, ſicut cæteri, ſi adeſt ſpes emendæ. Bonacin. *ſupra num.*13.*verſic Hinc patet.* qui cum Sà, & Ledeſma addit rarò teneri vxorem innocentem negare debitum viro adultero, vt ipſum corrigat, quia vt plurimum denegatio debiti erit occaſio maioris mali.

8 Sed quæres an coniux innocens teneatur reconciliare ſibi coniugem adulterum. Reſpondeo negatiue, ita communis cum D.Thom.*in* 4 *diſtinct.* 35.*queſt vnic artic.*4.*ad* 2. *ex cap.admonere* 33. *q.*2. *cap. de benedicto* 32. *q.* 1. Vnde etſi adulter egerit pœnitentiam poteſt ab innocente coniuge accuſari: ſolum enim tenetur ex charitate reconciliare eum, quantum ad animum, & interiorem beneuolentiam, depoſito odio, & praua voluntate, non verò quoad pœnas à iure impoſitas adulteris: vnde ſancti. qui aliquando dicunt virum teneri reconciliare ſibi vxorem adulteram, intelligendi ſunt de debito honeſtatis, & quoad reconciliationem interiorem, iuxta Gloſ. *cap.ſi vir de adulteriis.* Licet tamen coniugi innocenti reconciliare ſibi adulterum reſipiſcentem, & emendatum, vt omnes fatentur, *ex dict. cap. ſi vir de adulter. cap. quod autem, & ſequentib.* 32. *quaſt.* 1. nam cum diuortium ſit conceſſum in fauorem innocentis, poteſt iuri ſuo cedere, & admittere adulterum emendatum, non ſolum ſemel, ſed ſæpè, iuxta illud Matt. 18. *Non dico tibi ſeptios, &c.* hoc autem intellige modò non teneatur adulteram dimittere, iuxta ſuperius dicta. Vide Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 3. Coninch *diſp.*35.*dub.*2.& Bonacin. *queſt.* 4. *de matrim punct.* 5. *num.*16.& 17.

***

D v a.

Dub. IV.

An coniunx innocens possit facere diuortium propria authoritate.

1 Dico primò, quando inuocenr est motaliter certus de adulterio, eo ipso est liber à redditione debiti, & potest ab eo separati quoad torum ante iudicis sententiam, etiamsi adolietium sit occultum, Syloest. *verbo diuertium, q*.8. Sanch. *lib*.10.*disp*.32.*num*.5. & communis cum S. Thom. *in* 4.*dist*.35.*q*. *vnic*. *artic*.3. Ratio est, quia in matrimonio tacite inest conditio, vt seruanti fidem, fides etiam seruetur, & non seruanti, quòd etiam non seruetur: at conditio in pacto apposita, si non seruatur tribuit libertatem pacifcenti recedendi ab obligatione præstita in illo pacto; cum ergo non seruare fidem frangenti illam non sit pœna, sed conditio, ideo ineurritor ante iudicis sententiam: Dixi, *moraliter certus*, nam si solum est dubios de adolterio, non potest negare debitum, quia alter possidet, & in pari causa potior est conditio possidentis, sufficit autem ad moralem certitudinem violentá præsomptio, Villalob. 1.*p*.*tractat*.25.*diff*.3.*num*. 1. Hinc inferunt DD. non teneri innocentem, data certitudine morali adulterij alterius, reddere debitum, etiamsi à iudice compellatur per censuras, quando adulterium est occultum, & illud non potest innocens probare; quia iudex fundatur in falsa præsumptione, ideo non tenetur innocens in conscientia obedire, sed bene in foro externo ratione scandali, at hoc semoto, nec tenebitor obedire quoad habitationem, etiam Hurtado *disp*. 11. *diff*.6.*num*.23.

2 Dico secundo, si adulteriom sit notorium, ita vt nulla possit tergiuersatione celari: *que en ninguna manera se pueda encubrir, come si fuesse la adultera a casa del adultere*, potest innocens propria authoritate facere diuortiom, & separari ab altero quoad torum, & quoad habitationem, vt docent Syluest. *supra*, Sotus *dist*. 30. *quæst*. *vnica*, *artic* 3.*conclus*.2. Filliuc. *supra num*.387. & cum aliis Villalobos *loci citato*, *num*.3. *versic*. *Esta*. & deducitur aperte *ex cap*. *significasti de diuortio*, vbi dicitor: *Si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad recipiendam præfatus vir cogi non poterit*. Et ratio, est, quia huiusmodi notorium æquiualet scientiæ, & remouet omne scandalum; requiritur autem hæc notorietas de iure naturali, quia cum coniunx adulter sit in pacifica possessione, vt ab illa priuetur ab innocente, sibique hæc publica pœna inferatur, æquum est, ita esse notum, vt oculis omnium pateat. Nec obstat quod dicitur *cap*. *porro de diuort*. vbi dicitor: *Etiamsi parentela esset publica, & notoria, absque iudicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit*, nam ibi agitur de dissolutione quoad vinculum matrimonij, propter aliquod impedimentum dirimens: hic autem non de dissolutione quoad vinculum, sed quoad torum, & habitationem tractatur, ideoque in notoriis non requiritur ad id iudicis authoritas, ita citati cum Sanch. *disp*.10.*disputat*.12.*num*.38.

3 Dico tertiò, potest innocens quando adulteriom est moraliter certum, diuertere quoad habitationem etiam in foro conscientiæ propria authoritate, absque iodicis sententia, secluso scandalo, ita Sot. *vbi sup*.§. *circa* 2.*conclus*. Nau. *cap*. 22. *num* 23. Henr. *lib*.11.*cap*.17 *num*.2. Filliuc. *tom*.1. *tract*.10. *p*.1.*c*.10.*n*.386. Villalob. *loco cit*.*n*.4 Hurtad. *vbi sup*. *n*.22. & cum aliis Sanch. *lib*.10. *disp*.12. *n*.31. & ex Canonistis Abb. *c*.*fin de adulter*. *num*.6. & probatur primo, ex *cap*. *dixit Dominus* 32.*q*.1. vbi dicitur: *Vbicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur vxor* vbi verbum, *libere*, denotat non reqoiri sententiam iudicis: intelligendum tamen, vbi est violenta præsumptio, seu suspicio, quæ æquiualeat morali, certitudini. Probatur secundo, quia Matth. 5. & 19. dicitur licitam esse dimissionem, ob fornicationem, nec distinguitur de occulta, nec de notoria. Tertiò, quia in foro conscientiæ licet negare debitum adultero occulto, ergo etiam licebit negare habitationem. Quartò, quia vt ait Hurtado *supra*, nullo iure positiuo prohibetur fieri absque licentia, nam *cap*. *porro de diuort*. iam diximus loqui de separatione quoad vinculum, & *cap*. *porro*, & *cap*. *significasti de conuers*. *coniugatorum*. distinguentia de occulta, & de notoria fornicatione, intelligenda sunt, quoad forum externum, modo vt *infra*, Filliuc. cum Sanch. Nauarr. & Soto *locis citatis*. Procedit hæc conclusio, etiam quando sæuitia dat iustam causam diuertendi, vt contra Basil. *lib*.*cap*. 23. *num*.7. docet Hurtado, imò potest extendi ad omnes casus, in qoibus licet diuertere, nam eadem est in omnibus ratio.

4 Dixi, *secluso scandalo*, quia si hoc sequeretur, non liceret propria authoritate diuertere, vnde si matrimonium esset clandestinum posset propria authoritate, qoia cessat scandalum: cessaret etiam scandalum, etiam quando matrimonium est publicum, & adulteriom secretum, si vir migraret in Prouinciam, vbi matrimonium ignoratur. Dixi, *in foro conscientiæ*, nam in foro externo, seu iudiciali non permittitur dimissio facta propria authoritate, ideoque si adulter petat, vt restituatur ad habitationem, restituendus, & non admittetur exceptio innocentis ob adulterium occultum, donec coniunx dimissus non restituatur, quia restitutione facta, agetor de exceptione, & si in probatione defecerit innocens, cogetur perseuerare in matrimonio, de qoa re fuse Sanchez *disp*.22. *à num*. 14. Quod si adulterium sit notorium, non fiet restitutio, vt constat *ex cap*. *significasti de diuortio*, bene si est occultom, quamuis statim offeratur probatio parata, vt bene Couarr. 4. *decretal*. 2.*p*.*c*.7. §.5. & cum eo Hurtad. *sup* *n*.25.

5 Ex hac conclusione sequitur, licere innocenti in foro conscientiæ, negare adulteræ alimenta, & priuare omnibus, quæ vt maritus debet vxori præstare, de quo Sanch. *lib*.10 *disp*.8.*n*.25.

6 Sequitur etiam, omnia quæ dicta sont de viro respectu mulieris adulteræ, intelligenda esse de vxore innocente respectu viri adulteri, nam vt sæpè dictum est, qooad hoc sunt partes.

7 Sed quæres, qualis notitia reqoiratur, vt innocens possit in conscientia diuertere. Respondeo, requiri notitiam certam moraliter; quòd requiratur certa moraliter patet, quia in dubio non potest coniunx priuari sua possessione: quod sufficiat, quòd moraliter sit certa, patet, quia scientia physica per visum non est necessaria, eo quòd hæc in hac re difficillimum sit haberi, vnde sufficit moraliter, per ea indicia, quæ in foro externo sufficerent ad probationem: hinc est, quòd non sufficiat quæcumque suspicio, sed saltem debet esse violenta, qualis esset, *ex cap*. *literis de præsumpt*. si solus cum sola, præsertim nuda, in eodem lecto visus sit: item in locis secretis, latebris commodis, & horis electis, vel similer. Ex solis autem osculis, amplexibus, &c. si alia adminicula non concurrant, non fit suspicio violenta, *ex cap*. *sollicitatores de pœn*.*d*.1.

& l.1.ff.de extraordinar. in crim. multò minus sufficiunt xenia, & verba amatoria: satis autem esset confessio adulterij, de quo pluta Sanch. *lib.* 10. *disp.*12. *à num.* 40.

DVB. V.

In quo aliqua de diuortio propter adulterium resoluuntur.

1 QVæres primò, vtrum adulter facto diuortio habeat actionem repetendi innocentem, qui lapsus est in adulterium post diuortium, seu an detur tunc compensatio vnius adulterij cum altero.

Dixi *si innocens post sententiam adulteretur*, nam si id contingat ante sententiam diuortij, iam dictum est *dub.*2.*casu* 1. dari compensationem, quæstio ergo procedit si innocens committat adulterium post latam sententiam diuortij, D. Bonau. *in dist.*35.*artic vnic quæst.*5. Couartu.4. *decret.*2.*p.c.*7. *§.*6.*num* 5. Nauarr. *consil.* 1. *de diuort. lib.* 4. & alij, apud Sanch. *lib* 10.*disput* 9.*num.*27. quos sequitur Villalob. 1 *tractat.*15.*diff.*5.*num.*4. existimant tunc habere adulterum ius repetendi vxorem, quæ post sententiam diuortij adulterata est, quia tunc compensantur delicta: & quia adulter per sententiam solum amisit ius, dum alter manet innocens, & non adulterator D. autem Thom. *in* 4 *distinct.*35. *quæst.vnic.artic.*6 *ad* 4. Sotus *dist* 36.*q vnic. artic.* 6.*ad* 1. Henriq *lib.*11.*c.*17.*n.*3. Sanch. *sup.n.*30. Filliuc. *tom.*1. *tract.*10.*p.*1.*c.*5. *n.* 377. & cum Bonac. *q.*4. *de matrimon. punct.*5. *num.* 19. docent in hoc casu non dari compensationem, nec habere adulterum ius ad repetendum eum, qui post sententiam diuortij lapsus est in adulterium: probatur primò, quia res iam transit in iudicatum, nec est retractandum, quod semel bene fuit definitum, *c. quod bene* 6.*q.*4. Secundò, quia sententia diuortij non fertur sub conditione in fauorem rei, sed absolutè fertur in ipsius odium. Tertiò, quia sententia diuortij absoluit innocentem à debito societatis coniugalis, soluitque matrimonium quoad ius tori, & habitationis, manente vinculo: vnde si innocens postea fornicetur, erit reus adulterij in ordine ad Deum, non tamen peccabit aduersus coniugem dimissum, nec illi iniuriam infert, quia per sententiam est priuatus iure in corpus alterius. Nihilominus tamen addunt Doctores huius sententiæ, posse iudicem, ex officio suo eos reconciliare, & cogere ad reconciliationem ad vitanda pericula incontinentiæ; nam sententia diuortij non abstulit ius superiori, & quia delictum superueniens præiudicat rei iudicatæ ad animæ salutem. Imo tenetur id facere Prælatus tanquam Pastor animarum, quando adest scandalum, & manifestum periculum incontinentiæ. Gloss. *in cap. Apostolus, verb. vero* 32.*q* 2. Abb. *cap. fin de diuort. num.*5. Syluest. *diuo tium. q.vlt.* Sotus, Filliuc. & Bonac. & alij citati pro hac sententia, quam reputo probabiliorem ob rationes dictas, modo explicato.

2 Sequitur ex dictis, fornicantem post diuortij sententiam, non teneri admittere alterum à se dimissum, donec per Ecclesiam compellatur. Secundò, nec teneri fateri crimen coram iudice, nisi iuridice interrogatus, quòd si tunc neget, & falsis testibus se defendat, non propterea tenetur redire in foro conscientiæ, vt pluribus Sanch *lib.*10. *disp.*8. *num.* 14. Tertiò, si coniux innocens mutauerit statum, quia professus est, aut initiatus Ordine sacro, & postea fornicatur, non potest teddi adultero relicto, neque officio iudicis, quia iam Monasterio est ius acquisitum, quod non debet amittere ob delictum Monachi, Gloss. *in cap. veniens, verbo sponte, de conuers. coniug.* Idem dico, si post sententiam & ante professionem fornicatus sit, vt pluribus Sanchez *disp.* 9.*n.*33. Idem etiam dicendum, si suscepto Ordine sacro innocens fornicatus fuerit, Villalob. *sup.n.*6. cum Sanchez *loco citat. n.*34. qui *n.*37. resoluit, quando vir ob adulterium vxoris acquisiuit illius dotem per sententiam, & postea vir fornicetur, non recuperare vxorem dotem amissam, sed tantùm ex officio posse iudicem reconciliare coniuges.

3 Hæc autem quæ dicta sunt, procedunt, tam in viro, quam in vxore, quia in hoc sunt pares.

4 Quæres secundò, an detur mutua compensatio in adulterio quantum ad accusationem, & pœnas ciuiles, ac criminales: de iis, quæ spectant ad hanc quæstionem, latè Sanchez *lib.*9 *disp* 8 *quæst.* 1.2.& 3. vide ibi, quia magis ad forum externum, quàm internum spectant, vbi etiam agit de pœnis ciuilibus, & criminalibus adulteris impositis, vide etiam leges tuæ Prouinciæ, & in nostro Regno Valentino, *titul. de adulter. & titul sine rubrica, si nupserit virgo, for.*3.*&* 4. vbi vxor adultera punitur amissione dotis, & omnium, quæ ei obueniunt ratione mariti. Quid autem circa hoc dispositum sit in Regno Castellæ, vide Villalob. 1. *p. tract.*15.*diff.*5.*n.*1.*&.*2.

5 Quæres tertiò, an innocens possit cogere adulterum ad reconciliationem. Respondeo affirmatiuè, modò statum alter non mutauerit. Probatur, quia innocens per sententiam diuortij non est priuatus iure in corpus alterius, alioquin sententia data potius prodesset reo, quàm obesset: & confirmatur, quia solus adulter damnatus est, ergo remanet innocenti ius illæsum, & integrum, Gloss. *ex cap literis, verbo redire de diuortio.* ibi Abb. *in fine*, Sylnest. *verbo diuortium, quæst* 10. Filliuc. *tom.* 1 *tractat.*10 *part.*1.*cap.*5.*num.*384. & Sanch *lib.*10. *disputat.* 10 *num.* 3. Nec necesse est ad hoc, vt iudex retractet sententiam, nam fuit data in fauorem innocentis; quare vt licitè possit eo vti, satis est velle eo fauore vti: ita etiam Hurtad. *disp.* 11 *diff* 8.*num.*16. & Villalob. 1.*p.tract.* 15. *diff.* 7. *num.*1.

6 Dixi, *modo alter non mutauerit statum*, nam si alterius status mutatus est, vt si innocens iam professus est, vel initiatus Ordine sacro, tunc hic non habet ius ad reconciliandum adulterum, quia per assumptionem status immutabilis abdicauit à se ius matrimonij: vnde adulter tunc poterit profiteri, si velit; non verò si innocens tantum votum castitatis emiserit, aut tantum minores susceperit: si verò adulter velit Religionem ingredi, sine ante latam sententiam, siue post, non potest, inuito innocente, quia vt dictum est, innocens ob sententiam non est priuatus iure suo in corpus alterius: vnde si ingrediatur, poterit reuocari, etiam post professionem: patet, quia cum teneatur illi reconciliari, si id petat innocens, ideo non potest profiteri in alterius præiudicium, Gloss. *in dict. c. ex literis de diuort. verb. redire*, Syluest. *diuortium quæst.*10. Sanchez *disput.*10.*num.*12. & alij. Veruntamen quoad hoc, vt possit adulter ingredi Religionem, facto diuortio, sufficeret interpretatiua, seu tacita licentia innocentis, vt si innocens sciat, adulterum post diuortij sententiam velle ingredi Religionem, nec contradicat. Item, si lata sententia innocens monitus nolit sibi adulterum reconciliare: in iis casibus poterit adulter mutare statum

ftatnm profitendu, nec poterit deinde reuocari. Ita Sanchez *supra num.* 14. Villalobos *loco citato n.6.* Bonacin. *quæst.4.de matrimonio puncto 5. num.* 23. & Filliucius *supra num.* 382. vbi docet, non censeri tacitam licentiam, eo quòd innocens persistat in sententia diuortij; non enim tunc præsumitur innocens velle dare alteri facultatem, ideò non est innocens priuandus iure suo absque ipsius licentia. Adde, quando facto diuortio coniux adulter de licentia innocentis ingressus est Religionem, aut suscepit Ordines sacros, non teneri innocentem in sæculo manentem, ingredi Religionem, aut votum castitatis emittere. Similiter quando innocens, facto diuortio, ingreditur Religionem, aut sacris initiatur, adulter manens in sæculo non tenetur ingredi Religionem, nec emittere votum castitatis, nam id nullo iure cauetur, nam *cap. sane*, & *cap. significasti de conuers.* tantum loquuntur, quando matrimonium est integrum, & illæsum, non verò quando factum est diuortium.

7 Quæres quartò, an innocens possit adultero inuito transire ad Religionem, vel Ordines sacros suscipere.

8 Respondeo, & dico primò, post latam sententiam diuortij potest innocens transire ad Religionem, est certum, & commune, *cap. constitutus, cap. veniens de conuers. coniug.* & *cap. Agatosa* 37. *q.2.* quia adulter ob adulterium amisit ius, quod habebat in corpus alterius innocentis: quo in casu non est necesse, vt adulter ingrediatur Religionem, vt dictum est *q.3. in fin.* A fortiori ob eandem rationem innocens poterit emittere votum castitatis, inuito adultero, vide Sanch. *lib.10.disp.* 12. *num.2.*

9 Dico secundò, ante sententiam iudicis, si diuortium est notorium, vt quando constat publicè habitasse cum adultero, potest innocens ingredi Religionem, Sanchez *supra num* 10. Filliuc. *num.* 383. Villalobos *loco citato*, & alij, quia si adulterium est notorium, fieri potest diuortium propria authoritate, vt dictum est, absque periculo restitutionis. Ratione tamen scandali, aut detrimenti Religionis, aut Ordinis sacri, quam etiam suscipere tunc posset, regulariter debet præcedere sententia iudicis, alioquin petens Ordinem, vel Religionem debet fateri veritatem, scilicet se esse coniugatum, vt cum Nauarr. & aliis docet Sanch. *supra num.* 12. quòd si taceret, se esse coniugatum valeret nihilominus professio, nisi esset aliquod statutum in Religione irritans talem professionem quod etiam verum est in casu, quo innocens ob adulterium occultum diuortium celebrasset, & professionem emisisset, nisi enim sit statutum irritans, valeret etiam tunc professio, vt pluribus Sanchez *num.* 14. & cum eo Filliuc. *supra num.* 383. *in fin.* Aduertendum tamen, etsi valida sit professio innocentis inuito adultero, etiam occulto, vt tenent Sanchez, & Filliuc. *supra*, & Hurtado *disp.* 11. *diff.8 num.* 25. consulendum tamen est, ne id fiat, etiamsi adulterium sit notum, nisi sit lata sententia diuortij, vt bene Villalob. *tract.15. diff.7. num.* 4. quia si vxor innocens petit virum adulterum, est à iudice restituendus, quod cedit in detrimentum Ordinis, & Religionis.

10 Dico tertiò, innocens potest inuito adultero, eodem modo promoueri ad Ordines, quo diximus posse ingredi Religionem, ita DD. citati. Ratio est, quia coniux adulter, priuatus est omni iure, ideoque licebit alteri profiteri, aut sacris initiari. Ita fere communis apud Sanchez *lib.10.disp.* 11. *num.* 16. quo in casu vxor adultera in sæculo relicta non obligatur ad vouendam continentiam, ex *cap. coniugatus de conuers. coniug.* vel mortuo coniuge abstinere à Secundis nuptiis; nam hæc intelligenda sunt, quando de ipsius licentia, matrimonio integro, & illæso, vir sacros suscipit Ordines: oppositum, tamen tenent Hostiens. Innocent. Gutierr. & aliqui apud Sanchez, & Villalob. *vbi supra*, fundantur, quia in *cap. constitutus, de conuers. coning.* dicitur cuidam initiato Ordine sacro absque vxoris licentia conscientia remordisse, huic respondent DD. pro prima, & vera sententia, vanum fuisse scrupulum, vide Sanchez *sup.* Filliuc. *tom.1. tract.10.p.1. cap.19 num.*384. & Villalobos 2.*part.tract.15. diff.* 6. *num.3.* vbi proponunt, & soluunt argumenta oppositæ sententiæ: debet tamen innocens, vt licitè possit sacris initiari, seruare ea, quæ ad Religionem ingrediendam seruanda esse diximus *quæst.hac dicto* 2.

11 An liceat coniugi innocenti transire ad Religionem, vel Ordines sacros, quando fit diuortium ob alia crimina ab adulterio, vide infra, vbi de illis agemus.

Dvb. II.

An liceat diuortium facere ob crimen hæresis, & apostasiæ.

1 Svppone tanquam de fide, licere diuortium ob alias iustas causas distinctas à fornicatione carnali, seu adulterio, ita definitum est à Trident. *sess.* 24. *de matrimon. Can.* 8. ibi: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas, separationes inter coniuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Nec obstant illa verba Christi Matth.19. *excepta fornicationis causa.* Nam Christus assignauit causam petitam ex ipsa natura, & ratione coniugij, quo pacto illa sola est: at possunt esse aliæ causæ ratione personarum, quæ sint perniciosæ alteri coniugi, vt est hæresis, & aliæ, de quibus infra: secundo responderi potest, illa verba Christi verificanda esse pro illo tempore, quo dicta fuerunt, quia tunc non erat licitum dimittere vxorem inuitam ob aliam causam ab adulterio, quia ad id nullum ius positiuum extabat: ideo tunc solum licebat dimittere ob adulterium. Villalobos 1.*p tract.15.diff.8.n.2.* vide Bellarm. *lib.1. de matrim c.14.*

2 Dico primò, hæresis, vel apostasia est vna ex causis, ob quas licitum est diuortium: est communis omnium ex Sanch. *lib.10.disput.15.num.3.* Patet ex *cap. fin. de conuers. coniug. cap. quanto de diuort cap. non solum, cap. idololatria* 28. *quæst.1.* & nouissime ex Trident. Fundatur in periculo peruersionis coniugis Catholici, vt dicitur in *c.* 2. *de diuort.* neque necesse est periculum esse imminens, semper censetur periculum sufficiens, eo quòd hæresis, vt cancer serpit, Sotus *dist.37.q. vnic.artic.4.* & alij: licitum autem est diuortium hoc, non modò quoad mutua obsequia, & habitationem, sed etiam quoad reddendum debitum, vt colligunt DD. ex *c.2.de diuort.* Imò non solum licet, sed etiam tenetur coniunx innocens diuertere, nisi velit alter resipiscere, potest autem Catholicus diuertere tunc propria authoritate, vt ex aliis docet Filliuc. *sup. n* 396. *in fin.* licet autem Catholico diuertere iure naturali, nam ius naturale concedit ius vitandi periculum animæ: tum etiam iure Ecclesiastico, à quo datur facultas Catholico, post latam sententiam

sententiam non redeundi, etiamsi hæreticus emendatus sit, quod potuit facere in pœnam delicti, etiamsi cesset periculum.

3 Dico secundò, si hæreticus resipiscat ante sententiam iudicis, tenetur Catholicus cum eo reconciliari, vt pluribus, Sanch. *l.* 10. *disp.* 15. *n.* 9. quia cessat periculum, non tamen tenetur post sententiam illum admittere, & hoc in pœnam iuste ab Ecclesia illatam, ob criminis grauitatem; ita etiam & communiter Doctores. Hinc patet differentia inter fornicationem, seu adulterium, & inter fornicationem spiritualem, seu hæresim; quia in adulterio ad diuortium satis est vnus actus, nec oportet expectare correctionem; at in spirituali, seu hæresi non sat est vnus actus, si coniunx est corrigi paratus. Secundò, quia in carnali non tenetur innocens admittere adulterum, quamuis pœnitentem, in spirituali verò tenetur, si nondum sententia est lata, Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 396. & 397. Villalob. *sup. n.* 5. & 4. & alij. Libertum tamen est Catholico, si velit, post sententiam reuerti hæreticum sit sit correctus, sicut diximus in adulterio, vt autem Catholicus possit diuertere, satis est, coniugem alterum declarari per sententiam esse hæreticum, nam hoc diuortium est in pœnam, quæ statim habet locum post declarationem, Fil. *sup. n.* 398. vide de iis Sanch. *lib.* 10. *disp.* 15.

4 Dico tertiò, quando coniuges iudicio Ecclesiæ sunt ob hæresim separati, coniunx Catholicus potest ingredi Religionem, *c. fin. de conuers. coniug.* quamuis hæreticus sit emendatus; quia post sententiam latam innocens est in perpetuum solutus à toro, & cohabitatione cum illo hæretico: potest etiam Catholicus ob eandem rationem post latam sententiam manere in sæculo, & sacris initiari, vt dictum est de adulterio, & tanquam probabilius docent Conatt. 4. *decretal.* 2. *p.* 2. 7. § 5. *num.* 5. Sanchez *lib.* 10. *disput.* 15 *num.* 19. Hurtado *disp.* 11. *diff.* 8. *num.* 27. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 15. *diff.* 8. *num.* 6. contra Henriquez, & aliquos apud Villalobos *sup. n.* 7. Sed nostra sententia expresse colligitur ex *c. de illa de diuort.* ibi: *Si vero iudicio Ecclesia ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* & ex *c. fin. de hæretic. in* 6. vbi Catholicus coniunx absoluitur ab omni obsequio, & cohabitatione cum coniuge hæretico: ipse autem coniunx hæreticus, etiam post sententiam diuortij, non potest mutare statum ingrediendo Religionem, aut suscipiendo Ordines sacros, multo innocente: benè verò de ipsius licentia, vt diximus de adultero respectu innocentis, & docent Sanch *sup. num.* 26. Villalob. *n.* 8. Filliuc. *n.* 398. *in fin.*

5 Dico quartò, coniunx Catholicus per copulam habitam cum hæretico ante sententiam non censetur condonare hæretico coniugi ius diuertendi, quia Catholicus ante sententiam non habuit ius separandi se ab alio in perpetuum, sed ad aliquod tempus, & hoc ad euitandum periculum, hoc autem Catholicus ob hanc causam non potest condonare; si autem copula sit post sententiam, tunc est condonatio, nisi animus esset non condonandi, aut nisi condonaret, credens se teneri ad condonandum, quia nihil magis contrarium voluntati, quàm error, de quo pluribus Sanchez *supra l.* 10. *disput.* 15. *num.* 26.

6 Sed dicos, an detur compensatio in adulterio spirituali. Respondeo, si vterque incidit in hæresim, non datur compensatio, nam qui non est damnatus de hæresi, potest diuertere à damnato, & reconciliari cum eo; qui autem damnatus est, non potest à non damnato recedere, nisi ad tempus, dum non conuertitur, & tenetur redire ad emendatum, donec condemnetur: post sententiam autem vterque potest diuertere altero inuito, donec mutuo consensu ambo reconcilientur. Nec potest fieri compensatio adulterij cum hæresi, quia hæresis ante sententiam non est sufficiens causa diuortij, nisi ad tempus, dum videlicet hæreticus non resipiscit, postquam autem est emendatus, tenetur illum adulter, recipere. Quare hæreticus ante sententiam potest diuertere ab adultero, adulter vero non ab illo, nisi ad tempus. Quòd si loquamur de heretico post sententiam, Syluest. *verb. diuortium q.* 11. § 14 & Canonistæ *in c. fin. de conuers. coniug.* tenent posse fieri compensationem hæresis cum adulterio; verius tamen videtur, hæreticum non posse vti adulterio pro compensatione, quia hæretico diuortium est in pœnam hæresis, at adulterium alterius non tollit pœnam hæretici: sunt enim distinctæ causæ diuortij, & hæresis, nam si adulter vult separari ab hæretico, is non potest adulteræ obiicere adulterium, quia est priuatus in pœnam hæresis: si autem hæreticus condemnatus, & gremio Ecclesiæ restitutus vult à Catholico diuerti propter adulterium, non potest innocens obiicere pœnam diuortij, quam incurrit ob hæresim, nam pœna hæretici non tollit pœnam adulterij, vt pluribus Sanchez *lib* 10. *disp.* 19. & cum eo Villalob. *t. p tractat* 15. *diff.* 9. & Filliu. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 10 *num* 399.

DVB. VII.

An liceat diuertere ob alia crimina.

1 Dico primò, quando alter coniunx inducit alterum ad peccandum, aut quando nequit habitare cum illo sine graui animæ periculo, potest durante periculo, ab altero separari. S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *qu. st vnic art.* 6 *ad* 3. & communiter DD. quia iure naturæ cuique licet cauere periculum, tam corporis, quam animæ: & confirmatur, quia licet diuertere à coniuge leproso, si timeatur infectio corporis, ergo multò magis si timeatur infectio animæ. Nec obstat *cap de diuort.* vbi tantum id videtur concedi in diuortio ob hæresim, quia textus ille solum videtur attendisse ad id, quod regulariter contingit inter coniuges, quisque enim magis inclinatur ad trahendum alium in suam sectam, & multò magis coniugem; quod non contingit in aliis vitiis, Syluest. *diuort. q.* 1. & 6. Nauarr. *c.* 22 *num.* 22. Soros *dist.* 39. *q. vnic. art.* 4. cum aliis Sanchez *lib.* 10. *disp.* 17. *n.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 10 *n* 401. & alij.

2 Hinc patet, esse iustam causam diuertendi, crimina sequentia: primum, si vir sit leno suæ vxoris: secundùm, si vir admittat domi viros, qui eo absente ipsam vxorem solicitent: tertium, si alter habitare nolit, nisi alter latrocinium exerceat: quartum, si vir alimenta subministrat ex rebus furto ablatis, & similia: in his ergo casibus potest innocens coniunx separari ab altero, ad quod non requiritur sententia iudicis, ex *c. idololatria* 28 *q.* 1. hæc autem separatio, seu diuortium non est perpetuum, sed tantum ad tempus, dum scilicet durat inductio ad peccandum, quia tantum ob periculum excusatur coniunx à cohabitatione cum altero, proinde eo periculo cessante reuerti debet ad cohabitationem, ita Hurtado *disp.* 11. *diff.* 5. *n.* 19. DD. citati, & alij communiter. Circa inductionem autem ad peccandum aduerte, non requiri,

quod

quod peccator per vim inducat ad peccandum, sed sufficit, quòd moraliter, & absque vi inducat, & quòd aliter ob fragilitatem timeat, casum, Villalob. *1. p. tract. 15 diff.* 10. *num.* 1.

3 Dico secundò, excepto crimine adulterij, & hæresis, de quibus supra, quantumuis vir sit valde vitiis deditus, & implicatus, si conatur alterum peruertere, & ad peccandum inducere, innocens non potest à deprauato peccatore diuerti, est commune. Licitū, nisi sit spes probabilis, vt mulier vitiis aliis à prædictis implicita corrigeretur, si vir decedat ad tempus à consortio maritali, tunc posset recedere, imò teneretur ob correctionem fraternam. Idemque ex charitate posset facere vxor respectu viri vitiosi, existente spe probabili conuersionis eius, & non magno incommodo suo, licet regulariter maior obligatio sit in viro respectu vxoris, quam è contra Filliuc. *sup. n.* 400. Villalob. *loco cit. diff.* 10. *n.* 4.

D v b. v l t.

An liceat diuortium ob sæuitiam.

1 Dico primò, quando sæuitia coniugis tanta est; vt absque graui periculo non possit, cum eo habitare, donec detur cautio sufficiens securitatis, est sufficiens causa ad diuortium faciendum, ita definitum est *cap. literas de restitut. spoliat. & cap. ex transmissa eod.* & docent Sanch. *lib.* 10. *disput.* 18. Filliuc. *tom.* 1. *tractat.* 10. *p.* 1. *cap.* 10. *num.* 402. Villalob. *tom.* 1 *tractat.* 15. *diff.* 11. *n.* 1. & cum aliis Bonæc. *q.* 4. *de matrim. punct.* 5. *num.* 15. & DD. communiter. Quod verum est, vt iidem DD. docent. Primò, etiamsi alter coniux causam dederit sæuitiæ in altero, vt si vxor adulterium commisisset, ob quod velit vir eam veneno necare, vel alio modo: tunc enim liceret diuertere, quia coniux, propria authoritate, etiam tunc nequit iuste tantùm malum inferre, etiam ob grauissimam culpam. Secundò, æquè militat in viro respectu vxoris, & vxoris respectu viri, quando vir non posset cauere ab insidiis vxoris, Syluest. *verb. diuortium. q.* 6. & cum aliis Sanch. *sup. n.* 8. in casu ergo, quo licet diuortium ob sæuitiam, non facienda est ante omnia restitutio coniugis, qui ob eam diuertit, quia posset illi sequi damnum irreparabile: est tamen sæuitia incontinenti probanda, alioqui restituetur alteri coniugi: at si periculum sit in mora, & non esset facilis aditus ad iudices, licebit propria authoritate discedere, nisi detur ab altero cautio sufficiens, vide Sanch. *vbi sup.*

2 Dico secundò, malum, quod ob sæuitiam timetur, debet esse graue, cuius metus cadat in virum constantem, ita citati, & communiter DD. Ratio est, quia diuortium est res grauis, ideo requirit timorem rei grauis, vel grauem metum mali inferendi, non enim in iure habetur ratio timoris leuis. Sufficiunt ergo primo ad hoc diuortium, non solum periculum vitæ, sed etiam molesta cohabitatio, graues discordiæ, & frequentia iurgia. Secundò, minæ non sunt satis, nisi solitus sit eas exequi. Tertiò, non est satis verberatio, si leuis sit, siue fiat cum causa, siue sine illa: si autem esset grauis, & sine causa, sufficeret, minimè verò si cum causa, & sit moderata, & domestica ad correctionem, non acris, & condigna delicto, hæc enim non ad virum, sed ad iudicem spectat. Quartò, nec sufficeret actis verberatio præterita, præsertim ex insolita ira facta, nisi timeretur probabiliter alia futura. Quintò sufficit, coniugem esse actem, & excedentem limites mariti concessos; vnde non semper est necesse, adesse periculum mortis. Sextò esset iusta causa diuertendi, si vir extorqueret vi debitum, in casu quo vxor non tenetur, vt ob infirmitatem; at si causa esset leuis, haber maritus ius ad exigendum: denique fatur non dat iustam causam diuertendi, si absque graui periculo cohabitare potest: secus quando graue periculum instatet. Idem dic de ebrietate in alterutro, vt pluribus Sanch. *lib.* 10. *disput.* 18. *n.* 18. & cum eo Filliuc. *loco cit. n.* 403. & Villalob. *sup. n.* 3.

3 Dico tertiò, timor futuræ sæuitiæ, & malæ tractationis satis esse posset ad diuertendum, & petendam cautionem securitatis. Couarr. *de matrim. p.* 1. *cap.* 7. §. 5. *n.* 2. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 54. Filliuc. *sup. n.* 404. & cum aliis Sanch. *loco cit. n.* 20. quia tunc potest imminere periculum grauis mali, cuius metus cadit in constantem virum. Vnde sufficit ad diuertendum præter adulterium: primò, si vir domi teneat concubinam, quia concubina solet insidiari vitæ vxoris, & est causa discordiæ: idem dic, si eam extra domum habet, si attentis circunstantiis immineat idem periculum, vt bene cum Villalob. *sup. n.* 4. Secundò, potest vxor fugere, quando vir est fur, & ipsa timet, iudicem eam capturum, existimantem ipsam esse complicem. Quartò sat est, si vir aliis sceleribus deditus sit, ex quibus immineat damnum vxori, aut si tentauit vxorem occidere, Sanchez *supra num.* 22. & alij. Item, è contra, si vxor est venefica, liberorum interfectrix aut deprædans viri facultates. Denique parentum sæuitia, cuius coniux in culpa esset; quia videlicet eos retineat domi, satis esset ad diuertendum, & petendam cautionem, vt colligitur *ex cap. literas cap. transmissa de restit. spoliat.* ibi: *Vel parentes eius*, & ibi Abb. *num.* 4. & alij, ita *loco cit.* vide Sanchez *dict. disp.* 18.

4 Dico quartò, coniux timens periculum sæuitiæ, modo explicato *sup.* potest propria authoritate discedere à domo, aut ab ea alterum eiicere, vt docent Sanchez *lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 5. Villalob. 1. *p. tract.* 15. *diff.* 11. *num* 6. & aliis, modò tamen periculum graue sit, nec possit facilè ab eo liberari, aut ad iudicem recurrere, aliter non liceret, quia sequeretur scandalum.

5 Nota, quando vir non inuenit vxorem virginem, & timet ipse vir, quòd eam interficiet: aut suspicatur eam esse adulteram, non sat est ad diuortium, potest tamen ad tempus ab ea discedere: *mientras se le passa la colera*, at si re circunspecta existimat; se non posse continere, quin eam occidat, poterit ab ea discedere, eredendum enim est malle ipsum virum discedere, quam vt illam interficiat. Villalobos *sup.* cum Nauarr. *consil.* 2. *n.* 5. *de diuort.*

6 Dico quintò, cautio securitatis, quam vxori debet vir præstare ratione sæuitiæ, debet esse sufficiens secundum iuris dispositionem, *cap. literas, cap. transmissa, de restitut. spoliat.* & censetur sufficiens, quando exhibet pignora, aut fideiussorem his autem deficientibus, sufficiet iuramentum, nam facilè potest experiri, si illud seruabit, an non, & nemo potest obligari ad impossibile: imò etsi aliam cautionem præstare posset, sufficeret solum iuramentum, modò vir esset aliàs bonæ, & timoratæ conscientiæ, quod arbitrio iudicis est relinquendum, vt bene Sanch videndus *lib.* 10. *disp.* 18 *à n.* 34.

7 Dico sextò, si diuortium ob sæuitiam sit absolutum, & perpetuum, licet coniugi sano, & innocenti transire ad Religionem, vel ad Ordinem sacrum, quia eadem est ratio, quæ in adulterio, & hæresi,

hæresi, Sanchez *lib.*10.*disp.*18.*num.* 48 & Filliuc. *supra n.* 406. quod non admittit Villalob. *sup.n.*9. existimat enim, hoc diuortium non posse esse perpetuum; at dato quòd per iustam sententiam iudicis, omnibus bene perpensis, iudicetur hæc causa perpetua, & absolutè pronuntietur diuortium, non video cur non sit perpetuum, & cur non possit innocens transire ad Religionem; vel Ordinem sacrum, vt docet etiam Nauarr. *c.* 12. *num.*22. si verò non sit perpetuum, sed temporale, quale communiter esse solet, tunc talis transitus non licet; vnde si sanus possit habitare cum alio, certum est, non posse transire ad Religionem; idem si speratur, vt coniux furens redeat ad sanitatem, vel reuus ad pristinum statum. Nauarr. *consil.*5. *de diuort* Henriq. *lib.*12.*capitul.*15.*num.*10.& Sanchez videndus *lib.*10.*disp.* 18. *q.*3 *à num.* 47. Quòd si postquam diuortium per sententiam est celebratum, & coniunx sanus, seu innocens professus est Religionem, vel suscepit Ordines, contingeret, vt coniunx furens, vel sæuus rediret ad pristinam sanitatem, non est reuocandus professus, quia rite antea celebratum fuit diuortium per sententiam, vt supponimus, Filliuc. *supr.* & alij.

7 Quando verò extra diuortium liceat coniugatis ingredi Religionem, vel sacris initiari diximus *c.*8*dub.*6 vbi de impedimentis voti, & *dub.*13. vbi de impedimento Ordinis.

8 Sed quæres, an coniuges possint mutuo consensu diuortium facere. Respondeo certum esse, ex mutuo consensu posse separari toto, siue ad tempus, siue in perpetuum (nisi eis ex separatione periculum incontinentiæ imminet, & ei aliter occurri non possit) quia nullo iure prohibentur, id facere: imò possunt continentiam vouere, quamuis neuter Religionem ingrediatur: patent hæc omnia ex dictis sæpè in hac materia. Nihilominus tamen ob periculum incontinentiæ, quod ex mutua cohabitatione eis potest imminere, non expedit id vouere, nisi post maturam deliberationem, & longam experientiam, qua experti sint, posse absque notabili periculo, ita viuere. Possunt etiam coniuges, saluo scandalo, & periculo incontinentiæ, ex mutuo consensu, viuere separatos quoad torum, & cohabitationem, vt nonnullos sanctos coniuges vixisse refertur, quia ad neutrum tenentur iure aliquo naturali, aut positiuo, Hurtado *disp.*11.*diff.*9. *num.*28.& 30.*fin.*

9 Quæres secundò, apud quem debeant filij, facto diuortio, educari, & cuius expensis. Respondeo, de iure communi Cæsareo, prolem esse educandam apud innocentem, Authent *vt liceat*, §.*illud.collat.*8. vnde sumitur Authent. *si pater*, *Cod.de diuort. fact.* excipe nisi pater esset infidelis, tunc apud fidelem, etiamsi in culpa fuerit, educandi sunt. Item, si mulier transeat ad secundas nuptias, tunc enim apud patrem, etiam si in culpa fuerit, educandi erunt. Tertiò, si mater causam diuortij dedit, & ipsa est locuples, & pater est pauper, apud matrem sunt educandi, Sanch. videndus *l.*10 *disp.*21. Filliuc. *tom.*1. *tract* 10 *part.*1.*c.*10. *n.*407. Quoad expensas dico, si diuortium factum est culpa patris, debent apud matrem educari expensis patris, siue filij sint maiores, & adulti, aut minores triennio. Authent. cit. si culpa matris, tunc apud patrem expensis matris Sanch. cum aliis *sup. n.* 6. aduertit Villalob. 1. *par.tract.*15.*diff* 12.*n.*1. eum, qui est in culpa, non teneri ad hanc pœnam soluendam ante iudicis sententiam, sicut contingit in aliis legibus pœnalibus. Quòd si diuortium factum sit absque vlla culpa vtriusque, vt quando de communi consensu sunt separati, vt caste viuant, in tali casu mater tenetur alere prolem, vsque ad triennium, & postea pater, *l. neque filium*, *Cod. de patria potest.*& hoc expensis vtriusque coniugis. Idem dicendum quando matrimonium fuit nullum absque vtriusque culpa: at si alter extiterit in mala fide, ad ipsum spectat alere filium: & si vterque habuit malam, idem dicendum ac de aliis filiis illegitimis, Sanchez videndus *disp.*20.& cum eo Villalob. *diff.* 12.*citat.*



TRACTA



TRACTATVS
DE IVRE PAROCHI, SEV PAROCHIALI, ET DE VICARIO PERPETVO, AC TEMPORALI.

DE Officio Parochi eiusque oblatione multi scripserunt, & inter recentiores Posseuinus in suo Libello de officio Parochi, & copiosius Augustinus Barbosa in suo pastorali solicitudinis, siue de officio, & potestate Parochi; de iure autem Parochi, seu in quo consistat ius Parochi, Parochum, & parochiam constituens, pauca concinnata, ordine digesta reperiuntur, ideóque amicorum persuasione inductus aliqua ad hoc institutum pertinentia, ex variis Doctoribus collegi.

CAPVT I.

De institutione parochiæ, seu parœciæ, & parochorum, eorumque præminentia. Antequam tamen explicemus, in quo consistit ius parochiale, videndum est, quid sit Parochus, parochia, à quo earum diuisio: & quanta sit Parochi dignitas.

SVMMARIVM.

Parochi nominis origo, & etymologia, num 1.
Quid sit Parochus. ibid.
Parœcia, seu parochia etymologia, & definitio, n. 2.
Parœcorum, & parœciarum institutio, & à quo, & quando initium habuerit, num. 3.
Parœcus, quibus nominibus in iure donetur, n. 4.
Parœci præeminentia, & dignitas, & an sit Prælatus, num. 5. 6. 7. 8. 9.
Beneficia curata non veniunt absolute nomine beneficiorum, ideo horum debet fieri mentio in impetratione, num. 5.
Rector in sua Ecclesia tantam habet potestatem, quantam Prælatus cum Capitulo in Ecclesia Collegiata, num. 6.
An sit propriè Prælatus, ibid.
In sua Ecclesia est velut in domo propria, vt dicitur, Imperator, ac Rex num. 7.
In ea debet præcedere omnes alios, estque ibi præferendus Decano, & omnibus capitularibus Collegiatæ, venientibus ad suam Ecclesiam processionaliter, num. 8.
Rectores succedunt 72. discipulis: assumuntur ab Episcopis in partem solicitudinis, n. 9.
Status Parœcorum in ordine est proximus statim Episcoporum, num 9.
Ipsis incumbunt opera hierarchica, post Episcopos, & sunt in statu perfectionis, ibid.
Rector venit nomine pastorum, num. 10.
Non vero nomine dignitatis, ac proinde non committitur ei rescriptum, ibid.
Parochialis Cura tanto est pretiosior, quanto est periculosior, num. 11.

1 QVnad primnm dicn, hoc nomen Parochus originem trahere à nomine Græco πάροχος *parochos*, hoc est, parochus, id est, præbens; olim enim Romæ viri deputati ad præbeodum Legatis publice Romam missis cibum, & potum, & alia necessaria parochi dicebantur: vnde ad horum similitudinem presbyteri, qui ab Episcopis alicui Ecclesię præficiuntur, ad verbum diuinum, Sacramenta, & alia spiritoalia, subministraoda fidelibus Parochi dicuntur. Alij verò, & propriùs, vt Ioaones Filesac. *in suo tractatu de parochia, c.1.* existimant, parochum dici quasi parœcũ ἀπό τυ παροικεῖν hoc est ab accolendo, & iuxta habitando; vnde parœcus est, & dicitur, vt docent Filesacus super Azor. *tom. 2. lib. 5. c. 12 q. 1.* & Barbosa *de offic. & potest. Paroch. c. 1. n. 5.* accola, incola, seu habitatnt in locn, ac proinde non parochus, seu parœcus est dicendus. Est igitur parœcus, seu vt vulgo dicitur, parochus, presbyter Ecclesiæ parochiali ab Episcopo deputatus ad verbum diuinum, sacramenta, & sepulturam fidelibus mioistranda.

2 Qunad 2. dicn, hoc nomen *Parochia*, originem ducere à Græco nomine παροικία, parichia, quod incolatos & viciniam significat. Sic 70. Interpretes Ps. 119. Parichiam dixerunt, Latina verò translatio, incolatum, significat ergo parochia accolarum conuentus sacramque viciniam, vt docet Filesacus sup.

qui aduertit propriè, non parochiam, dicitur parochiam dicendam esse. Colligitur etiam ex Aug. *lib. 14 de ciuit. Dei*, vbi sic ait: *Presbyter fuit quidam nomine restitutus in parochia calamensis Ecclesia.* Panor. tamen *in Rub. de Parochis n.*1. ait, parochia dicitur partitio curæ: idem tenet Gonçal. *ad reg. 8 Cancell. gloss. 6. n.* 39 quem sequitur Barbos. *de offic. & potest. Parochi, c. 1. n.* 16. nam populi cura partita fuit inter Ecclesias parochiales: Vnde secundum Panor. & Barbos cum aliis *sup. n.* 26. & 19. Parochia, seu parochialis, aut parochialis Ecclesia est locus in quo elegit populus alicui Ecclesiæ deputatos certis limitibus constitutus. Sumitur autem aliquando parochia largè, scilicet pro toto Episcopatu, seu tota Episcopi diœcesi, vt patet *ex c. 1 de raptorib. & aliis*, quos citat Hostiens. *in sum. tit. de Parochiis, n. 2. lit. B.* & latè Filesac. sup. vbi probat, parochiam promiscue pro Diœcesi, & è contra antiquitus vsurpari. Etenim olim parochiæ distinctæ nõ erant, sed Episcopi omnes dicebantur totius Diœcesis animarum curam habere, & omnes illius decimas percipiebãt, & inter se, & alios Clericos dispensabant, quas reliqui Clerici de manu Episcopi percipiebant, & curã exercebant, *c. 1. vers. Has vero decimas*, 17. *q.* 97. Gonçalez *sup. n.* 80. Barbos. *loc. cit. n.* 17. quod durauit vsque ad Dionysium Papam, qui vt infra dicetur *n.* 3. & tenet Barbosa cum aliis *n.* 18. diuisit parochias, & singulis suum territorium designauit. Vocatur etiam parochia, vt probat Filesacus *sup. c.* 2. ex variis conciliis, titulus, plebs, possessio, territorium, Basilica, & Ecclesia; communiter tamen, tam in iure, quàm à DD. sumitur parochia, pro Ecclesia particulari, cui presbyter ab Episcopo est deputatus ad sacramenta, & alia spiritualia populo ministranda: sicque vni presbytero regenda, & curanda committitur, *cap 1. & aliis, de parochiis, & Clement. dudum de sepult.* Vide Azor. *supr. q. 1. § secundo quæritur.* Diœcesis autem idem est quod regio, vt docet Filesac. *cap. 1. citat. in fine.*

3 Quoad 3. Ioannes Filesacus *in suo tract. de origine Parochiarum, cap. 4. in princ.* existimat, parochorum institutionem initium habuisse à B. Petro, quis enim (ait,) negabit Beatum Petrum Romæ aliquot instituisse Presbyteros, qui fideles fidei rudimenta docerent, Baptismum, & alia Sacramenta ministrarunt. Quod idem fecerunt, (inquit,) Anacletus I. Pontifex Romanus qui Clementi successit: *epist.* 3. Higinius post Beatum Petrum Nonus Romanus Pontifex plures presbyteros in vnoquoque titulo, seu parochia constituit, in quibus vnum cæteris præesse voluit, quem idcirco Cardinalem, id est, principalem nominauit. At quod certius, & clarius constat, est parochiarum constitutionem, & earum diuisionem ortum habuisse à Dionysio Pontifice Romano 25. seu 24. post B. Petrum, qui floruit secundum aliquos An. Domini 266. & secundum alios An. 260. & secundum Filesacum. Ann. Domini 299. Ita docent Abb. Panor, *rub. de Parochiis.* Hostiens. *sup. n.* 1. & idẽ Filesacus *sup. cit.* Nau. *infra*, & Barbosa *de offic & potest. Parochi, c. 1. n.* 18. hic enim Pontifex singulas Ecclesias, singulis Presbyteris designauit in parochias, vt vnusquisque ius proprium haberent, nec vnus alterius parochiæ terminos inuaderet. Patet 13. *q.* 1. *c. Ecclesias*, hanc autem parochiarum diuisionem renouauit Vrbanus II. vt docet Nau. *c. placuit de pœnit. dist.* 36. *n.* 4. *§. responderi*, qui teste Nauarro, sub anno circiter millesimo centesimo floruit scilicet. Ann. 1088. abierat enim aliqua ex parte in dissuetudinem Dionysij dispositio, ob idque renouatam ab Vrbano II. de quo vide Nau. *sup. pag.* 585. *in meu, n. 4. cit.* Vide etiam Fuscum *de visit. Ecclesia lib. 2. c.* 2 qui Hostiensi, & Panormit, consentit. Vide etiam Filesacum *sup. c.* 4 vbi refert, quando, & à quo, initium habuerint Parochiæ in Gallia, Italia, Africa, Græcia, & Hispania, *qui §. in Hispania*, refert, Dionysium Pontificem Rom. *ep. 2. ad Seuerum Episcopum*, illum ipsum monuisse, vt Ecclesias parochianas per Cordubensem Prouinciam in Hispania constitueret. Epistolam Dionysij tanti pastoris dignam inuenies *in 1. tom. Conc pag.* 159 *in meo*, qui vt testatur Seuerinus Binus Collector Concil. floruit. Ann. Domini 260 Idem Seuerinus *pag cit.* existimat diuisionem parochiarum non à Dionysio, sed ab Euaristo Papa ortum habuisse, qui floruit Ann. Domini 112. Vide eundem Binium eodem tomo *vbi sup. vers. Titulos.*

4 Nota Parochum, seu Parœcum in iure vocari Rectorem illius Ecclesiæ populi, cui præficitur *in c sicut vnaquaqe* 21 *q.* 2. Ita dicit Innoc. II. *Sicut in vnaquaque Ecclesia vnus Presbyter debet esse, ita ipsa quæ sponsa, l. eius vxor dicitur non potest diuidi inter plures Presbyteros, sed vnum tantummodo habeat Sacerdotem, qui eam caste, & sincere regat.* Etc. vt quisque 3. de vita & honestate Clerico. Concil. Matisense ita habet: *Vt quisque Presbyter qui plebem regit Clericum habeat, &c.* & *c.* 1 *de Capell. Monach.* Vrbanus III. disponit, quod in Ecclesiis vbi Monachi habitant, populus non per Monachum, sed per Capellanum ab Episcopo institutum regatur; ideoque DD. *in rub de Parochis*, communiter Presbyterum Ecclesiæ Parochialis vocant populi Rectorem, & passim *in Clement dudum de sepult.* Ita Gonçalez *sup. 8. Reg. Cancell. gloss. 6. n.* 38. An autem Vicarius perpetuus vocari possit Rector, dicetur *infra c. 15. dub. 3. vers. Sed quæres.* Vocati sunt etiam olim Presbyteri Cardinales, id est, principales; cum enim antiquitus Romæ in singulis titulis, seu Parochiis plures reperirentur Presbyteri, iis præficiebatur vnus, qui idcirco diceretur Presbyter Cardinalis, id est, principalis. Et non tantum Romæ, sed etiam extra vrbem Parochi nominati sunt Presbyteri Cardinales, vt late probat Ioannes Filesac. *de orig. Parochiarum, c. 3. §. ex illo, & §. extra vrbem.* vocantur etiam plurities in iure Presbyteri absolutè, vel cum addito Presbyter parochianus. Quarto vocantur plebani, ex *c. Cum olim de præsumpt.* Demum vocantur Curiones, siue Curati à cura, quam in suas oues exercere debent. Vide Filesac. *sup.* & Barbos. *de offi. & potest. Parochi, c. 1. à n. 4 vsque ad n.* 16.

5 Quoad 4. dico Ecclesiam parochialem, eiusque Parochum maximam habere præeminentiam vt sentit Rota *decis. 1. num. 3. de offic. Archypresbyteri in antiquis.* Prima ergo præeminentia est, vt nomine beneficiorum, beneficia curata non veniant, *c. Cum in illis in princ. t 6. de prabendis lib. 6.* & aliis de quibus Gonçalez *super octauam regulam Cancell. glos. 6. n. 1. & 2.* hinc fit quod si in impetratione beneficij non fiat mẽtio, quod sit curatum, gratia est ipso iure nulla ex Felino ex *c. in nostra corollario 10. de rescriptis*, & aliis quos ipse Gonçalez citat. *sup. n. 3. & 4.* Secunda præeminentia est, quod Rector in sua propria Ecclesia dicitur Prælatus, *ex c. in apibus 7. q. 1.* in qua habet tantam potestatem, quantam habet Prælatus cum Capitulo in Ecclesia Collegiata, vt pulchrè notauit Abbas *in c. 1. sub. n. 28. vers. Si vero in Ecclesia de dolo*, pro quo allegat bonam glossam *in c. potuit 4 de locato & conducto, in verbo expelli, & c. dilectus, de Capell. Monach, & c placuit 12. q. 2. cum c. Abbatibus eadem quæst.* colligitur etiam *ex cap. tua de Clerico ægrotante*, ita Gonçalez *supr. num.* 100. idem tenet Filesacus *de origine Parochiarum, cap. 4. §. quam plurimi*, vbi sic ait. Verum qui sincere,

Sc

& sine vllo odio, atque malignitate de Parochorum dignitate sententiam tuletunt, illos Prælatorum nomine censendos esse existimarunt: quod (inquit) colligitur *cap. cum ab Ecclesiarum de offic. ordin. & cap. cum tua, citato*, & habet Archid. *in cap. animarum de constit. lib. 6.* & refert, Parochos non secus atque Episcopos in Conciliis, saltem prouincialibus conuenisse, ac nonnunquam subscripsisse proprio nomine, quod ex variis Conciliis constitmat: ac proinde idem Filesacus ibidem vocat Parochum primi Clerum: quia dignior in Clero est; is enim primus è Clero censendus est, cui est Ecclesia credita vna cum cæteris ministris, & plebe. In Synodo etiam Dertusen. expressè Parochi Prælati nomine donantur. At in rigore Prælati non sunt: nam *Clemen. dudum, de sepult. §. in Ecclesiis*, Rector, & Prælatus separatim ponuntur. Ita docet Azor. *tom. 2. lib. 3. c. 25. sub finem.*

7 Tertia præeminentia est, quod Rector in sua Ecclesia, velut in dumo propria dicitur Imperator, & Rex, *c. duo 23 q. 4.* Abb. *in c. venerabilem sub n. 19. de elect.* ita Gonçalez *sup. n. 102.*

8 Quarta est, quod Rector intra propriam Ecclesiam debet præcedere omnes alias maiores, & superiores, in dicendis Missis solemnibus, & aliis quibuscumque præeminentiis concernentibus ipsius Rectoris officium. Ita fuit decisum, teste Gonçalez *sup n. 105.* in vna Calaguritana præminentiarum de Victoria 16. Nouembr. 1592. coram R.P.D. Pegna, vbi fuit resolutum, quod Rector in sua propria Ecclesia, inspectu iure communi, præferendus est Decano, & omnibus Capitularibus Collegiatæ ad eam Ecclesiam processionaliter certis diebus, ex antiqua consuetudine, accedentibus, in qua fuit etiam decisum, quod maior debet cedere minori, dum est in domo minoris.

9 Quinta est, quod Rectores in suis Ecclesiis Apostolorum vices tenent, vt eum aliis tenet Gonçalez *sup. num. 108.* qui *num. 110.* refert, latam fuisse sententiam in fauorem Rectorum de Guipuzcoa, contra Archipresbyterum eiusdem prouinciæ prætendentē debere præcedere Rectores dictos intra illorum proprias Ecclesias, tanquam caput dictæ prouinciæ. Verius tamen videtur Episcopus Apostolis, Parochos, seu Rectores septuaginta Christi discipulis succedere, vt bene probat Ioannes Filesacus *in suo tract. de orig. Parochiarum c. 4.* ex epistol. a. Anacleti. Papæ ad Episcopos Italiæ, & refertur *dist. 21. cap. 2.* & Glossa Bedæ *in cap. 10. Luc.* Tum etiam in Conciliorum, & Episcoporum auctoritatibus, ex quibus colligit, Parochos adduci ab Episcopo in partem solicitudinis, vt 70 discipuli ab Apostolis, & addit ex Ioan. Gerson *in 3. part. de consiliis Euangelicis, & statu perfectionis*, statum Curatorum in ordine, proximum statui esse Episcoporum: nam eadem opera hierarchica parochis incumbunt, quæ & Episcopis, etsi non tam in excellenti gradu: debent enim subditos purgare arguendo, increpando, illuminare docendo, & prædicando, perficere Sacramenta ministrando senentur, & in casu sicut Episcopi animas pro ouibus ponere. Vnde & in missione 72. discipulorum, quibus Parochi succedunt, quasi eadem opera eis mandauit Christus, quæ & Apostolis. Hæc Gerson, qui fuit Parochus dignissimus, & Academiæ Parisiensis Cancellarius meritissimus. Idem Gerson *tract. de statibus Ecclesiasticis, titulo de statu Curat. consideras. 1.* ait: Status Curatorum esse de institutione Christi, & Apostolorum suorum à principio fundationis Ecclesiæ, asseritque variis in locis Parochus Curatos veros esse ac legitimos Hierarchas post Episcopos, esseque in statu perfectionis,

ne dum acquirendæ, sed exercendæ per actus Hierarchicos. Vide Ioann. Filesacum *vbi supra.*

10 Sexta est, quod appellatione pastorum Parochus continetur: nam sicut pastor Curam ouium habet, vt doctissimè explicat Petrus de Soto *de institutione Sacerdotum*: vnde de plebe sibi commissa rationem reddere tenetur, iuxta Apostol. *ad Hebr. 13.* appellatur etiam pater *cap. omnes qui 3. quæst. 3. cap. Sacerdos 6. quæst. 1.* quare panem spiritualem, & materialem frangere tenetur. Vide Fuieum *de visit. lib. 2. c. 3. num 16.*

11 Etenim parochialis Cura tanto est pretiosior, quanto periculosior, vt optimè notat Gonçalez *sup. gloss. 6. num 9 & 110.* Non tamen beneficium parochiale dicitur dignitas: ac proinde Parocho non potest committi rescriptum iuxta *cap. statutum de rescriptis in 6.* nam vt docet Azor. *2. tom. lib. 3. c. 13. quæst. 1.* ad dignitatem requiritur administratio, aut iurisdictio in foro exteriori, pro quo citat Hostiensis Abbatem, & Felinum.

CAPVT II.

In quibus ius Parochiale consistat.

SVMMARIVM.

Ius Parochiale, seu Parochi ad duodecim capita reducitur, & refertur, num. 1.

Quænam pertineant ad essentiam Ecclesiæ Parochialis, num. 2.

Vicaria perpetua est propriè Ecclesia Parochialis, & eius Presbyter est vere Parochus, num. 3.

Sepultura non probat Ecclesiam esse parochialem, n. 4.

Ecclesia non desinit esse parochialis, eo quod non percipit decimas, num. 5.

Nec sequitur Ecclesia percipit decimas, aut primitias, ergo est Parochialis, nec è contra, n 6.

Non est leue argumentum esse parochialem recipere decimas aut esse ibi reseruatum sanctissimum Sacramentum, num. 7.

Allegant i esse parochialem incumbit onus id probandi, num. 7.

Ecclesia vt sit parochialis, requirit auctoritatem Episcopi, & dotem pro Sacerdote, & vno ministro, num. 8.

Bene sequitur Ecclesia parochialis, ergo est beneficium Curatum non tamen est beneficium Curatum, ergo est Ecclesia parochialis, num. 9.

Melius est exprimere esse parochialem, ibidem.

Cura animarum potest sumi largè, & strictè, ac propriè, num. 10.

Alia est actualis, alia habitualis sola, actualis facit beneficium curatum, num. 11.

1 IVs parochiale Parochum, & Parochiam constituens, ad eusque pertinens ad duodecim capita, vt ex Canonistis, & Theologis colligitur, reduci potest. Primum est, vt populus ipsi subiectus in ea baptismum à suo Parocho suscipiat. Secundum, vt quisque in ea semel in anno saltem faciat suorum confessionem peccatorum. Tertium, vt Sanctissimum Christi corpus quotannis in Paschate in sua Parochia, & à suo Parocho recipiat, *c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Quartum, vt debito tempore extremam vnctionem à suo Parocho petat, *Clem. vnic. §. dudum de sepult.* Quintum, vt eorū qui matrimonio iunguntur, nuptiæ in ea solēniter celebrentur, *c. 3. de clandestina dispensat. & c. aliter, 30. quæst. 5.*

quaest.5. & cap. suam de simonia. Sextum, vt in ea mortui sepeliantur, *c.placuit 13.quaest.2.& Clement. dudum de sepult.§.verum.* Septimum, vt in ea diebus festis populus rem diuinam audiat, *cap.3 de Parochiis.* Octauum, vt ei decimam fructuum partem populus quotannis soluat, *cap.quaest.16.* Nonum, vt ei similiter fructuum primitias pendat, & praestet populus, *cap.omnis de consecrat. dist.1.* Decimum est, oblationes omnes, quae populus intra parochiae ambitum offert, & donat, ad propriam Parochiam, & illius Parochum spectant, *cap.quia Sacerdotes 10. quaest. 1. & cap. sanctorum, & cap. seq.* Tum etiam prouentus qualitercumque prouenientes, vt docet Hostiensis *in rub. de Parochiis, num.2. post initium, ex cap. pastoralis de iis quae fiunt à Praelat. sine consensu Capituli.* Vndecimum est, ius percipiendi canonicam portionem, quam volgo quartam dicimus, *ex cap 1.& 2.& c.de iis de sepult.* Duodecimum est, quod parochialis Ecclesia vnum tantum habeat Sacerdotem, qui eam regat, & gubernet, *cap.sicut vnaquaque 21.quaest 2.& cap. Ecclesias, 12.q.1.* Haec sunt quae Parochiam constituunt, & ad illam pertinent, & cum vni parochiae vnus tantum Parochus sit praeficiendus, vt dictum est, & latè constabit infra, euidenter sequitur, quod ea quae constituunt Parochiam, & de iure ad illam pertinent, constituere etiam Parochum, & ad illum pertinere. Vnde omnia quae de parochia dicuntur, de Parocho etiam dicta censentur.

2 Nota tamen cum Gonçalez *gloss. 6. sup. 8. reg. Cancell.à num 34.vsque ad num.58.* Etsi omnes illae duodecim conditiones ordinariè, & ferè naturaliter in Ecclesia parochiali inueniantur; nihilominus tamen omnes non esse de illius essentia, quin possit absque aliquibus Ecclesia parochialis consistere: nam vt ipse probat cum Gomezio *in reg. de idiomate, quaest.11.à num.4.* Fons Baptismalis, sepultura, ac decimarum exactio, quamuis maximè conducant ad Ecclesiam parochialem, non tamen sunt de illius essentia, cum sine illis parochialis Ecclesia consistere possit; volunt ergo Gomez, & Gonçalez *sup. num.34.* cum multis, quos ipse, de essentia Ecclesiae parochialis solum esse quatuor. Primum est, potestas fori poenitentialis, hoc est potestas ligandi, & soluendi in foro poenitentiali, quae non cadit nisi in Sacerdotem, *cap.in nouo, 21.dist.cap.omnis de poenit. & remiss.* Ita tamen quod ex necessitate teneatur, hoc Sacramentum & alia ministrare, vt ex Glossa *in Clement.dudum, verbo impediant de sepult.* cum multis Doctoribus tenet Gonçalez *gl.6. cit. n.36.* quem sequitur Barbosa *de offic.& potest. Parochi c.1. n.27.* Secundum est, quod sit certa parochia, seu locus certis limitibus, & finibus constitutus *cap. Ecclesias 12. quaest.2.* & in Concil.Trident. *sess.24. de reform.c.13.* Gonçalez *gloss cit num.37.* Tertium est, vt obtinens Ecclesiam parochialem exerceat Curam nomine suo, & non alieno, *ex cap.extirpandae. § qui vero de praeb.* & Doctores, *in Clement.vnic.de officio Vicarij.* quos refert & sequitur Gonçalez *supra numer.40.* Quartum est, vt vnus tantum Presbyter, Rector, seu Parochus parochiali Ecclesiae praeficiatur; ita vt si duo ei praeficiantur, non sit Ecclesia parochialis, vt latè probat Gonçalez *sup. à num.41.vsque ad n.47.* cum Gomezio *sup.in regul.de idiomate, quaest.11.cit.* Felino *in cap ratione, n 10.vers vt Scias de rescriptis, cap. in apibus 7. quaest.2. & cap. sicut vnaquaque 21. quaest.2* de quo latius infra suo loco cum Gonçalez, vt videtur sentire Barbosa *vbi sup. num. 27. & 28.* Nihilominus tamen, etiam si illae duodecim conditiones, seu qualitates non sint omnes de essentia parochialis Ecclesiae; quia tamen ordinariè omnes illae in parochiali Ecclesia reperiuntur, ideo operae pretium duxi de singulis aliqua breuiter attingere.

3 Ex dictis sequitur, Vicariam perpetuam esse verè, & propriè Ecclesiam parochialem, & Presbyterum illi praefectum esse verè Parochum, & habere beneficium parochiale, & Curatum; quia in tali Ecclesia reperiuntur saltem quatuor illa essentialia, *num.2.* assignata essentialiter requisita ad consistentiam Ecclesiae parochialis, vt clarius & latius constabit infra *cap.15. dub.3.* vbi de iis specialiter agemus, vide de his Azor. *2.tom.lib 3.cap.6.q.5.* Gonçalez *sup.reg.8.Cancellar. gloss.5. §.3. n.19. & seqq.* & Barbosa *vbi sup. à num.54.*

4 Sequitur 2. Ecclesiam non probari, esse parochialem, eo quod ibi aliqui sepeliantur, aut habeant illic sepulturam; quia hoc non est vnum ex quatuor essentialiter requisitis: & ex alio capite quilibet potest eligere sepulturam in loco sibi benè viso, vt infra dicetur *cap.9. dub.5.* Praesumeretur tamen parochialis, si constaret non facta electione sepulturae, nec ibi habere sepulchra maiorum, in ea Ecclesia corpora sepulta fuere tanquam in parochiali. Barbosa *vbi sup.n.29. & 30.* cum Gonçalez *gloss.6.num.53.*

5 Sequitur 3. Ecclesiam parochialem non desinere esse parochialem, etiam si talis Ecclesia decimas, aut primitias non percipiat, modo illa quatuor essentialia in ea reperiantur: nec è contra, haec Ecclesia percipit decimas & primitias; ergo est parochialis, Gonçalez *sup.num.56.* & Barbosa *sup.n.31. & 32.* nam Ecclesia, etiam si non sit parochialis, potest percipere decimas ex aliquo titulo, vt ex priuilegio, praescriptione, & consuetudine, vt dixi in Decalogo *lib.3.cap.3.dub.9.* & cum Couarr. & aliis Barbosa *sup.* & confirmari potest; quia multae Vicariae perpetuae, quae, vt dictum est, sunt verè Ecclesiae parochiales, non eas percipiunt, sed tantum salarium, seu congruam iuxta Pij V. dispositionem, vt constabit infra *cap.15. dub. 4.* Non tamen est leuis praesumptio, quod sit Ecclesia parochialis.

6 Sequitur 4. Non bene sequi, ista Ecclesia non percipit decimas, & primitias; ergo non est parochialis: si alias tamen habeat quatuor conditiones essentiales supradictas; quia Vicaria perpetua est verè parochialis, & quamplurimae nullas decimas, aut primitias percipiunt, sed tantum stipendium, seu congruam, iuxta Pij V. dispositionem, vt dicetur infra *cap.15.dub.4.* Nec sequitur: haec Ecclesia percipit decimas, & primitias; ergo est parochialis; nam haec possunt acquiri alicui Ecclesiae ex aliquo titulo quam ex iure, vt priuilegio, praescriptione, aut consuetudine, vt dixi in Decalogo *lib.3.cap.3.dub.9.* ita Gonçalez *sup.num.56.* & cum Couarr. & aliis Barbosa *loco cit.num.31.& 32.*

7 Non tamen esset leuis praesumptio, & si non concludens, quod in aliqua Ecclesia retineretur Sanctissimum Sacramentum, nisi id esset ex priuilegio, vt in regularibus *cap.tribus, §.tanta, de consecr. dist.2.* Item si aliqua Ecclesia perciperet decimas, & primitias, vel in illa diebus festis, Christi fideles Missam audirent, vel alia Sacramenta, excepta Eucharistia, & poenitentia, perciperent. Non tamen haec concluderent necessario, cum haec omnia possint adesse ex aliquo accidenti, vt bene Gonçalez *dict.gloss.6 num 56.* & cum eo Barbosa *sup.num.54.* In dubio autem, an Ecclesia sit parochialis, onus probandi incumbit hoc asserenti, eo quod beneficia praesumuntur simplicia, & non curata, Garcia *de benef.part.1.cap.6.num.8.* & cum eo & aliis Barbosa *sup.num.37.*

8 Nota requiri auctoritatem Episcopi, vt Ecclesia constituatur parochialis, designando fines, & plebem constituendo,

conſtituendo, *c. nullus* 16. *quaſt.* 7. eamque debet dotare ſufficienter, vt poſſit commode ſaltem vnus presbyter cum alio miniſtro ſuſtentari, *cap. pie* 16. *quaſt.* 7. de quo vide Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 11. *quaſt.* 14. & *c.* 12. *q.* 15. & cum aliis Barboſa *de offic. & poteſt. Paroch. c.* 1. *n.* 38. 39. 40. 41. 42.

9 Sequitur etiam, dato quod vna Eccleſia ſit parochialis, conſequenter ſequi, eſſe beneficium curatum, & habere Curam animarum in foro interiori; nam hoc eſt vnum & præcipuum ex requiſitis ad conſtitutionem parochiæ, vt dictum eſt *n.* 1. & 2. Non tamen ſequitur, eſt beneficium curatum; ergo eſt parochialis Eccleſia; nam poteſt contingere quod ſit aliqua Eccleſia Curata, & ad eam de nouo veniant homines, ad illic habitandum, quæ licet poſtea dici poſſit curata, non tamen parochialis, ſi non habeat certum territorium: ita cum aliis Barboſa *ſup. n.* 55. vbi aduertit propterea melius eſſe exprimere, quod ſit Eccleſia parochialis, quàm quod ſit beneficium curatum, & hinc eſſe, quod in iure Canonico, & in Concil. Trid. paſſim ſit mentio de Eccleſiis parochialibus, abſque expreſſione qualitatis Curæ.

10 Nota, Curam animarum poſſe ſumi ſtricte, & propriè pro Cura in foro interiori pœnitentiali, & in adminiſtrandis Sacramentis; alio modo largè, ſeu impropriè, prout comprehendit Curam animarum in foro exteriori, & contentioſo, ſeu iudiciali circa morum correctionem, & ſic omne beneficium habens iuriſdictionem viſitandi, excommunicandi, abſoluendi, & faciendi alia ad correctionem morum pertinentia, etiam ſic dicitur habere Curam animarum, *ex c. ſeu Clem. dudum de ſepult.* propriè tamen non dicitur beneficium parochiale, nam ad huius eſſentiam requiritur Cura animarum in foro pœnitentiæ; & patet, licet beneficium parochiale, idem ſit cum beneficio Curam animarum habente propriè, & ſtrictè ſumpto; tamen ſi largè, & impropriè ſumatur, plurimum differunt, quo ſenſu dixi *ſup. n.* 8. iſtud latius patere quàm illud, vide Gonçalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 6. *à n.* 61. & cum aliis Barboſ. *ſup. n.* 47.

11 Aduerte etiam Curam pœnitentialem, ſeu animarum ſtrictè, & propriè ſumptam aliam eſſe actualem; aliam eſſe habitualem, de quibus Azor. *part.* 2. *libr.* 3. *cap.* 12. Actualis Cura eſt illa, quam quis actualiter, & actu per ſe gerere tenetur in populum ex neceſſitate officij, ratione parochialis beneficij curati, in quo eſt Canonice intitulatus, & inſtitutus: Habitualis vero eſt, quæ penes aliquem eſt, ratione alicuius beneficij in fieri, ſed non in facto, quia executionem poteſtatis non habet vel defectu tituli ſpiritualis iam extincti per vnionem acceſſorie factam, vel quia priuilegio, ſeu conſuetudine leuatus fuerit onere exercendi actu: ex his ſola actualis cura, ſeu iuriſdictio, facit beneficium curatum, nullo vero modo habitualis: vnde de parochiali habitu, idem iudicatur, ac ſi eſſet beneficium ſimplex, vt cum multis Barboſa *ſupr. n.* 48. 49. 50. 51. & 52. ex quo patet, quando Papa vnit aliquod beneficium parochiale alicui cōmunitati, vel de nouo erigitur Vicaria perpetua à principali, ſeu Matrici ſeparata, & diſmembrata, Curam animarum habitualem tantum remanere in Rectore principali, actualem vero tranſlatam eſſe in Vicarium perpetuum, quod adeo verum eſt, vt ſi principalis, ſupreſſo Vicario, velit ſe ingerere in Cura animarum nullo modo poſſit, vt in terminis docet Abbas *in c. extirpanda*, §. *qui vero, n.* 15. *de præb.* Azor. *ſupr. c.* 6. *q.* 2. & cum aliis Barboſa *ſup. à n.* 53. & dicemus infra *c.* 15. *dub.* 3. Quando vero Rectori principali datur Vicarius temporalis in partem ſolicitudinis, & laboris, tunc certum eſt, Curam habitualem, & actualem adhuc manere apud Rectorem principalem; quia apud illum adhuc manet titulus, inſtitutio, beneficium parochiale, & illius plenum ius; in Vicario autem temporali, ſolum merum Curæ exercitium. Vide Barboſam *vbi ſup. à n.* 59.

CAPVT III.

De prima conditione, ſeu iure parochialem Eccleſiam conſtituente, quod eſt ius miniſtrandi Baptiſmum.

SVMMARIVM.

Sacramentorum adminiſtratio (Ordine, & Confirmatione excepta,) ad ſolos Parochos ſpectat, n. 1.

Poteſt autem alteri Sacerdoti dare licentiam adminiſtrandi ea Sacramenta quæ ipſe poteſt miniſtrare; non autem pœnitentiam, niſi Sacerdoti approbato, ibid.

Parochus tenetur Sacramentum quod adminiſtrat populo declarare. num. 1.

De officio Parochi remiſſiue, num. 1.

Miniſter Baptiſmi, triplex, num 2.

Ex officio eſt ſolus Sacerdos, ſub quo intelligitur Epiſcopus, cui primo, & per ſe de iure competit baptizare, num. 3.

Alij vero Sacerdotes ſecundo, ibid.

Soli Epiſcopi, & Parochi poſſunt licitè baptizare, num. 4.

Ideo alienus Sacerdos ſine licentia proprij baptizans, peccat mortaliter (non tamen fiet irregularis, &c.) excipe extremam neceſſitatem, ſi proprius haberi non poſſit, aut licentiam neget, num. 5.

Vagabundi baptizandi ſunt in Parochia vbi inueniuntur, num. 6.

Baptizare poteſt quilibet Sacerdos etiam regularis, ex commiſſione, ſeu licentia Epiſcopi, vel Parochi, num. 7.

Ordinarius poteſt ſuam facultatem delegare, n. 7.

Baptizandus eſt quiſque in ſua parochia, ſecundum diſpoſitionem Synodalem Valent. num. 8.

Baptizare poſſunt ſolemniter Diaconi ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi, ex iuxta cauſa, non autem alij inferiores Clerici, niſi de licentia Papæ, n. 9.

Clericus Diacono inferior (ſecus ſi ſit mere laicus) ſolemniter baptizans, ſit irregularis, n. 9.

Baptiſmi miniſter in neceſſitate eſt quilibet homo; ſiue Clericus, ſiue laicus, ſiue vir, ſiue fœmina, ſiue fidelis, ſiue infidelis, hæreticus, aut ſchiſmaticus, num. 10.

Præferendus eſt tamen dignior, Baptiſmus tamen ſemper tenet, num 11.

Nec incurrit irregularitatem non ſolemniter baptizans, ibid.

Ius Proprium Parochi eſt ſolemniter baptizare, n. 12.

1 SAcramentorum adminiſtrationem (Ordine, & Confirmatione excepta,) ad Parochiales Eccleſiæ Presbyteros, Parochos, ſeu Rectores de iure pertinere cōmunis eſt Canoniſtarum, & Theologorum ſententia, & docet Abb. & Hoſtienſ. & alij *in rub. de Parochis*, colligitur apertè *ex cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſ. Clement.* 1. *de priuilegiis, Clem dudum de ſepult.* facit *c. Eccleſias* 13. *quaſt.* 1. & *c. ſicut vnaquaque* 21. *q.* 3. & apertè Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. vbi ſic ait: *Cum præcepto diuino*

mandatum sit omnibus, quibus animarum Cura commissa est, oues suas agnoscere, pro iis sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, & *sess.24. cap.7. de reform.* mandat, vt Parochus suo populo vim Sacramentorum quæ administrat, lingua vernacula declaret, & eadem *sess. cap.13. in fin.* præcipit Episcopis, vt diuidant in diuisas Parochias, peculiaremque Parochum assignent, qui oues cognoscere valeant, & à quo solo Sacramenta suscipiant, vbi diligenter perpende illa verba, *à quo solo*: nam de iure Sacramentorum administratio ad solum Parochum spectat: ideóque alij ea, absque Parochi licentia administrantes peccant, vt in singulis explicabitur, vt docet Posseuinus *de officio curati, cap 5. num.* 50. Potest autem Parochus iure suo dare alteri etiam simplici Sacerdoti, licentiam administrandi omnis Sacramenta, quæ ministrare potest ipse Parochus, excepta pœnitentia, quod ei Episcopus prohibere non debet, vt tenet Posseuinus sup. & cum Barbosa *de offic. & potest. Parochi, c.17. num.*37. competit enim Parochis iure ordinario, & communi ratione sui officij. Dixi, *excepta Pœnitentia*: nam approbare confessarios, solius est Episcopi, ex Trid. *sess.25. de reformat. c.* 15. poterat tamen Parochus, supposita Episcopi approbatione, concedere confessario licentiam audiendi suas oues, vt latè dixi in Exposit. Bullæ in 2. & 3. addit. *lib.* 1. §.7. *c.2. dub.*1. & in materia pœnitentiæ, vbi de eius ministro. De obligatione Parochi ministrandi Sacramenta, quia non est huius instituti, Vide inter recentiores Posseuinum *de officio curati*, & Barbosa, *de offic. potest. Paroch. part.2. vbi c.17. à num.*13. agit, quomodo ea ministrare teneatur tempore pestis, de quo etiam aliqua tetigi in Decalogo *lib.* 1. *c. dub.*1. Videamus igitur nunc quomodo baptismi ministratio ad solum Parochum pertineat.

2 Nota ex Catechismo Pij V. iussu Concilij Tridentini edito *c.2.* §.23. triplicem posse constitui ministrum baptismi, alium ex officio, alium ex commissione, alium vero ex necessitate; & dixi vbi de ministro baptismi in materia de Sacramento.

3 Dico igitur primo: Baptismi minister ex officio est Sacerdos; habetur expresse in Concil. Florentino in instructione Armenorum, & in Constit. *de consecrat. distinct.*4. insinuat etiam *in c. perlectis*, §. *ad Diaconum, distinct.15. & in c. Diaconus dist.*93. idque satis vsus Ecclesiæ confirmat, rationem reddit S.Thom. 3 *part. q 67. art.2.* quia cum Sacerdos sit institutus ad Eucharistiam consecrandam, ratio postulat, vt detur ei potestas administrandi omnia illa, per quæ quis potest fieri particeps Eucharistiæ; per baptismum enim accipit fidelis ius ad Eucharistiam, ita etiam Catechismus sup. Nomine autem Sacerdotis intelligitur etiam Episcopus, vt bene notat D.Thom *sup. ad* 2. quia in omni rep. quod potest inferior, à fortiori potest superior, idque confirmari potest *ex c. Diaconus cit.* quod adeo existimat verum. Coninch. 3. *part q 67. dub.*1. *n.*7. vt soli Episcopo, primo, & per se de iure competat baptizare eos omnes, qui in sua Diœcesi commorantur: nam adscribere aliquem in membrum alicuius communitatis, communicando ei omnia priuilegia, pertinet ad caput ipsius, qui in ea habet supremum ius, quale habet Romanus Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopus in sua Diœcesi. Et addit Coninch *sup. num.*8. Secundo loco, & ex commissione Episcopi spectare ad alios Sacerdotes, conferre baptismum probat ex Tertul. *lib de baptismo c.*17. & D.Hieronym. *contra Luciferianos*; sunt enim alij Sacerdotes Episcopo subiecti, & eius coadiutores: hanc autem doctrinam intelligerem, vt ex officio per se primo conueniat Episcopo baptizare: tum etiam Sacerdoti ex officio per se secundo, vt insinuat Catechism. *sup num.*23. *vt pag.*198. & Reginald. *lib.27. cap.6. num.*1. Bonacina *de Sacrament. disput.2. quæst.2 punct.2. num.2.* & cum eo Barbosa *de offic. & potest Parochi, c.17. num.*1. vbi ait, hoc inferioribus presbyteris per communicationem Episcoporum conuenire: nam Florentinum vbi sup. absolute docet Presbytero competere ex officio baptizare.

4 Dico secundo: etiamsi omnis Sacerdos ex officio possit baptizare, non tamen omnis Sacerdos potest licite conferre baptismum, sed hoc ius solis Episcopis, & Parochis competit: ita Syluest. *quæst.*3. *num.*1. Armilla *eodem verbo, num* 93. & *DD. communiter*, deducitur apertè *ex c. interdicimus* 16. *quæst.*1. idque confirmat communis Ecclesiæ vsus, & consuetudo; quia nemo præter Episcopum, aut Parochum, aut de eorum licentia (excipe extremam necessitatem, de qua statim) baptismum confert: nam vt bene aduertit Suarez 3. *part. quæst.67. art.1. disput.* 23. *sect.* 2. & 5. quilibet Sacerdos respectu Sacramenti baptismi habet sufficientem potestatem, vt illud valide, & digne ministret, requiritur tamen, vt ministrans Sacerdos ab Ecclesia, habeat iurisdictionem, vt licite ministret in personam, cui est ministrandum, quæ iurisdictio propria est eorum, qui curam animarum gerunt, tanquam coadiutorum Summi Pontificis, cui in D.Petro dictum est à Christo Domino, *Pasce oues meas*: vnde ad eos tanquam ad Pastores pertinet mandatum Domini datum Matth. vltim. de pascendis ouibus, verbi diuini prædicatione, & Sacramentorum administratione, ac nominatim baptismi per illud: *Ite, & docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Per baptismum enim recipiuntur homines in Ecclesia, & fiunt eius membra; decet ergo, vt potestas, & ius admittendi homines ad Ecclesiam sit penes pastores illius, vt bene probat Suarez *sup. disp.* 23. *sect.* 2. & cum eo Reginald. *sup. num.* 38. ob idque à iure sunt diuisæ Parochiæ, & vnicuique assignatus certus numerus populi, & in vnaquaque Parochia est fons baptismalis constitutus ad baptizandos illius Parochiæ infantes, vt patet *Clement. vnica de baptismo.*

5 Ex quo sequitur alienum Sacerdotem peccare mortaliter, si contendit ministrare baptismum sine licentia proprij Parochi volentis illud ministrare, & expresse renuentis alienum illud ministrare: nam ius alienum inuadit, & pastorale munus sibi vsurpat cum notabili pastoris iniuria, quod procedit etiam in extrema necessitate pueri baptizandi: quia hæc non tollit Parocho proprium ius, nec dat licentiam inuertendi ordinem iustitiæ, nec est sufficiens causa, vt alius quam proprius Parochus possit ad baptismum dandum se ingerere: nam quando proprius Parochus præsens est, aut facilè haberi potest, non est reuera necessarium alterius ministerium ad illius munus exequendum. Quod si Parochus in hoc, cæderet iuri suo, vel ipse non posset facile haberi vrgente necessitate, alius Sacerdos etiam solemniter licite baptizare posset: quia tunc non fieret proprio Parocho iniuria, nec circa Sacramentum committeretur irreuerentia, vt bene probat Suarez *supra disput.*31. *sect.* 4. Vide Ioann. Filesacum *in suo tractat. de orig. Parochiarum, cap. 7. pag.* 658. *in meis.* Attamen etsi grauiter peccet Sacerdos baptizans sine proprij Parochi licentia, non tamen fit irregularis; quia nō habetur in iure: nec incurrit excommunicationem, aut aliam censuram, ob eandem rationem:

nam

num in Clem. 3. *de priu.* circa hoc nulla est imposita censura, vt notat Suarez *dicta sect.* 4. Coninch 3. *p. quæst.* 67. *art.* 1. *dub.* 1. *num.* 11. Reginald. *sup. num.* 39. eum Nauarr. *cap.* 17. *num.* 102. Bonacina *de Sacram. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 10. & cum aliis Barbosa *de offic. & potest. Parochi cap.* 17. *n.* 11. *&* 12. ex quo fit grauiter peccare parentes, si prolem suam Parocho alieno, absque proprij licentia baptizandam offerant, vt benè Layman *in Theologia Morali lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. & cum eo Barbosa *sup. num.* 1. Quisque igitur à suo Parocho, & in propria parochia cui subest, est baptizandus, eo quod vnus Sacerdos alterius parochiæ terminos, plebem, & ius, non possit vsurpare, *cap placuit* 7. *quæst.* 1. *cap. sicut,* 9. *q.* 2. *cap. nullus, cap. Episcopus, cap. Episcopi, cap. non inuitati* 13. *q.* 1. *cap. nullus de Parochiis*, nisi aliud consuetudine introductum fuerit, modo id fiat de licentia ordinarij, & sine præiudicio iurium, & emolumentorum Parochi, vt censuit sacra congregatio Rit. in Oriolen. 16. Decemb. 1605. vt refert Barbosa *vbi sup. num.* 7. in nostra autem Diœcesi Valentina inoleuit mos, vt omnes intra ambitum ciuitatis continentes possint in Metropolitana Ecclesia baptizari: dummodo Vicarius perpetuus illius intra 24. horarum spatium certiorem fieri ad Parochum proprium de tali baptismo, vt habetur in Synodo Diœcesis, Ann. 1631. Decret. 1.

6 Nota, vagabundos, & peregrinos, quod ad hunc effectum sortiri Parochum eo in loco, in quo pro eo tempore commorantur, vt à simili dictum est, quoad Sacramentum pœnitentiæ, & communionis: Vide Coninch *sup num.* 11. *cit.* §. *Nota quarto,* & ea quæ dixi: vide Sacramentis.

7 Dico tertiò: Ex commissione Episcopi in sua Diœcesi potest quilibet Sacerdos, etiam regularis baptizare, quod certissimum est; nam ipse per se, vel alium potest suam potestatem exercere in tota suâ Diœcesi: patet *ex cap. cum Episcopus de offic. ord. in* 6. similiter ex Parochi commissione, seu licentia expressa, aut rationabiliter præscripta, potest quilibet Sacerdos, etiam regularis in sua Parochia baptizare. Ita Doctores communiter, *ex cap. interdicimus* 16. *quæst.* 1. quia Parochi potestas quoad suas oues est ordinaria: à iure enim communi constituti sunt Parochi, diuisæ Parœciæ, & singulis singuli Presbyteri designati, vt dictum est *cap.* 1. Tum etiam facultates, functiones, munera, & iura Parochi in iure sunt expressa, vt probabimus de singulis agentes: at ordinarius eo quod est ordinarius potest suam facultatem delegare, vt colligunt Doctores, *ex dict cap. cum Episcopus, de offic. ordin. in* 6. *& regul iuris:* quod quis facit per se, potest, & per alium iud. Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, disp.* 31. *num.* 1. *&* 6. vbi ait, posse Parochum proprietarium eum scilicet, qui habet beneficium Parochiale collatum, delegare suam facultatem cum posse subdelegandi. Facit etiam *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnitent. & remiss.* vbi conceditur Parocho, vt possit dare ouibus suis licentiam, vt ab alio Sacerdote communionem accipiant, & quod ab alio possint absolui, quod vltimum limitauit Trident. *sess.* 23. *cap.* 13. Dummodo alius Sacerdos sit ab Episcopo approbatus ad confessiones audiendas. Facit etiam expresse Clement. 1. *de priuileg.*

8 Aduertendum tamen in Synodo Valentina, de Anno 1631. Decreto primo, Statutum esse, vt infantes in propriis Parochiis baptizentur, nec posse in aliena baptizari, etiam de licentia proprij Parochi, absque licentia Ordinarij: salua tamen consuetudine Metropolitanæ Ecclesiæ, *de qua sup. hoc cap. numer.* 5.

9 Ex commissione etiam Episcopi, vel Parochi (non autem ex officio) possunt solemniter baptizare Diaconi, non vero inferiores Clerici, ita Sotus *in* 4. *dist.* 4. *quæst. vnica, art.* 1. *col.* 3. Reginald. *lib.* 27. *cap.* 6. *num.* 40. & latè Coninch 3. *part. quæst.* 67. *artic.* 1. *dub.* 1. *numer.* 12. *&* 13. *& dub.* 3. *per totum.* Bonacina *de Sacram disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. & cum aliis Barbosa *de offic. & potest. Episc. part.* 2. *cap.* 17. *num.* 10. vide Suarez *tom* 1. *de Sacrament. disp.* 16. *sect.* 2. & ea quæ dixi *lib.* 1. *de Sacram* vbi de ministro baptismi colligitur *ex c. Diaconus dist.* 93. *& cap. constat baptisma de consecr. dist.* 4. vbi prohibetur Diaconis ex officio baptizare: conceditur tamen eis, ex Presbyteri, seu Parochi commissione; quod apertè indicant illa verba Gelasij *in dict. cap. Diaconos*; Diaconi absque Episcopi, vel Presbyteri licentia baptizare non audeant: ac si dicat, posse de eorum licentia, pro qua faciunt illa verba quæ dicuntur in ordinatione Diaconi: Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare: quod intellige ex Episcopi, vel Parochi commissione præter quam commissionem, requiritur etiam iusta causa: nimirum necessitas, quæ non debet esse extrema: quia tunc laici etiam baptizare (non tamen solemniter) possunt; sed sufficit aliqua notabilis, vt docet Coninch *sup. dub.* 1. *cit. num.* 14. v. g. si vel ob multitudinem baptizandorum vel ob infirmitatem, aliasve graues, ac necessarias occupationes, non posset Parochus satisfacere omnibus petentibus baptismum, nec baptismus sine aliquo incommodo potest diu differri; ita etiam Sotus *sup.* §. *prior conclusio,* vbi ait, iam exoleuisse consuetudinem committendi Diacono munus baptizandi solemniter, etiamsi adhuc fieri posset, vbi esset magna baptizandorum multitudo, & paucitas Presbyterorum, vt in terris remotioribus ab habitatione Christianorum, aut accessu difficilioribus. Clerico autem qui sit Diacono inferior, non licet solemniter baptizare, quia iura citata id solum concedunt Diacono, modo explicato, vt docent Reginald. *sup. num.* 40. *cit.* & Coninch *dict. dub.* 1. *num.* 15. Est enim hoc officium proprium Sacerdoti, & Diacono, modo dicto. De licentia autem Papæ potest committi inferiori Clerico, vt tenet Coninch *sup. dub.* 3. *num.* 24. quia solemnitas baptismi est de iure Ecclesiastico introducta, ac per consequens potest in ea Papa dispensare, ac proinde Clericus Diacono inferior, citra Papæ licentiam baptizans solemniter, fieret irregularis: similiter, & Diaconus, sine Parochi, vel Episcopi commissione: ex tit. de Clerico ministrante in ordine, quem non habet: quia vterque baptizat in ordine quẽ non habet. At merè laicus si solemniter baptizaret, peccaret quidem mortaliter, non tamen fieret irregularis, vt probabiliter tenet Henriquez *de baptismo, cap.* 19 *num.* 1. & Filliucius *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 85. quia ius in titulo dicit de Clerico ministrante in ordine quem non habet, vbi videtur loqui ad minus de Clerico, quamuis contrarium teneant Nauarr. *cap.* 27. *num.* 247. & Coninch *dict. dub.* 3. *num.* 24. *in fine.*

10 Dico quartò: Minister necessitatis baptismi est quilibet homo, siue Clericus, siue laicus: siue masculus, siue fœmina, quamuis censura aliqua innodatus existat: siue fidelis, siue infidelis sit, hæreticus, schismaticus, paganus, vel Iudæus; dummodo legitimam materiam, cum debita intentione applicent, ita communiter Doctores cum D. Thom. 3. *part. q.* 67. *art.* 3. & habetur expressè in Concil. Florent. in decreto de Armenis, his verbis: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos*, cui ex officio competit baptizare; in casu autem necessitatis,

non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, & mulier; imo, & paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & faciat quod facere intendit Ecclesia. Ratio est, summa necessitas baptismi, sicut enim Christus Dominus, qui vult omnes saluos fieri, voluit vt aqua, quæ communissima est, esset materia baptismi, ita etiam vt quilibet esset minister, ne aliquis remedio salutis careret.

11 Attamen, etsi validos sit baptismus à quocumque conferatur, vt tenet communis DD. cum S. Thom. *sup art.* 4. seruandus tamen est in hac re ordo, vt digniores præferantur: nempe Parochus aliis Sacerdotibus, Sacerdos Diacono, Diaconus Subdiacono, & aliis Clericis, Clericus laico, vir mulieri, fidelis infideli, præcisus non præciso, idest, excommunicato, suspenso, interdicto, vel degradato: quale peccatum sit talem ordinem inuertere: Vide inter recentiores Reginald. *lib.* 17. *cap.* 6. *n.* 44. Coninch *s p. q.* 67. *artic.* 1 *dub.* 2. & Henriquez *lib* 2. *de baptismo, cap.* 28. & Bonacina *tom.* 1. *disp.* 2. *qu.* 2. *punct.* 5. *num.* 10. Breuiter tamen dico præferre infidelem fideli, saltem ratione scandali videtur peccatum mortale. A fortiori si hæreticus præferatur: similiter si præferatur excommunicatus, præsertim si sit denuntiatus, quamuis non excommunicatus sit laicus, vt contra Henriquez *sup. num.* 5. tenet Coninch *loco cit.* 17. Inter fideles autem non excommunicatos omittere Sacerdotem volentem baptizare, etiam est peccatum mortale, vt cum multis tenet Bonacina *vbi sup. num.* 10. *in fine.* Videtur etiam mortale, absente Sacerdote, omittere Diaconum volentem baptizare, vt docet Coninch *vbi sup.* Ratio horum est, quia dictum ordinem subuertere, videtur res grauis: in aliis autem illum non seruare, solum videtur peccatum veniale; quia non videtur res grauis. ita etiam. Vide etiam quæ dixi *lib.* 2. *de Sacram.* vbi de ministro baptismi. Hoc tamen aduerte quotiescumque baptismus non confertur solemniter, qualiscumque huius ordinis fiat inuersio non incurri irregularitatem; quia tale ministerium non est actus ordinis, nec vsurpatur alienus ordo: ita Coninch *sup dub.* 5. *cit. n.* 23. cum Nauarr. *c.* 27. *num.* 242. & Candelabrum Aureum *quæst.* 38. *de baptismo:* cætera de ministro baptismi; vide apud DD. citatos in propria materia: pro nostro instituto sufficiunt dicta, cætera vide apud DD. citatos, & in materia baptismi in meis, vbi de hoc latè.

12 Constat ergo ex dictis: Primum ius Parochiæ, & Parocho competens est, vt ad solum Parochum pertineat suis ouibus Sacramentum Baptismi ministrare; ita tamen, vt si alius Sacerdos, absque Parochi licentia saltem tacita, & interpretatiua, illud ministret, peccet mortaliter, eo quod alienum vsurpat officium.

CAPVT. IV.

De secundo iure Parochi, quod est ministratio pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

Proprium ius Parochi est, vt ipsius oues cum eo saltem semel in anno confiteantur, vel cum alio, de licentia tamen illius. n. 1. *&* 3.

Aliter confessio erit inualida. num. 1. *&* 2.

Quod procedit de iure communi.

Parochiani possunt ex priuilegio etiam tempore Paschatis cum alieno confiteri. n. 4.

Regulares ab Ordinario approbati, possunt vti suis priuilegiis, circa confessionem etiam inuitis Parochis. ibid.

Pœnitenti asserenti se habere licentiam à proprio confitendi cum alieno credendum, &c. n. 5.

Similiter, si asserat se confessum esse, cum habente legitimè licentiam ibid.

Limita, vt ibi. De ministro pœnitentia remissiuè. num. 5.

1 Secunda conditio, qualitas, seu ius ad Parochum spectans est, vt populus Parocho subiectus, semel in anno eidem Parocho suorum peccatorum sacram faciat confessionem: vnde habet ius Parochus, vt ipsius oues, cum eo saltem semel in anno confiteantur, vel cum alio de licentia tamen ipsius Parochi. Probatur primo *ex cap. placuit, de pœnitent. dist.* 6. vbi Vrbanus secundus statuit, vt deinceps nulli Sacerdoti liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, cui prius se commisit, idest, cuius Parochianus est, vt explicat ibi Glossa *in verbo commisit:* ab alio enim ligari, vel solui non potest, vt habetur *in cap. quod autem de pœnitent. & remiss.* Ante Vrbanum licebat quidem cuilibet Christiano eligere quemlibet Sacerdotem, vt Nauarrus *in cap. placuit, num.* 1. & significat illud verbum textus, *deinceps*, quod præterita, non comprehendit, sed futura: Barbosa *in variis, vbi de dictionibus, dictione* 84. nam etsi Parochiarum diuisio iam antea fuerat facta per Dionys. Papam *in cap. Eccles.* 13. *quæst.* 1. *vt dictum est supr. n.* 3. vbi etiam cautum fuit, ne quis iudicaret nisi suum subditum, non fuit quoad hoc vsu recepta, vel abiit in dissuetudinem; ideoque ait Nauarr. *supra num.* 4. §. *respondetur*, fuisse renouatam ab Vrbano Secundo, quare post Vrbanum iam non licet cuilibet Sacerdoti confiteri, sed proprio est de iure facienda confessio: aliter enim inualida est, nisi licentiam à Parocho, vel eius superiori obtineat, vt latè Nauarr. *in dict. c. placuit,* & communiter DD.

2 Secundò probatur *ex cap. omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remiss.* vbi Innocent. III. in Concilio generali Lateran. præcipit, vt omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & infra si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ipse non possit soluere, vel ligare, vbi Pontifex duo disponit, & quod confessio sit facienda proprio, & quod facta alieno sine proprij licentia sit inualida.

3 Tertiò probatur ex Extrauag. 2. *in communibus de tregua, & pace*, vbi Sixtus Quartus ad concordiam reducendo Religiosos, & Episcopos, ac Parochos, inter alia ponit hanc clausulam. Quod etiam ipsi Mendicantes desistant prædicare; quod Parochiani non sint obligati, saltim in Paschate proprio confiteri Sacerdoti; quia de iure tenetur Parochianus saltem in paschate proprio confiteri Sacerdoti.

4 Ex quibus patet de iure communi, confessionem non esse faciendam proprio Parocho, & Parochi habere ius, vt sibi cum eo confiteantur. Dixi de iure communi, nam ex priuilegio Papæ, possunt Parochiani etiam tempore Paschali præcepti cum alieno confiteri, tale priuilegium habent Mendicantes, & alij Religiosi, ita vt per confessionem eis factam satisfaciant

satisfaciant præcepto, etiamsi proprij licentia non adsit, vt definiuit Benedictus vndecimus, *Extrauagant.1 de priuil.* IoanXXII. *Extrauag.vas electionis de hæreticis*. & nouissimè Clement. VIII. in sua Bulla Ann. 1592.22. Decembris, vt refert Coninch. *disp.8. de ministro pænit.dub.9. num.66.* Nec Sixtus Quartus in supra dicta *Extrauag. de tregua, & pace*, sustulit Mendicantium, & Religiosorum priuilegia circa hanc rem: nam Pontifex solum statuit spectato iure communi, & seclusis omnibus priuilegiis, omnes fideles teneri confiteri eum suis Parochis: possunt ergo Regulares per sua priuilegia confessiones sæcularium audire, etiam Parochis contradicentibus, vt concessit Alex. IV. vt refertur in compendio priuilegiorum, *verb. absolutio quoad sæculares* 2. §.1. & alij Pontifices, vt referunt Rodrig. *tom.1.quæst.60. art.4.* Miranda *in Manuali prælatorum, tom.1.quæst.44. art.14 conclus.2.* Fr. Ioan. à Cruce *de statu Religiosorum, lib.2.cap.6. dub.1. concl.3.* Fagundez *præcepto 2. lib.1.cap.5.* qui omnes, & cum iis Barbosa *de offic. & potest. Parochi, cap.19.num.22.* addont, hoc procedere, etiamsi Episcopi in licentiis regularibus concessis dicant, quod Parocho tenuentes, eis non vtuntur; quia ipsi Ordinarij non possunt in hac re, priuilegia à Papa concessa tollere, aut limitare; hæc autem intellige, modo regulares approbati sint ab Ordinario ad audiendas confessiones sæcularium, iuxta Tridentin. *sess.23. num.15.* qua approbatione supposita, nec possunt impediri à Parocho, nec vocati à sæcularibus infirmis, eorum confessiones excipiant, prout etiam à sacra Congregatione Cardinalium refert declaratum Barbosa *sup. num.23.* modo tamen ab Ordinario approbati sint, & postea quam infirmorum confessiones audierint, statim Parochum, seu Curatum certiorem faciant, vt declaratum est in vna Senogallien. 22. *Ianuarij 1616.* hæc autem certioratio in Hispania non est in vsu. Satisfaciont etiam Patochiani huic præcepto si confiteantur cum approbato à suo Ordinatio secundum dispositionem Trident. *sess.23.c.15.* & communiter DD. in materia pœnit. & probat communis consuetudo vsu recepta.

5 Cætera de ministro pœnitentiæ non faciunt ad nostrum institutum. Vide DD. in hac materia, sufficit nobis probasse de iure communi confessionem esse faciendam proprio, aut alteri, de proprij licentia, quomodo, & quibus proprius Parochus, aut etiam Vicarius perpetuus date possit hanc licentiam: dictum est à nobis *in Exposit. Cruciatæ lib.1. §.7.dub.5. à num.10.* vbi etiam *num.22.* explicatum est, quid iuris circa hoc habeat Vicarius temporalis, seu Vicariatus à Rectore principali delegatus, quando scilicet, & quomodo possit suam facultatem, & commissionem alteri delegare: vide de iis Barbosam *de offic. & potest. Parochi, cap.19. à n.24. vsque 38.* alter nota hunc delegatum teneri credere, pœnitenti dicenti se habere licentiam à proprio Parocho, vt illi ministret Sacramentum pœnitentiæ, vt docent Abb. *in Clement. 1. de priuil. num.1.* Syluest. *confessor 1. quæst. 17.* & cum aliis Barbosa, *sup. num.30.* sicut tenetur Parochus credere Parochiano asserenti, se confessum esse cum habente legitimè licentiam ab eo absoluendi, nisi Parochus haberet signa probabilia mendacij pœnitentis. Bonacina *de Sacrament. disp.5.quæst.5.sect.2. punct.4. num.36.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp.37. num.1. vers. Secundo.* Attamen non debet Parochus credere pœnitentem impleuisse præceptum annoæ confessionis, nisi id probet per schedulam, aut alias legitimè, vt dixi in Decalogo *lib.3. cap.4. dub.2.* Syl. sup. Ioan. Valero *in suis differentiis, differentia 5. in fine*, & Barbosa *supra num.32. vbi num.33.* addit, non esse credendum in foro externo, confessatio asserenti se absoluisse à censuris: sed de hoc vide *in nostra Expositione Bull. Cruciatæ, lib.1.§.7.cap.2. dub.9.n.3.* vide *dub.10.n.10. & dub.11 .n.3.* vide de omnibus his, in *hoc cap. dictis, in nostra materia de pænit.* vbi de ministro eius.

CAPVT V.

De tertio iure Parochi, quod est ministratio sacræ Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

Minister consecrationis sacræ Eucharistiæ est solum Sacerdos, quamuis sit excommunicatus, &c. num.1.

Minister sacræ Eucharistiæ, ex officio, debet esse Sacerdos: in necessitate, & ex commissione Sacerdotis si haberi potest, poterit Diaconus etiam corpus ministrare n.3.

Non autem licet inferiori Diacono, nec sibi, nec aliis eam, etiam in necessitate ministrare. ibid.

Sacram Eucharistiam ministrare, solum licet Pastoribus Ecclesiæ, vt Pontifici, Episcopis, & Parochis. num 4. & 6.

Vnde illam administrans sine horum licentia (idem de accipiente ab illo) saltem interpretatiua, peccat mortaliter. ibidem.

Non tamen fiet irregularis si sit Sacerdos, benè si non sit Sacerdos, modo sit Clericus.n.5.

De licentia proprij potest simplex Sacerdos etiam regularis, ministrare sacram Eucharistiam.n.7.

Sufficit licentia tacita, præsumpta, seu interpretatiua.n.8. Quid de extrema necessitate. ibid.

Sacram Eucharistiam sumens de manu alterius, quam proprij Pastoris, nõ satisfacit cõmunioni Paschali, nisi sit Peregrinus, aut habeat licentiam Parochi, quam prohibuit Parochis concedere tempore Paschatis D.D. Martinus Ayala Archiepiscopus Valent.n.9.

Quid si adsit iusta causa eam concedendi. ibid.

Parochianus non satisfacit præcepto, sacra Eucharistia, accipiens illam à Parocho Ecclesiæ Cathedralis.n.10.

Archipresbyter Cathedralis non potest ministrare Sacramenta alienis ouibus ad illum venientibus. num.10.

Religiosi, ministrantes laicis sacram Eucharistiam præsumptuosè, incurrunt excommunicationem. num.11.

Quid si laicus sit in articulo mortis. ibid.

Et Parochus denegat Religiosis licentiam. n.12.

Religiosi habent priuilegia ministrandi in suis domibus sacram Eucharistiam laicis, excepto die Paschatis.n.12.

Quid intelligatur per diem Paschatis. ibid.

Quare hodie in die Paschatis Religiosi ministrant sacram Eucharistiam n.13.

Religiosi an possint ministrare sacram Eucharistiam suis familiaribus, seu famulis, aut Tertiariis per sua priuilegia.n.14.

Quid de Religiosis in partibus Indiarum existentibus.n.15.

1 AD intelligentiam nota, ministrum Eucharistiæ posse dupliciter considerari. Primò, quantum ad confectionem ipsius Sacramenti, qui sic

sic dicitur minister consecrationis. Secundò, quantum ad dispensationem, seu distributionem ipsius Sacramenti, qui dicitur minister dispensationis, seu distributionis.

2 Dico igitur primò: Minister consecrationis est solus Sacerdos, vt tenet Catholica fides, estque definitum in Concilio Niceno *Can.* 14. Conc. Lateran. sub Innocent. III. *cap.* 1. Florent. in litteris Armenis, Trident *sess.* 22. *cap.* 1. & communiter Doctores cum S. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 1. ex Bellarm. *lib* 4. *de Euchar. c.* 16. Suarez 3. *part. disp.* 61. *sect.* 3. Henriq *lib.* 8. *c.* 44. Christus enim solis Sacerdotibus Apostolis, scilicet, & eorum in sacerdotio successoribus dedit potestatem suum sanctissimum corpus consecrandi, vt ex illis verbis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* colligunt sanctos Patres, & Doctores, supposito ergo charactere Sacerdotali quilibet Sacerdos, siue hæreticus, siue schismaticus, siue excommunicatus, siue degradatus, si habet legitimam intentionem, & applicet debitam materiam, & legitimam formam, validè consecrat, vt Doctores tenent communiter cum S. Thom. 3. *part. qu.* 82. *art.* 7. & 8. Retinent enim characterem Sacerdotalem, & consecrandi potestatem quando ergo *in cap. accedens, dist.* 30. *de degradatis*, & multis aliis decretis 1. *qu.* 1. Dicitur consecrationes hæreticorum esse irritas, intelligendum est, vel quoad debitum vsum, quia sunt suspensi *ex cap. ordinationes*, 9. *q.* 1. vel quoad ipsas ordinationes, quæ non sunt factæ debito, & essentiali ritu, persæpe enim habent prauam intentionem, non adhibent debitam materiam, &c. quo pacto concedimus esse irritas, de quo Suarez plura *sup. disp.* 61. *sect.* 3. De intentione requisita in consecrante, agunt Doctores in materia Sacramentorum in genere, & in hac materia, & Deo dante, dicemus in *tract. de Sacram. lib.* 1. *cap.... dub.... & lib.* 4. *cap.* 6. *dub.* 1.

3 Quoad ministrum dispensationis est etiam distinguendum, aut competit ei ex officio, & lege ordinaria, in omni scilicet euentu tam in casu necessitatis, quàm extra illam, aut solum in necessitate: minister ergo ex officio debet esse Sacerdos, vt communiter Doctores cum S. Thom. 3. *p. q* 82. *art.* 3. vt enim in conficiendo, ita, & in ministrando Sacerdos Christi personam sustinet, qui hoc Sacramentum in Cœna confecit, & distribuit. Vide Trident. *sess.* 13. *cap.* 8. patet etiam *ex cap. peruenit, de consecr. dist.* 2. In necessitate autem ex Sacerdotis commissione, & Ecclesiæ dispensatione, poterit Diaconus, non solum sanguinem, sed etiam Christi corpus ministrare, vt probat latè Coninch *in* 3. *p q.* 82. *art* 3. *n.* 18. & 19. in Concil. enim 4. Carthaginensi *Can.* 18. dicitur, vt Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, eroget. Duo ergo requiruntur, vt possit Diaconus Eucharistiam ministrare. Primum, vt necessitas adsit, vt habetur in Concil. cit. vnde si adesset alius Sacerdos, non posset tunc Diaconus, quia cessat necessitas, requiritur etiam commissio, & licentia proprij Sacerdotis (de quo statim) quod intellige, si facilè haberi potest: aliter enim vrgente necessitate, posset hoc Sacramentum distribuere sine vlla expressa commissione: quia Sacerdos in hoc casu censetur ei commisisse, cum ad id teneatur, vt expressè docet Gelasius Papa *epist.* 1. *cap.* 10. vide Coninch *sup. num.* 21. inferior autem Diacono, vt Subdiaconus, aut laicus, nec sibi, nec aliis etiam in necessitate possunt Eucharistiam ministrare, vt cum aliis tenent Bonacina *de Sacram. tom* 1. *disp.* 4. *quæst.* 5 *punct.* 1. *num.* 6. *vers. Sed contrarium:* Etsi oppositum non iudicent improbabile Coninch. *sup. num.* 23 & Suarez *dist.* 72. *sect.* 3. *ad fin.* sed prior sententia tanquam verior tenenda: quia non est Eucharistia tantæ necessitatis, vt eius dispensatio, etiam in necessitate Subdiaconis censeatur commissa, imo hoc tempore ob Sacerdotum copiam, & multitudinem, non videtur in vsu, vt Diaconus Eucharistiam ministret, etsi olim sanguinem ministrauerit: nunc vero solum Cardinalis Diaconus illum Papæ celebranti subministrat: ita citati.

4 Dico secundò: Etsi cuiuis Sacerdoti ratione ordinis competat aliqua ratione distributio huius Sacramenti, non potest tamen licitè quiuis cuilibet Eucharistiam ministrare, sed hoc soli Parocho, & Pastori (excipe Papam in tota Ecclesia, & Episcopum in suo Episcopatu) competit de iure communi: sicque liberum non est, suscipere à quolibet Sacerdote Sacram Eucharistiam, sed à Pastore, vel ab alio Sacerdote de pastoris licentia, & in hoc consistit ius Parochi, & Parochiæ. Probatur ex Concilio primo Carthagin. *cap* 7. & ex Mileuitano *cap.* 18 & *ex cap. omnis vtriusque sexus, de pænit. & remiss.* ibi enim Innocentius III. postquam præcipit, vt quisque fidelis saltem in Pascha à suo proprio Sacerdote absolutionem à peccatis recipiat: addit, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum. Ex quo colligunt Doctores administrationem Eucharistiæ competere iure ordinario proprio Sacerdoti, vel alteri de Pastoris licentia. Requiritur enim ad illud ministrandum iurisdictio, vt docet Coninch 3. *part. quæst.* 82. *art.* 3. *n.* 28. & cum Rodrig. Nauarr. Reginald. dixi *in Expositio. Bulla lib.* 7. §. 3. *dub.* 8. *num.* 2. & cum aliis, docent Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 9. *n.* 259. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *q* 5. *punct* 1. *num.* 6. *in fine*, & Suarez videndus *disp.* 72. *sect.* 2. ac Barbosa *de offic. & potest. Parochi, cap.* 20. *num.* 2. & dixi latius in materia Sacramenti Eucharistiæ, vbi de ministro, & statuit Concilium Carthaginense citatum: Et ratio est, quia ministratio Sacramentorum, & gregem Christi pascere munus est, non cuiuscumque, sed proprij Pastoris; & pabulum præcipuum est Sacrosancta Eucharistia, ac proinde, qui sine licentia saltem tacita, aut priuilegio, siue in Paschate, siue extra, etiam in articulo mortis Sacram Eucharistiam ministrat, peccat mortaliter; vt docet Nauarr. *cap.* 21. *num.* 52. & cum eo Coninch *sup. num.* 28. Reginald. *lib.* 29. *quæst.* 5. *num.* 90. & cum aliis Barbosa *vbi sup.* quia qui in re graui alienum officium vsurpat, lethaliter peccat, vt docet idem Nauar. qui scienter à non suo Parocho, vel alio de Parochi licentia, vel priuilegio hoc Sacramentum suscipit: quia non est ei liberum à quocumque, sed à suo Pastore suscipere. Nauarr. *c.* 21. *n.* 52.

5 Nota tamen, etsi grauiter peccet sine licentia proprij administrans Eucharistiam alienis ouibus, non tamen incurrit censuram aliquam (dummodo non sit Religiosus de quo postea) si ministrans est Sacerdos; quia non habetur in iure. Quod si non sit Sacerdos dummodo saltem sit Clericus, fiet irregularis: quia distributio Eucharistiæ, quando fit propria auctoritate, est ordinis Sacerdotalis, & consequenter non Sacerdos eam distribuens, exercet ordinem quem non habet. Dixi, dummodo sit Clericus: nam si est merè laicus, non fiet irregularis, vt à simili dictum de baptizante laico solemniter, *cap.* 3. *n.* 9. cum Henriq. *lib de baptismo, c.* 29. *n.* 1. quia titulus dicit de Clerico ministrante in ordine quem non habet: & quamuis præcisè distributio Eucharistiæ, nō sit actus ordinis Sacerdotalis, est tamē ei annexa ex Ecclesiæ institutione, quod sufficit, vt Clericus eā ministrans,

ministrans, non Sacerdos, fiat irregularis, vt benè docet Henriq. *lib.2.cap.29.num.1.& lib.14 cap.6.n.1.* & Sayr. *in thesaur.lib.7.c.10.n.6.*

6 Ex quo patet de iure communi, nullum Sacerdotem sæcularem, siue regularem etiam in suis Monasteriis, posse fidelibus laicis sacram Eucharistiam ministrare etiam in articulo mortis, sine proprij licentia expressa, aut saltem tacita, vt docet Nauar. sup. Vnde nec beneficiarius in sua Parochia, absque sui Parochi licentia, potest illam distribuere: ius enim absolutè loquitur. Meritò ergo Dominus meus Don Ioan. à Ribera Patriarcha Antiochen. & Archiep. Valent. in vltim. Synodo Decreto 9. sub excommunicationis pœna prohibuit absolutè omnibus, ne detur sacra Eucharistia in priuatis domorum Oratoriis, cum in illis aliàs licitè Missa celebratur. Idem prohibuit Cardin. Abauria. Archiepis. Panormit. In suo Synodo, teste Diana,

7 Dixi semper, absque licentia proprij Pastoris: nam de ipsius licentia, certum est licere etiam regularibus Sacerdotibus sacram Eucharistiam distribuere, vt communiter docent DD. *ex cap. omnis vtriusque sexus.* Potest ergo illam concedere Papa in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus in sua Parochia, in qua habet ordinariam potestatem. Vide Nauarr. *cap.21.num.52.cit.* Potest autem Parochus hanc licentiam delegare simplici Sacerdoti, etiamsi is non sit ab Episcopo approbatus ad Sacramenta ministranda, vt latè Reginald. *sup.num.92.* cum Suarez *3.part. disp.72.sect.2. §.duo vero:* & confirmat ipsa consuetudo: nam in delegato quoad hunc effectum solum requiritur ordo Sacerdotalis: quia Trident. *sess.23. cap.15.* solum loquitur de approbatione, quoad Sacramentum pœnitentiæ.

8 Aduertit tamen primo Nauarr *c.21.num 52.cit.* & benè quidem videri excusatum à prædicto peccato mortali, eum qui Sacramentum Eucharistiæ acciperet, aut ministraret, quando ex circumstantia personæ: vel temporis, vel alicuius causæ iustæ credi potest, iudicio boni viri, Parochum fore contentum, si rem intellexerit. Ratio est, quia ad distributionem Eucharistiæ non requiritur iurisdictio tanquam ad eius substantiam, sicut requiritur ad pœnitentiæ Sacramentum validè ministrandum; sed solum ad debitum ordinem, & modum seruandum in gubernatione populi Christiani, quare ad licitam Eucharistiæ distributionem sufficit probabilis spes, præsumptio, aut ratihabitio de futuro, seu futurus pastoris consensus, ita Reginald. *sup.n.91, §.aduerto secundo,* Filliuc. *tom.1.tract.4.cap.9.n.*260. & dixi *in Bulla, lib.1.§.3.dub.8 n.7.* & in materia Eucharistiæ, vbi de eius ministro, idem Nauarr. *supr. cit.* tenet, deficiente Parocho, & vrgente necessitate in articulo mortis adhuc non posse fideles accipere Eucharistiam à simplici Sacerdote sæculari, seu regulari, sine licentia saltim tacita Pastoris. Contrarium tamen existimo probabile, vt tenet Reginald. *num.93.sup.* cum Suarez *in fine sect. cit.* Talis enim præsumitur pia matris Ecclesiæ intentio: nam cum in hoc casu concedat Sacramenti pœnitentiæ administrationem simplici Sacerdoti, à fortiori Eucharistiæ, nimirum vt suis fidelibus subueniat, non tantum in extrema necessitate spirituali, sed etiam in graui, qualis est sumptio sacræ Eucharistiæ in mortis articulo: in aliis vero necessitatibus ad hoc, vt de manu simplicis Sacerdotis licitè Eucharistia accipiatur, requiritur præsumpta rationabiliter Parochi voluntas, vel certè Episcopi, vel Summi Pontificis, si de praua Parochi voluntate constaret, vt docent Suarez, & Reginald. *sup.* Quod si Parochus det licentiam sibi subdito, vt à quocumque Sacerdote possit sacram communionem sumere; posset illam etiam à Religioso recipere; quia respectu illius censetur specialis, Barbosa *de offic. & potest. Parochi, cap.20.num.7.* vide Sanchez *lib. 3. de matrim.disp.23.num.17.* & Mirandam *in manu. Prælat.tom.1.quæst 42.art.1.* & Hieron. Roder. *in comp. qq.regular. resol.*109. *num.3.* Hoc autem intellige excepta communione Paschali, vt *infra n. seq.* concessa autem facultate alicui ministrandi Sacramentum confessionis, non censetur concessa ministrandi Sacram Eucharistiam. Filliucius *tom. 1. tractat. 4. c.9.num.*263. quia sunt duæ actiones separabiles & distinctæ.

9 Aduerte secundò: Sumentem Eucharistiam de manu alterius, quam proprij Sacerdotis, absque ipsius licentia non satisfacere præcepto Ecclesiastico de annuali communione, habetur expressè *in cap. omnis vtriusque sexus*: idque comprobat communis fidelium consuetudo, qui tunc temporis Eucharistiam accipiunt in propria parochia, vel vt alibi sumant, à Parocho licentiam postulant: vnde qui in Paschate sine proprij licentia in aliena communicat, tenetur quam primum poterit in propria communicare. Limita tamen nisi sit viator; nam si in aliena repertus commodè ad suam redire nequeat, ibi poterit huic præcepto satisfacere, vt benè Azor. 1.*tom.lib.7.cap.30.quæst.*8. & Reginald. *supra num* 94. ex Caiet. *verbo absolutio à peccatis,* qui refert, se legisse Eugenium Quartum concessisse, seu declarasse viuæ vocis oraculò, viatores vbi se inuenerint in Paschate censendos tanquam immolatum adeptos, quoad Sacramenta Eucharistiæ, & pœnitentiæ, vnde quoad hæc duo non indiget, tunc proprij Parochi licentia. Vide in nostrum Dialog. *lib.3.cap.5.num.*12. *& lib.3.de Sacramentis, vbi de ministro Eucharistiæ.* Idem Reginald. *sup.n.94. §. vltima propositio,* tenet, si Parochus liberum relinquat suis subditis, vt in Paschate, vbi voluerint sacram Eucharistiam sumant, posse tunc etiam ad satisfaciendum præcepto Eucharistiæ eam accipere de Religiosorum manibus, idem tenet Sorbo *in comp. priuilegior. mend verbo communicare, §.*17. non obstante Clementina 1.*de priuileg.* de qua statim, asserunt namque, sufficere in licentia exprimere Sacramentum, quamuis non exprimatur persona. Attamen cum materia hæc sit exorbitans à iure communi, non videtur tam ample interpretanda, cum dispensationes, quæ sunt contra ius commune, non ample, sed strictè sint interpretandæ, vt diximus *lib. 1. de Exposit. Bullæ, dub.4. Proœmiali:* Vnde meritò D.D. Martinus Ayala Archiep. Valent *in Synodo Prouinciali, sess.2.c.*20. prohibuit Parochis sub mulcta duarum librarum, ne tempore Paschalis licentiam concedant suis ouibus sumendi Eucharistiam extra propriam Parochiam, nisi ex cõsensu ordinarij. Attamen si iusta adsit causa, absitque abusus, & contemptus, & maximè si ordinarius adiri commodè nequeat, licitè Parochus eam concederet: quia hoc ei à iure cõmuni est concessum *ex dict.c.omnis,* & cessante abusu, videtur cessare etiam prohibitio Synodalis, quæ fortè ob abusum fuit facta, adde, quia in dispensatione, seu vt propriè loquamur in interpretatione ieiuniorum. & laborandi in die festo communiter, non ad Episcopum, etiamsi facilè adiri possit, (nisi pro foro externo) sed ad Parochum concurrunt fideles, vt dixi in Decalogo *lib.3.c.1.dub.10.n.*13.

10 Obserua tertiò: Quosdam quos refert Sanchez *lib.3.de matrim.disp* 27.*n.1.* & Barbosa *de offic.& potest.Parochi, c.20.n.*12. inter quos est Gutierr. *in qq. Can.lib.1.c.27.n.24* & Bonac. *tom.1. disp.4. quæst.7. punct.2.*

puncto 2. num. 11. & si in fine oppositum sentire videatur, existimare parochianus satisfacere præcepto Ecclesiæ, si Eucharistiam sumant in Ecclesia Cathedrali suæ Diœcesis, à Parocho, seu Archipresbytero illius, nam putant Archipresbyterum, seu Parochum prædictum posse audire confessiones, consequenter administrare omnia Sacramenta etiam Eucharistiam omnibus fidelibus illius Diœcesis absque licentia proprij. Verius tamen, & tenendum est, vt praxis confirmat talem Parochum, non posse alienis ouibus, absque proprij licentia Eucharistiam, aut alia Sacramenta ministrare: nisi esset alicubi Presbyter deputatus, ad quam possent omnes de Diœcesi gratia recipiendi Sacramenta confluere, quod raro contingit; nam in consuetudine positum est, solum habere potestatem in sua Parochia, vt dixi in Decalogo *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 12. cum Sanchez vbi sup. & Bonacina *loco citato*, vide ibi, *& lib.* 8. *de Sacramentis*, vbi de assistentia Parochi in matrimonio.

11 Quartò aduerte *in Clement.* 1. *de priuileg.* latam esse excommunicationem Pontifici reseruatam contra Religiosos, qui sine licentia Parochialis Presbyteri administrant Eucharistiam Clericis, vel laicis, quam non incurreret, si aliis Religiosis eam daret: quia textus solum loquitur de Clericis, vel laicis; ita Coninch 3. *part. quæst.* 82. *art.* 3. *num.* 29. ad quam incurrendam requiritur aliqua præsumptio; quia textus dicit præsumpserint: quare qui omnino bona fide crederet, gratum esse proprio Pastori, vt det ipsis subdito communionem, aut si omnino huius constitutionis ignorantiam habuerit, eam censuram non incurreret, vt tenet Suarez 3. *part quæst.* 82. *art.* 3. *disp.* 72. *sect.* 2. Fillinc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 261. Bonacin. *tom.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 9. quia hoc modo ministrans, non agit præsumptuosè, quod si laicis infirmis vigeat necessitas, & adest periculum moriendi absque viatico, existimat Coninch *sup. num.* 32. posse tunc Religiosos ministrare laicis Eucharistiam ex priuilegio, quod (inquit) Paulus III. concessit Societati Iesu. Attamen verius censeo, id non posse etiam in hoc casu, quamuis non adsit copia proprij Parochi, qui eam ministret, vt cum Syluest. & aliis tenet Sayrus *in thesauro, lib.* 3 *cap.* 29. *num* 30. quia hoc Sacramentum non est necessitatis. Nec obstat (inquit Sayrus) *cap pœnitentes, dist.* 50. quia intelligitur vt in morte detur viaticum, per illos scilicet qui possint: & sic intelligitur *cap. quod in te de pœnit. & remiss.* vbi consecutiuè conceditur, viaticum ad pœnitentiam, quod verum est, vt cui exhiberi potest vnum, possit & aliud, non tamen à quocumque, cum illa non sint paris necessitatis. Probabile tamen est, excusari posse ab hac censura Religiosos, qui ministrant laicis Eucharistiam in articulo mortis, vt tenet Bonacina *sup. num.* 10 & cum eo Barbosa *de offic. & potest Parochi, cap.* 10. *num.* 7.

12 Circa Religiosos etiam aduerte, Nicolaum V. Sixtum IV. & Leonem X. concessisse omnibus fidelibus, vt possint Sacram Eucharistiam de manu, & in domibus regularium accipere quouis tempore anni; die tamen Paschatis excepto, qua in re Suarez 3. *part quæst.* 82. *art.* 3. *disp.* 72. *sect.* 3. *vers. Censeo igitur*, & Rodrig. 1. *tom. quæst.* 56. *art* 3. *vers. Ad hanc.* Coninch *quæst.* 81. *art.* 3. *num.* 31. Fagundez *in quinque præcept. Eccles præcepto* 3 *lib.* 3. *cap* 2. *num.* 18. & alij apud Barbosam *de offic. & potest. Parochi, cap.* 10. *num.* 10. & Hieron. Rodrig. *in comp. qq. regul. resol.* 127. *num.* 3. per diem Paschatis intelligunt, diem Paschalem formaliter, hoc est, ipsam communionem, per quam adimpletur præceptum Paschatis communionis, vnde asserunt, qui iam huic præcepto satisfecit, potest ibi in die Paschatis Eucharistiam ex deuotione accipere. Idem tenet Layman *in Theologia morali lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. vbi quantum ad praxim existimat (& bene) considerandam esse Parochi voluntatem; vtrum scilicet, is contentus esse videatur, vt Paschali etiam tempore à regularibus Sacra Eucharistia suis ouibus ministretur ex deuotione. Addit deinde, quantum fieri potest, ipso die Dominicæ Resurrectionis abstinere debent à parochianis communicandis, cum ipsis eo die ministratio Eucharistiæ interdicta sit, si Parochi non consentiant, ita refert Barbosa *vbi supra num.* 10. *circa finem.* Verius tamen est, diem Paschatis sumi materialiter pro ipso die Paschæ: ita vt nemo eo die, etiam ex deuotione, in domibus Religiosorum possit accipere Sacram Eucharistiam, vt tenet. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 52. Azor, 1. *tom. lib.* 7. *cap.* 30. *quæst.* 7. in quam etiam sententiam inclinat Collector priuilegiorum mend. *verbo communicare*, de qua latiùs diximus *lib.* 1. *Bulla*, §. 3. *dub.* 7. *in fine*, idque constabit consideranti attentè supradictas concessiones. Idem Collector, *verbo commutare*. §. 10. refert Leonem X. in Concil. Lateran. statuisse Religiosos non posse Eucharistiam, & Extremam vnctionem infirmis ministrare, etiamsi dicant proprios Sacerdotes ea ipsis denegasse, nisi denegatio sine legitima causa facta vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram notario publico facta doceretur: sed de hoc *infra cap.* 7.

13 Quod si dicas: regulares etiam in die Paschæ, laicis ex deuotione cõmunicantibus ministrare sacrã Eucharistiam. Respondeo, hoc esse, & fieri de licentia, & facultate Parochorum tacita, & interpretatiua, quod interpretatur tolerata consuetudo: nam id scientes, & videntes, & non contradicentes consentire videntur. Sic in nostra ciuitate Valentina, inoleuit consuetudo, tacito Parochorum consensu introducta, vt Parochus in sua parochia alienis etiam ouibus possit ministrare Eucharistiam tempore Paschatis, communionis excepto: vt dixi *in Bulla loco citato.*

14 Aduerte etiam, Regulares ob sua priuilegia, de quibus Compendium priuilegiorum, *verbo familiaris fratrum*, Portel, *dub. Regul. verbo Sacramentorum administratio*, Rodrig. *tom.* 2. *quæst.* 56. & Hieron. Roder. *in Compendio qq. regular.* posse administrare Sacramentum Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, & Pœnitentiæ familiaribus Conuersus ibi habitantibus; quod procedit, vt ait Villalobos *part.* 1. *tract.* 7. *diff.* 47. *num.* 5. etiam in famulo coniugato, qui ob id non dormit in Monasterio, si in ipso Monasterio ægrotat, qui est continuus commensalis, *sup. num.* 9. vide in Decalogo *lib.* 3 *cap.* 5. *dub.* 2. *num.* 11. Non tamen posse Regulares dare Eucharistiam tempore Paschatis, nec in articulo mortis Tertiariis in domibus suis priuatis habitantibus: quia vt refert Rodrig. *sup. quæst.* 56. *art.* 10. eis nullum datur priuilegium circa hoc concessum: vide Villalobos *sup.* vide Bonacinam *tom.* 1. *disput.* 4. *quæst.* 7. *num.* 10.

15 Demum aduerte, Religiosos etiam non mendicantes in partibus Indiarum, de licentia Capituli Prouincialis, posse parochi officium exercere, intra, & extra Monasteria in locis assignatis per ministros Regis Hispaniæ, nulla Ordinarij licentia requisita; ibique exequi omnia prædictum officium concernentia, etiam transeundo per terminos alienæ parochiæ Clericorum, habere etiam scholas ad docendos pueros, & colligere oblationes in suis Ecclesiis, vt concessit Pius V. ad instantiam dicti Regis Philippi II. Adrian. VI. & Pius V. & Sixtus V. prout

refert

refert Hieron. Rodrig. *in compend. qq. regular. resol.* 109 *n.* 1. & *a resol.* 127. *n.* 10. vide Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 31. *n.* 18. vide infra *c.* 5. *vers. Adverte tamen. & cap.* 6. *dub.* 1.

CAPVT VI.

De quarto iure Parochi, quod Parochiani diebus festis in propria Parochia Missam audiant.

SVMMARIVM.

Laudabilis consuetudo audiendi Missam in propria Parochia. num. 1.

An hoc sit ex precepto. n. 2.

Antiquitus prohibitum non dicere Missas priuatas ante Conuentualem, seu Parochialem, quæ celebrabatur hora tertia: & monetur vt populus ieiunus ad eam accedat. n. 2.

Quas pœnas incurrat non assistens Missæ Parochiali. num 2.

Causa cur Missa Parochialis audienda sit in propria Parochia, num. 3.

Missa Parochialis est veluti tessera fidei Catholicæ. num. 4.

Præsules Hispani orarunt sacri Concilij interpretes, vt præciperet Missam Parochialem, audiendam esse ex præcepto. n. 4.

An Parochiani ita teneantur in sua Parochia Missam audire, vt si illam extra propriam Parochiam audiant, & peccent, & præcepto de audiendo sacro satisfecisse minimè censeantur. n. 5. 6. 7.

Missam audiens extra suam Parochiam sine iusta causa, & contempto Rectore, peccat secundum ius commune. n. 7.

Quænam sint causa iusta, & quando dicatur contemni Parochus. ibid.

Hoc ius commune est abrogatum per contrariam consuetudinē, modo absit contēptus Parochi proprij. n. 8.

Ideo satisfaciunt audientes Missam in Monasterijs, aut in Oratorijs, modo Parochus non contemnatur. n. 9 *&* 10.

Paulus V. quomodo prohibuerit, ne Missa dicatur in Oratorijs. n. 10.

Episcopus an concedere possit, vt dici possit Missa in Oratorio. n. 10.

D. D. Ioan. à Ribera prohibuit, ne Missa in diebus festis audiatur in Oratorijs, nisi fiat infirmi. n. 10.

Episcopus Andegauensis quid disposuerit circa Missam Parochialem. n. 10.

Episcopus non potest præcipere sub excommunicatione, aut alijs pœnis (benè simplici præcepto) vt Parochiani in suis Parochijs Missam audiant. n. 11.

An teneantur ibi concionem audire n. 12.

Vtilissimum est Parocho, & Parochianis, vt ij in sua Parochia Missam audiant. n. 13.

Vbi referuntur circa hæc pia monitiones D. D. Ioan. à Ribera Archiepisc. Valent. & Sancti Caroli Berromei. num. 13.

An Parochiani teneantur in sua Parochia Missam audire, si Parochus non possit vitam sustentare, nisi ex oblationibus. n. 14.

Parochus an teneatur offerre Missam pro populo: & quid circa hoc dispositum sit in Synodo Valent. n. 15.

1 MAxima, & verè laudabilis fuit antiquorum Patrum diligentia, vt quisque suam Parochialem Ecclesiam conueniret, ibique Missam Parochialem audiret, vt doctissimè notat, & refert ex varijs Conciliis Ioan. Filesacus *in suo tract. de origine Parochiarum, cap.* 5. 6. & 7. cuius doctrinam pię ratè plenam hic referre minimè grauabor. Primo igitur *cap.* 5. probat, præceptum audiendi Missam esse antiquissimum, de quo dixi in Decalogo *lib.* 3. *cap.* 3. *in fine*. Secundò, *in c.* 6. probat obligationem audiendi Missam in propria Parochia, ex multis Conciliis.

2 Nam Concil. Trullanum *Canon.* 81. statuit, vt laicus, qui tribus diebus Dominicis in tribus septimanis suam Parochiam non conuenerit citra causa audiendi Missam, excommunicetur, Clericus vero deponatur. Idem statuit Concil. Burdegalense, ann. 1581. Concil. Senonse *cap.* 12. decernit, ne quis à Parochiali Missa abesse possit sine Parochi venia, aliàs puniatur: deinde, ne populus distrahatur à Missa Parochiali, & ab auditione mandatorum Dei, & Ecclesiæ, prohibet ne dicantur Missæ in Capellis diebus Dominicis, nisi post Missam Parochialem; quod ante septingentos, factitatum etiam scribunt Buchardus *lib.* 2. *cap.* 54. Ivo *part.* 2. *cap.* 119. ex dictis Augustini, vel ex Theodulpho Aurelianensi Episcopo his verbis: *Et hoc attendendum est, vt Missæ peculiares, quæ per dies solemnes* (id est Dominicos, vt ibi infra explicatur) *à Sacerdotibus fiant, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis Missarum solemniis, quæ hora Tertia Canonicè fiunt, abstrahatur.* Subdit, & admonet, vt populus ieiunus ad Missam, & prædicationem verbi diuini accedat: & quod Missa Parochialis hora tertia celebretur, vt populus à publicis solemnibus non abstrahatur. Idem ferè statutum est in Concil. Coloniensi in Germania, & Sanctus Carolus *in Concil. Mediolanen.* 4. statuit: quod si in die festo, etiam per illud Missæ sacrificium quod in aurora fit, populus à Missa Parochiali reuocetur, tunc Episcopus illud, etiam festo die post Missam Parochialem fieri, celebrari ve iubeat: In Gallia etiam idem statutum est diuersis Conciliis Remense Concil. *tit. de diebus festis, cap.* 2. ita ait: diebus Dominicis, & festis in suas Parochias populus conueniat, & Missæ, concioni & vespertinis intersit. Hoc idem strictè præcepit Synodus Turonensis ann. 1583. *cap. de Christi fidelibus laicis*: & addit, eos qui sine legitimo impedimento absunt à sua Parochia per tres dies Dominicos pœnas à Canonicis Sacris indictas incurrere: vide Filesacum *eodem c.* 6 *pag. vlt.* vbi explicat, quid sit fermenti panis benedicti vsus, seu panis benedicti vsus in sancta Ecclesia.

3 Tertiò: idem Filesacus *supra cap.* 7. enumerat causas legis, & præcepti de Missa Parochiali audienda. Prima est Pastores, & Parochi tenentur inter Missarum solemnia populum docere, vt statuit Concil. Trullanum *cap.* 19. Moguntinum *cap.* 25. & alia Concilia, quæ Filesacus *sup.* & nouissimè Trident. *sess.* 5. *c.* 2. & Synodus nostra Valentina, & dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 7. & 9. & *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 8 *num.* 13. Tenetur ergo populus audire Missam Parochialem, vt audiat Parochum suum docentem. Itaque (ait) par ratio obligationis vtrosque constringit, aut pari facilitate ab omni illo onere soluentur. Deinde Trident. *sess.* 24 *cap.* 4. sic ait: *Moneat Episcopus, diligenter populum, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Si ergo, inquit Filesacus, populus tenetur audire Parochum multa de Christo absenti prædicantem, multo magis tenebitur Christum præsentem in tremendis Missæ mysteriis à Pastore suo celebratis adorare & venerari. Addit; si Parochus diebus festis tenetur factū facere, vt populus missam audiat, ergo

teneтur populus audire missam Parochialem, vnde fit vt par sit etiam obligatio vtriusque: etsi populus non tenetur sacrificio Pastoris adesse, nec vicissim tenebitur Parochus sacrum populi sui causa facere.

4 Quartò: idem Filesacus *supra eodem capite 7. §. in ritus, circa finem, pag.* 661. sic ait: Missa parochialis, satis commoda, & opportuna ratio videtur, quæ legitimos Ecclesiæ filios à spuriis secernat, & subdit Missam Parochialem veluti tesseram fidei Catholicæ hoc tempore retineamus, ita vt qui non semel, sed sæpius illi interfuerit Catholicus ex animo censeatur: sic qui Synagogas Iudæorum vel hæreticorum conuenticula multoties frequentat præsumitur Iudaismi, aut hæreseos impietate teneri. Ea credo, ait Filesacus, ratio impulit maximos, & suorum salutis amantissimos præsules Hispanos Archiepiscopum Toletanum, & Episcopos Palentinum, atque Salmanticensem, vt oratores Sacri Concil. Tridentin. illustrissimos interpretes, quatenus censuerunt Missam parochialem ex præcepto, & lege Ecclesiæ audiendam. Aduertebant prudentissimi Pontifices, apud suos, & quod passim occurrit, in Hispania permultos esse, vel à Iudæis, vel à Sarracenis oriundos, & paternæ impietatis successores, vel alios idololatria, vel magia insignes: sed cum non facile discerni possent veri Christiani à fucatis, hosce ventilabrum optimi Antistites expostulabant, quo in area Domini paleæ istæ à frumento secernerentur. Concludit Filesacus, hæc in tantis fluctuantium animorum procellis securitas, vt dum in Ecclesias parochiales ad sacrum audiendum Parocho faciente, frequentes, legitimo, & ordinario Conuentu, vt ait Concil. Agathense, concurrimos, nos in Arca Noe, hoc est in Ecclesia Christi Catholica, & Romana certo esse sciamus, cum hyerarchico ordine, cuius vertex est Pontifex Romanus nostris maioribus Apostolicus dictus, religiose & sincere adhæremus.

5 Sed restat explicandum an parochiani ita teneantur in sua Parochia Missam audire, vt si illam extra propriam Parochiam audiant, & peccent, & præcepto de audiendo sacro, satisfecisse minime censeantur.

6 Ad intelligentiam nota *in cap. 2. de Parochiis*, statuit vt dominicis, idest festiuis diebus, Presbyteri, antequam Missam celebrent plebem interrogent, si alienus parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi velit Missam audire, quam si inuenerit, statim ab Ecclesia abiiciat. Et Sixtus Quartus in sua constitutione, quæ habetur inter extrauag. communes, & incipit *vices illius, titul de tregua, & pace*, sic ait: Cum iure sit cautum diebus Dominicis, ac festis, parochianos teneri audire missam in eorum parochiali Ecclesia.

7 Innocentius, Hostiensis, Abbas, & alij Canonistæ, existimant ius commune, ex capitibus supra citatis præcipere, vt quisque parochianus in sua parochia Missam audiat, ita vt in aliena diebus festis missam audire non possint, quorum doctrina intelligenda est dummodo proprius Parochus contemnatur, & non adsit iusta causa, vt bene explicat Abbas *cap. vt Dominicus citato*, & communiter DD. deducitur aperte ex textu dicti *cap ex illis verbis*, proprio contempto Presbytero. Sicque intelligenda est constitutio citata Sixti Quarti: nam refert se ad ius commune, quod excluso contemptu non obligat, vt probat etiam Nauarr. *cap.* 21. *num* 5. & late Azor 1. *tom. lib.* 7 *cap.* 6 *quæst.* 4. qui in fine quæst. ait, requiri formalem, & expressum contemptum, videlicet ille qui fit cum indignatione, & conuitiis in proprium Parochum iactatis. Verius tamen censeo cum Reginald. *lib.* 19 *quæst.* 3 *num.* 22. sufficere tacitum contemptum qui præsumitur, cum quis propriam parochiam frequenter, & sine iusta causa deserit. Ob idque in dicta extrauag. Sixti Quarti, præcipitur Religiosis ne prædicent, parochianos non teneri in suis parochiis Missam audire diebus festis, & Dominicis, cum ad id iure teneantur, nisi iusta causa excuset. Iustæ autem causæ sunt, quas assignat Panormit. *sup.* & refert Azor *quæst.* 4. *cit.* & Reginald. *sup. n.* 22. Nimirum si proprius Parochus est censura ligatus, aut concubinarius; aut cum quis deuotius vel fructuosius, solet alibi missæ interesse; videlicet, quia ibi missam, & concionem audit, vel concionem fructuosiorem quam in sua parochia: aut quia temporis, vel loci aut alterius rei occurrentis difficultas non patitur commode adire parochiam: aut etiam, quia consuetudo est ibi recepta, vel à Summ. Pontif. concessum priuilegium, vt Missa extra Parochiam audiatur: hæ sunt causæ quæ deobligant ab audienda Missa in propria Parochia. Nulla autem ex his causa existente manet integrum ius de audienda Missa in propria Parochia, quod ius commune adhuc viget in Gallia, Flandria, & Germania, vt referunt Azor *sup.* & Filesacus sæpe citatus, *cap.* 7. §. *consuetudinem.*

8 Nihilominus tamen dicto iuri communi modo explicato per contrariam, & communem consuetudinem iam est derogatum, ita vt liberum sit, quamuis nulla adsit causa, cuilibet, vbi expresse & formaliter voluerit etiam in Ecclesiis regularium Missam audire, dummodo proprius non contemnatur, ita Nauarr. c. 21. *n.* 5. & multi quos Azor *sup. q* 5. Barbosa cum aliis *de offic. & pot. Parochi, c.* 11. *n.* 18. Fagundez *in 5. prec. Eccl. precept* 1. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 8. *&* 9. & dixi in Decal. *lib.* 3. *c* 1 *dub.* 6. *n.* 4. & late Cened. *Collect.* 104. vbi sic ait: resolue pro vera intelligentia istius textus (*i. c. vt Dominicis*) quod cessante contemptu intellige de formali. & expresso & periculo ignorandi festa, ieiunia indicta à Parocho, & excommunicationes publicatas ab eo, & cessante fraude iurium parochialium, & erronea superstitione, licite quis audit Missam peculiarem etiam extra parochiam in diebus Dominicis, & aliis festiuis, nulla intercedente licentia proprij Parochi, vt comprobat communis fidelium, approbata praxis, & consuetudo.

9 Ex quo colligitur primò: satisfacere præcepto audiendi missam, eos qui extra suam Parochiam illam, in Monasteriis Religiosorum audiunt, dummodo formalis Parochi non intercedat vt communiter DD. cum Nauarr. *d. c.* 21. *n.* 5 nam Leo X. constitutione quæ incipit: *Intelleximus quosdam*, de quo Barbosa *sup. n.* 15. & Hieron. Roder. *in Compendio qq. reg. resol.* 25. *n.* 5. id Religiosis concessit: Idem pro Germanis declaratum, refert à Clem. VIII. Barbosa *sup. n.* 15. quod priuilegium asserit Azor *sup. d. cap* 6. *q.* 7. non est contra ius commune: quia ius commune, vt ipse sentit, solum obligat, dum adest contemptus Parochi, modo sup. explicato; atque ita secluso contemptu, possunt fideles sacrum audire in domibus Religiosorum, & constitutio Sixti IV. intelligenda est secundum ius commune, quod, secluso contemptu, non obligat. Quod si formalis Parochi contemptus intercedat, peccarent absque dubio mortaliter, non præcise: quia extra Parochiam audiant Missam; sed quia extra illam audiendo formaliter parochũ contemnunt: implebunt tamen præceptum de audienda Missa, vt cum Bonac. & Fagundez dixi in Decal. *loco sup. cit.* & tenet Barbosa *vbi sup. n.* 19.

10 Secundò sequitur: satisfacere etiam præcepto audiendi

audiendi missam, eum qui illam audit in priuato oratorio ab Episcopo visitato, & approbato, dummodo formalis Parocho contemptus non interecedat. Aduertendum tamen est, circa oratoria his temporibus maximum fuisse abusum: nam ferè in singulis nobilium, & diuitum domibus oratoria reperiebantur, quorum occasione fideles non solum proprias Parochias, sed etiam nec alienas Ecclesias Missam audiendi causa frequentabant, ob idque & meritissimè ann. 1616. Paulus V. Pontifex maximus prohibuit motu suo proprio, ne quis absque ipsius Papæ licentia possit in Oratorio Missam audire, abstulitque Ordinariis facultatem concedendi licentiam, vt in priuato Oratorio Missa celebretur, & audiatur. Idem Pontifex postea Ordinariis concessit facultatem, vt possint tanquam Sedis Apostolicæ delegati Oratoria priuata visitare, approbare, & concedere pro certis personis licentiam, vt ibi celebretur, & Missam etiam in die festo audiant, quibusdam conditionibus obseruatis: de quibus latè diximus *in exposit. Bulla lib. 1. §. 3. dub. 5.* quibus obseruatis, potest ibi Missa celebrari, audiri, & præcepto satisfieri. Dominus etiam meus D. Ioann. à Ribera Archiepisc. Valent. ante Paulum V. in sua Synodo ann. 1607. decreto 9. prohibuit sub priuatione licentiæ audiendi Missam, ne quis in Oratoriis priuatis audiat Missam in Dominicis, & festis diebus, nisi ille, qui in infirmitate detinetur, aut alia iusta causa, quam Parochus dignoscat. Et Ioan. Filesacus *tract. de orig. Parochiarum, c. 7. §. in ritus*, refert, quandam piam oratoriorum reformationem factâ à Guillielmo Andegauensi Episcopo, in Synodo Diœcesi. ann. 1314. & postea refert, alios Episcopos in suis Synodis ordinasse, ne in capellis, prioratibus, aut aliis Ecclesiis Missæ celebrentur donec in Ecclesiis Parochialibus Missa fuerit celebrata, ne aliqui Parochiani ad Missarum solemnia ibi admittantur, cum debeant ad suam matrem Ecclesiam qualibet die Dominica accedere.

51 Sequitur tertiò: Episcopum non posse præcipere, vt Parochiani in suis Parochiis conueniant ad Missam audiendam excommunicatione, & aliis pœnis constitutis, vt cum Nau. *d. n. 5.* docent Azor. *supr. q. 6.* Reginald. *sup. d. n. 25. §. dicte autem.* Fuscus *de visitat. lib. 2. cap. 2. n. 30 & c. 21. n. 42.* Cenedo *collectanea* 104. *n. 2.* Fagundez *in quinque præcep. Eccl lib. 1. c. 5. n. 18.* & dixi *in Decalogo lib. 3. c. 1. dub. 6. n. 5.* Quia generali consuetudine contrarium seruatur, at contra generalem consuetudinem, Episcopus facere non potest, sicut nec contra legem generalem. Nec obstat Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis in celebratione Missæ; quia ibi non dicitur, quod Episcopus præcipiat, sed moneat. Imo Domini Cardinales sacri Concilij Tridenr. interpretes hanc declarationem ediderunt: *Ordinarius non potest per hoc concilium mulctis, & pœnis, etiam in causa notabilis negligentiæ cogere populum ad audiendam Missam, & sacram concionem in Ecclesia Parochiali, nec pueros ad addiscendam doctrinam Christianam, etiam si hoc fieri voluerit in oppidis, villis, aut aliis locis extra ciuitatem.*

52 Quod autem fideles non teneantur audire verbum Dei, seu concionem in propria Parochia, & quod verba Trident. sess. 24. c. 4. de reform. ibi: *Teneri vnum quemque Parochia sua interesse vbi commodè id fieri possit*, ad audiendum verbum Dei, docet Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 16. n. 20.* Azor *tom. 1. lib. 7. cap. 3. q. 7.* vide Zerola *in praxi, p. 1 verb. Prædicat.* vbi ait, consulto addidisse Trident. moderationem, *si fieri potest commodè*, ideo dicit Zerola: *Ideo vidi viros pios, & doctos alibi audire verbum Dei, non in Parochia, quia fortasse ei plus satisfacit vnus, quam alius concionator*, & adducit dictam Cardinalium declarationem. Vide Nau. *cap. 21. notab. 5.* vide etiam *in expositione nostra Decalogi, lib. 3. cap. 1. dub. 4. n. 4. 5. 6. 9. & 10.* Vbi abunde explicatum est, an fideles teneantur concionem audire, & in sua Parochia, & an ab hoc Ordinario cogi possint: vbi etiam exagitatum est, an Parochi teneantur concionari, & verbum Dei populo proponere, & explicare, & quando peccent pastores verbi diuini prædicationem prætermittentes.

53 Attamen, si tota aut maxima pars Parochianorum Parochiam desereret, existimo cum Azor *supra q. 6. cit.* posse Episcopum simplici mandato præcipere, vt Parochiani ad suas Parochias accedant audiendi Missam causa, non tamen id pœnis impositis præcipere, aut constitutionem sub excommunicatione ferre, quo in casu Missam audientes (secluso Parochi contemptu) eam non incurrerent. Mihi tamen persuadeo, si Summus Pontifex certior factus fuisset, quod iis temporibus paucissimi, aut ferè nulli Parochiani suas Parochias frequentant Missam Parochialem, & concionem audiendi causa, facillimè concederet, vt possent Prælatos suas oues ad id impositis pœnis cogere. Certè negari non potest vtilissimum, & ipsis Parochianis maximè necessarium, vt quisque propriam Parochiam conueniat: ibi enim audit Parochum festa indicentem, & ieiunia; cognoscit etiam, quinam excommunicati sint vitandi, & alia quæ ad Parochiæ ornatum, & ad diuinum cultum ritè peragendum sunt necessaria. Patiuntur enim Parochiæ maxima detrimenta in supellectilibus, & ornamentis ex absentia Parochianorum, imo & eorum conscientiæ: vidi enim quam plurimos ieiunium violare ex ignorantia, & propter eandem excommunicatis vitandis communicare: quamobrem Cardinalis S. Carolus Borromæus 2. tom. suarum Synodorum p. 2. decreto 4. actorum in Synodo Diœcesana Mediolan. fol. 31. pag. 2. in meis, & Dominus meus D. Ioan. à Ribera Archiep. Valent. Patriarcha Antiochen. in Synodo ann. 1584. sanctissimum, & piissimum decretum ediderunt, ex paternali charitate exhortantes, vt quisque fidelium quoad fieri possit, suam propriam Parochiam conueniat.

54 Quod si Parocho non sit alia ratio vitæ cum dignitate tuendæ, quam ex oblationibus Parochianorum, cum nec prædia, nec decimæ prædiales, aut similes reditus ei assignati sint, Filesacus *supra cap. 7. cit. §. Henricus*, tenet tanquam certum, Parochianos peccare, qui nulla excusatione sincera à Missa Parochiali abfuerint diebus Dominicis, quibus Parocho tenentur suppeditare, vnde viuat.

55 Denique nota obiter, etiamsi teneantur Parochi saltem Dominicis, & festis diebus Missam celebrare vt eam populus audiat; non tamen teneri de iure communi eam pro populo offerre, nec ei applicare: quia nullo iure id cautum reperitur, decimæ enim & primitiæ non pro applicatione Missæ, sed pro sacramentorum administratione Parocho conceduntur. Ita Suar. *3. p. disp. 86. sect. 1.* Coninch *3. p. q. 83. art. 1. dub. 11.* Barbos. *de offic. & pot. Episcop. tom. 2. alleg. 13. n. 23 & de offic. & pot. Parochi, c. 11. n 10.* & dixi *in Decalog. lib. 4. c. 1. dub. 8. n. 11.* in quo dubio retuli aliqua, & præcipua, circa Parochi obligationē, & Doctores de illa agentes. Excipe, nisi ad id ex speciali statuto synodali, vel particulari consuetudine approbata, quæ in hoc obseruāda est, teneātur, vt dixi *dict. dub. 8. n. 11.* In nostra autē Diœcesi quibus diebus teneatur Parochus sacrificiū pro populo offerre statutum est in Synodo ann. 1631. decret. 36. vide ibi.

CAPVT VII.

De quinto iure Parochi, quod est ministratio Extremæ vnctionis.

SVMMARIVM.

Solus Sacerdos est minister Extremæ vnctionis.n.1.
Quilibet Sacerdos potest eam validè, sed non licitè ministrare, nisi solus Pastor, aut alius de ipsius licentia, quam dare potest Parochus excommunicatus: sine qua ministrans peccat, sed non incurrit censuram, si sit Sacerdos sæcularis.num.2 & 3.
Religiosi ministrantes hoc Sacramentum sæcularibus sine licentia Pastoris quomodo peccant, & quas pœnas incurrant, qualis licentia sufficiat. numer.4.
Quis possit eam concedere num.6.
Religiosi oblatis, nouitiis, & seruitoribus an possint ministrare hoc Sacramentum,num.5.

1 SVpponendum est huius sacramẽti ministrum esse solum Sacerdotem, patet ex Conc.Floren. & Trident.sess.14.cap.3.& sit communis DD.& Ecclesiæ sensus, quæ nunquam aliis huius sacramenti administrationem permisit. Colligitur quoque spertè ex cap.5.Iacobi, vbi solos Presbyteros iubet induci, per quos in nouo Testamento intelliguntur Sacerdores, ex Tridentin. vbi supra, & communi Doctorum consensu. Et dixi latiùs vbi de hoc Sacramento.

2 Attamen, etsi quilibet Sacerdos hoc Sacramentum validè administrare valeat, cum eius ministratio non sit actus iurisdictionis, sicut est absolutio à peccatis. Concil.Trident. sess.14.cap.3.de Extrema vnctione, S Thom.*in 4 dist.23.qu.2.art.2.* Coninch *disput.19.à num.17.* Filliuc. *tractat.3.cap.5 num.87.* Bonacina *tom.1.disp.7. quæst.vnica, punct.4. num.1.* & cum aliis Barbos. *de offic. & potestat. Parochi, cap.22. num.1.* Non tamen omnis Sacerdos licitè, & sine peccato illud conferre potest: sed solus Pastor, vt Papa, Episcopus, aut Parochus, aut alius de Pastoris licentia, & in hoc consistit hoc ius Parochi, quia conferre Sacramenta est monus Pastoris, ex Clementina 1. de Priuilegiis, Clem. Dudum, §.Verum, de sepulturis. Colligitur etiam ex cap. vnico, de sacra Vnctione, & Trid. sess.23. cap.1. & dixi sup. cap. & tenent Doctores sup. citati, vide Sotum *in 4.dist.23.q.2.art.1.*

3 Vnde alienus Sacerdos qui sine licentia Pastoris hoc Sacramentum ministrat, peccat mortaliter, quia alienum ius inuadit, & vsurpat. Ita Ledesma *cap. 5. de Extrema Vnctionis, conclus.2.* Coninch *disp.19.dub.9.num.28.* Barbosa *sup.num.2.* Bonacina *loco cit.num.4.*& communiter Doctores. Non tamen talis Sacerdos, si sæcularis est, (nam de Religiosis statim) incurrit aliquam censuram, quia id nullo iure habetur: cum licentia autem Parochi, seu Pastoris poterit quilibet Sacerdos, etiam regularis, vt expressè habetur in dicta Clement.1.de priuilegiis. Quam licentiam poterit concedere Parochus, etiam denunciatus, vt cum multis tenent Henriq. *lib.3.de Sacram.Vnct cap.vlt.§.3.litt Q.* Quia huius Sacramenti ministratio non ad iurisdictionis, sed ad ordinis potestatem pertinet.

4 Religiosi verò hoc Sacramentum, sine Parochi, vel illius superioris licentia ministrantes non solum peccant mortaliter; sed etiam incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam, vt habetur in dicta Clement.1. de priuil. his verbis: *Religiosi qui Clericis, aut laicis Sacramentum Vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimonia ve solemnizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absoluendi.* De qua vide Syluest. *excommunicatio 7.excommunicatione 14.* Nauar. *c.27. num.102.* Sayrum *in Thesauro lib.3.c.29.* Fr.Manuel Rodrig.*in qq regul. tom. 2. q.60. art. 2.* Miranda *in Man.Prælat.tom.2 q.46. art.1.* Riccius *in praxi aurea resol.210.* Bonacina *sup.num.6.* Azor *p.1. lib.12. c.13.q.5.*& cum aliis Barbosa *de offic.& potest. Episcopi,p.3.alleg.50.n.96. & de offic. & potest. Parochi, c.22.n.3.* Hæc autem Clementina, vt patet ex contextu, solum loquitur de Religiosis ministrantibus illa Sacramenta laicis, & sæcularibus; quare si aliis Religiosis ea ministrant, non incurrunt dictam excõmonicationem; nec si sæcularibus Baptismum, aut Pœnitentiam administraut, quia de iis Sacramentis non loquitur dicta Clementina. Incurrunt autem hanc censuram regulares hoc Sacramentum administrantes existentibus in articulo mortis, vt docent Nauar. *sup.& c.22 n.52.* Sylu.*excommunicatio. 7. excommunicatione 14.n.33.& verb.Vnctio , n.4.* quia non est Sacramentum necessitatis. Quod limita cum Nauar. *n.102.cit.*Syl *sup.n.35.*& alij infra citandi nisi illos ignorantia excuset, & adsit bona fides, absque Parochi contemptu; quia ad hanc censuram incurrendam requiritur præsumptio, quæ requirit scientiam prohibitionis, at quia dici possit, quod sit præsumptio, ex eo quod facit contra hanc Clementinam, ideo tutius est, inquit Sylu. quod absolutio putatur. Nihilominus tamen probabile est, vrgente necessitate,& parocho non apparente, licere Religiosis hoc Sacramentum ministrare, cum licentia interpretariua, & credulitate seu ratihabitione parochi. Ita tenent contra Syluest. qui solum id admittit respectu alterius Sacerdotis sæcularis, Nau.*n.102.cit.*Ledesm. *c.5 de Extrema Vnctione,concl.2.dub.3.*Henriq.*lib.3. c.vlt.§4.*Suar.*3.p.tom.4.disp.44.sect.2.*Sayrus *in thesauro lib 3 c.29.n.19.*Coninch. *disp.19. de Extrema Vnct.dub.9.n.28.*Bonac.*sup punct.4.n 6.*& cum aliis *dicto c.22.n.6.*Barbosa. Quia tunc Papa vel Episcopus censetur dare facultatem, propter eandem rationem, vt ait Ledesma *sup.* casu quo præsens Parochus noller ministrare Eucharistiam, aut Extremam Vnctionem, nec alteri dare licentiam posse quemlibet Sacerdotem etiam regularem hæc Sacramenta ministrare: non enim credendum est piam matrem Ecclesiam velle quempiam priuare tanto bono idem tenet Rod.*tom.3. q.79. art. 1.* in fine videndus Coninch. *disp.19.n.9.*Suarez *tom.3.disp.44.sect.2.*& cum aliis Barbosa *d.c.22.n.3*

5 Aduerte tamen ex priuilegio Eugenij IV. fratribus minoribus concesso, de quo Miranda *dicto articulo 1. vers. Sed pro.* Portel. *ad dubia regularia, verbo famuli, seu familiares, numer. 1.* Hieronym. Roder. *in compend. quæstionum regular. resolut. 64. numer.* 1. & cum aliis Barbosa, *dicto capit. 22. numer.* 4. Licere regularibus omnibus, & singulis fratribus professis, conuersis, oblatis, donatis, nouitiis, & seruitoribus sæcularibus, intra septa Monasterij de gentibus, aut si ibi contigerit infirmari, & curari, sacramentum hoc ministrare, absque alicuius pœnæ incursu; ideoque permittere debent ordinarij locorum, vt ipsi teneant in suis Ecclesiis oleum sanctum, pro ipsorum vsu duntaxat, sicut censuit Congregat. negotiis Episcop. & Regul. præposita

posita sub die 15. Iulij 1589. teste Barbosa *d. cap. 12. num 5.* vbi addit cum Suar. *num. 4. de Relig tract. 10. lib 9. cap. 4. num.* 12. quo ad Donatos, Oblatos, & seruitores sæculares id hodie habere locum in foro conscientiæ, seu occulto: ita vt si Parochus repugner, non possit ei resisti ratione istius priuilegij, aut aliorum, nisi quatenus per Concil. Trident. non sunt restricta; Parocho autem non resistente, integrum est Religiosis tuta conscientia suis priuilegiis, vti iuxta Pij V. concessionem, qui viuæ vocis oraculo absolutè, & sine limitatione declarauit, vt gratiæ huiusmodi non censeantur derogatæ, nec restrictæ.

6 Adnectit Syluest. *excommunicatio 7. excommunicatione 14. qu. 11. num.* 39. sufficere licentiam Parochi (à fortiori Episcopi vel eius Vicarij) quamuis non sit Sacerdos, dummodo intra annum possit promoueri vel sit dispensatum cum eo, seruandam formam decretalis cum ex eo de elect. lib. 6. sufficereque licentiam Vicarij temporalis gerentis curam ordinariam in parochiali Ecclesia: debet autem hæc licentia esse expressa, idest, vt exprimatur Sacramentum, puta Eucharistia, vel Extrema vnctio, etiam si non exprimantur nomina personarum. Ita Nauarr. *num.* 102. *citat.* & Syluest. *supra num.* 40. *quæst.* 12. vnde, ait Syluest. si Sacerdos dat subdito licentiam accipiendi Eucharistiam, vel Extremam vnctionem à quolibet Religioso, nullo ordine specificato, sufficit: similiter si det Religioso licentiam ea dandi subditis suis, vide *sup. cap.* Addit quod Parochus, quantumuis simplex Cura sit illi commissa, in adiutorium Curæ potest ad tempus Sacerdotem Religiosum, vel alium sine alicuius superioris licentia, qui eum iuuet, forsan in Quadragesima ad audiendas confessiones (dummodo nunc sit ab Ordinario approbatus) & ad dandam Eucharistiam in Pascha, ad celebrandum, seu aliàs, assumere. Vide de omnibus his in hoc cap. dictis tractatum de Sacramentis lib. 5. vbi de ministro Extremæ vnctionis de quo satis abunde.

CAPVT VIII.

De sexto iure Parochi quod est matrimonij celebratio.

SVMMARIVM.

Matrimonium debet celebrari in propria Parochia, & à proprio Parocho, num. 1.
Matrimonij ministri sunt ipsi contrahentes, num. 2.
Sacerdotis præsentia non est essentialis, sed conditio necessaria, num 3.
Matrimonia clandestina an fuerint valida ante Tridem. & annum aliquando valeant, num. 3.
Parochus debet esse proprius contrahentium sufficit vt sit vnum contrahentis, num. 4.
Quas pœnas incurrat alienis nubus assistens, aut illis benedicens, ibid.
Parochi, & Curati possunt dare alteri Sacerdoti etiam regulari, vt suarum ouium matrimonio assistat, num. 5.
Qualis licentia sufficiat & quis curatus possit eam dare, ibid. & num. 7.
Hoc ius Parochi consistit, vt nemo præter ipsum vel de eius aut superioris licentia suas oues matrimonio coniungere possit, aut benedicere, num. 6.

1 QVod matrimonia debeant in propria Parochia, & à proprio Parocho celebrari, colligitur apertè ex Canone aliter 30. quæst. 5. cap. capellanis, de feriis cap. 1. & 3. de clandestina desponsatione cap. suam, de simonia, & Clementina prima de priuilegiis.

2 Pro clariori tamen intelligentia nota, ministros Sacramenti Matrimonij esse ipsos contrahentes illud sibi mutuo conferentes: vir quidem mulieri dicendo, accipio te in meam; mulier autem viro dicendo vicissim, accipio te in meum, ita communis & recepta Doctorum sententia, & dixi lib. 8. de Sacramentis, vbi de ministro matrimonij. Colligitur apertè ex Florent. vbi dicit, causam efficientem matrimonij regulariter loquendo esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum. Ipsi namque contrahentes ponunt materiam, & formam, mutuos, scilicet consensus; ac proinde ipsi hoc Sacramentum conficiunt. Celebratur enim hoc Sacramentum per modum contractus, cuius naturam Christus Dominus non mutauit, sed tamen eam eleuauit ad esse Sacramenti, vt indicat Trident. sess. 24. in initio; at ministri contractus sunt ipsi contrahentes: ipsi enim contrahunt, se ipsosque ligant, & hoc quidem ex necessitate contractus, qui fieri non potest absque contrahentium consensu. Sanchez *lib. 2. disp 6. de matrim.* Henriquez *lib* 1 *cap.* 2. *num.* 7. Suarez 3. *part. tom.* 1. *de Sacrament. disput.* 16. *sect.* 1. Coninch *de matrim disp.* 24. *dub.* 3. Bonacina *tom.* 1. *vbi de matrim. quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 5. & communiter Doctores.

3 Ex quo patet, consensum Sacerdotis non esse de essentia matrimonij, nam ante Trident. sess. 24. cap. 1. matrimonia clandestina, quæ soli contrahentes inter sese celebrabant, vera, ac recta erant, ac proinde quod ibidem Concilium ad matrimonij validitatem præsentiam parochi requirat, non esse quod ea ex Christi institutione sit necessaria tanquam essentialis, sed quod Ecclesia, potestate à Christo accepta, talem præsentiam constituat conditionem ita necessariam ad matrimonium, vt nolit ipsum absque amplius valere. Quare & si ante Trident. erant valida matrimonia clandestina: Matrimonio post Trident. sunt omnino inualida & irrita ante omnem declarationem, vt patet ex Trident. citato. Ita vt nullus dare possit casus in quo valida sint Matrimonia clandestina, hoc est, celebrata absque Parocho & testibus, vt docent communiter Doctores apud Sanchez *lib.* 3. *disput.* 17. Coninch *disp.* 27. *dub.* 1. Basilium Pont *de matrim. lib.* 5. *cap.* 6. & Hurtado *disput.* 5. *diffic.* 3. de quo vide in nostro *tractat. de Sacramentis lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 1. *vbi de matrimon. clandestin.* At etsi ante Tridentinum valida fuerint clandestina matrimonia semper ea detestata est sancta Ecclesia, *cap. Non omnis, cap. Honorantur, & cap fin.* 32. *quæst.* 2. *cap. Aliter, & cap. Nostrates* 39. *quæst.* 5. & in decretalibus toto tit. de clandestina desponf. & nouissimè Trident. sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrimonij omnino irritauit, cassauit, & annullauit matrimonia clandestina, illa scilicet quæ fiunt absque Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, & duobus testibus celebrantur, ita vt ad validitatem Matrimonij necessarium sit, quod celebretur coram Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, & duobus testibus, taliter quod si vnum ex his deficiat matrimonium non sit validum; de quo fusè, & doctè Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 1. *vsque ad disput.* 21. Bonacina *de matrimon. quæst.* 5. *punct.* 6. 7. & 8. & Doctores communiter in hac materia apud citatos hoc *num.* & dixi loco proximè citato.

4 Parochus autem, vt decreuit Tridentin. vbi supra; debet esse proprius ipsorum contrahentium,

quod si contrahentes ad diuersas Parœcias pertineant, sufficit Parochus viri vel fœminæ, vt communis DD. apud Henriquez *lib.11.cap.3. n.2.* Sanchez *de matr.lib 3.disp.19.* Bonacinam *de matr.q.2. punct.8. num.7.* & Coninch *disp.27. n.19.* ego ipse *loc cit.*patet ex ipso Trident.*sup.*vbi additur: *Si quis Parochus,vel alius Sacerdos siue regularis, siue sacularis sit, etiam si id sibi,ex priuilegio vel immemorabili consuetudine, licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia, matrimonio coniungere,aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat absoluatur.* Hæc autem, suspensio tantùm videtur esse ab officio eo quod in illo delinquat, vt aduertit Sayros *in Thesauro lib.4. cap.15.num.9.* interim tamen consulit, vt à beneficio abstineatur. Quod si Sacerdos illos coniungens, aut benedicens absque proprij licentia sit regularis, præter suspensionem incurrit excommunicationem Papæ reseruatam per sæpè citatam Clementinam primam de priuilegiis.

5 Potest Parochus dare licentiam assistendi matrimonio,modo alter sit Sacerdos,quamuis sit regularis,& quamuis Parochus sit irregularis, suspensus, aut excommunicatus non toleratus.Henriquez *sup. num.5.* Sanch. *loco cit. disput.21. num.7.* Bonacina *d. quæst 2. punct.8. num.22.* & cum aliis Barbosa *de offic.& pot. Episcopi, alleg.23. num. 110. & de offic.& pot. Parochi cap 21. num.63.* quam licentiam potest concedere etiam vt illos coniungat extra suam Parochiam, Bonacina *sup. num 13.* & cum aliis Barbosa *loc cit.* Poterunt etiam hanc licentiam concedere Vicecurati, seu Vicarij amouibiles ab Episcopo, aut à Parochis proprietariis instituti,de quo Barbosa *d allegat 32.num.115.* Hurtado *de matrim.disp.5. diff.10.num.34.* Basil.Pont. *lib. de matrim cap.18 num.2.* Sanchez *d.lib.3.disput.31.* quos refert Barbosa *dict.cap.21. num.67.* Debet autem licentia hæc esse expressa, vnde non sufficit tacita Coninch *disp.30. dub.2. num.31.*& cum multis Barbosa *d allegat.32.num.126.& d.cap.27.num.62.* requiritur etiam quod actum præcedat,idem *locis cit. disp.35 cit. num.18.* & alij. Sufficit tamen etiamsi metu vel dolo obtenta sit,nisi per dolum, & mendacia versantia circa substantiam, vel causam finalem extorqueatur, Sanchez *d.lib.3. disp.39.à n.13. & disp.21. num. 7.* sufficit etiam licentia generalis ministrandi omnia Sacramenta, aut quando Parochus concedit alicui facultatem,vt possit in sua Parochia omnia ad curam animarum spectantia exercere,de quo Sanchez *dict lib.3 disp.35. num.7.* vbi id magis declarat *num* 8. & multi alij quos refert Barbosa *dict. alleg.32.num.127. & dict. cap.21.n.71. & 72.*& de omnibus his dixi *vbi de matrimonio cap. 1. dub.9.*

6 Ius ergo Parochi circa hoc Sacramentum consistit, vt nemo præter ipsum vel de eius licentia,aut superioris ipsius possit suas oues matrimonio coniungere aut benedicere. Constat apertè ex iuribus citatis,& præcipuè ex Trident. *sess.24 c.1 de reform.* Vnde si quis Sacerdos absque proprij licentia alienos matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, peccat mortaliter, quia alieni officium vsurpat,incurrit supradictas pœnas,& matrimonium est omnino irritum.

7 Quis in hac re dicatur proprius Parochus, & quæ licentia requiratur non videtur ad nostrum institutum spectare, sufficit scire in hac re essemunus proprij Parochi suarum ouium matrimoniis assistere eaque celebrare. Cætera vide apud DD.citatos in materia matrimonij,& inter recentiores Sanch. *lib. 3.per totum,*qui de hac re copiosè & doctè vt solet.

CAPVT IX.

De septimo iure Parochi, quod est suos Parochianos sepultura Ecclesiastica donare.

SVMMARIVM.

Doctores de sepulturis agentes,n.1.

1 Multa de sepulturis poterant hic tractari, sed ne ab instituto nostro recedamus,duo tantum, quæ præcipuè ad rem faciunt attingemus, alterum est,quibus Ecclesiis competat ius sepeliendi: alterum verò erit vbi nam sint mortuorum corpora sepelienda, quod quibusdam dubiis propositis constabit, quibus explicatis patebit, in quo ius Parochi in hac parte consistat, de officio misericordiæ & pietatis, quod impeditur corporis homandis,siue de sepulturis. Vide *cap Dictum 1. quæst. 1.2.* Regum 2. vbi Dauid benè precabatur iis qui Dauid & Ionathæ cadauera sepelierant,& Ecclesiast.cap.7. ait Salomon, *Mortuo non denegabis gratiam.* Id est sepulturam,& D.Aug. serm.1 de consolatione mortuorum,Franciscus Leo in thesauro fori Eccles.*part. 4 cap.1. pag.444.à num 51.vsque ad 95.* vbi agit de cadauerum cura, & quomodo mortui sint plorandi.

DVB. I.

Quibus Ecclesiis competat, ius sepeliendi.

SVMMARIVM.

Ius sepeliendi corpora defunctorum competit Ecclesiæ Parochiali,n.1.
Cæteris ex priuilegio,ibid.
Religiosi possunt sepelire in suis Ecclesiis eos qui ibi eligerint sepulturam n.2.
Salua quarta,& iustitia Parochiali,ibid.
An possint processionaliter & cruce erecta associare cadauer, & non requisito Parocho, num.3. & 4.
Religiosi an possint suos seruitores & famulos in suis Ecclesiis sepelire, eisque Sacramenta ministrare,num.5.

Hoc autem dubium procedere potest vel secundum ius commune vel ex priuilegio.

1 Dico igitur,ius sepeliendi mortuorum corpora de iure communi competit Ecclesiæ Parochiali, eiusque Rectori respectu suorum Parochianorum. Probatur primo: quia eodem iure competit solâ Ecclesiæ Parochiali habere proprium cæmeterium; ab alia Parochiali distinctum *cap. Ecclesias 13.qu.1.* vbi Dionysius Papa diuisit Ecclesias Parochiales, earumque cæmeteria, vnicuique Ecclesiæ suum assignando cæmeterium,ne vnus alterius ius inuadat; ergo ex dispositione Pontificis vnaquæque Ecclesia solum habet ius sepeliendi suos Parochianos, & Parochus sepeliens alienum Parochianum inuadit ius alterius, & peccat grauiter. Secundo probatur, quia simul Inn. quem sequuntur communiter DD.

in

in cap.1.de sepult.circa finem. Ius sepeliendi de iure communi competit Ecclesiæ quæ habet populum; sed de iure communi sola Ecclesia parochialis habet populum *vt sup. dixi cap.* ergo illi solum competit ius sepeliendi: ipsa enim sola habet cœmeterium; ergo & ius funerandi. Ita Asten.*lib.6. tit.31. de sepultur.art.1.circa finem,* Angelus *verbo.Sepultura,n.3.* Syluest.*eodem verbo,q.3..* Rodrig.*tom.3.q.58. art. 3. in principio.* Riccius *in sua praxi decis. 659.* Cæteris autem Ecclesiis sicut priuilegio competit eis habere cœmeteria, ita & ius sepeliendi, vt cum Innocentio vbi supra, docent Doctores citati.

2 Dico secundo: Religiosi Ordinis Minorum, & Prædicatorum, & per communicationem priuilegiorum, alij etiam Religiosi, habent ius sepeliendi, & inferendi in sua sepulchra non solum funus Religiosorum, sed etiam laicorum, & sæcularium cadauera, qui in ipsorum cœmeteriis seu Ecclesiis sepulturam elegerint. Id eis concessit Martinus Quintus in Clementina dudum, de sepulturis, his verbis: *Huiusmodi quoque statuto, & ordinationibus adiicimus, vt fratres dictorum Ordinum in Ecclesiis, vel locis suis vbilibet constitutis liberam (vt sequitur) habeant sepulturam: videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & Ecclesiis memoratis.* Hæc Pontifex, ex quibus verbis Ioan.Andr.hic in Glossa, *verbo Prædicare*, cum Innoc. & Hostiens. infert, hoc ius alias eis de iure non competere, cum de iure populum non habeant, quod est proprium Ecclesiæ parochialis. Requiritur etiam ex dicta Clementina, vt Religiosi possint vti supradicta facultate, quod sæculares apud eos elegerint sepulturam: quod indicant apertè hæc verba (*qui sepeliri elegerint*) tum etiam quod Religiosis Parochis, seu Rectoribus, quibus de iure Sacramentorum administratio competit, verbique diuini prædicatio, de omnibus Monasterio ratione funeris relictis, quartam, seu canonicam portionem soluant. Vt habetur expressè in dicta Clementina, de quo infra. Idem priuilegium iisdem Religiosis concessit Clemens IV. & Sixtus IV. salua tamen iustitia Parœcialium, id est, portione, seu quarta canonica vt declarauit idem Sixtus IV. vt refer Sorbo *in compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Sepultura*, & Rodrig. infra.

3 Rodrig.3. *tom q.58.art.3.* cum Panormit. *c.Cum liberum de sepulturis,* Angelo *verbo Sepultura,* Syluest. *eodem verbo.* Tenet omnes Religiosos qui habent priuilegium sepeliendi laicos, qui apud eos elegerunt sepulturam, posse processionaliter intrare aliam parœciam, & per se accipere funus, & alia consueta facere, etiam contradicente Episcopo, & curato, nec oportere prius funus ad Ecclesiam parœcialem portare. Colligitur ex verbis Clementinæ dudum, & Clementis IV. & Sixti IV. illis scilicet in quibus ipsis conceditur libera sepultura, ad cuius complementum existimat pertinere actionem prædictam: at cum bona pace tantorum Doctorum, existimo nihil tale ipsis esse ibi concessum; quia hoc priuilegium est contra ius tertij, scilicet, Parœcorum, quod, vt docet Innoc. *tit.de sepult.n.5. in medio,* & communiter DD. est strictè interpretandum ex *c. Mandatum de rescriptis, c.Super eo, de offic.delegat. & cap. In singulis, de statu Monachorum,* huic nostræ sententiæ fauere videtur, Martinus in dicta Clementina his verbis: *Quod omnes recipere valeant*: innuens solam exceptionem eis esse concessam, eodem verbo, *recipere*, vsi sunt Clemen. IV. & Sixtus IV. vt videre est apud Rodrig. *sup.* qui horum refert priuilegia. Ita etiam sentit Fuscus *lib.1.c.25. n.8. de visitatione Ecclesiæ.*

4 Idem Rodrig. *vbi sup.* suam sententiam nititur roborare priuilegio Sixti IV. qui expressè Religiosis concedit, vt nullius petita licentia super hoc, cum Cruce possint processionaliter ingredi parœcias in quibus fuerint defunctorum corpora, ipsaque ad eorum Ecclesias, vbi sunt sepelienda deferre, vbi hoc fieri consuetum foret: vel quando requisiti parœciales Presbyteri id facere recusauerint. Hoc tamen non obstat. Primo; quia talis non viget consuetudo præcipue in nostra Diœcesi. Secundo: quia vt refert Sorbo *supra*, Leo. X. in Concilio Lateran. tale priuilegium reuocauit, statuens quod fratres quorumlibet Ordinum non possint intrare Parœcias cum Cruce ad euenda corpora defunctorum, qui apud Ecclesias domorum eorundem fratrum suam elegerint sepulturam, nisi prius præmonito, ac requisito ac recusante parœciali Presbytero, & tunc sine illius, aut ordinatij præiudicio, nisi eisdem fratribus super hoc, antiqua consuetudo, quæ sit in viridi obseruantia, & cum pacifica possessione suffragatur. Vrget tamen Rod. sup. priuilegia regularium quæ reuocata fuerant in Concil. Lateran. à Leone X. postea fuisse in pristinum statum restituta etiam in foro exteriori per aliqua Summorum Pontif decreta, exceptis hisque decretis sacri Concil. Trident. non sunt contraria, quale non est hoc, prout in 1.*tom, quæst:8.art.7.* satis ipse dixit. Addit tamen, hoc non obstante attendant fratres consuetudinem locorum, & secundum eam procedere oportet, ne litigio inuoluantur; huic tamen respondeo cum Fusco *sup.num.*8. priuilegia maris magni quoad hoc esse reuocata, & redacta ad terminos iuris communis per Gregor. XIII. in sua constit. quæ incipit, *in tanta negotiorum mole* anno primo sui pontificatus, anno 1572. habetur in Bullario, & sic inquit, statut dispositioni iuris, vt in aliena parœcia nullus manum *immittat.6. quæst.3.cap.Scriptum est,* ex textu eiusdem Clementinæ dudum, § Huiusmodi, nec obstat, Bulla Pij V. quia tantum loquitur de associando, cum deferuntur cadauera suis Ecclesiis: vel vt inuitantur ad sociandum, id est, quod non possit prohiberi, quin associentur corpora defunctorum, qui apud ipsos eligunt sepulturam: & si hoc facere velint excludendo Rectorem, ait Fuscus, esse reuocata hæc priuilegia quantum ad hoc à Gregor. XIII. aduertit tamen Fuscus. Bonum est tamen ne parœcus impediat, cum sibi de iuribus communi petentibus consultum sit per eundem textum, & Episcopus componat ne lites oriantur, hanc limitationem declarat consuetudo, præcipue in hac nostra Diœcesi Valentina, vbi Religiosi solum associantur corpora defunctorum, quando sunt vocati, & apud ipsos elegerunt sepulturam, & tunc sine Cruce, & ad partem sinistram Clericorum. Et D. D. Martinus de Aiala in Concil. Prouinc. sess.4. cap. 12. statuit, quod cum ad defunctum sepeliendum vocantur Religiosi, in processione ne deferant Crucem, addit tamen; verum in hoc seruanda est consuetudo locorum, quæ in hac parte, vt dictum est contra ipsos procedit.

5 Possunt tamen regulares in suis Ecclesiis, (Parochis inconsultis, suos familiares, & seruitores sepelire, eisque Sacramenta ministrare, modo tamen dicti actualiter Religiosis inseruiant, & intra Monasteria, aut loca religiosorum commorentur, & sub eorum obedientia viuant. Constat ex concessione Clement IV. & Sixti V. apud Fr Ioan. de la Cruz *de statu Religios lib.2.cap.6. dub.1. num.1. & cap.5. dub. 4.* & maximè ex Tridentin. sess.24. cap.11. de reformat. ibi: Exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut militiis actu inseruiunt, & intra eorum

septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuent. Quæ omnia copulatiuè requiruntur, ne vt ij familiares dictis priuilegiis gaudere possint, vt tenet Bellarmin. *in declarat. sup. Trident. sess. cit.* iuxta Bullam 67. circumspecta Gregor. XIII. vide Fr. Ioan. de la Cruz *vbi sup. dicto num. 1 in fine, & cap. 6. dub. 1. num. 1.* vbi refert hanc sacræ Congreg. declarationem. Congreg. Concil. censuit, dictos Religiosos audire posse confessiones sæcularium, qui sunt de sua familia, & continui commensales; non tamen eorum, qui deseruiunt in eorum Monasteriis. Vnde non est audiendus Hieron. Roderic. *in compen. qq. regul. resol. 64. n. 1.* vbi idem ostendit propter aliqua priuilegia ad eos, quos in Monasteriis contigerit infirmari, quia talia priuilegia, si quæ sint (non enim illa adducit) sunt abrogata per Gregor. XIII. *vt* tenet idem la Cruz, & DD. communiter. Imò idem Concil. vbi sup. derogat omnia priuilegia dispositioni dicti Concilij contraria. Vide de his infra hoc *c. dub. vlt. n. 6.* vbi etiam exagitatur, an Religiosi in funeralibus possint decernere.

Dvb. II.

Ad quem spectet ius sepulturæ concedere.

SVMMARIVM.

Ius sepultura concedere spectat ad Episcopum, num 1.

Quid disposuerit Concil. Prouinciale Valentinum, ibidem.

Episcopus quomodo possit ius sepultura concedere, num. 2.

Admittere ad sepulturam propriam quinam & quomodo possunt, num. 2.

Potest quis habere sepulturam propriam, n. 2.

Ius sepultura quomodo probetur, n. 2.

Simonia an sit aliquid accipere pro iure sepeliendi, vt vendere capellas pro sepultura defunctorum, vt pro loco digniori, aut vt aliquis & non alij in tali sepulchro recipiantur, n. 3.

Aut si tantum materiale vendatur, ibid.

1 Respondeo breuiter, ad Episcopum spectare Abb. & alij *in c. penult. de sepult.* & cum aliis Barbosa *de offic. & potest. Parochi cap. 26 num. 9* vbi addit in actis Eccles. Mediolanens. *part. 2. titul. de sepult. verb. Verum curetur.* Prohiberi, fieri sepulchra noua in Eclesia, absque licentia in scriptis obtenta ab Episcopo, & in Ecclesiis regularium saltem à Prouinciali, qui huiusmodi licentiam dare non possit, nisi ea sepulchra constituantur iuxta formam præscriptam in constitut. sanctæ memoriæ Pij. Quinti incipiente cum primum. Kalendis Aprilis 1569. in qua mandatur, vt defunctorum corpora super terram existentia in tumbis profundis infra terram collocarentur. Et in eisdem quoque actis *p. 2, decret. visit. Apost. verbo sepultura*, sic habetur: *Sepulchrum ipsorum in posterum ædificandorum ostium longè absit ab altaris scabellis ligneis, vel bradella, cubitis ad minus tribus; sepulcra vero ipsa ad scabellum ligneum non pertingant.* Et quod sepeliendus sit propè altare, seu in bradellis censuit sacræ Congregat. causis Episcoporum, & regularium præposita in vna Termular. 8. Februarij 1594. & in alia Interamnen. 13. Februarij 1593. & in Messanen. 2. Maij 1601. Etsi contra huiusmodi prohibitionem, sepulturæ ibi reperiantur constructæ non debet illo donec corpora alio transferantur, vt declarauit eadem sacra Congregat. in vna Tranen. 10. Nouemb. 1599.

2 Dominus autem D. Martinus ab Aiala Archiepiscop. Valent. in sua Synodo Act. 2. cap. 28. statuit, quod sepultura, seu ius sepeliendi, quod transfertur ad hæredes, cum alicui dabitur, ne fiat sine facultate Ordinarij, & erogabit fabricæ Ecclesiæ in hac vrbe decem libras, extra vrbem, sex. Possit autem qui hoc ius accipiet suis locum ad sepeliendum dare, nulloque ob id grauamine ab vllis afficiatur, hæc ibi. Nota tamen cum Nauarr. *cons. 1. de sepult. in nouiss.* tribus modis posse dari locum sepulturæ. Primo, vt is cui datur fiat dominus eius, quo modo nullo etiam ab Episcopo dare potest, quia rei sacræ dominium nullus potest habere. Secundo, vt habeat ius sepeliendi in eo mortuos suos, & impediendi, ne alij sepeliantur in eo: & hoc modo non potest dari sine auctoritate Episcopi, vt dictum est. Et cum iusta causa, & seruata forma, in alienandis rebus Ecclesiæ seruanda, quia licet per illum modum non transferatur rei dominium, transfertur tamen vsus eius, & quoddam ius sepeliendi, quod fieri nequit, nisi seruatis canonibus de non alienandis, ita Barbosa *sup. num. 18.* quod intellige vbi est in consuetudine (secus si non) vt talis forma seruetur. Tertiò, vt possit sepeliri aliquis in eo loco: & hoc modo potest dari à quocumque habente liberam sepulturam, vel ius admittendi ad sepulturam in sua Ecclesia, ex Clement. dudum de sepultur. & hoc sine auctoritate Episcopi, per auctoritatem quã habet à iure communi, vt si sit Ecclesia Parochialis, vel ex priuilegio, vt sunt Ecclesiæ regulares, vt dictum est hoc *dub. num. 1.* Igitur potest quis quoad vsum habere sepulchrum proprium, & prohibere ne absque eius assensu, quis in eo sepeliri queat, præcedente tamen licentia Episcopi ad ædificandum tale sepulchrum, vt dictum est. Quod quidem ius non censetur quæsitum, ex solo cursu decennali, & cadauerum illatione: nec etiam ex iure patronatus, quod quis habet in Ecclesia. Et inspectione verò literarum probatur sepulchrum commune esse familiæ. Zerol. *in praxi Episc. p. 1. verb. arma*, & cum aliis Barbosa *sup. n. 14. & 15.* quæ probatio si deficiat, liberè illud ius redit ad Ecclesiam, quæ deinde poterit eundem locum aliis de nouo concedere, Sylu. *verb. Sepultura, quæst. 3.* & Rota in Calagurritana sepulturæ 21. Maij, 1616. Barbosa *vbi supr.* videndus, vbi affert quasdam Cardinalium declarationes circa prædicta.

3 Nota etiam, pro ipso iure sepeliendi, seu pro ipsa sepultura non posse aliquod pretium accipi, absque labe simoniæ, sed gratis præstandam esse defunctis ab eorum Parochis. *c. abolenda. de sepult.* & communis DD. in materia simoniæ; verum tamen non est simonia vendere capellas pro sepultura defunctorum, quia datur per modum eleemosynæ ad reparationem Ecclesiæ, vel ad sustentationem ministrorum illius, & non pro pretio; sicut datur stipendium pro diuinis, & Missis celebrandis, Suar. *de Relig. tom. 1. tr. 3. c. 14. n. 22.* Portel. *in dubiis regular. verbo sepultura n. 8.* Villalobos *part. 2. tract. 17. diff. 12. num. 3. & 9.* Hieron. Roder. *in comp. qq. regul. resol. 128. n. 2.* Nec est simonia, accipere pretium pro concessione sepolturæ, non præcisè pro sepultura ipsa sed ratione situs, vel digniores, aut honoratioris loci; quia hoc non videtur concernere spiritualia, sed tantum honorem & præeminentiam, quæ potest pretio æstimari & vendi Sotor *de iust. lib. 9. q. 7. art. 1.* Caiet. *verbo Simonia.* Ledesm. *in sum. part. 2. tr. 12. concl. 34.* Garcia *de benef. part. 5.*

*part.5.c.9.num.*137.Azor.*p.3.lib.*15.c.17.q 2.Filliuc. *tract.*45.c.5.q.11.n.16.Bonacina *vbi de simonia q.* 4. §.6.Diana *p.*1.*tract.*1.*miscel.resol.*57. Villalobos *vbi sup.* & pluribus adductis Barbosa *de offic. & potest. Parochi c.*26.*n.*16 *vbi n.* 17.cum Melch. Phebo Lusit. Tenet, quod vsus sepulchri hæreditarij est pretio æstimabilis, & vendi potest pro debitis defuncti, id est, & quod non soluitur gabella de venditione sepulturæ ratione situs, vel dignioris. Nec est simonia, accipere temporale, non pro ipso iure sepeliendi, sed pro obligatione, quia Ecclesia obligatur ad aliquem, vel aliquos, & non alios in tali sepulcbro recipiendum; vt DD. citati, & Suarez *tom.* 1. *de Relig. tractat.* 3. *lib.*4.*cap.*14.*num.*19. quia talis obligatio est pretio æstimabilis: qui *num.*18. docet, & bene, quod si quis babeat sepulchrum proprium, suis sumptibus emptum, aut ædificatum pro se, & suis, non est materia simoniæ, si vendatur quoad proprietatem iuxta valorem fundi, & respectu babito ad solas expensas in eo ædificando factas, quia ibi non venditur benedictio, nec proprium ius sepulturæ, sed materiale illud, ad quod alia sequuntur. Vnde similia loca iure hæreditario transferri solent à parentibus ad filios, ratione temporalitatis quæ in iis est, vt dixi supra.

DVB. III.

Vbinam sint defunctorum fidelium corpora sepelienda,

SVMMARIVM.

Cadauera sepelienda sunt in loco sacro, aut benedicto, aliter sepultura non erit Ecclesiastica, n.1.
Antiquitus cadauera non in Ecclesiis, sed in cœmeteriis, & locis ab Episcopo assignatis sepeliebātur, n.1.
Postea in atrio partéque Ecclesiæ, deinde vero intra ipsam Ecclesiam, ibidem.

1 Certum est sepelienda esse in loco sacro, seu benedicto ab Episcopo, ita Innoc. *in c. Ad obtinendum, de sepultur.* Hostien. Panormit. *eodem tit.* Syluest. Angel. *verbo sepultura*, & communiter DD. colligitur aperte 13. *q.*2.*c. Postquam, & c. Præcipiendum*: vnde si locus non sit consecratus, seu benedictus sepultura ecclesiastica dici non potest, *c. Si Ecclesiam, de consecratione Ecclesiæ, seu Altaris in sexto.* Et quamuis antiquitus cadauera intra Ecclesiam non sepelirentur, sed in cœmeteriis, vel locis extra Ecclesiam ab Episcopo assignatis, & benedictis, eo quod stricte prohibitum erat intra Ecclesiam aliquam sepelire, *dicto c. Præcipiendum* 13. *q.*2. Ideò pie maiores nostri à primordiis nascentis Ecclesiæ cœmeteria instituerunt, pro sepeliendis mortuorum corporibus, vt late tradit Stephanus Durant *de ritib. Ecclesiæ, lib.*1.*c.*23. Tempore tamen procedente, dignitatis gratia in atrio, partéque Ecclesiarum humati cœperunt cadauera, vt patet ex *cap. Percipimus* 13.*q.*2. ideoque magno honore affectum Constantinum asserit S. Chrysostom. *hom.* 66. *ad populum*, quod pro foribus Ecclesiæ Piscatoris corpus maximi illius Imperatoris sepulturæ mandatum fuerit, factúsque sit Constantinus piscatoris ianitor; & de Theodosio, & Arcadio simile in Apostolorum porticu, refert Durant. *supra num.* 6. sed deinde honor sepeliendi intra Ecclesiam Episcopis, aliisque personis insignibus deferri cœpit *capite Nullus* 13. *quæst.* 2. de quo Cenedo ad decretum *collectanea* 46. At successu temporis omnibus, nulla habita personarum distinctione permissum est, vt hodie possint in Ecclesiis sepeliri, constat ex *c. Cum gratia* 12.*q.*2. tenet Sylu. *verb. Sepultura, q.*1. Rod. *tom.* 3. *quæst.*58. *art.* 1. & multi quos citat Cenedo *collectanea* 46. de quo etiam Durant. *sup. n.*6. Villalobos *p.*2.*tractat.*31 *diff.*1.*num.*3.& 4. Hieron. Roder. *in comp. qq. regul. resol.*118. *num.*1. & comprobat communis consuetudo, & hoc vt proximi quoties ad loca sacra conueniunt, suorumque sepulturam aspiciunt, recordantur, & pro eis domino preces fundant, vt ait S. Gregor. & refertur in *c. Cum gratia* 14. *quæst.* 2. vel vt habetur in *c. Non æstimemus, in fine ead. q. & causa*, quod eorum Martyrum, & Sanctorum, quibus Ecclesia dicata est, patrocinio, & intercessione releuantur; vel quia minus in Ecclesia ab spiritibus immund s vexantur, vide Durantum, & Cenedo *vbi supra*, & nouissimè Barbosam *de offic. & potest. Parochi, c.*26.*n.*6.7.& 8.

2 Quod ergo inquirimus est in cuius Ecclesia, seu cœmeterio sit parœcianus de iure sepeliendus, ad cuius intelligentiam supponendum est, aut defunctus habet propriam sepulturam aut non: deinde aut eligit sepulturam antequam discesserit, aut ea non electa mortuus est, nec habens propriam sepulturam. Videamus de primo.

DVB. IV.

Vbinam sepeliendus Parœcianus qui non elegit sepulturam.

SVMMARIVM.

Defunctus quando non eligit sepulturam sepeliendus est in sepulchro maiorum si non habeat propriam sepulturam, num. 1.
Si non habeat sepulchrum maiorum sepeliendus est in propria Parœcia, num. 2.
Exteri, & viatores sepeliendi sunt in Ecclesia vbi moriuntur, nisi elegerint sepulturam, aut velit ad aliquem locum ad sportari, num 3.
Quiddecisum sit in Diœcesi Valentin. circa hoc, ibid.
Quid si in vna Ecclesia audis diuina, & in alia percipit Sacramenta: aut si Ecclesia in qua sepeliendus erat sit interdicta, n. 3.
Vxor non electa sepultura vbi sit sepelienda: & quid obseruetur in Diœcesi Valentina, n. 4.
*Filij legitimi & spurij vbi sint sepeliendi, n.*5.
Nouitij sepeliuntur in Monasteriis, num. 6.
Prælati regulariter sepeliuntur in Ecclesia sua prælatura, num. 7.
Religiosi regulariter sepeliendi sunt in suis Monasteriis, num. 8.
*Limita vt ibi. Tertiarij vbinam sint sepeliendi, n.*9.
Admittentes ad sepulturam in casu non concesso peccant mortaliter, & tenentur cadauer, & emolumenta restituere, num. 10.
Cadauer non potest retineri exhumatum propter ius sepultura non solutum, num. 11.

1 Responsio communis est, in sepulchro maiorum suorum esse sepeliendum, soluta quarta parochiali, ex *cap. Ebron, cum sequentib.*13. *q.*2. *c.*1.*c. Is qui, c. in nostra de sepult.* Hostien. *sup. eodem titul. numer.* 5. *citat.* Innoc. *in dict. cap.* 1. Abbas *eod. tit.* Syluest. *verb. sepultura, num.* 8. Angelus *eodem verb.*

verb. num. 14. & communiter DD. apud Barbosam *de offic.& potest. Parochi c.* 26. *n.* 32. Per sepulchra maiorum intelliguntur ea, quæ sunt propria maiorum, ad quæ ipsi maiores habent ius. Per maiores autem secundum Syluest. & Angel. *sup.* intelliguntur pater, & auus. Vnde si proauus, & atauus sepulti essent in vno loco, & pater, & auus in alio, sepeliendus esset defunctus cum patre, & auo. Quod si pater in vno, & auus, & alij maiores in alio, sepelietur filius cum auo, & cæteris maioribus, vt tenet Syluest. *sup. ex c. fraternitatem, de sepult. & cap. Cum quis, eod. tit. libr.* 6. Villalobos *part.* 2. *tract.* 31. *diff.* 3. *num.* 4. Hieronym. Roder. *in comp. qq. regul. resol.* 128. *num.* 28. Fr. Emanoel *in add. ad summ. tom.* 4 *cap.* 130. *num.* 12. & Barbosa *supra.* Intelligenda autem hæc sunt, si defunctus non habeat propriam sepulturam, nec aliquam aliam si elegit, vt infra patebit.

2 Quod si præmoriens non eligit sepulturam, nec habeat sepulchrum proprium maiorum suorum sepeliendus est de iure in Ecclesia, vbi audit diuina, & ecclesiastica percipit Sacramenta, nimirum in propria Parochia. Ex c. 1. *de sepultur.* & ibi per Innoc. & est casus in *dict. cap. Is qui, & in c. in nostra, eod. tit.* tenet Syluest. *supr. num.* 8. *cit.* Angel. *sup num.* 16. & latè Riccius *decis.* 659. & cum aliis Barbosa *vbi sup. num.* 33. & ratio est, quia vt diximus dub. superiori Ecclesiæ parochiali de iure competit ius sepeliendi suas oues intra parochiam descedentes: ius enim sepulturæ multum dependet ab administratione Sacramentorum, vt benè Riccius *sup.* cum Abb. *cap.* 1. *de sepult. n* 4. ergo parochia habens ius ad ministranda Sacramenta suis ouibus, habet etiam ius ad sepeliendos suos parochianos.

3 Quod procedit etiam si sint exteri, & forenses, habentes tamen hospitium in aliqua parochia: nam ij etiam sepeliendi sunt in parochiali Ecclesia habitationis, nam in ea tenentur recipere sacramenta, idem dicendum de viatoribus transeuntibus nec habentibus hospitium in ciuitate, in quibus sepeliendi ius etiam spectat ad Parochiam intra cuius fines ij obierunt. Vt tenet Riccius *supr.* cum Archid. *cap.* 1. *num.* 3. *de sepult. in* 6. Abb. *cap.* 1. *cit. num.* 4. *eod. tit.* Syluest. *supr. num* 8. *circa finem*, maximè si concurrat, quod per parochialem sint sacramenta ministrata, & ita in viatoribus seruat Rota per Cardinalem Seraphinum in vna Hispalen. 9. Iunij 1595. coram eodem, vt refert Riccius *sup.* Huc autem intellige, nisi hic viator præmoriens elegerit sepulturam; nam tunc eo est deportandus, & si non eligit, habet tamen sepulchrum maiorum; quia tunc si non longe distat, & potest commode deportari, ibi est sepeliendus maximè si eius cognati, aut ij quorum interest, volunt eo asportari, vt habetur in *cap. Is qui de sepulturis in sexto.* Quæ omnia seruantur in praxi in nostra Diœcesi. Etenim quando defunctus non habet propriam Parochiam, reputatur illius parochiæ in qua obiit, vt benè determinauit D. D. Martinus ab Aiala Archiep. Valent. ordinat. 8. de iuribus funeralibus. Qui ordinat. 2. statuit, quod quando aliquod cadauer refertur Valentia in aliquem locum, clerici corpus concomitantes sumantur ab Ecclesia, cuius ille erat parochianus, idem ordinat. 37. Et si forte fuerat commendatum, vel depositum in aliquo Monasterio extra vrbis muros, ne inde extrahatur, nisi conuocatis clericis, ad quos spectat illud sepelire, & deferre. At si in vna Ecclesia audit diuina, & in alia percipit Sacramenta, vel erat parochianus duarum Ecclesiarum, si vtraque Ecclesia habeat ius funerandi, locus est præuentioni, *cap. duobus, de rescrip. lib.* 6. sed obuentiones quartæ diuidantur, *cap. cum quis, eod. tit. c.* 6. & si non est præuentio, sed contendunt, diœcesanus concordauit partes, Sylu. *sup q* 8. *cit.* Obseruandæ tamen sunt dispositiones synodales, si quæ sint, vel consuetudo approbata, addit Sylu. *vbi sup. q.* 8. *cit.* si Ecclesia vbi de iure est sepeliendus sit interdicta, sepeliatur in parochiali; si parochialis in Cathedrali: & si Cathedralis in Monasterio proximo vel vbi debet soluere decimas,

4 Vxor, quando è vita discessit sepultura non electa, sepelienda est in sepulchro vbi vir fuit sepultus, *cap. de vxore, de sepult.* etsi plures habuit viros est cum viro vltimo sepelienda, *cap is qui, § mulier eod. tit. in* 6. quod intellige cum Sylu. *dict. q.* 8. *verb. quantum.* si vxor est carnaliter cognita vel deducta ad domum viri; quia consequuta est domicilium viri, vel effecta vna caro, *c. Ebron* 13. *q.* 2. Secus tamen si propter adulterium fuerit separata, nisi fuerit reconciliata. Hæc autem procedunt etiam si vxor præmoriatur marito, vt tenet Sylu. *sup.* Panor. *in d. c. de vxore*, dicit & bene in hoc standum esse consuetudini. Quod si vxor præmoriens elegerit sepulturam, & postea maritus decedat ea non electa, verius est, non esse sepeliendum in sepultura vxoria: quia vt colligitur ex *d c. Is qui § mulier*, ipsa debet sequi virum suum, & non è contra; indecens enim est ait Sylu. vt vir sequatur vxoris dispositionem, & est de iure communi. Tu tamen attende tui loci approbatam consuetudinem, vsuque receptam, in his etenim rebus multum præualet, vt dicitur, & colligunt DD. ex *c. certificari, de sepult.* in Diœcesi enim Valentina habet consuetudo, si præmoriatur vxor, non electa sepultura propria viri, si eam habeat, & ipse consentiat, aliter sepelitur in propria parochia quod si præmoriatur vir, sepelitur vxor in propria Parochia, nisi elegerit sepulturam.

5 Filij illegitimi, si sint naturales tantum, sepeliuntur cum patre, nisi pater fuisset aliqua dignitate præditus, si vero sint spurij, non sepeliuntur cum patre; quia ij nec filij nominandi sunt, nec etiam si legitimentur à Principe, nisi ad petitionem patris, & eo viuente fecisset: vnde tales sepeliuntur in sepulchro matris, nisi forte sit fœmina illustris, quod si sint filij adoptiui, vel arrogati, si viuente patre adoptante, moriuntur, in eius sepulchro sepelientur, secus si eo mortuo; quia tunc sepelientur cum patre naturali. Ita Angelus *verbo sepultura, n.* 21. & Syluest. *eod. verbo q.* 8. *verb quartum.* Hoc de iure, nisi aliud habeat approbata consuetudo.

6 Nouitij etiam si de iure communi non sint sepeliendi in Monasterio, sed in Ecclesia, cui de iure competit, vt tenet Angelus *verbo sepultura num.* 26. cum Archid. *c. cum quis, de sepult. in* 6. Contrarium tamen consuetudine seruatur; nam sepeliuntur in Monasteriis vide Sylu. *sup. q.* 8. *cit. verb. Septimum.*

7 Prælati verò Ecclesiarum regulariter sepeliri debent in Ecclesia, vbi habeant prælaturam: & si in duabus, datur locus præuentioni, vel melius sepelientur in Ecclesia in qua moriuntur. Archidiac. *in d c. cum quis.* Alij vero clerici sepeliri debent in Ecclesia, vbi sunt clerici vel beneficiati. Sylu. *sup. q.* 8. *verb. sextum*, vel vbi residere tenebantur, vt cum Archid. Ancarrano, & aliis tenet Barbosa *de offic. & potest. Parochi c.* 26. *n.* 34. In nostra autem Diœcesi si clericus sit beneficiarius, & non elegit sepulturam sepelitur in Ecclesia sui beneficij, si nō habet beneficium, sepelitur (nō electa sepultura) in parochia vbi suscepit Sacramenta, & moritur, Canonicus vero in sua Ecclesia, si alias sepulturam non elegerit.

8 Religiosi, cum non habeant electionem sepulturæ,

turæ, ſepeliendi ſunt in propriis Monaſteriis *c. vlt. de ſepult. lib.6.* etiam ſi extra clauſtra decedant, & tunc etiam inconſultis Parochiis; niſi ſint ita remoti à propriis Monaſteriis, vt commode portari nequeant, quia tunc poſſunt eligere ſepulturam; ſi vero in hoc caſu non elegerit ſepulturam, ſepeliendi erunt in Eccleſia Parochiali, in qua deceſſerint inſtar ſæcularium in itinere morientium, etiam ſi ibi ſit Monaſterium aliquod ſui Ordinis, niſi ibi fuerit cauſa perpetuæ reſidentiæ. Sanchez videndus *in Decalogo tom.2.lib.6.c.14.vbi n.5.* ſubdit, quod tale Monaſterium tenetur expenſas factas in Monachi ſepultura ſoluere, vide Rodrig. *tom.3. q.60. art. 1. & 2.* Nauarr. *comment.2. de regul. num.43.* Riccium *in praxi fori Eccleſ.part. 4. reſol.293.n.39.* & Barboſam *de offic. & poteſt. Parochi, cap. 26. num.30. & num. 68.*

9 Tertiarij verò, ſi qualitatibus in Bulla fel. record. Leonis X. præſcriptis ſint prædicti, videlicet, ſi viri collegialiter, aut clauſtraliter viuant; mulieres vero virginalem, vel cœlibem, aut eas caſtum vidualem, ſub expreſſo voto, & tertiariorum habitu vitam ducunt, poſſunt, & debent etiam inuito, ac minime requiſito Parocho, in fratrum Eccleſiis ſepeliri. Secus vero ſi ſupradictis qualitatibus careant, vt fuit reſolutum ab eadem ſacræ Congreg. in Nopeſina 12. Decembris 1615. ad 1. teſte Barboſa *ſup. n.69.*

10 Ex dictis conſtat, ius ſepeliendi ſuos Parochianos pertinere ad proprios Parochos, & vnumquemque fidelem eſſe ſepeliendum in propria parochia, ſi non eligit ſepulturam, nec habeat ſepulchrum maiorũ, & hoc in hac parte conſiſtit hoc ius parochi. Quare ſepelientes, & recipientes aliquem ad ſepulturam in caſu non conceſſo, non ſolum peccant mortaliter, cum ius alterius inuadant, & incurrunt ſupradictas pœnas, modo explicato. Sed etiam tenentur reſtituere corpus, ſi petatur etiam poſt multum temporis, quamuis ſola oſſa remaneant, & quidquid ratione corporis acceperint. Ita Hoſtien. *cit. de ſepult. dict. num.5.* Panormit. *cap. cum liberum, eodem. verb.* Syluest. *eod. verb q.11.* habetur expreſſe in *c. ex parte, c. Cum liberum, de ſepult. & c. animarum, eodem tit. in 6.* vbi Gloſſa. Ait teneri reſtituere corpus modo petatur: accepta autem ratione corporis, antequam ſint requiſiti, & hoc ob malum finem, vt bene Syluest. citat. & ſi intra decem dies non reſtituant, Eccleſia manet interdicta, vt habetur in *dict. cap. animarum.*

11 Nota tamen, non poſſe cadauer exhumatum retineri propter ius ſepulturæ minime ſolutum: nec etiam ſub quouis prætextu compoſitionis quartæ funeralis ſepultura mortuorum retardari, aut impediri debet, vt cenſuit ſacra Congreg. in Caſſan. 5. Maij 1617. teſte Barboſa *de offic. & poteſtate Parochi, cap. 26. num. 55.*

Dvb. V.

Vbinam ſepeliendi ſint, qui ſepulturam elegerunt.

SVMMARIVM.

Eligere poteſt quis ſepulturam etiam in Eccleſia regularium, num. 1.

Electio ſepulturæ vt valida ſit requirit, quod ſalua ſit quarta canonica, de iure communi, num. 2.

Eligens ſepulturam debet habere liberum arbitrium num. 3.

Impubes non poteſt eligere ſepulturam, bene vero pubes, etiam ſine conſenſu patris, num. 4.

Pater aut mater an pro filio impubere poſſit eligere ſepulturam, n. 5. & 6.

An idem poſſint aui, & amici, num. 6.

Quid filiorum nomine intelligatur, ibid.

Synodus Valent. quod diſponat circa electionem ſepulturæ à patre pro filio, num 5.

Vxor, ſicut maritus, poteſt ſibi eligere ſepulturam, n.7.

Electio ſepulturæ in alterius arbitrium commiſſa valet, num. 8.

Electio Sepulturæ poteſt probari per teſtes ſingulares, num. 9.

Sepulchrum familiæ quomodo probetur, n. 9.

Pactum, iuramentum, ſeu votum de eligendo ſepulturam ad ſuggeſtionem regularium, vel clericorum factum eſt nullum, & inducit ſimoniam, & electio eſt inualida, num. 10.

Secus ſi ſola nuda, & ſimplex interrogatio adſit, ibid.

Pactum, iuramentum, ſeu votum, de eligenda ſepultura, vel de obligando ſe ad certam ſepulturam libere, & ſine ſuggeſtione factum validum eſt, & poteſt cogi ad illius obſeruantiam, n. 11.

Accipiens fidei commiſſum, maioratum, aut donationem, & adſtringens ſe ad eligendum ſepulturam ad voluntatem teſtatoris, tenetur, num. 11.

Electio ſepulturæ voto, iuramento, aut promiſſione facta ad inductionem clericorum, vel regularium eſt nulla, & peccatum mortale, cadauer tunc eſt ſepeliendum in propria Parochia, illique reſtituendum cadauer, & omnia emolumenta, num. 12.

Poteſt quis ſua ſponte, voto, &c. ſe obligare ad eligendum ſepulturam, num. 13.

Inducentes ad eligendam ſepulturam, & non ad iurandum, &c. an peccent, & valeat electio, n. 13.

Pactum inter Rectorem & Religioſos ne ipſi in ſuis Eccleſiis parochianos ad ſepulturam recipiant an ſit validum, num. 14.

Violans dictam conſtitutionem peccat mortaliter, n. 15.

Iurans ſepeliri in ſepulchro maiorum an poſſit ibi ſepeliri, num. 16.

Eligens ſepulturam in Eccleſia S. Franciſci, ſi à Religioſis alterius Ordinis inducatur ad eligendum ſepulturam apud ipſos, poteſt in Eccleſia S. Franciſci ſepeliri, num. 16.

Quid ſi Religioſi Sancti Franciſci inducant ad eligendam ſepulturam in Monaſterio Prædicatorum, ibidem.

Decretalis Bonifacij non habet locum, quando laici inducant ad ſepulturam, num. 16.

Decretalis Bonifacij ſolum loquitur de Religioſis, & clericis, num. 16.

Et ſufficit quod vnus Religioſus, vel clericus inducat ad ſepulturam, & electio ſit nulla, n. 17.

Sola inductio abſque effectu promiſſionis, &c. non ſufficit, ibidem.

Religioſi, vel Clerici inducentes ad ſepulturam eligendam tenentur reſtituere cadauer, & omnia emolumenta propriæ Eccleſiæ, num. 18

Religioſi, aut clerici inducentes, ad promittendum, iurandum, vel vouendum eligere ſepulturam, aut electam non mutandum, ſunt excommunicati, n. 19.

Quomodo intelligatur hæc excommunicatio, & quos comprehendat, ibid.

Rapiens, aut ſpolians funus perdit ius quod habet, & tenetur reſtituere, num. 19.

1 Communis eſt Canoniſtarum, & Theologorum certa ſententia, ſepeliendos eſſe in cœmeterio,

cœmeterio, aut Ecclesia in qua ante mortem rite, & recte eligit sepulturam: probatur, quia quilibet habens liberum arbitrium potest eligere sibi sepulturam, constat aperte *cap. vbicumque* 13. *quæst.* 2. ibi Glossa *verb. vbicumque*, *cap. placuit*, *ead. q.* & ibi Glossa *verb. temeritate*, *c.*1 *de sepult.* ibi: *Nullum tamen negamus propriam eligere sepulturam.* Vbi Glossa verbo propriam ait, & sic videtur, quod quilibet adultus, & discretus potest eligere sibi sepulturam, *c. Cum sit liberum*, *c. Cum in nostra*, *eodem tit. c. Licet de sepult. in* 6 quod procedit etiam si eligat in loco minus religioso, dummodo sit capax ecclesiasticæ sepulturæ, vt habetur in *dict. c licet*, *§ si quis*. Procedit etiam si fiat electio in Ecclesiis fratrum Prædicatorum, & Minorum, relicta parochiali, ex Clementin. dudum §. huiusmodi quoque statuto, de sepulturis, Vgolin. *de offic. Episcop. c.*17.*n.*1. Hieronym. Rodetic. *in compendio quæstionum regularium, resol.*128. *n* 3. quod Pius Quintus ad reliquos Religiosos ampliauit: sicque electio sepulturæ in Ecclesiis regularium non potest à Parochis impediri. Riccius *in praxi rerum Ecclesiastic. part.*4.*resol* 293.*n.* 32.

2 Vt autem electio sepulturæ valida sit, requiritur primo, quod propriæ Parochiæ soluatur canonica portio, seu quarta (de qua infra) in recompensationem laborum in celebrando diuina, & ministrando Sacramenta. Patet *c.*1.*c. de iis*, *c. certificari*, *de sepult. c. Cum quis*, *eod. tit in* 6. quod de iure requiritur tanquam conditio sine qua non aliter valeat electio sepulturæ, vt docet Host. *in sum. tit. de sepult. num* 5 *in medio*. Colligitur etiā *ex c.*1.*de sepult in fine*. Rodet. 3.*tom. quæst.* 39 *art.*6. sentit cum Abb. *c. de iis de sepult. inst.*2. electionem sepulturæ in Monasteriis regularium valere, etiam si non soluatur canonica portio, at Abb. non loquitur expresse in hoc casu. Probabile tamen est, talē sepulturæ electionem validā esse, etiam si in ea non fiat expressa mentio quartæ parochialis, vt etiam tenent Mirand. *in Man. Prælat. tom.*2.*q.*48.*art.*11. Rod. *in comp qq. regul. resol.* 18. *n.*7. & cum his Barbosa *de offic. & potest. Parochi*, *c.* 25.*n.*6. Dixi de iure, quia hoc potest abrogari per contrariam consuetudinem, vel aliquod priuilegium.

3 Secundo requiritur, quod sepulturam eligens habeat liberum arbitrium, id est, vsum rationis; ratio enim naturalis dictat amentem, & infantem non esse capaces electionis: ideo Gloss. *c.*1.*cit. de sepult.* in verbo propriam dicit, quod quilibet adultus, & discretus potest eligere sibi sepulturam.

4 Tertio requiritur, debita ætas nimirum pubertas, in viro 14. in fœmina vero 12. anni: nam antea eligere non possunt sepulturam, Syl. *verb sepult.* Angel *eodem verb. n.*5 colligunt ex *cap. vlt. de success. ab intest.* & *c. licet de sepult. in* 6. pubes ergo potest eam eligere etiam sine consensu patris, quamuis sit filius familias, etiam si testari non possit. Angel. Syl. sup. cum Hostien. *in summ. tit. de sepult. n* 5. & habetur expresse in *c. licet de sepult in* 6. imo, & seruus potest eam eligere, si sit in pubertate constitutus, vt docet Sylu. *sup* & Angel. *num.*7.

5 Sed quæres, an pater possit eligere sepulturam pro filio impubere, de hac re olim dubium erat apud Doctores, nunc autem sublata est omnis difficultas per Bonifac. VIII. in *cap licet de sepult in* 6. vbi Pontifex statuit, quod pater possit eligere sepulturam pro filio impubere, si id consuetudo terræ habeat, vbi duo requirit Pontifex. Primum, quod filius sit impubes: pro pubere enim sepulturam eligere non potest: quia textus solum loquitur de impubere. Ita Angel. *verb. sepult. num.*10. Secundum est, quod electio sepulturæ pro filio impubere, sit in consuetudine posita: alias enim pro impubere pater sepulturam eligere non valet, habetur expressè in textu. Vnde in nostra Diœcesi Valentina pater pro impubere non potest eligere sepulturam; quia non est in consuetudine positum: ideoque impubes, si pater non habeat propriam sepulturam, seu maiorum suorum, sepelitur in propria Parochia: & si in aliena sepeliatur, restituenda sunt ossa, & omnia quæ ratione sepulturæ obueniunt propriæ Parochiæ, vt tenet Hostiens. *in sum. n.*5 *tit. de sepult. & dict. est sup.* igitur impubes, casu quo non possit pro eo pater eligere sepulturam, sepeliri debet in sepulchro maiorum, ex *dict. cap. licet*, & habet Sebast. Medices *de sepult. quæst.*8. aut patris, si illud habeat propriam, aliter sepeliendus est in propria parochia, vide Barbosam *de off. & potest. Parochi*, *cap.*26.*num* 28.

6 Pro impubere autem, vbi id habet consuetudo non solum pater, sed etiam mater potest eligere sepulturam, vt notat Sylu. *verb. sepultura*, *n.*7. debent autem filij, pro quibus parentes possunt eligere sepulturam, esse legitimi, & naturales, vel saltem adoptiui, & arrogati, non autem spurij, & naturales tantùm, vt tenet Sylu. *cit.* & Angel. *sup. nu.*9. appellatione namque filiorum non veniunt naturales tantùm, vel spurij *l generaliter*, *C. de instit. & substit. & in Clementina* 1.*de Bapt.* Auus verò pro nepote impubere sepulturam eligere non valet: quia vt docent Syluest. *num.*7.*cit.* & Angel. *sup. num.* 10. appellatione filiorum non veniunt nepotes, & multo minus frater, aut alius collateralis. Nec amicus pro amico, vt resoluit Riccius *decis.*66.*num.*1. & approbat consuetudo, & colligitur ex *cap. licet citat.* vbi id solum conceditur patri pro filio impubere, id tamen ferente consuetudine. At vbi id habet consuetudo potest pater pro filio impubere, non tāntùm viuo, sed etiam mortuo eligere sepulturam vt aduertit Nauarr. *cons.*2. *de sepult.* quia Bonifac. VIII. *in dict. cap. licet*, absolutè loquitur, non distinguens de viuo, aut mortuo. Aduertit etiam Nauarr. Hostiensem, & alios qui absolutè affirmarunt, patrem posse eligere sepulturam pro filio impubere, locutos fuisse antequam constitutio Bonif. VIII. in dicto cap. licet emanasset.

7 Potest etiam eligere sepulturam vxor, sicut maritus ipsius: est enim equantum ad hoc libera, habetur expresse *cap. de vxore de sepult. & cap. is qui § mulier*, *in* 6. Vbi autem sepelienda sit non electa sepultura, dictum est *supr. dub.* 4. *num.* 4. vide Syluest. *verb. sepult. quæst.* 8. §. *quintum*, Angelus, *eod verb. num.* 22.

8 Nota electionem sepulturæ in alterius arbitrium commissam valere, vt resoluit Riccius *decis.* 166. *num.* 2. & comprobat vsus communis, verbi gratia, si quis dicat volo sepeliri in loco, quem elegit N. quod procedit, siue elector eligat adhuc viuente committente, siue post eius mortem, vt tenet Riccius supr. cum Panormit. *in cap. Et si Christus*, *de iure iurand.* quia mandatum de eligenda sepultura, cuius effectus notatio confertur post mortem mandantis, non expirat morte committentis, vt in *c fin de testib. lib.*6.

9 Nota etiam, electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, vt cum multis tenet Riccius *decis.* 665. qui in fine docet, sepulchrum familiæ, seu hæreditarium, probari inspectione litterarum ipsi sepulchro scriptarum, vt tradit Speculator *in tit. de probat. vers Sexto.*

10 Tertio, electio sepulturæ debet esse libera, & *cap. is qui*, §. *fin. eod. titulo in* 6 ex qua libertate

in

in eligenda sepultura prouenit, vt eam pot ssiqnilibet reuocare vsque ad finem vitæ, Gemin. *in cap. licet, § quamuis de sepult. lib 6.* & alij apud Barbosam *de offic. & potestate Parochi, cap. 26. num. 24.* quare pactum de sepultura eligenda non valet, *cap. 1. de pactis in 6.* Vnde aduertit Riccius *in praxi fori Eccles. decis. 662 n. 2.* vt Parochus, dum accedit ad communicandum infirmum, interroget eum in particulari, in qua Ecclesia vult sepeliri: nam ait, si interroget in specie, puta si vsus fuerit his verbis: Via sepeliri in Parochia, vel alia Ecclesia? Tunc non valeret electio, tanquam facta ad soggestionem dicti capitis de pactis. Ita etiam Barbosa *supra num. 38.* cum Riccio *in praxi fori Eccle. par. 4. resolut. 293. num. 30.* Hoc autem limita si pactum, vis, fides, seu promissio aut aliquid huiusmodi intercedat, secus si sola nuda, & simplex interrogatio: nam hæc nullo modo aufert libertatem ad electionem liberam sepulturæ. Hinc est, quod electio sepulturæ quæ fit ex pacto, etiam in loco vbi quis alius deberet sepeliri, inducat simoniam; quia ius sepulturæ est variabile, & per pactum non esset tale, quasi per illud inducatur quid plus, quod non erat de iure communi, vt docet Felin. *in cap ad audientiam, el 2. column. 8. ad med. vers. exprimere, num. 9. fall. 1. de rescript.* Riccius *sup. num. 4.* quod clarius patet infra *in §. Circa quam, num. 13.*

11 Nihilominus tamen patri, iuramentum seu votum de eligenda sepultura, vel de obligando se ad certam sepulturam, si est liberum motu proprio factum, & non ad sugestionem regularium, vel clericorum valeret electio, vt tenet Syluestr. *verb. sepultura quæst. 3.* Angelus *eod. verb. num. 40.* latè Riccius *sup num. 4. §. Et tamen*, quo casu posset quia ad illius obseruantiam cogi: non enim simpliciter prohibetur promissio, sed conuentio, & inductio ad instantiam Religiosorum, vt cum multis docet Riccius *supra*, qui addit, quod accipiens fideicommissum, maioratum, aut donationem & adstringens se cum iuramento, ad eligendam sepulturam secundum voluntatem testatoris, tenetur ad illius obseruantiam, quasi imputandum sit ei, qui se cum illa conditione obligauit: quia res transit cum suo onere, & potest donator in traditione suæ rei apponere conditiones. & pacta honesta quæ sunt implenda, per successorem. Ita Specul. *in §. compendiosè, num. 26. de instrument. edit. & in tit. de sepult. num 6.* Hostiensis, quem sequitur Angel. *verbo sepult. num. 40.* & conclusum fuit in Rota teste Riccio *sup.*

12 Bonifacius VIII. *in cap. animarum periculis de sepult. in 6.* vniuersis Religiosis, & clericis sæcularibus cuiuscumque status, ac conditionis existant in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione æternæ maledictionis districtissimè prohibet, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum, vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, seu eam electam vlterius non mutent: & si secus actum fuerit, decreuit talem electionem, nullius penitus existere firmitatis. Statuit etiam, vt ij qui sic elegerint, neque apud sic electas Ecclesias vllatenus sepeliri, nec alibi: ne contra votum, iuramentum, aut promissionem huiusmodi à se factam, materiam habeant veniendi, possint eligere sepulturam: sed contradictione quacumque cessante, sepeliantur omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de iure fuissent, si aliàs sepultura non electa forsitan decessissent. Quod si iidem Religiosi vel clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel cæmeteriis præsumpserint sepeliri, ad restitutionem tā sepultorum corporum (si petantur) quam etiam omnium quæ occasione sepulturę illorū prouenerint quomodolibet, ad eosdem infra decennium integraliter faciendum sint obligati, quam nisi fecerint Ecclesiæ ipsæ apud quos sepulti fuerint, necnon cæmeteria earundem ex nunc eo ipso sint, & tandiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.

13 Circa quam constitutionem nota 1. per hanc decretalem non prohiberi, nequia sua sponte voto, vel iuramento, se adstringat ad electionem sepulturæ, sed tantùm ad inductionem clericorum, vel Religiosorum, vt communiter DD. & patet ex contextu. Imo nec ipsi, si tamen inducant ad eligendum, non vero ad iurandum, vel vouendum, nec promittendum incurrunt hanc pœnam, vt notat Glossa *in dicto cap. animarum.* Quod intellige si tantùm simpliciter exhortentur ad eligendam sepulturam, nulla promissione, voto, vel iuramento interueniente, vt tenet Rod. *tom. 3. q. 58. art. 7. in fine.*

14 Nota 2. cum Glossa in dicta constitutione *verb. sepultura*, quod inter duas Ecclesias benè valet pactum cum rectore Ecclesiæ Parochialis factum cum quibusdam Religiosis, ne aliquos vel certos ipsius Ecclesiæ Parochianos reciperent ad sepulturam Ecclesiasticam, etiamsi Monasterium habeat indultum liberæ sepulturæ à Sum. Pontif. concessum, & Parochiani apud Religiosos eligerent sepulturam; quia per pactum præfatum indulto fuerat derogatum, & cessat dispositio nostræ constitutionis, quæ edita est in odium Clericorum, & Religiosorum ad eorum auaritiam compensandam.

15 Nota 3. violantem dictam constitutionem peccare mortaliter, quod apertè indicat modus prohibendi scilicet virtute obedientiæ, & sub interminatione æternæ maledictionis. Deinde electionem sepulturæ sui factam esse inualidam, nec posse postea reuocando præteritam electionem, aliam de nouo facere, sed esse sepeliendum vbi alias de iure sepeliendus erat; ac si intestatus discessisset.

16 Quod si quis iurauit sepeliri in sepultura maiorum suorum, vbi de iure sepeliendus erat? Gloss. *in cap. de eo de sepul. in 6.* videtur asserere non posse ibi sepeliri, quia talis electio est inualida, sed esse sepeliendum in propria Parochia. Rodrig. *sup. art. 7. cit.* probabilius affirmat posse; quia ex dicta constitutione taliter eligentes debent sepeliri in sepultura, in qua aliàs de iure; & hic in hoc casu sepelitur in sepultura maiorum, non virtute electionis sic factæ, sed quia alias de iure communi. At si quis eligat sepulturam sponte in Ecclesia S. Francisci, & postea per Religiosos alterius Ordinis inducatur ad eligendum apud eos sepulturam, certum est non valere secundam electionem: poterit tamen sepeliri in Ecclesia S. Francisci in qua prius sponte elegerat; quia secunda electio non tollit primam ritè factam: nam vt ait Rod. *sup. cit.* Pontifex reprobat electionem factam, postquam erat inductus ad electionem faciendam: non autem tollit electionem, quæ primo fit in vna Ecclesia, licet secundo inducatur ad eligendum sepulturam. Ita Petrus Perusinus de Vbaldis de canonica portione *c. 11. n. 14. tractatuum.* Qui *n. 16.* aduertit, hanc decretalem non habere locum quando laici, vt parentes, vel amici inducunt ad sepulturam; quia tantum loquitur de Clericis, vel Religiosis. Ita Rodrig. *art 7 citat. §. quarto circa*, vbi etiam tenet valere electionem sepulturæ factam ad inductionem Religiosorum S. Francisci, vt sepeliatur in loco Prædicatorum, ac verius videtur contrarium, quia decretalis sæpè citata non distinguit,

17 Vt autem electio sepulturæ ad inductionem Religiosorum sit inualida, requiritur vt maior pars illorum, aut solus Prælatus inducat: nam si vnus solos induxerit valet electio, vt tenet Rod. *sup. cit.* Contrarium tamen est verius, textuique conformius, nam Papa vniuersis Religiosis, & clericis id prohibet: aliter enim nunquam, aut raro haberet locum dicta decretalis; quia communiter hic, aut ille, & non maior pars inducit ad sepulturam, & dato quod esset verum in Religiosis, idem etiam dicendum erat in clericis à paritate rationis. Hoc tamen pro certo habe non sufficere solam inductionem, nisi sequatur effectus scilicet votum, iuramentum, vel promissio, vt bene Rod. *supra §. Quinto quæritur.*

18 Nota quarto, non solum electionem voto, vel iuramento factam ad inductionem Clericorum, vel Religiosorum esse inualidam, & sic inducentes peccare mortaliter, vt dict. est sup. Sed etiam teneri restituere cadauer, si petatur, & etiam omnia quæ ratione illius obueniunt, quamuis non petantur, vt deducitur ex dicta constitutione, & habet ibi Gloss. in principio capitis: aliter talia loca sunt interdicta donec satisfecerint.

19 Nota quinto: Clementem V. in Clementina cupientes, §. sanè temerarius, de pœnis confirmare supradictam constitutionem Bonifacij VIII. insuper excommunicat (& sibi reseruat) Clericos, vel Religiosos qui aliquem induxerint ad iurandum, vouendum, vel promittendum eligere sepulturam, vel electam non immutare. Ad quam excommunicationem incurrendam requiritur primo, quod sic inducentes sint Clerici, vel Religiosi. Secundo, quod ij inducant ad vouendum, &c. Tertio, quod eligat sepulturam apud Ecclesias pertinentes ac inducentes, quod procedit, siue promissio sit nuda, siue fide interposita dum non fiat ad inductionem. Quare si quis motu proprio iurauit, vel vouit eam eligere, tenet, nec incurrit vllam censuram: nec inducens ad eligendum tamen, si non induxit ad vouendum, vel iurandum, vel promittendum. Imo nec inducentem ad iurandum, &c. nisi sequatur effectus, nimirum si non vouit, iurauit, vel promisit eligere sepulturam: quia verba debent intelligi cum effectu, bene vero si sic inductus, postquam iurauit, aut vouit, reuocauit promissionem sic factam; quia reuera inductus iurauit & sicque fuit secutus effectus inductionis, & violata constitutio. Ita Barbosa *de offic. & potestat. Parochi, cap. 26. num. 36.* sicque Parochus qui rapit, vel spoliat funus antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit ius, quod habet, & quartam canonicam, tenetúrque restituere cum corpore, quidquid accepit, Rodriguez *tom. 3. qu. 61. art. 3.* Portel. *ad dubia regular. verb. Canonica portio, num. 6.* Hieron. Roder. *resolut. 129. num. 14.* & Barbosa *loco cit. num. 17.* Imo etiam si sequatur effectus, si tamen induxit vt eligat sepulturam non apud suam sed aliam Ecclesiam, vt tenet Sayrus *in Thesauro lib. 3. cap. 30. num. 41.* colligiturque ex *capite Animarum*, & dicta Clementina ibi vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligant. Vide de hac Syluest. *excommunicatio 7. num. 49. §. Decima sexta.* Nauarr. *cap. 27. n. 103.* Caietan *verb. Excommunicatio, cap. 49.* Sayrum *sup.* Rodriguez *tom 3. qu. 58. art. 7.* & Bonacinam *de censuris extra Bullam, disp. 2. quæst. 5. punct. 4.*

***

Dvb. VI.

Qui non possint eligere sepulturam.

SVMMARIVM.

Eligere sepulturam non potest Religiosus amens, nec decapitandus, vt in num. 1.

In quibus attendenda consuetudo, & quid in nostro Regno, ibidem.

1 Respondeo primo, eligere sepulturam non potest Religiosus, nisi quando ita longè moritur à Monasteriis sui Ordinis, quod ad ea commodè asportari nequeat, ex *cap. Religiosi de sepult. in 6.* limita, nisi sit Abbas aut Prælatus, vt resoluit Syluest. *verb. sepult. quæst. 7. num. 7.* de quo vide Rod. *tom. 3. q. 68. art. 1. & 2. & sup. dub. 4 num. 7.* Secundò, nec amens, aut impubes, vt latè supradictum est. Tertiò, nec decapitandus, si sententia est lata, nec suspensa per appellationem; quia vt docet Syluest. sup. nullam vltimam voluntatem potest emittere quamuis possit omnia Sacramenta petere, & recipere, vt habetur in Clementina de pœnis, & remiss. Attendenda tamen loci approbata consuetudo, cui in his standum est, ex *cap. certificari, de sepult, & cap. licet, eod. tit. in 6.* Quando ergo consuetudo permittit damnatis ad mortem sepulturam eligere, ibi sunt sepeliendi, vel in sepulchro maiorum, quod si non elegerunt sepulturam, nec habent propriam, sepeliendi sunt in Parochia vbi occiduntur. Si vero sententia non est lata, vel per appellationem suspensa, bene potest eligere, vt docet Sylu. *sup.* sed tu semper attende loci consuetudinem: nam sæpè insignibus malefactoribus in terrorem cæterorum à iudicibus non permittitur sepultura, sed iterum extra vrbem suspenduntur, vt fit in nostro regno vide Angel. *in notis litt. A.*

Dvb. VII.

Qui nam careant Ecclesiastica sepultura.

SVMMARIVM.

Carent Ecclesiastica sepultura primo concubinarij notorij nisi in articulo mortis pœniteant, num. 1.

Secundo, interdicti notorij, num. 2.

Tertio, publici, & manifesti vsurarij nisi satisfecerint, num. 3.

Quarto, infidelis, iudex, hæretici, num. 4.

Quinto, manifesti raptores, nisi, &c. num. 5.

Sexto, decedentes in torneamentis, vel in duello morientes, vt in num. 6.

Septimo, qui semel in anno confessus non est, nec suscepit Eucharistiam, num. 7.

Octauo, priuantur Ecclesiastica sepultura Religiosi proprietarij, num. 8.

Quid si mortuus fuit cum bursa denariorum. ibid.

Nono, decedens impœnitens in peccato notorio.

Decimo, occidentes se ipsos, num. 10.

Quid si reperiatur mortuus in puteo, ibid.

Vndecimo, debens priuari Ecclesiastica sepultura non restituentes decimas Ecclesiæ, num. 11.

Item parricidæ, num. 12.

Item publicè blasphemantes Deum, nisi, &c. numer. 13.

Deniquo

Denique Clericus concubinarius notorius perseuerans vsque ad mortem, n. 14.
Parochus quas pœnas incurrat sepeliens eum qui caret sepultura Ecclesiastica, n. 15.
Non potest corpus inhumatum detinere eo quod sepultura non sit soluta, ibidem.

1 Respondeo breuiter, ij qui sequuntur: Primo excommunicati notorij, & denuntiati cap. sacris de sententia excomm. cap. is qui eod. tit. in 6. Clem. 1. de sepult. nisi talis excommunicatus in art. mortis pœnitentiæ signa dedisset, vt declarauit sacra Congreg. Card. negotiis Episcoporum, & regular. præposita in vna Nolana 19. Iulij 1619. prout refert Barbosa *de off. & potest. Parochi, c. 26. n. 40.*

2 Secundo interdicti notorij, & denuntiati, dict. Clem. 1. de sepult. nam generaliter per omne interdictum, siue locale, siue personale vsus Ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur, cap. cum & plantare, §. quod si templarij de priuil. & de suspensis ab ingressu Ecclesiæ cap. is cui, §. talis. quoque de sent. excomm. in 6.

3 Tertio publici & manifesti vsurarij, nisi alienum restituerint, vel idoneam dederint cautionem de restituendo cap. quia de vsuris, cap. quamquam eod. tit. in 6. vnde vsurarios manifestos publicè excommunicatos, & nominatim interdictos exhumare facere potest Episcopus, etiam de Monasteriis exemptis regularium, & procul abijci ab Ecclesia, vt innuit Clem. 1. de sepult. quam ad hoc citat Hieron. Roder. *in compend. qq. regular. resol. 128 n. 14.*

4 Quarto, infideles, pagani, iudæi, hæretici etiamsi post mortem appareat de hæresi cap. excommunicamus, §. credentes de hæret.

5 Quinto, manifesti raptores, nisi restitutione secuta, vel alius velit pro illis restituere cap. super eo de raptoribus.

6 Sexto, decedens in torneamentis, cap. 1. & 1. de torneament. vel in duello morientes. Concil. Trident. sess. 25. de reformatione, cap. 19. etiamsi signa pœnitentiæ dederit ibique Sacramenta susceperit, quod intellige, si in ipso conflictu, & loco duelli decesserit: secus si ibi vulneratus postea extra locum duelli moriatur, ostenderitque signa contritionis, & pœnitentiæ. Sancius *in selectis disp. 36. n. 9.* colligitur aperte ex verbis Concilij ibi: *Et si in ipso conflictu decesserint perpetuo careant ecclesiastica sepultura*, quæ verba, cum restrictiua sint, non debent extendi, ad casum quo extra locum duelli vulneratus moriatur. Vide Bonacinam *de censuris extra Bullam, disput. 2. quæst. 3. punct. 42. num. 22.* vbi addit, Parochum non debere illos sepelire, nec ecclesiasticam sepulturam denegare, si non sit notorium delictum, sed tem ad Episcopum, seu eius Vicarium deferre debere.

7 Septimo, qui semel in anno confessus non est, & in paschate Eucharistiam non suscepit, cap. omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remiss.

8 Octauo, Religiosi vtriusque sexus proprietarij, si moniti à superiore, absque emendatione, & pœnitentia decesserint. Non tamen præcipitanter priuandus est ecclesiastica sepultura Monachus mortuus cum bursa denariorum, præsumi enim debet denarios non esse proprios, vel quod ex obliuione, aut negligentia inibi remanserint, vt benè Portel. *in dubiis Regular. verb. sepultura, n. 11.* Hieron. Roderic. *sup. n. 20.* Villalobos *par. 2. tract. diff. 3.* & cum iis Barbosa *d. c. 26. n. 47.*

9 Nono, peccator quilibet notorius decedens in ipso peccato mortali, & impœnitens, nullo dato signo contritionis, Gloss. in cap. ea parte 11. de sepult. verbo excommunicamus, Couarr. *in c. alma mater par. 1. §. 6. n. 4.* & alij apud Barbosam *n. 48.*

10 Decimo, occidentes se ipsos ex industria, cap. placuit 23. q. 5. Excipe tamen illum, qui se præcipitem dedit, non vt se interficeret, sed quia malum ipsi impendens aliter euitare non potuit, vt si mulier se è fenestra proijciat, vt fugiat violenter eam violare; vel ne in manus inimicorum incideret, &c. Item si aliquis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus non est statim priuandus Ecclesiastica sepultura, quia vbi non constat, quod se ipsum interfecerit, vel præcipitauerit non est id præsumendum, cum potuerit per insidias, aut vim in puteum, proijci, vel suspendi, aut ex furore, seu mentis alienatione id facere Marc. Ant. Genuens. *in praxi Archiep. Neapol. c. 61. n. n. 10.* Barbosa *sup. n. 49.*

11 Vndecimo, non restituentes Ecclesiæ decimas, cap. prohibemus de decimis: ij enim debent priuari ecclesiastica sepultura. Barbosa cum aliis *sup. n. 50. & c. 28. §. 4. n. 19.*

12 Duodecimo, patricida, Menoch. *de arbitriis casu 387. per tot.* Barbosa *c. 26. cit. n. 51.*

13 Decimotertio, publicè blasphemantes Deum, si pœnitentiam eis iniunctam non egerint cap. 2. in fine de maled.

14 Decimoquarto, Clericus notoriè concubinarius perseuerans vsque ad mortem sine pœnitentia non est cum fidelibus sepeliendus cap. quæsitum, cap. quibus 15. quæst. 2. & in cap. placuit in fine 23. quæst. 5.

15 Hos igitur supradictos à iure sepultura priuatos, si Parochus sepeliat, peccat mortaliter, & tenetur restituere funus, etiam à multo tempore sepulturæ, si petatur, & quidquid ratione illius percepetit, excepta quarta funerali. Ita Glossa in cap. cum liberum de sepult. Rodrig. *tom. 3. q. 61. art. 3. & in add. ad sum. tom. 4 cap. 131 num. 6.* Suarez *de censf. disp 23. sect. 5. n. 2.* Villalobos *sup. diff. 3. n. 13.* Hieron. Rod. *dict. resol. 128. n. 23.* vide de iis omnibus Posseuinum *de off. Curat. cap. 14.* DD. citatos, & alios apud Barbosam *dict. cap. 26. per totum.* Non tamen potest Parochus cadauer exhumatum retinere, eo quod sibi ius sepulturæ solutum non sit, vt decisum refert à sacra Congreg. in Casan. 5. Maij, Barbosa *vbi sup. num. 55.*

DVB. vlt.

In quo aliquæ circa sepulturas resolutiones referuntur.

SVMMARIVM.

Heredes defuncti quod clericos conuocare possint, num. 1.
Confraternitates non possunt accedere ad funeralia nisi vocentur expressè, n. 2.
Parochus non potest excludi ad sepeliendum cadauer, num. 3.
Regulares quando vocantur ad funus an debeant prius accedere ad Parochialem, n. 4.
Nulli licet leuare cadauer de domo irrequisito proprio Rectore, n. 3.
Quid si noluerit venire, n. 5.
Religiosi an possint cum Cruce intrare Parochias ad leuanda corpora defunctorũ ad suas Ecclesias, n. 6.
Religiosi decedentes extra claustra possunt deferri ad suas Ecclesias Parochis inconsultis, n. 7.
Tertiarij an possint sepeliri in Ecclesiis regularium inconsultis Parochis, ibid.

Cadauera quæ sepeliuntur in Monasteriis cum prius deferenda sint. ad Parochiam ad vltimum vale. num.8.

Quando defunctus deponitur in parochiali, vt deferatur ad regulares an aliquid debeatur parochiali. num.9.

Parochus potest cum cadauere ingredi Ecclesias regularium & ibi permanere, non tamen in Officio decantando se intromittere, attendenda tamen est consuetudo, num 10.

Crux propria Parochiæ, & non illa à qua dismembrata fuit deferenda est in funerariis, num 11.

Parocho spectat facere Officium in funerariis intra limites suæ Parochiæ, num.12.

Parochus sæcularis deferre potest stolam dum cadauer sepelitur in parochia fratrum, num.13.

Ita etiam Parochus regularis in aliena Parochia. ibid.

In funerariis quot Cruces deferendæ, & quo ordine incedendum, num.14.

1 PRimò defunctorum hæredes possunt pro defuncto associando, numerum Sacerdotum sibi beneuisum conuocare, vt respondit sacra Congreg. Episcop. & regul. negotiis præposita in vna Casan. 5. Maij 1617. Hoc autem intellige, modo non fuerint designati ab ipso testatore, Barbosa *de offic. & potest. Parochi, cap 26. num. 57.*

2 Secundò, confraternitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter, & expresse vocentur, vt fuit decisum à sacra Congreg. rituum in Bonon. 9. Decemb. 1617. & quando accedunt in acta associationis cadauerum, nullo modo possunt erigere Crucem, eadem sac. Congreg. in Adrien. 25. Nouemb. 1631. ad 2.

3 Tertiò, proprius Parochus nullatenus excludendus, quamuis ad sepeliendum cadauer regulares dumtaxat à defuncto accersiri iubeantur, vt fuit resolutum à sacra Congregat. negotiis Episcop. & Regular. præposita in vna Montis pilosi de anno 1581.

4 Quartò, Regulares quando conuocantur ad sepeliendum cadauer, debent ad parochialem Ecclesiam accedere, & exinde cum Parocho ad domum defuncti se conferre, vt declaratum à sacra Congreg. refert Barbos. *sup. num. 63. 64. & 65.* In Diœcesi autem Valent. practicatur, vt ipsi soli accedant ad domum defuncti absque Cruce, & ibi spectant proprium Parochum, & cum eo se conferunt ad locum sepulturæ.

5 Quintò, non licet Regularibus, nec Presbyteris sæcularibus leuare de domo cadauera, irrequisito proprio Parocho, vt declaratum à sacra Congregat. refert Barbosa *num. 66. & 67.*

6 Sextò, Religiosi non possunt cum Cruce intrare Parochias ad leuanda corpora defunctorum apud suas Ecclesias sepelienda, quando vocati sunt ad associandum cadauer, nisi præmonito, & prius requisito proprio Parocho, vt resoluunt Villalobos *part. 2. tract. 31. diff 5. num. 1.* & Hieronym. Rodetic. *in compend. qq regular. resol* 109. *num. 7.* Circa quod Fr. Manuel Rodrig. *qq. regul. tom. 3. quæst. 58. art. 3.* refert Sixtum IV. concessisse regularibus, vt nullius petita licentia super huiusmodi cum Cruce posse processionaliter ingredi parochias, vbi fuerint defunctorum corpora, ipsaque ad eorum Ecclesias, vbi sunt sepelienda deferre, vbi hoc consuetum foret, vel quando requisiti parochiales Presbyteri id facere recusauerint. Quod priuilegium fuit reuocatum à Leone X. vt refert Ioan. de la Cruz *de statu Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 5.* nisi iisdem fratribus super huiusmodi antiqua consuetudo, quæ sit in viridi obseruantia suffragetur. Et quamuis id Fr. Ioan. de la Cruz *vbi sup. concl. 3.* & Rodrig. *tom. 3. quæst. 87. art. 7.* asserant postea alios Pontifices dicta priuilegia reualidasse, hoc tamen non constat: & dato quod ita esset, consuetudo in hac parte est contra Religiosos, & in fauorem parochialium. His adde probabilius, & verius esse, priuilegia maris magni, & prædictarum litterarum esse reuocata, & redacta ad terminos iuris communis à Greg. XIII. in constitutione quæ incipit, *in tanta negotiorum mole,* & sic restarut dispositioni iuris communis, vt in aliena parochia nullus manum immittat. Cap. scriptum 6. quæst. 3. & ex Clement. dudum de sepultur. §. Huiusmodi. Nec faciunt pro Religiosis declarationes quasdam Cardinalium, quas pro se offerunt Religiosi: nam non sunt authenticæ, eo quod qualitates ad hoc requisitas non habeant, vt dixi *in expositione Bullæ, dub. 3 prœmiali num 7. verb Quare.* Propter quas rationes concludendum est, Religiosos conuocatos ad sociandum cadauer sepeliendum in suis Ecclesiis, non posse procedere processionaliter cum Cruce nisi vbi viget consuetudo: quare iure optimo D.D. Martinus de Aiala Archiep. Valent. in Concil. Prouinc. sess. 4. cap. 12. statuit, quod cum ad defunctum sepeliendum vocantur Religiosi, in processione ne deferant crucem, addit: *Verum in hoc seruanda est consuetudo locorum,* hæc ille. In Diœcesi autem Valent. & Dertusan. Religiosi non deferunt crucem in hoc casu, sed accedunt sine illa, & associant cadauer quod sepelitur in suis Ecclesiis procedentes ad sinistram clericorum.

7 Septimò, Religiosi decedentes extra claustra possunt deferri ad suas Ecclesias Parochis inconsultis; prout declarauit sacra Congregat. teste Barbosa *dict. cap. 26. num. 68.* similiter Tertiarij, si collegialiter viuant, & virginalem, seu cœlibem vitam ducant, habitumque deferant iuxta præscriptum in Bulla Leonis X. possunt & debent etiam inuito, minimeque requisito Parocho, in fratrum Ecclesiis sepeliri: secus verò si supradictis qualitatibus careant, vt à sacra Congreg. fuit resolutum in Nepesina 12. Decemb. 1615. ad 1. Barbosa *sup. num. 60.* seruanda vst in hoc consuetudo. In nostra autem Diœcesi Tertiarij degentes in suis domibus non possunt sepeliri absque concursu proprij Parochi, etiam si in domibus regularium sepeliantur.

8 Octauò, quando cadauera in alterius parochia existunt, sepeliendaque sunt in Ecclesiis fratrum, prius deferenda sunt ad Ecclesiam parochialem, ad benedictionem, & vltimum vale à Parocho recipiendum: sed si Parochus ab iisdem fratribus monitus, requisitus, & spectatus venire recuset, tunc ipsi fratres poterunt cadauera huiusmodi ab ædibus vbi fuerint ad suas Ecclesias recto tramite deferre, ipso Parocho etiam inuito, eadem sacra Congregat. in dicta Nepesina ad 4. attendenda tamen in iis consuetudo.

9 Nonò, mortui sepeliri possunt in Ecclesia in qua sepulturam elegerint, sine præsentia Parochi, si ipse requisitus interesse recuset, vel petitam licentiam deneget, sacra Congregat. Rituum in Capuana 22. Decemb. 1619. Si autem deponantur in parochiali, vt inde transferantur ad Ecclesiam regularium in qua elegerunt sepulturam, nihil debetur Ecclesiæ parochiali, exceptis iuribus parochialibus sacra Congregat. Rituum in Placentina 23. Martij 1619.

10 Decimò, Parocho spectat declarare per quam viam sit adsportandus defunctus, & omnia necessaria vsque ad ianuam Ecclesiæ regularium, vbi sepeliendus est, & ita tenetur vsque ad eandem ianuam

funus

funus deducere, & prosequi, poréstque permanere in Ecclesia regularium, absque tamen eo quod in Officio decantando vllatenus se intromittat, cum illud per ipsos fratres sit peragendum, & non per Presbyteros sæculares, vt à sacr. Congreg. declaratum refert Barbosa *de off. & potest. Parochi cap. 26. à num. 74. vsque* 81. Attendenda tamen est consuetudo.

51 Vndecimo, Crux propriæ Parochiæ defuncti deferenda est in funeralibus, non autem Crux antiquæ Parochiæ, ex qua dismembrata fuit Parochia noua, de qua est defunctus, & vocati ad funus in eadem propria Parochia debent conuenire, sacra Congreg. Rit. in nullius Prouinciæ Baren. 22. Martij 1631. Barbosa *sup. n.* 79.

52 Duodecimo, officium facere super cadaueribus pertinet ad Parochum intra limites cuius Parochiæ adest Ecclesia, in qua cadauer tumulatur, sacra Congreg. Rituum die 29. Nouembr. 1632.

53 Decimotertio, Parochus sæcularis sicut defert stolam in propria Parochia, & in Parochia fratrum dum defunctí corpus in eorum Ecclesia sepelitur, ita Parochus regularis, in eodem casu, & eodem tempore poterit stolam deferre, non solum in propria Parochia, sed etiam in Parochia defuncti, sacr. Congreg. Rituum die vlt. Sept. 1628. vam Parochus Monachorum Parochiam ingredi valet, sacr. Congregat. in Asculana 29. Ianuarij 1629. Barbosa *sup. n.* 76. & 77.

54 Decimoquarto, in funeralibus est deferenda vnica tantum Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpus transfertur, sacra Congreg. Rit. in Baren. 2. August. 1331. & in Mesanen. 12. Februarij 1633. post quam sequi debeot immediatè personæ illius Ecclesiæ, & deinde cæteri secundum antiquitatem, vt censuit sacra Congreg. Rit. in Narnien. 30. Sept. 1614. & in Adrien. 22. Nouemb. 1631. ad 3. vbi intelligit, dummodo non interueniat capitulum Cathedralis, sub qua omnes funus associantes incedere debent: dein curatus, & sacrista Cathedralis, etiamsi sint amouibiles, quando interuenit capitulum dictæ Cathedralis, debent præcedere proprio Parocho defuncti, sacr. Congregat. Rit. in Pisauren. 22. Maij 1631. Barbosa *sup. num.* 78. In Diœcesi autem Valentina tot cruces deferuntur quod Parochiæ conuocantur.

CAPVT X.

De iure Parochiali quod est perceptio decimarum.

1 De decimis, à quibus, de quibus, cui, & quomodo sint soluendæ, aliisque ad eas pertinentibus dixi latè in Decalogo lib. 5. cap. 3. per totum.

CAPVT XI.

De iure Parochiali, quod est primitiarum perceptio.

1 De iis vide quæ dixi in Decalogo lib. 3. c. 3. dub. 12. per totum.

CAPVT XII.

De iure Parochi, quod est oblationum perceptio.

De oblationibus egi in Decalogo lib. 5. cap. 3. dub. 23. vide ibi; & decretum 34. in Synodo Valent. ann. 1631. circa hoc editum ab Illustrissimo D.D. Fr. Isidoro Aliaga Archiepisc. Valentin. tenoris sequentis.

Cum ex iure communi proprium sit Parochorum oblationes à populo recipere, ideo statuimus, & ordinamus, ne vllus absque Parochi facultate illas recipiat, & etiam vt omnes iure offeruntur, tam in Parochiali Ecclesia, quàm in quauis alia, vel pio loco intra talis Parochiæ fines constituto ad dictum Parochum pertineant, Per quod non intendimus concordiis factis inter Parochos & Ecclesias, & alia loca pia, quæ intra Parochiarum eorum ambitum existunt, in aliquo derogare.

CAPVT XIII.

De iure Parochi, quod est ius accipiendi canonicam portionem.

DVB. I.

Quid, & quotuplex sit canonica portio, & quibus debeatur.

SVMMARIVM.

Canonica portio quid, & quare soluatur, n. 1.
Canonica portio alia Episcopalis, alia Parochialis: Episcopalis quid & an sit in vsu, n. 2.
Cathedraticum quid & quare soluatur Episcopo, n. 2.
Canonica Parochialis, quid, & quare soluatur, n. 3.
Canonica Parochialis varia est secundum varia iura & consuetudines, num. 3.
Quæ consuetudo sit attendenda, ibid.
An consuetudo debeat esse præscripta, n. 5.
Religiosi seclusis priuilegiis tenentur soluere quartam Parochialem, num. 6.
Consuetudo legitima maximam habet vim circa quotam quartæ, & modo soluendi eam, n. 7.
Quid si Parochianus eligit in Ecclesia aliena sepulturam & propria reliquit legatum æquale quartæ, num. 8.
Synodalis constitutio circa quartam, & modum soluendi seruanda est, n. 9.

1 Quoad primum dico. Canonica portio est certa quantitas, quæ Episcopo, vel Parocho ratione funeris præstatur, à sacris Canonibus approbata, & iure decretorum debita. Syl. *verb. Canon. portio n.* 1. & alij infra citandi. Dicitur autem canonica portio, quia à canone, & lege est introducta: etenim ne Parochialium Rectores, quibus animarum cura incubit, debitis fraudentur subsidiis statutū fuit in c. 1. de sepulturis, & Clem. Dudum, eod. tit. vt Ecclesia illa, in qua quis, te licta propria fuerit sepultus,

teneatur partem eorum quæ defunctus pro anima sua eidem Ecclesiæ reliquit, Parochiali Ecclesiæ tradere, in qua defunctus domicilium habebat. Fr. Manuel Rodrig. *tom.1.quæst.39.art.1.* Miranda *in Manual. Prælat.tom.2.48. art 1. conclus.1.* & cum aliis Barbosa *de offic & potestat. Parochi cap.25. n.5.* & aliis infra.

2 Quoad secundum dico. Si attendamus ad personas, quibus hæc canonica conceditur, duplex est. Altera Episcopalis, altera Parochialis. Episcopalis est, quæ Episcopis soluitur: habent enim Episcopi quartã partẽ eorum, quæ legantur, & offeruntur Ecclesiis sui Episcopatus, quam de iure cõmuni tenentur soluere Ecclesiæ suo Episcopo, tũ ratione superioritatis, tũ etiam ratione oneris gubernãdi Ecclesias. Ad cuius intelligentiam notandum tempore primitiuæ Ecclesiæ, cum Episcopi essent pauperes, statutum fuisse, vt ipsi de oblationibus mariei factis acciperent medietatem, cap. Antiquos 10. quæst. 1. & oblationibus aliis Ecclesiis sui Episcopatus dabatur eis quarta pars, ex dicto cap. Antiquos, & cap. Concesso, cap. Vobis 12. quæst. 1. de quo latè Abb. *in cap. vltim de testament.* & Couarr. *in cap. ofsic eod tit.num.1.& 12.* Procedente vero tempore, ex Parochialibus, tertiam tantum oblationum, decimatum, tributorum & fructuum habebant, cap. de iis, cap. decernimus, q. 1. & cap. Constitutum 16. q. 1. Postmodum Gelasius Papa quartam Episcopis deberi decreuit, vt in cap. vobis, cap. concesso, cap. Quatuor 12. q. 1. sed hodie nec tertiam partem habere Episcopi, nisi ad fabricam reparandam, & velint etiam fabricam Parochialem reparare cap. 1. 2. & 3. eod. quæst. 3. & Gloss. in dict. cap de iis. Nunc autem, (generali consuetudine sic approbante) Episcopi pro Ecclesiarum reparatione, vel alia de causa, nullam à Parochis accipiunt portionem, sed tantum Cathedraticum, quod in honorem cathedræ Episcopalis, id est, duos solidos pro qualibet Ecclesia, præter procurationem petere possunt, Glossa in summa, & cap. 1. & cap. Inter cætera 10. q. 3. imo Cathedraticum tantum Episcopis soluitur, vbi est in consuetudine positum, qualis non reperitur in Archiepiscopatu Valentino, in quo Ecclesiæ dicto Archiepiscopo præter procurationes in visitando nihil præstant. Alia etiam quarta debetur Episcopis de relictis non solum Ecclesiis, sed etiam Monasteriis, hospitalibus, & aliis piis locis non exemptis ex cap. Officij, de testam. Abb. ibi *num. 1.* & Couarr. *sup. num. 1. & cap. Requisiuisti, eod. tit.* & ibi Inn. *num. 1.* & Abb. *num. 4.* sed dicta iura habebant locum, & seruabantur antiquis temporibus, quando Episcopi erant pauperes, vt dictum est; verum cum postea cœperunt habere reditus competentes, fuerunt dicta iura reformata, ita quod Episcopis nihil deberetur præter Cathedraticum supradictum. Ita Franciscus Leo *in suo thesauro fori Eccles. p.2 c 14.n.4.5.20.& 28.* De quarta Episcopali vide eundem Leonem *vbi sup.* Hostiensem *tit. de sepult. in §. de quibus*, Sylu. *verb Canonica portio, quæst. 3.4 5.6.7. & 8* Abbatem & Couarr. *in dict. cap. Offic.* At quia hæc iam non est in vsu, ideo eam omittimus, Tum etiam quia non facit directè ad nostrum institutum. Vide etiam Zerolam *in praxi Episcopali p. 1. verb. Legatum, §. Ad tertium.*

3 Canonica ergo portio Parochialis est illa, quæ Parochiali Ecclesiæ, seu eius Parocho, & Rectori debetur, ex relictis à Parochiano, vel obueniebantibus ratione funeris loco illi, in quo eligit sepulturam. Riccius *in praxi aurea, resol. 299.* Hieron. Rodericus *in compendio qq. regul.* Rodrig. *resol. 118. n. 1.* Barbosa cum aliis *de off. & potest. Parochi cap. 25. num. 1. & 2.* & tenent communiter DD. *in cap. 1. cap. De iis, cap. Certificari, de sepult. & c. Cum quis, eod. tit. in 6. eod. tit. & Clement. 2. de sepult. §. Verum.* De qua nobis in præsentiarum est agendum. Postulat enim ipsa æquitas, vt Parochialium Ecclesiarum Rectores impensi laboris, & seruitij, quod ipsi, summo pietatis feruore, obire tenentur, aliquod habeant sublevamen, ex *dict. Clement. de sepulturis.*

4 Hæc autem canonica Parochialis portio, si attendamus ad quantitatem, & quoram, in qua soluitur Parochis, varia est, secundum varia iura, & diuersas consuetudines; nam aliquando est quarta, aliquando tertia, aliquando verò media, vt patet ex cap. 1. & 2. & cap. Certificari, de sepult. Quare quantitas hæc determinanda est secundum consuetudinem loci, si non est determinata à Domino Papa, vt expressè habetur in dicto cap. Certificari, vbi Pontifex statuit standum esse consuetudini in quota quartæ. Quod si consuetudo propriæ Ecclesiæ non apparet, consuetudo Ecclesiæ Metropolitanæ attendi debet, vt patet ex cap. Tuas de sponsa duorum: hac autem etiam non apparente, debet seruari consuetudo Ecclesiarum vicinarum ex cap. Super eo de censibus, quæ consuetudo si diuersa sit tũc debetur quarta, quia in hac magis iura concordare videntur, vt docet Astensis *in sum. p.2 lib.6. tit.3 1. art. 4. fol. 88.* Syl. *verb. Canon portio n. 1.* Sebastianus autem Medices de sepult. aduertit, Quod quando in Ecclesia Parochiali non est certa consuetudo circa quotam quartæ; tunc ea seruari debet, quæ viget in Ecclesia cui legatur: si verò in Ecclesia Parochiali est vna consuetudo, & altera in Ecclesia cui legatur, tunc præferenda est consuetudo Ecclesiæ Parochialis, eo quod hæc habeat titulum onerosum, illa verò lucratiuum. Denique ait, si nulla est consuetudo in Parochiali Ecclesia, & nulla in Ecclesia legataria; sed in aliis Ecclesiis est aliqua consuetudo, tunc hæc, si est vniformis, debet seruari; si difformis, seruabitur ea, quæ est magis conformis iuri, qualis est quarta pars, vt dictum est. At si aliqua sit certa consuetudo Metropolitanæ, videtur æquius, & rationi conformius, vt illa seruetur, sicut supradictum est. Potest namque consuetudine induci, vt canonica portio sit medieras, vel tertia, vt dictum est, & docent Vgol in. *de officio Episcopi*, Rodericus *vbi sup. resol. 118.* & cum aliis Barbosa *sup.* quæ consuetudo debet esse rationabilis & præscripta spatio 40. annorum.

5 Hoc autem intellige de quarta non expressa à iure; nam de expressa sufficit consuetudo etiam non præscripta, Petrus de Vbaldis *de Canon. portione, part. 2. cap. 5.* Ludouicus Miranda *in Manuali Prælat tom. 2. quæst. 48. art. 5. concl. 1.* vbi sentit necessarium esse illud tempus 40. ann. ad hoc vt valeat consuetudo, quod detur Episcopo, vel Ecclesiæ Parochiali vltra dimidiam partem, puta quod dentur duæ partes, ex tribus, vel quod detur citra quartam partem, id est, minus quam quarta pars; at verò vt de tur infra dimidium, vel quartam partem, non est necesse; quod huiusmodi consuetudo sit præscripta spatio 40. ann. sed sufficit numerus decem annorum, vt docet Iulius Lauorinius *tom. 1. tit. 2. cap. 17. n. 4* & Barbosa *loco cit. n. 2.*

6 Hanc igitur quartam tenentur soluere Religiosi Ecclesiæ Parochiali, prout determinatum est in Clement. Dudum, de sepult. §. Verum, & in Trident. sess. 25. c. 13. de quo vide Rodrig. *tom. 1. q. 39. artic. 1.*

7 Ex his constat, quod est valdè notandum, consuetudinem maximam habere vim circa quotam quartæ Episcopalis, & Parochialis, & modo soluendi eam,

eam, si sit rationalis, & approbata, cui consuetudini standum esse docent DD. ex cap. Certificari, de sepult. vnde consuetudo non solum in parte, sed etiam in totum potest quartæ derogare, vt docet Sylu. *Canonica portio, n.2. & 3.* cum Panormit. & aliis dummodo consuetudo sit legitime præscripta, ad cuius præscriptionem, cum titulo requiruntur 40. anni sine titulo tempus immemorabile; quia ex c. 1. de sepult. in 6. tale tempus requiritur in præscriptione contra Ecclesiam. Ratio est, quia ius commune soluendi quartam est pro Ecclesia parochiali; ac proinde ad præscribendum contra eam requiritur tale tempus secundum Syluest. *sup. num.* 3. vbi etiam docet, posse prædictæ quartæ renuntiari per pactum cum protestatione, quod non damnificetur Ecclesiæ. Ita etiam Rodrig. 1. *tom. quæst.* 39. *art.* 8. vbi resoluit, quomodo valeant pacta circa hoc cum fratribus, seu Religiosis de quo infra dub. 4. At quia semper damnificantur successores: proinde videtur non posse, sine approbatione superioris, huic quartæ renuntiari, de quo latius infra.

8 Hoc tamen aduerte, quando Parochianus eligit sepulturam in aliena Ecclesia, & propriæ Ecclesiæ reliquit legatum æquiualens quartæ, tale legatum debere computari in quartam, vt tenet Hieronym. Roderic. *in compendio qq. regul. resolut.* 18. *num.* 8. Rodrig. *tom.* 1 *quæst* 39. *art.* 6. & cum aliis Barbosa *de offic. & potest. Parochi c.* 25. *num.* 18. Hoc autem limitat, ac bene, Rodericus *dicto num.* 8. cum Portel. *in add. ad dub. regularia, verb. Canonica portio num.* 2. Si legatum fuit cum clausula, vt Parochus illo sit contentus pro quarta, illudque acceptauerit, quo in casu non poterit amplius petere.

9 Aduerte etiam, quando in aliqua Diœcesi statuto synodali præscriptus est modus circa quantitatem, & quotam quartæ parochialis, tum etiam circa res ex quibus hæc soluenda sit, seruandum esse ad vnguem quale reperitur in Archiepiscopatu Valent. si enim consuetudo approbata, & rationabilis seruanda est modo dicto; ergo à fortiori lex synodalis.

Dvb. II.

Cui debeatur quarta Parochialis.

SVMMARIVM.

Quarta parochialis debetur Parochia in qua quis suscipit Sacramenta, & audit diuina, n. 1. 2. & 3.

Si quis ægrotus deferre se faciat ad aliam parochiam vbi moritur retento priori domicilio, aut sic Religionem ingrediatur vbi moritur quarta debetur parochiali, num. 4.

Quarta an debeatur ex morte nouitij, num. 4.

Quid si quis habens domicilium in diuersis Parochiis, aut in vna audiat diuina, & in alia suscipit Sacramenta. & in tertia eligat sepulturam, n 4.

Quarta cui debeatur si tempore sepultura propria Parochia erat interdicta, num. 5.

Quid si quis eligat sepulturam in propria Parochia, illi nihil legans, aliis vero multum, n. 6.

Quarta aliquando debetur Ecclesia Cathedrali, n. 7.

Quid si ius sepeliendi peregrinos, & viatores spectat ad Cathedralem, & ille moriatur in alia Parochia, ibid.

In dubio an quarta debeatur Parocho, aut Episcopo præfertur Parochus, num. 7.

Parochus potest petere suam quartam tanquam debitum, num. 8.

Quarta parochialis à quibus soluenda sit de iure communi, num. 9.

Attendenda circa statuta synodalia, & consuetudines, ibid.

1 Respondeo, deberi Ecclesiæ parochiali, seu eius Parocho, aut Rectori, illi inquam Parochiæ in qua quis audiuit diuina, & Ecclesiastica percipit Sacramenta: & hoc in casu, quo non sepelitur in propria parochia, in qua de iure erat sepeliendus, sed ea dimissa, eligit sepulturam in aliena. Ita Syl. *verb. Canonica portio num.* 10. *quæst.* 13. Angelus *eod. verb.* Manuel Rodrig *tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 5. Vgolin. *de off. Episcopi cap.* 17. *num.* 11. Barbosa *de off. & potest. Parochi, cap.* 25. *num.* 19. Rota *decis.* 576. *num.* 1. *p.* 1. *recent.* & communiter DD. & patet ex *toto tit. de sepult. præcipuè ex cap.* 1. *cap. De ijs, c. Certificari, & c. Cum quis, eod. tit. lib* 6. & nouissimè *ex Clement. Dudum, §. Verum de sepult.* innouata per Trid. sess. 25. cap. 13. Debetur autem hæc Canonica portio Ecclesiæ Parochiali, non eo solum quia, ea dimissa, eligit sepulturam in alia Ecclesia, sed in compensationem laborum, quos præstat Parochialis Presbyter in celebrando diuina, & administrando Sacramenta, vt docent Gloss. *in cap. Cum quis de sepult. in* 6. In subleuamen ergo laboris impensi, & quasi remunerationem obsequij, muneris, & seruitij Rectoribus, Parochialium quarta Canonica soluitur.

2 Ex quo sequitur primo. Quod si quis, dimissa Ecclesia, in qua consueuerant sepeliri eorum maiores, eligat sepulturā in alia Ecclesia, dimissa etiā Parochiali, in qua recipiebat Sacramenta, quarta soluenda est, non Ecclesiæ suorum maiorum, sed illi in qua recipiebat Sacramenta. Syl. *sup. quæst.* 13. *ex cap. Cum quis, de sepult. in* 6. Miranda *in Manuali tom.* 2 *q.* 48. *art.* 9. *concl.* 4. Villalobos *p.* 2. *tr.* 31. *diff.* 7. *n.* 3. & Barbosa *vbi sup. n.* 19.

3 Sequitur secundo. Si quis domicilium transtulerit alicubi, & moratur, antequam nouum acquisiuerit, tunc deberi quartam Ecclesiæ Parochiali in qua moritur, quia ibi de iure erat sepeliendus, si alibi non elegisset sepulturam, Syluest. *sup.* & dixi *sup. de sepult.*

4 Sequitur tertio. Si quis discessit è loco domicilij ad aliquem locum, animo redeundi, vel animi gratia, & ibi moritur, quarta funeralis debetur Parochiæ domicilij, Rodrig. *tom.* 3. *quæst.* 46. *art.* 3. Miranda *sup. concl.* 2. Villalob. *loco cit. n.* 3. & Barbosa *dict. cap.* 25. *n.* 26. idem dicendum, si quis ægrotus in vna parochia ad aliam deferri se fecerit, Syl. *verb. Canonica portio num.* 15. idem etiam dic si quis in ægritudine constitutus ingrediatur religionem, si ex eadem infirmitate decesserit: secus autem si sanus monasterio, aut alteri Ecclesiæ bona sua dederit, casus *in cap. De ijs de sepult.* Miranda *concl.* 3. Hieron. Roder *in comp. qq. regul. resol.* 18. *n.* 25. ex morte autem nouitij non debetur quarta parochiali, nisi parochianus ingressus esset animo exeundi Barbosa *sup. n.* 28. Quod si quis æqualiter habeat domicilium in diuersis Parochiis, & in tertio loco eligat sepulturam, Host. & Innoc. vt refert Syl. *sup. q.* 13. existimant diuidendam esse inter illas duas Parochias; quod Angelus non credit necessarium, sed illi deberi, in qua decessit; nam ibi erat sepeliendus, si non elegisset sepulturam, & ibi Sacramenta percipiebat, ob quam rationem libenter illi subscribo. At si in vna audiuit diuina, in alia verò recipit Sacramenta, & eligit sepulturam in tertio loco, aut Ecclesia, verius est quartam dandam esse Ecclesiæ in qua percipit, Sacramenta,

vt tenet Syluest. *sup quaest.* 14. quia hæc quarta danda est Ecclesiæ Parochiali, quæ propriè illa dicitur, in qua recipit Sacramenta.

5 Sed dices, quid si tempore sepulturæ propria parochia erat interdicta. Respondeo, si talis facta fuit ob culpam Parochi, debetur quarta Ecclesiæ, vbi defunctus sepelitur: Si autem Parochus non fuit in culpa, in hoc casu, aut aliis in quibus Parochianus, absque Parochi culpa, alibi sepelitur, non debet quartam suam amittere, Barbosa *sup. num.* 30. *&* 31. vide Mirandam *sup art.* 10. Syluest. *verb. Canonica portio, num.* 8. §. *Septimus*, Rodrig. *tom.* 1. *q.* 39. *art* 3. Portel. *in add. ad dubia regularia*, *verbo Canonica portio, num.* 3. Hieron. Roder. *in compend. qq. regul. resol.* 18. *num.* 4.

6 Dices etiam: quid si quis eligat sepulturam in propria Ecclesia, ei nihil legans, aliis autem multa relinquens, an scilicet tunc debeatur quarta propriæ Ecclesiæ in qua eligit sepulturam, de relictis aliis Ecclesiis. Respondeo, si nihil legasset aliis Ecclesiis, de iure communi non esse soluendam quartam propriæ Ecclesiæ, in qua sepelitur; quia iura canonica superius adducta, quæ disponunt, quartam esse soluendam parochiali, loquuntur, quando parochianus extra suam parochiam, sepelitur, quo in casu priuat suum Parochum funerariis, & aliis emolumentis ratione funeris obuenientibus, quod damnum ius recompensat per solutionem quartæ, de funerariis, & legatis factis aliæ Ecclesiæ, modo vt infra; hoc autem damnum cessat, quando quis sepelitur in propria Parochia; ac proinde in hoc casu, solis funerariis Parochus proprius debet esse contentus, cum ex officio teneatur suum parochianum sepelire. Quod si sit consuetudo, quod eligentes sepulturam in propria Ecclesia, semper aliquid illi relinquant, in hoc casu si aliis, & non propriæ legaret, poterit propria Ecclesia tunc vti tali consuetudine, & beneficio iudicis illud petere ab hæredibus: secus verò si talis non sit consuetudo; tunc enim propriis funerariis debet esse contentus, vt dictum est; nisi Parochianus legans, dimissa propria, aliis legasset in fraudem, & dolum, qui tunc præsumitur, cum aliis Ecclesiis multa legat, & nihil propriæ parochiæ. Ita Syluest. *verb. Canonica portio, n* 14 *quaest.* 18.

7 Nota tamen, posse aliquando deberi quartam Ecclesiæ Cathedrali, vel ex præscriptione, vel ex eo quod eam sibi reseruauit, quando parochiæ fuerunt erectæ, & hoc in signum superioritatis, Rota *decis.* 376. *num.* 2 *&* 3. & tunc quidem inter Clericos diuiditur, si cura non resideat penes certam personam, Riccius *in praxi, p.* 4. *resol.* 299. *num.* 4. vnde stante consuetudine in ciuitate, quod ius sepeliendi peregrinos, & viatores spectet ad Ecclesiam Cathedralem, quarta funeralis non debitur Parochiis, intra cuius limites viator detentus pro delicto, vel habilitatus cum cautione decessit, vt censuit sac. Congreg. Concil. in Pisaurien. 22 Ianuarij 1628. & tenet Barbos. *de offic. & potest Parochi cap.* 15. *num.* 25. *&* 23. *qui num.* 35. cum Vbald. *de quarta canonica* 2. *part. cap.* 8. *num.* 14. *in fine.* Abb *in cap. Certificari, num.* 11. *de sepult.* asserit, in dubio, quando non constat ex consuetudine, vel alia ratione, an debeatur quarta Episcopo, aut Parocho, præfertur Parochus; quia Parochus habet magis specialem curam, quam Episcopus, qui eam habet generalem: & quia Parochis debetur quarta ex causa onerosa cap. 1. de sepult. & vti æs alienum, Abb. *in cap. Certificari*, *vbi sup.* Episcopo verò ex causa lucratiua ex textu in lege Sanctorum, C. de iure delib. Rota in Nerinoten. quartę funeralis 9. Iulij 1608. coram B. M. Patriarcha Manzanedo.

8 Ex dictis sequitur, Parochum posse petere quartam funeralem tanquam debitum, & mercedem laboris, quasi actione locati, Feder. de Senis *cons.* 3 *n.* 9. vel conditione ex canone, vel actione ex testamento. Petrus de Vbaldis *de canon. Parochiali, cap.* 3. *n.* 5. & Barbosa *vbi sup n.* 32.

9 Sed quæres à quibus debeatur hæc quarta parochialis, seu qui teneantur eam soluere. Respondeo, solui debere ab Ecclesiis, vbi quis relicta propria parochia, sepelitur, siue Ecclesia, in qua sepelitur sit sæcularium, siue regularium, siue exempta sit, siue non exempta; non autem ab aliis Ecclesiis, neque personis particularibus. Ita Innoc. *in cap. Relatum, & in cap. Nostra de sepult. & in cap. Requisiuisti, de testam.* & quidem de Ecclesiis regularium habetur expressè in Clement. Dudum de sepult. §. Verum, & habet communis Doctorum, Angel. *verb. Canonica portio*, Syluest. *eod. verb. quaest.* 9. *num.* 7. Vnde quarta hæc non est soluenda, ab hæredibus defuncti, sed ab Ecclesiis, vbi sepelitur, relicta propria, de funerariis, & aliis ratione funeris obuenientibus. Aduertendum tamen, hæc procedere de iure communi; nam consuetudine introduci potest, vt ab hæredibus testatoris, ex bonis pro ipsius anima relictis soluatur. Aduertenda etiam sunt cuiusque Diœcesis statuta, eaque obseruanda esse: quid circa hanc quartam in Diœcesi Valent. dispositum sit, infra *dub.* 6. Aduertendum denique, regulares habere aliqua priuilegia circa solutionem quartæ parochialis, & modo eam soluendi, de quibus *dub. sequent.*

DVB. III.

Quomodo, & quo iure teneantur regulares soluere quartam ratione sepulturæ ibi electæ.

SVMMARIVM.

Religiosi secundum ius commune tenentur soluere quartam, num. 1.
A quo tunc cogendi sint ad huius solutionem, ibid.
Religiosi exempti sunt à solutione quartæ per priuilegia Papæ, num 2.
Vt autem priuilegium valeat quod per illud fuerit expressè derogatum Clementina Dudum de sepult. num. 3. *&* 4.
Lex generalis in iure, vel Concilio Generali clausa vt censeatur derogata requiritur quod fiat specifica illius mentio, num 4.
Communicatio priuilegiorum non extenditur ad ea quæ sunt aliis præiudicialia, num. 5.
Priuilegia regularium circa exemptionem quartæ an sint per Tridentinum, reuocata, num. 6.
Aut per Bullam Greg. XIV. num. 8.
Alleganti incumbit onus probandi, num. 7.
Religiosi casu quo teneantur soluere quartam, de quibus illam soluere debeant, num. 9.
Pacta cum Rectoribus Parochialium, & Prioribus Monasteriorum circa quartam, an seruari debeant, num. 10.

1 RESpondeo, iure communi & modo contento in Clement. Dudum de sepult. §. verum, vbi Clemens V. sic ait: Auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus eadem, vt dictorum Ordinum fratres de obuentionibus omnibus, tam funeralibus quam quibuscumque, & quomodocumque relictis, distinctè, vel indistinctè ad quoscumque certos, vel

vel determinatos vsus, de quibus etiam quatis, siue Canonica portio dari, siue exigi non consueuit, vel non debet de iure; nec non de datis, vel qualitercumque donatis in motie, seu mortis articulo, in infirmitate donantis, vel dantis de qua decesserit, quomodocumque directè, vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem quartam partem, quam Apostolica auctoritate taxamus, & etiam limitamus, parochialibus Sacerdotibus Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis largiri integrè, teneantur. Non obstantibus priuilegiis, &c. hæc illi. Hanc autem Clementinam Azor 2. *p. lib. 9. c. 13. q. 5.* §. *Insuper*, existimat non extendi, quando quis eligit sepulturam apud Monasteria, seu Ecclesias monialium Ordinis Minorum & Prædicatorum, ibique de facto sepeliunt; quia, inquit, dicta Clementina Dudum loquens de fratribus, cum sit pœnalis, non est extendenda, sed restringenda. Hoc tamen non probatur vllo iure, præcipuè post Trid. sess. 25. cap. 13. cum in illo generaliter in quibuscumque locis piis, ac Monasteriis, vbi solita esset persolui, id obseruari præcipiarot: quare quantum ad hoc consuetudini loci standum erit, idque innuere videntur illa verba Trid. *solita esse persolui*. De quo vide Portel *ad dubia regularia, verb. Canonica portio, n.* 8. Hier. Roder. *in comp. qq. regul. resol.* 18. *num.* 18. & Barbosa *de offic. & potestat. Parochi cap.* 25. *num.* 4. & 5. Huius Clementinæ declarationem, vidè apud Syluester *verbo Canonica portio, num.* 14. *quæstione* 18. ad quem libenter me remitto, quia parum est in vsu, & ferme in totum reuocata per Pontificum priuilegia, de quibus statim infra *num.* 2. *& sequentib.* Hoc tamen aduerte cum Syluest. *supra*, casu quo teneantur Religiosi soluere quartam parochialem, seu Episcopalem, non esse cogendos ad eius solutionem per Episcopos, sed per Papam, aut delegatum, quod etiam tenet Rodriguez 1. *tom. quæstione* 39. *artic.* 8. Vbi circa hoc refert priuilegium Sixti Quarti, aitque non esse reuocatum per Clementin. Dudum. At in locis, vbi non solui ipsa quarta consueuit à fratribus ab hinc quadraginta annis, secundum dispositionem Tridentin. sess. 25. cap. 15. de reformat. de iure communi possunt curati compellere fratres absolutionem quartæ, seclusо omni priuilegio, vt tenet Glossa in dicta Clementina, & refert Rodrig. *vbi sup.* Poterit tamen Ordinarius inhibere hæredibus, seu fidei commissariis ne dictam quartam fratribus soluant, sed Parochis, quamuis talis persona sit exempta, vt inquisitor, vel alius; quia vt patet ex Trident sess. 25. cap. 8. de reform. & ibi congregatio DD. Cardinalium, Episcopi, & Ordinarij etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à iure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in vltima voluntate, quam inter viuos sunt executores.

2 Nunc autem Religiosi iuxta sua priuilegia non tenentur soluere Episcopo, vel Parocho dictā portionē, seu quartā, nec de funeralibus, oblationibus, sepulturis, legatis, vltimis voluntatibus, nec de aliis pro victu, ornamentis, aut aliis quomodolibet largitis, nec ipsi Religiosi, nec qui eis illa soluunt. Ita enim post dictam Clementinam Dudum, concessit Eugen. IV. bulla 12. pro Benedictinis, Sixtus IV. bulla 14. pro Minoribus, & bulla 37. pro Carmelitis. Item Clement. VIII. Carmelitæ Discalceiati, post contradictorium iudicium, & causa ventilata, à solutione quartæ funeralis liberantur. Ita Fr. Ioan. de la Cruz *in suo tract. de statu Religion. lib. 2. cap. 9. dub. 5. concl.* 2. Rodrig. *tom. 1. quæst. 39. art.* 2. vbi aliorum Pontificum refert priuilegia, Villalob. 1. *p. tract. 31. diff. 7. n.* 9. & alij infra citandi.

3 Vt autem regulares per sua priuilegia exempti sint à solutione quartæ modo dicto, requiritur quod per priuilegium fuerit specialiter derogatum dictæ Clementinæ Dudum de sepult. vt decisum à Rota refert Barbosa *de offic. & potestat. Parochi, c.* 25. *n.* 8. & supponit Hieron. Roder. *in comp. qq. regul. resol. 18. n. 19. in principio.*

4 Quia lex generalis clausa in corpore iuris, & præsertim in Concilio edita, ad hoc vt reuocetur, requiritur quod fiat specifica mentio de eo, cap. Nonnulli 28. de rescript. c. Eam te, de ætat. & qualitat. cap. Ex parte de Capellis Monach. & pluribus tradit Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp.* 16. *num.* 7. & Rodrig. *tom. 3. quæst. 39. art. 4. circa finem*, quidquid Cenedo *ad decretal. collectan.* 123. *n.* 3. & Petrus de Vbaldis *de Canonica Paroch. c. 6. n.* 8. vbi tenet, derogari dictam Clementinam, etiam per clausulas generales, si constat de voluntate Principis derogare volentis omnibus in contrarium obstantibus. Ita autem necessarium est, vt derogetur dictæ Clementinæ Dudum, vt si in aliquibus priuilegiis concessis alicui Religioni, v. g. Prædicatoribus, fuerit dictæ Clementinæ specialiter derogatum, & postea hæc eadem priuilegia fuerint communicata Religioni, v. g. S. Francisci, non communicatur, nec extendatur dicta derogatio, vt fuit decisum à Rota in vna Granaten. quarta funeralium 12. Maij 1610. & Valisoletan. 19. Aprilis 1606.

5 Quia communicatio non extenditur ad ea, quæ sunt aliis præiudicialia, Barbosa *sup. n.* 9.

6 Quod si contradicta priuilegia obiicias in Trident. sess 25. cap. 13. de reform. statutum esse, quod dicta quarta soluatur à regularibus, vbi solita est persolui ante annos quadraginta, hoc est, *de quarenta años acà*, non obstante quouis priuilegio. Respondet Ioan. de la Cruz *vbi sup.* Concilium loqui de Monasteriis ante annos 40. fundatis, quæ dictam portionem soluebant; & sic dum aliqua Monasteria sint fundata, à 40. annis citra, id est, *de quarenta años acà*, non tenentur soluere dictam quartam, prout declaratum refert à Pio V. bulla 7. Igitur Monasteria Regularium ante annos 40. ante dictum Concilium constructa, quæ quartam consueuerant persoluere, modo tantum soluere tenentur. Vnde si dicta Monasteria fundata essent, etiam ab annis 40. ante Concilium, si illam dictam quartam non persoluebant, nec etiam modo ad eam soluendam tenentur. Ita Hieronym. Roder. *in compen. qq. regul. resol.* 18. *n.* 2. vbi addit, idem à fortiori dicendum est de monasteriis, quæ post Concilium in dies ædificantur, vel ædificabuntur, quæ quidem, quoad hanc solutionem quartæ, non comprehendi in dicto decreto Tridentini declarauit sacra Congregat. & Pius Quintus in motu proprio ann. 1568. apud Bullarium, & Clemens VIII. post contradictorium iudicium definiuit pro fratribus Carmelitis Discalceatis, ne ad solutionem dictæ quartæ tenerentur de quo etiam Azor. *p. 1. lib. 9. c. 12. q.* 3. Miranda *tom.* 2. *q.* 48 *art.* 7. Villalobos 2. *p. tract.* 31. *diff.* 7. *n.* 9. Portel. *verb. Canonica portio: à n. 1. vsque ad n.* 4. & cum aliis Barbosa *de offic. & potest. Paroch. cap.* 25. *n.* 12. 13. 14. & 15. Vbi resoluit, Monasteria fundata ante annos 40. ante Concilij Tridentini confirmationem quæ quartam soluebant, etiam nunc eam soluere tenentur, secus si tunc eam non soluebant. Illa verò quæ post Tridentin. sunt constructa à solutione quartæ esse libera.

7 Ex his infert Franc. Leo *in suo Thesauro fori Ecclesiastici, p.* 2 *c. 14. n.* 3. Quod quando regulares sunt in quasi possessione non soluendi quartam Episcopo, aut Parocho, eisdem Parocho, & Episcopo incumbit

incumbit onus probandi ante annos 40. elapsos solui solitam esse ab eorum Monasteriis, quod ait decisum in vna Tetracinen. quia allegauti onus pro bandi incumbit, Bart. *in l. si minorem, num. 5. C. de integr. rest.*

8 Si verò iterum obiicias, dicta regularium priuilegia esse reuocata per Gregor. XIII. & redacta ad terminos iuris communis, vt habetur in bulla eiusdem Pontificis, quam refert Nauarr. *c. 27. in fin.* & docet Fuscus *de visit. Eccles. lib. 2. c. 1. n. 17.* Respondent Ioan. de la Cruz, & Rodrig. *sup.* in dicta bulla solum reuocari priuilegia, quæ sunt contra Tridentinum, non vero declarationes eiusdem Concilij, quæ non sunt contra illud, qualis est de quarta funerali in fauorem regularium. Et addunt, eandem declarationem Tridentini postea datam esse à Congreg. Cardinalium, quam refert Rodrig. *vbi supra.* Nec ab alio est reuocata. Ego autem in his quæ hoc, & antecedenti numero dicta sunt, censeo obseruandam esse consuetudinem approbatam, quæ est optima legum, & priuilegiorum interpres.

9 Aduertunt etiam Ioann. de la Cruz, & Rodriguez *sup. cit.* quod Religiosi qui secundum dispositionem Tridentini soluunt, aut soluere tenentur quartam parochialem, non teneri soluere de omnibus relictis fratribus, sed tantum de iis, quæ cum corpore defuncti contigerunt deferri, non autem de Missis, candelis, vel aliis quomodolibet donatis, vt declarauit Pius V. in dicto motu proprio, & etiam consuetudine introductum est, (inquit Rodrig.) in Ecclesia, vt de nullo alio soluatur quarta, nisi de iis, quæ cum corpore defuncti deferuntur prout etiam aduertunt Cardin. in dicta Clement. Dudum, §. Verum Couatt. *in cap. vlt. de testament. num. 6 & 7.* & alij, quos allegat Couatt. qui post Panor. ait, consuetudine receptum etiam esse, quando aliquis in aliena Parochia sepelitur, Ecclesiam sepulturæ non teneri soluere quartam de oblationibus factis post diem sepulturæ, sed solum de iis quæ in die sepulturæ fiunt, quod etiam tenet Molina *2. 1. tract. 2. disp. 115. colum.* 1309. eo quod Concil. solum facit mentionem de quarta funeralium, quasi innuens, quod hæc tantum soluitur de iis quæ offeruntur in die funeris. Idem etiam tenet Sylu. *verb. Canonica portio, num. 15 quæst. 19. in medio,* vbi docet, etiam si nomine funeralium intelligantur omnia bona, quæ obueniunt Ecclesiæ ratione funeris, siue ante corpus conditum in terra, siue post vsque ad 30. diem; consuetudo tamen (inquit) habet, vt canonica non de omnibus, sed de iis quæ comitantur, & cum funere deferuntur soluatur.

10 Item idem Rodriguez *1. tom quæst. 39. art. 8.* aduertit, quod pacta cum Rectoribus Parochialium super iuribus Parochialibus; à Prioribus conuentualibus, seu Guardianis fratrum Prædicatorum, aut Minorum, & aliorum mendicantium facta, & approbata à suorum Conuentuum Concilio debere obseruari, etiam si non interueniat assensus Generalis, vel Prouincialis: & addit Leonem Decimum in Concilio Lateranensi statuisse huiusmodi pacta valere, nisi per subsequentum Capitulum proximum Generale, vel Prouinciale, refutata, & per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerit.

***

DVB. IV.

Quomodo consuetudo excuset à solutione quartæ Canonicæ.

SVMMARIVM.

Consuetudo vt liberet à solutione quartæ debet esse præscripta, num. 1.

Quantum temporis requirat, ibid. & n. 2.

Renunciatio, & compositio circa quartam, an sit valida, num. 3.

Compositiones, & pacta super iuribus Parochialibus facta inter Prælatos conuentuales, & Parochos valida sunt, num. 3.

Regulares per vnum aut alterum actum soluendi quartam an censeantur renunciare iuri quæsito, n. 3.

Priuilegium ad non faciendum non perditur vno, aut bino actu, num. 4.

Præscriptio contra bona regularium debet esse centenaria, num. 5.

Ex supradictis constat consuetudinem habere maximam vim circa quartam, & modum soluendi eam; quare nunc solum de modo quærimus.

1 Dico igitur primo. Consuetudo, vt omnino liberet à solutione quartæ, debet esse præscripta tempore legitimo, nempe cum titulo per tempus 40. ann. sine titulo per tempus immemorabile. Syluest. *verb. Canonica portio, num. 2. & 3.* cum Panormit. *in cap. Certificari, de sepultur.* & cum aliis Barbosa *de offic. & potestat. Parochi, cap. 15. num. 16.* & colligitur *ex c. 1. de præscript. lib. 6.* Ratio est; quia ius commune est pro Ecclesia parochiali, & Episcopo, consequenter cum præsumptio sit contra possidentem, oporteret, quod titulum alleget & probet, per quem talis præsumptio tollatur, aut quod possederit per tempus immemoriale; nam vt dictum est de decicimis, tempus immemoriale inducit præsumptionem priuilegij. Hac ergo præscriptione, modo explicato, potest se tueri Ecclesia parochialis, ne soluat quartam Episcopo, vel alteri Parochiæ. Similiter Ecclesia regularium, ne eam soluat parochialibus, vt late Franciscus Leo *in suo Thesauro fori Ecclesiastici, p. 2. c. 14. n. 34.* quia Ecclesia potest se aduersus aliam Ecclesiam quadragenaria præscriptione tueri, *c. Illud de præscript.* & Glossa *in c. De quarta de præscription.* in rebus autem Ecclesiasticis præscriptio est quadragenaria *c. Dilecto, cap. vltim. de consuetud. c. de Romana de elect. cap. Cum Ecclesia, de causa possessionis, & propriet. c. De quarta, c. Ad aures, de præscript.* etiam si non sit titulus, intellige tamen, quoad præscriptionem tantum libertatis non soluendi quartam decimarum, nec oblationum, aut legatorum. Sed si vna Ecclesia fundat suam intentionem in præscriptione quadragenaria percipiendè decimas in aliqua parochia, cum talis perceptio sit contra ius, titulus est necessarius, aut tantum temporis spatium, cuius memoria non extet, *cap. 1 de præscription. in 6. c. Decimas, de restitutione spoliat. eodem lib. 6. cap. Ad aures de præscription.* Abbas *consil. 26. num. 4. part. 2.* ita Francisc. Leo *supra.* Verius tamen existimo cum Syluestro & aliis, etiam in quadragenaria præscriptione non solueudi decimam, aut quartam requiri titulum; quia est contra ius, & præsumptio contra præscribentem.

2 Dico secundo. Si consuetudo non tollit omnino quartam, sed tamen soluit citra quartam, id est, quintam

quintam aut sextam; aut soluit vltra dimidium, *mas que la metad*, requiritur quod sit præscripta cum titulo per tempus 40. anno sine illo per tempus immemoriale. Ratio est, quia est contra ius, nullo enim iure cauetur, vt detur minus quartæ, vel vltra dimidiam. Quod si detur infra dimidiam, *menos que la metad*, & iusta quartam, *esto es, la tercera parte*, valet consuetudo, etiam non præscripta tempore quadraginta ann. quia consuetudo dandi infra dimidiam, & quartam non est contra, sed præter ius, vt docet Panorm. *in c. Certificari, de sepult.* ac proinde ad hoc vt dicta consuetudo valeat sufficit tempus decem annorum, vt tenet idem Panormit. *sup.* secundum Glossam *in cap. fin. de consuet. lib. 6.* ita etiam Syluest. *sup. dict. n. 2.* Sebastianus de Medices *de sepultur. q. 7.* Barbosa *de offic. & potest. Parochi, c. 25. n. 2.*

3 Sed quæres an valeat renuntiatio, aut compositio circa quartam. Respondeo, renuntiationem canonicæ portionis in damnum Ecclesiæ Cathedralis, vel parochialis factam nullius esse valoris, nisi fiat cum protestatione, quod per hoc non fiat præiudicium Ecclesiæ iuribus; compositiones tamen, & pacta super iuribus parochialibus facta inter Prælatos conuentuales, & Parochos, valida sunt etiam si celebrata sint absque licentia superiorum, Prouincialium, scilicet, vel Generalium; dum modo sint licita, & honesta, & fiant cum consensu conuentus nec irritentur per subsequens Capitulum Generale, vel Prouinciale, vt cum Rodrig. dixi *dub. anteced.* ex decreto Leon. X in Concil. Lateran. imò & si dictæ compositiones, seu conuentiones sint repugnantes dictæ Clementinæ Dudum, §. Cæterum de sepult. quia ibi solum reuocantur factæ ante illam, non vero faciendæ de nouo, vide Rodrig. *tom. 1. quæst. 39. art. 8. & tom. 3. q. 46. art. 4.* Azor. *part. 2. lib. 9. c. 12. q. 4.* Syl. *verb. Canonica portio, quæst. 2.* Mirandam, *tom. 2. quæst. 46. art. 12.* licet hic ibi contendat, in dicta Clementina etiam reuocari conuentiones futuras, & non tantum præteritas. At Leo. X. fuit post illam, & potuit ius commune reuocare, vt bene notat Portel *verb. Canonica portio, n. 9. & 10.* quam sequuntur Hieron. Rodet *in comp. qq. regul. resol. 18. n. 9.* & Barbosa *de offic. & potest. Parochi, c. 25. n. 34. cum n. 35.*

4 Asserit per vnum, aut binos actus contrarios non censeri regulares renuntiare iure quæsito de non soluendo quartam, nisi talis solutio facta sit per spatium 40. ann. iuxta dispositionem iuris in cap. Accedentibus, & cap. Si cætera de priuileg. quia priuilegium ad non faciendum non perditur vno actu, aut bino, cap. Cum accessissent, vbi Gloss. de constitut. etiam si per spatium 40. ann.

5 Soluta sit quarta: adhuc enim præscriptio non tenet; quia contra bona, & iura regularium, non nisi centenaria currit præscriptio ad instar Ecclesiæ Romanæ, ex quodam singulari priuilegio Eugenij IV. de quo Miranda *dict. q. 48. art. 13.* & Portel *vbi sup. n. 4.* & Clarius *verb. Priuilegium à num. 55. præcipue n. 58.* An autem Parochus possit iuri quartæ renuntiare infra hoc *c. dub. vlt. in fine.*

Dvb. V.

De quibus soluenda sit quarta Parochialis.

SVMMARIVM.

Quarta parochialis soluenda est de omnibus quæ obueniunt ratione funeris, num. 1.

Funeralia quæ dicantur, ibid.

Cerei possunt accipi in die defunctionis, & die sequenti. si solemniori pompa pro defuncto Missa cantatur, num. 2.

Quarta debetur de cereis seu candelis quæ cum cadauere deferuntur, item de illis quæ in feretro deferuntur, num. 3.

Limita tamen in quatuor casibus alia, n. 4.

Quarta canonica debetur de omnibus donatis, vel legatis causa mortis, vt in num. 5.

Item de illis quæ iuri institutionis relinquuntur Monasteriis, vel locis piis, n. 6.

Non verò de illis quæ testator iussit distribui in vsus pios, in vasa, ornamenta, ornamenta, &c. n. 6.

Itē debetur de legatis factis Ecclesiæ seu Monasterio in qua quis eligit sepulturam, si legatum relinquatur ratione loci, & non personæ, num 7.

Limita tamen in quatuor casibus, vt in num. 7.

1 RESpondeo, quartam funeralem, seu canonicam portionem debere de omnibus quæ obueniunt ratione funeris, scilicet, in die funeris, seu de omnibus oblationibus, & commodis funeris quæ offeruntur in die funeris prout declarauit Pius V. in constitut. quæ incipit, *Et si Mendicantium*, quam declarationem sequitur Manuel Rodrig. 1. *tom. q. 39. art. 2. in fine.* & Fr. Ioan. de la Crux *de statu Relig. p. 2. c. 9. dub. 5. verb. Tertia conclusio*, & cum aliis Barbosa *de offic. & potest. Parochi, cap. 35. n. 26.* Funeralia autem dicuntur ea, quæ ratione sepulturæ obueniunt c. Cum liberum, c. Nostra de sepult. & Benedictus XI. inter constitutiones Prædicatorum pag. 71. ait per funeralia intelligi in hoc casu ea quæ cum funere deducuntur siue antequam sit in terra conditum, siue post, & vsque ad trigesimum diem, & quandiu sit memoria de funere, modo occasione funeris proueniant, vt si post diem funeris obsequiæ fiant cum maxima pompa, eo quod die obitus propter pestem, aut aliam causam non potuit solemniter tumulari. Vide de his Riccium *in praxi fori Eccles. decis. 670. num. 4. decis. 571. num. 4. in 2. edit. & part. 4. resol. 300.* Petrus de Vbaldis *de canon. Parochiali, cap. 4. num. 16.* Azor *part. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 13. verb. Funeralia.* Portel *in dubiis regular. verb. Canonica portio, num. 5.* Hieron. Roderic. *in compend. qq. regular. resol. 18. num. 3.* & cum aliis Barbosa *sup. n. 37.*

2 Ex dictis sequitur primo. Quando in defunctione data fuit Parocho solita facium, cereorum, aut intorstitiorum quarta, si deinde sequenti die solemniori pompa, in alia Ecclesia vbi mortuus sepulturæ mandatus fuerat die hesterna, pro eius anima Missa solemnis cantatur cum distributione candelarum, & intorstitiorum in maiori quantitate diei præcedentis, debeatur ex his quoque Parocho quarta, prout declaratum à sacr. Congregat. negotiis Episcoporum, & Regularium præposita die 3. August. 1621. refert Barbosa *vbi sup. num. 28.* quia omnia hæc censentur funeralia, & obuentiones occasione funeris prouenientes, & ex alio cap. actus funerales sunt distincti.

3 Sequitur secundo. Deberi quartam parochialem de candelis, seu cereis accensis, quæ circa crucem, & cadauer deferuntur, Vbaldis *sup. c. 4. n. 10.* & de candelis oblatis, Feder. de Senis *dict. cons. 4. num. 8.* & cum his Barbosa *dict. c. 25. n. 41.* Item de illis quæ dantur pro Missis dicendis, & de legato Rectori Ecclesiæ in qua quis eligit sepulturam pro celebrandis Missis, Vbald. *supr. num. 5.* Rodrig. *dict. quæst. 39. num. 2.* & cum aliis Barbosa *sup. n. 43. & de offic. & potest. Episcop. part. 3. alleg. 86. num. 20. & seqq.* ex Gloss. *verb. Funeralibus*, in *Clemens. Dudum*

de

de sep. §. *Verum.* Item de armis, libris, bandelis, culcitra, seu pallio quæ in feretro deferuntur, Vbald. *loc. cit. n.* 20. Fallit tamen in armis, & equis quæ, relinquuntur terræ sanctæ, Molina *tract.* 2. *disp.* 215. *n.* 8. *per c. in nostra de sepult.* Item de pannis, sericis, seu aureis, vestibus, puta stamine, vel cilicio, Oldrad. *cons.* 211. *n.* 7. *ex cap. Cum inter nos, de verb. significat.* & *cap. in nostra de sepult.* circa quod attendenda est consuetudo, & ponderanda constitutio Pij V. quæ incipit, *Et si Mendicantium*, & videndus Barbosa *sup num.* 44.

4 Limitanda tamen est principalis resolutio, ita vt quarta non debeatur Parocho primo, ex his quæ offeruntur in funere alicuius, qui de facto contra voluntatem fratrum in Ecclesiis eorum v. g. tempore interdicti sepeliuntur, quando scilicet illæ Ecclesiæ gaudent hoc priuilegio, quia non debetur quarta in casu prohibito, *cap. Ex parte, cap. Liberum. cap. In nostra de sepult.* Syl. *ver. Canonica portio, num* 8. §. *Septimo*, vbi dicitur, quod tenetur corpus, & omnia quæ habet restituere, vide Fr. Manuel *tom.* 1. *quæst.* 39. *artic.* 3. Barbosam *vbi sup. num.* 45. Secundo nec debetur ex his quæ offeruntur in funere alicuius nouitij mortui in Religione Syl. *loco cit.* §. *Quarto*, Manuel *vbi sup. art.* 4. vbi id extendit, etiam si mortuus fuerit in domo parentum, ad quam se contulerat, vt curaretur, de quo Villalobos *par.* 2. *tract.* 31. *diff.* 7. *n.* 10. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 48. *art.* 4 *concl.* 3. Azor. *p.* 2. *lib.* 9 *cap.* 13. *quæst.* 4 *verb. Quod si* Hieron. Roderic. *in comp qq regul. resol.* 18. *n.* 3. Præstringenda tamen est hæc limitatio primo, vbi quis morbo iam affectus ingressus est Religionem, & ibi nouitius ob illum morbum mortuus est, quia tunc quarta debetur. Syl. *sup. n.* 8. §. *Quinto.* Secundo in eo qui petiit cum habitu fratrum sepeliri Syl. *loco cit.* Tertio in nouitio qui non habuit propositum mutandi vitam, Syl. *supra verb Quinto.* Quarto in iis confratribus, qui ingrediuntur in loca Religiosa, retentis bonis suis, quia etiam de legatis factis per ipsos debetur Canonica portio. Syl. *loco cit. n.* 12. & Barbosa *vbi sup. cap.* 25. *num.* 46. Limita tertio, vt non soluatur quarta de legatis factis Ecclesiis vel locis piis pro fabrica, ornamentis, cereis, luminaribus, anniuersariis post seatum diem, & aliis ad cultum diuinum perpetuum, Molina *vbi sup. disp.* 215. *num.* 8. Barbosa cum aliis *sup. n.* 47.

5 Sequitur tertio. Canonicam portionem debere solui de rebus quomodolibet donatis, seu relictis, siue sit donatum vni ex regularibus, siue toti monasterio, *Clementina Dudum*, §. *Verum*, & ibi Gloss. *de sepult.* etiam si donatum sit vni fratri, & consanguineis, Syl. *verb Canonica portio num.* 15. §. *Sexto.* Modo tamen dictæ donationes sint factæ causa mortis, vel legatum factum in infirmitate sit solutum in vita, Gloss. *in verb. Datis, in dict. Clem. Dudum.* & si contrarium teneat Rodrig. *dict. q.* 39. *art.* 2. & hoc propter priuilegia & consuetudinem, vbi refert declarationem Pij V. & Molina *d. dispu* 215. *num.* 4. vbi ait hoc non procedere, si fiat in fraudem per Abbatem *in c. de his, de sepult.* Non autem debetur de vestibus datis pauperibus, Ioan. de la Cruz *de statu Religioso p.* 2. *cap.* 9 *dub* 5. nec de frumento in illis regionibus in quibus datur, Caral. *de quarta funerali, cap.* 3. *verb. De frumento* Nec debetur de donatis in vita, & in sanitate Oldrad. *cons.* 225. *n.* 23. Petrus de Vbald. *de canon. part. cap.* 4. *n.* 2. & Barbosa *de off.* & *potest. Parochi cap.* 25. *n.* 48. & 49.

6 Sequitur quarto. Funeralem quartam deberi de omnibus illis, quæ iure institutionis relinquentur monasteriis, siue aliis locis piis, Molina *dict. disp.* 215 *n.* 4. Abb. *c.* 1. *n.* 7. *de sepult.* Syl. *verb. Canonica portio, n.* 10. Barbosa *sup. n.* 50. Non tamen debetur de illis, quæ testator iussit distribui in vsus pios, in vasa, luminaria, ornamenta Ecclesiæ Couarr. *cap. vlt. num.* 8. *de testamentis*, quia ab ipso testatore facta censetur huiusmodi distributio Hoc autem non procedit quando aliquis regularis electus est distributor, vt distribuat aliquam summam pro suo arbitrio, & ipse inter fratres distribuit, quibus nihil erat relictum, Glossa *verbo, Obuentionibus*, & *verb Indirectè, in dict. Clement. Dudum.* Syluest. *vbi sup. num.* 15. *verb. Secunda*, vbi loquitur, etiam quando fratribus nihil erat relictum, sed mandatur executoribus, vt dent, vel promittant aliquid fratribus.

7 Sequitur quinto. Deberi quartam funeralem de omnibus legatis factis Ecclesiæ, in qua quis eligit sepulturam, *cap.* 1. & 2. *de sepult.* Oldrad. *cons.* 225. *num.* 18. Rodrig. *loco cit. art.* 2. Molina *dict. disp.* 215. *n.* 4. vbi tenet deberi de omnibus quæ relinquuntur in vltima voluntate, etiam si legata facta sint Prædicatoribus, aut Mendicantibus, Couar. *vbi sup num.* 8 *per dict. Clement. Dudum.* Hæc autem procedunt, si legatum relinquatur ratione loci, non autem ratione personæ, neque in fraudem quartæ Canonicæ, Syluest. *verb. Canonica portio, num.* 7. Oldrad. *cons.* 225. *num.* 16. qui tamen indistinctè dicit quartam deberi, vt refert Barbosa *sup. num.* 51. Limita tamen, vt non procedat, primo in legatis factis Monasterio, quod est exemptum per aliquod priuilegium, Syluest. *sup num.* 8. Rodrig. *tom.* 3. *quæst.* 46. *art.* 1. & *tom.* 1. *q.* 39. *art. vlt.* Ioan de la Cruz *de statu Relig. par.* 2. *cap.* 9. *dub.* 5. Secundo in legatis factis Ecclesiæ, in qua testator sepelitur, Syluest. *sup. num.* 8. §. *Sexto*, per Gloss. *in cap.* 1. *de sepul.* quod non procedit, si tale legatum factum est Ecclesiæ, ad hoc vt construat capellam in Ecclesia in qua sepultus est, vel si factum sit in fraudem Ecclesiæ parochialis, ita cum Alexand. & Zabarel. Barbosa *dict. cap.* 25. *num.* 52. Tertio non procedit in legatis factis Ecclesiis, vel locis piis pro ornamentis, cereis, luminariis, anniuersario post diem seatum, Oldrad. *cons.* 225. *n.* 20. Molina *disp* 215. *n.* 8. Quarto non procedit in legatis relictis Ecclesiæ pro fabrica, quia ex tali legato non detrahitur quarta, Couar. *in cap. vltim. num.* 5. *de testamen.* quod verum est, si Ecclesia tunc egeat reparatione, secus si non egeat, Couar. *sup.* & Barbosa *loco cit. num.* 52.

DVB. VI.

Quid disponat circa Canonicam portionem, siue quartam, Synodus Valentina.

SVMMARIVM.

D. D. Martinus ab Aiala Archiepiscopus Valent. quid disposuerit in sua Synod. circa quartæ solutionem num. 2. & 4.

D. D. Ioannes à Ribera Archiepiscop. Valent. quid disposuerit circa quartæ solutionem, num. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

D. D. Fr. Isidoro Aliaga Archiepiscop. Valent. quid disposuerit circa quartæ solutionem in sua Synodo num. 12.

An soluere quartam sit contra ius commune, num. 13. & 14.

Quarta

Quarta parochialis an debeatur ex eleemosynis, n.15. Parochus an possit renunciare quarta sibi debita, num.10.

1 CVm hucusque dicta circa quartæ solutionem procedant de iure communi, & cum ius commune in hac materia sit valdè mutatum vel per consuetudinem, de qua *sup. dub.* 4. vel per leges synodales, videndum est nunc, quid dispositum sit in nostra Diœcesi Valentina.

2 Primo igitur D.D. Martinus ab Aiala in iuribus parochialibus, ordinat. 43. & Dominus meus D. Ioan. à Ribera Archiepiscop. Valent. in synodo Diœcesana de an. 1584. decreto 2. disponunt, quod quarta in funeribus sic exigatur. Ex intorstitiis, seu funeralibus cereis maioribus, quæ funus comitantur, accipiantur duo pro quarta, quos maluerint: si minoribus cereis afferatur, aut sine cereis mortuus sepeliatur, accipiantur sex solidi pro quarta: aut ex paruis illis cereis tot, quot ex consuetudine loci accipi solent. Addit Aiala *vbi sup.* prædictam quartam posse accipere quemlibet curatum; tum etiam à non suo Parocho, ac sedis armariarium, sed id peracta sepultura, & Missa atque tantum semel, nisi fiat commemoratio, sive remembrança post sepulturam suam: tunc enim iterum debent quartare. De Abbatis, sive paruulis qui non feretro, sed manibus deferuntur ad sepeliendum, accipiant duos cereos pro quarta; si deferantur, alioquin duos solidos. Post modum verò D.D. Fray Isidoro Archiep. Valent in synodo de anno 1631. c.81. statuit, eum qui curam armarij Ecclesiæ Matricis gerit, & quemlibet Rectorem in funeribus adultorum duo intorstitia, si in eis portentur, pro iure quartæ sumere possint, quæ si ipsis displicuerint, decem solidos pro illis accipiant; octò verò solidos, si nulla sint intorstitia. In funeribus autem paruulorum, qui ad sepeliendum ducuntur in feretro, octo itidem solidos; si in vlnis deferantur, duos cereos, vel tres solidos ad suum arbitrium recipere valeant, hæc ille. Quæ dispositio est in viridi obseruantia.

3 Secundò, D D. Ioan. à Ribera ann. 1584. decreto 8. disponit quod quando quarta funeralis ceræ accipitur, sit prima in accipiendo Parochia, vnde funus effertur; secunda illa in quam infertur, quod etiam nunc obseruatur.

4 Tertiò, D.D. Martinus Aiala in iuribus funeralibus ordinat. 44. disponit: *El modo que a de quartar el Assee quando viniere la Cofadria de nuestra Señora del Assee. Y en la ordinacion* 45. *dispone: Que quando de vna Iglesia, o Monasterio se huuiere de rebazer la quarta por la cera a otra Iglesia, no se parta por medio la hacha, e ciric. sino que se rebagan por la quarta de las hachas quatro sueldos, y por la de los cirios de los Albades seis dineros, y quede en facultad del que ha de rebazer, pagarlos, o que se los paguen.*

5 Quartò, D.D. Ioan. à Ribera in synodo ann. 1590. decreto 21. statuit: quod quarta canonica seu funeralis, quæ hactenus, ex Clementina Dudum de sepult. & antiqua consuetudine huius Diœcesis solui solita est, soluatur iuxta formam sequentem. Statuit ergo primo: de legatis quacumque via factis, sedi, vel Parochiæ Valentinæ non deberi quartam Parochiæ, cuius erat defunctus, nisi talia legata fuerint dimissa pro expensis exequiarum ipsius defuncti; nam tunc debetur illi quarta, vltra duos cereos, qui virtute priuilegij Regis Iacobi debentur Cruci Parochiæ defuncti. Quod si fortè defunctus omnes cereos, quamuis multi sint, qui in suis exequiis deseruiunt, legauerit Ecclesiæ, vel monasterio, vbi sepelitur, de omnibus illis, cuiuscumque formæ fuerint, datur quarta pars parochiæ defuncti.

6 Statuit secundò. Si defunctus dimiserit alicui Ecclesiæ, vel monasterio, vexilla, tapeta, serica, vel aurea, calices, cruces, aut alia quæcumque ornamenta, quæ solum in honorem, & cultum Dei, & Ecclesiæ deseruiunt, vel quantitatem aliquam, ad ea facienda, de istis non debetur quarta Parochiæ defuncti: sed si talia fuerint dimissa, vt post obitum illius conuertantur in vsum, vel vtilitatem propriam Sacerdotum, vel fratrum Ecclesiæ, vel monasterij vbi fuerit sepultus; si talia dimissio sortitur suum effectum, tunc debetur quarta portio.

7 Statuit tertiò. Si defunctus dimiserit pecunias, vel Missas aliquas Ecclesiæ, vel monasterio, & etiam dimiserit suæ Parochiæ, in qua sepultus fuerit, aliquid de prædictis legatis, tunc non debetur quarta portio dictæ Ecclesiæ de legatis aliarum Ecclesiarum. Si verò non meminerit Parochiæ suæ, in qua sepultus est, tunc de melioribus legatis aliis Ecclesiis relictis primo debetur sibi vnum, quia mater defuncti fuit, vbi ecclesiastica Sacramenta sunt illi ministrata. Statuit quartò. Si defunctus elegerit sepulturam, in aliquo monasterio, seu Ecclesia quæ non fuerit sedes Valentina, nec aliqua Parochiarum eiusdem, & dimiserit illi Ecclesiæ seu monasterio centum, ratione sepulturæ ibi electæ, & suæ Parochiæ dimiserit decem pro canonica portione ei debita, tunc de illis centum debent superaddi Parochiæ quindecim, pro complemento viginti quinque, quæ propriæ Parochiæ debentur, pro quarta portione dictorum centum. Si autem talis absolutè legauerit dictæ Parochiæ decem, non intentione soluendi dictam quartam portionem, tunc integrè percipiat dictos decem, & vltra hoc vigintiquinque pro sua quarta portione, & hoc fuit inductum in compensationem damnorum, quæ sedes, & Parochiæ prædicta patiuntur propter priuilegium quod habent audiendi confessiones, & recipiendi Parochianos dictarum Ecclesiarum Parochialium ad sepulturam.

8 Statuit quintò. Si quis elegerit sepulturam in aliena Diœcesi, etiam si de iure non sit soluenda canonica portio Parochiæ defuncti; tamen quia talis est consuetudo in Valent. Diœcesi, si euenerit casus quarta portio debet soli Parochiæ defuncti.

9 Statuit sextò. Si quis dimiserit Rectori, vel Curato Ecclesiæ, vbi sepelitur Missas; Rector, vel Curatus propriæ Parochiæ debet habere quartam partem ipsarum; sic tamen quod ipsæ Missæ celebrentur per Sacerdotes residentes in dictis Ecclesiis. Sed si legauerit dictas Missas alicui beneficiato, seu Presbytero Ecclesiæ vbi sepelitur, tunc de illis non debetur quarta pars Rectori, vel Curato propriæ Parochiæ; nam dimittens vni Sacerdoti, vt est vna particularis persona, & non est caput Ecclesiæ, non sic intelligitur dimittere, quod totus Clerus dictæ Ecclesiæ habeat vtilitatem ipsarum; nisi in dicta Ecclesia sit consuetudo, quod Missæ relictæ vni particulari sint communes omnibus, quia tunc quarta pars debetur propriæ Parochiæ.

10 Demum declarat per has constitutiones in nullo derogari, vel præiudicium inferri Religiosorum priuilegiis, veris, expressis, & confirmatis, ac in viridi obseruantia existentibus hactenus concessis à Sede Apostolica, Mendicantium Ordinibus seu aliis personis, hæc ille.

11 Quintò, idem Dominus meus D. Ioan. à Ribera in sua synodo ann. 1599. addidit Nuntiatum nobis est, plena Synodo, inuecta esse in Ecclesiam vnã, aut alteram, paucis ab hinc mensibus noua anniuersaria, quæ tamen nouo ac commentitio nomine, vocantur, *doblas de requiem*, vt hoc prætextu, deluso illo

illo quidem, & fraudulento, fraudetur Rector sua illa quarta anniuersariorum debita. Nos igitur vt ius debitum Rectori in tuto collocemus, volumus, & mandamus, vt ex nouis illis duplis de requiem vocatis, quarta pars seruetur Rectori, vt in cæteris anniuersariis, cum doplæ huiusmodi, quamuis mutato nomine, sint reuera anniuersaria. In quo quidem decreto, dominus Archiep. duo facit, primo tollit abusum, *de las doblas de requiem*, & confirmat ius quartæ partis, quod habet Rector in anniuersariis, quæ quotannis perpetuo celebrantur pro defunctis.

12 Sextò. Dominus D. Frater Isidorus Aliaga Archiepiscop. Valentin. in sua Synodo de ann. 1631. cap. 43. statuit, & disponit modum extrahendi quartam ex anniuersariis perpetuis & amortizatis, his verbis: *Volumus & ordinamus, vt ex tota & vniuersali cuiuslibet anniuersarij, vel anniuersariorum accumulatorum pecuniarum summa, primo capsaticum desumatur; deinde tres solidi pro singulis Missis extrahantur, quibus detractis, quantitatis residua quarta pars detur Rectori pro sua quarta; reliqua verò tres partes inter ipsum Rectorem, & Beneficiatos celebrationi interessentem, æquis portionibus diuidatur: quod etiam seruari volumus in anniuersariis, quæ necessaria sunt amortizanda, licet aliqua ex causa amortizatio differatur, quamcumque aliam consuetudinem derogantes.*

13 Sed dices, esse contra ius soluere hanc quartam ex anniuersariis, vt tenet Syluest. *verb. Canonica portio, nu. 3. quæst. 3.* & alij apud Franciscum Leo. in suo *thesauro part. 2. cap. 14. num. 6 & 7. ex cap. Cum creatura, de celebrat. Missarum, & cap. De his vlt. de testam.* Respondeo tamen non obstare huic decreto Valentino, *cap. Cum creatura*; quia ibi solum reprehendit Pontifex negligentiam in celebrando anniuersaria, & Sanctorum festa, & præcipit, vt deinceps ea celebrentur. Nec obstat *dict. cap. fin. de testam.* Nam hoc caput correctum est, & mutatum per Clementinam, Dudum de sepult. §. Verum, quæ, vt ibi dicit Gloss. *de iure*, facit ius nouum, & corrigit vetus; & disponit, vt ex omnibus ratione funeris obuenientibus, soluatur quarta, etiam si antea, de iure, vel consuetudine non solueretur: quæ quidem dictio, *omnibus*, cum sit generalis omnia comprehendit, & nihil excludit. Et esto quod dispositio *dict. cap. fin. de testam.* maneat integra, nihilominus dici potest, quod detractio quartæ partis ex anniuersariis non est contra dictam dispositionem, nam ibi solum disponitur ne deducatur quarta pars ex proprietate & sorte principali, quæ legatur pro anniuersario, vt patet illis verbis: De iis quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo die; siue aliis ad perpetuum cultum diuinum legantur Ecclesiis, vel reliquis piis locis, canonica portio (dummodo in fraudem non fiat, vt ea Episcopos, seu parochialis Ecclesia debeat defraudari) deduci non debeat. Vbi Pontifex expresè prohibet, ne ex legato pro anniuersario deducatur quarta, & hoc ne defraudetur suffragio anima defuncti legantis, & maneat integra sors, seu quantitas legata pro anniuersario: quod non militat in quarta, quæ in nostro Archiepiscopatu detrahitur ex anniuersariis; nam hæc non deducitur ex proprietate, & sorte principali legati pro anniuersario, sed ex fructibus, seu pensione legati; qui quidem fructus, seu pensio dantur pro distributionibus Clericis celebrantibus anniuersaria, & in distributione illorum reseruatur quarta pars Rectori, & hoc ne ex admissione beneficiariorum in totum Parochi damnum sentirent, eo quod de iure ad ipsos tota distributio spectaret, vt infra, & *cap. seq.* ex quo fit non defraudari animam defuncti, eo quod anniuersarium singulis annis celebratur, manente integra quantitate legati pro eo: declaratur etiam, relinquat v. g. Petrus Ecclesiæ S. Stephani 100. aureos pro anniuersario singulis annis celebrando, quæ 100. singulis annis reddunt 100. solidos pro pensione; hoc anniuersarium celebratur à toto Clero; deducitur tamen ex illis centum solidis quarta pars modo dicto *sup. n. 12.* & datur Rectori: & hoc pro obligatione ministrandi Sacramenta suis parochianis, pulsandi campanas pro anniuersario, & pro luce in illius celebratione. Tum etiam & præcipuè, quia antiquitus, vt constabit *cap. seq.* in vna parochiali solus residebat Rector, seu Curatus, ac proinde omnia emolumenta, & obuentiones in totum in eius vtilitatem cedebant. Tempore autem procedente erecta sunt beneficia simplicia in parochialibus, & admissi beneficiati à Rectoribus ad distributiones, & emolumenta Ecclesiæ, in quorum admissione parochi auctoritate Ordinarij reseruarūt sibi quartam anniuersariorum, ne ex admissione beneficiorum detrimentum in emolumentis sentirent: nam vt constat ex *cap. 3. de vita & honestat. Cleric.* Parochus solum tenetur vnum Clericum admittere, vt illum adiuuet ad cantandum, & ad celebrandum diuina & Trid. *sess. 21. cap. 4.* disponit, si populus est numerosus, vt adhibeat tot Sacerdotes, quot sunt necessarij pro Sacramentorum administratione, vt infra *cap. seq.* Etenim cederet in maximum Parochorum præiudicium, si tot beneficiarios admitteret, sine reseruatione quartæ: ac proinde merito, iure nostro Valentino cautum est, vt in diuisione distributionum pro anniuersario, quæ fit inter Clericos interessentes reseruetur quarta pars pro Parocho, modo vt *sup. n. 12.* vt aliquo modo reficiatur damnum, quod ex admissione tot beneficiariorum ad sua percacia, & emolumenta patitur. Qui quidem funus, seu ratio, & si expresè non habeatur in nostra Synodo; præsumendum tamen est, talem fuisse mentem eorum, qui à principio hanc quartam constituerunt: est enim tam antiqua, vt eius memoria non extet, nec in synodo reperitur locus, vbi constituatur de nouo; nam in dicto decreto synodi de ann. 1599. supponitur huius quartæ solutio tanquam res certa, ac indubitata, antiquissima, ac de iure debita.

14 Quod si iterum obiicias, iura supra citata & diximus hoc *cap. dub. 5.* solum disponere, vt quarta soluatur ex legatis, & funerariis factis Ecclesiæ, vbi quis relicta propria sepelitur, vt patet toto tit. de sepult. & Clementina Dudum eod. tit. Respondeo, & si iura ita expresè disponant; non tamen prohibent ne ex relictis Ecclesiæ in qua sepelitur detrahatur quarta, seu aliqua portio pro Parocho; quare talis solutio non est contra, sed præter iura, consequenter rationabiliter potuit assignari talis quartæ solutio, aut consuetudine introduci, cui maximè fauet cap. Certificari de sepult. & communis consensus Doctorum ad quam introducendam, cum non sit contra ius, sufficiunt decem anni, vt dictum est hoc *cap. dub. 4.* Quid quod, hæc quarta anniuersariorum non detrahitur ex sorte, seu massa legati, sed ex eius fructibus, pensione, seu distributionibus; ideo manet legatum integrum, similiter, & iuris communis dispositio. Etenim si canonica portio non detraheretur in hac Diœcesi ex funerariis factis in propria Ecclesia modo, vt in *num. 12.* aut ex anniuersariis, seu ex distributionibus eorum, vt dictum est *num. cit.* omnino Parochi defraudarentur canonica portione: nam de legatis alteri Ecclesiæ factis, non soluitur quarta, quia hæc abiit in dissuetudinem: nec soluitur de legatis factis in monasteriis, quia fuere pro priuilegia exempta, vt dictū est hoc *cap. dub. 3.* ergo

tīè

ritè soluitur de funerariis in propria, & anniuersariis ibi celebratis, iustéque assignata est & determinata per constitutiones synodales.

15 Nota tamen pro complemento huius dicta D.D. Fr. Isidorum Aliaga Archiep. Valent. in synod. an. 1631. c. 80. statuisse, vt deinceps Parochi absque ipsius licentia in scriptis, vllum prætextu licentiarum admittant ad petendam eleemosynam: & vt ex collectis eleemosynis, quarta pars Parochiali Ecclesiæ illius loci, vbi fuerint collectæ tribuatur: exceptis tamen factis pro Hospitali generali Valentiæ & pro Christianis redimendis, & pro domibus Dominæ nostræ Virginis Mariæ del Puig, & pro pueris, quos vocant, *S. Vincentij*, & cæteris eleemosynis, quæ virtute alicuius indulti Apostolici, à dictæ quartæ solutione fuerint immunes, & Religiosi, aut Religiosæ Mendicantes.

16 Sed quæres, an possit Parochus renunciare quartæ sibi debitæ de iure communi, vel synodali, seu consuetudine legitimæ approbatæ. Respondeo negatiuè; quia vt docet Archid. *c. Pactum de pactis, lib. 6.* pactum, in quo damnificatur Ecclesia, non valet; at per tale pactum damnificantur Ecclesiæ, & parochorum successores; ergo tale pactum, & renuntiatio non valet. Et ita in terminis tenent Angel. *verb. Canon. portio n. 6.* Syl. *eod verb. n 3.* concessio enim canonicæ portionis non solum cedit in vtilitatem solius Parochi, vt talis persona est, sed potius est beneficium, & fauor Ecclesiarum parochialium, & eorum Parochorum, ita vt sit fauor non personæ, sed status: & sicut Clericus non potest renuntiare priuilegio fori, quia non personæ tantum, sed potius statui est concessum; sic nec Parochus poterit renunciare beneficio canonicæ portionis; quia non personæ, vt talis est, sed Ecclesiæ & statui Parochorum, est concessum.

CAPVT XIV.

De vltimo iure Parochi.

D V B. Vnic.

In quo ius hoc consistat.

SVMMARIVM.

De essentia parochialis est quod tantum habeat vnum Rectorem seu Parochum, n. 1.

Omnia iura quæ pertinent ad Ecclesiam Parochialem pertinent etiam ad Parochum, n. 2.

Parochus tenetur habere alium clericum, vt illi adiuuet, n. 3.

Et Episcopus si populus est numerosus potest illum ad id compellere, ibid.

Ecclesia fundari non debet nisi habeat dotem competentem pro duobus clericis, n. 3.

Episcopus quando populus est numerosus iuxta Trident. potest cogere Rectorem, vt sibi addat coadiutores ad Sacramenta ministranda, n. 4.

Episcopus quando possit nouas Parochias erigere, seu dismembrare, n. 5.

Rector an possit sibi asciscere Vicarium temporalem, num. 4.

1 VLtimum ius, seu qualitas ac conditio constituens Ecclesiam Parochialem est, quod solum habeat vnum pastorem Parochum, Presbyterum, seu Rectorem, quæ qualitas, vt dictum est *c. 1.* non solum necessaria, sed omnino essentialis est, ita quod si duo præficiantur, iam non sit Ecclesia Parochialis, vt latè probat Gonzales *super 8. regul. Cancell. gloss. 6. n. 41 vsque ad n 47.* Gomesio *in regulis de idiomate, q. 11.* Felino *in cap In ratione, n. 10. corollario prope finem, verb Vt scias, de rescript.* & Barbosa *de off. & potest. Parochi, c 1. n 43.* & deducitur apertè *ex c. Sicut vnaquæque 21. quæst 1.* ibi: *Sed vnum tantum habeat Rectorem, qui illam castè, & sincerè regat.* Quia sicut vna mulier non potest duos, vel plures sponsos habere *c. 1. de sponsa duorum*: nec vnum corpus duo capita, quia esset monstruum, *cap Quia plerísque de off. Ordinarij*; sic nec Ecclesia duos, aut plures Parochos, *cap. Cum ignorus de preb.* ita etiam Filesacus *de origine Parochiarum, cap 4. circa finem verb. Verum enim vero*, vbi id probat ex variis Conciliorum authoritatibus. Ex quo fit, quod quando Ecclesia collegiata habet curam animarum, istis cura non possit spectare ad singulos canonicos illius; sed ad totum collegium, seu capitulum, vnam personam Rectoris repræsentans. Ob idque Concil. Trident. sess. 24. c. 17. mandat Episcopis vt diuidant non diuisas Parochias, peculiarémque Parochum assignent, qui oues cognoscere valeat, & à quo solo Sacramenta suscipiant.

2 Cum ergo ad constitutionem parochialis Ecclesiæ de essentia sit, vt vnum tātum habeat Rectorem, consequēter fit, vt omnia iura, quæ pertinent ad Parochiam, pertineant etiam ad Parochum; illúmque in Parochi, & Rectoris esse constituant. Vnde ad Parochum pertinet primo Sacramentorum administratio regulariter loquendo, modo supra in singulis explicato. Secundo, vt populus sibi subiectus in sua Ecclesia Baptismum suscipiat. Tertio, vt quisque semel in anno sua peccata confiteatur. Quarto, vt Sāctissimum Christi Domini corpus quotannis ab eo accipiat. Quinto, vt debito tempore Extremam-vnctionem suscipiat. Sexto, vt matrimonio, & nuptiis suorum assistat. Septimo, vt suos parochianos in sua Ecclesia sepeliat. Octauo, vt sui in sua Parochia diebus festis Missam audiāt. Nono, vt decimarū fructus à suis ipse percipiat. Decimo, similiter vt fructus primitiarū ipse à suis expostulet. Vndecimo, itidē & oblationes, quę fiūt intra ambitū suę Parochię ipse percipiat. Duodecimo, vt ipsi canonica portio, seu quarta de funerariis, seu legatis ratione sepulturæ soluatur, modo in hurū omniū singulis suo loco explicato.

3 Aduertendum tamen primo *in c. Vt quisque 3. de vita & honestate Cler.* dispositum, & statutum esse, vt quisque Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui secū cantet, & Epistolam, & Lectionem legat, & qui possit scholas tenere, & admonere suos Parochianos, vt filios suos ad fidē discendā mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat. Ex quo colligit Gloss. quod duo ad minus debēt esse in Ecclesia, & quod solus Presbyter nō debet diuina celebrare, & quod Ecclesia non debet dedicari, nisi ad minus sufficiat pro duobus clericis 1. *quæst. 1. c. Placuit, & de consecr. d. 1. c. Nemo, & in c. Cum sicut, de consecrat. Eccles. vel Altar. in glossa. Nec etiam*, quam vide, & Abb. *in dict. c. Vt quisque* qui in *c. Dudum 16. de præsumpt. n. 2.* tenet, quod Rector Ecclesiæ, non solum debet habere Clericum iuxta dispositionem, *dict. c. Vt quisque*, sed etiam potest compelli, vt illum suscipiat in titulū Ecclesiæ suæ, vel sic censeatur vti beneficiatius frater, & socius quod, & benè limitat Gloss. *in d. c. Dudum. verb. Sufficiant.* Si facultates Ecclesiæ pro omnibus sufficiunt, quod probare tenetur ille, qui dicit, nū sufficere, ostēdendo reditus Ecclesiæ, vide Riccium *dec. 310. n. 2.* Fuscum *lib 1. de visit. eccl. c. 2. n. 23.* Zerolā *in praxi p. 2. verb. parochus*,

verb. ad septimum, Cenedo *collectanea* 63. vbi citat multos circa quod etiam vide declarationem Cardinalium,*in d c.Trid.*tenoris sequentis : Episcopos,ob multitudinem populi, potest compellere Rectorem ad sibi adiungendus alios Sacerdotes pro Missis,atque aliis Officiis diuinis celebrandis,aut Sacramentis administrandis, cum moderamine tamen multitudinis Missarum,ne omittas Filesacum *de orig. Parochiarum c.4.sub finem*,§.*Verum enim vero*,vbi ait, si Ecclesia parochialis satis amplos haberet reditus, cogebatur Presbyter Parochus aliquot saltem Clericos sibi asciscere, qui illum in Officiis adiuuarent: sic enim statutum est in Concil.Emeritensi,c.18.statuit hæc sancta Synodus vt omnes parochiani Presbyteri, iuxta vt in rebus sibi adeo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesiæ suæ familia, Clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, vt Officium sanctum digne peragant, & ad seruitium suum aptos eos habeant; ij etiam victum, & vestitum dispensatione Presbyteri merebuntur,& domino,& Presbytero suo,atque vtilitati Ecclesiæ fideles esse debent.Ita Concil.vbi Filesacus, & bene, aduertit *Domini* vocem Parocho attributam, non tam pro imperij erga Clericos auctoritate, quam dignitatis, & venerationis gratia explicandum esse censerem.Idem probat ex Concil.Nannensi *in cap. Vt quisque cit.*& aliis Conciliis,quæ ibi vide.

4 Aduertendum secundo,nouissimè per Trid.sess. 21. c.4. statutum esse posse Episcopos tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, quando populus est numerosus,vt vnus Rector non possit sufficere Sacramentis ministrandis, & diuino cultui peragendo, cogere Rectores, vel alios ad quos pertinet, vt sibi tot Sacerdotes adiungant,ad hoc munus,quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda,& cultum diuinum celebrandum.Vbi Concilium loquitur,quando populus est numerosus, & vnitus, & continuus, siue contiguus:nam de populo dissito, seu diuiso in partes inter se valde distantes loquitur,§ *seq.* quod desumpsit ex *c.Ex temporis* 16. *q.*1. *& c.fin. de Eccles. adif* & nota Concil. illis verbis: *Quod Rectores adiungant sibi ministros necessarios.* Innuere posse Rectores propria auctoritate assumere sibi Vicarios temporales,dummodo sint ab Ordinario approbati. Pro quo facit declaratio Cardinalium, quæ super eodem c.adducitur, his verbis: *Parochus potest sibi alium Presbyterum, ad Curam animarum adiutorem accipere modo sit ab Ordinario approbatus*, vide Syl. *verb.Excomm.excomm.*14 *q* 12.*& infra c.*15. *dub* 8.

5 Addit Tridentinum vbi supra: *In iis verò parochiis in quibus ob locorum distantiam siue difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & diuina Officia audienda accedere non possunt,nouas Parochias,etiam inuitis Rectoribus, iuxta formam constitutionis Alex. III. quæ incipit, c.Ad audientiam in lib.*3.*decretal tit.*48.*de Ecclesiis adif.* ipsos tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, constituere posse, assignata congruenti portione Presbyteris, qui nouis parochiis præficiuntur,eiusdem Episcopi arbitrio, ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus;& si necesse sit,compellere populum possit,ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam. Vbi nota, vt nouæ Ecclesiæ erectio valeat,debere seruari dispositionem dicti *c. Ad audientiam*:nam Tridentinum dicit,*iuxta formam capitis.Ad audientiam.*Secundo antequam noua parochia erigatur oportet primum,vti remedio declarato huius capitis Tridentini, ita vt si possit succurri necessitati parochianorum,per constitutionem Capellani,vel Vicarij temporalis, non erigatur vicaria perpetua,iuxta declarationem Cardinalium sequentem. Ad succurrendum autem parochianis foris habitantibus,vt supra dictum est, erigatur vna capellania extra Ciuitatem, quæ non sit Ecclesia per se, sed in potestate Matricis Ecclesiæ, in qua ponatur Sacerdos amouibilis approbatus ab Ordinario, qui administret Sacramenta illis, qui sunt extra Ciuitatem, ad quos non est accessus ex vrbe de nocte, quia portæ Ciuitatis clauduntur.Quæ declaratio circumfertur in eod.c.Trid de hac materia vide Abb.*in d.c.Ad audientiam*,& Doctores quos citat Barbos.in remissionibus ad Trid.sess.21.c.4 & infr.*c.*15.*dub.*2.

CAPVT VLTIMVM.

De Vicariis perpetuis, & temporalibus

DVB. I.

Quid & quotuplex sit Vicaria.

SVMMARIVM.

*Vicarius is dicitur qui alterius vices gerit, & in loco illius sufficitur, num.*1.
*Summus Pontifex dicitur Vicarius Christi,n.*1.
Habet Roma suum Vicarium, ibid.
*Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi late dicuntur Vicarij Papa, n.*2.
Ij habent suos Vicarios generales,& foraneos.
*Doctores qui agunt de Vicariis generalibus, & foraneis Episcoporum,num.*3.
*Vicarij Parochorum alij sunt perpetui,alij vero temporales, num.*3.

1 VICARIVS generaliter, & communiter, loquendo is dicitur, qui alterius vices gerit, vel qui in eius loco est subrogatus, *l.Vicarius, ff. de legat.* vnde in *Codice habemus, titul.de offic. Vicarij*, vbi agitur de Vicariis magistratuum,& militum:similiter in iure Canonico.Latissimè ergo omnis qui alterius vices gerit, & in locum illius sufficitur Vicarius nuncupatur. Ita Azor 2.*tom.lib.*3.*q.*1.Gonzal. *in* 8.*regulam cancel. gloss.*5. §. 3. *num.* 1.

2 Iure autem canonico multipliciter dicitur: nam incipiendo à capite,Summus Pontifex dicitur Vicarius Christi Domini,prout etiam fuit D.Petrus,*cap. Quanto;c.Inter corporalia de transl. Episcopi, c.Vbi periculum,§.Cæterum de elect.in*6.Deinde Romanus Pontifex quamuis sit summus Ecclesiæ Pastor, & Christi Domini Vicarius, tanquam vrbis tamen Episcopus habet suum Romæ Vicarium,de quo loquitur textus *in c.Sua nobis,de officio Vicarij*,& lato saltem modo omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi dicuntur vicarij Papæ.Selua *de benef.* 2. *p. q.*1.*n.*2.Gonzalez *sup.n.*6.

3 Item dantur Vicarij Patriarcharum, Archiepiscoporum,Episcoporum,& aliorum Prælatorum, de quibus loquuntur *c* 1.2.*&* 3.*de offic.Vicarij in* 6.*c.*2. *de consuet.eod.lib.* qui etiam Officiales appellantur, *c.fin.de off.Vic.in*6.vbi Officialis,aut Vicarius generalis Episcopi, de quibus latè Rebuf.*in praxi tit. de forma vicariatus,n.*242.Azor 2.*tom lib.*3.*c.*43.44.45. *&* 46.Garcia *de benef per varia capita*,Barbos.*de off. & potest.Episcopi,& lib.de iure vniuerso,& in tract. de Canonicis, & dignitatibus cap.*42. vbi agit de vicario capituli.

Dantur

Dantur etiam alij vicarij inferiores pedanei, seu foranei nominati de quibus in Clementina 2. & ibi Gloss. *verb. Foraneo, de rescript.* Mohedanus *decis.5. de appellat.* & DD. citati.

Denique in beneficiis Parochialibus, seu curatis constituuntur Vicarij ad curam animarum gerendam, ex quibus alij dicuntur, & sunt vicarij perpetui: alij verò Vicarij temporales, seu amouibiles. Vicarius perpetuus est ille qui ab Episcopo ad ipsius Vicarij vitam est constitutus: temporalis verò Vicarius, seu amouibilis ille dicitur, qui ad tempus, & ad nutum constituentis constituitur & amouetur. In hoc autem opusculo solum agemus de Vicario perpetuo, & temporali curam animarum habente. Et primo de Vicario perpetuo.

Dvb. II.

A quo, in qua Ecclesia, & quibus de causis possit Vicarius perpetuus constitui.

SVMMARIVM.

Vicarius perpetuus quis. n. 2.

Vicarius perpetuus à quo, quando, & quomodo instituendus, n. 3.

Vicarius perpetuus habet curam animarum sua Vicaria, & non Parochus cui Vicaria perpetua est annexa, num. 3.

Rector non potest Sacramenta ministrare in Vicaria perpetua sibi annexa, ibidem.

1 DE Vicario perpetuo agitur *cap. Extirpandæ, §. Qui vero de præb. c. 1. de Capell. Monach. Clement. vnica de offic. Vicarij*, & Teatus *in c. 1. 2. 3. & 4. & c. fin de off. Vicarij*, & latè Rebuff. *in praxi tit. Vicaria perpetua, per totum.*

2 Perpetuus autem Vicarius is dicitur qui Episcopi auctoritate, & canonica electione electus Parochiali Ecclesiæ constituitur, & quæ certa ex annuis prouentibus Ecclesiæ portio assignatur, tanquam laboris merces, iuxta ea quæ habentur *in d. cap. Extirpandæ, & in cap. Ad hæc de off. Vicarij*, & Gloss. *in c. Ex parte, eodem tit. in verb. Perpetuos Vicarios*, Abb. *in c. Postulasti de rescript.* Hunc ergo Vicarium non potest sine Episcopi auctoritate, & munere remouere, nec assignatam ei portionem ei minuere Rector, qui in beneficio, & Ecclesia Parochiali præcedit, *ex d. cap. Ad hæc de off. Vic. & c. 1. de capell. Monac. in 6.*

3 Dico igitur, Episcopi auctoritate esse constituendum Vicarium perpetuum, & in Ecclesia Parochiali, quoties beneficium aliquod Parochiale curã animarum habens alicui alteri Ecclesiæ, vel Collegio Canonicorum, vel Seminario Clericorum, vel alteri loco pietatis causa extructo, & fundato, vel dignitati, vel præbendæ fuerit annexum, *cap. Extirpandæ, §. Qui verò, de prebend.* Item quando in Parochia capella constituitur, eo quod populus Parochiæ subiectus sit magnus, & Parochiam conuenire non potest; tunc enim solet auctoritate Episcopi capella ædificari, & in ea constitui Vicarius perpetuus, iuxta ea quæ habentur *in c. Ad audientiam de Eccl. ædif.* & disponit Trident. sess. 21. c. 4. in hoc ergo casu ex beneficio principali detrahitur iusta, & idonea portio ad commodam Vicarij perpetui sustentationem, *ex dict. c. Extirpandæ, §. Qui vero, c. Ad hæc de off. Vicarij.* Et merito quidem, quia is, qui habet Vicariam perpetuam sibi anneaam, fit immunis à cura animarum, & ab obligatione, & præcepto inseruiendi, &

residendi in Vicaria perpetua ei annexa, vel de nouo in sua Parochia erecta, & tale onus, ac cura in Vicarium perpetuum transfertur, qui ideo instituitur, vt curam animarum habeat, ac eam Ecclesiam administret, vt insinuatur *in c. 1. de præb. in 6. & c. 1. de Capell. Monach. eo lib. & c. Extirpandæ, §. Qui vero de præbend.* Vnde cura animarum Vicariæ perpetuæ nõ apud Rectorem Ecclesiæ principalis, sed apud Vicarium perpetuum residet; ideoque Rector Sacramenta non debet, neque conferre potest in Vicaria perpetua sibi annexa. Ita Azor 1. *tom lib. 3. cap. 6. q. 1. §. Quæret aliquis, in fine*, ex Abb *in dict. c. Extirpandæ, § Qui vero, n. 6 de præb* & cum aliis Barbosa *de off. & potest. Parochi c. 1. à n. 53.*

Dvb. III.

An Vicarius perpetuus habeat beneficium Ecclesiasticum, seu an Vicaria perpetua sit beneficium Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

Vicaria perpetua est verum beneficium curatum, num. 1.

Vicarius perpetuus remanet mortuo Rectore, ibid.

Vicarius perpetuus an dici possit Rector. n. 2.

Rector principalis an possit exercere suam iurisdictionem in Vicaria perpetua sibi adnexa, n. 2.

1 COnclusio est affirmans, & probatur *ex cap. Perpetuus de fide instrumentorum, cap. Postulasti de rescript. c. Ad hæc de off. Vicarij, & Clement. vnica eo tit.* & ita tenent Abb. *in dict. cap. Postulasti*, Azor 1. *tom lib. 3. c. 6. quæst. 3.* Gonzales *supr. 8. regul. Cancell gloss. 5. §. 3. n. 19.* Gomez *in regul. de idiomate, quæst. 11. num. 2.* & alij quos Gonzales & dicit *sup. c. 1. verbo ex dictis*, & tenent cum aliis Barbosa *de offic. & potest. Parochi, c. 1. num. 56.* Et confirmatur, quia Vicarij perpetui habent verum titulum *cap. Ad hæc cit.* & ibi Abb. & Gloss *in dict. Clement. de off Vic.* ex quo fit, vt iura omnia loquentia de beneficiis curatis circa vocationem per assecutionem, & per non promotionem, & de eorum ætate, locum habeant in huiusmodi Vicariis perpetuis, ita Azor *sup. quæst. 2.* Gonzales *supra n. 20. & 21 ex dict. Clement 2. de offic. Vicarij* Probatur etiam, quia Vicarius perpetuus non potest remoueri, etiam si principalis Rector moriatur, vt habetur *in dict. c. Ad hæc, de off. Vic.* Gonzales *vbi sup. cum aliis num. 25* Item quia sicut Vicarius Episcopi non potest conferre beneficium sine speciali facultate, *cap. fin de off. Vicarij in 6.* ita nec potest conferre Vicariam perpetuam, nec illum erigere, Gonzales *sup. n. 23.*

2 Sed quæres, an Vicarius perpetuus sit Rector. Respondeo propriè, & in rigore non esse Rectorem, sed Vicarium perpetuum Rectoris principalis, ita Gonzales *sup. n. 23.* ex Vitalino *in dict. Clem. de off. Vicarij*, Barbos. cum aliis *sup. n. 35.* & supponit Azor *lib 3. c. 6. q. 2.* colligitur ex Trid. sess. 21. c. 4 & ex *c. Ad audientiam de Eccl. ædif.* vbi illum non Rectorem, sed Presbyterum nominat, & confirmat praxis nostræ Diœcesis, & etiam Dertusen, vbi talis nõ vocatur Rector, sed Vicarius perpetuus, colligitur etiam apertè ex *c. ex parte, de off. Vicarij, & c. Extirpandæ, §. Qui vero, de præb.* & confirmat Pius Quintus *in sua constit. quæ incipit, ad exequendũ, tom. 2. Bullarij pag. mihi 243.* vbi semper hunc vocat Vicariũ perpetuũ, & non Rectorem. Etenim quamuis cura animarum actualis auferatur Rectori principali, & transferatur in Vicarium perpetuum, vt fit in praxi, & docet Nau.

consil. 21. *num.* 7. *de clericis non resident.* In habitu tamen residet cura penes Rectorem, idem Nauarr. *supra num.* 8. Azor *sup. quæst.* 2. §. *Quæras aliquis*, Gonzales *loco citat n.*23.*&* 24. Barbosa *sup. n.*53. late Abb. *in c. Extirpandæ*, §. *Qui vero*, *n.*15. videndus, vide etiam illius additionatorem *in c. Quoniam, ne Prælati vices el* 2. *lit. B.* vbi citat Glossam *in c. Super eo de præb. in* 6. *in verb. Annexa*, vbi dicit: Rectorem posse exercere iurisdictionem spiritualem in Vicarium perpetuum, eum excommunicando, quod limitat & bene Glossa marginalis ibidem, habere, scilicet iurisdictionem in habitu, vt cum Nauar. & Barbosa dictum est; non vero in actu, quod est iure conformius, & tenendum, nisi aliud legitima consuetudo introduxerit. Vide *sup. c.*2. *n.*10.

Dub. IV.

An Vicarius perpetuus habeat ius percipiendi decimas.

SVMMARIVM.

Vicarius perpetuus nullum ius habet ad decimas seu primitias si in erectione vicariæ ei est assignata certa portio, num. 1.

Si non est assignata solum habet ius ad decimas pro sua sustentatione num. 2.

Quod si nullus adesset Rector, ibid.

Vicarius perpetuus sic debet honorari in loco, & aliis, sicut is cuius vices gerit, num. 3.

*Regula de idiomate habet locũ in Vicario perpetuo, n.*4.

Item regula de annali, num. 5.

Iura omnia (præter decimas) parochialia competunt Vicario perpetuo, num. 6.

Vicarius perpetuus tenetur subiectionem præstare Matrici, num 6.

*Vicarius perpetuus non potest alium substituere, n.*7.

An temporalem, ibid.

1 DIco primo, si in erectione vicariæ perpetuæ intercessit transactio, & compositio inter vicarium perpetuum, & Rectorem Ecclesiæ Matricis, seu Baptismalis, vt omnes decimæ, & primitiæ cedant Rectori Matricis, & ex alia parte prouisum sit commodæ sustentationi vicarij perpetui, tunc vicarius perpetuus nullum ius habet ad decimas, seu primitias, sed solum ad illam partem suæ sustentationi assignatam, quod tanquam certum supponunt DD. & late docet Suarez *lib.* 3. *de Relig. c.*24. *n.*4. & ego ipse dixi cum illo in Decalogo *lib.* 3. c. 3. *dub.*8. *num* 7. vide ibi. Dubium procedit quando de tali translatione non constat.

2 Dico secundo, Vicarius perpetuus de iure communi solum habet fundatam intentionem in iure percipiendi decimas, & iure parochialia pro sua sustentatione congrua assignata in vicariæ perpetuæ constitutione, & erectione, vt tenet Rota *decis.* 5. *de offic Vicarij in antiquis*, & alij quos Gonzales *super* 8. *regulam Cancell. gloss.* 5. § 3. *n.*26. cum aliis. In reliquis autem decimis habet Rector fundatam suam intentionem, seu is cui est beneficium vnitum, Cardinalis in Clementina fin. ad finem de decimis, & aliis quos Gonzales *sup.* 27. Quod si nullus adesset Rector nec appareret de vnione, tunc Vicarius perpetuus fundatam habet de iure communi intentionem quoad decimas, seu primitias omnes talis vicariæ. Ita Rebuf. & quos Gonzales *sup. num.* 18.

3 Ex his collige primo cum Gonzalez *sup. n.* 28. *& seqq.* Quod vicarius perpetuus sic debet honorari in loco, & aliis, sicut is cuius vices gerit, *c. Præcipimus dist.*93. *& per textum in dict. Clement. vnica.*

4 Secundo, quod regula de idiomate habet locum in Vicario perpetuo, vt late Gomez *in regula de idiomate, quæstione* 11.

5 Tertio, quod regula de annali habet etiam locum in vicario perpetuo, vt late Mandosius *in regul.* 33. *de annali, quæst.* 13. *per totam*, quod procedit, & locum habet siue vocetur vicarius, siue curatus, siue Rector, siue alio quo vis nomine, vt aduertit Gonzales *sup. num.* 32. cum Rebuffo *de congrua, n.*112.

6 Colligitur 2. vt omnia quæ dicta sunt de iuribus parochialibus possint accommodari proportionabiliter vicario perpetuo, exceptis decimis modo proximè explicato, in hoc dubio. Ratio est, quia vicarius perpetuus habet titulum, & beneficium curatum, ac parochiale, vt probatum est dub. 3. excepto etiam iure subiectionis Rectori principali debito: etenim Vicarius perpetuus tenetur aliquid præstare Rectori principali, seu Matrici in signum subiectionis, vt disponit expresse *cap. Ad audientiam de Ecclesiis ædif.* & confirmat Tridentin. sess. 21. cap. 4. Quod maximè procedit in vicariis, quæ de nouo in parochiali habente populum numerosum eriguntur ex *dict. cap. Ad audientiam* & Tridentin. aperte constat. Sic vicarius perpetuus loci de Benimacles Rectori principali seu Matricis sancti Stephani singulis annis in festo Purificationis B. Mariæ semper Virginis soluit vnum cereum ceræ albæ ponderis vnius libræ in signum supradictæ subiectionis.

7 Sed quæres, an Vicarius perpetuus possit alium vicarium sibi subrogare. Respondeo, tanquam certum non posse sibi alium Vicarium perpetuum substituere, vt late Abb. *in cap. Clericos, de offic. Vicar. num.* 2. Vicarius namque perpetuus, vt supradictum est, & latius infra, non potest sine Episcopi auctoritate institui. Poterit tamen vicarium temporalem sibi substituere, vt docet Abb. *sup.* modo id faciat magna ex causa impeditus, & ad modicum tempus, puta ad vnam hebdomadam vel duas, quia modicum in iure pro nihilo reputatur, & dummodo raro substituat, Azor *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 10. Hoc autem intellige, modo quo infra dicetur de Parocho respectu Vicarij temporalis.

Dub. V.

A quo debeat fieri præsentatio, & institutio Vicarij perpetui.

SVMMARIVM.

Patronatus vicariæ perpetuæ spectat ad Rectorem principalem: si patronus sit laicus præsentat quem voluerit: si Ecclesiasticus, si vacat in mense non reseruato, nominat duos aut tres quos examinat Ordinarius, & ex illis patronus eligit quem voluerit. Si in mense reseruato, patronus non nominat, sed Episcopus præmisso concursu, num. 1.

*Concursus an requiratur in vicaria perpetua, n.*2.

*Vicaria perpetua quando, & quomodo erigenda, n.*3.

1 DE hac re late Gonzales *in* 7. *regul. Cancell. gloss.* 5. *à n.*19. *&* 48. & Garciam *p.* 5. *de benef. c.*1. *& p.* 9. *c.* 2. *à num.* 185. Vbi etiam explicant, an hæc vicaria comprehendatur in reseruatione dictæ regulæ octauæ, & an ad huius prouisionem requiratur concursus à Tridentino statutus, pro praxi tamen sufficiat nobis scire: Primo patronatum vicariæ perpetuæ

perpetuæ ſpectare ad Rectorem principalem, *cap. Ad audientiam de Eccleſ.ædif.* Pius V. *in conſtit.47. ann.*1567. quæ incipit *Ad exequendum*, *pag. mihi* 243. *tom.*2. Secundò, ſi patronatus ſit laicalis, ipſe præſentat quem voluerit, & Ordinarius approbat, & inſtituit: ſi autem ſit Eccleſiaſticus, & Vicaria vacat in menſe non reſeruato Papæ, vt ſunt Martius, Iunius, September, & December, patronus nominat duos, aut tres, quos Epiſcopus examinat, & poſtea ex approbatis ab illo eligit patronus quem voluerit. Quod ſi vacat in menſe reſeruato, tunc patronus Eccleſiaſticus non poteſt præſentare, aut nominare, ſed Epiſcopus præſentat, aut nominat præmiſſo concurſu, ſicut fit in Rectoriis vacantibus in menſe reſeruato, & eligit digniorem, qui expeditis litteris, ſeu bullis Apoſtolicis accipit à Papa inſtitutionem, ſeu collationem.

2 An autem concurſus fieri debeat in Vicariis perpetuis tractat Garcia *ſup.dict. cap.9. à num.*284. *vſque ad* 297. vbi abſolutè tenet, in Vicariis alicui beneficio, vel loco vnitis, non requiri concurſum: bene verò, ſi Vicaria perpetua nulli loco, vel beneficio ſit vnita, ſed eſt parochialis de per ſe, de quo vide etiam Barboſam *de offic. & poteſtate Epiſcopi, allegat.* 60. *num.* 3. *& de offic. & poteſtat. Parochi, cap.* 2. *num.* 10. *& in collectaneis ſuper Tridentinum ſeſſ.*24.*cap.*18.*num.*7.*&* 11. Gonzales *vbi ſup. n.*54. & Bellarminum *in declarationibus ſuper Tridentinum ſeſſ.*14 *cap.*18. vbi refert ſequentem declarationem Cardinalium: *Congregatio cenſuit Vicarios perpetuos in parochialibus vnitis non eſſe prauio concurſu inſtituendos, die* 18.*ann.*1594.

3 Quomodo autem erigenda ſit Vicaria perpetua, vide *ſup. cap.*14. *vbi de vltimo iure Parochi in fine verb. Addit & in Decalogo lib.*3.*cap.*3.*dub.*7.*num.*7. *vide etiam cap. Ad audientiam el* 1. *de Eccleſ. ædif.* Concil. Trident. *ſeſſ.*21. *cap.*4. *de reformat.* vbi præſcribit formam erigendi Vicarias, Abb. *in dict.cap. Ad audientiam*, Zerolam *in ſua praxi*, *part.*1. *verb. Parochia* §.6. Azor. *tom.*2.*lib.*3 *cap.*12.*quaſt.*7. Franciſcum Leo. *in theſauro fori Eccleſiaſtici*, *part.* 2. *cap.*2. *num.* 68. Riccium *in praxi fori Eccleſiaſtici deciſ.* 554. & alios quos Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi allegat.* 68. qui cum Riccio reſoluit, non licere nouam ſeparationem, ſeu erectionem, ſi in loco minimè difficili, nec incommodo Oratorium adeſſet, vel Capella cum fonte baptiſmali, & cæteris ad parochiam neceſſariis, ibique præponeret in ſui adiutorium, Sacerdotem qui ibi reſideret, & Sacramenta poſſet adminiſtrare, citant Coſtam, & Menochium, & fauet apertè declaratio Cardin. in ſeſſ.21. cap.4. Trident. vbi dicit, in hoc caſu ponendum Vicarium temporalem, non verò perpetuum, vt dictum eſt *ſup. cap. vlt. de vltim. iure Parochi in fine verb. Addit Trident.* vide etiam bullam Pij V. quæ incipit *Ad exequendum tom.*2.*pag.*243. *in meis*, vbi etiam ſtatuit portionem aſſignandam Vicario perpetuo non debere eſſe minus, quam quinquaginta, nec magis quam centum ſcuta.

D v b. VI.

Quibus de cauſis ſoleat Vicarius temporalis conſtitui.

S V M M A R I V M.

Vicarius temporalis is dicitur qui ad tempus conſtituitur, num. 1.

Vicarius temporalis ex multis cauſis conſtituitur, n. 2.

Conſuetudo apponendi Vicarium multum operatur, num. 3.

1 SVppone Vicarium temporalem dici eum qui ad tempus, vel ad voluntatem conſtituentis conſtituitur, & ad nutum ipſius conſtituentis reuocari poteſt. Azor 2.*tom. lib.* 3. *cap.*6. *quaſt.*1. *in fine.* Gonzales *in* 8.*regula Cancellariæ*, *gloſſ.*5.*num.*12.

2 Reſpondeo igitur Vicarium temporalem ex multis cauſis conſtitui, de quibus Azor *ſup.quaſt.*3. & Gonzales *loco citat. num.*12. Prima eſt, quando quis habet duas parochiales æquè principaliter vnitas: tunc enim vnus curatus eſt vtriuſque, qui non tenetur conſtituere in altera Vicarium perpetuum, ſed ſufficit ad tempus, videlicet, quando illi non vult ipſe inſeruire. Colligitur ex *cap Temporis* 16 *quaſt* 1.*& cap.*1.*ne ſede vac.* & tenent Azor *ſup. quaſt.*3. Gonzales *dict.num.*12 cum Rebuffo & aliis. Secundo, quando vnitur beneficium ſimplex: tunc enim Vicarius non perpetuus, ſed temporalis ſolet conſtitui, Gloſſa *in verbo Parochialium*, & ibi Doctores *in Clementina vnica de officio Vicarij*, Gonzales *ſupra num.*15. Tertio, quando Vicariæ perpetuæ vniuntur, nam tunc efficitur temporalis, & ad nutum poſſidentis inſtituitur Rector, Gonzales *ſupra num.*16. Quarta, negotia & occupationes quibus ipſe Rector cauſa ſui muneris, & officij diſtinetur, quo iure Epiſcopos plures Vicarios inſtituit *cap. Ad hac de offic. Archidiac. & cap* 1. *de celebratione Miſſa.* Quinta ratione peregrinationis ad pia loca ſuſceptæ, & præſertim ad terram ſanctam, *cap. vltim. de voto, & voti redempt.* Sexta, ratione ægritudinis corporis, & valetudinis incommodæ, *ex tit. de Clerico ægrotante, & per aliquot capita.* Septima eſt, iuſta abſentia auctoritate Epiſcopi approbata, vt ratione ſtudij litterarum, vel alterius occupationis iuſtæ, & idoneæ, *cap. Relatum de Clericis non reſident. & cap. Non oportet, de conſecrat. diſtinct.*5. Octaua, ratione diuerſæ nationis alio ſermone, & lingua loquentis, cui Rector præficitur, *cap.*5.*de offic. Ordin.* Nona eſt, cauſa habendæ concionis ad populum, *cap. Inter catera de prabend. & cap Quod Dei timore, de ſtatu Monachorum.* Nam cauſa vtilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ Vicarius conſtituitur, *cap. Expoſuiſti, de prab.* Decima, cum Rector è miniſterio, & officio deiicitur, vel remouetur à loco, *cap. Ad audientiam de Eccleſ.ædif.* Vndecima, cum Rector ad vitæ religioſæ ſtatum ſe transfert, & in probatione verſatur, *cap. De Monachis, de prabend* Duodecimo, cum id cedit in maius diuini cultus incrementum, *cap. Illud, & cap. Nihil, quaſt.*1. Azor videndus *tom.*2. *lib.*3.*cap.*6.*quaſt.*3.

3 Aduertit tamen, & bene Gonzales *ſup num.*17. *&* 18. multum operari conſuetudinem apponendi Vicarium perpetuum, aut temporalem; & quod ſit attendendus ſtatus vltimus, ad inſpiciendum, ſit ne Vicaria perpetua, vel temporalis, fuit reſolutum in vna Pampilonen. decimarum, 1. Aprilis ano. 1591. vt ipſe Gonzales, *ſup.num.*18.

D v b. VII.

An Vicaria temporalis ſit beneficium.

S V M M A R I V M.

*Vicaria temporalis non eſt beneficium, num.*1.

*Rector poteſt ponere Vicarium temporalem ſine conſenſu patroni, num.*2.

Vicarius temporalis potest ad nutum amoueri per opponentem, num. 3.
Vicarius temporalis non gaudet prærogatiuis Rectoris, num. 4.
Ordinari non potest ad titulum Vicariæ temporalis, num. 5.
In Vicaria temporali non intrat octaua regula Cancellariæ, nec de annali, num. 6.
Episcopus potest apponere Vicarium in beneficio reseruato dum vacat, num. 7.
Simoniam committentes in Vicaria temporali non incurrunt illius pœnas, num. 8.

1 Respondeo negatiuè. Ita communis Doctorum, & deducitur *ex cap. Peruenit el 2. de appellat. cap. Cum ex eo, verb. Porro septennio, de elect. lib. 6. Extrauag. execrabilis*, ibi Gloss. *verb. Temporalis*, Ioann. XXII. & Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat. post principium.

2 Ex quo fit primo, vt Rector Ecclesiæ patronatæ possit ibi ponere Vicarium sine consensu patroni.

3 Secundo, Vicarius temporalis potest ad nutum amoueri per illum, qui eum instituit.

4 Tertio, Vicarij temporales non gaudent prærogatiuis, quibus gaudent Rectores, & Vicarij perpetui, nisi id ex speciali priuilegio Papæ sit concessum quale est concessum Vicariis temporalibus apponendis per inclytum Collegium Compluten. in beneficiis eidem Collegio vnitis, Gonzales *super octauam regulam Cancell. gloss. 5. num. 41.*

5 Quarto neque ad titulum Vicariæ temporalis potest quis ordinari sacris Ordinibus.

6 Quinto, in iis Vicariis non intrat octaua regula Cancellariæ, nec regula de annali. Denique in nihilo istæ Vicariæ, temporales regulantur, vt beneficia Ecclesiastica, nec comprehenduntur in reseruationibus.

7 Consequenter, Episcopus potest apponere Vicarium temporalem in beneficio reseruato, vt inseruiat illi dum Papa non prouidet. Ita Gonzales cum multis *dicta glossa 5. §. 5. à num. 35. vsque ad num. 47.*

8 Consequenter sequitur, committentes simoniam in Vicaria temporali non incurrere pœnas impositas contra simoniacos in beneficio, vt Papæ dixi in tractatu de simonia.

DVB. VIII.

An Vicarius temporalis Parochi, seu Vicarij perpetui possit suam facultatem, & potestatem quam habet ex commissione, & ratione Vicariatus alteri demandare, seu delegare.

SVMMARIVM.

Delegare potest omnis suam iurisdictionem qui eam habet ordinariam: secus si eam habeat delegatam, nisi sit delegatus à Principe, num. 1.
Delegatus ad vniuersitatem causarum etiam non à Principe delegatus potest vnam, aut alteram causam delegare, num. 3.
Delegatus non à Principe ad certas causas non potest suo nomine subdelegare, bene vero nomine delegantis & quomodo, num. 4.
Delegatus etiam à Principe non potest subdelegare cum facultate subdelegandi, num. 5.
Delegatus inferioris à Principe non potest totam causam, sed vnum articulum, vt receptionem testium subdelegare, num. 6.
Ordinarius vt Parochus non potest inconsulto totam suam iurisdictionem in perpetuum delegare bene ad breue tempus, num. 7.
Parochus non potest abesse, nisi per duos aut tres menses cum licentia Episcopi, ibid.
Parochus an possit sibi assumere Vicarium ad longum tempus, num. 7. & 8.
Vicarij temporales quatuor modis constitui possunt, num. 9.
Vicecurati ab Episcopo constituti, & à Parocho (casu quo illum possit constituere) potest vnam, aut alteram causam delegare, non vero totam curam, nisi sit in consuetudine positum, num 10.
Delegati subdelegare possunt vbi est in consuetudine positum, ibid.
Vicarij, seu Vicecurati qui possunt vnam aut alteram causam subdelegare, non possunt subdelegato dare facultatem subdelegandi, possunt tamen suo subdelegato dicere do facultatem, v. g. assistendi matrimonio Sacerdoti quem in delegauerit, num. 11.
Vicarius constitutus à Parocho præsente, an possit vnam aut alteram causam delegare, num. 12.

1 Solutio huius quæstionis pendet ex illa quæstione videlicet quinam possint delegare, vel subdelegare suam iurisdictionem, de qua latè Coninch. *disp. 8. de ministro Pœnitentiæ, dub. 4.* & latius Sanchez *lib. 3. de matrimon. disp. 3. per totam*, & dixi, *vbi de ministro Pœnitentiæ, & in matrimonij materia cap. 9. dub. 5. circa quod breuiter.*

2 Dico primo, ij omnes possunt suam iurisdictionem delegare, qui eam habent ordinariam. Patet, *cap Cum Episcopus de off. Ord in 6.* sub quibus comprehenditur Vicarius Episcopi, vt docet Coninch *sup. dub. 4. cit. num. 23.* cum Sanchez *lib. 3. disp. 19. num. 15.* Contra verò qui solum habet iurisdictionem delegatam non potest eam subdelegare, nisi sit legatus summi Principis, qualis in rebus sacris est solus Summus Pontifex, constat *ex cap. Cum causam 62. de appellat. & cap. fin. de off. delegati in principio.* Ratio horum est, quia Ordinarius habet iurisdictionem propriam, & officio commensuratam, quare potest eam exercere omnimodo, quo officium exerceri postulat. At legato non committitur totum ipsum officium, sed tantum aliqua eius pars, ideoque habet iurisdictionem restrictam ad certam functionem, v. g. ad ferendum iudicium ad hæc, vel illa Sacramenta ministranda, vel hanc, aut illam causam terminandam, quare non potest ea iurisdictione aliter vti, nisi ei expressè concedatur. Legato autem summi Principis conceditur, vt possit subdelegare: aliis verò legatis non est concessum, patet *ex dict. cap. Cum causam.*

3 Dico secundo, delegatus ad vniuersitatem causarum potest subdelegare, etiam si non sit delegatus à Summo Principe, vt cum multis tenet Sanchez *lib. 3. disp. 31. num. 2. & 5.* aitque communem sententiam, qui *num. 4.* explicat, quid intelligatur per delegatum ad vniuersitatem causarum, circa quod placet nobis explicatio Coninch *dict. disp. 8. dub. 4. num. 25. 26. & 27.* Nempe quando alicui committitur officium aliquod, cui annexa est iurisdictio, vt si quando alicui committitur etiam ad tempus Vicarium officium Pastoris absentis, aut Vicaria gubernatio vrbis, aut proconsulis; ij enim possunt, & si non omnes, vnam aut alteram causam delegare, quia reputantur Ordinarij.

4 Dico tertio, nihilominus tamen delegatus inferioris Principis non ad vniuersitatem causarum, sed ad

ad certas tantum causas, etiam si nomine suo non possit subdelegare; potest tamen nomine Ordinarij delegantis, quando scilicet Ordinarius delegans concessit illi subdelegandi facultatem, vt cum multis tenet Sanchez *sup. disp.* 31. *num.* 6. Quia tunc non videtur ipse delegatus subdelegare, sed Ordinarius delegans, ad quod, ait Sanchez, sufficit tacita licentia Ordinarij, quod contingit, quando Ordinario sciente, & patiente, delegatus subdelegat, vel quando ex casu, & coniecturis sufficientibus apparet, id velle Ordinarius, vt docet Nauarr. *in cap. Placuit de Pœnitent. num.* 71. Non tamen poterit Ordinarius concedere facultatem subdelegandi nomine ipsius delegati, sic dicens, *Subdelega nomine tuo*; quia potestas subdelegandi non potest fundari in persona delegati, sic Sanchez *sup. num.* 8. cum Felino, *cap. Super quæstionum §. Si verò, num.* 18. *verb. Limita, de off. delegati.*

5 Dico quartò, nullus delegatus etiam Principis potest delegare sub facultate subdelegandi, quia non habet iurisdictionem ordinariam, & ex alio capite nullibi reperitur in iure talis potestas, Sanchez cum multis *sup. num.* 9.

6 Dico quintò, delegatus inferioris à Principe ad vnam causam non potest totam illam, seu articulum iurisdictionem continentem delegare; potest tamen articulum, qui nudi ministerij est, qualis est nuda receptio testium, de quo latè Sanchez *sup. num.* 10.

7 Dico sextò, Ordinarius nequit totam suam iurisdictionem, inconsulto delegare in perpetuum, vt cum multis tenent Sanchez *sup. num.* 11. Potest tamen ad breue tempus, idem Sanchez *dict. num.* 11. vnde colligit, Parochum inconsulto Episcopo non posse in perpetuum alteri curam demandare, posse tamen ad breue tempus ex aliqua iusta causa, per breue tempus intelligitur spatium trium hebdomadarum per *cap. Si quis in clero 7. quæst.* 1. quod non possit in perpetuum probatur, quia non potest per Vicarium deseruire Ecclesiæ, vt habetur expressè *cap. Extirpanda, §. Qui verò, de præb.* nec potest id consuetudine obtineri, vt docet Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 4. cum Abb. *in dict. cap. Extirpanda.* Probatur etiam *ex cap. Cum eo, de elect. in* 6. vbi dispensatur, quod per septennium Parochus studij causa possit à sua parochia abesse, dummodo Episcopus curet, vt eo septennio durante per Vicarios ab Episcopo designatos cura administretur. Et Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 1. decreuit, Parochus non posse abesse, nisi per duos, aut tres menses, & id ex licentia Episcopi, & relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbando. Ex quibus patet per longum tempus, vt per spatium duorum mensium non concedi, posse parochum assignare Vicarium, & sic intelligendi sunt, qui dicunt absolutè, non posse Parochum, curam animarum alteri committere.

8 Aduerterem tamen (si mihi liceat aduertere) iura quæ prohibent Parocho, sibi assignare Vicarium in perpetuum, seu ad longum tempus, inconsulto Episcopo, loqui quando ex tali assignatione Vicarij, Parochus à se abdicat curam, & totam in Vicarium transfert, ita vt Parochus nullo modo inseruiat curæ: non verò quando Parochus retenta cura, & actualiter ei inseruiens assumit sibi Vicarium tanquam coadiutorem, eo quod populus est numerosus, & ipse solus non sufficit ad ei inseruiendum iuxta dispositionem Tridentini *sess.* 21. *cap.* 4. dummodo non in perpetuum, seu ad titulum Parochus ei conferat curam animarum, sed ad tempus cum limitatione. Facit Cardinalium declaratio in dict. cap. Trident. *Potest Parochus sibi alium Presbyterum ad curam animarum adiutorem accipere, modo sit ab Ordinario approbatus.* Et cum Domini Cardinales non limitent tempus, nec expostulent licentiam Ordinarij (modo sit ab eo approbatus) colligitur ex dicta declaratione, posse Parochum absque licentia Episcopi sibi coadiutorem assumere ad longum tempus, dummodo non in titulum seu in perpetuum assumat illum. Facit etiam quod dicit Sylu. *excommunicatio 7. excommunicatione* 19. *dub.* 12. *num.* 40. his verbis: *Parochialis qua tamen simplex sit ei cura commissa, in adiutorium curæ potest ad tempus Sacerdotem Religiosum, vel alium sine alicuius superioris licentia assumere, qui eum adiuuet ad Sacramenta ministranda.* Vide quæ diximus *hoc cap. dub* 3. *verb. Quod limita.* Quod autem *cap. Extirpanda de præb. cap. Cum ex eo de elect. in* 6. & Trident. *sess.* 23. *cap* 1. loquuntur de constitutione Vicarij quando ei tota cura demandatur, non inseruiente Rectore, vt patebit legenti: quia loquuntur, quando absens est Rector, vel studij, vel alia iusta causa absens inseruire non potest; in tali ergo casu absens Rector non potest sine licentia Episcopi substituere Vicarium ad longum tempus: bene verò ad breue tempus, vt trium hebdomadarum. In hac tamen re standum est consuetudini scitæ, & approbatæ; nam si Ordinarij sciunt suos Rectores per vnum, aut duos menses abesse à suis Ecclesiis, constituendo in ipsis Vicarium tempore absentiæ, videntur id concedere, & approbare.

9 Vt autem propositæ principali quæstioni respondeamus, claritatis gratia est aduertendum, Vicarios Parochorum variis modis posse constitui. Primo constituuntur ab Episcopis in parochiis subiectis immediatè ipsis Episcopis carentibus particulari Rectore, eo quod ipsi Episcopi sint earum Rectores, & Parochi totius Diœcesis, vt contingit Hispali, Cordubæ, Granatæ, & in aliis Diœcesibus, in quibus non existunt beneficia curata, de quo Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 31. *num.* 53. Secundo constituuntur etiam ab Episcopis in Ecclesiis habentibus proprium Rectorem, in absentia tamen illius, vel parochiali vacante. Tertio, constituuntur ab ipsis Episcopis, in parochia tamen habente Rectorem in adiutorium illius, quibus Vicarij Episcopi conceduntur facultatem regendi curam plenam, & absolutam, & independentem à licentia Parochi. Quarto, possunt constitui ab ipsis Parochis, & hoc duplici modo, vel hoc in absentia Parochi ad breue tempus, modo sup. explicato, vel in præsentia Parochi in adiutorium eius, & in parte solicitudinis, his positis.

10 Dico septimò, Vicarij, seu Vicecurati ab Episcopo constituti in parochialibus nullum præter Episcopum habentibus Rectorem possunt vnam, aut alteram causam delegare alteri, vt audire confessiones, vel assistere matrimonio. Idem dic de constituto ab Episcopo secundo, & tertio modo; tum etiam ab ipso Rectore in absentia ipsius Rectoris, casu quo illi concessum est, posse Vicarium constituere, modo sup. explicato, ita tenet Sanchez *sup. disp.* 31. *num.* 13. cum Angelo, Syluest. Nauar. & aliis, & Henriquez *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 3. *lit N.* & Manuel Sà *verb. Sacramentum, num.* 6. Ratio est, quia ij sunt delegati ab Ordinario ad vniuersitatem causarum officij parochialis in tota parochia; tales autem delegati possunt vnam, aut alteram causam subdelegare, vt dictum est *conclus.* 3. *num* 3. & tenet Gloss. *Clem.* 1. *de priuileg. verb. Presbyteri*, quod procedit, siue tales Vicarij, seu Vicecurati ad longum, siue ad breue tempus fuerint constituti, vt bene Sanchez *sup. num.* 14. contra Syluest. *verb. Vicarius, numer.* 8.

nam

nam & si ad breue tempus fuerint constituti, sunt vere delegati (vt supponimus) ad vniuersas causas. Attamen & si ij vicarij, seu viceceurati ad vniuersitatem causarum delegati possint vnam, aut alteram causam delegare; non tamen possunt omnem curam, etiam ad modicum tempus dum absunt, delegare, quia delegatus ad vniuersitatem causarum tantum potest vnam, aut alteram causam delegare, vt tenet Sanchez *supra num.* 15 & dictum est *conclus.* 3. *num.* 5. & docet S. Thom. *Quolibet* 12. *artic.* 33. vbi dicit: Vicarium non posse totam suam potestatem, sed solum partem delegare. Hoc tamen limita, nisi consuetudo esset, vt ij vicarij, seu vicecurati, dum ad breue tempus absunt, substituant alterum submoinistratorum Sacramenta in ipsa parochia, nam Episcopus vicecuratos instituens, & conscius talis consuetudinis, & tacens, videtur tacitè dare facultatem ad dictam substitutionem, vt docent Syluest. *verb Vicarius, quaest.* 5. Barbosa *de off. & potestat. Parochi, cap.* 17. *num.* 38. *cap.* 19. *num.* 38. cum Squillan. *de priuileg. Cleric. cap.* 2. *num.* 35. & Nauarr. *cap. Placuit, de poenitent. num.* 71. vbi hanc appellat licentiam tacitam, quando ex vsu ita apparet, & Medina *tractatu* 2. *de Confessione, quaest. de licentia Vicecurati*, hanc consuetudinem vbique obseruari, vt vicecurati ad tempus absentes delegent alicui, Sacerdoti Sacramentorum ministerium. Et confirmatur, quia stante consuetudine, vt delegati delegent possunt delegare, vt habetur expresse *l. cum praeter* 12. *verb. Item y, quibus*, & ibi DD. *ff. de iud.* vide Bettach. *in repertorio lit. D. verb. Delegatus subdelegat. post principium*, & Sanchez *supr. num.* 15. *qui num.* 16. infert, hunc substitutum à Vicecurato, vbi est consuetudo, vt talis curatos dum abest, substituat ad vniuersam Parochiae curā posse delegare licentiam assistendi matrimonio, aut ministrandi aliud Sacramentum, quia est delegatus ad vniuersitatem causarum, & non censetur delegatus illius Vicecurati, is enim non poterat delegare sic, sed est delegatus ipsius Ordinarij scientis, & patientis ipsam consuetudinem, quae scientia, & patientia est quaedam tacita licentia, vt dictum est. Vide Ioan Vslero *In differentiis vtriusque fori, different.* 3. *num.* 6. *verb. Iurisdictio*, & Ioann. Capeauillam *in tractatu de modo administrandi Sacramenta tempore pestis.*

21 Dico octauo, Vicarij, seu Vicecurati delegati ad vniuersitatem causarum, quamuis possint delegare aliquam partem, verbi gratia, licentiam assistendi matrimonio, vel ministrandi aliquod Sacramentum, vt dictum est *conclus.* 7. Non tamen possunt illi subdelegato facultatem iterum delegandi, seu dare licentiam, vt possit illi concedere alteri Sacerdoti facultatem assistēdi matrimonio, quia vt supradictum est, nullus delegatus potest delegare cum facultate subdelegandi, Sanchez *supr. num.* 17. Attamen esto is delegatus non possit delegare cum facultate subdelegandi; potest tamen suo delegato dicere, ex nunc ego do facultatem, verbi gratia, assistendi matrimonio Sacerdoti quem tu designaueris, ita Sanchez *sup. num.* 18. quia tunc ipse delegatus non facit gradum, nec censetur delegare, sed censetur nudus minister principalis delegantis.

22 Dico nono, quando Parochus residens, & praesens assumit Vicarium locantem operas suas, vt illum adiuuet, hic vicarius non potest delegare, quia Parochus, seu Rector non censetur illi plenas suas vices committere. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 3. *litt. N.* Facit Nauarr. *cap. Placuit, de poenit. dist.* 6. *num.* 69. vbi dicens Parochi Vicarium posse delegare, loquitur de Vicario in absentia Parochi constituto. Ita Sanchez *supra num.* 19. Barbosa *de offic. & potestat. Parochi, cap.* 17. *num.* 38. cum Squillan. *de priuileg. cleric. part.* 2. *num.* 34. Quod quidem verissimum iudico quando Parochus praesens huic vicario, suoque coadiutori non demandauit totum officium vicarij, nec commisit plenariè totas suas vices, & facultatem, quia sic non est delegatus ad vniuersitatem causarum. At si Rector tali Vicario totas suas vices commiserit, non video cur Vicarius iste ab ipso Rectore constitutus tanquam ipsius coadiutor, non possit vnam aut alteram causam delegare, cum sit ad vniuersitatem causarum delegatus ab habente ordinariam iurisdictionem. Et quidē delegatus, vt latè docet Sanch. *per totam disp.* 31. *cit.* potest ad vnam aut alteram causam delegare, & parum facit ad praesens, quod sit delegatus à Parocho absenti, vel praesenti, quia ad subdelegationem quod requiritur secūdùm Sanchez est, quod sit delegatus ad vniuersitatem causarum, ad quod facit sententia Emanuelis Sà *verb. Sacramentum, n.* 6. his verbis, cui generaliter committuntur omnia exercenda in Parochia potest dare alteri Sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta, approbato tamen ab Ordinario, & facit Coninch *disput. de ministro Poenitentiae dub.* 4. *num.* 30. his verbis. Sequitur tertio, hoc ipso quod aliquis, siue ab Episcopo, siue à Pastore aegroto, aut peregrinante, etiam ad certum tempus Vicarius in pastoratu constituitur, eum posse alteri Sacerdoti approbato subdelegare facultatem audiendi confessiones, nisi sit ei prohibitum. Et ratio est, quia demandatur ei non nuda potestas, sed officium. Secus (ait) est de his quos pastor assumit, vt eum in audiendis confessionibus adiuuent, quis iis demandatur nuda potestas audiendi confessiones. haec ille. Vbi assignat rationem quare hic vltimo modò designatus, videlicet quia nuda potestas est ei demandata, & particularis; ergo si plenaria fuerit ei concessa, & totum officium demandatum potuisset subdelegare, vt docet ipse de pastore aegrotante, & non distinguit de pastore praesenti, vel absenti; ergo si taliter delegare licet vicario, seu vicecurato absente pastore, seu Parocho, idem ei licebit praesente pastore delegante, proindéque existimo hanc sententiam valde probabilem, & tutam.

DE

DE OBLIGATIONE ASSISTENDI, ET CANENDI IN CHORO,

vt quisque suæ obligationi satisfacere possit, & distributiones mereatur accipere.

DVB. I.

Vtrum clerici, aliique choro deputati, non solum diuinis officiis in choro interesse, & ibi recitare, verum etiam canere teneantur, vt chori obligationi satisfaciant, & distributiones possint percipere quotidianas.

1 AD intelligentiam suppono primo. Quando officinm canonicum pro vso fidelium in Ecclesia recitatut, necessarium esse vt illud alta voce proferatur. Ita communis DD. cum S.Thom. 2.2.q.83.*art.*12.vt testatur Suatez 2.*tom. de religione lib.*4. *cap.*7. *num.*7. Quod probatut primo vsu, & consuetudine Ecclesiæ. Secundo ratione, quia finis huius orationis publicæ est, vt fideles illam audiant, & percipiant, & per illam ad deuotionem, petitionem, vel laudem Dei excitentut: ad quem finem necesse est, vt ab eis percipi possit, & consequenter, vt alta voce recitetur, & proferatut.

2 Suppono secundo, sanctissimam esse consuetudinem, vt horæ canonicæ cum cantu, & psalmodia in Ecclesia dicantut. Quod ita certum est, vt iure optimo Suatez *vbi supr. num.* 9. existimet esse de fide, vt consuetudo, & traditio Ecclesiæ satis confirmat, & declarauit Trid. *sess.*23.*cap.*8. habetque maximum fundamentum non solum in veteri testamento, *Exodi* 15. & 2. *Reg.*7. verum etiam in nouo, *Matth.* 28. vbi Christus post cœnam hymnum cecinisse fertur, iuxta Chrysost. *hom.* 83. *in Matth.* dicentem: *Hymnum cecinit, vt nos similiter faciamus.* & Paul. *ad Coloss.* 3. fideles cohortatur, ad cantandum Psalmos, & Hymnos Deo. Ortum habuit hæc consuetudo ab initio nascentis Ecclesiæ, tam in Oriente, quam in Occidente, vt ex Conciliis, & Patribus, probat Suarez *loco cit. num.* 10. ad quem breuitatis gratia vos remitto. Ratio est, quia etsi cantus ex se res sit indifferens, honestatem tamen acquirit ex fine honestissimo, & sancto, ad quem dirigitur. Cantus enim in choro ad Dei cultum dirigitur, audientes ad maiorem animi deuotionem excitat, canentium vires recreat, mentem ad Deum eleuat, tristia corda consolatur, & vt inquit Isidor. *lib.* 3. *sentent. cap.*7. gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, & peccatores ad lamenta inuitat. Et D.Thom. 2. 2 *quæst.* 91. *art.* 1 *ad* 2. & *art.* 2. ait, cantum in diuinis laudibus merito fuisse institutum, vt animi infirmorum ad deuotionem excitarentur. Addit *in eo. art.* 1. cantum ad hoc fuisse ordinatum, vt homo occupatus in laudibus Dei, ab iis, quæ sunt cõtra Deum, retrahatur iuxta illud Isai. 48. *Laude mea infranabo te, ne intereas.* Plura vide apud Suarez *vbi supr. num.* 11. Ideò Dominus meus Don Ioãnes à Ribera Patriarcha Antiochen. & Archiepiscopus Valentiæ capellam Corporis Christi fundauit, & amplissimè ex bonis propriis dotauit, assignatis pinguibus distributionibus capellanis pro singulis horis, vt sint occupati in diuinis laudibus, & diuino officio persoluendo attentè, deuotè, & pausatè; & vt sint exemplo aliis, vt etiam similia faciant.

3 Aduerte, in Ecclesia Catholica duplicem cantum esse in vsu, & consuetudine: alter dicitur cantus simplex, seu planus, qui vulgo dicitur *Canto llano*: alter vero est cantus, qui dicitur organicus, seu figuratus, qui vulgariter nuncupatur *Canto de organo.* Igitur non solum licitus, & honestus est cantus simplex, vt dictum est, *in* 2. *suppositione*; sed etiam cantus figuratus, & organicus permissus, & licitus est in missa, & aliis officiis diuinis, modò decenter, & decora modulatione fiat, vt late probat Suarez *vbi supr. c.*8. *num.* 2. nulla enim in hoc cantu per se spectato, intrinseca deformitas reperitur contra decentiam clericorum, vel contra sanctitatem officiorum: imo experientia constat, vbi cum debita moderatione, & grauitate fit, maiestatem diuinorum officiorum condecorare, & audientium animos ad reuerentiam, & deuotionem excitare. Atque adeo communiter ab Ecclesia approbatur.

4 Nec obstat Extrauagan. vnica, *de vita, & honest. clericorum* inter communes Ioann. XXII. nam ibi solum prohibetur indecens modus, & indecora modulatio, non solum turpis, sed etiam illæ, quæ fiunt cum gestibus, aut motibus indecentibus; vel quæ ratione vsus prophani, aut propter modum peculiarem flectendi vocem, aut melodiam quærendi prophanas cogitationes, aut indecentes motus excitare solent: quamobrem dixit Innoc. *libr.* 1. *de mysteriis Missæ*, *cap.* 2. debent cantores consonis vocibus, & suaui modulatione concinere, quatenus animos audientium ad deuotionem Dei valeant excitare. Similiter moderatus vsus instrumentorum musicorum, verbi gratia, organi, & similium, nec indecens, nec prohibitus est ab Ecclesia, sed honestus, & licitus, vt patet ex vsu, & praxi Ecclesiæ, quæ huiusmodi instrumentis non vteretur, si illicitus, & peccaminosus esset ipsorum vsus. Nec

Nec obstat, quod in facello, seu capella Pontificia non recipiantur huiusmodi instrumenta; nun enim non recipiuntur, quia illorum vsus prauus sit, sed fortasse quia iudicata fuit res non tam grauis, aut necessaria, vt bene Suarez *dict. cap. 8. num. 5.* Filliuc. *tract. 23. cap. 3. num. 120.* & Bonacina *de horis can. disp. 1. quaest. 1. punct. 3. num. 1.* Nec obstat quod aliqui inde turpem capiant delectationem, nam hoc ipsorum culpae, & malitiae adscribendum est. De organorum vsu, vide Caiet. *in sum. verbo organorum vsus*, & de eius antiquitate, vide Stephanum Durantum, *lib. 1. de ritib. Eccles. c. 13.*

5 Suppono tertio, munus canendi publicè horas canonicas ad Ecclesiasticas personas, seu peculiares Ecclesiae ministros, per se loquendo, pertinere, vt constat ex vsu Ecclesiae, & ex multis Conciliis probat Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 9. num. 2.* Non tamen adeò proprium est clericis, Ecclesiasticisque personis hoc ministerium, quin ad canendum in choro non possint laici adhiberi; quia officium, & ministerium psalmistae, seu cantoris, non exigit clericatum, vt patet ex vsu, & consuetudine Ecclesiae: & ex Concil. Carthagin. 4. *cap. 10. c. psalmista d. 23.* vbi absolutè dicitur: *Psalmista (id est cantor,) potest absque scientia Episcopi sola iussione presbyteri officium cantandi suscipere, dicente sibi presbytere, vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes.* Nullum enim ios, aut consuetudo in contrarium extat. Ideò dixit D. Thom. *in 4. distin. 24. quaest. 2. art. 1. quaest. 2. ad 5.* Cantor non est nomen ordinis specialis, tum quia cantare pertinet ad totum chorum, tum quia non habet specialem relationem ad Eucharistiae Sacramentum; tum quia officium est quoddam, quod inter ordines largo modo acceptatos computatur quandoque. Hinc est, vt olim monachi, qui laici erant, & non clerici, & vt nunc etiam moniales canant in choro officium diuinum. Bonacina de horis canonicis *disp. 1. quaest. 1. punct. 1. n. 8.* Filliuc. *tractat. 23. cap. 4. quaest. 1.* & latius Suarez *dict. cap. 9. à num. 2.*

6 Suppono quarto, dari in Ecclesia praeceptum recitandi horas canonicas publicè in choro. Colligitur apertè *ex cap. vltim. distinct. 19.* vbi quilibet clericus Ecclesiae deputatus deponendus dicitur, si in Ecclesia non venerit ad psallendum quotidianum officium. Idem colligitur *ex cap. 1. de celebrat. missarum, & ex cap. dolentes eodem titul.* ibi. *Districte praecipimus.* Et ratio esse potest, quia officium diuinum institutum est, vt caneretur publicè in Ecclesia, non pro solis clericis, sed pro populo, & pro bono communi Ecclesiae. Huiusmodi autem praeceptum impositum esse Ecclesiae ministris, & clericis, constat ex cap. cit. praecipuè *ex cap. vltim. distinct. 91.* ibi enim sermo est de presbytero, diacono, vel quolibet clerico Ecclesiae deputato. Filliuc *tractat. 23. cap. 4. num. 118. & 129.* Bonacina *de horis canonicis disput. 1. quaest. 1. puncto 1. num. 1.* & fuse Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 10. num. 2.* & alij infra citandi. Clerici igitur Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum tenentur ad recitandum, & canendum officium diuinum in choro singulis diebus, *ex cap. vltim. distinct. 91.* & habetur expressè Clementina 1. *de celebrat. missar.* & ita sentiunt Syluest. *verb. hora. quaest. 10.* & alij Summistae *eo. verb.* Filliucius *supr. num. 129.* & cum aliis Suarez *loco citat. num. 3.* & comprobat vniuersalis Ecclesiae consuetudo. Ratio est, quia hae sunt principales Ecclesiae in hunc finem institutae hoc tamen limita, nisi aliud ferat consuetudo legitimè praescripta, quae secundum Nau. *de orat. cap. 21. num. 101.* quem sequitur Filliuc. *vbi sup.* debet esse immemorialis. Etsi Bonacina *sup num. 4.* cum Suarez admodum probabiliter existimet sufficere tempus ordinariò requisitum ad praescribendum contra Ecclesiam. Ratio limitationis est, quia consuetudo derogat iuri communi, ex rationabili praelatorum tolerantia, dictat enim ratio esse minuendum onus vbi stipendium est tenuissimum. Limita. 2. nisi aliud ferat Ecclesiae institutio; nam si collegium canonicorum institutum est cum onere diuini officij aliquoties solum in hebdomada vel mense recitandi, certum est canonicos iis solum diebus teneri ad chorum conuenire. Clerici autem Ecclesiarum, quae non sunt Cathedrales, vel collegiatae, non tenentur ad diuinum officium in choro publicè recitandum, quia de iis in iure non extat obligatio Bonacina *supr. num. 7.* vnde in Ecclesiis, quae non sunt Cathedrales, vel Collegiatae, standum est eorum institutionibus, aut consuetudini rationabilites, & legitimae praescriptae de quo Nau. *de orat. cap. 5. dicto 2. & 5.* Suarez *dict. cap. 10. num. 4. 5. & 6.*

7 Aduerte, Bonacinam *de horis canonicis disp. 1. q. 1. punct. 2. n. 1.* cum Suarez *tom 1. de relig. lib 4. cap. 10. n. 17. & c. 13. n. 5.* Garcia *de beneficiis. 3. part. cap. 2. n. 321.* & aliis, canonicos, qui iuxta superius dicta ad chorum conuenire tenentur, vt diuinum officium publicè persoluant, peccare mortaliter si vltra tempus à Concilio Trid. *sess. 24. c. 12.* permissum notabiliter absque causa absint à choro; vt per vnum diem, secundum sententiam Suarez *in dict. c. 13. n. 9* vel per tres, aut quatuor dies, secundum Bonacinam *dicto punct. 2. n. 2.* Id probat primo, quia omittentes diuinum officium in choro, deponi praecipiuntur, *c. Clericus dist. 91. & c. Si quis presbyter, dist. 92.* depositio autem supponit grauem culpam. Quinto, quia residentia ideo obligat beneficiatum (suppone beneficium requirere residentiam) in choro, vt diuinis officiis intersit, & canonicas preces cum aliis persoluat: beneficium enim datur propter officium. Canonicus enim, vt Bonacina *vbi sup. n. 1.* non solum accipit beneficium vt priuatim recitet, verum etiam vt cum aliis in choro cantet: vnde ad officium canonici spectat, non solum priuata, verum etiam publica canonicarum precum decantatio. At Angelus *verbo hora, n. 2.* Sylu. *eo. verb. q. 2.* Caiet. *ibidem, §. 3.* Nau. *c. 5. de orat n. 14.* Reginaldus *lib. 18. n. 176.* & Antoninus Diana *tract. 12. de horis canon. resolut. 31.* affirmant huiusmodi canonicum, qui vltra dictum tempus permissum, à choro abest, non peccare mortaliter, sed tantùm venialiter, si voluntariè, & absque causa absit, cum causa nullum esse peccatum. His tamen concurrentibus, primo, vt priuatim officium recitet: secundo, ne propter ipsius absentiam officium in choro dimittatur, aut modo ipsius praesentia necessaria non sit ad diuinum officium persoluendum, vt si ipso recedente, quatuor saltem in choro non remaneant: tertio, vt non accipiat vllo modo distributiones interessentibus debitas: quarto, vt absit contemptus, aut praelati praeceptum. Quibus concurrentibus, existimo hanc sententiam tutissimam, quae videtur, vt ait Filliuc. *tract. 23. cap. 6. num. 107.* fere in praxi multorum vsu confirmata; multi enim prudentes, & timorati, & circa propriam animae salutem solliciti, nullum sibi scrupulum faciunt dum à choro absunt, animo amittendi distributiones, & cum hoc temperamento videntur iura supra citata vsu recepta, sicque manet soluta ratio Bonacinae. Idem

eodem

eodem modo dicendum de beneficiariis Cathedralium, Collegiatarum, & non Collegiatarum, quando ratione beneficij, aut stipendij, iuxta superius dicta, tenentur conuenire, & simul dicere matutinum, aut aliquas horas, aut omnes; vel missam canere in choro, vt docent Nauarr. & Reginaldus *supra* eadem enim militat ratio: quia verbum conuenerint, *in dicto cap. vltim. distinct.* 92. de omnibus verificatur: vnde eodem modo obligantur, & deobligantur.

8 Demum nota, omnes personas, quæ in choro reperiuntur, eique inseruiunt, ad quatuor genera reduci posse; vel enim sunt canonici, aut dignitatem habentes, vel simplices beneficiarij, vel musici, seu cantores ad canendum cantu figurato certa mercede conducti; vel denique quidam ministri, qui seruitio chori sunt deputati, & occupantur in rebus necessariis ad diuinum officium debitè peragendum, vt sunt, qui organa pulsant, libros ad chorum deferunt, componunt, & ordinant, & in choro incensant. His positis, sit.

9 Conclusio prima. Canonici, beneficiarij, cæterique omnes seruitio, & officio chori deputati, ex vi iuris communis tenentur canere alta voce partem suam, iuxta vsum Ecclesiæ, & cuiusque capacitatem, cantu simplici, vt chori obligationi satisfaciant, & distributiones quotidianas in conscientia percipere possint, nisi fundatione, priuilegio, aut consuetudine legitimè præscripta excusentur. Hæc conclusio adeò certa, & vniuersaliter ab omnibus approbata est, vt nulla indigeat probatione. Nihilominus tamen, quia humana fragilitas, & diaboli calliditas solet aliquas excusationes excogitare, illam breuiter probabimus, simul, & declarabimus.

10 Probatur primo ex iure communi, & primo *ex cap. vlt. dist.* 92. vbi dicitur, vt ad quotidianum Psallendi officium in Ecclesia conueniant clerici, qui tali Ecclesiæ deputati sunt. Conuenire autem ad officium psallendi, intelligitur formaliter, id est ad psallendum cum psallentibus, id est, ad cantandum alta voce; psallere autem is non dicitur, qui non cantat, aut qui tantùm submissa voce recitat, vt magis in 2. concl. & non materialiter tantum, id est vt tantum conueniant ad locum in quo psallitur, ibique tacentes assistant: nam hoc non est conuenire ad psallendum, sed ad audiendum. Secundo probatur ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. vbi loquens de habentibus in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis dignitatem, canonicatus, præbendas, aut portiones, ait: *Omnes diuina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti assistere, & inseruire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distinctéque laudare.*

11 Secundo probatur auctoritate omnium ferè Doctorum, qui de hac re tractant, quos in 2. conclusione referemus, ne iterum repetantur, qui id expresse affirmant: & potest probari auctoritate negante: nullus enim dixit, solam in choro assistentiam sufficere ad satisfaciendum chori obligationi, secluso priuilegio, fundatione, aut consuetudine approbata, vt clarius infra constabit.

12 Tertio probatur ratione fundamentali, & à priori. Reditus Ecclesiastici, & distributiones quotidianæ præcipuè dantur supradictis personis, vt choro, inseruiant, vt constat ex iuribus citatis, & ex Clementin. 1 *de celebrat. Missarum*; sed qui non canunt, non seruiunt choro, nec implent officium suum; ergo peccant ex genere suo mortaliter contra iustitiam, cum obligatione restituendi, vt dicetur. Non enim dantur distributiones canonicis, aut clericis, vt solum in choro assistant, sed etiam vt cantent, sicut non conducitur operarius ad vineam, vt ibi assistat, sed vt in ea laboret; nec parocho datur beneficium, vt sit præsens in sua Ecclesia, sed vt in ea ministret: præsentia namque non propter se postulatur, sed propter ministerium, alioquin quantum est ex vi muneris, omnes possent ibi adesse, & tacere, vel obmurmurare: nam non est maior ratio cur vnus, & non alius canere teneatur: quomodo ergo diuinum officium impleretur. Concludendum igitur est, dari obligationem canendi in supradictis personis, & cum non sit maior ratio de vno quam de aliis, dicendum est omnes teneri, alioquin vnusquisque excusari posset, quod non teneretur canere ratione sui muneris; ac proinde non esset diuino seruitio sufficienter prouisum. Suarez *tom.* 2. *de relig. libr.* 4. *cap.* 12. *num.* 9.

13 Hinc euidenter sequitur, eum qui choro assistit, & nullo modo canit, peccare mortaliter in materia notabili, vt dicemus dub. 2. quia delinquit in officio suo in re graui, & tenetur distributiones acceptas restituere, in materia notabili, & graui, sub mortali; in materia leui, sub veniali, sicut operarius vineæ ad eam colendam conductus, si non operatur in ea, & peccat, & tenetur denarium restituere. Ita omnes DD. citandi, peccat enim contra iustitiam commutatiuam. Suarez *sup. c.* 10. *num.* 20.

14 Dixi in conclusione, ex vi iuris communis, nisi fundatione, priuilegio, aut consuetudine præscripta excusentur; nam si in fundatione cautum sit, vt sola assistentia sufficiat ad lucrandas distributiones, certum est assistentes ibi, & non canentes, licitè posse percipere eas. Similiter si à Pontifice habeant ad id priuilegium, vel si consuetudine, legitimè præscripta, sit introductum, vt per solam assistentiam moralem possint lucrari distributiones, vt de quibusdam canonicis infra dicetur. Bonacina cum aliis *disp.* 1. *de hor. can. quæst.* 5. *puncto* 2. §. 1. *num.* 18. vide Suarez *dict. cap.* 12. *à num.* 11. Dixi, cantu simplici: quia ad cantum figuratum omnes non tenentur, sed solum illi, qui ad hoc specialiter conducti sunt, eo quod cantus figuratus non est in Ecclesia necessarius, nec ab ea impositus sub præcepto. Bonacina *disput.* 2. *de hor. can. quæst.* 1. *puncto* 3. *num* 4. & Moneta 2. *part de distribut. quæst.* 2. *num.* 5. qui etsi solùm loquuntur de canonicis, praxis & vsus Ecclesiæ demonstrat esse ad omnes beneficiatos extendendum.

15 Secunda conclusio. Canonicus, vel clericus in choro assistens, quia attentè audit alterum chorum canentem, ipse verò non canit, sed suam partem submissa tantum voce recitat, satisfacit quidem obligationi priuatæ recitandi diuini officij, ratione ordinis sacri, vel beneficij. Seruitio tamen, & obligationi chori minimè satisfacit, nisi suam etiam partem alta voce cantet: aliter peccat mortaliter, ex genere suo, cum obligatione restituendi distributiones. Ita Caiet. *in sum verb hora* § *vlt. & tom.* 1. *opusc tr. vlt. respons.* 8. Armilla *verb. hora n.* 12. Sot *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 4. Nau. *in man c.* 10 *n.* 47. *& cap.* 11. *n.* 43. *& c.* 21. *miscellanea.* 79. Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 11. *q.* 5. Bonac. *disp.* 1. *de hor. can. q.* 5. *punct.* 8. §. 1. *n.* 16. *&* 17. *& disp* 2. *q.* 1. *punct.* 3. *n* 1. Paulus Squilas 1. *part. dub.* 29. *n.* 60. Beja 1. *p. c.* 55 Graffius 1. *p. cap.* 52. Macignius. *cap.* 66. *n.* 3. *citati à Bonacina d. n.* 17. Reginald. *lib.* 18. *n.* 175. Filliuc. *tract.* 23. *c.* 6. *q.* 5. & fusè ac doctè Suarez 2. *tom. de relig. cap.* 12. *à num.* 5.

16 Prima pars probatur. Videlicet quod satisfaciat priuatæ recitationi, nam hic, qui suam partem submissè recitat,& attente alterum chorum canentem audit, integrum officium diuinum absque dubio persoluit, absque obligatione illud iterum repetendi. Ratio est, quia sic recitans communicat in parte sociorum communicantium sibi suam partem, quamuis ipse submissè recitans non communicet suam partem socijs. Sicut satisfacit priuatæ recitationi adhibens socium non habentem obligationem recitandi, recitans submissa voce, quamuis à socio non audiatur, vt frequenter facere solent viri timorati, ne fatigentur in recitando, vel vt magis ad deuotionem excitentur. Ita expressè Suarez *vbi sup.cap.*12.*num.*6. Petrus Nauarr *de rest. lib.*2.*cap.*2. *num.*216. Lessius *lib.*2. *cap.*34. *dub.*33. *num.*184. Filliuc.*vbi sup.num.*195. Nauarr. *de orat. cap.*10. *num* 47. & cum aliis Bonacina *dicto* §.1. *num.*16. Dixi attente: Nam si non attendat ad alterum chorum, seu ad alteram partem, certum est non recitare hunc integrè diuinum officium; quia attentio necessariò requiritur ad debitè diuinum officium persoluendum, vt docent communiter DD.& dicetur infra *dub* 3.

17 Secunda pars, nimirum, quod non satisfaciat seruitio,& obligationi chori, patet; quia cantando submissè,& non alta voce, non præstat munus, & officium chori, & personæ choro addictæ, vt probatum est in prima conclusione, & ita tenent expressè Suarez *dict cap.*12. *num.*8. *&* 9. Filliuc. *sup. num.*196. Bonacina *dict.*§.1. *num.*17. & DD. citati in hac 2. conclus. qui id à fortiori docent, quando choro deputatus, nec alta nec submissa voce suam partem recitat, quia sic nullo modo recitat, sicque nec priuatæ, nec publicæ recitationi satisfacit.

18 Tertia pars consequenter sequitur, nam si submissa voce in choro recitans, non præstat munus suum, nec seruitio chori, eiusve obligationi satisfacit, sequitur peccare contra iustitiam, accipiendo distributiones, quæ dantur assistentibus, cum onere, & pacto vt canant: qui enim non facit quod debet, non recipit quod oportet. Et ita tenent Rodrig.1. *part.sum. cap.*146.*num.*5. Suarez *d.cap.*12. *num.*10. Filliuc *num.*196.*citat.*Suarez *dict.cap.*12.*num.*10. & cum Nauarro, Lessio, & aliis, Bonacina *dict.* §.1. *num.*17. *vers. Hinc sequitur.* probabile tamen est, eum qui in choro suam partem submissè recitat, & alterum chorum attentè audit, etsi non lucretur totam distributionem, vt probatum est, lucrari tamen dimidias distributiones, vt tenent Suarez, Filliuc. Bonacina proximè citati, & Antoninus Diana *tract.*12. *de horis canonicis, resol.* 33. contra Azor. *sup.lib.*10.*cap.*11. Nauarr. & alios, quo pacto, inquit Bonacina, intelligenda sunt verba constitutionis Pij V. quæ incipit, *Ex proximo Lateranensi*, & habetur, *in* 2. *tom. bullary pag mihi* 147. in qua decernitur, vt canonicus qui non canit in choro, licet præsens adsit, fructus amittat, quos lucrifaceret, si cantasset. Ratio cur ita sint intelligenda (ait) est, tum quia partem sui muneris adimplet; ergo non videtur par, vt omnes fructus amittat; tum quia præfata constitutio non dicit, *qui non psallit*, sed *qui choro addictus non recitans omnibus horis canonicis, cum aliis præsens adsit.* Nihilominus tamen veriorem, tutioremque, ac tenendam, omnino existimo oppositam sententiam, cum Azor *vbi supr. quæst.* 5. vtpote conformiorem iuribus in prima conclus.citatis: distributiones enim quotidianæ chori non dantur, canonicis, aut beneficiatiis ratione solius præsentiæ, vt sæpè dictum, & probatum est, & latè probat Moneta nobiscum sentiens, cum aliis multis, *parte* 2. *de distributionibus quæst.* 1. *concl.*7.*num.*31.*& seqq.* sed ratione cantus in choro; at quod datur, ob causam, ea non sequuta minimè debetur. Et hoc videtur apertè colligi ex dicta constitutione Pij V. qui postquam designauit partem fructuum restituendam ab eo, qui priuatim non recitat, addit: *Tametsi aliquis choro addictus, non recitans omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructúsque, & distributiones fortè aliter assignatas, sola præsentia, iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat, is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem*, vbi notanda sunt illa verba: *Tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis, cum aliis præsens adsit.* Ex quibus apertè colligitur, solam in choro præsentiam sine recitatione non sufficere ad lucrandas distributiones; at recitatio in choro, seu per quam fit satis seruitio chori, debet esse cum cantu,& alta voce, eo quod sit publica, vt dictum est: quod etiam significant illa verba Pontificis, *choro addictus*, ergo de mente ipsius Pontificis, ad lucrandas distributiones in choro non sufficit sola assistentia sine recitatione, iuxta Ecclesiæ morem,& chori consuetudinem; aliàs recipiens distributiones tenetur eas restituere, denegat enim Pontifex fructus, & distributiones absolutè choro interessenti, & non recitanti, cum hac tamen limitatione, vt si extra chorum recitauerit officium diuinum, recipiat fructus tantum; si vero neque in choro, neque extra chorum, amittat fructus, & distributiones. Vnde non est audiendus Bartholomæus Medina *in* 1.*part.instruct.cap.*14.§.11.*fol.mihi* 85.*pag.*2. Cui consentire videtur Rodrig.1.*part. sum. cap.*145. *num.* 5. *in fine*, dicens: Canonicum qui domi recitat, si assistat in choro, ibique non cantet, non esse obligandum ad restitutionem omnium distributionum, sed ad partem aliquam, iuxta prudentis prudentiam; dicit enim canonicis dari distributiones non solùm propter cantum, sed etiam propter authoritatem, quam sua præsentia præstant in choro. Non inquam est admittenda hæc doctrina (seclusa legitima consuetudine, de qua statim,) quia expressè aduersatur sacris canonibus, Conciliis,& constitutionibus Pontificiis supra citatis. Nec fauet huic sententiæ Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.*2. *à num.*231. nam non loquitur absolutè, sed quando adest consuetudo, vt canonici cantent per capellanos, & mansionarios; & alia munera præstant in choro, vt officium hebdomadarij incipientes horam, cantantes capitulum,& orationem, tum etiam missam ordinatim: quod infra examinabitur A fortiori idem dicendum est de illis, qui nec submissè recitant suam partem in choro; sed tantùm ibi corporaliter adsunt, ij enim nullo modo vllas distributiones in conscientia lucrari possunt, vt dictum est, & tenent Bonacina *vbi supr. verb. imo nonnulli*, & latius Moneta *loco cit. à num.*31. nam ij vllo modo satisfaciunt seruitio chori.

19 Videamus iam, vtrum canonici, seu dignitates, qui choro assistunt, sed ex consuetudine officium per seipsos in choro non recitant, sed per mansionarios in Ecclesia existentes, muneri suo satisfaciunt, distributiones lucrari possint.

20 Nota, canonicum, aliumve beneficiatum, non posse alterum ad canendum in sui locum substituere, nisi ad id habeat priuilegium, aut id ferat approbata consuetudo; quia recitatio etiam in choro est actio personalis. Bonacina videndus *disputat.* 2. *de hor. canonic. quæst.* 1. *punct.* 4. *num.*2. cum aliis.

21 Nota

21 Nota secundo, in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus vsu receptum esse, vt dignitates, & canonici habeant capellanos substitutos, seu vicarios, quos vocant mansionarios, seu assisios, in quos distribuuntur certæ quædam portiones fructuum ex beneficiis canonicorum detractatæ, per quos substitutos ipsi canonici officium canendi, & psallendi in choro supplent: talis autem consuetudo non inuenitur in beneficiariis.

22 Quod ergo inquirimus est, an consuetudo supradicta excuset canonicos à cantu in choro, id est, an canonici, qui adsunt in choro, possint lucrari distributiones, quamuis non cantent si adsunt substituti stipendiis ipsorum canonicorum conducti, qui loco canonicorum id munus in choro præstant.

23 In hac re certum existimo, vbi est consuetudo, aut statutum speciale, vt ipsi canonici canant in choro, eos qui nõ canũt non lucrari distributiones, etiam si domi preces recitent, aut submissè in Ecclesia dicãt. Ita Sotus *lib.10.q.5.art.4.* Nau. *de orat.c.10. n.47.* Moneta *part.2. de distribut. q.1.n.28.* & communiter DD. citati, *in prima concl.* nam vt rectè ait Sotus, & sæpè diximus, distributiones non sunt constitutæ ob nudam præsentiam, sed vt cum aliis psallant, & diuinum officium decantent: maximè cum canonici ex sua institutione, & iure communi teneantur canere sub peccato mortali, vt tenet, & latè probat Garcia *de benefic. part.3. cap.2. n.513.* & Moneta *q.1.cit.* quo in casu meritò compelli possunt ab Episcopo, vt munus suum obeant, iuxta dispositionem Trid. *sess.24.cap.12.de reformat. § præterea*, de quo Moneta *sup. concl.2.& 3.*

24 Certum etiam mihi est, quando canonici non habent capellanos, seu mansionarios, ex fructibus eorumdem canonicorum conductos ad canendum pro seipsis in choro, vel si eos habent, aliquo tamen casu absunt, teneri per seipsos in communi psallere sub onere restitutionis: vt tenet Petrus de Nauarra *lib.2 de rest.cap 2.dub.3.n.204.* Bonacina *disp.1. de hor.canon.q.3.punct 2. §.1.num.19. vers.addo* & cum aliis Moneta *supr. concl. 5. 6. & 7.* nam tunc nec per alios supplent, sicque Ecclesia debito seruitio defraudaretur.

25 Certum denique est, casu quo canonici canere teneantur, non teneri canere cantu figurato, & organico, sed simplici, vt supra dictum est cum Moneta *sup.n 5.* & aliis, eo quod hic cantus non sit necessarius in Ecclesia nec sub præcepto; & ex alia parte, vt ait Moneta cum Nau. *lib.2.cap.2.dub.3.n.205.* non decet eorũ grauitatem illo genere cantus vti, sicque tenet vniuersalis tolerata, & approbata cõsuetudo.

26 Difficultas ergo est, vbi est consuetudo vt canonici per vicarios, seu substitutos conductos ex fructibus ipsorum beneficiorum, officium peragant, possint lucrari distributiones per solam præsentiam absque recitatione, & cantu.

27 Negant Moneta, *dicta quæst.1.concl.7.n 31.* Et Barbos. *de offic & potest. Episcopi tom. 3. allegat. 53. n.131.* vbi pro se quamplurimos Doctores citant, & inter alios Nauarr. *de orat.cap.10.n.47.cap.11.n.41. cap.13.num.17 & miscellaneo 79.* Probant hanc sententiam, primò ex constitutione Pij V. ex proximo Lateranen. *de qua supra* vbi in summa dicitur, si aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis, cum aliis præsens adsit, fructusque, & distributiones fortè aliter assignatas, sola præsentia, iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs, sibi lucrifecisse prætendat, is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem, graue peccatum intelligat se admisisse. Quo in loco Pontifex reprobare videtur quamlibet consuetodinem in contrarium, imò supponit illam tanquam irrationabilem, & iniquam. Secundò ex Concilio Trident. *sess.24 de reform.cap.12.* vbi Concilium (loquens de onere canonicorum, aliorumque beneficiatiorum Cathedralis, vel collegiatæ Ecclesiæ) sic ait. *Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quauis collusione, vel remissione exclusa, his careant, iuxta Bonifacij decretum, quod incipit, Consuetudinem, quod sancta Synodus in vsum reuocat, non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus, omnes vero diuina per se & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, assistere, & inseruire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter distinctè, deuotéque laudare.* Tertiò Moneta *vbi supr.* cum Paulo Comitolo refert, Sacram Congregationem declarasse, Canonicos muneri suo non satisfacere, nisi in choro psallant. Quartò, quia distributiones dantur canonicis, vt choro inseruiant, qui autem non canunt, non inseruiunt choro; nec sufficit quod assistant choro, quia assistentia non per se intenditur, sed per ordinem ad psallendum in choro, sicut non conducitur operarius vt assistat vineæ, sed vt in ea operetur. Quintò, quia beneficium datur propter officium; *c. fin. de rescript. in 6.* sed officium canonici est vt recitet in choro; ergo tenetur ibi recitare, & psallere consequenter non poterit aliter distributiones accipere.

28 Secunda sententia affirmat, consuetudine induci posse, vt canonici intersint choro, & canant per alios, distributionésque lucrentur: consequenter non videri condemnandam consuetudinem legitimè præscriptam post Trident. ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 12. num. 13. & 20.* Azor. *tom. 2. lib.10. cap. 11. quæst. 6.* Lessius *lib.2. cap. 34. dub. 33.* Caietan. *in summ. verbo hora, in fine*, Petrus Nauarr. *lib. 2. cap. 2. num. 117.* Garcia *de beneficiis, 3. parte, cap.2. num. 517.* vbi alios refert. Et Bonacina *disput.2. quæst.4.puncto 5.num.2.* hanc sententiam nititur probare multis rationibus. Præcipua tamen ratio est, quia canere per se, & non per substitutos, non est de iure naturæ, sed de iure humano positiuo, cõsuetudo autẽ bene potest induci contra ius positiuũ etiam in hac materia, quia nõ magis repugnat induci cõsuetudinem, vt canonicus assistens satisfaciat per aliũ, quã induci consuetudinem, vt habens duos canonicatus in Ecclesia, vnica residentia, & recitatione satisfaciat vtrique, licet singuli suam peculiarem residentiam requirant; sed hæc consuetudo potest induci, vt cum Couarr. & aliis tenet Moneta *quæst. 4. num. 16.* ergo etiam illa; præsertim cum consuetudo, de qua agimus, graue præiudicium Ecclesiæ non afferat, neque diuinum cultum notabiliter minuat, cum sint alij, qui loco canonicorum cantare coguntur ab ipsis canonicis conducti, & cum diuisi sint reditus, par etiam est vt onus diuisum sit.

29 Fateor quidem has duas opiniones esse probabiles. Negare tamen non possum priorem esse non solùm tutiorem, sed probabiliorem, & fortè veriorem, & magis fauorabiliorem cultui diuino, nititur enim firmioribus fundamentis, & validioribus rationibus roboratur. Nihilominus tamen posterior sententia non est temerè damnanda; non enim tam facilè carpenda proborum, & prudentum hominum consuetudo, nisi de ipsius malitia, & iniquitate constet. Quapropter Canonici qui sequuti hanc sententiam (vt tutè possunt) in choro assistentes non canunt per se, sed per mansionarios,

tuti sunt in conscientia, & possunt licitè, & iustè distributiones percipere; quia sequuntur opinionem probabilem. Consulerem tamen, & in Domino hortarer Dominos Canonicos, vt seruata decentia, & grauitate status, canerent cantu simplici, saltem dum recitantur psalmi, & respondetur hebdomadario, vt video practicari in nostra Ecclesie Valentine, non sine magna animi mei consolatione; sic enim tutius, & propriæ saluti spirituali, & seruitio chori consulitur, faxit Deus, vt hæc sancta deuotio in millia millium crescat.

30 Velim tamen vt diligenter aduertas, sicut sanctè monet Suarez *dicto cap.* 12. & cum eo Bonacina *disp.1. de horis canon. quæst.3. puncto* 2. §. 1. *n.*19. ad hoc vt canonici choro assistentes, & non cantantes per se, sed per substitutos, sint tuti in conscientia, & possint iustè recipere distributiones, requiri necessariò, vt sint præsentes præsentia morali, & Ecclesiastica, more scilicet orantium, aut audientium, & attendant saltem attentione exteriori, vt dicit Moneta *supra num.* 15. *& infra*, & cum multis Diana *tract.* 12. *de hor. can. resolutione* 6. id est ad verba, alioquin enim inutilis esset eorum præsentia: imo non potest dici quis præsens alicui rei, dum ad aliud attendit: sic Parochus non censetur præsens matrimonio, dum non aduertit ad id quod agit. Sanchez *de matr. lib.3. disp* 39. *n.* 1. requiritur etiam vt talis canonicus alias extra chorum priuatè horas recitet, vt tenet ipse Nauarr. *lib.2 cap* 2. *num.*131. *&* 135. *ad vltimum.* Hoc enim sensu saltem intelligenda est constitutio supradicta Pij V. videlicet, canonicum, qui nec in choro, nec extra, recitat, non posse fructus, nec distributiones iustè percipere. Duo ergo requiruntur, vt docet Nauarr. *num.* 231. vt Canonici cantantes per substitutum possint percipere distributiones. Primò, vt attendant saltem ad verba, vel attentione quadam, saltem externa corporis, assistant. Secundò, vt domi officium persoluant. Quibus adde tertium, videlicet, vt substituti Canonicorum habeant salarium, seu stipendium; quod soluatur ipsis ex fructibus, & redditibus ipsorum canonicorum, secùs verò si aliàs ex aliqua administratione habeant salarium, nam tunc non sunt canonicorum substituti, nec canonici dicuntur per eos psallere. Ita tenent DD. qui secundam sententiam tuentur. Hinc fit canonicum, qui dicto modo non attenderet, sed dormiret, confabularetur, vel obmurmuraret, non posse lucrifacere distributiones, quia non dicitur adesse more orantium, præsertim si excessus fuerit notabilis, tunc enim peccaret mortaliter, vt etiam docet Garcia 3. *part. de benefic c* 2. *n.*514.

31 Prioris sententiæ argumenta conantur soluere Garcia *vbi supr. à num.*516. & Bonacina *disp.2. de horis canonicis quæst.*4. *puncto* 5. *num.* 4. breuitatis tamen causa, & quia illæ solutiones non mihi plenè satisfaciunt, ad illos vos remitto. Solutio quæ magis videtur satisfacere, est, dicere illa argumenta habere vim, & procedere priorem sententiam, casu quo consuetudo non esset legitimo temporis spatio præscripta post Tridentinum; si enim non esset legitimè præscripta, absque dubio non essent canonici non canentes tuti in conscientia, sicque, ait Bonacina, intelligenda est dispositio Tridentini, *sess* 14. *cap.*12. & Pij V. in sæpè dicta constitutione, secus autem quando consuetudo est præscripta.

32 Tempus autem sufficiens, & requisitum ad huiusmodi præscriptionem post Trident. sunt 40. anni, vt docet Azor *tom.*1. *lib.* 10. *cap.*11. *quæst.*6. & cum eo Bonacina *vbi sup. num.*5. & sentire videtur Moneta 2 *part. quæst.* 3. *num.*47. dum asserit, spatio quadraginta annorum induci posse consuetudinem, qua canonicus interessens aliquibus horis lucretur distributiones omnes, etiam quæ cæteris horis aliàs assignatæ fuerant. Ratio est, quia 40. anni communiter sufficiunt ad præscribendum contra Ecclesiam, vel legem Ecclesiasticam, vt videre est apud Suarez *de legibus lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 12. & Bonacinam *tom.2. disp.*1. *de legibus quæst.*1. *puncto vlt.* §. 3. *n.*32.

33 Ex dictis in tota hac diffusa quæstione sequitur, primo peccare mortaliter ex genere suo canonicos in choro per se non canentes cantu simplici, cum obligatione restituendi distributiones, vbi consuetudine legitimè præscripta introductum non est, vt satisfaciant per substitutos ex fructibus ipsorum canonicorum conductos cantui, & chori seruitio, quia tunc per se ipsos canere tenentur. A fortiori peccant modo dicto Canonici per seipsos non canentes, vbi consuetudine introductum est, vt per se ipsos canant; vel conditum est in aliqua Ecclesia speciale statutum vt per se, & non per substitutos seruitio chori satisfaciant; quia tunc non canendo delinquunt contra iustitiam, consequenter, & peccant, & restituere tenentur.

34 Secundò sequitur, beneficiarios, & alios choro addictos, choro interessentes peccare etiam ex genere suo mortaliter, cum obligatione restituendi distributiones, si voce alta, iuxta vsum chori, non canant, quia ij secundum communem canere tenentur, nec pro se habent consuetudinem, vt tacendo in choro possint sui loco Vicarios, aut capellanos stipendiarios substituere, ideo per se canere tenentur secundum communem DD. nullus enim est, qui dicat beneficiarios per solam nudam præsentiam, nullo modo canendo, posse licitè lucrari distributiones psallentibus, & canentibus in choro assignatas. Nec excusat eos à cantu, seu obligatione canendi ignorantia cantus; nam, vt benè docet Nauarr. *de orat. cap.*11. *num.*41. *&* 42. qui non callet cantum, aut aliquid suo officio exercendo necessarium, non debet illud suscipere, & si suscepit, tenetur requisita illi discere, quod si nequeat, vel nolit, priuandus est huiusmodi officio: quod ait Nauarr. procedit, quamuis choro addictus, nobilitate, scientia, & gradu aliis præcellat; quia nobilitas parum momenti habet ad excusandum quempiam ab oneribus spiritualis muneris, imo potius, ait, præstantia dignitatis magis obligat. Satisfaciet tamen vnusquisque, si voce sibi à Deo donata, pro virili ei laudando inseruierit, & fecerit quod in se est, vt cantum edisceret, habétque mediocrem scientiam, vel experientiam eorum quæ communiter in choro canuntur. Ita moderandus est Nauarr. vt experientia testatur, requiritur namque vt quis ad distributiones promoueri possit, vt moderatè, & sufficienter instructus sit in cantu, quo diuinum officium recitari solet; nullus enim ad officium admitti debet, cuius partes obire nequit. *cap. cum in cunctis, de elect. & cap. fin. de ætate & qualitate ordin.* & præter Nauarr. *vbi sup.* docet Henriq. *lib.*9. *cap.*31. *num.*8. Moneta 2. *part quæst.*19. *num.*35. & Bonacina *disp.* 2. *de hor. can. quæst.*3. *punct.* 3. *num.* 3. Ideo & meritò in Synodis Episcoporum statuitur, vt antequam ad distributiones admittantur, in cantu examinentur, & probentur. Nec excusantur cantores canentes cantu figurato, à cantu simplici, quando illud cantatur prætextu, quod si eo cantu canant, patietur detrimentum eorum vox, & inutiles fient cantui organico, præsertim cantores cantus supe-

eioris

rioris (*Cantra altas y tiples*) vt ipsi dicunt,quia, vt sæpè dictum est, distributiones assignatæ choro addictis non possunt lucrari per solam, & nudam præsentiam absque cantu; nec,est soluendum salarium (imo nec fieri potest) his cantoribus ex distributionibus, quas Petrus, vel Ioannes relinquerunt pro cantu simplici, præsertim cum cantus figuratus in Ecclesia nec sit necessarius, nec præceptus: verum tamen est, quod quamuis non sit in præcepto, facit maximè ad deuotem, splendorem, ornatum, & solemnitatem diuini cultus, Dei honorem, & fidelium deuotionem, vt Nauarr.*lib.2. cap.2. num. 154.* ideo existimo mitius esse cum his agendum, hoc est satisfacere, si aliquo modo cantant, quamuis non alta & plena voce, sicut alij, sic poterunt, & vocem conseruare, & chori seruitio satisfacere; nullo autem modo canere non reputo tutum in conscientia.

35 Sequitur tertio canonicos, & clericos, qui in supplicationibus seu processionibus, & in funerariis nullo modo cantant, sed aut tacent, aut confabulantur, peccare ex genere suo mortaliter cum obligatione restituendi distributionem ex officio assignatam; quia ipsis conceduntur distributiones in processionibus, vt ore, & voce alta gratias Deo referant propter aliquod beneficium à Deo acceptum, aut vt eodem modo pro beneficio obtinendo Deum deprecentur, & in funerariis, vt Deo pro defuncto exorent, & suffragentur animæ illius. Moneta *par.2.quæst.1. num.24.* Non me later supradictos excusari à restitutione (non vero à peccato) à Rodriguez *1.part.sum.cap.95. num.5.* Ledesma *in sum.par 2.tract.9. concl.2 1.vers. Toda via.* & à Bartholomæo Medina *in sum. 1. par. cap. 14. §.11. fol.mihi 85. pag.2.* aiunt enim in his casibus conuocari à populo Ecclesiasticos magis ad pompam, quam ad cantum, ideo aiunt quamuis tideant, aut confabulentur, non obligantur ad restitutionem, propter consuetudinem toleratam, nihilominus tamen non existimo hanc sententiam omnino veram, nisi vel quando constaret de tali conuocantium intentione, quod maximè contingit quando ad funus, vel processiones conuocantur canonici: vel, vt benè Moneta *supra dicto num. 24.* nisi quando confabulantur, non semper, & in toto actu processionis, vel defunctionis, sed solum cum statas preces, & orationes persoluerint: quo in casu existimo procedere sententiam Rodriguez, & aliorum. Hoc tamen pro certo tene, sic ridentes, & confabulantes, non excusari à peccato veniali, vel etiam mortali secundum materiæ, & scandali grauitatem, vt cum Garcia *part. 3. cap. 2. num.514.* & aliis, diximus de confabulantibus in choro, & infra dicemus, vbi de attentione agemus. Ratio est, quia tali actui & officio saltem tenentur adesse modestè, deuotè, reuerenter, qualiter decet Ecclesiæ ministros cultui diuino dedicatos.

36 Quartò infertur, canonicum, beneficiatium, aut alium choro addictum, qui iuxta superiùs dicta accedit ad chorum animo non canendi, & tenetur non canit, & accipiendi distributiones in notabili quantitate, esse in statu peccati mortalis, quod peccatum commisit statim ac habuit illum animum, & illud continuat singulis acceptionibus, etiam minimis distributionum; sicut qui habet animum furandi quantitatem sufficientem ad peccatum mortale, vbi primum habuit hunc animum, peccauit mortaliter, vt de se patet, & postea singulis furtis etiam minimis, quamuis de nouo non peccet, continuat peccatum mortale, quia singulæ acceptiones sunt executiones illius depravatæ intentionis, ac proinde quamuis ea se sint tantum peccatum veniale, attamen denominatione extrinseca, nempe in ordine ad prauam intentionem cuius sunt executiones, sunt peccatum mortale, vt benè Lessius *lib.2. cap.12. dub.7. num.40.* & nos, Deo dante, aliquando dicemus: sic in proposito. Et facit maximè Nau. *cap.13. de orat. num. 17.* vbi dicit, peccare mortaliter, cum obligatione restituendi distributiones quotidianas, qui vadunt ad chorum animo non attendendi ad ea, quæ ibi dicentur, vel cantabuntur, neque vacandi Deo, saltem aliqua bona parte notabili illius; aut qui vadunt cum proposito attendendi, verùm postea mutant actualiter, vel virtualiter illud. Ita Nauar. & cum P.Nau. & aliis, Moneta *d.quæst.1. num.21. & 22.* & latiùs infra dum de attentione requisita agemus, quod à fortiori dicendum est, quando ad chorum conueniunt animo actuali vel virtuali tacendi, confabulandi, & non cantandi. Quod si accedat ad chorum animo canendi, & quidem cantat, omittit tamen aliquando aliquam partem officij, non est in actuali peccato, nec in malo statu; peccabit tamen si distributiones accipiat correspondentes illi parti officij, in quo non cantauit. Quod peccatum potest esse mortale, aut veniale, pro grauitate materiæ; si enim distributio correspondens illi horæ est notabilis, accipiens illam peccabit mortaliter; si leuis, peccabit venialiter per quantitatem notabilem, & grauem sufficientem ad peccatum mortale. In materia furti intelligo duos iulios, regales, aut duas drachmas, vno aut altero asse, seu nummo, plus minusve, vt benè Lessius *sup. dub.5. num.31.& 32.* Vnde non cantans, & accipiens distributiones exiguas, & leues, non attingentes materiam peccati mortalis, tenetur quidem illas restituere, vt communiter DD. non vero sub peccato mortali, sed sub peccato veniali, Bonacina infra, & alij; at si sæpiùs non cantans minutas, leues, & exiguas distributiones accipiat, ita vt omnes simul sumptæ attingant materiam notabilè, vbi primum aduerterit se retinere notabilem quantitatem alienam, tenetur habere animum illam restituendi, alitèr peccabit mortaliter. Suarez *tom.2.de relig. cap.30. num.13.* Bonacina *disp. 1. de horis canonicis, quæst.5. puncto 2. num.14.* Filliuc. *cap.10.num.320.* Garcia 3 *p.cap.1. num. 27.* & alij. Et probatur à simili, qui enim singulis vicibus minima furatur occasionaliter, non intendens consequi notabilem quantitatem, postquam aduertit se peruenisse ad notabilem quantitatem, peccat mortaliter, si non habet intentionem restituendi; non quia singulæ acceptiones fuerint peccata mortalia, nam, vt supponimus, solum fuerunt peccata venialia; sed quia postquam aduertit se peruenisse ad notabilem quantitatem, voluntariè retinet alienum in notabili quantitate; quare si dum aduertit se habere alienum in magna, seu notabili quantitate, habeat animum restituendi, dum commodè poterit, non peccabit mortaliter, vt tenet Lessius *vbi sup. num.42 & 43.* Ita in nostro casu, sic similiter recitans priuatim, qui notabilem diuini officij partem sæpius omisit, & distributiones accepit, tenetur sub mortali ad restitutionem postquam peruenit ad eam quantitatem omissionum, quibus simul sumptis respondent fructus magnæ quantitatis. Bonacina cum aliis *vbi supr.num.14.* qui idem docet *num 15.* de eo qui eodem die singulis horis paucos versiculos omisit, qui simul sumpti grauem materiam constituunt; eadem enim est ratio, quia sicut continuantur ad gradem culpam, ita etiam in or-

dine ad restitutionem, intellige si fructus, seu distributiones efficiant materiam notabilem furti. Contrarium tamen docent Moneta 1. *part. quæst.* 3. *num.* 22. Filliuc. *d. cap.* 10. *quæst.* 7. Sed hoc dubio sequenti magis constabit.

37 Quinto infertur, ea genere suo, in parte notabili, peccare mortaliter clericos choro addictos, qui inter missarum solemnia coram facistolio, vel in suo sedili non cantant Introitum, Graduale, Symbolum fidei, Offertorium, Sanctus, Agnus Dei, & Postcommunionem; quia ij nullo modo satisfaciunt seruitio chori, & publicæ recitationi, idcóque peccant, & tenentur distributiones restituere iuxta superius dicta. Nec excusat eos consuetudo; quia non consuetudo rationabilis sed potius depravatus vsus & abusus est dicendus, nullo modo approbatus; quotidie enim conqueruntur succentores eo quod clerici non accedunt ad facistolium ad canenda supradicta. Nec valet dicere, non deesse aliquos, qui hæc cantant; nam obligatio æquè omnes tangit, & non est maior ratio vnius quam alterius, aliter omnes possent excusari, & defraudaretur diuinum officium, sicuti hodie defraudatur aliquibus in partibus, propter abusum in hac parte. Pœnitet me hoc dicere, zelus enim diuini officij me compellit. Et quod peius est, sunt quidam, qui non solùm non cantant supradicta, sed etiam dum alij canunt, ipsi priuatim recitant, aut confabulantur. Ipsi viderint. Dixi in parte notabili; nam si materia est leuis, sæpe dictum est tantùm esse peccatum veniale, nec obligari ad restitutionem distributionum. Excusari tamen possent ab omni peccato, quando facistolium non omnes capit, & ex alia parte in suo sedili non possunt canere supradicta, modo tamen faciant, quod in se est, vt accedant ad facistolium, & si non possunt, vt in suo sedili attendant ad ea, quæ ab aliis canuntur, & modo quo possint ea canant. Excusatur etiam qui habet aliquod corporale impedimentum accedendi, & standi coram facistolio, modo in suo subsellio cantet, vt potest.

DVB. II.

Quale peccatum committatur omittendo, vel mutilando officium in Choro, vel ei aliquid addendo.

1 LOquimur de Ecclesiis, in quibus est obligatio recitandi diuinum officium in choro, siue totum, siue aliquam eius partem, iuxta ea quæ diximus dubio superiore in 4. suppositione: & quidem quoad omissionem, vel mutilationem diuini officij, possumus loqui vel de toto choro, quando scilicet totus chorus omittit omnes horas, aut aliquas; vel de aliquo particulari beneficiario, aut clerico choro dicato, omittente seu mutilante aliquas horas seu partes diuini officij. Deinde omissio, vel mutilatio officij à particulari in choro facta, considerari potest dupliciter. Primò, in quantùm solùm inducit peccatum. Secundò, in quantùm etiam inducit obligationem restituendi distributiones. Rursus aut omittens totum officium, aut aliquam eius partem in choro, habet animum supplendi id quod omisit, aut non supplet omissum.

2 Dico primò, omittere recitationem totius officij in choro in die naturali est peccatum mortale, quia materia est grauis, & præceptum obligat ad culpam: quod peccatum imputatur primò habenti curam Ecclesiæ, quia ad eum pertinet id curare. *cap.* 1. *de celebrat. Missar.* Secundò aliis, qui causam dederunt, vel cooperati sunt. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4 *cap.* 13. *num.* 1. & Filliucius *tract.* 23. *cap.* 6. *num.* 205. Est etiam peccatum mortale in choro omittere quamcumque horam; quia illam omittere in priuata recitatione, est peccatum mortale, vt docent communiter Doctores. ergo multò magis in publica ob cultum grauiorem, Ecclesiæ detrimentum, & boni communis. Idem dicendum est, si notabilis pars vnius horæ à toto choro omittatur. Suarez *vbi supra num.* 2. vbi existimat vnum integrum psalmum esse partem notabilem, & sufficientem ad peccatum mortale, si omittatur; & scienter, & culpabiliter à toto choro. Vbi etiam aduertit, & benè pensandam esse grauitatem partis in choro omissæ à toto choro, ex dignitate partis, ex deformitate omissionis, verbi gratia, si omittatur, *Deus in adiutorium meum intende*, est grauius, quam si omittantur tres versiculi vnius psalmi. Similiter in vesperis omittere, *Magnificat*, erit grauior defectus quam omittere alium psalmum etiam maiorem. Hæc de omissione à toto choro.

3 Dico secundò, canonici, beneficiarij, qui statia, seu statutis horis, & alij choro addicti tenentur officium diuinum in choro alta voce, & publicè persoluere, iuxta dict. *dub.* 1. *supp.* 4. si illud omittunt, aut mutilant, & non integrè recitant, vel quia non adsunt, vel quia tardè veniunt, vel, quia recedunt ante tempus, peccant nisi habeant iustam excusationem, quamuis distributiones non accipiant. Quod quidem peccatum erit mortale si pars omissa sit grauis, & omittatur sine intentione supplendi priuatim. Ita Suarez *suprà dicto cap.* 13. *à num.* 4. Filliuc. *supr.* 217. Quod peccent, patet, quia non implent totum quod tenentur ex iustitia, vel religione, aut ex præcepto Ecclesiæ. Quod autem peccatum sit mortale in materia graui etiam patet, quia transgressio legis, seu præcepti, in materia graui secundùm communem DD. est peccatum mortale. Difficultas tamen est, quænam sit materia grauis, seu notabilis pars, cuius omissio sufficiat ad peccatum mortale, cui breuiter respondeo. Si illa pars, quæ in choro à clerico omittitur, omittatur absque animo illam supplendi, tunc censetur grauis, quando talis iudicatur in recitatione, quæ fit priuatim, (quæ nam autem pars omissa sit notabilis, & grauis, ac peccatum mortale in recitatione priuata, dicemus statim,) patet, quia ij præter recitationem etiam omittunt cantum, ad quem peculiariter tenentur; ergo peccant mortaliter, imò in iis grauior erit culpa. Ita Doctores citati, in quo omnes conueniunt, aut conuenire debent, qui asserunt peccare mortaliter eum qui in recitatione particulari, & priuata omittit partem notabilem. Maior ergo difficultas est assignare quæ sit pars notabilis, vel materia, quæ sufficiat ad peccandum mortaliter, quando omittitur in choro animo supplendi extra chorum. Nauar. *cap.* 10. *de orat num.* 44. nimis strictè eam omissionem, & mutilationem chori seruitij dicit grauem, & sufficientem ad peccandum mortaliter, quæ digna est priuatione distributionis correspondentis illi horæ, quod solet, esse quando primus psalmus est finitus, vt dicemus. Quæ sententia tanquam nimis rigida meritò refellitur à Suarez *sup. num.* 8. quia non est grauis læsio

iustitiæ

iustitiæ in seruitio chori, & debito religionis satisfacit per recitationem priuatam. Ob quam rationem existimat Suarez absentiam vnius horæ integræ à choro, cum suo onere amittendi distributionem, non esse peccatum mortale, si aliàs illa hora priuatim recitetur: imo Syluest. *hora quæst.* 2. & 10. absentiam vnius diei non existimat grauem: quod non improbat Suarez. At consuetudine, & praxi ferè introductum est, vt non sit peccatum mortale per multos dies à choro abesse personas ei addictas, dummodo aliàs priuatim recitent, non recipiant distributiones, absit contemptus, & scandalum, & ne hoc fiat cum notabili detrimento seruitij chori, & cultus diuini, vt si hac occasione multi abessent. His ergo concurrentibus, non est peccatum mortale à choro abesse, vt cum aliis diximus *dub.* 1. *supp* 4. sicque practicatur à viris prudentibus, & de sua salute soliciitis.

4 Videamus iam quænam omissio diuini officij in recitatione priuata sit pars notabilis, & materia sufficiens ad peccatum mortale, & ad fructus restitutionem. Nam ex hac resolutione facilius colligemus, quando omittens in choro aliquam partem diuini officij, vel illud mutilans, peccet, & teneatur distributiones restituere. Et quidem in assignanda huiusmodi parte, variæ sunt Doctorum opiniones. Moneta *de distrib.* 2. *part. quæst.* 3. *num.* 33. existimat, decimam partem alicuius horæ esse sufficientem materiam ad peccatum mortale. Nauar. *cap.* 25. *n.* 68. Azor *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 7. *quæst.* 3. censent, omittentem tertiam partem horæ, peccare mortaliter. Sylu. *verb. hora, quæst.* 12. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 7. *quæst.* 10. & consentire videtur Suarez *tom.* 2. *de relig. cap.* 35. *num.* 16. docent non tertiam, sed dimidiam esse materiam grauem. Demum Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *num* 52. quem sequitur Bonacina *disp.* 1. *de horis canonicis, quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 2. *vers. Ego vero.* probabiliter arbitrantur horam paruam esse materiam grauem, non vero tertiam, aut mediam paruæ horæ partem. Ratio inquiunt est, quia pars infra horam paruam secundum se videtur modica, & leuis, & consequenter non sufficiens ad peccatum mortale; tum etiam, quia verosimile non est Ecclesiam velle perpetuis gehennæ incendiis illum subiicere, qui leniorem partem omittit. Has omnes opiniones propter tantorum Doctorum auctoritatem probabiles iudicio. Tertiam verò probabiliorem, & magis æquitati, & rationi consonam existimo, cum hac tamen limitatione, vt in horis paruis medietas sit pars notabilis, & materia grauis; in matutinis verò tertiæ partis omissio sufficiet ad peccandum mortaliter.

5 Nota ad maiorem intelligentiam eorum, quæ dicturi sumus, in aliquibus, & ferè omnibus Ecclesiis esse designatum, siue per consuetudinem, siue per statutum capitulare, aut Synodale, certum tempus & punctum, in quo choro addicti ibi adesse debent, vt lucrari possint distributiones. His notatis.

6 Dico tertiò, Choro addictus qui omittit, vel mutilat diuinum officium in parte notabili, & sufficienti ad peccandum mortaliter, in recitatione priuata peccat mortaliter, si non habet animum supplendi extra chorum, & tenetur distributiones acceptas restituere, ex natura rei, & seclusa omni consuetudine, aut statuto. Ita Moneta 2. *part. de distribut. quæst.* 3. *num.* 10. & 37. cum Nauarr. *de horis can. cap.* 10. *num.* 38. 42. 44. & 48 & aliis colligitur apertè *ex cap. dolentes, de celebratione missarum*, & Clement. 1. *eodem tit.* Quod peccet mortaliter, si non habet animum priuatim recitandi, patet ex dictis, quia omittit, & mutilat diuinum officium in materia graui, & sufficienti ad peccatum mortale, quam omittens priuatim recitans peccat mortaliter: ergo à fortiori illam omittens in choro, sine animo supplendi: si autem habeat animum supplendi, non peccabit mortaliter, quia non deficit absolutè in recitatione, distributiones tamen nullo modo potest recipere, sed eas restituere tenetur, vt docent Moneta *sup. dicto, num.* 20. Bonacina *sup. num.* 3. & communiter Doctores: nam deficit in obsequio chori in parte notabili; nec præstat munus ratione cuius distributiones conceduntur, recitatio enim illa particularis, quæ postea fit extra chorum partis omissæ in choro, solum prodest quoad effectum vitandi peccatum, non recitandi in eo qui recitare tenetur, non vero quoad effectum recuperandi distributiones amissas defectu recitationis in choro; quia per priuatam recitationem non suppletur, nec suppleri potest cantus omissus, nec recuperatur seruitium chori, vt benè Moneta *vbi sup. num.* 37. Vide Nauarr. *vbi sup dict. cap.* 10. *num.* 44. & 48. & *seqq.* vbi agit de obligatione supplendi, aut iterum recitandi partem omissam: sed quia hoc magis spectare videtur ad effugiendum peccatum non recitandi, quam ad pœnam, seu amissionem distributionum, de qua præcipuè hic agimus, proinde illud omittimus, vide ibi. Distributiones enim quotidianæ, vt benè ait Moneta *sup.* cum Nauarr. assignatæ intelliguntur horis, ac diuinis officiis, non quouis modo, sed integris, & completis. Et confirmant à simili de omissione, & mutilatione in recitatione priuata. Beneficiarius namque omittens, vel mutilans officium in recitatione priuata in parte sufficienti ad mortale, tenetur ante omnem iudicis sententiam in conscientia ad restitutionem fructus pro rata omissionis officij culpabiliter, etiam si fructus parti notabili correspondentes exigui sint, vt cum multis docet Bonacina *disp.* 1. *de horis canon. qu.* 5. *punct.* 2. & colligitur, imo habetur expresse ex decreto Concilij Lateranens. sub Leone X. & ex bulla Pij V. ex proximo Lateranens. ergo similiter tenebitur in choro notabiliter officium mutilans distributiones restituere, nam sicut beneficiario conceduntur fructus ratione priuatæ recitationis, ita choro addicto ratione publicæ recitationis; at omittens priuatam recitationem in materia graui tenetur fructus pro rata restituere; ergo & omittens partem notabilem in choro in materia graui, tenetur distributiones restituere, cum hac tamen moderatione, quod si distributiones attingant materiam, seu quantitatem sufficientem ad peccatum mortale in materia furti, teneatur sub mortali restituere; si autem non attingant, teneatur sub veniali, dummodo ex leuibus distributionibus non congeratur materia sufficiens ad mortale, iuxta ea quæ in fine superioris dubij dicta sunt.

7 Dico quartò, choro addictus, qui officium diuinum mutilat, aut omittit in parte leui, quæ iuxta supradicta non attingit materiam sufficientem ad mortale, certum est quod non peccat mortaliter, etiam si omissum non suppleat, vt contingit in recitatione priuata. Addo, nec tenetur distributiones restituere, loquendo ex se, & ex natura rei, seclusa consuetudine, aut statuto limitante tempus ad lucrandas distributiones: ita expresse in hoc casu Moneta 2. *part. de distribut. quæst.* 3. *num.* 28. cum Nauarr. *cap.* 10. *de horis canonicis*, multis in locis. Et absolutè de recitante priuatim tenent Tolet. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. Nauarra *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 202. Nauarr. *sup. cap.* 9. *in fine*, & *cap.* 40. *num.* 42. Suarez *cap.* 30. *num* 13. Reginald. *lib.* 30. *num* 44. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 10. *qu.* 7. & alij apud Bonacinam *disp.* 1.

de horis canon. quæst. 5. punct. 2. num. 11. quorum sententiam ipse probat, & tuta conscientia sustineri posse ait, vtpote communi Doctorum calculo receptam, & vsu Ecclesiæ aliqua in parte comprobatam, & contrarium ad praxim vix reuocari potest sine magno incommodo, & scrupulorum periculo.

8 Dixi in conclusione, seclusa consuetudine, aut statuto designante, & præfigente tempus ad lucrandas distributiones; nam si tale adsit statutum, vt communiter contingit in Ecclesiis, illud est seruandum, & qui eo tempore designato non adest in choro, non potest illius horæ distributiones in conscientia retinere, eo quod non adsit horis integris, & omissa illa parte per statutum designata, hora iam non manet integra, nec in se, nec quoad effectum lucrandi distributiones. Nec refert, quod illa pars sic leuis in se, quia ob bonum commune diuini cultus, & obsequium chori, & vt vitentur abusus, & perturbationes diuini officij, iustè à consuetudine, vel statuto potuit introduci, vt illam partem omittens mulctetur, & in pœnâ ipso facto priuatus sit distributionibus, quæ non aliter nisi cum hoc pacto tacito conceduntur, videlicet vt tali tempore, & puncto sint in choro præsentes: de quo Nauarr. *de orat. c.* 10. *num.* 43. *&* 44. Moneta *d. quæst.* 3. & communiter DD. Vide Suarez *tom.* 1. *de relig. cap.* 13. *num.* 8. & videtur colligi ex Clementina, Ij qui, seu 2. *de ætat. & qualit. ordin. præfic.* ibi, *Distributionum, quæ dantur iis, qui certis horis intersunt*, &c. & ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. § *præterea*, ibi: *Distributiones ab iis, qui statis (seu statutis) horis interfuerint* Quibus in locis illa verba, certis horis, & statis horis, non solùm de horis canonicis, diuinisve officiis sunt intelligenda, sed de horis seu temporibus, & punctis quibus in Ecclesiam conueniendum est, diuinisque interessendum, vt explicat Moneta *sup. n.* 43. Hinc fit, Canonicum, seu beneficiarium, qui in Ecclesia Valentina ingreditur chorum post finem epistolæ, & post finē primi psalmi, non lucrari distributiones illius officij; quia in Synodo prouinciali *sess.* 3. *c.* 26. statutum est, vt nullus canonicus, vel beneficiatus possit lucrari distributiones quotidianas, nisi ante finem epistolæ in missa, chorum introierit, & in horis tam diurnis, quam nocturnis ante finem primi psalmi, ex quo exire non possunt, nisi causa cognita ab eo, qui choro præest, sub amissione distributionum. Quod decretum, cum rationabile & iustum sit, & maximè fauorabile, imò & necessarium bono communi Ecclesiæ, & seruitio chori, dubium non est quin teneantur illud seruare in conscientia beneficiarij, & alij choro addicti, imò & dignitates, ac canonici, quia constitutiones Synodales comprehendunt, & obligant omnes supradictos. Vide Barbos. *de offic. & potest. Episcopi, tom.* 2. *allegat.* 34. & Sanchez *lib.* 8 *de matrim. disp.* 17 *à num* 32 *vsque ad* 36. Existimo tamen punctum hoc necessariò designatum ad iustè lucrandas distributiones, non esse sumendum mathematicè, nec consistere in indiuisibili, sed posse habere aliquam moralem latitudinem, quæ valdè non differt à puncto: nam in moralibus quod parum distat, nihil distare videtur: vnde non obligarem ad restituendas distributiones eum, qui finita epistola, antequam finiatur graduale, chorum ingreditur, & in horis, antequam secundus psalmus sit finitus. Quod præcipuè sustineri non potest in his, qui solent omnibus horis integrè adesse, & vt ita dicam, *que no hazen officio de entrar al punto crudo* Ita à fortiori tenet Moneta, *dict. quæst.* 3. *num.* 42. vbi dicit, partem notabilem à se assignatam in vnaquaque hora ad effectum amittendi quotidianas distributiones, esse accipiendam, præter eam, quam indulget rationabilis consuetudo, statutum, aut prouincialis Synodus: Vt si quis canonicus, aut beneficiatus in chorum mox conueniat ante finem epistolæ in nostra Diœcesi, vel primi psalmi, & præterea omittat, vel voluntariè obdormiendo in choro, vel non recitando, vel extraneis se immiscendo, vel etiam extra chorum sine iusta causa egrediendo, partem aliquam, quæ ad decimam nō attingit (quam decimam ipse existimet esse partē grauem) is distributionē illius horæ neque in foro conscientiæ, neque in contentioso dicatur amittere. Hæc ille. Hanc ampliationem Monetæ Bonacina *disput.* 1. *de horis canon. quæst.* 5. *puncto* 2. *num.* 12. ait probabiliter sustineri posse. Ego autem, salua pace tanti viri, in praxi tantam extensionem non auderem admittere, præcipuè in sententia quam sequimur, partem notabilem horæ omissæ esse tertiam, imò & dimidiam; nam si dimidia pars horæ aut officij addatur parti prætermissæ, & permissæ impunè, secundum statutum absumeretur quasi tota hora, & sic possent lucrari distributiones assistendo minori parti horæ, quod est contra mentem assignantium distributiones, & consuetudinem Ecclesiæ. Dixi in sententia quam sequimur; nam in sententia ipsius Monetæ existimantis partem notabilem horæ esse decimam, benignius posset tolerari; quia decima pars horæ addita illi parti secundum statutum absque mulcta permissæ, parum videtur distare à puncto statuto ad lucrandas distributiones. Nihilominus tamen censeo omninò tenendam nostram, & communem sententiam, modo explicato, consequenter omittentem illam partem, seu punctum ab statuto assignatam ad lucrandas distributiones cum extensiuncula à nobis proposita, teneri in conscientia restituere distributiones. Ratio fundamentalis, quia lex huiusmodi est rationabilis, in conscientia obligans ante iudicis sententiam; nam non est purè pœnalis, sed potius conuentionalis: non enim priuat dominio alicuius rei iam acquisitæ, & appropriatæ, sed potius impedit, disponit, & statuit, ne acquirantur distributiones, nisi positis conditionibus cantus, & assistentiæ tali tempore: nam non conceduntur distributiones absolutè vt tantùm intersit choro, sed vt cantet, & ingrediatur chorum tempore assignato Probatur à simili, de beneficiario omittente recitationē priuatam; etenim qui eam in parte notabili omittit, tenetur restituere fructus beneficij pro rata illi parti correspondentes, iuxta dispositionem Pij V. in conscientia ante omnem iudicis sententiam, eo quod lex obligans ad eorum restitutionem sit conuentionalis; conceduntur namque ab Ecclesia beneficiario fructus, ea tacita conditione, & quasi conuentione, vt officium recitare teneatur, nam beneficium datur propter officium. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 39. Suarez *tom.* 2. *de relig. cap.* 20. *num.* 5. Nauar. *cap.* 25. *num.* 22. & communis apud Bonacinam *sup. n.* 7. sic etiam excommunicatus, aut suspensus à beneficio, ipso facto in conscientia fructibus beneficij priuatur ante condemnationem iudicis, eo quod Ecclesia non vult eos percipi ab eis. Sic similiter non accedens ad chorum tempore statuto, priuatur omni distributione illi horæ correspondente ante iudicis sententiam: quia Ecclesia posito tali statuto non eam concedit nisi ei, qui integrè modo dicto celebrationi diuini officij adest. Quod autem statutum statuens tempus, & punctum in nostra Diœcesi ad lucrandas distributiones sit conuentionale, & intelligi debeat cum illa tacita conditione, patet ex verbis ipsius legis. Ibi:

Cæterum

Cæterum nullus canonicus, vel beneficiatus distributiones seu punctum ad eas habendas in Missa lucretur, nisi ante finem epistolæ chorum introierit: sed neque in vesperis, & aliis diurnis horis canonicis, & matutino etiam officio, nisi ante finem primi psalmi chorum ingrediatur. Et addit. *Qui chorum ingressi fuerint, non inde exeant, nisi ex causa, & præside, qui deligetur, potestatem illis faciente.* Dicerem tamen, saluo meliori iudicio, eum qui ingreditur chorum, post punctum, & prosequitur officium, seu horam illam, etsi non possit accipere totam distributionem, posse tamen recipere partem proportionabiliter correspondentem ei parti officij, cui assistit, & in quo cantat; nam pro illa parte verè præstat munus & obsequium, & dignus est mercenarius mercede sua; sic operarius qui accedit ad colendam vineam post meridiem, etsi non possit integrum denarium accipere, poterit tamen illud quod labori medij diei correspondet. Quod quidem præsumi potest de benignitate piæ matris Ecclesiæ. Quod si propter aliquos defectus, præter recitationem in choro, sit aliqua pœna lege Synodali imposita, hanc non tenentur canonici, nec beneficiarij soluere ante condemnationem, vel antequam exigatur; nec amittunt ipso facto distributiones, si alias ad eas lucrifaciendas præstiterunt omnia de iure requisita. Vt si prohibeatur canonicis, ne deferant in choro chirothecas sub pœna amissionis distributionum, vel sub alia pœna, non tenentur in conscientia distributiones, vel aliam pœnam ob id impositam restituere ante condemnationem, aut exigitionem, seu executionem à superiore chori factam, si aliàs ritè, & legitimè debitum seruitium chori persoluerint. Idem de alia pœna aliis choro addictis imposita; quia vt docet, & probat Moneta *de distrib. 3. part. quæst. 7 num. 75.* lex hæc est pœnalis, ideoque nemo tenetur eam in seipso exequi.

9 Ex dictis infertur primo, omnem modum canendi in choro cum aliqua mutilatione versuum, aut verborum, esse de se peccatum: quod colligitur apertè ex cap. dolentes, vbi reprehenduntur clerici, qui recitant, *transcurrendo vndique continuata syncopa matutinum*, & subditur in fine: *Hæc & similia, sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes, &c.* & ex Clement. *c. eod. tit.* vbi postquam ponuntur illa duo verba, *transcurrendo, syncopando*, postea subiungitur prohibitio: ex quibus patet omnem mutilationem esse prohibitam, & consequenter peccaminosam; nam omnis mutilatio versuum, aut verborum dici potest syncopa, seu conscissio. Et probatur ratione, nam qui debet totam aliquam quantitatem, non satisfacit dando partem, & quamcumque substrahat inuito creditore, peccat; sed clericus in choro tenetur dicere integrum officium; ergo quæcunque mutilatio talis officij est de se peccaminosa, id est si voluntaria sit, & non excusetur per inaduertentiam, vel aliam iustam causam. Quod optimè confirmat (vt iisdem verbis vtar, quibus Nauarr. *cap. 10. de orat. num. 10.*) visio illa relata à S. Anton. 2. *part. tit. 9. cap.* 13. § 8. de quodam patre sancto, cui videnti in choro dæmonem imponentem mola sacco, & interroganti, quid imponeret, respondit, syllabas, & verba, quæ hi, vel illi omittunt, dentes degluttiunt, malè pronuntiant, vt illos eius rei accusaret in iudicio futuro. Si syllabas, & verba ita diligentissimè, & accuratissimè aduersarius ad calumniandum obseruat, quid dicemus de omittentibus multos versus, imò & psalmos? quid de omnino tacentibus tempore quo canere debent? quid de iis, qui non solùm non cantant, sed etiam colloquiis vanis, confabulationibus, & similibus chorum perturbant? ipsi videant. Hoc autem peccatum ordinariè est veniale, vt docet Suarez *sup. cap. 13. n.* 10 & cum eo Filliuc. *tract. 23. cap 6. n. 208.* & Antonin. Diana *tract. 12. de hor. can. resolut. 32.* quia ordinariè talis mutilatio non est continua in aliqua notabili parte officij, sed in vno vel altero verbo, & ita ordinariè est materia leuis, & peccatum veniale. Aliquando tamen potest esse peccatum mortale, vt tenent citati, & Nauarr. *cap. 10. num. 9.* vbi ait. Nam interdum qui cantant, aut recitant, omittunt tantam partem versuum, psalmorum, vel degluttiendo, vel corrumpendo, vel syncopando verba, syllabas, vel litteras, vt ex his omissis fieret pars notabilis. Hoc ergo in casu absque dubio erit peccatum mortale, cum obligatione restituendi distributiones; quia ex omnibus omissis fit, vt supponimus, notabilis pars. Ita Poncina *disp. 1. de horis canon. quæst. 3. punct. 2 § 1 num. 2. & quæst. 5. punct. 2. num. 14. & 15.* & Moneta 2. *part. de distribut quæst. 5. num. 21.* qui *num. 22.* ait, hoc intelligendum esse non quando hæc notabilis omissio versuum, verborum, aut syllabarum consurgit ex omnibus diei horis simul, sed de singulis horis; nam, ait, quod in vna hora omittetur, non est cum eo quod in altera omittitur, computandum ad constituendam notabilem partem, cum quælibet hora vnum totum integrum, & perfectum per se constituat: quod etsi non sit improbabile, probabilius, & verius est oppositum; nam etsi quælibet hora sit quoddam totum essentiale, & independenter se habens ad aliam, est tamen quædam pars integralis septem horarum canonicarum, & totius officij diuini; sicut in Sacramento ordinis quilibet ex septem ordinibus est totum essentiale, tum etiam & quædam pars integralis ratione ordinis, quem habent ad sacram Eucharistiam. Quid quod demus quod sit quælibet hora totum integrum, non obstat hoc quin teneatur ad restitutionem, sicut tenetur ille, qui parum à diuersis furatur, quando peruenit ad notabilem quantitatem vt docent communiter Doctores, in materia furti, & diximus dub. sup. & ita etiam censet Bonacina, *quæst. 5. cit. punct. 2. num. 15.* lex enim determinat quantitatem restitutionis pro singulis horis, vt quilibet sciat quid pro singulis, vel illarum partibus omissis restituendum sit, non autem vt excusat omittentem nonnullos singularum horarum versiculos, qui simul sumpti materiam notabilem constituant. Secundò colligitur esse peccatum nimiam celeritatem in percurrendo versus psalmorum, vel dictiones, quod reducitur ad syncopam, non enim fit sine syncopa vel corruptione aliqua verborum, & ideo Concil. Basil. *sess.* 21. § 2. ait, dicendum esse officium in choro, *prolatione non præcipiti, sed distincta.* Et infra, *non cursim, ac festinanter* Potest enim aliquando esse nimia velocitas, etiam si nihil ex verbis omittatur, vel corrumpatur, quando scilicet impedit ne audientes possint verba percipere, & attendere, & interdum licet celeritas non sit nimia absolutè, potest esse nimia respectiuè, nam in solemnioribus festis maior pausa adhibenda est, vt monet Concil. *vbi sup.* & fit communiter in Ecclesiis benè dispositis. Hoc autem peccatum ordinariè tantum est veniale, posset tamen esse mortale, quando adest contemptus, vel graue scandalum, vel notabilis deformatio in toto cantu, vt docent Suarez *tom 2 de relig. l. 4. c. 13. n.* 12. & Filliuc. *tract. 23. n.* 210. Hinc fit non satisfacere suæ obligationi, & teneri ad restitutionem eos, qui in choro (idem dic de recitantibus cum sociis extra chorum) ita recitant, & cantant, vt nondum expletis versiculis à sociis, versiculos suos recitare incipiant; quia pars quæ anticipatè dicitur,

non participatur à ſociis, qui eam audire nequeunt, ideóque præceptum violatur: alioquin enim liceret ſocio dimidiam partem officij canere, vel recitare, altero dimidiam alteram partem ſimul, & eodem tempore recitante vel canente. Nauar. *de orat.c* 13. *n.*37. Leſſius *lib.*2.*c.*37.*dub.*10. & cum multis Bonacina *diſp.*1. *de horis canon.q.*3.*punct.*2.§.1.*n.*3.

10 Sequitur tertiò, eum qui omittit illam partem officij, quæ ſine pœna & mulcta omitti poteſt, vt ſi in noſtra Eccleſia ingrediatur chorum ante finitum primum Pſalmum, ordinariè non peccare mortaliter; tum quia ſi eſſet peccatum mortale, non eſſet veriſimile quod tam facilè permitteretur; tum etiam quia illa pars officij non eſt notabilis, iuxta ſuperius dicta, ita vt conſtituat ſufficientem materiam ad peccandum mortaliter: vnde ſi legitima adſit cauſa, facilè poterit excuſari illa mora ab omni culpa: ſi verò ex ſola negligentia, & quadam facilitate leuiter peccandi fiat, quæ impunè poteſt fieri, erit peccatum veniale. Hæc autem intellige, conſiderando particulam illam, *per ſe*, ſine coniunctione cum aliis particulis eiuſdem rationis; nam ſi quis haberet formale, vel virtuale propoſitum ſemper omittendi in ſingulis horis partes illas, quas ſine mulcta omittere poteſt, non videtur ſecutus in conſcientia; quia illud obiectum ſimul ſumptum graue eſt, & cum ſeruitium choro debitum ſit quoddam totum, magna & grauis pars ab illo ſubſtrahitur illo modo: tum etiam, quia ille affectus oſtendit quendam ſeruilem animum inſeruiendi choro timore pœnæ, vel affectu lucri, quandoquidem omittitur quoties ſine iactura lucri omitti poteſt; oportet ergo bona fide procedere animo integrè ſeruiendi, & tunc licet ſæpe ac ſæpius illæ particulæ horarum omittantur, ſolum erunt multiplicata venialia, nunquam tamen carebit culpa, ſaltem veniali, talis omiſſio, etiamſi habeat animum poſtea ſupplendi defectum per priuatam recitationem, quia in illa particula defraudat debitum ſeruitium chori, & hic defectus concurrendi cum choro, vel ad chorum, nunquam ſuppletur, nec ſuppleri poteſt per priuatam recitationem. Ita Suar, videodus 2.*tom.de relig.lib.*4.*c.*13.*n.*6.*&* 7. vide etiam Nauar. *de orat.c.*7.*n.*3.*&* *c.*10.*n.*43.*&* 44. Idem eodem modo dicendum eſt de eo, qui ingreditur chorum ante officium inceptum, aut in ipſo officij initio, & poſtea antequam hora finiatur, abſque legitima cauſa choro egreditur, & mutilat officium, ſi enim mutilatio hæc eſt in parte notabili, & peccabit mortaliter, niſi habeat propoſitum ſupplendi partem omiſſam, & tenetur reſtituere diſtributiones; ſi verò non ſit pars notabilis, eſt tamen in ea quantitate, quæ ſine mulcta, & pœna permittitur, non peccabit mortaliter, ſed venialiter. At ſi habeat propoſitum formale, vel virtuale omittendi huiuſmodi partem, non erit tutus in conſcientia, vt diximus de eo, qui huiuſmodi partem in ſingulis horarum initiis habeat animum omittendi. Quare grauiter reprehendendi ſunt, prout grauiter reprehenduntur in Clementina 1.*de celebr. Miſſ.* tardè ad chorum venientes, & ab eo ante finitum officium, ſine legitima cauſa, diſcedentes. Ideò meritò reprehendendi ſunt clerici, qui ſtatim finita Sexta in ipſo Benedicamus Domino, choro quaſi proceſſionaliter egrediuntur, & non reuertuntur ad Miſſam, niſi in ipſo tempore, & puncto neceſſario ad lucrandas diſtributiones. Similiter eadem reprehenſione digni ſunt illi, qui in completorio ſtatim poſt hymnum, aut breue capitulum, exeunt e choro, defraudant enim chorum debito ſeruitio, illudque perturbant, & præbent occaſionem ſcandali, imò & peccabunt mortaliter, cum obligatione reſtituendi diſtributiones, ſi ſimul cum hac parte amittant initium horæ ſine mulcta, & pœna permiſſæ, ita vt ex duabus coaleſcat notabilis quantitas: vt ſi in miſſa ingrediatur chorum finito graduali, & exeat ſtatim poſt ſumptionem: & in veſperis ingrediatur finito primo Pſalmo, & exeat ſtatim finito Cantico Magnificat, præſertim ſi hæc faciat continuò, & cum aduertentia, ſine cauſa, & neceſſitate. Cauendum tamen eſt, ne quis fingat legitimam excuſationē à choro, quam reuera non habet, quia tunc contra iuſtitiam diſtributiones accipit, & aggrauatur culpa pro quantitate materiæ, cum obligatione reſtituendi illas.

11 Sed quæres, an ſit peccaminoſa omiſſio aliorum officiorum, quæ recitantur in choro. Nota, in choro, præter diuinum officium canonicum, quod ſolet vocari Dominicum, & Maius, ſolere etiam recitari alia officia certis & ſtatis diebus, vt continentur in rubrica breuiarij, iuſſu Pij V. editi, vt ſunt officium paruum Beatæ Mariæ Virginis, Defunctorum, Pſalmi Graduales, & Pœnitētiales. Quætimus ergo, an ea omittere in diebus in quibus dicenda ſunt, ſit peccatum mortale. Loquimur vbi receptum eſt breuiarium Pij V. iuſſu editum, & à Clem. VIII. recognitum; nam vbi non eſt receptum, ſeruanda eſt conſuetudo illius loci, vt docent DD. infra citandi: poſſumus etiam loqui de recitatione extra chorum, vel in choro.

12 Reſpondeo igitur, & dico primò. Vbi eſt receptum breuiarium Pij V. recitantes extra chorum non tenentur ſupradicta officia, nec aliquot illorum recitare. Patet ex bulla Pij V. in principio ipſius breuiarij poſita, vbi tollit obligationem horum officiorum, & ea dicere relinquit cuiuſcumque deuotioni, & hortatur in Domino, vt hanc deuotionem contineant, ad quod, vt ſoatius præſtent, centum dierum indulgentiam concedit. Ita Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.*4. *cap* 25. *num.*7. & communiter DD. infra citandi, & comprobat communis praxis, & vſus fidelium etiam timoratæ conſcientiæ. Addit Suarez, *num.* 8. & benè, eſto quod non obſtante conceſſione, & gratia facta à Pio V. aliqua Eccleſia voluntariè retineat vſum dicendi has preces in choro, clericos, ſeu beneficiatos illius Eccleſiæ non teneri ad ea priuatim recitanda, quia Pius abſtulit obligationem, & deuotio capituli, vel cleri dicendi illa officia in choro, non poteſt ſingulis imponere obligationem quoad priuatam recitationem, tenentur tamen omnes priuatim recitantes præter horas Canonicas in die commemorationis omnium fidelium defunctorum ad dicendum officium defunctorum: & in die ſancti Marci, & tribus diebus ante Aſcenſionem, dicere, ſeu recitare Litanias priuatim, cum precibus annexis, niſi adſint publicis proceſſionibus, quia ſpecialiter hoc cautum eſt in rubricis generalibus Breuiarij Pij V. Suarez *ſup n.*8.*&* 9. Filliuc. *tract* 23.*c* 6.*n.*113. Bonac. *diſp.*1.*de hor.canon.q.*3.*punct.*1.*n.*12. & communiter DD.

13 Dico ſecundò, in choro recitantes non tenentur recitare officia ſupradicta defunctorum, B.M.V. Pſalmos Graduales, & Pſal. Pœnitentiales, excepto officio B.M.V. vbi erat conſuetudo illud recitandi ante Pium V. Ratio à priori eſt diſpoſitio Pij V. hic enim Pontifex, vt patet in præfata bulla, abſtulit obligationem recitandi in choro dicta officia, & ſolum relinquit deuotionem illa dicendi: Vnde chorus non recitans officium defunctorum, Pſalmos Graduales, aut Pœnitentiales, diebus aſſignatis in Breuiario, aut officium paruum Beatæ Mariæ, excepto vbi eſt in conſuetudine poſitum illud recitare, non peccat. Dixi, excepto officio Beatæ Mariæ Virginis, vbi erat in conſuetudine poſitum tempore Pij V. illud in choro

choro recitare; nam Pius non abstulit hanc consuetudinem, sed eam reliquit in suo robore vt antea erat. Patet his verbis. *Hoc autem concedimus sine praeiudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium paruum B. Mariæ semper Virginis in choro dici consueuerat, ita vt in prædictis Ecclesiis seruetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum officium.* Ex quibus constat, Pium non abstulisse obligationem recitandi officium B. Mariæ Virginis in Ecclesiis vbi id erat in more positum. Quare vbi erat consuetudo, tenentur illud celebrare sicut antea; ita quod si illa consuetudo habebat vim legis, sit peccatum illud omittere; si autem solùm ex deuotione recitabatur, & sic introducta etiam ex deuotione tantum continuatur, non erit peccatum omissio in choro huius officij. Filliuc. & Bonacina *supra*, & clarius Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 13. num. 13.* tunc autem censetur talis consuetudo habere vim legis obligantis ad peccatum, quando ab omnibus tali modo obseruatur, & reputatur communiter peccatum huius officij omissio in choro, & quando illud omittunt, accusant se in confessione, sicut de peccato. E contra verò tunc censetur sola deuotio, quando communiter illud omittentes existimant non peccare, nec faciunt sibi vllum scrupulum de omissione talis officij. Sicut contingit in salutatione Angelica in prima nocte. Quando verò dubitatur, an hæc consuetudo habeat vim legis, an verò solius deuotionis causa introducta sit, possumus inclinare in eam partem, vt consuetudo potius sit deuotionis, & honestatis, & ad melius esse, quam obligationis, vt ex communi doctrina probat Suarez *lib. 7. de legibus, cap. 15. num. 13.* Ratio est, quia generalis est regula in dubio neminem præsumi velle obligari; quia in dubio semper est melior conditio possidentis, vt in materia voti dicitur, & tractat benè Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. tract. 6. cap. 5.* non enim expedit multiplicare præcepta, vbi certa non sunt. Vide in nostra expositione Bullæ, *lib. 1. §. 4. dub. 3. num 4.* Hinc colligitur, quid dicendum de consuetudine Ecclesiæ Valent. in recitatione officij B. Mariæ Virginis in choro. Nam si attendamus ad capitulum, collegium, communitatem, seu chorum, videtur hæc consuetudo habere vim legis, nam vt sic inuiolabiliter obseruatur à choro, & si fortè aliquo die omitteretur, generaret maximum scandalum, & offensionem. Et confirmatur, quia non extat memoria huius antiquæ consuetudinis, sicque pro ea præsumi potest. Si autem attendamus ad singulos, non videtur eos afficere hæc consuetudo tanquam lex obligans ad culpam, quod interpretatur praxis & obseruantia, quæ maxima interpres est dubiæ legis; nam multi clerici, etiam timorati, nullum faciunt sibi scrupulum, quando existentes in choro officium hoc non recitant, dummodo non accipiant distributiones illi correspondentes; nec quando è choro exeunt, dum hoc officium recitatur, vel in illum non ingrediuntur, nec illud supplent, quando non recitant illud in choro. Quare, obseruantia teste, videtur hæc consuetudo solùm habere vim legis respectu communitatis, non verò respectu singulorum, sed tantum deuotionis, quod infra magis constabit ex dictis in fine huius numeri. Nihilominus minimè laudo eos, qui non recitant in choro officium B. Mariæ Virginis, aut è choro egrediuntur dum celebratur, nam præseferunt quandam indeuotionem B. Virginis, & priuantur indulgentia concessa à Pio V. E contra verò maximè commendo eos, qui deuotione qua possunt huic recitationi intersunt, & tantæ Virgini cultum, & honorem exhibent, quam sine dubio maximè propitiam in suis necessitatibus experientur. Hoc tamen pro certo habe, recitantes in choro teneri in die commemorationis fidelium dicere defunctorum officium, & Litanias S. Marci, & trium dierum ante Ascensionem, vt patet ex rubricis. Alia autem officia defunctorum, psalmos Graduales, aut Pœnitentiales in choro recitantes, non tenentur recitare absolutè, nec officium B. Mariæ, nisi vbi fuerit in consuetudine, modo explicato, vt constat ex dicta bulla Pij V. Nulla enim extat obligatio de iure communi recitandi supradicta officia, vt tenent Suarez *sup.* & Moneta *d. quæst. 3. num. 5.* Vbi testatur de communi, & explicat Nauarrum *cap. 10. de orat. num. 3.* aliquo modo contrarium. Certum etiam esse debet, quod si in aliqua Ecclesia extaret statutum recitandi officium B. Mariæ Virginis, illud esset seruandum, quia rationabile, sanctum, & pium. Itidem, si statutum esset, quod non lucretur distributiones correspondentes officio maiori, nisi intersit officio B. Mariæ Virginis, qui illi non interest non eas lucratur, iustè enim statui potest eodem modo certum, quando assignatæ sunt aliquæ distributiones ipsi officio B. Mariæ Virginis, non eas lucrari eum, qui illud in choro cum aliis non recitat; sicut nec lucratur distributiones officij maioris. At si à choro absit ex legitima causa sufficienti ad lucrandas distributiones officij maioris, vt est causa infirmitatis, aut priuilegij alicuius, tunc posset percipere distributiones etiam officij B. Mariæ Virginis, sine obligatione illud recitandi, vt docet Moneta *dicta qu. 3. n. 10. 11. & 12.* cum Nauarr. *cap. 10. de orat. n. 5. & 6.* quia hæc, inquit, præcipiuntur capitulo, & collegio, animo obligandi chorum, aut capitulum, non autem singulos; sicut præceptum matrimonij, & ordinis non singulis, sed toti vniuerso datum est, & satis adimpletur, si aliqui illud exequantur: sic similiter statutum hoc, aut consuetudo vim legis habens in hac materia, primo afficit communitatem, & satis adimpletur per eos, qui choro assistunt.

14 Ad vltimam partem dubij, videlicet, quale peccatum committatur addendo aliquid officio diuino. Respondeo breuiter, & dico, si id quod additur addatur ritu perpetuo, tanquam pars officij canonici, certum est esse peccatum mortale, quia id esset vsurpare iurisdictionem in re graui, & est expressè contra constitutionem Pij V. Ibi: *Statuentes Breuiarium ipsum nullo tempore mutandum, vel ei aliquid addendum, vel detrahendum esse.* Si verò addatur per modum partis alicuius horæ, sed non modo permanente, verum in aliqua occasione tantùm ex deuotione indiscreta; vt si adderetur commemoratio sancti, quando non est facienda, vel antiphona alterius, & similia, tunc solum esset peccatum veniale, si id quod additur sit ex Scriptura, vel ex sanctis Patribus, aut illis conforme: si autem esset in materia valde graui, absque dubio esset mortale. Demum si id quod additur, addatur non per modum partis extrinsecè ad maiorem solemnitatem, vt si inter psalmum cantatur aliquod motetum; tunc enim si cantus non sit lasciuus, vel ita prophanus, vt sapiat modulos theatrales, sed sit materia sacra, nullum est peccatum. Vide Caiet. 2. 2. *quæst. 91.* Suarez *tom. 2. de religione lib. 4. cap. 13. num. 15.* & Filliuc. *tractat. 23. cap. 6. quæst. 11. numer. 214.*

* *

DVB.

D V B. III.

Qualis attentio seruanda sit à recitantibus in Choro.

1 MOdus recitandi horas canonicas præscriptus est in Concilio generali sub Innoc.III. & habetur *in cap. dolentes, de celebrat. missarum*, his verbis. *Hac igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter igitur, & deuotè*. Per illam particulam, *studiosè*, intelligunt Doctores, vt officium integrè, & sine diminutione, ac mutilatione recitetur: per illam verò *deuotè*, vt diuinum officium cum intentione recitandi, & attentione ad id quod recitatur persoluatur. *Quantum Deus dederit*. Id est, deuotione quam homo Dei auxilio potest, & debet præstare, se ad orandum voluntariè applicando cum attentione, & nullum impedimentum debitæ attentioni voluntariè apponendo. Et nota modum recitandi officium *studiosè, & deuotè*, præscriptum in hoc cap. cadere sub rigoroso præcepto, vt apertè denotant verba *districtè præcipientes in virtute obedientiæ*, quæ ad omnia contenta illo in cap referuntur, vt benè Suarez *tom. 2. de relig. cap. 14. num. 4.* & communiter Doctores. Præcipitur ergo hoc rigoroso præcepto, & integritas diuini officij, & attentio interna tanquam necessaria ad illius recitationem: quare altero ex his deficiente, erit ex se peccatum mortale. Quod præceptum afficit quoad vtrumque, non solum priuatim recitantes, sed etiam in choro, vnde interdum violari poterit cum peccato mortali, si in choro non integrè, aut sine attentione interna recitetur. Imo illud ius præcipuè videtur statutum propter orationem publicam chori; nam in recitationibus priuatis, nec sunt tam frequentes abusus illi, qui eo in cap. referuntur; nec sunt tam scandalosi & cogniti. Constat etiam id, ex illis verbis, *Chori silentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus laicorum, dumque aditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad diuina*. Præterea in Clementina 1. *de celebrat. missar* expressius fit mentio de iis defectibus in choro, & de psalmodia, & de cantu, & idem præceptum deuotè psallendi, & celebrandi diuina officia, præcipuè afficit recitantes, & psallentes in choro. Denique in cap. cantantes *dist. 92.* hoc sensu dicitur non ore tantum, sed corde esse cantandum, quia non orat Deus ore sine corde. Ita Suarez *sup. à num 4 vsque ad num. 9* Constat ergo ex hoc cap. dolentes modum orandi integrè, & cum interna attentione cadere sub rigorosa obligatione ex genere suo obligante ad mortale etiam in choro. Ita etiam Filliuc. *tractat. 23. cap. 6. num. 191.* & Doctores infra citandi, qui asserunt, attentionem in omni oratione esse omnino necessariam. De integritate diuini officij diximus dub. sup. nunc agendum est de attentione ad illud persoluendum requisita. Et quamuis attentio includatur in intentione, seu intentio comprehendat in se attentionem, nihilominus tamen claritatis gratia quid intentio, quid attentio, & quotuplex hæc sint, breuiter, Deo dante, & dilucidè explicabimus.

2 Nota, loquendo strictè, & propriè, attentionem & deuotionem esse res distinctas: nam attendere est habere animum præsentem ad ea quæ facimus seu aduertentia & consideratio rei quam agimus, id est, vt ait August. *in sua regula canonic.* id versetur in corde quod versatur in ore. Deuotio verò propriè dicta, vt docet S. Thom. 2. 2. *quæst* 82. *art.* 2. est prompta voluntas animi ad exequendum ea, quæ sunt Dei famulatus, inde dicuntur deuoti, quasi Deo dediti; at quia hæc animi promptitudo includit etiam attentionem animi, ideo deuotio, & attentio mutuo se includunt, & pro eodem communiter vsurpantur. Vide Nauarr. *cap. 11. de hor. canonic. num.* 33.

3 Intentio igitur recitandi officium est, voluntatis propositum ipsius officij persoluendi. Quæ duplex esse potest, explicita, seu formalis, & implicita, seu virtualis. Intentio formalis & expressa est, quando quis actu positiuo, & expresso intendit recitare diuinum officium studiosè, deuotè, & attentè, vt suæ obligationi satisfaciat. Implicita est, quando confuso modo, & quasi ex consuetudine, id intendit, quod magis infra dum de attentione agemus, constabit. Nam attentio orandi includitur in intentione, eo quod intendens aliquid facere, attendit ad id quod intendit, & nihil est volitum, quod non sit præcognitum.

4 Attentio in præsenti materia est aduertentia, & consideratio, quæ habetur dum recitatur diuinum officium Triplex solet à Doctoribus constitui attentio Prima est ad verba, quæ dicitur materialis, quando scilicet quis aduertit & considerat verba, quæ profert. Secunda ad sensum verborum, quæ dicitur litteralis, quæ fit quando quis non solum verba quæ profert considerat, sed etiam illorum sensum. Tertia est spiritualis, seu ad Deum, quando scilicet orans, & recitans cogitat de Deo, vel de re pro qua oratur, vel attendit ad passionem Christi, vel ad aliam rem piam, cum intentione laudandi Deum, vel ad rem quam petimus, vel ad sanctos, ad quos orationem dirigimus. Ex his attentionibus primum locum obtinet ad Deum, seu spiritualis; secundum locum obtinet ad sensum; & tertium ac infimum, ad verba. Rursus quælibet ex his potest esse vel actualis, aut virtualis, seu habitualis. Actualis attentio est, quando actualiter aduertit, & attendit ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum. Virtualis verò est, quæ manet virtute, & quasi in semine in aliqua actuali prius habita: vt quando quis incipit orare, aduertendo, & attendendo, & virtute illius attentionis prosequitur orationem, & postea inuoluntariè distrahitur, hic censetur virtualiter attendere: nam prior attentio censetur durare virtualiter, nisi expressè vel tacitè reuocetur. Expressè reuocatur, dum recitans expressè non vult attendere: tacitè verò reuocatur, dum recitans aduertit esse distractum, & nihilominus non repellit distractionem, nec reuocat mentem ad attentionem. Habitualis verò contingit, dum quis recitat ex habitu & vsu, nihil aliud aduertens, vel nulla præcedente aduertentia in principio: vt si quis canat in somnis ex habitu, iuxta quem in vigilia canere solebat. Denique attentio potest esse explicita, vel implicita, eo modo quo diximus de intentione, nam cum hæc duo mutuo se includant, quod in hac parte dicemus de intentione, facilè ad attentionem accommodari poterit, & exempla ad vtrasque referri.

5 Dico primò, vt officium diuinum deuotè, & attentè recitetur, requiritur necessario intentio, seu propositum voluntatis illud recitandi. Nauarr. *cap. 13. de orat. num. 14.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 3. c. 3. n. 14.* vbi de hoc latè. & communiter Doctores. Ratio est, quia oratio est actus humanus, & nemo potest dici loqui cum Deo, nisi ad ipsum sermonem dirigat: tum etiam quia ad satisfaciendum præcepto

requiritur

requiritur intentio faciendi opus præceptum, vt tractant Doctores, in materia de legibus. Hinc fit vt amicus, & dormiens, infans, &c. etsi verba proferant, non tamen orant. Adultus autem recitans horas canonicas per metum, satisfacit præcepto; quia metus non tollit absolutè voluntarium; secus cum omnimoda violentia, quia cum vi absoluta non subsistit voluntarium. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *quæst.* 2. Bonacina *disput.* 1. *de horis canon. quæst.* 3. *punct.* 2. §. 2. *num.* 3.

Non est autem necessaria intentio explicita, seu formalis, sed sufficit implicita, seu virtualis, vt docent Nauarr. *cap.* 13. *de oratione, num.* 15. & cum aliis Suarez *d. cap.* 3. *num.* 6. quia hæc satis est ad actum moralem. Vnde satisfacit huic præcepto, qui intendit officium recitare modo consueto, aut confusa apprehensione, & proposito faciendi opus consuetum, ideo sufficit accipere breuiarium de more, & ita recitare, vt si recitans interrogetur quid faciat, respondere possit, se orare, aut se velle præceptum implere; nam eo ipso quo breuiarium de more accipit, satis indicat, se illud accipere ad eum finem, ad quem aliàs breuiarium adhiberi solet. Item satisfacit, qui diuinum officium recitat intentionem habens laudandi Deum, vel satisfaciendi suo muneri, aut si accedat ad Ecclesiam seu chorum de more ibi officium recitaturus, quamuis postea recitet inuoluntariè distractus. Ita Filliuc. *tract.* 23 *cap* 8. *num.* 71. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 11. *num.* 71. *lib* 3. *cap.* 3. *num.* 6. & *cap.* 26. *num* 5 Nauarr. *cap.* 13. *n.* 106. & *de orat. cap.* 25. *n.* 8. & Bonacinam *dict. punct.* 2. *à num.* 10. Ratio est, quia eo quod quis voluntariè facit aliquod horum, habet intentionem persoluendi munus suum, & consequenter habet intentionem attendendi, cum intentio non subsistat sine attentione, & attentio quasi necessario consequatur intentionem orandi, vt sæpe dictum est.

6 Dico secundò, ad omnem orationem vocalem requiri tanquam de eius substantia aliquam attentionem, sine qua oratio nullo modo subsistere potest. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. Nauarr. *de orat. cap.* 4. *num* 3. & communis Doctores, ex Suarez *lib.* 3 *de orat. cap* 4. *n.* 3. *tom.* 2. *de relig.* quia vt bene S. Bonauent. *lib. de perfectione vitæ, cap.* 5. valde indecens est, vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde. Vide Cyprian. *lib. de orat.* est enim oratio vocalis, quædam adoratio, & cultus externus, vnde fieri debet spiritu, & veritate, hoc est mentis attentione, & externa prolatione: ideo 1. Corinth. 14. dicitur. *Orabo & spiritu, orabo & mente.* Et meritò à Christo Matth. 15. reprehenduntur orationes sine attentione: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Etenim qui vult Deum alloqui, aut aliquid ab eo petere, debet alloqui, & petere conuenienti modo; ille autem non alloquitur, nec petit conuenienti modo, qui non attendit ad ea, quæ profert, vel petit, vt patet à simili de eo qui cum principe terreno sermonem habet. Ea enim quæ sine attentione fiunt, potius materialiter more psitaci proferri dicuntur, quam per modum orationis, & laudis Dei. Quod procedit non solùm in oratione, quæ est in præcepto, sed etiam in ea, quæ est voluntaria: quamuis enim quis non teneatur orare, tamen si orare vult, debet orare modo debito. Dixi orationem vocalem, nam mentalis non potest fieri sine mentis attentione, ideo dicitur mentalis. Dixi, aliquam attentionem, nam sufficit virtualis, & implicita, vt diximus de intentione; & sufficit attendere ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum, vt infra magis constabit. Hinc fit, quod oratio sic attentione aliqua, fit peccaminosa, & defectuosa. Hoc tamen modo, quod si oratio sit ex præcepto, & in materia graui, orare sine aliqua attentione, erit peccatum mortale; si autem oratio solum sit sub præcepto veniali, orare sine attentione erit peccatum veniale. Quod si oratio non cadat sub vllo præcepto, sed sit omnino voluntaria, solùm erit ex se peccatum veniale. Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 11. *num.* 67. Bonacina *de horis canon. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. §. 2. *num.* 7. & 8. & alij. Vide Nauarr. *de orat. c.* 13. *n.* 46. *c.* 20. & *c.* 21. & Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 8. *n* 72. & 73.

7 Dico tertiò, recitans priuatim officium diuinum ex præcepto, vt illi satisfaciat, tenetur formaliter, vel virtualiter attendere, vel ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum. Hæc conclusio est communis, & communiter recepta inter Doctores nostri temporis, & omnino tenenda, & illam tenent Nauarr. *cap.* 25. *num.* 133. Sotus *lib.* 10. *de iust. quæst.* 5. *art* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 12. *quæst.* 6 Lessius *lib.* 2 *cap.* 37. *dub.* 11. *num.* 64. Suarez *tom* 2. *de relig lib.* 3. *cap.* 4 & *lib* 4. *cap.* 26. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 6. *quæst.* 3. *cap.* 8. *quæst.* 2 & *cap* 3. *qu.* 2. Emmanuel Sà *verb hora can.* Reginald. Aragon, Garcia, Vasquez, Rodriguez, Monera, & alij multi, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.* 2. *de horis canonicis, quæst.* 3. *punct.* 1. §. 2. *num.* 4. contra Syluest. *verb hora*, Medina *de orat quæst.* 16. Angelum, & Rosellam asserentes, neminem teneri ad attentionem internam sub mortali, modo integrè recitet externe, id est, ne exterius occupetur in actione contraria attentioni: v. g. scribendo, loquendo, &c. quod ait probabile Diana cum aliis *resol.* 2. *de hor. can.* Fundamentum huius sententiæ est, quia Ecclesia, quæ diuini officij recitationem præscripsit, non potest præcipere attentionem internam; cum Ecclesia non habeat potestatem super actus internos. Quam sententiam existimat probabilem Filiuc. *d. cap.* 8. *num.* 253. dummodo adsit animus orandi, qui vix potest esse sine attentione aliqua interna. Sed nostra, & communis sententia, vt ipse ait, & Bonacina *sup. d. num.* 4. longè verior, & probabilior; imo, vt bene Suarez *dicto cap.* 26. *num* 5. omnino vera, & mihi moraliter certa: ita vt oppositam, hac nostra ætate, nec auderem consulere, nec sequi. Probatur nostra sententia, & simul destruitur oppositæ sententiæ fundamentum. Primò, quia *in capit. dolentes*, præcipitur officium deuotè recitari, at deuotio actus internus est voluntatis. Secundò, quia Ecclesia præcipit recitationem diuini officij tanquam actum orationis; at oratio vera non subsistit sine aliqua attentione interiori; quia vt probatum est *concl.* 2. attentio aliqua est de substantia orationis eam connaturaliter concomitans; eo enim quo quis orat, etsi voluntariè oret, tenetur etiam iure naturali cum attentione orare. Hinc est, quod cum attentio includatur naturaliter in oratione, eamque necessario consequatur, possit præcipi ab Ecclesia, non quidem directè, primo & per se, sed quasi indirectè, consequenter, & secundario; nam præcipiendo veram orationem compræcipit omnia quæ eam necessario consequuntur, & de eius substantia, & subsistentia; sic quando Ecclesia præcipit confessionem vocalem annualem, consequenter præcipit actum internum contritionis, seu attritionis, & confessionem peccatorum internorum; quia Ecclesia præcipit confessionem veram, & secundum ea omnia requisita ad eius valorem; at confessio non subsistit sine supradictis, ergo præcipiendo directè veram confessionem, indirectè & secundariò præcipit actus internos ad eam necessarios. Sic in proposito, præcipiendo Ecclesia primò & per se veram recitationem diuini officij, præcipit etiam

indirectè & secundariò attentionem omnino ad eum requisitam.

8 Adde, vt benè aduertit Nau. *c.13. de orat. n.*20. Syluestrum *vbi sup.* si attentè legatur non videri discrepare à communi sententia: dicit enim euagationem interiorem non esse peccatum mortale, etiam si sit deliberata, dummodo sciat quod recitat, vel facit: nam scire quod dicit & facit, est animaduertere, & videre an erret necne, & hic est vnus, etsi infimus modorum attendendi, & consequenter non dicit, nisi quod non est peccatum mortale euagatio interior deliberata, quando in ea concurrit vna trium attentionum, licet minima, quod etiam tenet communis.

9 Dixi, siue ad verba, siue ad sensum, siue ad Deum, nam quælibet ex his sufficit, vt diuinum officium sine peccato persoluatur, vt docet Suarez *tom.2 de relig.lib.3.cap.4.n.*8. *& lib.4.cap.26. num.*24. & communiter DD. primæ sententiæ, nam quæcumque illarum est actus humanus, & verum signum cultus diuini, & petitionis quæ interna mente offertur Deo. Quare sufficit prima, seu infima, quæ est ad verba solum, etiam si voluntariè omittatur melior, vt latè Suarez *sup c.4.num.*11. *& cap.*16.*n.*24. & Filliuc.*tract.*23.*cap.*3.*à num.*74. *& cap* 8. *quæst.*3. contra Caiet.2.2 *q.*83.*art.*13. Ratio est, quia homo non tenetur orare meliori modo quo potest; ergo nec tenetur non impedire perfectionem attentionis, modo voluntaria cogitatio de aliis rebus non sit otiosa, vel noxia; tunc enim erit peccatum ob deformitatem talis actus, non autem propter carentiam attentionis. Hinc fit vt quæcumque attentio ex dictis sufficiat, vt oratio honesta sit. Et si quidem voluntaria omissio sit rationabilis, vt si quis nolit attendere ad perfectiorem, ne caput fatiget, vel quid simile, non impediet quo minus honesta sit; si verò non sit rationabilis, sed vt attendat cogitationi otiosæ, vel turpi, erit tunc praua circunstantia orationis, ita vt non solùm se habeant tamquam duo actus, bonus & malus, comitanter se habentes, sed etiam quod vnus deformet alium; quia non fit sine irreuerentia Dei oratio cum voluntaria distractione turpi, vel irrationabili: vnde verisimile est, si quis dum vocaliter orat, in delectatione & cogitatione turpi morosè delectetur, peccando mortaliter contra castitatem, etiam peccare contra circunstantiam contrariam religioni, vel venialiter aggrauantem, quod certum est; vel etiam mortaliter, quod licet sit incertum, timendum est, vt benè Suarez *sup.num.*13. quia videtur grauis irreuerentia. Quo pacto intelligendi sunt DD. dicentes, non benè orare eos, qui orant corde diuiso, nimium cogitantes terrena cum offensione Dei. Filliuc. *sup.cap.*3. *num.*76. Concludendum igitur est, voluntariè impedire maiorem attentionem, posse esse peccatum veniale, si otiosè & absque causa fiat, numquam verò continere huius præcepti transgressionem, si adsit debita attentio ad verba, quam vocant superficialem: vnde à fortiori satisfacit, qui orat meditando Passionem Domini, quamuis intendat ibi vltimatè sistere, & non ascendere ad montem diuinitatis, vt contra Nauar. *de orat.cap.*13.*num* 34 *&* 35. tenet Suarez *d.cap.*26. *num.*25. quia illa oratio est honestissima, & vtilissima (vtinam semper omnes illam haberemus,) & ideo licet intendat quis non vltra progredi, egregiè satisfaciet.

10 Ex dictis colligitur, eum qui dum recitat habet attentionem infimam, seu superficialem, ad verba scilicet, ita vt ea integrè & incorruptè proferat, satisfacere huic præcepto, quamuis aliam cogitationem habeat: quæ quidem cogitatio si sit de Deo, oratio erit honestissima, & vtilissima; si autem sit extranea à Deo, & irrationalis, oratio erit peccaminosa ratione circunstantiæ, hoc pacto, videlicet, si extranea cogitatio sit de re turpi, & de peccato mortali, oratio erit peccaminosa mortaliter, quia irreuerentia est grauis; si autem de re otiosa, seu peccato veniali, sic orans solum peccabit venialiter, quia leuis est irreuerentia, semper tamen satisfaciet præcepto, si illa cogitatio non tollit attentionem ad verba. Ita colligitur apertè ex doctrina Suarez *locis citatis.* Ego autem, supposita mea fragilitate, & incapacitate, difficilè iudico posse ritè, & rectè attendi ad verba simul cum extranea cogitatione, ideo consulerem, vt quantum Deus dederit, conemur eas propellere, & ad Deum attendere.

11 Aduerte tamen attentionem spiritualem & ad Deum aliquando tantam, & tam excellentem esse posse, vt omnino impediat vsum vocis & verborum prolationem, vt contingere potest in mentis suspensione, vel raptu, quo in casu oratio vocalis omnino cessat. Vnde si quis habens obligationem recitandi vocaliter, in initio vel medio orationis ita suspenderetur mente, vt lingua etiam taceret, perfectè non impleret præceptum orandi, sed teneretur postea recitare; vel si non tempus superesset, & illud ab orante præuideretur, deberet impedire tantam animi suspensionem, quantum satis esset ne ab oratione vocali impediretur, nec possit aliter excusari à culpa, nisi tanto impetu Spiritus sancti raperetur, vt non esset in potestate illius eam animi suspensionem impedire, nam tunc cessatio ab oratione vocali non esset voluntaria. Suarez *sup.num.*14. Quando ergo diximus sufficere attentionem ad sensum verborum, vel ad Deum, intelligendum est quando hæc interior attentio & meditatio non impedit vsum vocis, nec quin verba integrè, & sine errore proferantur, & humano more, *cum aliqua* aduertentia, seruato debito ordine & modo, vt scilicet altero choro loquente, ipse taceat, & altero tacente, ipse loquatur. Non tamen requiritur aduertentia, seu attentio reflexiua ad verba, videlicet, vt cogitet orans de ipsa locutione, & de ipsis verbis, sed sufficit simplex, vt cogitans de Deo, & quasi aliud agens, curam verborum quæ dicenda sunt, vel audienda, habeat, & hæc vix deesse potest, cum mens attendat ad actualem verborum recordationem. Vnde satisfacit recitationi vocali, quando voce non cessante, recitans ita spirituali sensui attendit, vt non consideret verba, dummodo ea integrè, & sine errore vigilando circa ea aliquo modo, humano more proferat. Quod potest duobus modis contingere. Primo, quando recitans intendit, & applicat se ad verborum attentionem, postea verò ex habitu, vel ex instinctu Spiritus sancti, vel ex virtute, & exercitatione ipsius psalmodiæ, non aduertens distrahitur à cogitatione verborum: quo in casu dubium non est quin oratio vocalis rectè & verè fiat; quia manet virtualis attentio ad verba, cum actuali attentione ad Deum, qua (vt supponitur) prior intentio attendendi ad verba numquam fuit voluntariè interrupta. Etenim si distractio naturalis, media etiam cogitatione non bona, non tollit attentionem virtualem, multò minus toller pia cogitatio vel meditatio. Secundò potest contingere, quando quis voluntariè vult orare, & proferre verba, quæ re vera profert, ad orandum, vel laudandum Deum, voluntariè tamen ita applicat intellectum ad Deum, volendo directè, seu in casu nihil attendere ad verba actualiter, & in hoc casu Nauar.*cap.*13.*num.*19.*&* 30. & alij asserunt permanere posse orationem vocalem veram; quia licet homo

non

non attendat ad verba, nihilominus voluntariè illa profert ad orandum, & laudandum Deum, cum ascensione mentis ad Deum; non enim est de ratione orationis, vt cogitet orans de ipsa locutione, sed satis est vt cogitet de Deo, cum quo loquitur, vt dictum est: quo in casu illa oratio vocalis est vera oratio, & sufficiens ad implendum præceptum, quia non habet malam circunstantiam, nec caret circunstantia debita, nam solum caret attentione superficiali ad verba, quæ debita non est: quod maximè procedit quando persoluitur diuinum officium, non memoriter, sed legendo per librum; quia tunc ferè nullum est periculum errandi, & vix potest fieri recitatio cum tanta attentione ad Deum, vel ad aliquem spiritualem sensum, vt non formentur in mente conceptus non vltimati verborum quæ leguntur, qui conceptus non formatur sine aliqua attentione ad ipsa verba, licet posset esse tam simplex & tenuis, vt ab ipsomet homine non aduertatur, sufficit tamen ad honestam & veram orationem. Suarez *d. cap.* 4. per varios numeros, qui *num.* 22. in fine aduertit, & piè monet, regulariter loquendo, in hominibus non multum assuetis altiori contemplationi, melius consilium esse meditari aliquid pertinens ad sensum verborum, saltem mysticum, vel quod aliquo modo ipsa verba concernat, vt ita vterque actus, interior, & exterior per modum vnius melius fiat. Ex quibus constat primam attentionem ad verba esse fundamentum aliarum attentionum, & sine illa, modo explicato, quamcunque aliam non esse sufficientem ad adimplendum præceptum; debet enim semper integrè & ordinatè recitare officium, quod sine attentione aliqua ad verba fieri non potest: non tamen est necesse cum reflexione attendere ad verba, vt dictum est, sed satis est hominem scienter & moraliter illa proferre integrè & ordinatè, nec omnino eorum obliuisci. Filliuc. *tr.* 23. *cap.* 8. *num.* 257. cum Suarez *tom.* 2. *de religione, lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 23.

52 Aduerte etiam, quamuis attendens solùm ad verba satisfaciat huic præcepto, melius tamen & vtilius erit, si attendat etiam ad sensum verborum, & multo melius, si ad Deum; nam attentio ad sensum melior est quam attentio ad sola verba, & his duobus multo melior est attentio ad Deum, modo explicato: ex quo fit, vt ait Nauarr. *cap.* 10. *de orat. num.* 5. multos idiotas, & rusticos attendere melius ad Pater noster, & ad psalmum quem memoriter recitant, quam aliquot alij literatissimi. Multi (inquit) siquidem idiotæ recitantes mentem ducunt in illam magnam curiam cœlestem contemplantes, vt Deus ille, rerum omnium opifex, in quantum Deus, per seipsum illi præsidet, & in quantum homo habens vnitam reuerendissimam, ac suauissimam humanitatem, summus noster mediator est, vtique innumeri cælicolæ, Angeli, & sancti ei assistunt, eiusque suauissimæ conuersatione fruuntur, & ea contemplatione delibuti, desiderioque eo migrandi affecti recitant, non ponderantes verba quæ proferunt, nec quid ea significent intelligentes. Aliquot verò litterati ea ipsa recitantes, ponderant quidem verba quæ proferunt & legunt, & mentes in eorum significata intendunt, eas tamen ad illa sublimiora non eleuando. Hæc piissimus Nauarrus.

53 Dixi formalis, aut virtualis, nam etsi melior sit formalis actualis attentio, dum actu diuinum officium persoluitur, non tamen requiritur actualis attentio, sed sufficit virtualis ad satisfaciendum præcepto diuini officij, quæ scilicet perseuerat in proposito attendendi ad orationem, non retractando illud, neque formaliter, neque interpretatiuè, per voluntariam negligentiam, quia cum attentione virtuali subsistit oratio, & est actus humanus, vt dictum est sup. de intentione virtuali, nam hæc duo mutuo se includunt. Et non tantum sufficiens est attentio virtualis, sed omnino necessaria est ad benè orandum, & satisfaciendum præcepto. Tum quia ad satisfaciendum huic præcepto requiritur illa attentio, sine qua non subsistit oratio; at oratio non subsistit sine attentione saltem virtuali, quia habitualis non sufficit, vt dicemus: ergo. Tum quia ad satisfaciendum præcepto diuini officij, necessaria est intentio virtualis orandi, vt dictum est concl. 1. nullus enim satisfacere potest præcepto absque intentione præstandi opus præceptum, vt cum alijs Bonacina *de legibus, quæst.* 1. *punct.* 10. at non potest esse intentio virtualis orandi absque attentione virtuali; quia aduertens se distractum, & non curans distractionem repellere, sicut non habet attentionem, ita neque habet intentionem virtualem orandi, nam qui aduertit se distractum, & non reuocat attentionem, non vult orare; quia si orare vellet, reuocaret attentionem; signum ergo est intentionem orandi deesse, vbi deest attentio; sicut enim ad orandum requiritur intentio, saltem virtualis, ita etiam attentio saltem virtualis, quamquam in hac re non oportet scrupulosum esse, quia præceptum & iugum Ecclesiæ suaue est, & scrupuli magis distrahunt, quam excitant mentem ad orandum. Attentio autem habitualis nullo modo sufficit ad satisfaciendum præcepto, quæ contingit quando quis recitat aliquid ex habitu & vsu, nihil aliud aduertens, vel nulla præcedente aduertentia in principio: vt si quis canat in somnis ex habitu, iuxta quem in vigilia canere consueuit, quia hæc attentio non est vera attentio, nec cum ea subsistit oratio, sicut nec Sacramentorum administratio. Constat ergo ad satisfaciendum huic præcepto, requiri attentionem ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum actualem, vel virtualem. Bonacina *disp.* 1. *de horis canon. quæst.* 3. *punct.* 2. §. 2. *num.* 17. & communiter Doctores. Vide Filliuc. *tract.* 23. *c.* 3. *quæst.* 2. *& cap.* 8. *quæst.* 1. Nauar. *cap.* 13. *de orat. n.* 15. & Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *cap.* 3. *& lib.* 4. *cap.* 26.

54 Sed rogabis, an sit necessaria attentio formalis & explicita ad satisfaciendum huic præcepto, an vero sufficiat implicita, & tacita. Respondeo, sufficere implicitam, & confusam, seu tacitam, nam intentio tacita, & implicita orandi sufficit, vt docent Nau. *sup.* Suar. *sup. d. c.* 3. *n.* 6. Filliuc. *sup. dict. c.* 3. *n.* 71. Bonac. *loc. cit. n.* 18. & alij; ita etiam sufficit attentio implicita, nam cum vtrâque subsistit oratio, & est actus humanus. Adde, vt sæpè dictum est, in intentione orandi includi attentionem, nam intendens aliquid facere, attendit id quod intendit; ac proinde quod dictum est de intentione, de attentione censetur dictum, nam eædem rationes, & eadem exempla ad vtrasque accommodari possunt. Ex quo patet non requiri vt recitaturus diuinum officium expressè proponat recitare attentè, & studiosè, sed sufficit, vt præcepto satisfaciat, si intendat in genere diuinum officium recitare modo consueto; vnde satisfacit qui officium recitat cum confusa apprehensione, & proposito faciendi opus consuetum, ideoque sufficit accipere Breuiarium de more, & officium ita recitare, vt si recitans interrogetur, quid faciat, respondere possit, se orare, aut se velle præceptum adimplere; nam eo ipso quo Breuiarium de more accipit, satis indicat se accipere ad eum finem, ad quem aliàs Breuiarium adhiberi solet. Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 11. *num.* 71. Suarez *sup. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. & cum alijs Bonacina *vbi sup. n.* 21. Item satisfacit qui diuinum officium recitat, intentionem habens laudandi

Deum, vel satisfaciendi suo muneri. Suarez *d.n.6. & lib.4.c.16.n.5.*& alij. Vnde non est necesse habere voluntatem implendi præceptum explicitè, & formaliter, sed sat est habere virtualiter, recitando scilicet ex consuetudine ad implendam suam obligationem. Quod si quis dicat horas cum expressa voluntate non adimplendi præceptum, sed aliàs deinde recitandi, et si multi sentiant teneri ad aliàs recitandas, probabile tamen est non teneri, sed tantum debet retractare priorem nolitionem, & voluntariè illam actionem acceptare, quia tantum deerat debita subiectio voluntatis. Ita Filliuc. *sup.c.8 n.25 t.* & latius Suarez *lib.4. cap.26. num.8.* Bonacina *sup. num.31.* Denique satisfacit ille, qui accedit ad Ecclesiam de more ibi officium recitaturus, quamuis postea recitet inuoluntariè distractus. Ratio supra dictorum est, quia eo ipso, quo quis voluntariè facit aliquid eorum quæ diximus, habet intentionem persoluendi munus suum, consequenter etiam habet intentionem attendendi, cum intentio non subsistat sine attentione, & attentio quasi necessario consequatur intentionem orandi, ita cum allegatis Bonacina *sup n.24.*

55 Ex dictis circa hanc conclusionem colligitur, primò peccare mortaliter ex genere suo, qui officium diuinum ad quod recitandum tenetur ex præcepto, illud recitat absque vlla interna attentione, ex tribus supradictis, modò ibi explicato, communia apud Suarez *tom.2.de relig. lib.4.c.16.n.*18. Ratio est, quia eiusmodi præceptum obligat ad orandum cum attentione, ergo qui mente nun attendit, præceptum non seruat, vt si officium recitet confabulando notabiliter, vel dormiendo, quo in casu non solùm peccat mortaliter, sed etiam fructus sui beneficij restituere tenetur pro rata, iuxta dispositionem Pij Quinti (de distributionibus dicetur infra) quia hic non orat, consequenter cum non satisfaciat præcepto, nec facit fructus suos. Bonacina cum aliis *disp.1. de hor. canon. quæst.3. puncto 2.§.2. n.8 & 9.* Suarez *sup.num.25.* Quare hic vt præcepto satisfaciat tenetur iterum recitare, & sic faciet fructus suos. Filliuc. *tract.23. cap.8.n.262.* Suarez *sup.* & communiter DD. asserentes requiri necessario aliquam internam attentionem ad persoluendum diuinum officium. Sic qui missam in die festo audit sine vlla attentione, tenetur intra eandem diem audire aliam si potest. Sed dices: Si voluntariè quis distrahatur, & deinde repetat, peccauit ne prima vice distractione voluntaria? Respondeo cum Filliucio *sup.num.263.* si habuit propositum iterum recitandi, non peccauit; si non habuit, tunc vel habuit contrarium propositum, scilicet non recitandi, & sic peccauit; vel negatiuè se habuit, & tunc si cœpit officium cum proposito satisfaciendi per illum actum obligationi, & postea non mutando propositum voluntariè distrahitur, videtur peccare mortaliter, quia virtualiter permanet in eo, & consequenter implicitè non vult iterum recitare. Si verò quis solitus esset repetere, cum aduerterit se recitasse sine attentione, probabile est non peccasse, quia virtualiter habere videtur propositum recitandi.

56 Dixi ex genere suo, quia aliquando erit veniale peccatum. Primò, si materia sit leuis, & parua, vt si pars officij, cui non attendit, non sit notabilis. Secundò, si distractio, seu non attentio non sit perfecte voluntaria, vt si negligentia leuis sit, quia non est plenè voluntaria, sed ex subreptione; imo Caiet. 2.2. *quæst.83 art.13.* cui consentit Suarez *d.cap.16.n.21.* non satis est quod aliquis aduertat se cogitare ad alia; sed opus est vt aduertat se per id diuerti ab oratione: quæ doctrina maximè notanda est pro scrupulosis, qui sæpe repetunt horas, & semper committunt easdem, vel maiores imperfectiones; si ergo tales bona fide, & cum proposito attendendi incipiunt recitare, etiam si in fine Psalmi aduertant se fuisse distractos, non tenentur repetere, sed possunt prosequi, denuo applicando mentem ad attentionem. Idem die si non recordantur se dixisse omnia; quandiu enim non constet euidenter se propositum mutasse, vel aduertenter circa alia vagatos fuisse, possunt credere se obligationi satisfecisse. Nauarr. *cap.13.de orat. num.29.* Filliuc. *dicto cap. 8.n.255.tract.23.* Suarez *sup.cap.16.n.21.* Satisfacit etiam huic præcepto ille, qui dum recitat diuinum officium, detinetur in aliqua re exteriori non incompossibili cum interna attentione, vt si recitet, dum se vestit, spoliat, vel ambulat, vel dum campum aspicit, vel dum in choro assurgit alicui aduenienti, & ingredienti, vel dum faciem abluit, vel etiam dum mensam vel lectum sternit, sciens illas actiones posse exercere sine distractione ab oratione, peccabit tamen ordinariè venialiter, nisi aliqua iusta causa interecedat; aliquando tamen potest esse mortale, vt si quis experientia didicisset, se etiam impediri ab attentione debita, Filliucius *sup. num.160.* Nauarr. & Suarez *infra.* Secus tamen si voluntariè occuper se in re aliqua incompossibili cum attentione interna, vt si inter recitandum scribat, depingat, aut aliud legat: tunc enim iterum sub mortali recitare tenetur. Nauar *cap.13.de orat. num 47 & seqq.* Suarez *d cap. 16.num.21.* & cum aliis Bonacina *sup.num.12.* Hinc fit etiam peccare mortaliter eum, qui dum recitat occupat mentem in actionibus quæ impediunt internam attentionem, quales sunt actiones cogitandi, & discurrendi circa philosophica. Filliuc. *n.259.* cum Suarez *d c.16.n.21.*

57 Quæ hucusque de attentione dicta sunt, æquè communia sunt recitationi priuatæ, & publicæ; nam iura allegata de omnibus loquuntur, & rationes propositæ æqualiter vtrique orationi conueniunt; imo præceptum attentionis videtur præcipuè impositum propter publicam chori attentionem, vt videre est *in cap dolentes de celebr. Miss.* & Clemen. 1. *eod.tit.*& docet Suarez *tom.2.de relig. lib 4. cap.14. num.8.*& cum eo Filliuc. *tract.23.c.6.num.191.*& dictum est hoc dub. *in principio.* Ideóque omnia quæ de attentione priuata dicta sunt, de attentione in oratione publica, & in choro dicta censentur. Sed tamen vt nostro instituto satisfaciamus, & quia aliqua specialia in publica recitatione concurrunt, quæ non inueniuntur in priuata recitatione, ea quæ illi sunt propria, qua potero claritate, & breuitate attingam. Ad cuius intelligentiam nota, duobus modis posse beneficiarium residentem in choro distrahi. Primo, sine animo iterum recitandi, vel totam horam, vel partem illam in qua penitus attentus non est. Secundò, distrahi potest cum proposito supplendi defectum per priuatam recitationem. Suppone nos loqui in hoc dubio de beneficiario canente in choro, sine attentione tamen, nam de non canente iam dictum est dub.1.

58 Dico quartò, canens in choro voluntariè, & culpabiliter distractus, non attendens nec ad verba, nec ad sensum, nec ad Deum, sine animo recitandi partem sine attentione omissam, si pars omissa est notabilis, & grauis peccat mortaliter. Ita Suar. & Filliuc. *vbi sup.* Et est hæc conclusio certa apud omnes, & ratio est euidens; quia talis distractio ex se est peccatū mortale in priuata recitatione, ergo multo magis erit peccatum mortale in publica. Quare omnia quæ de oratione priuata circa hoc punctum dicta sunt, ad transgressionem in choro factam intelligantur

ligatur accommoda. Dixi voluntariè, & culpabiliter, nam si distractio sit naturalis, inuoluntaria, & non libera, non reddit orationem peccaminosam, etiam si in præcepto sit, quo in casu eadem est ratio de hoc defectu in choro, & extra chorum, quod latius infra constabit. Hinc fit, cantantem in choro sine vlla attentione, & absque animo repetendi extra chorum, non solùm peccare mortaliter, sed etiam teneri restituere distributiones. Ita Nauarr. *cap.* 13. *num.* 15. Moneta *de distributionibus* 2. *part. quæst.* 2. *num.* 22. *& quæst.* 3 *num.* 37. Bonacina *de horis canon. disp.* 1. *q.* 3. *§.* 2 *num.* 10. *& quæst.* 5. *punct.* 2. *num.* 17. & alij, quos ipsi citant. Ratio est, quia hic non verè recitat, nec eius oratio est vera oratio, nec intenta ab Ecclesia, ideoque non satisfacit seruitio chori, consequenter non lucrari potest distributiones, neque is defectus ab Ecclesia suppleri potest, nam Ecclesia efficere non potest vt sit oratio, quod oratio non est. Imo si propriè loquamur, hic non potest dici esse præsens in choro; nam etsi physicè, & realiter præsens sit, non tamen moraliter & humano, ac Ecclesiastico more, cum tantum corpore, & non mente sit præsens, sicut diximus de eo, qui sine attentione præsens est sacrificio Missæ. Hæc certa sunt. Maior difficultas est, de beneficiario seu alio choro addicto, canente in choro cum voluntaria distractione, qui nimirum adest choro sine proposito tamen ibi orandi, vel attendendi, sed tantum cantandi materialiter, cum proposito tamen & vsu recitandi priuatim extra chorum; an scilicet hic peccet mortaliter, & teneatur distributiones restituere. Suarez *d. cap.* 14. *num.* 12. *&* 13. ait esse probabile hunc non peccare mortaliter, præsertim si attentio omittatur absque scandalo, & sine contemptu, sed ex quadam negligentia, vel remissione. Addit, tanquam sibi certum, non teneri ad restituendas distributiones sic cantantes, quod certius iudicat de cantoribus mercede conductis, non habentibus aliunde obligationem recitandi, cum Suarez sentit Filliuc. *d. cap.* 6. *num.* 191. *&* 192. Quæ sententia etsi improbabilis non sit, maximè ob tanti Doctoris authoritatem, probabilior tamen est, & verior opposita sententia, modo in sequenti conclusione explicando.

19 Dico quintò, choro addictus, qui ratione beneficij, vel ordinis sacri tenetur officium diuinum persoluere, cantans in choro voluntariè distractus, sine vlla attentione interiori, cum proposito iterum extra chorum repetendi, peccat mortaliter in re graui, & tenetur distributiones restituere, nisi sit cantor purè mercenarius. Prima pars, quod peccet mortaliter, probatur, quia vt sæpè dictum est, attentio aliqua interior est de substantia orationis, & cadit sub præcepto, ex cap. dolentes, & Clementina 1. *de celebrat. Missar.* etiam, imò & præcipuè in recitatione publica in choro, Ecclesia enim præcipit veram orationem, quæ sine attentione non subsistit, ergo qui in choro cantat tantùm materialiter, non verè orat, consequenter non satisfacit præcepto publicæ recitationis, nec seruitio chori, quamuis habeat propositum postea iterum priuatim recitandi; quia per priuatam recitationem non potest satisfieri seruitio chori, qui postulat publicam, & cum cantu recitationem. Hanc sententiam indicat probabiliorem Filliuc. *vbi sup. num.* 191. vtpote conformiorem iuribus citatis, & eam absolutè tenet Nauarr. *de orat cap.* 13. *num.* 17. Bonacina *de horis can. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. § 2. *num.* 10. *& quæst.* 5. *punct.* 2. *num.* 17. & alij infra citandi. Secunda pars, quod teneatur choro addictus restituere distributiones, sequitur ex prima; nam hic non satisfacit seruitio chori, & præcepto Ecclesiæ; quia non persoluit publicum officium modo ab Ecclesia præscripto, deuotè scilicet, hoc est cum aliqua attentione; atqui distributiones conceduntur propter debitum seruitium chori; ergo qui illud non præstat, non potest lucrari distributiones. Ita Nauar. *d. c.* 13. *de orat num.* 17. *&* 19. P. Nauar. *lib.* 2 *de restit cap.* 2. *num.* 239. *& seqq.* Moneta cum multis, *de distrib. part.* 2 *quæst.* 2 *num.* 20. *&* 22. *quæst* 3. *num.* 37 Bonac. *de horis canon. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct* 2. *§.* 2. *num.* 10. *& disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 2. *num.* 17. & omnes Doctores qui tenent, requiri necessario attentionem internam ad adimplendum præceptum recitationis priuatæ, & faciendum suos fructus beneficij, etenim si priuatim recitans sine attentione fructus beneficij restituere tenetur, eo quod non verè recitat, nec talis recitatio est vera oratio; à fortiori qui publicè recitat sine vlla attentione, tenebitur restituere distributiones, cum eius recitatio non sit vera oratio, sed potius clamorosa vociferatio, quapropter non potest dici Ecclesia orare ad Deum per tales ministros, cum ipsi non orent. Et confirmatur ratione ad incommodum, aliter enim sequeretur totum chorum non peccare, nec teneri ad distributiones restituendas, quamuis nullus attenderet, quia non esset maior ratio de vno, ac de aliis, consequenter malè prouisum esset Ecclesiæ de recitatione chori. Tertia pars probatur, videlicet quod non peccent mortaliter, nec teneantur restituere distributiones cantores purè mercenarij non habentes aliàs obligationem recitandi diuinum officium, si sufficienter canent, quamuis voluntariè, & culpabiliter distrahantur, & propositum iterum recitandi non habeant; nam ij cum adhibeantur ad cantum propter solemnitatem exteriorem, videntur satisfacere quantum ad lucrandas distributiones illo cantu & attentione materiali, cum aliunde non teneantur recitare, vt supponimus, & ita videtur consuetudine receptum. Nec in hoc casu sequitur supradictum incommodum; nam cum alij teneantur attentè orare & canere, vt dictum est non defraudatur seruitium chori, satis enim est quod totum capituli corpus dicatur orare, & principales ministri eo conueniant ad laudandum Deum. Ita Suarez *dicto cap.* 13. *n.* 10. *&* 13. & Filliuc. *dicto cap.* 6 *num.* 192.

20 Ex dictis in toto hoc dubio, multorum casuum in particulari decisiones colliguntur. Primò, clerici silentes, seu chorus silens tenetur audire attentè chorum canentem, nam aliter non communicaret cum illo, nec suam faceret illius partem, consequenter non satisfaceret chori seruitio, nec integrè oraret; non tamen tenetur chorus silens dum alius cantat, dicere submissa voce versiculum alterius chori, quod tanquam certissimum supponit (& verè) Suarez *tom.* 1. *de relig cap.* 12. *num.* 18. quia hæc fuit intentio Ecclesiæ, cum hunc morem canendi alternatim introduxit, & ita obseruatur à prudentibus & timoratis: & quia hæc est propria antiphona, seu alternatus cantus, addit Suarez, & bene quidem, minimè expedire, dum alij cantant, obmurmurando recitare, imo nec rectè fieri, & sæpè fortasse non sine aliqua culpa veniali, nisi excuset ignorantia, & bona intentio, quia hoc est conformius huic institutioni, & patres maximè commendant silentium in choro, vt dicemus. qui autem priuatim recitat, loquitur, & potest alios perturbare, commouere, & tædio afficere, & præbere occasionem distractioni, quapropter sæpè est culpa venialis, occasione leuis cuiusdam scandali, & perturbationis. Vide Nauarr. *de orat. cap.* 15. *num.* 3. Hinc fit sufficientissimè satisfacere eum, qui non recitat in choro, sed

attentè audit lectiones, vel orationes, vel capitula, aut responsoria, quæ ab alio choro dicuntur, quia sic verè cum illo communicat. Bonacina cum aliis *de horis canonicis disputat.* 1. *quæst.*3. *punct.*2. § 1.*num.*11.

21 Secundò, chorus silens attentè audiens canentem, satisfacit suæ obligationi, quamuis versum seu partem quam alter chorus cantat, non possit clarè percipere. Ita Emmanuel Sa *verbo hora canon.* & Suarez *sup.c.*28. *n.*15. loquens de Surdo, qui alios canentes in choro non intelligit, nec eos sequi potest, est contra Bonacinam *vbi supra num.*20. Ratio est, quia verè hic dicitur assistere in choro, & communicare suam partem aliis, neque per ipsum stat quin versiculos à sociis recitatos audiat, & illam partem suam efficiat; conditio enim censetur adimpleta, quando non stat per eum, qui eam adimplere debet. Regula *cum non stat, de reg. iur. in* 6. Vide Moneram *de distrib.*1.*part.quæst.*2. *n.*47. Sufficit ergo in hoc casu vt in confuso audiat, & percipiat quod possit, dummodo faciat quod possit vt audiat & aliam partem faciat suam: vnde si non attendat, non facit aliam partem suam, consequenter nec satisfacit suæ obligationi erga chorum. Cui nec satisfaciet, si præueniat, & priuatim recitet partem alterius chori, & postea liberè vagatur, hic enim priuatæ recitationi, non vero publicæ satisfacit. Quare non videtur satisfacere publicæ chori recitationi, qui antiphonam, seu lectionem, quæ ab altera parte cantatur, dicit celeriter, & submissa voce, & postea liberè vagatur; nam perfecta & peracta sua recitatione, tenetur attendere ad ea, quæ ab altera parte canuntur, vt communicet in oratione publica. Secus autem si lectionem submissa voce recitet, eo quod canentem non percipiat, aut vt melius eam intelligat, & ea dicta ad chorum attendat. Ita cum Nauarr.*c.*15. Suar. *tom* 2.*de relig lib* 4.*c.*12. *n.*20. & 21. Vbi aduertit, & benè, vt in celebratione diuini officij seruetur mos & consuetudo, quæ est Ecclesiasticæ obligationis interpres, & legem inducere potest. Quam ob rem dum lectio, vel antiphona, vel quid simile canitur ab vna parte, non est necesse aut expediens, vt canonici, aut clerici alterius chori illa priuatim voce repetant, sed sufficit canentem audire. Si quis autem velit, vt melius percipiat, attendendo habere præsentem librum, dum lectio cantatur, non est malum, si absque aliorum perturbatione fieri possit; quamuis omnem singolaritatem in choro vitare melius sit. Quod si vsu receptum sit, vt aliquæ antiphonæ, vel orationes à toto choro recitentur alta, & submissa voce, omnes ad chorum, seu ad cantum deputati recitare debent, alioquin muneri suo non satisfaciunt; quia illo, & non alio modo integre implent officium suum. Si vero contingat, aliquid horum omitti ab aliquo, vel casu præteriri, non est scrupulosè agendum, nec oportet eum esse solicitum de illa parte repetenda, quia & materia leuis est, & sæpè potest omitti sine culpa per iustam occasionem etiam valdè leuem, & licet fuerit aliqua leuis culpa, non emendatur per illam reparationem, sed potius impediuntur sequentia, & ob solicitudinem illius repetendæ, facilè fieri potest vt nouus error committatur. Suarez *supra num.* 21 Bonacina *de horis can disputat.* 1. *quæst.*3. *punct.*2 §.1. *num.*20.21.22. & 23. & Nauarr. *d.c.*15. vbi de iis latè.

22 Tertiò, qui inter horarum canonicarum recitationem, ex officio vel superioris iussu occupantur in pulsandis organis, ac ponendis libris, in quærendo antiphonas, aut thurificandis altaribus, aut in peragendo aliquid choro necessarium, vt quærendo prunas ad thurificandum: vnde fit vt aliquam partem nec proferant, nec audiant, satisfaciunt tamen obligationi recitandi, & seruitiu chori, & possunt iustè accipere distributiones, quamuis non suppleant illud, quod interea chorus cantat, nec à se dictum, vel auditum est. Ita Nauar. *cap.*11.*de orat. num.*36. & *cap.*21.*num.*15. & cum eo Reginald. *lib.*18. *n.*160. & 188. Bartholom. à S. Fausto *in suo tractat. de hor. canon lib.*2.*quæst.*176. & cum aliis Diana *tract.* 12. *de hor. canon resolut.*13. & alij apud Bonacinam *disp.* 1. *de hor. canon. q.*3.*punct.*2.§.2.*n.*13. nam cum illi occupentur in re necessaria ad celebrationem diuini officij, totus chorus supplere videtur pro ipsis, & tam suo, quam aliorum administrantium nomine recitat, & cantat. Limitat tamen, & benè, Nauarr. quando aliquod ex prædictis non potuit antea præparari, secus si potuit, & præparare neglexit: sic non excusarem euntem ad quærendum prunas ad thurificandum, quando antea potuit illas quærere. Bonacina tamen *vbi sup. vers Sed mihi*, existimat satisfacere quidem assistentiæ, & obligationi chori, consequenter posse distributiones accipere, non vero satisfacere simpliciter recitationi diuini officij, nisi illud postea priuatim recitet, vel saltem nisi attendat ad ea, quæ interim recitarunt. Ratio est, quia non dicitur recitare diuinum officium, qui verba diuini officij non profert, vel ad illa non attendit. Cui sententiæ libenter assentior, eo quod rationi, & Ecclesiæ intentioni videatur conformior, præsertim si pars illa omissa sit notabilis, & absens à choro non audiat canentes: quod sentire videtur expressè idem Nauarr. *c.*10. *de orat. n.*70. *vers. Secundo*, vbi addit, quod si omissa fuerint parua & minima, non sunt necessariò supplenda; si autem fuerint tot, vel tanta, quæ faciant partem notabilem, videntur supplenda sub peccati mortalis pœna. Subdit, etsi non fuerint tot, vel tanta, quæ constituant partem notabilem, sunt tamen aliquantulæ quantitatis, tenebuntur supplere sub pœna venialis Hæc Nauarr.

23 Quartò, dum vnus versus canitur à toto choro, & alter ab organo, aut alio musico instrumento, non satisfacit chorus suæ obligationi, nisi singuli de choro submissa voce illum versum recitent, vel aliquis à choro deputatus versum illum alta voce dicat, vt fit in Religionibus, nisi aliud habeat approbata consuetudo. Nauar. *de orat. cap.*21. *num.*15. Suarez *tom.*2. *de relig cap.*8. *num.*7. & cum aliis Bonacina *de horis canon. disp.*1. *quæst.*3. *puncto* 2. §.1.*num.*12. & 13. alioquin enim diuinum officium non recitatur integrè, cum organum verba non proferat, per solum sonum instrumentorum non videtur sufficienter fieri oratio vocalis, qualis esse debet oratio chori. Requiritur ergo vt versus qui per organum canuntur, ab aliquo alta voce proferantur, vel à singulis submissa voce recitentur, nisi cum organo musici cantores canent: tunc enim satis est cantores audire, modo verba clara voce proferantur. Dixi, nisi consuetudo, &c. nam si consuetudine scita, & tolerata à Prælatis, & legitimè præscripta introductum est, ne scilicet versiculi ab organo cantati repetantur à singulis, nec ab aliquo, non est temerè damnanda, sicque possent excusari, & satisfacere seruitio chori attendendo, sicut satisfaciunt quando vnus solus pro omnibus alta voce recitat. Ita ex Bonacina, & Nauarr. *vbi sup.*

24 Quintò. Quando clericus incohata hora ingreditur chorum, non benè facit statim supplendo id, quod iam chorus cantauit, vel recitauit; imo potius debet illam horam cum choro continuare, & finito seruitio chori postea recitare quod omisit, & cui non interfuit, quia si ingrediendo chorum, supplet,

piet, & recitat ſubmiſsè illud cui non interfuit, etiam in hac parte defraudat chori ſeruitium. Idem dic de illo, qui poſt horam cœptam aliqua ex cauſa egreditur, vel obdormit, regreſſus enim, vel expergefactus debet continuare cum choro quod reſtat, & horis finitis ſupplere defectum. Nau. *cap.* 16. *de orat. num.* 6.

25 Sextò. Quando cantores & muſici canunt cantu organico & figurato, cæteri huius cantus ignari choro adſtantes non videntur ſatisfacere chori ſeruitio, & obligationi, nec poſſe accipere diſtributiones, niſi attendant ad ea, quæ canuntur, nam debent adeſſe præſentia morali, & aliquo modo communicare cum canentibus, quod fieri non poteſt abſque attentione aliqua; ſicut enim canonici, quando excuſantur à cantu, eo quod habeant ſuſtitutos, tenentur adeſſe modo humano, & Eccleſiaſtico, & ad cantum & officium diuinum cum ſilentio attendere, ita ſimiliter & beneficiarij in hoc caſu, eadem enim eſt ratio, quare beneficiarius, qui tunc voluntariè diſtraheretur, vel confabulando, vel dormiendo, non ſatisfaceret chori ſeruitio, nec lucraretur diſtributiones. Dices, poterit ne beneficiarius cantus organici ignarus priuatim recitare, dum cantores canunt cantu organico? Reſpondeo, ſi chorus alternatim cantet cantu organico, & cantu ſimplici, ita vt vnus chorus cantet vnum verſum, vel pſalmum cantu organico, & alter chorus reſpondeat eodem modo cantu ſimplici, certum exiſtimo non poſſe tunc priuatim recitare, moraliter enim loquendo hoc eſt impoſſibile; namque non poteſt vt vtrique recitationi attendat, & omnia ritè peragat. Quod ſi totum officium, vt miſſa, aut veſperæ, aut maior, aut notabilis pars canitur cantu figurato, ſi non adſit cauſa, puto eſſe peccatum veniale, modo in conſectario ſequenti dicendo. Si autem adſit iuſta cauſa probabile eſt nullum eſſe peccatum, præcipuè ſi aliqua hora, aut totum officium poſſit tempore continuo recitari ſine interpolatione, eo quod tunc reſpondere teneatur, nam poteſt attendere ad Deum, & ſic vtrique rei ſatisfaciet. Sed de hoc latius conſectario ſequenti, ex cuius reſolutione huius difficultatis ſolutio conſtabit.

26 Septimo peccant mortaliter ex genere ſuo choro addicti, cum obligatione reſtituendi diſtributiones, qui quando celebratur, & cantatur anniuerſariũ pro defunctis, in choro priuatim recitant, & perſoluunt diuinum officium, & minimè cantant, nec reſpondent. Quod ex ſe patet, & conſtat ex dictis *dub.* 1. *num.* 35. Idem dic de recitantibus dum celebratur, & cantatur miſſa conuentualis, ſeu ſolemnialis, aut alia quæcumque, cui aſſignata eſt aliqua diſtributio. Ratio eſt. Primò; quia ſic recitans non poteſt ſimul attendere miſſæ ſacrificio, & priuatæ recitationi. Secundò, quia hic cum non cantet, vt ſupponimus, non præſtat munus & ſeruitium chori, ob idque non poteſt gaudere diſtributionibus: quod exiſtimo omnino certum, quando nec canunt, nec reſpondent. Quod ſi dicas, & ſimul cantare poſſe, & ſimul recitare. Reſpondeo, me non poſſe intelligere quomodo hæc ſimul, cum diuerſa ſint, fieri poſſint, & vnaquæque res ſuam requirat attentionem, nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire. Si autem dicas, eos canere quando cantat chorus, & quando chorus ſilet, eos recitare; nec mihi hoc ſatisfacit hæc mixtura, nec chori ſeruitio, & Eccleſiæ intentioni; nam dum chorus ſilet, debet attendere parti miſſæ, ſeu officij, quod tunc celebratur; ergo ſi occupatur in aliqua re incompoſſibili cum hac attentione, non ſatisfacit chori obligationi, quare in hoc caſu non videtur ad minus excuſandus de veniali graui peccato. Quod eſt valde conforme ſententiæ Nauarri, *cap.* 16. *de orat. num.* 15. vbi dicit, peccare beneficiarium, qui in choro recitat ſuas horas, aut earum partem, tempore quo in communi recitatur, vel cantatur quidpiam aliud; nam non ſolum obſequium choro ſubſtrahit, ſed alios pſallentes perturbat, & dat cauſam auocandi ſe, vel alium, ab attentione. Et addit, ob quam eandem rationem peccet ſimiliter canonicus, vel monachus, qui recitat quidpiam præter ſuas horas interim dum chorus recitat, vel canit, licet iam domi, vel alibi ſuas recitauerit. Non tamen declarat Nauarr. an ſit hoc peccatum mortale, vel veniale. Equidem ſi choro addictus recitat dum horæ canonicæ perſoluuntur, ita vt nullo modo cantet, & percipit diſtributiones, dubium non eſt quin peccet mortaliter, & contra iuſtitiam, conſequenter teneri diſtributiones reſtituere, nam nullo modo præſtat munus, & obſequium choro debitum. Idem dic, ſi id faciat dum cantatur miſſa conuentualis, vel anniuerſarium. Quod ſi hic recitat dum cantatur miſſa conuentualis, vel anniuerſarium, eo ſolum tempore quo totus chorus ſilet, & cantat ea, quæ ſunt cantanda in choro interpolate, videlicet nunc recitando, nunc cantando cum choro, certè, vt diximus, non eſt excuſandus à peccato veniali propter rationes dictas, fieri enim non poteſt, vt debitè attendat, & quia interpolatio interrumpat, & perturbet attentionem. Adde, quod quando chorus ſilet, debet attendere illi parti miſſæ vel officij, quod tunc celebratur; ergo ſi eo tempore occupatur in re incompoſſibili cum illa attentione, ad minus peccat venialiter.

27 Sed dices, poteſt quis audire miſſam ex præcepto, & ſimul etiam recitare horas canonicas, etiam ex præcepto, aut preces ex voto, vel pœnitentia iniunctas. Reſpondeo primò, hoc non eſſe omnino certum, nam Sylu. *miſſa* 2. *num.* 6. Angel. & Armilla, & aliqui exiſtimant, hoc facientes peccare mortaliter, alij apud Henriq. *lib.* 9. *de miſſa, cap.* 25. *num.* 5. exiſtimant eſſe veniale, & ſentit Nauarr. *cap.* 19. *de orat. num.* 178. *verſ. Quinto quod*, quando id ſine cauſa fit, vt poſtea dicetur. Reſpondeo ſecundò. Dato quod illa fieri poſſint abſque peccatu etiam veniali, vt tenent Nauarr. *in man. cap.* 21. *num.* 8 Suarez *de Sacrament. diſp.* 88. *ſect.* 3. *in fin.* Henriq. *ſupr.* & cum aliis Bonacina *quæſt vltim. de ſacrificio miſſe, punct* 11. *num.* 15. quia ad ſatisfaciendum præcepto miſſæ, ſufficit attentio ad res diuinas; quæ etiam ſufficit ad recitandum officium diuinum, ergo vna attentione poteſt vtrique præcepto ſatisfacere, cum vna attentio non excludat aliam, & per conſequens non peccat. Hoc ergo concesso, quod eſt maxime probabile, reſpondeo eſſe diſparem rationem; nam audiens miſſam non tenetur ſocietatem facere cum celebrante in oratione publica, nec publice, & ſimul cum choro celebranti reſpondere, & quædam alta voce cantare; at choro addicti, dum miſſa celebratur, faciunt ſocietatem inter ſe, & cum choro, aliquando enim totus chorus cantat, aliquando reſpondet celebranti, & aliquando ſilet; quando cantat certum eſt non poſſe quemlibet priuatim recitare, nec quando ſilet chorus, quia tunc tenetur ſe cum choro, cum quo facit ſocietatem, conformare, & ſilendo ſacrificio miſſæ attendere, & dato quod recitet dum chorus ſilet, quia tamen iam iam tenetur canere, conſequenter tenetur interrompere horas, at interruptio & interpolatio, ſine cauſa officij

diuini, ad minus est peccatum veniale, vt docent communiter DD. apud Bonacinam *disput. de horis canon. quæst. 3. punct. 2. §. 1. à num. 26* ideo, & merito, in Synodo prouinciali Valent. *sess. 3. cap. 12.* & in constit. 1. D. Thomæ à Villanoua mulctantur clerici, qui in choro dum sacra aguntur, & diuinum officium celebratur, aliquas horas submissa voce dicere præsumunt, peccabunt igitur, saltem venialiter, has sanctas constitutiones violantes. Equidem non me latet Nauarr. *vbi sup. dict. num. 178. vers. Tertio quod*, tenere sententiam de audiendo missam, & recitando simul horas canonicas, procedere etiam in eo, qui non tenetur canere in choro, nisi partes missæ, quæ in eo canendæ sunt; nam hic (ait) dummodo eas canat, & alios non impediat, aut legendo altè, aut alia faciendo alieno cum scandalo, tempore quo canendum non est, sicut potest recitare Pater noster, & Aue Maria, ita poterit alias preces debitas vel indebitas. Maxime si is ante vel post missam occupat tempus in piis, & honestis operibus, quod lucratur simul faciendo, & non impendit frustra otiando. Veruntamen hanc doctrinam etiam cum dicta limitatione non existimo absolutè admittendam, tum propter dispositiones, & prohibitiones synodales, tum quia communiter sequitur chori perturbatio, & abusus, nam cum videant aliquem (præsertim si doctus est) simul in missa recitantem, inde sumunt fere omnes occasionem etiam recitandi, ex quo multoties sequitur confusio, & perturbatio in choro, & simul defraudatur eius seruitium, nam tunc recitantes fortè non canunt ea, quæ canere debent; & si canunt debent interrumpere officium, quod sine causa facere non possunt, & non videtur verisimile omnes indifferenter habere ad id communiter iustam causam: quare absolute non est admittenda hæc doctrina, etiam cum illa limitatione. Dixi absolute, nam in casu rarò concurrentibus dictis circunstantiis in persona maximè circunspecta, & occupata in piis, & honestis operibus, id faciens, quia illi non suppetit tempus, & vt commodius possit attendere, admitti aliquando posset: hoc tamen non consulerem, quia facilè alij inde sumerent occasionem similia indifferenter faciendi, & paulatim inciderent in incommoda supradicta, & contemnerentur leges synodales, & statuta chori. Proinde dominus meus Don Ioan. à Ribera Patriarcha Antiochen. & Archiepiscop. Valent. in constitutionibus sui Seminarij prohibuit, ne ipsius capellani in choro habeant diurnum, seu breue orarium, ad euitandam occasionem priuatim recitandi; & mandat quod omnes cantent, & recitent per librum in facistolio coram omnibus proportionabiliter propositum.

28 Octauò, peccant choro addicti, ibi, dum diuina celebrantur, colloquentes, & confabulantes, quia interrumpunt attentionem, perturbant chorum, & alios non ædificant, imò potius scandalizant; ideo à Patribus, & DD. maxime silentium in officiis diuinis commendatur, de quo Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 12 num. 18.* & latius Nau. *de orat. cap 17 à num. 15. vsque ad 19.* vnde Ioan 22. *extrauag. vnica de vita & honestat. cler.* inter communes ita statuit. *Doctasa Ctorum Patrum decreuit authoritas, vt in diuina laudis officiis, quæ debita seruitutis obsequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, sermo non cespitet, & modesta psallentium grauitas placida modulatione decantet.* Et in cap. in loco 5. quæst. 4. ita habetur. *In loco benedictionis confidentes domini Sacerdotes, nullus debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari, nullis etiam fabulis vanis, vel risibus agi, & (quod est deterius) obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere.* Qui textus loquitur de confidentibus in synodo; à fortiori ergo dicendum de interessentibus in choro Regem Regum, & dominum dominantium adorantibus, pariter & laudantibus; si enim supradicta facere coram Rege terreno est inurbanitas, & irreuerentia; quid si coram Rege immortali, & inuisibili, cui supremus honor, & summa reuerentia tot titulis est debita? Si in synodo confidentes silentium seruare debent, in choro non erit seruandus? Deinde *ex c. dolentes, de celebrat. missar.* officium persoluendum est studiosè, & deuotè, hoc est, integrè & attentè; quis ergo negabit non peccare contra vtrumque qui in choro confabulatur, & ridet? Non enim video quomodo possit debitæ attendere recitationi, & vanæ locutioni. Sicut nec potuit capere doctissimus, & piissimus Nau. *vbi sup. num. 19.* his verbis. *Dicant quidquid volent illi, qui se tam habiles iactant, vt dicant se posse loqui cum aliis de negotiis, iocis, & rixis, sine vlla attentionis ad diuina debita detrimento, modo permittant nobis, qui tardioris sumus ingenij, credere contrarium.* Si enim, experientia teste, cum summo silentio vix possumus concipere timorem, & reuerentiam sufficientem ad colligendos nostros cogitatus, & auertere eos à rebus externis, figere in Deum, & expandere in summam bonitatem suæ maiestatis, cum quo conuersari volumus, & conuersamur; qui fieri id poterit, si, quasi spreta diuina maiestate, sermones ad alios conuertimus? Concludendum igitur est, omnem locutionem in choro non necessariam ad officium peragendum esse peccaminosam. Quod quidem peccatum, si contingat in parte notabili, & graui, erit mortale, cum obligatione restituendi distributiones, quia deficit attentio in re graui, consequenter non satisfacit diuino officio, nec seruitio chori. Ideo DD. communiter asserunt, confabulantes in choro in parte notabili, peccare mortaliter, & teneri distributiones restituere, de quo Moneta *de distribut part. 2. cap. 6. num. 20. & 22. & cap 3 n. 37.* & Bonacina *de horis can. disp. 1. quæst. 3. punct. 1 §. 6. num. 9. & 10.* Erit autem peccatum veniale, consequenter non obligans ad restitutionem, si locutio sit leuis, & modica, & in materia parua, non sufficiente ad constituendam materiam ad peccandum lethaliter, vt communiter docent DD. modo absit graue scandalum. Nullo tamen in casu locutio in choro non necessaria carebit culpa mortali, vel veniali, vt etiam tenet Nau. *de orat. c. 13. num. 25* his verbis: *Quarto sequitur, iisdem duobus modis* (id est, vel mortaliter, vel venialiter, vt dixi num. 24.) *peccare eos, qui loquuntur in choro alij quidem in aurem, alij voce sublata quapiam à recitatione aliena, quoniam loqui, & audire, ita sunt actiones exteriores, sicut legere, & scribere, & æque ac illa repugnant attentioni ad recitandum, vel canendum requisita.*

29 Nono peccant, saltem venialiter, beneficiarij, cæterique choro addicti, qui sine iusta causa, & aduertenter stant, cum sedere debent, & qui sedent, quando stare debent: item ij, qui sedibus desertis ad aliud sedile prope chori portam se conferunt, quo citius egrediantur officio finito, vel vt loquantur, legant, scribant, seu aliud quidpiam agant; nam ij se ipsos, & alios perturbant, & dant sibi, & aliis occasionem distractionis. Nauarr. *de oration. cap 16. num. 7* qui addit. Neque (meo iudicio) iusta in id causa est, videri oculis corporeis eleuari sanctum Sacramentum, quia illud oculis mentis ab ipsis subselliis videre possunt, vide quam delicata sit attentio ad diuina,

diuina, vt secum extraneam non admittat; de qua dicere possumus, quod asserit S. Thom. à Villanoua Archiepisc. Valent. *serm. 4. de Assumpt. B. M. V.* Nimis quidem delicata est consolatio spiritualis, non dabitur admittentibus alienam. Vtinam, ait ipse Nauarr. *dict. c. 16. n. 65.* persuaderi posset quantum noceat deuotioni, & attentioni communitatis & chori egressus vnius, & ingressus alterius sine causa, officio durante.

30 Pulchra & vtilissima circa attentionem requisitam ad debitè diuinum persoluendum, vide apud Nauarr. *cap. 13. de orat. & cap. 16. & 17.* non possum non referre totum numerum 10. capitis 13. cum enim munus præcipuum, cuius à ministris Ecclesiæ rationem reposcet Dominus, sit horarum recitatio, eaque esse debet nostra maximè assidua occupatio, & ob eam nobis suppeditatur victus, honórque tribuatur, sitque requies animæ facta deuotè, & attentè, aliter vero facta labor & tædium; iustum profecto & vtile fuerit, reputare nobis decorum id egregiè facere, iustum in id conatus nostros intendere, iustum procurare id, quod in id multum habet momenti, intelligere nimirum quæ pronuntiamus, iustum denique ad animum reuocare, nos non posse sine intellectu verborum præstare illum modum, quem optimum magnus ille Bernard. *serm. 13. sup. Cantic.* in hæc verba nos docuit. *Immolantes hostias laudis, iungamus verbis sensum, sensui affectum, affectui exultationem, exultationi grauitatem, grauitati humilitatem, & humilitati libertatem.* Aduerxit etiam Nauarr. *c. 10. de orat. num. 66.* esse non paucos, qui rei non obligatoriæ, sed ex consilio tantum, toto pectore incumbunt, & parum aut nihil rebus præceptis intendunt, præferentes accidens substantiæ, colorem sapori, consilium præcepto. Quot enim (ait) laicos videas audientes magna cum deuotione missam in Sabbatho, qui Dominico non intersunt missæ obligatoriæ, aut intersunt quidem, sed confabulantes, & indeuotè, ei magis corpore quam animo assistentes. Error quidem maximè cauendus, tanquam diabolica fraude inductus. Vtinam etiam non reperiantur multi, qui preces voluntarias maxima cum attentione fundant, & obligatorias nimia cum distractione. Error maximè culpabilis. Quis enim ignorare potest, præceptum esse præferendum consilio?

31 Decimo peccant grauiter illi, qui attendunt quidem ad verba, sed adeò festine, præcipitanter, & transcurrendo recitant, vel canunt, vt etiam si illa integrè pronuntient, neque ipsi, neque eorum socij possunt intelligere eorum significata, etiamsi idioma in quo recitatur intelligant; quia licet attendant ad verba, non possunt illa accipere, vt medium, & gradum ad condescendendum ad perfectiorem attentionem. Ita Nauarr. *cap. 13. de orat. num. 26.* Hoc autem peccatum, si aliàs verba integrè & distinctè proferantur cum debita attentione, & absit scandalum, non videtur plus quam veniale. Idem Nauarr. infra, *cap. 16. num. 25.* ait, peccare grauiter eos, qui recitando, vel canendo anticipant versum, negligentes audire vltimam syllabam, quem eius socij, vel alter chorus recitat, vel canit; nam non solum ipse non audit, sed & est causa cur alij non audiant, perturbant intellectum eius quod recitatur, & dant occasionem propriæ, & alienæ distractioni: quem defectum, ait Nauarr. esse intolerabilem, & quidem prohibetur per Concilium Viennense *Clem. 1 de celebrat. miss.* per illa verba, *transcurrendo, & syncopando:* qui quidem defectus, si notabilis sit, absque dubio erit culpa mortalis, vt diximus dub. 2. num. 9.

32 Vndecimo peccant choro præfecti, illi scilicet, quibus ex officio competit regimen, & gubernatio ipsius chori, & monere, corrigere, & animaduertere choraulos, seu choro addictos, si omittant corrigere, monere, mulctare, & castigare defectus in choro commissos, dum id commodè facere possint. Nauar. *cap. 16. de orat. num. 78.* quod peccatum erit mortale, vel veniale, pro grauitate, vel leuitate materiæ. Ratio est, nam, vt ait Nauar. *supra & habetur in cap. sed illud, dist. 45. Qui potest, & debet, & non corrigit, peccat*; atqui chori præfectus potest, & debet defectus in choro commissos corrigere; ergo omissio in his erit peccaminosa grauis, vel leuis, iuxta materiæ grauitatem, vel leuitatem. Addit Nauarr. chori præfectos peccare, etiam si ea solę de causa id facere omittant, ne scandalizentur, ne ve conquerantur de ipsis castigati. Nam vt habetur in dicto cap. quod desumptum est ex Iosue *cap. 7.* Ira Dei, vno peccante, super totum populum venit, quando qui præsunt erga delinquentes beneuoli videri volunt, & verentes peccantium linguas, ne fortè quid mali de eis loquantur, Sacerdotalis seueritatis immemores nolunt implere quod scriptum est. 1. *Timoth. 5. Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant:* & illud: *Auferte malum ex vobis ipsis. 1. Cor. 5.* Quod maximè animaduertere debet chori præfectus, & diligenter inuigilare, hinc inde circumspiciens, ne quid inordinatè fiat, vt piè cautum est in statuto Ecclesiæ Gallicanæ, quod doctè explicat Nauarr. *in tract. de orat. & horis can.* per varia capita. Vide d. cap. sed illud, quod maximè ad rem facit, & Origenes homil. 7. in Iosue post medium.

33 Dices. Tenetur ne chori præfectus restituere distributiones quas iniustè percipiunt ministri chori eo sciente, & non impediente? Respondeo, affirmatiuam partem videri veram; nam communis est DD. sententia in materia restitutionis vbi agunt de muto, non obstante, & non impediente, teneri has personas ad restitutionem damni ab aliis illati, si his clamare, obstare, aut impedire ex officio, aut speciali obligatione incumbit, quia censentur cooperari iniustitiæ, de quo vide Sayrum *in claui Regia lib. 10. tract. 2. c. 13.* Lessium *lib. 2. c. 13. dub. 10.* Nauarr. *c. 17. n. 18.* & cum aliis Bonacinam *disp. 1. de rest. quæst. 2. punct. 11.* atqui præfecto chori competit ex officio obstare, &c. quod procedere videtur etiam si choro præfecti nullum stipendium recipiant; nam cum huiusmodi officia in se includant obligationem impediendi, qui voluntariè acceptat officium, voluntariè assumit sibi huiusmodi obligationem, consequenter se habens ad officium, vt benè Lessius *supr. n. 70.* potest enim potestas publica, siue lege, siue imperio, siue consuetudine, aut statuto hanc obligationem ex iustitia imponere; ideóque admittentes huiusmodi officia, lege iustitiæ sunt adstricti. Sic confessarius etiam ille, qui voluntariè & ex commissione audit confessiones, Theologus, aut Iurisconsultus, consulentes aliquid iniustum ex culpa lata, tenentur ad restitutionem quamuis sine salario aut stipendio talia officia exerceant; nam dato quod voluntariè tale munus suscipiant, tenentur ex iustitia illud exercere secundum omnia ad illud requisita. Lessius *lib. 2. cap. 7. dub. 7. n. 33.* Bonacin *disp. 1. de rest. q. 2. punct. 7. n. 23.* & alij. Similiter confessarius etiam non Parochus, qui culpabiliter non monet, nec cogit pœnitentem vt restituat, tenetur ipse restituere, vt docet Nauarr. *c. 17. n. 22.* & cum aliis Bonacina *disput. 2. de rest. quæst. 2. punct. 11. num. 13.* nam etsi confessarius non Parochus absolutè non teneatur confessiones audire, supposito tamen quod illas audiat tenetur

ex

ex iustitia, & officio consulere saluti pœnitentis, ad quam spectat admonitio restitutionis. Eodem igitur modo etiam si quis non teneatur assumere officium præfecti chori, dato tamen quod illud voluntariè, & sine stipendio accipiat, tenetur ex officio & iustitia consulere bono chori, & vtilitati cultus diuini, & illud officium exercere iuxta leges, & constitutiones, ac ordinationes chori, consequenter culpabiliter illas omittens peccabit contra iustitiam. Quod etsi procedat in omnibus choro præfectis, maximè in canonicis, cum eorum munus, officium, & obsequium præcipuum sit choro adesse, canere, & rectæ chori directioni incumbere, quapropter eis pingues distributiones sunt assignatæ. Nec excusari potest coadiutor, dicens se nullas distributiones accipere; nam voluntariè accepit illud officium quod habet intrinsecè, & ex iustitia suas obligationes & leges, ideóque acceptans illud, etsi voluntariè tenetur ex iustitia illud iuxta eas leges administrare. Hæc autem intellige, modo negligentia sit culpabilis, & peccaminosa; nam si nullum adsit peccatum, nec obligatio restituendi. Modo etiam possit sine periculo vitæ, famæ, honoris, aut bonorum in notabili quantitate impedire; nam tale officium non videtur cum tanto damno obligare, de quo videre poteris Lessium *vbi sup. num.* 70. & nostrum Salon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. *controu.* 2. *dub.* 2. vbi aduertit, & bene quidem, considerandum esse salarium ministri, v.g. iustitiæ, aut alterius, qui obstare tenetur, nam si maius sit stipendium, quam damnum, vel periculum, debet prohibere cum damno rei familiaris, non verò è contra; de quo etiam vide Sotum *lib.* 4. *de iust. quæst.* 7. *art.* 3. *in fine.* §. *de iis.* Nauarr. *cap.* 17. *n.* 21. Sylu. *Rosa aurea casu* 30. Bonacinam *disp.* 2. *de restit. quæst.* 2. *punct.* 11. *num.* 5. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *ad* 3. At quia communiter inter Ecclesiasticos nullum periculum imminet, ideo communiter timor periculi non excusat chori præfectos, nisi adsit facti probabilis, & inculpabilis ignorantia. Dixi facti, nam iuris ignorantia vix potest reperiri, & dari in eis, eo quod sit euidens, & notoria huiusmodi officij obligatio.

34 Hinc infertur, rectam chori directionem totam ex chori præfecto pendere; sicut enim vigilanti Nauclero fœlix nauis gubernatio, negligenti verò infelix eius casus tribuitur; sic similiter chori præfecto, bona & mala chori directio tribuenda est. Consequenter fit, vt chori præfectus culpabiliter dissimulans defectus chori, fiat omnium reus, & particeps. Videant ergo, quæso, & in Domino aduertant quale munus suscipiant, totis viribus curantes illud piè, iustéque exercere, quasi rationem de omnium in choro assistentium animabus reddituri, vt ait Apostolus ad Hebr. *cap.* 13. *vers.* 17. Peccat igitur mortaliter in re graui chori præfectus, qui non monet, vt canant tempore quo ad id tenentur, & confabulantes vt seruent silentium; vel si aliquid inordinatum, ex quo sequitur diuini cultus, & chori perturbatio, aduertenter permittat. Item si eum, quem scit non fuisse ingressum tempore ad lucrandas distributiones assignato, vel si dum est in choro non canit, sed confabulatur, permittit accipere distributiones, quas ipse chori præfectus tenetur huiusæ, seu administrationi restituere, quia cum potuerit, & debuerit, non damnum hoc impediuit. Peccat etiam chori præfectus, qui tempore diuinorum officiorum à choro abest, & non substituit alium ipsius loco vt chori curam gerat: quod adeo verum est, vt chori præfectus non possit eo tempore dicere missam, nisi alium substituat, prout bene ordinauit in suo Seminario dominus meus Dom. Ioan. à Ribera Patriarcha Antiochen. & Archiepiscop. Valent. Hæc autem stricta residentia maximè obligat in canonicis choro præfectis, propter rationem superiùs dictam. Procedit etiam in aliis à canonicis, habentibus tamen stipendium alicuius considerationis, ad id assignatum. Quod si nec canonici sint, nec habent stipendium proportionatum, sed liberè & gratis tale munus exercent, aut ita exiguum, vt pro nihilo reputetur, vt contingit in chori præfectis parochialium Ecclesiarum Valent. non adeo strictè obligantur ad tam strictam residentiam, sed satisfacere videntur, si adsint per se, dum commodè possunt; sic enim consuetudine interpretante ab illis acceptatur huiusmodi officium. Tenentur tamen omnes chori præfecti dum in choro sunt, rectè & iustè munus suum obire, aliter enim si culpabiliter negligentes fuerint, & peccant, & tenentur ad damnorum restitutionem, modo supra explicato.

DVB. IV.

Vtrum ius percipiendi distributiones, solis choro interessentibus competat.

1 NOmine distributionum intelligimus eam partem prouentuum, qui distribui, & diuidi solent, & debent per singulas horas canonicas inter eos, qui diuinis officiis intersunt pro rata seruitij præstiti. Quæ distributiones vocantur communiter quotidianæ, quia acquiruntur ab iis, qui quotidie diuinis officiis intersunt. Quare sub nomine distributionum venit ea portio, quæ ratione anniuersariorum, & exequiarum, vel alterius officij, choro dicatis persoluitur, non verò fructus beneficij; nam ij verè & propriè sumpti, a distributionibus etiam verè & propriè sumptis distinguuntur, de quo latè inter recentiores, Garcia *de beneficiis.* 3. *part. cap.* 1. Moneta 1. *part. quæst.* 1. *n.* 15. Bonacina *de horis canonicis disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. Bartholomæus à S. Fausto *in suo tract. de horis canonicis, & distrib. lib* 3. & alij quos ipsi. Qualitates autem quæ desiderantur, vt quis ad distributiones admitti queat, præcipuæ sunt, ætas, prima tonsura, ordo, cantus, & scientia, de quibus videndus est Bonacina *supra quæst.* 3. *punct.* 1. vbi alios, quia nostri instituti solum est loqui de illis, qui iam ad distributiones iure admissi sunt.

2 Communis & vera DD. sententia est, ius distributionum competere canonicis, seu beneficiatis, aut aliis choro dicatis, & solis illis, qui reuera, ac realiter diuinis officiis intersunt, legitimumque obsequium & seruitium chori præstant, aut qui etsi realiter & corpore absint, iuris tamen fictione præsentes moraliter reputantur. Probatur *ex cap. vnico. de clerico non residente, in* 6. *cap. licet, de præb. Clementina, vt ij qui, de ætate, & qualitat. Extrauag.* 1. *cum nonnulla.* §. *præterea, de præb. inter communes*, & ex Trident. *sess.* 21. *cap.* 3. *sess.* 24. *cap.* 12. dictatque id ipsa ratio naturalis. Dantur enim distributiones cum hoc onere, & hac conditione. De iis qui reuera corpore choro intersunt, si munus suum ritè obeant, iuxta superius dicta, nulla est difficultas: solum videndum est, quinam iuris fictione reputentur præsentes, etiam si à choro absint, seu quænam sint causæ, propter quas absens corpore reputatur moraliter præsens in choro,

ro,

to,& potest lucrari distributiones in absentia. Causæ igitur ea quibus absens reputatur præsens, & potest lucrari distributiones principales, ad quas omnes reducuntur, sunt tres. Prima est, infirmitas corporis, 2. est absentia in vtilitatem Ecclesiæ, 3. est priuilegium, aut statutum, & demum consuetudo id permittens, de quibus sigillatim.

3 Quantum ad primam causam. Dico primo, absens causa grauis infirmitatis à choro, si aliàs choro interesse consueuerat, potest distributiones lucrari: habetur expresse *c. clericus victum, dist. 91. c. clerico agrotante, c. consuetudinem, & c. vnico de clerico non residente.* Dixi grauis, nam certum est leuem non excusare: censetur autem grauis, quando sine notabili damno salutis non potest ad Ecclesiam accedere, in quo standum est iudicio medici, aut prudentis viri. Quod si dubitatur sit ne egressus è domo, saluti nociturus notabiliter, consulatur medicus, & stetur illius sententiæ. Sylu. *hora q.* 8. Suarez *tom. 2 de relig. lib. 4. c. 28. n. 21.* Nau. *de orat. c. 11. n. 3.* agentes de recitatione priuata. Quod si medicus, aut eo absente, vir prudens dubius sit, an egressus nociturus sit, existimo tunc infirmum non teneri ire ad chorum; quia non tenetur periculo grauis damni se exponere, secus si periculum sit tantummodo leuis damni, quia tunc possessio stat præcepto, quod obligat sub leui incommodo. Ita agens de priuata recitatione Bonacina *disp. 1. de hor can. quæst. 6. n. 5.* contra Suarez *sup. n. 21.* Obiter tamen aduerte, leuiorem morbum, per se loquendo, excusare tam ab onere interessendi choro, quam ab onere recitandi diuinum officium: nam fieri potest, vt morbus alioquin leuis, accedendo ad chorum facilius incrementum accipiat, quam domi priuatim recitando, sicque vsu, & communi timoratorum praxi est confirmatum; ita cum aliis Bonacina *de horis canon. disp. 2. quæst. 5. puncto 1. à num.* 1. Dixi etiam, qui aliàs interesse diuinis officiis consueuerat, nam alias distributiones in infirmitate lucrari licitè, & iuste non valet. Moneta *de distrib. 2. part. quæst. 5. n. 21.* Couar. 3. *variar. cap. 13. num.* 8. Azor. 2. *tom. lib. 7. c. 7. quæst.* 11. vbi testatur de communi, & cum aliis Bonacina *num.* 10. vbi asserit, ita à Rota decisum. Et ratio est, quia hic non dicitur abesse ob infirmitatem, cum morbus in hoc casu per accidens se habeat ad absentiam; in cap. autem vnico excipitur absens ob infirmitatem: Item dic de eo, qui habet consuetudinẽ interessendi, sed elicito proposito non interessendi, in morbũ incidit; quia tunc non dicitur abesse ob infirmitatẽ, sed ob suam liberã voluntatem. Quod si qui est infirmus antea aliquoties interesse consueuerat, probabile est posse percipere distributiones, habita ratione temporis, quo solebat interesse, & distributionum quas sanus probabiliter lucratus fuisset. Bonacina *sup. num.* 12. quo modo intelligendus est Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 2. dub.* 3. aliter non est audiendus; nam iura & DD. concedunt distributiones infirmis, qui sanitatis tempore choro interesse solebant.

4 Procedit autem hæc conclusio, etiam si tempore infirmitatis in loco beneficij non existat; nam absentia loci non efficit, quin hic absit ob infirmitatem, si alioquin interesse solebat. Vnde capax est distributionum infirmus, qui elapso tempore vacationis, accessisset ad residentiam, nisi infirmitate extra vrbem detentus fuisset. Idem dic de ægroto, qui consilio medici vrbe egreditur ad balnea, vel ad egregium medicum, vel ad salubriorem aërem, vt bene Moneta 2. *p. q. 6. n.* 24. & Bonacina *de horis canon. disp. 2. q. 5 punct. 1. n. 6.* Addit tamen Moneta *dicta q. 6. n. 7. &* 19. non valere statutum, quo indistinctè disponitur, vt infirmi si absint extra ciuitatem, lucrari non possint distributiones, hoc autem non probat (& merito quidem) Bonacina *sup.* quia tale statutum non est contra, sed preter ius, nam *cap. vnico de clerico non residente, in 6.* non præcipitur, sed tantum permittitur, vt distributiones ægrotanti conferantur: tum etiam quia id consuetudine introduci potest; ergo & caueri statuto. Procedit etiam hæc conclusio, etiam si propria culpa infirmitatem contraxerit, vt quia intemperanter vixerit, aut quia alium prouocando vulnus accepit, aut quia data opera in morbum incidit, ne in choro assisteret. Nauar. *cons. 13. de celebrat. missar.* Garcia *de benef. 3. p. c. 2. n.* 363. Azor, & alij, quos Bonacina *sup. n.* 7. Ratio est, quia hic reuera dicitur abesse ob infirmitatem, & cum ius non distinguat de infirmo ex propria culpa, vel sine culpa, non est cur nos distinguamus. *cap. 1. dist.* 19. aliter enim multis scrupulis via aperiretur.

5 Ex dictis colligitur, laborantem febri, aut podagra, aut alio morbo, ob quem ad Ecclesiam accedere nequit, distributiones lucrari. Idem dic de sene, qui sine periculo grauis incommodi ad chorum accedere nequit, in quo medici iudicio standum est: de quo vide Bonacinam *sup. & infra punct. 2. num.* 6. Intellige tamen, si ij dum valebant, choro interesse solebant. Cæcus autem beneficiatus, aut præbendatus vt lucrari possit distributiones, tenetur si commodè potest, cum famulo & duce adire chorum, & ibi attentè assistere, & prout poterit canere. Idem dic de surdo, aut surdastro, vt docent Suarez *tom. 2. de relig. lib 4. cap. 27. n. 15. 16. &* 17. Filiiuc. *tract. 23. cap. 9. quæst.* 4. & Bonacina *disput. 1. de hor. canon q. 6. punct. 2. num.* 12. Dixi, si commode, nam si cæcus sit pauper, nec habet ducem, imo etiam si habeat, non potest sine magna difficultate, & incommoditate adire chorum, tunc poterit distributiones in absentia accipere.

6 Colligitur secundo, absentem ex iusta corporis necessitate lucrari distributiones quam diu necessitas durat: habetur expresse *in dicto cap. vnico: de clerico non resid. in* 6. Ibi: *Et rationabilis corporis necessitas*, modo tamen non adsit consuetudo in contrarium, quæ licite induci potest, vt supradictum est, & docet Bonacina *de horis canon. disp 2. quæst. 5. punct. 2. n.* 3. Vnde in materia hac infirmorum obseruandæ sunt consuetudines, & dispositiones cuiuscumque Ecclesiæ, & ad litteram seruandæ, nisi aliquid contra rationem, aut ius naturale contineant. Hinc fit lucrari posse distributiones eum, qui de consilio medici domo nõ egreditur ob valetudinis periculum, aut causa sumendæ medicinæ, qua corpus expurget; aut quia sanguine eo die minutus est. Similiter eas lucratur canonicus, aut beneficiatus, qui postquam eum febris dereliquit, vrbe egreditur, vt salubriore cœlo perfruatur, & viribus roboretur. Item distributiones accipere potest, qui ob cantum nimia defatigatus aliquantulum se retrahit à choro, vt spiritus assumat, seque, quantum fert necessitas, recreet. Ita Bonacina *supr. num.* 5. & Moneta *de distrib. part. 2. q. 5. n.* 50. apud quos vide alia exempla.

7 Tertiò colligitur, canonicum coadiutum quando ægrotat, aut aliàs legitimè abest, lucrari distributiones, etiam si eo tempore suus coadiutor non resideat. Nauar. *cons. 2. de clerico agrotante. num.* 6. Gonzalez *super* 8. *regulam Cancellaria, glosa. 5. §. 9. à num.* 116. & Garcia *de beneficiis. part. 4. cap. 5. n.* 62 *&* 63. quia priuilegium non debet principali esse nociuum, nec in eius dispendium retorqueri, quod

quod in ipſius fauorem eſt conceſſum. Vnde fit fit, poſſe principalem gaudere menſibus datis pro quiete,& cauſa recreationis, aut ſi alias legitime abſit ſicut alij,etiam ſi coadiutor non reſideat. Nauarr. *ſupr.*& Garcia *num.*64. quia in iis caſibus non tenetur intereſſe diuinis, nec per ſe, nec per alium. Hæc autem limitat Garcia *vbi ſup.num.*14. niſi coadiutus velit nihilominus ſuum coadiutorem tempore infirmitatis, vel quando alias iuſte abeſt coadiutus, inſeruire; quo caſu, inquit, coadiutore nolente reſidere, coadiutus punctabitur: *forà deſcontado*, ad damnum tamen coadiutoris, qui eſt in culpa non reſidendo, & ſic de ſuo tenetur ſoluere coadiuto quod amiſerit. Hoc tamen ego intelligerem, caſu quo coadiutor, accedente Pontificis conſenſu, ad tam ſtrictam reſidentiam ſe obligauerit expreſſe, quia ſic ſuo ceſſit priuilegio; alìter enim gaudere poterit priuilegio ſui principalis, quo habetur præſens dum ægrotat, aut aliàs legitimè abeſt,etiam ſi coadiutor non reſideat.

8 Rogabis tamen, an principali ægrotante,aut legitimè abſente, eius coadiutor cui à Papa ſunt conceſſæ diſtributiones ex conſenſu principalis, teneatur reſidere tempore quo principalis ægrotat, aut legitime abeſt. Quidam reſpondent negatiue, quia ex coadiuto & coadiutore quaſi conſtituitur vna perſona præſens,& vt habetur in bulla coadiutoriæ, præſentia vnius habetur pro præſentia alterius; ergo cum eo in caſu principalis reputetur præſens,ſimiliter & coadiutor. Quod etſi non ſit improbabile, verius tamen exiſtimo eo tunc coadiutorem teneri reſidere, aliàs non lucraturum diſtributiones: quia cum in hoc caſu ex conuentione diſtributiones ad ipſum pertineant, cenſetur quoad hoc tanquam principalis, conſequenter non poterit lucrari niſi ſolùm quando ipſe legitimam habet cauſam abſentiæ.

9 Quantum ad ſecundam cauſam dico ſecundò, canonicus, aut beneficiatius, qui aliàs diuinis intereſſe conſueuerat, licitè poteſt, iure ſibi permittente,diſtributiones accipere, dum abeſt in euidentem ſuæ Eccleſiæ vtilitatem, aut neceſſitatem. Ita communis DD. & habetur expreſſè *cap. conſuetudinem, & cap.vnico,de clerico non reſidente.* Ibi: *Aut eaſdem Eccleſiæ vtilitas excuſaret.* Dixi, qui alias intereſſe conſueuerat; nam aliter non cenſetur iacturam diſtributionum facere. Dixi, in euidentem vtilitatem, quia cum abſentia ſit certa, & diſtributiones certæ, requiri etiam videtur cauſa certa & euidens ad illas lucrandas. Vnde non excuſatur abſens quando dubium eſt, an negotium de quo agitur,vtile futurum ſit Eccleſiæ, vel ſi de re admodum leui agatur. Bonacina *diſp.*1 *de horis canon queſt.*5.*punct.*3 *n* 5.cum Moneta *de diſtrib.*2 *part.q.*11.*num.*33. Dixi etiam, Eccleſiæ ſuæ,cui ſcilicet adſcriptus eſt;nam ſecus dicendum, ſi in alterius Eccleſiæ vtilitatem abſit;tunc enim debet hic ſtipendium accipere ab iis, quorum commodo abeſt, vt recta ratio dictat. Ita communis DD. & conſtat ex textu *in d cap.vnico, de clerico non reſidente, & cap.ad audientiam,eod.tit.* Limita tamen ſupradicta, niſi ille qui proſequitur Eccleſiæ vtilitatem, aut neceſſitatem, ad id habeat congruum ſalarium ab ipſa Eccleſia; quia tunc officium non eſt illi damnoſum, & ceſſat ratio præcipua ob quam abſentibus in Eccleſiæ vtilitatem conceduntur diſtributiones: quæ ratio militat in omnibus caſibus infra dicendis. Ita Moneta, videndus infra,*n.* 35.& 36.

10 Ex hac concluſione multorum caſuum deciſio colligitur. Primò, non debentur diſtributiones illi, qui tempore diuinorum officiorum in peccatorum ſuorum confeſſione facienda detinetur,Moneta *ſup. q.*5.*n.*53.Bonacina *diſp.*1.*q.*5 *punct.*3.*num.*7. & Bartholomæus à S.Fauſto,*lib.*3 *quæſt.*49. quia non abeſt in Eccleſiæ vtilitatem; nec eſt eo tempore neceſſitas, cum antea vel poſt confiteri poſſit, nec eſt corporalis neceſſitas, qualis requiritur à Pontifice, *in dicto capite vnico.* Hoc autem limitatem, niſi contrarium ſit in conſuetudine poſitum, qualis reperitur in noſtra Diœceſi,& practicatur à viris prudentibus,& timoratis, ideoque non eſt temerè damnanda præſertim cum huiuſmodi confeſſiones, ſeu potius reconciliationes, non ſoleant per multum temporis durare,ſi enim ſalua corporis excuſat,cur etiam non excuſabit animi ſalus?

11 Secundò colligitur,canonicos,qui tempore diuinorum officiorum detinentur ex mandato Capituli in iis, quæ ad capitulum faciunt, vt in ſubeundis rationibus,in aſſignandis cuique ſuis redditibus, participes eſſe diſtributionum. Ita Bonacina *ſupra num.*11.& Moneta *d. quæſt.*11.*num.*47. *in fine*.contra Garciam *de benef.*3.*part. cap.*2. *num.*369. nam ij cenſentur abeſſe in Eccleſiæ vtilitatem, eo quod occupantur in rebus neceſſariis ad alendum Eccleſiæ miniſtros.

12 Tertiò colligitur, canonicos qui tempore diuinorum officiorum in habendis capitulis detinentur,non poſſe lucrari diſtributiones pro eo tempore aſſignatas, vt latè probat cum aliis Garcia *de benef.* 3.*part cap.*2.*num.*556 *& ſeqq.* præcipue ex Decreto Clem.VIII. edito 18. Ianuarij 1601.& declaratione quadam Cardinalium, in quibus ſtatuitur, ne canonici tempore diuinorum ad Capitulum accedant, ſine vrgenti aliqua,& euidenti neceſſitate,aliàs diſtributiones amittant. At ſi aliqua vrgens neceſſitas,vel vtilitas occurrat, & non poſſit commode in aliud tempus differri, licite poterunt fieri Capitula, & accipi diſtributiones, ſecus tamen ſi commode differri poſſit,vt patet ex dictis. Ratio eſt,quia munus præcipuum, & magis præcipuum canonicorum eſt choro intereſſe,tum etiam quia ex canonicorum abſentia defraudatur cultus diuinus,& chori diſciplina patitur, & relaxatur.Ita etiam Bonacina *de horis canon.diſput.*1.*q.*1 *punct.*2.*n.*5. Quare non videtur approbanda abſolute conſuetudo, vbi canonici tempore diuinorum occupantur paſſim, & indifferenter in habenda capitulis,nulla vrgente neceſſitate: niſi dicas fere ſemper vrgere, & occurrere negotia, quæ commode differri non poſſunt An autem hoc ita ſit, ipſi videant. Ego autem conſulerem omnino vt illis abſtinerent, præſertim dum Miſſa conuentualis aut ſolemnialis celebratur, aliter enim diſtributiones iuſte accipere non poſſunt.

13 Quartò colligitur, eum qui à Capitulo mittitur ad iuriſdictionem aliquam ſuæ Eccleſiæ annexam exercendam, vel ad Summum Pontif.vel alium principem legationis titulo,etiam ſi hæc legatio gratulationis cauſa inſtituatur, lucrari diſtributiones; quia abeſt in vtilitatem Eccleſiæ. Ob idque eas lucratur Vicarius Capituli,ſede vacante; non vero Vicarius Epiſcopi, ſi ſimul ſit canonicus, quia hic tunc non abeſt in vtilitatem Capituli, ſeu Eccleſiæ ſuæ. Item lucratur diſtributiones ille,qui tanquam Theologus, vel canoniſta, vel procurator ad Concilium generale, vel Prouinciale mittitur: ſimiliter canonicus, qui ab Epiſcopo ad Apoſtolorum limina mittitur, nam cenſetur abeſſe in Eccleſiæ vtilitatem, ſicque declaratum eſſe per ſacram Congregationem tradunt Riccius *deciſio*.498. *numero* 3. Garcia *de beneficiis* 3 *parte*, *capite* 2. *numero* 549. & tenet Bonacina videndus *ſupra numero* 12. 13. & 14.

14 Quintò

14 Quintò colligitur, Syndicum, seu procuratorem Capituli ab ipso Capitulo constitutum ad defendendum iura Ecclesiæ suæ, cui adscriptus est ad prosequenda illius negotia, ad exigendos suæ Ecclesiæ redditus, & emolumenta, licitè posse percipere distributiones, saltem dum iura & negotia Capituli seu Ecclesiæ in iudicio vel extra prosequitur, ac tuetur, nisi habeat salarium toti huic labori congruum. Ita cum aliis Moneta *de distrib. 2. p. q.* 11. *numer.* 35. *&* 43. Et ratio est aperta; quia euidenter constat hunc occupari in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & necessitatem, cum ipsius ministerio sustentare, & alere Ecclesiæ ministros curet, & nitatur. Dixi, nisi habeat sufficiens salarium toti, &c. nam si salarium sit sufficiens congruum, & toti labori correspondens, non poterit distributiones tunc accipere, quia cessat ratio, eo quod illi tunc officium non sit damnosum. Addit tamen Moneta *vbi sup. n.* 45 fortasse licitè posse eo tunc illas retinere, cum illi habeant probabilem causam concedendi. Ego vero id non admitterem, quia cum habeat ille congruum salarium, non datur causa iusta illas concedendi, nec accipiendi. Non tamen est improbabile, canonicum absentem ad tuendum Capituli sui iura, etiam si habeat salarium, non priuari distributionibus, vt tenet Bonacina *dicto puncto* 3. §. 3. *num.* 1. quia ius indistinctè concedit distributiones absenti in vtilitatem Ecclesiæ, ne damnum ex absentia patiatur: & ex alia parte salarium non solùm conceditur vt seruetur indemnis sed ad sustinendos labores & incommoda, quæ occasione litis solent oriri. Quare si alicubi talis reperiatur consuetudo, non est temere damnanda. At si salarium aut stipendium non sit sufficiens & congruum, certum est tunc eas simul cum salario posse accipere; quia tunc censentur habere vim & rationem salarij, & stipendij, cum nemo teneatur propriis stipendiis militare, & officium nemini debeat esse damnosum. Cum ergo, regulariter loquendo, salarium quod Syndicis assignatur ob Ecclesiarum paupertatem, non sit competens & congruum toti labori, inde fit, vt ij syndici & procuratores præter salarium communiter possint accipere distributiones quotidianas. Procedit autem hoc consectarium etiam si syndicus seu procurator data opera curauit sibi à Capitulo prouinciam, siue procurationem, aut Syndicatum demandari ad peragenda negotia Ecclesiæ tempore diuinorum officiorum, vt Bonacina bene docet *de horis can. disp.* 2. *q.* 5. *punct.* 3. *n.* 15. quia causa finalis absentiæ est vtilitas Ecclesiæ, vt supponitur.

15 Dixi etiam, saltem dum iura & negotia Capituli seu Ecclesiæ in iudicio seu extra prosequitur: nam existimo certum huiusmodi procuratores, & negotiorum Ecclesiæ gestores, solum posse percipere distributiones eo dumtaxat tempore, quo in Ecclesiæ vtilitatem aut necessitatem occupantur, vt colligitur apertè ex cap. vnico sæpè citato, & aliis iuribus, *vbi sup.* & supponunt omnes DD. vt constabit magis ex consectario sequenti, & dictat ipsa ratio naturalis, & postulat hæc materia distributionũ, quæ strictè est interpretanda, eo quod quæuis dispensatio, & permissio accipiendi distributiones in absentia sit contra ius, & à iure exorbitans: sic parochus, seu curam animarum gerens, solum censetur præsens dum est in cura suarum ouium, & suæ Ecclesiæ vtilitatem occupatus. Ideoque quando pontifex concedit alicui priuilegium percipiendi distributiones in absentia ratione occupationis in aliquo officio, obsequio, vel munere limitat vt solum possit eas percipere tempore quo est in illo ministerio occupatus: vt videre est in priuilegio quod habet canonicus Ecclesiæ Valentinæ pro tempore quo munus Rectoris exercet in scholis, seu Vniuersitate Valentina, & dicetur infra dum de priuilegio accipiendi distributiones in absentia dicemus. Ex quo fit huiusmodi procuratores finitis negotiis Ecclesiæ, & occupatione cessante, non posse in absentia distributiones accipere. Sicque expresse cautum est in Synodo Diœcesana D. D. Ayalæ Archiepisc. Valent. *act.* 1. *c.* 7. his verbis: *Sciant qui publica officia administrant Ecclesiarum, se non posse eas recipere, aut suas facere, nisi cum fuerint suorum officiorum administratione occupati, non autem quando interesse sacris sine sui officij incommodo possunt. Neque enim* (ait) *par est, vt is toto anno præsẽs choro habeatur cui multis anni diebus licet ab administrationis sui officij vacare.* Quare non videntur tuti in conscientia illi, qui curant sibi demandari aliquem syndicatum, vel procurationem, aut administrationem suæ Ecclesiæ parui & exigui laboris, ac modicæ occupationis, nullo assignato salario, dummodo fiant præsentes, & omnes distributiones lucrari possint in absentia; ij enim breui tempore se expediunt à negotio Ecclesiæ, vt postea liberius suis negotiis vacent, quod in fraudem diuini cultus & chori seruitium cedit, estque contra intentionem Ecclesiæ, & concedentium distributiones. Quod si labor & industria correspondens breui tempore, sit magnus & extraordinarius, & distributiones illius horæ paruæ, & modicæ, & minimè labori congruentes, & alioquin hic procurator non habet congruum salarium, non videtur à ratione alienum, posse tunc proportionabiliter accipere distributiones labori correspondentes, hoc enim æquitas postulare videtur. Sicque possunt aliquo modo aliqui procuratores excusari, præsertim procuræ, vt dicunt maioris; quia labor est notabilis, & salarium exiguum, & aliquando nullum; nam Ecclesiæ propter paupertatem illarum assignare solent distributiones totius anni, pro labore in negotiis Ecclesiæ agendis.

16 Sexto colligitur, acquirere distributiones canonicum, aut beneficiarium, qui à Capitulo est constitutus, vel ex officio deputatus est ad negotia Ecclesiæ peragenda, quæ alio tempore, quam hora diuinorum officiorum expedite potest, si ea tempore diuinorum officiorum expediat. Ita Bonacina *sup. n.* 16. quia reuera tunc abest in Ecclesiæ vtilitatem, & ille vtitur iure suo; sicque videtur vsu comprobatum, aliter enim pateret via multis scrupulis. Limita tamen, modo ex officio, vel Capituli mandato, non teneatur negotium illud anticipare, & extra tempus diuini officij absoluere. Non tamen distributiones lucrari potest ille, qui ad peragendum Ecclesiæ negotium, citius, aut maturius discessit, quam opus esset; aut qui regressum diutius distulit, quam par sit, distributiones inquam illas, quæ respondent tempori, quo maturius discessit, aut quo regressum diutius distulit; quia pro eo tempore non abfuit in Ecclesiæ vtilitatem; nisi forsan bona fide discesserit, putans negotium tunc temporis tractandum esse, aut nisi graue superueniat impedimentum, ob quod redire non potuit. Ita cum aliis Bonacina *supra numero* 18. qui *numero* 19. assignat tempus consumendum in eundo & redeundo. Vide Monetam 2. *parte de distributionibus, quæstione* 5. *numero* 35. At potest lucrari distributiones ille cui à Capitulo demandatum fuit negotium in euidentem Ecclesiæ vtilitatem expediendum per aliquot dies, si aliquot illorum dierum horas insumat in ludos, & recreationes non honestas, modo tamen negotio expediendo graue damnum inde non sequatur; nam subsistit causa absentiæ. Bonacina *sup. num.* 10. Similiter ille, qui à

Capitulo mandatum accepit ad peragendum matutino tempore negotium Ecclesiæ, lucrari potest distributiones tempori assignato respondentes, si matutino tempore proprio negotio incumbat, dilato in vesperas negotio Ecclesiæ; non vero distributiones horis vespertinis respondentes; quia mane, & non vespere dicitur abesse in Ecclesiæ vtilitatem. Bonacina *sup. num.21.* Non tamen potest lucrari distributiones absens in beneficio præsentatus, vt se contra alterum defendat; quia non abest in vtilitatem Ecclesiæ Ar si pacifice possidens absit, vt iure sui beneficij tueatur, probabile existimo, cum Bonacina *dict. punct.3. §. 3. num.2.* posse percipere distributiones, cum quia in iure beneficium appellatur Ecclesia, ex Nau *cons 14 de clerico non residente*, tum etiam quia iura beneficij sunt bona Ecclesiæ. Tu tamen attende consuetudinem tuæ Ecclesiæ.

17 Septimo colligitur, seclusa legitima consuetudine, non posse Canonicum, seu beneficiatium, qui tempore diuinorum officiorum in propria Ecclesia celebrat, percipere distributiones, siue ex deuotione, siue onere capellaniæ celebret. Ita Gonçalez *ad 8. Regul Cancellariæ. §.7. proœmiali num.181.* Garcia *3.part de benef.c.2.num.398.* Quaranta *verbo distributiones*, & alij, quos Bonacina *disp.2. de horis canon. quæst.5. §.4. punct. 2.* & ita declaratum fuisse apud sacram congregationem referunt Gonçalez, & Garcia *sup.* & Riccius *in praxi, vers. Praxis distributionum, decis.494.* quia tunc non dicitur abesse in suæ Ecclesiæ vtilitatem. Dixi, seclusa consuetudine: nam ex posita, quam iusta de causa induci posse constabit infra, licitè sunt lucrari possunt distributiones, vt docent Bonacina *sup num 4.* & Garcia *loc.cit.n 401.* qui testatur in sua Ecclesia esse vsu receptum, sicuti est in nostra Ecclesia, cui fauet dispositio Concilij prouincialis. *§.3.c 26.* Ibi: *Qui tamen Missam tempore permisso celebrabunt, distributiones non amittant*, sicque excusandi sunt, qui eo tempore celebrant: tum etiam & illi, qui de mandato sui superioris faciūt. Vide Bonac. *vbi sup.* & Barb. *de offic. & pot. Episc. tom.3. alleg.53* vbi multa de distributionibus.

18 Octauò colligitur, pœnitentiarium Ecclesiæ Cathedralis, qui iuxta formam Trident. *sess.24.c.8.* est constitutus, dum audit in Ecclesia sua confessiones, vel aliquid ad eas faciens, lucratur distributiones. Ita expressè in Trident. non tamen eas locratur pro tempore quo est in confessionario, non audiens confessiones, sed recitans priuatim, aut aliud agens: nec si extra Ecclesiam confessiones exciperet. Ita Barbosa *sup. alleg.55 n.30* Bonac. cum aliis *disp.2. de horis canon quæst.5. punct.3. §.5. n.2.* de aliis autem confessariis, qui pœnitentiarij non sunt, Bonacina *vbi sup n.4.* existimat solùm haberi pro præsentibus, quando propter absentiam, aut defectum pœnitentiarij à superiore deputati sunt, & in pœnitentiarij loco subrogati; non vero eo præsente, secluso particulari statuto à Sede Apostolica confirmato. Probabile tamen mihi valde est, & in conscientia tutum, & docet Moneta *sup n.68.* videlicet confessarios omnes, etiam non curatos, qui tanquam minores pœnitentiarij à superiore assumuntur in partem ministerij maioris pœnitentiarij, nullo congruo stipendio ipsis assignato, posse dum audiunt confessiones in Ecclesia distributiones accipere: nam ij vices pœnitentiarij gerere censentur: quod tanquam satis rationabile consuetudine legitima induci potest, prout in nostra Diœcesi introductum est indifferenter, vt omnes confessarij tempore quo in confessionibus occupati sunt, possint distributiones accipere. Quod non ita strictè accipiendum est, quin confessarius vrbanitatis, aut consilij gratia possit quantum prudens occasio tulerit, cum aliquo detineri, præsertim si de rebus ad confessionem pertinentibus agatur: multi enim ad pœnitentiarium, vel confessarium confugiunt petendi consilij gratia, aut diluendi quæstionem ad mores pertinentem, vel vt facultatem consequantur absoluendi, vel absolutionem obtinendi à nonnullis casibus, quorum ipse facultatem aliquando delegare potest. Hæc enim ad confessiones faciunt, & ad munus pœnitentiarij pertinent, nec contra mentem Concilij esse videntur; nec vlla lex aduersatur rationabili, & honestæ vrbanitati. Ita Bonacina *dict. num.2.* cui libenter subscribo, & addo, posse confessarium, si est vehementer defatigatus, aliquantulum respirare, & recreari vt vires reassumat, sicut diximus *sup. hoc dub. num.6.* de cantoribus; onus enim hoc sicuti est maximi meriti, ita maximi ponderis, onetis, & laboris, & vt ait Trident. Angelicis humeris formidandum.

19 Nonò colligitur, canonicum, aut alium habentem præbendam Theologalem seu alias legentem Theologiam positiuam, seu scholasticam in sua Ecclesia, quamuis de iure possit fructus præbendæ seu beneficij in absentia percipere, non tamen distributiones, etiam si à choro absit prætextu parandæ lectionis, aut concionis, vel defatigationis, quæ ex studio consurgere potest, nisi fortè ipsius præbenda fructus non habeat distinctos à distributionibus. Ex gratia tamen diebus quibus legunt in suis Ecclesiis, habendi sunt pro præsentibus in choro non solum pro illis, quibus legunt, vt si mane legat, pro horis matutinis & Missa solemni, sed etiam pro sola die in qua legit, exceptis matutinis quæ in vesperi dicuntur secundum alicuius Ecclesiæ consuetudinem. Ita Bonacina *disp.2. de horis canon. quæst.5. punct.3. §.6.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat. 56. num. 8.* cum aliis, qui referunt ita declaratum esse à sacra Congregatione, & à Gregor. XIII. prout etiam referunt Garcia *de benef.3 part. cap.2. n.118.* & Gonçalez *ad regulam 8. Cancellariæ §. proœmiali. num.180.* Dixi, nisi forte, &c. nam si præbenda non habeat alios fructus præter distributiones, tunc distributiones succedunt loco fructuum, sicque de iure Theologus dictus, die qua legit, eas percipere potest. Bonacina cum aliis *sup. num.4.* Idem eodem modo dicendum videtur de eo, qui in sua Ecclesia legit Theologiam, non ratione præbendæ, sed conductus aliquo stipendio, maximè si stipendium sit tenue, & non adæquat laborem, nisi fortè conductus sit eo pacto expresso, vt non possit percipere distributiones etiam tempore quo in suo munere est occupatus.

20 Quantum ad tertium, videlicet, ad priuilegium recipiendi in absentia distributiones. Commune & certum est ex priuilegio Summi Pontificis absentem distributiones consequi; sicque ex priuilegio vel permissione Concilij Trident. possunt canonici per tres menses abesse. Sunt enim distributiones iure humano introductæ, ac proinde subsunt dispensationi Summi Pontificis. Prælati autem Summo Pontifice inferiores, sicut non possunt in iure communi dispensare, ita nec distributiones absentibus concedere. Ita refert decisum Garcia *de benefic. 3. part. cap. 2. num. 260,* de quo vide Bonacinam *disp.2. de hor canon. quæst 5 punct. 4. num.2.* Hoc autem priuilegium strictè est interpretandum, seruata verborum proprietate, vtpote exorbitans à iure communi, & aliorum canonicorum iuri repugnans: vnde fit vt priuilegium percipiendi fructus in absentia non extendatur ad distributiones; nam hæc in materia quæ strictam postulat interpretationem,

non

non veniunt nomine fructuum. Couarr. 3. *var c.* 13. *num* 2. Gonzalea *ad regul* 8. §. 7. *proœmiali. num.* 175. & alij apud Bonacinam, *sup. num.* 4. Priuilegium autem percipiendi distributiones in absentia, extenditur ad anniuersaria, seu mortuaria, ita Quaranta *verbo distributiones. vers. Ampliatur secundo.* contra Bonacinam *vbi supr.* & Monetam 2. *part. quæst.* 14. *num.* 21. quia hæc communiter sub nomine distributionum comprehenduntur, prout etiam vsus testatur. Cætera circa huiusmodi priuilegia vide apud DD. supra citatos.

21 Ad quintam causam, scilicet statutum, dico, regulariter loquendo, induci non potest, vt statuto, vel constitutione aliqua Capitulorum vel Episcoporum, distributiones absentibus conferantur. Ratio est aperta, quia *ex cap. vnico, de clerico non residente in* 6. distributiones absentibus conferri non debent; at inferiores Papa non possunt contra canones, statutum, vel constitutiones facere. *capite quod super his, de maioritate, & obedientia. capite institutionis* 25. *quæstione* 2. Clementina *Ne Romani, de elect. cap. cum omnes, de constit.* Etenim, etsi possit contra ius commune canonicum induci consuetudo, non tamen contra illud fieri statutum; quia illud permissum est *cap. fin. de consuetudine*, hoc vero est prohibitum per iura citata. Possunt tamen Capitula, etiam sine Episcopi consensu, ordinationes facere ad solum Capitulum pertinentes, & modum præscribere circa quotidianas distributiones. Quo videlicet pacto facienda sit distributio, & quota distributionum pars cuilibet horæ assignanda sit, vt optime *ex cap. ex litteris, & de constitutionibus, & ex cap. edoceri, de rescript.* obseruat Panormit. *cap. cum consuetudinis. num.* 4. *de consuetud.* Azor. *tom.* 2. *lib.* 7. *cap* 7 *quæst. vlt.* & alij apud Bonacinam, *disp.* 2. *de hor. canon. quæst.* 5. *puncto* 4. *n.* 2. sicque intelligendum *cap. vnicum supra citat. verb. statuimus.* Ratio est, quia hoc non est dare distributiones absentibus, sed tantum modum in illarum distributione cuique Ecclesiæ conuenientem constituere.

22 Dixi regulariter loquendo: nam per epicheiam iudicio prudentum censentur aliqui casus excepti. Primus, si canon sit per contrariam consuetudinem abrogatus. Secundus, si Episcopus faciat aliquod statutum in casibus, in quibus ob vrgentem necessitatem in iure communi dispensare potest. Tertius, quando senibus, qui quadraginta annis Ecclesiæ seruierunt, tamquam præsentibus distributiones conferantur, vt docet Garcia *de benef.* 3. *part. cap.* 2. *num.* 344. Cenedo, Moneta, & alij apud Bonacinam *sup. num.* 3. & referunt decisum à sacra Congregat. quod tamen non probat ipse Bonacina, nisi tale statutum sit à Papa confirmatum. Sustineri tamen potest sententia Garciæ, ac proinde tale statutum vbi conditum est, non est temere damnandum. Denique si in fundatione alicuius Ecclesiæ Collegiatæ habeatur vt canonici duorum, vel trium mensium spatio impune, & sine distributionum iactura abesse possint, & iuxta huius fundationis institutum constitutio aliqua feratur, illud confirmans; quia in dict. cap. vnico non derogatur fundationi. Vide Bonacinam *sup. vers. Denique.*

23 Quantum ad vltimam causam, excusantem nempe consuetudinem. Respondeo, & dico, non posse absolutè sola consuetudine induci, vt distributiones absentibus licitè conferantur, nisi consuetudo ex rationabili causa inducatur, aut nisi Summ. Pontifex consentiat. Ita Garcia 3. *part.* c. 2. *num.* 197. & cum aliis Bonacina *de horis canon. disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 6. *num.* 2. patet ex cap. vnico citato *de clerico non residente*, vbi ita prohibetur vsus distributionum non interessentibus diuinis officiis, vt simul etiam reprobetur contraria consuetudo. Idem habetur in Trident. *sess.* 24 *c.* 21. quamuis enim vsus distributionum iure humano sit inductus, nihilominus, posita ipsorum institutione, contra naturam eorum est, vt absentibus conferantur.

24 Dixi, nisi consuetudo ex iusta causa inducatur, nam superior reprobans consuetudinem futuram, eam solùm reprobare censetur, quæ sine causa inducitur, aut quæ intrinsecè mala est, aut quamdiu perseuerat causa ob quam reprobatur, hæc enim censetur irrationabilis consuetudo. Quæ vero ex noua causa inducitur, aut quæ intrinsecam malitiam non habet, non censetur in futurum reprobari, vt cum multis probat Bonacina *supr. num.* 4. Dixi etiam, aut nisi Summ. Pontifex consentiat; nam sicut ille vsum distributionum induxit, ita etiam validè poterit, siue in totum, siue in partem, dispensando auferre. Couarr. 3. *variar. cap.* 13. *n* 5. & cum aliis Bonacina *supra, num.* 5. requiritur tamen, vt dispensatio, non vt valida sit, sed licita, iusta causa. Sufficit tamen tacitus & præsumptus Pontificis consensus, qui præsumitur, dum scit, & tolerat consuetudinem: ita Moneta 2. *part. de distribut. quæst.* 12. *num.* 45. & Bonacina *supra n.* 6. qui bene aduertunt, ex sola taciturnitate, per se loquendo, non præsumi consensum, nisi aliud ex signis & circunstantiis colligatur. Quantum vero ad tempus necessarium huic consuetudini: Respondeo, si adsit consensus Papæ, nullam temporis determinationem requiri; si autem non adsit expressus, seu moraliter præsumptus consensus, requiri quadragenariam præscriptionem necessariam ad præscribendum contra canonem, aut legem Ecclesiasticam, de quo Moneta *vbi supr. num.* 2. 11. *&* 44. Bartholomæus à S Fausto *lib.* 2. *de distribut. q.* 84. *&* 85. & dictum est *sup dub.* 1. *v Tempus autem.*

25 Ex his sequitur primò, iuxta probabilem opinionem, quam tenet Cenedo *Collectanea* 15. *n.* 7. Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 15. & alij apud Bonacin. *sup. num.* 7. permitti posse consuetudinem, iuxta quam beneficiarij Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ, ab eisdem Ecclesiis per duos menses absunt, & tanquam præsentes reputantur quoad distributiones percipiendas, quia talis consuetudo censetur iusta de causa inducta, verbi gratia, ad res familiares disponendas, & præparandas, vel ad honestam animi relaxationem, vt elapso recreationis tempore, diuinum officium maiori cum alacritate, & spiritu reassumatur. Contrarium tamen tanquam probabilius tenent Azor *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 6. Nau. Garcia, Gonzalez, & alij apud Bonac. *vbi sup.*

26 Secundo colligitur, iuxta sententiam Nauarr. *consil* 3. *de clerico non residente.* quem sequitur Bonacina *sup. num.* 15. tolerandam non esse Diœcesanam constitutionem, vel consuetudinem concedentem iubilationem, vt beneficiarij, qui longum, & diuturnum tempus diuinis officiis assistendo personaliter insumpserunt, immunes sint à residentia, & distributiones tanquam veterani, & emeriti milites quotidie lucrentur, perinde ac si quotidie diuinis officiis interessent, modo adhuc vegeti, & robustiores sint, vt commodè diuinis officiis assistere possint. Contrarium tamen non est improbabile, vt tenent Cenedo *collectanea* 15. *num* 8. Garcia *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 344. quare vbi viget talis consuetudo, non est facile improbanda. Permitti tamen potest consuetudo, vt beneficiarij senio confecti, vt septuagenarij, distributiones capiant, etiam si

ad chorum non accedant; nam hæc consuetudo ex sufficienti causa inducitur, cum ipsa senectus morbus sit, & infirmitas. Moneta *dicta quæst.*15.*n* 57. Cenedo *vbi sup.* & cum aliis Bonacina *sup. dict. q.*5. *punct.*6 *n.*16.

27 Tertiò deducitur consuetudine immemorabili, imo & 40. annorum, iuxta Rotæ decisionem, de qua Bonac. *sup. n.*17. induci posse, vt quis per alium eiusdem Ecclesiæ canonicum, aut beneficiarium assistens, & seruiens Ecclesiæ, fruatur distributionibus, modo substitutus eo die vel hebdomada ex onere sui beneficij interesse, vel inseruire non teneatur; quia tunc simpliciter distributiones absentibus non conferuntur; nec infertur damnum diuino cultui, vel Ecclesiæ, cui per accidens quasi est vt vnus potius quam alius assistat, aut inseruiat.

28 Quartò deducitur, validam esse consuetudinem, vt absens causa studij, aut seruitij Papæ, aut Episcopi, vt causa examinis, visitationis, aut propter Ecclesiæ suæ ciuitatis, aut vniuersalis Ecclesiæ, possit percipere distributiones, aut propter similem & iustam causam, quia tunc rationabiliter censetur introducta talis consuetudo. Couar. *vbi sup. n.*15. Garcia *dicto c.*2.*n.*113. & 115. Moneta *dicta q.*12. *n.*42. & Bonacina *sup. n.*19.

29 Quintò, non est improbanda consuetudo, qua canonicus, qui ob iustam causam abfuit, & iam rediit, biduo aut triduo domi se continet ad quiescendum tamquam defessus ex itinere suscepto in vtilitatem Ecclesiæ, vel ad sarcinulas componendas antequam Ecclesiam adeat, distributiones lucratur: hoc enim tempus modicum, nec Ecclesiæ, nec benignæ intentioni legislatorum aduersari videtur. Præcisa tamen consuetudine huic nullum tempus indulgendum, nisi ad plurimum reliquum diei quo reuertitur, quando de longè venit. Ita cum Azor, Moneta, & aliis, Bonacina *dict. punct.*6. *n.* 20.

30 Sextò colligitur, non esse improbandam consuetudinem, vel constitutionem, qua cauetur, vt absens distributiones non lucretur, etiam si absit causa infirmitatis, aut alia iusta causa, ex qua distributiones in iure permittuntur; quia huiusmodi consuetudo est fauorabilis cultui diuino, & non est contra, sed præter ius, nam ius non præcipit dari distributiones absentibus ex iusta causa, sed tantum permittit. Ita cum aliis Bonacina *de horis canonic. disp.*5.*q.*5.*punct.*6 *n.*21.

31 Plura desiderantur circa hanc materiam: sed tamen quia nostra intentio fuit solùm breuem & communem summulam proponere, & quia, Deo dante, speramus copiosiorem tractatum edituros simul cum Decalogo, ideo illa libenter omittimus, referentes vos ad Doctores supra allegatos.

32 Rogabis tamen cui fiet restitutio distributionum iniustè acceptarum. Respondeo breuiter, quando distributiones absentium accrescunt interessentibus, ipsis est facienda restitutio: quando vero non accrescunt interessentibus, sed ipsi Ecclesiæ, aut bursæ communi, vt practicatur in Metropolitana Valent. & in Parochiis, ac Seminario corporis Christi, tunc non interessentibus, sed Ecclesiæ, aut bursæ facienda est restitutio. Quando autem, & quomodo distributiones aliis accrescant, vide apud Bonacinam *disp.*5. *de horis canonicis. quæst.*7. *punct.*1. & ibi alios. Atque de his satis.



BVLLÆ

BVLLÆ S. CRVCIATÆ EXPOSITIO.

PROOEMIVM.



BVLLÆ sanctæ Cruciatæ expositionem, Confessariis omnibus perutilem, ac valdè necessariam esse, ipsius litteram, seriem, ac tenorem legenti, ita apertissimè constat, vt nulla desideretur probatio. Reperiuntur namque in ea quamplurima, etsi vtilissima, difficillima tamen, & quæ explicatione indigeant. Cuius quidem expositio, non solum in regnis, & terris, vbi hæc Bulla conceditur, sed etiam vbique terrarum vtilis videtur, eo quòd incidenter, & connexione quadam, multa quæ ad Iubilæi, & alterius similis indulti intelligentiam faciunt, interpretantur.

Totam igitur hanc disputationem, seu expositionem, claritatis gratia, in quatuor libros duximus diuidendam. In primo de Bulla viuorum: in secundo de Bulla defunctorum: in tertio de Bulla compositionis tractabimus: in quarto verò ea, quæ ad facultatem Commissarij generalis sanctæ Cruciatæ spectant, proponemus. In cuius quidem expositione hunc ordinem seruabimus, vt primò librum, secundò clausulam ipsius Bullæ, eiúsque litteralem sensum proponamus: & tertiò, dubia, quæ præcisè, & quasi connaturaliter (vt ita dicam) ex ipsa Bullæ clausula oriuntur; superfluis, & ad præsens institutum parum facientibus, prætermissis.

Et cùm nostri instituti sit breuitati studere, & breuem, ac concisam Bullæ Cruciatæ expositionem in lucem edere, longas Doctorum citationes libenter omittimus, contenti eos solos referre, qui ad præsens maximè faciunt. Et cùm inter Bullas Cruciatas, quæ à diuersis Summis Pontificibus ad hæc vsque nostra tempora sunt concessæ, illa quæ à Gregor. XIII. concessa, & prorogata est, sit purior, auctior, ac locupletior, vt ex ipsius Bullæ proœmio apertè constat, proinde eam, ea qua poterimus breuitate, explicandam selegimus.

Et quidem non me latet, munus hoc viribus meis esse impar, maiorémque meâ & intelligentiam & scientiam postulare: nihilominus tamen, diuino auxilio fretus, & sancto Spiritu afflante, ac probatissimorum Doctorum auctoritati inhærens, & meo muneri, & amicorum precibus, & studiosorum commoditati libentissimè satisfacere conabor. Subiiciens tamen priùs omnia, quæ dixero, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & DD. virorum correctioni: sicque & à temeritate excusari, & opus hoc securius vsque ad finem perducere potero.

Antequam tamen Bullæ expositionem aggrediamur superfluis resecatis, ad communem eius intelligentiam quatuor tantùm dubia duximus præmittenda, cætera suis propriis locis explicanda relinquentes.

DVB. I.

Quid sit Bulla Cruciatæ, & quot eius partes.

1 QVoad primum nota, hoc nomen, *Bulla*, duo præcipuè significare. *Primò*, tumorem aquæ, seu ampullam, quæ facilè soluitur. *Secundò*, insigne quoddam rotundum, quod apud Romanos gestabant collo appensum filij Patriciorum: à qua significatione translatum est à Doctoribus, ad significandum rotundum sigillum, quod pendet in Bullis Papæ: à quo sigillo sumunt denominationem litteræ Pontificiæ, vt apertè colligitur ex *cap. licèt, de crimine falsi.* ibi: *Prima species falsitatis est, vt falsa Bulla falsis litteris apponatur*; vbi Bulla falsa sumitur pro sigillo rotundo falsificato. Ita Rodrig. *in expositio Bullæ*, §. *1. num.* 1. Dici etiam potest nomen *Bulla*, deductum esse à voce Græca βουλή, quæ consilium significat, vnde εὐβουλία, bono consiliatio, seu virtus benè consiliatiua, de qua Aristot. 6. *Ethic. cap.* 9. & S. Tom. 2.2. *quæst.* 51. *artic.* 1. & 2. Expediuntur namque Bullæ Pontificiæ (præsertim hæc nostra) summo consilio, magna prudentia, & diligenti circumspectione, vt ex proœmio Bullæ à Gregor. XIII. concessæ apertè constat. Ita Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 29. *num.* 3. *lit. O.*

2 Potest ergo Bulla sic definiri, seu, vt propriè loquamur, describi. Bulla sanctæ Cruciatæ à Summo Pontifice Hispaniarum Regi Catholico in subsidium belli contra infideles concessa, varia, eaque vtilia priuilegia, & indulta continens.

Dicitur primò Bulla sanctæ Cruciatæ; quia similes indulgentias dedit Vrbanus II. Cruce rubea insignitis euntibus ad recuperandam Terram sanctam: vt cum multis tenet Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 29. *num.* 3. *litter. O*, & refert Alphonsus Ciaconi. *tom.* 1. *de vitis Pontificum*, *pag. mihi* 347. vbi dicit: Signum autem militiæ fuit Crux è purpureo panno consuta, quam indulgentiæ Vrbanus salutaris in signum indulsit, vestibus super dexteram scapulam affigendam: vnde qui profecti sunt in eam expeditionem, Cruce signati, & ipsa expeditio Cruciata vocata est. A principio itemque concessionis Bullæ, non conferebatur pe-

cunia pro illius eleemosyna, sed vnusquisque suscipiens Bullam, seipsum tradebat in militiam contra fidei hostes: In cuius traditionis quasi testimonium, & solemnitatem, Bullam hanc suscipientes insigniebantur Cruce rubea in pectore: sicut hac tempestate in nostra Valentina vrbe milites S. Georgij militiæ addicti Cruce rubea in pectore insignitі incedunt.

Dicitur secundò à Summo Pontifice: vt intelligas causam efficientem, seu huius Bullæ authorem esse Summum Pontificem. An autem alij, præter ipsum, possint eam concedere dicetur. *dub. seq.*

Dicitur tertiò in subsidium belli contra infideles concessa, vt intelligas finem, seu causam finalem huius concessionis esse belli subsidium.

Quartò dicitur, varia, & vtilia Indulta continens: quia materia huius Bullæ sunt multa indulta vtilissima fidelibus concessa: qualia sunt concessio quarundam indulgentiarum, priuilegia circa aliqua præcepta Ecclesiæ, bonorum incertorum compositio, priuilegia circa aliqua Sacramenta Ecclesiæ, commutatio votorum, & absolutio casuum reseruatorum, ac censuratum, de quibus latè in suis locis.

3 Quoad secundum dico, partes præcipuas Bullæ Cruciatæ esse quatuor, nimirum Bullam viuorum, Bullam defunctorũ Bullam cõpositionis, & facultatem Commissarij: nam omnia, quæ in Bulla Latina reperiuntur, vel pertinent ad viuos, vel ad defunctos, vel ad incertorum compositionem, vel ad facultatem Commissarij. Aduerte in fine Bullæ Cruciatæ Latinæ, §. *Cæterùm*, Summum Pontificem Commissario generali facultatem concedere, summatium indulgentiarum, & priuilegiorum, quod Bullam vocamus, de Latino idiomate in vulgarem linguam, iuxta titus prouinciarum, vbi publicatio facienda est, non mutata illius substantia conuertendi, præmisso aliquo conuenienti, & idoneo procemio: cui transumpto tam in iudicio, quàm extra illud, standum esse, Sum Pontifex decreuit. Hac ergo facultate vsus sanctæ Cruciatæ Commissarius generalis, Bullam Latinam in linguam vulgarem conuertit, totum hoc transumptum in tres quasi partiales Bullas distinctionis causa diuidens; scilicet in Bullam viuorum, defunctorum, & compositionis. *Bulla viuorum* est, summatium indulgentiarum, & facultatum, quæ ad viuos spectant. *Defunctorum Bulla* dicitur, summatium indulgentiæ defunctis per modum suffragij concessæ. *Compositionis Bulla* est, quæ continet casus, in quibus de bonis incertis potest fieri compositio: quibus Commissarius libellum de ipsius facultate ex Bulla Latina desumptum adiecit. De iis omnibus sub ordine est nobis agendum.

D v b. I I.

Quis sit sanctæ Cruciatæ Auctor, & à quo sumpsit originem.

1 QVoad primum, manifestè constat ex titulis, & inscriptione ipsius Bullæ Summum Pontificem esse authorem illius: omnia enim, quæ in illa continentur, à Romano Pontifice conceduntur. Quòd autem possit illam concedere, eadem certitudine tenendum est, qua credimus posse ipsum indulgentias concedere: de quo infrà, & latè Nauar. *consil.* 18. *de pœnitent. & remiss. lib.* 5. nam in Bulla plurimarum indulgentiarum concessiones continentur. Debet autem iusta, & sufficiens causa adesse: vt communiter Doctores docent in materia de Indulgentiis. Censetur autem iusta, & sufficiens causa, eleemosyna illa pecuniaria à Commissario Cruciatæ in belli subsidium taxata: nam, vt bene docet Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 14 *n.* 5. *in fin.* etsi duæ dragmæ, si solæ sumantur, non videantur sufficiens causa tantæ concessionis; sunt tamen simul collectæ: nam sic ingentem summam tot millium aureorum conficiunt.

2 Dubitant tamen Doctores, an alij inferiores à Papa possint Bullam concedere, vt Archiepiscopus, vel Episcopus; in quare certum est, eos non posse concedere Bullam indulgentiam plenariam continentem: quia, vt habetur expressè *in cap. cùm ex, de pœnitent. & remis.* Episcopi solum possunt concedere indulgentiam vnius anni in die consecrationis Ecclesiæ, & pro illo tantùm die: & extra illum diem, indulgentiam quadraginta dierum, ita vt indulgentia hanc quantitatem excedens, sit pro illo excessu nulla, & irrita: vt habetur *cap.* 3. *in fin. cod. titul. in* 6. Nec potest Episcopus concedere Bullam, continentem facultatem absoluendi à reseruatis Papæ, & vota ipsi reseruata commutandi: nam, vt de se patet, omnia hæc excedunt suam facultatem.

3 Difficultas igitur est, an Episcopus possit Bullam concedere, quæ contineat facultatem absoluendi à casibus, quos ipse sibi reseruat, dispensandi, & commutandi in iis, quæ ipse iure suo ordinario potest dispensare, vel commutare, & indulgentiam quadraginta dierum. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent cap.* 31. *num.* 1. *lit. C.* tenet posse Episcopos in Hispania, & India, quæ distant à Papa, si ipse Pontifex Bullas non concederet, indulgere, data Bulla, ea quæ ad illorum facultatem extenduntur. Sic, ait, Episcopi Hispaniæ anno 1572, ad Regis instantiam concesserunt Bullas quasdam, ferè similes Bullæ Cruciatæ, circa peccata & censuras Episcopo reseruatas, & vt fieret compositio quædam pro incertis. Nauarr. verò *consil.* 18. *lib.* 5. *de pœnitent. & remiss. à num.* 1. *vsque ad* 5. quem sequitur Rodrig. *in addit. ad* §. 1. *num.* 2. negat posse Episcopum talem Bullam concedere; existimat enim concessionem prædictarum facultatum, data pecunia etiam in opus pium, esse simoniam, iure saltem humano prohibitam, in qua nullus inferior Papa dispensare potest: dispensat autem quando cruciatam, pro subsidio belli contra infideles concedit.

4 Nihilominus tamen existimo, sententiam Henriquez securè defendi, & teneri posse absque simoniæ labe, cum his tamen limitationibus. *Prima*, vt Papa Bullam Cruciatam non concesserit. *Secunda*, vt vrgens, & ingens necessitas adsit. *Tertia*, vt pecunia quæ pro illius concessione datur nullo modo applicetur in vsus, & necessitates ipsius Episcopi, sed in opus pium ad bonum commune spectans. Probatur à simili. Nam etsi Trident. *sess* 25. *cap.* 18. *de reformat.* prohibeat, ne aliquid temporale in dispensationibus, tanquam illarum pretium recipiatur; nihilominus tamen potest Episcopus absque labe simoniæ, dum dispensat vota, in quæ ipse habet potestatem, imponere onus largiendi eleemosynam pauperibus, vel monasterio: quia Trident. vt benè aduertit Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 9. *n.* 57. tantùm prohibet, ne dispensans inde sibi aliquod temporale commodum reportet: ergo dum Bullam suam concedit Episcopus, poterit absque simoniæ labe illam concedere, cum onere, vt præstetur aliqua pecunia in bonũ vniuersalis Ecclesiæ, vel particularis. Ex quibus patet responsio

responsio ad Nau.nam cùm hæc pecunia non detur pro pretio dispensationis, & concessionis suarum facultatum, nec cedat in commodum dispensantis, non inducit simoniam, iure diuino, vel humano prohibitam, nec obstat quo minus dispensatio, vel concessio, facultatis spiritualis fieri gratia dicatur. Vnde Alphonsus Perez de Lara *in lib.trium gratiarum.fol.*13. absoluè tenet id posse Archiepiscopos, & Episcopos. Et *fol.*94.refert, D.Didacum de Espinosa Cardinalem, & Episcopum de Siguenza instituisse,& concessisse quandam Bullam,quam vocauit *Carta, y Bulla de hermandad, y cofradia de nuestra sancta Fè Catolica*; in qua concessit suam ordinariam facultatem, & multa priuilegia, ac indulgentias confratribus hanc Bullam accipientibus,solutis tamen duabus dragmis in subsidium belli contra Turcas, & Agarenos regnum Granatense occupantes.

5 Quoad secundum dico,Cruciatæ concessionem initium habuisse ab Vrbano II. vt refert Azor *tom.2.instit.moral. lib.5. cap.17. vers.Totius quoque.* & Platina *in vita ipsius Pontificis*, & Alphonsus Ciaconi. *tom.1.fol.mihi* 347. qui floruit anno Domini 1088.teste Ciaconio *vbi suprà*,& Genebrardo *in suo Chronic.lib.4.fol.*597.vbi dicit,in eius monumento inscriptum esse: *Vrbanus secundus auctor expeditionis in infideles anno Domini* 1088. Postmodum aliqui Pontifices, data occasione alicuius belli magni momenti contra infideles,eandem Bullam concesserunt; vt constat ex variis historiis. *Primus* autem Pontifex, qui Cruciatam pro Regno Hispaniæ concessit,fuit Iulius II.ann.Domini 1509. *Secundus* Leo X qui ann.1517.vt refert Genebrard. *sup.pag.*717. promulgauit per vniuersam Christianorum ditionem remissionem peccatorum iis, qui sua bona in expeditionem Turcicam erogarent,quæ *Cruciata* vocabatur: cuius prædicatio fuit commissa à Leone cuidam Ioanni Terzellio Ordinis Prædicatorum. Quod ita offendit Lutherum,vt ipse contra indulgentias eodem anno ionare cœperit, vt scribit Genebrard *suprà*, & Henriquez *lib.7. de indulgent. cap.3.§ 1.lit.A.* Idem Leo anno 1519.Regi Catholico Hispaniæ Cruciatam concessit: vt refert Lara *sup. lib. 1. §. De los Sumos Pontifices Romanos que han concedido la Bula de la Sancta Cruzada para los Reynos de España, pag.9.* vbi adfert huius concessionis continuationem hoc ordine: vt *Primus* fuerit Iulius II. *Secundus* Leo X. *Tertius* Clemens VII. anno 1529. *Quartus* Paulus III. anno 1535. & 1537. Quam concessionem continuauit vsque ad annum 1544. *Quintus* fuit Iulius III. ano. 1555. *Sextus* Paulus IV.ann.1559.1562.& 1563. *Septimus* Pius V.anno 1571. *Octauus* Greg.XIII.anno 1573. a 1576. *Nonus* Sixtus V.anno 1585. *Decimus* Gregor. XIV.anno 1591. *Vndecimus* Clemens VIII. anno 1592. 1600. & 1603. *Duodecimus* Paulus V. anno 1605. cuius extensio & prorogatio durat vsque ad Innocentium X.qui nunc Dei Ecclesiam sanctissimè gubernat,& vsque ad aduentum ann.1625.in Hispania,& in India vsque ad annum 1663. Ita Lara *sup. §.Hasta que tiempo.*

Circa concessionem Cruciatæ à præfatis Pontificibus factam,duo notanda occurrunt.

Primò concessionem Cruciatæ nunquam fuisse perpetuam,sed temporalem,& tantùm durasse tempore ab ipsis Pontificibus determinato: vt constat ex ipsis concessionibus. Aliqui enim Pontifices solùm ad triennium illam concedebant: vt patet ex Bullis Pauli III.ano.1537.1541.qui modus concedendi durauit vsque ad Pium V.qui ann.1571. ampliauit Cruciatæ concessionem ad sexennium, vt binis quoque annis publicaretur Cruciata. Quem concedendi modum sequuti sunt eius successores: cum hac tamen limitatione,vt in Hispania publicetur Bulla singulis quoque annis: quod fuit statutum à Gregor.XIII.anno 1573. In Indiis verò singulis quoque biennis. Ita Lara *sup. dicto §. Hasta que tiempo*, docet ex concessionibus supra dictis colligi posse, Cruciatam in Hispania, & regnis, ac terris illi adiacentibus, publicari vsque ad aduentum ann. 1625. & in Indiis vsque ad ann. 1663. Continuationem, & durationem harum concessionum sumpsit Lara, vt ipse testatur, ex libro Regia Hispaniæ, in quo Bullæ Cruciatæ concessiones à diuersis Pontificibus factæ,sunt registratæ.

7 Notandum secundò, Bullam Cruciatam à Gregor.XIII.concessam, inter omnes alias vsque adhuc à Pontificibus concessas,esse ampliorem, ac fauorabiliorem, tam quoad indulgentias, & priuilegia, quàm quoad personas, quibus prodesse potest,vt ex ipsius contextu patet: quæ postea à suis successoribus vsque ad Innocent.X. cum iisdem indulgentiis, & priuilegiis est prorogata, & de nouo concessa, qua etiam expositores Cruciatæ in suis expositionibus vsi sunt: quem ordinem & nos etiam obseruabimus.

D V B. III.

Quis possit Bullam Cruciatæ interpretari.

1 NOta primò, legis irritationem, abrogationem, dispensationem, & interpretationem, ita differre; quia legem *irritare*, est impedire ne robur obligandi consequatur: vt si legem à ciuibus factam Princeps confirmare nolit. *Abrogare* est, postquam vim obligandi adepta est, eam omnino cassare. *Dispensare* est,aliquem ea causa à lege eximere,casu quo ad illam tenebatur. *Interpretari* verò est, declarare eam vi obligandi carere in tali casu, & euentu: quare interpretatio propriè petit eum casum occurrere,vt in eo cesset omnino vis,ac obligatio legis. At cõmuniter à Doctoribus sumitur pro declaratione, & expositione alicuius rei dubiæ, aut difficilis intellectu, ad verum sensum eruendum, & veritatem indagandam. Nos autem sumimus hic interpretationem in tota latitudine: & solùm agemus de interpretatione Cruciatæ, quæ ad nostrum facit institutum. Quo modo autem leges,canones,priuilegia,cæteraque similia, sint interpretanda,inter recentiores vide Rodriguez 1.*tom. qq.regul. quæst.*11. *per tot.* & Ioan. de la Cruz *lib* 2. *de statu Religiosorum cap.*2. *dub* 1. 2. & 3. & de legis interpretatione vide Suarez *lib.6.de legibus,cap.*1. 2. & 3. & Castro Palao *tract.*3.*disp.*5.*punct.*3. de extensione, aut restrictione priuilegiorum, vide eundem *lib.*8.*cap.*27. & 28. & Summistas, verb. *interpretatio*, & Castro Palao *vbi sup.disp.*4.*à punct.*11.

2 Nota secundò certam,& infallibilem,iuridicam, & authenticam legum, ac priuilegiorum interpretationem, non posse dari nisi ab ipso legislatore, vel successore,aut ab eius commissario. Ita Panorm. & alij Canonistæ *in cap. cùm venissent, de iudiciis*, & inter Theologos Rodriguez 1. *tom. quæst.* 11. *art.*1.& 2. Ioan.de la Cruz *suprà lib.*2.*cap.*2.*dub.*1. Suarez *lib. 6. de legibus, cap.* 1. *num.* 2. & Castro Palao *tractat.*3. *disp.*5 *part.*3. §.1. nam interpretari legem,gratiam,aut priuilegium isto modo, eius est, cuius est ipsam legem, gratiam, aut priuilegium

condere, vt docent communiter DD. *in cap. inter alia, de sententia excommunicationis, & in cap cùm venissent, de iud.* interpretatio autem legis, seu priuilegij, aut cuiuscunque indulti, doctrinalis, doctoralis, & probabilis, licita est Doctoribus, & litteratis, & iudicibus in Academiis; & Tribunalibus, iuxta regulas iuris, attentis verbis concessionis, pro communi vtilitate. Ita DD. citati, & alij, quos Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 19. num 4.* Doctores enim, vt videmus in praxi obseruari, per epikiam, seu æquitatem temperant legum rigorem, vt docet Conarr. *in regul possessor. 2. part. §. 6. n. 3.* & cum multis Henriq. *dict. n. 4.* Alioquio enim multa, sine quibus Respubl. gubernari non potest, penderent in ancipiti, si prohiberentur iudices, & Doctores Academiarum interpretari Concilia, & priuilegia, iuxta planum verborum sensum, ob idque expedit talis interpretatio, maximè quando superior adiri non potest: tum quia non semper occurrit opportunitas recurrendi ad Papam; tum etiam, quia licèt ea detur, non est opus semper ad eum recurramus vt suam mentem declaret: ideo enim constituuntur Doctores, & continentur regulæ in iure, vt secundùm illas exponant ios dubium; quorum probabiles expositiones sequi tuta conscientia possumus. Tum denique, quia hæc est humana conditio, vt vix possit homo tam perspicuis verbis sensum suum explicare, quin ambiguitates & dubia nascantur: præsertim, quia priuilegium, sicut & lex humana, loquitur breuiter, & in generali; & in applicatione eius ad varios casus in, particulari oriuntur frequenter dubia, propter quæ iudicium prudentum, & declaratio doctrinalis necessaria est; vnde ex hac necessitate orta est iuris ciuilis peritia, cuius præcipuus finis est, verum sensum, veramque interpretationem legum humanarum tradere. Vide Castro Palao *tractat. 3. disp. 5. punct. 3. §. 2* vbi *num. 6.* cum aliis tenet, regulariter loquendo, quoties in aliqua lege prohibetur interpretatio, solum prohiberi interpretationem friuolam, & quæ est contra mentem ipsius legis.

3 Hæc autem doctrinalis interpretatio non habet vim legis, vt benè docet Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 1. num. 6.* quia non procedit à potestate iurisdictionis, sed à scientia, & iudicio prudentum, & ideo non inducit per se obligationem: habet tamen suum auctoritatis gradum. Imò potest aliquando esse tam certa, vt inducat obligationem: vt si in alicuius legis intelligentia omnes interpretes conueniant, nam sic faciunt humanam certitudinem, vt docet Suar. *supr. num. 5. & 6.*

Dico primò, iuridica, & authentica, certa, & infallibilis priuilegiorum Cruciatæ interpretatio ex officio, iureque ordinario ad solum summum Pontificem spectat. Probatur, quia vt dictum est *not. 2.* eius est talis interpretatio, cuius est legem, vel priuilegium condere; legem autem vniuersalem condere, vel aliquem ab ea eximere, solius Principis est; ergo ad ipsum solum spectat iuridica, & authentica legis, vel priuilegij interpretatio. Dixi *ex officio, iureque ordinario.* nam certum est ea ipsius Pontificis commissione posse aliquem, modo dicto, legem, aut priuilegium interpretari. Et de facto Summus Pontifex generali Bullæ Cruciatæ Commissario facultatem concessit, dubia circa ipsius textum emergentia, authenticè interpretandi, tamquam iudici à Sede Apostolica delegato: cuius interpretationi standum est in omnibus tribunalibus, eamque amplecti tenentur omnes iudices, etiam Cameræ Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vt docet Lara *lib. 1. trium gratiarum, pag.* 60. *§. de las facultades, vers. Si cerca de la execucion:* præmissa tamen sapientum consolatione, vt ait Henriq. *lib. 7. de indulgentiis, c. 19. §. 3.* colligiturque apertè ex vltimis Latinæ Bullæ clausulis.

5 Dico secundò, doctrinalis, doctoralis, & probabilis priuilegiorum Bullæ Cruciatæ interpretatio Doctoribus, & litteratis licita est. Probatur, quia, vt dictum est suprà *not. 2.* talis legum, & priuilegiorum interpretatio licita est, in communi, & absolutè loquendo, Doctoribus, & litteratis; ergo similiter licita erit doctoralis priuilegiorum Cruciatæ interpretatio, præsertim cum nulla reperiatur prohibitio, quæ sic eam interpretari prohibeat. Hæc autem doctrinalis interpretatio Cruciatæ, etsi probabilis sit, habeásque suos authoritatis gradus, non tamen habet vim legis, vt dictum est suprà *not. 2.*

6 Quòd si dicas, Pium IV. in sua constitutione, quæ habetur in Tridentino, in fine illius, & incipit, *Benedictus Deus*, & in Bullario nouissimo *fol. mihi* 104. *tom. 2.* prohibuisse Episcopis & Prælatis; sub pœna interdicti, ingressus Ecclesiæ, & aliis sub excommunicationis pœna, ne commentarios, Glossas, Scholia, vllumque interpretationis genus, super ipsius Concilij decretis quo quomodo statuere, vel edere audeant, etiam prætextu maioris corroborationis, vel executionis ipsius Concilij. Respondeo, hoc esse speciale in Trident. propter expressam prohibitionem Pij IV. at talis prohibitio non reperitur in nostra Cruciata; ac proinde interpretari eam possumus iuxta iuris regulas, & Doctorum resolutiones. Quia in prædicta Bulla Pij IV. non omnis explicatio prohibetur, sed ea, quæ fit ex capite, & prout vnicuique libet, quæ captiosa dicitur, & in illis difficultatibus, quæ peculiari ipsiusmet constituentis declaratione indigent, vt colligitur ex his verbis Bullæ: *Si cui verò in eis aliquid obscurius dictum, & statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit; ascendat ad locum quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam.* Colligitur etiam ex verbis proœmialibus ipsius Bullæ, ibi: *Ad vitandam præterea peruersionem, & confusionem, quæ oriri posset, si vnicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilij commentarios, & interpretationes suas edere.* Non ergo prohibentur interpretationes, quæ incidenter à Doctoribus iuxta iuris regulas in tractatibus suis, vel in scholis fiunt, prout ostendit vsus fundatus in necessitate, siquidem sine tali interpretatione doctrina Theologica vix tradi potest, vt benè Reginald. *lib. 20. cap. 5. sect. 1. num. 53.* & latè Barbosa *in proœmio ad remissiones Tridentini.* Hoc enim non est prohibitum à Tridentino, cùm non sit commentarios, aut glossas edere. Solùm ergo ad Trident. videtur prohibita illa interpretatio quæ est quasi Glossa, & scholia, & commentaria Concilij, quæque esset ex professo desumpta, & authenticis scriptis redigenda, vt sentit Castro Palao *tract. 3. disp. 5 p. 3. §. 2. n. 7.*

7 Quæres tamen, quamnam vim & obligationem habeant declarationes Cardinalium. Nota, Sixtum Quintum in constitutione quindecim Congregationum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quæ incipit, *Immensa æterni Dei Congregat.* 8. vt habetur in Bullario nouissimo, *pag. mihi* 614. *tom.* 2. constituisse Congregationem Cardinalium, vt dubia circa Trident. emergentia declararent: quæ declarationes, vt existimat quidam Doctor, quem tacito nomine refert Rodriguez 1. *tom. qq. reg. q. 11. artic. 2.* non sunt iudiciales, sed tantùm doctrinales, nec habent vim sententiæ

tentiæ diffinitiuæ, aut legis, cum nulla sit promulgata lex, quæ iubeat has declarationes suscipiendas esse tamquam leges certas & infallibiles; & per consequens ait, non obligare in foro conscientiæ, nec in foro exteriori, donec consultus Pontifex eas obseruandas esse, iudicialiter declarauerit. Nam sicut dubia omnia absolui possunt doctrinaliter à Iurisperitis, & Theologis, imo, inquit, à Christi Vicario id sæpè statutum legimus: ita Summus Pontifex certos quosdam sacri Concilij interpretes esse voluit, quorum responsa doctrinalia essent, interim quo à Summo Pontifice iudicialis declaratio conceditur, & promolgatur. Quæ iuridica declaratio ita necessaria existimari debet, vt nihil magis opportunum esse videatur ad veram Concilij intelligentiam; atque adeò sub litteris authenticis essent solemniter promulgandæ. Hæc ille.

8 Placet tamen nobis sententia, quam tenet Rodrig. *sup.* nimirum huiusmodi declarationes si authenticæ sint, & sigillo congregationis, aut alio, iuridicè habeantur, habere vim sententiæ, & obligare in vtroque foro, in conscientia scilicet, & in iudicio: & secundùm eas authenticas (inquit Rodriguez) sæpè in tribunalibus fuit iudicatum. Et quando Pontifices concedunt Congregationi facultatem declarandi Tridentinum, videntur etiam legem condere, qua easdem authenticas declarationes recipere teneamur: præsertim cùm ipsi Cardinales, Pontifice inconsulto, non possint Concilium declarare: vt patet ex verbis Bullæ Sixti V. *Interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impartimur.* Et in hoc sensu loquitur declaratio Cardinalium, quam refert Zerola 1. *part. Praxis Episcopalis in verb. Autoritas, in fine*, quæ sic habet. Eadem ratio habenda est de iis, quæ scribuntur à Cardinalibus sacræ Congregationis sacri Concilij Trident. nomine ipsius Congregationis, ac si à Papa scripta essent: loquuntur enim de authenticis, & iuridicis.

9 Quod si huiusmodi declarationes authenticæ non sint, non obligamur ad eas recipiendas, solumque sunt doctorales, & doctrinales, & maximè probabiles declarationes, & interpretationes non obligantes in conscientia, nec habentes vim definitiuæ. In quo sensu vera est sententia Doctoris præallegati: & ita tenent Rodrig. *sup.* Fr. Ioan. de la Cruz *de statu Religiosorum*, *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. & sentit Suarez *lib.* 8. *de matrimon. disp.* 2. *num.* 10. vbi dicit, non esse standum necessario declarationi Cardinalium, vbi de ea authenticè non constat. Idem tenet Ledesma *in Summa, cap.* 13. *de pœnit concl.* 1. *dub* 7. *§. A la tercera razon*; & Fr. Ioan. Valero *verb. absolutio, diff.* 1. *num.* 20. vbi ait, tunc demum obligare, si Auditor Cameræ sub censura mandet eas obseruari: vt habet (inquit) stylus Curiæ. Sicque quando partes volunt has declarationes obseruari, præsentant eas Auditori Cameræ, vt illas obseruari mandet, vt se fecisse testatur. Ex quibus constat, (ait) in dictis declarationibus illustrissimorum Cardinalium, quæ passim per Doctores citantur, quæque per manus circumferuntur, multa desiderari, & deficere ad hoc vt adstringant omnes ad ipsorum obseruantiam, maximè, quia vim canonum non habent, nec faciunt ius. Et in casu quo, concurrentibus supradictis, faciant ius, & obligent in conscientia, sentit cum Ledesma *sup.* solùm habere vim legis in illo casu particulari, in quo domini Cardinales sunt consulti. At Garcia *in proœmio ad tractatum de beneficiis*, *p.* 1. existimat habere vim legis, non tantum in illo casu particulari, sed quoad omnes in illo genere, idem cum aliis sentit Barbosa *de iure vniuerso*, *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 81. & 83. Vtrumque probabile. Non tamen requiritur promulgatio, declaratio, aut intimatio huius declarationis, vt benè Garcia, cum Rodriguez *locis citatis*, contra Bonacinam *disput.* 1. *q* 1. *p.* 8. *num.* 4. *vers. secunda pars*, & aliquos apud Castro Palao *tract.* 3. *disput.* 5. *part.* 3. *§.* 1. *num.* 5. existimantes huiusmodi declarationes, etiamsi authenticè de illis constet, non habere vim legis, si publicatæ non sint. Nostram tamen sententiam vt probabiliorem, & securiorem sequitur Castro Palao *vbi sup. num.* 6. sufficit ergo vt authenticè de illis constet per Breue Pontificis, vel per monitorium Auditoris Cameræ, vel per epistolam alicuius Cardinalis suo sigillo munitam, vel per transumptum authenticum ex registro congregationis parte citata, quia hæc publicatio videtur satis in rerum legum declaratione ex vsu, & consuetudine: nam etsi necessarium sit, vt leges obligent quòd publicentur, non tamen est necessarium, vt declarationes legum iam receptarum publicentur; sed sufficit qualiscumque notitia declarationis authenticè, & iuridicè factæ. Hoc tamen aduerte, dum dicit Garcia *sup.* declarationes Cardinalium habere vim legis, & sententiæ definitiuæ, intelligendum esse, si authenticè, & iuridicè, modo explicato, de ipsis constat; non verò de illis, quæ alias præ manibus circumferuntur, nihil aliud concludit ipsius sententia, si attentè legatur. Ait enim, & ita super declarationibus sacræ Congregationis Papa statim dat breue, & Auditor Cameræ monitorium in earum executionem, & Rota absque vlla controuersia, & disputatione amplectitur, suscipit, & obseruat, vt praxis ostendit: quare quando oppositæ declarationes Cardinalium non authenticæ, circa eandem rem circomferuntur, non est maior ratio assentiendi vni, quàm alteri, vt bene Suarez *tom. de pœnit. disp.* 28. *sect.* 6. *num* 10. & cum eo Sanctius *in suis selectis*, *disp.* 48. *num.* 1. vbi in nostram etiam inclinare videtur sententiam. Ideo eminentissimi Cardinalis die 2. August. anno 1631. vt refert Barbosa *de iure vniuerso, lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 83. videntes multas sacræ Congregationis declarationes referri alteratas, & imminutas, & fere aliquas esse confictas, iussu Papæ Vrbani VIII. mandarunt, huiusmodi declarationibus, tam impressis, quàm imprimendis, ac manuscriptis, nullam fidem esse in iudicio, vel extra à quoquam adhibendam, sed tantùm illis, quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione eminentissimi Cardinalis præfecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. Decisiones autem Rotæ non faciunt ius, vt bene Garcia *sup.* atque ita si vrget ratio, possunt prætermitti, tantùm enim reputantur vt communis opinio. Quod limita, nisi à Principe, vel Republica pro lege approbentur; vel nisi transeant in stylum, vt ait Garcia. At stylus, seu modus procedendi in agendis causis, & rebus in iudiciis, non transit in legem, nisi etiam tanquam lex à Principe approbetur; quia nihil potest habere vim legis, nisi approbetur ab illo, qui legem condere potest; ergo donec stylus approbetur à Principe, vel Repub. in legem transire non poterit. At quia stylus est quid facti, modus scilicet, seu forma disponendi, & procedendi in iudiciariis, & habeat maximam affinitatem cum consuetudine, eo quòd sit etiam ius non scriptum, moribus vtentium introductum, hinc est quòd ea quæ requiruntur ad hoc vt consuetudo legem nouam inducat, & deroget antiquam, aut eam interpretetur, eadem requirantur ad hoc, vt stylus hos effectus operetur: de quo Suarez *lib.* 7. *de legib. cap.* 5. *num.* 3. & *cap. sequentibus*, in quibus de consuetudine agit, & de styli effectibus. Vide Riccium *decis.* 53. *part.* 1. *decis.* 87.

decis.87. 119. & 205. *par*.2. & *collectanea* 794. & 1206. Bonacina *de legib.disp*.1. *quæst*.1.*part*.4. *n*.14. Castro Palao *de consuetudine tract*.3.*disp*.3. *punct*.2. §.3. *num*.8.

Dvb. IV.

An priuilegia Bullæ sint amplè, vel strictè interpretanda.

1 AD intelligentiam huius dubij, & aliorum quæ in hoc tractatu exagitabuntur, nota priuilegium dici quasi legem priuatam: vt docet S. Thom.1.2 *q*.96. *art*.1. *ad* 1.& deducitur ex *cap.priuilegia, dist*.3. Potest autem priuilegium sumi strictè, vel largè. Priuilegium igitur strictè sumptum, est singulare ius contra ius commune inductum. Ita Syluest. *verb Priuilegium, num*.1.*ex cap.Abbate,de verbor significat.* Priuilegium largè sumptum vsurpatur pro quacumque concessione præter ius facta: imò satis est ad hoc priuilegium, quod tribuat clariùs, & faciliùs idem ius, quod ius commune concedit; quod interdum fit ad tollendos scrupulos: & sic priuilegia continentia ius commune, hoc est, quod contra illud operantur. Ita Ioan. de la Cruz *de statu Religio. lib*.2.*cap*.1. *dub*.1. *conclus*.1. Si ergo priuilegium sumatur strictè, non differt à Dispensatione, vt cum Syluest. *suprà citata*, docet Sanchez *lib*. 8 *de matrimon. disput*.1. *num*.1. nam dispensatio propriè est iuris relaxatio ab habente potestatem facta: quod fit dum quis manente lege quoad alios, ipsa à legis obligatione eximitur. Hinc fit, quod sicut ad dispensandum requiritur iusta causa, & sufficiens, vt tenet communis Doctorum; similiter ad concedendum priuilegium contra ius commune, in quo dispensatio, & priuilegium conueniunt. Quod si sumatur priuilegium largiùs, vt comprehendit concessionem præter ius, aut idem ius, clariùs tamen & faciliùs explicatum, non requiritur causa ad eius concessionem, & hoc modo differt à dispensatione, vt docet Sanchez *suprà n*.1. *citata*. Vt si Princeps concedat potestatem dispensandi, vel legitimandi, non est contra, sed præter ius, ac ideo priuilegium hoc modo concessum, non exigit causam; at dispensatio semper exigit causam, saltem vt licitè fiat, vtpote, quia semper est contra ius. Deinde priuilegium aliud est, quod conceditur communitati. Vt si concedatur Religioni, vel Capitulo Canonicorum. Aliud verò quod conceditur particularibus personis, vt priuilegium Bullæ edendi oua tempore Quadragesimæ, assistendi diuinis tempore interdicti, absoluendi à reseruatis, & his similia.

2 Nota secundò, omnia quæ in Bulla continentur, posse ad duo capita reduci. *Primò* ad concessionem indulgentiarum. *Secundò* ad concessionem eorum, quæ non sunt indulgentiæ propriè dictæ. Deinde priuilegia Cruciatæ posse sumi quoad exercitium, & actualem dispensationem; vel quoad facultatem, & potestatem dispensandi. Proinde dubij huius resolutio pendet maximè ex illa quæst. an scilicet dispensatio latè, an verò strictè sit interpretanda. At quia hæc quæstio satis diffusè, & doctè, vt solet, explicata est à Sanchez *lib*.8. *de matr. disp*.1 & 2. ideo libenter à nobis omittitur solúmque referemus aliqua, quæ omnino necessaria erunt ad nostrum institutum. De restrictione, & ampliatione priuilegij, & quæ sint obseruanda in restringendis, vel extendendis priuilegiis, vide Suarez *lib*. 7. *de legibus*, *cap*.27.& 28.

3 Dico primò. Si loquamur de priuilegiis Bullæ, prout continent actualem iuris dispensationem, sunt strictè interpretanda, & non extendenda vltra propriam verborum significationem, & natiuam. Ita Henriquez *lib*.7. *de indulgent.cap*.30.*num*.2. Nauar. *lib*.2.*tit*. *de iureiurando*, *caus*.1.*num* 6. Sanch *lib*.8. *de matrimon disput*.2. *num*.7. Lopez *lib*.9. *de Bulla pag*.844 & alij, qui tenent dispensationem in actu, & exercitio esse strictè interpretandam, vt Rodrig. 1. *tom q*.11. *art*.9 Sayrus *in Thesauro,lib*.6. *cap*.11. *num*.19. & multi, quos citat, & sequitur Sanchez *supra disp*.1. *num*.26. Ratio est, quia actualis dispensatio exorbitat à iure communi; lex autem quæ omnibus est æqua, si ius commune lædat, ipsum corrigens, est odiosa, & valdè restringenda; regula *quæ à iure de regul iur in* 6. Cùm ergo concessio, & dispensatio particularis, seu in actu exercito, ipsum ius violet, erit odiosa, & per consequens strictè intelligenda. Sic quando illegitimus dispensatur absolutè ad Ordines, intelligitur tantùm dispensatus ad minores, vt docent, Panormitan. *in cap. si quisquam, de cohabitat. cler. & mul. num*.5. & *in cap.literas. de filiis presbyterorum, num*. 6. & Doctores supra citati. Igitur cùm priuilegia Bullæ exorbitent à iure communi, & sint contra illud, vt de se patet, & infrà magis constabit, in actuali, & particulari dispensatione erunt strictè interpretanda. Priuilegium namque iuri communi derogans, est restringendum potius, quàm extendendum, vt cum multis Canonistis tenet Suarez *lib*. 7. *de legibus, cap*.27. *num*. 5. quia tale priuilegium includit dispensationem iuris communis: dispensatio autem quoad actum, stricti iuris est, & restringenda, vt probatum est; ergo & priuilegium contra ius commune, vel in præiudicium tertij. *Secundò* probatur, quia priuilegia concessa particularibus personis, sunt strictè interpretanda, vt docet Sanchez *lib*.8. *de matrimonio*, *disp*.2. *num*.6.& 7.& *disput*. 28. *num*.90. at priuilegia Bullæ non sunt beneficia dispensantis, sed dispensaturi, hoc est, sunt concessa ipsis particularibus personis Bullam accipientibus, (idem dic de Iubileo,) ergo huiusmodi priuilegia sunt strictè interpretanda. Vnde inferunt Henriquez, & Rodriguez *locis suprà citatis*, dispensatus vt tempore interdicti intersit diuinis, non ideo dispensatur, vt tunc recipiat communionem, nec vt intersit diuinis tempore cessationis. Vide de iis Sanchez *suprà disputat*. 1. *num*.1. & 5. Bonacinam *disputat* 1. *quæst*. 5. *punct*.7. §.1. *num* 5. & Castro Palao *tractat*.3. *disput*.4. *part*. 10. *num*. 2.

4 Dico secundò si priuilegia Bullæ sumantur prout continent potestatem dispensandi, commutandi, vel absoluendi, non sunt strictè, sed latè interpretanda, & extendenda ad casus quoquomodo adaptabiles casibus in potestate expressis, & sub lata verborum significatione. Ita Rodrig. *in dicto artic*. 9. Henriquez *cap*.30. *citato num*.10. & cum aliis Diana *tractat*.11. *resol*.98. Ratio est, quia potestas dispensandi est fauorabilis, & tanquam beneficium Principis est latè interpretanda, vt docent Panormitan. *in cap. fin. de simonia, num*.3. & 5. Felin. *ibi num*.7. *conclus*.4.& *cap.postulasti*, *num*.11. *limit*.4. *de rescriptis*. Idem Panormitan. *cap. at si clerici*, § *de adulteriis, num*.11. *de iudic*. Angel. *verb. Dispensatio*, *num*.9. Syluestr. *eod verb quæst*.5 *num*.9. Nauar. *cap.fin de simonia, num*.3. & 5.*in Leuiticum, not*.27.*num*.4.& *lib*.4.*consil*.4. *de consanguinit*. *n*.9. Cooarr.4. *Decretalium*, 2. *part*. *cap*.8. §. 8. *num*.6. *vers*.8.

vers.8.& num.11. Lopez *cap.9. de Bulla, pag.844.* & alij multi, quos citat,& sequitur Sanchez *lib.8. de matrim disp.2.num.1.* & nouissimè Castro Palao *tract.5.disp.4. punct.10. num.1. & punct.11. num.7. & 8.* Hinc fit potestatem dispensandi, aut commutandi posse extendi ad similes casus, vbi est eadem, aut maior ratio, aut etiam minor, & ad accessoria, sine quibus principale definiri non potest, vt docet Henriquez *dicto cap.30.num.10.* Quod limita, nisi talis extensio cederet in præiudicium tertij: vt benè Rodriguez *suprà* Couarr. *suprà num.9.* & cum aliis Sanchez *supra disp.2.num.3.* Hinc etiam sequitur, eum qui per Bullam, vel Iubileum potestatem habet commutandi vota, posse etiam & iuramenta commutare; illa scilicet, quæ in Dei honorem, & non proximi vtilitatem emittuntur: vt communia Doctorum, quos citat, & sequitur Sanchez *disp.2.citat.num.15.* & nos dicemus infrà *§.7. cap.3. dub.2.& 3.*

5 Nota, ea quæ in duabus conclusionibus dicta sunt, procedere de priuilegiis, quæ sunt contra ius commune: namque priuilegia Bullæ non contra, sed præter ius commune, si quæ sint, de quo infrà, non strictè, sed latè sunt interpretanda quantum recta ratio, & prudentia permiserit, iuxta verborum tenorem, personas quibus conceditur, & priuilegij materiam, siue sumantur pro potestate dispensandi, siue pro actuali dispensatione: nam absolutè loquendo, priuilegia præter ius sunt latè interpretanda, vt cum multis Suarez *lib.7.de legibus, cap.27. num.3.* quia sic censentur Principis beneficium, & fauor, sicut est potestas, & facultas dispensandi: quæ, vt dictum est dicto 2. latè est interpretanda; ergo similiter priuilegium præter ius. Ita cum Panormitan.& aliis frater Ioan de la Cruz *lib.2.de statu relig.c.2. dub.3.concl.5.regul.4.* Vide Castro Palao *locis citatis.*

6 Quoad concessionem indulgentiarum commune axioma Doctorum est, Indulgentias tantum valere, quantum sonant, vt explicat Suarez *tom.4. disput.56.sect.3. num.5.* hoc est, indulgentia omnibus causis necessariis concurrentibus ex se infallibiliter tantum valet, quantum verba sonant. Variant tamen DD. an indulgentia amplè, an verò strictè sit interpretanda; nam Syluest. *verb. indulg. num.8* 20.& 22. & Rodrig.*sup.quæst.* 11.*artic.9.*existimant esse latè interpretandam, quia nihil habet contra ius commune. Alij asserunt esse strictè interpretandam, quod probabilius censeo. Vnde.

7 Dico tertiò, Indulgentia est strictè interpretanda. Ita Nauarr. *de iubileo, & indulgent.not.9 n.8. & 9.* Reginald. *lib.7.cap.13.sect.2. num.141. 142.* & alij, quos citat, & sequitur Henriq. *lib 7.de indulg.cap.30.num.8.* Ratio est, nam etsi indulgentia sit fauorabilis respectu eius cui conceditur, est tamen ex se odiosa, & continet quandam dispensationem in iure diuino, & præcepto satisfaciendi; ac dispensatio contra ius commune, & in fauorem certæ personæ concessa, strictè est interpretanda: vt constat ex dicto 1. Eneruatur namque per indulgentiarum concessionem pœnitentialis satisfactio tantopere vtilis, & ad quam tanto nos studio Ecclesia inuitat per tot Canones pœnitentiales, & per ieiunij Quadragesimalis, quatuor temporum, & vigiliarum impositionem, sub pœna peccati mortalis. *Secundò*, quia cùm indulgentiam concedens soluat de alieno alterius debita, præsumi debet id potius facere parcè, quàm effusè, ne censeatur potius dissipator, quàm bonorum domini sui fidelis dispensator. Vnde indulgentia concessa pro iniunctis, non extenditur ad iniungendas: & concessa plena, non extenditur ad plenissimam. Ita Henriq. *sup.cap.30.n.8.* Alia exempla vide apud Nauarr. *loco citat.n.8.*

8 Attamen non summo rigore, & admodum strictè indulgentia interpretanda est, quin possit aliquo modo amplè, & largè interpretari: quando scilicet est aliqua concessio liberalis, nihil habens contra ius commune, nec cedens in præiudicium, vt docet Henriquez *lib.7.de indulgent cap.30. n.9.* cum Nauarr.*de iubilao,not.11.num.7.& 12.* vbi dicit indulgentiam absolutè concessam intelligi tam de iniunctis, quam de iniungendis pœnitentiis, & extenditur ad omnia peccata, & pœnas, non tantùm quæ ante Iubilæum, & Bullam, sed post Bullæ acceptationem homo commisit. Et quoad personas, dum absolutè conceditur, vt intelligitur pro sæcularibus, & regularibus: imò, vt docet Henriq. & pro catechumenis; quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, & vbi lex non distinguit, neque nos, nisi auctoritate, alterius legis. Ita Ioann. de la Cruz *lib.2. de statu religio cap. 2. dub. 3. regul. 2.* & ità fortè loquitur Sylu. & 12. *verb. Indulgentia num.*10 & 22. vbi *num.*20. loquens de huiusmodi concessionibus, ait, non expedit amarè interpretari. Et *num.*22. non sunt tamen amarè, sed piè interpretandæ. Sed de his, & tota hac quæstione clariùs constabit, dum de singulis clausulis, & facultatibus Bullæ sermo fuerit institutus.

LIBER

LIBER PRIMVS
DE BVLLA VIVORVM.

In quo indulgentiæ, priuilegia, & facultates, quæ ad viuos ſpectant, exponuntur.

§. I.



RIMO concedunt prædicto Philippo Regi huic defenſioni, & expeditioni contra Turcas, & infideles aſſidua cura, & diligentia incumbenti; necnon omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, in Hiſpaniarum Regnis, & Inſulis illis adiacentibus, ac etiam Sardinia, necnon Sicilia vltra Pharum; ſimiliter Regnis, locis, terris, oppidis, & dominiis Terræ firmæ, & maris Oceani, ſeu aliàs nuncupatis, eidem Philippo Regi, tam mediatè, quam immediatè, & aliàs quomodocumque, & qualitercumque ſubiectis, conſiſtentibus, & ad illa declinantibus, qui intra annum, à die publicationis præſentium in ſingulis locis prædictis facienda inchoandum, fidei zelo moti, ad exercitum prædicti Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum contra Turcas, & alios infideles in illo pugnaturi, aut aliud genus ſeruitij gratis facturi acceſſerint, & ibidem vſque in finem expeditionis eiuſdem anni permanſerint, plenam omnium ſuorum peccatorum, (ſi de illis corde contriti, & ore confeſſi fuerint, aut non valentes confiteri, id corde deſiderauerint,) indulgentiam, & remiſſionem, quæ proficiſcentibus ad recuperationem Terræ ſanctæ, quæque in anno Iubilæi concedi conſueuit.

SVmma huius clauſulæ eſt, quod Gregor. XIII. eiuſque prædeceſſores, (proinde dicitur, *concedunt*) Regi Philippo Catholico, & perſonis, ac locis ibi deſignatis, aliquod ſeruitium, aut ſubſidium, in bello contra infideles præſtantibus, indulgentiam, plenariam, ſeu totalem largiantur, ſi ore peccata ſua, vel ſaltem corde, quando confeſſio vocalis poſſibilis non fuerit, confeſſi fuerint. Quam indulgentiam conſequantur intra publicationis annum.

Tria præcipuè ſunt circa præſentem clauſulam explicanda.

Primum, quibus proſit Bulla.

Secundum, quo tempore incipiat, & duret Bulla.

Tertium, quænam ſit indulgentia, quam ibi Pontifex concedit.

DVB. I.

Quibus locis & perſonis concedatur Bulla.

1 NOta, priuilegium Bullæ, abſolutè loquendo, non eſſe mere locale, nec merè perſonale, ſed mixtum ex locali, & perſonali. Non eſt localè tantùm, quia abſolutè non conceditur ſolis locis; nec perſonale tantùm, cùm ſolis perſonis abſque ordine ad locum non concedatur; eſt autem mixtum, quia perſonis, in locis certis, & determinatis exiſtentibus, largitur. Eſt tamen præcipuè, & principaliter perſonale, nam priuilegia Bullæ, non loca, ſed perſonæ (etſi ratione talis loci) participare queunt. Omnia hæc apertè conſtant ex tota clauſula ſupradicta, & ex initio clauſulæ ſequentis, illis verbis: *Item concedit omnibus ſupradictis, qui nec ibunt*, &c.

2 Dico primò. Perſonæ quibus conceditur Bulla, ſunt Catholicus Rex Philippus, & omnes Chriſti fideles exiſtentes in Regnis, & dominiis Hiſpaniarum, in Inſuliſque eis adiacentibus, in Sicilia vltra Pharum, in Sardiniæ Regnis, omnibuſque terris, & dominiis Terræ firmæ, & Indiarum Maris, Oceani, ſeu alias nuncupatis, Regi Catholico Philippo ſubiectis. Quibus verbis conceditur Bulla etiam Luſitanis; nam nunc ſub ditione Regis Philippi exiſtunt. Conceditur etiam perſonis venientibus, ſeu confluentibus ad prædicta loca, & Regna. Probantur hæc omnia ex clauſula ſupradicta, vbi expreſsè continentur.

3 Dico ſecundò, Loca in quibus Bulla conceditur, & prædicatur, ſunt Regna Hiſpaniæ, Inſulæ adiacentes, Sicilia vltra Pharum, Sardinia; tum etiam Indiæ, tam Terræ firmæ, quàm Inſularum maris Oceani Regi Philippo ſubiectæ. Patent hæc omnia ex dicta clauſula, & in indiuiduo explicantur, & proponuntur hæc loca in lingua Hiſpana ab Alphonſo Perez de Lara *in libro Trium gratiarum*, §. *Los Reynos*, *fol.* 113. hoc modo:

***

LOS REYNOS Y PROVINCIAS de su Magestad, en que se predica la Bula de la santa Cruzada.

En los Reynos de Castilla, y Leon, con las Islas de Canacu.
En el Reyno de Aragon.
En el Reyno de Nauarra.
En el Reyno de Valencia.
En el Principado de Cathaluña, con los Condados de Rossellon y Cerdania.
En el Reyno de Cerdeña.
En el Reyno de Sicilia.
En el Reyno, è Islas de Mallorca.

Piru.

En los Reynos del Piru, y Tierra firme, y sus Prouincias.
En el nueuo Reyno de Granada, y sus partidos.
En la Ciudad Imperial de Chile, y sus Prouincias.

Nueua España.

En el Reyno de Mexico, y sus Prouincias.
En la Prouincia de Guatimala, y Honduras.
En las Islas de Santo Domingo, Puerto Rico, Cuba, y Xamaica.

Philippinas.

En la Isla de las Philipinas, y de la nueua Segouia, Caceres, y Camarines, Zebu, Nombre de Dios.

D V B. I I.

An Bulla solùm gaudeant eam recipientes.

1 AD intelligentiam huius dubij, & aliorum quæ intelligentiam supradictæ clausulæ spectant, præmittenda sunt verba Pontificis Gregor. XIII. quæ in hac Bulla habentur, in fine clausulæ quæ incipit: *Item si dicto anno durante*, &c. Verba autem sunt:

Item mandatur, vt summarium hoc per omnes Christi fideles ad prædictum bellum contribuentes, qui huiusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiatur, & retineatur, ne circa sibi concessas gratias errare, neve alij illas sibi vsurpare possint, & vnusquisque, qua facultate eisdem gratiis, & facultatibus vtatur, docere valeat.

2 Certum est in hac re nullum extare præceptum de Bulla accipienda, nullibi enim tale reperitur præceptum: ac proinde nullus suis expensis tenetur Bullam accipere, vt à reseruatis absoluatur, aut vt cum alieno confiteatur quando suus Parochus licentiam cum illo confitendi negat, aut vt tempore interdicti diuinis assistat. Potest enim in his casibus dispositioni iuris communis se conformare, & iuris remedio se tueri. Et probari potest, quia, vt docet Henriquez *libr. 7. de indulgent. cap. 9. num. 1.* indulgentia quamuis sit vtilis, non tamen est opus præcepti, sed opus consilij; ergo nec indulgentiæ, nec facultates Bullæ cadent sub præcepto.

3 Dico primò. Vt quis gaudere possit Bulla, est omnino necessarium vt eam accipiat. Hoc est commune, & certissimum. Ratio à priori est, voluntas Pontificis. Præcepit enim expressè Pontifex vt Bulla accipiatur, vt dictum est in hoc dubio *n. 1.* Ratio potest esse, quia priuilegia ablatiua oneris, qualia sunt Bullæ, non habent ordinarie effectum ante acceptationem recipientis, non enim beneficium fit inuito, neque aliquis potens vti voluntate, adquirit aliquid non volens. Vnde sola intentio accipiendi Bullam non sufficit, vt quis Bullæ priuilegiis gaudere possit; sicque peccant mortaliter, qui tempore Quadragesimæ ouis, & lacticiniis vtuntur, cum intentione sumendi Bullam, quamuis eam accipere non potuerint, vel ob multitudinem, & frequentiam gentium, vel quia non inuenit depositariom. Quare audiendus non est Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 20. n. 2. litt. O.* dicens non teneri in ingenti vrbe accipere omnes Bullam primo publicationis die, sed satis esse intra tres dies, aut hebdomadã eam accipere. Minus audiendus Sanctius in suis select. *disp. 55. n. 5.* vbi ait, non expirare præcedentem Bullam post octo dies publicationis alterius quando in magna Vrbe moraliter non est possibile vt omnes die publicationis Bullam accipiant. Nam Bulla Latina *loco cit.* expressè dicit, vt accipiatur, vt Commissarius generalis in fine Bullæ viuorum declarat, vt qui frui possit Bullæ priuilegiis, teneri eam accipere, & retinere. Quod si quis putans bona fide accipere Bullam data stipe, aliud simile accepit, quidam recentiores probabiliter existimant, Bullæ priuilegiis, bona fide durante posse gaudere: talis enim præsumitur rationabilis mens Pontificis, cùm iste dando pecuniam fecerit quod in se est: errore tamen comperto, tenetur veram Bullam accipere. Si autem nullam apud depositarium inueniat, poterit vti priuilegiis Bullæ, ac si accepisset; nam hic censetur moraliter accepisse.

4 Dico secundò. Non sufficit data stipe scribere nomen apud depositarium vt Bulla gaudeat, si eam reuera non accipiat, nam quamuis olim sufficeret talis scriptio, vt refert Henriq. *lib. 7. de indulg. c. 20. n. 3.* sicut nunc sufficit conscribi nomen in aliqua Confratria, v.g. Rosarij; nunc verò non sufficit talis conscriptio in lib. depositarij Bullæ, quia, vt sæpe dictum, Bulla Latina expressè præcipit, vt accipiatur, & retineatur.

5 Dico tertiò. Vt accipiens Bullam possit ipsius Bullæ priuilegiis frui, requiritur vt eam acceptet, & sibi applicet. Hoc enim significare vult Pontifex, dum dicit, vt Bullam accipiat, & apud se retineat: sicque explicant Doctores illud verbum *accipiat*, de quo vide Henriq. *n. 3. cit.* Et probatur à simili, quia donatio, aut collatio beneficij facta absenti, non censetur efficax, nec obligat ad recitandum diuinum officium donec acceptetur *c. si tibi absenti, de præbendis in 6.* & docet Nau. *c. 25. n. 102. & lib. de orat. c. 7. n. 19.* & Cou. *3. var. c. 16. n. 1. & 3.* ergo nec Bulla prodest nisi acceptetur. Hinc fit casu quo Petrus accipiat Bullã cum intentione applicandi eã Ioanni, qui iam alteram acceperat, posse illam alteri applicare, modò Ioannes illam non sibi applicauerit, quia ante acceptationem adhuc manet in pendenti, quidquid Diana *tractat. 11. resolut. 95.* Semel autem acceptata, & applicata Bulla non potest iam qui acceptauit eam, in alium transferre, vt cum aliis docet Henriquez *libr. 7. cap. 8. §. 1. litter. A. & cap. 10. §. 5. litter. I.* siue translatio fiat data stipe, siue liberè, & gratis. Et probatur à similis; quia indulgentiæ consequutio, quæ conceditur priuatæ

 personæ,

personæ, non potest pro sola voluntate eius transferri in alium, ergo nec Bulla acceptata, & applicata potest pro sola voluntate eius in alium transferri, nisi id Pontifex exprimeret, vt docet Henriquez *lib. 7. cap* 8. *num.* 1. *litt. B.* Quare accipiens Bullam, vel gratis, vel data stipe, ab eo qui eam habebat iam sibi applicatam, non fruitur Bullæ priuilegiis, quamuis hic accipiens applicationem ab alio factam ignorarit.

6 Dico quartò. Si habens Bullam, non eam sibi acceptauit, seu applicauit, potest eam in alium gratis seu data stipe transferre, vel eam commissarius recuperare. Ita Rodrig. §. 12. *n.* 17. & Henriq. *lib. 7. c. 8. n. 1. litt. B. & c. 20. n. 5. litt. H.* Villalobos *p. 1. tract. 27. clausula 4. n. 13.* & Diana *tractat.* 11. *resol.* 95. & in addit. *resolut.* 14. *me citato.* Vnde si iam acceperam Bullam, & parentes, aut amici mittant ad me aliam, vel alias, quas nomine meo acceperant, licet tunc mihi has Bullas, quibus non indigeo, sub stipe in alios transferre. Ratio est, quia quandiu non acceptaui, applicatio est in pendenti, atque ita licet eam in alium transferri, etiam data stipe; talis enim censetur animus Pontificis, & Regis, scilicet, vt nemo sit grauandus, vt retineat, nisi vnam Bullam sibi opportunam: quare reliquas, si aliis conferat accepta stipe, reuera illis proderunt. Quod procedit, quamuis in Bulla ad me transmissa sit nomen meum appositum; nam per nominis appositionem per errorem factam sine propria acceptatione, Bulla non fit mea, & adhuc manet in pendenti. Vnde poterit, mutato nomine, ante acceptationem in alium transferri. Nec mutare nomen ab alio scriptum est culpa, quia hoc potius est corrigere, siue emendare id quod ex ignorantia alterius factum est, vt docet Nauarr. *cap* 27 *num.* 62. *in fin.* Et ratio est, quia istæ Bullæ non sunt litteræ Apostolicæ, sed transumpta litterarum Apostolicarum. Ita citati, & Ludou. à Cruce *in expositione Bullæ, disputat.* 1. *cap.* 1 *dub.* 1. *numero* 4.

DVB. III.

Quomodo prosit Bulla pro absenti accepta.

1 CErtum est, & communi vsu receptum, vnum pro alio, siue præsenti, siue absenti, Bullam accipere posse, dummodo is, pro quo Bulla accipitur, si intra Regna in quorum fauorem est Bulla concessa. Bulla enim non exigit me personaliter promulgationi adesse sed tantùm vt consistam intra prædicta Regna, quibus Bulla conceditur, quod enim per alios facimus, per nos ipsos facere videmus. Vnde pater, vel amicus existens Valentiæ, potest Bullam accipere pro filio, vel amico existente Barcinone: & tunc incipit frui Bullæ priuilegiis, quando Bullam ad se missam acceptat, vel de Bulla pro se accepta per testimonium fide dignum admonetur: quæ admonitio sufficit vt Bullam pro se acceptam possit acceptare, & illius priuilegiis vti: sicut quis potest vti dispensatione etiam ante expeditionem litterarum, saltem in foro conscientiæ, quando per testimonium fide dignum, & moraliter certum scit fuisse dispensatum. Dixi, *dummodo sit intra Regna, in quorum fauorem conceditur Bulla* nam si Valentiæ acciperem Bullam nomine amici erlam in Hispania existentis, sed cùm sit certior Bullam à me suo nomine fuisse acceptam, iam ipse est in Italia, nihil prodest tunc Bulla ad eum missa: quia Bulla apertè declarat, vt susceptorus illam non adsit extra Regna, sed intra, quibus conceditur. Quòd si accedat postea ad Regna in quibus publicatur, tuncque acceptam Bullam, ac acceptationem inualidam extra prædicta Regna factam, te[...]lidat, videtur ei Bulla prodesse. Ratio est, quia co[...]pleta Bullæ receptio fit, dum illam acceptat; at acceptatio, vt supponimus, fit in loco vbi Bulla est concessa ergo poterit sic acceptans Bullæ priuilegiis vti. Sic quidam recentiores.

2 Difficultas ergo est, an quando is pro quo accepta est Bulla, non habet illam, nec certior factus est per testimonium fide dignum, habet tamen præsumptionem moralem, possit vti Bulla: v. g. quia parentes, vel amici solent singulis annis pro eo Bullam accipere, quod ipse experientia didicit, & iam aduenit, tempus quo solent parentes, vel amici Bullam accipere, vel ob alias coniecturas moraliter præsumit pro se Bullam esse acceptam. Affirmant Villalobos *part.* 1. *tractat.* 27. *claus.* 12. *num.* 25. vbi addit: *Lo mismo me parece en caso que partiendose vno deste lugar le prometiese vu amigo fiel, y cuydadoso de tomarsela en publicando.* Quam sententiam probabilem, & tutam in praxi existimat Diana *tract.* 11 *resol.* 90.

3 Dico igitur tenendum esse non sufficere talem præsumptionem, neque esse tutum propter talem certitudinem frui Bulla, antequam de Bullæ acceptione per testimonium fidele admoneatur. Ita Rodriguez *in addit. ad* §. 12. *num.* 9. Vega *in Summ. tom.* 1. *c.* 43. *casu* 6. & quidam recentiores: non enim talis præsumptio potest dici propriè certitudo moralis, nec sufficiens in re tanti momenti: nam præsumptio ratione temporis est valde incerta. Fieri enim potest, vt parentes, vel amici decesserint è vita vel in morbum inciderint, vel quid aliud contigerit, quod fuerit impedimentum, quominus acceperint tam citò Bullam pro filio vel amico longè distanti: in re namque tam graui, quæ concernit materiam Sacramentorum, ne irritum fiat Sacramentum, maior certitudo requirenda est. Confirmatur, quia etiamsi Episcopus, v. g. soleat mihi singulis annis conferre facultatem absoluendi à sibi reseruatis, eamque mihi concesserit per annos quinque, vel sex continuos, adhuc non possem vti tali facultate anno proximè sequenti, etiamsi certus moraliter videar eandem mihi denuò concessurum, nisi priùs admonear de concessione; quia res est grauis & valde contingens: nam singulis quoque momentis solent homines mutare consilium; ergo eodem modo dicendum est in nostro casu. Nam sicut mea iurisdictio pendet ex voluntate Episcopi, sic iurisdictio pendet ex sumptione Bullæ præbentis facultatem eligendi confessorem; ergo nisi sit admonitus de sumptione Bullæ per parentes, vel per virum fide dignum, non poterit vllo modo eligere confessarium ad absolutionem reseruatorum, neque aliis Bullæ priuilegiis vti. Roborant hæc sententia: nam quamuis præsumam moraliter Papam dispensaturum spatio trium mensium, non possum vti dispensatione etiam transacto illo spatio, donec admoneat de gratia concessa; quia non sufficit moralis illa præsumptio, & spes dispensationis, qualis habetur, quando, verbi gratia, per coniecturas constat iam nunc esse Romæ impetratam dispensationem per procuratorem: nam talis modus operãdi est infinitis periculis expositus, & coniecturæ illæ facilè fallunt; negotium enim quod breui tempore expediẽdum creditur, per occasiones innumeras impeditur, & differtur, & quidem

sicut

sicut lex non potest priuari actuali possessione suæ obligationis, donec constet per testimonium moraliter certum, derogatum illi esse per dispensationem, aut priuilegium Pontificis; eodem ergo modo dicendum est in nostro euentu, nisi quis certus sit per testimonium viri grauis, & studiosi, de sumptione Bullæ, non posse frui priuilegiis illius; atque adeò non sufficere præsumptionem illam, ratione temporis dumtaxat, quia est valdè incerta, iuxta iudicium prudentum.

Dvb. IV.

An accipiens Bullam, vt ea fruatur, teneatur eam apud se retinere, & in ea proprium nomen scribere.

1 Ratio dubitandi est, quia, vt sæpè dictum est dubio superiori, expressè Pontifex præcepit, vt Bulla accipiatur, & apud se retineatur.

2 Nihilominus tamen dicendum est, vt acceptans Bullam ea fruatur, satis esse vt illam habeat apud se, vel apud alium. Ita Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 10. num. 3.* Rodrig. §. 12. *num.* 17. Et generaliter de omni priuilegio, vel rescripto idem docent Syluest. & Armilla, *verb. Priuilegium.* Ratio est, quia quamuis in Bulla Latina præcipiatur, vt recipiens eam apud se retineat, id tamen est moraliter intelligendum (vt intelligunt Doctores) ita vt vel domi habeat, vel apud alium in sua potestate conseruet Non ergo est necessarium vt secum ferat Bullam, sufficit enim vt verè eam possideat, quamuis sit in loco distanti, vel apud amicum suum, vt explicat vsus fidelium, qui satis se habere Bullam reputant, si eam apud aliquem conseruatam habeant. Sic enim tu diceris habere domum, vel agrum, & illum possidere, etsi à te distantem. Vnde si contingat vt Bulla inculpabiliter amittatur, vel comburatur, fruetur illius priuilegiis, vt docet Henriquez *lib. 7. cap. 10. §. 3. lit. A*, & Rodriguez §. 12. *addit num* 9. Villalobos *tract. 27. clausf. 12. num. 14.* Diana *tract. 11. resolut. 95.* Lud. à Cruce *in exposit. Bull. d. 1. cap. 3. dub. 2. num. 2.* Ratio est, quia in hoc euentu finis ob quem Bulla est conseruanda, est saluatur, nimirum ne circa gratias sibi concessas culpabiliter errare possit, néve alius sibi vsurpare illas queat, censetur namque is moraliter Bullam retinere. Nec credibile est velle Papam, aut Commissarium, vt quis defraudetur priuilegiis Bullæ propter inculpabilem amissionem diplomatis, vel transumpti. Sufficit ergo vt custodiatur, & seruetur adhibita mediocri diligentia, vt benè Diana *resol. 95. cit.* Secus tamen est, si culpabiliter Bullam amittat, laceret, aut comburat; nam sic non censetur eam habere, aut possidere, atque ita illius priuilegiis vti non poterit. Ita Henriquez *lib. 7. de indulg cap. 10. cit. num. 3.*

3 Ex his soluta manet ratio dubitandi, quia amittens sine culpa Bullam, vel habens eam apud alium, censetur moraliter eam habere, & sic saluatur mens Pontificis; secùs verò si culpabiliter eam amittat. Quòd si vrgeas, ad lucrandas indulgentias imaginis, aut globuli benedicti, requiri habere imagines, vel globulos. Respondeo, ideo esse, quia expressè id præcipit Pontifex, & confirmat vsus fidelium, & communis sententia Doctorum: hoc autem non præcipit Bulla cum tanto rigore, vt dictum est. Et constare etiam potest, quia olim sufficiebat conscribi in libro Depositarij, sicut nunc fit in Confraternitatibus; nunc vero, vt fruamur Bulla, vult Papa, vt teneta capiamus eam, & custodiamus modo explicato, ita vt illam culpabiliter non amittamus. Vnde constat verbum, *retinere*, in Bulla Latina positum, non præceptum, sed consilium continere.

4 Sed dices. Erit ne necessarium vt accipiens Bullam proprium nomen in ea conscribat, vt ipsius priuilegiis gaudeat? Respondeo eum Rodriguez §. 12. *num.* 16. & Henriquez *lib. 7. cap. 10. §. 5. litt. K*, Villalobos, & Diana *vbi sup.* non esse necessarium, & ita communiter docent Doctores. Et ratio est, quia id nullo pacto in Bulla Latina præcipitur, sed tantùm vt te ipsa sumatur, & modo explicato retineatur. Quare verba à commissario apposita in Bulla Hispana, scilicet *Recebisteis la dicha Bulla, escrito en ella vuestro nombre*, non præceptum, sed consilium continent, vt habent Doctores citati. Expedit tamen, vt benè aduertit Henriquez *citat.* proprium nomen scribere, nimirum, vt si in morbum inciderit, loquelámque amittat dignoscatur habere Bullam, possitque ei applicari indulgentia, & à reseruatis absolui, & sepultura Ecclesiastica tempore interdicti donari.

Dvb. V.

An recipientes Bullam, debeant adesse intra Regna, in quorum fauorem ipsa conceditur.

1 Respondeo, & dico primò, esse omnino necessarium vt quis accipiens Bullam eius fruatur priuilegiis, sit intra Regna, vel tanquam vicinus, & habitator, vel vt forte ad ea declinet, aut obiter in eis reperiatur. Ita Rodriguez §. 1. *num* 7. Henriquez *lib. 7. cap. 10. num. 6.* & communiter Doctores: & habetur expressè in initio Bullæ Latinæ. Quare prodest Bulla accipientibus eam, non tantùm dum sunt, v. gr. Hispaniarum ciues, seu incolæ, sed etiam si fuerint alienigenæ exteræ nationis, si modò adsint intra Hispaniam, vel alia Regna, in quorum fauorem Bulla conceditur. Ita Doctores citati, quia in principio Bullæ expressè asseritur, prodesse his, qui non solùm habitant in Hispania, sed etiam illis, qui ad illa Regna declinant, & in illa fortè consistunt. Possunt ergo ibi capere Bullam, non solùm vagi, quorum domicilium est locus habitationis, sed etiam Galli, Itali, & quicumque alij ex qualibet mundi parte in Hispaniam, v. g. confluentes.

2 Dico secundò. Si quis v. gr. Gallus, aut Italus, veniat in Hispaniam animo solo accipiendi Bullam, & ea accepta, statim in patriam suam reuertatur, non fruitur Bullæ priuilegiis. Ita etiam sentit Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 1. dub* 3. Ratio est, quia hic non commoratur in Hispania, nec in ea fortè, aut obiter, alicuius negotij causa reperitur, quod requirit Bulla, atque ita talis Bullæ acceptio videtur in fraudem Bullæ facta. Nec valet Bullæ acceptio facta à commorante in Hispan. pro alio etiam Hispano commorante in Gallia, aut Italia, aut alio loco vbi non publicatur Bulla, quia is qui Bullam acceptat, non est intra Regna in quorum fauorem Bulla conceditur.

3 Dico tertiò. Si quis Bulla validè accepta in Hispania, v. g. postea recedat ad alia Regna, vt ad Italiã, in qua non est Bulla concessa, poterit frui omnibus

Bullæ priuilegiis, præter illud comedendi oua, & lacticinia tempore Quadragesimæ. Ita Henriq. *lib. 7. cap. 10. citato, n. 6 litt. M.* Suarez *lib. 8. de legib. c. 26. n. 4.* & communiter Doctores. Ratio est, quia Bulla est priuilegium personale, quamuis concessum intuitu regionis Hispaniæ, & aliarum, & in gratiam Regis Catholici; at priuilegium personale sequitur personam vbicumque fuerit, nisi contrarium disponatur vt habetur *de regul. iur. in 6. Secundò*, quia concessio indefinita procedens ab habente vniuersalem potestatem, vniuersalis est, si ab ipso concedente non limitetur, vel determinetur ad aliquod particulare, vt est commune axioma Iuristarum; sed potestas Papæ vniuersalis est ad concedendum priuilegium pro omni loco; ergo si absolutè conceditur, & non limitat locum expresè, neque ex circunstantia, certè tale priuilegium vniuersale est ex parte locorum. In Bulla namque tametsi requiratur, vt conditio, vt illam recipiens existat in illis regnis, quibus ipsa conceditur; non tamen præscribitur vt permaneat in eisdem Regnis, si tali priuilegio frui velit; ergo recedenti ex Hispaniæ Regnis prodest Bulla.

4 Dixi, *præter illud comedendi oua, & lacticinia,* tum etiam carnes, de consilio Medici, in Quadragesima. Ita Rodrig. §. 1. *num. 7.* Henriq. *lib. 7 cap. 10. num. 6. litt. M.* quia hæc restrictio, & exceptio ponitur in Bulla Latina, dum priuilegia comedendi oua, & lacticinia in Quadragesima; tum etiam carnes, de consilio Medici, concedit; exceptio autem firmat regulam ex *cap. Dominus 32. quæst. 7.* præter id autem non est aliud excipiendum. Restrictio ergo illa posita fuit non solùm ratione scandali, quod suboriri posset in Italia, vbi strictissimè seruatur in diebus Quadragesimæ abstinentia ouorum, & lacticiniorum, sed etiam, quia ratio talis concessionis in Hispania, ex peculiari circunstantia loci sumpta est, videlicet ex penuria piscium, qua laborat. Sicut si Papa concederet Sacerdotibus alicuius Prouinciæ priuilegium conficiendi sacramentum Eucharistiæ in solò pane, propter penuriam vini, eo ipso censeretur limitatum ad locum Prouinciæ, potius quàm ad personas, etsi expresè id non diceretur, quia causa ipsa determinat, & limitat locum.

DVB. VI.

An Bulla prosit fidelibus vsu rationis carentibus.

PErsonæ rationis vsu carentes; de quibus dubitatur an prosit Bulla, possunt esse vel pueri, vel amentes, & phrenetici.

1 Dico primò. Prodest Bulla pueris ante vsum rationis, & perpetuò amentibus. *Primò* vt tempore interdicti ministrentur eis Sacramenta, quæ tunc possunt ministrari, vt Baptismus, & confirmatio. *Secundò*, vt sepeliantur in loco sacro, & cum moderata pompa, & cum Missa in gratiarum actionem. Pueris etiam post vsum rationis prodest Bulla pro vsu ouorum, & lacticiniorum, pro indulgentiis lucrandis, pro votis commutandis, & eligendo confessario, vt à reseruatis absoluantur. Ratio est, quia Bulla generaliter loquitur sine distinctione ætatis, & puer, & amens censetur petere quæ sunt sibi vtilia, vt benè docet Henriquez *lib. 7. capite 10. num. 8.*

2 Dico secundò. Prodest etiam Bulla phreneticis, & aliis amentibus, qui post vsum rationis inciderunt in phrenesim, vel amentiam. *Primò*, *vt* tempore interdicti sepeliantur cum moderata pompa. *Secundò*, vt eis Eucharistia, & Extrema vnctio tempore interdicti administrentur, caso quo aliàs licitè possint hæc illis ministrari. *Tertiò*, vt eis in articulo mortis absolutio à censuris, & applicatio indulgētiæ concedi possint. Ita Henriq. *sup.* Et ratio est eadem, nam ij eo quòd Christianè vixerint, censentur virtualiter petere ea, quæ ad salutem animæ sunt ipsis vtilia; & ex alia parte Bulla generaliter loquitur. Addit Henriquez *suprà littera T. & Z.* Si quis pro defuncto excommunicato, aut tempore interdicti capiat Bullam, posset defunctus absolui ab excommunicatione reseruata, & sepeliri in loco sacro: hoc tamen non probat. Ratio autem esse potest, quia etsi mortuus directè à censura absolui non possit, quia iam non est huius fori, potest tamen indirectè, si cum signis contritionis decessit: vt docet Nauarr. *capite 26. num. 32. & cap. 27. num. 171.* Sayrus *in Thesauro lib. 1. capite 8. num. 10.* & alij quos sequitur Suarez *disputat. 7. de censuris sect. 1. num. 4. & sectio. 7. numer. 1.* Operatur autem hæc absolutio, vt possit in loco sacro sepeliri, & pro eo suffragia Ecclesiæ offerri. At si excommunicatio erat reseruata, mortuus solum poterit absolui ab eo, cui erat reseruata, & à quo dum viueret absolui poterat: vt docet Nauarr. *capit. 26. citat. numero 32.* Sayrus *suprà*, & Henriquez *lib. 13. de excommunicatione, capit. 25. num. 2.* Et quia ante mortem per Bullam à reseruata censura poterat absolui, proinde existimat Henriquez posse etiam post mortem, & si fortè tunc non haberet Bullam, posse pro illo eam accipere, vt à reseruata excommunicatione absoluatur, & in loco sacro sepeliatur. Nihilominus tamen opinionem hanc in praxi, inconsulto Prælato, admittere non auderem: Bulla enim viuorum pro viuis, & non pro defunctis conceditur; pro defunctis enim iam datur alia Bulla, in qua supradicta facultas non continetur, sed sola indulgentia plenaria per modum suffragij, eo quòd defunctus iam sit alterius fori. Quare vt Bulla viuorum prosit eam habenti, videtur requiri, quòd eam viuus acceperit ipse, vel alius pro eo. Insinuat Bulla Latina illis verbis. *Item conceditur omnibus supradictis, qui nec ibunt, nec mittent, si de bonis suis,* &c. Et Bulla Hispana his verbis: *Por quanto vos distes dos reales*, &c. Quæ verba non ad defunctos, sed ad viuos diriguntur. Quare etsi mortuus absolui possit ab excommunicatione, non poterit tamen per Bullam, sed ab eo qui poterat dum viueret, vt docent Nauarr. & Sayrus *suprà citati.* Quod etiam indicant illa verba Bullæ, *vt possit eligere confessarium, qui eum etiam à reseruatis Papæ absoluere possit*, &c. Mortuus autem non potest eligere, nec confiteri; ergo neque à censura per Bullam absolui. An autem pro adulto mortuo, aut puero carente rationis vsu, possit accipi Bulla, vt illis prosit vt sepultura Ecclesiastica frui possint tempore interdicti, *inf. §. 3. dub. 10. n. 1.*

Dices, proderit ne Bulla catechumenis fidelibus? Respondeo cum Henriquez *lib. 7. cap. 20. n. 8. in fine.* probabile esse eis prodesse quoad lucrandas indulgentias per modum suffragij: quia ij numerari possunt inter fideles merito, licèt non numero. Addit Henriquez, fortè eis etiam prodesse posse, vt vota & iuramenta ab iis facta commutentur, & pro incertis fiat compositio. Sic enim (ait) in fauorabilibus pertinent ad fauorabilem iurisdictionem Papæ, vt; nouitij gaudeant fauore Religionis-

gionis. Pia quidem opinio, sed in rigore Theologo non multum vera; quia commutatio est actus iurisdictionis, & absolutionis spiritualis, quæ solùm exerceri potest circa baptizatos. Nec facit simile quod affert, quia in nouitiis non reperitur incapacitas, quæ est in catechumenis: ij enim non habent characterem baptismalem, ratione cuius Ecclesiæ subduntur, & iurisdictionis spiritualis actiuæ, & passiuæ capaces efficiuntur.

Dub. VII.

An Bulla prosit Regularibus, siue Religiosis.

1 Nota, Regulares aut esse iam professos, aut solum esse nouitios non professos. Deinde professi aut sunt ordinis militaris, aut non militaris.

Dico primò. Nouitij etiam inuitis Prælatis, possunt frui omnibus Bullæ priuilegiis. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 22. num. 7. litt. T. & litt.* X. & Rodriguez §. 9. *num.* 27. *tom.* 2. *regul. quæst.* 21. *art.* 10. & 11. Ratio est, quia etsi nouitij in fauorabilibus veniant nomine Religiosi, & gaudeant fauore Religionis, vt Doctores docent, quos refert, & sequitur Henriquez *lib.* 3. *de pænit. cap.* 16. *num.* 3. sicque gaudeant priuilegio canonis, & possint absolui à quibusdam Papæ, & Episcopo reseruatis, dispensari in quadam irregularitate, & ipsis vota commutari, secundùm priuilegia religionum: (de quo latè infrà;) cum hoc tamen, quòd si ex aliqua causa, etiam inculpata, ante professionem exeant reincidant in eandem censuram, irregularitatem, vel votum, vt bene Rodriguez *in addit. ad* §. 9. *n.* 23. In oneribus tamen, & odiosis, casibus, & censuris Religiosorum non comprehenduntur nomine Religiosi: vt docet Henriquez *cit.* atque ita antequam tria vota emittant, non tenentur ad præcepta constitutionum & regulæ, vt docet Syluest. *religio* 5. §. 6. sicut nec catechumenus tenetur ad leges Ecclesiæ, nec possunt excommunicari. Vnde vt nouitij absoluantur à reseruatis per superiores religionum, non indigent Bulla, nec licentia superiorum, cùm eos nondum comprehendat reseruatio, vt docet Rodriguez §. 9. *num* 26. Hinc fit, vt nouitij sine suorum Prælatorum licentia possint accipere Bullam, & omnibus priuilegiis illius gaudere; quia cùm non sint professi, non sunt perfecti Religiosi, & prohibitiones quibus mandatur Religiosis, (de quibus infrà) ne virtute Cruciatæ eligant confessarium pro reseruatorum absolutione, sine Prælati licentia, dato quòd sint in viridi obseruantia, (quòd infrà examinabitur) tantùm loquitur de Religiosis professis: vt docet Rodriguez *suprà cit.* sicque nouitius ratione Bullæ in Quadragesima potest vesci ouis, & lacticiniis, sicut seculares. Ita Henriquez *lib. 7. cap.* 22. *n.* 7. Rodriq. §. 6. *n.* 9 §. 12. *n.* 6.

2 Dico secundò. Religiosi ordinis militaris possunt in omnibus Bullæ priuilegiis, absque suorum licentia Prælatorum frui; sicut alij seculares Ita Rodriguez §. 9. *num.* 24. & Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *n.* 4. *litt. T.* Probatur: nam quamuis apertè non reperiatur in Bulla Latina, deducitur tamen ex clausula illa, vbi ab indulto de vescendis ouis, & lacticiniis excluduntur Regulares, non verò si sint ordinis militaris. Ex quibus verbis constat Equites ordinum militarium comprehendi nomine Regularium, Sanctius *in suis select. disput.* 49. *num.* 11. Idem existimat dicendum Henriquez de aliis Religiosis non mendicantibus, quamuis non sint militares: & citat pro se Rodriguez *suprà.* Quamuis ipse Rodriguez de hoc non expresse loquatur: ait enim Bullam solùm excipere facultates concessas Prælatis mendicantibus. Sed de his infrà §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9.

3 Difficultas ergo est, an Religiosi mendicantes gaudeant Bulla sine licentia Prælatorum? Dixi *sine licentia Prælatorum*; nam cum eorum licentia commune est in omnibus, & per omnia Bullæ priuilegiis frui eos posse. Conueniunt etiam Doctores posse Religiosos mendicantes absque Prælatorum licentia Bullam accipere, & omnibus illius priuilegiis vti, excepta licentia eligendi confessarium, vt eos à reseruatis possit absoluere. Posse autem eos Bullam accipere absque Prælati licentia, ex illis verbis Bullæ: *Item concedit omnibus supradictis; nec non iis, qui nec ibunt, nec mittent*, &c. At suprà mentionem fecerat de Regularibus mittentibus ad bellum; ergo possunt ipsi Bullam accipere. Dixi, *excepta facultate*, &c. quia circa hanc facultatem variant Doctores, eo quòd Mendicantes habeant priuilegia, ne eorum fratres absque superiorum licentia possint eligere confessarium pro reseruatis: proinde Doctores alij affirmant; existimant enim talia priuilegia esse per Bullam reuocata: alij negant, dicentes, esse in viridi obseruantia: de quibus vide Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *per tot.* Hæc autem difficultas faciliùs explicabitur infrà §. 7. *dub.* 9.

Dub. VIII.

An Bulla prosit excommunicato.

1 Certum est in hac re Bullam prodesse peccatori non excommunicato existenti in peccato mortali, exceptis indulgentiis, quoad omnia alia priuilegia vt docet Sotus *in* 4. *distinct.* 21. *quæst.* 2. *artic.* 3. Nauarr. *de indulgent. not.* 19. *num* 19. & Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap* 9. §. 6. *litt. T.* Indulgentias autem existens in peccato mortali consequi non potest, nam commune axioma Doctorum est, ad lucrandas indulgentias requiri statum gratiæ. Dubitant tamen Doctores, an accipiens Bullam in mortali, pro cuius acceptatione datur indulgentia plenaria, vel faciens Bullæ stationes existens in peccato mortali, consequatur indulgentias recedente obice peccati mortalis, ita vt reuiuiscat indulgentia. Alij negant, vt Suar. *tom.* 4. *disput.* 52. *sect.* 2. *à num.* 12. Quod verius est in rigore Theologo, quia tale priuilegium solis Sacramentis est concessum. Alij verò, vt Henriquez *lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 3. affirmant. Ait enim esse opus Christi, & sic reuiuiscere: sicut Baptismus, recedente fictione per contritionem subsequentem: sed de hoc *infrà in hoc* §. *dub.* 16. *num.* 6. non autem prodest Bulla his, qui delinquerunt contra huius Bullæ expeditionem: habetur expresè in Bulla Latina.

2 Dico igitur, Bulla prodest etiam excommunicato quoad omnia priuilegia, præter indulgentias. Ita Henriquez *libr.* 7. *cap.* 18. *num.* 2, Nauarr. *not.* 19. *de indulgent. n.* 19. Villalob. *part.* 1 *tract.* 27. *clausi.* 1. *n.* 6. Lud. à Cruce *disput.* 1. *cap.* 2. *dub.* 4. *n.* 2. & communiter Doctores. Ratio est, quia priuilegium quod impetrat excommunicatus ad effectum obtinendæ absolutionis, validum est, vt bene cum aliis notat

notat Nauarr. *cap.27. num.22. §. 13.* ſed Bulla accipitur ad abſolutionem excommunicationum, & peccatorum reſeruatorum;ergo valebit excommunicatio illam accipienti: eui conſequenter licebit quoque comedere oua, & lacticinia tempore Quadrageſimæ, etiam ante abſolutionis aſſecutionem, obtinereque votorum commutationem, quia excommunicatio non impedit vſum horum priuilegiorum; alia autem priuilegia à Bulla non proſunt excommunicato, maximè per annum inſordeſcenti,quia non dantur directè, vt abſoluantur ab excómunicatione,ſicot conceditur in Bulla. Quoad indulgentias verò commune eſt eas non prodeſſe excommunicato: nam vnus ex effectibus excommunicationis maioris, eſt excludere excommunicatum à ſuffragiis Eccleſiæ, vt ſunt indulgentiæ. Nihilominus tamen pium, & probabile eſt,ſi excommunicatus ſit contritus, & non ſtet per ipſum quominus abſoluatur ab excommunicatione, prodeſſe indulgentias Bullæ, & alia Eccleſiæ ſuffragia: vt docet Nauar. *notab. 19. num. 19. de indulgentiis, cap. 27. num.18.* Henriquez *lib. 7. cap. 9. num. 6. littera T. cap. 18. num. 2. cap. 36. num. 12.* quod videtur ſequi Rodriquez *in addition. ad §. 1. circa num. 10.* talis enim præſumitur pia matris Eccleſiæ intentio; nec videtur hic vllo præcepto prohiberi, præſtare ea opera, pro quibus indulgentia conceditur; poteſt enim Eccleſias viſitare, & ibi orare.Ita quidam recentiores.

3 Hinc fit Bullam prodeſſe hæretico non ſolùm mete interno, vt vult Ludouic *ſup. dub.8.* ſed etiam exteriori; nam ideo ait Ludou.prodeſt hæretico interno, quia illa clauſula Bullæ, *Menidos del es ſalcamiento de la Fè*, non eſt conditio neceſſaria, aliter enim multi iuſtitiæ non cogitantes non gauderent Bulla. *Secundò*, quia,vt ipſe etiam dixit *dub.4. citat.* Bulla prodeſt excommunicato. *Tertiò*, quia etſi hæreticus, non ſit fidelis formaliter, quia caret habitu fidei, poteſt dici fidelis virtualiter, eo quòd inſignitus ſit charactere baptiſmali, ideóque poterit gaudere Bullæ priuilegiis eo modo, quo excommunicatus.

D v b. IX.

An peccans ex praua confidentia Bullæ ipſius priuilegiis fruatur.

1 HÆc quæſtio principaliter procedit de abſolutione à reſeruatis, & commutatione votorum, an ſcilicet peccans ex praua Bullæ confidentia, vel votum emittens, poſſit à reſeruatis abſolui, vel illius votum ſic factum commutari:nam omnes conueniunt, ſic peccantem omnibus aliis Bullæ priuilegiis gaudere poſſe, exceptis duobus, quæ Bulla expreſsè excipit. *Primum* eſt, vt non poſſint lucrari indulgentiam exiſtentibus in articulo mortis conceſſam, ſi confidentia iſtius conceſſionis negligentiores fuerint, quominus peccata ſua tempore ab Eccleſia ſtatuto confeſſi fuerint. *Secundum* eſt, vt bonorum incertorum compoſitio fieri non poſſit in iis, qui confidentia Bullæ ea ſurripuerint:in his duobus caſibus ex confidentia Bullæ talia committentes his duobus priuilegiis (modo ſtatim explicando) frui non poſſunt.

2 Nota ſecundò, aliud eſſe peccare ex confidentia Bullæ,aliud verò cum confidentia Bullæ; ſeu,quod idem eſt confidentiam aliam eſſe poſitiuam, aliam verò negatiuam. Confidentia Bullæ eſt cauſa quæ poſitiuè inſtigat, & mouet ad peccandum, & ſine qua non committeretur; & hoc eſt peccare ex confidentia. Negatiua verò confidentia eſt, quando Bulla non eſt cauſa primò, & per ſe mouens, & ſine qua non, ad peccandum: ſed tamen habens Bullam, ex paſſione, vel alia cauſa peccans, habet ſe negligenter in euitandis reſeruatis, confidens ſe habere priuilegium; & hoc eſt peccare cum confidentia Bullæ. Differunt ergo hæc duo, quia in primo confidentia eſt cauſa primò, & per ſe impellens ad peccandum; in ſecundo non confidentia, ſed paſſio, aut aliqua cauſa incitat, impellit, & mouet ad peccandum, cum confidentia tamen remedij.

3 Dico primò, peccans cum confidentia negatiua Bullæ, poteſt omnibus illius priuilegiis gaudere, etiam in illis duobus *in 1. not.* exceptis. Ita Rodriguez *§.9.num.99.* Henriquez *lib.3 de pænitent.c.16. num.3.litt.O.* Lopez *cap.8.de Bulla, pag. 836.* quia hoc propriè, & præciſè loquendo, non eſt peccare ex confidentia, cùm Bullæ confidentia non moueat, & impellat primò, & per ſe ad peccandum, in hoc enim omnes conueniunt. Vnde difficultas eſt de confidentia poſitiua: & in hac re certum eſt peccantem ex confidentia poſitiua & in illis duobus caſibus exceptis,in Bulla,de quibus ſupra *not.1.* non gaudere ipſius priuilegiis. Ratio à priori eſt, quia id exprimit Bulla: at non intelligitur de confidentia negatiua, vt communiter docent Doctores; ergo intelligendum eſt de confidentia poſitiua. Vnde qui primò, & per ſe mouetur ad furandum ex confidentia Bullæ compoſitionis; aliàs non furaturus, non poteſt peream componi de malè ablatis; ſecus ſi Bulla non fuit cauſa poſitiua primò, & per ſe, ſed tantùm eam habens, & confidens ſe eam habere, negligens fuie in euitandis furtis. Similiter ſi quis ex confidentia poſitiua Bullæ omiſit confeſſionem tempore ab Eccleſia ſtatuto, non conſequitur indulgentiam in articulo mortis exiſtentibus conceſſam; ſecus verò ſi confidentia ſolùm fuit negatiua, modo explicato.

4 Tota ergo difficultas eſt de abſolutione à reſeruatis, & votorum commutatione; an ſcilicet, incurrenti in caſus reſeruatos, & cenſuras, emittenti vota ex abuſu, & praua confidentia, & poſitiua Bullæ, proſit Bulla. Corduba *de caſibus quæſt. 22.* & aliqui quos Cenedo *quæſt. 25. num.1.* & colligunt ex doctrina Couar. *lib.2.variar. cap. 10.n.15.* & ſentit Filliuc. *in ſermo de indulgent.* qui habetur *tomo 3. in fine, pag. mihi. 217. num. 3. circa finem* & D. Anton. *part. 1. titul. 10. cap.5. §. 4.* & Lopez *cap. 8. de Bulla.* qui etiam hanc partem iudicat tutiorem, non tamen oppoſitam condemnat: & aliqui recentiores exiſtimant eum, qui ex confidentia Bullæ accipiendæ, vel acceptæ, faciliùs ſe præcipitat in caſus reſeruatos, non poſſe abſolui; at verior eſt contraria ſententia. Proinde

5 Dico ſecundò. Peccans ex quacumque Bullæ confidentia, poteſt virtute illius à reſeruatis abſolui, & votorum commutationem petere. Ita tenet idem Sylu.contrarium ſentiens, *verb. Indulg. q.10. aliàs 11. dicto 5.* Nauarr. *comm. de Iubileo, not.30. num.7. & notat. 34. n. 6.* Corduba *lib. 5. de indulgent.quæſt.34.* Suarez *tomo 2.de religione, lib.6. c.13. num.6.* atque hanc eſſe communem, & valde probabilem ſententiam, & Sanchez *in opere morali, tomo 2. lib.4. cap. 54. num. 18.* Rodriguez, & Henriquez *ſup cit.* Cenedo *quæſt.25.à num.3.* vbi de hoc latè,nouiſſimè Villalobos *tract.27.clauſ.9.§.2.n.19.*

Diana

Diana *tract.* 11. *resol.* 16. & hoc absolutè, & absque vlla distinctione existimat verius Ludou. à Cruce *disp.* 5. *num.* 5. *& seqq.* Et ratio à priori est: nam secundùm regulam ab omnibus Doctoribus receptam, verba priuilegij tenenda, & obseruanda sunt secundùm proprietatem, & extra illam non sunt extrahenda ad restringendum priuilegium, nisi quando vel ad id cogit ratio iustitiæ, vel aliunde talis voluntas concedentis rationabiliter præsumitur. Et ratio huius regulæ est manifesta; quia in legibus intelligendis, & obseruandis, proprietas verborum est in vniuersum attendenda, & obseruanda: quod procedit etiam in priuilegiis. Est enim eadem ratio, quia priuilegium est priuata quædam lex; ergo cùm per priuilegium Bullæ absolutè detur facultas absoluendi à reseruatis, non est cur tale priuilegium, vel facultas restringatur, vel coarctetur, nimirum vt non extendatur ad reseruata commissa ex confidentia, & intuitu ipsius priuilegij. Probatur consequentia. In primis, quia ad talem restrictionem nulla ratio iustitiæ nos cogit: nam priuilegium eligendi confessorem, vt à reseruatis absoluat, neminem grauat; quamuis enim videatur aliquo modo esse in præiudicium ordinarij pastoris, hoc tamen non consideratur, quia potiùs est leuamen eius, & præcipuè, quia magis consideratur fauor animarum. Neque verò voluntas Papæ sic tale priuilegium restringens potest præsumi rationabiliter; tum, quia in ipsa Bulla ponitur restrictio in aliis casibus, & priuilegiis, vt in consequutione indulgentiæ in articulo mortis, & in compositione bonorum incertorum, vt dictum est; ergo cùm similis restrictio non adhibeatur in illo priuilegio eligendi confessarium ad effectum absolutionis à reseruatis, vt nimirum non gaudeat illo, si ex tali confidentia sumpserit Bullam, sanè non est cur nos eam adhibeamus. Tum maximè, quia, vt tradunt Doctores grauissimi, olim in Bullis antiquis talis restrictio apponebatur; & ideo ex antiquis nonnulli contra nos sentiunt: nunc verò in nouis Bullis ea restrictio non reperitur; ergo euidens est specialem esse Pontificia voluntatem, vt priuilegium extendatur ad quæuis peccata reseruata, quouis intuitu, & confidentia commissa. Voluit enim Pontifex auferre scrupulos, quia non omnes, tam pœnitentes, quàm confessarij, satis discernunt quid sit peccare ex confidentia Bullæ. Voluit etiam eam restrictionem auferre, vt magis elucesceret Dei benignitas, & liberalitas erga peccatores, clamantia sæpè in Scriptura sacra libentissimè amplexurum quemlibet peccatorem, quouis modo peccauerit, si ad illum se conuertat. Ex quo deberent peccatores sumere motiuum se conuertendi, & pœnitendi, fruentes summa Dei liberalitate, & misericordia. Quòd verò inde occasionem suæ ruinæ sumant, est culpa, & malitia illorum; non verò ex vi beneficij. Sic enim quoque homines sæpè abutuntur misericordia Dei in institutione Sacramentorum; inde sumentes licentiam faciliùs peccandi, & tamen non ideo priuantur fructu Sacramentorum, si postea pœniteant. Roboratur etiam, quia, vt dictum est suprà *in proœmio dub.* 4. priuilegium quod non est in tertij præiudicium, & continet facultatem, & potestatem dispensandi, non strictè, sed latè est interpretandum; ergo cùm hoc priuilegium non sit in damnum tertij, vt suprà dictum est, & contineat facultatem, & potestatem vota commutandi, & à reseruatis absoluendi, erit latè interpretandum. Hinc colligunt Suarez, & Sanchez, *citati*, multo certiorem esse prædictam doctrinam in ipsa votorum commutatione; nam sumere licentiam vouendi spe commutationis obtinendæ, non est intrinsecè, & per se malum; nec per se videtur contra intentionem concedentis absolutam facultatem commutandi virtute Bullæ, & ideo nunquam talis limitatio addi solet in huiusmodi indultis, quatenus ad vota spectant.

6 Dices primò. Priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, ex *cap. vbi, distinct.* 74. *& cap. priuilegium* 11. *quæst.* 1. Respondeo, mereri quidem vt illud amittat, non tamen de facto amittit, nisi quando in iure, vel in ipso priuilegio, id exprimitur vt solet aliquando, vt in duobus illis casibus Bullæ sæpè hic citatis.

7 Dices secundò. Priuilegium desinit esse priuilegium cùm incipit esse alicui perniciosum, vt habetur *cap. suggestum, de decimis, & cap. quid per nouale, de verb. sign.* Est etiam certa regula iuris, quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum; at in nostro casu gratia Bullæ retorquetur in dispendium spirituale illius, qui ex eius confidentia sumit causam peccandi, & in culpas reseruatas incidendi: ergo respectu illius desinit esse priuilegium. Respondeo, antecedens illud esse verum, quando priuilegium incipit esse perniciosum propter aliquam ipsius priuilegij circunstantiam; non verò quando incipit esse nociuum ex malitia priuilegiati, vt contingit in nostro casu: sic explicanda sunt iuris capita allegata. Quando verò in iure asseritur, quod ob gratiam alicui conceditur, non esse in eius dispendium retorquendum, intelligendum est, quòd nunquam inspecta natura priuilegiis, conceditur alicui id quod est in eius dispendium; quia aliàs non meretur nomen priuilegij. Si autem quod conceditur alicui ob gratiam, retorqueatur in malitiam priuilegiati, ex malitia ipsius priuilegiati, tunc non desinit esse priuilegium; quia satis est quòd sua natura non sit pernitiosum. Priuilegium enim non præbet ex se incentiuum, & occasionem peccandi, sed malitia priuilegiati sumit ex priuilegio occasionem, atque ita hæc occasio non data, sed accepta dicenda est.

8 Vltimò dices. Qui peccat intra Ecclesiam, vel prope Ecclesiam, spe tamen immunitatis, non gaudet tali immunitate, vt docet Couarr. *lib.* 2. *variar. c.* 20. *num.* 15. *vers.* 26. & communiter Doctores. Et qui delinquit cum consanguinea spe matrimonij, & obtinendi dispensationem, eo ipso debet carere spe dispensationis, & matrimonij contrahendi vt docent omnes Doctores. Ergo, & qui committit casus reseruatos spe Bullæ, vel Iubilæi, non fruitur illo. Ad primum exemplum respondeo, doctrinam esse omnium Doctorum: propter nullum crimen posse reum ab Ecclesia violenter extrahi, nisi tantùm in casibus in iure exceptis, vel æquiualente consuetudine introductis: de quibus vide Bullam Gregor. XIV. sub dat. Romæ, *anno* 1591. quam refert Ioannes Franciscus Leo *in suo Thesauro fori Ecclesiastici, par.* 1. *c.* 13 *à num.* 14. & Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 3. *qu.* 7. de iis videndus. Et cùm ibi expressè prohibeatur vt delinquens intra Ecclesiam, ne illius gaudeat immunitate, & de delinquente extra Ecclesiam, cum spe, & animo ad illam confugiendi, nihil disponatur. Hinc est quòd hic, & non ille Ecclesiæ gaudeat immunitate. Non enim est cur lex odiosa, & quodammodo coarctans immunitatem Ecclesiasticam extendatur ad illum qui extra Ecclesiam delinquit, animo ad ipsam confugiendi, vt benè docet Nauar. *cap.* 25. *num.* 22. exemplum autem aliud de matrimonio admitto; quia Trident. *sess.* 24. *de matrimonio, cap.* 5. statuit, vt scienter contrahens id matrimonium, careat spe dispensationis

conſequendæ : at in noſtrâ Bulla non habetur, vt careat ſpe abſolutionis, ſi ex confidentia illius quis peccauit.

D V B. X.

A quo tempore, & loco computari debeat annus publicationis Bullæ.

1 CErtum eſt Bullam incipere à die publicationis, & durare vſque ad finem anni publicationis, vt habetur apertè in Bulla Latina in præſenti clauſula, his verbis: *Qui intra annum à die publicationis præſentium in ſingulis locis prædictis facienda inchoandum.* Et paſſim Bulla repetit *dicto anno durante.* Et in Bulla Hiſpana his verbis: *Item concede ſu Santidad que durante el dicho anno que corre deſde el dia de la publicacion deſta Bulla en cada lugar.* Eſt tamen difficultas, quomodo incipiat, & duret annus publicationis, quæ ſequentibus dubiis explicabitur.

2 Quoad primum dico primò, computari à die publicationis. Habetur expreſsè in prima clauſula ſuprà poſita Bullæ Latinæ, his verbis: *A die publicationis præſentium.* Vbi nota nomine, *promulgationis*, intelligi non ſolùm illam promulgationem, quæ fit à concionatoribus ad id munus à Commiſſario Bullæ deputatis; ſed etiam illam publicam, & ſolemnem acceptationem, quæ antecedenti, vel eodem die fit, per ſolemnem ſupplicationem, ſeu proceſſionem, hæc enim ſolemnis acceptatio Bullæ media ſupplicatione, pro promulgatione cenſetur: quod videtur confirmare praxis fidelium. Datur enim eo tempore ante concionem Bullæ à depoſitatio; ac proinde ex tunc poſſunt Bullam ſumentes omnibus illius priuilegiis frui. Hinc fit, non frui Bullæ priuilegiis, eum qui ante publicationem, per tres, aut plures dies eam de domo Theſaurarij, data ſt pe, accipit Villalob. *tom. 1. tract. 27. n. 6.*

3 Quoad ſecundum dico. Publicatio iſta à qua incipit computari annus durationis Bullæ, debet fieri in loco, etſi minimo, in quo quis accipit Bullam. Deducitur apertè ex illis verbis clauſulæ ſuprà poſitæ, *A die publicationis præſentium in ſingulis locis ſupradictis facienda inchoandum.* Et docent Rodriguez §. 5 *n.* 3 & multi, quot Henriquez *lib. 7. c. 20.* §. 2. vnde non ſufficit promulgatio in Metropoli. Ita etiam Lud. à Cruce *in expoſit. Bull diſp. 1. c. 10. dub. 1. n. 2.* Ratio eſt, quia licèt promulgatio legis in præcipua ciuitate Prouinciæ per ſe ſufficiat ad obligandam totam Prouinciam: hoc tamen intelligitur, dum legiſlator contrarium non diſponit; at Pontifex in locis citatis Bullæ Latinæ, & Hiſpaniæ, expreſsè aſſerit, publicationis annum eſſe inchoandum à publicatione in ſingulis locis facienda; ergo donec Bulla publicetur in quouis loco, non incipit annus, & a publicatione in eo facta ſumetur initium. Quòd ſi in vno populo ſint multæ parochiæ, annus durationis Bullæ incipiet à die publicationis factæ in præcipua Eccleſia. Vnde facta publicatione Valentiæ, in Templo maximo, licèt publicatio Bullæ in aliis parochiis differatur (intellige caſu quo in aliis publicaretur; quod modò de facto non fit: nam ſolùm publicatur in Metropoli) computandus erit annus à publicatione in Templo maximo; quia Papa ſolùm poſtulat, ad Bullam initiandum annum publicationis in tali loco; quæ ſufficienter fit per primam publicationem in quacumque Eccleſia eiuſdem loci. Sic in ciuitate ſufficit publicatio in Metropoli, & Matrice; quia etſi in ea reperiantur multæ Eccleſiæ, eſt tamen vnus locus, & vnum oppidum.

4 Dico tertiò. Computationem hanc modo dicto explicatam intelligendam eſſe, ſiue accipiatur Bulla à principio anni, ſiue poſtea; quia Bulla ſolùm conceditur durante anno a die publicationis: huiuſmodi autem annus debet eſſe continuus, neque interrumpitur ob meam negligentiam ſumendi Bullam, vel non vſum, etiamſi ſine mea culpa id contingat ob aliquod ſuperueniens impedimentum, quoniam non ſtat per Papam, qui vult omnes fideles ſtatim à die publicationis ſumere Bullam, & frui illius priuilegiis. Ita Henriq. *ſup. cit.* Quare ſi quis accipiat Bullam poſt ſex menſes, v. g. à die publicationis, non poteſt frui Bulla per integrum annum computandum à die acceptionis, ſed tantùm per ſex menſes computandos à die acceptionis vſque ad finem anni durationis Bullæ. Patet ex forma conceſſionis Bullæ, quæ ſolum conceditur durante anno à die publicationis: & confirmat praxis vſu ac conſuetudine recepta. Eſt enim communiter receptum, vt Bulla accepta poſt aliquot menſes à die publicationis completo publicationis anno, cenſeatur expiraſſe. Ita etiam Lud. *ſupr.*

5 Ex dictis colligitur. Si publicatio Bullæ in particularibus locis, ſit multo poſterior publicatione facta in Metropoli, annus erit computandus reſpectu ſumentis Bullam in illis locis à die publicationis in eis factæ: vel ſi in Metropoli recipiatur Bulla, & recipiens ſe conferat ad alia loca, in quibus eſt poſtrema publicatio, reſpectu ipſius accipientis Bullam, computatio fiet à die publicationis in Metropoli, in qua accepit Bullam. Idem eodem modo dicendum eſt reſpectu diuerſarum diœceſium. Vt ſi Valentiæ publicetur Bulla vigeſima die Ianuarij, in eadémque ſumam Bullam, & me conferam Barcinonem, vel Cæſaraugustam, in qua poſtea publicetur Bulla, ſolùm gaudebo priuilegiis Bullæ Valentiæ receptæ, vſque ad illum diem, in quo completur annus computatus à die publicationis factæ Valentiæ. Sic ſi pater, vel amicus exiſtens Valentiæ, ibi ſumit Bullam publicatam vigeſima die Ianuarij, & tranſmittit illam ad conſanguineum, vel amicum exiſtentem Caſtulloni, v. gr. de la Plana, aut Villa Regali, in quibus locis Bulla primo die Quadrageſimæ publicatur, Bullam hanc ibi acceptans ſolùm fruetur illius priuilegiis vſque ad vigeſimam Ianuarij anni ſequentis, non verò vſque ad primum diem Quadrageſimæ: nam Bulla accepta fuit Valentiæ, ac proinde annus à die publicationis Valentiæ factæ, eſt computandus. Nihilominus tamen non eſt improbabile quod aſſerit Sanctius *in ſuis ſelectis, diſput. 55. num* 8. publicationem non eſſe computandam à die publicationis factæ in oppido vbi quis accepit Bullam, ſed à die publicationis factæ in oppido vbi inuenitur quando ſequens Bulla promulgatur: vnde accipiens (inquit) Bullam Madriti primo die Aduentus, & abiens Valentiam, vbi Bulla promulgatur vigeſima die Ianuarij ſequentis anni, fruitur Bulla quam accepit Madriti vſque ad 20. diem Ianuarij, quamuis ſciat nouam Bullam iam eſſe promulgatam Madriti. Et hanc eſſe intentionem Pontificis præſumendum eſt, ne cogatur ire Madritum, & ſine culpa ſua priuetur tanto bono. Cùm enim Valentiæ repertus ſit iam incola illius loci, computanda erit ei promulgatio Bullæ in eo tempore, in quo cæteris Valentiæ habitatoribus computatur. Addit tamen, & benè *n. 10.* in peregrinis computandam eſſe publicationem à loco vbi Bullam acceperunt, ne in fraudem differant Bullam

vſque

vſque ad annum & dimidium, quærentes locum vbi tardiùs Bulla publicatur.

Dvb. XI.

An annus quo durat Bulla, sit solaris, seu naturalis, an verò sit Ecclesiasticus.

1 Conueniunt omnes Doctores Bullam durare ex ſe per totum annum à die publicationis, vt patet ex Bulla Latina, eoque finito, finire eam, & expirare Bullam, eo quòd ad annum, & anno durante concedatur. Differunt tamen an hic annus computetur modo mathematico, ſeu phyſico; ſcilicet an ſumatur annus pro anno ſolari, & naturali, v.g. pro toto illo tempore quo Sol proprio motu ſpatio dierum 366. efficit motum circularem per totum orbem, an verò computetur more Eccleſiaſtico, ab vno ſcilicet termino in alium, quamuis aliquando aliqui dies vel deſint, vel ſuperſint ad annum ſolarem complendum. Sic computatur annus confeſſionis, & communionis ab vno Paſchate in alterum, tametſi nunc habeat plures dies, nunc pauciores.

2 Aliqui, vt Rodriguez §. 5. *num.* 2. exiſtimant annum durationis Bullæ eſſe ſolarem, & naturalem, computarique modo phyſico, & mathematico; quia Bulla ſolùm per integrum annum conceditur: annus autem ſimpliciter dictus ex communi vſu pro ſolari, & naturali ſumitur, niſi aliàs in aliquo euentu ipſa conſuetudo, & vſus omnium aliter interpretetur, quod tamen non requiritur in præſenti. Ex quo infert, cùm in eodem loco promulgatio Bullæ ſequentis anticipatur per aliquot dies ante finem anni prioris Bullæ antecedentis, nō cenſeri reuocatam priorem Bullam per anticipatam Bullæ nouæ promulgationem, ſed durare vſque dum annus naturalis, & ſolaris Bullæ antecedentis compleatur. E contra verò ſi poſt integrum annum promulgationis Bullæ differatur per aliquot paucos dies promulgatio alterius Bullæ, quæ certò facienda eſt, exiſtimat iam expiraſſe Bullam, nec poſſe per illos paucos dies frui illius priuilegiis, quia annus naturalis iam finitus eſt. Probabilis quidem ſententia; probabilior tamen oppoſita. Vnde

3 Dico. Annus durationis Bullæ, non pro naturali, & ſolari, ſed pro Eccleſiaſtico ſumendus eſt, ita vt computatio non modo phyſico, & mathematico fiat, ſed more Eccleſiaſtico, ſcilicet, à publicatione vnius Bullæ, vſque ad publicationem alterius Bullæ, quamuis aliquando plures dies, aliquando pauciores habeat publicationis annus: ſicut contingit in anno confeſſionis, & communionis: dummodo noua publicatio Bullæ ſit certa, & in proximo vt fiat. Ita Henriquez *lib. 7. cap.* 20. *n.* 1. *litt. O.* qui refert conſultos hac de re Doctores Salmanticenſes, & multos Theologos ex variis Religionibus id ſenſiſſe; idem ſentit Villalobos *tractat.* 27. *clauſ.* 4. *num.* 8. & tenet Ludou. à Cruce *in expoſit. Bullæ diſput.* 1. Hæc autem ſententia à priori non poteſt; probari tamen poteſt à ſimili de anno confeſſionis, & communionis. Et quòd hoc argumentum valeat in hoc caſu, declararunt doctrinaliter Doctores illi, quos refert Henriquez, videlicet annum more Eccleſiaſtico, à publicatione in publicationem, & non mathematico, eſſe computandum. *Secundò*, quia meritò ex quadam æquitate declarari poteſt mentem Pontificis eſſe, vt in eo euentu fruatur Bullæ priuilegiis, donec alia publicetur; nam ea eſt intentio Papæ, Bullam per ſexennium concedentis, vt qui quolibet anno tempore publicationis accipit Bullam, de nullo ſexennij priuetur Bullæ priuilegiis. Ideo hanc ſententiam tuetur Sanctius *in ſuis ſelectis, diſp.* 55. *num.* 2. cum Villalobos *tract.* 27. *clauſ.* 4. *num.* 8. minimèque dubitat in praxi ſecuriſſimam huiuſmodi opinionem, eo quòd iam inter fideles introducta ſit per conſuetudinem ſcitam & toleratam à Commiſſario Cruciatæ, quod ſat eſt ad conſenſum præſtandum huic conſuetudini, cùm ipſi commiſſario conceſſa ſit vniuerſa rerum ad Bullam attinentium facultas, & poteſtas. Idem ſentit Diana *tr.* 11. *reſolut.* 91.

4 Ex quo patet reſponſio ad ſententiam Rodriguez. Nam etſi verum ſit Bullam loqui de anno ſimpliciter, & abſolutè: conſenſus tamen Doctorum, de quibus Henriquez *cit.* explicare videtur, Pontificis mentem eſſe de anno eccleſiaſtico. Colligitur ex noſtra ſententia. Si poſt integrum annum ſolarem & naturalem prioris promulgationis, differatur per aliquot dies promulgatio alterius Bullæ ſequentis, prodeſſe & durare priorem Bullam, poſſeque illius priuilegiis frui vſque ad alterius Bullæ promulgationem; dummodo noua Bulla ſit certo publicanda. Quia, vt dictum eſt, annus durationis ſumitur à publicatione in publicationem: quod procedit etiam ſi non habeat animum ſumendi Bullam ſequentem; quia abſolutè ei Bulla prodeſt per integrum annum à publicatione in publicationem. Dixi, *dummodo certum ſit aliam Bullam eſſe publicandam*; nam ſi fortè publicanda non foret, certum eſt expirare priorem Bullam, finito integro anno ſolari, & naturali à publicatione: in quo ſenſu vera eſt contraria ſententia, & forte ſic intelligenda. Colligitur *ſecundò*, cùm in eodem loco promulgatio Bullæ ſequentis anticipatur per aliquot dies ante finē prioris anni ſolaris, & naturalis Bullæ antecedentis, cenſeri reuocatam Bullam antecedentem, minimeque poſſe ipſius priuilegiis frui: quidquid dicat Sanctius *in ſuis ſelect. diſp.* 55. *n.* 4. Rodrig. *in Bulla* §. 5. *num.* 2. quam ſententiam probabilem eſſe, & propriam notandum aduertit Diana *tract.* 11. *reſol.* 393. Ratio eſt, quia annus publicationis iam finitus eſt. Ita Anton. Gomez *clauſ.* 6. §. 1. & promulgatio Bullæ poſterioris eſt reuocatio prioris. Si enim finito anno ſolari illis paucis diebus ante Bullæ nouæ promulgationem, adhuc prior Bulla durat, quia nondum eſt: noua publicata; ergo ſi antequam annus ſolaris finiatur, noua publicetur, derogabitur, & expirabit prior. Res enim cum honoribus & oneribus computandæ ſunt, & qui ſentit commodum, ſentire debet & damnum: ita etiam Villalob. *in tract. num.* 11. Conueniunt tamen Doctores, ſi intra annū quo Bulla durat, cœpta eſt, v.g. confeſſionis ſacramentalis, & tamē propter aliquam cauſam iudicio confeſſarij, ipſa confeſſio eſt differenda, & finienda poſt elapſum tempus, poſſe nihilominus pœnitentem abſolui, ac ſi Bulla duraret, Villalob. *tract.* 27. *clauſ.* 4. *num.* 13. Idem dic de Iubilæo, dummodo præſtiterit alia omnia neceſſaria. Ratio eſt, quia, iuriſdictio ſemel habita, & re iam incepta, non expirat quouſque cauſa finiatur, vt cum multis docet Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 11. *num.* 3. ſic mortuo delegante, quando res non eſt integra, ſed inceptum iudicium, poteſt delegatus illud abſoluere, & finire, vt communiter Doctores. Quando autem res dicatur incepta, ſed non integra, videatur Sanchez *lib* 8. *de matrimon. diſput.* 28. *à num.* 13. & Caſtro Palao *de legib.*

legib. tract. 3. *disp.* 4. *part.* 16. §. 1. at in nostro casu iam est incepta causa; ergo debet extendi priuilegium Bullæ donec ipsa causa finiatur, cùm id non cedat in damnum tertij: sed hoc constabit ex dicendis infra. Hinc fit posse Confessarium intra annum Bullæ pœnitenti concedere maius tempus, vt recordetur de voto, & post illud commutare. Diana *sup. resol.* 104. cum Sanchez *tom.* 1 *l.* 4. *c.* 54. *n.* 34.

D V B. XII.

An Bulla expiret, seu reuocetur, per hoc quòd aduentat annus Iubilæi plenissimi.

1 NAuarr. *de indulgent. not.* 33. *n.* 3. Ludo. Lopez *in expositione Bullæ c.* 10. & aliqui existimant suspendi, seu expirare Bullam Cruciatæ anno Iubilæi plenissimi, quod olim centesimo quoque anno, nunc verò 25. & septimo, imò quolibet ferè anno, prout Ecclesiæ vtilitas, & necessitas postulare videtur, Pontifices concedere solent. De quo vide Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 15. Fundamentum huius sententiæ est, quia Bulla Cruciata fuit suspensa per duos Iubilæos sanctos proximè concessos à Gregor. XIII. & Clem. VIII. nam ibi suspenduntur facultates omnes personis singularibus concessæ, etiam si ad sostantiam Regum concessæ fuerint. At priuilegia Bullæ certum est singularibus personis esse concessa.

2 Dicendum tamen est, nullum priuilegium Bullæ suspendi per Iubilæum plenissimum anni sancti. Ita Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 21. *num.* 3. Rodriguez §. 12. *num.* 13. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 33. *num.* 10. Alphonsus Perez *in comp. irium grat. pag.* 27. Villalobos 1. *part. tract.* 27. *clauf.* 12. *num.* 8. Diana cum aliis *tract.* 11. *resol.* 97. & nouissimè Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ disp.* 1 *cap.* 9. *dub.* 6. *n.* 3. ac Castro Palao *tract.* 3 *disp.* 4 *part.* 21. §. 2. *num.* 3. & alij communiter. Probatur in primis. Bulla Cruciata non suspenditur per extrauag. Sixti IV. *de pœn. & remiss.* quæ incipit, *Quemadmodum*, in qua is Iubilæus concedebatur, vt ipse Nauarr. fatetur, *not.* 28. *num.* 20. & docet Henriquez *sup. num.* 3. *in initio*, nam per illam solùm suspenduntur facultates concessæ solis communitatibus, non verò singularibus personis, quia solùm suspendit facultates concessas Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, piis locis vniuersitatibus, & confraternitatibus, siue confratriis; at nihil horum est singularis persona: constat autem Cruciatam singularibus personis concedi, vt patet ex contextu, & docet Rodriguez *tom.* 1. *q.* 61 *art.* 14. *vers.* 3. & dictum est *sup. dub.* 4. *proœmials.* Præterea si sermo fit de proximis duobus Iubilæis concessis à Gregor. XIII. & Clem. VIII. etiam patet per illos non suspendi Bullam. Tum, quia, vt tradit Sanchez *citatus*, postea idem Clem. VIII. explicuit, mentem suam nunquam fuisse suspendere Bullam: id etiam declarauit Gregor. XIII. die 18. Nouembr. 1574. vt refert Alphons. Perez *citatus*. Tum maximè, quia priuilegia Bullæ conceduntur per modum contractus, vt constat ex illis verbis: *Que por quanto vos distes dos reales de plata, que es la limosna tassada*, &c. *se os concede*, &c. Neque est modica eleemosyna quæ pro Bulla contribuitur, vt dictum est suprà; in reuocatione autem neuter Pontifex mentionem fecit facultatum per modum contractus concessarum, neque eleemosynam contribuiam reddi iussit; cùm tamen vtrumque esset necessarium ad priuilegij per modum contractus reuocationem; non enim sufficit reuocatio generalis ad censendum reuocatum priuilegium per modum contractus concessum, sed opus est expressa mentione saltem generali eiusmodi indulti concessi per modum contractus, vt cum aliis docet Sanchez *eadem disputatione, n.* 3. & cum multis Castro Palao *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 21. §. 2. *num.* 2. & 3. & nouissimè Lud. à Cruce *in exposit. Cruciata disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 4 *num.* 13. Ratio est, quia non præsumitur reuocandi voluntas quando ea aufert ius tertij; & si Pontifex ex iusta causa reuocaret priuilegia Bullæ, ex eo quòd sint concessa per modum contractus, teneretur recompensationem facere dato æquiualenti. Deoque cùm Papa concedat Cruciatam sexto aut octauo quoque anno, nouerit que quodam anno ex illis incidere Iubilæum plenissimum, censendum est eius mentem non fuisse suspendere Bullam, aliàs enim frustrà esset concessio, saltem pro illo anno.

3 Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 28. *num.* 7. existimat priuilegia Regularium non suspendi anno Iubilæi, etiam quoad illa quatuor quæ continentur in Extrauag. Sixti IV. *Quemadmodum, de pœnit.* in quo anno Iubilæi hæc suspenduntur. *Primò*, indulgentiæ plenariæ. *Secundò*, votorum commutatio, aut dispensatio in his quæ Papæ sunt reseruata. *Tertiò*, compositio super malè ablatis. *Quartò*, deputare Confessarium, cum priuilegio absoluendi à reseruatis Papæ, de quibus vide eundem *cap.* 21. *num.* 5. & Nauarr. *not.* 28 *de Iubileo*. Verius tamen Rodriguez *in addit. ad* §. 12. *num.* 8. & Villalobos *tract.* 27. *clauf.* 12. *num.* 20. & nouissimè Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 6. *num* 4. existimat suspendi quoad illa quatuor. Quod colligitur ex illis verbis Greg. XIII. in suo Iubilæo, de quibus Nauarr. *not.* 33. *num.* 3. nimirum, *quibuscumque Ecclesiis sexus vtriusque, ac conuentibus, domibus, congregationibus, hospitalibus, & piis locis necnon Ordinibus etiam Mendicantibus.* Existimat etiam Henriquez *dicto num.* 7. priuilegia Regularium per Bullam Cruciatam non suspendi; sed de hoc infrà §. 8. *dub.* 3.

4 Ex his manet solutum fundamentum prioris sententiæ: nam etsi Clem. VIII. suspendat facultates personis singularibus concessas, non tamen has quæ per modum contractus conceduntur, vt dictum est, quidquid iam ipse explicuit, suam mentem non fuisse suspendere Bullam. Aduertit Rodrig. securius esse anno Iubilæi recurrere ad Papam, vt de nouo confirmet Bullam. Et Alphonsus Perez *cit.* refert, eos quibus negotium Bullæ competit, petere ad maiorem cautelam, declarationem à Papa, qua declaret se per Iubilæum plenissimum non suspendere Bullam Cruciatæ.

D V B. XIII.

An Bulla Cruciatæ reuocetur per Bullam Cœnæ, & morte Papæ expiret.

1 CErtum est posse Papam Bullam Cruciatam suspendere, seu reuocare, etiam intra annum publicationis: nam cum sit gratia, ex eius pendet beneplacito. Sic Pius V. anno 1571. postremo sui Pontificatus anno, reuocauit Bullas omnes Cruciatas vsque ad id tempus concessas, intendens eas ampliùs non concedere. At si Papa ante finitum annum eam reuocaret, & ignorans hanc reuocationem, Confessarium pro absolutione reseruatorum, &

& votoru m commutatione, eligeret, teneret, reseruatorum absolutio, & votorum commutatio: sic nec peccatet, qui ante notitiam reuocationis eo-mederet oua, & lactitinis; de quo vide Cordub. *quæst.* 33. *de indulg. propos.* 3. & alios quos refert, & sequitur Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 10. *num.* 1. *litt. F.* & cum aliis Ludouic. à Cruce *in expos. Bullæ, disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 5. (vide infra *num.* 3.) talis enim rationabiliter creditur intentio Papæ, ne aliàs reuocatio afferret periculum illaqueandi animas ignorantium: sic valet sententia eius, qui communi errore populi habetur vt iudex ordinarius, & habet titulum coloratum: sic etiam excusatur à lege ille, qui habet ignorantiam inuincibilem promulgationis. Ita Henriquez *citat. suprà.* Dubium ergo est, an de facto Bulla Cruciatæ reuocetur, & suspendatur per publicationem Bullæ Cœnæ Domini.

2 Dico primò. Per Bullam Cœnæ nullum priuilegium Bullæ Cruciatæ reuocatur: quod existimo certissimum, & ita tenet in simili Nauarr. *de indulgent. notab.* 33. *num.* 2. & absoluiè Rodriquez §. 9. *num.* 69. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 2. Diana *tract.* 11. *resol.* 96. Sanchez *in Summ. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 27. *& lib.* 8. *de matrimon. disp.* 33. *num.* 10. Fagundez *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 33. Villalobos *tract.* 17. *claus.* 4. *num.* 11. & nouissimè Ludouic. à Cruce *in exposit. Cruciata disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 4. *&* 5. vbi id latè probat, & rationes exposítas soluit, & alij. Patet *primò*, quia expresse in Bulla Cruciata conceditur absolutio à casibus Cœnæ (excepta hæresi.) Ne ergo Papa sibi contrarius videatur, dicendum est per Bullam Cœnæ cruciatam non derogari. Tum etiam, quia post reuocationem in Bulla Cœnæ positam, qua prohibetur absolutio à casibus illius, & derogatur omni priuilegio, etiam speciali, Sixtus V. anno 1590. fecit hanc exceptionem, nimirum: *Nisi eiusmodi casus reseruati in Bulla Cœnæ, in eis præsentibus litteris expressè comprehendantur.* At iidem casus in Bulla Cœnæ iam exprimuntur in Cruciata, excepta hæresi: ergo Bulla Cœnæ non reuocat Cruciatam; quare Bulla Cœnæ solùm derogat aliis priuilegiis, iis exceptis, quæ in Bulla Cruciatæ continentur.

3 Dico secundò. Bulla Cruciatæ morte Papæ eam concedentis non expirat. Ita Henriquez *lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 4. quia, vt ipse docet, & tenet etiam Corduba *de indulgentiis, quæst.* 23. Manuel Sà *verb. gratia.* Ludouic. à Cruce *in exposit. Bullæ dispnt.* 1. *cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 5. & alij, in materia de priuilegiis, gratia non expirat morte concedentis: Bulla enim Cruciatæ gratia quædam est, & iuxta regul. iur. in 6. decet beneficium Principis esse permanens: quare fauores non expirant morte concedentis; bene verò mandata.

4 Obiter tamen aduerta cum Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 21. *num.* 4. *&* 5. & aliis, quos ipse citat, gratiam, & priuilegium quandoque solere concedi nomine personæ; quandoque nomine dignitatis, & officij. Quando conceditur nomine personæ, vt cùm dicit Papa, *Tibi damus facultatem, vel concedimus priuilegium, ad beneplacitum meum*; tunc gratia, vel priuilegium sic concessum expirat morte concedentis, nisi gratis, vel priuilegium esset concessum ad certum tempus. Quare Bulla Cruciatæ quamuis sit gratia ad beneplacitum concessa, quia tamen conceditur ad certum tempus verbi gratia sex annorum, non expirat mortuo Papa ante lapsum termini præfixi. Quando autem Papa concedit gratiam nomine dignitatis, vel officij, tunc illo mortuo non expirat priuilegium. Vt cùm Papa, verbi gratia, concedit facultatem testandi Episcopo, vel Monacho regulari, nomine dignitatis Pontificiæ, mortuo Papa eam tenetur Episcopus, & Regularis. Hinc colligitur valde aduertendum esse à Confessariis, quando approbantur ab Ordinario ad audiendas confessiones: nam si sic dicatur, *Tibi damus facultatem ad beneplacitum nostræ voluntatis*; tunc gratia illa sic concessa expirat morte concedentis; neque eo mortuo potest talis Sacerdos eligi per Bullam, quia iam non manet approbatus. Si autem ea facultas concedatur ad certum tempus, puta vnius anni, tunc illo mortuo non expirat illa gratia ante lapsum anni. Ita Henriquez suprà *num.* 4. *litt. Q.* videndus, qui *num.* 5. enumerat quasdam gratias, quæ mortuo concedente, adhuc durant. Potest tamen Pontifex intra annum expedire nouam Bullam, & præteritam reuocare, non verò sufficeret promulgatio reuocationis Romæ, sed debent fieri in singulis Prouinciis, & diœcesibus, vt docent Sotus *lib.* 9. *quæst.* 5. *artic.* 4. Syluest. *indulgentia, quæst.* 5. & cum iis Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 5. Quare si quis ignorans reuocationem absolueretur à reseruatis, valeret absolutio Henriquez *lib.* 7. *cap.* 20. *litt. F.* & alij: similiter, si tempore quo durat Bulla, cœpisset longam confessionem, & eam perficeret absoluereturque anno elapso; Henriquez *suprà num.* 2. nam delegatus; qui iam cœpit tractare causam, potest eam perficere, finito etiam tempore commissionis.

Dvb. XIV.

Qualis sit indulgentia quæ in hoc §. conceditur.

1 Qvia materia de indulgentiis satis diffusè tractata est à multis, præcipuè à Corduba *in suo tract. de indulgentiis*, Nau. *in commentario de Iubilæo, & indulg.* § *in Leuitico sub cap. quis aliquando, de pœnitent. dist.* 1 *tom.* 3. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent.* & Suarez *tom.* 4. *in vlt part. operis, à disput.* 49. Proinde nos aliqua tantum, ad dicendorum intelligentiam, breuiter attingemus, videlicet, quid, & quotuplex sit indulgentia.

2 Omissis variis diffinitionibus, ita potest diffiniri Indulgentia: Actus spiritualis iurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra sacramentum ex applicatione thesauri Christi, & Sanctorum. Dicitur *primò*, *actus spiritualis iurisdictionis*, quia potestas concedendi indulgentias non est ordinis, sed tantùm iurisdictionis spiritualis, se proinde Episcopus quamuis non sit ordinatus, nec consecratus, dummodo electus, & confirmatus sit suas indulgentias concedere potest; vt cum multis tenet Nauarr. *de indulgent. notab.* 31. *num.* 5. Dicitur *secundò*, *quo peccator in foro Dei liberatur à pœna temporali*, quia indulgentia formaliter, & directè nullum peccatum etiam veniale, dimittit, sed tantùm pœnas peccatis debitas, in totum, vel in partem, iuxta concessionis modum relaxat. Tum etiam, quia indulgentia non liberat à pœna legis in foro exteriori pro vt latè docet Nauar. *not.* 11. *de indulgent. n.* 20. & Suarez *sup. disp.* 50. *sect.* 1 Proprius ergo, & specialis indulgentiæ effectus est remissio, & relaxatio pœnæ temporalis, peccatis mortalibus, vel venialibus debitæ, remissis tamen quoad culpam per pœnitentiam, vel contritionem. Quòd si dicas, aliquando concedi indulgentiam à pœna, & culpa. Respondeo intelligendum

geodum eſſe à pœna primò, & per ſe formaliter, & directè; à culpa verò indirectè, & antecedenter, & quaſi ex ſuppoſitione: nimirum, quia indulgentia tali modo conceſſa, aut Iubilæum aliquando concedit facultatem abſoluendi ab omnibus culpis & peccatis reſeruatis: vel quia indulgentiæ conſequutio requirit confeſſionem, vel contritionem, per quam directè culpa remittitur. Vide Nauarr. *notab.* 10. *de indulgent.* & Suar. *diſput.* 50. *ſect.* 1. Dicitur *tertiò*, *extra ſacramentum*; quia libertas, ſeu remiſſio pœnæ, quæ fit per indulgentiam, vt verè & propriè indulgentia dicatur, debet fieri extra ſacramentum, ad differentiam remiſſionis pœnæ temporalis, quæ fit in ſacramento: cum qua conuenit quidem quòd vtraque ſit remiſſio pœnæ temporalis peccatis debitæ. Sed differunt *primò* quòd remiſſio facta per indulgentiam, fit cum compenſatione, per quam de Theſauro Eccleſiæ tantum ſoluitur, quantum per indulgentiam ipſam acquirenti remittitur. Sacramentalis autem pœnæ remiſſio eſt ſine compenſatione, ex diuina liberalitate, vt docet Nauarr. *notab.* 10. *nu.* 11. & 12. *Secundò* differunt, quia indulgentia non remittit culpam, ſed ſupponit illam dimiſſam, vt dictum eſt: Sacramentum verò Pœnitentiæ, cui magis indulgentia aſſimilatur, quantum ad pœnæ remiſſionem, & culpam, & pœnam aliquam ſaltem remittit, & facit de attrito contritum, quod indulgentia non præſtat. *Tertiò*, quia nemo ſe ipſum abſoluere poteſt, at concedens indulgentias poteſt eas ſibi applicare. *Quartò*, quia Confeſſarius non taxat quantitatem pœnæ quam abſoluit; at Papa concedit certos annos indulgentiæ, aut plenariam, ſeu totalem. *Vltimò* dicitur, *ex Theſauro Eccleſia*, id eſt, quòd remiſſio pœnæ temporalis, quæ fit extra ſacramentum, fit per applicationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, quæ manent in diuina acceptatione, præſentia, & complacentia. Conſtat enim Theſaurus Eccleſiæ ex infinita Chriſti ſatisfactione, tanquam ex præcipua materia, & ex ſuperabundantibus, & ſuperfluis Sanctorum ſatisfactionibus, tanquam ex minus præcipua materia. Cùm igitur ſatisfactio Chriſti ſit infinita, timendum non eſt hunc theſaurum exhauriri poſſe per indulgentias: nam etſi ſatisfactio Chriſti ſit infinita, finito tamen modo per indulgentias communicatur, ſicut Chriſti paſſio infinita, modo tamen finito, per Sacramenta communicatur. De huiuſmodi theſauro vide inter alios Suarez *n.* 4. *d.* 51.

3 Poteſt autem diuidi indulgentia *primò*, in eam, quæ fit ex contractu, qualis eſt Bullæ indulgentia, quæ conceditur contribuenti certam eleemoſynam; & in eam, quæ non fit ex contractu, ſed omnino gratis, quales ſunt indulgentiæ conceſſæ calculis, granis, ſeu imaginibus benedictis, & aliæ his ſimiles. *Secundò* diuidi poteſt in temporalem, quæ ad certum tempus, vt ſunt Bullæ indulgentiæ, quæ ad annum conceduntur; & perpetuam, quæ ſcilicet in perpetuum tempus conceditur.

4 Solemnis tamen, & adæquata diuiſio eſt illa, qua diuiditur indulgentia in totalem, & partialem. Comprehendit enim hæc diuiſio omnes indulgentias, ſiue ex contractu, ſiue gratis, ſiue temporales, ſiue perpetuas: nam hæ vel ſunt totales vel partiales. De hac diuiſione latè Suarez *tom.* 4. *diſp.* 50. *ſect.* 4. Indulgentia ergo totalis eſt remiſſio totius pœnæ cuicumque peccatori debitæ, reſpectu omnium peccatorum quam quis ſecundùm iuſtitiam diuinam luere tenebatur in Purgatorio pro omnibus ſuis peccatis. Vnde fit, quòd indulgentia totalis non ſuſcipiat ex ſe magis & minus, quia eſt maxima quæ fieri poteſt. Attamen ex parte ſubiecti poteſt eſſe maior, vel minor, quia vnus qui totalem indulgentiam lucratur, poteſt eſſe debitor maioris pœnæ, quam alius, & ideo hæc indulgentia maiorem in illo habebit effectum, quam in alio: hoc tamen eſt per accidens ex parte ſubiecti, & quaſi materialiter; accedit enim indulgentiæ totali, quòd tota pœna illius ſit minor, quam alterius. Sic enim Baptiſmus, v.g. collatus duobus adultis æquè diſpoſitis, habentibus tamen inæqualia debita culparum, vel pœnarum, plus vni remittit, quàm alteri, licèt effectum poſitiuum gratiæ æqualem conferat vtrique; quia illa inæqualitas ſolùm prouenit ex eo, quòd in vno plura erant remittenda, quàm in alio: nam Baptiſmus de ſe totum remittit. Sic etiam, ſi vt æquale peccatum mortale priuet vnum maiori gratia, quam alterum, ſolùm, quia vnus habeat maiorem gratiam, quàm alius: nam peccatum mortale de ſe totam gratiam deſtruit, quam in ſubiecto inuenit; ita ergo indulgentia totalis poteſt ex parte ſubiecti maiorem, vel minorem pœnam remittere, ſemper tamen remittit de ſe totam pœnam, quam in ſubiecto inuenit.

5 Ex his colliges cum Suarez *ſuprà*, & Soto *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *artic.* 1. quibus etiam conſentit Ludouic. *in expoſit. Bullæ Cruciatæ, diſp.* 1. *c.* 8. *dub.* 1. *n.* 5. indulgentiam totalem eandem eſſe cum ea, quam aliqua decreta vocant plenam, pleniorem, & pleniſſimam, & nullam in hoc eſſe differentiam quoad effectum remittendi omnem pœnam: nam tunc dicitur verè plenè debitum remitti, quando totum remittitur. Quòd ſi dicas in Extrauag. *Antiquorum, de pœnitent. & remiſſion.* haberi hæc verba: *Non ſolùm plenam, largiorem, imò pleniſſimam omnium ſuorũ concedimus veniam peccatorum.* Reſpondeo cum Suarez *ſuprà*, illa verba apponi ad maiorem rei declarationem, & ad tollendos varios ſcrupulos, qui ex variis opinionibus oriri poterant. Dici etiam poteſt, ſicut Philoſophi dicunt, priuationem totalem non recipere ex ſe magis & minus, interdum tamen ratione cauſæ vnam vocari maiorem alia; ita indulgentiam appellari plenariam, vel pleniſſimam; non quia in priuatione, ſeu remiſſione pœnæ magis aliquid efficiat, ſed quia maiorem, vel maximam habet cauſam, quæ de effectu indulgentiæ certiores poſſit reddere fideles. Nauar. verò *de indulgent. not.* 9. exiſtimat hæc diſtingui inter ſe, ita vt plena ſit remiſſio totius pœnæ peccatis mortalibus confeſſis debitæ: plenior confeſſis mortalibus, tum etiam non confeſſis; pleniſſima verò remiſſio totius pœnæ debitæ omnibus mortalibus, tum etiam venialibus, tam confeſſis, quàm non confeſſis. Ex quo infert *dicto notab.* 9 *n.* 7. conceſſa indulgentia plena ſimpliciter, non cenſeri conceſſam plenariam, nec pleniſſimam, Nauarrum ſequitur Reginald. *tomo* 1. *libr.* 7. *capit.* 13. *ſect.* 2. Sed tamen verior, praxique conformior videtur noſtra explicatio. Nullum enim habet opinio Nauarri & aliorum firmum in iure fundamentum, ob idque Sotus *in* 4. *diſtinct.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 1. *circa finem.* §. *Præter hæc*, exiſtimat eſſe excogitatum commentum, & indulgentiarum concionatores, exaggerationis gratia, illam gradationem inueniſſe, poſitiui, comparatiui, & ſuperlatiui. Nec valet ratio Nauarri *in eodem notab.* 9. *numer.* 6. nimirum quod plenum eſt vno reſpecto, plenius eſſe poteſt alio reſpectu: ſicut modius qui vt raſus eſt plenus poteſt plenior eſſe vt cumulatior; ſic indulgentia quæ plena eſt pro mortalibus confeſſis, poteſt eſſe plenior etiam pro non confeſſis, quia etſi verum ſit potuiſſe hoc modo concedere Pontificem, de facto tamen non conſtat talis gradatio; nec poteſt dici

dici plena indulgentia, quæ non adæquat totam pœnam, id est, quæ non remittit totam pœnam: aliàs enim indulgentia centum dierum etiam dici posset plena; quia in illo genere, & numero centum dierum, non potest esse maior, nec aliquid ei deest, quáuis in alio respectu plenior & maior esse possit.

6 Aduerte cum Suarez *tom.5.disp.7.sect.5.num.9.* indulgentiam quæ conceditur per modum Iubilæi, seu ad instar Iubilæi, nihil aliud significare, nisi illam indulgentiam esse plenam, seu totalem, qualis concedi solet in Iubilæis.

7 Quæres, quibus verbis indulgentia plenaria, seu totalis concedi intelligatur. Respondeo cum Suarez *tom.5.disp.50 sect.4.cit.num.*10. quotiescumque non additur verbum determinans remissionem ad partem pœnæ peccatorum, intelligi plenam, seu plenariam, aut totalem. Vt si dicatur: Concedimus indulgentiam plenam, vel plenariam, vel omnium peccatorum; vel si indefinitè dicatur: Concedimus indulgentiam peccatorum; quia oratio indefinita in his æquipollet vniuersali, dummodo concedens habeat potestatem plenam, vel plenariam concedendi, vt habet Papa. Episcopus enim tantùm concedere censetur quod de iure concedere potest: interdum cum vna plenaria indulgentia conceduntur mille anni, & quædam quadragenæ indulgentiarum; quia diuersis locis ob diuersas causas diuisim concessæ per communicationem conceduntur vni loco, aut personæ: quod prodest, vt, multiplicatis titulis, certior sit fructus indulgentiæ, vt docet Henriquez *de indulgent.cap.15.num.8.* vel, vt ait Corduba *de indulgent.quæst.9. ad finem*, vt ex variis titulis sit efficacior causa consequendi indulgentias. Suarez verò *sup.sect.4.num.9.* tenet, se nec in re, neque in aliqua Bulla authentica vidisse talem concessionis modum: & si fortè inueniatur, existimat, illos annos indulgentiæ posse offerri pro defunctis, etiam si expresè non declaretur; quod ait ita piè credendum, aliter enim non inuenit quomodo adiectio vtilis esse possit. Pia quidem explicatio, in rigore autem Theologico, an sit vera, tu vide: nam commune axioma est in hac materia, indulgentiam non prodesse defunctis, nisi hoc expresè dicatur.

8 Indulgentia partialis est, quæ non totam, sed partem pœnæ remittit: potest namque pœna per partes dimitti, vt Theologi docent, cum S.Thom. *3. part. quæst.*86. Quando ergo hoc in concessione explicatur, est partialis: vt si dicat, Concedimus indulgentiam tertiæ partis peccatorum, vel vnius anni, vel centum dierum: sic etiam indulgentia, septena, quadragena, carena, centum annorum, imò & mille, est partialis, quia ea se non remittit omnem pœnam peccatis debitam, & si aliquando hoc facit, est per accidens, ratione scilicet subiecti, eo quòd in illo paucæ pœnæ satisfaciendæ inueniantur. Vbi nota, quadragenam esse indulgentiam quadraginta dierum; septenam, septem annorum; & carenam esse indulgentiam, quæ vtramque complectitur, scilicet, septenam, & quadragenam. Et addit, *vt ieiunium fieret in pane, & aqua*, vt bene notat Bellarm. *lib de indulgent.cap.9.*& Cordub. *quæst.9.de indulg. circa fin.* Dicitur enim carena per syncopem, quasi quarantena, vel potiùs à carendo cibis & à consortio hominum: nam qui illam pœnam agebant, per quadraginta dies recludebantur, & à consortio hominum separabantur.

9 Difficultas tamen est apud Doctores, quomodo intelligatur vnus annus, vel vna quadragena, vel septena indulgentiæ. Ad intelligentiam nota, antiquitus iuxta sacros Canones pœnitentiales, de quibus Gratianus *in fine Decreti*, & Reginald. *lib.7.c.5. à num.*54. pro vno peccato mortali imponi septem annos pœnitentiæ, pro grauiori decem, aut vndecim, in quo anno semel in hebdomada vtebatur ieiunio, flagello, eleemosyna, vel Psalmorum recitatione. Dubium ergo est, an dies, annus, vel anni indulgentiæ intelligantur de diebus, vel annis Purgatorij; vt nimirum tot anni ex pœna Purgatorij remittantur, quot in indulgentia exprimuntur. An verò intelligantur de pœnitentia in hoc sæculo, vt scilicet tot pœnæ remittantur per indulgentiam vnius, vel plurium annorum, quot ei remitterentur si in hac vita vnius, vel plurium annorum pœnitentiam adimpleret, iuxta Canonis, vel confessarij prudentis dispositionem:

10 Dico primò, non esse intelligendum de diebus, vel annis Purgatorij: vt nimirum tot anni ex pœnis Purgatorij remittantur, quot in indulgentia exprimuntur. Ita Sotus *in 4 dist.*21 *quæst.2.art.1.concl.*5. & communiter recentiores. Probatur, quia aliquando conceduntur mille, vel decem mille anni indulgentiæ, cùm tamen pœnæ Purgatorij ordinariè non sint tanto tempore duraturæ, vt piè de diuina miseratione creditur, vt tradit Suarez *tom. 4. disp.*50. *sect.5. num.*11. (de detentione autem animæ in Purgatorio, dic vt infrà *lib.4. dub.3. vers. Quæres*) tum etiam, quia Deus punit citra condignum, pœna enim Purgatorij non duratione tantùm, sed etiam intentione, & acerbitate pœnarum mensuratur. Vnde verisimile non est æquè remitti tot annos illius pœnæ. Attamen nobis non constat durationis tempus, ob idque Ecclesia celebrat anniuersarias Missas, & officia vltra ducentos annos, & ampliùs. Quare non est audiendus Sot *in 4 dist.*19 *q.3.art.*2. *in fin.& dist.*21 *.q.2.art.*1. *§ Tertiò inde*, existimans nullam animam detineri in Purgatorio vltra decem, aut viginti annos; est enim contra morem Ecclesiæ, & retraheret viuos ab operibus satisfactoriis, & Missis offerendis pro defunctis, de quo vide Henriq. *cap.*16. *de indulg.lib.7.num.4. & cap.*16. *de Missa, lib.*9. & infrà *lib.4.dub 3.vers.Quæres.*

11 Dico secundò cum Soto *in 4.dist.*21.*q.2.art.*1. *concl.* 5. hæc tempora intelligi de pœnitentiis in hoc sæculo iniunctis, seu iniungendis; & de pœnis Purgatorij illis respondentibus, hoc est, per indulgentiam vnius anni, aut septem annorum, v. g. non solum remitti satisfactionem pœnitentialem, sed tantam pœnam Purgatorij, quantam per pœnitentiam vnius, vel septem annorum remitteretur, ac si reuera illá adimpleret. Probatur, quia per illá verba quadragena, septena, &c. significantur illæ pœnitentiæ, quæ olim iuxta sacros canones erãt in vsu Ecclesiæ, & iuxta illas pœnitentias fieri hanc remissionem. Indulgentia igitur vnius anni (idem de aliis) est ille gradus satisfactionis, & remissionis pœnæ Purgatorij, qui proportione seruata responderet pœnitentiæ iniunctæ, vel iniungendæ, iuxta canones pœnitentiales, & prudens Sacerdotis arbitrium. *Esto es, tanto se le perdona de penas del Purgatorio por la indulgencia de vn año, o siete años, como si hiziera aqui la penitencia de vn año, o siete, segun la disposicion de los sagrados canones, y prudente arbitrio del Confessor.* Quanta verò sit pœna Purgatorij, quæ remittitur per pœnitentiam vnius diei, vel septem annorum, res est incerta; solùm ergo dicimus remitti illam pœnam Purgatorij, quæ tot annis pœnæ huius vitæ responderet, siue illa sit æqualis durationis, siue minoris; atque secundum hanc eandem proportionem explicanda est omnis alia temporalis indulgentia, augendo, vel minuendo eius effectum, secundùm proportionem ad maius, vel minus tempus, cæteris

paribus, quoad modum & qualitatem pœnitentiæ. Confirmarique potest: nam huiusmodi indulgentiæ non intelliguntur de annis Purgatorij; ergo intelligendæ sunt de annis satisfactionis pœnitentialis huius vitæ, & de pœnis Purgatorij illis respondentibus, modo explicato. Et ita etiam cum aliis tenet Ludouic. à Cruce *in expos. Bullæ disput.* 1. *cap.* 8. *dub.* 1. *n.* 9.

12 Potest etiam diuidi indulgentia, in eam quæ pro iniunctis tantùm, & eam quæ pro iniunctis & non iniunctis pœnitentiis conceditur, quia aliquando pro iniunctis, aliquando verò etiam pro non iniunctis, datur. Indulgentia ergo pro iniunctis est remissio pœnæ correspondentis remissioni pœnæ faciendæ per pœnitentiam iniunctam, seu positam à Confessario, id est, per indulgentiam de iniunctis remittitur illa pœna, quæ per pœnitentiam à Confessario impositam remittenda erat: indulgentia verò de non iniunctis, non solùm remittit pœnas delendas per satisfactionem impositam à confessario, seu etiam per voluntariam satisfactionem, id est, remittit pœnas non solùm pro peccatis confessis, sed etiam nondum confessis debitas. Vnde sequitur, quòd quando Papa concedit indulgentiam de pœnitentiis iniunctis à confessario, non esse extendendam ad non iniunctas, vt bene docet Nau. *not.* 11. *de indulg. n.* 13. & alij, inter quos Henriq. *lib* 7. *de indulg c.* 6. quia, vt communiter DD. indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, & per consequens exstra verborum tenorem, & proprietatem, non sunt ampliandæ. Indulgentia autem absolutè concessa antiquitus interpretanda erat de iniunctis tantùm, quia olim consuetudo & forma sedis Apostolicæ in concedendis indulgentiis, frequenter restringebat se ad pœnitentias iniunctas: nimirum vt pœnitentiis, & quadragenariis onusti liberarentur: vt bene Nauarr. *notab.* 11. *n.* 5. at his temporibus, quando indulgentia absolutè conceditur, sine particula, *de iniunctis*, interpretanda est, tam de iniunctis, quam de iniungendis: vt docet Sotus *in* 4. *distinct.* 21. *artic.* 1. *quæst.* 2. *conclus.* 3. *circa finem.* Nauarr. *suprà num.* 12. Henriq. *suprà cit n.* 3. Suar *tom.* 4. *disp.* 50. *sect.* 3. *conclus.* 2. *num.* 8. & communiter Doctores, & hoc secundùm tenorem concessionis: ita vt si indulgentia absolutè concessa, sit quadraginta dierum, vel vnius anni de iniunctis, vel iniungendis, remittatur pœna quadraginta dierum, vel vnius anni de iniunctis, vel iniungendis. Vbi enim lex non distinguit, nec limitat, neque nos; & si Papa restringere vellet ad iniunctas, facile exprimeret, vt olim frequenter fiebat, & nunc aliquando solet. Non enim indulgentia tam strictè interpretanda est, quin ampliari possit quantum verba patiuntur de quo vide Suarez *supr. sectio* 3. *cit. conclus.* 2. *& supr. dub.* 4. *proœmiali, in fine.* Obiter nota Episcopum posse suas indulgentias concedere tam de iniunctis, quàm de iniungendis pœnitentiis, vt probat Reginald. *lib.* 7. *cap.* 13 *sect.* 5. *n.* 130.

13 Sed quæres, an qui lucratur indulgentiam, liber sit à pœnitentia iniuncta à confessario. Nauarr. *not.* 31. *de indulg n.* 43. tenet si indulgentia est de iniunctis, lucrantem illam esse liberum à pœnitentia iniuncta; si tamen indulgentia est æquiualens pœnitentiæ iniunctæ, vt si pœnitentia iniuncta sit quadraginta dierum, similiter & indulgentia, quia indulgentia, inquit Nau. æquipollet satisfactioni pœnitentiali. Et probat *ex c. cùm ex eo*, vbi dicit Pontifex per indulgentias indiscretas eneruari pœnitentialem satisfactionem, quasi dicat, tollit obligationem adimplendi pœnitentiam. Idem secundùm eundem dicendum erit, si indulgentia sit totalis; hæc enim delet omnes pœnas, & plenè satisfacit. Quòd si indulgentia nihil exprimit de iniunctis, non debet consequens eam proprio iudicio se liberum reputare à præcepto pœnitentiæ iniunctæ; si enim Papa concedens id voluisset, expressisset, vt cum multis Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 17. *n.* 3.

14 Probabilis quidem Nauarri opinio, sed contraria tutior, & probabilior, ac fortè verior, & in praxi sequenda, nimirum consequentem indulgentiam de iniunctis, imò etiam & plenam, seu totalem, non esse liberum a præcepto pœnitentiæ impositæ a Confessario, nisi id colligatur expresse ex concedentis intentione, vel nisi imponatur à Confessario pœnitenti pro satisfactione pœnitentiali, ipsa indulgentiæ consequutio. Ita cum multis Henriq. *lib.* 7. *de indulg c.* 17. *n.* 3. *& lib.* 2. *de pœnit. cap.* 22. *n.* 5. & Suarez *tom.* 4 *disp.* 50. *sect.* 2 *ass.* 3. quidquid Lud. à Cruce *in exposit Bullæ disp.* 1. *c* 8. *dub.* 1. *n.* 15. Probatur hæc sententia, quia in satisfactione iniuncta à Confessario, duo reperiuntur: *primum* est, & esse vindictam, & satisfactionem offensæ præteritæ: *secundum*, & esse remedium, & medicinam futurorum contra peccatum & partem integralem pœnitentiæ. Igitur, etsi per æqualem indulgentiam cesset vnus finis, & causa indulgentiæ, nempe remissio pœnæ, non tamen alius finis, & causa satisfactionis sacramentalis acquiritur: nam indulgentia vt sic non moderatur passiones, nec prauam consuetudinem, seu habitum remittit; nec est medicina, & remedium futurorum, nec Sacramenti pars, ac proinde, non obstante indulgentia, etiam plenissima, pœnitens tenetur præceptum satisfactionis adimplere, aliter enim eneruarentur sacramentales pœnitentiæ, & passim Sacramentum detruncaretur: nam quamuis satisfactio actualis non sit de essentia, est tamen de integritate. Dixi, *nisi concedens exprimat* nam si expresserit, certum est iuxta proportionem indulgentiæ liberari consequentem indulgentiam à præcepto satisfactionis pœnitentialis. Ita Henriq. *sup. & lib.* 2. *de pœnit. c.* 12. *n.* 5. colligitur ex *c. cum ex eo. de pœnit & remis.* sicque dispensando potest Papa pœnitentias eneruare. Dixi etiam, *nisi consequutio indulgentiæ imponatur à Confessario tanquam satisfactio sacramentalis*, nam certum est id posse facere Confessarium: est enim hoc quædam commutatio pœnitentiæ in consequutionem indulgentiæ: quod posse fieri docent DD. in materia satisfactionis, de quibus Henriq *lib.* 1. *de pœnit c.* 21. *n.* 4. *&* 5. Optimum ergo consilium est, vt pœnitens de licentia Confessarij consequatur indulgentiam, vel iubilæum loco pœnitentiæ, & sic liberatur omnino à pœnitentia iniuncta, vt docent Suar. *supra sect.* 5. *cit. asser.* 3. *in fine* & Henriquez *suprà num.* 5. præsertim si pœnitens cum negligentia, aut difficultate pœnitentias impositas adimpleat; quo in casu sufficit quòd probabiliter credat, se quæsiuisse indulgentiam, quamuis reuera non quæsierit: hoc enim casu si reuera non lucratus est eam, liberatur quidem ab obligatione faciendi pœnitentiam, non verò satisfaciendi in Purgatorio, sicut confessio informis excusat ab iteratione, quamuis gratiam non conferat. Ita Nauarr. *notab.* 31. *de indulgent. num.* 43. Consulendum tamen est, communiter loquendo, pœnitentibus, vt pœnitentiam à Confessario impositam adimpleant; nam etsi per indulgentiæ consequutionem cesset vnus finis sacramentalis satisfactionis, qui est satisfactio, manent tamen alij multi, propter quos obligat præceptum confessarij, de quibus Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 8. *Primus* est, vt punitio præteritorum sit remedium præseruatiuum, & medicina futurorum. *Secundus*, vt exerceatur piis

operibus

operibus propter meritum, quod est longè melius, quàm liberatio pœnæ. *Tertiò*, vt seruetur iudici, & sententiæ illius debita obedientia. *Quartò*, vt impleatur pars pertinens ad integritatem sacramenti priùs recepti. *Quintò*, vt compatiens conformetur Christo passo. Tandem vt multiplicata causa tutiùs & efficaciùs consequatur liberationem à pœnis Purgatorij. Sic lex ieiunij, quæ respicit varios fines, obligat potentem ieiunare in legitima ætate, quamuis in homine deficiat vnus, aut alter finis, licèt tunc non egeat carnis maceratione. Ita Henriquez *lib. 2. de pœnit. c. 22. n. 6.* ob quas causas lucrans indulgentiam etiam de iniunctis, non liberatur à satisfactione sacramentali; nisi concedens indulgentias id exprimat; exprimendo enim id, videtur in præcepto satisfactionis dispensare, seu proprius, satisfactionem sacramentalem in consequutionem indulgentiæ commutare.

15 Nota, omnes Bullæ Cruciatæ indulgentias ad duo præcipuè capita reduci: aut enim conceduntur viuis, & dicuntur indulgentiæ viuorum; aut defunctis, & dicuntur indulgentiæ defunctorum: nunc autem sermo solùm erit de indulgentiis viuis concessis, indulgentia enim pro defunctis explicabitur in expositione Bullæ defunctorum. Deinde indulgentiæ pro viuis in Bulla Cruciatæ concessæ ad sex possunt reduci capita. *Prima* est, quæ conceditur Regi Philippo. *Secunda*, quæ conceditur existentibus in exercitu. *Tertia*, quæ conceditur his, qui ieiunant in diebus ieiunio non suppositis. *Quarta* est, indulgentia stationum. *Quinta* est, indulgentia semel in vita, & semel in articulo mortis concessa. *Sexta* est illa, quæ conceditur iis, qui ob repentinam mortem, vel Confessoris absentiam, sine confessione contriti decedunt. de quibus Alphonsus Perez *in li. 3. grat. fol. 24. 25. & 26.* vbi omnes Bullæ Cruciatæ indulgentias enumerat.

16 Ex præmissis facilis est responsio. Dico igitur, indulgentiam, quam Summ. Pont. in hac clausula concedit, esse plenam, plenariam, seu plenissimam, aut totalem, quod idem est. Ita etiam sentit Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 8. dub. 3.* Probatur primò ex verbis ipsius Bullæ, *Plenam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem concedimus*; at indulgentia plena idem est cum plenaria, plenissima, seu totali, vt suprà dictum est *dub. 14. huius § num. 5. Secundò*, quia vt *ibidem* habetur, hæc indulgentia est similis ei, quæ conceditur à Pontificibus in recuperatione Terræ sanctæ, & in anno Iubilæi plenissimi, sed hæc indulgentia est plenissima, & totalis omnium pœnarum, vt aperte constat ex Extrauag. *Antiquorum*, & Extrauag. *Vnigenitus*, *de pœnit. & remiss.* & Extrauag. Pauli II. *eod. tit.* & aliis Extrauag. Sixti IV & Greg. XIII. ergo & nostra indulgentia erit plenissima. Et cum hæc indulgentia sit talis, qualis conceditur in anno Iubilæi, & instar Iubilæi, vt habetur in Bulla his verbis: *Quaque in anno Iubilæi concedi consueuit*, hinc fit vt ratione istius indulgentiæ, seu Iubilæi, possit quis absolui a reseruatis, & censuris, & in votis, & iuramentis dispensari; sicut potest ratione Iubilæi, seu indulgentiæ, quæ conceditur in anno Iubilæi plenissimi: indulgentia enim in forma Iubilæi concessa, plus cæteris plenissimis habet ex accidenti, quòd simul in ea sæpè concedatur facultas absoluendi a reseruatis, & commutandi vota, & interdum dispensandi super incertis malè possessis. Ita Reginald. *lib. 7. cap. 15. sect. 2. n. 146.* Quod limita si expressè habeatur in tali indulgentia; vel si concedatur talis qualis conceditur in Iubilæo, ad quem se refert indulgentiam concedens alias enim solùm significatur illam indulgentiam esse plenam, seu totalem ad instar Iubilæi, id est qualis conceditur in Iubilæis, vt dictum est *sup. hoc dub 14.* cum Suarez *tom. 5. d. 7. sect. 5. n. 9.*

17 Nota, hanc indulgentiam solùm concedi Regi Philippo, & cæteris personis, quibus iuxta supradicta dubio primo, licitum est validè posse accipere Bullam, & illius priuilegiis frui, siue sint fœminæ, dummodo tamen præstent opera in hoc §. à Pontifice præscripta. Patet ex illis verbis Bullæ: *omnibus, & singulis vtriusque sexus, Christi fidelibus in Hispaniarum Regnis, & Insulis, &c.*

Dub. XV.

Quænam opera requirantur ad huius indulgentiæ consequutionem.

1 AD intelligentiam huius dubij, & aliorum in quibus de indulgentia propter aliquod opus concessa tractatur, Notandum est primò, absolutè, & simpliciter loquendo, validè posse concedi indulgentiam, sine alicuius operis iniunctione, tanquam liberalem donationem, & thesauri dispensationem ex causa rationabili in gratitudine fundata. Ita Suarez *tom. 4. disput. 52. sect. 4. num. 3.* sic Episcopi concedere solent quadraginta dies indulgentiæ his, qui præsentes adsunt, & Summ. Pontifex feria 5. in Cœna Domini, his, qui præsentes sunt, indulgentiam plenariam concedit. Ratio est, quia ad indulgentiæ fructum, ex communi Theologorum, tria hæc sufficiunt, potestas concedentis, gratia in recipiente, & pietas, seu proportio in causa. Nihilominus tamen, quia ex iniunctione operis, magis proportionatur fructus indulgentiæ piæ causæ, ob quam conceditur, & hic modus concedendi indulgentiam exigendo aliquod opus est securior, & fidelibus vtilior, & ad impetrandum à Deo accommodatior: proinde communiter, & regulariter loquendo, à Pontificibus in concessione indulgentiæ aliquod opus præscribitur. Certum tamen est hoc opus pium iniunctum per se non esse dispositionem lucrantis indulgentiam; quia ex parte subiecti ad effectum indulgentiæ non requiritur alia dispositio, præter statum gratiæ, & culpæ remissionem; solùm ergo est conditio necessaria, ex voluntate & intentione concedentis indulgentiam, eo fine, vt à Deo piis operibus eius auxilium imploretur.

2 Nota secundò, quoties indulgentia conceditur sub tali forma, vt opus aliquod pium requirat, neminem lucrari talem indulgentiam, nisi huiusmodi pium opus exequatur; quamuis per impotentiam naturalem, obliuionem, vel aliam causam, quantumuis inuoluntariam, omittatur, nisi in ipsa concessione talis exceptio declaretur, & in aliud opus impeditis commutetur. Ita Suarez *supr. sect. 5. n. 1.* & communiter Doctores *in 4. distinct. 20.* & docet D. Thom. *quodlibet 2. art. 16.* & cum his, & aliis tenet Ludou. à Cruce *in exposit. Bullæ disp. 1. cap. 8. dub. 12. num. 4.* Ratio est, quia indulgentia tantum valet, quantùm sonat, & solùm operatur effectum iuxta voluntatem expressam concedentis; Cùm ergo hæc sit conditionata, non seruata conditione, non lucrabitur indulgentiam. Quare si indulgentia requirit multa opera, v. g. tres dies ieiunij, si quis omittit vnum, non consequetur indulgentiam totam, nec aliquam eius partem, quia opera omnia habent se tanquam vnica indiuisibilis conditio concessionis.

At si operis iniuncti minima pars tantùm omittatur, vt si opus iniunctum sit vna Missa, & minima eius pars omittatur, verisimile est lucrari indulgentiam, quia moraliter loquendo, totum opus fieri censetur, eo quòd in moralibus parum pro nihilo reputatur: quòd si pars in se est leuis, reputatur, tamen grauis respectu operis iniuncti, non lucratur ea omissa indulgentiam: vt si concedatur recitanti quinquies orationem Dominicam, omittens vnam, non consequitur eam, quia respectu totius operis est pars grauis. Ita Suar. *sup. n.* 4.

3 Nota tertiò, etsi, communiter loquendo, opus pium à concedente, in indulgentia iniunctum sit externum, nihilominus tamen posse Pontificem concedere indulgentiam propter opus merè internum, qualis oratio mentalis, deuotio, vel contritio. Ita Suar. *sup. num.* 6. quia potest eam absque illius operis iniunctione concedere: sicque concedi solet indulgentia his, qui in articulo mortis corde protulerint nomen Iesu, si ore non potuerint, & his, qui singulis noctibus examen conscientiæ faciunt, & de peccatis dolent. Quomodo autem requiratur gratia in huiusmodi opere in indulgentia præscripto, ad eius effectum consequendum, dictum est latè *dub.* 16. *seq.* Cætera circa opus pium in indulgentia præscriptum, vide Suar. *tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 6. His positis.

4 Dico primò. Ad lucrandam hanc indulgentiam duo opera præstari debent, alterum temporale, alterum verò spirituale. Temporale est, vt accedant pugnaturi contra infideles, vel aliud genus seruitij gratis facturi in bello propriis expensis, ibique vsque ad anni expeditionem permanserint. Ita habetur expressè in Bulla, §. 1. Vnde qui accepta mercede in bellum proficiscuntur, non lucrantur hanc indulgentiam, quia id munus non gratis, & propriis expensis, vt habetur in Bulla, sed intuitu mercedis præstant: nec qui gratis, & propriis expensis accedunt, si ex bello ante finem anni huius expeditionis redeant: imò etiamsi vsque ad illius finem permaneant, si ibi nullum seruitij genus præstiterint, quia non seruantur conditiones concessionis. Non tamen tenentur ad huiusmodi bellum gratis proficiscentes Bullam accipere, quia non reperitur locus in Bulla Latina eos astringens; imò ex ea colligitur non teneri, præsertim illis verbis: *Item conceditur omnibus prædictis, nec non iis, qui nec ibunt, nec mittent. si tamen infra annum ex bonis sibi à Deo collatis liberaliter contulerint.* Vbi insinuatur solùm teneri dare stipe accipere Bullam eos, qui nec ibunt nec mittent ad bellum contra infideles. Nec tenentur ad huiusmodi bellum proficiscentes, ibique existentes, Crucem rubeam in vestibus deferre sub præcepto, sed tantùm sub consilio. Ita Alphonsus Perez *in compendio trium gratiarum, pag.* 22. & infertur ex verbis Pij V. in Bulla quam concessit 5. Idus Martij. 1559. vbi dicit, quòd qui proficiscentes ad bellum, viuificæ Crucis pro qua pugnaturi sunt, signum imponant, vt ab illis cognoscantur, & discernantur. Qui non dicit, vt deferant Crucem ad lucrandam indulgentiam sed vt cognoscantur, & discernantur. Quod etiam confirmatur, quia alij Pontifices hanc clausulam non addiderunt, & ex non vsu deferendi Crucem idem comprobatur.

5 Dico secundò, Opus spirituale, quod præstare tenentur ad huiusmodi bellum proficiscentes, ad hanc indulgentiam consequendam, est quòd peccata sua corde contriti, & ore confessi fuerint; aut non valentes confiteri, id corde desiderauerint. Ita iisdem verbis habetur in Bulla §. 1. ex quibus apertè deducitur, ad lucrandam hanc indulgentiam, requiri actualem oris confessionem, simul cum cordis contritione; quando scilicet, confessio possibilis est, quia ponitur illa copulatiua coniunctio, *&*; copulatiua enim dispositio vtriusque partis veritatem exigit: vnde valens, & nolens confiteri, hanc indulgentiam non consequetur. Quòd si ob ipsius impotentiam, vel defectum Confessarij non potuit ore confiteri, sufficit cordis contritio cum desiderio, seu proposito ea confitendi, vt habetur apertè *in* § *Bulla.* Ita etiam Lud. à Cruce *in exposit. Bulla, disp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 6. *num.* 14.

6 Circa particulam, *corde contriti*, non sufficere attritionem cum Sacramento, quia iste ex attrito cum Sacramento fit contritus, non formaliter, sed æquiualenter, id est, consequitur remissionem peccatorum, & gratiam requisitam ad comparandam indulgentiam. Simili modo per actum dilectionis super omnia lucrari potest indulgentia, si cætera adsint: quia est quædam virtualis contritio, & per istam dilectionem homo est in gratia. Circa particulam, *ore confessi.*

Aduerte *primò*, esse omnino necessariam vocalem confessionem, quando possibilis est, quia eam tanquam conditionem præscribit Papa. Nauarr. *not.* 18. *de indulgent. num.* 5. mutus tamen qui ore non potest confiteri, sed tantum signis exterioribus, si per signum confiteatur, consequitur hanc indulgentiam, quamuis Bulla non addidisset illam particulam, *Aut non valentes confiteri, id corde desiderauerint*; quia huiusmodi confessio sufficit ad præcepti impletionem de annua confessione, vt docet Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2 *art.* 6. *vers. Secundum autem argumentum.* Nec obstant verba Bullæ, scilicèt *ore confessi*; tum quia intelligenda sunt, communiter, & regulariter loquendo, in iis scilicet, qui possunt loqui, vt docet Rodriguez §. 2. *num.* 14. & Anton. Gomez *in expositione Cruciata fol.* 31 *num.* 28. & 29. An autem valida sit confessio signis facta ab eo, qui potest loqui, vide inter recentiores Henriquez *lib.* 5. *cap.* 2 *num.* 6. Tum *secundo*, quia, moraliter loquendo, muti confessio per signa facta, dici potest ore facta: quia est actualis, & sacramentalis confessio, qualem scilicet exigere videtur Pontifex. Ita etiam Ludou. *suprà num.* 15.

7 Secundò aduerte, ad lucrandam hanc indulgentiam non sufficere confessionem factam in Quadragesima, vt existimat Garnica, sed requiritur necessariò vt præcedat confessio, vt docet Rodriguez §. 2. *num.* 10. & deducitur apertè ex verbis Bullæ, quæ sunt de præterito, nimirum, *si de illis corde contriti, & ore confessi fuerint*; quasi dicat, ad consequendam hanc indulgentiam esse præmittendam confessionem. Nec obstant verba illa Bullæ Hispanæ, *y los confessaren con la boca.* nam hæc intelligenda sunt iuxta Bullam Latinam. *Secundò*, quia hæc eodem modo sunt intelligenda ac illa alia, *o no los pudiendo confessar, lo dessearen de corazon*; sed hæc intelligenda sunt de tempore præsenti, & immediatè præcedenti indulgentiæ consequutionem: ergo & illa alia sunt intelligenda de præsenti, & non de futuro, ita vt confessio fieri debeat quando indulgentia comparatur, & ad eam comparandam, Ideo Ludouic. à Cruce *in exposit. Bulla disp.* 1. *cap* 8. *dub.* 6. *n.* 10. hanc sententiam, vt probabiliorem, & tutiorem admittit, etsi existimet oppositam esse satis probabilem & tutam.

8 Tertiò nota, eum qui probabili iuris, vel facti ignorantia, putat se legitimè confessum, cùm reuera non sit, aut fecit confessionẽ validam, informem tamen, quod ipse ignorat, consequi hanc indulgentiam,

tiam, vel aliam, ad cuius consequutionem confessio præscribitur. Ita Suarez *tom.4 in 3 part. disp.52. sect.3. num.6. & 16.* & Nauar. *notab.18. de indulgent. n.15.* Rationem reddit Nauarr. quia hic satis videtur saltem à iure confitendi impeditus: existimat enim Nauar. *vbi suprà num.14.* eum qui contritus vult confiteri, non tamen potuit, vel ob defectum Confessariorum, vel ob ægritudinem, vel etiam ob excommunicationem, vel aliam legitimam causam, acquisiturum indulgentiam pœnitentibus, & confessis concessam: at quia hoc non est omnino certum, proinde alia reddenda est ratio; nimirum, quia reuera confessus est, & secundùm suam existimationem validè, ac proinde censendus est impleuisse conditionem de præmittenda confessione. Quod limitat, & benè Suarez *sup. dicto n.6* si contritus vltimum opus perficiat: nam, vt sæpè dictum est, ad lucrandam indulgentiam requiritur vt in fine saltem vltimi operis sit in gratia. Vnde miles qui hoc modo confessus est, si post confessionem contritus aliquod seruitium in bello præstiterit, lucrabitur hanc indulgentiam; non quia indulgentia reuiuiscat, sed quia vltimum opus in gratia præstat. A fortiori dicendum est, lucrari hanc indulgentiam, vel Iubilæum, eum qui tempore Iubilæi validè confitetur; fuit tamen alicuius peccati oblitus, quod tempore Iubilæi non recordatur vt idem Suarez docet *suprà n. 9.* Non enim videtur Ecclesiæ, vel Papæ intentio ad iterum confitendum illum, qui legitimè peccata se confessum credit obligare. Faciunt etiam verba Bullæ; ibi: *Aut non valentes confiteri, id corde desiderauerint.* At qui voluntariè confitetur, satis desiderat oblita confiteri, si recordaretur. Vide Nauarrum *notab.18. num.17.* Quòd si facta confessione, postea intra tempus Iubilæi de nouo peccat mortaliter, probabile est tunc sufficere contritionẽ, quia iam per confessionem semel factam, impleta est conditio in forma Iubilæi postulata. At probabilius est, vt docet Suarez *suprà num. 7.* teneri de nouo iterum confiteri; quia Iubilæum videtur postulare confessionem omnium mortalium, quæ commissa sunt ante illius lucrationem.

9 Quæres, an ad lucrandam hanc indulgentiam, vel Iubilæum, in quo præcipitur confessio, sit necessarium confiteri venialia, vt virtute indulgentiæ remittatur pœna pro eis debita. Affirmant Hadrianus *in 4. in materia de indulgent.* & Corduba *de indulgent. q.25.* quia debet, inquit, præcedere confessio, vt præcipitur. Negant tamen Nauarr. *notab 18. num.1. & 17. & notab. 30. num.6.* quem sequitur Suarez *tom.4. disput.52. sect.3 n.5.* & Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap.12. n.2.* quia talis conditio in Iubilæo, vel indulgentia intelligitur sicut præceptum annuæ confessionis, at habens peccata venialia tantùm, non tenetur præcepto Ecclesiæ, vt latè Doctores *in materia pœnitent.* talis enim credenda est Pontificis intentio. Nam non est credendum, Papam voluisse obligare ad confitendum venialia; obligasset enim eo ipso ad omnia venialia confitenda: quòd cùm ferè impossibile sit, dicendum est, non fuisse Papæ intentionem ad ea confitenda obligare: tum etiam, quia confessio simpliciter dicta communiter intelligitur de mortali, sicut peccatum absolutè pro mortali supponit. Ideò hanc opinionem existimat absolutè tenendam Ludouic. à Cruce cum aliis *in exposit. Bull. disp.1. c.8. dub.7. num.12.* Tutius tamen est, vt benè aduertit Henriquez *suprà*, saltem aliquod veniale tunc confiteri, si illud habet; Indulgentiæ enim explicandæ sunt vt sonant: nam tunc videtur Papa (vt potest) indicere opus supererogationis, vt tutiori remedio in gratia constitutus impetret effectum indulgentiæ. Sic ait, quando præcipitur ieiunium, senex, & minores non ieiunantes, non lucrantur, nisi exprimat Papa posse illis ieiunia commutari. Quod existimo consilium optimum, non tamen esse necessarium, ob rationem dictam. A fortiori dicendum est, non esse necessarium, confiteri peccata iam aliàs confessa, vt virtute indulgentiæ remittatur pœna eis debita; sed sat esse confiteri peccata mortalia, quæ nunquam antea confessus fuit. Ita Nau *not.18. n.17. & 18.* Rodrig. *§. 2. n.11.* & communiter Doctores, quia intentio Papæ non videtur esse obligare quemquam ad confitendum iterum peccata, quæ semel legitimè confessus est, vel probabiliter credit se legitimè confessum esse; præsertim cùm talis obligatio nullo humano præcepto possit imponi, vt docent aliqui Doctores, vt Reginald *lib.6. cap.4. part. posteriore, dub.2. n.108.* cum Nauarro *in c. placuit, de pœnit dist.6. n.107.* Vide eundem Reginald. *sup n.105.* vbi agit, an possit humana lege præcipi venialium confessio. In hoc tamen casu teneretur ad accipiendam Eucharistiam in Iubilæo, vel indulgentia præscriptam: nam Eucharistia, vt bene docet Suarez *tom.4 disp.52. sect. 3. n.5.* per se, & propter se postulatur, & ideo quando communio ponitur vt necessaria conditio indulgentiæ, comprehendit omnes, etiam si peccati conscientiam non habeant; at confessio postulatur, vt medicina peccati: ideo quamuis absolutè postuletur, semper intelligitur supposito peccato, ad quod tollendum est per se necessaria.

10 Quæres secundò, an præmittenda sit sacramentalis confessio quando indulgentia, vel Iubilæum conceditur, his verbis, scilicet, *concedimus omnibus verè pœnitentibus, & confessis, vel contritis*; vel an sufficiat contritio. Certum est apud omnes, sacramentalem confessionem non esse necessariam ad consequendam indulgentiam: nam, vt dictum est, confessio per se, & virtute indulgentiæ non requiritur, sicut requiritur contritio, quæ medium est de se necessarium ad iustificationem impij, sed iure tantum humano; ideoque non est necessaria, nisi quando exprimitur à Papa. Certum est etiam, posse postulare Pontificem confessionem vt conditionem necessariò præmittendam ad lucrandam indulgentiam, sicut exigit alia opera pietatis, v. g. communionem, quod ex vsu patet. Quo in casu si Pontifex dicat concedere indulgentiam si peccata sua ore confessi fuerint, vt exprimitur in hoc primo §. Bullæ, conueniunt omnes requiri actualem sacramentalem confessionem.

11 Difficultas ergo est, dum dicit, se verè pœnitentibus & confessis, vel contritis, & confessis concedere talem indulgentiam. Quo in casu Syluest. *verb. Indulgent. quæst. 8. dicto 4.* Nauarr. *notab. 18. num.2.* Henriquez *libr. 7. cap.12. num.2.* Corduba *quæst. 24. de indulgent. propositione 1. opinione 3. vers. Secundum punctum*, affirmant requiri externam & sacramentalem confessionem. Ratio est, quia verba illa requirunt confessionem præter pœnitentiam, seu contritionem; ergo loquuntur de actuali & sacramentali confessione: nam indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; at concessio præter pœnitentiam & contritionem, postulat confessionem; ergo intelligenda sunt de confessione externa & sacramentali. Tum etiam, quia, vt ait Nauar. *suprà num 3.* dispositio copulatiua, qualis est facta verè pœnitentibus, & confessis, exigit vtriusque partis veritatem, neque ille qui tantummodo habet propositum confitendi, potest dici verè confessus.

12 Alij verò, vt Palud. *in 4. dist. 20. quæst. 4. art. 3.* Canonistæ cum glossa *in Clement. vnica, de reliquiis & veneratione Sanctorum*, quos sequitur Suarez *tom. 4. disp. 52. sect. 3. num. 12. & 13.* & cum iis Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 8. dub. 7. num. 5.* existimant non requiri actualem confessionem, sed sufficere cordis contritionem. Existimant enim tunc non postulare confessionem tanquam conditionem ad effectum indulgentiæ, sed tanquam dispositionem ad tollendum obicem peccati, quod modò satis tollitur, per cordis contritionem. Hanc etiam sententiam tenet Filliuc. *tract. 8. cap. 6. q. 8. num. 148.* & cum aliis Diana *tract. 12. resol. 105.* quam vocat probabilem, & tutiorem, oppositam verò probabiliorem, & tutam. Nihilominus tamen verior, & securior est sententia Nauarri, & aliorum, vt sentit idem Suar. *sup. num. 13.* verba enim Pontificis aliud videntur postulare præter contritionem, eo quòd addatur, *& confessis.* Vide Reginald. *lib. 7. cap. vlt. quæst. 2. num. 171.* qui *num. 172.* cum Nauarr. *not. 18. num. 14.* tenet illam, indulgentiam sub prædicta forma concessam lucraturum, qui contritus voluit confiteri; sed non potuit ob confessarij defectum, vel ægritudinem, vel ob excommunicationem, aliamve legitimam causam: nam mens concedentis est, vt tantùm velit exigere confessionem, quatenus est in potestate cuiusque eam facere. Idem Nauarr. *num. 16.* consequenter infert, eum cui contrito & confesso conceditur indulgentia, acquisiturum esse, si tunc defunctus, voce, memoria, vel iudicio non potuit confiteri: dummodo ad illam acquirendam non requiratur minister illam explicans. At Suarez *disp. 52 citat. sect. 3 num. 12.* id negat, & fortè verius, quia tunc confessio, vt diximus, non postulatur vt dispositio, sed vt conditio, sicut communio, ieiunium, & eleemosyna; sed qui omittit communionem, vel ieiunium, etiam ob impotentiam, non lucratur indulgentiam, quia non adimplet conditionem; ergo nec qui omittit confessionem, etiam ob impotentiam inculpabilem. Posset tamen responderi, tunc adimplere conditionem: nam Pontifex videtur tantùm præcipere confessionem, quando possibilis est. Quæ responsio non placet: nam eodem modo dicere possemus, non communicantem, vel ieiunantem ob impotentiam acquisiturum indulgentiam, dicentes, Pontificem tantùm præcipere communionem, vel ieiunium, quando possibilia sunt, quod est contra praxim, & communem Doctorum.

DVB. XVI.

Quenam dispositio requiratur ad lucrandam huiusmodi indulgentiam.

1 Occasione huius dubij, & aliorum, quæ in hac materia tractanda sunt, præmittenda sunt aliqua ad dispensationem lucrantis indulgentias necessaria: & cum viuus possit comparare pro seipso, aut pro defuncto, in hoc dubio solùm agemus de dispositione requisita in lucrante indulgentias pro seipso: de alia verò agemus in expositione Bullæ defunctorum *dub. 10.* Duplex igitur potest distingui dispositio habitualis ad fructum indulgentiæ necessaria; altera remota, quæ est quædam capacitas in persona indulgentiam lucratura; altera verò est proxima.

2 Dico primò Dispositio remota, seu capacitas ad consequendas indulgentias, est, quòd eas lucraturus sit homo viuus, vel defunctus baptizatus, vsum rationis habens, qui actualiter peccauit, & indiget indulgentia. Ita communiter Doctores, quos vide apud Suarez *tom. 4. disput. 52. sect. 1.* & Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 18.* *Primò*, debet esse homo, quia indulgentia est remissio pœnæ temporalis; ergo in eo solùm inueniri potest, in quo pœna temporalis est. Vnde irrationalis creatura non est capax indulgentiæ, sicut non est capax pœnæ & culpæ. Ob eandem rationem Angeli non sunt capaces indulgentiæ, nec Beatorum animæ; quia non habent pœnam remittendam, bene verò animæ Purgatorij, de quibus infrà. Nec damnati, quia indulgentia supponit culpam remissam, & pœnam æternam commutatam in temporalem, quam solam temporalem dimittit. Quòd si dicas, concedi templis, vel piis locis, imaginibus, & granis benedictis. Respondeo, propriè iis non concedi, sed hominibus visitantibus tale templum, orantibus ante talem imaginem, vel cum illis granis, vt circa hæc veneratio & deuotio augeatur, de quo vide Suarez *suprà num. 10 & 11.* *Secundò*, debet esse homo baptizatus; quia concessio indulgentiæ est actus iurisdictionis, quam Ecclesia in solos baptizatos exercet. Vnde indulgentiæ per modum absolutionis non possunt prodesse Catechumenis, quia sunt extra Ecclesiam; bene verò per modum suffragij, sicut prosunt defunctis, vt tenet Henriq. *sup. cap. 18. num. vlt.* Imò non solùm viuis Catechumenis, sed etiam defunctis, possunt prodesse indulgentiæ per modum suffragij, dixi infra *lib 4. dub. 6 num. 7.* & tenet Lud. à Cruce *in exposit. Bulla disp. 2. dub. 8. num. 3.* Nec prodest indulgentia excommunicato, quia est extra Ecclesiam, & priuatus eius suffragiis, secundùm communem; excommunicato enim nulla gratia prodest. Attamen si hic non sit in mora, probabile est posse indulgentiam lucrari; sicut probabile est huic etiam prodesse suffragia Ecclesiæ, vt docet Henriquez *suprà num. 5.* *Tertiò*, debet habere vsum rationis: quod de se patet: nam reatus pœnæ temporalis, ad cuius remissionem ordinatur indulgentia, oritur ex culpa actuali, quam solus rationis vsum habens committere potest. *Quartò*, dicitur, quia actualiter peccauit: nam indulgentia non tollit pœnam æternam, sed temporalem. Denique dicitur, si ea indigeat: nam quamuis actualiter peccauerit, si tamen ad æqualitatem satisfecerit, iam non indiget indulgentia.

3 Dico secundò. Proxima & omnino necessaria dispositio ad fructum indulgentiæ consequendum, qui est remissio pœnæ temporalis, est quòd homo sit in gratia, & Dei amicitia. Ita communis Doctorum *in 4. dist. 20.* & S. Thom. *3 part. q. 27. dist. art. 1.* Ratio à priori est; quia inimico Dei quamdiu talis existit, nulla remissio fit, neque quoad culpam, neque quoad pœnam; quia indignus est tali remissione: est enim indulgentia fauor, qui non inimicis, sed amicis fieri solet, & debet: quod satis constat ex vsu Ecclesiæ, & Pontificum consuetudine, qui in forma concedendi indulgentias semper addunt, concedi contritis, vel confessis, declarantes nimirum hanc esse conditionem ex intrinseca ratione necessariam ad fructum indulgentiæ consequendum. Ex quo sequitur, existenti in mortali nullam, etsi minimam, indulgentiam prodesse, quatenus indulgentia est. Secundum autem, opus pium, bonum, & religiosum, quod supponit, v.g. ieiunium, orationem, vel eleemosynam, potest existenti in mortali prodesse quoad meritum de congruo, vt à peccato exeat; sicut prodesse possunt bona opera ab existenti

In mortali facta. Vide Suar. *tom.4.disp.52.sect.2.n.4.5. & 6.*

4 Difficultas tamen est, quo tempore requiratur gratiæ status ad lucrandam indulgentiam: nam possunt in indulgentia adquirenda, duo tempora distingui. Vnum est, in quo fiunt opera ad talem indulgentiam lucrandam prærequisita: v.g. ieiunium, eleemosyna, oratio, &c. Aliud est punctum illud temporis, in quo vltimum opus completur, indulgentia consummatur, & illius effectus confertur. Respondeo igitur, etsi melius sit habere gratiam, quando opus incipitur, & prosequitur ad lucrandam indulgentiam præscriptam; sufficit tamen esse in gratia quando vltimum opus completur; in illo scilicet instanti, in quo verum est dicere, iam opus, conditio, seu causa, ob quam conceditur indulgentia, est adimpleta: sicut Sacramentum dat gratiam, in illo instanti, in quo verum est dicere, completam esse significationem sacramentalem. Ratio est, quia hæc gratiæ dispositio, est per se necessaria, propter effectum indulgentiæ; ergo pro eo tempore tantùm necessaria est, in quo nimirum conferendus est talis effectus. Vnde si indulgentia præcipiat multa, v.g. eleemosynam, ieiunium, orationem, confessionem, & communionem, sufficit esse in gratia tempore vltimi operis: v.g. communionis, quamuis alia in peccato præstiterit, quia tunc consummatur indulgentia, & eius effectus confertur. Imò cùm vltimum opus successiuè fit, quamuis contingat absque gratia inchoari, si postea in gratia consummetur, id satis erit ad lucrandam indulgentiam. Verbi gratia, conceditur indulgentia ieiunanti tali die, contingit verò quempiam illo die ieiunantem peccare mortaliter, vel permanere in mortali priùs commisso, tandem verò in fine diei conteri, & gratiam obtinere, tunc vt iste homo indulgentiam lucretur, id vltimum satis erit, quia gratia non requiritur propter opus, sed vt dispositio ad effectum indulgentiæ, qui non datur vsque ad consummationem talis operis. Ita Suarez *suprà sect.2. citat. n.7.* & cum aliis Ludouic. à Cruce *in exposition. Bull. disp.1.cap.8.dub.4. num.5.* Sufficit ergo quòd sit in gratia tempore percipiendi fructum indulgentiæ. Idem dic quando indulgentia præcipit orationem; sufficit enim esse in gratia quando completur, & finitur oratio. Addit Henriquez *cap.9.de indulgent. num.5. in fine*; quod si confessionem veram fecit, informem tamen, ex ignorantia, aut communicauit in peccato, & sine fructu, adhuc superesse tempus lucrandi, si eo die per contritionem iustificetur, quasi hæc sit vltimum opus. Quæ opinio plus pietatis, quàm probabilitatis videtur habere: cuius resolutio pendet ex quæstione sequenti.

5 Quæres. An si quis in peccato mortali existens, præstet omnia opera præscripta per Iubilæum, vel indulgentiam, fictione, seu impedimento peccati sublato per contritionem, vel gratiam subsequentem, indulgentia conferat suum effectum. In qua re certum est sortiri effectum, si id in confessione Pontifex exprimat, esset enim tunc indulgentia conditionalis, & per consequens stante conditione producere suum effectum, quod non repugnat, nec ex parte concedentis, nec indulgentiæ; esset tunc contritio subsequens quasi vltimum opus. Quod si Pontifex id non exprimat, vt communiter fit. Paludan. *in 4. distinct.20. quæst.4. artic.3.* & Sylu. *indulgent. num.20. & 32.* quos sequitur Henriquez *lib.7. de indulgent. cap. 9. num.3.* tenent sublata peccati fictione, suum indulgentiæ sortiri effectum; sicut reuiuiscit Baptismus sublata fictione, & opus à Confessario in pœnitentiam iniunctum. Ait enim Henriquez indulgentiam agere virtute Christi, quatenus scilicet pendet ex opere operato Christi, & Sanctorum applicato per indulgentiam. Nihilominus tamen verior est opposita sententia, vt latè Suarez probat *tom.4.in 3.part. disp. 52.sect.2. num.12.* quia hoc priuilegium proprium est sacramentis, & non omnibus, & non constat tale priuilegium esse concessum indulgentiæ, nec ex sacra Scriptura, nec ex voluntate concedentis, vt supponimus. Confirmari etiam potest, quia de facto omnes indulgentiæ conceduntur hominibus confessis, vel contritis; ergo nihil operantur in illis qui sunt in peccato, quia non sunt contriti.

6 Solet etiam concedens indulgentiam, ad eius consequutionem, præcipere actualem confessionem, ieiunium, eleemosynam, vel communionem; sed hæc non ad dispositionem, sed ad conditiones sub quibus conceditur, spectant. Ad dispositionem enim solùm status gratiæ requiritur, vt communiter Doctores. De conditionibus autem sub quibus conceditur, agemus quando indulgentias Bullæ in particulari explicabimus.

7 Ex dictis manifestè constat, dispositionem omnino necessariam, in eo qui huiusmodi indulgentiam comparare desiderat, esse vt sit in gratia eo tempore quo vltimum opus, ad lucrandam hanc indulgentiam requisitum, completur; in illo scilicet instanti, in quo verum est dicere, iam opus, conditio, seu causa, ob quam indulgentia conceditur, est completa. Quænam autem opera requirantur ad huiusmodi indulgentiam comparandam, dictum est dubio superiori.

---

§. II.

Item declarant; quod eandem indulgentiam assequantur, qui ante finem expeditionis, aut in itinere ad exercitum, aut in eodem exercitu obierint. Et illi qui propter infirmitatem, seu aliam superuenientem necessitatem, inde recesserint. Item qui alios suis expensis miserint; dummodo si mittens fuerit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Primas, Patriarcha, aut Episcopus, Regis filius, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, mittat quot homines, vsque ad decem inclusiuè, commodè poterit: nec mittat pauciores quatuor, si plures non poterit. Alius verò cuiuscumque rei conditionis, siue laicus, siue clericus sæcularis, vnam mittere teneatur. Quòd si tenues adeò fuerint facultates, vt id præstare non possit, eo casu, duo, vel tres, aut quatuor stipendium vni persoluant, pro rata facultatum inter eos distribuendarum. Item capitula Ecclesiarum, monasteria, & loca etiam Regularium, & mendicantium, tam fœminarum, quàm masculorum, si pro decem personis eorundem Capitulorum, & locorum precedente capitulari, seu conuentuali, seu deliberatione, vnam miserint. Item eandem indulgentiam assequantur etiam omnes qui mittentur, si pauperes fuerint. Item clerici sæculares, qui ab Ordinariis, & Regulares à suis Superioribus habita licentia, verbum Dei in eodem exercitu prædicauerint; confessiones audierint, seu Missas celebrauerint; vel alia Ecclesiastica, & pia ministeria exercuerint. Quibus etiam conceditur, vt beneficiis tam sæcularibus, quàm regularibus, per idoneos Vicarios deseruire possint, exceptis beneficia curam animarum habentia obtinentibus. Item milites in bello occupati à ieiuniis votiuis, vel Ecclesiæ excusantur,

& quod in die feſto belli negotiis vacare poſſint, declaretur.

1 AD huius § intelligentiam nota primò illa verba, *eandem indulgentiam conſequantur*, &c. eſſe intelligenda de indulgentia, quæ in §. 1. conceditur Regi Philippo, & aliis perſonis ibi contentis, & cùm illa ſit plena, plenior, pleniſſima, ſeu totalis, & per eam concedatur facultas abſoluendi à reſeruatis, & commutandi vota; hinc fit hanc indulgentiam, quæ in hoc §. conceditur, eſſe pleniſſimam, & totalem, & per eam concedi facultatem abſoluendi à reſeruatis, & commutandi vota.

2 Nota ſecundò, vt perſonæ in hoc §. contentæ, indulgentiam hanc aſſequantur, teneri reſpectiuè præſtare opera ibi præſcripta: eſt enim conceſſio conditionalis; ob idque conditione non adimpleta, non ſortitur ſuum effectum. Vnde miles qui, ſine iuſta cauſa, ante finem expeditionis ab exercitu receſſerit, non conſequitur hanc indulgentiam; nec mittentes ad bellum, ſi tot perſonas modo ibi præſcripto non mittant: nec perſonæ miſſæ, ſi pauperes non ſint.

3 Nota tertiò. Circa capitula Eccleſiarum, & monaſteria Regularium, vt hanc indulgentiam conſequantur, teneri pro decem perſonis vnum militem mittere, vt ibi conſtat. Quòd ſi in Capitulo, vel monaſterio ſint quindecim, aut ſexdecim perſonæ, tenentur præter vnum militem contribuere in quinque, aut ſex partibus, ſecundùm numerum perſonarum, quæ excedunt denarium, & ſic proportionabiliter ſi ſunt viginti quinque, aut viginti nouem perſonæ. Ita Rodriguez §. 3 quidquid Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp.* 1. *cap.* 8 *dub.* 11. *num.* 1. Sic ſimiliter ſi in Capitulo, vel monaſterio non reperiuntur decem perſonæ, niſi ſolùm ſex, aut octo, vt hanc aſſequantur indulgentiam, non videntur teneri vnum militem mittere, ſed potiùs videtur ſufficere vt pro rata, & numero perſonarum contribuant in expenſis ad mittendum vnum militem in belli ſubſidium.

4 Nota quartò, per illa verba: *Item clerici ſeculares, & regulares*, &c. non concedi dictis clericis licentiam in bello præliandi, ſed lucrandi indulgentiam, ſi ad bellum de licentia ſuorum Prælatorum proficiſcantur, & ibi ſupradicta pietatis opera exerceant. Obiter tamen nota, *cap. clerici, & cap quicunque* 23 *quæſt* 8. *& cap. petitio, de homicidio*, eſſe prohibitum in ſacris conſtitutis propria manu pugnare: attamen ſi in bello iuſto pugnent, neminemque occidant, aut mutilent, non fiunt irregulares, nec ſi eodem bello etiam in ipſo conflictu milites hortentur, vt bene docent Couarr. 2 *part relect. de homicidio*, §. 3. *num*.... Nauarr. *cap.* 27. *num.* 215. *&* 217. & alij. Tamen quia hoc punctum ſub lite variarum opinionum eſt, vt ait Lopez *cap* 6. *de Bulla*, in hoc habet locum declaratio Bullæ, ſcilicet quòd hoc liceat eis facere citra irregularitatem. De irregularitate clericorum in bello pugnantium, vide Nauarr. & Couarr. *ſup.* & inter recentiores Saytum *lib.* 6. *cap.* 19. *in Theſauro.* Tum etiam, vt ſuis beneficiis per idoneos miniſtros deſeruire poſſint, dummodo curam animarum non habuerint: nam in iis requiritur expreſſa Pontificis licentia: vt docet Rodrig. *in Bulla* §. 4. & conſtat ex illis verbis: *Exceptis beneficiis curam animarum habentibus*; ij enim beneficiati indigent Pontificis licentia, vt poſſint ad bellum proficiſci. Idem tenet Lopez *cap.* 6. *de Bulla*; & addit, eos tunc facere fructus ſuos, ſi per Vicarios beneficiis ſuis inſeruierint. Alias enim gratia in eorum diſpendium retorqueretur.

5 Nota quintò, per illa verba: *Item milites in bello occupati, à ieiuniis votiuis, vel Eccleſiæ excuſantur*; ſolùm eximi qui ſunt verè, & propriè milites, ſiue propriis expenſis militent, ſiue ab alio ſint miſſi: non verò clericos, aut religioſos. Ita Lopez *cap.* 6. *de Bulla*; quia ij non ſunt milites, nec eis de iure licet præliare; arma enim clericorum ſunt ſpiritualia, ieiunia, lachrymæ, & orationes. A fortiori minus eximentur etiam ſæculares, qui non mittunt, nec proficiſcuntur ad bellum, ſed tantùm data ſtipe accipiunt Bullam, quia ij non ſunt milites, nec in bello occupati. Ita Rodriguez §. 4. *num* 2. Sub ieiuniis autem votiuis, à quibus eximuntur milites in bello, intelliguntur omnia quæ non ſunt ſub præcepto: id ſignificat verbum, *votiuis*. Eximuntur etiam à ieiuniis ex iuramento, quia iuramentum ſub voto comprehenditur: ſic ſub commutatione voti comprehenduntur iuramenta, vt *infra* §. 7 *cap* 3. *dub.* 3. & cùm milites eximantur à ieiuniis etiam ex præcepto, non tenentur ieiunare in Quadrageſima, nec in aliis ieiuniis per annum.

6 Nota ſextò. Regem Philippum milites in bello exiſtentes, tum etiam eos, qui ad dictum bellum milites mittunt propriis expenſis, non ſemel, ſed toties quoties corde contriti, ore confeſſi fuerint, & ſi id non potuerint, corde deſiderauerint, lucrari indulgentiam, & à reſeruatis abſolui, votorumque commutationem petere dicto expeditionis anno durante, ſi opera in hoc §. & in ſuperiori præſcripta reſpectiuè præſtiterint. Ita Rodriguez §. 2. *num* 15. quem ſequitur Villalobus *tract.* 27. *clauſ.* 1. *num.* 3. *tom.* 1. qui quamuis id tantum expreſſe aſſerat de militibus exiſtentibus in bello, idem etiam de mittentibus aſſerendum eſt; nam mittentes, moraliter loquendo, poſſunt dici, etſi non tam propriè, etiam exiſtere in bello, non per ſe, ſed per alios, quos mittunt. Modò probatur, quia indulgentia in hoc §. & in ſuperiori conceſſa, abſolutè, & ſine vlla temporis determinatione, & limitatione conceditur: indulgentiam autem hoc modo conceſſam, toties quoties quis diſpoſitus opera præſtiterit, conſequi poteſt. At qui nec ad bellum proficiſcuntur, nec ad illud mittunt, ſed tantùm eleemoſynam à Commiſſario taxatam dant, ſupradictam indulgentiam, dicto anno durante, ſolùm bis conſequi poſſunt, & à reſeruatis abſolui: nimirum ſemel in vita, & iterum in articulo mortis. Ratio diſparitatis eſt, quia quoad eleemoſynam contribuentes, Pontifex expreſsè ad ſupradicta tempora determinat, & limitat: quoad verò ad bellum proficiſcentes, vel ad illud mittentes, non cum determinatione, & temporis limitatione, ſed abſolutè conceditur. Ita Garnica *in expoſitione Bullæ fol.* 28. *&* 29. indulgentia namque indefinitè conceſſa toties conſequi poteſt, quoties opus pium in ea præſcriptum adimpletur, vt docet Nau. *notab.* 31. *de indulg num.* 36 *&* 37. & ſentit S. Thom. *in* 4 *diſtinct.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 3 *q.* 2. *ad* 4. Vide Suarez *tom.* 4. *diſp.* 57 *ſect.* 1. *num.* 7. & Cordubam *quæſt.* 30. *de indulgentiis.*

§. III.

ITem conceditur omnibus prædictis, necnon iis, qui nec eunt, nec mittunt, ſi tamen infra dictum annum ex bonis ſibi à Deo collatis, in hanc expeditionem, pro religionis defenſione liberaliter contulerint, vt dicto anno durante poſſint in Eccleſiis, in quibus aliàs diuina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permiſſum

permissum fuerit, vel in priuato Oratorio, ad diuinum cultum tantum deputato, ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit quominus amoueatur; & qui facultatem ad id à Commissario generali habuerint, etiam per horam antequam illucescat dies, & per horam post meridiem, in sua, ac familiarum, & domesticorum, ac consanguineorum suorum præsentia, Missas & alia diuina officia, per seipsos, si Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium celebrare facere, & tempore interdicti diuinis interesse. Eis tamen qui priuato Oratorio ad præmissa uti voluerint, vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo, pro vnione Principum Christianorum contra infideles, eorumque contra eosdem victoria fundere teneantur, imponitur. Item Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis recipere. Item mortuorum corpora (nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri.

HActenus in duobus §§. superioribus Pontifex indulgentias, facultates, & priuilegia in bellum proficiscentibus, vel ad illud mittentibus concessit. In hoc autem §. & sequentibus, varia indulta, & priuilegia iis qui nec ibunt, nec mittent elargitur, si accipientes hanc Bullam, quantitatem à Commissario designatam contulerint.

In præsenti igitur §. concedit Pontifex omnibus personis consentis in duobus §§ superioribus; tum etiam Bollam data stipe (de qua infrà) accipientibus, vt tempore interdicti possint celebrare per se, vel per alium, & officiis diuinis interesse in Ecclesia, vel in Oratorio priuato, designando, & visitando ab Ordinario (dommodò indirectò causam non dederint, vel per eos non steterit quominus amoueatur) in sua, ac familiarium, ac domesticorum, & consanguineorom præsentia. Imponitur tamen eis onus, vt quoties priuato Oratorio ad præmissa vti voluerint, preces Deo pro vnione Principom Christianorum, & victoria contra infideles fundant. *Secundò* concedit, vt qui facultatem à Commissario habet, possit celebrare per horam antequam elucescat, & per horam post meridiem. *Tertiò* concedit, vt habens Bollam, etiam tempore interdicti, possit Eucharistiam, & alia Sacramenta recipere, præterquam in die Paschatis. *Quartè* concedit, vt corpora mortuorum etiam tempore interdicti, cum moderata funerali pompa sepeliri possint, nisi fortè excommunicati decesserint. Quæ omnia, propositis quibusdam dubiis, clariùs constabunt.

D v b. I.

Quam eleemosynam teneantur contribuere recipientes Bullam.

1 CErtum est, priuilegia Bullæ concedi à Papa ex quodam contractu contribuentibos certam pecuniæ quantitatem, vt patet ex ipsius contextu. Certum etiam est hanc pecuniæ quantitatem non esse à Papa determinatam: concedit tamen Pontifex Commissario Cruciatæ facultatem eam definiendi, & determinandi: cui determinationi standum est, vt patet ex Bulla Latina in fine, his verbis: *Item conceditur facultas eidem Commissario vt dictam subuentionis quantitatem à fidelibus, vt prædicitur, pro viuis, & defunctis erogandam iuxta personarum qualitatem, & bonorum quantitatem arbitrari possit.* Commissarius igitur, facultate sibi concessa, eleemosynam pecuniariam pro Bulla accipienda, tum pro Hispanis, tum pro Indiis iuxta qualitatem personarum respectiuè designauit.

2 Determinatio, & designatio eleemosynæ pro accipienda Bulla pro Hispanis, & Regnis Europæ existentibus à Commissario facta, refertur ab Alphonso Perez *in lib trium gratiarum pag. 220.* & habetur in instructione Commissarij generalis, his verbis: *Declaramos que los Cardenales, Primados, Patriarcas, Arcobispos, Obispos, Abades, que tienen iurisdicion Episcopal Inquisidores, y Dignidades de las Iglesias Cathedrales, Duques, Marqueses, Condes y Comendadores mayores, Visereyes, Capitanes Generales, Embaxadores, Presidentes, y los demas Consejos, y Alcaldes de la Corte, y casa de su Magestad, y Oydores de las Chancillerias, y Audiencias Reales, y Alcaldes del Crimen, y Fiscales de los Consejos, y Audiencias Reales, y Contadores de su Magestad de sus Contadurias mayores de Hazienda, y quentas, y de la santa Cruzada, Oydores, y Fiscales dellas, y Secretarios de su Magestad, y Comendadores, oncomendados de todas las Ordenes, y señores de vasallos, y las mugeres de los seglares de todos los estados ya dichos, viuiendo sus maridos, ayan de dar y den de limosna cada vna de las dichas personas, ochoreales de plata Castellanes, por cada bulla de viuos de Cruzada que tomaren para si, y todas las demas personas de qualquier estado y condicion que sean, den Cada vna dellas de limosna dos reales de plata Castellanos, para ayuda a la guerra contra infieles; y por la bulla para qualquier defunto dos reales de plata.*

3 Determinatio verò, & designatio quantitatis, & eleemosynæ pro Bulla accipienda à Commissario facta pro Indiis, & Hispanis ibi existentibus, refertur ab Alphonso Perez *in lib. trium gratiarum, fol. 253. & 254.* his verbis: *Ordenamos y mandamos, y declaramos, que todos los Españoles, assi hombres como mugeres, ayan de dar, y den de limosna por la dicha bulla la cantidad siguiente, en esta manera. Conuiene a saber, el señor Virey, los Arcobispos, Obispos, Inquisidores, Abades, Priores, Dignidades y Canonigos de las Iglesias Colegiales, y Caualleros de qualquier habito de las Ordenes Militares, y de las personas seglares, los Presidentes, Oydores, Alcaldes, Fiscales, Alguaziles mayores, Secretarios, y Relatores de las Audiencias Reales, Gouernadores, Corregidores, Alcaldes Ordinarios, y Regidores de los pueblos, y señores de repartimientos y los que tienen pension sobre ellos, y los Capitanes generales, Alcaldes de los castillos, y fortalezas, y a los Abogados, y los hombres ricos en cantidad de diez mil pesos, y de alli arriba, y las mugeres de todos los seglares de los estados ya dichos, den de limosna cada vna de las dichas personas dos pesos de Tipuzque, o diez y seys reales Castellanos que es su valor, y todas las demas personas de qualquier estado y condicion que sean (fuera de los Indios y morenos) a vn peso de Tipuzque, o ocho reales, que es su valor: excepto los frayles, monjas, y Españoles pobres mendicantes, y los hombres y mugeres de seruicio, los quales no han de dar mas de a dos reales Castellanos. Y de los Indios los Caziques el dicho vn peso de Tipuzque, o su valor, como està dicho. Y los demas Indios, assi los casados, como los solteros y los morenos, hombres y mugeres, a dos reales cada persona. Y la limosna de las bulas de difuntos Españoles a quatro reales, o su valor por el alma de qualquier persona hombre, o muger Español, y los Indios, y morenos, y Españoles pobres, y los que siruen a otros frayles, y monjas a dos reales por cada persona difunta. De manera que en las dichas*

bulas

bulas de difuntos no ha de auer mas que las dichas dos taſſas, y diferencias.

5 Hæc eſt eleemoſyna deſignata à Commiſſario pro Bulla accipienda pro Hiſpanis, & Indiis, attenta perſonarum qualitate. Sunt tamen aliquæ difficultates quæ ex dictis oriuntur, explicandæ.

6 . Prima difficultas. An duæ dragmæ Bæticæ ſint ſufficiens eleemoſyna tam reſpectu diuitum, quàm pauperum, exceptis perſonis quæ tenentur octo dragmas ſoluere. Reſpondeo affirmatiuè. Ita Rodriguez §.1. *num.*15. Ratio eſt, quia difficillimè poteſt diſtingui quis ſit verè pauper, & diues; multoties enim diuites exiſtunt qui pauperes videntur, & è contra.

7 Secunda difficultas. An tam parua quantitas ſit ſufficiens eleemoſyna pro tanta indulgentia. Reſpondeo cum Rodrig. ſuprà, affirmatiuè, quia Pontifex non conſiderat duas dragmas huius, vel alterius, ſed ingentem ſummam, & pecuniarum quantitatem valde copioſam, quam omnes accipientes Bullam collectiuè conferunt. Pro cauſa tam pia, rationabili, & proportionata, vt eſt ſubſidium belli, contra infideles, conſequenter, honor Dei, Eccleſiæ vtilitas, pax & quies, & fidei propagatio, quòd omnia ſunt cauſa ſufficientiſſima, ad concedendam hanc indulgentiam, & comparandam pro dicta eleemoſyna, vt latè Ludouic. à Cruce *in expoſit. Bullæ diſp* 1.*c.*8 *dub.*10.

8 Tertia difficultas. An ſit ſimonia dare ſupradictam pecuniam pro Bulla. Reſpondeo negatiuè: ità communiter DD. Nam quamuis pro re temporali non poſſit dari res ſpiritualis, nec concedi indulgentia; tamen pro re temporali ordinata ad rem ſpiritualem, benè poteſt concedi indulgentia: pecunia autem iſta non datur tanquam pretium rei ſpiritualis, ſed vt eleemoſyna ordinata ad rem ſpiritualem, ſcilicet ad bonum & quietem Eccleſiæ, quam occaſione Bullæ obtinemus contra fidei inimicos. Vide Rodrig §. 12. *num.* 14. & Ludouic. *ſuprà.*

9 Quarta difficultas. An fur ex pecunia furtiua poſſit validè ſibi accipere Bullam. Reſpondeo negatiuè. Ita Rodriguez *in addit. ad* §. 1. *num.* 15. Diana *tractat.* 11. *reſolut.* 101. & communiter recentiores. Patet ex verbis Bullæ, ſcilicet, *ex bonis ſibi à Deo collatis:* bona autem furto ablata, non à Deo, ſed à dæmone dantur; pecunia enim contribuenda debet eſſe propria, quod declarat Commiſſarius in Bulla Hiſpana, illis verbis: *Si de ſus bienes liberalmente contribuyeren.* Vnde Dominus pecuniæ, niſi ratam habeat illam acceptionem, poterit ab alio Bullam ſumere tanquam ſuam, & frui illius priuilegiis. Quòd ſi ratam habuerit acceptionem, ex tunc Bulla fiet ſurripienti. Item ſi intra annum publicationis reſtituat pecuniam, gaudebit Bulla à die reſtitutionis; nam ab eo incipit facere Bullam ſuam. Lud. à Cruce *diſput.* 1. *cap.* 1. *dub.*7. demum gauderet ſua Bulla, ſi in ea non poneretur illa clauſ. *ex bonis ſibi à Deo collatis*, &c. Sed dices, gaudebitne Bulla, qui illam accepit à depoſitario credita pecunia, animo verò eam ſoluendi, ſi fortè præ nimia paupertate, nec reuera ſoluat, nec vllam ſpem ſoluendi habeat. Reſpondeo affirmatiuè, quia hic non eſt furatus, ſed bona fide accepit animo ſoluendi, & alio capite depoſitarius rem pro illo ſoluit ſicque non accipit abſque eleemoſyna, ſeu ſtipe, ita Lud. *ſuprà dub.* 6.

10 Quinta difficultas. An meretrix, vel alij, ex turpi lucro poſſint Bullam accipere, & eius priuilegiis frui. Reſpondeo affirmatiuè. Ita ſentit Rodriguez *in addit. ad* §.1.*num.*16. Nam verba illa *ex bonis ſibi à Deo collatis*, ſolùm denotant vt fiat contributio ex bonis propriis, quorum habent verum dominium, ita vt ſit modus loquendi, ex bonis ſibi à Deo collatis, id eſt ex bonis propriis. Quod ſignificare videtur Commiſſarius, dum verbis ſuprà citatis dicit: *y de ſus bienes liberalmente contribuyeren*; meretrices autem de turpi lucro verum habent dominium, vt affirmant Azor. *tom.*3.*lib.*4.*c.*21.*q.*1. *&* 4 & Leſſius *lib.*2.*de iuſtitia,c.*14 *dub* 8.& alij, vide *infrà lib.*4.*caſu* 17.& Diana *vbi ſup.*

11 Sexta difficultas. An Religioſi Minores, & alij Monachi ſibi comparare valeant hanc Bullam, non ſolùm ex bonis à Superiore acceptis, ſed ex aliis quoque per eleemoſynas ob hunc finem acquiſitis. Reſpondeo affirmatiuè: nam eo ipſo quòd Papa dat eis facultatem accipiendi Bullam, conſequenter, vt ſupremus Prælatus dat facultatem procurandi eleemoſynam, vt per eam ſibi comparent Bullam, debent ex regulari obſeruantia petere facultatem à ſuperiori, ne contemni videatur ſancta obedientia: ſi tamen non petatur, poſſunt frui Bullæ priuilegiis, præter illud eligendi Confeſſarium. De quo infrà, vide Rodriguez § 9 *num.* 23. *&* §. 12. *num* 15. & Villalob. *tract.*27 *clauſ.*12 *num.*17. qui *num.*19. cum Acoſta *in Bulla num.*106. ait, peccare grauiter, & eſſe à generali Commiſſario puniendum Prælatum dictam licentiam denegantem; non tamen peccare ſubditum qui licentia petita, & non conceſſa, Bullam acciperet; quia Prælatus non habet ius ad denegandam dictam licentiam. Aduertit etiam Villalob. *num.*30. cum Cordub. *in adnot. ad compendium*, verb. *Cruciata* , §. 5. conceſſum eſſe Regularibus (ne teneantur quærere pecunias ad comparandam Bullam) Ordinis Minorum, vt frui poſſint omnibus gratiis ſpiritualibus, & corporalibus, quæ ab anno 1533. conceduntur in quibuſcumque Bullis ſanctæ Cruciatæ, dummodo loco eleemoſynæ pro Bulla, Sacerdotes celebrent duas Miſſas; laici verò dicant ducentos *Pater noſter*, & ducentas *Aue Maria*, ſecundùm Pontificis intentionem. Hoc autem priuilegium eſſe in viridi obſeruantia haud credo, nam video Religioſos etiam Minores diligenter curare accipere Bullam.

12 Septima autem difficultas. An viduæ relictæ à dominis ſæcularibus, teneantur pro Bulla dare octo dragmas. Reſpondeo, eas non teneri ad contribuendum octo argenteos, ſi nullo modo maneant dominæ, nec vſufructuariæ bonorum habentium vaſallos. Conſtat ex illis verbis Commiſſarij, *viuiendo ſus maridos.* ſi autem manent vſufructuariæ, tenentur, quia reuera dominæ ſunt vaſallorum: filij verò ipſarum dum propriis bonis non vtuntur, non tenentur hanc maiorem eleemoſynam contribuere: nam licèt ſint domini proprietarij bonorum, carent tamen vſufructu eorum; & ita non habent bona quæ tunc poſſint diſpenſare ad ſumendam Bullam, niſi illa quæ voluerit mater dare: vnde vt gaudeant prædicto priuilegio, tantùm tenentur communem eleemoſynam contribuere.

13 Octaua difficultas. An ſi multi ſint domini eiuſdem oppidi pro indiuiſo, vel etiam pro diuiſo, ita vt vnus habeat vnam partem loci, & alius aliam, debeant ſinguli contribuere eleemoſynam octo argenteorum pro Bulla. Reſpondeo tantùm teneri omnes ſimul dare octo argenteos, dummodo vnuſquiſque pro ſua parte ad minus det duos; quia in hoc caſu nullus ſeorſim cenſetur abſolutè Dominus, & Dominus pro parte

te

te non venit applicatione domini, vt docent Iurisperiti.

14 Nona difficultas. An domina vasallorum, quæ ratione suæ dotis est domina, si vxor sit alterius, & ita non habeat bonorum administrationem, contribuere teneatur octo argenteos. Negat Henriquez *lib.7.cap.20. num.3.litt.Z.* Verius est tamen, teneri; nam etiam si non habeat bonorum administrationem, est tamen vxor illius, qui tenetur octo argenteos soluere: at Commissarius in supradicta taxa absolutè asserit teneri etiam vxores eorum qui ad summam maiorem tenentur, & vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: sic vxores Ducis, Comitis, Marchionis, Consiliarij Regis, Commendatoris maioris, tenentur soluere octo dragmas eo ipso quòd sint vxores virorum qui octo argenteos contribuere tenentur, propter illa verba Commissarij: *Y las mugeres de todos los estados ya dichos ayan de dar ocho reales de limosna.*

15 Nota cum Henriquez *lib.7.cap.20.num.3. lit. Z.* eos qui secundùm taxam suprà positam tenentur dragmas octo contribuere, si secundam Bullam sumant, tantùm teneri duas dare; ait enim talem præsumi intentionem Commissarij, quod quidem si aliquo modo constaret, verum existimarem, non enim video vnde hæc intentio præsumi possit, imò potiùs contrarium ex intentione Commissarij colligitur: nam pro iis personis absolutè designat octo argenteos, & nullo modo distinguit in prima, vel secunda vice. Et ratio quæ militat in prima vice, scilicet belli subsidium, & qualitas personæ, militat in secunda, ac proinde in ea vice verius existimo etiam octo argenteos contribuere teneri.

Dvb. II.

Quomodo liceat celebrare, vel audire diuina in Ecclesiis tempore interdicti.

1 AD intelligentiam eorum, quæ in hoc dubio, & sequentibus dicenda.

2 Nota primò, interdictum esse censuram Ecclesiasticam, qua prohibentur omnia diuina officia, certa sacramenta, & sepultura Ecclesiastica, vt colligunt Doctores *ex cap. quod in te est, de pœnitent. & remissio.* Per diuina officia, quæ prohibentur, intelliguntur *primò*, quæ pertinent ad Missæ celebrationem. *Secundò*, vsus ordinum. *Tertiò*, horæ Canonicæ. *Quartò*, officium defunctorum. Quare tempore interdicti non licet dicere Missam, etiam siccam, id est, sine consecratione; nec horas canonicas, siue officij maioris, siue minoris B. Mariæ Virginis; nec officium defunctorum; nec alia officia, vt benedictiones, & consecrationes quarumcumque rerum; nec licet vllum actum, & vsum ordini sacro deputatum exercere. Sic Subdiacono prohibetur ne solemniter cantet Epistolam, & Diacono Euangelium, Sacerdoti Missam, & ne officiet in choro. Episcopo ne conferat Ordines, etiam minores, consecret Abbates, virgines, aras, calices; quia hæc omnia inter officia diuina numerantur. Ob quam etiam rationem prohibētur benedictiones nuptiales. Vide Syluest. *interdictum 5.* & inter recentiores Nauar. *c.27.n.171.* Henriquez *lib.13.cap.44. n.1.* Sayro *lib.5. c.5.n.4.* Per sacramenta, quæ per interdictum prohibentur, intelliguntur sacramentum Ordinis, Extremæ-vnctionis, & Eucharistiæ, quam accipere non licet sanis, sed tantùm infirmis per modum viatici. Alia autem sacramenta non prohibentur ministrari interdicti tempore, vt Baptismus, qui tempore interdicti dari potest solemnitate consueta, ianuis apertis, etiam in Ecclesia specialiter interdicta conferri potest: Pœnitentia, quæ etiam in Ecclesia specialiter interdicta conferri potest: Pœnitentia, quæ etiam sanis ministrari potest: excommunicati autem, & specialiter, aut personaliter interdicti, & qui quomodocumque sunt interdicti causa, admitti ad pœnitentiam non possunt, nisi priùs satisfecerint, aut idoneam de satisfactione cautionem præstiterint. Ita Henriquez *suprà c.44. & cap. 45.* & Sayro *cap. 5.* Potest etiam infirmis Eucharistia, tanquam viaticum ministrari cum eadem solemnitate, cum cantu, & campanula, sicut antea. Per sepulturam intelligitur Ecclesiastica sepultura, quæ cum cæremoniis Ecclesiasticis fit in cœmeterio, vel Ecclesia.

2 Nota secundò, interdictum Ecclesiasticum esse triplex: aliud purè locale, aliud purè personale, aliud mixtum ex locali & personali. Locale est, quod alicui loco imponitur, prohibétque ne in illo loco diuina celebrentur. Personale est, quo prohibentur personæ alicui vsus Sacramentorum, vel diuinorum officiorum, & sepulturæ. Mixtum est, quod simul est locale, & personale: vt si dicat sententia, Interdico Petrum, & locum vbi fuerit; & Valentiam, eiúsque habitatores. Deinde interdictum locale est duplex, aliud generale, aliud particulare. Generale est, quod fertur in aliquam vniuersitatem, diœcesim, prouinciam, oppidum, aut castellum. Particulare est, quod tantum se extendit ad locum particularem, vt ad hanc, vel illam Ecclesiam. Similiter interdictum personale, aliud est generale, quo interdicuntur ciues alicuius Regni, prouinciæ, diœcesis, Cleri, vel Capituli. Aliud verò particulare, quo interdicitur, vel interdicuntur aliqua certa, vel certæ personæ. Vide de his Sayr. *in Thes. lib.5.cap.1.* & Henriquez *lib.13.cap.41.*

3 Nota tertiò, tempore interdicti generalis loci licere clericis sæcularibus in suis Ecclesiis, & Regularibus, in suis monasteriis, celebrare Missas, & alia diuina, ianuis clausis, submissa voce, non pulsatis campanis, & exclusis non tantùm excommunicatis, & interdictis, sed etiam omnibus aliis, qui non habent priuilegium. Ita habetur *cap. Alma mater, §. adiicimus, de sentent. excommunicationis, in 6.* & docent communiter Doctores, quos vide apud Sayrum *lib.5. cap.5. à num. 18.* qui *num.37.* aduertit, quòd licèt dictum capitulum, *Alma mater*, solùm loquatur de interdicto generali loci, idem esse iudicium de interdicto generali populi; populo enim interdicto, non censetur clerus interdictus: vt habetur *in cap. si sententia, de sententia excommunicationis*, & docet Nauarr. *cap.27. num. 167.* & communis; sicque possunt tunc clerici non interdicti diuina (sicut antea) celebrare, cum moderationibus tamen capitis, *Alma mater*. In locali autem interdicto particulari, seu in Ecclesia specialiter interdicta, non licet diuina celebrare sed tantùm semel in hebdomada celebrare, ad renouandam Eucharistiam in Ecclesiis in quibus antea pro infirmis solebat conseruari, vt in Parochialibus, & monasteriis. Licet etiam conferre Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam infirmis, & Matrimonium sine benedictionibus nuptialibus, & sepelire clericos illius Ecclesiæ, cum officio sepulturæ sine solemnitate, & sine Missa. Ita ex *cap. permissimus, de sententia excommunicationis.* nam *cap. Alma mater*, solùm loquitur in generali de interdicto loci, vt docet Couarr. *cap.*

Alma

Alma mater,p.s. §.4. *num.*1. & communis Doctorom,quos Sayto *lib* 4 *cap.*5.*num* 7. Hæc autem Missa quæ semel in Ecclesia specialiter interdicta celebrari permittitur in hebdomada, celebrari debet submissa voce,ianuis clausis,non pulsatis campanis, & exclusis excommunicatis,interdictis, & aliis non habentibus priuilegium: habetur expressè *in dicto cap permittimus*, & docent Henriqoez *lib* 13. *c* 44. *num.*3. & Suar. *de censuris, disput.*34. *de interdicto, sect.* 1. *num.*2. *& sect.* 2. *num.*1. & Nauarr. *cap.*27. *num.*173.

4 Nota qoarto, tempore interdicti localis generalis posse clericos omnes non intetdictos etiam primò tantùm tonsutatos,absque vllo priuilegio interesse diuinis officiis in Ecclesiis, in quibus de iore eo tempore diuina celebrare licet. patet ex *cap. Alma mater,§ adiicimus,de sentent.excommunicationis, in* 6. quo in casu non solùm clerici illius Ecclesiæ poterunt in ea celebrare, vel diuinis assistere, sed etiam clerici omnes extranei ad eam venientes, vt docent Cooarr. *in cap. Alma mater, p.*2.§.4.*num.*5. *vers.Nono* Nauarr.*cap.*27.*n.*174. & alij,quos Sayto *in Thesauro,lib.*1 *c.*5.*n.*55. quia dictum c.*Alma mater*, permittit celebrare diuina sicut priùs; at priùs admitti ad eam poterant exteri, & extranei clerici. *Secundò*, quia concessio hæc cùm fauorabilis sit, non adstringi, sed ampliari debet. Hoc autem priuilegio non gaudent clerici coniugati, etiamsi duxerint virginem, & de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiant, iuxta Trid. dispositionem *sess.*13. *de reform.*c.6. quia hi,vt benè docet Cooarr. *sup n.* 4. *cit.vers.Decimo, & cap.*31. *qq. pract. sub num.*9. Nauarr. *supradict. n.*174. Sayt. *supr. n.*54. & fauet Rodrig. *in add ad §.*5. *n.*3. excepto canonis, & fori priuilegio, nullo alio clericali priuilegio gaodent, ex *c.*1.*de cler. coniung in* 6.*& c.Ioannes,eo. tit. in decretal.*Tolet.*lib.*1.*c.*53.*n.*2. & quoad hoc tanquam laici habendi sunt, ideoque non suot liberi à tributis,gloss *in c.vnic de cler coniug in* 6. colligitor apertè ex *d.c.*& ex Trid *sess* 23.*c.*6. quod procedit etiam in minoribus constitutis, si non sunt beneficiarij, præsertim in Hispania,de quo Barbosa *de offic.& pot. Episc.tom* 2.*alleg* 13 *n.*2. vide eundem *alleg.*12, vbi de priuilegio fori latè,& Cou.*d n.*9. At si esset consuetodo præscripta,qualis fertur esse io Aragonia,vt clerici cooiugati non bigami admittantur ad diuina,possunt admitti,quamuis per errorem esset introducta,vt benè aduertit Nauarr.*sup.* Nihilominus tamen existimo probabile clericos coniugatos, non bigamos,habentes Trident qualitates, gaudere hoc priuilegio,vt tenet Rodrig §.5.*n.*4. *in add. ad* §.5. *n.* 3. quia eo quòd dicatus est ministerio Ecclesiæ, ceosetur persona Ecclesiastica. Standum tameo est consuetudini approbatæ. Nulla autem existente consuetudine,existimo veriorem oppositam sententiam. Dixi,*non bigamos*,quia certum est & commune,clericum coniugatum bigamum omni carere priuilegio clericali, patet ex Trid.*sess.*23.*c.*6. *& ex cap qui cum vnicu,de cler.coniug in* 6.Nec gaudent hoc priuilegio clerici interdicti,vel qui causam dederint interdicto,ij enim etiam sunt interdicti.patet *ex c.permittimus,de sent.excommun.& c Alma mater.* Dixi, *tempore interdicti localis generalis*,quia c.*Alma mater*, solum concedit priuilegium celebrandi omoia diuioa officia sicut priùs,com dictis limitationibus, quando interdictum est locale generale,patet ex illis verbis: *In terris,seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto*,& his aliis: *Vbi ciuitas, vel locus alius, seu vniuersitas interdicti existunt:* quæ verba communis Doctorum explicat de ioterdicto locali generali. In interdicto autem locali particulari, seu in loco specialiter interdicto, non licent om nia diuina officia, sed tantũ celebratio vnius Missæ ad renouãdam Eucharistia semel in hebdomada, vt dictum est suprà, ad cuius celebrationem sufficit solus celebrans cum vno, & duobus ministris:cui celebrationi de iure nullus alius,etiam clericos, assistere potest, præter celebrantem,& eius ministros. Insinuat Henriq. *lib.* 13.*c.*44.*n.*3 Tum,quia dictum *c.permittimus*,solum concedit celebrare vnam Missam, ad renouandam Eucharistiam,quæ debet esse priuata, vt docet Suar. *tom* 5.*disp.*34.*de interdict.sect.*2. *num.*1. ad cuius celebrationem sufficiunt vnus Sacerdos,cum duobus, vel vno ministris. Tum etiam,quia celebratio diuinorum officiorum,eorùmque assistentia solum conceditur, ex *cap. Alma mater*, in generali loci interdicto,ne scilicet crescat indeuotio populi, & pullulent hæreses. Quæ ratio non militat in particulari interdicto loci: nam si in eo diuina celebrari,& audiri non possunt, in alio loco,seu Ecclesia eiusdem loci non interdicta licent,ad quæ audienda, & celebranda poterit populus concurrere. Ex quo fit, priuilegium assistendi diuinis clericis tonsoratis concessum, à iure solùm habere locum in generali loci interdicto,

5 Nota quintò. Nomine Ecclesiarum, io quibus iuxta formam capitis *Alma mater*, celebrare diuina licet,secundùm Couarrouiam *in c. Alma mater, p.*2. §.4.*n.*2. iotelligi tantùm ea templa,quæ sunt sub cura sæcularium clericorum, & authoritate Episcopi publicè sunt exposita,& approbata, vt in eis tam sacrificium,quàm alia diuina officia celebrentur: tum etiam & monasteria Religiosorum, sub quorum nomine,inquit Couarruuias, comprehenduntur hospitalia,in quibus est sacer locus ab Episcopo approbatus ad huiusmodi ministerium; non tamen comprehendi Oratoria,etiamsi sint ab Episcopo designata,& approbata,iuxta formam Trideot. *sess.* 22. *decreto de obseruandis* vt significare videtur Couarruuias *suprà* & teoeot Rodriguez *in addit.ad* §.5.*n.*1. Sanchez *lib.*7.*de matrimonio,disp.*8.*n.*13. quia Oratoria non solent communiter nomine Ecclesiarum intelligi; atque ita tempore interdicti, virtute cap. *Alma mater*,,in eis celebrari non poterit. Nauar.tamen(& fortè veriùs)*c.*27.*n.*175.insinoat etiam comprehendi Oratoria,& teoet expressè Suar. *de interdicto,disp.*34 *sect.*1.*n.*9. Bonac.*tom* 1.*disp.*5.*punct.*4. *proposit* 1 *n.*12.quia in fauorabilibus nomen Ecclesiæ, absolutè sumptum, comprehendit omnia loca approbata ad Missæ sacrificium perficiendum. Vel dic (ait Suarez) in co textu nominatas esse Ecclesias, & monasteria,quia sunt frequeotiora loca,in quibus diuina officia celebrari solent. Vnde in dictis Oratoriis,tum etiam in Eremitoriis Episcopi authoritate erectis,in quibus Missæ sacrificium perficitur,poterit tempore interdicti,iuxta formam capitis *Alma mater*,celebrari. Vide Rodrig. *in addito ad* §.5. *n.* 2. Nomine autem monasteriorum intelliguntur tam virorum,quàm mulierum monasteria:hæc enim vox, absolutè dicta, omnia monasteria comprehendit,vt docet Couarruuias *supra n.*2.*cit.*

6 His igitor prænotatis, priuilegium quod Bulla cõcedit circa celebrationem diuinorum officiorum, illorúmque assistentiam, est,vt qui sunt io exercitu, vel ad illum milites miserint, necnon illi qui nec ibunt,nec mittent,si data stipe,& eleemosyna modo suprà explicato,Bullam acceperint,possint anno publicationis durante, Missam, & alia diuina officia celebrare,Sacerdotes,& laicos Missam,& alia diuina officia audire tẽpore generalis loci interdicti ab Ordinario, vel ab ipso Papa impositi in Ecclesiis, vel monasteriis, in quibus diuioa officia interdicto durante,

durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, conditionibus à iure assignatis obseruatis.

7 Nota, supradictum priuilegium assistendi diuinis officiis, non esse intelligendum respectu clericorum, sed laicorum: nam clericis, vt dictum est, à iure est illis concessa diuinorum assistentia modo *suprà not.* 4. explicato, ac proinde solùm de laicis loquitur hoc priuilegium.

8 Nota secundò, hoc priuilegium assistendi diuinis officiis tempore interdicti, solùm habere locum in interdicto generali loci, minimè verò quando interdictum est particulare huius, vel illius Ecclesiæ, vt notauit Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 3. Rodriguez §. 5. *num.* 4. *in addit. ad* §. 5. *num.* 2. Quod apertè insinuat Bulla per hæc verba: *in Ecclesiis, in quibus aliàs diuina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit.* At de Iure solùm licet celebrare diuina officia tempore generalis interdicti loci, & probatum est *suprà notab.* 3. *ex c. Alma mater*; ea quo fit, licèt diuina officia in Ecclesia specialiter interdicta celebrarentur, non posse illis assistere virtute huius priuilegij, quia in Ecclesia specialiter interdicta, non licet celebrare diuina officia, sed solùm illam priuatam Missam, ad renouandam Eucharistiam, cum vno, vel altero ministro; at Bulla loquitur de Ecclesiis, in quibus diuina officia celebrare permissum est. Vnde in illa Ecclesia, nec illam Missam virtute huius priuilegij licebit audire, quia in ea non est permissum diuina officia celebrare. Ita Henriquez *suprà n.* 3. *citat. lit. E.* Couar. *c. Alma mater, p.* 2. §. 4. *num.* 1.

9 Nota tertiò, nomine Ecclesiarum, de quibus loquitur Bulla Latina, in quibus est permissum celebrare durante interdicto, intelligi etiam monasteria virorum, & mulierum, & hospitalia Episcopi auctoritate erecta, tum etiam Eremitæ: quia hæc omnia comprehenduntur nomine Ecclesiæ absolutè sumptæ, vt probatum est *suprà notabili* 5. Tum etiam, quia Bulla loquitur de Ecclesiis in quibus est permissum celebrare tempore generalis interdicti: at probatum est eo tempore in iis omnibus licere celebrare; & quamuis nomine Ecclesiæ sic sumptæ comprehendatur Oratorium secundùm probabiliorem opinionem, vt dictum est *suprà notabili* 5. tamen Pontifex ad maiorem declarationem, & ad tollendos scrupulos, mentionem specialem fecit de Oratoriis, de quibus agemus dubio sequenti.

10 Nota quartò, hoc Bullæ priuilegium, pro tempore interdicti concessum, non extendi ad tempus cessationis à diuinis, etiam generalis, vt notat Couarruuias *cap. Alma mater.* 2. *part.* § 4. *num.* 7. *versic. Nec tamen.* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 188. Medin. *in sua instructione, lib.* 1. *cap.* 11. §. 10. *pag.* 47. Lopez *cap.* 6. *de Bulla,* Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. *in fine.* Rodriguez §. 5. *num.* 7. & communis Doctorum. Ratio est, quia in iure; & ex se aliud est interdictum, aliud verò cessatio. Interdictum est censura Ecclesiastica: minimè verò cessatio, sed mera desistentia à diuinis officiis, & Sacramentorum administratione in locum decreta; ac proinde cessatio virtute Bullæ tolli non potest, nec cessationis tempore, victute Bullæ diuinis interesse; quia Bulla tantùm loquitur de interdicto. Et quamuis ea quæ fieri possunt tempore interdicti, secundùm ius commune, etiam fieri possint tempore cessationis, non tamen ea quæ licent ex priuilegio, nisi exprimantur in ipso. Vnde sic vsu receptum videmus, tempore cessationis à diuinis habentes Bullam Cruciatam non admitti ad aliquam Missam, quæ tunc secreta dicatur.

11 Nota quintò, eum qui habet aliquod aliud priuilegium, vt tempore interdicti, vel cessationis possit diuinis officiis interesse, non posse nisi habeat Bullam Cruciatæ; nam per illa omnia similia, & dissimilia priuilegia suspenduntur, & cum ea reualidantur: de quo *infrà,* §. 9. *dub.* 1. ita Rodrig. *in add. ad* §. 5. *num.* 33. *in fine.* Vnde sæculares, quibus immediatè concedunt priuilegium, vt tempore interdicti, vel cessationis à diuinis, possint sepeliri in Ecclesiastica sepultura, necessariò debent habere Bullam viuorum, & non sufficit, vt pro istis sumatur Bulia defunctorum: quoniam hæc solùm concedit indulgentiam per modum suffragij, & Bulla viuorum concedit sepulturam Ecclesiasticam tempore interdicti, & reualidat priuilegia aliàs concessa. Vide Rodriguez *suprà.*

Dvb. III.

An habens priuilegium Bullæ possit secum adducere ad Ecclesiam suos familiares, & cognatos ad audienda officia diuina.

1 Certum est habentem Bullam Cruciatæ tempore generalis interdicti loci, posse secum adferre suos familiares, & domesticos ad Ecclesiam, vt secum Missam audiant, vt habetur expressè in hoc §. Bullæ, quamuis ipsi familiares Bulla careant. Dubitant tamen aliqui, an etiam possit secum deferre suos consanguineos ad Ecclesiam, vt secum Missam audiant. Cui dubitationi non videtur locus, meo videri: nam partem affirmantem apertè insinuant verba Bullæ, tom Latinæ, tum etiam Hispanæ. Latina enim sic habet: *In sua ac familiarium & domesticorum, ac consanguineorum suorum præsentia, Missas, & alia diuina officia, per seipsos si Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium celebrari facere, & tempore interdicti diuinis interesse.* Vbi habenti Bullam etia tempore interdicti conceduntur: vt possit celebrare si sit Sacerdos; si non, facere pro se celebrari, & quòd possit diuinis interesse: & hæc omnia in sua familiarium, & consanguineorum præsentia clariùs in Bulla Hispana: *Que puedan aun en tiempo de entredicho Apostolico, o ordinario, oyr Missa en las Iglesias, y monasterios, ó oratorio,* &c. *dezir Missas, o otros diuinos officios, por sus personas, si fueren Presbyteros, o hazerlos celebrar a otros en su presencia, y de sus familiares, y parientes.* Nec est cur restringamus Bullam esse intelligendam de præsentia consanguineorum, quando celebratur in Oratorio, non verò quando in Ecclesia; nam Bulla absolutè loquitur, posse celebrari in præsentia familiarium, & consanguineorum habentis Bullam, & non restringit quando celebratur in Oratorio, & non in Ecclesia. Hanc nostram sententiam tenet Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 3. Rodrig. §. 5. *num.* 4. Et probari etiam potest, quia aliàs quantum ad hoc nihil daret Bulla priuilegiato, præter id quod concessum est *in cap. licet vobis, de priuilegiis in* 6. vbi aliis non habentibus Bullam, nempe clericis, & religiosis, concedit, vt secum ducant suos familiares, & domesticos. Restat videndum, quid per familiares, quid verò per consanguineos intelligatur.

2 Dico primò. Per familiares & domesticos intelliguntur illi famuli, qui dominum suum iuxta illius

illius ſtatum comitari ſolent. Ita Nauar. *cap.* 27. *n.* 181. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1 *poſt* 4. *concl.* & communiter recentiores; quod procedit, quamuis dicti famuli non habitent domi; dummodo dominum comitari ſoleant, vel dominam. Ratio eſt, quia finis extendendi hoc priuilegium ad familiares eſt, ne priuilegium reddatur inutile illis, qui nequeunt decenter incedere ſine comitatu. Sed hæc ratio ſolùm currit in illis familiaribus, qui ſolent dominum, vel dominam comitari, ergo illi ſolùm ſunt intelligendi. Quod ſi familiares illi, qui illum comitari conſueuerant, ſint abſentes, vel infirmi, poterit priuilegiatus totidem alios aſſumere, vt illum in Eccleſiam comitentur. Eſt tamen notandum, eiuſmodi familiares debere aſſiſtere diuinis ſimul cum domino, vel domina. Vnde ſi dominus habeat plures familiares, & cum aliquibus eorum audiuit Miſſam, nequeunt reliqui familiares audire aliam Miſſam abſente domino.

3 Dico ſecundò. Probabile eſt magiſtros, ob priuilegium Bullæ poſſe ſecum deferre diſcipulos ad Eccleſiam, vt ſacrum audiant quando eos ſine periculo relinquere non poſſunt. Ratio eſt, quia conuenienter nequit habere effectum priuilegium Bullæ reſpectu magiſtrorum, niſi etiam ſecum deferant diſcipulos, qui eo tempore in periculo eſſent: nam aliter non audirent ſacrum, & ita eſſet ipſi inutile tale priuilegium. Sic probabiliter dici poteſt, pædagogum non habentem Bullam, poſſe audire Miſſam in Eccleſia, vel monaſterio, ad quam defert diſcipulum ſuum habentem Bullam; tum propter rationem dictam; tum etiam, quia reputatur quaſi eius famulus. Conſequenter etiam dicendum, clericum habentem famulum, poſſe coram illo celebrare, etiam ſi famulus non habeat Bullam, & iſte poterit celebranti inſeruire. Ita Rodrig. §. 5. *n.* 4.

4 Nota cum Henriquez *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 3. non ſolùm intelligi illuſtriſſimos Barones; & matronas; ſed etiam quoſcunque dominos, & dominas qui priuilegio Bullæ ſolent nobilitari: dummodo fraudulenter eo tempore famulos non accipiant in eum finem, vt ſecum ad Eccleſiam deferant. Ita etiam Nauar. *cap.* 27. *n.* 180. & Rodriguez §. 5. *n.* 4. Et hoc eſt conforme *cap. licet, de priuileg. in* 6.

5 Quoad conſanguineos dico, non ſolùm vſque ad primum gradum, vt exiſtimat Henriq. *c.* 13. *lib* 7. §. 3. ſed etiam vſque ad quartum gradum lineæ rectæ, & tranſuerſalis. Ita Auila *de cenſuris part.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *dub.* 7 §. 5. Rodrig. §. 5. *n* 5. & alij. Ratio eſt, quia Bulla loquitur indifferenter & generaliter de conſanguineis: generali autem nomine conſanguineorum veniunt non ſolùm qui ſunt in primo gradu, ſed etiam qui ſunt in quarto, ſic conſanguinitas vſque ad quartum dirimit. Notat tamen Henriquez *ſupra*, & alij, nomine conſanguineorum intelligi vxorem, & è contra; nam ſunt duo in carne vna.

6 Dubitari quidem poteſt, an nomine conſanguineorum in hoc priuilegio comprehendantur etiam qui ſunt affines, nam in Bulla Hiſpana habetur: *En preſencia de ſus familiares y parientes.* Nihilominus tamen exiſtimo verius ſolùm comprehendi eos, qui verè & propriè ſunt conſanguinei, ab eodem ſtipite, ſeu eodem capite deſcendentes, ſiue per lineam rectam aſcendentium, ſeu deſcendentium; ſiue per lineam collateralem. Ducor in hanc ſententiam, quia Bulla Latina expreſſè loquitur de conſanguineis, affines autem non ſunt conſanguinei; & cùm hoc priuilegium ſit in actu, & contra ius commune, non latè, ſed ſtrictè eſt interpretandum, vt verba ſonant, & dictum eſt ſuprà *dub.* 4. *proœmiali*. *pag.* 14. *n.* 3. & dicetur infrà *in hoc* §. *dub.* 5. *dicto* 2. dummodo aliquid operetur ne reddatur inutile: ſic priuilegium afferendi ſecum familiares, reſtringetur ad eos tantùm, qui dominum comitari ſolent. Cui ſententiæ fauere videntur Doctores, qui in expoſitione huius paragraphi loquuntur de conſanguineis, nullam mentionem facientes de affinibus. Ita ſentit Lopez *c.* 6. *de clauibus.*

D V B. I V.

Quomodo liceat per Bullam celebrare, vel celebrari facere Miſſam in priuatis Oratoriis.

1 NOta primò, de iure communi ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrari, & confici debere in templo ab Epiſcopo conſecrato: vt habetur *in cap. nullus presbyter. cap. ſicut Miſſarum: c. hic ergo, c. clericos, de conſecratione diſt.* 1. & quamuis ibi præcipiatur, vt locus ſit conſecratus, vſus tamen obtinuit, vt ſufficiat locum eſſe benedictum. Ex quo colligunt communiter Doctores, eſſe peccatum mortale ſine rationabili cauſa, extra huiuſmodi loca celebrare, eſt. n. res grauis, tum etiam, quia *in c. nullus. citato*, hoc prohibetur ſub periculo amiſſionis ſtatus: quæ pœna cùm grauis ſit, grauem culpam ſupponit. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus licet extra prædicta loca celebrare.

Primus eſt, caſus neceſſitatis, ex *c. ſicut. & c. concedimus, de conſecrat diſt.* 1. vt cùm multi peregrini ad paruum Oratorium deuotionis cauſa concurrunt, quorum magna pars in ipſo Oratorio non poſſent audire Miſſam, tunc enim extra Oratorium, in loco apto, & decenti poteſt dici Miſſa; præmittenda tamen eſt licentia Ordinarii, ſi commodè adiri poteſt: Sic in bello in tentorio, aut ſub dio Miſſa celebratur.

2 Secundus eſt, priuilegium Papæ, quale habent multi Religioſi, de quibus Suarez *in* 3. *p. q.* 83. *diſp.* 81. *ſect.* 3. Vide Rodrig. *tom.* 1. *q.* 43. quæ Regularium priuilegia per Trid. *ſeſſ.* 22. *in decreto de obſeruandis*, ſunt reuocata, vt docet Suarez *dict. ſect.* 3. Azor. 1. *p. li.* 10. *c.* 26. *q.* 7. Coninch. *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *n.* 226. & fauet Nauarr. *c.* 25. *n.* 82. contra Rodriguez *tom.* 5. *q.* 43. *art.* 4. & 5. quod intellige niſi ſint poſt Trid. renouata, de qua renouatione vide Rodrig. *tom.* 1. *q.* 43. *art.* 4. & 5. *q.* 28. *art.* 3. & Ioan. de la Cruz *de ſtatu relig. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7.

3 Tertius eſt, licentia Epiſcoporum.: Epiſcopi enim olim poterant permittere alicui, vt celebraret quocunque loco honeſto in altari portatili: patet ex *c. Miſſarum, de conſ. d.* 1. illis verbis. *In locis ab Epiſcopo conſecratis, vel vbi Epiſcopus permiſerit.* & *c. hic ergo, eod. tit.* illis verbis: *In aliis locis ſacrificari, & Miſſas celebrari non licet, niſi in his quibus Epiſcopus iuſſerit.* Hæc autem facultas, vt docet Nauarr. *c.* 25. *n.* 81. & 82. & *conſ.* 1. *de conſt. n.* 76. *lib.* 1. Suarez *ſup. ſect.* 3. *cit.* & multi, quos Cenedo *q.* 44. *num.* 5. & 6. reſtricta eſt per Trid. *ſeſſ.* 22. *decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ*, vbi præcipit Epiſcopis, ne patiantur in priuatis domibus, aut omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi, non obſtantibus priuilegiis quibuſcumque.

4 Quibus verbis prohibet Concilium Epiſcopis, ne concedant licentiam celebrandi extra Eccleſiam

clesiam vel Oratorium ab ipsis designatum. Nihilominus tamen non videtur per Trid. omnino Episcopis ablata potestas, quin in aliquo casu rarò necessitatis extraordinariç possint dispensare, & licentiam dare celebrandi in loco apto, & honesto, etiam si non sit ad diuinum cultum deputatus, sed statim in communes vsus conuertendus, vt bene aduertit Nauarr. *c. 25. num.* 81. Suar. *sup dis.* 81. *sec.* 3. & multi quos Cened. *quæst.* 44. *n.* 6. Hanc tamen licentiam concedere non possunt alij inferiores Prælati, etiam habentes quasi Episcopalem iurisdictionem, vt probat Rod. *t.* 1. *q.* 43. *a.* 6. & Cenedo. *sup. n.* 6.

5 Nota secundò, ex illis verbis Trid. *sup.* videlicet, *vel Oratorium ab ipsis designatum, & visitatum*, colligere Doctores esse ab ipso Trid. Episcopis concessam facultatem designandi, & visitandi Oratoria, in domibus priuatis, ad diuinum cultum dicata, & ad Missam celebrandam. Admonent etiam, hanc licentiam non esse passim, & sine maxima necessitate concedendam: non enim (aiunt) possunt Episcopi virtute Trid. has licentias indifferentes concedere, nisi attenta rei necessitate, & personæ qualitate: v. g. Ducis, Comitis, vel alterius valde nobilis, & hoc in casu infirmitatis, vel alia graui causa, vt declararunt Cardinales *in decreto de obseruandis. sess.* 22. *Concil. Trid.* quas ibi vide. Quare absoluiè non videtur Episcopis ablata per Tridentinum potestas concedendi licentias celebrandi in priuatis Oratoriis, sed tantù ne indifferanter, passim, & sine discretione personarum, & ne sine magna necessitate concedantur. Vide Ledesma in *Summ. part.* 1 *tracta-tu de Eucharistia, cap.* 50. *conclus.* 2. & Graffis *lib.* 2. *decis. cap.* 41. *n.* 7. Quæ omnia, etsi vera, concedamus vsque ad annum 1615. postea tamen admittenda non sunt: nam S. C. Cardinalium de mandato Pauli Quinti Pontificis Maximi, suo decreto anno 1615. die 25. Octobris, & publicato Valentiæ 13. Februarij 1616. licentias omnes celebrandi in Oratoriis ab Episcopis concessas irritauit, & ab ipso Papa concessas suspendit, & prohibuit Episcopis, ne concedere possint facultatem celebrandi in priuato Oratorio absque Sedis Apostolicæ expressa licentia. Insuper declarat, concessionem huiusmodi licentiæ & spectare, & semper pertinuisse ad solum Summum Pontificem, & nunquam Ordinarium eas potuisse concedere vigore Trident. *sess.* 22. *in decreto de euitandis*; imò potiùs in indebitum sensum ea verba Concilij detorquentes, hanc sibi licentiam vsurpasse. Qua declaratione sic stante, correctæ sunt doctrinæ contrariæ. Postmodum verò anno 1618. die 30. Iulij, idem Paulus, de consilio Cardinalium, concessit Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, facultatem visitandi, designandi, & approbandi Oratoria, & licentiam celebrandi in dictis Oratoriis, cum his limitationibus. *Prima*, vt huiusmodi licentia celebrandi in Oratorio priuato solùm concedatur personis nobilibus, senio, & infirmitate impeditis, durante tantùm impedimento. *Secunda*, quòd dicta licentia non suffragetur nisi ministris omnino necessariis, ita vt alij præcepto Ecclesiç minimè satisfacere censeantur. *Tertia*, quòd in singulis Oratoriis vna tantùm dicatur Missa. *Quarta*, quòd ab hac licentia excipiantur dies Paschæ, Natiuitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & alia festa solemnia, nisi talis esset persona, quç ob iustum impedimentum nullo modo posset adire Ecclesiam. *Quinta*, quòd in eadem domo duo Oratoria minimè concedantur. *Sexta*, quòd hçc licentia solum duret per sex annos. Aliç apponuntur etiam conditiones, sed hæ faciunt ad nos, quas videre poteris apud Quarantam *in suo Bullario, verbo, Missa, fol. mihi* 303. & Riccium *in sua praxi, decis.* 538. *pag. mihi* 569. & nouissimè in supradicto decreto de anno 1618. & Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, tom.* 2. *alleg.* 23. *pag.* 152. Quare vt modò absolutè possit celebrari in Oratorio, requiritur licentia Summi Pontificis, aut Nuncij, aut Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, seruatis tamen supradictis conditionibus. Obiter nota supradictum decretum tantùm comprehendere Oratoria in priuatis domibus existentia, non verò Capellas & Ecclesias publicas ab eiisdem priuatis domibus omnino seiunctas, ad quas liber patet accessus, & habent ostium patens in via publica. Prout refert declaratum à S. Congregat. Card. Barbosa *de iure vniuerso lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 28.

6 Nota tertiò, Oratorium dici locum orationi deputatum, vbi Missa non dicitur nisi certis diebus, de licentia tamen Episcopi. Ita Innocentius *in cap. authoritate, de consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.* Vnde Ecclesia differt ab Oratorio; quia Ecclesia principaliter deputatur ad celebrandum, & orandum, per Episcopum consecratur, vel benedicitur, & constituitur ibi dos pro ministris, & cultu diuino, ex *cap. nemo Ecclesiam ædificet, de consecrat. distinct.* 1. Oratorium verò non consecratur; nec constituitur ibi dos, nec fit principaliter vt ibi celebretur Missa, sed vt ibi oretur; nec habet campanam publicam, sicut habet Ecclesia. Ita Abb. *in cap. fin. de censibus num.* 3. Graffis *lib.* 2 *decisio. cap.* 42. *num.* 7. & multi, quos sequitur Remigius *de immunitate Ecclesiæ, ampliatione* 2. qui circa medium ampliationis dicit *n.* 7. Oratoria alia esse priuata, alia verò publica. Oratoria priuata dicuntur illa, quæ sunt in priuatis domibus, in angulis earum, in quibus oratur, & de licentia Episcopi dicitur Missa, & non habent campanam, neque ostium patens in via publica. Oratoria verò publica dicuntur, quç in aliquo loco publico ad instar basilicç, vel capellæ, authoritate Episcopi sunt fundata, & habent campanam, & ostium patens in via publica: de quibus vide Fuscum *de visitatione Ecclesiæ lib.* 2 *cap.* 12. & Remig. *supr.* vbi multa de Oratoriis, & Barbos. *lib.* 2. *de iure vniuerso cap.* 8. His notatis, quidam existimat, & insinuat Rodrig. § 5. *n.* 4. *& in addit. ad* § 5. *sup n* 4. *n.* 1 per illa verba Bullæ *vt in oratorio priuato possint celebrare, vel celebrari facere, &c.* duo concedere Pontificem habenti Bullam; & quòd possit habere in domo sua Oratorium designatum, & visitatum ab Ordinario, & quod in eo, sic designato, & visitato per Ordinarium, possit celebrare, vel celebrari facere, etiam interdicti tempore: ita tamen, quod facta ab Episcopo approbatione Oratorij, non sit in eius potestate impedire, quominus quocumque tempore, ratione Bullæ in eo celebretur: nam Episcopo sola approbatio committitur, qua facta, functus est officio suo, & licentia in eo celebrandi est à Papa, quam Episcopus habenti Bullam non potest impedire. Probatur hæc sententia: nam etsi apertè non habeatur in Bulla, videmur tamen id supponere verba sequentia: *Item conceditur vt possint in Oratorio, ad diuinum tantum cultum deputato ab Ordinario designando, vel visitando, diuina officia per se, vel per alios celebrari.*

6 Attamen etsi verissimum sit licere per Bullam celebrare, vel celebrari facere in Oratorio priuato ab Episcopo approbato, existimo tamen per illa verba Bullæ nullo modo concedi etiam habenti, vt possit habere in domo sua Oratorium ad diuinum cultum, & ad Missam celebrandam. Ducor, quia Bulla indifferenter conceditur omni-

bus cuiuscumque conditionis, & status fuerint; ergo omnes sine delectu, etiam mediocris facultatis, & infimæ sortis, vellent, & possent habere Oratoria priuata; quod cederet in vilipendium tam tremendi sacrificij, & maximum Parochialium Ecclesiarum damnum: quod nullo modo est de Summo Pontifice præsumendum, imò potiùs contrarium vt constat ex prædicta declaratione Cardinalium iussu Pauli Quinti edita, qui propter reuerentiam tam tremendi sacrificij, & abusum fidelium, nullum ferè discrimen (vt ibi habetur) inter Ecclesiam Dei, & hominum habitationem potentium, omnes licentias, ab Ordinariis in priuato Oratorio celebrandi concessas, omnino abrogarunt. Igitur si dicta licentia soli Pontifici reseruatur, & quæ antea erant concessæ, propter abusum, & irreuerentiam sunt derogatæ, & quæ de nouo conceduntur cum tanta difficultate, & tantis conditionibus, & limitationibus conceduntur, præsumendum non est intentionem Pontificis esse, eas tam facile, & sine delectu, & discretione personarum concedere. Non ergo concedit Pontifex vt habens Bullam possit habere Oratorium designatum, & visitatum ab Ordinario. Vnde non est audiendus Ludou à Cruce *in exposit. Bull disp.* 1 *cap* 5. *dub* 1. *num* 5. asserens habentem Bullam posse compellere Ordinarium vt approbet Oratorium, & dato quod nolit approbare, & dare licentiam celebrandi, licentiam petitam, & negatam haberi pro concessa, & posse tunc vti prædicto Oratorio, & in eo celebrari per se, vel per alium, non enim talis licentia habenti Bullam conceditur, vt *d. cap.* est tamen probabile posse celebrare in Oratorio approbato à quocumque Ordinario, in quo consentio cum Ludouic. *supr. num.* 4. sicut est probabile posse eligi in confessarium approbatum à quocumque Ordinario, vt *d. c. infr.* §. 7. *dub.* 2. *&* 3.

8 Obiter aduerte, Alphonsum Perez de Lara *in suo libro trium gratiarum, cap.* 59. referre hæc verba: *El Comissario general tiene facultad de dar licencia para dezir Missa in Oratorio particular, si endo primero visitado por el Ordinario, y en altar portatil,* de quo infra agentes de facultate Commissarij, §. 5. *in fine.*

9 Concedit igitur Bulla, vt docent Rodrig. §. 5. *n.* 4. *&* *in add. ad* §. 5. *n.* 1. & Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *n* 4. vt qui habet Oratorium ab Episcopo approbatum, visitatum, & designatum, possit in eo per seipsum celebrare, vel per alium celebrari facere Missam, etiam tempore interdicti, in sua familiarium, & domesticorum præsentia. Non quod hanc clausolam Bullæ concedat Pontifex Episcopis facultatem visitandi, designandi, & approbandi Oratoria, vt in eis celebretur Missa; quia, vt dictum est, eis Bulla talem facultatem non impartitur: & ex alia parte per supradictum Congregationis decretum omnino Episcopis ea facultas est ablata. Sed quod supposita licentia celebrandi in Oratorio aliàs à Papa, Nuncio Apostolico; seu ab ipso Episcopo tanquam Sedit Apostolicæ delegato concessa, possit habens Bullam in eo Oratorio celebrare, vel celebrari facere, etiam tempore interdicti, in sua familiarium, & domesticorum præsentia.

10 Sed dicet, si Episcopus virtute Bullæ non potest designare Oratoria, & in eis licentiam celebrandi concedere, & ex alia parte in Oratorio modo vt suprà designato, & approbato, aliàs iam celebrare licebat quod priuilegium concedit Bulla? Respondeo maximum: quia licentia concessa à Nuncio Apostolico, vel Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato celebrandi in Oratoriis, non extenditur ad tempus interdicti generalis loci, vt videre est in literis concessionis. Imò priuilegium celebrandi diuina concessa tempore interdicti generalis loci, *in cap. Alma mater.* §. *aduenimus, de sententia excommunicationis, in* 6. non extenditur ad Oratoria approbata, vt insinuat Couarr, *cap. Alma mater. p.* 2. §. 4. *n.* 2. & tenent Rodrig. *in add ad* §. 5. *n.* 1. & Sanch. *lib.* 7 *de matr. disp.* 8. *n.* 13. & ait probabilem Suar. *de censur. disp.* 34. *sect.* 1. *n.* 9. quamuis ipse contrarium sequatur, vt dictum est à nobis *hoc* §. 3. *dub.* 1. *notabili* 5. At ratione Bullæ non solùm extra tempus interdicti; sed etiam interdicti tempore, si locale, & generale sit, celebrare, vel celebrari facere licet, vt habetur expressè in Bulla illis verbis: *etiam interdicto durante,* nam particula *etiam,* vt benè Rodriguez *in addit ad* §. 5 *n.* 1. clarè ostendit hanc facultatem pro quocumque tempore anni concedi, ac si diceret: Non solùm licet in dictis Oratoriis celebrare tempore habili de iure, sed etiam tempore interdicti: & quoniam tempore interdicti maior erat difficultas, proinde addit Bulla, *etiam interdicto durante.* Quid autem nomine familiarum, & cognatorum comprehendatur, dicetur dubio sequenti.

11 Hoc tamen aduerte, etiam si per Bullam concedatur licentia celebrandi in Oratorio tempore interdicti, modo vt suprà, vtendum esse hac facultate cum maxima circumspectione, moderatione, & rarissimè: imò si fieri posset, nunquam, præsertim si in aliqua diœcesi vigeat mos, vt tempore interdicti solùm in Ecclesiis, & minimè in Oratoriis celebretur, tunc enim laudabile, & rationi consonum est hanc consuetudinem obseruare, & se tuti communi conformare. Etenim negari non potest, Oratoria non esse loca tam apta, & commoda ad decentem celebrationem diuinorum, sicut est Ecclesia, ac proinde meritò Summi Pontifices raro, & maxima circumspectione licentiam celebrandi in Oratoriis concedunt, & cum multis limitationibus, de quibus suprà; & præcipuè vt locus sit visitatus, & approbatus ab Ordinario, vt constet esse aptum, & decentem ad tanti sacrificij celebrationem: nam, vt bene Cenedo *q.* 44. *n.* 10. dicere Missam in domibus priuatis approbatis, de se odiosum est ad reuerentiam debitam huic sacrificio, & hæc materia exorbitat à iure communi, ac proinde mirum non est, si requiratur maxima moderatio, & circumspectio ad hoc, vt hac vtamur facultate. Hinc fit, vt benè aduertit Rodriquez *in addit. ad* §. 5. *num.* 1. etiamsi supposita approbatione Oratorij, modo, vt suprà, liceat in eo per Bullam quocumque die anni celebrare, vel celebrari facere, vt etiam tenet Lud. à Cruce *in expos. Bull disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 1. *n.* 3. tum quia c. *si quis, de consec. dist.* 1. vbi prohibetur celebrare in Oratoriis in magnis festiuitatibus, per contrariam consuetudinem est abrogatum, vt cum Nauarr. *cap* 21. *num.* 5. tenet Lud. *supr. num.* 3. tum, quia Bulla, vt *dict. cap.* indifferenter loquitur, non tamen decere, nec expedire, vt in illo diebus solemnibus celebretur: decet enim maximè viros nobiles, & magnates in Paschate, & aliis solemnibus festis ad aliorum ædificationem suas Ecclesias frequentare, præsertim hac nostra ætate, cum vix aliquis reperiatur, qui suam conueniat parochiam. Addit tamen Rodriguez suprà: non posse Episcopum habenti Bullam prohibere, ne celebrare faciat vel Missam audiat in oratorio, aliàs approbato, etiam in supradictis festiuitatibus; quia id eis Pontifex concedit absque vlla die & temporis differentia.

12 Quòd si dicas, nunc post supradicti decreti

promul

promulgationem non licere in Oratoriis diebus solemnibus celebrare, & extra illos dioa solùm licere vnam Missam dicere cum limitationibus supradictis hoc dubio, *numero* 5. Respondeo, hoc verum esse, ita vt vigore illius indulti solùm liceat cum limitationibus, & conditionibus ibi contentis, in Oratorio celebrare: at supposita Oratorij approbatione, & concessione, videtur concedere Pontifex per Bullam Cruciatam, vt possit in eo celebrari absque limitationibus supradictis, eo quòd talis licentia absolutè, & sine temporis, & personarum differentia in Bulla concedatur. Sic etsi Parochus ex vi suæ approbationis solùm possit suas oues absoluere, at, supposita approbatione, si ab habente Bullam eligatur, potest alienas, non vigore suæ approbationis; sed quia supposita approbatione Papa ei, per Bullam iurisdictionem confert. Sic in hoc casu, etsi nunc in Oratorio approbato, solùm possit strictè, & limitatè celebrari, & audiri Missa virtute approbationis, at supposita ea approbatione, per Bullam Papa de nouo confert absolutè licentiam celebrandi, & audiendi Missam. Quod insinuare videtur ipse Pontifex, qui non immemor decreti Congregationis supradicti post illius promulgationem in Bulla confert supradictam facultatem, & concedit Cruciatæ Commissario facultatem suspendendi ea, quæ sunt Bullæ contraria. Ac proinde Pontifex per Bullæ concessionem, & promulgationem factam post supradicti decreti promulgationem censetur non obstante supradicto decreto supradictam facultatem in hac Bullæ clausula contentam concedere. Vide à simili Henriquez *lib. 3. de pœnitent. cap. 10. num. 2. lit. K. in decreto de abersu,* à Sixto V *anno* 1596. *& infr. § 7. capit. 2. dub. 8. vers. Quares igitur,* Nihilominus tamen consulendum semper censeo, vt rarissimè hac vtatur facultate, propter decentiam tam tremendi sacrificij, & maximè vt curent fideles se conformare laudabili consuetudini, & piis monitis ac exhortationibus suorum Episcoporum obtemperare.

13 Dices secundò. Quid ergo important illa verba Bullæ: *In priuato Oratorio ad diuinum tantùm cultum deputato, ab Ordinario visitando, & designando celebrare possit,* &c. Respondeo esse clausulam ordinariam; & ideo poni; non quia per eam concedatur facultas Ordinariis concedendi licentias celebrandi in Oratoriis, vt constat ex dictis, sed quia quotiescumque à iure, vel à Pontifice, supradicta licentia conceditur, apponitur *quasi* tanquam conditio, quòd locus ille sit designatus ac visitatus ab Ordinario, vt diligenter circumspiciat, an sit aptus & decens ad tanti sacrificij celebrationem. Ita deducitur ex iuribus, & authoribus suprà citatis. Vide Riccium *decis.* 538. *cit.*

Dvb. V.

De auditione Missæ in priuatis Oratoriis, & de conditionibus obseruandis.

1 Concedit Bulla eam habenti, vt possit non solùm per se celebrare, vel celebrari facere in Oratorio priuato deputato ad diuinum cultum, & ab Ordinario visitando, & designando in sua, familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum, modo *in sup. dub.* explicato; sed etiã vt in præsentia eorundem audire Missam, quæ in dicto Oratorio celebratur, quamuis familiares, domestici, & cognati Bulla careant: & hoc tam interdicti tempore, quàm extra illud. Conditiones obseruandæ, & per Bullam assignatæ, vt quis dicto priuilegio gaudere possit sunt. *Prima*, vt non dederit causam interdicto, vel per ipsum non stet quominus amoueatur. *Secunda* est, vt quoties prædicto Oratorio ad prædicta vti voluerit, oret pro vnione Principum Christianorum, & pro victoria contra infideles. Et potest addi *tertia* quæ expressè ex verbis Bullæ colligitur, scilicet vt habens Bullam intersit simul cum familiaribus domesticis, & consanguineis. Videndum tamen est quid per familiares domesticos, & consanguineos intelligatur, & an omnes supradictæ conditiones sint de essentia, vel tantùm de præcepto, ad fruendum hoc priuilegio.

2 Quoad primum dico. Per familiares, & domesticos intelliguntur non omnes familiares, sed solùm commensales, qui expensis habentis Bullam, & Oratorium, continuè aluntur, etsi aliquando pro negotiis ferendis domini abesse ab illius dominio contingat. Ita explicat Lopez *c. 6. de clausibus.* Et confirmatur, quia in *c. insinuante. de officio delegati,* familiares dicuntur habitantes in domo, licèt aliquando absint. Et *cap. sicut. de verborum significatione. §. verum dicit, in 6.* per familiares intelliguntur illi, qui non sunt quæsiti, vel recepti per fraudem ad gaudendum hoc Bullæ priuilegio, vel aliis. Ex quo infert Lopez, mulieres pedisequas (idem dic de famulis illius generis) quæ solent diebus festis comitari aliquam mulierem nobilem, vel potentem earum dominam, dum foras ad audiendam Missam (vel aliud opus) prodit, quæ non sunt domesticæ commensales, neque cum prædicta domina habitant, sed aliquando solitæ sunt venire de foris ex propriis suis domibus solùm ad præstandum illum comitatum, stando in rigore iuris, & huius concessionis, non posse in proprio Oratorio huius dominæ cum illa, & in præsentia illius audire Missam tempore interdicti; quia istæ pedisequæ foraneæ non sunt domesticæ, & commensales, sicut sunt quæ in domo illius dominæ manent. Vnde nec familiares propriè dicuntur. Ideò forsan addit Bulla, *familiares, & domestici.* Possunt tamen supradictæ comitari ipsarum dominam ad Ecclesiam & cum ea tempore interdicti ibi audire Missam, si domina, vel dominus talis erat status, vel qualitatis, quæ sine illis ad Ecclesiam ire non consueuerat, & tales pedisequæ dominam suam comitari solebant, quamuis in illius domo non habitent, vt diximus suprà *hoc §. dub. 2. dicto* 1. & habet Villalobos *tract. 27. clans. 4. num.* 15. Ratio disparitatis est, quia in casu Ecclesiæ, si supradictæ mulieres pedisequæ non comprehenderentur sub nomine familiarium, & domesticorum, priuilegium redderetur inutile his qui non possunt decenter incedere sine dicto comitatu; in casu autem Oratorij priuilegium sufficienter operatur suum effectum, si tantum familiares modo explicato intelligantur: nam quando priuilegium est contra ius commune, licèt ita sit interpretandum, vt operetur aliquid contra ius commune, dato tamen aliquo in quo illud operetur, restringendum est, ne operetur alia, in quibus saltem non est eadem ratio: Ita Nauar. *cons. 15. num. 1. & cons. 12. num. 3. de priuileg. lib. 5.* cum Panorm *in cap. certificari, num. 10. de sepult.* quod colligit ex *capit. his, de priuilegiis,* & multi alij, quos Henriquez *libr. 7. cap. 30. num. 2.* at non militat eadem ratio in domino, vel domina audiente Missam in Ecclesia, ac in illo, vel illa quæ audit eam in Oratorio respectu familiarium; ergo

non est eodem modo priuilegium interpretandum respectu familiarium. Hæc autem omnia intelligenda sunt tempore interdicti, & de familiaribus non habentibus Bullam: nam eam habentibus, ipsa eis concedit, vt etiam eo tempore possint in Oratorio, in quo aliàs licitè celebratur, Missam audire: vt patet ex ipso texto sæpè citato.

3 Dico secundò, Consanguineorum nomine intelliguntur, qui sunt verè, & propriè consanguinei vsque ad quartum gradum, iam in linea recta ascendentium, & descendentium, quàm collateralium, seu transuersalium, eo modo quo diximus suprà *hoc §. dubio 2. dict. 2.* & habet Villalobos *tract. 27 clauſ. 4. nu. 16.* nam Bulla generaliter loquitur, & sub nomine consanguineorum intelligitur vxor, & è contra, vt dictum est *loco citato*. Igitur habens Bullam potest tempore interdicti localis generalia conuocare famulos, & famulas qui ipsum comitari solent, & adducere ad Ecclesiam vt secum Missam audiant; & pater, aut mater, vel alius, suos consanguineos, vsque ad quartum gradum, & domesticos, vt secum in Oratorio etiam tempore interdicti Missæ intersint.

4 Circa conditiones obseruandas dico tertiò, certum esse primam esse omnino necessariam. Colligitur apertè ex Bulla. ibi: *Dummodo causam non dederint interdicto.* Similiter existimo tertiam esse omnino necessariam, vt docet Rodriguez *§. 5. num. 4. & 5. & in addit. ad §. 5. nu. 2.* Vnde vt tempore interdicti familiares & cognati possint assistere diuinis in Ecclesia, vel Oratorio, debent assistere simul cum domino, vel cognato habente Bullam: patet ex verbis Bullæ: *in præsentia familiarium*, &c. Quare si dominus habeat multos familiares, & consanguineos, & cum aliquibus audiuit Missam, nequeunt reliqui familiares, vel cognati, absente domino, vel consanguineo habente Bullam, aliam Missam audire. Ita communiter Doctores: poterit tamen dominus, vel consanguineus in Ecclesia assistere alij Missæ, vel in Oratorio aliam Missam celebrare facere simul cum reliquis familiaribus, vel consanguineis: contra Auilam *de censuris part. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 7. §. 5.* qui oppositum iudicat satis probabile: nam Bulla non limitat ad vnam Missam, & sic Henriquez *lib. 7. cap. 13. n. 4.* ait, in Oratorio etiam tempore interdicti Missas ratione Bullæ celebrari posse. Secundam verò conditionem verius existimo non esse de necessitate, sed tantum de præcepto. Ita Auila proximè citatus in hoc dicto Henriquez *lib. 13. cap 48. numer. 4. in fine.* & Rodriguez *§. 5. num. 4 & in addit. ad eundem §. & numerum*: qui Henriquez ait, ita declarasse quendã Commissarium generalem Cruciatæ: patet ex iis verbis Bullæ: *Eis tamen qui priuato Oratorio ad præmissa vti voluerint, vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro vnione Principum Christianorum, & victoria contra infideles fundere teneantur, imponitur.* Vbi verbum, *imponitur*, non necessitatem, & conditionem, sed solùm præceptum importat: quod ideo imponitur, vt memores sint ordinationis Concil. Triden. *sess. 22. de obseruandis*, vbi præcipitur, vt in priuatis Oratoriis sacrum non celebretur, nisi qui intersint decenti corporis habitu, & mente etiam, ac deuoto corporis affectu adsint. Hoc autem præceptum non obligat ad mortale, sed tantùm sub veniali, vt bene docent Henriquez & Rodriguez citati, quos sequitur Villalobos *tract. 27. clauſ. 4. num. 13.* rum etiam, quia materia leuis censetur: nam post istam concessionem assistendi Missæ in priuato Oratorio proponit Papa aliam maiorem, videlicet recipiendi Eucharistiam, & alia sacramenta in Oratorio priuato, excepto die Paschatis; & tamen in hac concessione non obligat ad istam orationem; ergo nec in prima concessione. Imò neque erit venialis transgressio talis præcepti, si, ex obliuione naturali, aut ex ignorantia inuincibili, omittatur. Aduertit Rodriguez *§. 5. nu. 4.* non obligari ad istam orationem eos, qui in Ecclesiis, vel monasteriis, tempore etiam interdicti, non autem in Oratoriis, ratione Bullæ audiunt Missam, quia id aperte indicant verba Bullæ Latinæ, & Hispanæ. ibi: *Con que las vezes que quisieren vsar del dicho oratorio para lo que dicho es, rezen, y hagan oracion*, &c. Nota, conditiones, quæ requiruntur ad audiendam Missam tempore interdicti, requiri modo explicato, ad celebrandam Missam in iisdem priuatis Oratoriis, & ita requiritur quod fiat oratio supra dicta, quod non dederint causam interdicti, & præsentia habentis Bullam, de quo vide Rodriguez *in addit. ad §. 5 n 5.* ibi: *Acerca*. Quæ omnia etsi vera sint, vtendum tamen est supradicta facultate, per quam rarissimè, & cum limitationibus & moderationibus dub. superiori assignatis.

Dv b. VI.

An qui tempore interdicti possunt ratione Bullæ, vel alterius priuilegij, audire Missam, illam audire teneantur.

1 PRima sententia asserit non teneri: quam tenet Auila *4. part de censur. disp. 4 sect. 2. dub. 6. concluſ. 2.* aliqui Salmanticenses, quos refert Henriquez *lib. 13. c. 48. nu. 5. litt. D. lib. 7. c. 13. n. 3. lit I.* & alij pauci, quos refert Cenedo *q. 44. n. 1.* quam dicit probabilem Diana *tract. 11. resol. 2.* Fundamenta autem, & rationes quibus hæc sententia nititur, infrà proponemus, & soluemus.

2 Secunda sententia affirmat teneri: hanc tuentur quamplurimi & grauissimi Doctores, Sotus *in 4. dist 13. q. 2. artic. 1. versic. Vnus autem, & dist. 22. q. 3. art. 1. vers Adde hic*, Nauarrus *c. 21. num. 3.* Viualdus *in Candelab. de interdicto §. 8. n. 13.* Medina *in Summ. 1. part. c. 11. §. 13. vers. La primera, & in c. 14. §. 40. vers. Però no se escusa*, Suarez *3. p. q. 43. art. 6. disp. 88. sect. 6. vers. Soles etiam.* Ledesma *in sum. tract. de Eucharistia, c. 27. concl. 16. vers. La segunda difficultad.* Henriquez *libr. 7. c. 13. nu. 3. in fin & in lib. 9. de Missa, c. 25. n. 11.* Rodriguez *§. 5. num. 6.* Azor. *1. tom lib. 7. c. 2. vers. Tertio quæritur*, Villalob. *tract. 27. clauſ. 4. num. 18.* & alij, quos refert, & sequitur Cenedo *dict. q 44. num 5.* Qui omnes affirmant, quòd habens priuilegium, v. g. Bullam, vel gratiam audiendi Missam tempore interdicti, nisi interdictus sit ipse, vel causam dederit interdicto, non audiens Missam in diebus festiuis Ecclesiæ, peccat mortaliter modò possit sine nimia difficultate eam audire. Quæ sententia (etsi contraria non sit improbabilis) verior est, & in praxi tenenda. Et eam etiam vt probabiliorem tenet Lud. à Cruce *in expositione Bull disp. 1. c. 5. dub. 4. n. 5.* Castro Palao *de leg. tract. 3. disp. 4. part. 7. n. 2. & 3.* cum Bonacina *disp. 1. q. 3. par. 4. in fine.*

3 Probatur hæc sententia. Iste potest audire Missam, ergo tenetur. Quòd teneatur, probatur, quia interdictum in tantum excusat ab obligatione audiendi

diendi Miſſam, in quantum ponit impedimentum ad audiendum illam: vnde quacumque ratione hoc impedimentum tollatur, obligatio præcepti ſuam vim retinet, & tollitur excuſatio. Et confirmatur à ſimili. Si enim detento in carcere concedatur licentia, vt eat ad audiendam Miſſam, tenetur eam audire, vt communiter Doctores; ergo etiam in noſtro caſu: nam ideo in carceribus detentus tenetur audire Miſſam, ſi licentia concedatur, quia ſublatum eſt impedimentum; ſed reſpectu habentis Bullam ſublatum etiam eſt impedimentum; ergo etiam tenebitur. Reſpondet tamen Auila, impedimentum carceris eſſe impedimentum ipſius perſonæ, ſicut eſt impedimentum infirmitatis, & ideo illo ceſſante, currere obligationem audiendi Miſſam; at verò impedimentum interdicti impedimentum eſt iuris, cui (inquit) poteſt, ſi velit, ſe conformare. Quæ tamen reſponſio, cum pace tanti viri, nullum habet fundamentum, vt ait Cenedo *ſupra num. 18. verſic. Ad tertiam:* nam ſicut quodcumque impedimentum, ſiue iuris, ſiue perſonæ ſit, excuſat ab obligatione præcepti; ita ceſſatio cuiuſcumque impedimenti, eſt cauſa quare obliget præceptum: & ſic ſicut qui poteſt exire è carcere, tenetur audire Miſſam, quia ceſſat impedimentum, ita etiam qui habet Bullam, per quam ceſſat etiam impedimentum, & reſpectu huius non eſt interdictum.

4 Probatur ſecundò, quia, vt communiter docent Doctores (& inter eos quidam iunior) oppoſitæ ſententiæ, clerici, & religioſi, etiam nouitij, qui ſecundùm ius commune habent licentiam audiendi diuina tempore interdicti, tenentur diebus feſtis audire Miſſam. Rationem reddit, quia cùm huiuſmodi perſonæ, ſecundùm ius commune non prohibeantur ab audiendis, vel celebrandis diuinis officiis tempore interdicti, ſeruata moderatione præſcripta in *cap. Alma mater, de ſententia excommunicationis in 6.* non eſt (inquit) vnde excuſentur diebus feſtis ab audiendo ſacrum; at huiuſmodi priuilegiati habent licentiam ex priuilegio, & iure particulari; priuilegium enim quaſi lex priuata dicitur: & ſecundùm hoc ius non prohibentur ab audienda Miſſa; ergo ſicut illi non excuſantur ab hoc præcepto, nec iſti excuſabuntur. Ratio eſt, quia ideo illi non excuſantur, quia reſpectu illorum non eſt interdictum: at etiam reſpectu horum non eſt; ergo eadem eſt ratio.

5 Contrà dices primò. Nemo cogendus eſt vti ſuo priuilegio, vt expreſsè habetur *c. ſi tua de priuilegiis*, nam quod alicui conceditur in ſuum fauorem, non debet in illius grauamen retorqueri, *reg. quod ob gratiam de regulis iuris in 6. reg. 61.* Reſpondet *primò* Cenedo *ſup. num. 15.* quòd priuilegio conceſſo in fauorem animæ, quale eſt priuilegium audiendi Miſſam, cogitur quis vti, nam audire tunc Miſſam, non eſt grauamen, ſed maximus animæ fauor. Poteſt etiam quis cogi vti ſuo priuilegio, quando illi non poteſt renunciare, quale eſt clericorum, qui priuilegio canonis, vel fori renontiare non poſſunt. Reſpondet *ſecundò* & fortè meliùs, in noſtro caſu non cogi priuilegiatum vti ſuo priuilegio: nam priuilegium non eos obligat, nec tenentur ratione priuilegij, ſed tantùm ratione præcepti, quod eo caſu illos non impeditos obligat. Priuilegium namque ſolùm tollit impedimentum, & habet ſe tanquam remouens prohibens, ſcilicet remouet interdictum reſpectu illorum: quo remoto, etiam reſpectu illorum remanet quaſi expedita (vt ita dicam) obligatio præcepti, ratione cuius tenentur audire Miſſam; licèt enim liberū ſit acceptare, vel non acceptare priuilegium, eo tamen acceptato diebus feſtis tempore interdicti non liberum, ſed neceſſarium eſt audire Miſſam; quæ neceſſitas non ex priuilegio, ſed ex præcepto oritur modo explicato. Quòd ſi vrgeas poſſe priuilegiatum renuntiare ſuo priuilegio, ex *cap. ſi tua, cit. cap. videntibus, & cap. ad Apoſtolicam, de regularib.* reſpondeo verum eſſe regulariter loquendo, non verò ſemper, fallit enim *primò*, quando priuilegium cedit in bonum commune, quale eſt exemptionis clericorum. *Secundò*, quando vergit in fauorem animæ, quale eſt Bullæ priuilegium. *Tertiò* quando ſuppoſito priuilegio actus ex aliqua lege redditur obligatorius. Quidquid in noſtro caſu, ſi propriè loquamur, non cogitur vti priuilegio, imò potiùs dato priuilegio, quod liberè acceptauit, & remoto per illud impedimento cogitur ſe conformare præcepto Eccleſiæ, ratione cuius obligatur audire ſacrum vt dictum eſt.

6 Dices ſecundo. Tempore interdicti eſt obligatio laicis non audiendi diuina; ergo qui habet Bullam bene ſe poteſt conformare huic præcepto, vt ſic cenſuræ Eccleſiaſticæ non amittant ſuum vigorem. Reſpondeo, *primò*, eam obligationem ſolùm eſſe quoad eos, qui non habent priuilegium. Reſpondeo *ſecundò* cum Cenedo *ſuprà num. 16.* tempore interdicti non eſſe præceptum poſitiuum de non audienda Miſſa, ſed tantùm eſſe priuationem diuinorum, vt bene ipſemet Auila *ſup. in ſolutio. 3. argum.* quæ priuatio tollitur per Bullam, & ſic obligat præceptum audiendi Miſſam, quod non obligat tempore interdicti; ſicut præceptum ieiunij non obligat tempore ægritudinis, quod obligat ſublato impedimento infirmitatis; vnde non bene infertur, eum qui habet Bullam, poſſe conformare ſe præcepto non audiendi Miſſam, quia nullum datur præceptum, ſed tantùm priuatio, quæ per Bullam eſt reformata: imò audiendo Miſſam ſe conformat præcepto Eccleſiæ: nam non audire, nunquam fuit præceptum, ſed pœna acerbiſſima, quam tollit Pontifex per Bullam, & ſic qui audit diuina, conformat ſe intentioni Eccleſiæ, & eius capiti; qui verò non audit, non conformat ſe, ſed diſcedit ab eius voluntate, & intentione.

7. Nec obſtant illa verba Bullæ, *Que los que la tuuieren puedan oyr Miſſa en tiempo de entredicho*, &c. Nam non videtur Bulla in voluntate ſuſcipientis relinquere, vel audire, vel non audire Miſſam: ſi enim hoc voluiſſet, dixiſſet. Senſus ergo legitimus eſt, vt his qui Bullam ſuſceperint, tollatur impedimentum, & pœna acerbiſſima, qua priuati erant hoc ingenti bono ſpirituali, nec oportebat vt diceret Summus Pontifex: Habentibus Bullam præcipio vt audiant Miſſam; nam hoc iam eſt præceptum Eccleſiæ manifeſtum; neque illud iterare, vel repetere erat neceſſe, ſed dumtaxat tollere impedimentum, & obſtaculum impediens tam ſalutiferi præcepti obſeruantiam.

8 Dices tertiò. Si tempore interdicti diceretur Miſſa in aliqua Eccleſia non interdicta, in tali diſtantia quòd non comprehenderetur intra continentia mœniorum quamuis diſtantia non ſit tanta, vt deobliget homines ab audienda Miſſa quando non eſt interdictum, illo exiſtente non tenerentur homines illuc ire ad audiendam Miſſam. Reſpondeo ſupponere falſum: nam ſi diſtantia non ſit magna, & poſſit quis ſine magno labore, & detrimento ſuæ ſalutis, illuc ſe conferre, & audire Miſſam, ſiue ſit interdictum, ſiue non, tenetur illuc ire: quòd ſi periclitetur ſalus, vel cum magna difficultate poteſt quis iter peragere, excuſatur quis quocumque tempore ab obligatione præcepti audiendi Miſſam.

Ita Cened. *sup. num.* 17. eodem enim modo, vtroque tempore quis obligatur, vel deobligatur.

5 Dices quartò. Qui vi, vel ægritudine, vel alia quacumque ratione cogitur domi manere: etiam si habeat priuilegium, seu Oratorium ab Ordinario approbatum, iuxta Trid. *sess.* 22. *in decreto de obseruandis*, in quo conceditur, vt domi possit audire sacrum, non tenetur sub pœna peccati ad vtendum suo priuilegio diebus festiuis, vt docent Suarez 3. *part. quæst.* 83. *artic.* 6. *disputat.* 88. *sectio.* 6. Ledesma 1. *part. Sum. cap.* 27. *de Eucharistia, conclus.* 16. *versic. Acerca de esto es la duda*, & alij; ergo qui habet priuilegium tempore interdicti audiendi Missam, eu vti minimè erit adstrictus. Respondeo, & dico *primò*, hunc non teneri quærere Sacerdotem, & dare stipendium, vt sibi sacra celebret. Ita Ledesma *sup.* solùm enim tenemur audire Missam, non verò stipendium Sacerdoti ministrare: sic nemo cogitur sumere Bullam, vt tempore interdicti diuinis interesse possit: nullum enim extat de istis præceptum. *Secundo* respondeo, nec teneri sic impeditum, quamuis gratis inueniat celebrantem, in dicto Oratorio audire Missam. Ita Ledesma *suprà*, & Cenedo *suprà num.* 10. Ratio est, quia dicere Missam in priuatis domibus, & Oratoriis approbatis, de se est odiosum, & non tam decens ad reuerentiam debitam huic sacrificio, & præter generales canones Ecclesiæ, sicque nulla est obligatio vtendi tali priuilegio, ad satisfaciendum præcepto de audienda Missa, quia nimirum hoc non est tanti momenti quale esse potest, vt sacrificium in priuatis locis sine vrgenti causa non fiat; cùm longè melius sit Missam non audire, etiam si dies festus sit, quàm eam celebrare in domo, maximè si crebrò fiat, & sine rationabili causa, præsertim cùm quis ob alias causas non adeò graues, ab hoc præcepto deobligetur. Quo in casu, etiam cessante impedimento, excusatur ab hoc præcepto, ob reuerentiam sacramenti. Nec est eadem ratio in hoc casu, quæ est in casu interdicti: nam in casu interdicti, sublato impedimento, nulla fit dispensatio in iure communi: nam Missa dicitur, & celebratur, vt debet, & solet; at in hoc casu, sublato impedimento, non celebratur Missa, vt regulariter, & ordinariè celebratur, quia extra Ecclesiam dicitur, & in hoc casu veriùs habet locum illud axioma: *Nemo cogitur vti suo priuilegio*; quia hoc priuilegium non aufert impedimentum audiendi Missam, cùm non auferat violentiam, nec vim remanendi domi, sed tantùm vt possit vti suo priuilegio, quod est posse facere domi celebrare, ad quod non tenetur.

DVB. VII.

Quænam recipi possint Sacramenta tempore interdicti virtute Bullæ Cruciatæ.

1 REuocandum est ad memoriam, tempore localis interdicti prohibere ministrari hæc sacramenta: nimirum Extremam vnctionem, Ordinem, & sacram Eucharistiam; & hæc tantùm prohibetur sanis, non verò infirmis, vt dictum est hoc §. *dub.* 2. *not.* 1 est enim effectus localis interdicti, vt eo loco hæc sacramenta ministrari non possint, quamuis locus sit interdictus ab ipso Episcopo, quia interdictum locale habet tunc effectum à iure communi, in quo non potest dispensare Episcopus: vnde si in eo loco Episcopus velit Ordines celebrare, debet interdictum tollere.

2 Nota secundò. Tempore localis interdicti non licere clericis sanis, & extra probabile mortis periculum constitutis, ex eo quòd clerici sint, sacram Eucharistiam sumere, nisi quando sacrum celebrant, casu quo illis est licita celebratio, iuxta *cap. permittimus, de sententia excommunicationis*, & iuxta *cap. Alma mater, eodem titulo, in* 6. nam in hoc reputantur tanquam laici: non enim hoc priuilegium iure exprimitur; ergo censetur eis prohibitum, vt cum multis docet Henriquez *de interdicto, lib* 13. *c.* 45. *n. n.* 2. Similiter nec ipsis Clericis (imò nec Regularibus secluso priuilegio) licet tempore interdicti conferri Extrema vnctio, ex *cap. quod in te, de pœnitent. & remiss.* & docent Nauarr. *cap.* 27 *num.* 179 Couar. *cap. Alma mater.* §. 1. *n.* 7. & alij multi, quos Henriquez *lib.* 13. *c.* 45. *num.* 4. Attamen in articulo mortis, quando aliud sacramentum non est possibile, non est improbabile posse ministrari Extremam vnctionem, etiam ab excommunicato denunciato, & tempore interdicti, quia tunc videtur habere locum sacramenti Pœnitentiæ, & potest facere de attrito contritum. Quòd possit in eo casu à denunciato ministrari, docent Conink. 3. *p. q.* 64. *art.* 6. *dub.* 2. *n* 48. & Auila *de censuris*, 2. *par. c.* 6. *disp.* 3. *dub.* 3 *conclus* 4. si enim à denunciato potest tunc ministrari, poterit etiam tempore interdicti, in quo potest pœnitentia, cuius locum eo in casu Vnctio extrema tenere videtur. Verbi gratia, si postquam ostendit signa contritionis, amisit vsum rationis, ob idque non potest confiteri, & iam iam moritur, videtur tunc posse illi, etiam tempore interdicti, ministrare Extremam vnctionem; quia tunc locum pœnitentiæ habere censetur. Item nec habent clerici priuilegium, vt in loco interdicto sacramentum Ordinis suscipere possint. Henriquez *supra num.* 4. *cit. lit. M.* cum Nauar *dict. num* 179. & multis aliis, quia tunc omnia Sacramenta prohibentur, exceptis his quæ expressè conceduntur, & *cap. Alma mater*, solùm officia diuina indulget, nullum verò sacramentum concedit, nisi permissum iure antiquo: ministratio autem sacramenti Ordinis tali tempore vllo iure antiquo non reperitur permissa.

3 Concedit igitur Bulla, vt tempore generalis interdicti loci, possint laici, & clerici, qui nec ibunt, nec mittent ad bellum, si data stipe suprà declarata, Bullam acceperint, in Ecclesia, vel Oratorio recipere Eucharistiam, præterquam in die Paschæ, & alia sacramenta, scilicet Extremam vnctionem, & Ordinem. Ita Henriquez videndus *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. §. 4. *lit. S.* & Lop. *c.* 6. *de Bulla* & nouissimè Lud. à Cruce *disp.* 1. *in exposit. Bull. c.* 5. *dub.* 5. *num.* 1. & 2. Nam hæc duo intelliguntur sub nomine, *alia Sacramenta*; quia hæc duo tali tempore sunt prohibita, quæ concessio nouum continet priuilegium: nam ex eo quòd quis habet facultatem habendi Oratorium, & in eo diuina celebrandi, non ideo habet facultatem, vt in eo, tempore interdicti, possint recipi dicta Sacramenta; quia solùm permittit diuina officia, non verò dicta Sacramenta; & ex alia parte diuina audire, & Sacramenta recipere, res sunt distinctæ, ac proinde in concessione diuinorum officiorum non comprehenduntur Sacramenta. Addit tamen Lopez *vbi suprà*, etiam tunc in Oratorio posse recipere benedictiones nuptiales, eo quòd se habent consequenter ad matrimonium, præsertim vbi est in vsu.

4 Nota, sacram Eucharistiam ratione Bullæ, sumi posse in Oratorio approbato, non solùm tempore generalis interdicti, sed etiam extra illud. Nam

Bulla

Bulla Latina eodem modo concedit facultatem celebrandi in Oratorio, ac in illo recipiendi sacram Eucharistiam; sed in Oratorio potest celebrari etiam extra tempus interdicti, vt dictum est suprà *hoc §. dub. 4 circa finem*, & indicant expressè illa verba, *etiam interdicti tempore*. quod clarius habetur in Bulla Hispana, his verbis: *Que puedan aun en tiempo de entredicho Apostolico, o ordinario, oyr Missas en las Iglesias, y monasterios, y oratorio particular, señalado, y visitado por el Ordinario, dezir Missa, y otros diuinos officios por sus personas, si fueren presbyteros, o hazerlos celebrar a otros en su presençia, y de sus familiares, y parientes, y recebir el santo Sacramento de la Eucharistia, y demas Sacramentos, salue el dia de la Pasqua.* Ex quibus patet, sumptionem sacræ Eucharistiæ in Oratorio non solùm licere tempore interdicti, sed etiam extra interdicti tempus. Quod denotant illa verba, *Aun en tiempo de entredicho*, & illa copulatiua, *y recebir el santo Sacramento de la Eucharistia*, quæ copulat hanc facultatem cum facultate celebrãdi in Oratorio etiam tempore interdicti; sed in Oratorio licet celebrare etiã extra tempus interdicti; ergo & recipere sacram Eucharistiam extra illud tempus. Nihilominus tamen etsi hęc vera sint in rigore Theologo, vtendum est hac facultate perquam rarissimè, & cum maxima moderatione, vt dictum est *hoc §. dub. 4.* præsertim si aliqua sit in contrarium consuetudo, cui se conformare, & æquum iurique consonum est.

5 Nota secundò. Eucharistiam tempore generalis interdicti loci ministrari, & sumi posse; non solùm in Oratorio, sed etiam in Ecclesia generaliter interdicta. Ita enim explicuit Episcopus Lucensis generalis Bullæ Commissarius, & sentiunt multi Salmanticenses consulti, quos refert, & sequitur Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 4. lit. P. Q. R.* & Villalobos *tract. 27. claus. 4. num. 19.* & Lud. *sup. num. 2. vers. Secundò colligo*; & habetur expressè in Bulla, quæ eodem modo concedit celebrationem diuinorum, ac receptionem Eucharistiæ, sed diuina possunt celebrari in Ecclesiis, monasteriis, & Oratoriis tempore interdicti; ergo & recipi Eucharistia poterit eodem tempore in Ecclesiis, monasteriis, & Oratoriis. Vnde illa verba: *Item Eucharistiam, & alia sacramenta, præterquam in die Paschatis recipere*, referenda sunt ad Ecclesias, monasteria, & loca, prout refert Bulla Hispana illis verbis: *Que en tiempo de entredicho puedan oyr Missa in las Iglesias, e monasterios, o Oratorio* &c. *y recibir el santo Sacramento de la Eucharistia.* Quod etiam probat consuetudo fidelium tempore generalis loci interdicti sacram Eucharistiam ministrantium Bullam Cruciatam habentibus. Ita etiam tenet Henriquez *lib. 13. cap. 48 n. 4. lit. T.* Rodriguez §. 5. *num. 7.* & Suarez *de interdicto, disp. 33 sect. 1. num. 33.* Si enim Bulla Latina concedit quod plus est, nempe ministrationem Eucharistiæ in Oratorio tempore interdicti, multo magis concedere censetur quod minus est, nimirum quòd eo tempore in Ecclesia dispensetur sacra Eucharistia, in qua poterit etiam in die Paschæ tempore interdicti ministrari etiam iis, qui ex præcepto communicant; quia dispensatio Eucharistiæ in Ecclesia non limitatur sicut in Oratorio, modo dicendo in notabili sequenti.

6 Nota tertiò, etsi concedat Pontifex, vt per annum tam tempore interdicti, quàm extra illud, possit ministrari Eucharistia in Oratorio, prohibet tamen ne in eo in die Paschæ alicui conferatur. Per diem autem Paschæ intelligit Pontifex tempus Paschale, illud scilicet, quo adimpletur præceptum communionis; nimirum octo dies ante, & octo post diẽ Paschæ, secundùm declarationem Eugenij IV. vt docet Nauar. *cap. 21. n. 45.* secundùm communem consuetudinem; secundùm verò consuetudinem aliquarum diœcesum tota Quadragesima; iuxta declarationem Clementis VII. vt refert Rodriguez §. 5. *n. 8. & in addit. ad §. 5. & ad n. 9. vers. En quanto.* In nostra autem diœcesi Valentina tempus in quo potest satisfieri huic præcepto communionis, est à prima die Quadragesimæ vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè. Communio ergo quæ per Bullam prohibetur dari in Oratorio die Paschæ, est illa, per quam adimpletur præceptum annualis communionis tempore Paschatis, vt docet Henriquez *lib. 7. cap. 13. n. 4. lit. O.* Rodriguez §. 5. *n. 7.* Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 5. dub. 6. n. 14.* & communiter Doctores. Vult enim Pontifex vt Pastor cognoscat vultum pecoris sui.

7 Difficultas tamen est, an qui tempore Paschatis præcepto communionis satisfecit, possit in Oratorio ex deuotione, ipso die Paschatis sacram communionem accipere virtute Bullæ Cruciatæ. Solutio huius difficultatis pendet ex declaratione priuilegij Mendicantium, & aliorum Regularium per participationem, quibus Nicolaus V. Sixtus IV. & Leo X. concesserunt, vt omnibus Christi fidelibus in Regularium Ecclesiis possint sacram Eucharistiam sine licentia proprij, die Paschatis, vel die resurrectionis excepto ministrare. Quo in casu Suarez 3. *part. quæst. 82. art. 3. disput. 72. sect. 3. versic. Censeo igitur*; existimat mentem Pontificis in priuilegio Regularium fuisse, excipere communionem Paschalem, non materialiter, id est, quæ in die Paschatis fit, sed formaliter, seu prout est præceptum in lege quæ præcipit semel in Paschate communicare. Idem tenet Rodriguez 1. *tom. q. 56. art. 3. vers. Ad hanc*, & per consequens, qui impleuit præceptum ante Pascha, vel impleturus est immediatè post intra illos octo dies, inquit Rodriguez, potest ipso die Paschæ in Ecclesiis Regularium sacram communionem accipere, quia *in cap. omnis vtriusque sexus*, solùm præcipitur semel communicare in Paschate, id est, intra tempus Paschale, secundùm declarationem Eugenij IV. Vnde qui intra id tempus ratione præcepti communicauit, communioni Paschali satisfecit; ergo per communionem Paschatis intelligitur ea, per quam præcepto Paschatis communionis fit satis, quam præcipit Pontifex, vt in propria accipiat, & prohibet, in Ecclesiis Regularium ministretur. Et ita etiam Fillincius *tom. 1. tract. 4. cap. 9. n. 264.* Bonacina *q. 7. disput. 4. part. 2. num. 9.* & Lodou. à Cruce *in exposit. Bull. disput. 1. c. 5. dub. 6. num. 11.* & Fagundez *in 3. præcepto, lib. 5. c. 5. n. 9.*

8 Nihilominus tamen Nauarr. *cap. 21. num. 52.* cuius sententiam existimat probabiliorem & veriorem Azor. 1. *to. lib. 7. c. 30. q. 7.* cui libenter subscribo, existimat illis verbis excipi ipsum primum diem Paschæ, ita vt in eo non liceat Regularibus sacram Eucharistiam ministrare, etiam ex deuotione sumentibus, etiam si iam præcepto satisfecerint. Quod probat ex illis verbis concessionis Sixti IV. & Leo X. *Præterquam in die resurrectionis Dominicæ*, & Nicolai V. *Præterquam in festo Pascha resurrectionis Dominicæ*: vbi Pontifices expressè excipiunt ab illa concessione ipsum diem resurrectionis Dominicæ, videlicet primum diem Paschæ: nam in eo Dominus resurrexit. Ratio exceptionis est, quia hoc priuilegium est contra ius commune: nam, vt dubio sequenti dicemus, solis Parochis, vel illorum Superioribus, & Pastoribus de iure communi competit sacræ Eucharistiæ ministratio, ideoque talia

priuilegia strictè, & non amplè sunt interpretanda, dato aliquo in quo operentur aliquid contra ius, vt sæpe dictum est. At etiamsi excipiatur prima dies Paschæ, dantur quamplurimi dies, in quibus sufficientissimè per totum annum dicta priuilegia sortiuntur suum effectum; ergo restringenda sunt, & minimè amplianda. Nec obstat *cap. omnis*: nam ibi non exprimitur dies Paschæ, sed tantùm præcipit, vt in Paschate communio recipiatur eodem modo quo præcepta erat *in cap. etsi non frequentius, & cap. omnis homo, de consecratione, distinct.* 2. tempus autem Paschæ secundùm communem, &, vt suprà dictum est, non solùm primam diem, sed etiam octo antè & post comprehendit; at in dictis priuilegiis expressè limitat & prohibet, ne in die Paschæ resurrectionis in Ecclesiis Regularium Eucharistia ministretur, supponens tanquam certissimum, communionem Paschatis, seu tempore Paschatis, non posse in eisdem Ecclesiis ministrari. Quod si dicas è contrario sequi, excepto primo die Paschatis, posse Regulares in suis Ecclesiis dare sacram Eucharistiam, etiam si de præcepto illam sumant. Respondeo negando sequelam: quia cùm hæc concessio sit odiosa, non est amplianda ad casum in quo non est eadem, aut maior ratio, vt optimè Nauarr. *cons.* 15. *num.* 1. & *cons.* 22. *num.* 3. *de priuileg. lib.* 5. Non enim est eadem ratio de communione ex præcepto, & ex deuotione. Iura enim maximè commendant, vt communio ex præcepto non solum in propria parochia, sed etiam à proprio Parocho accipiatur, vt vultum pecoris sui cognoscat, vt ex dicto *cap. omnis*, quod non militat in communione ex deuotione, ideoque strictissimè iura prohibent, ne in aliena parœciani communionem ex præcepto recipiant, nec censentur Pontifices vnquam talem licentiam concedere, nisi id expressè declarent; tum propter rationem dictam, tum propter præiudicium Parochorum; ob idque solent Pontifices in suis concessionibus apponere hanc clausulam. *Saluis iuribus parochialibus*. Quare non sequitur ex eo quòd Pontifex excipiat primum diem Paschæ, concedere vt communionem ex præcepto extra illum diem possint Regulares ministrare laicis. Si autem vrgeas, in nostra diœcesi Religiosos ipso die Paschatis sacram Eucharistiam dispensare laicis illuc confluentibus ex deuotione communicantibus. Respondeo ita esse, hoc tamen facere, non ratione Bullæ, aut suorum priuilegiorum, vt probatum est, sed ex tacita, & præsumpta Parochorum licentia, id interpretante consuetudine: ob quam etiam rationem Parochus alienis ouibus in sua parochia Eucharistiam ministrat de præsumpta proprij licentia.

9 Ex his patet solutio propositæ difficultatis: nam si sequamur opinionem Suarez *citat.* Rodriguez. & aliorum quos citamus *num.* 7. nimirum per communionem diei Paschæ intelligi communionem ex præcepto tantum, & non ex deuotione, dicendum est posse in Oratorio in die Paschatis sacram communionem ex deuotione accipere; at si sequamur Nauarr. Azoris. & aliorum, quam existimo veriorem, nimirum illis verbis, *excepto die Paschæ*, non solùm intelligi communionem tempore Paschatis, sed quæ fit ipsa die Paschatis, dicendum est, eo die non posse virtute Bullæ ex deuotione communicare in Oratorio, ob rationes supradictas.

Dub. VIII.

An per Bullam Cruciatam concedatur facultas suscipiendi sacram Eucharistiam à quocumque Sacerdote omni tempore, præterquam in die Paschatis.

1 Supponimus per diem Paschatis non solùm intelligi communionem ex præcepto, sed etiam eam, quæ tali die suscipitur ex deuotione, modo superiori dubio explicato. Quod ergo inquirimus est, an extra dictum tempus possit quilibet laicus habens Bullam, licentia Parochi non petita, eligere Sacerdotem sæcularem, vel regularem, à quo Eucharistiam omni tempore, etiam interdicti, recipere possit.

2 Nota, etsi cuius Sacerdotis ratione Ordinis, aliqua ratione competat distributio, & dispensatio sacramenti Eucharistiæ, non potest tamen quilibet eam administrare; sed illis tantùm ex officio competit munus ministrandi, qui habent iurisdictionem ordinariã, quæ est penes solos Pastores, & Curas animarum habentes, vel delegatam, & ex commissione, qualem habent delegati à Pastoribus, & animarum curam gerentibus, & Religiosi à Papa per sua priuilegia, modo explicato *dub. suprà*. Quod autem id munus ex officio solis Pastoribus curam habentibus animarum, vel aliis, de Pastorum licentia, competat, docent Nauarr. *cap* 21. *num.* 52. Rodriguez 1. *tom. q.* 56. *art.* 3. *vers. Quantum* Coninch. 3. *part. q* 82. *art.* 3. *num.* 28. Reginal. *lib.* 29. *q.* 5. *num.* 90. & communis, & patet ex *cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remis.* vbi postquam præcepit, vt quisque fidelium, saltem in Pascha à suo Sacerdote absolutionem à peccatis accipiat: addit, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum. Requiritur enim ad dispensationem huius Sacramenti iurisdictio, vt statuit Concil. Mileuit. *cap.* 18. & Carthaginense I. *cap.* 7. & habet communis Doctorum in materia Eucharistiæ. Ratio est, quia sacramentorum administratio, & gregem pascere, munus est non cuiusque, sed Pastoris proprij, at pabulum præcipuum est sacra Eucharistia; atque ita qui sine licentia pastoris proprij, saltem tacita, aut sine priuilegio, siue in Paschate, siue extra illud, etiam in articulo mortis ministraret hoc sacramentum, peccaret mortaliter, vt docent Nauar. Coninch. & Reginald. *sup. cit.* quia in re graui alienum officium vsurpat. Similiter peccat, vt docet idem Nauar. qui scienter à non suo Parocho, vel alio, sine proprij licentia, saltem tacita vel priuilegio, hoc sacramentum suscipit: quia non est ei liberum à quocumque, sed à suo Pastore suscipere. Non tamen hic incurreret censuram aliquam, nisi sic ministrans esset religiosus, quibus *Clementina prima, de priuilegiis* prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reseruata, ne sacram Eucharistiam, Extremam vnctionem laicis ministrent, neve eorum matrimoniis assistant, sine proprij Parochi licentia, quod intellige, seclusis eorum priuilegiis circa confessionem, & cõmunionem, de qua Clem. vide Nauarr. *c.* 27. *n.* 102. Syluest. *excom.* 7. *excom* 14. *q.* 12. *n* 40 & latè Sayro *in Thesauro l.* 5. *cap.* 26. *a n.* 26.

3 Quod

3 Quòd si dicas, Regulares etiam in die Paschæ laicis ex deuotione communicantibus ministrare sacram Eucharistiam. Respondeo, hoc esse, & fieri de licentia & facultate Parochorum tacita, & interpretatiua, quod interpretatur tolerata consuetudo: nam id scientes & videntes, & nullo modo contradicentes, consentire videntur. Sic in nostra ciuitate Valentina inoleuit consuetodo tacito consensu Parochorum introducta, vt Parochus in sua parochia alienis etiam ouibus possit ministrare Eucharistiam, tempore Paschalis communionis excepto.

4 His positis, Vazquez *to. 3. in 3. part. disput. 219. cap 5.* existimat, in Bulla concedi expressè facultatem vt possint eam habentes à quocumque Sacerdote sacram Eucharistiam accipere sine proprij licentia, excepto die Paschæ, probat ex illis verbis Bullæ: *Que puedan aun en tiempo de entredicho recebir el Sacramento de la Eucharistia, y los demas Sacramentos: saluo en el dia de la Pascua.* vbi Pontifex absolutè dat facultatem liberam accipiendi sacram Eucharistiam, excepto die Paschatis, & cùm non restringat vt accipiatur solùm à proprio, poterit accipi à quocumque Sacerdote, proprio non requisito, in quocumque tempore, & die anni, excepto die Paschatis, quam sententiam existimat probabilissimam & in praxi tutam, Diana *tractat. 11. resolut. 20.* cum Vazquez *suprà*, & Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 9. num. 163.* Hanc tamen facultatem in Bulla Cruciata non concedi, defendunt Auila *de censuris part. 5 disp. 4. sect. 1. dub. 8. in fine*, cum Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 4.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 72. sect. 1. dub. 1* Rodriguez *in addit. ad § 5. supr. num 9. vers. la primera duda*, & alij grauissimi Doctores. Ii enim existimant per Bullam non concedi facultatem eligendi Sacerdotem, qui possit eam habentibus sacram Eucharistiam ministrare sine licentia proprij; sed tantùm concedi, vt tempore interdicti eam possit accipere in Ecclesia, vel Oratorio, ab eo tamen, qui eam aliàs de iure poterat ministrare, vel ab alio Sacerdote de proprij licentia, quam sententiam existimo verissimam, & omnino sequendam. Probatur, quia si talis facultas concederetur, maximè in ea facultate, in qua conceditur fidelibus, vt possint tempore interdicti sacram Eucharistiam recipere in Ecclesiis, & Oratoriis, præterquam in die Paschatis; at in ea talis facultas non conceditur; quia Bulla solùm intendit tollere impedimentum proueniens ratione interdicti: vnde in ea solùm habetur ratio temporis, vt scilicet interdicto non obstante, tempore etiam illius possint fideles hoc Sacramentum recipere, non tamen exprimit (imò nec intendit) vt à quocumque Sacerdote recipiatur, sed hoc relinquit in terminis iuris communis, nimirum, vt recipiatur ab eo, qui eam alias de iure poterat, vel ab alio de ipsius licentia: quare non dispensat in iure communi; si enim hoc voluisset, expressisset, sicut fecit in facultate quam concedit, vt quis possit à reseruatis, vbi non solùm concedit facultatem absoluendi à reseruatis indefinitè, sed etiam exprimit, vt possit eligere confessarium sæcularem, aut regularem, qui eum possit à reseruatis absoluere. Igitur cùm in nostro casu non exprimat Pontifex, vt sacra Eucharistia à quocumque recipi possit, existimandum est in iure communi minimè dispensare; nec præsumendum est iurisdictioni Pastorum, quæ ordinaria est, & adeò in iure fauorabilis, esse derogatum per verba dubia priuilegij; præsertim cùm priuilegium quod contra ius commune est, non sit latè, sed strictè interpretandum, vt sæpe dictum, & sufficit ad eius validitatem, vt aliquid operetur. *Secundo* probatur, quia etiam similiter dici posset; per Bullam concedi facultatem recipiendi Extremam vnctionem, sine Parochi licentia; imò & Ordinem ipsum sine licentia Episcopi, in eius diœcesi, & Matrimonium etiam sine præsentia Parochi: quia Bulla non solùm concedit facultatem recipiendi sacram Eucharistiam, sed etiam alia sacramenta, eadem ratione, & modo, sed potest quis (vt illi docent) à quocumque recipere Eucharistiam; ergo & alia sacramenta: ergo cùm ad hæc posteriora sacramenta (vt ipsi etiam docent, & habet communis vsus) non intelligatur simpliciter concessa facultas, neque ad Eucharistiam concessa erit, sed ea dumtaxat facultas concessa erit, & ea ratione, vt quis, non obstante interdicto, sacramenta omnia supradicta, eo tamen tempore, recipere possit ab eo qui aliàs de iure poterat, vel de eius licentia.

5 Ad rationem contrariæ sententiæ responderi potest, concessionem Eucharistiæ non esse absolutam ratione personarum ministrantium, sed ratione temporis, id est quod etiam tempore interdicti conferri possit. Et quamuis expressè Papa eam non limitet, esse tamen limitandam, tum ex tenore verborum priuilegij Bullæ, tum etiam ex natura ipsius priuilegij, quod quia contra ius commune est, non latè, sed strictè est interpretandum, vt omnia latiùs continentur in probatione nostræ sententiæ.

6 Concludendum igitur est, neminem posse alienis ouibus sacram Eucharistiam ministrare, etiam ratione Bullæ, sine Pastoris proprij licentia. Hanc autem licentiam potest concedere Pastor, v.g. Parochus, cuilibet simplici Sacerdoti respectu suarum ouium, quamuis non sit ab Ordinario approbatus ad sacramenta ministranda, vt docent Rodriguez *in addit. ad §. 5. super num. 9. dub. 2. & tom. 1. q. 56. art. 3. vers. Quantum.* Suarez *3. part. disp. 72. sect. 2. §. duo verò.* Reginald. *lib. 29. quæst. 5. n 92.* & alij: nam præter ordinis, & iurisdictionis potestatem, à iure aliud non requiritur, quia Trident. *sess. 23. cap. 15.* solùm loquitur de approbatione Ordinarij quo ad sacramentum Pœnitentiæ, quod confirmat communis Ecclesiæ praxis. Et colligitur ex *c. omnis vtriusque sexus*, vbi hæc facultas absolutè conceditur propriis Pastoribus.

7 Aduertit tamen & bene, Nauar. *suprà cap. 21. n. 58.* videri excusatum à peccato mortali, eum qui Sacramentum Eucharistiæ acciperet, aut ministraret, quando ex circunstantia personæ, vel temporis, vel alicuius causæ iustæ, credi potest iudicio boni viri, Parochum fore contentum, si rem intellexerit; & per consequens ad licitam sacræ Eucharistiæ distributionem sufficere tacitam, seu præsumptam licentiam, probabilem spem, præsumptionem, ratihabitionem, aut consensum de futuro proprij Pastoris; vt late Vazquez *suprà cap. 3.* Ratio est, quia ad distributionem Eucharistiæ non requiritur iurisdictio tanquam ad eius substantiam, & sicut requiritur ad Pœnitentiæ sacramentum, sed solùm ad debitum ordinem, & modum seruandum in gubernatione populi Christiani.

DVB. IX.

Quomodo liceant benedictiones nuptiales tempore interdicti.

1 NOta, benedictiones nuptiales de iure communi esse prohibitas à prima die Aduentus vsque

vsque ad Epiphaniam inclusiuè; & à prima die Cinerum vsque ad Dominicam in Albis, etiam inclusiuè: constat ex Trident. *sessione* 24. *cap.* 10. *de reformat.*

Dico igitur. Tempore generalis loci interdicti licitum est benedictiones nuptiales accipere, & dare ratione Bullæ, tam in Ecclesia, quàm in Oratorio, dummodo non fiant intra tempus à iure communi prohibitum, nec contrahentes, seu benedictiones nuptiales recipientes, dederint causam interdicto, vel per ipsos non stet quominus amoueatur, & seruentur conditiones *cap. alma mater.* Ita communiter Doctores. Ratio est, quia benedictiones nuptiales, iuxta communem Doctorum sententiam, inter officia diuina computantur; at licet ratione Bullæ assistere diuinis officiis omnibus laicis dum celebrantur, cum moderatione *cap. alma mater.* Dixi *tempore localis generalis interdicti*; quia in Ecclesia specialiter interdicta sicut non possunt diuina officia celebrari, vt suprà dictum est hoc §. *dub.* 2. ita nec in ea benedictiones nuptiales recipi. Dixi *ratione Bullæ*; nam sicut in generali interdicto laici non possunt assistere diuinis sine Bulla, ita nec accipere benedictiones nuptiales, quæ simul cum officio diuino sacrificij Missæ dantur. Dixi tertiò, *dummodo non suscipiantur tempore à iure prohibito*: quia in tali tempore nec ratione Bullæ possunt accipi, vt habet communis vsus Ecclesiæ; solum enim Bulla tollit impedimentum interdicti, vt possint ratione ipsius Bullæ diuina celebrari, vel illis assistere in locis in quibus alias de iure poterant diuina celebrari; at, vt dictum est, benedictiones nuptiales celebrari non possunt tempore Aduentus, & Quadragesimæ. Sic explicatum est dub. superiori, intelligendum esse priuilegium sumendi Eucharistiam tempore interdicti, scilicet ab eo, à quo aliàs de iure potest illam dare.

2 Dixi, *tam in Ecclesia, quam in Oratorio*, quia tempore generalis interdicti loci, Bulla absolutè & indifferenter concedit celebrationem diuinorum tam in Ecclesia, quàm in Oratorio, vt latè suprà explicatum est, & sic Doctores concedentes benedictiones nuptiales tempore interdicti, absolutè & simpliciter loquuntur. Si enim diuina licent eo tempore in Oratorio, cur etiam non licebunt benedictiones nuptiales? Its Henriquez *lib.* 2. *de matrimo. cap.* 2. *n.* 1. *litt. F.* Rodriguez *in addit. ad* §. 5. *n.* 22. & alij. Hoc autem limita vt solùm possint dari in Ecclesia, vel Oratorio à Parocho, vel ab alio de eius licentia, à quo aliàs de iure dari poterant. Dixi, *dummodo non dederint*, &c. quia hæc conditio expressè ponitur in Bulla, vt quis ratione illius possit assistere diuinis, vel ea celebrare. Demum dicitur, vt seruentur conditiones capitis *Alma mater*: quia, vt sæpe dictum est, illis seruatis & non aliàs, interdicti tempore diuina celebrari possunt.

3 Quæres, an liceant benedictiones nuptiales in festiuitatibus, quibus de iure suspenditur interdictum, sine Bulla, aut alio priuilegio. Ad eius intelligentiam aduertendum, interdictum generale loci à iure suspendi quoad celebrationem diuinorum officiorum; non verò quoad sacramenta eo tempore prohibita in iis festiuitatibus, in Natiuitate Domini, Resurrectione, & Pentecostes, & Assumptione B. V. Mariæ, vt habetur expressè *in c. alma mater, de sententia excommunicationis in* 6. Item in die Corporis Christi, & per eius octauam, secundùm quandam Extrauagantem Eugenij Quarti, quæ incipit, *Excellentissimi*, vt notat Nauarr. *cap.* 27. *n.* 182. Couarruuias *cap. alma mater. part.* 2. § 5. *n.* 1. *versic. Primum.* Henriquez *lib.* 13. *c.* 47. *nu.* 4. & alij multi, quos sequitur Sayro *in Thesauro lib.* 5. *c.* 13. *n.* 16. Item in festo Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, & per eius octauam, per quandam Bullam Leonis X. vt habetur in Compedio priuilegiorum Ord. Mendic. *in verbo, conceptio*, §. 11. *& in verbo, Interdictum* 2. §. 8. de quibus latè Doctores citati. Vbi aduerte cum Nauar. *suprà c.* 27. *num.* 182. in Natiuitate Domini, Resurrectione, & Pentecostes, interdictum solùm suspendi pro prima die; quia priuilegium hoc concessum est ob salutatem Christi ortum, ob gloriosam eius resurrectionem, & Aduentum SS. quæ secundùm sacram Scripturam vno die facta sunt.

4 Dico igitur, in festiuitatibus Assumptionis B. V. Mariæ, in festo Corporis Christi, & per eius octauas, & in prima die Pentecostes, quibus de iure suspenditur interdictum, licent sine Bulla benedictiones nuptiales. Ita Couarruuias *cit. n.* 6. *versic. Vndecimo*, non verò in festo Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, Natiuitatis, & Resurrectionis Domini. Ita Sayro cum multis, *c.* 13. *citat. n.* 11. Probatur prima pars, quia benedictiones nuptiales pertinent ad officium diuinum; at in illis festiuitatibus licent officia diuina; ergo & hæ benedictiones, in quibus festiuitatibus possunt fieri benedictiones publicè apertis ianuis, alta voce: vt bene aduertit Auila *de censuris, par.* 5. *disp.* 4. *sect.* 1. *dub.* 4. *versic. Sequitur secundo.* Secunda pars probatur, quia illa festa incidunt in tempore, & diebus, quibus de iure communi sunt nuptiæ prohibitæ, & interdicti suspensio solum tollit impedimentum interdicti, non verò dispensat in iure communi, vt dictum est *dub. sup.* Possunt tamen in iis, & aliis omnibus festiuitatibus, quibus de iure, vel priuilegio communi suspenditur interdictum, sepeliri mortui, etiam laici, cum solemni officio sepulturæ. Ita Nauarr. *cap.* 27. *num.* 181. Couarruuias *cit. num.* 6. *versic. octauo.* Henriquez *citat.* & alij, quos sequitur Sayto *sup. num.* 12. contra Auilam *part.* 5. *disp.* 4. *dub.* 3. quia sepultura his diebus solùm prohibetur per interdictum, eo quòd sit officium diuinum; sed eo tempore suspenditur interdictum quoad officia diuina, id est, illis diebus licent officia diuina sicut antea; ergo & sepultura, cùm inter officia diuina connumeretur.

5 Quod autem diximus, ratione Bullæ, tum etiam ratione suspensionis interdicti in festiuitatibus suprà explicatis, licere benedictiones nuptiales accipere, intellige dummodo illas accipientes, vel alterum ex his, non sit specialiter interdictus, vt bene aduertit cum multis Sayto *in Thesauro, libr.* 5. *cap* 7 *n.* 46 *& c.* 13. *nu.* 12. quia ij prohibentur à participatione diuinorum officiorum.

D V B. X.

Quid circa sepulturam concedat Bulla Cruciatæ.

1 Nota primò, de iure communi prohibitam esse Ecclesiasticam sepulturam tempore interdicti generalis, aut specialis, locis lis, vel personalis, in Ecclesiis, vel cœmeteriis loci interdicti, vt tenet communis Canonistarum, & Theologorum. Quæ prohibitio comprehendit etiam pueros vsu rationis carentes, vt docet Couarruuias *cap. Alma mater, part.* 2. §. 4. *numer.* 5. Henriquez *lib.* 13 *cap.* 44. §. 4. & multi quos Suarez *tomo de censuris disput.*

disput. 35. sect. 1. num. 20. Ratio est, quia locus interdictus nullum corpus admittere potest, & iura ipsa absolutè, & simpliciter loquuntur; ergo id æquè locum habet in infantibus, & in adultis, quia corpus quod sepelitur, merè passiuè se habet, & ex parte eius non requiritur rationis vsus; & ideo quoad hanc prohibitionem æquè sunt apta corpora infantium, ac adultorum. Pueri autem baptizati vsu rationis carentes, siquidem sepultura Ecclesiastica donari non possunt, tamen diuinis officiis assistere bene possunt in loco interdicto, dummodo diuinum officium, & cultum, ac cæremonias sacras cognoscere nequeant, vt bene Couarruuias *suprà n. 5.* Rodriguez *in addit. ad §. 5. n. 32.* Sanchez *supra n. 10.* & Suarez *supra disp. 34. sect. 1. num.* 34. Similiter amentes, & ebrij, quia eo tempore sola assistentia humana, & rationabilis interdicitur, alia enim nihil ad diuina celebrata refert, sed perinde est, ac si brutum animal adesset. Debent ergo parentes pro filiis suis vsu rationis carentibus, dum ipsi filij viuunt Bullam viuorum accipere, vt si fortè dicti filij tempore interdicti moriantur, sepultura Ecclesiastica donari possint, vt bene aduertit Rodriguez *in addit. ad §. 5. num.* 32. & Villalobos *tract. 27. clausf. 5. num.* 2. Dixi, *dum filij viuunt*, nam videtur quòd post eorum mortem parentes non possunt Bullam viuorum pro eis sumere, eo fine vt in loco sacro tempore interdicti sepeliantur: nam priuilegium hoc viuis tantùm concedi censetur, vt post eorum mortem effectum sortiatur, & ideo continetur in Bulla viuorum in transumpto à Commissario in lingua Hispana facto: quod etiam insinuat Bulla Latina initio huius §. illis verbis: *Item concedit iis, qui nec ibunt, nec mittent, Si ex bonis sibi à Deo collatis erogauerint*. Defunctus autem non habet bona, nec potest ea iam contrectare per se, nec per alium, nisi ante mortem hoc disposuisset, cuius dispositionis capax non est infans rationis vsu carens. Nihilominus tamen contrarium videtur improbabile, quod tenet expressè Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap.* 20. §. 8. *in comm. litt. T. & Z.* his verbis: *Vt si quis pro defuncto excommunicato, aut tempore interdicti capiat Bullam, posset defunctus absolui ab excommunicatione reseruata, & sepeliri in loco sacro.* Nec obstare videntur in contrarium adducta: nam etsi à Commissario illa verba in Bulla viuorum scribantur, verba tamen absolutè loquuntur, & videntur quasi nouum priuilegium concedere à supradictis, vt indicat eorum tenor in Bulla Latina. *Item mortuorum corpora (nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri.* Et in Bulla Hispana: *Item concedo, que en tiempo de entredicho puedan ser sepultados los cuerpos de los defuntos en sepultura sagrada con moderada pompa funeral.* Ex quibus verbis videtur colligi, posse eam habentem sepeliri in loco sacro tempore interdicti, siue eam viuens, siue eo mortuo, alius pro eo illam acceperit. Posse autem vnum pro alio propriis expensis Bullam accipere, illique donare, & ei prodesse, dictum est *suprà §. 1. dub.* 3. & in hoc casu non requiritur acceptatio formalis, & expressa ex parte eius, pro quo Bulla accipitur, quia hæc impossibilis est ex parte defuncti: sed sufficit acceptatio virtualis implicita, & interpretatiua defuncti, antequam moreretur, & ipsius Bullæ indigentia post mortem: etenim credendum est, saltem implicitè, voluisse omnia remedia spiritualia necessaria, & vtilia ad animæ, & corporis salutem, nam si ante mortem interrogatus esset, an vellet pro se accipi Bullam, certum est respondisse se velle. In infantibus autem qui vsu rationis carent, sufficit ipsa Bullæ indigentia pro eo tempore: sic in eis indigentia Baptismi sufficit ad hoc, vt pueri dicantur, saltem virtualiter, Baptismum petere; & in Bulla pro defunctis sufficit illam accipere, & eam applicare animæ Purgatorij, & capacitas ipsius animæ, quæ est gratiæ status: sic simpliciter sufficit Bullam viuorum quoad hunc effectum accipere pro defuncto eam illi applicare, & capacitas cadaueris ad sepulturam Ecclesiasticam. Quid quod dici potest acceptationem requiri in priuilegiis quæ viuis conceduntur; non verò in illis, quæ conceduntur defunctis, ideò consultò videtur Pontificem dixisse, quasi separatim à superiori priuilegio, audiendi diuina, vel illis assistendi. *vt mortuorum corpora possint cum moderata pompa sepeliri.* Quibus verbis innuit Pontifex sufficere Bullam pro defuncto accipere, & illi eam applicare. Vide *sup. §. 1. dub. 6. num.* 2.

2 Nota secundò, clericos, etiam primò tantùm tonsuratos, tempore generalis loci interdicti absque vllo alio priuilegio posse sepeliri in cœmeterio, vel in Ecclesia cum officio sepulturæ, & Missa, vt habetur expressè *in cap. Alma mater, §. adiicimus, de sententia excommunicationis, in 6.* seruatis tamen conditionibus ibi assignatis, ianuis clausis, &c. Idem licet clericis supradictis in generali populi interdicto, quia sub interdicto populi, nec locus, nec clerici comprehenduntur, vt docent Henriquez *lib. 13. cap. 42. num. 3.* Sayro *in Thesauro, lib. 5. cap 4. n.* 15. Nauarr. *cap. 27. num.* 167. Couarruuias *cap. Alma mater, part. 1. §. 1. num.* 7. & alij multi, quos Sayro, dummodo tamen ipsi clerici non sint excommunicati, aut interdicti, nec causam interdicto dederint, vt docent communiter Doctores, ex *capit. Alma mater.* Quo priuilegio gaudent non solùm clerici illius loci interdicti, sed etiam alienigenæ, vt latè probat Saytus *suprà cap. 8. num.* 13. de Ecclesia specialiter interdicta; ergo à fortiori in generali interdicto: tempore autem specialis loci interdicti, seu in Ecclesia specialiter interdicta, clerici, etiam primò tonsurati, sepeliri possunt; sed absque officio Missæ, & absque cantu, & absque pulsatione campanarum: quod colligunt Doctores, ex *cap. quod in te, de pœnitent. & remiss.* vt Couarruuias *cap. Alma mater, part. 2. §. 4. num.* 1. Henriquez *lib. 13. cap. 44. num.* 4. & alij multi, quos Saytus *in Thesauro lib. 5. cap. 8. num. 12. & 14.* quod priuilegium extendit Saytus ad clericos alterius Ecclesiæ, quamuis illa non sit interdicta, vt scilicet possint sepeliri modo dicto in aliena particulariter interdicta. Sed limitandus est, vt bene Henriquez *sup.* quando clericus ille nullius est Ecclesiæ, vel quando ad suam commodè deferri non potest, vel quando ad sua Ecclesia est etiam interdicta. Vide Auilam *de censuris, part. 5. disputatione 4. sectione 2. conclusione* 3.

3 Aduerte tamen, vt clericus primò tonsuratus, non tamen coniugatus, gaudeat hoc iuris priuilegio, non requiritur quòd habeat conditiones, & qualitates, Trident. *sess. 23. c. 6. de reformat.* sed sufficit quòd verè habeat primam tonsuram, & quòd ex alia parte non amiserit priuilegium clericale; de cuius amissione Sayro *c. 8. cit. n.* 8. nam Tridentini conditiones solùm requiruntur vt quis fori priuilegio gaudere possit: patet ex verbis Trid. *Is fori priuilegio non gaudeat,* &c. & docent Graff. *lib. 2. decis. c. 49. n.* 28. & Reginald. *lib. 1. n.* 213. Cenedo *lib. 1. q. 4. n.* 21. Gonzalez *ad regulam 8. Cancell. gl. 5. §. 5. n.* 6. Nicolaus Garc. *de beneficiis, part. 1. c. 5. n.* 70. Dixi *clericus non coniugatus*: nam si sit coniugatus & bigamus, neque hoc, neque vllo priuilegio clericali gaudet, vt communiter Doctores ex *c. qui cum vnicis, de clerico coniugato in 6.*

dictum est *supra* hoc § *dub.* 2 *num.* 4. Quòd si duxerit viginem, & non sit bigamus, neque gaudet hoc priuilegio; si enim solùm duplici priuilegio gaudent, canonis scilicet, & fori, vt docent, Nauar. *c.* 27 *n.* 176. Couarruuias *c. Alma mater, part.* 2. § 4. *n.* 4. *vers. Decimo.* & alij, quos Saytus *in Thesauro, lib.* 5. *c.* 8. *n.* 7. nisi fortè alicubi ex consuetudine gauderent priuilegio sepulturæ, qualis refertur esse in Aragonia à Nauar. *c.* 27. *n.* 174. & 176. vide Rodriguez §. 5. *addit n.* 26. & Auilam *sup. sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 4. Obiter tamen aduerte clericum coniugatum non bigamum, solùm gaudere priuilegio fori in delictis, & excessibus, id est, in criminalibus, non autem in ciuilibus, vt explicat glossa *in cap. vnico, de clerico coniugato, in* 6 & deducitur apertè ex textu. ibi: *Pro commissis delictis*, & tenet Cenedo *q.* 4. *num.* 19 & Trident. *vbi sup* nam non mutauit dictum cap. Bonifacij, vnde clerici coniugati, non bigami, (nam bigami omnia perdunt priuilegia clericalia, vt dictum est) solùm gaudent priuilegio canonis, & fori, modo explicato, & sic non sunt exempti à tributis & gabellis, vt diximus suprà hoc § *dubio* 2. *n.* 4. Vide Cenedo, *q.* 4. vbi de his multa.

Concedit igitur Pontifex vt laici Bullam habentes possint tempore interdicti localis sepeliri in loco sacro interdicto cum Pompa funerali moderata; quo etiam priuilegio gaudent clerici Bullam habentes; nam etsi à iure habeant priuilegium, vt tempore interdicti sepeliri possint in loco sacro, non tamen cum pompa funerali; quamuis sit moderata, de qua infrà, sed sepeliri debent seruatis conditionibus *sup not.* 2.

4 Nota, per interdictum intelligi locale, non verò personale; nam persona interdicta, & quæ causam dedit interdicto, non gaudet hoc priuilegio, vt patet ex illis verbis Bullæ in hoc §. *Dummodo causam interdicto non dederint*, & illis verbis: *Dummodo vinculo excommunicationis innodati non decesserint.* verum tamen est, quòd si hic personaliter interdictus absoluatur ab eo ratione Bullæ, aut aliàs seruatis conditionibus de iure obseruandis, quòd poterit tunc ratione Bullæ sepeliri in loco sacro. Similiter, & excommunicatus, si ante mortem ab excommunicatione fuerit absolutus; id enim indicant apertè illa verba Bullæ: *Nisi forte vinculo excommunicationis innodati decesserint.* q. d. si antequam discedant absoluantur, posse in loco sacro eo tempore sepeliri. Tum etiam, quia ipsa Bulla concedit facultatem absoluendi ab interdicto, & omni censura, satisfacta parte, de quo suo loco; at absolutus ab interdicto, & ab excommunicatione, iam non est interdictus, & sic manet verum hoc notatum. Nota etiam interdictum hic sumi pro interdicto, siue Apostolico, siue Ordinario, siue à iure, siue ab homine, sicut sumitur in concessione assistendi diuinis, de quo dictum est suprà hoc §. *dub* 2.

5 Nota tertiò, priuilegium hoc extendi posse non solùm ad interdictum locale generale, sed etiam particulare, hoc est ratione Bullæ licet sepeliri non solùm in Ecclesia, vel Ecclesiis generaliter interdictis, sed etiam in Ecclesia particulariter interdicta, etsi contrarium insinuare videatur Rodriguez, §. 5. *addit. n.* 32. est tamen valde conforme textui Bullæ; ait enim absolutè, *vt morientium corpora sepeliri possint* (subaudi interdicto durante) *cum pompa funerali moderata*, & non limitat ad Ecclesias, vel Ecclesiam, in quibus aliàs de iure sepeliri permissum est, sicut limitat in priuilegio celebrandi diuina, vel illis assistendi, limitans hanc facultatem ad Ecclesias, in quibus aliàs de iure celebrare permissum est; ac proinde priuilegium sepulturæ ex vi verborum extenditur etiam ad Ecclesias particulariter interdictas, modo quo statim dicemus. Et ita sentiunt quidam recentiores.

6 Variant tamen Doctores quid intelligatur per pompam moderatam. Corduba *de indulgent. q.* 40. *dub.* 4. intelligit mediam solemnitatem eorum quæ sine interdicto fieri solent: ita enim (ait) declarauit Iulius III. Cum Corduba sentiunt Rodrig. §. 5. *num.* 13. & Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. c.* 13. *n.* 4. *lit. V.* qui per moderatam pompam intelligunt cum tribus clamoribus campanarum pro viris, & duobus pro fœminis, prout fit in nostra diœcesi; aut quòd ita pulsentur prout consuetum est in qualibet regione: & quòd clerici & Religiosi comitentur cadauer cantando cùm defertur & sepelitur, dummodo non dicatur aliud diuinum officium, v.g. matutinum, vesperæ, aut Missa defunctorum, nisi id tantùm quod in Manuali, seu Ordinario ad deferendum, & sepeliendum cadauer ordinatum est, & quòd sepeliatur ianuis apertis. Fundamentum huius sententiæ est, quia ita declarauit Leo X. vt referunt Rodriguez, & Henriquez *sup.* Quæ declaratio communiter practicatur in Hispania. Alij verò, vt Rodriguez *num.* 13. *cit.* dicunt, in hac re standum esse declarationi Episcopi, & loci consuetudini, quod existimo verius. Idem tenet Villalobos *tractat.* 27. *claus* 5. *num.* 3. qui addit hanc declarationem absente Episcopo, posse fieri à Parocho. In hac ergo nostra diœcesi pompa quæ seruatur in sepeliendis corporibus tempore interdicti, est, quòd sepeliantur in Ecclesia, vel cœmeterio cum officio, & Missa defunctorum, seruatis conditionibus capitis *alma mater.* hoc autem intellige, si habens Bullam sepeliatur tempore generalis interdicti loci: nam tunc posset sepeliri in Ecclesia cum officio sepulturæ, & Missa, cum moderationibus capitis *alma mater*, quia tunc post dictum cap. *alma mater*, licet Missam, & alia diuina celebrare cum moderationibus ibi; & pro clericis qui sunt priuilegiati, potest dici Missa defunctorum; vt tenent Henriquez *lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 4. *lit. E.* & Auila *p.* 5. *disput* 4. *sectio.* 3. *dub.* 2. *vers Tertio*, & Sylu. Angel. & Tabiena, quos ipse citat; ergo idem licebit habentibus Bullæ priuilegium: sicque practicatur in nostra diœcesi Valentina & tenet expresè idem Auila *suprà dubio* 3. *versic Sed maior, in fine.* Poterit etiam ratione Bullæ cum pompa moderata sepeliri, hoc est, cum voce campanarum, cæremoniis ad sepulturam facientibus, cum cantu, & ianuis apertis; non tamen potest dici Missa ianuis apertis, & cum cantu & voce campanarum, sed peracta sepultura cum dicta pompa funerali, debet claudi Ecclesia, & exclusis non priuilegiatis, submissa voce, & non pulsatis campanis, poterit dici Missa pro defuncto. Quòd si sepeliatur in Ecclesia specialiter interdicta, poterit quidem sepeliri cum dicta pompa funerali per Bullam concessa, sed sine Missa; quia in tali Ecclesia, vt dictum est *suprà hoc §. dubio* 2. *notab.* 3. solùm permittitur celebratio vnius Missæ in hebdomada ad renouandam Eucharistiam: nam ante *cap. Alma mater*, Missa, & officium defunctorum prohibita erant, vt bene Auila *supra dub.* 2. *versic. Tertiò notandum.* Nota etiam in festiuitatibus, in quibus suspenditur interdictum, licere mortuorum corpora sepeliri cum officio sepulturæ, vt dictum est *dubio superiori, in fine.* Vltimò aduerte, priuilegium sepulturæ tempore interdicti non extendi ad tempus cessationis, vt dictum est *suprà hoc* §. *dubio* 2. *not.* 4. *in fine*, & docent

communiter

communiter Doctores, quia sunt duæ species distinctæ. Vide Nauarr. *cap.* 27. *num.* 189. & Rodriguez §. 5. *addit. num.* 33. Sepultura autem Ecclesiastica, quibus sit deneganda, inter alios vide Sanctium *in suis selectis*, *disp.* 36. *per tot.* & Marc. Anton Genuen. *in praxi Curiæ Neapol cap.* 61.

§. IV.

ITEM, vt dicto anno durante, in omnibus & singulis Regnis, Insulis, locis, terris, oppidis, & dominiis prædictis (& non extra illa) carnibus, de consilio vtriusque Medici, temporibus ieiuniorum totius anni, etiam Quadragesimalibus, vesci, ac pro eorum libito, ouis & lacticiniis; ita quòd qui carnes non comederint, seruata in cæteris ieiunij Ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfecisse censeantur. Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiusuis militiæ Regulares. Patriarchis verò, Archiepiscopis, aliisque inferioribus Prælatis, nec non aliis personis regularibus, & qui in ordine presbyteratus fuerint, sæcularibus, id minimè conceditur, nisi sexagenarij fuerint.

DVo conceduntur in §. Primum, vt habens Bullam possit de consilio vtriusque Medici, idest, Confessarij, qui est medicus spiritualis, & medici corporalis comedere carnes; tam in ieiuniis per annum, quàm in ieiuniis Quadragesimæ, durante anno publicationis Bullæ: quod priuilegium tantùm conceditur existentibus intra regna pro quibus conceditur Bulla; & nullo modo existentibus extra illa, etiam si acceperint Bullam legitimè intra regna pro quibus conceditur, & ea accepta causa extra illa proficiscantur, quæ restrictio fortè ob scandalum facta est.

Secundum quod conceditur est, vt habens Bullam possit pro libito suo vesci ouis, & lacticiniis; ita quòd vt ij qui ouis & lacticiniis vescuntur, si carnes non comedant, ieiunio Ecclesiastico satisfacere censentur, si in cæteris ieiunij Ecclesiastici formam seruauerint. Quo indulto vescendi ouis, & lacticiniis gaudent omnes milites regulares cuiuscumque militiæ regularis. Excipiuntur tamen ab hoc indulto vescendi ouis, & lacticiniis, ita vt eis vesci non possint, etiam si habeant Bullam, hæ personæ, scilicet Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique inferiores Prælati, omnes personæ regulares, tum etiam omnes clerici sæculares, dummodo sint ordine Presbyteratus insigniti, at si Regulares, vel Presbyteri sæculares fuerint sexagenarij, possunt frui hoc priuilegio pro libito, tum etiam Regulares, & Presbyteri sæculares non sexagenarij in ieiuniis per annum, nam solùm eximuntur ab hoc priuilegio vescendi ouis, & lacticiniis in ieiuniis Quadragesimæ, vt habetur in Bulla Hispana his verbis: *En quanto a los dias de la Quaresma tam solamente.*

Nota, hoc priuilegium vescendi carnes, oua, & lacticinia, ratione Bullæ esse locale, concessum scilicet his, qui actualiter existunt intra regna pro quibus concessa est Bulla: ita' vt eo gaudere non possint, qui Bulla intra illa regna accepta legitimè, aliò proficiscuntur, vbi Bulla non promulgatur. Ratio est, quia ita expresse limitatur in Bulla Latina, his verbis: *In omnibus dominiis prædictis, & non extra illa.* quæ limitatio, vt dictum est suprà, fortè apposita est scandali vitandi causa.

D V B. I.

Quid concedat Bulla circa esum carnium.

1 VIsum est in hoc §. expresse dari facultatem in Bulla, vt de consilio vtriusque Medici, corporalis, & spiritualis, possimus in infirmitate comedere carnes in Quadragesima, & aliis ieiuniis & cæteris diebus prohibitis. Videndum est nunc quomodo hoc priuilegium intelligatur. Ratio dubitandi est, quia etiam si quis non habeat Bullam, si iudicent ambo Medici, potest ob infirmitatem licitè carnes comedere, vt tenet communis; ergo nihil concedit Bulla in hac parte. Nihilominus tamen

2 Dico primò. Si causa, v.g. infirmitatis Petri, est euidens, vel si ex certitudine morali, & experientia comprobata constat, ex non esu carnium incidere Petrum in grauem morbum; tunc neque consilium Medici neque Bullæ indultum necessarium est ad esum carnium, vt communiter Doctores. Ratio est, quia his euentibus, cùm sit manifesta necessitas, non constringitur Petrus lege Ecclesiastica ieiunij, quæ cum tanto detrimento non obligat: quo in casu nō requiritur nec Episcopi, nec Parochi authoritas, sed sufficit viri periti, imò sui ipsius authoritas, vt cum multis tenet Azor *lib.* 6. *cap.* 18 *q.* 3. *&* 4. & Lopez *c.* 6. *de Bulla*, quia cùm causa sit euidens, moraliter loquendo, vt supponimus, euidenter excusat ab obligatione præcepti, & dato quòd præceptum non obliget, nulla requiritur ipsius relaxatio.

3 Habens experientiam sibi esse nocitum à carnibus abstinere in Quadragesima, non tenetur in futuris Quadragesimis ab iis abstinere ad experiendum an impedimentum exoriatur, vel non, aliàs nunquam licitum esset carnibus vti ad præseruationem, sed solùm ob præsentem necessitatem, minitantem tamen in peius abituram. Quod limita, nisi maximè dubitetur impedimentum iam cessasse, Lopez 2. *p. instr. c.* 112. Sanctius cum aliis *in suis selectis*, *disp.* 11. *n.* 23. *v. Præterea.* Ex quo fit non teneri Presbyterum, vel Religiosum habentem solitam experientiam nocumenti ob abstinentiam ab ouis in Quadragesima, illis non vti per aliquot dies ad experiendum an abstinentia noceat, vel non. Nec teneri Medicum licentiam denegare, nisi præmisso tali experimento, quod vt suprà limitandum est, nisi maximè dubitetur causam nocumenti cessasse; vel quia ante Quadragesimam medicamenta infirmo fuere applicata, aut temperies mutata, vel aliquid aliud, Sanctius *suprà num.* 24.

4 Dico secundò. Quando ratio, seu necessitas comedēdi carnes iudicio Medici corporalis, vel alterius viri experti est probabilis practicè, etiam in causa speculatiuè dubia, non requiritur nec Episcopi, nec Medici spiritualis per Bullam dispensatio. Ita multi quos citat, & sequitur Henriq. *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 12. *lit. N.* Ratio est, quia sicut iudex in causa speculatiuè dubia, seu probabili, rectè potest proferre sententiam pro altero litigantium, ita & potest Medicus in sua arte, & vir quoque expertus. Hæc autem sententiæ prolatio à Medico corporali in hoc casu non est propriè dispensatio, vt cum Soto docet Henriquez suprà citatus, quia Medicus caret potestate spirituali ad dispensandum in iure Ecclesiastico necessaria; est autem verè & propriè interpretari, & declarari iustam & sufficientem habere causam & necessitatem, carnes comedendi,

5 Dico tertiò. Quando dubium est formale pro vtraque parte, an detur causa sufficiens ad esum carnium nec intellectus sufficienter inclinatur ad alteram, tunc necessarium est consilium Medici. & Episcopi dispensatio, quando infirmus non habet Bullam: quo in casu, supposito Medici consilio, (etiam seclusa Bulla) potest Episcopus dispensare, vt docet S. Thom. *in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 2. ad vlt. & 2.2. quæst. 147 art. 4.* & ibi Caiet *dub. 1.* Nauar. *suprà*, & alij, quos Henriquez *supr. num. 12. citat.* quia Episcopus ex tacita commissione potest dispēsare in iure communi de ieiunio, & esu carniū, eo quòd hic casus sit frequentissimus, nec pro remedio facilis aditus sit ad Papam. Idem autem ex consuetudine potest Parochus quando non est facilis aditus ad Episcopum, aut eius Vicarium. Et in oppidis absolute in hoc casu potest Parochus dispensare consuetudine sic interpretante; quia in hoc euentu fideles non ad Episcopum, sed ad Parochum solent accedere. Vide Azor *1. tom. lib. 7. cap. 17. q. 3. §. sed dubiò.*

6 Dico vltimò. In prædicto dubio formali modo in tertio dicto concedit Bulla cuilibet Confessario approbato, vt possit dispensare circa esum carnium iudicio Medici corporalis absque recursu ad Episcopum, vel Parochum; imò & præsente Episcopo. Itaque sicut quando adest causa rationabilis, dubia tamen ex Medici corporalis iudicio, quæ tamen sola non excusaret à ieiunio, potest Episcopus, vel Parochus dispensare, etiam sine Bulla, vt dictum est *dicto tertio*. Ita etiam potest Confessarius per Bullam, præsente Episcopo, vel Parocho. Quod patet ex ipsamet Bulla, ad hoc dante facultatem: nam cùm aliquid amplius quàm ius commune concedat, dicendum est concedere facultatem modo dicto. Ita docet Henriq. *lib. 7. c. 13. n. 12. in principio*, quem communiter sequuntur recentiores, insinuat Rodriquez *in addit. ad §. 6. n. 1. in fine.* etsi videatur sibi contrarius, iuxta ea quæ dixit § 6. *n. 1.* & tenet expressè Lopez *c. 6. de Bulla.* In idem reincidit Sanctius *in suis selectis, disp. 51. n. 6. & 9.* dum dicit tunc obtinere locum hoc indultum, quando causa edendi carnes est sufficiens ad petendam à Papa dispensationem; non verò ad frangendum ieiunium, in quibus satis significare videtur, si causa manifesta est ad edendas carnes, non opus esse Bulla; bene verò si non est aperta, nec manifesta, sed dubia, sufficiens tamen ad petendum à Papa dispensationem. Vide eundem *ead. disp. 51. pag. 515. 516.* vbi dicit maiorem requiri causam ad frangendum præceptum sine peccato, quàm ad petendum dispensationem, & Bullam solùm operari, vt existente causa ad petendam dispensationem sufficientem, non verò ad frangendum præceptum, possit Confessarius de consilio Medici corporalis dispensare. Quare sicut præsente Episcopo potest Confessarius priuilegio Bullæ absoluere à reseruatis, & commutare vota, ita & dispensare circa esum carnium, in qua dispensatione, & casu dubio benigniùs & largiùs se gerere debent medicos corporalis, & Confessarius, ob idque fortè dicunt aliqui dari hanc facultatem ad tollendos scrupulos, & dubitationes, & Diana *p. 2. tract. 5. miscell. res. 7* qui idem sentit.

7 Ex his manet soluta ratio dubitandi: nam etsi Bulla nihil operetur in casu primi & secundi dicti, operatur tamen aliquid, & maximi quidem momenti, in casu tertij dicti, modo explicato in quarto dicto. Etenim potest aliquando talis occurrere infirmitas, vt dubitetur an sit sufficiēs causa ad comedēdum carnes, vel non. In quo casu dubio sicut potest Episcopus dispensare, ita etiam Confessarius, etiam præsente Episcopo, per Bullæ priuilegium de consilio Medici corporalis; quod tamen facere non poterat vterque Medicus sine Bulla: in qua dispensatione benigniùs, & largiùs se gerere debet, vt dictum est.

8 Nota tamen primò, per Medicum corporalem intelligi illum, qui corporibus medendis est deputatus, vt de se patet: per Medicum verò spiritualem intelligi Confessarium, non solum illum, cui ex officio competit saluti animarum incumbere, vt sunt Episcopi, & Parochi, sed etiam quemcumque Confessarium, etiamsi ex commissione confessiones pœnitentium accipiat; quia, communiter loquendo, quicumque Confessarius dicitur Medicus spiritualis, nec requiri quòd actualiter pœnitentiam audiat, & in actu confessionis dispenset, sed sufficit quòd possit eum audire, vt tenet Rodriguez *in addit. ad §. 6. num. 1.* communiter receptus. Imò sufficit vt sit approbatus, quamuis nunquam confessiones audierit, Sanctius infrà cum Villalobos *tract. 27. class. 6. num. 2.*

9 Nota secundò, ad validitatem huius dispensationis requiri causam, etsi dubiam; dispensatio enim sine causa non tenet, & quòd hæc causa dubia vt sic sit approbata à Medico corporali. Duo enim necessariò in hoc casu requiruntur, approbatio causæ à Medico corporali, & ea præcedente, Confessarij dispensatio; & altero deficiente, dispensatio est nulla, patet ex Bulla ibi, *de consilio vtriusque Medici.* Quare peccant vtentes dispensatione facta sine causa, vel quando eos redarguit conscientia de falsa relatione causæ, est enim dispensatio subreptitia. Peccant enim ambo Medici sine causa licentiam concedentes; ita quòd si dies sit ieiunij, duo committant peccata, sicut qui frangit ieiunium; alterum de comedendo carnes in diebus prohibitis; alterum verò de violato ieiunio ideo in confessione aperienda, in Quadragesima tamen hanc licentiam sine causa concedens, sufficit dicat eam sine causa concessisse, sic enim satis omnia explicantur. Sanctius *suprà disput. 51. n. 9.* Aduertant ergo, & timeant Medici, & Confessarij, ne timore, vel amore siue sufficienti causa in fauorem petentis inclinentur. Quod si quis bona fide vtrique Medico proponat aliquam causam, de qua dubitat an sit sufficiens, vt secum dispensetur in esu carnium, non peccat eam petitionem eis proponendo. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia ad ipsum proponentem non pertinet examinare an causa illa sit sufficiens, sed ad vtrumque Medicum; quia petitionis propositio nuda non cogit vtrumque Medicum; ad discernendum, sed relinquit illis vt liberè ferant iudicium de causa. Aduertant etiam carnes comedentes, ne excedant licentiam sibi à Medicis concessam: si enim eis vno die in hebdomada concedatur, non possunt alio die eas comedere, & si solùm semel in die eis concedantur carnes, non poterit eis ad cœnam vti, quod poterit facere Medicus, quia ipsi competit declarare necessitatem hoc, vel illo modo. Sanct. *supr. num. 14. & 15.*

10 Nota tertiò, eum qui de consilio vtriusque Medici vescitur carnibus ratione Bullæ, lucrari, seu consequi meritum ieiunij, vt docet Rodriguez § 6. *num. 1. & in addit. ad §. 6. num. 1.* non meritum propriè, & in rigore, prout est actio personalis procedens ab existente in gratia, & ad gloriam ordinata: nam hoc meritum consequi non potest sine actione personæ ieiunantis; sed impropriè, & largo modo, prout sc. meritum sumitur pro satisfactione pœnarum, vt aliquando à DD. vsurpatur: quia, vt inquit Henriq. *lib. 7. c. 13. n. 13.* voluntas efficax illius,

&

& affectus obedientiæ ita acceptatur ab Ecclesia ac si ieiunaret,ac proinde, vt ait Rodriguez *supra n.* 1. *addit. ad* §.6. Ecclesia huic concedit, & applicat de thesauro suo satisfactionem correspondentem ieiunio,ac si reuera ieiunaret:Quæ sententia sic explicata,probabilis est, non solùm pro eo tempore in quo in Bullis concessis ante Pium V. continebatur clausula,vt qui carnes de consilio vtriusque Medici comederent,ieiunij meritum consequerentur,sed etiam pro hoc tempore,in quo in Bullis talis clausula non continetur expressè,talis enim præsumitur Pontificis intentio,& in hoc censetur dispensare Confessarius , probata causa sufficienti per Medicum corporalem; aliter enim , ait Rodriguez *in addit. ad* §.6. *num.* 1. *in fine* , nihil, aut parum operaretur priuilegium. Quod procedit etiamsi qui hoc modo carnes comederint,in cæteris ieiunij formam non seruauerint,& plures in die comederint, vt docet Rodriguez §.6.*n.*1.*in fine*, quia ex Bulla hoc non colligitur,imò contrarium deducitur,eo quòd expressè dicatur in indulto de ouis comedendis, vt qui ea comederint , si in cæteris formam ieiunij seruauerint, ieiunio satisfecisse censeantur.

Dub. II.

In quo aliqua resoluuntur circa esum carnium , ratione Bullæ.

1 Quæres primò. An hoc priuilegium concedatur clericis sacerdotibus. Ratio dubitandi est, quia in Bulla Latina habentur hæc verba : *& sub hoc indulto, vescendi carnibus,ouis,& lacticiniis, comprehendantur omnes cuiusuis militiæ Regulares: Patriarchis verò* , &c *id minimè conceditur*. Ex quibus manifestè patet, ab hoc indulto vescendi carnibus excipi Sacerdotes , siue sæculares , siue regulares : quia Bulla in hac exceptione non solùm de esu ouorum , sed carnium loquitur ; ob idque non improbabiliter dici potest , Sacerdotes non gaudere hoc priuilegio. Nihilominus tamen probabilius existimo , Sacerdotes quoscumque hoc priuilegio frui posse,eo quòd Commissarius generalis Cruciatæ,qui habet potestatem transferendi Bullam Latinam in vulgarem linguam, cui transumpto fides adhibenda est,solùm excipi personas Ecclesiasticas ab indulto vescendi ouis,& lacticiniis , nullam faciens mentionem de esu carnium , vt patet ex his verbis: *Y en este indulto de comer hueuos,y cosas de leche a su aluedrio , no se comprehenden los Patriarcas*,&c. Ex his manet soluta ratio dubitandi : nam per declarationem Commissarij, seu Bullæ Hispanæ,declarantur dubia verba Bullæ Latinæ. Ratio disparitatis exceptionis esse potest , quia priuilegium edendi oua,& lacticinia,conceditur sanis,esus verò carnium infirmis : ac proinde non est vtriusque priuilegij , & exceptionis eadem ratio.

2 Quæres secundò. An dispensatus ratione Bullæ, vel aliàs, vt possit comedere carnes,possit etiam comedere suillam, seu carnem porcinam. Respondeo absolute,& simpliciter loquendo , id esse licitum ei ratione Bullæ , aut alterius priuilegij,aut causæ. Ita tenet Viualdus *in supplemento ad candelabrum,c.* 11. *num.*37. *pag. mihi* 650. Fauet Rodrig.*in addit.ad* §. 6. *num.*4. Ratio est,quia suilla,seu caro porci, verè, & propriè est caro , & absolutè loquendo , sub nomine carnis comprehenditur. Attamen si quis infirmus eam in magna quantitate (secus si in parua, ad excitandum tantùm appetitum) comederet , ita vt eius saluti notabiliter nocere possit , absque dubio peccaret mortaliter , non eo præcisè , quia vescitur suilla , sed quia vtitur cibo nociuo , non secus ac si alio quocumque alimento noxio saluti vteretur. Potest ergo dispensatus ad carnes comedendas , edere quodcumque genus carnium , scilicet lardum , leporem , capream,hædum,bouem, perdicem, & alia, quòd si saluti eius disconueniant , non peccabunt contra præceptum abstinendi à carnibus,sed contra naturale præceptum temperantiæ,edendo saluti disconuenientia, Sanctius *in suis selectis* , *disp.* 51. *n.*20. *&* 21. cum Sanchez *in Sum.lib.*4 *cap.* 11.*num.*57. & Villalobos *tract.*23. & dixi in Decalogo *l.*3. *cap.*2. *dub.*3.*n.*9.

3 Quæres tertiò. An cui licet comedere carnes ratione Bullæ,aut aliàs, possit comedere pisces. Respondeo, absolutè id ei licere , siue in eadem cœna, siue alio die. Ita Henriquez *lib.*7. *cap.*13. *num.*11. *litt. F*, secluso tamen scandalo , aut speciali statuto alicuius Vrbis. Probatur, quia potest renuntiare iuri suo in hac parte,tum etiam , quia cui licet maius, licet & minus ; peccabit tamen si piscibus in magna quantitate vtitur , ita vt saluti nocere possint , non contra præceptum Ecclesiasticum , sed naturale, de salute conseruanda ; secus si moderatè piscibus vesceretur. A fortiori ad carnes dispensatus poterit oua,& lacticinia comedere : cui enim maius conceditur, concessum censetur quod est minus in eodem genere , Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.*10. Sanctius *lib.*4. *c.*11. *num.*57.Henriq. *lib.*7.*de indulgent.cap.*30.*n.*3. D. Sanct. *sup.n.*17.

4 Quæres quartò. An tempore Quadragesimæ,& aliis anni temporibus,in quibus non licet carnes comedere , aut oua, possint pueri hæc comedere sine Bulla. Respondeo , si nondum habent vsum rationis,nec discernere valent , an hæc his diebus sint prohibita,& an sit peccatum illis vesci, posse indifferenter carnes, & oua, ac lacticinia his diebus comedere, quia ij legibus Ecclesiæ nondum tenentur. Quòd si vsu rationis polleant , quod communiter contingit in septennio circiter, peccant mortaliter si hæc sine Bulla , aut alio priuilegio , aut infirmitate comedant : nam etsi lege ieiunij vsque ad vigesimumprimum annum non teneantur , tenentur tamen , ad abstinentiam ciborum prohibitorum, vt communiter docent DD. Vide Rodriguez §.6. *n.*2. *dub.*1.& Sanct. *in suis selectis,disp.*51.*n.*31.& in nostro Decal.*lib.*3 *c.*2.*dub.*2 *n.*11.

5 Quæres quintò. Vtrùm ille,cui virtute Bullæ, vel alterius priuilegij,seu iustæ causæ,licet in Quadragesima,vel extra illam edere carnes,possit cœnare,& pluries in die comedere,ita vt à ieiunio omnino sit liber. Rodriguez §.6.*num.*4. & alij , quos refert Henriquez *lib.*7.*cap.*13.*n.*12.*litt.O,& P*,distinguunt,vt si causa sit pro restaurandis viribus,hic non teneatur ieiunare, sed posse sæpiùs in die carnes comedere;si tamen dispensatio detur viro robusto, eo quòd pisces,& alij cibi , ei nocere soleant,non excusari à ieiunio,hanc sententiam cum aliis tuetur Lud. à Cruce *in exposit.Bull.disp.*1. *cap.*5. *dub.*11.*num.*1. Quæ sententia etsi probabilis sit,probabilior tamen opposita sententia , videlicet vtentem carnibus in totum excusari à præcepto ieiunij. Ita Caiet.2.2. *quæst.*147. *art.*7. *in respons.ad vlt.dub.& art.*8.Azor 1. *tom.lib.*7.*c.*10 *q.*3. qui §.*arbitror igitur* , ait,vsus, & consuetudo id habere videtur,is enim cui tale priuilegium , hoc est,esus carnium conceditur, non solùm prandere , sed etiam cœnare solet, nec cùm

sua peccata, sacerdoti confitetur, hoc confiteri consuetus, quòd sæpiùs quàm semel in die ieiunij comederit. Idem cum aliis tenet Henriquez *lib.7.c.13. num.13.* Probatur *primò*. Is cui licet bina comestio ampla in die, vt cœna, aut ientaculum, præter prandium, non prohibetur sæpiùs in illo die comedere, imò qui illicitè comedit bis, non peccat dum eodem die addit vlteriores cibos, vt docent Nauar. *cap.21.num.*14 & 27. & alij quos Henriquez *suprà num.*13.*cit.*& hanc sententiam iudicant probabiliorem Diana *tract.*11.*resolut* 4. Fagundez *in* 4. *præcept. Ecclesiæ lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. Sanchez *in consilio, part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 29. & posse in praxi sequi affirmat Villalobos 1. *part. tractat.* 33. *diff.* 8. *num.* 9. & cum aliis dixi in Decalogo *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 7. ergo cui licent carnea in die ieiunij, potest cœnare. Probatur consequentia, quia sicut est de essentia ieiunij Ecclesiastici vnica comestio (vt dubio sequenti patebit) in die: ita de essentia ieiunij est abstinentia carnium; imò principalior, & magis præcipua, & magis essentialis pars ieiunij Ecclesiastici est abstinentia carnium, vt latè probat Azor sup.citatus, vtpote quia magis nutriunt, & earum abstinentia magis corpus affligit, & castigat: at cui licet secunda comestio, est liber à ieiunio; ergo similiter is cui licet vsus carnium. Probatur vltima consequentia; qui excusatur à parte præcipua, & substantiali, excusatur à toto opere præcepti: vt qui solum potest ieiunare paucis horis, non tenetur ieiunio, & qui tantùm potest recitare ea horis vnum Psalmum, non tenetur præcepto recitandi; sed præcipua, & essentialis pars ieiunij est abstinentia carnium, vt tenet Caietan. *sup.* & multi, quos sequitur Henriquez *num.*13. *cit. litt. X.* & eodem *cap.* 13. *num.* 2. *litt. D.* ergo cui licet vsus carnium, liber est à ieiunio. Denique probari potest ea ipsa Bulla in hoc §. illis verbis, *Ita quòd qui carnes non comederint, seruata in cæteris ieiunij Ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfecisse censeantur.* Quibus verbis duo significare videtur Pontifex, & quòd abstinentia carnium sit de essentia ieiunij, minimè verò ouorum, & qui carnes comedunt, ieiunio Ecclesiastico non satisfaciunt; sicut qui ouis & lacticiniis vtuntur; quasi dicat, vsus carnium tollit essentiam ieiunij, & ipsum ieiunium, non verò vsus ouorum; & ideò qui carnibus vescuntur ieiunio non satisfaciunt, sicut illi qui carnibus exclusis ouis, & lacticiniis vtuntur. Nec tamen idem iuris est in eo cui libera facultas conceditur edendi ea quæ ex carne procreantur; aut comedendi ante consuetam horam: nam vsu, & consuetudine etiam receptum est, vt is non in totum sit ieiunij lege solutus, nec enim licet ei carnibus vti, nec amplius quàm semel cibo reficere, nec meridianam horam longiùs præuenire. Ita Azor *suprà* §. *arbitror igitur, quæst.* 3. *citat. capit.* 10. *libr.* 7.

6 Dices, qui non potest præceptum Ecclesiæ in totum seruare, tenetur ad partem; ergo cui concessus est vsus carnium, tenetur ad vnicam tantùm comestionem, quæ est altera pars ieiunij. Respondeo, si pars quæ à præcepto aufertur, est magis essentialis, præcipua, & magis ad substantiam præcepti spectans, ea sublata, aut impossibilis facta, in totum à præcepto deobligari. Igitur cùm hoc casu tota præcepti materia defici censeatur, cùm præcipua eius pars remoueatur, vt dictum est, in prima probatione, quia magis præcipuum censetur etiam secum auferre minus præcipuum, sicut magis dignum trahit ad se minus dignum; proinde is cui concessus est vsus carnium, censetur liber à ieiunio.

7 Dices secundò. Is, cui tempore interdicti conceditur per Bullam, vt possit Missam audire, tenetur ad eam audiendam; ergo is cui conceditur vsus carnium, tenetur ad vnicam comestionem, quæ ei est possibilis. Respondeo negando consequentiam, quia sublato interdicto per Bullam, remanet tota materia præcepti audiendi Missam; at concessis carnibus non remanet ei tota, & principalis materia ieiunij: hinc fit operarios excusari quidem ab vnica comestione, & ab hora comedendi; non verò à toto ieiunio, quia adhuc eis remanet possibilis abstinentia carnium, & lacticiniorum, quæ est præcipua, & substantialis pars ieiunij Ecclesiastici.

8 Quæres quintò: An si Sacerdos, vel Religiosus, cui prohibetur in Quadragesima esus ouorū, egeat illis possit Confessarius tanquam Medicus spiritualis, virtute Bullæ, cum his dispensare, etiam præsente Episcopo vel Prælato, si modò Medicus corporalis, aut vir expertus explicat sobesse causam, et si dubiam. Respondeo affirmatiuè cum Henriquez *cap.*13 *lib.*7. *num.* 10. *litt E.* ait enim licèt id expressè non habetur in Bulla circa esum ouorum, sicut exprimitur circa esum carnium, id tamen praxi esse firmatum. Videmus enim viros doctos, & timoratos hac facultate vti. Probatque potest hac firmatatione. Nam etsi in priuilegiis, & dispensationibus, quæ sunt odiosæ, non valeat argumentum à maiori ad minus, ita vt cui licet quod est plus, liceat vtique quod est, minus, quando videlicet maius, & minus sunt in diuersis generibus; tamen si vtrumque sit in eodem genere, & quod est minus est annexum, vel inclusum in maiori tanquam pars eius, vel ab eo inseparabile tunc sanè dispensatio, & priuilegium in casu maiori extenditur ad minorem, vt docet Sanchez cum aliis, *lib.* 8. *de matrimonio, disput.* 5. *num.* 35. Patet exemplis. Episcopus, verbi gratia, vel Monachus cui concedit Pontifex facultatem testandi, potest quoque codicillum facere, vel causa mortis donare; quia hæ sunt partes vltimæ voluntatis; quæ concesso testamento conceduntur. Similiter dispensatio ad sacerdotium, extenditur ad omnes Ordines inferiores, quia concesso toto videntur partes concessæ; ergo similiter cui esus carnium conceditur per Bullam ex consilio vtriusque Medici, subinde conceditur quoque ouorum, & lacticiniorum esus, quia tota ratio prohibitionis horum est, quia à carnibus sementinam originem trahunt, atque ita pendet prohibitio hæc à carnium prohibitione; ergo sublata illa principali prohibitione, tollitur accessoria, quæ est cum illa annexa, & in illa quasi pars includitur.

DVB. III.

Quomodo liceat vsus ouorum, & lacticiniorum per Bullam.

1 Concedit Bulla, vt visum est in hoc §. quibusdam personis, de quibus infrà dubio sequenti, vt pro libito tempore, etiam Quadragesimæ ouis, & lacticiniis vesci possint, ita vt ij si carnes non comederint, & in cæteris ieiunij Ecclesiastici formam seruauerint, dicto ieiunio satisfecisse censeantur. Videndum nunc restat, quomodo hæc intelligantur. Ad quorum intelligentiam

2 Nota, Ieiunium aliud esse naturale, aliud verò Ecclesiasticum. Naturale est omnimoda cibi, & potus

potus abstinentia, quale ieiunium requiritur ad sumptionem sacræ Eucharistiæ, de quo nunc sermo non est. Ecclesiasticum verò est, quod ab Ecclesia præscriptum, & ordinatum est, de quo agit Bulla, & à nobis agendum. Ad cuius substantiam tria necessaria sunt, abstinentia à certis cibis, vnica comestio, & quòd hæc certa hora sumatur. Ciborum quæ in ieiunio prohibentur, duo sunt genera, carnes scilicet, & oua ac illa, quæ à carnibus originem trahunt. Et quoad primum, commune, & certum est apud omnes, carnes esse prohibitas in omni ieiunio, tam Quadragesimali, quàm extra Quadragesimam, vt colligunt Doctores ex *cap denique, dist.4.* Quæ prohibitio, & abstinentia ita essentialis est ieiunio Ecclesiastico, vt simul cum carnibus ieiunium constare non possit, vt docet Caiet. 2.2. *quæst.*147.*art.*7.*&* 8. Medin. *in Sum. lib.*1. *cap.*14. §.10. *pag.* 79. & alij, quos Azor. *lib.*7. *tom.*1. *cap.*10. *quæst.*3. quia carnes magis nutriunt, & earum abstinentia magis corpus affligit, & castigat; ac proinde inter ieiunij intrinseca & essentialia, quod magis intrinsecum est & essentiale, est abstinentia carnium; quare cui est priuilegium concessum, vel data facultas à Medico edendi carnes, in totum est à lege ieiunij solutus, vt docet Azor. *suprà* §.*arbitror*, & dictum est *dub. sup. vers. Quæres quartò*, & dixi in Decalog. *lib.* 3. *c.*3a. *dub.*2. *num.*7.

3 Alij autem cibi qui prohibentur, sunt oua, & lacticinia; qui cibi de iure communi solùm in Quadragesima prohibentur, vt patet ex *cap denique*, vbi loquens de ieiunio Quadragesimali dicitur, *Par est, vt quibus diebus à carnibus abstinemus, ab iis quæ sementinam à carnibus trahunt originem, ieiunemus.* Idem statutum est in VI. Synodo generali Constātinopolitana tertia, *Can.*56.*pag.*245.*tom* 3.*part.*1. Quod clericis sub pœna suspensionis prohibetur, laicis verò sub pœna excommunicationis; & tenent omnes Doctores, tam Canonistæ, quam Theologi, Ægidius Bellamera, *in dicto cap. denique tom.*1. *super decret. pag* 12. Hostiensis *in sum. in rub de obseruat. ieiunij, num.*2. *pag.*229. Innoc. *in eadem rubr. num.*5. *pag.*297. Panorm. *ibidem lib.*3. *decretal. n.*5 *fol.*217. *pag.* 2. & communiter Canonistæ, vt ipse testatur Couarr. *l.*4. *variar. cap.*10. *num.*15. D. Thom. 2. 2. *quæst.*147.*art.*8.*ad* 3. Caiet. *ibi vers. Ad hoc dicitur*, Summa Ostiensis *l.*5. *tit.*28. *quæst.*5. *fol.*35. Angel. *verb. Ieiunium, n.*5. Armill. *eo verb. n.*1. Sylu. *eo n.*15. Summ. litteralis, *p.*2.*n.*5.*pag.*179. Nauarr. *in Man. cap.*21.*n.*15. Graffis *part.*1.*lib.*2.*c.*37.*n.*10. Viualdus *in supplemento ad candelabrum aureum, cap.*11.*n.*17. *pag.*648. *in edit. ann.*1611. Petrus Ledesma *in Sum, part.*2.*tract.*27.*cap.*2.*concl.*3. Tolet. *l.*6.*c.*2.*n.*2. *vers. Prima est.* Medina *in Summ. fol.*78. *pag.* 2. Suarez *tom* 2. *de relig. cap.*13.*n.*3. Sanchez *lib.*4. *oper. mor. c.*11.*n* 53. Leonardus Lessius *lib.*4. *cap.*2. *dub.*2.*n.*8. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 13. *sect.* 2. *num.*144. Filliucius *tract.*27. *cap.*3.*n.*45. Villalobos *tract.*23. *del ayuno, differ.*8 *num.*1. Bonacina *tom* 2. *disp. vlt. pag.* 318 *punct.* 2. *num.* 2. & demum Sanctius cum aliis, *in suis selectis*, *disp.*51. *num.*18. & nouissimè Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 12. *num.* 6. *&* 7. *& dub.*15. *per tot.* & dixi in Decalogo *lib.*3. *cap.*2. *dub.*2. *num.*3. *&* 4. qui omnes expressè tenent de iure communi esse prohibita oua, & lacticinia in Quadragesima, & solùm intra, & non extra illam, præter Couarr. *vbi sup.* communiter in hoc non receptum, qui hanc prohibitionem extendit etiam ad ieiunia extra Quadragesimam. Hæc autem prohibitio extenditur ad Dominicas Quadragesimæ, vt constabit infrà *dub.*7.*num.*1. Obligat etiam hæc iuris dispositio, & prohibitio in Quadragesima, sub peccato mortali: quare qui oua vel lacticinia in Quadragesima vescitur absque causa, vel priuilegio, peccat mortaliter, vt docent Doctores citati, quorum alij id expressè affirmant; alij verò id supponunt, dum dicunt, edentem cibos prohibitos in Quadragesima violare ieiunium; violatio autem ieiunij peccatum est mortale: idque comprobat communis vsus, consuetudo, approbatio, & acceptatio fidelium, cuius non extat memoria: existimant enim id esse peccatum mortale, & sic communiter legem acceptant & obseruant. Est enim materia grauis, vt significat pœna suspensionis, & excommunicationis in d. Synodo VI. apposita, quæ supponit grauem culpam & obligationem sub m. vt docent Syluest. *præceptum, num.* 3. Nauarr. *in Man. cap.*23. *num.*53. Sayr. cum multis *in claui reg. lib.*2. *cap.*7. *num.*25. late Suar. *de censur. disp.*28. *sect.*3. *num.*20. *&* 25. Reginald. *tom.*1. *lib.*15. *cap.*6. *sect.*5. *num.*49. Bonacina cum aliis, *tom* 1. *disp* 1. *punct.*7. §.4. *num.*3. Noster Salon, 2.2. *quæst.*77. *art.*1. *controuers.*8. *reg.*3. & denique Couarruuias *lib.*4. *var. cap.*21. *num.*10. *in fine*, vbi ideo probat frangentem ieiunium peccare mortaliter, quia in Canone Apostolorum 68. iubetur vt violans ieiunium, si clericus sit, deponatur; sin verò laicus, excommunicetur: quæ pœnæ, ait Couarruuias, non solent, nisi peccati mortalis causa, & ob eius causam infligi. Probari etiam potest ab authoritate negante, nullus enim Doctorum dixit esse tantùm peccatum veniale, præter quemdam, qui singulariter dixit hanc prohibitionem in Quadragesima solùm obligare sub peccato veniali, cuius opinio tanquam singularis, noua & contra communem Doctorum, & consuetudinem in Ecclesia communiter approbatam, fuit reiecta, & reprobata; postmodum verò re bene examinata, & ab ipso authore meliùs explicata, & modificata fuit in sua probabilitate relicta. Nostram tamen sententiam, vt verissimam, tenet etiam Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.*1. *cap.*5. *dub.*13. *num.*4. qui *num* 7. sic ait. Si omnes Christi fideles docti, vel indocti, quotquot Dei timorem præ oculis habent, sciscitarentur an esus ouorum, & similium in Quadragesima sit sub lethali culpa prohibitus, omnes credo, vel paucis exceptis, affirmatiuè responderent. Dixi *absque priuilegio & causa*: nam altero ex his legitimè concurrente certum est oua, & lacticinia licere in Quadragesima concedere. Dixi etiam *intra Quadragesimam*, quia in ieiuniis per annum extra Quadragesimam ab ouis, & lacticiniis de iure communi abstinere non tenemur, nisi fortè aliqua particularis consuetudo spatio annorum quadraginta præscriptis id præcipiat. Ita docet S. Thomas 2.2. *q.*147. *art.*8. *ad vltim.* Syluest. *verb Ieiunium*, *quæst.*5. Azor. 1. *tom. lib.*7. *cap.* 10. *quæst.* 1. & alij supra citati. Vide in nostro Decalogo *lib.*3. *cap.*2. *dub.*2. *num.*5. Dixi, *nisi aliud ferat præscripta consuetudo*: nam certum est, vbi talis reperitur, teneri ab ouis extra Quadragesimalia ieiunia abstinere; consuetudo enim præscripta habet vim legis, vt communiter Doctores.

4 Dubitari tamen potest, an consuetudo qua in talibus Hispaniæ partibus in ieiuniis per annum ab ouis, & lacticiniis abstinetur obliget sub mortali. Aliqui affirmant: nam existimant esse legitimè præscriptam. Communior tamen opinio Doctorum negat. Ita tenet Sanchez *lib.*4 *operis moralis, cap.*11. *num.*52. Vasquez 1.2. *tom.*2. *disp.*177. *cap.*9. *num.*55. Vega 1. *part. Summ. cap.*14. *casu* 17. in quam etiam partem inclinat Henriquez *lib.*7. *cap.*13. *num.*9. vbi ait, multos viros doctos negare, obligare consuetudinem abstinendi ab ouis, & lacticiniis in multis Hispaniæ locis, quasi ea consuetudo non sit sciente,

& sponte inducta, sed ob frequentes Bullas, quas ferè omnes capiunt, reputare viros simpliciores per errorem se obligari: id etiam latè Sanctius *in suis selectis, disp.51.num.19.* Quam sententiam iudico veriorem: quia talis consuetudo in Hispania probari non potest, eo quòd ab hinc quinquaginta annis, maior pars populorum, quæ sola posset & deberet consuetudinem introducere, ex priuilegio Bullarum comedit oua, & lacticinia; ergo in hac re nullos vsus allegari potest, qui introduxerit consuetudinem per modum præcepti, cum nullus fuerit vsus huius abstinentiæ. Secus tamen esset si talis vsus absque Bullæ priuilegio reperiretur animo introducendi consuetudinem, & ad eam se obligandi sub mortali: non enim sufficit vsus, & consuetudo, nisi hæc fiant animo se obligandi, sunt enim hæc duo valde diuersa; nam potest intendi per se vsus & consuetudo, & non intendi, animo se obligandi, sed tantùm ex deuotione, quod in personalibus & priuatis consuetudinibus est euidens. Idem quoque est in consuetudinibus totius populi. Sic enim in Christiano populo recepta est consuetudo salutandi Virginem ad signum campanæ initio noctis, ex deuotione tantùm, non verò ex obligatione. Tales etiam censet Cardinalis Bellarminus *lib.4. de Rom. Pontif cap.18.* multas consuetudines fidelium, sumendi, v.g. cinerem benedictum in primo die Quadragesimæ, & ramum in Dominica Palmarum, & aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ. Sic etiam in populis multis, & consuetudo adeundi Ecclesiam summo manè, vel etiam audiendi Missam ex deuotione in diebus non festiuis, & in festiuis, solet esse vsus non sumendi ientaculum ante Missam, quæ omnia, & similia, etiam si à maiori parte populi ex deuotione fiant, non inducunt consuetudinem legalem: ergo idem dicendum in præsentia, vbi talis esset consuetudo abstinendi à lacticiniis, & ouis, fuisse introductam deuotionis causa, & non animo se obligandi. De ratione autem legis est, vt fiat cum intentione se obligandi, & nemo se obligat sine intentione, vt constat in voto, & promissione. At saltem negari non potest esse rem valde dubiam, an in tali consuetudine fuerit animus, & intentio totius populi denuo se obligandi ad talem abstinentiam lacticiniorum & ouorum: at in dubio, & cæteris paribus, vt optimè notaoit Suarez ex communi doctrina *lib.7. de legibus, cap.15. num.13.* & eum eu Bonacina *disput.1 quest.1.p.vlt §.3.num 21.* & Castro Palao *tract.3. de consuetudine, disputat.3. punct.2.§.5 num.13.* potiùs inclinandum est in eam partem, vt consuetudo potiùs sit deuotionis, vel honestatis, & ad melius esse, quam obligationis. Ratio est, quia generalis est regula, in dubio semper est melior conditio possidentis, vt in materia voti dicitur, & tractat benè Suarez *tom.2. de relig. tract.6.lib 4.cap.5.* neque expedit multiplicari præcepta vbi certa non sunt, in quam sententiam inclinat Diana *in addit.resol 20.in fine.* & illam teneo *in Decalogo lib.3 cap.2. dub.2.num.4.* Vide de hac re Medina *in Sum. lib.1. cap.14 §.10.* & Rodriguez *§.6. num 2.& 3.* Hoc autem pro certo habe, in nostro Regno hanc consuetudinem non obligare ad mortale, vt multoties à nostris Doctoribus fuit responsum præcipuè tempore Iubilæi Gregorij XV. de anno 1621.

5 Ex his colligitur, abstinentiam ab ouis, & lacticiniis non esse de essentia ieiunij Ecclesiastici, tum quia in ieiuniis per annum verè ieiunatur, & de iure communi licent oua, & lacticinia; tum etiam, quia in Quadragesima, salua ieiunij natura, licet oua, & lacticinia cum Bulla comedere, vt videbimus. Quare cui concessus est vsus ouorum, aut lacticiniorum, non ideo conceditur vsus carnium, nec liber à ieiunio censetur, vt tenent communiter Doctores. Sequitur etiam quando alicui Canone, aut lege interdicitur vsu carnium, non intelligi prohibitum vsum ouorum, & lacticiniorum. Videmus namque in feria sexta, Sabbato, imò & ieiuniis per annum à iure communi solas carnes interdici. At cui est interdictus vsus ouorum, & lacticiniorum, prohibetur etiam vsus carnium. Ita Syluester *verb. Ieiunium, quest.10. num.17.* Vide Azor. *1.tom. lib.7. cap.10. quest.1.*

Obiter nota, præceptum abstinendi à carnibus, & lacticiniis, toties violari, quoties in die carnes, & oua comeduntur, quia sunt præcepta negatiua, & diuiduam habentia materiam; vnde Sacerdos, aut laicus, qui sine causa, aut priuilegio in Quadragesima vescitur carnes, aut lacticinia, tenetur explicare quoties se applicuit esui carnium, aut ouorum in die; secus quidem de præcepto ieiunij, nam quamuis negatiuum sit, diuiduam tamen habet materiam, ideo non toties frangitur, quoties comestio fit, Sanchez *lib 4.operis moral cap.11. num 42.* & Sanctius *in suis selectis, disp.51.n.26.& 27.* & dixi latiùs in Decalogo *lib.3 cap.2 dub.3.num.4.*

6 Secundum quod requiritur necessario ad ieiunij Ecclesiastici substantiam, est vnica in die comestio, quæ etsi in iure non videatur expressè præscripta, vt docet Syluester *verbo Ieiunium, quest.2.num.8.* vsu tamen, & consuetudine approbata introductum est, vt semel in die refectionem, seu prandium sumamus: ita vt qui in die bis prandium sumpserit, ieiunium violasse censeatur. Vbi aduerte, eum qui plus quàm semel in die comederit, in sola secunda comestione peccasse mortaliter, & ieiunium violasse dummodo non vtatur cibis prohibitis, vt benè Nauarr. *cap.21.num.14.* in aliis verò comestionibus, nec peccat venialiter, vt cùm aliis dixi in Decalogo *lib.3. cap.2. dub.3. num.3.* quia iam factum est ieiunium impossibile, & ideo ab eo liber reputatur, at si cibis prohibitis vtatur, toties peccat, quoties illis vescitur, vt communiter Doctores de quo vide Azor *1.tom.lib.7. cap.9. quest.3.* & in Decalogo *locis supr. citat.* Eadam etiam consuetudine introductum est, vt in die ieiunij liceat sumere refectiunculam, non solùm bibendi, sed alendi causa, absque potu, in qua potest edi panis, fructus herbatum, vt sunt ficus, vua passa, nuces, pyra, poma, & alia ex facchato confecta, patum tusculi ex herbis, & leguminibus, non autem ipsa legumina, & omnia in modica quantitate, vt tres, vel quatuor vnciæ panis, & parum fructus; possunt tamen plures fructus sumi, omnes tamen in ea quantitate, ac si soli sumerentur. Sed de hoc latè Azor.*1.tom lib.7.c.8.* & Lessius *lib.4 c.2. dub.2.* & Dixi latiùs in Decalogo *lib.3.c.2. dub.3. à n.6.*

7 Tertium quod requiritur ad ieiunium Ecclesiasticum est hora certa, qua illud soluere possumus. Hæc autem hora in primitiua Ecclesia, & etiam vsque ad tempora D. Thom. erat circa horam nonam, id est, tertiam post meridiem, qua hora ieiunium soluebant Christiani: at consuetudine introductum est, vt circa meridiem nunc soluant ieiunium fideles. Possumus tamen, si velimus, prandium vsque ad noctem prorogare, quia meliùs carnes macerantur, & solùm prohibemur ne ante meridiem prandium sumamus. Seculares ergo in æstate ieiunium laxare possunt duabus ferè horis ante meridiem, hyeme, semihora ante meridiem: æstate verò hora, & semihora. Ita Azor.*lib.7.cap.11.* Qui autem per vnam horam (secus si minus tempus) etiam abs-

que

que contemptu, & sine iusta causa horam prandij anteuerteret, peccaret mortaliter, vt tenet Nauarr. *c.21. n.27.* & multi alij, quos sequitur Azor. *suprà*; nam in ieiunio præcipitur vnica comestio, & tali hora. Toletus tamen *lib 6. cap.2. num.5.* & alij, quos Lessius *supra dub.2. citat. n.13.* dicunt, si contemptus absit solùm peccare venialiter, quia non violatur substantia ieiunij, quæ solùm in duobus consistit, nimirum in abstinentia carnium, & vnica comestione, modo suprà citatus. Quod si iusta causa intercedat, non erit peccatum, vt iter ineundum, legendum inter prandendum, excipiendum, vel dimittendum hospitem. Ita docent Nauarr. Azor. & Lessius citati. Hinc fit, vt eum qui à Pontifice habet priuilegium horam prandij anticipandi, non ideo liberari à ieiunio; & eum qui sine causa prandium anticipat, in aliis ieiunium seruare debere, ne aliud de nouo peccatum committat. Nam ieiunium, inter alia præcipit, ne plus quàm semel in die comedamus. Sed de his dixi latiùs in Decalogo *lib 3. cap.2. dub 4.* His positis.

8 Dico primò, Bulla Cruciata concedit eam habentibus, vt possint pro libito in ieiuniis Quadragesimæ vesci ouis, & lacticiniis, & quod comedendo oua, & lacticinia ieiunio satisfaciant, hoc est, quòd verè, & propriè ieiunent, & meritum, ac satisfactionem ieiunij, si cætera adsint consequantur. Nam, vt probatum est suprà *hoc dub.* & docet Medina *in summa, lib.1. c.14 §.10. fol.* 82. abstinentia ouorum non est de essentia ieiunij, sed solùm de necessitate præcepti Ecclesiastici, in quo dispensat Pontifex, ad quam dispensationem sufficiens causa est eleemosyne Bullæ in belli subsidium, præter quam nulla alia indiget habens Bullam, & minus vtriusque Medici consilio ad vescendum ouis, & lacticiniis, patet ex verbis Bullæ ibi, *Pro libito*, &c. Et nota, quòd quamuis Bulla non addidisset, *& lacticiniis*; posset quia virtute Bullæ vti lacticiniis: nam eo ipso quòd conceditur facultas comedendi oua, conceditur etiam facultas vescendi lacticiniis, etiam si lacticinia non exprimantur. Ita Medina *lib.1. c.14. §* 10. *pag.* 82. & Henriq *lib.7. c.13 n* 11. quia minus est Sanch. *tom.3. de matr. lib.8 disp.1. n.39.* quia nimirum vnica est, & indiuidua prohibitio ouorum, & lacticiniorum, vt constat ex *cap denique. distinct.4.* eo quòd seminiinam originem, à carnibus trahunt, sicut est vnica prohibitio, & indiuidua omnium carnium. Quare sicut illi cui ratione morbi conceditur vt auem edat, non erit reus præcepti quibuscumque carnibus vescens, vt dictum est *dub. sup. n.2.* sic cui ouorum esus conceditur cæterorúmque lacticiniorum vsus licet.

9 Dico secundò, vt quis possit edere oua, & lacticinia, in Hispania, non indiget Bulla in ieiuniis per annum citra Quadragesimã: patet ex dictis *not.1.* quia, vt ibi probatum est, in dictis ieiuniis non est prohibitus vsus ouorum, & lacticiniorum, nec à iure, nec per consuetudinem approbatam vim legis habentem, ac proinde vt dictis diebus possimus oua, & lacticinia comedere, nullo indigemus priuilegio.

10 Dices si non est necessaria Bulla in Hispania ad vsum ouorum, & lacticiniorum in ieiuniis extra Quadragesimam, vt dictum est *dict.2.* quid ergo concedit Bulla, dum dat facultatem illa edendi non solùm in ieiuniis Quadragesimæ, sed etiam in aliis extra Quadragesimam? est enim de ratione priuilegij vt aliquem effectum habeat in priuilegiato, quia aliàs esset inutile, & quasi otiosus actus, quod de beneficio Pontificis præsumendum non est. Respondeo tamen cum verba concessionis priuilegij continent illud ipsum quod clarè in iure communi concessum est, vel non est prohibitum; & nullum alium effectum distinctum in sua proprietate significare possunt; tunc tale priuilegium licet nequeat habere effectum substantialiter distinctum ab effectu iuris communis, habet tamen illum ipsum nouo modo, id est, nouo & speciali titulo, & speciali iure. Qui effectus non est omnino frustra, nam per se ad hoc confert, vt quamuis postea per ius commune contrarium statuatur, nihilominus actualiceat ratione priuilegij, quia per subsequens ius commune non reuocatur, nisi exprimatur. Simul etiam confert certitudinem in tali actu, quæ magna est vtilitas: & ideo alia priuilegia frequentiora sunt ad maiorem securitatem; non enim semper ad rationem priuilegij requiritur, vt nouum ius concedat, aut aliquid præter ius commune tribuat, sed sufficit ad hoc vt sit verum priuilegium, vt clarius, & facilius tribuat ius quàm illud quod ius commune concedebat, & sic priuilegia continentia ius commune, hoc contra ius commune operantur. Ita docent Rodriguez *tomo 1. quæst.7. art.1.* Frater Ioannes de la Cruz *lib.2. de priuilegiis, cap.1. dub.1. concl.1.*

11 Quæres, vtrùm ille cui conceduntur oua, & lacticinia, possit edere simul etiam pisces. Respondeo affirmatiuè, absolutè & simpliciter loquendo, quia potest suo renunciare priuilegio. Contingit enim interdum, vt si quis solum pisces edat, ita vt tota corporis refectio ex solis piscibus constet, sibi noceat. Accidit quoque, vt oua vni integro prandio non sufficiant, vel quia ea cùm plura comeduntur abhorret, & respuit stomachus; vel quia modico paucorum pisciculorum esu excitatur comedendi appetitus, ac proinde ad comedendum totum quod ad vnum prandium requiritur, vnà cum ouis nonnulli pisces edunt. Imò & absque vlla necessitate piscium potest quis eos comedere: nam priuilegium vescendi ouis, nullo modo prohibet talem vsum piscium. Quòd si pisces nocent, peccabit quidem, non contra præceptum Ecclesiasticum, sed naturale, de salute conseruanda. Ita Henriquez cum aliis *lib.7. cap.13. num.11. littera F.* Sic similiter ille cui concessus est vsus ouorum, potest vti butyro, vt docet Medina *lib.1. cap.14. §.10 fol.82.* & Azor. *lib. 7. cap 10. quæst.4. tom.1.* quia butyro solent oua apparari. An autem hic simul cum ouis possit vti lardo, seu sagimine, dubium est. Syluest. *Ieiunium, quæst.5. num.16.* Hostiens. Panorm. & alij, quos sequitur Azor. *sup quæst.8.* affirmant absolutè id licere eiunt enim, pinguedo non est caro, teste Aristotel. *1.2. de generatione.* Placet tamen limitatio quam adfert Henriquez *lib 7 cap.13 §.11.* nimirum id licitum esse in quibusdam regionibus vbi est magna penuria piscium & olei, & ibi reperitur mos antiquus vtendi lardo, seu sagimine, qualis reperitur in Regno Galetiæ, & in Piru, teste Henriquez *suprà littera H.* & Diana *part.1. tractat.9. resolut* 21. testatur etiam talem consuetudinem vigere in Siciliæ Regno, eamque approbat,: vbi autem talis consuetudo non reperitur, id permittendum non est, vt etiam docet Medina *Sup.* sic etiam ius carnium prohibetur, licèt non sit caro: sagimen enim, & ius carnium magis pertinet ad carnes, quàm oua: at hæc non licent sine priuilegio; ergo nec sagimen. Ita etiam Ludouic. à Cruce *in expositione Bullæ. disputatio.1. capite 3. dubio 16.*

***

Dvb. IV.

Quibus personis per Bullam concedatur priuilegium vescendi oua, & lacticinia tempore Quadrag.

1 DIco primò, certum est pueros ante septennium non indigere Bulla ad vsum illorum; quia pueris nondum vsum rationis adeptis (quod communiter ante septennium completum accidere solet) possint licitè quibusuis diebus porrigi carnes, ne dum lacticinia, vt latè cum multis probat Sanchez *lib. 1. operis moralis, cap. 21. n 6. & 9.* & dixi in Decalogo *lib. 3. cap 2 dub. 2. num. 11.* Et ratio est, quia cùm pueri per se sint in ea ætate incapaces; vsus rationis, nondum tamen legalis vinculi, quod est præceptum quoddam rationale, capaces sunt. Post septennium verò indigebunt Bulla, vt possint tempore Quadragesimæ comedere oua, & lacticinia.

Dico secundò. Laicis sæcularibus, & Equitibus Ordinum militarium (dummodo ij non sint Presbyteri) conceditur sine vlla temporis distinctione, vt edant oua, & lacticina in ieiunijs, etiam Quadragesimæ. Constat apertè ex verbis Bullæ in hoc §. Idem dic de clericis sæcularibus Ordinum Minorum, & de Subdiaconis, & Diaconis, quia in hoc § Bullæ, solum ex clericis sæcularibus excipiuntur Sacerdotes, vt magis dubio sequenti patebit: vnde cùm sit lex odiosa, non est amplianda, sed restringenda.

3 Dico tertiò. Cardinales sanctæ Ecclesiæ si neque sint Regulares, neque Sacerdotes, neque aliam habent prælatiam, possunt comedere oua, & lacticinia tempore Quadragesimæ ratione Bullæ. Ratio est, quia circa illos nulla fit exceptio in Bulla, in qua excipiuntur Patriarchæ, Archiepiscopi, & alij Prælati, de quibus dubio sequenti; vnde cùm in odiosis Prælatorum nomine non comprehendantur Cardinales, reuera per Bullam gaudebunt illo indulto. Ita Rodrig. *in addit. ad §. sextum, n. 9.*

4 Dico quartò. Clerici sæculares Sacerdotes, tum etiam omnes Religiosi, si sint sexagenarij, possunt in Quadragesima vti ouis, & lacticiniis ratione Bullæ: constat ex illis verbis Bullæ in hoc. §. *nisi sexagenarij sint*, in quibus sexagenariis nulla infirmitas, aut alia causa requiritur, vt frui possint hoc priuilegio; sufficit enim habere Bullam. Nam etsi sexagenarij, eo quòd sunt sexagenarij, etiam si robusti existant, à lege ieiunij sint exempti, vt docent Nauarr. *cap. 21. num. 16.* Lessius *lib 4. c. 2. dub. 6. num. 4.* & ferè communis Doctorum, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 7. de matrimonio, disp. 32. num. 17.* quod procedit tam in viris, quàm in fœminis. Et quamuis improbabile non sit fœminas quinquagenarias à lege ieiunij excusari, non tamen est in praxi tutum, vt benè Sanchez *n. 17. citat. in fine.* Tenentur tamen à cibis prohibitis, & ab ouis, & lacticiniis in Quadragesima abstinere, vt communiter Doctores, quos Azor *lib. 7. cap. 17. q. 4.* & Nauarr. *suprà num. 23.* ex doctrina ipsius *num. 22.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 8.* Sylnest. *ieiunium, quæst. 4. §. 4. quartum num. 17.* sicut pueri habentes vsum rationis vsque ad vigesimum primum annum ieiunio non tenentur, cibis tamen prohibitis vesci non possunt. Concedit ergo Bulla Sacerdotibus sæcularibus, & Religiosis omnibus, si sint sexagenarij, vt possint pro libito in Quadragesima oua, & lacticinia comedere.

Dvb. V.

Quinam in Bulla excludantur à priuilegio edendi oua, & lacticinia in Quadragesima.

1 IN Bulla Latina habetur hæc exceptio. *Patriarchis verò, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque inferioribus Prælatis, necnon aliis personis Ecclesiasticis regularibus, & qui in ordine fuerint presbyteratus, sæcularibus, id minimè conceditur.* Excipiuntur autem hæ personæ Ecclesiasticæ, quia in illis requiritur maior abstinentia, vt dicitur *in cap. statuimus, distinct. 4.* ob status perfectionem, & quia oua, & lacticinia prouocant ad luxuriam iuxta Medicorum sententiam, & docet Sanct. Thom. 2. 2. *quæst 147. art. 8.* videndum tamen de singulis personis in particulari.

2 Excipiuntur primò ab huiusmodi priuilegio; Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi: patet ex ipsa Bulla. Nomine autem Episcopi intelligitur ille, qui est consecratus, quamuis Episcopatui renuntiauerit: nam Episcopus consecratus, quamuis dignitati renuntiauerit, non propterea desinit esse verus Episcopus, quandoquidem non amittit consecrationem. Intelligitur secundò nomine Episcopi, ille qui est electus, & iam à Papa confirmatus, vt tenent quidam recentiores contra Rodriguez *in addit. ad §. 6. num. 8.* quia Episcopus electus, & confirmatus (quamuis non sit consecratus) est verè Prælatus, & potest exercere iurisdictionis actus in sua diœcesi; vt approbare Confessores, eligere Parochos, censuras ferre, & indulgentias concedere; ergo hic in ea clausula Episcoporum nomine comprehenditur. Constat; quia si nomine Episcopi tantùm comprehenderetur consecratus, cùm consecratio non detur nisi post sacerdotium, & ea parte qua est Sacerdos iam comprehendatur, frustrà illa clausula postularet consecrationem, ad hoc vt comprehenderetur Episcopus; quia iam comprehendebatur nomine Sacerdotis; non ergo poterit aliquid operari prædicta clausula, nisi nomine Episcopi intelligamus etiam non Sacerdotem, qui sit tantùm electus, & confirmatus. At si tantùm electus sit, & nondum confirmatus, certum est hac exemptione non comprehendi, nisi aliàs Sacerdos, vel Regularis. Quòd si hic electus, & confirmatus non sit Sacerdos, nec Regularis, & renunciat Episcopatui, non comprehenditur hac exceptione, & potest edere oua ratione Bullæ in Quadragesima: nam non est Prælatus, nec Sacerdos, aut Regularis, vt supponimus.

3 Excipiuntur secundò, omnes, inferiores Prælati ab Episcopis, patet ex dicto §. quorum nomine intelliguntur quicumque habentes dignitatem aliquam cum perpetua administratione; tum etiam Superiores Religiosorũ, vt Generalis, Prouincialis, & Præfecti cœnobiorum, vt docet Rodrig. *in addit. ad §. 6. n. 8.* & cum eo Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. c. 5. dub. 17. n. 3.* & communiter Doctores, qui omnes si dignitatẽ quã habent, seu Prælaturã renuntiauerint, possunt in Quadragesima vti ouis, & lacticiniis per Bullam, quia iam nõ sunt Prælati, nisi aliàs sint Sacerdotes, seu Regulares, aut Episcopi cõsecrati.

ti. De Cardinalibus iam dictum est *dub. sup.* non comprehendi hac exceptione, nisi sint Presbyteri, Episcopi, aut Regulares. Vide Rodriguez *in addit. ad* §. 6. *num.* 9.

4 Tertiò excipiuntur quæcumque personæ regulares, seu religiosæ. Nomine autem *Regularium* intelliguntur, qui saltem tria vota in religione approbata emiserunt, scilicet votum Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis, vt Rodriguez *in add. ad* § 6. *num.* 10. & communiter Doctores, siue sint viri, siue fœminæ, vnde Moniales professæ hac exceptione comprehenduntur, vt deducitur ex illis verbis: *Necnon aliis personis regularibus.* &c. quæ verba cùm generalia sint manifestum est ad omnes personas regulares extendi, Villalobos *tract.* 27. *claus.* 6. *num.* 7. Certum autem est Moniales professas esse personas regulares, & non seculares, *infrà* §. 7. *cap.* 1. *dub.* 1. Sic nomine *monasteriorum* intelliguntur tam virorum, quàm mulierum *suprà* §. 3. *dub.* 2. *num.* 5. Quare hac exceptione non comprehenduntur (ac proinde possunt pro libito vti hoc priuilegio) Beatæ, nec Tertiarij, aut Tertiariæ, nec Eremitæ, quia non sunt Regulares, nec tria solemnia vota emiserunt. Ob eandem rationem hac exceptione non comprehenduntur nouitij antequàm ritè, & rectè professionem emiserint, quia Regularium nomine in odiosis, & oneribus non comprehenduntur nouitij, vt docet Rodriguez §. 6. *num.* 10. & communiter Doctores. Comprehenduntur tamen hac expositione, & sub nomine Regularium, Religiosi Societatis IESV, nondum Presbyteri, qui post biennium probationis emiserunt vota simplicia Castitatis, Obedientiæ, & Paupertatis, quia ij tam in fauorabilibus, quàm in odiosis, sunt verè, & essentialiter Religiosi, non secus ac ipsi professi, tum Societatis, tum aliarum Religionum, dum manent sub obedientia Superiorum in Societate IESV: vt definiuit Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit, *Ascendente Domino in nauiculam*, edita anno 1584. habetur in Bullario *tom.* 2. *pag.* 472. At si dicti Religiosi non Presbyteri expellantur à Religione, possunt vesci oua, & lacticinia ratione Bullæ, quia iam non sunt Religiosi: si autem fuerint Presbyteri, ea parte qua Presbyteri, non possunt vti hoc priuilegio. ita Rodriguez *supra*, Villalobos *supr. num.* 8. & Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 17. *num.* 1.

5 Quoad Regulares aduerte, comprehendi sub hac exceptione omnes etiam Regulares, etiam laicos: nam Bulla in Regularibus non requirit sacerdotium, sed tantùm quòd sint Regulares professi. Ita Rodrig. §. 6. *num.* 7. Villalob. *supr. num.* 7. Quare ij in Quadragesima ratione Bullæ non possunt comedere oua; possunt tamen omnes Regulares, & Religiosi illis vesci in ieiuniis per annum, tum etiam seculares Sacerdotes, quia Bulla solùm excipit dies Quadragesimæ; imò, vt dictum est *dubio superiori*, in ieiuniis per annum non requiritur Bulla ad hæc comedendum, cùm illorum esus in illis ieiuniis à iure non prohibeatur.

6 Quartò, ex personis Secularibus soli Sacerdotes excluduntur à priuilegio comedendi oua, & lacticinia in Quadragesima, patet ex illis verbis; *Et qui in ordine presbyteratus fuerint, sæcularibus id minimè conceditur.* Vnde Diaconi, & Subdiaconi seculares hac exceptione minimè comprehenduntur. Rodriguez §. 6. *num.* 7. & communiter Doctores.

Dub. VI.

In quibus casibus liceat Sacerdotibus, & Regularibus vesci ouis, & lacticiniis in Quadragesima.

1 PRimò licet supradictis illa comedere ratione Bullæ in Quadragesima, si sint sexagenarij, quia ita habetur in Bulla hoc §. quod procedit siue robusti, siue debiles sint; quia Bulla non limitat, sed absolutè loquitur. Ita cum Rodriguez *infrà* tenet Lud. à Cruce *in exposit. Bull disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 17. *n.* 4. A contrario ergo, qui nondum sexagesimum annum attigerint non possunt vti hoc priuilegio, etiam si debiles sint; si tamen vtantur aduersa valetudine, adsitque iusta & certa causa, poterunt hæc comedere ratione infirmitatis de cõsilio & declaratione Medici; sic enim non tantum oua, sed etiam carnes licet comedere, vt ratio naturalis dictat, & ius commune concedit, & probatum est sup. in hoc §. *dub.* 1. Vide Rodrig. §. 6. *n.* 10. Quod si causa nõ sit certa, & euidens, sed tamen est dubia, poterit tunc Sacerdos secularis, tum etiam quicumque Regularis professus, de consilio vtriusque Medici, oua, & lacticinia ratione Bullæ, comedere. vt dictum est hoc §. *dub*... *in fin.* & docet Henr. *lib.* 7. *de indulg. c.* 13. *n.* 10.

4 Secundò, licent supradictis, etiam non sexagenariis, oua & lacticinia in Quadragesima, si aliunde habeant priuilegium illa comedendi, dummodo habeant Bullam, quod licet eis, nõ vi facultatis quæ datur per Bullam, sed ex vi alterius priuilegij. Ita Henr. *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 10. Ratio est, quia tale priuilegium non tollitur per Bullam, nisi quando non recipitur Bulla; ergo reualidatur accipienti Bullam, quia omnia priuilegia quæ per Bullam suspenduntur, per eandem reualidantur illam sumentibus. Idem tenet Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 5. *dub.* 18. *num.* 10.

5 Obiter tamen nota, Sacerdotes confratres confratriæ, seu sodalitatis sanctissimi corporis Christi, quæ dicitur *de Minerua*, non posse in Quadragesima, virtute priuilegiorum talis confratriæ, comedere oua, etiam si habeant Bullam; quia priuilegium, si quod erat antiquitus, iam nunc abrogatum est; nam hoc priuilegium habebat dicta confratria propter aggregationem cum confraternitate hospitalis sancti Spiritus in Saxia, quod concessit Sixtus IV. in Bulla à se edita ann. 1478. & incipit, *Illius qui*, & habetur in Bullario *tom.* 1. *pag.* 352. at nunc in ea tale priuilegium non continetur, nec in Bulla confraternitatis sanctissimi Corporis Christi, concessa à Paulo Tertio anno 1539. quæ incipit, *Dominus noster*, & habetur in Bullario *pag.* 643. *tom.* 1 Vide Bullam Clem. VIII. editam anno 1604. quæ incipit, *Quæcumque*, vbi præscribitur forma exigendi & aggregandi confratrias, & agitur de indulgentiis concessis, & electione Confessariorum.

5 Tertiò licet quando Sacerdos, vel Religiosus, alius ex exceptis, tanquam commensalis comedit cum eo qui habet priuilegium comedendi oua, ipse, & eius commensalis, quamuis aliquis ex his exceptis non habeat Bullam, dummodo habens tale priuilegium eam habeat. Ita Henriquez *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 10. *in fine*, Rodriguez *in add. ad* § 6. *n.* 7. Ludou. à Cruce *supra numer.* 11. Accepi enim nonnullos esse primarios viros in Regno Aragoniæ, qui ab antiquo habent facultatem comedendi oua, & lacticinia,

lacticinia, & lardum, siue sagimen in omnibus diebus ieiunij totius anni, idque priuilegium concedere eandem facultatem commensalibus eius, qui dictum habet priuilegium: quod priuilegium cùm non tollatur, sed reualidetur per Bullam, videtur dicendum, commensales illa comedere posse, quia illud priuilegium nullum excipit, sed in vniuersum extenditur ad commensales. (quod supponendum est,) vnde quamuis sint Sacerdotes, vel Religiosi ipsi commensales, poterunt illo gaudere, etiam sine Bulla, quia Bulla solùm requiritur, vt reualidetur respectu illius, cui fuit priuilegium concessum; quare satis est priuilegiatus eam sumat. Ex his inferri potest, quòd quamuis habens huiusmodi priuilegium inuitaretur ab alio, vt in eius domo comederet, probabile est posse inuitatum hoc suo priuilegio vti, perinde ac si esset in domo sua, necnon etiam & inuitantem; quia priuilegium datur domino, & commensalibus absolutè: tunc autem & Dominus est commensalis, & etiam inuitans eum. Vnde etiam si inuitans inuitaret alios cum consensu priuilegiati inuitati, videtur probabile omnes illos posse comedere prædicta vetita, quia datur priuilegium absolutè domino & commensalibus: nisi aliàs ex tenore priuilegij colligeretur illud dati domino, & commensalibus eius in mensa eiusdem. Quare necessariò recurrendum est ad verba priuilegij.

5 Sed quæres, an Sacerdotes accipientes Bullam in Lusitania, possint tempore Quadragesimæ comedere oua, & lacticinia, si accedant ad regna Castellæ, aut alia Regna Hispaniæ. Ad quod supponendum est cum Rodriguez *in addit. ad §. 6. num* 12. Bullam Lusitaniæ, sine discrimine omnibus Prælatis, Regularibus, & Sacerdotibus date facultatem comedêdi oua & lacticinia, atque adeò posse illos in Lusitania vti eo priuilegio. Similiter etiam dicendum mihi videtur cum Rodriguez suprà, prædictas personas si ad nostra Regna se conferant, posse comedere oua & lacticinia in diebus Quadragesimæ. Ratio est, quia cùm Bulla sit priuilegium personale, sequitur personam vbique, nisi aliud in ea exprimatur; ergo poterit habens Bullam Lusitanam, vti omnibus priuilegiis vbique, cùm ibi contrarium non exprimitur, nec limitetur ad regna Lusitaniæ, sicut exprimatur, & limitatur in nostra Bulla, quæ solùm reuocat Bullas antecedentes in nostris Regnis promulgatas, non verò receptas in Lusitania, & solùm prohibet nostra Bulla, vt non possimus comedere lacticinia, & oua in Regnis Italiæ, vbi nulla Bulla Cruciatæ promulgatur, intuitu vitandi scandalum, & etiam ob piscium abundantiam; cumque in nostris regnis cesset scandalum comedendi oua in Quadragesima, poterunt prædicti Lusitani in illis per suam Bullam illa comedere.

6 Vltimò, Equites Ordinum militarium, etiam si sint verè Religiosi, & matrimonium contrahere nequeant, tempore Quadragesimæ possint vti ouis, & lacticiniis, quia Bulla in hoc §. absolutè id concedit omnibus militaribus eiusmodi Ordinum, nam ij instituti sunt ad inseruiendum Ecclesiæ, pugnando, ac fortiter dimicando aduersus Hæreticos, & infideles. Ita Rodriguez §. 6. *num*. 11. Dicendum tamen videtur nomine horum militarium non comprehendi religiosos militares clericos, quamuis non sint Sacerdotes, quos *Frayles* vocant, qui choro inseruiunt, ij enim tenentur abstinere ab ouis, & lacticiniis, non secus atque alij Religiosi, non enim in iis militat eadem ratio, quæ in aliis militiæ dicatis. A fortiori dicendum, non licere Sacerdotibus Ordinum militarium vti hoc priuilegio in Quadragesima, quia eo quòd Sacerdotes fiunt, ab hoc indulto excipiuntur, nam prohibitio Bullæ indistinctè loquitur de omnibus Sacerdotibus. Et illa verba, *& sub hoc indulto vescendi carnibus, & ouis & lacticiniis, comprehenduntur omnes cuiusuis militiæ Regulares*, solùm intelligenda de Equitibus militaribus non Sacerdotibus, vt cum Rodrig. Villalobos *tract.* 27. *clauf.* 6. *n.* 9.

DVB. VII.

An in Dominicis Quadragesimæ possint Episcopi, Prælati, Sacerdotes, Religiosi, per Bullæ priuilegium comedere oua, & lacticinia.

1 Svppono vt probabilius, quod docet communis Theologorum sententia, omnibus etiam laicis in Dominicis Quadragesimalibus prohiberi oua, & lacticinia iure cummuni, sicut & in omnibus aliis diebus ieiunij Quadragesimæ, quod videtur apertè statutum *in cap. denique, dist.* 4. vbi dum est sermo de tempore Quadragesimæ, sic habetur: *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, omnibus quoque quæ sementinam carnis ducunt ieiunemus, à carne videlicet, caseo, & ouis*. Cùm ergo in Dominicis diebus Quadragesimæ, æquè præcipiatur abstinentia à carnibus, sicut & in diebus ieiunij Quadragesimæ, æquè quoque præcepta manebit abstinentia ab ouis, & lacticiniis, ac proinde nec laici, nec clerici, nec Religiosi in Dominicis Quadragesimæ poterunt sine aliquo priuilegio oua & lacticinia vesci absque peccato m. vt dictum est *sup. dub.* 3. *n.* 1. Dixi *probabilius*, nam non est omnino improbabile diebus Dominicis Quadragesimæ posse vti ouis, & lacticiniis, vt tenent Anton. Gom. *in expos. Cruciatæ clau.* 7. *n.* 7 *fol.* 70 *pag.* 2. Llamas 3. *part. c.* 5. §. 16. *in fin.* & aliqui moderni, quos tacito nomine refert Corduba *q.* 168. *fol.* 419. *p.* 2. Nihilominus tamen nostra sententia vtpote verior, communior, & iuri conformior, tenenda est, de qua Rodriguez *in Bulla.* §. 6. *num.* 8. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 13. *n.* 10. Villalobos *tract.* 23. *del ayuno, diff.* 8. *n.* 1. Sanctius *in suis selectis, disp.* 51. *num.* 18. & alij, quos ipse.

2 Hoc posito, dubium est, An virtute Bullæ liceat illis personis exceptis oua & lacticinia in diebus Dominicis Quadragesimæ comedere. Henriquez *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 30. & Rodrig. § 6. *n.* 8. negant id licere, & alij, quos sequitur Sanctius *sup. disp.* 51. *n.* 15. Quod probant *primò*, quia aiunt, ita declarasse Commissarium generalem cum Papæ consultatione. *Secundò*, quia in Bullis antiquioribus habebatur clausula, quæ negabat prædictis personis oua, & lacticinia solùm in diebus ieiunij Quadragesimæ; nunc autem in Bulla Hispana habetur, vt nequeant ea comedere in diebus Quadragesimæ, inter quos numerantur dies Dominici; ergo modò virtute nostræ Bullæ non possunt prædictæ personæ oua & lacticinia comedere. Alij verò absolutè affirmant id licere, vt Cordub *in Summa. q.* 168. Antonius Gomez 7. *clauf. n.* 7. §. 8. *dub.* 5. & alij recentiores, qui hanc sententiam iudicant veriorem, quam libenter amplector: cuius fundamentum præcipuum est, quia in Bulla Latina prohibetur Sacerdotibus, & Regularibus, aliisque exceptis, vsus ouorum, & lacticiniorum in diebus ieiunij

Quadrages.

Quadragesima; ergo extra istos dies possunt illis vetere; sed Dies Dominici non sunt dies Quadragesimalis ieiunij, sed tantùm dies abstinentiæ a cibis prohibitis, scilicet à carnibus, ouis, & lacticiniis, vt experientia constat; ergo in illis possunt excepti edere per Bullam oua & lacticinia. Probatur prima maior. In Bulla Latina de eodem debet intelligi exceptio, de quo proponitur priuilegium; sed priuilegium comedendi oua & lacticinia est in diebus ieiunij, vt patet ex illis verbis: *Temporibus ieiuniorum etiam Quadragesimalibus*; ergo exceptio debet intelligi de diebus ieiunij; sed dies Dominici Quadragesimæ non sunt dies ieiunij, cùm in illis possit sæpiùs comedere; ergo & hanc sententiam dicit in praxi non condemnandam, Villalobos *tract.* 27. *clauf.* 6. *num.* 12. *in fine.* & Diana *tract.* 11. *resol.* 3. ait esse probabilem, & in praxi tutam, & eam valde probabilem existimat Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap* 5. *dub.* 18. *num.* 5.

Ad argumenta contrariæ sententiæ.

3 Ad primum respondeo, nobis non constare iuridicè talem declarationem: imò cùm contrarium constet ex Bulla Latina, illi standum est, donec aliud iuridicè promulgatum fuerit.

4 Ad secundum respondeo illa verba Bullæ Hispanæ, scilicet, *Que no puedan comer hueuos y cosas de leche en los dias de la Quaresma*, idem esse ac dicere, vt ea comedere non possint in diebus ieiunij Quadragesimalis, quia dies Dominici in Quadragesima, non sunt dies Quadragesimæ: nam idem sunt dies ieiunij Quadragesimæ, ac dies Quadragesimæ: at dies Dominici non sunt dies ieiunij Quadragesimæ; ergo nec dies Quadragesimæ. Quòd autem dies Dominici Quadragesimæ non sint dies Quadragesimæ, probatur, quia Quadragesima incipit à Dominica prima post diem Cineris vsque ad diem Cœnæ Domini; quia in eo die Dominus celebrauit Pascha: vt verò compleretur numerus quadraginta dierum, ex quibus constat quadragesimale ieiunium, voluit Ecclesia, illos dies quatuor ante Dominicam primam Quadragesimæ, & alios duos Veneris, & Sabbati post Cœnam Domini esse dies ieiunij Quadragesimalis, loco sex dierum Dominicarum Quadragesimæ, in quibus non fit ieiunium. Vide Rationale diuinorum officiorum, *lib.* 6. *cap. de Dominica prima in Quadragesima.* Et confirmatur, quia *in cap. Quadragesima, dist.* 5. *de consecr.* expressè habetur, dies Dominicos non esse dies Quadragesimales; erunt ergo dies abstinentiæ, vel Dominicæ Quadragesimæ. Et quidem cùm prædictis personis non prohibeantur prædicti cibi in diebus ieiunij intra annum, potiori iure licebunt eis diebus Dominicis Quadragesimæ, qui non sunt Dies ieiunij, neque secundùm ius dies Quadragesimales, sed dies abstinentiæ, & verba Bullæ cùm sint stricti iuris, propriè vt sonant, vsurpari debent, & ex consequenti non sunt ampliandа, neque debent comprehendere dies Dominicos Quadragesimæ. Constat ergo dies Quadragesime, & dies ieiunij Quadragesimæ idem esse: Dicere ergo Commissarium in hac nostra Hispanica Bulla, solùm in diebus Quadragesimæ non posse prædictas personas oua & lacticinia comedere, idem est, ac si diceret, in diebus tantùm ieiunij Quadragesimalis, vt habetur in Bulla Latina; ergo sicut olim, ita nunc licitum est per Bullam Latinam prædictis personis comedere oua, ac lacticinia.

5 Dices ergo, ad quid commissarius mutauit verba præcedentium Bullarum, in quibus habebantur dies ieiunij Quadragesimæ; modò autem excipiuntur dies Quadragesimales. Respondeo, factam fuisse mutationem, sed non in substantia rei, quia, vt dictum est, dies Quadragesimæ, & dies ieiunij Quadragesimæ, idem significant, & pro eodem vsurpantur: Commissarius enim non potest indulti substantiam mutare, vt patet ex ipsa Bulla, §. *Cæterùm*, ibi. *Non mutata substantia, &c.*

Dub. VIII.

An in ieiuniis ex voto, pœnitentia, vel Iubileo impositis, possit ieiunans vesci oua, & lacticinia.

1 Quæstio procedere potest de ieiuniis dictis incidentibus in Quadragesima, vel de illis extra Quadragesimam. Tum etiam, an supradicta sine Bulla comedere possit, an verò ad illi comedenda sit necessaria Bulla.

2 Igitur dico primò, in prædictis ieiuniis extra Quadragesimam certum existimo omnes habentes Bullam, etiam seculares Sacerdotes, & Regulares, omnes posse vti ouis & lacticiniis, quia Bulla in ieiuniis per annum extra Quadragesimam sine personarum, & temporum distinctione priuilegium illa edenda concedit. Vide Sanchez *lib.* 4. *oper. mor. c.* 11. *num.* 49. Quare Religiosi extra Quadragesimam in ieiuniis per suam regulam, & institutum præscriptis, possunt ratione Bullæ vesci oua, & lacticinia, Vide Henriq. *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 13. & Rodrig. §. 6. *dub.* 5. Probatur *secundo*, quia non aliter Pontifex, Confessarius, aut vouens imponit ieiunium quam lege Ecclesiastica inducitur, at prædictis ieiuniis satis fit edendo lacticinia cum Bulla. Ita tenet Ledesm. 2. *tom. tract.* 27. *cap.* 2. *concl.* 3. *diff.* 3. *de ieiunijs Iubilei.* Med. *lib.* 1. *summ. cap.* 14. §. 10 *fol.* 79. Idem tenet de ieiuniis ex voto, & pœnitentia. Idem etiam tenet cum aliis Lud. à Cruce *in exposit. Bulla disput.* 1. *cap.* 5. *dub.* 14. *num.* 4.

3 Dico secundo. Si supradicta ieiunia incidant extra Quadragesimam, possunt siue laici, siue Sacerdotes, siue Regulares etiam sine Bulla supradicta comedere; nisi fortè in voto, pœnitentia, vel Iubileo hæc prohibeantur, vel nisi aliud habeat loci particularis aliqua approbata consuetudo. Huic sententiæ fauent DD. asserentes de iure communi solùm præcipi abstinentiam carnium in ieiuniis per annum, & non ouorum, & lacticiniorum, vt docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 8. Sylu. *Ieiunium*, *q.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 10. *q.* 1. Villalob. *tract.* 27. *clauf.* 6. *n.* 5. *&* *tract.* 26. *n.* 4. & alij, quos retuli *in fine* §. *dub.* 2. *num.* 3. & tenet Diana *tract.* 11. *resol.* 3. *& in addit. resol.* 20. & nouissimè cum aliis Lud. à Cruce *in exposit. Bulla disput.* 1. *cap.* 5. *dub.* 14. *num.* 20. & dixi in Decalog. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 13. Probatur hac firma ratione. Pontifex, Confessarius, & vouens non aliter imponit ieiunium, quàm lege Ecclesiastica indicitur, sed ieiuniis Ecclesiasticis per annum satisfit, edendo lacticinia etiam sine Bulla, quia in illis ea prohibita non sunt, vt dictum est *dub.* 2. *citato.* Ergo, &c. Dixi, *nisi in voto*, &c. quia certum est posse vouentem in suo voto ad illa non edenda se obligare: similiter posse Confessariū adstringere pœnitentem, vt in ieiunio à se præscripto illis non vescatur, & à fortiori Summum Pontificem tale ieiunium in Iubilæo præscribere. Dixi etiam, nisi aliud habeat loci approbata consuetudo; nam si talis reperitur, quæ vim legis haberet, ea esset

ſub mortali obſeruanda, vt dictum eſt *dub. 2. hoc §. num. 13.* Quo in caſu in dictis ieiuniis eſſet ab ouis abſtinendum, etiam extra Quadrageſimam, & non poſſet ieiunans oua, & lacticinia ſine Bulla comedere; quia, vt bene docet Azor. *1. tom. lib. 7. cap. 10. quæſ. 2.* ſupradicta ieiunia intelligenda, & ieiunanda eſſe ſecundùm patriæ conſuetudinem approbatam; ergo vbi talis reperitur, ea eſt ſeruanda. Sic ſi quis fortè reperiatur in regnis, aut locis in quibus incolæ in Quadrageſima ouis, & lacticiniis veſcuntur ſine Bulla, cõſuetudine approbata id concedente, vt in Britania, & Gallecia, teſte Henriquez *infrà*, poſſet ibi ieiunare, & Iubileum lucrari, oua & lacticinia comedenda ſine Bulla, vt bene docent Rodrigez §. 6. *num.* 3. & Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 9. litt. T.* Sic ſimiliter qui dio Sabbati reperitur in Caſtella, & poteſt edere inteſtina animalium. Leges enim interpretandæ ſunt ſecundùm perſonarum, & locorum vſum, tum etiam, quia Pontifex quamuis deroget omnia priuilegia etiam ab aliis Pontificibus conceſſa, non tamen derogat conſuetudinem habentem vim legis (qualis eſt hæc) & vim iuris communis habentem.

4 Dico tertiò. Si ſupradicta ieiunia incidant in Quadrageſima, certum exiſtimo ſeculares habentes Bullam poſſe in illis veſci ouis, & lacticiniis. Ratio fundamentalis eſt, quia Pontifex in Bulla hoc §. abſolutè eis concedit, vt in omnibus ieiunijs, etiam Quadrageſimalibus, poſſint pro libito illis vti. Et probari poteſt ratione adducta in dicto ſuperiori, videlicet, quia Confeſſarius, Pontifex, vel vouens, non aliter imponit ieiunium, quàm lege Eccleſiaſtica indicitur; ſed ieiunio Eccleſiaſtico ſatis fit edendo lacticinia cum Bulla; ergo &c. Dixi *ſeculares*, quia cum Regularibus omnibus, & ſecularibus Sacerdotibus ſit prohibitum, & à iure, & per Bullam poſſe vti ouis, & lacticiniis in Quadrageſima, certum eſt ſi prædicta ieiunia in ea incidant, illa non poſſe comedere.

5 Dico vltimò. Probabile eſt ſatisfieri prædictis ieiuniis, etiam in Quadrageſima, edendo oua, & lacticinia ſine Bulla, niſi fortè vouens, Confeſſarius, aut Pontifex id expreſsè prohibuerit. Ita tenet Sanchez *lib. 4. oper. mor. c. 11. num. 53.* quam ſequitur Lud. à Cruce *in expoſit. Bullæ, diſp. 1. cap. 5. dub. 14. num. 12.* quo caſu peccaret quidem illa edendo contra Eccleſiæ prohibitionem; ſatisfaceret tamen ieiunio ex voto, pœnitentia, vel Iubilæo impoſito. Ratio illius eſt, quia præceptum ieiunij, etiam in Quadrageſima, non obligat ad ouorum abſtinentiam; ſed hæc abſtinentia diſtinctum eſt præceptum à ieiunij eſſentialis præcepto. At verius exiſtimo contrarium: nam etſi abſtinentia ouorum, & lacticiniorum, non ſit de eſſentia ieiunij, eſt tamen quædam pars integralis, & circumſtantia annexa ex Eccleſiæ præcepto ieiunio, non abſolutè, ſed Quadrageſimali. Nam eo ipſo quòd voto, pœnitentia, vel Iubileo iniungitur ieiunium, cenſetur iniungi eo modo quo ab Eccleſia inſtitutum eſt, non tantùm quoad eſſentialia, quæ ſunt abſtinentia carnium, & vnica comeſtio, ſed etiam quoad circunſtantias ieiunio annexas, qualis eſt certa hora comedendi in omni ieiunio, & quod in Quadrageſimali ieiunio ab ouis & lacticiniis abſtineatur.

6 Ea quæ ad nouam lacticiniorum pro Eccleſiaſticis Bullam ſpectant inuenies infrà poſt *lib. 4. in appendice ad §. 4.*

§. V.

ITem erogantes prædictò, qui diebus ieiunio non ſuppoſitis, ad implorandum diuinum auxilium pro vnione, & victoria prædictis, voluntarium ieiunium, vel ſi ieiunare legitimè impediti fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum, Confeſſorum, vel Parochi aſſumpſerint & ſimul preces ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, toties quoties id fecerint, dicto anno durante, quindecim annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxantur: & inſuper omnium precum, eleemoſynarum, peregrinationum, etiam Hieroſolymitanæ, & aliorum bonorum operum quæ in vniuerſali militanti Eccleſia, & ſingulis eius membris fiunt participes redduntur.

Dvb. I.

Quænam requirantur ad conſequutionem indulgentiæ quindecim annorum, & quindecim quadragenarum.

1 DIco primò. Certum eſt hanc indulgentiam non eſſe plenariam, vel totalem, ſed eſſe partialem, & ad certam remiſſionem pœnarum determinatam, nimirum ad quindecim annos, & quindecim quadragenas. quod tempus non eſt intelligendum de annis Purgatorij, ita vt facienti ſupradicta in §. remittantur quindecim anni, cum quindecim quadragenis de pœnis quas paſſurus erat in Purgatorio: ſed intelligi debent de pœnitentiis, & pœnis quæ in hac vita perſoluendæ eſſent, ſi per quindecim annos, & totidem quadragenas pœnitentiam ageret, iuxta antiquorum canonum pœnitentialium diſpoſitionem, & de pœnis Purgatorij correſpondentibus ſatisfactionibus, & pœnitentiis quindecim annorum, & quindecim quadragenarum huius vitæ. *Eſta es, tanto ſe le perdona de penas del purgatorio, haziendo lo que aqui el Papa manda, como ſi hiziera penitencia quinze años, y quinze quarentenas, conforme lo diſpueſto en los ſagrados Canones.* Ita Sot. *in 4. d. 21. q. 2. art. 1. concl. 2.* Alludit enim hic modus concedendi indulgentias ad antiquum illum morem Eccleſiæ, cùm videlicet iuxta canones pœnitentiales pro quolibet peccato mortali, regulariter loquendo, imponebantur ſeptem pœnitentię anni; vnde in hoc §. conceditur per Bullam ea remiſſio pœnæ Deo notæ in Purgatorio debitæ, quæ correſponſura erat pœnitentiæ iniunctæ in hac vita in quindecim annis, iuxta morem antiquum complendæ. Similiter etiam per illas quindecim quadragenas conceditur ea remiſſio pœnæ debitæ in Purgatorio: quæ correſponderet pœnitentiæ quadraginta dierum quindecies repetitæ in vita, quæ iure eſſet iniuncta, vel rationabiliter iniungi deberet, iuxta ea quæ diximus §. 1. *dub.* 14. Vide Nauarr. *not. 31. de indulgent.* & Rodrig. §. 7. *n.* 7. 8. & 9.

2 Dico ſecundò. Certum etiam eſt per hanc indulgentiam quindecim annorũ, & quindecim quadragenarum fieri quidem remiſſionem, non ſolùm

de

de pœnis, seu pœnitentiis iniunctis à Confessario, sed etiam de pœnis, seu pœnitentiis rationabiliter iniungendis. Constat apertè ex illis verbis. *Quomodolibet debitis*. Vide de his *dub*.14.§.1.& Lop.*c*.7. *de Bulla*.

3 Dico tertiò. Opera præscripta ad hanc indulgentiam assequendam sunt tria. *Primum* est, quod erogetur eleemosyna pro acceptatione Bullæ designata. *Secundum*, ieiunium voluntarium. Et *tertium* est oratio pro pace inter fideles, & victoria contra infideles De eleemosyna dictum est §.3.*dub*.1. Nunc de ieiunio, & oratione.

5 Dico quartò. Ieiunium quod requirit Pontifex ad prædictam indulgentiam lucrandam, debet esse voluntarium, id est, voluntariè, & non ex præcepto assumptum, patet ex illis verbis. *In diebus ieiunio non suppositis* Et in Bulla Hispana: *Item los que ayunaren voluntariamente por deuocion los dias que no fueren de precepto*. quæ verba apertè indicant per ieiunium ex voto, vel præcepto lucrari non posse hanc indulgentiam. Et ratio à priori est ipsa Pontificis expressa intentio. Vnde nec valet si dicas cum Henriquez *lib*.7.*cap*.10.*n*.5.*& cap*.17.*n*.5. sicut eodem ieiunio posse quis duobus præceptis satisfacere præcepto ieiunij, & lucrari indulgentiam, quia primum non est expressè prohibitum, sicut est secundum, quod etiam constabit dicto sequenti. At si quis voluisset ieiunare omnibus diebus, probabile est posse per hoc ieiunium lucrari hanc indulgentiam, ita Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp*.1.*cap*.8.*dub*.11.n.4. non enim hic debet esse deterioris cōditionis, quam alij. Sic indulgentia concessa ieiunantibus in Sabbato, potest consequi ab eo, qui aliàs ad id tenetur, quia non potest præstare opus supererogationis, ita probabiliter Lud *sup.n*.3. citans Rodrig.§.7.n.11.*&* 13.

5 Dico quintò. Oratio prædicta debet esse vocalis, vt existimant Nauar. *notab*.22.*de indulgent. n*.33. & Rodriguez *in addit. ad* §.7. *vers*. 2. est enim Ecclesia, & ipsius Pastor sensibilis, & visibilis; quare sicut alia, quæ vel indulgentiis, vel Ecclesiæ præcepto iniunguntur, sunt visibilia: ita & hæc oratio debet esse sensibilis, seu visibilis, etiamsi mentalis oratio sit perfectior. Etsi enim Pontifex possit indulgentiam concedere pro opere merè interno, communiter tamen loquendo, id non concedit, nisi expressè in concessione contineatur. Attamen probabilius iudico sufficere orationem mentalem: nam talis oratio sufficit ad lucrandas indulgentias stationum, vt dictum est *infrà* §.6.*dub*.1. vbi de hoc latè, & tenet nobiscum Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp*. 1. *c*. 8. *dub*. 12. *num*. 4. debet etiam hæc oratio esse voluntaria, & non ex voto, vel ex præcepto, sicut & ieiunium: quod indicat illa copulatiua, *& orationem*, &c. Tum etiam, quia Pontifex non concedit indulgentias pro opere ad quod aliàs tenebatur, nisi id exprimat, vt constat ex doctrina D. Bonauent *in* 4. *d*. 20. *art*.1.*q*.4. quidquid Ludou. sup. Item debet sic orans implorare diuinum auxilium pro pace inter fideles, & victoria contra infideles, vt manifestè continetur in hoc §. sufficit tamen quòd orans implicite hoc intendat, scilicet vt preces has Deo fundat, & Deo offerat secundùm Pontificis intensionem, præsertim si orans simplex, & rudis sit. Sufficit etiam virtualis intentio in orante, videlicet, si paulò ante ieiunium, aut orationem proposuerit hæc in eum finem facere, quamuis dum ea facit huius finis oblitus sit. vt benè docet Rodriguez §.7.*num*.5. hæc enim sufficit ad sacramenti validitatem; ergo ad indulgentiæ huius consequutionem.

6 Dico tertiò. Si adsit legitimum impedimentum, quod secundùm Theologiam moralem, à ieiunio excusat; de quo Nauar. *cap*. 21. *num*. 16. & Doctores in materia ieiunij, propter quod ieiunare non potest; si tamen hic loco ieiunij aliquod opus pium faciat, arbitrio Confessarij, vel Parochi, supradictam consequetur indulgentiam: censetur autem opus pium sufficiens ad huius indulgentiæ consequutionem oratio etiam mentalis, & contemplatio coram aliqua imagine, vt docent Nauar. *not*. 32.*num*.48.*de indulgent*.& Rodriguez §. 7. *num*. 5. quia, vt dictum est, ad huiusmodi indulgentiam lucrandam sufficit opus internum facere. Commutatio autem ieiunij in eo, qui non potest ieiunare, non potest fieri propria authoritate, nec alterius boni viri arbitrio, sed Confessarij, vel Parochi, aliter enim non consequeretur indulgentiam. Patet ex illis verbis, *Arbitrio Parochi*, *vel Confessarij*, quòd ablatiuum absolutum *arbitrio*, resoluitur in conditionem; vt docent Doctores vtriusque iuris, *l. continuus*, §. 1. *ff. de verborum significatione*. Aduertant autem Confessarius, vel Parochus, opus pium in quod commutari debet ieiunium, debere esse aliud, & distinctum ab oratione; quia ad consecutionem huius indulgentiæ duo requirit Pontifex, scilicet orationem, & ieiunium, vel aliud opus pium loco ieiunij, in eo qui non potest ieiunare: ex quo magis patet opus pium in quod ieiunium commutatur, non posse esse orationem etiam exteriorem; quia hæc iam est vnum ex requisitis, sed aliud ab oratione vocali, vt est eleemosyna, flagellum, visitare hospitalia, &c.

7 Colligitur ex dictis tria requiri necessariò ad huius indulgentiæ consequutionem. *Primum* est, habere Bullam Cruciatam, data stipe designata. *Secundum* orare pro victoria contra infideles. *Et tertium*, ieiunare diebus ieiunio non suppositis: etsi impeditus legitimè sit, aliud opus pium facere, arbitrio Parochi, vel Confessarij. Hoc expressè indicat coniunctio copulatiua, *&* quare vno, vel altero deficiente, nihil indulgentiæ consequetur, vt bene Rodrig. §. 7. *num*. 6. quia indulgentia hæc est conditionalis, & requirit supradicta opera tanquam conditionem sine qua non; præstitis tamen, & factis operibus, potest hæc indulgentia lucrari toties quoties quis ea ritè & rectè fecerit patet expressè ex illis verbis huius §. *Toties quoties*, &c.

8 Sed quæres, an qui opera supradicta præstant consequantur æqualiter supradictam indulgentiam, si vnus magis quàm alius ieiunet, vel oret. Respondeo, ex parte indulgentiæ æqualem effectum, seu pœnarum remissionem consequuturos, quia effectus istius indulgentiæ, suppositis operibus, est limitatus, & determinatus; applicat enim Pontifex prædictis ex thesauro Ecclesiæ æqualem pœnarum remissionem: ex parte autem operantis, & merentis, seu quoad præmium essentiale inæqualis est effectus: certum enim est, cæteris paribus, magis mereri gratiam & gloriam, qui magis ieiunat, & magis ac feruentiùs orat. Ita Rodriguez §. 7. n. 4.

Dub. II.

Quomodo intelligatur participatio bonorum quæ in hoc §. conceditur.

1 Summus Pontifex in hoc §. in vltima clausula, iis qui pro victoria contra infideles preces fuderint,

fuderint, & voluntariè ieiunauerint, vel aliud opus pium, si ieiunare non valeant, de consilio confessarij præstiterint, non solùm supradictam indulgentiam quindecim annorum, & quindecim quadragenarum concedit; sed etiam eos ipsos supradicta præstantes participes facit omnium precum, eleemosynarum, peregrinationum etiam Hierosolymitanæ, & aliorum bonorum operum, quæ in vniuersali Ecclesia, & singulis eius membris fiunt. Quæ bonorum participatio, & communicatio, propriè & in rigore nō est pura indulgentia: nam quæ propriè indulgentia dicitur, solùm conceditur per modum solius satisfactionis, seu per modū solius solutionis pretij pro pœna debita pro peccato commisso, & iam remisso ex Thesauro Ecclesiæ applicato per claues extra Sacramentum. At verò concessio huius participationis, non solùm fit per modum solutionis: sed etiam per modū suffragij, seu impetrationis, modo quo infrà. Ita etiā Lud. à Cruce *in exposit. Bull disp.1. cap.8. dub.15. num.9.*

2 Supponendum est, omne bonum opus iusti, & esse meritorium, & satisfactorium: meritorium quidem vel de condigno, & ad æqualitatem, & condignitatem, vel de congruo, ad decentiam scilicet, & congruitatem, quod in mera Dei liberalitate fundatur. Est autem satisfactorium pro pœnis debitis peccatis, in quantum scilicet per illud bonum opus iusto remittuntur pœnæ. Potest enim iustus sibi ipsi, & non alijs, de condigno mereri, & ad æqualitatem; nam eius opera, cùm sint finiti valoris, ad alios se extendere non possunt, hoc enim soli Christo cuius merita, & satisfactio sunt infinita reseruatur. Potest tamen iustus alteri iusto mereri de congruo, vt virtutes illius augeantur, à peccato, & ab alijs malis corporis præseruetur. Potest etiam eodem modo iniusto, & peccatori mereri bonum motum, & conuersionem in Deum, quibus disponatur, vt à peccato discedat, & iustificetur; & alia quoque bona spiritualia, tum etiam temporalia consequatur. Sicut sanctus Stephanus de congruo meruit beati Pauli conuersionem. Quod quidem meritum de congruo potest iustus alteri applicare; insinuat aperte D. Iacob. *in sua Canon. cap. 5. vers. 5.* vbi ait: *Rogate ad inuicem vt saluemini.* Vide Azor. *tom.1. lib. 9. cap. 33. q. 3. & infr. lib. vlt. dub. 5. num. 2. dub. 6. num. 2. & dub. 7.* vbi multa de satisfactione. Nec minuitur hoc meritum, seu non minus est oratio impetratoria, quando pro multis fit, ac si pro singulis fieret; quia impetratio non consistit in solutione pretij, quod diuidendum sit, sed solùm in petitione, quæ nititur liberalitati, vel promissioni Dei, quæ non est minor respectu plurium quam vnius. Ita Suarez *tom. 4. disput. 58 sect. 8. n. 22.* cum Adrian. Palud. & Cordubs. Equidem misericors Deus, cùm in eius misericordia & liberalitate isle meritum nitatur, magis gaudet, vt multi potius quàm pauci boni reperiantur.

3 Potest etiam iustus suam satisfactionem alteri, iusto tamen, applicare, sicut in ciuilibus vnus pro alio debitum temporale soluere, vt docet Sanctus Thomas *in Addit. quæst. 13. art. 2.* & communiter Theologi, quos Henriquez *lib. 2. de pœniten. cap. 59. num. 6.* Vt autem viuentis iusti satisfactio alteri iusto viuenti prosit, requiritur, vt specialiter à iusto operante, alteri applicetur, aliter enim si ea iustus non indigeat, manet in diuina acceptatione, vt bene docet Suarez *tomo 4. disput. 48. sect. 2. num. 22 & 23. & disput. 51. sect. 2. num. 11.* & Rodriguez *§ 7. num. 13. vers. Lo segundo:* quo enim titulo alterius efficietur, si ei non datur? Sic Christi Domini nostri satisfactio ei nullo modo necessaria, non distribuitur donec singulis per determinata media iuxta ipsius Christi voluntatem applicetur. Quare si iusti satisfactio nulli applicetur, nec iustus indigeat, manet in diuina acceptatione; nec potest iustus viuens suas sanctificationes superabundantes in futuro seculo in thesauro vt pro suis, aut aliorum culpis applicet, conseruare, vt bene docet Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 2. num. 1.* videndus. Vide Suar. *tom. 4. disput. 51. num. 4.* Ex parte autem eius cui applicatur, sufficit virtualis, & implicita acceptatio; nimirum voluntas generalis obtinendi à Deo remissionem pœnæ, & soluendi Deo quocumque modo possit, vt docet Suarez *sup. disp. 48. sect. 7. num. 7.* Tandem hæc iusti satisfactio quando multis applicatur, non prodest singulis ac si pro vno tantùm applicaretur, in quo differt à merito de congruo, imò multis applicata tandem finitur, vt communiter Doctores. Ratio est, quia finita est, finitum autem in plures partes diuisum tandem finitur. Ita Rodrig. *§. 7. num. 13. vers. La segunda.* Suarez *tom. 4. disput. 48. sect. 2. num. 17. & sect. 3. num. 6. & 7.* & nos *infrà in expositione Bullæ defunctorum dub. 5.*

3 Concedit igitur Pontifex, vt supradicta facientes participes fiant bonorum operum quæ in vniuersali Ecclesia & singulis eius membris fiunt, quoad meritum de congruo, & quoad satisfactionem: nam cùm his duobus modis hæc opera applicari, & participari possint, vt dictum est, & Pontifex non distinguat, de duobus modis intelligendum est. Quoad meritum de congruo, seu impetrationem quidem, quia supradicta facientes per merita aliorum, si sint in peccato, de congruo merentur, & impetrant à Deo bonos motus, & conuersionem in Deum, quo disponantur, vt à peccato discedant, & iustificentur, & si sunt in gratia, vt in ea perseuerent, & virtutes augeantur. Fiunt enim bona opera fidelium, & Ecclesiæ hanc Bullam habenti tanquam propria ea Pontificis applicatione quoad hunc effectum, si is præscripta à Pontifice præstet; ac proinde per ea impetrat, & de congruo meretur, ac si ab ipso essent facta. Ita Lopez *cap. 7. de Bulla.*

4 Quoad satisfactionem verò quia Pontifex Bullam habenti, & supradicta præstanti concedit, & applicat aliorum fidelium satisfactiones, & pœnarum remissiones, per quas ipse Deo satisfacit, & suarum pœnarum remissionem, & recompensationem à Deo impetrat, ac si ipse bona opera satisfactoria præstaret. Quæ applicatio fit per modum cuiusdam distributionis thesauri communis Ecclesiæ. Ita Lop *sup. cit.*

5 Circa quam communicationem satisfactoriam hæc obseruanda sunt. *Primum*, per eam non applicare Pontificem satisfactiones fidelium iam præteritas, sed tantùm satisfactiones præsentes, & futuras, anno publicationis Bullæ durante. Ait enim esse participes bonorum quæ fiunt; non verò dixit, bonorum quæ facta sunt, quæ quidem antea iam erant in acceptatione diuina, tanquam thesauri quidam recondita. *Secundum* est, etiam si Pontifex communicare possit bonorum fidelium satisfactiones, non solùm eas, quæ ipsis supersunt, sed etiam quæ ipsis ad satisfaciendum pro ipsorum peccatis necessariæ sunt, eo quòd omnia quæ sunt fidelium, sunt subdita Pontificis voluntati tanquam supremo capiti: de facto tamen, & communiter eas solùm satisfactiones, quæ subditis supersunt, per Pontificem alijs communicari existimandum est, nisi quando in ipso indulto aliud expresè declaret; quod tamen non exprimitur in Bulla. Ita

etiam

etiam sentit. Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ disputat.* 1. *cap.* 8. *dub.* 15. *num.* 16. *Tertium* est, hanc applicationem satisfactionum esse finitam, sicut sunt ipsæ satisfactiones; ac proinde multis applicatas minoris esse valoris, ac si pro vno tantùm applicarentur. Finitum enim in plures partes diuisum tandem finitur, Suarez *supra disp.* 68. *sect.* 2. *n.* 17. *& sect.* 3. *n.* 7. vide *supra* §. 5 *dub.* 2. *n.* x. *& lib. vlt. dub.* 5. *n.* 3.

6 Tandem nota, non solùm sufficere habere Bullam ad fruendum hac participatione quoad meritum & satisfactionem modo explicato, sed requiritur etiam oratio, & ieiunium, vel aliud opus pium loco ieiunij, modis *sup. dub.* explicatis. Ita enim expressè habetur in hoc §. & Lopez *cap.* 7. *de Bulla*, docet. Requiritur etiam vt habens Bullam, & supradicta faciens sit in gratia, vt aliorum satisfactiones participare possit: nam in peccato existens Deo satisfacere pro pœna non potest, vt docent communiter Doctores, & latè Suarez *tomo* 4. *disput.* 48. *sect.* 7. opera enim iniusti Deo non placent, *& tom.* x. *de religione lib.* 1. *cap.* 22. Ad participationem autem meriti de congruo non requiritur status gratiæ: nam de congruo mereri & impetrare possunt etiam peccatores, quorum orationes sæpe Deus exaudit pro sua misericordia, de quo vide Henriquez *cap.* 17. *de Missa*, *num.* 6. *littera D.* sic à Deo exauditi fuerunt Publicanus, *Luca* 18. & Filius prodigus, *Luca* 15. de quo D. August. *tract.* 44. *in Ioann.* & D. Basil. *in constit. monastica, cap.* 1. Vide Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 33. Filliucium *tract.* 23. *cap.* 2. *q.* 6. Bonacinam *de horis can. disp.* 1. *q.* 4. *punct.* 1. *num.* 5. & ea quæ dicemus in explicatione Bullæ defunctorum. dub. 5.

7 Sed dices, si omnes fideles, si sint in gratia, participes sunt omnium bonorum operum quæ ab aliis fidelibus fiunt, eo quòd sint membra viua eiusdem corporis mystici, quod est Ecclesia, & eidem capiti Christo per charitatem vnita, iuxta illud Symboli, *Sanctorum communionem*, & Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Quid ergo concedit Pontifex? nihil enim videtur concedere, si iam aliàs fideles aliorum bonorum operum sunt participes. Respondeo concedere Pontificem aliquid speciale, imò & maximi momenti, cuius sine Bulla non sunt participes fideles. Nam concedit, & applicat superabundantes fidelium satisfactiones, quarum ipsi satisfacientes non indigent, nec aliis applicantur, quæ satisfactiones superabundantes, si non fuissent à Papa applicatæ, ingressuræ erant in communem thesaurum Ecclesiæ; nam satisfactiones particularium fidelium alteri fideli non prosunt, nisi ab ipso satisfaciente, vel à superiore habente potestatem, applicentur; antequam ergo supradictæ satisfactiones non applicatæ, & superabundantes dictum thesaurum ingrediantur, à Pontifice habentibus Bullam, & supradicta facientibus applicantur. Quòd si dicas hoc verum esse in satisfactionis participatione, quæ requirit applicationem ipsius; non verò in participatione meriti de congruo, quod applicationem non requirit. Respondeo, etiam ad hanc participationem requiri applicationem faciendam per ipsum merentem, & impetrantem, vel per ipsius superiorem; est enim impetratio postulatio, & petitio, quæ vltra intentionem petentis non extenditur. Insinuat D. Iacob. *in sua Canonica, cap.* 5. *vers.* 15. cùm ait: *Rogate ad inuicem vt saluemini*, quasi dicat, Orationes vestras; & deprecationes in alteros dirigite, & pro ipsis salutem æternam deprecamini. Vide D. Thom. hîc. Sic S. Steph. *Actor.* x. orationem suam in lapidantes se direxit, & pro illis dixit: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Sic similiter pia mater Ecclesia solet pro communi omnium salute per Christi Domini nostri merita Deum deprecari; requiritur ergo ad participationem meriti de congruo applicatio: at verò, quia Ecclesia pro omnibus orat, tum etiam quiuis priuatus fidelis, charitate præditus, non solùm pro se, sed etiam pro aliis deprecatur, vt patet ex formula orandi à Christo D. N. præscripta, *Matth.* 5. vbi docet quod dicamus, *Panem nostrum*, & non *meum*, *da nobis*, & non tantùm *mihi*, *Dimitte nobis*, &c. Ac proinde saltem virtualiter iustus suas deprecationes & impetrationes in alteros dirigit, & charitas quæ non quærit quæ sua sunt efficit, vt quæcumque piè, sanctéque ab vno suscipiuntur, ea ad omnes pertineant, & prosint, vt doctissimè explicat Catechismus Pij V. *fol.* 125.

8 Applicatio autem huius meriti, seu impetrationis de congruo, potest fieri tam ab Ecclesia, quàm à priuatis fidelibus duobus modis. *Primò* generaliter, quando scilicet Ecclesia, vel fidelis pro omnibus in generali orat, & deprecatur. *Secundò* in particulari, quando scilicet pro hoc vel illo oratio funditur, & Deum deprecatur, ex quibus vtilior, & efficacior est particularis, & specialis deprecatio. Rodriguez §. 7. *num.* 15. *vers. Siguese luego*, *in fine*, quod vsus sanctæ Ecclesiæ comprobat, quæ aliquando sacrificium offert, & Deum pro aliquo, vel aliquibus deprecatur. Summus ergo Pontifex habentibus Bullam, & supradicta facientibus, præter generalem illam communicationem quam habent fideles inter se, aliam specialem, quatenus est caput Ecclesiæ, & bonorum eius distributor, concedit applicando nouo titulo Ecclesiæ, & fidelium bona supradicta præstantibus, & fortè, vt ait Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 30. *n.* 2. *lit. E.* facit confraternitatem quandam inter eos qui Bullam habent, vt sibi inuicem communicent speciali intentione satisfactionem, & orationum impetrationem.

9 Ad locum Symboli de Sanctorum communione, respondeo cum Catechismo Pij V. *fol.* 124. 125. illam consistere in tribus, in Fide, Sacramentis, & bonis operibus: hoc est, quòd fideles eandem fidem profitentur, eadem habent Sacramenta, & bona opera inter se communicant, in quantum scilicet sunt satisfactoria & meritoria de congruo, modo suprà latè explicato. Ad locum autem Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* id est, socius, & amicus, & vnus ex his qui timent te, adiunxi me eis qui timent te. Ita Genebrardus, qui addit, nostri referunt ad societatem vitæ, & communionem bonorum omnium, & gratiarum spiritualium. Titelmanus sic: *Socius ego sum, & confrater, & in omnibus bonis comparticeps, cum omnibus te diligentibus, tibique seruientibus, & custodientibus mandata tua: est enim inter omnes sanctos seruos tuos sancta quadam fraternitas, & vera societas, ac spiritualis comparticipatio tam Fidei, quàm operum cæterorum, in qua societate, etiam me tibi seruire cupientem, spero iam adscriptum esse, vt quasi vnus ex illorum numero habear ante conspectum tuum.* Ita Titelmanus. At ex his duobus locis solùm conuincitur, Sanctos, & iustos communicare inter se bona opera. Non tamen excluditur applicatio, id est, non dicitur, quòd hæc communia sint absque applicatione; imò opus satisfactorium alterius non potest fieri sine applicatione, vt dictum est; nec meritorium de congruo alteri potest impetrari sine applicatione saltem virtuali, id est, quòd ambo sint in gratia, & membra viua eiusdem corporis mystici, quod est Ecclesia, eidem capiti Christo vnita, quo modo intelligendus est Rodriguez

§.7.num.13.versic. Sigue se luego, vbi dicit, participationem meritoriam non requirere specialem applicationem; quia absque illa iusti propter vnionem charitatis eo quòd sunt eiusdem corporis vina membra, communicant inter se bona opera: hæc autem communicatio, & applicatio est generalis, qua non obstante, potest iustus in speciali bona sua opera communicare, quia generalis hæc communicatio non excludit specialem: quæ specialis communicatio, & applicatio, vt ait Rodriguez *cit. in fine versiculi*, & vtilior, & fructuosior est. Ex quo fit supradictas authoritates nihil concludere contra nos, quia Pontifex nouo titulo, & speciali applicatione communicat bona opera Ecclesiæ, & membrorum eius.

10 Ex quo colligitur, quo modo Regularium Prælati applicent bona communitatis, & particularium, suis benefactoribus, & confratribus. Applicant enim hæc illis quantum ad meritum de congruo, & quoad satisfactionem. Quoad meritum de congruo, quia hocmodo Religiosi multa bona spiritualia, & temporalia meretur ipsis, & impetrant à Deo pro illis: propter enim bona opera Religiosorum Deus specialia benaficia confert confratribus, & amicis religionis: & ipsi confratres multa à Deo impetrant propter merita religionsi. Quos in casu, vt hæc opera hunc præstent effectum, si fiant à tota communitate, & quasi nomine totios religionis, non requiritur singulorum intentio, sed sufficit solius Prælati, vt docet Suar *to.4.disp.53.sect.5. n.12.*

11 Quoad satisfactionem verò, quia Prælati suis benefactoribus satisfactiones applicant, & quamuis regulariter, & communiter loquendo, solùm applicent eas satisfactiones quæ suis subditis supersunt, possunt tamen applicare eas quæ ipsis ad satisfaciendum necessariæ sunt, vt docet Sotus *in 4. d. 21. quæst. 1. art. 4.* quia omnia quæ sunt subditorum, fiunt per votum obedientiæ subdita superiorum voluntati. In hoc tamen casu non sufficit sola Prælati voluntas, & intentio, sed requiritur necessariò voluntas singulatinm personarum operantium, & applicatio particularis, ita vt subditus ipse sua voluntate illud offerat, vel expressè, & directè, vel suam intentionem ad Superioris intentionem, & voluntatem referendo, vt bene docet Suarez *suprà sect.5.num.7.& 8.* Ratio est: quia valor moralis talis operis pendet intrinsecè ex intentione ipsius operantis, quam non potest Prælatus supplere. Vnde si subitus contra Superioris præceptum Missam, vel aliud suffragium alteri specialiter applicet, etiamsi peccet, valebit tamen applicatio. Potest nihilominus Prælatus præcipere, vt subditus opus satisfactorium faciat pro alio, vt docet Suarez *suprà num.8.* Attamen vt effectum sortiatur, requiritur subditorum applicatio, vt dictum est; orationes autem quatenus orationes sunt, & impetratoriæ, possunt Prælati simpliciter omnes applicare, & communicare absque subditorum voluntate, & detrimento, quia non minus prodest oratio propria, oraoti, si pro pluribus fiat, cùm nitatur tantummodo misericordiæ diuinæ, quæ est infinita. De satisfactione autem secus iudicandum est; quia cùm eius vis nitatur perfectioni operum, quatenus ex gratia procedunt, & hæc operum perfectio sit finita; ideo necesse est, vt eo minus alicui ad satisfactionem valeat, pro quibus ad hunc effectũ applicatur.

12 Hæc autem communicatio satisfactionum non est indulgentiæ concessio, vt docet sanctus Thomas *in addit. ad 3. partem, quæst.16.art.1.* Nauarr. *not.31. de indulgentiis, num.18.& 20.* Henriq. *lib.7.de indulgent. cap. 31. §. 5.* Sotus *in 4. distinc. 21. q.1. art. 4.* Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ disp. 1. c. 8. dub. 15. numer. 16. & 17.* qui nobiscum sentit, & alij; quia non est dispensatio communia thesauri virtute clauium facta. Religionis enim Superiores, etiam Generales non habent iure communi potestatem concedendi indulgentias, vt colligitur ex *cap. accedentibus, de excessibus Prælatorum*; vnde non applicant satisfactiones alienas ex communi thesauro Ecclesiæ, qui deficere non potest; sed ex cumulo satisfactionum determinatæ cuiusdam congregationis; tum etiam, quia neque applicant, neque applicare possunt satisfactiones aliquas præteritas, quæ sint in acceptione diuina, tanquam thesaurus quidam repositæ; sed applicant tantùm satisfactionea futuras subditorum. Cuius rei ratio est, quia ea opera quæ sunt peracta à subditis, si ea ipsa ad satisfaciendum per se necessaria non fuerint, eo ipso accedunt ad communem Ecclesiæ thesaurum, qui solùm per Pontificẽ, & Episcopos dispensari potest, non autem per Superiores religionum, nisi ex priuilegio & concessione Papæ. Quando ergo Generales Ordinum, bonorũ operum ipsius Ordinis aliquem participem faciunt, id tantùm intelligi debet de operibus, & satisfactionibus quæ nondum sunt præteritæ, sed quæ fiunt; sicut & eodem modo quo aliquis priuatus suam satisfactionem præsentem, vel futuram applicare potest. Hinc fit per Bullam non suspendi facultatem communicandi bona sua propria, vel communitatis alicui, vel aliquibus confratribus, vel amicis, nec dandi litteras, quas appellant, *Cartas de hermandad*, vt docet Nauar. *de indulgent. not. 31. num. 21.* Fit etiam inde per hanc satisfactionem, etiam si sit superabundans, confratrem non liberari à pœnitentiis, Nauar. *suprà n.20.* & Henriquez *lib.7 de indulg. c. 31. num.5.* quia non fit clauium authoritate.

§. VI.

ITem qui dicto anno durante, in singulis diebus stationum almæ Vrbis quinque Ecclesias, seu altaria, seu in illorum defectum, quinquies vnum altare deuotè visitauerint, precesque ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, omnes & singulas indulgentias stationum intra, & extra muros prædictæ Vrbis, tam per se, quàm per modum suffragij, pro defunctis, pro quibus visitauerint, consequantur.

DVB. I.

Quænam sint stationum indulgentiæ quas Pontifex in hoc §. concedit.

1 SVmmus Pontifex in hoc §. concedit illis qui quinque Ecclesias, vel quinque altaria, & casu quo quinque altaria non reperiantur, vnum altare quinquies visitauerint, & ibi preces pro victoria contra infideles & vnione Principum Christianorum fuderint, omnes & singulas indulgentias quæ existentibus Romæ in diebus stationum almæ Vrbis, tam intra, quàm extra muros conceduntur, non solùm pro se ipsis, sed etiam pro defunctis, pro quibus visitauerint per modum suffragij. Videndum est hoc dubio quænam sint hæ indulgentiæ, & dubio sequenti quænam requirantur ad earum consecutionem.

2 Nota.

4 Nota. *Stationem* dicit actum, quo Christiani stantes orabant in Basilica, aut sepulchro Martyrum, sicut dicuntur milites stationarij, qui stantes stationem, & excubias ad præsidium faciebant. Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 19. num. 3. litt. O. & P.* videndus, & latè Onuphrius Panuinius *in suo libello de stationibus vrbis Romæ.* Vt autem ad præsens attinet, statio est processio ad aliquam Ecclesiam ad exoluendum ibi Deo gratias facta. Habuerunt enim huiusmodi stationes à Romanis initium, qui cum intercessionibus Sanctorum, quorum suffragia implorabant, pericula euasissent, cum processione veniebant ad Ecclesiam illius Sancti, cuius intercessione fuerant liberati, laudes Deo cum gratiarum actionibus persoluentes. Possumus distinguere duo genera stationum, ex fine illius: altera est processio ad aliquam Ecclesiam in gratiarum actioné beneficij à Deo accepti: altera verò qua ad aliquam Ecclesiam venimus solius obseruationis, & Sancti venerationis causa, nulla alia causa intercedente. Deinde huiusmodi stationes fieri possunt ab vna Ecclesia in aliam (quæ propriè, & in rigore dicuntur stationes) vel ab vno altari in aliud, eiusdem tamen Ecclesiæ in alicuius Sancti venerationem, cultum, & obseruantiam. In diebus autem stationum voces, seu cantica lætitiæ cantantur, vel aliquid huiusmodi: & quandoque Missa celebratur in Ecclesia, ad quam vadunt: & quandoque non, sed finita oratione post stationem redeunt. Differt autem statio à Litaniis, quòd stationes fiunt propter præterita pericola, vel in Sancti obseruantiam; Litaniæ vero quæ supplicationes, seu rogationes interpretantur, fiunt pro periculis euitandis. Ita Guillermus Durand. *in suo Rationali diuinorum Officiorum, lib. 7. cap. 1. fol. mihi 148. col. 2. & 3* qui ibi de stationibus. Vide Onuphrium Panuinium *in suo libello de stationibus vrbis Romæ*, qui habetur in fine libri *de vitis Pontificum* Platinæ, vbi docet propriè, & in rigore quoad præsens attinet stationem esse processionem ab vna Ecclesia in aliam, vel saltem ad aliquam Ecclesiam, nam ita habet, *Nam veteres Romani Pontifices statis quibusdam diebus, præcipuè in Quadragesima, & festis ad diuersas vrbis Romæ Ecclesias accedebant, vbi sermone vel concione ad populum adstantem habita, & oratione ad Deum facta diuina mysteria postea cum clero, & populo Romano celebrantes participabant.* Et infrà, Has stationes, hoc est, ad diuersas Ecclesias solemnes processiones, & conuentus commemorant Author actorum Damasi Papæ, & Anastasius Bibliothecarius *in vita Hilarij Papæ.* Has autem stationes ordinauit, & limitauit sub certo numero S. Gregor. Papa, vt refert Ioannes Diaconus *lib. 2. de vita sancti Gregorij Papæ*, teste Panuinio *sup.* De processionibus etiam vide Ioan. Stephan. Durantum *de ritibus Ecclesiæ, lib. 2. cap. 10.* & Durandum *suprà lib. 4. cap. 6.* vbi de processionibus multa. Indulgentiæ ergo stationum sunt illæ, quæ conceduntur fidelibus visitantibus Ecclesias tam intra, quàm extra muros vrbis Romæ, in die ad quas processionaliter progreditur; & quia tales indulgentiæ ratione stationum conceduntur, ideo indulgentiæ stationum nuncupantur.

3 Primus Pontifex, qui instituit, & ordinauit stationes & in eis indulgentias concessit, fuit Beatus Gregorius Papa I. vt refert sanctus Thomas *q. 25. addit. art. 2 in corpore.* Pannin. *vbi suprà.* Caietan. *de indulgent. ad Iulium, c. 1. in princ.* Suarez *de indulgent. disp. 49. sect. 2. n. 12.* Sorbo *in Compendio. verb. Indulgentia stationum. fol. mihi 225. pag. 1. in fine.* Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, cap. 3. num. 2.* & Rodriguez *§. 8. n. 2.* Qui Pontifex, vt citati Doctores referunt, in qualibet die stationum septem tantùm annos remissionis, & indulgentiæ concessit. Multi tamen Pontifices, & Beati Gregorij successores ampliores indulgentias, imò & quamplures plenarias in diebus stationum Romæ concesserunt.

4 In primis in principalissima, & sacrosancta Ecclesia, quæ ab antiquo dicebatur Basilica Saluatoris nunc autem vocatur Ecclesia sancti Ioannis Lateranensis, quæ ab Imperatore Constantino in latere sui Palatij ædificata, & à sancto Syluestro Papa, in honorem Sanctissimi Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ dedicata fuit. In hac igitur Ecclesia Sanctus Syluester Papa quocumque tempore anni omnibus ad eam venientibus remissionem omnium peccatorum concessit: quam concessionem confirmarunt Sanctus Gregorius Papa, & Bonifacius, teste Sorbo *in Compendio. verb. Indulgentia stationum, pag. 225. in meis, col. 1. n. 4. 5. 6. & 7.* qui *num. 9.* ait in capella S. Ioannis Baptistæ intra eandem Ecclesiam (in quam capellam mulieres non intrant) esse indulgentiam plenariam. Similiter in capella Sancti Laurentij in eadem Ecclesia, est remissio omnium peccatorum. Item in Ecclesia ad sanctam Crucem in Hierusalem per omnes dies est indulgentia plenaria in capella sanctæ Helenæ. Sorbo *sup. pag. 227. col. 1. num 4.* Item in Ecclesiis Sanct. Petri, & Pauli, Sanctæ Mariæ Maioris, Sancti Laurentij, Sancti Fabiani, & Sanctæ Crucis sunt quamplurimæ indulgentiæ plenariæ, & innumeræ partiales, quas refert Sorbo *suprà pag. 225. 226. 227.* ex quibus apertè constat, nullum esse diem in quo visitantibus aliquam, vel aliquas Ecclesias, intra, vel extra muros Vrbis, indulgentia plenaria, seu totalis non concedatur.

5 Difficultas ergo est, an indulgentia stationum sit partialis, an verò totalis, seu plenaria, Sorbo *sup pag. 227. §. aduertendum.* Henriq. *lib. 7. de indulg. c. 10. n. 2.* & aliqui, quos sequitur Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. c. 8. dub. 2. n. 3.* existimant esse partialem, seu non plenam, quia in Bulla originali non exprimitur indulgentia plenaria. Verior tamen sententia, & sequenda, tenet esse totalem, seu plenariam. Ita tenet Rodriguez *§ 8. num. 6.* & Villolobos *tract. 27. claus. 8. n. 3.* Oppositum existimant falsum, meritò quidem, & communiter recentiores. Probatur primò ex summario indulgentiarum in Bulla Hispana iussu Commissarij generalis composito, vbi sic dicitur: *Sumarie de las estaciones, è indulgencias de Roma, las quales concede su Santidad a todas las personas que tomaren esta bulla, y hizieren y cumplieren cerca desto lo en ella contenido.* Et statim sequitur. *El primer dia de Quaresma en Santa Sabina indulgencia plenaria*, & hoc modo percurrit alias stationes, commemorando plures dies in quibus Romæ conceduntur indulgentiæ plenariæ. Nefas ergo est credere, Bullæ Cruciatæ Commissarium in re adeò graui velle fideles omnes decipere: neque credibile est huius summarij formam ignorari à Papa; imò persuasum mihi habeo, illius scientiam habere. *Secundò* probatur, quia quando quis Romæ visitet Ecclesiam vbi est statio, non solùm lucratur indulgentiam illius Ecclesiæ, sed etiam omnes alias indulgentias septem Ecclesiarum præcipuarum Romæ, seu capitalium, vt docet Rodrig. *sup §. 8. n. 4.* At vt dictum est *sup. hoc dub. n. 4* in aliqua ex illis singulis diebus est indulgentia plenaria; ergo indulgentia quæ ratione stationum conceditur, est plenaria Quare ad argumentum oppositum dicendum est, in plumbea expressè dici, habentem Bullam

posse lucrari indulgentias stationum, cumque in eis expresse contineantur indulgentiæ plenariæ, illa generalis loquutio æquipollet speciali, seu specificæ loquutioni.

6 Nota tamen cum Rodriguez §.8.*num.*1.& Sorbo *vbi supr. pag.* 227. §. *aduertendum*, Papam non concedere omnes indulgentias plenarias quæ per totum annum conceduntur certis diebus festis visitantibus Ecclesias Romanas, sed solùm indulgentias, quas fideles lucrantur Romæ in diebus tantùm stationis, seu in quibus fit statio. Patet ex verbis Bullæ ibi: *In singulis diebus stationum almæ Vrbis.* Et ita Commissarius in summario Bullæ in fine apposito, solùm designat indulgentias stationũ.

7 Sed dices, quot sunt dies stationum, in quibus potest hæc indulgentia plenaria ratione stationum concessa consequi; Respondeo, omnes illos dies in supradicto summario connumeratos. Quod tanquam certum, & indubitatum censeo, ob rationem suprà positam. Incertus quidam auctor existimat, quod & typis mandauit Valentiæ Anno 1621. singulis anni diebus visitantes quinque Altaria modo explicando *dub. sequent.* posse consequi indulgentiam plenariam stationum. Fundamentum illius est, quia, vt refert Sorbo *in Compen. priuilej. Mendicant fol. mihi.* 225.*num.*2. in Ecclesia beati Petri Romæ, inter alia sunt septem Altaria, in quibus per totum annum integrum sunt stationes; atqui in Bulla Latina conceditur indulgentiam stationum, in singulis diebus stationum almæ Vrbis: ergo cùm singulis diebus totius anni stationes fiant singulis etiam anni diebus indulgentia plenaria stationum, visitando quinque altaria, consequi poterit. Pia quidem sententia, an autem sicut pia, ita & vera, haud credo. Difficile enim mihi persuasum est, Commissarium generalem, rem adeò animæ vtilem, & quæ maximè Bullæ concessionem commendat, latere. Credendum enim est in componendo & assignando numerum stationum exactam adhibuisse diligentiam: cùm ergo non plures assignauerit, his standum erit. Fauet etiam Alphonsus Perez de Lara *in suo libro trium gratiarum, à pag.* 30. qui solùm vsque ad centum circiter stationes enumerat, & Panuinius *sup.* vbi solùm enumerat pro suo tempore, stationes 87. dies stationum 83. Ecclesias verò, ad quas fit statio 44. Dici etiam posset, indulgentias stationum non esse quæ conceduntur quando stationes intra eandem Ecclesiam fiunt ad altare alicuius Sancti in eius obseruantiam, nam hæ non sunt propriè stationes de quibus loquitur Bulla, sed quæ fiunt ad aliquam Ecclesiam. Insinuant illa verba: *In singulis diebus stationum almæ Vrbis.* Et infrà: *Omnes & singulas indulgentias stationum intra, & extra muros Vrbis prædictæ* quasi dicat, concedi indulgentias ratione stationum quæ fiunt ad Ecclesias intra vel extra muros: & fortè Commissarius hac ratione & in hac proprietate sumpsit stationem, nimirum pro processione ab vna ad aliam Ecclesiam. Fauent etiam nostræ sententiæ verba Bullæ Latinæ in fine illius, vbi in facultate quam concedit Commissario vertendi Bullam Latinam in Hispanam, subditur: *addidit etiam nominatim, pro singulorum notitia diebus stationum totius anni, intra, & extra muros huius almæ Vrbis.* Igitur si singulis diebus essent stationum indulgentiæ, non erat cur Pontifex hanc assignationem dierum commissario committeret, & non erat cur diceret in singulis diebus stationum, sed sufficeret vt diceret in singulis diebus totius anni. Insinuat ergo apertè Pontifex, non omnibus, sed certis anni diebus fieri stationes, & concedit indulgentias stationum, de quibus agimus. Fauet etiam Franciscus Cabrera Morales, qui in suo libello quem Romæ in lucem edidit anno 1600. sub titulo, *De las Iglesias de Roma, con todas las reliquias, y estaciones,* vbi non pro singulis, sed pro certis diebus stationes assignat, etiam si plures quàm Lara enumeret, videlicet 193. Concludendum igitur est, non singulis, sed certis, & determinatis diebus fieri Romæ stationes, nimirum in illis diebus, qui in appendice Bullæ à Commissario assignati sunt, qui omnes comprehensis nouem festiuitatibus B. Mariæ Virginis, faciunt summam nonaginta quatuor dierum stationum.

DVB. II.

Quænam requirantur ad huius indulgentiæ consequutionem.

1 EX ipsa Bulla liquidò constat requiri necessariò *primò*, habere ipsam Bullam. *Secundò*, visitare quinque Ecclesias, vel quinque altaria; aut altare vnum quinquies, quando non reperiuntur quinque altaria. Et *tertiò*, preces Deo fundere pro Principum Christianorum concordia, & victoria contra infideles, ex quibus altero, aut altero deficientibus indulgentia consequi non potest; quia tanquam conditiones, & opera necessaria à Pontifice proponuntur. Hæc certa sunt apud omnes, quæ autem aliquam habent difficultatem, propositis quibusdam quæsitis, facilè constabunt.

2 Quæres primò. Quid hic nomine *Ecclesiæ* intelligatur. Respondeo, intelligi templa ad diuinum cultum dedicata, monasteria, hospitalia, Oratoria priuata, cum etiam eremitoria; quia hæc omnia sub nomine Ecclesiæ absolutè sumptæ comprehendi diximus *suprà* §.3.*dub.*2.*notab.*5.*&* 3. dum explicaremus priuilegium assistendi diuinis tempore interdicti in Ecclesiis, vel monasteriis. Vnde potest quis indulgentias stationum visitando Oratorium priuatum, lucrari; quia, vt docet Henriquez *lib.*7.*de indulg.c.*10.*n.*1.*lit.B.* in iure, præsertim in fauorabilibus, censetur Ecclesia; vnde vir nobilis visitando quinquies Oratorium suum ab Episcopo designatum, & approbatum, lucratur hanc indulgentiam, Rodriguez §.8.*addit num.*1. Quidam iunior limitat, quando talis vir est infirmus, vel in oppido in quo non sunt quinque altaria, reperitur. Quam quidem limitationem reiiciendam censeo: quia, vt dictum est, Oratorium, absolutè loquendo, sub nomine Ecclesiæ comprehenditur; cur ergo hic fauor limitabitur? Ita etiam tenet Lud. *infrà nu.* 2. Addit Rodrig. sic visitantem Oratorium priuatum quinquies, non teneri intrare, vel exire quinquies Oratorium, quod libenter admitto; sed sufficere vt quinquies corde visitet, non autem motu corporali, quia Ecclesia in suis præceptis ita obligare videtur, vt homo politicus appareat: quod etsi probabile sit, probabilius tamen existimo, quidquid Ludou. *supr. nu.*4.(vt infrà magis patebit) requiri aliquem motum corporalem, etsi modicum, & bene compositum: vt si post primam visitationem, seu orationem, finitam profundè caput, & corpus inclinaret, per quam inclinationem visitationes satis distinguerentur.

3 Quæres secundò. An vbi reperiuntur quinque Ecclesiæ, sufficiat quinque tantùm altaria visitare. Respondeo affirmatiuè; quia Bulla vtitur alter-

natiua

natiua locutione; et in alternatiuis licet quamlibet partem eligere, vt docet Rodriguez *§.8.num.9. & in addit ad §.8.num.1.* & ita confirmat communis praxis fidelium, qui existentibus quinque Ecclesiis, solùm quinque altaria visitant. Quòd si quinque altaria non reperiantur, vnum altare quinquies interpellatis vicibus debet visitari, vt habetur expressè in Bulla. At si sint duo, tria vel quatuor altaria, non videtur sufficere vnum quinquies visitare, sed tenetur visitare altaria, quæ reperiuntur, & loco altarium quæ deficiunt, alia, vel aliud altare visitare vicibus quæ desunt vsque ad quinque visitationes: hoc enim magis menti Pontificis accedit, quidquid Dians *tract. 11.resol.102.* & Lud. *sup.num.3.* Satis tamen est visitare altare, vel altaria; quamuis aram non habeat; dummodo aptum & designatum sit ad Missę celebrationem, quia sic in iure vocatur Ecclesia. Ita Henriquez *lib.7. de indulgentiis, cap.10. num.1. littera B.* Hoc tamen pro certo habe eum qui non potest ingredi Ecclesiam, quia est plena hominibus, non consequi indulgentiam stationum Bulię visitando Ecclesiam à foris, vt sibi possibile est, quia moraliter loquendo non potest dici quoad talis homo visitet quinque altaria; consequetur tamen indulgentiam concessam visitanti talem Ecclesiam, & fundenti preces in ea; nam moraliter censetur eam visitare. Ita Diana *tract.11.resol.103* cum Bonacina *de sacra.d.6.quæst.5.part.5.num.26.* Villalobos *tract.26.diffic.14.num.7.* & alii. Potest etiam dici posse lucrari indulgentiam stationum, si forte à foris possit videre quinque altaria, & ea visitare, sicque intellige Lod. à Cruce *in exposit. Bull. disp.1.cap.8.dub.13.num.5.*

4 Quæres tertiò. Quomodo sit facienda hæc visitatio quinque altarium. Rodriguez *§. 8. dub. 7. n. 12.* existimat, faciendam esse cum aliquo corporis, & situs motu, quando commodè fieri potest, aliter enim idem Rodriguez *in addit. ad § 8. num. 1.* sine corporis & situs motu in eodem loco existimat fieri posse; v. g. si ob ægritudinem loco dimoueri non potest, vel ob multitudinem gentium Ecclesiam introire non valet, vel si visitat Oratorium, vbi in eodem loco sine corporis, cum solo cordis motu visitationem facere potest, vt ipse existimat. Henriquez verò *lib.7. de indulgent. cap. 10. litt. B. num.1.* quem cum aliis sequitur Diana *tractat. 11. resol. 102.* & in addit. *resol. 25.* Lodou. *supr. numer. 4.* ait etiam si expediens sit vt altaris visitatio fiat cum aliquali corporis, & situs motu, si commodè fieri possit: id tamen non requiritur necessariò sed satis est vt vno loco situs preces fundat versus quinque altaria: quod etsi probabile sit, tutius & verius existimo requiri aliqualem corporis motum quando commodè fieri potest; aliter enim in rigore non videtur quintuplex, sed vnica visitatio. Quando verò quis idem altare quinquies visitat, existimo non teneri loco dimoueri, sed eodem loco fixum posse illud quinquies visitare, dummodo qualibet visitatione finita, saltem corpus & caput inclinat in signum distinctæ visitationis. Clerici verò, vel Religiosi qui degunt in aliqua Ecclesia, vel conuentu, visitantes ibi quinque altaria, aut vnum quinquies, supradictam lucrantur indulgentiam, non enim debent esse peioris conditionis. Rodriguez *§.8. num 10.* Idem dic de eo qui ad Ecclesiam confugiens propter aliquod delictum ibi detinetur. Lud. *sup. num.3.*

5 Requiritur etiam vt visitans quinque altaris habeat intentionem, saltem virtualem, ea visitandi animo consequendi dictam indulgentiam. Rodriguez *§.8. num.9.* Similiter quòd fundat preces pro vnione & concordia inter fideles, & victoria contra infideles; sufficit tamen hoc intendere saltem virtualiter, & implicitè hoc est visitare, & offerre orationes secundùm Pontificis intentionem, vt contingere potest in rudibus, & simplicibus. Talis enim intentio sufficit ad sacramenta suscipienda.

6 Quæres quartò, an oratio fundenda sit determinata. Respondeo negatiuè. Patet ex Bulla ibi: *Precesque ad Deum fuderint.* Vnde sufficit ad singula altaria semel orationem Dominicam, & Angelicam fundere, quia sic orare est preces fundere. Maior difficultas. An requiratur necessariò quòd hæc oratio sit vocalis, an verò sufficiat oratio mentalis. Rodriguez *in addit. ad §.7. num.2.* quam sequitur Lodou. *in exposit. Bullæ disp 1.c.8. dub.13.* sibi contrarius nam *dub. 11 num. 2.* dicit ad lucrandam indulgentiam quindecim annorum sufficere orationem mentalem, quando ieiunium commutatur in orationem existimat requiri necessariò orationem vocalem, Probat *primò*, quia Ecclesia est visibilis, quæ non iudicat de occultis, neque iurisdictionem habet in actus internos. *Secundò*, quia per talem indulgentiam commutatur quodammodo sacramentalis satisfactio in tale opus; ergo sicut sacramentales actiones debent esse visibiles, & externæ quoad fieri potest, ita etiam prædictum opus orationis pro indulgentia obtinenda iniunctum, debet esse exterum.

7 Nihilominus tamen probabilius censeo sufficere orationem mentalem, & internam. Probatur *primò*, quia solum præcipitur in Bulla, vt effundant ibi orationes; at nomen *orationis* propriissimè conuenit mentali, imò & præcipuè, nam oratio interna præferenda est, cæteris paribus, vocali, quando hæc est voluntaria, seu non est in præcepto, quia, per se loquendo, & ordinariè, mentalis est magis fructuosa: nam multum illuminat animos in iis quæ ad Deum, & ad salutem pertinent, & præparat illos ad vincendas tentationes, & particula peccatorum vitanda. *Secundò* probatur, quia ad talem indulgentiam comparandam non præscribitur oratio publica, sed priuata; ergo hæc poterit ad nutum esse vocalis, vel mentalis. In hoc enim valde distinguitur oratio publica à priuata, quia hæc potest esse vocalis & mentalis; publica verò, quæ talis ideo dicitur, quia fit ab Ecclesia per ministros suos, vt tales sunt, debet esse semper vocalis. Ratio est, quia Ecclesia quæ de intentionibus non iudicat, non potest præscribere certos conceptus & effectus internos, quibus interior oratio fiat: ac proinde mentalis oratio non cadit sub præcepto Ecclesiastico, de quo Suarez *tom. 2. de relig. cap.4.* præscribit autem Ecclesia certam formam verborum, qua in voce orandum est nomine suo: oratione enim publica cùm ipse minister loquatur, non nomine suo, sed Ecclesiæ ab illa debet accipere, & verba orationis, & formam orandi; sicque constat ex vsu Ecclesiæ, quæ in sacrificio, & in aliis officiis diuinis, certas orationes, versus, & Psalmos recitandos designat. Probatur *tertiò*. Potest Pontifex, si velit, concedere indulgentiam propter opus merè internum, qualis est oratio mentalis, vt cum multis diximus *sup. §. 1. dub. 15. num. 1.* & concedere solet indulgentias examen conscientiæ facientibus, vel nomen IESV corde proferentibus; imò in Bulla de facto concedit indulgentiam plenariam ei, qui subita morte correptus, suorum peccatorum contritionem habuerit; ergo si Pontifex potest, & solet pro opere merè interno indulgentiam concedere, & in hoc §. non restringit ad orationem vocalem, cur nos restringemus? Nec obstat fidelium vsus ad consequutionem huius indulgentiæ preces vocales

vocales fundentium, quia ea hoc ſolùm infertur has preces eſſe ſufficientes ad prædictam indulgentiam lucrandam, quod eſt certum, non tamen neceſſarias.

8 Ad argumenta Rodriguez reſpondeo, ſolùm probare orationem externam, ſicut & alios actus exteriores eleemoſynæ, peregrinationum, ieiuniorum, & ſimilium eſſe opera maximè proportionata ad effectum conſequendi indulgentiam, non verò probare eſſe ſimpliciter neceſſaria. Eccleſia namque concedendo indulgentiam pro actu merè interno, nullam propriè in illum exercet iuriſdictionem, ſed, ſolùm exigit illum vt conditionem neceſſariam ad talem effectum conſequendum; quæ conditio poteſt eſſe merè interna, quia non oportet, vt de illa conſtet apud Eccleſiam, ſed apud Deum. Imò hic modus indulgentiæ poteſt cedere in magnā fidelium vtilitatem, vt nimirum excitentur ad internos actus contritionis, & deuotionis, quibus etiam Deus valde glorificatur. Deinde opus internum orationis per ſe ſumptū, multum valere poteſt ad ſatisfaciendum pro pœna temporali, vt eſt manifeſtum; quia eſt actus honeſtus voluntarius, valde difficilis, & homini mortali laborioſus, & pœnalis, nam conſiſtit in eleuatione mentis ad Deum; hæc autem magnam animi applicationem requirit, quæ ſine pugna, & reſiſtentia corporis, & ſenſuum non fit. Vnde Eccleſiaſtes 12. dicitur: *Frequens meditatio carnis afflictio eſt.* Opera autem merè interna ſatisfactoria eſſe, docet Henriquez *lib. 2. de pœnit. c.* 19. Quid ergo illi deeſſe poteſt quominus valeat ad ſatisfaciendum? præſertim cùm ipſa oratio vocalis ab omnibus cenſeatur inter opera maximè ad ſatisfaciendum accommodata? non tamen propter ſolam vocem, quam potiſſimum propter mentis attentionem, in qua eius maxima difficultas, & perfectio ſita eſt. De excellentia, & vtilitate orationis mentalis, vide inter recentiores Suar. *tom. 2. de relig. lib. 2. à cap. 1. vſque ad c.* 5.

Dvb. III.

An indulgentia ſtationum poſſit in die multoties lucrari.

1 CErtum eſt, eum qui in mortali fecit ſtationem, poſſe iterum eodem die, dum ſe in gratia reputat, altaria viſitare, talis enim cenſetur Pontificis voluntas, vt bene Rodriguez §. 8. *num.* 15 *dub.* 9. Difficultas ergo eſt, an poſſit pluries lucrari quando in omnibus ſtationibus lucrans indulgentiam exiſtimat ſe eſſe bene diſpoſitum. Negant Palud. *in 4. diſt.* 20. *q.* 4. & olim Nauar. *not.* 15. *de indulg. ad fin.* Corduba *de indulg. q.* 30. Lopez *c.* 8. *pag.* 840. *col.* 1. Quod probant *primò* ex vſu fidelium. *Secundò*, quia Romæ ſemel tantùm in die lucrantur fideles iſtas indulgentias. Huius ſententiæ eſt Ludou *in expoſit. Bullæ diſp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 13. *num.* 10. vbi dicit, quando indulgentia conceditur abſolutè viſitantibus talem Eccleſiam poſſe lucrari toties quoties; ſecus vero quando conceditur viſitantibus eam tali die, vt conceditur hæc indulgentia Bullæ.

2 Verior tamen ſententia eſt, poſſe pluries in die lucrari. hanc tenent Angelus *verb. indulgentia*, §. 4. Nauarr. *not.* 31. *num.* 46. *&* 47. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 2. Rodriguez §. 8. *n.* 15. Villalobos *tract.* 27. *clauſ.* 8. *nu.* 8. & Diana *tract.* 11. *reſol.* 104. Ratio fundamentalis eſt, quia Bulla id non reſtringit nec limitat, ſed abſolutè eam concedit; at quando indulgentia conceditur indefinitè viſitanti tali die talem Eccleſiam, toties eam quis lucratur, quoties eo die moraliter, & ſecundùm prudentiam illam viſitat, vt docet Nauar. *not.* 31. *nu.* 57 & ſentit Diuus Thom. *in 4. diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 4. & tenet Diana *ſup.* citans Bonacinam *de ſacr. d.* 6. *q.* 1 *p.* 5. *num* 31. *Secundò* probatur, quia iuris diſpoſitio etiam in odioſa materia comprehendit omnes caſus, ad quos verba diſpoſitionis iuxta propriam ſignificationem, & diſpoſitionem ſe extendunt, ſecundùm doctrinam Iuriſconſultorum, quos refert Rodriguez *ſuprà*; ſed verba indulgentiarum Romæ, & verba Cruciatæ, & verba Iubilei, in quo præcipiuntur ſtationes ad lucrandas indulgentias, iuxta propriam ſignificationem extendi poſſunt ad plures vices in die: ergo extendenda potius ſunt, quàm limitanda; præſertim cùm talis conceſſio ſit Principis fauor, & in tertij præiudicium minimè cedat.

3 Ad argumenta. Ad primum dico, ex non vſu non inferri, non poſſe lucrari ſæpiùs. Similiter ad ſecundum negandum eſt antecedens, vt ex ſupradicta doctrina Nauarri conſtat. Nec obſtant verba Bullæ concedentis, vt is qui bis eam ſumit, poſſit indulgentiam bis conſequi: nam, vt benè Rodriguez *ſup. num.* 15. & colligitur apertè ex Bulla, loquitur de indulgentia, quæ ſemel in vita, & iterum in articulo mortis conceditur; non verò de indulgentiis ſtationum: alt namque Bulla de prioribus, eiſque intra eundem annum bis, vt præfertur vti poterit; at indulgentiæ ſtationum non conceduntur ſemel, aut bis in anno, ſed multis diebus.

Dvb. IV.

Quomodo hæc indulgentia poſſit lucrari pro animabus Purgatorij.

1 CErtum eſt fidelem viuum habentem Bullam S. Cruciatæ, poſſe quinque altaria viſitare, ibique orationem fundere modo dicto, & ſic indulgentias ſtationum ſupradictas pro animabus Purgatorij lucrari, vel pro defuncto ſibi bene viſo. Conſtat apertè ex illis verbis Bullæ, ibi: *Tam pro ſe, quàm per modum ſuffragij pro defunctis, pro quibus viſitauerint, conſequantur*, Villalobos *tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 8. *n.* 8. & Diana *tract.* 11. *reſol.* 104. vbi dicit etiam poſſe lucrari toties quoties, ſicut de viuis diximus *dub. praced. num.* 2. Per modum ſuffragij, auxilij, ſeu adiutorij eſt, quando conceditur alicui medio auxilio, vel opere alterius: quod latius patebit in explicatione Bullæ defunctorum. Certum etiam eſt, non poſſe fideles hanc, vel alias indulgentias pro defunctis conſequi, niſi expreſſiſſet, vel quādo exprimit Pontifex, vt docet ſanct. Thom. *in 4. d.* 20. *quaſt.* 2. *art.* 3. *quaſtiunc.* 2. Nauar. *not.* 21. *de indulg. num.* 29. §. 6. *infertur.* & communiter Doctores, Vide Suarez 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 53. *ſect.* 1. *&* 2.

2 Dico igitur, ſi quis vult hanc indulgentiam pro defuncto conſequi, tenetur pro illo particulariter, & ſpecialiter ſtationes modo *dub.* 2. explicato, facere; ita vt ſi velit pro ſe ipſo etiam indulgentiam lucrari, teneatur aliam de nouo ſtationem facere.

cere. Ita sentire videtur Rodriguez, §.8. *num* 13. illis verbis: *Los que quisieren aplicar esta indulgencia à los difuntos, la han de ganar para ellos, porque no la pueden ganar primero para si, y despues de ganada aplicarla a los difuntos.* Indulgentia enim semel sibi applicata, alijs applicari non potest, & ita tenetur duas stationes facere. Idem insinuant verba Bullæ: *Tam pro se, quàm pro defunctis*; ac si diceret, poterit pro se vna visitatione, & oratione, tum etiam pro defunctis altera visitatione, & oratione, altaria visitare, & indulgentiam consequi. At quando in summario Bullæ dicitur: *Ee stationis die animom liberare à pœnis Purgatory*, eadem visitatione altarium & eadem oratione lucratur sibi viuens indulgentiã, & liberatur anima è Purgatorio, vt docet Rodriguez §.8. *n.* 16. *in fine.* Ratio est, quia id videntur verba ipsa insinuare, & confirmare vsus fideliũ.

3 Dico secundò, licèt tutius, & securius sit requiri statum gratiæ in eo, qui hanc indulgentiam pro defuncto lucratur, probabile tamen est, etiam in peccato mortali existentem, si præscripta opera pro defuncto præster, pro eo indulgentiam consequuturum. Est contra Rodriguez §.8. *n.* 13. *vers. Lo tercera digo*, & Soto *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *artic.* 3. *in fine.* Nostram tenent sententiam Nauar. *not.* 18. *n.* 31. Suarez *tom.* 4. *disp.* 53. *sect.* 4. & alij: nam etsi malus nec pro se, nec pro alio satisfacere possit, vt docet sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 3. & Villalobos *tract.* 28. *nu.* 3. qui hanc sententiam reputat probabiliorem; in hoc tamen casu non satisfacit pro se, nec pro anima Purgatorij, sed tantùm facit pro defuncto opus, ob quod Papa defuncto satisfactionem Christi, & Sanctorum applicat, & habet se tanquam Ecclesiæ minister, in qua nunquam deest gratia. Ita Tolens *lib.* 6. *c.* 26. *n.* 8. Vnde sufficit quòd sit gratia in eo, cui indulgentia à Pontifice applicatur, & fiat opus à Pontifice Iniunctum. Sic Dominus bene dispositus lucratur indulgentiam eleemosynam faciens per famulum in peccato existentem. Vide Suarez *sup.* & *disp.* 13. *de indulg. sect.* 4. & Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap* 9. *n.* 6.

Nota, hanc indulgentiam, si cætera adsint, tam pro se, quàm pro defunctis lucrari posse post Solis occasum, & nocte, quia in Bulla non limitatur tempus, quod declarat etiam vsus fidelium, & ita tenet Rodriguez *in addit. ad* §.8. *n.* 1.

§. VII.

Item quòd omnes, & singuli prædicti purius ad Deum preces fundere, & efficaciùs diuinum auxilium implorare possint, conceditur, vt possint eligere Confessorem secularem, vel cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinum regularem ex his qui ab Ordinario, & quoad regulares semel tantum approbati fuerint: & ab eo, quorumcumque peccatorum & censurarum (etiam Sedi Apostolicæ, & in Bulla Cœnæ Domini reseruatorum, & reseruatarum) plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vita, & semel in mortis articulo; aliorum verò Sedi Apostolicæ non reseruatorum, ac reseruatarum, toties quoties confitebuntur, absolutionem, & remissionem, mediante salutari pœnitentia, secundum culparum indigentiam obtinere. Modò in casibus in quibus necessaria erit, per ipsos, vel da'e impedimento, per hæredes, aut alios satisfactio fiat. Et illa vota omnia (vltramarino, Castitatis, & Religionis, dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium huius expeditionis per eundem Confessarem commutari.

IN hac clausula tria Pontifex concedit. *Primò*, electionem Confessarij. *Secundò*, facultatem absoluendi à reseruatis, & applicandi indulgentiam plenariam. Et *tertiò*, facultatem commutandi vota quibusdam exceptis. Quæ omnia, & difficilia intellectu, & vtilia fidelibus maximè sunt: quare, claritatis gratia, in tria capita hanc clausulam diuidendam censuimus.

CAPVT I.

De electione Confessarij virtute Bullæ facienda.

DVBIVM I.

Quisnam dicatur idoneus ad confessiones audiendas.

1 SVmmus Pontifex in hoc §. concedit facultatem eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum. Videndum igitur est, quisnam censeatur ab Ordinario approbatus, vt intelligi possit quisnam virtute Bullæ sit eligibilis.

2 Supponendum est tanquam de fide, solum Sacerdotem esse ministrum sacramenti Pœnitentiæ, vt est definitum in Trid. *sess.* 14. *c.* 6. & *can.* 9. & 10. & habetur *in c. quidam dicunt, de pœnit. dist.* 1. & tenent communiter Catholici: qui Sacerdos etiamsi malus sit, est sufficiens minister huius sacramenti, vt est definitum in specie apud Trid *sess.* 14. *can.* 10. adeoque necessarius est Sacerdos, vt neque ob dispensationem, neque ob necessitatem possit ab alio hoc sacramentum fieri, quamuis sit Diaconus, est communis DD & colligitur euidenter ex Trid. *sess.* 14. *can.* 10. vbi definit solum Sacerdotem esse ministrum huius sacramenti: de quibus latè Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 24. *sect.* 1.

3 Supponendum est secundò non omnes Sacerdotes esse sufficientes ministros huius Sacramenti, sed requiri necessariò, quod præter sacerdotium habeat iurisdictionem ordinariam, vel delegatam in foro interiori, aliter. n. sacramenti huius administratio, & absolutio est inualida, vt est definitum à Trid. *sess.* 14. *c.* 7. ibi: *Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionẽ eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam, aut delegatam non habet iurisdictionem.* Ratio est, quia hoc sacramentum exercetur per modum iudicij; at iudicium exerceri non potest in non subditum. Est autem iurisdictio ordinaria, ea quæ competit ex officio, qualis est ea, quam Pontifex habet in tota Ecclesia Episcop. in suo Episcopatu, & Parochus in sua parochia. Parochorum iurisdictionem esse ordinariam constat *ex gloss in Clem. dudum de sepul.* Suar. t. 4. *de pœnit. disp.* 21. Sot. *in* 4. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 4. Henr. *lib.* 6. *cap.* 6. & alij, quos Sanct. *in suis select. disp.* 48. *n.* 4. Vnde etsi eos iterum examinare possit Episcopus, vt fecit dominus meus don Ioan. à Ribera Patriarcha Antioch. & Archiepiscopus Valent. ann. 1610. immediatè post expulsionem Neophytorum, qui eorumdem Parochos examen iterum subire mandauit, eo quòd iam inde non Neophytorum, sed Christianorum Pastores futuri erant. Non tamen reprobare poterit: sed propter ignorantiam, aut alia delicta eos ab officio suspendere

ſpendere valet, aut illi coadiutorem aſſignare. Sanctius ſup. diſp. 50. num. 2. Dicitur hæc iuriſdictio ordinaria, quia eis competit eo quòd in dictis officiis, & dignitatibus conſtituantur. Delegata verò iuriſdictio eſt ea, quam quis habet ratione conceſſionis factæ ab eo, qui ordinariam habet iuriſdictionem. Poſſunt autem iuriſdictionem delegare omnes qui eam habent ordinariam, vt Pontifex pro tota Eccleſia, Epiſcopus, pro ſuo Epiſcopatu, & Parochus pro ſuis ouibus tantùm. Hoc tamen addito, quòd delegatus à Parocho ſit ab Ordinario approbatus, ſecundùm Tridentini diſpoſitionem, cap. 15. ſeſſ. 23. De iuriſdictione delegata, & qua ratione acquiratur, vide Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 26. per totam. Coninch diſp. 8. de miniſtro pœnitentiæ, dub. 4. & 5. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 31. & Reginaldum lib. 1. cap. 7. Obiter nota, Canonicum Pœnitentiarium etiam ſi habeat iuriſdictionem ordinariam, non tamen poſſe delegare, de quo Barboſa de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 55. num. 19. & 22. Hoc tamen aduerte, commiſſionem, ſeu delegationem ad audiendas confeſſiones ab Epiſcopo, vel alio Paſtore excommunicato (intellige ſi excommunicatus eſt denunciatus, vel manifeſtus clerici percuſſor) factam, etiam non excommunicato, minimè tenere, ac proinde Confeſſarium ſic delegatum, & inſtitutum, tanquam iuriſdictione carentem nil agere. Ita Coninch ſup. dub. 4. num. 17. Adeoque neceſſaria eſt iuriſdictio, vt ſine ea abſolutio etiam in articulo mortis, vel de venialibus tantùm, ſeu mortalibus iam ritè confeſſis data, omnino ſit nulla, & inualida: nam Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. cit. abſolutè loquitur. Et ratio eſt eadem in omnibus caſibus, de quo Suarez ſup. diſp. 24. ſect. vlt. n. 8. an autem iuriſdictio quam habent ſimplices Sacerdotes circa mortalia in articulo mortis, vel circa venialia extra illum articulum, ſit de iure diuino vel humano, variant DD. In qua re verius videatur eſſe de iure humano ab Eccleſia conceſſam, & delegatam, vt cum multis latè docet Suarez ſup. diſp. 26. ſect. 4. & 5.

4 Dico igitur. Ille Sacerdos dicitur idoneus ad confeſſiones audiendas, qui habet beneficium parochiale, vel eſt ab Ordinario approbatus, vt habetur expreſsè in Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. cuius verba proponam, eo quòd ex illis dicendorum intelligentia pendet, Ait enim Trid. *Decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; priuilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.*

5 Ex quibus colligitur primò, non ſolùm peccare mortaliter vſurpatione officij, & indigna adminiſtratione Sacerdotem non Parochum, nec ab Ordinario approbatum, ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrantem; ſed etiam ipſum ſacramentum eſſe irritum & nullum. Similiterque peccare pœnitentem, niſi ignorantia, & bona fides illum excuſet: veritate tamen comperta tenetur legitimo confeſſario confeſſionem repetere. Ita cum alijs Suarez tom. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 4. num. 9. & 15. & Ludou. à Cruce in expoſit. Bull. diſp. 1. cap. 2. dub. 23. num. 2. & 3. ait enim ſupradictam diſpoſitionem, & approbationem Trident. eſſe de neceſſitate ſacramenti, & conditionem ſine qua non tenet ſacramentum Pœnitentiæ: deducitutque ex illis verbis, *nullum poſſe ſecularium confeſſiones audire, niſi, &c.* Concilium ergo, vt ait Suarez dicto numer. 9. generaliter, & indifferenter requirit iſtiuſmodi approbationem ad exercendum munus confeſſoris quacumque ratione ei iuriſdictio delegetur. Excipe tamen duos caſus: alter eſt articulus mortis: alter verò quando pœnitens habet tantummodo peccata venialia. In primo enim neceſſitas, in ſecundo verò libertas approbationem inducunt. Neque enim exiſtimandum eſt, Eccleſiam in articulo mortis abſolutioni ſacramentali impedimentum vllum obiicere, aut ad confeſſionem de venialibus ſolummodo faciendam prædictum decretum extendere; cùm ratio illius inſtituendi hæc cenſenda ſit, vt tolleretur abuſus quo grauibus peccatis obnoxij, confeſſariis vtuntur, non ſufficientibus ad ea diiudicanda. Ita Reginald. in ſua praxi lib. 1. cap. 14. ſect. 1. num. 172.

6 Secundò colligitur, In Regularibus nullam requiri Epiſcopi approbationem, vt aliorum Regularium confeſſiones poſſint audire, nec ad hoc vt etiam Sacerdos ſecularis poſſit Regularium confeſſiones audire; quia Trident. apertè reſtringit ſuum decretum ad confeſſiones ſecularium. ibi: *Vt nullus ſecularium confeſſiones.* In hoc enim Trident. nihil immutauit circa Regulares de iure antiquo: vnde Regularis iuxta ſua priuilegia, & licentiam à ſuo Prælato poterit eligere ſibi Sacerdotem ſecularem, etiam ab Epiſcopo non approbatum. Nau. in Man. c. 4. num. 7. & cum multis Diana tract. in addit. reſol. 4. verſ. Et ita. & infrà dub. 10. a. 1. & 2. Excipe tamen caſum, in quo Regulares vellent ſibi eligere confeſſarium extraordinarium virtute Iubilei, aut Bullæ, concedentis omnibus facultatem eligendi quem velint de approbatis; de quo latè Suar. tom. 4. diſp. 28. ſect. 6. nu. 11. Vt autem Religioſi ſecularium poſſint audire confeſſiones, neceſſario requiritur approbatio Ordinarij, aut quòd habeant beneficium parochiale: patet ex verbis Trid. ſup. ibi: *Nullum etiam Regularem poſſe audire confeſſiones ſecularium, niſi,* &c. Sed de approbatione Regularium infrà.

7 Tertiò obtinentem beneficium cui eſt annexa animarum cura, eſſe idoneum ſacramenti Pœnitentiæ miniſtrum, & nulla alia indigere approbatione: nam Concilium expreſsè eos ab hac neceſſitate obtinendi approbationem excipit. ibi: *Niſi habeat beneficium parochiale.* Et ratio eſt, quia cenſentur approbari hoc ipſo quo iudicantur idonei ad tale beneficium adminiſtrandum, quod eis confertur; at ſi hic dimittat beneficium parochiale, amittit hanc approbationem, & idoneitatem, quod aduertit Suarez tom. 4. in 3. part. diſput. 26. ſect. 4. nu. 20. quia Trident expreſsè diſponit, *Niſi parochiale beneficium habeat*; & in iis quæ ex iure poſitiuo pendent, ſtandum eſt verbis eiuſdem iuris. Nec obſtat, quòd talis tam ſit ſufficiens dimiſſio, quàm retento beneficio parochiali, quia in non habente beneficium parochiale, Concilium expreſsè requirit approbationem factam ab Epiſcopo, ita vt non ſufficiat quòd quis ſit Doctor in Theologia, vel iure canonico; aut quòd communi conſenſu iudicetur ad iſtud munus idoneus, quia voluit Concilium talem approbationem ex iuriſdictione, & iudicio Epiſcopi pendere, ſicut pendet Parochorum inſtitutio, omnemque exceptionem excludit, cùm ſimpliciter dixerit, *Nullum etiam Regularem.* &c. adeo vt nemo ratione doctrinæ, aut ſanctitatis, aut dignitatis cuiuſcumque excipiendus videatur, niſi habeat parochiale beneficium. Nomine autem beneficij parochialis intelligitur, non tantùm illud quod communiter vocatur benefi-

cium

cium curatum, sed etiam superiora beneficia, quæ habent annexam ordinariam iurisdictionem in foro exteriori, vt Episcopatus, & quædam Abbatiæ, vel Archidiaconatus, nonnullæque aliæ dignitates. Eadem enim est ratio. Quod tamen non procedit de Prælatis religionum, vt bene Suarez *suprà num.* 21. quia non habet parochiale beneficium, sicut Concil. Trid. requirit, neque iurisdictio ipsorum est in seculares, respectu quorum Concil. requirit approbationem. Vide Regiualdum *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 189.

8 Nota tamen, quotiescumque per Bullam, aut priuilegium conceditur facultas eligendi confessarium idoneum intelligendum esse (etiamsi id non exprimat) de confessario iuxta formam dicti decreti Trident. approbato. Similiter omnia priuilegia à Summis Pontificibus concessa nonnullis Religionibus, vt Religiosi earum possint confessiones audire, intelligenda sunt sub eadem conditione approbationis. Ita Viuald. *in suo Candelabro, cap. de confessione. §. Tertiò dixi, n.* 22. Reginald. *suprà num.* 178 & latè Suarez *dicta sect.* 4. *num.* 9. Ratio est, quia dicta approbatio est ius ordinarium à Concilio de re grauissima, ex qua pendet valor sacramenti constitutum: ac proinde censendum Papam nolle ei derogare, nisi cùm id expressè declaret, vel ex modo ab ipso factæ concessionis ipsum id velle, sufficienter constiterit. Vnde confessarius per Bullam eligendus debet esse modo dicto ab Ordinario approbatus, tum ob rationem dictam, tum etiam, quia ibi expressè id præcipitur, quod procedit quamuis S. Theologiæ Doctor sit, vel Licentiatus, propter rationes dictas, & expressas in Trident. quibus consentit Ludouicus à Cruce *disput.* 1. *cap.* 2. *dub.* 14 *numer.* 8. Quomodo, & à quibus eligi possit Parochus, vel aliàs non Parochus ab Ordinario approbatus ratione Bullæ, vel Iubilei, dicetur hoc capite infrà.

D v b. II.

An vnius, & cuius Episcopi approbatio sit sufficiens, vt Sacerdos non habens ordinariam curam animarum censeri possit idoneus ad audiendas confessiones, & virtute Bullæ eligibilis vbique terrarum.

1 Nota primò, approbationem Episcopi ad audiendas confessiones, nihil aliud esse, quàm authenticum testimonium, quo approbatus declaratur idoneus, cui hoc munus committitur. Per quam approbationem præcisè non confertur vllum ius ad audiendas confessiones, neque vlla iurisdictio, sed solùm iudicatur persona idonea; cui illa conferatur; sine qua approbatione inualidè ei hoc munus committeretur: nam Concilium dicit; sine ea nullum posse confessiones audire. Quibus verbis significatur, non approbatos inualidè confessiones audire, vt dictum est dubio superiori, Est autem approbatio hæc diuersa à iurisdictionis delegatione. Quod patet *primò*, quia Religiosi Mendicantes per sua priuilegia iurisdictionem habent à Papa; approbationem verò ab Episcopo. *Secundò*, quia quando Papa dat facultatem ratione Iubilei eligendi confessarium, requirit quòd hic sit ab Ordinario approbatus. *Tertiò*, quia potest Episcopus approbare aliquem simpliciter, nulla iurisdictione ei delegata: vel ei ad certum tempus, vel pro certo loco iurisdictionem delegare. *Quartò*, quia delegatio iurisdictionis est veluti concessio quædam, & gratia facta a superiore: approbatio verò est opus iustitiæ, nempe iustum iudicium, & publica sententia de Sacerdotis sufficientia, quem ex officio approbare tenetur quoties non subest iusta causa negandi. Ita Reginaldus *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 168. & Coninch. *disp.* 8. *de ministro pœnitent. dub.* 7. *num* 44. *versic. Patet quartò.*

2 Secundò nota, nomine *Episcopi*, cui à Trident. committitur huiusmodi approbatio, intelligitur *primò* Episcopus habens iurisdictionem in foro exteriori: quia, vt latè ostendit Suarez *tomo* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 4. approbatio confessorum est actus non Ordinis, sed iurisdictionis Episcopalis. Cuius rei argumentum est, quia vicarius generalis Episcopi, qui Episcopus non est vtens iurisdictione sui Episcopi, eam dare solet: vnde fit Episcopum posse eam dare per se, vel per suum vicarium, vel per alium virum idoneum, cuius prudentiæ eam committat, vt patet ex vsu. Sequitur etiam eam dare non posse Episcopum titularem, qui nullum populum sibi subditum habet, neque Episcopum electum tantùm, quia neuter habet iurisdictionem. Comprehenditur etiam nomine Episcopi quoad hunc effectum, Capitulum sede vacante; quia tunc in iurisdictione Episcopali succedit Episcopo, ex *cap. cum olim, de maior. & obedien.* & ibi *gloss. fin.* & Felin. *de Capitulo sede vacante, eius potestate & officio,* edidit quendam tractatum Panuinius, & multa de iis Barbosa *de offic. & potest. Episcopi*, per varias allegationes. Comprehenduntur etiam Abbates, qui Summi Pontificis priuilegio exercent iurisdictionem Episcopalem in populum ab omni Episcopi iurisdictione ordinaria exemptum. Non autem hîc nomine *Episcopi* comprehenduntur Generales, & Prouinciales Religionum: nam etsi prædicti habeant iurisdictionem quasi Episcopalem in suos, non verò in seculares. Ita Suar. *disp.* 28. *cit. sect.* 5. Vide Reginald. *lib.* 1. *cap.* 16. *quæst.* 2. & Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disp.* 29. *num.* 14 Hinc fit Parochum non posse approbare confessarium nunc post Trident. vt tenet communis, de quo *sup. disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 3. quamuis aliàs approbandus sit doctus, vt dictum est *dub. antecod. num.* 6. quia non comprehenditur sub nomine *Ordinarij*, de quo loquitur Trident. ex quo fit talem approbationem esse irritam, & sic approbatum inualidè eligi per Bullam. Aduerte tamen Henriquez *lib* 6. *cap.* 6. *n.* 2. *litter. F. & G*, tenere posse Parochum defatigatum tempore Paschæ, aut Iubilei, in quo concurrunt plures confessiones, approbare confessorem doctum, si non est facilis recursus ad Episcopum, quod in casu necessitatis; & non aliàs satis probabile existimat Lud. à Cruce *in exposit. Bull. dub.* 1. *cap.* 2. *dub.* 10. *n.* 2. hoc autem ego in praxi admittere non auderem, videtur enim apertè repugnare dispositioni Tridentini. A fortiori non poterit eligi per Bullam saltem à sæcularibus approbatus à Prælatis Religiosorum, quia ij Prælati non dicuntur quoad hoc Ordinarij, vt iam dictum; & ita Henriquez contrariam in praxi non audet affirmare; vide Ludou. *sup. dub.* 11. & 24. An autem possit sic approbatus ab aliis Religiosis per Bullam eligi, dictum infrà *dub.* 10.

3 Nota tertiò. Episcopus potest Sacerdotem alienæ diœcesis simpliciter approbare, & quoad suas oues iurisdictionē concedere; quia hoc iure antiquo licitum erat, & nunc per Trid. minimè prohi-

betur, idque probat praxis, & communis vsus Episcoporum. Cur enim non poterit quilibet Episcopus vndequaque sibi asciscere ministros, vt si eos sufficientes inuenerit in sacramentorum administratione, ab illis iuuetur? Sic approbant Episcopi Regulares exemptos. Limitat hanc doctrinam Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 28. sect. 6. num.* 13. 14. dummodo alienus Sacerdos alieno Episcopo subditus aliquo modo sit; aliter enim non posset ab alieno approbari. Asseritque sufficere ad hoc, vt alieno subditos dicatur, vt illi ad aliquod ministerium, vel Ecclesiæ seruitiuio subdatur; vel quòd domicilium, vel saltem habitationem ad illam diœcesim trãsferat: ait enim approbationem esse actum iurisdictionis, quam in non subditum exercere non potest. Nihilominus tamen existimo sufficere quòd alienus Sacerdos alieno Episcopo voluntariè quoad examen, & confitendi munus subiiciatur: quæ subiectio sufficit vt quoad hunc effectum subditus dicatur, & ab alieno possit approbari, vt confirmat praxis, præsertim in Regularibus. Sic enim in Regularibus sufficit hoc modo se Episcopo subiicere, cur non etiam in secularibus? Quare non obstat ratio Suarez, quia etsi approbatio sit actus iurisdictionis, si alienus Sacerdos alieno subiiciatur, iam eam in subditum exercet: quam quidem in inuitum, & renitentem exercere non posset: & hoc videtur probare ratio Suarez. Sic videmus Episcopos alienos Sacerdotes simpliciter, & absolutè approbare, illisque delegare iurisdictionem, vt suas oues, vbi, & quando in suo Episcopatu, siue permanenter, siue per modum transitus reperti fuerint, possint à peccatis absoluere. Et quando Episcopus eligit sibi non subditum, iam illum facit subditum, & sic eum approbat. Demum potest Prælatus religionis dare licentiam suo subdito vt possit confiteri cum simplici Sacerdote seculari illum quoad hoc approbando, quamuis non sit suus subditus, vt dictum hoc *c. dub.* 1. *num.* 5. *& dub.* 8. *num.* 1. ergo à fortiori poterit Episcopus Sacerdoti non sibi subdito dare licentiam confitendi seipsum.

4 Difficultas ergo est, an confessarius ad hoc vt sit idoneus ad audiendas confessiones, & virtute Bullæ, aut alterius diplomatis eligibilis debeat esse approbatus ab Ordinario ipsius confessarij, cui scilicet ratione domicilij, habitationis, aut aliàs, est subditus, aut ab Ordinario ouis, seu pœnitentis: an autem sufficiat quòd sit approbatus ab aliquo Ordinario qui nec sit Ordinarius Sacerdotis confessarij, nec pœnitentis. In qua re tres sunt præcipuæ sententiæ.

5 Prima est Suarez *tom. 4 in 3. part. disp.* 28. *sect.* 6. *num.* 6. quem sequitur Coninch. *disp.* 8. *de ministro pœnitent. dub.* 7. *n.* 50. Existimant enim ij, sequiri approbationem Ordinarij ipsius confessarij. Fundantur in duabus declarationibus Cardinalium. *Prima est, S. D. N. audita consultatione Congregationis, declarauit, Episcopum vigore priuilegij, de quo in cap. fin. de pœnitent. & remis. non posse eligere sibi Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones.* Secunda sic habet. *S. D. N. declarauit tempore Iubilei posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones: in Bulla enim non fit mentio nisi de Ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium.* Ex quibus inferunt, requiri, & sufficere approbationem Ordinarij ipsius confessarij. Quod etiam hac probant ratione; quia approbatio est actus iurisdictionis; ergo spectat ad eum, qui est ordinarius iudex, & respicit eum qui est subditus; & per consequens exerceri non poterit in eum qui non est subditus.

6 Secunda sententia, quam tenere videtur Gutier. *in lib. 1. Canon qq. c.* 27. *n.* 6. Lopez *cap.* 8 *de Bulla, in princ.* & alij Theologi, & Iurisperiti, vt refert Suarez *sup. n.* 5. & tenet Rodr. § 9 *dub.* 2. *n.* 5. ait, approbationem requisitam à Concilio, esse approbationem Episcopi ipsius pœnitentis. Fundatur hæc sententia in quadam declaratione Cardinalium, ad instantiam domini mei Don Iuan. à Ribera, Archiepiscopi Valent. quæ sic habet: *Congregatio Concilij respondet approbatum ab alio quàm à Valentino Archiepiscopo in diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario.* Facit etiam pro sententia, quia Concilium per istud decretum voluit prospicere saluti animarum, ad quam maximè necessarium videtur, vt Episcopus pœnitentis ei prouideat de digno ministro sacramenti Pœnitentiæ. Hanc etiam sententiam tuetur Villalob. *p.* 1. *tract.* 9. *dub.* 53. *n.* 3. & Lud. à Cruce *in exposit. disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 25. *n.* 1. vbi asserit approbationem à Concilio requisitam & necessariam, ac sufficientem, esse approbationem Ordinarij loci vel saltem pœnitentis.

7 Tertia sententia, quam amplectuntur Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 12. *num.* 4. *litt. O. & lib.* 3. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 7. vbi refert quamplurimos Theologos ex familia Prædicatorum, & S. Augustini, & Salmanticenses Doctores, & Iurisperitos ipsius fuisse sententiæ. Ledesma in Summa *tract. de pœnit. cap.* 13. *concl.* 1. *dub* 7. non requiri approbationem Ordinarij Confessoris, nec Ordinarij pœnitentis, sed sufficere approbationem siue ab Ordinario ouis, siue ab Ordinario Confessarij, siue ab aliquo alio Episcopo obtenta, quamuis non sit Ordinarius ouis, nec Confessarij. Idem tenet Viuald. *in tit. de confess.* §. *Dixi tertiò, conclus.* 3. *nu.* 21. *pag.* 90. Antonius Gomez *in explicatione Bullæ ad clausulam decimam, num.* 8. Ij enim Doctores dum expressè dicunt, approbatum à quocumque Ordinario posse vbicumque eligi virtute Bullæ, expressè etiam supponunt, sufficere approbationem cuiuscumque Ordinarij ad hoc, vt quis sit idoneus ad audiendas confessiones, & virtute Bullæ, aut Iubilei eligibilis. Tertiam hanc sententiam acerrimè tuetur Ioan. Valero *verb. Absolutio, differentia* 1. qui *num.* 1. ait, semel à suo Ordinario Episcopo approbatus, siue Regularis sit, siue secularis, potest vbique terrarum audire confessiones omnium habentium Bullam Cruciatæ, vel tempore Iubilei, & eos absoluere. Et *n.* 12. §. *patet*, ait sufficere, quòd approbatio sit vel ab Episcopo pœnitentis, vel loci, vel confessarij. Et *n.* 3. *cit.* per Ordinarium Episcopũ, intelligit, tam Episcopum domicilij, quã Episcopum beneficij, & originis, quiuis enim ex iis potest conferre dimissorias ad Ordines suscipiendos, *cap. cum nullus, de tempor. ord. lib.* 6. Et similiter poterit dare dictam approbationem, cùm sit superior approbandi. Et *num.* 9. §. *nec obstat circa finem*, ait, Sacerdotem, v. g. Segobricen. detentum Valentiæ, propter aliquam litem, posse ab Archiepiscopo Valent. dum ibi est, approbari, & virtute illius approbationis per Bullam eligi non solùm ab incolis, sed etiam ab alienigenis. Et *n.* 15. §. *quibus adde*, ait dictum *c.* 15. Trid. *sess.* 23. non solùm intelligi de Episcopo pœnitentis, vel confessarij; sed etiam intelligendum de quocumque alio Episcopo, à quo sine fraude, & ex alia iusta causa quis obtinuit dictam approbationem: nam habenti talem approbationem potest licentiatus à Parocho confiteri, & etiam poterũt Sacerdotes, & Episcopi, quinimo

mo & habentem Bullam, vt in exemplo de Sacerdote Segobricen. litigante Valentiæ. Hanc etiam sententiam probabilem existimat Villalobos *tract. 9. de pœnitent. diff.* 16. (etsi iudicet oppositam probabiliorem.) Et Dian. *tract.* 1 *s. resol* 7. & eam tuentur Coninch. *de pœnit. disp.* 8. *dub.* 7. *n.* 53. Filliuc. *t.* 1. *trac.* 7. *c.* 9. *n.* 261. Ioan. à Cruce in dict. conscientiæ *p.* 2. *tract. de pœnit. q.* 5. *dub.* 9. *concl.* 2. sentiunt Corduba *q* 10. & *super comp verb. absolutio, quoad seculares t.* §. 16. & Suarez *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 7. *n.* 7. & 10. prout refert Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 14. *n.* 1. etsi ipse oppositã sequatur sententiam.

8 Probatur hæc tertia sententia. *Primò*, quia Concilium nihil aliud requirit, nisi vt sit ab Episcopo approbatus; ergo vbi lex non addit determinationem, non est à nobis addenda, præsertim cùm illa lex quoad hanc partem restringat quodammodo priuilegia omnia, & antiquam libertatem, & ideo ex hac parte stricti iuris esse videatur: solùm enim hodie desiderari videtur ex Trident. *sess.* 23. *c.* 15. ad hoc vt simplex Sacerdos possit esse confessor, examen, & approbatio Episcopi, vel Ordinarij; non tamen quòd istud examen, vel approbatio sit istius, vel illius diœcesis. Et vt ait Ledesma supra, Bulla, aut Trident. solùm intendunt, quòd virtute huius, aut alterius indulti, eligi non possit quiuis Sacerdos simplex indoctus, & imperitus, nisi solus ille, qui ab aliquo Ordinario fuerit approbatus. *Secundò* probatur, quia quilibet Episcopus potest approbare quemlibet Sacerdotem dignum, etiam alienum, ad audiendas suorum confessiones, dummodo quoad hoc ei subiiciatur, vt dictum est sup. *nu.* 3. qui Episcopus etsi huic approbato non possit dare iurisdictionem nisi in suas oues, potest tamen simpliciter illum approbare; & quamuis sic approbatus tantum habeat iurisdictionem in oues Episcopi approbantis, & non possit virtute illius alias oues absoluere, at cùm reuera sit simpliciter approbatus, vt supponimus, potest virtute priuilegij eligi, & validè absoluere in quocumque alio Episcopatu, quia in hoc casu ad absoluendum non accipit iurisdictionem ab Episcopo approbante, sed à Papa concedente facultatem eligendi Confessarium approbatum supposita tamen Ordinarij approbatione. Approbatio namque præcisè, & formaliter, vt ita dicam, non dat vllam iurisdictionem approbato, sed tantùm declaratur approbatus idoneus vt ei committatur: sicut Licentiatus, aut Doctoratus est testimonium doctrinæ. Sicut igitur hoc testimonium semel datum vbique valet, ita etiam & illud debet vbique valere. Cùm igitur approbatio maneat, (supponimus non esse reuocatam) vbique est idoneus, vt virtute Bullæ, aut alterius indulti eligatur.

9 Hæ omnes tres sententiæ probabiles sunt. Primam tamen probabiliorem iudicat Suar. *sup.* propter declarationem Cardinalium. Nihilominus tamen tertia sententia est valde probabilis, propter tantorum Doctorum authoritatem, & rationem, cui nititur, ideoque, vt ait Vega 1. *part. Summ. lib.* 4. *casu* 29. *col.* 604. & *col.* 606. & *in Compendio sua Summ. cap.* 72. *casu* 41. *n.* 2 esse veram, & securam opinionem, vt refert Conedo *q.* 30. *num.* 58. & Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 7. *litt. A.* ait, Salmanticenses Doctores putant hanc sententiam certam: & addit, & in praxi consuetudo interpretatur mentem Concilij, & *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 12. §. 4. *litt. O.* multi Episcopi id sinunt impune: quamuis quidam Episcopi aliter senserint, nec ex hoc vlla infertur iniuria aliis Episcopis Ordinariis, quia ex vi approbationis vnius Episcopi solùm illius oues potest audire. Posse autem alias audire, habet ex delegatione Summi Pontificis, qui nullam iniuriam facit Episcopis; quia ipse est vniuersalis Pastor, & potest prouidere suis ouibus prout iudicauerit expedire. Iudicat verò Papa idoneum esse ministrum, qui absolutè approbatus est ab Ordinario, vt illi scilicet possit delegari sua iurisdictio per Bullam. Nec sequutus hanc opinionem exponit se periculo inualidè confitendi defectu iurisdictionis: nam licet sequi opinionem probabilem, licèt minus tutam, vt docet Bonacina *tom.* 7. *disp.* 4. *punct.* 9. *in tract. de peccatis*, & multi alij, quos Sanctius *in suis selectis, disp.* 44. Ledesma *sup.* §. *A esta sentencia.* Opinio autem probabilis dat iurisdictionem, sicut eam confert communis error populi, vt cum multis docet Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 14. *num.* 3. & 4. seu vt propriè loquamur, Ecclesia confert in eo casu iurisdictionem, de quo vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 68. Suarez *tom.* 4. *disp* 26. *sect.* 6. *num.* 7. Sanchez *lib.* 3. *de matrimon. disput.* 22. *num.* 65. & *in Summa, lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 35. Coninch. *de sacram. disp.* 8 *dub.* 3. *conclus.* 6. *num.* 22. & *dub.* 6. *num.* 47. Bonacina *de sacram. disp.* 5. *q.* 7. § 4. *num.* 4. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7 *cap.* 9. *n.* 217. Villalob. *tract.* 1. *dif.* 13. *n.* 5. & alios quos Sanctius *in suis selectis, disp.* 44. *num.* 7. *fin.* Quare non consentio Lud. à Cruce *in exposit. Bulla. disp.* 1 *cap.* 2. *dub.* 15. *num.* 9. & 22. vbi asserit appositam sententiam esse probabiliorem, & absolutè tenendam, & hanc sententiam non esse practicè probabilem, etenim cùm hæc sententia fulciatur rationibus haud contemnendis, namque tueantur grauissimi Doctores, vt suor citati, *n.* 7. securissimè sustineri potest.

10 Nec obstant declarationes Cardinalium pro prima, & secunda sententia: nam dici potest *primò* eas videri quodammodo inter se pugnare, vt aduertit Suarez *sect.* 6. *cit. num.* 10. quia aliæ insinuant approbationem esse faciendam ab Ordinario Confessarij, vt contendit prima sententia; aliæ verò ab Ordinario ouis, seu pœnitentis, vt vult secunda. *Secundò* dici etiam potest, eas non esse authenticas, sigilloque per modum Bullæ munitas neque nobis iuridicè constare, quod requiritur ad hoc vt legem faciant, & pro sententia diffinitiua habeantur, vt dictum est *sup. dub* 3. *proœmiali*, si enim sic constarent, sustineri non posset tertia sententia, vt habet Vega 1. *p. Sum. col.* 606. & *in Compen. Summ. c.* 72. *casu.* 41. *num.* 2. *Tertiò* dici potest supradictas declarationes (si bene perpendantur) non loqui expressè contra hanc sententiam: nam prima declaratio pro prima sententia solùm prohibet, ne Episcopus sibi in confessarium eligere possit Sacerdotem, qui à suo Ordinario non sit approbatus, de aliis autem non loquitur, imò nec prohibet quòd Episcopus possit hunc alienum sibi ad hoc subiectum approbare pro suis ouibus; & sic à se approbatum eligere, vt ab eo absoluatur. Quando enim Episcopus eligit sibi non subditum, iam facit illum subditum, & iam illum approbat. Et forsan declaratio hæc solùm loquitur de Episcopo titulari, seu annulari, qui oues, aut subditos non habet: is enim eligere non potest sibi non subditum, & à suo Ordinario non approbatum: quia vt diximus *hoc dub. notab.* 2. hic nõ potest confessarios approbare, eo quòd iurisdictione careat. Item secunda declaratio pro eadem prima sententia, solùm videtur loqui de Regularibus, non autem de secularibus: videlicet ne tempore Iubilei Regulares eligant approbatos ab Ordinariis eorundem Regularium, sed ab Ordinariis Sacerdotum secularium. Et quamuis concedamus loqui etiam de secularibus, solùm conuincitur

citur ex ea, confeſſarium virtute Iubilei eligendum, debere eſſe approbatum ab Ordinario, abſolutè loquendo, non autem reſtringi quòd ſit Ordinarius proprius ipſius confeſſoris, ſufficit enim quòd Epiſcopus in ſe ſit Ordinarius habens ſubditos, & quòd confeſſarius ei quoad examen, & munus confitendi in ſua diœceſi ſubijciatur: quo in caſu poteſt quodammodo dici reſpectu illius Ordinarius. Nec vrgent verba illa ſequentia in Bulla enim non fit mentio niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones; non autem de Ordinario pœnitentium: quia cùm nihil tale in Bulla reperiatur expreſſum, videntur ab aliquo verba hæc ſuperaddita, vt aduertit quidam iunior: Bulla enim ſolùm concedit vt eligant approbatum ab Ordinario, nulla facta mentione de Ordinario Confeſſarij, vel pœnitentis; ſed ſufficit approbatio à quocumque Ordinario, qui Ordinarij nomen retineat, vt ait Ledeſma *tract. de pœnit. cap. 13. concl. 1. dub. 7. §. A la tercera razon.* Et ſi fortè non ſunt ſuperaddita, expreſsè contradicunt declarationi pro ſecunda ſententia, vbi dicitur, Confeſſarium debere eſſe approbatum ab Ordinario pœnitentis. Ad declarationem Cardinalium pro ſecunda ſententia, reſpondet Coninch. cum alijs, *de miniſtro pœnit. dub. 7. num 54.* de ea minus certò conſtare, cùm non reperiatur inter eas quæ in diuerſis locis collectæ aſſeruantur. Reijcienda tamen eſt omnino hæc reſponſio: exiſtimo enim non ſolùm eſſe certam, maioremque habere certitudinem, quàm illæ communiter à priuatis Doctoribus recenſentur; ſed eſſe ſaltem quo ad noſtrum Archiepiſcopatum iuridicam, & authenticam, illique ſtandum, & ſecundùm eam iudicandum. Ratio eſt, quia ſupradicta declaratio fuit facta ad conſultationem, & ſpecialem petitionem dicti domini mei Archiepiſcopi, literæ à ſacra Congregatione expeditæ, ad dictum dominum conſulentem tranſmiſſæ, ab eo acceptatæ, & de ipſius mandato ſuis ſubditis notificatæ, de quarum notificatione, & de omnibus ſupradictis conſtat in Synodo de ann. 1584. vbi ſupradicta conſultatio cum ipſius petitione, declaratione, ſeu reſponſione, continetur. Quis ergo de eius certitudine poterit dubitare? Et quid ei deficit ad hoc vt ſit authentica, & iuridica, ſaltem in noſtro Archiepiſcopatu, ſi attendas ea quæ *dub. 3. proœm. num. 7. & 8.* diximus? Ledeſm. *ſup. cit.* & Suar. *tom. 4. in 3. p. diſp. 28. ſect. 7. num. 7.* Reſpondent approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario, nimirum quoad delegationem, & approbationem alterius Epiſcopi, non cenſeri in alia diœceſi approbatum; ſecus verò in ordine ad delegationem, & priuilegium Pontificum: Epiſcopus enim approbans ſolùm poteſt dare licentiam in ſuo Epiſcopatu, & virtute iſtius licentiæ, & approbationis non poteſt in alio audire confeſſiones. v. g. approbatio Epiſcopi Segobricenſis non eſt ſufficiens in diœceſi Valentina in Ordine ad Epiſcopum Valentinum, ibi enim niſi ab Epiſcopo Valentino approbetur, non poteſt validè virtute ſolius approbationis & licentiæ abſoluere; ſecus verò in Ordine ad delegationem, & priuilegium Pontificum, & Bullam Cruciatæ, quæ ſolùm requirunt approbationem alicuius Ordinarij. Alias interpretationes vide apud Suarez dicto *n. 7.* qui hanc declarationem, vtpote ſuæ ſententiæ contrariam interpretatur. At quia huiuſmodi declarationes, ſeu interpretationes non ſatisfaciunt Cardinalium declarationi ſupradictæ: ideò ſecunda ſententia, vt ſecurior, & probabilior eſt tenenda, quamuis qui oppoſitam ſequi voluerit, non peccabit, vt ipſe Suarez *dicto numero ſeptimo, in fine.*

11 Nec obſtat ſi dicas, approbationem eſſe actum iuriſdictionis Epiſcopi approbantis in Ordine ad Confeſſarium approbatum, quæ in non ſubditum exerceri non poteſt. Nam reſpondeo, non eſſe iuriſdictionem contentioſam inuoluntariam, & coercitiuam, ſed voluntariam, vt docet Syluester *confeſſor. 1. q. 14. n. 2.* & in foro interiori, & Sacerdotem alienũ, eo quòd illi Epiſcopo ſubijciatur quoad examen, & munus confitendi, fieri quodammodo ſubditum, & in hoc habere illum pro ſuo Ordinario ſicut contingit in Religioſis, qui quantum ad præſens habent pro ſuo Ordinario Epiſcopum, cui ſubijciuntur quoad examen, & munus, & officium confitendi, vt docet ipſe Suar. *diſp. 28. cit. ſect. 6. n. 14.*

12 Dices contrà pro hac ſecunda ſententia. Facultas eligendi Confeſſarium tollit ius tertij, ſcilicet Epiſcoporum, & Parochorum; ergo eſt ſtrictè interpretanda. Reſpondeo negando antecedens; nã Pontifex eſt vniuerſalis Paſtor Eccleſiæ, cui omnium ouium eiuſdem cura eſt demãdata vt eis prouideat, prout iudicauerit expedire, ac proinde nullum ius violat, neque in hoc vlli facit iniuriam. Nec præiudicat tertia ſententia diſpoſitioni Trid. *ſeſſ. 23. cap. 15.* nam ibi ſolum ſtatuitur, vt cõfeſſarius ſit approbatus ab Ordinario, non verò determinatur à quo Ordinario: ſolùm enim Trid. prohibere voluit, ne imperitus eligatur. Quæ ratio ceſſat, ſi eligatur approbatus ab Ordinario. Quare cum facultas hæc ſit fauor, & Principis beneficium, & ab eo non limitetur, neque à nobis eſt limitanda; aliter enim ſi ſolus approbatus ab Epiſcopo pœnitentis eligi poſſet, priuilegium hoc ferè nihil operaretur, præſertim ſi pœnitens nulla habeat reſeruata, nam eum tali confeſſario ſine Bulla poterat iam confiteri. Quod ſi dicas cum Suarez *ſup. diſp. 28. cit. ſect. 6. n. 2.* eſſe minus amplam, & licentioſam opinionem. Reſpondeo, idem etiam dici poſſet de prima ſententia, quam ipſe ſequitur: ait enim approbatum à ſuo Ordinario abſolutè, & ſimpliciter vbique eligi poſſe in confeſſorem virtute Bullæ, vt ipſe docet. *ſect. 6. cit. n. 6. 15. & 16. & ſect. 7. num. 6.*

13 Concludendum igitur eſt, hanc tertiam ſententiam eſſe probabilem & tutam, Nihilominus tamen ſecuriorem, & fortè probabiliorem iudico ſententiam Suarez, propter rationes ibi dictas. Et quia res grauis eſt, & ex ea pendere poteſt ſacramenti valor, in praxi ſententia Suarez, & conſulenda eſt, & ſequenda, tum propter validiora fundamenta quibus nititur, tum etiã & præcipuè propter declarationem domini mei conſulentis, quæ maximè pro hac ſententia facit. Vide Sanctiũ *in ſuis ſelect. diſp. 44. & 48.*

D V B. III.

An quilibet approbatus ab Ordinario poſſit vbique virtute Bullæ eligi in Confeſſarium.

1 SVperiori dubio diximus, approbatum ab Ordinario ſimpliciter, & abſolutè, ſiue ſit approbatus ab Ordinario confeſſarij ſiue pœnitentis, ſiue ab alio Ordinario, poſſe vbique virtute Bullæ eligi: nunc autem videndum reſtat, an quilibet approbatus poſſit eligi. Ad cuius intelligentiam

2 Nota primò, approbatum ab Ordinario ſolùm habere iuriſdictionem & poteſtatem iuxta modum

&

& formam approbationis, & concessionis iurisdictionis: vnde qui approbatus est ad vnum oppidum, vel ciuitatem, non potest validè oues alterius ciuitatis, vel oppidi ratione istius approbationis absoluere: & qui approbatus est ad audiendas confessiones clericorum, non potest validè seculares absoluere: & qui ad confessiones virorum tantùm, non potest fœminarum confessiones validè audire: & qui ad annum approbatus est, anno elapso, cessat approbatio. Facultas enim delegata vltra intentionem delegantis & concedentis non operatur. Similiter, & qui habet beneficium parochiale, de iure communi tantùm habet iurisdictionem in suas oues: vnde alienas sine proprij licentia, secluso priuilegio, validè non absoluit: qui si beneficio parochiali renuntiat, vel eo per sententiam priuatur, iam non censetur approbatus, & expirat approbatio, vt dictum est hoc capite *dub.* 1. *n.* 6. & cum aliis docet Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. c.* 6. *n.* 3.

3 Nota secundò posse Episcopum absolutè & simpliciter aliquem tanquam idoneum approbare, nulla tamen concessa iurisdictione, nullisque ouibus assignatis; nam vt dictum est hoc *cap. dub.* 2. *not.* 1. approbatio est quid distinctum à concessione iurisdictionis. At communiter non approbat sine concessione iurisdictionis incertas, vel omnes personas suæ diœcesis: quòd si nihil expresserit, censetur iurisdictionem concedere in totam diœcesim. Vide Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. c.* 6. *n.* 3. deinde approbatus ab Ordinario alius dicitur simpliciter, & absolutè, & amplè approbatus, vt qui scientiam, & sufficientiam habet audiendi omnium confessiones: alius verò strictè, & expressè ac limitatè, vt quando Episcopus ad certum locum, tempus, aut certas personas aliquem approbat, quod potest Episcopus ex iusta causa, & debito modo facere. Patet ex vsu, & consuetudine, cumque in hac parte superiores sint, nisi euidenter constet iniustè facere, vel potestate sua abuti, semper pro illis præsumendum est, & eorum iudicio standum. Constat etiam ratione, quia, vt bene docet Nauar. *c.* 4. *n.* 10. *&* 11. potest interdum Sacerdos esse idoneus ad audiendas confessiones aliquarum personarum, & non aliarum, v. g. scholasticorum, & non iudicum, vel mercatorum; ergo potest Episcopus iudicare hunc idoneum respectu illarum personarum, & non istarum. In diuersis quoque ciuitatibus, & oppidis, pro maiori parte, reperitur summa varietas personarum; ergo ratione illius potest approbare pro vna ciuitate, vel oppido, & non pro alio. Idem denique est de distinctione virorum, & fœminarum, quia confessorem esse idoneum, & sufficientem, non pendet solùm ex scientia & doctrina, sed etiam, & maximè ex aliis conditionibus, prudentiæ, bonitatis, & interdum ætatis; vnde omnibus pensatis meritò potest iudicari idoneus ad eas personas, & non ad illas. Hoc tamen pro certo habe, approbatum in aliqua ciuitate, oppido, vel diœcesi, quamuis sæpe recedat, & ad eum locum redeat, semper retinere eandem approbationem, donec à concedente reuocetur. Quæ approbatio non cessat per mortē Episcopi concedentis, quia est quædam gratia, nisi ad tempus determinatum, vel ad Episcopi beneplacitum sit concessa: de qua Henriq. *lib.* 3. *de pœnit. c.* 6. *n.* 7.

4 Suppono tanquam certissimum, Sacerdotem eligibilem virtute Bullæ necessariò debere esse approbatum ab aliquo Ordinario, iuxta dicta hoc *cap.* 1. *&* 2. aliter enim absolutio ab eo data extra necessitatis casum, irrita est, & nulla. Tum quia ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. vt Sacerdos sit idoneus ad audiendas secularium confessiones; debet esse approbatus ab Ordinario. Tum *secundò*, quia Bulla expressè dicit, & determinat, vt confessarius per eam eligendus, sit approbatus ab Ordinario.

5 Dico primò. Casu quo Episcopus aliquem approbaret absolutè & simpliciter, & nullam concederet iurisdictionem, posset virtute Bullæ eligi. Ita Henriq. *c.* 6. *n.* 3. *lib.* 3. *de pœnit.* Rodrig. *in addit. ad* § 4. *n.* 3. Gutierrez *qq. can. cap.* 27. *num.* 22. & Lud. à Cruce *in exposit. Bull.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 8. *& seqq.* quia reuera approbatus est ab Ordinario, quod requirit Bulla; ergo capax est iurisdictionis, quam per Bullam Pontifex concedit cuilibet approbato.

6 Dico secundò. Approbatus ad certum locum, & oppidum, aut ciuitatem, tum etiam ad certas personas, si simpliciter & absolutè sit approbatus, sitque ex se sufficiens, pius, & doctus, potest virtute Bullæ eligi in alio loco, & ab aliis personis vt docet Henriq. *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 6. *n.* 8. nam quamuis iurisdictio Episcopis sit limitata, approbatio tamen ipsius; vt supponimus, non est stricta, sed ampla, eo quòd confessarius, (vt etiam supponimus) sit pius, doctus, & prudens. Quòd si confessarius approbatur cum limitatione ad certum locum, aut ad certas personas, eo quòd non sit satis idoneus, sufficiens, & doctus: vt quando quis ob loci asperitatem, aut tenuitatem fructuum, in aliquo paruo oppido in quo difficilia negotia non vigent, non adeò idoneus approbatur, tunc hic virtute Bullæ eligibilis non est, vt tenet Henriquez *sup.* & Ledesma *tract. de pœnitent. cap.* 13. *conclus.* 1. *dub.* 9. quia talis non censetur absolutè & simpliciter approbatus: poterit tamen à consimilibus, & non habentibus difficilia negotia, eligi, vt bene aduertit Ledesma citatus, & cum eo & aliis Lud. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 7. quia respectu horum censetur approbatus sufficienter. Similiter si quis tantùm approbatus esset ad audiendos viros, non defectu solius ætatis, sed quia non adeò prudens, & aliquo modo leuis esset, non posset eligi à fœminis per Bullam; quia non censetur simpliciter approbatus. Secus tamen esset, si esset idoneus sufficiens, prudens, pius, & doctus, vt docet Henriquez *sup.* Et Ledesma cit. *dub.* 8. ait posse sequi hanc opinionem absque vllo periculo. Idem tenet cum aliis Barbosa *tom.* 1. *allegat.* 23. *num.* 17. *de offic. & potestat. Episcopi.* Sicque intelligendus est Gutierr. *lib.* 1. *can. qq. cap.* 27. *num.* 18. 19. Quam probabilem etiam dicunt Sanchez *lib.* 4. *de matrimonio, disput.* 34. *num.* 16. & Bonacina *tom.* 1. *disput.* 3. *quæst.* 7. *puncto* 4. §. 1. *num.* 22. *vers. Hæc opinio, pag.* 182. *col.* 2. & Diana asserit *in tractat.* 11. *resolut.* 9. *&* 10. hanc sententiam non esse minus probabilem quam oppositam. idem reperit *in addit. resol.* 7. cum Philippo de la Crux *in thesauro Eccles. tract.* 1. §. 29. *num.* 1. existimans vtramque sententiam probabilem esse; nam hic censetur absolutè & simpliciter approbatus, & limitatio iurisdictionis se tenet ex parte solius ætatis. Idem, & eodem modo dic de approbato ad audiendas tantùm confessiones clericorum.

7 Nihilominus tamen, quamuis sententia Henriquez, Ledesmæ, Sanchez, Bonacinæ, & Barbosæ, post factum condemnanda non sit; in praxi nec consulenda, nec admittenda. Prout etiam non admittit Lud. à Cruce *disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 9. *Primò*, quia supradictorum sententia non asserit absolutè approbatum ad audiendas virorum tantùm confessiones, posse à mulieribus eligi, sed quibusdam seruatis conditionibus, nimirum vt sit amplè, & nō strictè approbatus, & aliàs sit pius, prudēs, & doctus; quæ conditiones aliquando non in omnibus

reperiuntur, nec ab omnibus obseruantur; quilibet enim approbatus reputat se pium, doctum, ac prudentem, vnde fit vt abutantur hac opinione: & cùm materia grauis sit, ex qua sacramenti valor dependet, exponunt se periculo irritandi sacramentum; ac proinde nec consulenda, nec admittenda est præsertim cùm opponatur rectæ dispositioni, & regimini prudentissimorum Episcoporum, qui ob iustas, rationabilesque causas, viros aliàs pios, prudentes & doctos ad audiendas virorum, & non mulierum, confessiones approbare solent.

8 Dico tertiò. Approbatus ad annum, si absolutè & simpliciter approbatus est, eligi potest indifferenter intra annum ratione Bullæ, quia amplè, & non astrictè approbatus est; anno autem elapso, eligi validè nequaquam potest, quia cessauit iam approbatio. Sicut Parochus beneficio parochiali dimisso eligibilis non est, quia etiam eius approbatio cessauit, vt dictum est suprà *num.* 2. & infrà *dub.* 4. *n.*4. & docet Henriquez *lib.* 3. *de penitent. cap.* 6. *num.* 3. *litt. I.* Rodriquez tamen *in addit. ad* §. 9. *n.* 3. *in fine*, vult, adhuc manere talem Parochum approbatum, & per consequens posse eligi per Bullam, quia fuit approbatus: quam opinionem admitti posse existimat Diana *tract.* 11. *resolut.* 11. si absque limitatione approbetur, nisi postea ex causa reprobetur, vt tenet Acosta *in explicat. Bull quæst.* 39. *in fine, & quæst.* 40. *per tot.* Verius tamen existimo contrarium: quia etsi fuit approbatus, non tamen manet approbatio; nam fuit approbatus ratione beneficij, & per collationem ipsius; ergo dimisso beneficio expirat approbatio, sicut annualis approbatio anno elapso cessat. At si anno elapso ignoratur approbationis cessatio, & communiter reputatur absolutè approbatus ab omnibus, si quidem ipse tanquam approbatus se gerit, si bona fide eligatur, valet confessio, vt docet Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 6. §. 3 *lit. E.* & cum aliis Ludou. à Cruce *disput.* 1. *cap.* 2. *dub.* 8, vbi in omnibus nobiscum censet, quia error communis cum titulo colorato dat iurisdictionem. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 8. Vide etiam de hoc Henriquez *lib* 3. *de pœnitent. cap.* 6. *num* 3. *& cap.* 7. *num.* 2. *litt. G.* Et Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 11. *num.* 58. vbi dicti Doctores tractant quomodo valeant acta ab eo cui occultè iurisdictio ablata est, & hoc ignoratur.

9 Dico quartò. Approbatus ab Ordinario, qui reuera idoneus non est, nec approbandus, virtute Bullæ eligi non potest, & si eligatur, confessio inualida est; non quidem defectu iurisdictionis, sed defectu scientiæ necessariò requisitæ. Ita Ledesma *cap.* 13. *de pœnitent. concl.* 1. *dub* 15. *& vlt. pag. mihi* 263. peccat enim non solùm confessarius, sed etiam pœnitens, qui cum conscienter confitetur. At si bona fide reputat eum idoneum, potest eum eligere, & validè eum eo confiteri. Nec tenetur pœnitens inquirere; nec minus iudicare, an sit idoneus confessarius: Imò nisi euidenter constet non esse idoneum, debet eum tanquam idoneum & sufficientem iudicare. Vnde si quis negotiis difficillimis implicatus, scienter non idoneum eligeret, inualidè confiteretur. Vide Sylu. *confessor* 1. *n.* 2 *&* 3. Nauar, *c.* 9. *à n.* 8. & Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. c.* 14. *n.* 5. *& & lib.* 3. *c.* 26. *n.* 1.

10 Dico quintò. Virtute Bullæ eligi potest confessarius regularis etiam ex Mendicantibus, dummodo ab Ordinario sit approbatus. Constat aperte ex Bulla, ibi: *Secularem, vel cuiuscumque etiam Mendicantium ordinum Regularem.* Imò idem dici posset, si tantùm Bulla daret facultatem eligendi Regularem absolutè, nulla de Mendicantibus facta mentione; quia, vt docet Lopez *c.* 8. *de clauibus*, isti iuxta communem praxim Regulares nuncupantur.

11 Sed quæres, an Parochus possit suis subditis dare licentiam vt confiteantur cum approbato à quocumque Ordinario, etiam extra diœcesim. Quæstio hæc superiori quæstioni quasi appendix est, ad cuius intelligentiam nota cum Pan. *in rubrica de Parochis, num.* 1. & Hostiens. *in summ. eo titulo, num.* 1. diuisionem parochiarum illarumque limitationem habuisse initium à Dionysio Papa XXIV. post Beatum Petrum, qui singulas Ecclesias singulis Presbyteris designauit in parochias, vt vnusquisque ius suum haberet, nec vnus alterius parochiæ terminos inuaderet, vt habetur *in can. Ecclesias.* 13. *q.* 1. Quod etiam renouauit Vrban. II. *in cap. placuit. de pœnitent. dist.* 6. vt docet Nauart. *ibid. num.* 4. §. *Respondeo*, abierat enim in dissuetudinem aliqua ex parte dispositio Dionysij; ob idque renouatam esse ab Vrbano Secundo. docet Nauarr. *sup fol.* 585. *pag.* 1. *in meis, num.* 4. de quo vide Fuscum *de visit. Eccles. lib.* 2. *cap.* 2. & Ioannem Filesacum *in suo tract. de origine parœcorum, & parœciarum*, qui *cap.* 4. *in princ.* existimat institutionem parœcorum initium habuisse à B. Petro. Quis enim (inquit) sanæ mentis negabit B. Petrum Romæ aliquot instituisse Presbyteros, qui fideles fidei rudimenta docerent, Baptismum, & alia sacramenta ministrarent; Vide Filesacum *sup.* qui multa de excellentia, & præeminentia Parochorum tractat, & Hieronymum Gonzales *sup.* 8. *regulam Cancellar. gloss.* 6 *à num.* 37.

12 Nota secundò: certum esse Parochum posse dare licentiam suis subditis, vt cum alieno Sacerdote, idoneo tamen, confiteantur, habetur expressè *in cap placuit, de pœnit. dist.* 6. vbi Vrbanus II. statuit, vt deinceps nulli Sacerdotum liceat, quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere sine eius consensu cui se priùs commisit, id est, cuius Parochianus est, vt explicat gloss. ibi *in verb. Commisit, & in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Ex Innoc. III. habetur: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipse non possit absoluere, & ligare.* Ita etiam docent Syluest. *confessor.* 1. *q.* 4. Sotus *in* 4. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 3. *vers. Circa.* Nauarr. passim, *in d. cap. placuit*, præcipuè *num.* 49. qui *num.* 43. dicit, hanc licentiam non esse Parochis à Trid. *sess.* 23. *c.* 15. sublatam Suarez *to.* 4 *in* 3. *p d.* 16. *sect.* 1. *num.* 3 *disp* 27. *sect.* 1. *num.* 2. Coninch. *disp.* 8. *de ministro pœnit. dub.* 4. *num.* 18. & communiter Doctores, & latè Sanchez *de matrim. lib* 3. *disp.* 29. *& deinceps.* Ratio est quia omnis habens potestatem ordinariam, ei scilicet ex officio competentem, potest eam delegare; sed Parochus in sua Parochia est Ordinarius, quia à iure communi, supposita Episcopi electione, & approbatione habet iurisdictionem, vt constat ex dictis *not* 1. ergo potest suam facultatem delegare, & licentiam suis concedere, vt cum alieno, idoneo tamen, confiteantur. Idem dic de Vicario perpetuo; nam hic etiam habet beneficium parochiale, ex *cap. G. perpetuum, de fide instrumentorum cap. postulasti, de rescript. cap. ad hæc, de officio Vicarij. & Clem. vnica, eo titulo*, Azor. 2. *tomo lib.* 3. *cap.* 6. *quæst.* 5. Gonzalez *sup.* 8. *regul. Cancellariæ, gloss* 5. §. 3. *num.* 19. Gomezius *in regul. de idiomate quæst* 11. & alij quos Gonzalez *sup.* qui *n* 13. ait Vicarium perpetuum propriè esse curam animarum, non tamen dici propriè Rectorem, sed Vicarium perpetuum Rectoris principalis.

13 Vicarius autem temporalis Rectoris, seu Vicarij perpetui, cui tota cura animarum illius Parochiæ

ab

ab Episcopo, vel Parocho, (casu quo illi ea dare de iure permittitur) commissa est, potest suo parochiano licentiam concedere vt cum alio confiteatur, & vnam, aut alteram causam, non tamen totam curam alteri demandare, nisi id forte in consuetudine positum sit. Ita Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 31.* cum Ang. Syluest. Nauarr. & aliis, quos ipse citat *nu.* 13 Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 7. n. 3. lit.* N. & Manuel Sà *verb. Sacramentum, n. 6.* Suarez *to. 4. disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 4. quia ij, vt supponimus, sunt delegati ad vniuersitatem causarum, & quasi Ordinarij, at ij delegati possunt vnam, aut alteram causam delegare, vt latè Sanchez *sup. disp. 31. cit. numer.* 2 *&* 3. & Coninch. *disput. 8. de minist. pœnit. dub. 4. numer.* 25. 26. 27. Vnde Vicarius temporalis ab ipso Rectore, vel Vicario perpetuo etiam ad modicum tempus positus, cui Rector, seu Vicarius perpetuus omnes suas vices commisit, potest omnia sibi commissis dare licentiam cum alio approbato confitendi, vt docet Nauar. *in d. cap. placuit, nu.* 69. qui *num.* 74. explicat Syluestrum sibi contrarium *in verb. excommunicat* 7. *casu* 14. *dub.* 11. vt intelligatur quando Parochus huic Vicario non omnes suas vices, sed tantùm aliquam facultatem concessit: ij autem Vicarij, seu Vicecurati ad vniuersitatem causarum delegati, quamuis possint aliquam partem delegare, v. g. licentiam confitendi, aut assistendi matrimonio, non tamen possunt dare illi subdelegato facultatem iterum subdelegandi, id est, dare licentiam, vt possit ille alteri Sacerdoti concedere facultatem assistendi matrimonio, vel pœnitentiam administrandi, vt docet Sanchez *sup. disp.* 31. *cit. n.* 17. videndus. Vbi autem in consuetudine positum est, poterit Vicarius temporalis, seu Vicecuratus totam curam ad tempus alteri committere, vt docet Sanchez *disp.* 31. *cit. num.* 15. cum Syluestro *verb. vicarius, q.* 5. & Nauarr. *in cap. placuit, de pœnit. d.* 6. *nu.* 71. Sed hoc satis ad præsens: latiùs tamen vide apud Doctores cit. & præcipuè Sanch. *dict. disp.* 31.

14 Idoneus autem Sacerdos cui hæc facultas à Parochis delegari poterat secundùm ius antiquum ex *c. placuit, & c. omnis*, erat quilibet Sacerdos etiam non Parochus, nec approbatus ab Ordinario, dummodo non esset excommunicatus, aut alia censura ligatus, vt latè docet Nauarr. *in dicto cap. placuit.* præcipuè *num.* 49. Syln. *Confessor.* 1. *q.* 5. Caiet. *verb. Absolutio*, & alij, quos sequitur Suarez *tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 3. *nu* 4 *& seq.* & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *c.* 2. *dub.* 23. *num.* 1. Nunc autem de iure nouo solùm licet Parochis suam facultatem delegare, alteri Parocho, aut alio ab Ordinario approbato: nam statuit Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. quòd nullus censeatur idoneus ad audiendas confessiones secularium, nisi habeat beneficium parochiale, aut sit ab Ordinario approbatus: quibus verbis, vt bene notat Suar. *cit. sect.* 28. *num.* 12. etsi Concilium non auferat ius, & potestatem Parochu delegandi, ex parte tamen eius cui deleganda est iurisdictio, ponit tanquam conditionem necessariam, ad hoc vt sit idoneus, quòd sit approbatus ab Ordinario, vel habeat beneficium parochiale: imò quando Pontifex absolutè concedit facultatem eligendi Confessorem, quamuis aliud non exprimat, intelligendum est de Confessore approbato, iuxta formam Trid. & similiter priuilegia omnia concessa à Pontificibus, vt Religiosi possint confessiones audire, intelliguntur sub prædicta approbatione, vt docet Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 18. *sect.* 4. *num.* 9. quia, vt ipse docet *num.* 10. concessio Pontificis semper intelligitur iuxta commune ius, neque censetur illi derogare, nisi sufficienter id declaret.

15 Constat ex dictis Parochum posse suam iurisdictionem, & facultatem absoluendi delegare alteri Sacerdoti, dummodo hic sit approbatus ab Ordinario, aut Parochus. Dubium tamen est, an solùm possit eam delegare Parocho, aut approbato ab Episcopo illius diœcesis cuius ipse Parochus est: an verò alieno parocho, aut approbato cuiuscumque diœcesis ille sit: nam Rodriguez §. 9. *dub.* 3. existimat solùm posse delegare Parocho, aut approbato eiusdem diœcesis, & non alienis, nisi id fiat scientibus, & tacentibus Episcopis, sic enim (ait) censentur approbare.

16 Dico igitur, absolutè & simpliciter loquendo, & de iure, possunt Parochi suis subditis licentiam concedere, vt cum Parocho, vel approbato alterius diœcesis sua peccata confiteri possint. Ita tenet expressè Henriquez *libr.* 3. *de pœnit c.* 6. §. 7. & tenere videtur Nauarr. *in disp. cap. placuit*, qui *à num.* 49. abundè probat hanc licentiam posse concedere Parochum, & non eam limitat ad approbatum in eadem diœcesi & *num.* 43. supponit hanc facultatem delegandi non esse Parochis sublatam, id enim etiam spertè insinuant Suar. *de Parocho delegato, disp.* 28. *cit. sect.* 4. *nu.* 18. vbi dicit talem esse capacem iurisdictionis delegatæ vbique terrarum, & virtute Bullæ eligibilem: & de quocumque à suo Episcopo approbato, spertè docet *sect.* 7. *n.* 2. Idem tenet Coninch *disp.* 8. *de minist. pœnitent. dub.* 4. *num.* 28. dum dicit Parochum posse eius approbato dare veniam audiendi confessiones omnium suorum Parochianorum. Ratio est, quia talis Sacerdos ab aliquo Ordinario approbatus, est capax iurisdictionis delegatæ, vt latè probatum est hoc *cap. dub.* 2. & ex alia parte Parochus habet integrum ius suum, quia ex parte ipsius Parochi per Trid. non est limitatum sicut ergo ante Trid. poterat Parochus vices suas cuicunque Sacerdoti idoneo cuiuscumque diœcesis esset, committere; ita & nunc poterit cuicumque Sacerdoti cuiuscumque diœcesis, approbato tamen ab Ordinario, committere; vel suo Parochiano licentiam concedere, vt cum tali approbato confiteri possit: vnde cùm facultas hæc à iure Parochis illæsa maneat, solumque ex parte personæ cui conceditur à Trid. sit modificata, nimirum quòd sit ab Ordinario approbata, & Concil. absolutè, & simpliciter sine restrictione aliqua loquatur, poterit Parochus cuilibet approbato cuiuscumque diœcesis sit, facultatem concedere, vt suorum subditorum confessiones excipiat.

17 Aduertit tamen Suarez *disp.* 28. *cit. sect.* 7. *n.* 18. hæc procedere seclusa speciali prohibitione proprij Ordinarij; quia, inquit, potest vnusquisque Episcopus prohibere omnibus Parochis sibi subiectis, ne Sacerdotem aliquam vllo modo in coadiutorem sibi assumant, neque illi delegent suam iurisdictionem, nisi à se sit approbatus, quantumcumque ab alio Episcopo approbatus fuerit, & irritare etiam posse delegationem aliter factam. Quæ in re etsi existimem certum, posse Episcopos ob conuenientem sui Episcopatus gubernationẽ id prohibere, vt communiter facere solent; non tamen mihi itã certum, & verum videtur posse dictas licencias irritare; nam hanc facultatẽ Parochi non habent à suis Episcopis, sed à iure cõmuni, vt dictũ est. Vide etiam Sanch. *lib.* 3. *d.* 32 *per totam.* Nihilominus tamen debẽt Parochi in hoc seruare suorum Episcoporum ordinationes, siue scripto, siue cõsuetudine, siue alio modo, de illis constet, maximè tamẽ quando Parochus aliquem Sacerdotẽ in socium, & coadiutorem sibi assumit, debet ille assumptus approbari (vt fic communiter) ab Ordinario ipsius Parochi.

18 Aduertit ſecundò Suarez *ſup.diſp.17.ſect. 1. n. 4.* ſi Parochus, aut paſtor concedens ſupradictam facultatem, ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus, talem conceſſionem, & facultatem eſſe nullam, & irritam, vt tenet Sotus *in 4.diſt.18.quæſt.4.verſ.Circa conceſſiones.* Coninch.*diſp.8.de miniſtro.pœnit.dub.4. nu.27.* & multi, quos Henriq. *infr.* quia talis delegatio eſt actus iuriſdictionis, quam excommunicatus exercere non poteſt: quod intellige de excommunicato non tolerato, vt aduertit Coninch. *ſup.* id eſt, de excommunicato denuntiato, vel manifeſto clerici percuſſore; at qui ab illo fuerat antea delegatus, non amittit iuriſdictionem delegatam per ſuperuenientem excommunicationis denunciationem, vt bene Henriquez *lib.3.de pœnit.c.13.num.* 12. Nauar. tamen *in cap.placuit*, *n.*51. cum Palud. *in 4. d.17.q 4.in fin*, exiſtimat poſſe Parochum excommunicatum dictam licentiam concedere: quod intellige de excommunicato adhuc tolerato, & non vitando. At ſi paſtor denuntiatus dedit quaſdam alias licentias, puta, vt ſubditi ſacramentum Confirmationis recipiant ab alio, aut dimiſſorias pro Ordinibus concedat, aut approbet Confeſſarios, aut Prædicatores, aut ſi alteri Sacerdoti det licentiam aſſiſtendi matrimonio, valent dictæ licentiæ, vt docet Henriquez *lib.13. de excommunicatione, c. 7.§.7.* quia, inquit, ij actus valent ſine iuriſdictionis vſu: idem ſentiunt alij, quos Sanch. *lib. 3. de matrim diſp.21.nu.* 7. licentiam autem confitendi denuntiatus alteri etiam approbato concedere non poteſt, nec vicecuratum, aut curatum conſtituere, vt bene Sanchez *d.lib.3.diſp.30.n.*10.

DVB. IV.

An Parochus ex vi ſuæ approbationis iure ſit approbatus pro tota Eccleſia, ita vt poſſit ratione Bullæ extra ſuam diœceſim vbique terrarum eligi.

1 SVpponendum eſt, id quòd latè probatum eſt ſuprà *cap. dubio primo*, nimirum nullum Sacerdotem eſſe aptum, & idoneum ad audiendas ſecularium confeſſiones, niſi ſit approbatus ab Ordinario per examen, aut alio modo ſibi bene viſo; aut niſi habeat beneficium parochiale, vt apertè habetur in Trident *ſeſſ. 23. c. 15.* vbi Trident. quoad hunc effectum comparat habentem beneficium parochiale ei, qui ab Ordinario approbatus eſt.

2 Dico primò. Quilibet Parochus ſimpliciter, & abſolutè approbatus idoneus eſt vt ratione Bullæ eligatur intra eandem diœceſim ab alienis ouibus eiuſdem diœceſis ſine licentia Parochi, imò ſine licentia Epiſcopi, ex vi beneficij parochialis. In hoc omnes conueniunt, & probari poteſt *primò*, quia per Concil. Trident. aliquid ſpeciale datur Parochis; at nihil tribueretur, ſi per proprium beneficium parochiale ſolùm approbarentur in ordine ad ſuos ſubditos; ergo illa approbatio extenditur ad omnes exiſtentes in illo Epiſcopatu. *Secundo*, quia Concil. Trident. ad minimum in hoc æquiparat beneficium parochiale approbationi Epiſcopi; ſed approbatus ab Epiſcopo abſolutè, & ſine limitatione reputandus eſt idoneus in tota eius diœceſi, & eligibilis virtute priuilegij; ergo & habens beneficium parochiale. Certum etiam exiſtimo, poſſe Parochum ſimpliciter approbatum eligi per Bullam a ſubditis alterius Epiſcopatus, ſaltem dum ad propriam illius parochiam etiam animo tantùm cum eo confitendi accederent; quia in eo loco Parochus completam habet approbationem; ergo ſi ſubditus alterius Epiſcopatus habens Bullam ad illum locum accedat, poterit ſine dubio illum in Confeſſarium eligere

3 Dico ſecundò. Parochus abſolutè, & ſimpliciter approbatus, idoneus reputandus eſt, vt pro quocumque mundi loco, & vbique terrarum ſit capax iuriſdictionis, ſi aliunde conferatur ab eo, qui poteſt delegare mediante Bulla, aut ſimili priuilegio eligendi Confeſſorem. Eſt contra Gutierrez *lib. 1.qq.canon.cap.17.num.21.* & quoſdam alios. Noſtram tamen ſententiam tenet Henriquez *lib. 3. de pœnitent.cap.6.num.7.litt.A.* vbi refert multos Doctores Salmanticenſes fuiſſe eiuſdem ſententiæ: quod etiam vt certum defendit Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput.28.ſect.4.num.* 18. *& ſequent.* & Petrus Ledeſm. *in Summ.cap.13.concl.1.dub 9.§. De la reſolucion* & Ioan. Valero *verb. Abſolutio, differ.* 1. *num.* 16. Probatur *Primò*, quia in huiuſmodi beneficiato nullam aliam approbationem requirit Trident. præterquam quòd beneficium parochiale habeat, & loquitur indefinitè, vt poſſit ſecularium confeſſiones audire, ſi adſit qui poſſit ſolam iuriſdictionem delegare, vt fit per Bullam. *Secundò*, quia iure antiquo omnis Parochus ratione ſui beneficij approbatus erat vbique; ergo cùm huiuſmodi approbatio non reuocetur in Concil. Trident ſtandum eſt in iure antiquo; non enim recedendum eſt à iure antiquo per nouum, niſi quatenus ab eo exprimitur, vel inter ſe repugnant: hic autem nihil horum intercedit, imò verba Concilij hanc petunt declarationem. *Tertio*, quia ſi Parochus extra diœceſim non poſſet eligi per Bullam; etiam neque poſſet eligi extra ſuam parochiam, quod eſt falſum. Sequela patet, quia etiam ex vi beneficij ſolùm videtur approbatus pro tali loco, ſeu parochia: conſtat autem ex vi Concilij, illam approbationem reputari ſufficientem pro alijs Parochijs quia miniſter publicus, & ex officio approbatus ab Eccleſia, debet reputari ſimpliciter ſufficiens, vt eligatur; ergo, &c.

4 Dixi, *ſemper, ſimpliciter, & abſolutè approbatus.* nam ſi ſtrictè, & preſsè ſit approbatus, non adeò ſufficiens, & doctus ob loci aſperitatem, vel fructuum tenuitatem, hic non eſt vbique eligibilis, vt aduertit Ledeſma *dubio 9. citat.* & diximus dubio ſuperiori; poterit tamen à conſimilibus eligi, vt *ibidem* cum eodem Ledeſma *ſupra dubio* 7. notatum eſt. Requiritur etiam vt Parochus virtute Bullæ eligibilis ſit, quòd actu habeat beneficium parochiale: vnde ſi illi renuntiauit, vel eo per ſententiam priuatus eſt, eligi validè nequaquam poteſt, quia, vt dictum eſt *ſup.dub.3.num.2. & 8.* & cum alijs tenet Diana *tract. 11.reſol.* 8. ceſſat iam approbatio, & Concilium Trident *ſeſſ.23.c.15.* apertè de illo dicit, quod habeat beneficium parochiale. Contrarium tamen non eſt improbabile, vt docet Villalobos *de pœnit.tract. 9. diff. 55.num.5.* Rudrig. & Ioan de la Cruz apud Dianam *ſupr.* & Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. d. 1.cap. 2.dub.7.num.4.* etſi oppoſitam exiſtimet probabiliorem, & tutiorem; quia per renuntiationem (inquit) non amiſit approbationem; noſtra tamen ſententia vt verior, & ſecurior eſt tenenda. Idem dic, ſi per iuſtam ſententiam ſuſpenſus eſt à iuriſdictione, quia licet priuatus beneficio non ſit, eſt tamen iuſtè impeditus: Concilium autem debet intelligi de habente beneficium, & vſum illius ſine impedimento iuſto, hoc enim eſt de iure communi, in quo nihil innouat

uat Trident. Nomine *beneficy parochialis* comprehendumur etiam superiora beneficia, quæ habent ordinariam iurisdictionem in foro pœnitentiæ, seu curam animarum annexam, vt sunt non solùm Episcopi, sed etiam aliqui Abbates, aliqui Archidiaconi, Archipresbyterij: nam de iis omnibus est eadem, aut certè maior ratio. Hoc autem extendendum non est ad Prælatos religionum: nã ij licèt habeant iurisdictionem ordinariam, non tamen habent beneficium: neque illam habent in seculares & ideo non statim cẽsentur approbati respectu illorũ: hic verò agitur de approbatione respectu seculariũ.

5 Dico tertiò Eligi etiam potest Parochus intrusus habens titulum coloratum, id est, qui occultè excommunicatus adeptus est parochiale beneficium, quia istius acta tam in exteriori, quàm in interiori foro valida sunt, donec ab Ecclesia tolerantur, vt docent Henriquez *lib.13. de excommunicatione, cap.10.num.3.& lib.3.de pœnit.cap.6.nu.2. litt. E.* Sayrus *lib.2.de excommunicatione, cap. 2.* Nauarrus *cap.9.n.9.* Salon. 2.2.*quæst.67.artic.1. controuers.3.*& latè Lessius *lib.2.cap.29.dub.*8. dat enim tunc Ecclesia tali Parocho iurisdictionem ad secundas conscientias in bonum commune spirituale, Quod procedit, etiamsi pœnitens sciat occultam excommunicationem Parochi, dummodo inducendo non peccet, & concurrant titulus, & communis error populi, vt docet cum aliis Sanchez *l.3.de matrimonio, disp.22.n.46.& l.8.disp.34.n.14.* quia scientia particularis non tollit iurisdictionem, quam ius commune in hoc casu confert. Quando autem peccet pœnitens inducendo confessarium, & quando non, huius loci non est. Vide Coninch. *in 3. part.quæst.64.art.6.dub.*2. & Suarez *de censuris disp. 11.sect.* 4. Hinc fit validè eligi per Bullam posse eum, qui ad annum fuit approbatus, anno etiam elapso, si istius reprobatio, aut approbationis cessatio communiter ignoratur, & ipse absolutè pro approbato reputatur, vt docet Henriquez *lib.3. de pœnit, cap.6.num.3.litt.I.* At si quis fictis litteris, sine vllo titulo colorato, se fingit Parochum, vel confessarium, non validè absoluit, sicque per Bullam minimè eligi potest: quia, vt rectè docet Caietan. *verb. Absolutionis impedimenta*, vt valida sint iudicis putatiui acta, duo simul requiruntur. *Primò*, vt habeat titulum, quamuis coloratum, ab eo qui poterat illum conferre. *Secundò*, communis error populi, & æstimatio, habentis illum tanquam iudicem & confessarium, vt latè Lessius *sup.* Et quamuis non sit improbabile sufficere communem errorem populi, vt cum Basilio tenet Sanctius *in suis selectis, disp.44.n.3.vers. Imò Summo Pontifice, in fine*, probabilior, & verior est, ac tenenda Caietan. sententia. Hinc etiam fit, Regularem apostatam à religione, qui fingens se clericum, ignoranter eligitur ab aliquo Episcopo ad aliquam parochiam, posse eligi, si occultus est, virtute Bullæ, quia habet titulum coloratum, & toleratur. ita Rodriguez *in add. ad* § *9. num.* 10. Sed hoc manifestiùs constabit *hoc. c. dub.*11. dum explicabimus an censura ligatus eligi possit.

6 Contra secundum dictum dices primò. Nullus sine facultate proprij pastoris audire potest confessiones aliorum ouium; ergo cùm hanc non habeat vbique Parochus per acquisitionem beneficij parochialis, non poterit vbique eligi per Bullam. Respondeo id solum esse verum quoad iurisdictionem ei præcisè ratione beneficij parochialis competentem; non verò quoad approbationem, & delegationem iurisdictionis factam à potente eam delegare, vt facit Pontifex, per Bullam, nam ad hoc sufficit quòd sit approbatus ratione beneficij curati, aliter enim nec intra suam diœcesim posset validè eligi à non sibi subditis, quia ratione suæ iurisdictionis tãtùm potest suas oues validè absoluere.

7 Dices secundò. Concilium Tridentinum æquiparat beneficium parochiale approbationi; sed approbatus in vno Episcopatu non est vbique approbatus; ergo neque ille qui beneficium curatum habet. Respondeo *primò* admittendo maiorem, & negando minorem: nam dubio secundo hoc cap. dictum est, approbatum simpliciter, & absolutè in vno Episcopatu, vbique terrarum virtute Bullæ eligi posse. *Secundò* ad maiorem respondeo, non oportere cum omnimoda æquiparatione illa duo membra intelligere, quia illa exceptio de habente beneficium parochiale non est noua, sed iuxta antiquum ius, & ideo in eodem statu relicta est: alia autem est iure nouo introducta, & approbatio per parochiale beneficium non censetur esse ab Episcopo, sed ab Ecclesia, & vniuersali consuetudine; approbatio verò Episcopi ab eo est, ac proinde hæc duo omnium non æquiparantur, ita Suarez *tom.4.in 3.part.disp.28.sect.4.n.19.in fine.*

8 Vltimò obiicitur contra secundum dictum, declaratio quædam illustrissimorum Cardinalium, cui respondet Suarez *sup.* non constare nobis iuridicè de tali Cardinalium declaratione, & fortasse si talis sit declaratio, per illam solùm significari, Parochum præter approbationem indigere delegatione iurisdictionis; atque adeò per Bullam, & similia priuilegia poterit eligi in confessorem quicumque Parochus vbicumque sit.

Dvb. V.

An regularis approbatus ab vno Episcopo, possit à quouis eligi per priuilegium Bullæ.

1 Nota primò, nullum Sacerdotem ex Regularibus, quantumuis à suis Prælatis sit approbatus ad confessiones ipsorum Regularium audiendas, posse validè secularium confessiones audire, nisi sit ab Episcopo, seu Ordinario, iuxta Trident formam, *sess. 23. capit. 15.* approbatus. ita communis Doctorum, patet ex verbis Trid. ibi: *nullum etiam regularem posse secularium confessiones audire*, &c. de quo dictum est *hoc cap.dub.*1. De approbatione autem Regularium à suis Prælatis regularibus quoad ipsos tantùm, & de eius effectu vide Henriquez lib.*3.de pœnit capit.*7. Rodriquez §.*9. à num.*11. Sanctium *in suis select.disp.49.à n.9.*

2 Nota secundò cum Suarez *tom.4.in 3.p.disp.*28 *sect.6.n.*14. Licèt Religiosi exempti sint, tamen ratione domicilij, vel habitationis fieri aliquo modo subiectos Episcopo loci in quo resident, & quoad aliquos actus illis obedire, & aliquam subordinationem seruare tenentur: vnde eius approbatione necessariò indigent, vt iuxta Trident. idonei ad secularium confessiones audiendas reputentur. Quod patet ex ipso Tridentino: nam eodem tenore loquitur de approbatione Regularium, & secularium clericorum, ab Episcopis facienda, vt ad confessiones secularium audiendas idonei reputentur. Cùm ergo dictum sit *hoc cap. dub.* 2. cum Suarez, Episcopum approbantem debere esse Ordinarium ipsius confessoris, necesse est idem cum proportione inteligamus de Regularibus. Attamen, vt ibi

etiam

etiam dictum eſt, exiſtimo ſufficere, vt Regularis cuilibet Epiſcopo quoad examen, & munus confitendi ſubijciatur, vt aliquo modo eum Epiſcopum pro Ordinario, & quoad hunc effectum tanquam proprium habeat, quamuis in eo Epiſcopatu domicilium, aut habitationem non habeat, vt eodem dubio oſtenſum eſt. Sic enim dicitur ſubditus illius Epiſcopi, cui quoad hoc munus ſe ſubdit voluntariè, ſicque ab eo approbari poteſt.

3 Nota tertiò, Sacerdotem regularem approbatum ab vno Epiſcopo in cuius diœceſi habitat, vel cui ſe quoad examen & munus confitendi in ſuo Epiſcopatu ſubiecit, ex vi illius approbationis, ſecluſo priuilegio, ſolùm poſſe vanae ſubditos Epiſcopi approbantis abſoluere: vnde ſi domicilium mutet, vel habitationem in locum alterius diœceſis, indiget noua approbatione Epiſcopi illius diœceſis, vt illius ſubditos poſſit audire. Ita Suarez diſp 28.citat.n.8 ſect.7. & Rodriguez §.9.n.34. Rationem reddit Suarez, quia debet eſſe approbatus à ſuo Ordinario; at ſi domicilium, vel habitationem mutet, iam habet alium Ordinarium; ergo alia approbatione indiget, vt ſi Sacerdos ſecularis approbatus à ſuo Epiſcopo mutet domicilium in aliam diœceſim, indiget noua approbatione, quia iam habet alium Epiſcopum proprium. Hæc autem ratio ſolùm vim habet in ſententia Suarez, dicentis ſolum Epiſcopum approbare poſſe ſuum ſubditum ratione domicilij aut habitationis. At quia ſæpe diximus ſufficere, quòd alicui Epiſcopo ſe ſubijciat quoad examen, & munus confitendi, quia reddi poſſet ratio; nimirum, quia vnus Epiſcopus ſolùm pro ſuis ouibus poteſt quemlibet approbare, ac proinde ex vi illius approbationis tantùm ſuas, & non alienas approbatus poterit abſoluere, niſi aliunde approbatus, aut pœnitens habeat aliquod priuilegium. Et ſic videtur intelligenda illa declaratio, *Approbatus ab Ordinario Valentin. non cenſetur ab Ordinario approbatus in alia diœceſi*, de qua *ſup. hoc 9. dub. 1. num.* 11. id eſt, in illa, virtute prioris approbationis abſoluere non poteſt niſi ab alio Ordinario approbetur. Dixi, *ex vi approbationis, ſecluſo priuilegio*; nam, vt refert Nauar. *c.27.num.*266. & tenet Suar. *diſp.18.cit.ſect.7.num.*13. & Rodriguez §.9 *n.*15. *& num* 32. *in fine.* Sixtus Quartus conceſſit Mendicantibus, vt poſſint audire confeſſiones omnium, qui ad ſua loca vbi approbati ſunt, ſolius confitendi cauſa venerint, licèt pœnitentes non ſint ex Epiſcopatu in quo approbati Regulares sũt. Et Gregor. XIII. conceſſit Regularibus Societatis Ieſu, vt poſſint audire confeſſiones dum iter agunt, etiam vbi non ſunt approbati, ſi alibi approbati ſunt; ergo ex vi ſolius approbationis, ſecluſo ſpeciali priuilegio, non poterant audire niſi confeſſiones ſubditorum Epiſcopi à quo approbati fuerant.

4 Nota quartò, Epiſcopos non approbare Regulares in confeſſarios, niſi priùs ſaltem interpretatiuè à ſuis Prælatis exponantur, iuxta Clementinam *Dudum*, §. *ſtatuimus, de ſepult.* vt docet Henriquez *lib.3.de pœnit.c.6.n.*6. ne ſcilicet Prælato præiudicetur, a quo pendet ſubditorum voluntas ex voto, at approbatio aliter facta tenet, vt docet Rodriguez *in addit. ad* §.9. *num.* 11. niſi fortè extaret aliquod ſtatutum authoritate Apoſtolica confirmatum, quia Clementina *Dudum* non continet decretum irritans. Aduertit Rodriguez *ſup.* Regularem approbatum ab Ordinario ſine Superioris licentia, non ſeruata forma dictæ Clementinæ, non gaudere priuilegiis Apoſtolicis religionis: quare non poterit abſoluere à reſeruatis Epiſcopo, & quædam vota commutare, ſicut alij Regulares legitimè præſentati, & approbati ab Epiſcopo. Solùm ergo poterit facere ea, quæ alij ſeculares ab Epiſcopo approbati facere poſſunt. Quod non aduertit Suarez *to.4.in 3.part.diſp.*28.*ſect.*5.*n.*15. ait enim ſolemnitatem olim requiſitam ex Clementina *Dudum*, nunc non eſſe aliter neceſſariam quàm Concilium Tridentinum poſtulat: vnde quacunque ratione Epiſcopi contenti ſint, & Religioſos approbent, illis ſatis eſt vt priuilegiis ſuis vtantur.

5 His poſitis, Suarez *diſp.*18.*citat.ſect.*7.*n.*8.*&* 10. huic duobus dictis reſpondet.

Primum dictum. Religioſus approbatus à ſuo ordinario Epiſcopo, ſi habitationem, & quaſi domicilium mutet in locum alterius diœceſis, indiget noua approbatione Epiſcopi illius diœceſis, vt eligi poſſit per facultatem Bullæ: quia Religioſus vt eligi poſſit, debet eſſe approbatus à ſuo Ordinario: ergo cùm iam habeat alium Ordinarium, alia indiget approbatione. Quare ſicut ſi Sacerdos ſecularis approbatus à ſuo Epiſcopo mutet domicilium in aliā diœceſim, indiget noua approbatione, quia iam habet alium Epiſcopum proprium; & ſicut dictum eſt ſuprà, non eſt ſatis, Sacerdoti habuiſſe beneficium parochiale, niſi de præſenti habeat illud; ita non ſatis eſt habuiſſe approbationem à proprio Epiſcopo, ſi iam ceſſauit, vt reuera ceſſat, eo ipſo quòd ille deſiit eſſe proprius Epiſcopus, ſed neceſſe eſt habere approbationem ab Epiſcopo, qui nunc eſt proprius, & ordinarius. Ita ergo & in Religioſis dicendum eſt, qui quoad hoc ſolum videntur diſtingui à ſecularibus Sacerdotibus, quod faciliùs & frequentiùs domicilium mutent, & ideo ſæpiùs coguntur hoc onus ſuſtinere. Notandum tamen eſt, etſi Religioſus approbatus ſemel in vno Epiſcopatu mutet illum, & poſtea iterum ad eundem reuertatur, non indigere noua approbatione, quia quamuis fuerit quaſi ſuſpenſa, nõ tamen fuit ab Epiſcopo reuocata, vt ipſa cõſuetudo confirmat.

6 Secundum dictum. Religioſus approbatus ab Epiſcopo ſimpliciter & abſolutè in cuius diœceſi habitat, quamdiu ibi habitat, eligi poteſt per Bullam à quolibet gaudente priuilegio illius. Quod exiſtimat certum, quoad Regulares pœnitentes, Suarez *ſupr.num.*10. Et quoad ſeculares pœnitentes exiſtimat hanc aſſertionem eandem habere probabilitatem, quam habet illa opinio, quam ipſe defendit, & de qua dictum eſt hoc *cap. dubio* 1. *in prima ſententia*, nimirum approbatum à ſuo Ordinario quatenus domicilium, aut habitationem non mutat, eſſe vbique eligibilem, vnde eiſdem rationibus hoc dictum eſt probandum. Quare inquit Suarez, ſi contingat talem Religioſum diſcurrere peregrinando, poteſt per Bullam eligi vbique, quia ille non mutat habitationem, neque ordinarium Epiſcopatum ſuum, vnde ſemper manet approbatus à ſuo Ordinario vbicumque exiſtat, atque adeò hoc ſatis erit vt poſſit vbicumque eligi. Cùm enim hoc poſſit clericus ſecularis in hoc caſu, cur in ſimili non poterit Regularis?

7 Probabiliſſima quidem ſententia, quam etiam tenet & defendit Lud. à Cruce *diſp.1.c.2.dub.*15. & ſentiunt DD. citati *pro 1. ſent. ſupr. dub.2.nu.*6. Nihilominus tamen valde probabilis, & tuta eſt contraria ſententia, nimirum Religioſum ab aliquo Ordinario abſolutè, & ſimpliciter approbatum, eſſe vbique per Bullam eligibilem, etiamſi domicilium mutet abſque alia noua approbatione Ordinarij. Quam ſententiam conſequenter tenent omnes Doctores pro tertia ſententia *hoc cap. dub.2.n.*7 proinde hæc ſententia, eiſdem rationibus confirmari, & defendi poteſt, quibus illa tertia ſententia eſt confirmata.

confirmata. Dixi, *simpliciter approbatum*; nam si Regularis ob defectum scientiæ approbatus sit tantùm pro personis simplicioris vitæ, & non ita intricatæ conscientiæ, vt pro rusticis personis villarum, solum à consimilibus eligi poterit. Item si quia iuuenis est & leuis corde, & parum modestus appareret, ab Episcopo ad solas hominum confessiones audiendas approbatus sit, non poterit eligi a fœminis, quia taliter approbati non sunt amplè, sed strictè approbati; nec habent conditiones Clementinæ *Dudum*; limitata enim causa, limitatum parit effectum, & si eligantur, factum non tenet. Ita Lopez *c.8. de Bulla, pag.* 815.

Dvb. VI.

An Religiosus præsentatus à suo Prælato, & ab Episcopo approbatus, possit virtute Bullæ eligi postquam ei à suo Prælato prohibitum est ne confessiones secularium audiat.

1 SVppone, posse licitè Prælatos suis subditis Regularibus ab Ordinario approbatis ex iusta causa prohibere ne audiant secularium cõfessiones, etiam si virtute Bullæ eligantur, vt docet Rodriguez *in addit. ad* §.9 *num.*6. *& to* 1.*q.*60.*art.*1. quia Religiosus non habet velle, nec nolle. *Secundò*, quia nec per approbationem Ordinarij nec per Bullæ electionem compelluntur Regulares ad confessiones audiendas, sicque potest Prælatus id ex causa prohibere, & transgressores punire. Dubium igitur est, an supposita dicta prohibitione, possint validè per Bullam eligi.

2 Huic dubio respondet Rodriguez *in addit. ad* §.9.*nu.*7. *&* 8 *& q.* 60.*art.*2.*tom.*1. Frater Ioan. de la Cruz *lib.*2. *de statu religionis, c.*6. *dub.*2. & Lopez *cap.* 8. *de Bulla pag.*819. Si talis Regularis ob causam iuridicè, & per sententiam est priuatus à suo Prælato iurisdictione, & approbatione Episcopi, non posse eligi per Bullam, & si fortè eligatur, esse confessiones inualidas. Quòd si non per sententiam iuridicam, sed simplici prohibitione, & mandato prohibeat ne secularium confessiones audiat, valent confessiones à sic prohibito factæ. Peccat tamen Confessarius mortaliter, si ei id sub pœna excommunicationis, vel in virtute obedientiæ prohibeatur: si autem simplici tantùm mandato, solùm peccat venialiter. Ita Rodriguez *suprà n.*9. Idem sentit Henriquez *lib.*3. *de pœnitent. c.*6. *n.*6. vbi dicit, Generalem, aut Prouincialem posse ex causa subditum suum ab Ordinario approbatũ, reprobare. Ait enim iurisdictionem à Pontifice in quosdam Regulares non deriuari nisi interueniente consensu tacito, vel expresso Prælati, ne quid derogetur debitæ subiectioni erga proprios Prælatos. Addit *litt. X.* ita declarasse viuæ vocis oraculo Gregorium XIII. pro Societate IESV, vt refert P. Claudius *verb. Gratia*, §. 2. at si non illum reprobet per sententiam iuridicè latam, sed tantùm extraiudicialiter prohibeat, etsi peccet, validè tamen eligitur. Non tamen videtur Prælatus sic prohibito concedere ius, & facultatem circa reseruata iuxta priuilegia suæ religionis, vt docet Henriquez *sup. n.*6. *litt. Z.* cum Nauarr. *cap.*27 *n.* 266. Soto *d.* 18. *q.*4. *a.*2. *c.*8. *& art.*3. *col.*1 *a. ver. Ad glossas* Sylu. *confessor.*1. §.5. Rodriguez §.9. *num.*10. & alij, quos ipse citat. Idem sentire videtur Suarez *to.* 4 *in* 3. *part. disp.*26. *sect.*1. *n.*12.

3 Alij absolutè dicunt, posse eligi per Bullam, quia potest Episcopus subdito alterius Episcopi præbere facultatem respectu suarum ouium contra voluntatem sui Superioris, ergo idem poterit præstare Religioso exempto. Et quamuis concedamus iurisdictionem quæ datur à Papa iuxta statuta religionis dari medijs Superioribus, non tamen hoc procedit in iurisdictione Episcopali, quam potest sicut Sacerdoti seculari ipsis Religiosis concedere. Cui sententiæ fauere videntur Trident. verba *sess.*23. *cap.*15 vbi solùm requiritur ad audiendas confessiones secularium, quòd sit ab Ordinario approbatus.

4 Alij verò cum distinctione respondent: nam vel Religiosus ministraturus est hoc sacramentum virtute priuilegiorum suæ religionis, aut virtute iurisdictionis ab Ordinario ipsi concessæ, vel aliunde per Bullam, aut Iubileum suscepturus est iurisdictionem. Si primo modo, irritum est quidquid fecerit; quia quamuis approbatio Episcopi suum valorem obtineat in declarando eius sufficientiam & idoneitatem, per illam tamen nulla communicatur iurisdictio; quia hæc non tribuitur illi nisi medio beneplacito Superioris, vt petit Ordo hierarchicus. Si autem secundo modo administrat Sacramentum, ex eo quòd per Bullam eligatur, certum existimat hæc sententia validè conficere sacramentum. Citat pro se Syluest. *confessor.*1. *qu.*5. quia in eo euentu ille Religiosus haberet quidquid necessariò requiritur vt validè tribuat absolutionem; ad hanc enim iuxta nouum ius Trid. duo requiruntur *Primum*, approbatio ab Episcopo facta. *Secundum*, iurisdictio; ista non deest, quia Trident. non petit approbationem Prælati regularis: iurisdictio quoque non deest, nam per electionem pœnitentis virtute Bullæ factam, Religiosus adquirit iurisdictionem à Papa, in quo nullam Papa irrogat Prælatis iniuriam; quia cùm Pontifex sit supremus Pastor, potest concedere cuicumque fideli per Bullam, aut aliud priuilegium, facultatem confitendi eum Religioso, etiam Prælato contradicente. Hinc est, quòd cui Papa absolutè, & expresè dat facultatem ad audiendas confessiones, id sufficere ad iurisdictionem delegandam, nulla expectata inferioris licentia Prælati, etiamsi in tali priuilegio vel facultate non exprimatur, dummodo talis conditio in dicta facultate non contineatur, vt docet S. Thom. *opusc.* 19. *contra impugnantes religionem. c.*4. *& in* 4. *dist.*17. *q.*3. *art.*3. *qu.*5. Soto *dist.*18. *q.*4. *art.* 3. & Nauarr. *cap placuit, dist.*6. *num.*57. & alij communiter. Patet etiam *secundò*, nullum in hoc præiudicium causari Prælatis regularibus, quia ipsi non priuantur iurisdictione sua, & semper illam habuerunt Papæ subordinatam. Non enim Prælati habent facultatem concedendi iurisdictionem Religiosis, vt audiant confessiones secularium propter suam vtilitatem, sed propter ouium, & proximorum commodum, & ideò si propter hanc commoditatem supremus Pastor prouideat ouibus, vt pluribus, nempe Religiosis, confiteri possint sine vlla alia licentia, non est illud reputandum præiudicium Prælati inferioris. Hanc etiam sententiã tenet Ludou. à Cruce *in exposit. Bulla, disp.*1. *c.*2. *dub.*17. *n.* 3. *&* 4. qui citat pro se Sylu. *excomm.*7. *casu* 14. *vers.* 11. Nauarr. *c.*9. *n.*9. *& c.*27. *n.*260. & alios plures.

5 Ex hac sententia infertur primò, Doctores asserentes Regulares non posse ministrare sacramenta, nec censeri approbatos, nisi priùs à Prælato exponantur, saltem interpretatiuè, iuxta Clementinam *Dudum* § *statuimus*, intelligendum esse iuxta priuilegia suæ religionis: secundùm enim ea priuilegia nequit audire confessiones sine consensu sui

Prælati

Prælati regularis, quia iurisdictio à Summis Pontificibus concessa religiosis, non deriuatur in eorum Confessarios, nisi medio proprio Prælato. Hoc tamen non impedit quominus possint, ea peculiari indulto, Bullæ nimirum, ad effectum validæ confessionis. Vt vero Religiosus non peccet, tenetur parere Superiori suo, & ad id eius licentia indiget, vel saltem non prohibitione.

6 Colligitur secundò. Casu quo Regularis approbatus ab Ordinario ad audiendas confessiones tam virorum, quàm fœminarum, prohibetur a Prælato ne audiat confessiones fœminarum, sed tantùm virorum, in virtute sanctæ obedientiæ, peccaret mortaliter si confessiones fœminarum audiret virtute Bullæ, factum tamen teneretur si tantùm fuit admonitio ad bonum regimen spectans, tunc non peccaret mortaliter.

7 Ex his opinionibus tertiam existimo probabiliorem. Existimo enim confessores regulares ab Ordinario approbatos quoad, seculares, siue per sententiam, siue per simplex mandatum à suis Superioribus prohibeantur, ne secularium confessiones audiant, posse per Bullam validè eligi. Imò teneo probabilissimum esse etiam sine Bulla validè posse secularium confessiones audire, virtute approbationis, & iurisdictionis ab Ordinario concessæ, etiamsi legitimè non fuerit Ordinario præsentatus, & per suum Superiorem per sententiam prohibitus, vt tenet Ledesma *in Sum c 13. de pœnit. dub.12.* Acosta *in expositione Bullæ, qu.41. per totam.* Diana *tract.11. resol.13. in fine.* Villalobos *1.p. tract. 9. diff.50. num.4.* Nauarr. *c.4. num.2 & c.27. n.266.* & cum multis aliis Ludou. à Cruce *in exposit. Bullæ, disp.1. c.2. dub.16. n.5.* contra Rodrig. & Ioan. de la Cruz *sup. cit.* Ducor, quia sunt verè approbati, vt supponimus, & retinent adhuc iurisdictionem in seculares, Quod probatur *primò*, quia, vt docet Ledesma *cit.* iurisdictio non promanat à Prælato, sed ab Episcopo: & consensus Prælati non est conditio necessaria, vt confessio validè, sed tantùm vt licitè fiat. *Secundò*, quia Sylu. & Sotus *supra citati*, tantùm dicunt sic prohibitos peccare, & non posse audire confessiones secularium: non autem affirmant confessiones esse inualidas. *Tertiò* probatur, cùm habeant hanc approbationem secundùm iuris communis dispositionem à Trident. *sess.23. cap.15.* non est dicendum Regularium Prælatos habere circa illam potestatem nisi à iure, vel ex priuilegio eam habeant: at non constat eam habere ex iure, neque ex priuilegio, aut motu proprio: nam constitutio Iulij III. dat. Romæ 17. die Ianuarij ann. 1555. quam citat Rodriguez §.9. *addit. num 6. vers. Respondeo quo & to.1. q.60. art.2. & 3.* & constitutio Gregor. XIII. die 3. Maij, anno 1575. de qua *ibidem* idem Rodriguez *dict. num* 6 solùm volunt, ne iurisdictio quam Prælati Regularium in suos subditos conferre possunt, in eos, deriuetur absque ipsorum Prælatorum licentia: non tamen dat facultatem, vt possint approbatos ab Ordinario reprobare, & ab eis iurisdictionem quam erga seculares habent auferre. Et quamuis hoc sit declaratum à Gregorio XIII. viuæ vocis oraculo pro Societate Iesu, vt refert Henriquez *libr. 3. de pœnit. c.6. nu* 6. ex P. Claudio *in compend. verb. Gratia. §.2.* dici potest hoc non constare, & dato quòd constet, esse speciale indultum in fauorem Societatis Iesu.

8 Dubitabis, an Religiosus à Prælato suo non præsentatus, possit ab Ordinario approbari; & de eius licentia confessiones secularium audire, & virtute Bullæ eligi. Rodriguez *1. tom. q.60 art.3.* existimant approbationem esse inualidam, & per consequens non posse eligi; quia Regularibus ius commune medio Prælatorum consensu communicat sua priuilegia: quod colligit ex constitutione Iulij III. *dub. sup. citat.* Probabilissima tamen mihi est pars affirmans, licèt talis Religiosus peccet, vt docent DD. citati *n. 7. hoc dub.* & etiam tenet Antoninus Diana *resol 13. citata* per totam, & me citato idem tenet *in addit. resol.7. in fine.* An autem hic, qui sine licentia sui Prælati audit confessiones, peccet m. iudicandum est ex vi suarum constitutionum si obligant sub m. peccabit m. si sub v. peccabit venialiter, Diana *sup.* vide etiam ipsum Diana *in addit. resol.7.* nam reperiuntur omnia requisita, scilicet approbatio, & iurisdictio: quæ duo à Trident. requiruntur. Ad constitutionem Iulij iam responsum est *sup.* solùm intelligi quoad iurisdictionem, & facultates suorum priuilegiorum, hæc enim sine consensu Prælatorum ipsis non communicantur.

Dub. VII.

An Confessarius semel ab Episcopo approbatus, si deinde reprobetur, possit virtute Bullæ eligi.

1 Nota, aut Confessarius ab Ordinario approbatus est Regularis, aut secularis: si est secularis, aut est Parochus, aut non Parochus, qui tantùm ex delegatione, & commissione Episcopi, audit confessiones. Ad cuius explicationem priùs videndum est, an Episcopus possit reprobare Confessarios non solùm seculares, sed etiam Regulares à se approbatos. De approbatione etiam Regularium, multa Barbosa *de offic. & potest. Episcop. tom. 2. al eg. 25.*

2 Certum est primò in hac re approbationem Confessariorum durare quandiu ab ipso Episcopo approbante, vel eius successore non reuocatur. Ita Suarez *tom 4. in 3. par. disp. 28. sect* 8. *num.2.* Nauarr. *in cap. placuit, de pœnitent. dist.6. num.* 163. est enim gratia, & fauor Episcopi: gratia autem non expirat morte concedentis, vt in specie docet cum aliis Henriquez *lib.7. de indulg. c.21. n.6.*

3 Certum etiam est secundò hanc approbationem, & licentiam confitendi, Sacerdotibus ex commissione, & delegatione Episcoporum concessa, posse ex iusta causa reuocari ab ipso concedente vel ab eius successore. In quo quantum ad seculares nulla est difficultas: solùm est dubium quoad Regulares, de quibus infrà, cum hac tamen limitatione, quòd possit Episcopus ad arbitrium suum, & pro libito suspendere, & auferre etiam generali edicto, & mandato licentias omnium secularium confessariorum, qui ex commissione, & delegatione Episcopi audiunt confessiones, & præcipere vt iterum compareant examinandi. Ita Henriquez *lib. 3. de pœnit. c.6. n.6.* Et ratio est, quia vt docet Suarez *citat.* nullum est ius, quod id prohibeat. Et ex alia parte ipsa approbatio non est irreuocabilis; nam fundamentum ipsius non est immutabile: fundatur enim in scientia, moribus, & aliis conditionibus ex parte Confessarij requisitis; potest autem Sacerdos quoad hæc omnia mutari; ergo approbatio non est inuariabilis, & per consequens poterit Episcopus eam auferre, vel suspendere, & præcipere vt iterum examinentur absque alia vlla causa: est namque hæc approbatio fauor, & gratia Episcopis

copi, & semper intelligitur concessa saltem implicite ad beneplacitum concedentis, vel donec à se, aut eius successore reuocetur. Et verisimile est (ait Suarez *supra num.* 8.) hanc esse intentionem concedentium, saltem implicitam quoad seculares clericos, qui Episcopis subduntur. Dixi, *ex commissione, vel denegatione Episcopi concessam*; nam si secularis Confessarius eo solùm sit approbatus, quia habet beneficium parochiale, certum est non posse reuocari eius approbationem sine iusta causa, & sententia, iuris ordine seruato; quia hic non ab Episcopo, sed à iure habet approbationem, & iurisdictionem ratione collationis beneficij curati, vt dictum est *sup. hoc cap. dub.* 1. *num.* 3. ac proinde non potest priuari hac iurisdictione, nisi beneficio priuetur: beneficio autem spoliari non potest, nisi per iustam sententiam propter crimina iure assignata: ergo nec iurisdictione. Si autem aliàs hic Parochus habeat generalem commissionem ab Episcopo concessam to omnes subditos totius diœcesis, certum est posse eam ad libitum Episcopi priuari, quia est idem de ipso quoad hoc, quod de aliis, qui ex sola commissione, & gratia Episcopi approbati sunt. Restat ergo difficultas, an possit Episcopus reprobare Regulares à se legitimè approbatos, & sibi per Prælatos religionum legitimè præsentatos. An verò semel concessa approbatio sit perpetua, ita vt nec ab eodem Episcopo, nec ab eius successore possint iterum examinari, & non idonei reprobari. Ad cuius intelligentiam,

4 Nota, posse Episcopos approbare Regulares in confessarios duobus modis. *Primò* absolute & simpliciter sine vlla temporis & personarum differentia. *Secundò*, ad certum, & determinatum tempus, v.g. ad triennium, & ad certas, & determinatas personas, v.g. ad viros, & non ad fœminas audiendas, vt docet Angelus *confessor.* 3. *num.* 25. Rodriguez §. 9. *n.* 33. & *quæst.* 59. *art.* 8. *tomo* 1. Barbosa, *de offic. & potest. Episcopi* eum aliis, *tom.* 2. *alleg.* 25. *num.* 32. & communiter Doctores affirmant, & praxis ipsa comprobat, quidquid Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. c.* 6. *num.* 6 *litt. S.* Requiritur tamen iusta causa ad limitandum dictam approbationem, v.g. insufficientia Regularis, vt sic curet necessaria edisc ere, sciens iterum esse examinandum. Ita Rodriguez *supra n.* 33. *vit.* & *n.* 34. addit tamen limitationem dictam sine iusta causa esse irritam, & censeri absolutè, & simpliciter approbatos per Clementinam *Dudum, de sepulturis*. Idem tenet Villalobos *tract.* 9. *de pœnitent diff.* 53. *num.* 3. Quod non existimo verum, vt constabit *dubio sequenti*, per totum, præcipuè *n.* 13. ex quadam constitut. Vrbani VIII. 30. die Ianuarij anno 1629. quam refert Barbosa *lib.* 1. *de iure vniuerso cap.* 43. *num.* 210. & 211. in qua Pontifex supponit posse absolutè Episcopum approbare ad tempus Regulares, vide dictum *num.* 13. Quæstio ergo non est de approbatione, & licentia iusta ad certum tempus limitata, nam certum est hanc non esse perpetuam, & finiri simul cum temporis limitatione, & determinatione, quod concedunt omnes qui existimant tali modo posse Regulares ab Episcopo approbari. Procedit ergo quæstio de approbatione simpliciter, & absolutè concessa.

5 Rodriguez §. 9. *num.* 31. & *in addit. ad* §. 9. *à num.* 3c. & *in* 1. *tomo quæst.* 59. *art.* 4. & Henriq. *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 6. *num.* 6. & Lopez *cap.* 8. *de Bulla*, existimant, approbationes Regularium quoad seculares ab Episcopis absolutè & simpliciter factas, esse perpetuas in eo Episcopatu, in quo approbati sunt, nec posse reuocari ab Episcopo concedente, nec ab eius successore, nec pro eius libito iterum examinari, reprobari, aut suspendi: nisi ex iusta & vrgenti causa, qualis est, si Regularis, improbus, & scandalosus sit, vel errores in confessione disseminaret: quo in casu potest illum Episcopus reprobare, vel ab hac iurisdictione suspendere, non quidem iure ordinario, sed tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, facultate sibi per Trident. *sess.* 5. *cap.* 2. de reformatione concessa. Vide Henriquez *suprà citatum*, & cum aliis Ludouic. à Cruce *in expos. Bulla disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 3. Dixi *in eodem Episcopatu*, nam in alio, vbi non sunt approbati, sicut ibi nullam habent approbationem, ita nec in eaperpetuitatem, Episcopus enim approbans solùm habet in suas oues iurisdictionem: ac proinde pro alio Episcopatu approbare non potest. Et Trident. statuit, quòd nullus etiam Regularium confessiones secularium audiat, nisi ab Episcopis sit approbatus: quod intelligitur respectiuè, id est, non ab omnibus, quia hoc est moraliter impossibile, sed ab eo cui subditus est, vel in cuius diœcesi habitat, vel confessiones audit, vt docet idem Rodriguez §. 9. *num.* 34. *dub.* 2. & 1. *tomo*, *quæst.* 59. *art.* 5.

6 Fundamentum huius sententiæ est, quia Benedictus Vndecimus *in Extrauagan. Inter cunctas, de priuilegiis*, concessit vt semel approbatus Regularis, ampliùs non teneatur Episcopo approbanti, aut eius successori præsentari. Idem etiam conceditur in dicta Clementina *Dudum, de sepulturis*, vt existimat Rodriguez 1. *tom. quæstion.* 59. *artic.* 4. quæ Extrauagans, & Clementina non est reuocata per Tridentinum *sess.* 23. *capit.* 15. nec per Clementinam *Dudum, de sepulturis*, vt latè probat Rodriguez *locis citatis*, & *in addit. ad* §. 9. *num.* 37. & 38. qua dicta Extrauagans habet vim legis, sicut Clementina *Dudum*, Concil. autem solùm derogat (inquis Rodriguez) priuilegia, non autem id quod habet rationem iuris communis. Deinde, quia Trident. solùm derogat priuilegia contraria; hoc autem non est contra Tridentinum, inquit Henriquez *sup. litt. R.* quia iam fuerunt ab Episcopo approbati, quod requirit Trident. Nec dicta Extrauagans reuocata est, saltem quoad Minores & Prædicatores, per constitutionem Pij Quinti anno 1571. die 1. Augusti, & incipit, *Romani Pontificis*, & est numero 133. *pag.* 345 *tomo* 1. nec per motum proprium Gregorij XIII. anno 1573. die 1. Martij, qui incipit, *In tanta rerum & negotiorum mole*, de quo Nau. *in fine Man.* & *in Bullari pag.* 370. *tom.* 2. vt docet Henriquez *suprà*, & latè probat Rodriguez *dicto artic.* 4. & *in addit. ad* §. 9. *num.* 39. & 40. Huic etiam sententiæ fauere videntur verba Bullæ Cruciatæ Gregorij XIII. ibi: *Et quoad Regulares qui semel tantum approbati fuerint.* Concludunt ergo Henriquez, & Rodriguez, generale mandatum Episcopi quo reuocat ab alio datas licentias, compellens vt compareant iterum examinandi, non comprehendere Regulares, nec posse Episcopum pro libito reprobare Regulares semel approbatos, nisi in particulari istum, aut illum, causa cognita & probata ab ipso tanquã Sedis Apostolicę delegato, ac proinde semel approbatus in eodem Episcopatu, per totum suæ vitæ tempus manet approbatus. Cui priuilegio, inquit Rodriguez, non possunt renuntiare Prouinciales, sicut nec eleteius suæ exemptioni; quia est priuilegium non personæ, sed status, & communitatis. Subdit Rodriguez, malè facere Prælatum & posse a suo Superiori puniri, si iterum eidem Episcopo, vel successori subditos examinandos præsentaret, & casu quo Regularis ab Episcopo reprobaretur, adhuc maneret approbatus, iuxta superius dicta.

7 Probabilis quidem opinio, sed contraria modo explicando

explicando probabilior, & fortè verior ac securior; quam tenet Suarez *to.4.in 4.par. disp.28. sect.8.n.4.* & ait, attento solo iure communi, eodem modo posse Episcopum reuocare approbationem Regularium, ac secularium, quia id nullo expresso iure ipsi prohibetur, & quia Episcopus successor est nouus Pastor, & propriam obligationem induit, non tenetur ratas habere approbationes, ab antecessore factas; & vt suæ conscientiæ satisfaciat, potest ad examen vocare omnes approbatos, & quos idoneos non reperterit reprobare, atque ita approbationes reuocare. Quod supponere videtur Pius V. in motu proprio anno 1571. qui est num. 133. & incipit, *Romani Pontificis, pag.345.tom.2.* vbi etiam de Mendicantibus ait, posse pro maiori conscientiæ suæ quiete, à successore examinari de nouo; ergo supponit hoc esse de iure communi. Cùm ergo hoc examen permittatur, non vt aliqua ceremonia, sed ad quietem conscientiæ, si ex illo constiterit aliquem non esse idoneum, poterit eius approbatio reprobari; ergo attento solo iure communi, potest Episcopus etiam idem qui approbauit, non solùm seculares, sed Regulares iterum examinare, & indignos reprobare. Idem tenet cum aliis Barbosa *d. tom.2.allegat.25.num.*18. Sanctius *in suis selectis disp. 48.à n.*16 qui oppositam opinionem existimat non veram, & non solùm successorem, sed ipsum Episcopum qui approbauit posse Regularium approbationes reuocare. Vide ibi *n.*23. quod procedit præcipuè si eos cum limitatione approbauit, v.g. ad triennium, vel ad audiendos viros tantùm, vt bene Barbosa *supr.n.*34. Vide *el motu proprio que hu falado de Vrbano. V I I I.* circa hoc.

8 Dixi, *attento iure communi*; nam speciali priuilegio concessum est Regularibus, vt ab eodem Episcopo non possint iterum examinari, & reprobari, ab alio verò successore posse. Ita enim concessit Pius Quintus in motu proprio citato. Ita etiam habet de Regularibus loquens, *Qui semel ab Episcopo in ciuitate, & diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari: ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ quiete examinari denuo poterunt*, quę verba diligenter sunt perpendenda; tria enim notabilia continent.

Primum enim supponere videtur, ante dictam constitutionem potuisse quidem Episcopos Regulares à se approbatos examinare iterum, ac sicut seculares approbare, vel reprobare, & à fortiori idem posse eius successorem. Si enim ante id facere non poterant, cur hoc de nouo eis prohibetur? Et si antea erat iam Regularibus concessum, cur eis de nouo conceditur?

9 Secundum est, Episcopum qui semel Regulares præuio examine approbauit; non posse iterum eos examinare, & reprobare. Quibus verbis apertè insinuat Pontifex, si Regularis sine præuio examine approbatus fuerit, possę ab eodem Episcopo iterum examinari, & non idoneus reprobari: non enim sine causa additum illud verbum, *præuio examine.*

Tertium est, si Regularis ab Episcopo, præuio examine, approbatus fuerit non posse quidem ab eodem Episcopo iterum examinari; à successore autem bene posse, ob maiorem quietem conscientiæ successoris. Et quidem prudenter cautum est, quia sæpe examen per alios fit, & fortè non rectè, & aliquando moraliter constat plures indignos, vel negligentia vel malitia, vel casu inter dignos esse approbatos, ob idque ad vitandam infamiam, vel malitiam, expedit omnes iterum ad examen vocare. Quare prudentissimè noui Episcopi generali edicto, & mandato solent compellere omnes confessarios, vt coram ipsis compareant iterum examinandi, & interim licentias confitendi suspendere. Quo mandato, quidquid dicat Henriquez *suprà*, comprehenduntur etiam Regulares, vt constat ex hac Pij V declaratione, confirmata, & ampliata ab Vrbano VIII. in sua constitutione edita an.1639. die 30. Ianuarij, quam refert Barbosa *lib. 1. de iure vniuerso cap. 34. n.*212. de qua etiam vide hic *num.*13.

10 Quòd autem Episcopus non possit iterum examinare Regulares à se approbatos, posse autem ipsius successorem, declaratum est ab illustrissimis Cardinalibus tempore Sixti Quinti, vt refert Rodriguez *§.9.n.32. & 1.tome quæst.59. art.4.* Barbosa *sup n.*58. & Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. d.1.c.5. dub.9. n.2.* quæ sic habet: *Congregatio Concilij censuit, Regulares ad audiendas in ciuitate, & diœcesi secularium confessiones semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos, cæterùm à successore posse iterum examinari, iuxta constitutionem sanctæ memoriæ Pij Quinti, datam octauo Idus Augusti, Pontificatus sui anno sexto, quæ à felicis recordationis Gregor. X I I I. non est reuocata per reductionem priuilegiorum regularium ad terminos Concil. Trident.*

11 Huic declarationi respondet Rodriguez *art 4. cit.* eam tantùm habere vim in aliis religionibus à Prædicatoribus, & Minoribus, eo quòd aliæ religiones ex priuilegio, illæ verò duæ à iure communi habeant quòd confessariorum regularium approbatio sit perpetua. Gregor. autem X I I I. solùm priuilegia reduxit ad terminos iuris communis, ac proinde dicta declaratio non loquitur cum Prædicatoribus, & Minoribus.

12 Reiicitur tamen hæc solutio, & simul eneruantur fundamenta illius opinionis. Nam si attentè legamus Clementinam *Dudum*, non inueniemus in ea verba, quæ expresè dicant Regularium approbationem esse perpetuam. Solùm enim in §. *si verò*, statuit Pontifex, casu quo Religiosi Episcopo legitimè præsentati ab eo recusantur, & non approbantur, ipso iure approbari, & ad confitendum licentiam à Sede Apostolica concedit. Idem disponit Bonifacius X I. Extrauagan. *Inter cunctas, de priuilegiis, §. super confessione*, vbi statuit, quòd si denegent, vel intra triduum non concedant, ex tunc iidem fratres nihilominus authoritate eadem huiusmodi officium exercere valent: solùm autem ij Pontifices volunt, vt Religiosi legitimè Episcopo præsentari, & iniustè ab eo reiecti, sint ab ipso iure approbari. An autem hæc concessio sit per Tridentinum reuocata *dub. sequent.* examinabitur. Quòd si dicas, Religiosos iniustè ab Episcopo repulsos, & non admissos habere de iure approbationem, & inde colligi esse perpetuam, & non posse iterum examinari. Respondeo, solùm colligi non posse iterum examinari, nec reprobari ab eo Episcopo qui eos non admisit, non verò ab alio eius successore: nam possibile est eos omnes non esse sufficientes, & idoneos. Quid quòd, vt dubio sequenti dicemus, Clementina *Dudum*, & Extrauag. *inter cunctas*, quoad hoc reuocata sunt per Tridentin. Solùm videntur obstare verba sequentia dictæ Extrauag. nimirum. *Datam verò licentiam per diœcesanorum mortem nolumus terminari.* Attamen si rectè intelligantur, non obstant: nam, vt ex ipsis patet, solùm declarat Pontifex licentias ab Episcopis regularibus confessariis concessas, morte Episcoporum non expirare, sed durare. An aut idem Episcopus, aut eius successor possit eos iterum examinare, non dicit Pontifex, ac proinde Suarez *sup. cit.* asserit, spectato solo iure communi, eodem modo posse Episcopos iterum examinare

minare seculares, & Regulares confessarios: quod, vt diximus, supponere videtur constitutio Pij Quinti de anno 1571. & declaratio Cardinalium citata, dum concedunt Regularibus quòd non possint ab eodem examinari, si præuio examine approbati sunt, bene verò a successore. Supponentes ante dictam constitutionem posse à successore, imò ab eodem, iuxta communis iuris dispositionem, iterum examinari. Cùm ergo Prædicatores, & Minores à iure communi non habeant perpetuitatem approbationis, sed solùm iuxta dictam concessionem Pij Quinti, sequitur posse non ab eodem, sed ab eius successore, sicut alij Regulares, iterum examinari, & non idonei reprobari. Et per consequens eorum approbationem non esse perpetuam, durante scilicet vita approbati.

13 Totam autem difficultatem circa hanc materiam sustulit Vrban. VIII. in sua constitutione relata *num.* 9 vbi statuit *primò* Regulares posse iterum ab Episcopo successore examinari, & si minus idonei fuerint, reprobari, iuxta constitutionem Pij V. *Secundò* approbatos ab Episcopo ad certum tempus non posse confessiones audire, absque noua ipsius Episcopi licentia & approbatione præuio etiam, si ei libuerit, nouo examine. *Tertiò*, illos, quos ipsemet Episcopus semel admiserit ad confessiones audiendas simpliciter, & absque vlla temporis prædefinitione ab eodẽ reprobari non posse absque noua causa. Addit *quartò* Pontifex Episcopũ non teneri ipsis Regularibus edicere, subsit ne causa, nec ne, sed Sedi Apostolicę dũtaxat, vbi eam sibi aperiri postulauerit.

14 Nec obstant verba Bullæ Cruciatæ à Gregor. XIII. concessæ ibi: *Et quoad Regulares qui semel tantùm ab Ordinario fuerint approbati*, nam intelligenda iuxta Pij V. constit. de ann. 1571. sæpe citatam, & Congregationis declarationem, id est, qui semel sunt ab Ordinario approbati, tota vita ipsius Ordinarij approbantis durante, nam ea durante, semper durat Regularis approbatio; nec indiget noua ipsius Episcopi approbatione; nec per generale edictum ipsius Episcopi approbátis potest Regularis licentia & approbatio suspendi, nisi ex grauissima causa in particulari probata iuridicè, vt dictũ est *sup.*

His positis facilis est resolutio.

15 Dico igitur quoad seculares, primò, quando Parochi approbatio cessat, eo quòd beneficium parochiale renuntiauit, vel eo per iustam sententiam est spoliatus, validè per Bullam eligi non potest; quia, vt dictum est *hoc cap. dub* 3. *dist*. 3. *& dub*. 4. *vers. Dixi*, per beneficij parochialis abdicationem cessat approbatio à Tridem. requisita. Idem dicendum est de Confessario seculari ab Episcopo approbato, ex ipsius concessione, & delegatione confessiones audiente, is enim inualidè eligitur per Bullam postquam ab Episcopo est reprobatus, vel eius commissionem pro ipsius libito reuocauit, vt potest secundùm superiùs dicta: nam hic non est approbatus ab Ordinario, nec ab eo licentiam habet audiendi confessiones. Opposita autem sententia quam tenet Acosta *in explicat. Bull. q.* 40. *per tot.* non videtur improbabilis si absque iusta causa, & maliuiosè reprobetur, & de hoc constat, secus si non constiterit; nam in dubio præsumendum est pro Ordinario, in quam sententiam videtur inclinare Diana *tract*. 11. *resolut*. 12. tenenda tamen est nostra sententia, quam etiam tenet Lud. à Cruce *in expos. Bull d.* 1. *cap*. 2. *dub*. 12.

16 Quoad Regulares verò Rodriguez § 9. *num*. 1. & alij, qui existimant approbationem Regularium esse perpetuam, nec posse à successore reuocari, aut reprobari; consequenter asserunt posse validè per Bullam eligi, quamuis à successore Episcopo reuocetur. Limitat tamen Rodriguez hoc solùm procedere quando Regulares fuerunt iuxta formam Clementinæ *Dudum*, Episcopo præsentati, & approbati: non verò quando ea non seruata, fuerunt ab Episcopo propria sponte, & ad eius beneplacitum, sicut seculares approbati: nam in hoc vltimo casu sicut potuit Episcopus illum sponte, & pro libito approbare, sic & illum reprobare; ac proinde postquam reprobatus est, validè eligi non potest per Bullam. Ita Rodriguez §. 9. *n*. 33. & Lopez *c*. 8. *de Bulla pag*. 815. at quia existimamus Regularium approbationem non esse perpetuam, alia via incedendum est.

17 Dico secundò. Regularis approbatus vsque ad certum tempus, v.g. ad triennium, eo elapso validè eligi non potest per Bullam. Hanc tenere tenentur omnes qui affirmant Episcopos posse Regulares ad tempus approbare, vt dictum est *num*. 4. Ratio est aperta, quia cessat approbatio, & ea cessante, iam non est approbatus. Dixi, *tempore elapso*; nam intra illud tempus validè eligi poterit, si pius, & doctus, ac simpliciter sufficiens sit; quia censetur etiam pro illo tempore amplè, & non strictè approbatus: secus si ratione sufficientiæ: vel defectu scientiæ fuit ita strictè approbatus. Ita sentire etiam videtur Rodriguez *num*. 33. *cit.* dum docet valere talem restrictionem ab Episcopo ex iusta causa factam.

18 Dico tertio. Religiosus ab vno Episcopo approbatus, si ab eodem ad arbitrium, & pro libito reprobetur, validè adhuc post istam reprobationem eligi per Bullam potest: quia vt dictum est, iuxta concessionem Pij V. de anno 1571. suprà citatam, non potest hic ab eodem Episcopo examinari, & reprobari; atque adeò post talem reprobationem adhuc manet approbatus, & per Bullam eligibilis, & ita me citato tenet Diana *in addit. resol*. 7. & latius Lud. à Cruce *in exposit Bull. d.* 1. *cap*. 2. *dub*. 13. *n*. 6. cum aliis. Vbi addit: imò & rectè posset audire confessiones carentium illa virtute suorum priuilegiorum. Aduertit *num*. 14. & bene quidem, tutius esse in iis mandato Superioris acquiescere, tum quia non facilè constat reuocationem esse iniustam, & in dubio præsumendum est pro Principe; tum, quia rationes oppositæ non adeo sunt efficaces, euidentes vt tollant omnem ambiguitatem, tum quia, vt dixi *num*. 4. potest Episcopus ad tempus, & ad beneplacitum Regulares approbare, Dixi, *pro libito*; nam si ex causa, & sententia, iuxta dispositionem Trident. *sess*. 5. *cap*. 2. ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato reprobetur, validè postea eligi non potest, quia est verè reprobatus.

19 Dico quartò. Religiosus approbatus ab vno Episcopo, si ab eius successore examinetur, & reprobetur validè per Bullam eligi non potest, quia, vt dictum est, potest à successore iterum examinari, & non idoneus reprobari; ergo cùm iam non sit approbatus, eligi non potest. Idem dicendum existimo quando successor Episcopus reuocat, & suspendit generali edicto omnes à suo prædecessore concessas licentias, & approbationes; quia, vt etiam dictum est, id potest facere, & tali edicto comprehenduntur etiam Regulares, quod Pius V. loco citato concessit Episcopis ob maiorem quietem conscientiæ ipsorum. A fortiori dicendum est, eligi non posse Regularem, qui ab Episcopo fuit propria sponte approbatus sine licentia, & præsentatione suorum Superiorum, postquam ab eodem Episcopo est reuocatus, & reprobatus; quia talis reuocatio est valida, vt etiam fatetur contraria sententia, & docet Lopez *sup. cit.* atque adeò verè reprobatus, & inintelligibilis est.

Dub. VIII.

An sufficiat petere approbationem, si iniustè negetur, vt sit verè approbatus, & possit per Bullam eligi.

1 Conueniunt omnes, Sacerdotem secularem etiam si iustissimè approbationem ab Episcopo petat, & iniustissimè ei denegetur, nunquam esse reuera approbatum, & per consequens non posse per Bullam eligi. Ita Suarez tomo 4. in 3. part. disp. 28. sect. 5. num. 6. & communis Doctorum. Constat apertè ex Trident. sess. 23. cap. 15. ibi: *Nullum sacerdotem*, &c. Ex quibus verbis elicitur hæc conditionalis: Nisi quia sit approbatus ab Episcopo, non potest confessiones audire; ergo stante hac conditione, poterit confessiones audire, & non secus. Neque ad hoc refert, quòd talia conditio iustè, vel iniustè apposita sit, id est, quòd approbatio iustè, vel iniustè denegetur, vt patet his duobus exemplis, quæ affert Suarez suprà. *Primum* est. Propter hanc conditionalem, Nisi quis renatus fuerit, &c. etiam si ex iniquitate alterius paruulus priuetur Baptismo, non assequitur illius effectum. *Secundum* est. Propter hanc etiam conditionalem: Nisi quis declaretur hæreticus, non priuatur bonis suis, etiam si iudex iniustè illum non declaret; tamen quandiu non declaratur, non priuatur bonis suis; ergo similiter in nostro casu. *Secundò* à contrario sensu; quia si Episcopus te ipsa approbaret, etiam si fortè iniustè, vel malè faceret, tamen quoad sacramenti valorem pertinet, hoc sufficeret ex parte approbationis, ergo idem erit è conuerso, vt seruetur æqualitas. Voluit enim hoc Concilium referuare iudicio Episcoporum, quia illi sunt Superiores pastores Ordinarij; & quia, moraliter loquendo, præsumendum est bene vsuros hac potestate: lex autem moralis vniuersalis esse debet, etiam si quia in particulari possit interdum illa malè vti, neque aperienda fuit ianua, vt inferiores in dubium reuocarent hoc Superioris iudicium, sibique vsurparent, quod magis fuisset incommodum; quisque enim reprobatus præsumeret se iniustè reprobatum; quare etiam si euidentissimè constet iniustè esse expulsum, aut reprobatum, nunquam erit re ipsa approbatus, nisi accedat reuera Episcopi approbatio, etiam si talia Episcopus malè faciat, & repulsus iniuriam patiatur, quia deficit conditio necessaria. Ita etiam Lud. à Cruce *in expos. Bull. disp. 1. cap. 2. dub. 19. n. 3.*

2 Tota ergo difficultas est de Regularibus quando ab Episcopis iniustè denegatur approbatio. Ratio dubitandi est, quia Sacerdotes Regulares à suis Superioribus electi ad audiendas secularium confessiones, & Episcopo præsentati, habent à iure approbationem, & iurisdictionem si eos sic electos, & Episcopo præsentatos, Episcopus approbare noluerit, vt concessit Bonifacius VIII. in Extrauag. *Super Cathedram, de sepulturis*. Benedictus XI. in Extrauag. *Inter cunctos, de priuilegiis*, & Clemens V. Clementina *Dudum, de sepultur.* qui reuocauit Extrauag. Benedicti, & reduxit tem ad statum, in quo per Bonifacium erat constituta, & in eo duraui vsque ad Concilium Trid. Quare Henriquez *lib. 3. de pœnitent. cap. 6. num. 6.* & Rodriguez *1. tom. quæst. 59. art. 2.* existimant & fauet Lopez *cap. 8. de Bulla, pag. 822.* adhuc post Trid. Regulares legitimè secundum dispositionem Clementinæ *Dudum*, Episcopo præsentatos, iniustè tamen expulsos, seu reprobatos, esse ipso iure approbatos, quia existimant Trident *sess. 23. cap. 15.* non derogare supradictam concessionem (mutauit enim Rodriguez sententiam, nam contrarium docuit *in §. 9. num. 32. in principio*) quoad regulares Prædicatores, & Minores, & benè verò quoad alios Regulares; quia, inquit respectu Prædicatorum, & Minorum dicta concessio, eo quòd est in corpore iuris inserta, habet rationem legis commonis; respectu verò aliarum religionum tantum habet vim priuilegij: Concilium autem (inquiunt) solùm ibi derogat priuilegiis, & consuetudinibus. Eandem sententiam tenet Nauar. *in Man cap. 27. n. 264. in Miscellaneo primo, de præsent. Regularium*, Cenedo *q. 38. num. 20.* Sotus *in 4. d. 8. q. 4. art. 3.* Syluest. *confessor. 1. § 9.* & alij quos referunt Fagundez *lib. 7. c. 1. num. 15.* & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. c. 2. dub. 19. n. 13.* Cum ergo dicta concessio solùm respectu aliarum religionum sit priuilegium, respectu illarum tantùm per Trident. derogatur; consequenter ergo docent fratres Prædicatorù, & Minores censeri approbatos, si iniustè eis denegetur, & tales posse per Bullam eligi.

3 Nihilominus tamen dicendum est, etiam in his Regularibus Dominicanis, & Franciscanis necessariam esse post Tridentinum, hanc approbationem re ipsa obtentam: vnde quamuis legitimè præsententur, si eis, etiam si iniustè approbatio denegetur, non censentur approbati, nec possunt validè per Bullam eligi, quamuis peccet Episcopus sine iusta causa approbationem denegans, & per consequens Clementinam *Dudum*, esse reuocatam per Concilium Tridentinum. Quam sententiam adeò veram existimat Suarez *sup. num. 13.* vt contraria, nec practicè probabilis sibi videatur, cum Suarez sentit cum aliis Fagundez *lib. 7. c. 1. num. 13.* & Lud. à Cruce *disp. 1. cap. 2. dub. 19. num. 7.* etsi oppositam *n. 17.* existimet probabilem. Probatur, simulque ratio dubitandi soluitur, & contrariæ sententiæ fundamentum destruitur. *Primò*, quia illa exceptio repugnat expressè illis verbis generalissimis Concilij, *Nullus Sacerdos secularis, aut regularis*; vbi Concilium nos in hoc æquiparat; at, vt suprà probatum est, secularis quantumuis iniustè approbatio ei denegetur, non censetur approbatus; ergo nec Regularis; & sicut illa particula, *nisi*, est conditio sine qua non, respectu secularium, similiter, & respectu Regularium; ergo dicta Clementina reuocata est per Tridentinum, vt etiam docuit ipse Rodriguez *§. 9. n. 32.* in expositione Bullæ Cruciatæ, etsi postea in quæstionibus regularibus *artic. 2. citato*, mutauerit sententiam. Deinde rogo cum Suarez, an Concilium aliquid nouum statuat circa Regulares, necne. Si nihil, cur eos nominat? & si aliquid addit his quæ antea statuta erant, & id quod denuo statuit, vult ad Regulares extendi: statuit autem vt requiratur approbatio obtenta, vt ostensum est; ergo vult hanc Regularibus etiam esse omnino necessariam, & hoc est quod addit antiquiori iuri, per quod in hac re Clementina *Dudum*, derogatur. *Secundò* retorquetur fundamentum Nauar. *sup. num 264* Rodriguez, & Henriquez *sup.* quia hoc decretum etiam Conciliare est, & Pontificale, quandoquidem per Pontificem confirmatum est, habetque rationem, & vim legis communis: sed lex Pontificia addit aliquid priori legi, & corrigit illam, etiamsi in iure contineatur & nulla fiat expressa illius mentio, quando verba posterioris legis hoc requirunt, vt apertè colligitur ex *cap. 1. & 2. de constitutionib. in 6.* ergo verba illa, *Nullus etiam Regularis*, & dictio

dictio. *Nisi sit approbatus*, corrigunt illud ios antiquum,& in hac parte illud derogant.*Tertiò*,Pius V. in Motu proprio 41. anno 1567. die 16. Maij, qui incipit, *Etsi Mendicantium pag.* 228. in meo Bullario *tom.* 2. concessit his Religiosis, præsertim Theologiæ Magistris, vt speciale priuilegium,quod sine approbatione Episcopi possint audire secularium confessiones, non reuocando Clementinam *Dudum*, sed solùm Concilium Tridentinum; ergo intellexit ea vi Concilij Tridentini necessitatem,esse Regularibus hanc approbationem: vnde ann.1571. 21. die Iulij, in Motu proprio qui incipit *Romani Pontificis*,qui est *num.*133.*pag.* 345. reuocauit priorem motum, & apertè voluit etiam Magistros Theologiæ Regulares indigere hac approbatione. Quod postea confirmauit Gregor. XIII. ann.1572. die 30. Decembris, Motu proprio 9.*pag.* 370. qui incipit, *In tanta*, & reduxit ad formam Concilij Tridentini;ergo clarè supponunt ij Pontifices hanc legem Concilij comprehendere Regulares omnes, & Clementinam, *Dudum*,per Trid.esse reuocatam.

4 Nec obstat si dicas cum Rodriguez *art.*2. *cit.* ex regula iuris, *Generi per speciem detrahitur*; ergo per illam specialem concessionem Clementinæ, *Dudum*, Prædicatoribus, & Minoribus factam, detrahitur generalitati Trident. ita vt sub illa voce, *nullus*, non comprehendantur Dominicani,& Franciscani.Respondeo, hoc esse verum quando ex ipsis verbis generalibus legis posterioris, aut aliis extrinsecis non conuincitur contrarium; at ex ipsis verbis Trident.& aliis constitutionibus Pontificiis suprà allegatis, conuincitur per generalitatem Trident. detrahi speciei, seu specificæ concessioni dictæ Clementinæ. Respondeo *secundò*, regulam procedere quando in genere nulla fit mentio speciei, vt in exemplis adductis à Rodriguez *art.*2.*cit.* Verbi gratia, lex antiqua concedens quòd filij nobilium possint portare arma, non derogatur per posteriorem generalem, qua prohibetur, vt nullus possit ea portare sub pœna decem ducatorum; secus si in generali mentio fieret de specificis personis. Vt si diceret, nullus ignobilis,aut nobilis; at in nostro casu in generali lege fit mentio de lege specifica: nam in Clementina *Dudum*, conceditur Regularibus approbatio iniustè negata; in Trid. autem statuitur, vt nullus secularis, aut regularis audiat confessiones sine approbatione Ordinarij: ergo speciei in hoc casu detrahitur. Respondeo *tertiò*. Illud procedere quando lex generalis non est contraria legi specificæ, in nostro autem casu lex generalis Trident. est omnino contraria, & opposita legi specificæ Clementinæ *Dudum*. nam, vt docet Philosophus *lib.* 1. *de enuntiatione*, *cap.*5. hæ enuntiationes sunt verè contradicentes, ita vt ambæ non possint esse veræ & falsæ, sed vna vera, altera falsa; nimirum, Omnis homo est albus, Nullus homo est albus: seu, Nullus homo est lapis: quidam homo est lapis. Ergo similiter hæ erunt verè contradicentes. Nullus Regularium potest audire confessiones secularium sine approbatione Episcopi; ergo aliquis Regularium potest, &c. nam est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, & per consequens altera vera, & altera debet esse falsa: & cum vox, Nullus regularis, collectiua, & negans sit, supponit necessariò pro omnibus,& singulis contentis sub illo subiecto cui adiungitur: vt hæc vox, Nullus homo est lapis, supponit pro omnibus contentis, sub homine distributiuè sumptis, scilicet pro illo,aut illo, Petro scilicet, & Ioanne:sic hæc vox, Nullus Regularis potest,&c. supponit pro hoc, aut illo Regulari;ergo verum est dicere,Hic,aut ille Regularis,qualiscunque,sit dummodo sit Regularis, non potest audire confessiones nisi sit ab Episcopo probatus:ergo duæ hæ propositiones, Nullus Regularis potest, &c.]& aliquis Regularis, v.g. Ordinis Prædicatorum, vel Minorum, potest,&c.verè contrariantur;ergo absque firmo fundamento Rodriguez ab illa voce, *Nullus Regularis* excipit & extrahit Prædicatores, & Minores. Concludendum igitur est,nullum Regularem absque vera & reali Episcopi approbatione posse secularium confessiones audire,& per Bullam eligi.

5 Dixi sup.*n.*2. quando iniustè denegetur: nam si iustè denegata sit, certissimum est non manere approbatos.Imò & quando non constat euidenter approbationem iniustè negari, vt bene Lud. à Cruce *vbi sup.c.*2 *dub.*19.*n.*1.quia ius Superioris integrum manet,iusteque fecisse præsumitur, quando oppositum non est manifestum. Certum etiam est ad huiusmodi approbationem, seu delegationem iurisdictionis non sufficere ratihabitionem, nec tacitus consensus Superioris, nisi externè adeò manifestetur,vt delegato innotescat voluntas delegantis. Ratio huius est, quia ad validitatem sacramenti requiritur certa iurisdictio tempore quo detur absolutio, vt latè ostendit Suar.*tom.*4.*disp.*16.*sect.*1. & cum eo & aliis Lud.à Cruce *suprà dub.*10.

Dub. IX.

Vtrum Religiosi possint eligere virtute Bullæ confessarium qui eos à reseruatis absoluat.

1 SVppono primò, nomine Regularium intelligi tam viros, quàm fœminas, nimirum Religiosos, & Religiosas, seu Moniales, quia Moniales secundùm iura seculares non sunt Suar. *tom.* 4. *in* 3.*p disp.*18. *sect.*4. *num* 4. *& tom.*3 *de relig.lib.*3. *cap.*3 *n.*11.Sicut nomine monasteriorum,intelliguntur tam virorum, quàm mulierum monasteria, vt cum Couarru.diximus *suprà* §.3.*dub.*2.*n.*5.Vide infra §.9.*dub* 3.*n.*5.Atque ita omnia quæ de Religiosis, & Monachis dicuntur,de Monialibus, & fœminis religiosis sunt etiam intelligenda.

2 Secundò suppono, Nouitios & Nouitias cuiuscunque Religionis posse liberè absque vlla Superioris licentia accipere Bullam Cruciatæ,& in omnibus frui illius priuilegiis,sicut alij seculares. Nam etsi in fauorabilibus nouitij sub nomine Religiosorum comprehendantur, minimè verò in oneribus, & odiosis,vt cum Henriquez,Rodriquez,& aliis,diximus §.1.*dub*.7.*dicto* 1.Diana *tract.*11.*resol.* 15. & Lud.à cruce *disp.*1.*cap.*1.*dub.*14.

3 Tertiò suppono, Religiosos, Ordinis Militaris posse absque licentia Superiorum Bullam sumere,& eius priuilegiis sicut seculares gaudere. Ita Henriquez *lib.*7.*c.*12.*n* 4 *litt.T.*quod deducitur ex clausula illa, vbi in prohibitione vescendi oua & lacticinia facta regularibus, non comprehenduntur Regulares Militares. Idem eodem modo dicendum existimat Henriq.de Religiosis non Mendicantibus, quamuis non sint Militares, quia Bulla dum suspendit gratias, facultates, &c. solùm excipit ea, quæ sunt concessa Mendicantibus quoad eorum fratres. Fauet Rodrig. §. 9. *numer.* 24. *cit. & tom.*1.*quæst.*11. *art.* 10. vbi solùm mentionem facit de Mendicantibus, nam indulta quæ prohibent, ne Religiosi, inuitis Prælatis, frui possint Bulla, solùm loquuntur de mendicantibus: attendendus tamen

tamen est indulti tenor. Vnde si tantùm loquatur de Mendicantibus, non est extendendum ad non Mendicantes: quia, vt ait Henriquez *sup.* licèt ij per communicationem fruantur priuilegiis Mendicantium, sed non in isto casu, quia esset contra intentionem Papæ, & Commissarij, & exceptio qua soli Mendicantes declarantur, firmat regulam in contrarium.

4 Quartò suppono, Religiosos Mendicantes, etiam Ordinis Minorum, posse licitè procurare pecunias, & Bullam accipere, & frui omnibus indulgentiis & gratiis, excepta facultate eligendi confessarium pro reseruatis, de qua est quæstio. Ita Rodriguez *loc. cit.* & alij communiter.

5 Quintò suppono, Mendicantes Religiosus de licentia Prælatorum posse ratione Bullę eligere confessarium, qui eos absoluat à reseruatis suis Superioribus. Ita communiter DD. quia per indulta Pontificum de quibus infra, solùm prohibentur, ne quoad absolutionem reseruatorum frui possint Bulla sine licentia suorum Prælatorum; ergo poterunt si adsit dicta licentia, quam licentiam concedere tenentur Prælati sub peccato mortali, vt docet Rodriguez §. 11. *n.* 23. Nam Pius V. in Motu proprio, qui incipit, *Romani Pontificis* 32. *pag.* 345. *col.* 1. postquam prohibuit ne fratres Prædicatores eligant confessarium in ratione Bullæ absque licentia Prælatorum, subdit: *Eisdem tamen Prælatis in vsu huiusmodi potestatis suis subditis se benignos & faciles exhibeant; præcipientes & mandantes.* quæ verba videntur obligare sub mortali, iuxta Clement. *Exiuit*, quod sequitur Nauar. *not.* 32. *num* 5. *de indulg.* Idem tenet Lud à Cruce *disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 9. *n.* 4. qui *num.* 5. tenet cum Villalob. *p.* 1. *tr. ct.* 27. *claus* 11. *n.* 29. probabile esse, & bene quidem, quòd subditos si prædictam petat licentiam, & sibi denegetur, licitè potest Bullam sumere, atque illius fructu gaudere, modò in reliquis suæ processionis modificationem obseruet. Addit Villalob. peccare grauiter Prælatum eam denegantem, & esse puniendum à Commissario; Prælatus autem, qui hanc licentiam potest concedere, est generalis, prouincialis, & qui de iure communi potest absoluere à reseruatis, vnde non sufficit licentia Prælat. localis, nisi fortasse in iis Religionibus, in quibus illi possunt etiam de iure à dictis casibus absoluere, & absoluendi facultem aliis delegare, ita Lud. *sup dub.* 13. *num.* 3.

6 Sextò suppono, aliquos Summos Pontifices concessisse Superioribus religionum Mendicantium, ne eorum fratres absque ipsorum Superiorum licentia possint virtute Bullæ eligere confessarium secularem, qui eos à reseruatis possit absoluere. Ita concessit Prædicatoribus Iul. II. Pius V. Bulla 152. citata, quæ incipit, *Romani Pontificis*, *pag.* 344. *col.* 1. & Leo X. concessit Minoribus, ne fratres absoluantur à reseruatis virtute cuiuscumque priuilegij aut Cruciatæ, Et Gregorius XIII concessit non posse Religiosos Societatis, sine expressa suorum Superiorum licentia, vti facultatibus Iubileorum, Bullarum Cruciatæ, & aliorum indultorum, licèt in eis exprimatur quòd omnes Regulares, etiam Mendicantes, illis vti valeant: vt habetur in compendio Societatis *tit. Absolut.* §. 11. & referunt Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. num.* 4. & 5. Rodriguez *quæst.* 61. *artic.* 4. & Frater Ioann. de la Cruz *lib.* 2. *de statu religioso*, *cap.* 6. *dub* 12. *conclus.* 1. Item Sixtus IV. idem concessit Hieronymianis. Idem etiam concessit Minoribus, & Augustinianis & Iulius II. Cisterciensibus, & Gregorius XI. concessit Congregationi Montis Oliueti, & Clemens VII. Congregationi Sancti Georgij de Alala. Item Innocentius VIII. concessit Prædicatoribus, & Leo X. concessit Minoribus, ne litteræ & exemptiones Religiosis à Papa concessæ, eis suffragentur, sine expresso consensu Vicarij generalis. Ita referunt Rodriguez 1. *tomo*, *quæst.* 62. *artic* 4. & frater Ioannes de la Cruz *de statu religiosi lib.* 1. *cap.* 6. *art.* 3. *concl.* 1. *dub.* 12.

7 Tandem Clemens VIII. Bulla 9. quam refert Quaranta in suo Bullario, *verb. Confessor, pag mihi* 197. & habetur in Bullario *tom.* 3. *pag* 89. & est in numero 66. & incipit, *Romani Pontifices*, decernit concessionem Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium quantum ad articulum eligendi confessorem, & absoluendi à reseruatis, cum Religiosis vtriusque sexus locum non habere, sed ait Papa, *Nostra intentionis esse quòd dicti Religiosi in prædictis dispositioni suorum Prælatorum sint subiecti auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò declaramus.* Vbi notat frater Ioannes de la Cruz *vbi suprà*, quòd hic Clemens VIII. solùm declarat suam intentionem, vt patet ex contextu, pro Bullis scilicet, & indultis particularibus à se concessis, & concedendis: non tamen est absoluta, & generalis declaratio pro concedendis etiam à suis successoribus.

8 Difficultas ergo est, an ista priuilegia suspendantur per Bullas Cruciatæ concessas post talia priuilegia ab aliis Pontificibus. Nam certum existimo cum Ioan. de la Cruz *vbi suprà*, non suspendi per Bullas eorundem Pontificum, etiam concessas post dicta priuilegia, cum in eisdem habeatur, non posse Religiosos vti Bullis concessis, aut concedendis ab eisdem Pontificibus, vt ex citata Gregor. XIII. concessione constat.

9 Prima sententia asserit, supradicta priuilegia esse per Bullæ concessionem reuocata, ac proinde validè posse Mendicantes confessarium etiam secularem eligere, qui eos à reseruatis possit virtute Bullæ absoluere absque suorum Prælatorum licentia. Ita tenent Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *artic.* 3. *ad* 1. Lopez *cap.* 8. *de clauibus.* §. *propterea hic*, *pag.* 822. & *sequent.* & multi Doctores Salmanticenses, quos refert & sequitur Henriquez *lib.* 7. *de indulgent.* *cap.* 22. *num.* 4. Fundamentum huius sententiæ est, quia Summus Pontifex in Bulla, vt dictum est, concedit facultatem Regularibus sumendi eam, & quando Bulla post suspensionem omnium indulgentiarum, gratiarum, & facultatum excipit concessa Superioribus Mendicantibus quoad suos Religiosos, ista exceptio intelligitur respectu tantùm indulgentiarum, vt patet ex contextu, dum dicitur, *Quoad sibi subditos*; quod verificari debet de indulgentiis, v.g. de indulgentia plenaria, visitantibus, v.g. Ecclesias Sancti Dominici in eius festo, quæ suspenditur quoad seculares, non tamen quoad Religiosos. Et confirmari potest, quia Commissarius absolutè derogat priuilegiis huic expeditioni contrariis; at talia sunt supradicta, nam multi Religiosi retardarentur ab acceptione Bullæ. *Secundum* fundamentum est, supradicta priuilegia ex tacito Prælatorum consenso, vt ait Henriquez *supra*, esse reuocata, & abiisse in dissuetudinem, eo quòd concessa Bulla Superiores Religionum non procurant supradictorum priuilegiorum renouationem, & eam obtentam non promulgant in suis Religionibus, nec suis subditis intimare faciunt, nec constat eam sic notificatam esse à subditis acceptatam: vt latiùs infrà patebit, & potest roborari. Quia quando Superiores concedunt subditis Religiosis facultatem accipiendi Bullam, in ea concessione non exprimunt, nec limitant, vt Bulla eis prodesse non possit quoad absolutionem à reseruatis,

sed

sed eam absolutè, & sine limitatione concedunt; vt accepi à quodam Religioso probo, fideque digno, quod signum est tacitæ renonciationis suorum priuilegiorum; ergo Regularis, etiam ex Mendicantibus, potest frui Bulla pro absolutione reseruatorum, etiam sine licentia Superiorum.

10 Secunda sententia negat dictos Regulares posse absque suorum Prælatorum licentia frui supradicta facultate. Ita tenent Collector priuilegiorum *verb. Cruciata*, & *ibi* Corduba, & Hieronymus à Sotbo *in annotationibus*, Rodriguez 1. *tom. regular. quæst.* 21. *artic.* 10. & in expositione Bullæ, §. 9. *num.* 14. Existimant enim, supradicta priuilegia non esse per Bullam reuocata, quia quando in Bulla suspenduntur omnes indulgentiæ, gratiæ, & facultates, expressè excipiuntur gratiæ, indulgentiæ, & facultates concessæ Superioribus Mendicantium quoad sibi subditos; ergo supradicta priuilegia excepta sunt, & per consequens per Commissarium non suspenduntur. *Secundò* confirmatur hæc sententia, quia vt refert Rodriguez §. 9. *num.* 14. Archiepiscopo Valentino Dom Ioanni à Ribera Domino meo, consulenti, an Moniales sibi subditæ possent per Bullam eligere sibi confessorem? respondit Congregatio Cardinalium tempore Gregorij XIII. sic: *Congregatio Concilij censuit quatenus gratia ex Bulla Cruciata pertinet ad Moniales non posse vigere facultatis in eadem Bulla concessa, alios eligere confessores, præter eos, qui ad audiendas confessiones earum ab Ordinario sunt approbati. Tertio*, quia antea, vt in Bulla Pij Quinti, concedebatur Regularibus expressa facultas eligendi confessarium pro reseruatis, quod postea fuit sublatum; ergo signum est nolle modo Summos Pontifices vt Religiosi fruantur hoc Bullæ priuilegio. *Quartò*, quia si pro libito possent eligere confessarium, destrueretur, & eneruaretur disciplina regularis: vt late probat annotator Collectoris priuilegiorum Mendicantium, *verb. Cruciata*, quod nullo modo credendum est, de mente Summi Pontificis; ergo Regulares virtute Bullæ non possunt eligere confessarium pro reseruatis absque Superiorum suorum licentia. Ideo præter citatos hanc sententiam tuetur Ludouic. à Cruce *in exposit. Bullæ disput.* 1. *cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 5. cum Villalob. *part.* 1. *tract.* 27. *clauf.* 9. *n.* 11 & *dub.* 12. *n.* 2. idem sentiunt Coriolan. *de casib. reseruatis p.* 1. *sect.* 3. *art.* 14. Portel. *in dub Regul. verb. Bull. Cruciat. n.* 1. & cum aliis Anton. Diana *tract.* 11. *tom.* 1. *resol.* 14 *in fin.* vbi appositam sententiam non approbat.

11 His positis dico igitur, supradictas sententias ambas esse probabiles, & securè posse vtramque ad praxim reduci, quia, vt docent Rodriguez 1. *tomo, quæst.* 21. *art.* 10. & Ioannes de la Cruz *de statu Religioso, lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 12. *concl.* 3. probabile est supradicta priuilegia reuocari, & suspendi per Bullam; tum etiam, quia vtraque sententia habet graues authores, & fundatur probabili ratione; ergo neutra est temeraria, sed rationabilis: at licitum est sequi opinionem probabilem; ergo vtraque est practicabilis: ac proinde primam tanquam admodum probabilem tutam, & securam, amplector. Et *primò* ducor, quia non constat expressè ex Bulla, supradicta priuilegia Mendicantium esse à suspensione generali per Commissarium facta excepta; imò, vt ait Frater Ioannes de la Cruz, probabile est esse etiam quoad ipsos Mendicantes suspensa. *Secundò*, dato quòd non sint per Bullam suspensa, videntur tamen tacitè eis renuntiasse Prælati religionum, saltem tacitè permittentes, vt eorum subditi eligant per Bullam confessarium pro reseruatis, vt docet Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 22. *numer.* 4. vbi dicit, priuilegium Gregorij Decimitertij in fauorem suæ Religionis esse in viridi obseruantia. Nihilominus tamen ab ipsis practicari hanc sententiam audiui à viro probo, & fide digno, ea quo possumus de illis, ac de aliis idem iudicium facere. *Tertiò*, quia, vt docet Rodriguez *articul.* 10. *citato*, supradicta priuilegia post Bullæ promulgationem non sunt ad instantiam Prælatorum per Papam reualidata, & post reualidationem à Superioribus subditis suis notificata, & per notificationem à subditis acceptata. Quæ omnia ad horum obligationem requiruntur, secundùm opinionem probabilem Soti, & Medinæ, quos refert Rodriguez *supra* § 9. *num.* 14. Quòd si essent reualidata, intimata, & acceptata post Bullæ concessionem, certum est, vt benè Lopez *suprà citatus*, hanc opinionem tunc non esse probabilem, nec posse vllo modo practicari. *Quartò*, quia vt referunt Rodriguez & Lopez *locu citatis*, hæc opinio practicatur in consilio Cruciatę. Patet etiam ex vsu, & consuetudine sapientium, & timoratorum, videntibus, dissimulantibus, & consequenter consentientibus Prælatis, quorum est tollere à subditis ignorantiam rei tam necessariæ ad salutem, & oppositum executioni mandare, vt benè aduertit Ioannes de la Cruz *concluf.* 3. *citat.* Consuetudo autem vt docent Nauarrus *cap.* 21. *num.* 255. & Rodriguez §. 11. *num.* 25. dat iurisdictionem, seu vt propriè loquar, interpretatur dari ab Ecclesia iurisdictionem, vt benè docet Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 8. *num.* 2. cum Nauarr. *cap. placuit*, & aliis. Hanc sententiam, ait, esse probabilem, Villalobos *tract.* 17. *clausul.* 9. *numer.* 13. (etsi oppositam existimet securiorem) & refert sic respondisse Autolinez, Cutiel, & Cornejo, Magistros Salmanticenses, & Patres Societatis I e s v. Addit, vt Confessarij à Regularibus per Bullam electi, requiri, vt sint à Superioribus approbati; at hoc non requiritur, sed sufficit quòd ab Episcopo sint approbati, vt dictum est *dub. seq. n.* 5. Eandem sustinent Ioann. à Cruce *de statu religioso, lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *conclus.* 3. Sanctius *in selectis disp.* 44. *n.* 10. *ad fin. & num.* 13. Basilius Ponce de Leon *de matrim. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 7. & Clarus *lib.* 2. *cap.* 19. §. 2. *numer.* 13. & nouissimè *in tractat.* 3. *de pœnitent.* Rius Mendos. citatus à Patre Ludouic. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 1. *c.* 1. *dub.* 10. *n.* 16. qui omnes, præter Ludou. à Cruce, censent hanc opinionem esse probabilem.

12 Nec obstant allegata pro secunda sententia: nam ad primum iam dictum est in secunda sententia, solùm à suspensione generali per commissarium facta, excipi indulgentias Religiosis concessas, vt probabiliter tenet Rodriguez *suprà*, & Ioannes de la Cruz: tum etiam, vt docet Lopez *suprà*, facultates ordinarias, quas habent Regulares per sua priuilegia absoluendi suos subditos à quibusdam casibus, & censuris reseruatis. Quocirca, cùm Bulla concedat Religiosis facultatem eligendi Confessorem, censetur eam concedere, non obstantibus his facultatibus ordinariis, quas obtinent Prælati ad deputandum Confessarios suis subditis, & ad reseruandum sibi casus: alias hæc concessio nihil operaretur, aut conferret dictis Religiosis: cùm tamen priuilegium ne sit frustraneum, aliquid debeat operari.

13 Et dato quod dicta priuilegia etiam sint à generali suspensione excepta, sunt tamen per contrarium vsum ex tacito consensu Prælatorum reuocata modo quo *sup. Secundò* nec obstare videtur declaratio Cardinalium allegata, quia potest interpretari

ioata mentem Ledeſmæ, & Suarez, vt dictum eſt hoc §. *dub.* 2. *num.* 11. *& dub.* 5. *num.* 3. *Tertiò*, nec obſtat tertium, quia hoc non eſt omnino nunc à Bullis ſubtractum: nam, vt patet expreſsè ea illios tenore, Religioſi poſſunt ſumere illam, eiuſqoe priuilegiis gaudere. Solùm dubitatur, an priuilegium eligendi Confeſſarium pro reſeruatis ſine licentia Prælatorum, ſit per ſupra dicta priuilegia reuocatum.

14 Ad quartum reſpondeo cum Soto, damnum, ſi quod euenerit religionibus ex eo quòd earum fratres poſſent Confeſſarios pro libito eligere, ſufficienter reparari propter bonum Eccleſiæ, quod poteſt Pontifex facere vt ſupremus Paſtor, & prouidere ouibus ſuis, prout iudicauerit eis expedire. Adde, parum, aut ferè nihil derogari ex hoc regulari diſciplinæ: ſicut nec derogatur multum de diſciplina Eccleſiaſtica, ea eo quòd laici, & ſeculares clerici eligant quem voluerint Confeſſarium. Sicut enim conſuetudo eſt totius Eccleſiæ, vt Epiſcopi reſeruent caſus, & nihilominus Papa propter bonum commune Eccleſiæ tollit hanc reſeruationem valde neceſſariam ad Eccleſiaſticam diſciplinam: ita licet conſuetudo ſit in religionibus, vt Prælati reſeruent caſus, & aſſignent determinatos Confeſſarios propter diſciplinam regularem, poteſt nihilominus Papa virtute Bullæ hoc tollere propter bonum commune quod ſequitur Eccleſiæ, ea eo quòd plures accipiant Bullam.

15 Nec obſtat denique declaratio ſupradicta Clem. VIII. nam, vt bene notat frater Ioannes de la Cruz *ſup. cit. concl.* 1. *§. tandem*, ſolùm declarat ſuam intentionem, pro Bullis ſcilicet, & indultis particularibus à ſe concedendis, & conceſſis: non autem eſt abſoluta, & generalis declaratio pro concedendis à ſuis ſucceſſoribus: proindeque ipſius ſucceſſores Bullam concedentes potuerunt Clementis intentioni, & declarationi derogare, concedendo nimirum facultatem Regularibus Bullam accipiendi, & eius priuilegiis fruendi. *Secundò* reſpondeo, ita reſpondiſſe Clementem, & cenſuiſſe Congregationem Cardinalium; quia videur religiones habere priuilegia Pontificia, ne earum fratres poſſint adhuc virtute Bullæ eligere Confeſſorem quem voluerint, & præſumunt Superiores religionum iſta priuilegia ſufficienter promulgaſſe, & eſſe reualidata, & acceptata. Cùm autem, teſte Rodriguez *ſup.* non conſtet id præſtitiſſe Superiores religionum, dicendum eſt ſupradicta priuilegia eſſe reuocata per Bullam, & in nihilo obſtare ſupradictam declarationem. Ioannes Valero *verb. Bulla Cruciata, diff.* 1. *num.* 3 *concl.* 5. limitat, tunc non poſſe Regularem eligere pro reſeruatis, &c. Si præfata Clementis declaratio, ſeu breue, publicatum ſit in conuentibus ab ipſis Prælatis, alias non obligat, cùm ſit facta ad inſtantiam tantùm Procuratoris generalis Ordinis Carmelitarum, & non Motu proprio Papæ, & ſic non publicata dum verò non publicatur, poſſunt Religioſi dicta Bulla frui, etiam quoad electionem Confeſſarij, dummodo ſit ea deputatis ab ipſis, niſi ſit extra clauſtrum. Addit *Nihilominus, audiui Religioſos ea indiſtinctè vti: ſicque practicari, quamuis in foro externo poſſent per Prælatos puniri, ſi alius quam à ſe expoſitis confiteantur, ſed neque hoc, ait, audent facere Prælati. Intellexi enim quoſdam Prælatos à commiſſario Bullæ reprehenſos fuiſſe ſuper hoc.* Hæc ille.

16 Concludendum igitur eſt, Regulares Mendicantium licitè, & validè abſque licentia Prælatorum, vigore Bullæ Cruciatæ poſſe eligere pro libito quemcunque Confeſſarium ab Ordinario approbatum, qui eos poſſit abſoluere etiam à reſeruatis ſuis Superioribus, & Papæ, ſicut alij ſeculares caſu tamen quo non conſtaret eorum priuilegia poſt Bullæ promulgationem eſſe reualidata, notificata, & acceptata modo ſuprà explicato. Quare ſicut ſæculares poſſunt à reſeruatis Papæ per Bullam abſolui ſemel in vita: & iterum in art. mort. & à non reſeruatis Papæ, toties quoties, vt dictum eſt ſuprà *c.* 1. *dub.* 2. *n.* 4. ita ſimiliter Regulares per Bullam poterunt eligere Confeſſarium approbatum, modo vt infr. *dub. ſeq.* qui eos à reſeruatis Papæ, ſemel in vita, & iterum in articulo mortis intra annum publicationis abſoluat; & à non reſeruatis Papæ, etiam ſi ſuis Superioribus ſint reſeruati, toties quoties oportuerit.

17 Aduertendum tamen eſt Vrbanum VIII. die 29. Iunij anno 1630. Motu proprio, & ex certa ſcientia, circa præſentem materiam quandam edidiſſe conſtitutionem, qua confirmauit, ampliauitque editam à Clem. VIII. declarans ſuæ intentionis eſſe, vt fratres, ac Moniales omnes quorumcunque Ordinum, & congregationum Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouinciæ, quàm extra eam, quantum ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata ſubiecti ſint, quam conſtitutionem refert Anton. Diana *in addit. reſol.* 9.

18 Hac ergo ſuppoſita conſtitutione, & declaratione Diana *vbi ſup.* me citato, exiſtimat primam ſententiam non eſſe probabilem, nec tutam in praxi, ſaltem dum viuit SS. Vrbanus VIII. ideoque non poſſe Regulares quoſcunque virtute Bullæ eligere Confeſſarium extra Ordinem pro caſibus Papæ, vel ſuis Superioribus reſeruatis, conſequenter corruere probabilitatem noſtræ ſententiæ. Cuius ſententiam exiſtimat veriorem P. Ludou. à Cruce *in expoſit. Bull. Cruc. diſp.* 1. *c.* 1. *dub.* 12. *n.* 2. vbi id latè probat poſtquam *dub.* 10. retulit duas opiniones. *& dub.* 11. rationes oppoſitas pro vtraque ſententia ſoluit.

19 Nihilominus tamen ſuppoſita etiam dicta conſtit. Vrbani VIII. ſi & vbi illa à Superioribus non eſt ſubditis notificata, & intimata, & ab illis acceptata, videri alicui poſſet etiam probabiliter dicendum, poſſe primam ſententiam ſua probabilitate non carere: & idem in hoc caſu dici poſſe de hoc priuilegio, & aliis Regularium, ac dictum eſt hoc *dub. n.* 11. de conſtitut. Clem. VIII. quod etiam ſupponere videtur Lud. à Cruce *ſup. dub.* 15. *num* 5. vbi exiſtimat verius eſſe Regulares non poſſe eligere Confeſſarium pro reſeruatis; quibus verbis ſupponit primam ſententiam, etiam nunc, non eſſe deſtitutam veritate, & probabilitate.

20 Poſſet etiam roborari hæc ſententia. *Primò*, quia etſi multi, grauiſſimique DD. doceant ſufficere promulgationem Romæ factam, ad hoc vt Pontificiæ leges obligent in toto Orbe terrarum, & non eſſe opus, vt publicentur in ſingulis diœceſibus, & Prouinciis, vt docent Suarez *de legib. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 2. Salas *diſp.* 12. *ſect.* 5. *num.* 10. Saytus *in claue Regia. lib.* 3. *c.* 5. *n* 7. & alij, apud Dianam *tract.* 10. *de legibus, p.* 1. *reſol.* 8. probabile etiam eſt non ſufficere ad earum obligationem, promulgationem Romæ factam, ſed eſſe neceſſe vt promulgentur in ſingulis diœceſibus, & prouinciis, vt docent Serarius *in ſuis opuſculis Theolog. tom.* 3. *diſp. de legib. num.* 56. *& ſeqq.* Emanuel Sa *verb. Lex. num.* 9. Toletus *de poteſt. Confeſſorum, cap.* 9 *q.* 5. Medina *in* 1. 2. *q.* 90. *artic.* 4. *dub.* 3. *poſt* 2. *concluſ. & dub. vltim. concluſ.* 5. Angelus *verb. Lex, num.* 13. Sotus *de iuſt. lib.* 1. *quæſt.* 1. *artic.* 4. Lud. Carbo *de Religio-*

ſis,

sis, lib. 3. *disp.* 9. Conrad. *in* 1. 2. *q.* 90. *artic.* 4. *ad* 2. Miranda *in Manuale Prælatorum, tom.* 2. *q.* 25. *art.* 4. *concl.* 5. Victorelius *in notis ad Manuale Nauarri, cap.* 23. *num.* 30. & Molina *de iust. & iure, tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 595. *num.* 4. vbi sic ait: *Opinio illa, quòd Pontificiæ leges, statim post duos menses, à publicatione Romæ facta totam obligent Ecclesiam, neque necessaria sit publicatio in singulis Prouinciis, aut diœcesibus, non est tam certa, quam certa supponitur, quin potiùs contraria, meo iudicio, est probabilior.* Ita Molina, quam sententiam probabilem, & tutam in conscientia putat Layman *in Theolog. moral. lib.* 1. *art.* 4 *cap.* 3. *num* 3. Becanus *in Summ. Theolog. p.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. & 6. *in fine.* Homobonus *de examin. Eccles. p.* 2. *tract.* 12. *cap.* 3. *quæst.* 10. *in fine,* & Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 13. *num.* 28. oppositam sententiam vocat probabiliorem, vbi supponit hanc esse probabilem. Probarique potest hæc sententia. *Primò,* nam nimis durum esse videtur, si statim atque Romæ promulgatur aliqua Pontificia constitutio obligaret Christianos per totum mundum dissipatos. *Secundò* in multis locis Concilij Tridentini leges non seruantur, quia ibi non fuerunt promulgatæ. *Tertiò,* id colligitur ex *cap. cum infirmitas, de pœnitent. & remiss.* vbi statuitur legem Concilij generalis, quæ circa Medicos est lata, non prius obligare Medicos, quàm fuerit à locorum Ordinariis promulgata; ergo etiam Pontificia constitutio non obligat in diœcesibus, vbi non fuerit promulgata. Iudices autem Curiæ, his non obstantibus, iudicant iuxta oppositam opinionem, quia probabilior est, & communior; sed non ex hoc sequitur hanc opinionem esse falsam. Facit etiam quod docet Sotus *lib.* 1. *quæst.* 2. *art.* 4. Medina 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 4. & approbat Becanus *sup. num.* 7. & dicit probabile Villalobos *part.* 1. *tract.* 2. *diff.* 12. *numer.* 9. & alij in materia de legibus, nimirum leges reuocatorias priuilegiorum non censeri vim, & robur habere donec promulgentur, non solùm in Prouincia, sed etiam in diœcesi; ergo indulta Regularium per Sedem Apostolicam facta, quibus priuilegium cunctis fidelibus virtute Cruciatæ concessum, reuocatur, non habent robur contra Regulares ipsos, vbi non sunt promulgata, saltem in capitulis Prouincialibus, seu conuentuum visitationibus, per superiores factis. Ratio est, quia per huiusmodi promulgationis defectum, videntur Superiores quodam modo renuntiare suis indultis, & consequenter tacitam suis subditis concedere facultatem vtendi Bulla, igitur applicando supradictam doctrinam ad nostrum casum, probabiliter asserere possumus dictam constitutionem Vrbani VIII. non obligare in tota Ecclesia, nisi in diœcesibus illis, & Prouinciis vbi fuerit promulgata.

21 Secundò potest confirmari, nam etsi verissimum sit, posse Pontificem obligare fideles ad obseruantiam suæ legis, quamuis populus contradicat vt contra Nauarr. *cap.* 23. *num.* 14. & Valentiam *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 5. *q.* 4. tenet Suarez 4. *de legibus, cap.* 16. *num.* 1. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *p.* 4. *num.* 28. & 29. & cum Salas, Vasquez, & aliis tenet Castro Palao *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 13. *num.* 1. quia potestas Papæ non à populo, sed a Deo accepta est, à quo immediatè accepit iurisdictionem. Nihilominus tamen probabilissimum est requiri consensum, & acceptationem populi, ad hoc vt leges, etiam Ecclesiasticæ, obligent, vt docent haud contemnendi Doctores, vt sunt Nauarr. *cap.* 23 *num.* 41. Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 16. *à num.* 6. Salas *de legibus disp.* 13. *sect.* 1. & 5. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 27. Maior, Driedo, Henriquez; Armilla, Angelus, Reginaldus, & Azor apud Castro Palao *tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 13. *num.* 2. Ita etiam tenent Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 13. *num.* 98. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *c. vltim. num.* 429. Tannerus, Cochier, Valentia, Becanus, Sanctarellus, Homobonus, Emanuel Sà apud Dianam *p.* 1. *tract.* 10. *resolut.* 1. idem tenet Villalobos *p.* 1. *tract.* 2. *diff.* 16. *n.* 6. Ratio est, quia præsumitur Pontificem legem condere, subintellecta conditione, si populo placuerit, eo quòd hoc ad suaue regimen Ecclesiæ videtur pertinere, ne nimis onerosi suis subditis, videantur; ideoque multæ sunt constitutiones Pontificiæ deobligantes, eo quòd non fuerint receptæ. Et quidem dispositionem Tridentini §. 25. *cap.* 4. *de reformatio.* circa Missarum reductionem refert Garcia *p.* 7. *de benefic. c.* 1. *num.* 136. in aliquibus Episcopatibus, vt in Abulensi non esse vsu receptam, & semper fieri reductiones extra Synodum. Item Extrauagant. *Ambitiosè, de rebus Ecclesiæ non alienandis,* etiam si in iure inserta sit, tamen non esse in omnibus vbique receptam, docent multi probati Authores apud Barbosam, *de offic. & potest. Episcopi, allegat.* 95. *num.* 48. & 49. deinde Motum proprium Pij V. circa cambia refert Lessius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 11. *num.* 93. paucis locis, & ferè nusquam esse receptum. In hanc etiam sententiam inclinat aliquo modo Castro Palao *vbi sup. num.* 4. cum Suarez *lib.* 4. *de legibus cap.* 16. *num.* 4. *in fine,* & *num.* 7. & 8. videlicet quando lex est difficilis obseruationis, iudicio prudentum, & timoratorum, vel quando aduersatur consuetudini receptæ; in iis enim ex benigna interpretatione Legislatoris, credimus quemlibet excusari ab obseruatione legis, quousque Princeps informetur de difficultate, aut recepta consuetudine. Ita ille, Nomine autem communitatis, vt docet Bonacina, & rectè, *disp.* 1. *de legibus quæst.* 1. *part.* 4. *num.* 33. non solùm intelligitur tota communitas cui lex dirigitur, sed etiam intelligitur particularis, quæ per se capax legis esse potest, quapropter si Rex, vel Pontifex legem ferat pro tota Ecclesia, & Regno, aut aliqua ciuitas; seu maior pars illius, vel ex ignorantia, vel ex scientia legis legem non obseruat, reliqui illius ciuitatis excusantur à culpa, quia in illa ciuitate lex recepta non est, etsi in omnibus aliis partibus lex obliget, quia recepta fuit. Ita Nauarrus *consil.* 1. *de constitutionibus, quæst.* 5. & *sequentibus.* Salas *de legibus disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 10. & 11. Azor *tom.* 1. *libr.* 5. *cap.* 4. *q.* 5. Bonacina *supr.* & Castro Palao *loco citato, n.* 5.

22 Cùm ergo constitutio supradicta sit difficilis obseruantiæ, propter maximam humanæ naturæ imbecillitatem, & fragilitatem, præsertim in sexu fœminco, nec sit acceptata, & in viridi obseruantia, præcipuè in his partibus affirmari posset primam sententiam adhuc retinere suam probabilitatem, donec dicta constitutio sit vbique publicata, & à Superioribus subditis suis notificata, & ab ipsis acceptata eo modo, quo diximus hoc dubio *num.* 11.

23 Tertiò probabiliter dici potest priuilegia Regularium Bullæ contraria esse per Bullæ annalem publicationem suspensa, vt diximus hoc dub. *n.* 11. & indicat illa clausula Bullæ, *Pro expressis habentes,* quæ secundùm stylum Curiæ derogat priuilegia præcedentia, ac si de verbo ad verbum ponerentur, vt docent Cassiodorus 10. *regula Cancell.* & Passarellus *de priuileg. Minorum c.* 8. & 13. Angelus *verb. excommunicatio* 5. *casu* 31. Syluest. *verb. exemptio, q.* 11. *verb. priuilegium, q.* 10. ibi Armilla *n.* 6 & *vers. exemptio, n* 11. impossibile enim est omnes concessiones antecedentium Pontificum, in aliquo vno priuilegio inserere; ideo compendium Mendicantium

tium, *ut priuilegia, circa finem, & verb. indulgentiæ, stationem quoad fratres*, § 7. ait esse plusquam manifestum, illum esse stylum Curiæ, cùm in nullis Bullis Apostolicis inserantur litteræ Apostolicæ, nisi aliquando ad abundantiorem cautelam, nec inde inferas frustrà concedi hæc priuilegia, si postmodum per Bullam derogantur, nam per Bullam non derogantur, sed tantum suspenduntur: quæ suspensio frequentissima est secundùm stylum Curiæ Romanæ. Quotidie enim videmus expediri quædam indulta, quibus derogantur alia eodem anno, imò & eodem interdum mense concessa, & experientia compertum est; quomodo Pontifex concedit alicui Ecclesiæ indulgentiam plenariam pro certis diebus, & tamen paulo post concedit Cómissario Bullæ Cruciatæ facultatem ad suspendendum dictas indulgentias, & de facto illas suspendit Commissarius pro anno Bullæ publicationis. Verum tamen est, quòd tempore quo durauit Bulla Cruciatæ expedita a Clement. VIII. & durat concessa ab Vrbano VIII. nón possent illa vti Regulares pro absolutione à reseruatis, quia Pontifices ij declararunt suam mentem. Hoc autem limita, vbi hæ constitutiones sunt vsu receptæ, vt dictum est hoc dub, *num. 11 & sequent.*

24 Tandem si inconueniens esset Regulares frui Bulla pro reseruatis, id non concessissent Pontifices, prout de facto concessit Pius IV. ann. 1554. & Paulus III. viuæ vocis oraculo pro Religiosis B. Francisci anno 1535. vt refert Corduba *in annot. verb. Cruciata.* licèt in Bullis, quæ hoc tempore expediuntur, non ponatur illa claususa, *Sine facultate Superiorum*; non tamen ponitur contraria, sed indifferenter Pontifex concedit omnibus fidelibus, posse vti priuilegiis Bullæ, non distinguens, an valeat cum licentia Prælatorum, aut hoc illa; vbi autem non distinguit lex, neque nos distinguere debemus *cap. si Euangelica, distinction.* 55. Etenim in moralibus ipsa ratio dictat in dubiis, opinionem humaniorem, & benigniorem esse eligendam supposito quòd pro se habeat rationem, & graues Authores; nam vbi iura non inueniuntur (vt contingit in proposito; vbi est tanta opinionum varietas) in humaniorem partem declinandum, vt docet textus *in cap. fin. de transact. & in l. benigniùs ff. de legib & l. semper in dubiis, ff. de regul. iur.* probat Syluest. *verb. opinio*, & Nauarrus *cap. si quis autem, de pœnitent. distinct. 7. num.* 130 131. *& cap. 27. num.* 287. vnde instructorium *cap. 88. in fine*, ait, quòd quando dubium exagitat animum, an lex obliget, vel non obliget, benignior pars est amplectenda, sed sic est, quod hic vergit dubium, & hæc opinio est benignior, & magis fauet libertati spirituali in ordine ad confessiones; ergo probabiliter & iuxta rectam rationem potest amplecti.

25 Hoc tamen videtur certum etiam posita constitutione, Vrbani, & Clem. posse Regulares eligere confessarium ex approbatis, etiam extra religionem, si non habeant peccata reseruata Sedi Apostolicæ, aut suis Superioribus, vt tenet Rodrig. *in Sum. to. 3. c. 7.* & supponunt DD. citati, nam solùm loquuntur de peccatis reseruatis, & deducitur ex prooemio dictæ constitut. Vbi qui possit Christi fideles absoluere à casibus Ordinario reseruatis, & à quibusdam etiam, quæ dictæ Sedi reseruata sunt, & ex illis infrà. Quantum ad sacramenti Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata, subiecti sint. Igitur prohibitio eligendi confessarium solùm intelligitur pro reseruatis, & ita sentire videtur Lud. à Cruce *in expos. Bull disp. 1. capitulo primo, dub. 12. numero primo.*

26 Nota Villalobos *part. 1. tract. 27. claus 9 §. 2. n. 13.* asserere Regulares etiam post decretum Clem. VIII. confirmatum ab Vrbano VIII. posse virtute Cruciatæ absolui à reseruatis, dummodo confessarij quos per Bullam eligunt, sint ex deputatis, & approbatis ab eorum Prælatis ad ipsorum confessiones audiendas, idque asserit sensisse doctissimos viros Salmantic. quos ipse & Diana *part. 1. tract. 11. resol.* 14. referunt. Rationem reddit, quia constitutio Clem. VIII. prohibet tantum eligere confessarios pro reseruatis extra religionem, vt patet ex petitione in prooemio facta, ibi: *& illorum prætextu eligunt confessorem aliquando præter eos, qui à suis Prælatis, eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum.* Ex prooemio enim colligitur animus & intentio Legislatoris, & intentio totius decreti, illudque limitatur, vt docet Tiraq. *tract. Cessante causa, limit. 1. n. 65.* Neuo *cons. 3. n. 3.* Rimin. *votum. 1. cons. 540. nu. 78.* Pax *cons. 33. n. 6.* Molina *de primogeniis Hispan. lib. 1. c. 5. n. 3.* Guttierez *pract. qq. lib. 3. q. 17. n. 90. & 91.* Ceuallos communes contra com. *to. 3. q. 858. n. 114.* Salas *de legib. disp. 17. sect. 9. n. 13.* cum aliis Diana *vbi supr.* Suarez *lib. 6. de legibus c. 1. n. 11.* Sanchez *lib. 2. disp. 37. n. 3.* & cum his & aliis Castro Palao *de legibus tractat. 3. disp. 3. punct. 3. §. 3. n. 10.* & Ludouicus a Cruce *in exposit. Bulla disp. 1. c. 1. dub. 12. n. 3.*

27 Attamen non obstantibus adductis pro prima sententia *à n. 18. vsque ad n.* 25. inclusiuè, supposita Vrbani VIII. constitutione existimo (saltem eo viuente, vt inquit Diana) dictam primam sententiam sequi non posse, ideoque Regulares non posse virtute Bullæ eligere confessarium pro reseruatis, inuitis eorum Prælatis, quia Pontifex expresè declarat suam intentionem esse, vt priuilegium eligendi confessarium ratione Bullæ non suffragetur Regularibus, tam viris, quàm fœminis, cuiuscunque Ordinis, & instituti, & reuocat eorum priuilegia, si quæ sint circa hoc. At reuocatio priuilegij fieri potest inuito priuilegiato, nec requiritur acceptatio reuocationis priuilegij ad validitatem reuocationis; nec quòd hæc reuocatio notificetur Regularibus per Prælatos ipsos, aut per Nuntium; sufficit enim notitia, & moralis certitudo talis reuocationis, quouis modo, & quacunque via comparata, vt satis probabiliter docet Suarez *lib. 8. de legib. cap. 40. n. 7.* etsi Castro Palao *tract. 3. disp. 41. punct. 2. §. 5. n. 4.* probabilius credat si priuilegium priuatim reuocetur, reuocationem debere fieri per rescriptum, epistolam, vel Nuntium ad id destinatum, vt etiam tenent Basilius *lib 8. cap. 19. num. 14.* & Sà *verb. Gratia n. 1* Quòd si priuilegium lege lata reuocetur, necessaria est illa publicatio, quæ ad legis constitutionem requiritur, vt docet ipse Suarez *supr. num. 1. & sequent.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. part. 8. §. 3. num. 20.* Castro Palao *sup. num. 1.*

28 Nota denique, dato, quòd Regulares non possint sine licentia Superiorum eligere Confessarium extra religionem per Bullam, vt vult opposita sententia; esse tamen satis probabile, & pium sufficere tacitam Prælatorum licentiam, vt Religiosus possit Bullam Cruciatam sumere, ad effectum eligendi confessorem pro reseruatis, vt docent Henriq. *lib. 7. c. 22. n. 4.* Rodr. *in Bull. § 9. n. 25.* Idem censent allegati pro prima sententia, & dicit probabile Lud. à Cruce *in expos. Bull disp 1. c. 1. dub. 13. num 1.* sicut sufficit tacitus consensus Prælatorum, vt possint per Bullam vesci cibos prohibitos, non obstante prohibitione, ipsis quoad hoc facta per Leon. X. vt habetur in compendio priuilegiorum Mendicant. tit.

Cruciata,

Cruciata, fin.& tit. Absol.quoad fratres §. 21. Ratio est, quia qui tacet potens impedire, & non prohibet, consentire videtur, & tacitus consensus dat iurisdictionem. Nau.*c.placuit, de pænit.dist*.6.*n*.96. & consuetudo dat iurisdictionem. Nau.*c*.27.*n*.255. & habetur ex *cap.fin.§ duo*, cum glos.*de officio Ordinarij*, & dixi in Decalogo *lib*.1.*cap*.7. *dub*.11. *vers. secundò sequitur num*... & hoc dub.*n*.11. sicut eam dat opinio probabilis, seu, vt propriè loquamur, interpretatur eam dari tunc ab Ecclesia; vt docet Henriq.*lib* 5.*c*.14.*n* 3.*&* 4. Sanchez *lib*. 3. *de matr disp*. 22.*n*.65. & in opere mor.*lib*.1.*cap*.9.*n*.45. Bonacina *de sacram.disp*.5.*q*.7.§.4. *num*.4. Villalobos *tract*.1. *diff*.13.*n*.5. Filliuc.*tom*.1 *tract*.7 *c*.9.*num* 227. & alij, quos Sanctius *in suis select.disp*.44.*n*.3.*vers. alia verò res, in fine, pag*. 189. Ergo cum in multis Mendicantium religionibus videant Prælati subditos suos accipere Bullam ad effectum absoluendi à reseruatis, & hanc esse vniuersalem consuetudinem suarum religionum, & taceant, nec prohibeant, consentire censentur.

Dub. X.

An confessarius à Regularibus per Bullam eligendus, debeat esse approbatus ab Ordinario.

1 SVppono cum Rodriguez 1.*tomo*,*q*.62.*artic*.4. & in Bulla § 9.*n*.13.*&* 15. & fratre Ioanne de la Cruz *lib*.1.*de statu religiose c*.6.*dub*.11. Regulares vigore suorum statutorum ac priuilegiorum, & vt dicit Rodriguez, de iure ordinario, & communi solùm posse confiteri cum suis Prælatis, vel Sacerdotibus approbatis ab eisdem Prælatis eiusdem Ordinis. Posse tamen de licentia Prælatorum cum approbatis alterius religionis, imò & cum Sacerdotibus secularibus confiteri, vt iidem Doctores testantur, de quo etiam vide Sanctium *in suis sel.disp*. 49. Hæc autem licentia debet esse expressa, vnde non sufficit præsumpta: sicut laicus absque expressa sui Parochi licentia non potest cum alieno confiteri, vt communiter Doctores in materia pœnit. Quod procedit (quidquid Rodriguez *sup*.) quamuis naturaliter oblitus sit eam petere, quia ad confessionem requiritur actualis iurisdictio, & non sufficit ratihabitio futura. Addit Rodriguez, posse Regularem, qui non habet supradictam licentiam, celebrare cum sola contritione, si ex eo quod non celebret, sequitur graue scandalum, & infamiã, nam censendus est non habere copiam confessarij. Hanc autem licentiam possunt concedere non solùm Generales, & Prouinciales, sed etiam Priores, & Guardiani, vt docet Rodriguez §.9.*n*.14. id enim poterãt ante Trident. *sess*.23. *c*.15. sicut Parochi, quod per Trident. non est reuocatum, quia talis dispositio non procedit quoad Regulares, vt *infrà* patebit. Addit, prædicatores, & Minores dum iter agunt, si non habeant copiam confessarij eiusdem Ordinis, posse confiteri cum confessariis diuersi Ordinis, etiam secularibus, ex priuilegio Leon.X. & Clementis Septimi, de quo vide Doctores citatos.

2 Dico primò. Regularis de licentia suorum Prælatorum eligens confessarium potest eligere quemcunque Sacerdotem idoneum, siue Regularem, siue secularem, secundùm tenorem licentiæ, quamuis non sit ab Episcopo approbatus. Ita Suarez *tom*. 4. *in* 3.*part.sect*.4.*n*.4. *disput*. 28. Henriquez *lib*. 7. *de indulgentiis c*.13.*n*.7 *lit*.*L*. Rodriguez §.9.*n*.13.*&* 15. *&* 1. *tomo q*.62. *art*. 4. & frater Ioannes de la Cruz *lib*.1.*de statu relig c*.6.*dub*.11. *conclus*.1. quia hoc est eis concessum per sua priuilegia, quæ refert Rodriguez & de la Cruz *suprà*, quæ, vt docent Doctores citati, quoad hoc non sunt derogata per Trident. *sess*.23.*c*.15. nam Trident. solum disponit, vt confessarius audiens confessiones secularium sit ab Episcopo approbatus: de Regularibus autem nihil disponit; ergo cum ante Trident. poterant de licentia Prælatorum eligere quemcunque idoneum, similiter & post Trident dispositionem. Idoneus autem Sacerdos pro Religiosis absoluendis reputatur quilibet Sacerdos alias non suspensus, aut excommunicatus, vt docent Syluest.*verb. Confessor*.1. §.5. Sotus *dist*.18.*q*.4 *art*.3.*vers.Postremum dubium*, qui idem censebant de confessore idoneo pro secularibus ante iam dictam Tridentini dispositionem. Aduertit tamen Rodriguez *in addit. ad* §. 9. *num*.119. solum Generalem, & Prouincialem, aut eorum Vicarios posse concedere licentiam confitendi cum quolibet simplici Sacerdote: Priores verò, & Guardianos solùm posse concedere licentiam confitendi cum approbatis à suis Superioribus respectiuè, ita vt si Sacerdos sit Regularis, à suo Prælato, si secularis, à suo Ordinario approbatus esse debeat. Nullo modo opus esse Regulari Episcopi approbatione ad expediendas aliorum Regularium confessiones, siue virorum, siue fœminarum Regularium. Suarez *tomo de pænitent.disp* 28. *sect*.4.*n*.4. Henriquez *l*.6. *cap*.6 *num*.3. Bonacina *de sacrament. disp*...*quæst*.7. *num* 25. & multi, quos Sanctius *in suis selectis disp*. 49.*num*.2. & Barbosa *de offic.& potest Episcopi alleg*. 55.*num*. 47. vbi multa de approbatione Regularium.

3 Dico secundò. Si Regularis eligat confessarium virtute Bullæ, siue illum eligat de licentia Prælatorum, siue etiam absque eius licentia, iuxta probabilem opinionem, de qua dubio superiori, tenetur, vt valida sit electio, & vt priuilegio Bullæ gaudere possit, eligere approbatum ab Episcopo ordinario, & non sufficit eligere approbatum à suo Prælato regulari. Ita Suarez *tom* 4.*in* 3.*p.disp* 28.*sect*.6.*n*.11. Henriquez *lib*.5.*de pænitent.c*.6.*n*.6.*&* *n*.4.*lit K.&* *lib*.7. *de indulgent cap*.12.*n* 4.*vers.Si verò*. Et eodem *lib.cap*.22.*n*.5. *in fine*, dicit, hanc opinionem tanquam veriorem amplexi sunt Patres Societatis IESV, & eam in praxi obseruant. Eandem opinionem sequitur Lopez 1.*part. instruct*. *c*.26. *vers. Secundò dico*, contra Rodriguez §.9.*numer*.9. quem sequitur Valero *verb. Absolutio, differentia* 1. *in fine*. Probatur, quia expresè id constat ex ipsis Bullis, quæ expresè requirunt vt electio sit Sacerdotis approbati ab Ordinario. Loquuntur autem indifferenter ac generaliter, & ideo certum est nemini concedi illud priuilegium, nisi sub ea conditione; non possunt ergo excipi Regulares, sed si vti velint hoc priuilegio, eandem conditionem seruare tenentur. Ex quo fit, vt nomine Ordinarij nequeat intelligi Prouincialis, vel alius Prælatus ipsius Religiosi, tam quia Pontifex dum addit, vt sit approbatus ab Ordinario vult seruare Tridentinum, & petit approbationem in illo postulatam, quæ est actio propria Episcoporum, & in illa nihil possunt Prælati religionum. Tum etiam, quia verba illa generalia sunt, & eandem significationem respectu omnium habent. Constat autem respectu reliquorum omnium fidelium requiri Episcopi approbationem, ergo respectu Regularium. Quare Religiosus vt absoluatur à casibus reseruatis virtute

suorum

ſuorum priuilegiorum ſufficit quòd Confeſſarius ſit approbatus à ſuo Prælato. Quòd ſi ad abſoluendum à certo caſu Religioſum non habet facultatem per ſua priuilegia, atque ita ad eius abſolutionem requiritur Bulla, tunc ſi vult virtute Bullæ ab eo caſu abſolui, tenetur confiteri cum approbato ab Epiſcopo ordinario. Non tamen eſt improbabile poſſe Regulares per Bullam, aut Iubileum eligere Confeſſarium regularem ſolum approbatum per ſuum Superiorem, qua Trid. nihil innouauit quoad ſuos, vt dictum eſt *num.* 1.& tenet Sayrus *diſp.*49. *n.* 11. & cum Diana *in addit.reſol.*4 *p.*1 *tract.*3. *miſcel. reſol.* 47. & nouiſſimè Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp.* 1. *cap.*2.*dub.*24. quod dicit probabilius eſſe, & inter alios citat. Filliuccium *tom.*1. *tract.*8. *c.*10. *de Iubileo,num.*265 Bonscin.*de pœnitent diſp.*3.*q.*7.*p.*4. *n.* 25.& alios. Nihilominus puto non eſſe recedendum à noſtra ſententia, propter rationem dictã.

4 Sed dices cum Rodriguez *ſuprà.* Trident. nihil immutat circa Regulares; ergo non tenentur eligere approbatum ab Epiſcopo. Reſpondeo, conſequens eſſe verum quando iure ordinario iuxta ſtatuta, & priuilegia ſuæ religionis eligit Confeſſarium, tunc enim ſufficit eligere idoneum, modo explicato: in hoc caſu nihil innouat Trident. eſſe autem falſum, quando virtute Bullæ eligit Confeſſarium, quo in caſu etſi nihil diſponat Trident. requiritur tamen tanquam conditio neceſſaria à Pontifice appoſita, vt conſtat ex Bullą, & explicatum eſt *ſup.* Quod ſi dicas cum eodem Rodriguez, bullam non ſuſpendere priuilegia Regularium quoad ſuos fratres. Reſpondeo, hoc tantùm procedere circa indulgentias, & quaſdam facultates diſpenſandi, & commutandi, & abſoluendi ſuos, non verò in hac conditione; quia, vt dictum eſt, Bulla abſolutè, indifferenter,& generaliter loquitur. Ex dictis ſequitur ſufficere quòd Confeſſarius à Regularibus virtute Bullæ electus, ſit ab Ordinario, ſeo Epiſcopo approbatus, minimèque requiri, vt ab Ordinario ipſius Regularis ſit approbatus, vt exiſtimat Villalob. *tract.*27. *clauſ.*9.§.1.*num.*2 & *tract.*9.*de pœnit.diff.* 56.*n.*5.

D V B. XI.

An Sacerdos ab Ordinario approbatus, cenſura ligatus, ſit virtute Bullæ eligibilis.

1 SOlutio huius quæſtionis pendet ex alia, nimirum, an abſolutio ab excommunicato ſuſpenſo ab officio, vel interdicto data, ſit valida: de qua vide Sayrum *lib.*3. *de excommun.cap.*2.*num.*6. Henriquez *lib.*3.*de excommunic.cap* 10.& *cap* 30.*de Sacramentis in genere.* Suarez *de cenſuris,diſp.*11 *ſect* 4. Leſſius *lib.*2.*cap.*29.*dub* 7. & alios, quos ipſi citant. Cui quæſtioni breuiter reſpondeo, &

2 Dico primò. Abſolutio data ab excommunicato vitando, id eſt, publicè denuntiato, vel manifeſto clerici percuſſore, tum etiam ab interdicto ſuſpenſo aut Regulari, etiam denuntiato, ſeu prohibito, eſt inualida extra articulum neceſſitatis, ſiue ſit Parochus, ſiue non; quia ij carent iuriſdictione, vt habetur in Extrauag. Martin. V. *Ad euitanda*; in articulo autem neceſſitatis, id eſt, articulo, ſeu periculo mortis, valida eſt, vt communis Doctorum colligit ex Trident. *ſeſſ.* 14.*cap.* 7. hoc enim caſu licet talem Confeſſarium inducere, dummodo non ſit alius idoneus, quamuis ſit ſimplex Sacerdos, tunc enim is præferendus eſſet, abſitque periculum perverſionis, & ſcandali, aliàs enim cum dictis confiteri eſt peccatum mortale, & confeſſio nulla. Quòd ſi excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus vitandus occultus ſit, & ab Eccleſia toleratus, vt ſi in aliam vrbem ſe conferat, vbi eius cenſura ignoratur, quamuis ipſe peccet, abſolutio tamen valida eſt, huic enim Eccleſia ob bonum commune cenſetur concedere iuriſdictionem, & tollere ſuſpenſionem, vt eius acta ſint valida in vtroque foro, vt docent Leſſius *ſupr.* Salon *s.*2. *q.* 67. *art.* 1. *controuerſia* 3. Quod procedit etiam ſi pœnitens ſciat occultam excommunicationem Confeſſarij, dummodo eum inducendo non peccet; & concurrat in Confeſſario titulus, & communis error populi. Ratio eſt, quia ſcientia particularis non tollit iuriſdictionem illius, quam ei in hoc caſu ius commune tribuit. Ita Sanchez *lib.*3.*de matrimonio,diſput.* 22; *à num.*40.*vſque ad* 46.

3 Dico ſecundò. Abſolutio data ab excommunicato ſuſpenſo, vel interdicto non vitando, ſiue ſit publicus, ſiue occultus, dummodo ab Eccleſia ſit toleratus, valida eſt ex ſe, caſu quo pœnitens eam petendo contra proximi charitatem non peccet. Ita communiter Doctores, quia Concilium Conſtantienſe ſolùm prohibuit communicationem cum denuntiatis, & prohibitis, & conceſſit vt cum alijs fideles communicare poſſint tam in diuinis, quàm in humanis, tam in publicis, quàm in priuatis; ergo tacitè vult eorum actus in fauorem non excommunicatorum eſſe validos, ipſoſque retinere iuriſdictionem donec publicentur. Idem dic de irregulari, ſi non eſt nominatim, & publicè denuntiatus, propter rationem dictam, & tenet Lud. à Cruce *in expoſit. Bullæ, diſp.*1.*cap.*2.*dub.*18.*num.*1.

4 Tota difficultas eſt, quando peccet pœnitens petens abſolutionem ab excommunicato, de qua latè Sotus *diſtinct.*1.*quæſt.*5 *art.*6. Henriquez *lib.*1. *de ſacramentis,cap.*30.*num.*2. Suarez *de cenſuris diſp.* 11. *ſect.*4. Coninch *in* 3.*part.q.*64.*art.*6.*dub.*2.*n.*46. Cui breuiter reſpondeo. In articulo mortis licet petere abſolutionem à quocunque peccatore excommunicato, etiam denuntiato, ſi nullus alius, etiam ſimplex Sacerdos, reperiatur, quia in eo caſu pœnitens habet ius petendi, & alter tenetur dare. Extra articulum autem aut periculum mortis, nullo modo licet inducere excommunicatum, aut ſuſpenſum, aut interdictum vitandum, & prohibitum, ſicque inducens peccat mortaliter in actuali conceſſione, ideoque ea eſt inualida. Quòd ſi excommunicatus non ſit vitandus, ſeu prohibitus, aut, vt inquit Sotus, præciſus, quia ſcilicet non eſt denuntiatus, aut notorius clerici percuſſor, ſi iſte confeſſarius ſic excommunicatus ſit meus Prælatus, aut Parochus, quamuis publicè conſtat de excommunicatione, dum ab Eccleſia toleratur, nec pro excommunicato denuntiatur, poſſum eum licitè etiam extra neceſſitatem ad me confitendum inducere, quia cùm ipſe teneatur, vtor meo iure, ouliique facio iniuriam, in quo non ſolùm excuſatur à peccato inducens, ſed etiam ipſe Parochus, ſi inductus miniſtrat, & hoc in fauorem pœnitentis, vt ait Sotus *ſub propoſit.* 6. quod colligit ex Concilio Conſtantien.& citata Extrauag. Cùm enim (ait) conſulendo timoratis conſcientiis in bonum petentium conceſſit illam communicationem cum excommunicatis, ex rei conſequentia conceſſit ipſis excommunicatis, vt ſacramenta præberent quando aliàs tenerentur. Si verò iſte ſic excommunicatus non ſit Parochus, ſed alius, ex commiſſione, vel

vel delegatione munus confitendi exercens, non potest licitè induci quia non tenetur, & alioquin ego ius in eum non habeo: si autem sit paratus licet eum eo confiteri, sicut licet à parato vsuras accipere. Nullo tamen modo licet bis excommunicatis, siue sint Parochi, siue non, se ingerere & irrequisitos Sacramenta ministrare; quia Concilium Constantiense nullum fauorem eis concessit. Ita Sotus, quem communiter sequuntur Doctores.

5 Addo tamen cum Suarez *sect.4. citat. numer.11. & 12.* & Coninch *suprà num.49.* licere etiam aliquando inducere excommunicatum non Parochum non tamen vitandum, quando aliqua necessitas etiam citra extremam, vel vtilitas pœnitentis id postulat, qualis est indigentia diuinæ gratiæ ad progressum faciendum in vita spirituali, & ad superandas difficultates, quæ in ea contingunt. Reginald. *lib.1. cap.14. sect.3. num.164.* & non sit alius non excommunicatus æquè idoneus & mihi valdè vtilis. Quod colligitur apertè (ait Coninch) ex Bulla Martini Quinti, *Ad euitanda scandala*; quam refert Sotus *in 4. dist.22. q.1. art 4.* vbi dicitur neminem in posterum teneri vitare huiusmodi excommunicatos in administratione aut susceptione Sacramentorum; ergo nulla prohibitione Ecclesiæ vetamur ab iis petere Sacramenta, sed solo præcepto charitatis, ne simus eis occasio peccandi. Quod non aliter obligat, ne ea petamus ab excommunicatis, quàm ab aliis peccatoribus. At in hoc casu petens non est occasio peccandi, quia possum rem mihi valde vtilem petere à quouis, qui eam sine peccato potest, etiam si cum peccato præstaturus sit; atqui hæc petitio est talis; ergo. Probatur minor, quia hic excommunicatus potest priusquam conferat Sacramentum conteri, & petere absolutionem, si possit; aut si non possit, proponere eam petere statim atque poterit: & parum refert quòd antea potuerit eam petere, si tamen hîc, & nunc, vt ait Suarez *suprà*, non est ei possibilis; & sic licitè, & sine peccato conferret Sacramentum, quo in casu gaudet ita excommunicatus fauore non excommunicati. Nam etsi Pontifex sua Bulla nullo modo intendat directè huiusmodi excommunicatos subleuare, necessariò tamen, & ex accidenti eos subleuat. Cùm enim det aliis veniam ab iis Sacramenta in suam vtilitatem petendi, necessariò debet dare excommunicatis veniam eo casu dandi Sacramenta, aliàs frustrà daretur aliis ea venia, qua nunquam licitè possent vti: quia nemo potest sine peccato petere ab alio id, quod sine peccato nequit præstare. Vnde hæc venia caderet in maius animarum periculum, quod tamen Papa cupit vitare. Cùm ergo ita excommunicatos sic inductus possit licitè ministrare, sibi imputetur si in peccato ministrat, nam cum notabili meo, alteriusve damno non teneor vitare ne alius voluntariè peccet.

6 Nota tamen ita excommunicatum nulla ratione posse se offerre ad Sacramenta ministranda, & requisitum si possit teneri antè petere absolutionem à censura. Item si non possit priùs absolui, teneri remittere petentem ad alium, si quis sit æquè sibi vtilis, quia non potest Sacramenta administrare nisi rogatus, & quando hoc in notabile petentis commodum cedit: quæ ratio dictis casibus cessat. Similiter pœnitens si habet alium Sacerdotem Confessarium non excommunicatum sibi æquè vtilem peccat, si alium excommunicatum eligat; quia cessat iusta causa, & necessitas: vt benè Suarez *dict. num.12.* & Coninch *sup num.50.* vbi insinuant idem procedere, etiam si Confessarius sit Parochus. Ait enim, si iusta causa petendi absit, non multum facit ad rem quòd is à quo Sacramentum peto, teneatur, vel non teneatur mihi conferre, quia non eius obligatio, sed sola mea vtilitas excusat ab obligatione legis charitatis. Vnde peccat pœnitens à suo Parocho sic excommunicato Sacramentum petens, si adsit commodè alius æquè sibi vtilis: quod peccatum ex se videtur mortale, ac si non Parochum excommunicatum sine causa induceret, vt colligitur ex hac doctrina, & ex his quæ docet Coninch *sup. à num.4.* & Suarez *sect.4. citat.* Ratio est, quia lege charitatis teneor vitare peccatum proximi, quando commodè possum; ergo inducendo etiam Parochum non paratum, quando commodè adest alius æquè idoneus, coopetor peccato illius at materia est grauis; ergo est peccatum mortale. Probatur à simili, quia inducendo non Parochum excommunicatum non paratum, peccatur mortaliter contra charitatem, quando adest alius æquè commodus; ergo etiam inducendo Parochum excommunicatum, quando adest alius æquè commodus. Nec refert quod Parochus teneatur, ille verò non: quia eius obligatio non excusat me ab obligatione legis charitatis, sed sola mea, meorumve necessitas: cùm ergo si adsit alius æquè mihi commodus, nulla sit necessitas inducendi Parochum, erit peccatum mortale in tali casu illum inducere.

7 Quòd si multi sedeant ad audiendas confessiones, inter quos adest aliquis sic excommunicatus, aut in concubinatu existens, & omnes sunt pares, & æquè mihi vtiles, non erit ex se peccatum mortale præeligere non idoneum, quia cum sit expositus non cooperor illius malitiæ: at quia semper est cum aliqua indecentia, & irreuerentia, erit peccatum veniale, vt docent Sotus *in 4. dist.1. quæst.5. artic.6. proposit.1.* Rodriguez §.9. *num.29.* Henriquez *lib.1. de Sacramentis, c.30. num.2. litt.F.* & Reginald. *lib.1. cap.14. sect.3. n.164.* esse tamen mortale, si ex mea electione scandalum sequeretur. In iis enim casibus semper quantum fieri potest, pusillorum scandalum vitandum est, nec vlla ratione committendum, vt ij qui in fide aut imbecilles, aut minus bene instructi sunt, ex nobis sumant occasionem contemnendi mysteria fidei, aut censuras Ecclesiæ: vt bene aduertit Coninch *sup. n.53.*

8 Ex dictis constat solutio quæstionis. Dico ergo quotiescumque supradicti validè possunt absoluere, & non peccat mortaliter pœnitens petendo absolutionem, aut cum illis confitendo, possunt eligi ratione Bullæ: quando vero non licet absque noua peccati mortalis culpa cum dictis confiteri, nec licet eos virtute Bullæ eligere. Patet ex dictis, quia Bulla supponit Confessarium posse validè absoluere, & esse à iure idoneum, hoc est quòd non sit excommunicatus, suspensus vel interdictus, & quòd pœnitens in actuali confessione non peccet mortaliter; ac proinde olim in Bullis posita erat hæc clausula: *Vt possint eligere confessarium idoneum*, id est, quòd non esset excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, aut à Superiori prohibitus.

DVB. XII.

In quo aliqua de eadem re resoluuntur.

1 QVæres primò. An illa Bullæ verba, nimirum, *Quod omnes, & singuli prædicti par ius ad Deum preces fundere, & efficacius diuinum auxiliū implerare*

implorare possint, conceditur vt possint eligere confessorem, &c. habeant vim conditionis, & sint omnino necessariò requisita ad hoc, vt electio confessarij sit valida. Respondeo negatiuè. Ita quidam recentiores, quia hæc pars Bullæ est motiua: pars autem motiua non inducit præceptum, sicut in lege, priuilegio, & testamento, pars motiua non inducit obligationem: solùm autem pars dispositiua inducit obligationem, qualis est largitio pecuniæ pro Bulla accipienda. Vnde si quis præstita eleemosyna confessorem eligat, & absoluatur à reseruatis, & censuris, valida est absolutio, quamuis preces pro victoria, &c. non fuderit, quia etsi non motiuam, impleuit tamen dispositiuam.

2 Quæres secundò. An Episcopi, & qui habent iurisdictionem Episcopalem, vt possint virtute Bullæ absolui, teneantur eligere confessarium approbatum ab Episcopo confessuris. Respondeo, si Episcopus eligat Sacerdotem sibi subditum, potest illum simpliciter approbare, & sic approbatum à se eligere, & ab eo absolui. Si autem eligat Sacerdotem non subditum, quidam, vt Suarez *infrà sect. 4. num. 7. & 8.* & Ludou. à Cruce dicunt eum debere esse approbatum à suo Episcopo. At verum existimo, etiam in hoc casu posse illum approbare Episcopum, & à se approbatum eligere. Si enim Episcopus Sacerdotes aduenas, & non subditos potest pro suis ouibus approbare; cur ergo idem circa seipsum facere non potest? Vide Suar. *tom. 4. in 3. part. disp. 28. sect. 6. n. 12. & 13. sect. 7. n. 8.* & ea quæ diximus hoc § *cap. 2. dub. 2. not. 3.*

3 Quæres tertiò. An Prælati non Religiosi Episcopis inferiores, qui iurisdictionem non habent Episcopalem, teneantur necessariò eligere virtute Bullæ approbatum ab Episcopo. Respondeo affirmatiuè. Ita constat ex responsione Greg. XIII. relata à Suarez *tom. 4. disp. 29. sect. 4. n. 8.* quia isti Prælati manifestè comprehenduntur sub decreto Concil. Tridentini. Dixi, *non Religiosi*. nam de iis iam dictum est hoc *cap. dub. 11.*

CAPVT II.

De facultate absoluendi à reseruatis ratione Bullæ.

SVmmus Pontifex postquam concessit pœnitentibus facultatem eligendi confessarium, in hoc eodem §. confessario electo concedit facultatem absoluendi pœnitentem à peccatis & censuris Papæ etiam in Bulla Cœnæ Domini reseruatis semel in vita, & iterum in articulo mortis, à peccatis autem & censuris Episcopis, aut aliis Prælatis à Papa toties quoties ea ritè confessi fuerint, imposita tamen salutari pœnitentia, & parte satisfacta, casu quo læsa fuerit. Hæc manifestè constat ex Bulla. Difficultates variæ, & perutiles, quæ ex iis oriuntur, sequentibus dubiis explicabuntur.

* * *

DVB. I.

Quæ peccata sint Pontifici reseruata.

1 NOta, casum dici à cadendo, à Theologis autem casus conscientiæ communiter vsurpatur pro quæstione ad mores pertinente; v. g. an hoc sit peccatum, an bonum, an malum, Sylu. *verb. casus, n. 1.* Strictè autem à casuistis sumitur pro grauiori crimine, cuius absolutio reseruatur Superiori, qui si sit Papa, dicitur Papalis, si Episcopus, Episcopalis.

2 Suppono primò tanquam certum, & de fide, esse in Ecclesia Catholica potestatem reseruandi aliqua peccata iudicibus superioribus. Quod definitum est à Trident. *sess. 14 cap. 7.* quod fuit antiquissimum in Ecclesia, vt ex variis Conciliis, Pontificum decretis, & Patrum dictis, probat Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 29. sect. 1. num. 1. & 2.* Visum est enim Pastoribus Ecclesiæ (ait Trident.) hoc expedire ad rigorem disciplinæ, & vt fideles magis contineantur ab huiusmodi peccatis, saltem propter difficultatem obtinendi absolutionem, & vt à Prælatis meliùs corrigantur, & ad emendationem inuentur. Consistit autem huiusmodi reseruatio in limitatione, seu restrictione iurisdictionis in inferiore Sacerdote, à Superiore potestatem habente facta. Vnde qui iurisdictionem in hoc foro interiori ordinariam habet, potest peccata reseruare, vt Papa in tota Ecclesia siue cum censura, siue sine illa; Episcopus in suo Episcopatu. Quare Parochus posset, cùm sit etiam ordinarius in sua parochia, peccata reseruare sibi, vt docet Suar. *sup. n. 4.* Consuetudo autem (inquit ille) non habet vt huiusmodi Sacerdotes proprij aliquid sibi reseruent, quando suam iurisdictionem delegant, quia vel non audent tanta authoritate vti, vel ordinariè non expedit, quia tam idonei censentur coadiutores, sicut ipse; at quia nunquam reperitur factum in Ecclesia, existimo non posse ab ipsis fieri, videtur enim reseruatio requirere maiorem iurisdictionem ea, quæ in Parochis reperitur. Possunt etiam sibi peccata reseruare illi, qui in Ecclesia habent iurisdictionem ordinariam, similem Episcopali, vt sunt Generales, aut Prouinciales religionum, & his similes. Seruare tamen tenentur Regulares in casuum reseruatione, regulam sibi ipsis à Clemente VIII. in quadem Bulla impositam, ne in hoc aliqui fiant excessus, de qua Coninch *disp. 8. de ministro pœn. dub. 11. num. 81.* & Suar. *sup. sect. 3. n. 11.* & cum aliis Lud. à Cruce *in expos. Bull. disp. 1. cap. 3. dub. 1. à n. 6.*

3 Suppono secundò, nulla peccata esse reseruata Papæ nisi ob annexam eis excommunicationem, aut aliam censuram, per quam Papa talia peccata sic punit, vt illius relaxationem sibi reseruet. Ita Syluest. Caietan. *verb. Casus*, Nauar *cap. 27 n. 261.* & multi quos Henriq *lib. 6. cap. 14. num. 1.* vide eundem eodem *cap. n. 7. lit. E.* vnde infertur, posse Parochum, aut alium approbatum, ab omnibus peccatis Papæ reseruatis absoluere, postquam per legitimam absolutionem, siue ab ipsomet Papa, siue ab alio ex commissione ipsius ablata fuerit excommunicatio, aut censura, secundùm quam vnumquodque eorum erat reseruatum. Quod procedit etiamsi idem casus sit Episcopo reseruatus: nam, vt docet Nauarr. *n. 161. cit. in fine*, videtur vsu indistinctè interpretatum, sublatam esse Episcopalē reseruationem

nem, & censuram, sublata reseruatione Papali, secundùm ea, quæ ipse docuit *in cap. quorumdam, de Iudæis notab.* 1 1. *num.* 51. quem sequitur Henriquez *c.* 14. *cit. num* 9. Hinc etiam fit, quando Bulla vel Iubilæum concedit facultatem absoluendi à casibus Papalibus, concedere etiam facultatem absoluendi à censuris Papæ reseruatis, quamuis indultum nullam de censuris mentionem faciat, vt bene, & consequenter docet Nauarr. *dicto n.* 161. Rodriguez *in add ad* §. 9 *num.* 55. & alij quos ipse; quia communiter ratione casus Papæ reseruati intelliguntur censuræ ei reseruatæ: sunt enim censura, & peccatum ita connexa, vt concessa facultate ad absoluendum à tali censura, censeatur concessa facultas ad absoluendum à tali peccato, & è contra. Infert etiam Henriq. *sup. dicto n* 1. *litt. G.* cùm aliis, quòd quando peccata reseruata Papæ ita committuntur, vt ratione ignorantiæ, ea committens non incurrat censuram, nec incurrera reseruationem. Ratio horum est, quia peccata ipsa præcisè non sunt reseruata, sed ratione censuræ; seu, vt propriùs loquamur censura tali peccato annexa.

4 Ab hac autem generali regula, nimirum, nullum peccatum de facto esse Papæ reseruatum, nisi cum censura, & ratione censuræ, excipit Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part disp.* 29. *sect.* 1. *num* 4. *&* 5. duos casus. *Primus* habetur in Extrauag. *Inter cunctas de priuilegiis*, §. *super confessione*, vbi monetur Parochus, ne mendaciter in fraudem dicat suum parochianum confitentem Mendicantibus fuisse excommunicatum, aut publicum peccatorem. Et subditur, quia si hoc egerit, à delicto tali nisi planè satisfecerit, præterquam in mortis absolui nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur. *Secundus* habetur in quadam Bulla Sixti Quinti data anno 1588 die 6. Ianuarij, quæ incipit, *Sanctum, & salutare, pag.* 651. & est *in num.* 91. *tom.* 2. suspendit malè promotos ad Ordines, & peccatum sibi reseruat. Nihilominus tamen existimo à communi sententia non esse recedendum, & illam regulam esse vniuersaliter veram: nec instantias adductas, si bene perpendantur, esse contra nos. Nam in primo casu nulla ponitur reseruatio: solùm enim præcipitur, vt extra mortis periculum talis non absoluatur, quacumque proponat proca lumnia eam reuocando satisfacera, nisi hoc actu fecerit: sicut *cap. quamquam, vlt. de vsur. in* 6. præcipitur, ne quis manifestum vsurarium absoluat, antequam actu restituerit, aut cautionem de restituendo dederit. Et in secundo, quamuis peccatum non sit reseruatum ratione excommunicationis, est tamen ratione suspensionis, quæ censura est. Atque ita manet regula verificata, nullum peccatum reseruari nisi ratione excommunicationis, aut alterius censuræ. Quam opinionem tanquam veriorem sequitur Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 5.

5 Ex his manifesta est huius dubij resolutio. Cùm enim dictum sit, nullum peccatum de facto esse Papæ reseruatum, sine censura, & censura sit triplex, vt communis Doctorum testatur, ex *cap. inquirenti, de verborum significat.* nimirum, excommunicatio suspensio, & interdictum, quot erunt excommunicationes, suspensiones, & interdicta Papæ reseruata, tot erunt ei casus, seu peccata reseruata. Quot autem, & quæ censuræ sint Papæ reseruatæ, prolixum, & fortè præter nostrum institutum, qui breuitati studemus, erit recensere: de quo videri possunt Doctores de censuris tractantes, & inter recentiores videre poteris Sayrum *in suo Thesauro*, Henriquez *in sua Summa*, & Suarez *tom.* 5. *de censuris*, & Reginaldum *in sua praxi*, *lib.* 1. *cap.* 11, *sect.* 2. *à num.* 130. vbi excommunicationes Papæ reseruatas breuissimè enumerat, & latiùs Bonacina *tom.* 3. *de censur.*

6 Obiter tamen nota. Etsi Pontifex posset sibi etiam in articulo mortis peccata reseruare, vt tenet Henriquez *lib* 3. *de pœnit. cap.* 14. *num* 7. de facto tamen nullum peccatum in tali casu esset Papæ reseruatum, vt constat ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Ait enim, *In vero mortis articulo piè in Ecclesia semper custoditum fuit, vt nulla reseruatio, quantum ad culpam, tunc esset, atque ita omnis Sacerdos quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis, & censuris absoluere potest.*

7 Nota secundò. Etsi indirectè saltem possit Pontifex sibi peccatum merè internum, vt hæresim, aut apostasiam, reseruare, videlicet non concedendo confessario iurisdictionem ab iis absoluendi, vt cum aliis docet Henriq. *lib.* 3. *de pœnit. c.* 14. *n.* 6. de facto tamen nullum peccatum est Papæ reseruatum, nisi sit externum, vt habet communis Doctorum, & mortale, venialia enim etsi reseruari possint, non tamen solent. De quo vide Henriquez *sup.* Suarez *tom* 4 *in* 3. *part. disp.* 29. *sectio.* 3. *num.* 1. *&* 2. vide Graffis *part.* 1. *in appendice ad decisiones aureas lib.* 1. *cap.* 7. Vbi multa de casuum reseruatione, & Lud. à Cruce *in exposit. Bull disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1.

8 Nota tertiò. Reseruationem esse strictè interpretandam, quia odiosa est, vnde hic non valet paritas, & similitudo rationis. Ob idque excommunicatio contra legentes librum hæreticum, non extenditur ad audientes eum qui illum legit; nec ad audientes conciones hæreticorum. Hinc etiam fit, vt reseruatio intelligenda sit de actibus exterioribus cum effectu, vt bene Sylu. *casu quæst.* 5. Vnde homicidium mentale, imò nec percussio, aut vulneris inflictio, non reseruatur, si homicidium realiter non sequatur. Item quando reseruatio fertur in facientem, non includit mandantes, nisi ij exprimantur; vt docet Nauarr. *c.* 17. *n.* 51. Et quando fertur contra consilium, vel auxilium dantes, videndum est, an in illos principaliter, an verò secundariò feratur: nam si primo modo feratur, incurruot, quamuis effectus non sequatur; sufficit enim reuera consuluisse: si autem secundo modo, minimè, nisi effectu sequuto, vt idem Nauarr. *vbi sup.* Similiter quando reseruatio fertur contra eos, qui aliquid facere præsumunt, non comprehendit eos, qui ex metu, aut alio effectu præter superbiam illud fecerint. Et quando apponitur vox, *scienter*, non comprehendit eos, qui ex ignorantia faciunt. Vide Ioan. Capiauilliam *in suo tractatu de reseruatis*, *fol.* 52. *&* 53.

D v b. II.

Quænam peccata sint Episcopis reseruata, & quoties ab eis ratione Bullæ absolui possint.

1 SVpponendum est id, quod superiori dubio tactum est, nimirum, Episcopos, & alios Prælatos habentes iurisdictionem in foro exteriori, posse sibi peccata reseruare, quod definitum est à Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. excepto tamen mortis articulo, in quo supradicti vllo modo nullum casum sibi reseruare queunt; quia in eo articulo iure communi ab Ecclesia pro omnibus peccatis confertur iurisdictio, pro vt declarauit Trident. *suprà* de quo vide

Henriq. *lib. 3. de pœnit. c.* 11. Solent autem Episcopi reseruare sibi peccata aliquãdo cũ censura, aliquando verò sine illa, prout patet ex vsu & consuetudine in singulis Episcopatibus. Hinc fit, vt sub nomine casus Episcopo reseruati non comprehẽdantur censuræ; & è contra sub nomine censuræ ipsis reseruatæ, non comprehendantur casus etiam ipsis reseruati. Et quando Papa, vel ipsi Episcopi concedunt facultatem absoluendi à casibus Episcopis reseruatis non censentur concedere facultatem absoluendi à censuris ipsis Episcopis reseruatis, nec è contra: vt docet Nauarr. *cap.* 27. *num.* 265. & à fortiori nomine casos reseruati non intelliguntur vota, & iuramenta: vnde cui conceditur facultas ad absoluendum à casibus, ad vota, vel iuramenta commutanda, non censetur concessa, vt docet Nauarr. *numero* 161. *cit.* Rodriguez §. 9. *numero* 44. & communis Doctorum. Quare consultò Pontifex *in hoc* §. dixit, *A casibus, & censuris*, vt omnem Episcoporum & aliorum Prælatorum à Papa comprehenderet reseruationem.

2 Suppono secundò, tribus modis posse Episcopos peccata reseruare. *Primò* de iure communi, quo iure solent ipsis quinque, vel sex casus reseruari, qui continentur in Extrauag. *Super Cathedram, de sepulturis*. *Secundò*, per proprium statutum. Et *tertiò*, per specialem, & approbatam consuetudinem. His suppositis.

3 Dico primò. Ex solo iure communi, & secluso statuto proprio, & consuetudine, nullum iam peccatum est Episcopis reseruatum. Ita tenet Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disputat.* 29. *sect.* 3. *numero* 6. Ait enim d. Extrauag. esse reuocatam per Clemen. *Dudum, de sepult.* & per contrarium vsum Episcoporum. Solùm ergo de facto reseruantur Episcopis casus & censuræ, quos ipsi per speciale statutum, aut approbatam consuetudinem reseruant. De quibus nulla regula generalis tradi potest, quia hæc pendent ex facto, & in variis diœcesibus sunt varia; ideoque in singulis diœcesibus consulendæ sunt constitutiones synodales. Casus autem in nostra Valentina diœcesi reseruati sunt: Crimen simoniæ, & sacrilegij, homicidium proditoriè commissum, facto, consilio, fauore: incestus, vbi necessaria est dispensatio, percusio parentum, aborsus procuratus, clandestinoè contrahentes, incendium Ecclesiarum, testis falsus iurans in iudicio. Ita habetur in Synodo diœces. Aialæ, *actio.* 2. *cap. vlt.*

4 Dico secundò. A casibus, & censuris Episcopis, vel aliis Prælatis inferioribus à Papa reseruatis, virtute Bullæ absolui potest toties quoties pœnitens bene dispositus intra publicationis annum accesserit. Ratio est, quia ita manifestè habetur in Bulla, ibi: *Aliorum verò Sedi Apostolica non reseruatorum, & reseruatorum, toties quoties confitebuntur*, &c. Quod procedit, etiam si peccata sint commissa ante, vel post Bullæ susceptionem: & siue fuerint commissa ex illius confidentia, etiam positiua; vt si quis dicat: Occidamus proditoriè, aut falsum proferamus testimonium, quia Bullam habemus, qua absolui possumus: quod magis infrà patebit, dum de absolutione a reseruatis Papæ agemus. Etenim etiam si verum sit, posse ab iis virtute Bullæ absolui toties quoties, expedire tamen potest aliquando pœnitentem non absoluere: vt si facilis est pœnitens ad ea committenda, & difficilis in emenda; tunc remedij causa (si fortè speratur) remittere eum oportet ad Episcopum, vt docet Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 1. *litt. C.* Ex quo fit liberum esse cuicumque habenti Bullam eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, vt eum absoluat à peccatis Papæ non reseruatis, toties quoties ea ritè confessus fuerit, siue Ordinario, aut altero sint reseruata, siue non, vt expresè habetur in dicta clausula. ibi: *Aliorum verò*, &c.

5 Quis autem possit absoluere à reseruatis Episcopis, sine Bulla, aut licentia Papæ, aut ipsius Episcopi, docent Doctores in materia pœnitentiæ, & præcipuè, inter recentiores Suarez *tom.* 4 *in* 3. *part. disput.* 30. 31. & 35. vbi multa de absolutione reseruatorum, & Henriquez *lib.* 3. *de pœnitentia, cap. citandu*. Nihilominus tamen hanc rem paucis perstringam. Dico igitur, posse quemlibet approbatum, de licentia Episcopi, ab his absoluere: quam poterit pœnitens per se, vel prudentem Confessarium, aut aliam personam petere: quæ si iniustè negetur, habetur pro concessa, vt docet Henriquez *lib.* 5. *de pœnitentia, cap.* 15. *num.* 6. & *cap.* 12. *n.* 5. Potest etiam approbatus ab illis absoluere in articulo, vel periculo mortis, & taliter absolutus si euadat, non tenetur se Episcopo præsentare, quia fuit simpliciter absolutus, nisi fortè talis casus habeat annexam Episcopalem excommunicationem: de quo vide Henriquez *lib.* 3. *de pœnitentia, cap.* 9. *num.* 2. *litt. K.* & Syluest. *confessio* 1 *quæst.* 19. *in fine*. Item potest Parochus, aut quilibet approbatus, ab his reseruatis etiam extra articulum, vel periculum mortis absoluere, saltem indirectè, causa iusta intercedente, ex interpretatiua Episcopi licentia, quando ipse Episcopus commodè adiri non potest, etiam si casus habeat annexam excommunicationem. In hoc tamen casu pœnitens sic absolutus tenetur, cùm commodè poterit reseruatori per se, vel alium præsentari, vt directè absoluatur, quamuis casus non habeat annexam excommunicationem, vt latè probat Henriquez *suprà cap.* 15. *num.* 6. & 7. Causæ autem iustæ censentur *primò*, si adsit periculum scandali, aut infamiæ. *Secundò*, necessitas communicandi ex statuto religionis. *Tertiò*, vt celebret, præsertim cùm non est alius Sacerdos, à quo ipse, vel alius iter faciens Missam audiant. *Quartò*, vtilitas maxima communicandi, aut celebrandi in festis, quibus solet ex speciali deuotione, de quo vide Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 15. *num.* 5. & *cap* 15. *num.* 1.

6 Nota tamen, Emanuelem Sà *verb. Absolutio. num* 20. existimare, casus Episcopo reseruatos, eo mortuo, amittere reseruationem: verius tamen alij, vt Ioan. Capiauila *de casibus fol.* 51. existimant adhuc retinere reseruationem, donec à successore aliud statuatur, nam statutum, mortuo statuente, adhuc durat. Et hoc tenendum in nostra diœcesi, vbi casus sunt de iure synodali, & generali, approbataque consuetudine reseruati, atque adeò mortuo Episcopo, adhuc reseruatio durat.

7 An autem Regulares possint absoluere sæculares, diximos *infrà lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. *num.* 11. vbi sequuti sumus partem negantem cum Suarez *tom.* 4. *disputat.* 30. *sect.* 2. *num.* 16. Sanctio *in selectis, disput.* 48. *num.* 25. & Lud. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 5.

8 Nota etiam quando verè dubitatur, & æquè dubium est, an casus sit reseruatus, vel an egeat dispensatione, non esse reseruatum, nec indigere dispensatione, vt cum aliis tenet Castro Palao *tract.* 3. *disputat.* 6. *punct.* 5. *numero* 10. vide infrà *cap.* 3. *dub.* 15. *numero* 2. & in nostro Decalogo *lib.* 2. vbi *de voto dub.* 16. & *dub* 49. vide etiam hîc infrà *dub.* 16. *num.* 8.

DVB.

DVB. III.

An, & quo pacto semel in vita absolui quis possit virtute Bullæ à casibus Papæ reseruatis.

1 SVppono primò. Per casus Papæ reseruatos intelligi censuras, eidem reseruatas: nam vt probatum est *sup. hoc cap. dub.* 1. nullum peccatum Papæ de facto est reseruatum, nisi ratione censuræ, videlicet excommunicationis, suspensionis, & interdicti.

Supponendum est secundò, vt constat apertè ex ipsa Bulla in hoc §. posse ratione illius absolui semel in vita intra annum publicationis, ab omnibus casibus Papæ reseruatis, & censuris. Cùm autem casus sit ratione censuræ reseruatus, vt sæpè dictum est, & censura sit triplex, scilicet, excommunicatio, suspensio, & interdictum, Pontifex concedens absolutionem semel in vita intra annum publicationis ab omnibus casibus sibi reseruatis, & censuris, censetur concedere facultatem absoluendi ab excommunicatione, suspensione, & interdicto sibi reseruatis; excepta tamen excommunicatione ob hæresim incursa, de qua *infrà*; hac enim excommunicatione excepta, ab omnibus aliis excommunicationibus, & censuris absolui virtute Bullæ potest, prout clariùs *infra* de singulis patebit.

Supponendum est tertiò, Gregor. XIII. anno 1573. die 5. Maij suo indulto concessisse, vt possit sumi secunda Bulla, & iterum absolui à reseruatis Papæ semel in vita, & iterum in articulo mortis, vt habetur in Bulla Latina.

Suppono quartò, virtute Bullæ absolui posse à reseruatis commissis siue ante, siue post Bullæ acceptionem, vt docet Rodriguez §. 9. *num.* 95. cum Corduba *quæst.* 34. *de indulgent.* & aliis, & multis allegatis tenent Diana *tractat.* 11. *resol.* 17. Villalob. *p.* 1. *tract.* 27. *clauf.* 9. §. 2. *n.* 6. & Castro Palao *tract.* 3. *disp.* 4. *punct.* 11. *num.* 8. quia Bulla non distinguit, nec limitat. Quare cùm Prælatus concedit suam authoritatem ad certos dies, extenditur ad peccata commissa ante & post, vt idem Rodrig. *cit.* vide Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. c.* 16. *n.* 3. *litt. N.*

Suppono vltimò, virtute Bullæ posse absolui à reseruatis in illius confidentiam commissis, vt dictum est *sup.* §. 1. *dub.* 9.

2 His positis, quod dubitatur est de modo quo semel in vita (idem dic de articulo mortis) quis absolui possit à casibus Papæ reseruatis; an videlicet virtute priuilegij Bullæ possit Confessarius absoluere pœnitentem semel in vita intra publicationis annum ab vnoquoque casu reseruato, ita vt si hodie incidat in vnum peccatum reseruatum, possit ab illo absolui semel, & si cras vel alio die in aliud prolabatur, possit absolui etiam semel, & sic de aliis, donec absoluatur ab omnibus, ab vnoquoque tamen semel in vita intra publicationis annum: an verò semel in vita vnica tantùm absolutio à reseruatis concedi possit, siue vnum, siue plura reseruata in ea confessione confiteantur. Respondeo cum communi, intra annum publicationis vnam tantùm absolutionem pro reseruatis Papæ concedi posse; minimè verò singulas de singulis peccatis: quod ita existimo verum, vt contrarium vllo modo defendi possit. Probatur, quia iste videtur manifestus sensus verborum Bullæ: nec video quomodo pati queant aliam interpretationem, vel extensionem: nam posse semel in vita absolui à reseruatis Papæ, planè significat semel dare, vel recipere absolutionem; ergo semel per vnum sacramentum fieri id debet, non autem per plura: aliàs enim si ab vno hodie, & ab alio sequenti die quis absoluatur, iam non semel tantùm, sed bis absolueretur à reseruatis, vel à reseruato, quod nullo pacto Bulla concedit. Quod colligitur apertè ex indulto quod habetur in Bulla Latina, quo Gregor. XIII. concedit, vt possimus secundam Bullam accipere, & iterum frui priuilegio absoluendi à reseruatis, semel in vita, & semel in articulo mortis; etenim si ratione vnius Bullæ intra annum, per vnam, aut plures confessiones absolui possumus ab omnibus, vel singulis reseruatis, non erat cur concederet Gregorius nouum indultum, & nouam à peccatis Papæ reseruatis absolutionem.

3 Quid ergo faciet qui semel in vita absolutus fuit à Papæ reseruatis, si intra annum aliud ipsi reseruatum committat? Respondeo, accipias secundam Bullam. Quòd si etiam ratione secundæ Bullæ absolutus fuerit iterum à reseruatis semel in vita intra annum, iam non poterit ratione primæ, nec secundæ Bullæ ampliùs à Papæ reseruatis absolui. Quid ergo erit remedij? Respondeo *primò*, posse vti Bullis præteritis, si fortè quoad absolutionem reseruatorum illis vsus non fuerit, vt quidam existimant. Asserunt enim per Bullam præsentis anni reualidari Bullas annorum præteritorum: quod an verum sit, infrà §. 9. *dub.* 2. examinabitur. Respondeo *secundò*. Si casus sint occulti, (secus si publici) & ad forum contentiosum non deducti, posse absolui ab Episcopo vigore Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformatio.* Toties quoties benè dispositus accesserit, vt communiter Doctores docent. Imò etiam probabile est, posse per Confessarium absolui ratione vnius Bullæ, si casus Papales occulti sint; nam sic iam censentur Episcopales, & per Bullam posse toties quoties absolui, vt infrà hoc *cap. dub.* 6.

4 Quæres tamen, an si habens Bullam committat peccatum Papæ, vel Episcopo reseruatum, & habens intentionem gaudendi priuilegio absolutionis circa casum reseruatum fuerit confessus cum obliuione casus reseruati, possit deinde elapso tempore Bullæ absque eo quòd de nouo aliam Bullam recipiat, virtute illius primæ Bullæ à reseruatis priùs oblitis à quolibet approbato absolui, absque alio nouo priuilegio. Respondeo affirmatiuè. Confirmarique potest à simili: nam, vt docent Nauarr. *in cap. consideret.* § *cautus*, *de pœnit. distinct.* 5. *num.* 30. Couarruuias *cap. Alma mater*, *part.* 1. §. 11. *num.* 12. & 13. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 16. *de pœnit. num.* 5. & *lib.* 7. *cap.* 11. *de indulg num* 4. Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 54 *num.* 39. & Suarez *tom.* 4. *disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 15. & 20. & communiter Doctores, elapso tempore Iubilæi potest pœnitens absolui ab iis censuris, & casibus, quorum in confessione oblitus est, præsertim cùm pœnitens accessit animo saltem virtuali, vt à reseruatis absolueretur, talis enim præsumitur intentio Pontificis. Similiter ergo dicendum est in nostro casu, in quo à reseruatis, saltem indirectè, manet absolutus, & reseruatio sublata censetur. Ad hoc enim videtur hoc priuilegium concessum, vt peccata reseruata vsque ad illud tempus commissa, iam non sint reseruata respectu illius, qui illorum absolutionem expostulat, saltem virtualiter: hoc est, quod eam expressè peteret, si peccati reseruati recordaretur, videturque æquitati consonum talem habuisse Papam intentionem. Et quamuis hoc

priuilegium pro tempore determinato concedatur; hæc autem determinatio hoc tantùm operatur, vt si quis abutatur priuilegio, non explicans ex proposito casum reseruatum in confessione, nullo modo vtatur priuilegio, maneátque reseruatio sicut antea.

5 Procedit autem hæc sententia quamuis obliuio sit culpabilis, dummodo sacramentum sit validum, etsi informe, vt tenet Henriq. *sup.* & alij, quia sic valida est peccatorum absolutio in sententia probabilissima eorum, qui tenent dari sacramentum Pœnitentiæ informe. Secus autem si obliuio ita culpabilis est, vt omnino Sacramenti validitatem tollat; quia tunc nec peccatorum expresse confessorum absolutio tenet. Ita Suar. *sup. n.* 2x.

6 Dixi, *si habeat intentionem gaudendi priuilegio, saltem virtualem*; quia si non habeat talem intentionem, sed absolutè petat absolutionem, certum existimo peccatum adhuc manere reseruatum, & anno elapso non posse absque priuilegio aliquo absolui, nisi forsan Confessarius illum pœnitentem virtute Bullæ sub conditione à censuris reseruatis absoluerit: quod prudenter facere aliqui solent, quia tunc expressè virtute priuilegij, quamuis sub conditione absoluitur, & saltem interpretatiuè, & virtualiter pœnitens petit talem absolutionem. Sufficit autem virtualis, & interpretatiua intentio illa confitendi, quæ bona fide omisit, vt à reseruatis maneat absolutus; nam si recordatus fuisset, illa etiam fassus esset, & hæc virtualis intentio est interpretatiua petitio, ita Diana *tract.* 11 *resolut.* 19. cum Syluest *confess. q.* 4. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 13. Sa *confess. num.* 7. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 5. & aliis, censetur autem habere intentionem virtualem ille qui confitetur animo exonerandi conscientiam à peccatis, quantum fas sit, & Confessarius qui absoluit quantum licitè potest. Reginald. *tom* 1. *lib.* 8 *cap.* 7. *n.* 99. Coninch *disp.* 8. *dub.* 12. *n.* 98. & Lud. a Cruce *disp.* 1. *c.* 3 *dub.* 12. *nam.* 13 *in fine*. Hinc fit pœnitentem qui expressè petit absolui a censura qua se ligatum agnoscit, non esse absolutum ab oblitis, nisi haberet virtualem, & interpretatiuam voluntatem ab omnibus absolui, vel nisi absoluens generaliter eum absoluerit ab omnibus censuris, vide infra *dub.* 18. *n.* 15. & Ludouicum à Cruce *vbi suprà cap.* 4. *dub.* 7. *num* 8. *& seq.*

7 Dixi etiam, peccata reseruata oblita in confessione valida posse extra annum à quolibet, approbato tamen, absolui: quia existimo certum, prout etiam tenet Rodriguez §. 9. *n.* 98. *dub.* 5. Henriquez *vbi sup.* & alij, non posse ab iis sicut à venialibus simplicem Sacerdotem absoluere; sed requiri approbationem Episcopi: quia peccata oblita remittuntur cum obligatione, vt cùm memoriæ occurrant, iterum clauibus Ecclesiæ, & iurisdictionem habenti subiiciantur præcepti tempore. Vnde peccatum reseruatum oblitum, & indirectè absolutum, non est omnino, sicut veniale, quia illud tenemur, si oblitum fuerit, dum recordamur iterum confiteri; non autem venialia.

8 Si autem quis omnium peccatorum reseruatorum immemor confessionem fecit omnino irritam & inualidam, existimo tanquam certum, posse iterum de nouo validè confiteri, & absolutionem reseruatorum obtinere intra annum. Ratio est, quia Pontifex concedit vnam intra annum reseruatorum absolutionem; hic autem non fuit absolutus, nec semel à reseruatis, vt supponimus: ergo remanet illi integrum hoc priuilegium. Dixi, *intra annum*; quia extra illum certum est iam expirasse illud Bullæ priuilegium, & per consequens non posse virtute Bullæ anni præteriti à reseruatis absolui.

9 Sed quæres, an qui fecit confessionem irritam & nullam, in qua confessus est reseruata, & à confessario absolutus fuit ratione Bullæ, liber sit à reseruatis confessis, ita vt possit postea ea peccata cuilibet approbato confiteri, & ab eo absque vllo priuilegio absolui. Respondeo affirmatiuè. Ita Rodriguez §. 9. *dub* 4. *num.* 97. & Henriq. *lib.* 3. *de pœnitent. c.* 16. *num.* 5. Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 9. Coninch *disp* 8. *dub.* 12. *num.* 91. & cum multis aliis Ludou. à Cruce *in expositione Bull disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 4. Ratio fundamentalis est, quia directè, & animo gaudendi hoc priuilegio, (vt supponimus) se subiecit legitimo Superiori, qui potuit, & voluit tollere reseruationem. *Secundò*, quia à reseruata Papæ censura potest absolui ratione Bullæ extra confessionem, vt infrà dicemus; ergo non requiritur ad effectum tollendi reseruationem virtute Bullæ, quòd confessio fuerit valida, vel non. Dixi esse liberum à reseruatis confessis; nam in hoc casu certum existimo non esse liberum à reseruatis oblitis; vt sentit Suarez *sup. num.* 12. & tenet Ludou. *sup. num.* 6. & 7. quia cùm sacramentum sit irritum, non se extendit etiam indirectè ad oblita, eo quòd directè etiam peccata confessa non remittat. Et probatur à simili, quando quis extra confessionem ab aliqua excommunicatione Papæ reseruata virtute Bullæ absoluitur, solùm censetur ab illa, & non ab aliis oblitis absolutus. Igitur idem dicendum est in proposito; quia illa irrita & nulla confessio ita se habet, ac si non esset confessio. Limitatem tamen casu quo pœnitens habet animum & intentionem expressam confitendi, & sufficiendi absolutioni non solùm ea reseruata, quorum recordatur, sed etiam ea omnia si recordaretur, & confessarius absolutè absoluit expressè confessa, & sub conditione oblita, dicens, *si fortè alia reseruata incurristi*; tunc enim ab omnibus censetur absolutus, & sufficit postea illa peccata quando memoriæ occurrerint, & præcepti tempus instauerit cuilibet approbato confiteri, quia illa generalis absolutio ad omnia reseruata se extendit. Ita intelligo Henriquez *lib.* 3 *de pœnit. cap.* 16. *n* 5. & intelligendus est Lud. *sup. num.* 13. *in fine*, vbi dicit posse absolui etiam ab oblitis reseruatis in hoc casu, quia supponit pœnitentem, interpretatiuè petere absolutionem ab eis, & confessarium habuisse virtualem absoluendi à talibus intentionem, quo in casu nos etiam idem existimamus. Similiter etiam qui tempore Iubilæi incontritè, dimidiatè, aut alias inualidè confitetur, si habeat animum cætera in Iubilæo præscripta faciendi, & intentionem ab omnibus reseruatis absoluendi, & generaliter ab omnibus reseruatis virtute Iubilæi absoluatur, tollitur per illam generalem absolutionem reseruatio etiam oblitorum, vt cum multis tenet Henriquez *suprà* & nobiscum sentit Diana *tract.* 11. *resol.* 18. *& in addit. resolut.* 16. Dixi, *si habeat animum*, &c. nam aliàs nec ab reseruatis quæ in confessione inualida confitetur, manet liber: nam Papa concedere videtur tale priuilegium in ordine ad consequutionem Iubilæi; ergo ille qui non habet animum lucrandi illum, nec poterit illius priuilegiis frui, quare oportet vt pœnitens habeat verum animum implendi necessaria.

10 De absolutione à reseruatis virtute Iubilæi, vide Henriq *lib* 3 *de pœnit. c.* 16. *num.* 5. *&* 6. *& cap.* 11. *lib.* 7. *de indulgent. per tot.* vbi citat multos. Hoc tamen aduerte, eum qui tempore Iubilæi ritè & rectè confessus est, animo cætera præstandi, & virtute illius absolutus est à reseruatis, tollere reseruationem etiam oblitorum, etiam si postea mutato animo cætera non adimpleuerit, quia subiicit

se

se cum vero animo ei qui voluit, & potuit absoluere, & cùm hæc absolutio sit absoluta, & non ad reincidentiam, hinc fit, vt non reincidat in eandem reseruationem, vt latè docet Henriquez *supr. c. 11. cit.* & Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap. 54. n. 44. & lib. 8. de matrim. disput. 15. num. 20. & 21.* & alij, quos ipse citat Suar. *tom. 4. disput. 31. sect. 4. num. 24.* An autem qui in prima hebdomada fuit absolutus à reseruatis ratione Iubilæi si reincidat, possit in secunda iterum absolui, vide Henriq. *vbi supr.* & Diana *part. 1. tract. 3. miscell. resolut. 49.* qui partem affirmantem probabilem existimant.

Dub. IV.

An & quo pacto per Bullam absolui quis possit à reseruatis, non tantùm in articulo, sed etiam in periculo mortis.

1 Certum est in hac re virtute Bullæ posse pœnitentem semel etiam in articulo mortis absolui ab omnibus Papæ reseruatis intra publicationis annum vt manifestè constat ex Bulla in hoc §. Modus autem absolutionis est, vt vnica absolutione in eo articulo data ab vno, vel à pluribus Papæ reseruatis, semel tantùm absolui possit eo modo, quo de absolutione semel in vita intra annum publicationis concessa, *dub. supr.* explicatum est; vnde si in hoc articulo semel ab vno, vel à pluribus Papæ reseruatis absolutus est, iterum virtute eiusdem Bullæ in articulo mortis absolui non poterit: quia id expressè limitat Bulla, ibi, *semel*; at si id non limitasset, sed absolutè concederet facultatem absoluendi à reseruatis in artic. mort. probabile est posse absolui pœnitentem toties quoties in illum venerit, ita Henriq. *lib. 6. cap. 16. num. 3.* & cum eo Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disput. 1. cap. 3. dub. 17. num. 4.* vbi dicit idem dicendum de indulgentia sub eodem tenore verborum concessa. Per articulum autem mortis intellige verum in se, seu moraliter præsumptum, vt docet Rodriguez *§. 9. num. 38.* quia vbi iura non distinguit, neque nos. Et probatur à simili; quia Extrema vnctio danda est in articulo mortis, quæ tamen potest conferri in articulo mortis secundùm regulas prudentiæ moraliter præsumpto, vt communiter Doctores; ergo similiter in nostro casu.

2 Difficultas ergo est, an idem dicendum de periculo mortis. Ad cuius intelligentiam nota, articulum mortis strictè esse, quando mors est in fieri, & ita certa, & proxima, vt moraliter certa sit, & ferè inevitabilis, siue id ex causa naturali proueniat, vt ex morbo; siue ex causa violenta, vt si quis morte plectendus sit. Periculum verò mortis est, quando non omnino certò, & infallibiliter, moraliter loquendo mors speratur, sed tantum de ea prudenter timetur, & probabiliter dubitatur, & frequenter in eo casu euenire solet: vt cum fœmina partui appropinquat, & experta est ex partibus imminens periculum vitæ; vel eius est complexionis, vt id periculum verisimiliter timeatur: vel eo anno solent communiter parientes periclitari. Item tempestas grauis exorta, vel nauigatio periculosa, aut conflictus in bello, aut itineris prædonibus interficere solentibus expositi aggressio: aut cum quis in morbum periculosum incidit, qui maiori ex parte mortem inferre solet. Item si adsit probabile periculum incidendi in amentiam, siue perpetuam, siue diuturnam: nam cùm quis factus amens nequeat confiteri, periculum amentiæ est quasi periculum mortis, & etiam quia in eo periculo diuinum obligat confessionis præceptum. Vide Suarez *tom. 4. in 3. part. dist. 26. sect. 4.* & Sanchez *lib. 1. cap. 13. num. 2.*

3 His positis Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. col. 4. vers. Quæris autem.* Cano, & Valentia, quos citat Sanchez *tom. 1. oper. moral. lib. 2. cap. 13. num. 1.* sumunt articulum mortis strictè, & distinguunt illum à periculo mortis quoad hunc effectum absoluendi à reseruatis, & consequenter docent facultatem datam per Bullam absoluendi aliquem in articulo mortis, non posse extendi ad periculum mortis. Fundamentum esse videtur, quia iura cùm dicunt quemlibet Sacerdotem habere iurisdictionem à peccatis, loquuntur de articulo mortis. Eodem etiam modo loquitur Bulla, cùm dat facultatem Sacerdoti approbato ab Ordinario absoluendi à reseruatis, nempe in articulo mortis.

Nihilominus tamen dico, etsi, metaphysicè loquendo, hæc duo distingui videantur, moraliter tamen, & quoad hunc effectum absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris sumi pro eodem in iure articulum, & periculum mortis, atque adeò sicut in articulo mortis potest quilibet Sacerdos ex priuilegio iuris absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, ita in mortis periculo. Ita Nauar. Medin. Palud. Adrian. Syluest. quos refert, & sequitur Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 26. sect. 4. n. 3.* idem tenent Sanchez *lib. 2. oper. moral. cap. 13. à num. 1.* & alij, apud Ludouic. à Cruce *in exposit. Bulla disp. 1. c. 3. dub. 16.* Probatur *primò*, quia *in cap. si quis suadente, 17. quæst. 4.* posita reseruatione excipitur periculum mortis, & *in cap. non dubium, de sententia excommunicationis*, facta mentione exceptionis illius, dicitur esse in articulo mortis: ex quibus apertè colligitur hæc duo in iure confundi, & pro eodem reputari. Quod apertè etiam significatur *in cap. eos qui, de sententia excommunicationis, in sexto.* nam in eodem contextu, nunc periculum, nunc verò articulus mortis appellatur; ergo quoties in aliis locis fit exceptio articuli mortis, rectè & secundùm ius, extenditur ad periculum mortis. *Secundò* morale periculum in moralibus perinde existimari debet, & in malis ita caueri sicut euentus ipse: ac propterea certissimum est exponentem se morali periculo culpæ lethalis, peccare mortaliter. Denique non satis Ecclesia de remedio prouidisset, si tantùm pro eo tempore præcisè articuli mortis illud concederet, quia si in periculoso morbo id expectaremus, posset aliquid superuenire, quo iam fieri non posset confessio, aut non ita bene vt expedit. Cùm ergo ægrotum obligemus hoc præcepto ante illum articulum, vt tempore opportuno sibi prouideat, eadem ratione dicendum est, Ecclesiam prouidisse remedium opportuno tempore, nempe obligationis præcepti confessionis, atque adeò pro eodem accipere articulum & periculum mortis.

Duo tamen obseruanda sunt, vt articulus, & periculum mortis æquiparentur, vt bene obseruat Sanchez *supr. num. 3.* cum Corduba *in Summa, quæstio 18. punct. 2. dist. 4.* Et tenet Ludouic. à Cruce *in exposit. Bulla disputat. 1. cap. 3. dub. 18. num. 3. & 4.*

Primum est, vt mortis periculum propè sit, & velut in fieri, id est, vt prudenter timeatur: & probabiliter sequatur: secus ergo est quando est ferè certum, mortem diutiùs differendam: in quo tempore potest occurrere opportunitas habentis facultatem legitimè absoluendi; quia tunc cessat ne-

cessitas quæ huius concessionis causa fuit. Vnde damnatus ad triremes non censetur in hoc periculo, quidquid dicat Sà *absolutio. numer.* 4. quia id periculum non est proximum. Et si aliquando contingat periculum, Sacerdos in triremibus ire solet confessiones periclitantium excepturus. Atque sæpè triremes ad portum accedunt, in quo est Sacerdorum copia. Ob idque indifferenter verum non videtur id quod docet Syluest. *absolutio* 1. §. 10. omnes prægnantes posse absolui ab omnibus reseruatis, nisi quando difficiles partus solent habere, vel eo modo, *in not. sup.* explicato, vt benè Couar. *c. Alma mater p.* 2. §. 3. *n.* 2. Hinc etiam colligo, nauigantem è Valentia in Insulas Baleares, id est, Maioricam, non esse in periculo proximo mortis, quia non est longinqua nauigatio, nec communiter & frequenter periculum mortis instat, vnde in hac nauigatione constitutus, nisi aliàs periculum mortis proximè instet, non potest à quolibet à reseruatis absolui.

Secundò est, vt morali necessitate cogente absoluendus in id periculum incidere debeat, vt si necesse sit illi ex causa vrgenti, nauigationem periculosam, aut prælium aggredi, quando enim propria sponte aggreditur, non dicitur constitutus in mortis periculo: sed ipse vult se constituere. Ita sentiunt Corduba, & Sanchez *sup.* citati. Limitarem tamen hanc conditionem, vt tantùm procedat, antequam actualiter nauigationem, aut bellum aggrediatur; nam quando est iam actualiter in bello, vel nauigatione tenera periculosa constitutus, existimo posse à quolibet tunc à reseruatis absolui, quia est in vero periculo mortis, & parum refert quòd voluntariè, aut necessitate cogente illud aggrediatur, potuit quidem illud aggrediendo sine necessitate, vt temerarius peccare, ob id tamen non videtur actualiter & realiter perdere priuilegium quod Ius in tali periculo constitutus concedit, præsertim cùm id in iure non sit expressum, nec ab ipso iure limitatum.

Dico secundò, in casu nostræ Bullæ æquiparari articulum & periculum mortis atque adeò sicut per illam possumus absoluere à reseruatis in articulo mortis, ita etiam in periculo morali eiusdem modo explicato. Patet, quia, vt probatum satis est, rectè & secundùm ius articulus mortis extenditur ad periculum, etiam iuxta rigorosam in iure acceptionem, & significationem illius vocis; ergo eadem facultas per Bullam concessa pro articulo mortis, pro eius etiá vero & morali periculo censetur concessa. Vide Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent. cap.* 11. *num.* 3. Rodriguez §. 9. *num.* 38. & Nauarr *cap.* 26. *num.* 31. & Ludonic. à Cruce *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 3. *dub.* 16. & in nostro Decalogo *lib* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 2. & 3.

D V B. V.

An aliquid speciale concedatur in Bulla circa absolutionem casuum reseruatorum in periculo, & articulo mortis.

1 Ratio dubitandi est, quia certum est in articulo, vel periculo mortis nullum casum esse reseruatum, & si reuera interueniat necessitas ministri, quilibet Sacerdos habet iurisdictionem ad absoluendum in hoc foro; ergo ad reseruatorum absolutionem non erit necessaria Bulla; atque adeò nihil operabitur priuilegium Bullæ circa absolutionem reseruatorum in articulo, vel periculo mortis. Vt igitur effectus absolutionis ratione Bullæ in articulo, vel periculo mortis datæ pateat, præmittenda sunt aliqua, etsi breuissimè, de absolutione reseruatorum in articulo, vel periculo mortis ratione articuli, vel periculi præcisè, & absque vllo alio priuilegio concessa de quibus dixi in Decalog. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. *per totum.*

2 Dico primò. In articulo, vel periculo mortis potest quiuis Sacerdos, quantumuis irregularis, degradatus, excommunicatus, hæreticus sit, cessante periculo peruersionis, absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, vt tenet communis, ex Tridentino. *sess.* 14. *cap.* 7. *de pœnitentia*, vbi docet Tridentin. in tali casu nullum esse casum reseruatum. Quod adeò verum est, vt non improbabiliter existiment Nauarr. *lib.* 5. *cons. de pœnitent. & remiss. cons.* 23. *num.* 2. & 3. in meis, Sà *absolutio. num* 4. Ledesma *in Summa*, *cap.* 14. *de pœnitent. conclus.* 1. *diffinitio.* 2. Rodriguez *tomo* 1. *quæst.* 56. *artic.* 4. Ioann. Valero *verb. Excommunic. differentia* 23. *num.* 1. & alij multi, quos refert Sanchez *libr.* 2. *oper. moral. cap.* 13. *num.* 6. fauet Barbusa *tom.* 2. *allegat.* 25. *num.* 51. posse quemlibet Sacerdotem simplicem in hoc articulo, vel periculo mortis absoluere à quibusuis reseruatis, etiamsi adsit proprius Sacerdos, seu alius Confessarius approbatus, seu ipse Superior, qui casus illi reseruauit. Quia Trident. absolutè, & indistinctè dicit, omnes Sacerdotes ea potestate gaudere in eo articulo, ac proinde videtur omnibus illis parem iurisdictionem pro eo articulo concedere. Probabilis quidem opinio, & quæ in consolationem pœnitentis, ob tantorum Doctorum auctoritatem potest sustineri. Nihilominus tamen probabilior, & fortè verior, est opposita sententia, nimirum non esse talem facultatem simplici Sacerdoti concessam, quando adest copia proprij Sacerdotis, aut alterius approbati, aut ipsius Superioris. Ita Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *artic.* 4. *statim in principio.* Azor. 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *quæst.* 5. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 26. *sect.* 4. *num.* 4 & *tom.* 5 *disput.* 21. *sect.* 1. *numer.* 62. Nauarr. Syluest. Armilla, Couarruuias, & alij multi, quos refert, & sequitur, Sanchez *suprà num.* 7. & dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3 *dub.* 7. *num.* 6. Aduertit tamen, & bene Henriquez *libr.* 6. *de pœnitent. cap.* 11. *num.* 3. non debere Sacerdotem simplicem nimis scrupulosum esse in hac re, sed in dubio an opportunè adueniat Sacerdos approbatus, debet simplex absoluere, ne scilicet periculo infirmum exponat. Probatur hæc sententia *primò*, quia Trident. *cap.* 7. *citat.* ait esse custoditum semper in Ecclesia, vt quilibet Sacerdos in eo articulo absoluere possit: quare ius nouum non concedit, sed consuetudinem approbauit; at ea consuetudo solùm obtinuit, vt quilibet Sacerdos tunc absoluere possit, quando non est prædictus recursus, vt colligitur ex Concil. Carthagin, III. *can.* 32. & refertur *cap. Presbyter.* 26. *quæst* 6. & *Extrauagant. Inter cunctas*, §. *incendiarij*, *de priuileg.* & *Extrauagant.* 1. §. *decernimus*, *de sentent. excommunicationis. Secundò*, quia Trident. dicit id esse indultum ratione necessitatis, ne æger absque confessione decedat, quæ in hoc casu cessat omnino. *Tertiò*, quia *cap. eos qui de sentent. excommunicat. in* 6. deciditur, vt absolutus ratione imminentis necessitatis articuli mortis à censura reseruata, teneatur cessante impedimento, se præsentare Superiori cui reseruata erat; si ergo cùm potest tenetur se Superiori præsentare, & ante absolutionem

absolutionem adest Superior, non poterit ab inferiori absolui.

3 Variant tamen Doctores, an in casibus Pontifici reseruatis, quando ratione articuli, vel periculi mortis non est recursus ad Pontificem, sit adeundus Episcopus, si eius copia adsit, vel an possit quicumque approbatus absoluere. Quidam existimant adeundum esse Episcopum. Ita Corduba *in Summa, quæstione* 18. *punctum* 2. *dicto* 1. & Zambrano *de casibus articuli mortis, cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 14. nam *in cap. ea noscitur, & cap. de cætero, de sententia excommunicationis*, id dicitur in percussione clerici Papæ reseruata. At meliùs Suarez *tom* 4. *in* 3 *part. disp.* 30. *sect.* 3. *n.* 4. Molina *tom.* 4. *de iust. & iure, disp.* 63. *n.* 2. & Sanchez *sup. c.* 13. *cit. n.* 9. dicunt hoc specialiter esse cautum in percussione clerici, vt in mortis articulò, si Pontifex adiri nequeat; benè tamen Episcopus is adeatur: quare cùm in aliis casibus id cautum non sit, in illis non erit necessarium adire Episcopum, & per consequens in hoc casu quilibet approbatus etiam præsente Episcopo, ab iis absoluere poterit: quia ob reseruationem Pontifici factam, nullum ius acquirit Episcopus, & in mortis articulo omnis reseruatio cessat, quando ad reseruantem non est recursus: sunt ergo tunc æquales Episcopus, & Parochus, & quiuis Confessarius expositus, seu approbatus. Hoc tamen limitat Sanchez *supr.* quando casus Pontifici reseruatus non esset occultus: si enim occultus est, cùm iure ordinario (vt ipse ait) possit Episcopus ab illo absoluere virtute Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. esset Episcopus adeundus, si ad illum commodus esset recursus. At quia Henriquez *lib.* 6. *de pænit. cap.* 14. *num.* 7. & aliqui existimant id competere Episcopis non iure ordinario, sed ex priuilegio, vt dubio sequenti explicabitur, proinde iuxta hanc opinionem dicendum videtur, non esse Episcopum in hoc casu adeundum, quia priuilegiatus non est præferendus proprio, seu approbato, vt statim dicemus. & ita absolutè tenet (seclusa percussione clerici) Lud. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 1. *c.* 3. *dub.* 15. *n.* 6. cum Suar. *vbi sup.*

4 Ex his colligitur in hoc casu non posse simplicem Sacerdotem absoluere à reseruatis, si adsit Parochus, aut alius expositus, & approbatus ad audiendas confessiones, quia tunc cessat necessitas. Idem existimant dicendum Suarez *sup.* 26. *sect.* 4. *num.* 4. & Sanchez *sup. cap.* 13 *citat num.* 10. si adsit Parochus, aut alius approbatus in alia diœcesi, non tamen in illa quia etiam si respectu huius diœcesis sit simplex Sacerdos, est tamen alicubi approbatus. At non existimo hoc adeò verum sicuti primum, & quamuis sit decens non tamen necessarium: nam in illa diœcesi ij etiam alibi approbati, & simplex Sacerdos æquiparantur, cùm solùm ibi ratione ipsius articuli, vel periculi iurisdictionem habeant; limita, tamen nisi simplex Sacerdos esset indoctus, & imperitus: si autem adsit Sacerdos excommunicatus, vitandus, seu suspensus, aut præcisus, non posset absoluere, si adsit simplex Sacerdos, quia carent iurisdictione, & se habent sicuti simplices Sacerdotes, quibus ab Ecclesia hoc ministerium est interdictum nisi in extrema necessitate, quæ cessat in hoc casu. Quòd si adsit Sacerdos Catholicus quocumque impedimento affectus, est præferendus hæretico, vel schismatico; & inter Catholicos irregularis est præferendus excommunicato vitando, quia tunc cum excommunicato non potest participari, & suspensus, & interdictus præferendus est irregulari; quia illa sunt minora impedimenta, & vniuersi ij Sacerdotes Catholici etiam excommunicati vitandi, sunt anteponendi degradato, eo quòd hic maximo impedimento laborat. Ita Sanchez *numer. citat.* cum Zambrano *eodem dubio* 4. *num.* 22. Sed quid si adsit Sacerdos habens priuilegium absoluendi à reseruatis? Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 30. *sect.* 3. *num.* 5. & Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 10. *num.* 2. *littera D.* aiunt, hunc non esse præferendum exposito, quia illud est veluti priuilegium, quod nullus sequi tenetur, eo quòd in illo articulo omnis cessat reseruatio. Contrarium tamen tenet Nauarr. *cap.* 27. *numer.* 90. *vers. Ad quartam*, Corduba *quæst.* 18. *puncto* 2. *distinct.* 1. quos sequitur, & Ludouic. à Cruce *in expositio. Bullæ, disputat.* 1. *cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 8. Sanchez *supr. numer.* 11. non quia hic teneatur vti priuilegio alterius, sed quia tunc nullum reseruati peccatum, non est absolutè, sed ratione necessitatis quia præsente Sacerdote potente ex priuilegio absoluere cessat per Bullam impedimentum interdicti, impediens eo tempore Missam audire. Hinc fit quòd in articulo mortis si adsit proprius, aut alius approbatus non impeditus, non possit eligi simplex Sacerdos, eo quòd cesset articulus necessitatis, ratione cuius ab Ecclesia approbatur, vt dictum est. Et ita etiam tenet Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ, disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 14. *n.* 2. 3 & 4.

5 Dico secundò, si deficiente proprio Sacerdote, aut alio approbato, simplex confessionem constituti in articulo, aut periculo mortis, audire cœpit, vel inferior approbatus, defectu Superioris, cui casus reseruatur; & ante absolutionem adsit legitimus Confessarius, vel Superior, potest prior Confessarius cœptam perficere. Ita Sanchez *cap.* 13. *cit. num.* 15. & Henriquez *lib.* 3. *de pænitent. cap.* 11. *nu.* 8. & alij, quia veram habet iurisdictionem, nec alterius aduentu expirat, quia res non est integra, sed confessio cœpta: iure enim cautum est iurisdictionem delegatam, quæ morte delegantis cessat, non cessare re non integra, vt colligitur aperte ex *cap. gratum, & cap. relatum, de officio delegati*; datur enim eo in casu locus præuentioni, ne teneatur pœnitens eadem peccata iterum confiteri. Non enim datur eo in casu simplici Sacerdoti iurisdictio ad tempus, donec veniat legitimus Confessarius, sed simpliciter, & absolutè. Addit Sanchez, & cum eo Lud. *supra num.* 11. si pœnitens haberet excommunicationem reseruatam, & ante absolutionem superueniat reseruator, non posse tunc inferiorem Confessarium absoluere ab illa, sed absoluendum esse à Superiore, & deinde Sacerdos posset à peccatis absoluere. Existimo tamen posse absolutè absoluere, eo quod iam iudicium inceptum, & præuentum est, dummodo imponat onus pœnitenti, vt post absolutionem se Superiori præsentet, ei obedientiam præstaturus. Quod si (inquit Sanchez) Superior ille nollet absoluere ab excommunicatione, nisi integra confessio repeteretur, existimo posse priorem Sacerdotem absoluere: quod verissimum iudico, quia Superior ille Pontifice inferior in eo casu non potest iurisdictionem reuocare, aut limitare. At si iam simplex Sacerdos eo articulo à peccatis absoluere non posset ipse, superueniente legitimo Confessore, audire peccata oblita, vel quæ æger non potuit fateri, sed ea legitimo Confessori superuenienti aperienda sunt, quia, vt bene Sanchez *sup. num.* 15. *cit.* cum Suarez *tom* 4. *in* 3. *parte, disput.* 23. *sect.* 1. *n.* 2. *in fine*, (quamuis Suarez non ita clarè loquatur) iam est noua concessio à priori independens, & iudicium finitum. Quòd si in eo articulo Sacerdoti simplici mentitus est in ea confessione, & ita inualidè absolutus, & superueniat legitimus Confessarius, adhuc existimat Sanchez posse absolui à simplici, quia iurisdictio quam tunc habebat per confessionem irritam, non est finita. Sicut licentia à

Parocho

Parocho obtenta assistendi alicui matrimonio, non fiorut eo matrimonio irrito existente. Probat enim ex Tiraquello iurisdictionem delegatam non extingui primo actu, quando delegatus inutiliter sua culpa iudicauit. Idem sentit Lud. *sup. num.* 13. & dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub* 7. *num.* 7.

6 Dico tertiò, tunc censetur non adesse copia confessoris Superioris, vt possit inferior à reseruatis in articulo mortis absoluere, quando constitutus in eo articulo non potest personaliter Superiorem adire, nec eum commodè accersere, nec tenetur procuratorem mittere. Ita Nauarr. *cap.* 27. *num.* 90. *vers. Ad quintum.* Henriquez *lib* 6. *de pœnitent. cap.* 9. *num* 7. *& lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 29. *num.* 3. & alij, quos sequitur Sanchez *cap.* 13. *cit. num.* 14. & sequutus sum in Decalogo *sup. num* 8. quia ius non obligat pœnitentem, vt se per tertiam personam Superiori absoluturo præsentet, sed per seipsum, & quando per seipsum non potest, iudicat illum legitimè impeditum. Colligitur apertè ex *cap. de his, & capite de cætero, de sententia excommunicatio.* & præcipuè *cap. quamuis, eod. t. t.* ibi: *Sine quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire.* Et ideò meritò Doctores citati, & Sanchez *sup. num* 14. asserunt, dici legitimè impeditum, qui personaliter Superiorem adire nequit, etsi procuratorem mittere valeat: quia hoc onus adeundi Superiorem, non est confessoris, sed ipsius pœnitentis in sui delicti pœnam. Dum ergo pœnitens non potest Superiorem adire, vel eum accersere, dicitur verè impetus, & caret Superioris copia, nec tenetur, imò nec expedit per litteras facultatem petere, quia exponeret se periculo sui criminis detegendi, si vel litteræ amitterentur, vel ab alio aperirentur. Ob idque periculum Doctores non obligant ad peccata scribenda, ne è memoria excidant; nec ad fatendum in scriptis, quando voce nequit confessio fieri: nec tenetur pœnitens accipere Bullam, vt bene Sanchez, quia non tenetur quærere priuilegium proprium, sed potest beneficio ordinario iuris vti. Ex his colligitur in carcere detentum perpetuò, esse quoad hunc effectum perpetuò impeditum: si autem ad tempus detineatur, ad tempus erit impeditus, & sic poterit absolui à reseruatis absque eo quod ad Papam mittat.

7 Dico quartò. Censuræ à quibus quilibet Sacerdos in articulo mortis absoluere potest, iuxta Trident. *sess* 4. *cap.* 7. *de pœnitent.* sunt illæ solæ, quæ obstant quominus pœnitens, seu ægrotus sacramenta recipere possit, vel sepultura Ecclesiastica gaudere, quales sunt excommunicatio, interdictum personale, suspensio à sacramentorum perceptione, & Ecclesiastica sepultura; non autem irregularitas, nec suspensio ab ordine, officio, vel beneficio. Ita Sanchez *cap.* 13. *citat. num.* 12. quia licèt non sic restringat Trident. at ratio ab ipso reddita. Ibi, *Ne hac occasione aliquis pereat,* apertè designat sic limitandum. Quare si æger defectu sanæ mentis absolui à peccatis nequeat, debet tamen à prædictis censuris absolui, vt reliqua sacramenta percipere queat, ac in loco sacro sepeliri. Henriquez tamen *lib.* 3. *de pœnitentia, cap.* 9. *num.* 5. non improbabiliter asserit absolutè in eo casu posse absolui ab omni censura, tum etiam ab irregularitate, quæ contrahitur ex peccato, eo quòd hanc aliqui existiment esse censuram. Rationem reddit, quia priuilegium Trident. cùm sit fauorabile, & non distinguat, est latè interpretandum: attamen verius est oppositum, scilicet solùm concedere, facultatem remouendi ea, quæ impediunt absolutionem peccatorum, & sepulturam. Obiter nota, in articulo mortis, deficiente Sacerdote, posse clericum primò tonsuratum, & deficiente clerico, posse laicum ab excommunicatione absoluere, vt docent Henriquez *lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 27. *num.* 4. *& lib.* 6. *de pœnit. cap.* 9. *num.* 3. & alij, quos refert Sanchez *cap.* 13. *cit. num.* 13. & Saytus *in Thesauro lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 2. 3. *&* 4. etsi ipse contrariam tueatur sententiam quoad laicum, quia ea absolutio obesse nequit, & proderit vt is tuta conscientia sepeliri in Ecclesia valeat, possintque pro eo offerri sacrificia. Expedit tamen quoties à Sacerdote absolutio obtenta non est, vt post mortem prosit absolutio, obtineatur noua absolutio ab eo, cui excommunicatio erat reseruata, si commodè fieri possit, quia si opinio dicta non sit vera, carebit absolutio valore suo, ac proinde non proderunt absoluto Ecclesiæ suffragia. Ita Sanchez *sup. num.* 13. *cit.* & dixi in Decalog. *lib.* 1. *cap* 3. *dub.* 7. *num.* 9.

8 Dico quintò. Absoluendus in articulo, vel periculo mortis iuramentum præstare debet de parendo mandatis Ecclesiæ, vel iudicis absoluentis; omissum quòd illud crimen pro quo fuit excommunicatus, iterum non patrabit. Et hoc tantùm quando absoluitur ab excommunicatione propter crimina magna imposita. Quod iuramentum debet præstari etiam à mulieribus; à pueris autem ante pubertatem peti non debet: de quo vide *cap. ex tenore, de sententia excommunicationis* glossam *ibi, ver. Debeat.* Nauarr. *cap.* 1. *in principio, de pœnitent. distinct.* 6. Syluest. *verb. Absolutio.* 3. § 3. Caietan. *verb. Absolutio. cap. penultimo,* Suarez 5. *tomo, in* 3. *part. disput.* 19. *sect.* 2. *num.* 10. Non autem hoc iuramentum est de necessitate absolutionis, vt latè docent inter alios Saytus *in Thesauro lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 5. & Henriquez *lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 28. *num.* 4. & cum multis Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 4. *dub.* 7. *num.* 6. Debet *secundò,* absoluendus in hoc articulo præstare cautionem parti, si fortè læsa sit. Nomine autem cautionis intelligitur *primò* pigneratitia: *secundò,* si hæc præstari non possit, fideiussoria: & *tertiò,* si nec hæc, iuratoria, de quibus infrà: interim de iis vide Suarez *sup. disput.* 21. *sect.* 3. Nauarr. *sup.* Henriquez & Saytum *capitibus citatis,* & Sanchez *lib.* 2. *oper. moral. cap.* 13. *num.* 23. Valet tamen absolutio, si confessarius omittat, aut obliuiscatur petere cautionem parendi mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendi, de quo Henriquez *lib* 6. *de pœnitent. cap.* 10. *n. fine,* Vide in Decalogo *sup. num* 11.

9 Dico sextò. Absoluendo in articulo mortis, vel eius periculo, vel ratione cuiusuis impedimenti à quocumque excommunicatione, siue iuris, siue hominis, reseruata siue Pontifici, siue cuicumque inferiori, tenetur confessarius iniungere vt cessante morbo vel eo impedito, se præsentet Superiori, si extra eum casum de iure poterat illum absoluere, non vt iterum is ab excommunicatione absoluatur: quia planè ab illa absolutus est, sed vt Superior medicinam adhibeat, satisfactionem imponat, si imponendam iudicauerit, quòd si non se præsentauerit quàm commodè poterit, reincidit, in eandem excommunicationem, non eandem numero, sed specie; quia similis est priori in reseruatione, quam incurret propter nouam inobedientiam. Ita apertè *ex cap. eos qui, de sentent. excommunicat. in* 6. de quo vide Syluest. *excommunicatio* 8. §. 5. Nauarr. *cap* 27. *num.* 89. *&* 90. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput* 30. *sect.* 3. *num* 6. *&* 5. *tom. disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 62. Saytum *in Thesauro tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 36. & alios, & quos refert & sequitur Sanchez *cap.* 13.

cap. 13. *citat. à num.* 24. Quod onus est sub iuramento imponendum, vt docet Sanchez *sup. n.* 26. ex Nauarr. *cap.* 27. *num* 89. nam quamuis *in cap. eos qui, de sententia excommunicationis*, huius iuramenti mentio non fiat; at fit *cap. quamuis, & cap. ea noscitur, eod. tit.* in absolutione ab excommunicatione percussionis clerici præstita ab inferiori ratione alicuius impedimenti. Nihilominus tamen existimo hanc dispositionem, cùm sit odiosa, & pœnalis, tantùm habere locum in absolutione ex percussione clerici, & non extendendam ad casum non expressum. Vide in nostro Decalogo *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 13.

10 Non est tamen hoc onus præsentandi se, imponendum habenti impedimentum perpetuum, cuius cessatio expectari nequit. constat ex *cap. quamuis, de sententia excommunicationis*, vbi declaratur hoc onus imponendum patienti impedimentum temporale. Et docent Syluest. *verbo Absolutio* 4. *n.* 3. & 4. & Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 85. Vnde bene infert Syluest. seruum cessante impedimento teneri se præsentare. Laborantes autem morbo immedicabili, etsi miraculosè ad pristinam restituantur sanitatem, ab hoc onere liberi sunt, quia ius non obligauit eos, & euentus futurus eam obligationem non producit: quod procedit etiam si per ignorantiam ei confessarius hoc onus imponat. Sic si confessor existimans pœnitentem teneri restituere in aliquo casu, ipsum cogeret iurare se restituturum, inuento errore ad nihil teneretur. E contra verò, si quando pœnitens tenetur ad hoc onus se præsentandi, confessor per obliuionem, malitiam, aut ignorantiam, id non imponeret, credo cum Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 13. *num.* 30. teneri pœnitentem, & aliàs fore, vt in eandem excommunicationem reincidat: quia obliuio, aut malitia, aut ignorantia confessoris non eximit ab obligatione, quæ non ex confessoris voluntate, sed ex iure ipso pendet. Sicut idem contingeret in restitutione, ad quam teneretur pœnitens, etsi confessor non obligauerit. Item Nauarr. *cap.* 26. *num.* 26. Henriquez *lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 29. *num.* 3. existimant hoc onus non esse iniungendum excommunicato, si satisfecit parti, aut cum ea se composuit; vel si post absolutionem hæc præstiterit, quod non probant Suarez 4. *tom. in* 3. *parte, disput.* 30. *sectio.* 3. *num.* 6. Sanchez *sup. num.* 29. & meritò: quia id non est huius præsentationis adæquatus effectus, & finis. Sed hoc comparandi onus est quasi pars pœnæ ab Ecclesia tali delicto imposita & ordinatur ad specialem satisfactionis modum, & obedientiæ Ecclesiæ exhibendum. Tum etiam, quia in absolutione cuiusuis excommunicationis reseruatæ hoc onus imponitur; cùm tamen non quælibet satisfactionem partis annexam habeat. Demum quando constitutus in articulo mortis nullam cautionem præstare valet, eo quòd iam loquela, aut vsu rationis destitutus sit, absoluendus est ab excommunicatione, etiam illis non præstitis, vt docet Nauarr. *cap.* 27. *n.* 47. Sayrus *in Thesauro tomo* 2. *lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 4. & alij. Valet etiam absolutio excommunicationis etiam extra articulum mortis, omissis his cautionibus, & obligatione se præsentandi, vt docet Sanchez *sup. numero* 35. Henriquez *lib* 6. *de pœnitent. cap.* 10. *in fin.* & alij Doctores, quos ipse.

11 Quando verò casui reseruato annexa non est excommunicatio, onus se præsentandi, imponendum non est ei, qui in articulo vel periculo mortis absoluitur, vt docent Cordub. *in Summ. quæst.* 18. *punct.* 2. *dicto* 2. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 30. *sect.* 3. *num.* 6. & 7. Sanchez *sup. num.* 24. Sanctius *in suis selectis, disput.* 12. *num.* 5. & alij, quia directa fuit absolutio, & nullo iure cauetur id onus imponi. Quòd si extra articulum, vel periculum mortis, à reseruatis sine excommunicatione absoluatur pœnitens quando Episcopus adiri non potest, & adest iusta causa, v. g. vitatio infamiæ, aut scandali, aut alia, de quibus Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 12. *num.* 5. & *cap.* 15. *num.* 1. tenetur pœnitens sic absolutus, dum commodè poterit, reseruatori, se præsentare, quia indirectè, non tamen directè fuit absolutus, vt Henriquez *supr. cap.* 9. *num.* 2. *litt. K.* & *cap.* 15. *num.* 1. & 3. Vide eundem *sup. cap.* 10. *n.* 4. & 5. Variant tamen Doctores, an præsentatio hæc casu quo pœnitens teneatur, fieri possit per procuratorem. Partem affirmantem probabiliorem iudico, quam tenent Syluest. *excommunicatio* 8. §. 8. *quæst.* 7. Caiet. *eo. verbo, cap.* 69. Henriquez *lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 29. *num.* 3. & *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 9. *in fine*, & alij quos citat & sequitur Sanchez *cap.* 13. *cit. num.* 33. Et addit Henriquez sat esse per litteras, quia hic dicitur se præsentare. Vide de his in nostro Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 14. 15. & 16.

12 His explicatis, quòd specialiter operatur Bulla, est *Primò*, quòd absolutus ab excommunicatione reseruata in articulo vel periculo mortis, vel semel in vita, post absolutionem non tenetur se præsentare reseruatori. Ita docent Medina *lib.* 2. *Summ. cap.* 12. *fol.* 237. *pag.* 2. Rodriguez §. 9. *num.* 44. *in addit.* Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent cap.* 9. *num.* 2. *litt. N.* & *lib.* 13. *cap.* 29. *num.* 3. & Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 13. *num.* 31. & nouissimè Ludo. à Cruce *in exposi. Bullæ disput.* 1. *cap.* 3. *dub.* 14. quia Bullæ absolutio absoluta est, & non ad reincidentiam, vt infrà dicetur, & priuilegium in hoc consistit, vt absolutus ratione istius, si conualescat, non teneatur se præsentare, ad quod aliàs tenetur, qui præcisè ratione articuli, vel mortis periculi ab excommunicatione reseruata absoluitur. Excipienda tamen est absolutio hæretici interni, & externi simul, præstita in mortis articulo habenti Bullam; quia Bulla nihil circa eam concedit, vt infrà dicetur *dub.* 7. perinde est ac si Bulla careret, & tantùm ratione articuli mortis absolueretur, & sic manet integra iuris communis dispositio, Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. Sanctius *in suis select. disp.* 12. *num* 5. Quare iniungendum ei, vt si euaserit, se præsentet. Aduertunt tamen, & bene, Henriquez, *cap.* 16. *cit. num.* 5. *litt. G.* & Sanchez *cap.* 13. *cit. num.* 32. qui carens Bulla Cruciatæ absoluitur à reseruatis (excepta hæresi externa) cum prædicto se præsentandi onere, potest accepta Bulla, aut tempore Iubilæi concedentis eius casus absolutionem præsentare se confessori, vt iterum ratione Bullæ, vel Iubilæi, absque eo onere absoluatur, ac si absolutus priùs non esset, & ita prædicta se præsentandi obligatio cessabit. Ratio est, quia hoc onus obligat in quantum hic vti vult ea absolutione, impensa ratione necessitatis; at iam non ea vtitur, sed ea absolutione virtute priuilegij Bullæ eam absolutionem absque prædicto onere concedentis. Non enim prior absolutio præstita impedire potest, quin hic possit nouam absolutionem virtute priuilegij obtinere.

13 Secundum quod operatur Bulla est, vt quilibet approbatus absoluere possit semel in vita, & iterum in articulo, vel periculo mortis, etiam præsente ipso Summo Pontifice. Vnde repertus Romæ potest à reseruatis Papæ ibi à quolibet approbato absolui, quamuis ad ipsum Papam, vel eius pœnitentiarium facilis pateat aditus: quia dictum est suprà in 2. dicto,

dicto, ſecundùm opinionem probabiliorem, in articulo mortis præſente approbato, aut Superiore reſeruatore, non poſſe ſimplicem Sacerdotem, aut confeſſarium inferiorem abſoluere, quia Superiore præſente, ceſſat neceſſitas. At nullus negat, habente Bullam præſente proprio Parocho, & ipſo Superiore, poſſe abſolui ab omnibus reſeruatis per quemlibet ſimplicem Sacerdotem, ab Ordinario tamen approbatum; ergo hoc ſpeciale etiam operatur Bullæ priuilegium. Ita Rodriguez §. 9. *num* 36. *Tertiò* poteſt dici etiam aliquid ſupra dictam abſolutionem operari, nimirum, quòd ratione Bullæ ſemel in vita, & iterum in articulo, vel periculo mortis, ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto abſolui poſſit, vt infrà clariùs de ſingulis patebit, & certiſſimum eſt. At ratione ipſius articuli, vel periculi mortis, non poteſt ab omni cenſura abſolui indifferenter, & abſolutè, ſed tantùm limitatè, nimirum ab iis, quæ impediunt abſolutionem, vel ſepulturam Eccleſiaſticam, ſecundùm probabiliorem opinionem, de qua hoc dubio *dicto* 4. Addit Rodriguez *n.* 36. *cit.* etiam operari quòd eo articulo poſſit applicari indulgentia plenaria; at applicatio hæc non pertinet ad abſolutionē peccatorum reſeruatorum.

14 Deniquè aduerte cum Valero *in ſuo tractatu de differentia inter vtrumque forum, verb. Excommunicatio, differentia* 23. *num.* 1. abſolutionem à cenſuris reſeruatis in articolo, vel periculo mortis conceſſam præcisè ratione articuli, vel periculi, valere etiam in foro exteriori, non tamen per ipſam pœnitentem eſſe liberum à pœna in foro exteriori, ſed integrum ius remanere ipſi iudici ad illum puniendum. Fundamentum iſtius ſententiæ, quam ipſe veriorem iudicat, eſt; quia taliter abſolutus eſt vere abſolutus, & obligatio præſentandi ſe Superiori orta ex *cap. eos qui, de ſententia excommunicationis, in ſexto*, non eſt vt à Superiori abſoluatur, ſed vt obedientiam præſtet, & grauiorem, ſi impediat, pœnitentiam accipiat, & læſis ſatisfaciat, vt diximus hoc dubio *dicto ſexto*; ergo iam erat abſolutus etiam quoad forum exterius. Vide Nauarr. *conſ.* 4. *de ſepulturis, lib.* 5.

D v b. VI.

An poßit abſolui ratione Bullæ toties quoties à caſibus Pontifici reſeruatis, ſi ſint occulti.

1 Constat ex Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. conceſſam eſſe facultatem Epiſcopis ad abſoluendum à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, ſi occulti ſint. Occultum autem hic ſumitur prout in iure diſtingui ſolet à publico, notorio, & manifeſto: quamuis aliàs delictum, vel excommunicatio per teſtes probabile ſit, dummodo delictum non ſit deductum ad forum contentioſum. Dicitur autem deductum ad forum contentioſum, quando iudici eſt delatum, & parti intimatum, vt docent Henriquez *lib.* 14. *de irregul. cap.* 20. *num* 4. Sayro *in Theſauro lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 21. & cum aliis Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi, allegatio.* 39. *à num.* 39. vbi dicit requiri vt lis ſit conteſtata, vt dicitur delictum eſſe deductum ad forum contentioſum, quod non diſplicet Caſtro Palao *de legib. tract.* 3. *diſputat.* 6. *punct.* 15. §. 1. *num.* 1. Nec mihi ſufficit autem vt in vno loco deductum ſit, ad hoc vt in alio dicatur deductum, nec poſſit per Trident. abſolui, vt tenet Sanchez *lib.* 2. *operis moralis, cap.* 15 *num.* 11. videndus. Quare ſi delictum quatuor, vel quinque perſonis innoteſcat, adhuc non notorium, ſed occultum dicetur. Requiritur ergo ad notorium, & publicum, vt ſciatur à maiori parte viciniæ, collegij, vel communitatis, dummodo in communitate, vel collegio ad minus decem reperiantur perſonæ, vt docet Syluest. *verb Notorium*, Azor *tom.* 1. *lib.* 8 *cap.* 10. *quæſt* 9. & alij. Vnde in magna ciuitate quatuor, quinque, aut ſex vidiſſe teſtes, non ſatis videtur ad notorium, vt docent Henriquez *lib* 13. *de excommunicatione, capit.* 5. *num.* 2. Sayro *in Theſauro lib.* 2. *cap* 12. *num.* 19. & Sanchez *ſup cap.* 11. *num.* 19. quod relinquendum eſt ad arbitrium prudentis. Attamen, communiter loquendo, ad notorium ſufficit ſex vidiſſe, aut quod in oppido, parochia, vicinia, &c. ſit omnibus notum, vel publicè diffamatum. Vnde quamuis ſit notum aliquibus, poteſt dici occultum, quamdiu peccator non laborat publica infamia, vt bene Nauarr. *cap.* 27. *num.* 255. videndus. Vide Caſtro Palao *vbi ſup.* & Sanchez videndus *lib.* 8. *de matrim diſput.* 34. *num.* 55. 56. 57. & 58.

2 Quòd ſi delictum aliquod in vno loco publicum ſit, in alio verò occultum, ſi longè diſtant, ita vt non ſit ſpes quòd delicti notitia ad alium locum deferatur, exiſtimat Sanchez *ſup num.* 10. eſſe probabile, ibi eſſe occultum, & poſſe ſecundùm Trident. abſolui, aut diſpenſari; cum Auila *de cenſuris, part.* 2. *cap.* 7. *diſput.* 1. *dub.* 11. *concluſ.* 3. contra Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part diſput.* 30 *ſect.* 2. *numero* 1. Non enim ex hoc quòd aliquis ſit publicus excommunicatus in vno loco, cenſeri debet publicus in alio: vt docet Durandus *in* 4. *diſtinct* 18. *quæſt.* 5. *in fine.*

3 Hoc poſito, Henriquez *lib.* 6. *de pœnitentia, cap.* 14. *num.* 7. cum Bañez 2. 2. *quæſt* 64. *art vlt. ad finem*, exiſtimant virtute Bullæ ab his caſibus quantumuis occultis non poſſe abſolui, niſi ſemel in vita, & iterum in articulo mortis: quia quamuis ab iis caſibus occultis poſſit abſoluere Epiſcopus ex conceſſione Trident. hæc tamen conceſſio oritur ex ſpeciali iure, & particulari priuilegio ob induſtriam, & authoritatem perſonæ Epiſcopi conceſſo: non enim hæc facultas competit Epiſcopis iure ordinario, ſed ſpeciali conceſſione, & priuilegio, vt denotant illa verba. *Liceat Epiſcopis*, &c. Idem tenet Lud. à Cruce qui poſt me ſcripſit, *in expoſit. Bull. diſput.* 1. *cap.* 3. *dub* 13. *num.* 3.

4 At Sanchez *lib.* 4. *oper. mor. cap.* 54. *numero* 27. exiſtimat à caſibus Papalibus occultis poſſe virtute Bullæ abſolui toties quoties; & illam reſtrictionem ſemel in vita, & iterum in articulo mortis, tantùm eſſe intelligendam de iis caſibus, quando ſunt publici, & manifeſti, modo explicato: quia Bulla, vt ipſe ait, ſolos caſus Pontifici reſeruatos excipit, ne liceat ab illis abſoluere toties, quoties: at ij caſus occulti iam non ſunt caſus Papæ reſeruati, ſed competunt Epiſcopis, non ex aliqua delegatione ſpeciali, vt exiſtimat Henriquez, ſed iure ordinario tanquam perpetuò annexi dignitati Epiſcopali: neque exigitur induſtria perſonæ Epiſcopi, aliter enim ita eſſent perſonales, vt eos delegare non poſſet, quod eſt falſum; ergo eis talis facultas competit iure ordinario, & eo iure caſus Papales, ſi occulti ſint, cenſentur caſus Epiſcopo reſeruati. Et confirmatur quia etſi caſus Epiſcopales non deſinant eſſe tales per conceſſionem peculiarem alicui factam ab Epiſcopo; at deſinerent eſſe, ſi conſtitutione ſynodali concederentur Parochis, & ſolis illis reſeruati eſſent. Ergo ſimiliter, etſi caſus Papales non deſinant eſſe tales, eo quòd illos ſemel, aut iterum Pontifex

concedat

concedat Episcopo, imo etsi semper eos concedat Episcopo speciali, at desinunt esse tales per generalem constitutionem concedentem eos in perpetuum cuicúque Episcopo, vt fuit in Trid. respectu casuum Papalium occultorum. Cùm ergo Bulla concedat absolutionem à reseruatis Episcupo toties quoties, concedendum est, per Bullam posse dari absolutionem ab iis reseruatis occultis toties quoties, vtpote qui per decretum Tridentini iam non sunt Papales, sed Episcopales. Denique probatur, quia reseruatio vt odiosa, est limitanda, quando verba talem limitationem patiuntur; sed illa restrictio potest alligari soli absolutioni casuum prædictorum, qui publici sunt; ergo solùm respectu eorum, negabitur per Bullam facultates repetendi in eodem anno absolutiones toties, quoties oportuerit. In hanc etiam sententiam inclinat Diana *tractat.* 11. *resol.* 28. & in addit *resol.* 17. me citato, dicit esse probabilissimam, & tutam in praxi, vt sentiunt multi viri docti Societatis Iesu ab illo consulti.

5 Ex his probabiliorem iudico hanc secundam, cu quòd firmioribus nitatur rationibus, ex quibus manet solutum fundamentum Henriquez: tum etiam, quia, vt tenet ipse Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 14. *num.* 7. cum Ledesma 2. *tom. Sum. tract.* 1. *de fide, cap.* 6. *concl.* 10. *diffinit.* 6. talis facultas non est priuilegium Episcopis concessum, sed potius restitutio iurisdictionis, quam iure communi habebant: quæ ipsis restituitur cum hac limitatione, quòd casus sint occulti, modo explicato.

Dub. VII.

An virtute Bullæ possit absolui ab hæresi, vel virtute Iubilæi concedentis facultatem absoluendi à casibus Cœnæ Domini.

1 Dubij huius resolutio valde vtilis, & necessaria est, ac proinde pro ipsius clariori intelligentia aliqua ad hæresim pertinentia quàm breuissimè præmittenda duxi.

2 Primò suppono, hæresim definiri adæquatè, Error pertinax hominis Christiani fidei ex parte contrarius. Dicitur *primò error pertinax*, id est, scientificus, hoc est, quòd errans in fide, sciat suum errorem esse contra fidem Catholicam. Ideoque in instanti potest esse quis hæreticus, si in eo plenè aduertat suum errorem esse contra fidem, & Ecclesiæ definitionem. E contra verò, qui ex ignorantia, etiam crassa, errát in fide, si tamen corrigi sunt parati, ij enim hæretici non sunt, vt cum multis docet Sanchez *lib.* 2. *oper. moral c.* 7. *n.* 10. & Lopez *c.* 8. *de Bulla, pag.* 816. peccare tamen poterunt contra fidei scientiam, seu præceptum sciendi res fidei, hæretici tamen non erunt. Sic rusticus, rudis, & ignarus ex ignorantia falsò credens Patrem in diuinis esse Filio maiorem, senioremque, vt in humanis; aut credat personas diuinas esse loco distinctas, si sit corrigi paratus, credatque implicitè quidquid credit Ecclesia excusabitur quidem ab hæresi, non tamen à peccato sciendi, quia ignorat ea, quæ scire tenetur, vt docet Nauar. *cap.* 11. *num.* 22. *Secundò* dicitur, *hominis Christiani*, id est, baptizati: quare si baptizatus non est, etiam si mille errores contra fidem teneat hæreticus non est. Erit tamen infidelis, seu paganus. Denique dicitur *fidei ex parte contrarius*; quia hæreticus non deserit totam fidem, sed tantùm aliquem vel aliquos articulos: Apostata autem à tota fide discedit. Sed de iis vide Azor *tom.* 1. *libr.* 8. *cap.* 8. Sayrum *in Thesauro*, *lib.* 3. *cap.* 4. & Sanchez 1. *tom. oper. moral. libr.* 2. *cap.* 7. & in nostro Decalogo *libr.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. vbi de hoc latè.

3 Suppono secundò cum Sayro *in Thesauro, lib.* 3. *c.* 4. *num.* 19. & communi Doctorum, hæresim diuidi *primò* in formalem, & propriam; in materialem tantùm, & impropriam. Formalis est, quando scienter, seu pertinaciter datur error in intellectu circa aliquem fidei articulum, vt qui scienter assereret non esse Purgatorium: materialis tantùm, & impropria est, quando quis retenta aliquid tenet contra fidem, id tamen ignorans, ita tamen quòd si sciret, illud non teneret vel diceret: vt qui ex ignorantia diceret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale. Quænam autem ignorantia excuset ab hæresi, vide Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 9. Sanch. *lib.* 1. *oper. moral. cap.* 7. *à num.* 10. & alios, quos, ipsi citant. ad hæresim materialem reducitur hæresis purè externa; vt quando quis retenta in intellectu fide aliquid contra fidem ob metum, vel passionem profert, vel facit. Deinde formalis hæresis diuiditur in mentalem tantùm, seu purè internam; & in externam, & internam simul. Purè interna est, quando error intellectûs aliquo signo per se manifestatiuo exprimitur: quam hæresim communiter Doctores solent vocare *externam*, seu *exteriorem*, id est, internam & externam simul: nam, vt dictum est, purè externa non est propriè, & formaliter hæresis, cùm non sit cum errore intellectus. Demum hæresis interior, & exterior simul, alia est occulta, alia verò publica, & manifesta. Occulta est, vt existimat Rodriguez *in addit. ad* §. 9. *num.* 69 *fin.* quando quis solus absque vllo teste eam signo exteriori manifestauit. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 9. ait tunc dici occultam, quando non est notoria per euidentiam facti, vel per sententiá iudicis, vel per propriam hæretici confessionem in iudicio, & quæ testibus probari nequit. Sanchez *lib.* 2. *oper. moral. cap.* 11. *num.* 19. *lib.* 8. *de matrimonio*, *disputat.* 34. *numer.* 55. ait hic sumi occultum, vt distinguitur contra publicum, & manifestum, vt sumitur à Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformatione*, vbi occultum, vt docet Nauarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 255. sumitur pro eo quod non est publicum, quamuis probari possit per testes. Nauarrum sequitur Lopez *cap.* 8. *de Bulla*, *pag.* 827. *col.* 1. Et ita etiam si ab aliquibus sciatur, vt probari possit, adhuc dicitur occultum delictum. Idem tenet Sayro *in Thesauro lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 12. generaliter de omni delicto, vbi addit, quamuis duabus, tribus, vel quatuor personis delictum sit notum, dicitur adhuc occultum, & per Trident. *vbi supr.* dispensabile, quamdiu scilicet non est notorium. Est igitur occultum delictum quod non est notorium (ait Sayr.) vel per confessionem criminis factam in iudicio, vel per sententiam iudicis, vel per facti ipsius euidentiam in ciuitate, populo, collegio, vicinia, & loco. Publicum autem est, vt docet Nauar. *sup.* quod est notorium, manifestum, vel famosum. Ex his facilè constat, quando hæresis dicatur occulta, quando verò publica, de quo vide etiam Barbosam *de offic. & potest. Episc. tom.* 2. *allegat* 39 *num.* 21. qui *num.* 25. *in fine*, addit, & benè, ad hoc quòd actus sit publicus non solùm sufficit quòd actus qui est delictum, sit publicus, sed etiam quòd sit publicum, illum actum fuisse delictum, & peccatum, de quibus satis abundè dixi in Decalogo *l.* 1. *c.* 2. *dub.* 3. & *c.* 3. *dub.* 4.

4 Suppono tertiò, ab hæresi purè mentali quemlibet approbatum absoluere posse absque vllo priuilegio; quia etsi reseruari possit, non tamen de facto est reseruata, nec talis hæreticus est excommunicatus, vt cum multis tenet Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 10. *quæst.* 3. & Sanchez *lib.* 1. *oper. moral. cap* 8. *num.* 1. & dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 3. Similiter ab hæresi purè externa, seu materiali, tantùm in foro interiori quilibet approbatus absoluere poterit, quia talis hæreticus non est propriè hæreticus, nec excommunicatus, vt docent Syluester. *verb. Hæresis, & Apostasia*, Nauarr. *cap.* 11. *num.* 17. & sequitur Sanchez *supr. cap.* 7. *num.* 8. & Barbosa *supr. alleg.* 40. *num.* 33. & nouissimè Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. & dixi *dicto dub.* 1. *num.* 4. in foro autem exteriori hic reputatur hæreticus, & meritò quidem; quia Ecclesia non iudicat de occultis, ac proinde talis vt hæreticus ab Inquisitoribus & iudicatur, & iustè punitur. Quòd si hic hæreticus materialis tantùm, & externus sit idololatra, incurrit excommunicationem latam à Ioan. XXII. in quadam Extrauag. quæ incipit, *Super illius specula*, quæ habetur in Directorio Inquisitorum, *p.* 2. *q* 43. *pag. mihi* 364. de qua Sanch. *supr cap.* 7. *cit. num.* 10. At quia non est reseruata, vt patet ex d. Extrauag. poterit à quolibet approbato in foro interiori absolui, vt dixi dicto *dub.* 1. *num.* 4. Ab hæresi autem occulta, seclusa Bulla, & etiam extra articulum, vel periculum mortis, potest Episcopus absoluere in foro interiori toties, quoties, vt habetur expresse in Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* per seipsum, & non per suum Vicarium, hoc est, non poterit suo Vicario generaliter hanc potestatem delegare, sicut & alia generaliter delegat; bene verò sicut priuato Confessario in hoc, vel illo casu occurrenti, vt bene explicat cum aliis Sanch. *tom.* 1. *oper moral. cap.* 11. *num.* 23. & Lopez *cap.* 8 *de Bulla, pag.* 827. & dixi in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 10. Episcopus autem Titularis, *de Anillo*, ab hac absoluere non potest, quia non habet iurisdictionem; nec habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt Prior Meridæ, & Generales Religionum: nec Capitulum Sede vacante, vt existimat Ledesma *tract.* 1. *de fide, cap.* 6. *conclus.* 10. *diffic.* 5. Contrarium tamen, & bene, existimat probabilius Sanchez *supr cap.* 11. *cit. num.* 4. videndus. An autem hæc Tridentini facultas sit derogata per clausulam Bullæ Cœnæ Domini, variant Doctores: nam Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 10. *& cap.* 19. *q* 3. cum aliis affirmant, Henriquez tamen, & multi quos ipse citat, *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 14. *num.* 7. & Lopez *sup pag.* 825. negant esse reuocatam. Vtramque opinionem probabilem iudicat Sanchez *supr. c.* 11. *n.* 26. *&* 27. Inclinat tamen ipse Sanch. *num.* 17. hanc facultatem esse reuocatam, & Suarez *tract de fide, disp.* 21. *sect* 4 *num.* 13. existimat in praxi à contraria sententia recedendum, & Barbosa *sup. alleg.* 40. *n.* 25. concludit, in hoc casu esse in vsu vt Episcopi à domino Papa petant facultatem absoluendi hos hæreticos: & infrà *num* 34. refert, dominos Cardinales Vrbis, & orbis generales Inquisitores solere Episcopis concedere facultatem absoluendi per se, vel per viros idoneos, & doctos tales hæreticos; quare hanc sententiam tenendam omnino censeo, quam etiam amplexatus sum in explicat. Decalogi *lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 11. quam, Deo fauente, in lucem edere spero; quia verba Bullæ Cœnæ expresse derogant, & annullant quoad hoc cuiuscumque Concilij decreta. Nihilominus tamen si contraria opinio alicubi practicatur, non est ob tantorum Doctorum authoritatem, & rationes probabiles temere damnanda: vt dixi *dub.* 4. *citat. num.* 32.

5 Sed dices, quid erit in re tam graui hæretico occulto consulendum. In hac re mallem aliorum audire, quàm meam proferre sententiam, proindeque solùm referam ea, quæ consulit Seraphinus, à Freytas *in addit. ad tract. de Confessariis solicitantibus, q.* 21. *à n.* 18. ait enim primò sic: Occultus ergo hæreticus qui resipiscit, impetrabit facultatem per Confessarium ab Inquisitoribus, vt ab eo absoluatur: hanc autem posse concedere vnumquemque Inquisitorum, vel totum Senatum, asserit ipse *suprà n.* 15. & docent Gutier. *lib.* 1. *qq. can. c.* 13. *n.* 7. Bañez 2. 2. *q.* 11. *artic.* 4. *dub.* 2. *num.* 3. argumentum contra 3. conclusionem Tolet. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 5. Viualdus *in suo Candelabr.* 1. *p. tit.* 11. *de absolutione sacramentali, num.* 23. vbi dicit, hanc sententiam esse in praxi, & vsu receptam, & alij, quos Sanchez *lib.* 2. *oper. moral. cap.* 12. *num.* 1. etiamsi ipse oppositum censeat probabilius, & Garcia *de benef. p.* 11 *cap.* 10 *num.* 521. ij enim duo existimant hanc facultatem esse ipsis ablatam per Bullam Cœnæ Domini. Addit tamen Garcia, hanc derogationem non procedere in Hispania, quia ita (inquit) habet obseruantia cum scientia Papæ: standum tamen est in hoc consuetudini, instructionibus, & praxi dominorum Inquisitorum. Etenim instructione quadam Hispalensi quinta statuitur, vt domini Inquisitores neminem recipiant ad abiurationem, & pœnam secretam, nisi quando peccatum fuerit ita occultum, quod à nemine scitur, nec sciri, aut reuelari potest, nisi ab ipso solo qui illud commisit, & humiliter confitetur; tali enim casu quilibet ex dominis Inquisitoribus poterit admittere ad reconciliationem, & absoluere secretò huiusmodi delinquentem, vel concedere facultatem Confessario ad illum absoluendum: cum hoc tamen additamento, prout mihi relatum est à viris prudentibus, practicis, fide dignis, & in hac materia peritis; nimirum vt ipse pœnitens priùs coram domino, vel dominis Inquisitoribus, vel si pœnitens eos adire nequiuerit, coram persona, vel ministro Sancti Officij, de facultate tamen ipsorum dominorum Inquisitorum suorum errorum confessionem faciat. Hoc tamen intellige, dummodo hæreticus non habeat complices, nam si illos habeat, iam eius delictum scitur ab aliquo, & ita non est omnino occultum, quoad hunc scilicet effectum. Quòd si domini Inquisitores hanc licentiam concedere confessariis noluerint ob causas sibi bene visas, consulerem, salua pace, vt pœnitens recurrat ad Illustrissimum dominum Generalem Inquisitorem, cui facultas in hæreticos est specialiter, & plenissimè delegata, vt huic morbo salubriorem, & suauiorem quàm benignissimè medicinam adhibeat. Dicit *secundo* Seraphinus, quòd si Inquisitor eam neget, nullus explicat quid faciendum: *Ego* (inquit) *sub censura consulerem, vt Confessarius ab Apostolico Nuncio hanc petat facultatem, quam si dare negarat, tunc mittat Romam per bancharium ad maiorem Pœnitentiarium, vt eam in partibus idoneo committat Confessario*, interim verò dum hæc expectatur facultas, obseruet pœnitens ea quæ de occulto excommunicato, non data de præsenti Confessoris copia tradunt Nau. *in Man. n.* 239. Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. c.* 15. *n.* 7. Dicit *tertiò*, quid adhuc si propter paupertatem, aliunde legitimum impedimentum, non valeat Romam mittere. Respondet ipse: Recurrat ad Episcopum, qui non absoluet iure proprio virtute Tridentini *sess.* 24. *capit.* 6. sed ex tacita Pontificis commissione, iuxta tradita per Nauar. *c.* 27. *n.* 89. Henriquez *sup. cap.* 10.

num. 18

num.11.cap 9.cum 7 & c.16.num.1. Sanchez *de matrimonio lib.2.disp* 40. *num.3.* docentes, impeditum adire Romam, posse absolui ab Episcopo ab omni excommunicatione Summo Pontifici reseruata. Sic dum Trid. *sess.14. cap 7.* in doctrina, negat potestatem confessariis absoluendi à casibus reseruatis extra mortis articulum, intelligitur directè, & proprio iure; secus indirectè, ex tacita commissione, dum abest Superior. Henriquez *dicto c.10.num.5. litt D.* Hæc Seraphious. Vide in nostro Decalogo *lib.1. c.3.dub.4.n.13.*

6 Quòd si hæresis sit publica, manifesta, & notoria, extra articulum mortis, vel eius periculum, præter Pontificem, soli Apostolici Inquisitores, vbi sanctissimum hoc Tribonal situm est, vt in Hispania, Italia, Sardinia, & Insulis Regi Hispaniæ subditis, absoluere possunt, qui à Romano Pontifice delegatam babent potestatem: de qua vide Azor *tom.1. lib.8.cap.12. & 18.* & Sanchez *lib.2. oper. mor.c.11.* & DD. *sup.num 5.* & in Decalogo *sup. dub.5.* Vbi autem sancta Inquisitio constituta non est, vt in Gallia, Germania, & Polonia, Inquisitorum munus Episcopi præstant; de quo vide Azor *sup.cap 18 cit.* Dixi, *extra mortis articulum*, nam in articulo, vel in vero periculo mortis, quilibet Sacerdos etiam ab hæresi quantumuis publica absoluere potest, cum onere tamen, vt si pœnitens euadat, teneatur se Papæ, vel Inquisitoribus præsentare: de quo dictum est *dub.sup.* & docet Sanchez *sup. c.13.* videndus in principio.

7 Suppono quartò, iuxta tenorem præsentis Bullæ nullo modo virtute illius posse fieri absolutionem ab hæresi interna, & externa simul, quamuis occultissima sit. Nam etsi in Bulla Latina concedatur facultas semel in vita, & iterum in articulo mortis, absoluendi à reseruatis etiam in Cœna Domini, & ibi hæresis non excipiatur, vt habetur in Bulla Latina à Gregor. XIII. concessa: in Bulla tamen Hispana, cui fides adhibenda est, expressè affirmatur, hæresis absolutionem non contineri in præsentis Bullæ generali concessione. ibi: *Excepto el crimen de la heregia.* Quibus verbis expressè excipitur ab illa generali facultate hæresis crimen. Quæ additio facta est à Commissario Cruciatæ de licentia Gregor. XIII. concessa in quodam motu proprio, qui incipit, *Officij nostri partes.* anno 1576. die 22. Septembris, & habetur *pag.405.tom.2 Bullarij; in meis*, vbi etiam statuit Pontifex, vt transumpto per commissarium facto eadem fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhibetur.

8 Solùm ergo restat difficultas, an in illa generali licentia Bullæ, (nisi aliud fuisset in Bulla Hispana declaratum) vel Iubilæi, absoluendi à casibus Papæ reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis: an scilicet per illud indultum, vel Iubilæum, non facta mentione hæresis, tribuatur facultas absoluendi hæreticum, internum & externum, occultum tamen, & iam emendatum affirmat Sotus *in 4 dist.22. q.2. art.3.post quintam conclusionem, in primo casu Cœnæ*, & Corduba *in sum.q 8. in fin.*

9 Dicendum tamen est, in nulla facultate generali absoluendi à casibus, etiam Bullæ Cœnæ, comprehendi absolutionem ab hæresi, siue talis facultas detur per Bullam, siue per Iubilæum. Ita docent Couarruuias *c.alma mater, par.1. §.11. num.15.* Henriq. *lib.3.de pœnis cap.16.num.2.* Azor *tom.1. lib.8. cap.10.quæst.12.& c.19.quæst.2.* Lopez *cap.8.de Bull. pag.824.* Candelabrum aureum *pag mihi 137.* Sanchez *lib.2.cit cap.12.n.10.* Suar. *tract.de fide, disp.21. sect.4.n.21.* Garcia *de benefic.part.11. cap.10.n 109.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. tit.2. allegat.40.*

n 31.& alij, quos isti referunt: & nouissimè Ludou. à Cruce *in exposit.Bull disp.1.c.3.dub.6.* vbi dicit, licet opposita sententia videatur speculatiuè vera; ego tamen iudico non esse practicè probabilem, nec tutam in conscientia. Probatur, quia concessio generalis absoluendi ab excommunicatione, & casibus Cœnæ, non comprehendit eam, cuius absolutionem verisimili coniectura delegans non commisisset, vt constat ex *c. in generali, de regulis iuris in sexto*: at hæresis absolutio adeò reseruata est, vt verisimiliter eam Pontifex non concessisset; ergo eius absolutio non comprehenditur sub generali concessione. *Secundò*, quia id apertè definiuit Gregor. XIII. in motu proprio suprà citato; ergo etiam si aliud fundamentum non daretur, dicendum esset, in generali concessione & facultate absoluendi à casibus etiam Bullæ Cœnæ, non comprehendi hæresim. *Tertiò*, stylus, & vsus Curiæ Romanæ habet, vt sub huiusmodi clausula generali hæresis non comprehendatur, vt optimè tradit Mandosius *in praxi signaturæ gratiæ, verb. Absolutio ab hæresi Quartò*, Inquisitoribus concessum est, vt ipsi facultatem habeant absoluendi ab hæresi; ergo non videtur per clausulam generalem talis facultas concedi: nam derogaret magna ex parte authoritatem & priuilegium Inquisitorum, & Pontifex non solet per concessiones generales sic derogare. Denique idem apertè expressit sacrum Inquisitionis Tribunal, in quo & factis, & verbis affirmatur, in prædictis generalibus concessionibus absoluendi non comprehendi absolutionem hæresis, vide in nostro Decalogo *lib.1.c 3.dub.6.n.2.*

10 Sed obiicies primò cum Soto, priuilegium tantum valet, quantum sonat; sed facultas ista absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, est generalis, ergo comprehendit etiam casum hæresis in ea contentum. Et confirmatur, quia *in cap.ea noscitur, & c.de iis, de sententia excommunicationis*, vbi tribuitur facultas absoluendi à casibus reseruatis personis impeditis, comprehenditur etiam hæresis. Respondeo, priuilegia non secundùm regulas Grammaticæ, sed iuris exponenda esse: vna autem est iam tradita, vt in generali clausula absolutionis à casibus non comprehendatur hæresis, vt declarauit Greg. XIII. & habet stylus, ac mos Curiæ. Ad confirmationem respondeo, idao in illis capitibus comprehendi hæresis absolutionem in articulo mortis, quia id expressit Papa, cuius contrarium euenit in nostro casu, vt supponimus; vnde non valet illud axioma. *Exceptio firmat regulam in contrarium*, quia contrarium (vt dictum est) iam declaratum est per Gregorium, & stylum Curiæ.

11 Obiicies secundò, Papa dum voluit vt in generali facultate suprà dicta non comprehenderetur hæresis: expressit in particulari, vt fecit Sixtus IV. *in Extrauag. Etiam Dominici, de pœniteat. & remissio.* dicens, in generali facultate à se data absoluendi à casibus, non comprehendi hæresim; ergo dum Papa in Iubilæo, vel alio indulto, non exprimit eam exceptionem, censebitur comprehendi. Respondeo, fortasse tempore Sixti IV. efficaciam aliquam habuisse hoc argumentum, modò tamen nihil probare, quia non solùm generaliter, sed etiam specialiter est declarata voluntas Summi Pontifici per ipsummet Gregorium Decimumtertium, & per stylum, & vsum Curiæ, & etiam per sacrum Inquisitionis Tribunal: idcòque contraria opinio non est tenenda, vt benè Henriquez *lib. 3. de pœnitent.cap.16. num. 2.*

12 Vltimò obiicies, exterior hæresis post Trid. *sess.24.c.6.* iam non est reseruata Papæ, sed Episcopo; sed virtute Bullæ Cruciatæ potest quis absolui à

reseruatis Episcopo, ergo à crimine hæresis. Respondeo *primò*, non esse certum, casus Papæ reseruatos occultos esse iam Episcopales, & iure ordinario competere facultatem Episcopis ab iis absoluendi; quia multi existimant solùm eis ex priuilegio competere, ac proinde non posse virtute Bullæ ab illis absolui. *Secundò* respondeo, quidquid sit de hac maiori, non posse tamen absolui ab hæresi per Bullam, quia ob rationes adductas huius criminis absolutio intelligitur excepta, nisi quando expresè conceditur.

13 Quæres, an idem dicendum sit de legentibus, tenentibus, & imprimentibus hæreticorum libros, & defensoribus, receptatoribus, & fautoribus hæreticorum. Respondeo cum Henriquez *lib. 5. de pænitent. cap. 16. num. 2. lite. I.* Sanchez *lib. 2. cit cap. 12. num. 18.* Portel *in addit. ad dub. Regul. verb. libri prohibiti num. 14* Farinac. *de hæresi. q. 180. n. 8.* Suar. *de fide, disput. 24. sect. 1. num. 18.* & alij apud Dianam *tract. 11. resolut. 29.* quorum sententiam ait non carere probabilitate, & nouissimè Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 5. dub. 8.* absque vllo dubio hanc tenet sententiam, quam etiam secutus sum in Decalogo *lib. 1. cap. 3. dub 6. n. 4.* hos omnes, si reuera hæretici non sint, & tradunt libros Inquisitoribus, posse absolui ratione Bullæ semel in vita, & semel in articulo mortis: & similiter virtute Iubilæi casus Cœnæ absolutionem specialiter concedentis. Ratio est, quia nullo iure probatur contrarium, neque ij casus ea tam speciali reseruatione afficiunt, atque ipsa hæresis; vt propterea speciali mentione indigeant. Contrarium sentit Rodriguez §. 9. *n. 70. & in addit. ad* §. 9. *n. 66. & 67.* qui in fauorem suæ sententiæ adfert quendam motum proprium Pauli IV. quem se vidisse testatur in Archiuo Sanctæ Inquisitionis in ciuitate Vlyssiponensi: at talis motus proprius non videtur contra nos: nam in eo, vt ex ipso colligitur, tantùm prohibetur sub excommunicatione, Pontifici, vel Inquisitori generali reseruata, ne habentes libros hæreticorum, vel ab Inquisitoribus prohibitos, absoluantur à confessoribus, nisi priùs eos Inquisitoribus tradiderint: ac proinde Sanchez *ubi suprà* absolutè tenet eos posse per Bullam absolui, si libros Inquisitoribus tradiderint. Quare cùm dicta excommunicatio sit Pontifici reseruata, & non sit in Bulla excepta, fit inde, posse virtute illius absolui, si libros Inquisitoribus tradiderint. De pœnis autem schismaticorum vide motum proprium editum à Paulo IV. 1550. 15. Februarij, qui incipit, *Cum ex Apostolatus officio, tom. 1. pag. 739.* confirmatum à Pio V. Motu proprio 22. incipit, *Inter multiplices curas, tom. 2. p. 200.* ann. 1567. die 21. Septemb.

14 Aduerte tamen, caso quo ratione alicuius indulti Pontificij absolui posset ab hæresi, talem absolutionem tantùm valere in foro interiori, nisi exprimatur etiam valere in exteriori. Quod procederet etiam si Pontifex alicui expresè absolutionem hæresis committeret. Quod etiam procedit, etsi ab Episcopo secundùm Trident. vel ab Inquisitore in foro conscientiæ sit absolutus, vt cum multis Azor *cap. 19. cit. qu 6.* quare sic absolutus in foro exteriori adhuc posset denuntiari, citari, capi, torqueri, & puniri. Vide Azor *suprà citat.*

*_**

DUB. VIII.

An virtute Bullæ absolui possit ab omni excommunicatione.

1 SVppono primò, in Bulla apertè concedi facultatem absoluendi ab omnibus censuris. Sunt autem censuræ tres, secundùm veriorem opinionem, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum, vt patet ea responsione Innocentij III. *in cap. inquirenti de verborum significatione*; igitur à censuris Episcopo reseruatis virtute Bullæ absolui potest toties quoties, à censuris verò Papæ reseruatis semel in vita, & semel in articulo mortis: quod intellige si sint publicæ: nam si occultæ sint, iam censentur casus Episcopales, & per consequens virtute Bullæ absolui possunt toties, quoties, vt cum probabili opinione diximus *sup. hoc c. dub. 6.*

2 Suppono secundò cum communi, excommunicationem aliam esse minorem, aliam maiorem. Minor est, quæ tantùm priuat communione passiua, seu receptione sacramentorum, & beneficij collatione. Maior verò, quæ priuat communione sacramentorum, actiua, & passiua, & fidelium communicatione, & Ecclesiæ suffragiis. Rursus excommunicatio alia est à iure, alia verò ab homine. A iure dicitur, quæ continetur in aliquo canone, vel lege Ecclesię, in Concilio generali, seu Prouinciali, aut si posita est ab aliquo Superiori, tanquam statutum perpetuum. Vnde sunt excommunicationes à iure, omnes quæ continetur in Decretis, Decretalibus, Sexto, & Clementinis, & in omnibus constitutionibus, aut motibus propriis Summorum Pontificum, cum hac clausula: *Hac constitutione perpetuis temporibus valitura*; vel hoc motu proprio, *Perpetuis temporibus valituro.* Similiter sunt à iure statuta perpetua cuiuscumque Concilij etiam diœcesani, & quæ in constitutionibus religionum, aut definitionibus suorum Capitulorum in perpetuum imponuntur. Ab homine verò sunt, quæ immediatè ab aliquo Prælato, vel iudice Ecclesiastico per sententiam imponuntur. Et hæc excommunicatio, vel est generalis, quando scilicet in communi, & in generali excommunicantur omnes qui hoc, vel illud fecerint: vel particularis, vt quando contra particularem fertur personam, quæ si nomine proprio excommunicatur, dicitur nominatim excommunicatus.

3 Suppono etiam tertiò, ab excommunicatione ob hæresim interiorem & exteriorem simul, etsi occultissimam latam, per Bullam absolui non posse, vt latè dubio sup probatum est. His positis.

4 Dico primò. Virtute Bullæ absoluere possumus ab omni excommunicatione iuris, (hæresi excepta) tum etiam hominis generali sententia lata: vt dum ignoratis occisoribus Petri, omnes excommunicantur. Ita communiter Doctores. Et ratio est, quia vbi priuilegium non distinguit, neque est vllum fundamentum distinguendi, neque nos debemus distinguere; cùm in priuilegiis Bullæ absolutè concedatur absolutio à quibuscumque censuris, etiam comprehenduntur excommunicationes pendentes ab homine, saltem dum non perturbatur ordo iudicialis, neque imminet damnum tertij. Idem dic ob eandem rationem de suspensione, & interdicto, sententia generali ab homine latis. Maior difficultas est de excommunicato nominatim: sed quia hæc quæstio difficilis est, ideo specialiter de ea *dub seq.* nunc duo dubia breuiter examinabuntur.

5 Quæres

5 Quæres igitur primò. An virtute Bullæ poſſit abſolui ab eaco mmunicatione annexa alicui caſui reſeruato poſita in aliquo motu proprio, in quo expreſsè dicitur, ne virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſolui. Certum in hac re videtur, ſi motus proprios fuit conceſſus ante Bullæ conceſſionem, poſſe virtute Bullæ abſolui ab illa excommunicatione, quia Bulla Cruciatæ poſteriùs conceſſa concedit facultatem Commiſſario generali, vt poſſit ſuſpendere (vt de facto ſuſpendit) quamlibet gratiam Bullæ contrariam. Difficultas ergo eſt, quando motus proprius conceſſus fuit poſt Bullæ conceſſionem. Quo in caſu Rodrig. *in addit. ad §. 9. num. 57.* tenet, non poſſe abſolui: quia non eſt præſumendum Papam velle derogare motum proprium eodem tempore quo illum concedit; derogaret autem ſi per Bullam poſſet quis abſolui. At Henriquez *lib. 3. de pœnitent. cap. 10. num. 2. litt. K*, affirmat, poſſe adhuc per Bullam abſolui, & talem motum proprium reuocari à Commiſſario per ſuſpenſionem eorum, quæ ſunt Bullæ contraria: ait enim id fuiſſe declaratum à Commiſſario generali in caſu conſtitutionis contra aborſum latæ per Sixtum Quintum ann. 1590. qua declaratione ſuppoſita, probabiliorem iudico hanc ſententiam; quia Commiſſarius generalis habet à Papa facultatem interpretandi dubia, & derogandi priuilegiis contrariis, præſumique poteſt ob fauorem Cruciatæ hanc eſſe Pontificis intentionem. Ideo nobiſcum ſentit Lud. à Cruc. *in expoſ. Bull. diſp. 1. c. 4. dub. 6. num. 7.* & quidem nunc quoad excommunicationem ex aborſu nulla eſt difficultas, quia reſeruatio fuit ablata per Gregor. XIV. anno 1591.

6 Quæres ſecundò. An facultas conceſſa per Bullam Cruciatæ abſoluendi ab excommunicationibus in Bulla Cœnæ impoſitis ſit derogata per promulgationem Bullæ Cœnæ. Nota, Bullam Cœnæ eſſe proceſſus quoſdam, & ſententias generales, quibus Pontifex ſingulis annis propter grauiſſima crimina in die Iouis hebdomadæ ſanctæ, in quo Chriſtus Dominus cum Diſcipulis ſuis cœnauit, excommunicat delinquentes, & ſibi reſeruat abſolutionem, ita vt nullus præter ipſum ab iis excommunicationibus abſoluere poſſit, præterquam in articulo mortis, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, tam Regularibus, quàm ſæcularibus conceſſis. Ex quibus oritur ratio dubitandi, an per illam cenſeatur reuocata Bullæ facultas ab iis excommunicationibus abſoluendi. Reſpondeo tamen Bullæ Cruciatæ facultatem ab iis abſoluendi non derogari per Bullam Cœnæ, vt multis probat Rodriguez *in addit. ad §. 9. n. 63. in fine.* Ratio autem efficacior videtur eſſe, quia ſciens Pontifex reſeruationem Bullæ Cœnæ, dat licentiam publicandi Bullam, & reuocandi priuilegia Bullæ contraria. Qua etiam ratione confirmari poteſt ſententia Henriquez ſuperiori quæſito poſita. Ob idque docet Rodriguez *ſup.* non ſuſpendi per clauſulam Bullæ Cœnæ priuilegia Regularium abſoluendi à caſibus Bullæ Cœnæ ſuos ſubditos: niſi exprimatur talis reuocatio, voluntas enim Principis (ait) præſumitur conſtans, & firma. Hoc autem vltimum non exiſtimo adeò verum.

6 Quæres tertiò. An quando aliquod edictum præcipit ſub pœna excommunicationis denuntiare aliquod delictum, vel aliquid aliud reuelare, poſſet ille qui omiſit denuntiationem abſolui virtute Bullæ, antequam denuntiet. v.g. in edicto ſanctæ Inquiſitionis ſingulis annis præcipitur ſub pœna excommunicationis, vt omnes qui ſciunt aliquem eſſe hæreticum, aut ſolicitaſſe filiam confeſſionis, aut aliud crimen in illo edicto contentum commiſiſſe, illud denuntient Sancto Officio intra ſex dies à die notitiæ, an ſcilicet Petrus qui ſcit Ioannem crimen illud commiſiſſe, & non denuntiat cùm commodè poſſit, virtute Bullæ, aut alterius priuilegij abſolui poſſit.

7 Reſpondeo. Abſolui regulariter non poſſe antequam denuntient. Ita Nauarrus *lib. 5. conſil. titulo de hæreticis, conſil. 3. num. 2.* Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 10. num. 11. littera T*, Rodriguez *in Summa, 1. parte, cap. 207. n. 1.* & Rodericus à Cunha *in tractatu de confeſſariis ſolicitationibus, qu. 21. n. 6. & 7.* Ratio eſt, quia inſtat legitimum præceptum, & quandiu non ſatisfaciant obligationi, manent inobedientes, contumaces, indiſpoſiti, & abſolutionis incapaces, non quidem ratione reſeruationis, ſed quia non ſatisfaciunt ei cui iure tenentur, ideo inhabiles abſolutioni non ſolùm à peccatis, ſed etiam ab ipſa cenſura redduntur: nam hæc tolli non poteſt, dum in contumacia, & inobediētia perſeuerare volunt: ob idque ſi tunc abſoluantur, abſolutio erit inualida, vt benè Rodriguez *ſuprà*, cenſentur enim Inquiſitores, & eorum iuſtum præceptum pars læſa, at parte læſa non ſatisfacta, non valet excommunicationis abſolutio: vt latè dictum eſt hoc cap. *dub.* 12. Et confirmatur à ſimili; nam qui ob contumaciam manifeſtam eſt excommunicatus, v. gr. quia excommunicatus renuit venire ad iudicium, etiam ratione Bullæ abſolui non poteſt, niſi ſufficientem cautionem de ſtando iudicio præſtiterit, vt dixi hoc cap. *dub.* 12. *num.* 13. Quod procedit generaliter de omni edicto præcipiente aliquid reuelari ſub excommunicationis pœna, propter eandem rationem. Quamuis id ſpecialiſſimè in hæreſis crimine procedat, propter criminis enormitatem, & fauorem fidei, & bonum commune totius Chriſtianæ religionis.

8 Dixi *regulariter*: nam ille, qui omiſit denuntiare, cùm poſſit, & conſequenter contraxit excommunicationem, poterit ab ea abſolui per Bullam.

Primò. Si poſt contractam excommunicationem detur cāſus, & cauſa legitima prorogandi denuntiationem. Ita Rodriguez à Cunha *ſup. n. 9.* vt quia Tribunal longè diſtat & magnum adeſt Iubilæum, quod lucrari intendit v.g. fœmina ſolicitata, aut ſi Euchariſtiam ſacram non ſuſcipiat, notam in fama pateretur: poterit enim tunc ab excommunicatione abſolui, data cautione iuratoria comparendi ſtatim, ac opportunitas locum præſtiterit; quia tunc meliori modo quo poteſt, datur parti ſatisfactio, & ita velle interpretandum eſt piam Inquiſitorum conditionem; ait Sanctius *in ſuis ſelectis, diſp. 11. num. 63.* ex Roderico *ſup. num. 9.* Ratio eſt, quia tunc videtur quaſi ſopita, & ſuſpenſa denuntiatio. Aduertit tamen, & benè, Rodericus *ſup. num. 10.* cùm primum tulerit opportunitas, poſt abſolutionem teneri ſub eiſdem pœnis denuntiare; quia tunc obligatio quæ erat quaſi ſopita, reuiuiſcit; ita etiam in ſimili docet Suar. *de cenſur. diſp. 20. ſect. 2. n. 14.*

9 Secundò. Si obligatio denuntiandi ſit omnino extincta, poterit ab excommunicatione incurſa abſolui v.g. ſi Confeſſarius ſolicitans mortuus ſit. Ita Rodericus *ſup. num 9.* vide Sanchez *lib. 2. oper mor. c. 13 à num. 17.* Suar. *de cenſur diſp. 7. ſect. 5. num. 38.* Ratio eſt, quia cùm ceſſet iam obligatio, manet ſola excommunicatio incurſa, à qua per Bullam poterit abſolui.

10 Tertiò, ſi obligatus denuntiare qui cenſuram contraxit, ob omiſſam denuntiationem, iam præceptum denuntiandi impleuit, eo enim adimpleto, poterit virtute Bullæ abſolui à quocumque approbato:

nam satisfacta parte, priuilegium absoluendi conceditur in Bulla ab omnibus censuris, vel absolui poterit à Mendicantibus virtute suorum priuilegiorum, vt docet Seraphin. à Freytas apud Rodericum à Cunha, *quæst.* 21. *num.* 31. Nec indigebit ille in hoc casu quando denuntiat se negligentem fuisse, fateri Inquisitoribus in delatione criminis. Vide Rodericum *sup.*

11 Quartò, vt docet Nauarr. *consil. cit.* ille qui omisit denunciare hæreticum, poterit virtute Bullæ absolui, si denuntiare proponat. Et Lucius *in Summa, cap.* 24. *num.* 11. vt refert Seraphinus *vbi suprà, quæst.* 21. *n.* 25. asserit fœminam, v.g. solicitatam, absolui posse virtute Bullæ, ab excommunicatione quam contraxit, ob omissam denuntiationem, dum tamen cogatur à Confessario denuntiare Inquisitoribus. In quam sententiam videtur inclinare ipse Seraphinus *sup. num.* 31. cum Roderico *n.* 10. sicut retinens alienum, poterit bis, aut ter absolui cum proposito restituendi. Et confirmari potest, quia contumax eo quòd non vult ad iudicium venire poterit absolui, si cautionem de stando iudicio præstiterit; ergo similiter qui promisit denuntiare. Nihilominùs tamen res hæc magna indiget prudentia, & circumspectione, & morali certitudine, quam sententiam minimè in praxi admittere auderem, nisi in casu, in quo ex iusta, & vrgenti causa differri posset denuntiatio, & persona esset authoritatis, & fide digna: non enim in re tam graui, tam facilè adhibenda est fides promittenti denuntiare. Et quidem, etsi Roderici sententia stando in iure communi sustineri posset, & attenta solùm natura præcepti; at supposita excommunicatione tenenda non est, vt docet Sanctius *in suis selectis. disput.* 11. *num.* 62. Quapropter si fœmina confiteatur post habitam notitiam delicti, & post terminum lapsum, negligentem se fuisse delatione criminis, ne quidem semel absolui poterit, (iusta tamen causa non intercedente,) quamuis fidem det se illico denuntiaturam: sicut non est absoluendus qui excommunicatur donec eiiciat concubinam, nisi priùs sit expulsa: nec sufficit quod proponat expellere. Vide Suar. *de censur. disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 45.

12 An autem Episcopus possit absoluere ab hac excommunicatione facultate Tridentini *sess.* 24. *c.* 6. Negat Seraphinus à Freitas apud Rodericum *supr. q.* 11. *num.* 14. Capiaulla *de casibus reseruatis, cap* 14. *q.* 3. *diff.* 2. & alij, quos Bonacina *in tract. de onere, & obligatione denuntiandi, punct.* 1. §. 10. *num.* 2. Contrarium tamen Bonacina existimat probabile: citat Rodriguez *in Summa*, 1. *part. cap.* 81. *num.* 4. *ad finem* Tolet. *l.* 1. *cap* 42. *num* 13. & Nauarr. *in Man. cap* 27. *num.* 260. Quia Tridentinum absolutè loquitur. Huic tamen quæstioni respondendum censeo eodem modo, quo superiori quæstioni est satisfactum: nam eadem militat ratio.

13 De obligatione denuntiandi hæreticos, videndi sunt Simancas *de Catholicis institutio. tit.* 19. Azor. *tom.* 1 *lib.* 8. c. 19. Roxas *de singularibus fidei.* Genuensis *in praxi Neapolitan. cap.* 18. Suarez *in opere de triplici virtute, disput.* 20. *à sect.* 4. Filliuc. *tract.* 28 *cap.* 7. Petrus Nauarrus *l.* 1. *de restitut cap.* 4. Alphonsus à Castro *de iusta hæret punitione, l.* 2. *c.* 25. Penna *in directorio Inquisitorum, com.* 18. Sotus *de iustitia, & iure, q.* 5. *art.* 3. Tolet. *l.* 4. *c.* 5 *in edit. Roma, anno* 1618. Martinus del Rio *Magicarum disquis. l.* 5 *sect.* 4. & ea quæ diximus *in primo præcepto, lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 5. & 6.

14 De obligatione verò denuntiandi confessarios solicitantes in actu confessionis, vel proximè ad illam, vide Bullam Pauli IV. Pij V. Clemen. VIII. Gregorij XV. quas refert, & explicat Sanctius *in suis selectis. disp.* 11. Bonacina *in suo tract. de onere denuntiandi, disp* 6. & præcipuè Rodericum à Cunha Episcopum Portugallensem *in suo tract. de confessariis solicitantibus*, qui hanc quæstionem copiosè, & doctissimè exagitat, cum suo additionatore Seraphin. a Freytas, & ea quæ diximus *in* 1. *præcept. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 13.

15 Demum nota virtute Bullæ posse absolui ab excommunicatione ad cautelam, Suarez *de censur. disp.* 7. *sect.* 8 *à num.* 12. & alij, quia non requiritur maior potestas ad absoluendum ad cautelam, quàm ad absoluendum simpliciter. Sic ergo potest absolui quando dubitatur an excommunicatio comprehendat illum. Dari autem solet hæc absolutio ad cautelam, siue ex suprabundanti, ante absolutionem sacramenti Pœnitent. & ante quemcumque actum cuius valor posset impediri per censuram si adesset, vt fit in collatione beneficij, seu concessione priuilegij. Et quando dubitatur an contraxerit censuram quo in casu debet satisfieri parti si læsa sit, vt infrà dicetur *dub.* 12. si autem res deducta sit ad forum exterius, non debet Confessarius absoluere; nam tunc spectat ad iudicem, de quo Couarr. *c. Alma mater, par.* 1. §. 12.

DVB. IX.

An absolutio ab excommunicatione, & aliis censuris, data virtute Bullæ, vel Iubilæi, valeat tantùm pro foro conscientiæ, seu interiori, an etiam pro foro exteriori, & iudiciali.

1 QVæstio hæc procedit quando excommunicatio est publica, nam quando est occulta, non indiget absolutione quoad forum exterius, vt bene Nauarr. *cap.* 27. *num.* 271. sufficit enim quòd absoluatur quoad Deum, nec quando concessio expressè limitat absolutionem pro foro interno, & conscientiæ tantùm, quo casu indubitatum est pro eo tantùm foro valere; nec quando expressè pro vtroque foro conceditur; quia tunc certissimum est pro foro exteriori prodesse. Procedit ergo quæstio, quando absolutè priuilegium concedit absolutionem à censuris sine limitatione ad forum internum, vel sine ampliatione ad externum.

2 Dico igitur, & communiter & regulariter loquendo, absolutio excommunicationis, vel alterius censuræ, ratione Bullæ, vel Iubilæi data, solùm prodest pro foro interiori, & conscientiæ. Ita communiter Doctores, quos Henriquez *lib* 7. *de indulgentiis. c.* 13. *n.* 2. *in fine*, & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *c.* 4. *dub.* 3 *num.* 3. cum Villalobos *p.* 1. *tract.* 27. *claus.* 9. *num.* 14 Couarr. 2 *var c* 10. *num.* 3. & 6. *c. Alma mater, part.* 1. §. 11. *num.* 16. & *cap Raynutius, de testam. n.* 19. & aliis. Probatur *primò*, quia priuilegium nunquam prodest in foro exteriori, nisi id exprimatur, vt docet Rodriguez *Bulla* §. 9. *num.* 55. *Secundò*, quia Bullæ facultas à censuris datur Confessario electo: verba autem Pontificis tam in decretis quàm in litteris Apostolicis sunt intelligenda formaliter, vt omnes sentiunt: sermo enim materialis longè debet abesse à Theologo, & Doctore, & ita hæc facultas absoluendi à censuris conceditur Confessario, & pro foro conscientiæ tantùm. *Tertiò*, quia talis est stylus Curiæ Romanæ, & antiquissimus.

tiquissimus. Papa enim non consueuit per Bullam, aut Iubilæum Confessariis committere ea, quæ ad forum contentiosum spectant, sed ea tantùm quæ ad internum pœnitentiæ, cuius styli meminit Ludouicus Gomez *in reg. Cancellariæ, de non iudicando iuxta tenorem supplicationis, quæst.* 14. *num.* 3. quem sequitur Couarruuias *cap. Alma mater, part.* 1. §. 11. *num.* 16. *de sententia excommunicationis, in* 6. *Quartò*, quia aliàs plurimum detraheretur auctoritati iurisdictionis Ecclesiasticæ fori exterioris, nec seruaretur debitus ordo hierarchicus, cum perturbatione fori externi: nimirum, si Confessarius absoluat quem actu iudex excommunicat, & ita inanis pro foro exteriori redderetur excommunicatio, & actio qua procederet iudex contra reum.

3 Quare absolutus per Bullam debet se gerere in publico tanquam excommunicatus, ad vitandum scandalum, & præiudicium fori contentiosi, & iudex potest procedere contra illum in omnibus, ac si non esset absolutus, atque adeò si sit Sacerdos, & celebret, potest procedere contra irregularem, quamuis reuera, & in se irregularis non sit: vt bene Rodriguez *in addit. ad* §. 9. *num.* 52. posset tamen amicus, & benignus iudex hanc absolutionem in foro interiori factam admittere pro foro exteriori, tacendo, & approbando illam, & repellendo accusatorem, vt bene Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 13. *num.* 2. & Rodriguez §. 9. *addit. num.* 51. *in fine.* Et de facto concedit constitutio diœcesis Salmanticensis, vt absolutio Bullæ valeret pro foro exteriori, vt refert Henriq. *sup. n.* 2. *circa fin.* qui addit posse iudicem credere Confessario asserenti esse absolutum, nec indigere testibus id asserentibus. Medina *in Sum. lib.* 2. *cap.* 12. *in fine, fol.* 239. cui fauet Nauarr. *in Man. c.* 27. *n.* 42. *&* 43. tenet sufficere vt habeat chirographum à Confessore, quo dicat se illum absoluisse virtute Bullæ. Henriq. suprà asserit, satis esse Confessarium testari de absolutione. Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *n.* 51. asserit, requiri amplius testimonium duorum testium asserentium esse absolutum. Nauar. autem *lib.* 5. *consil. de senten. excommun. consil.* 26. *in* 2. *addit.* vt refert Rodrig. *suprà*, adfert formam, qua dari potest hoc testimonium, vt fidem faciat in foro exteriori. Ait enim, & bene, Nauarr. multum expedire absoluto ab excommunicatione quoad forum conscientiæ tantùm, habere litteras huiusmodi absolutionis à Confessario datas, ad euitandam pœnam, quæ posset ei imponi in foro exteriori propter contemptum excommunicationis: vt nimirum confessarius ad instantiam sic absoluti coram Notario & testibus tradat absoluto schedulam clausam, & signatam, in qua dicatur, illum absoluisse eum pœnitentem, & confessum eo modo; & de eo quod continetur in ea schedula; Notarius verò in dorso eius scribat, ipsum tali anno, mense, & die rogatum fuisse coram testibus à tali absoluto & confessario, vt eiusdem rei fidem faceret; & poneret ibi suum signum publicum, eo modo, quo in testamentis in scriptis facto iure fieri consueuit. Ex his mediis etsi omnia vtilia sint, & sufficientia, facilius est quod proponit Medina, efficacius autem quod proponit Nauarr. & Rodriguez, sufficientissimum tamen est testimonium confessarij, ita etiam Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 4. *dub* 3. *n.* 10. vbi non improbabiliter addit: imò certè auderem dicere credendum esse in hac re pœnitenti sicut Parochus debet credere dicenti se confessum fuisse cum aliquo Regulari, aut alio priuilegiato, vt docet Nauar. *cap. placuit, de pœnit. d.* 6. *n.* 71. at hoc solum videtur admittendum in foro conscientiæ, qui confessarius, vt bene aduertit Suarez *to* 5 *disp.* 7 *sect.* 5. *n.* 16. vt possit hanc fidem facere, necesse est si absolutio data sit intra sacramentum Pœnitentiæ, vt ex facultate ipsius personæ absolutæ, extra illum forum ad hunc effectum extendatur. Addit tamen Rodriguez *supra n.* 51. *in addit.* accommodatius medium sibi videri, vt scilicet iste sic absolutus se præsentet coram iudice, si id commodè possit, à quo de iure ordinario erat absoluendus. Sequutus tamen alia media docet, facta relatione à confessario de huiusmodi absolutione, parte satisfacta, debere iudicem in foro exteriori ad minus mitigare pœnam, & mulctam, & non condemnare de irregularitate eum, qui præsertim sine scandalo celebrauit. Vide Dianam *tr.* 11. *resol.* 26.

4 Dixi *communiter & regulariter loquendo*; nam in aliquo casu etiam prodest talis absolutio pro foro exteriori: nimirum si pars læsa fuerit, & iam ei satisfactum est realiter, & cum effectu, vel cum ea concordauerit. Quod probabilissimè docent Ioan. Valero *verbo Absolutio, differen.* 5. *n.* 6. Rodriguez §. 9. *n.* 56. *&* 57. *& in addit. ad* §. 9. *n.* 51. & fauet Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 13. *n.* 2. *in fine, litt. V.* qui inter alios citat Nauarr. *cap.* 26. *num.* 26. *in fine*, quamuis nulla iudicia licentia excommunicantis ad audiendum concedatur, vt ait Medina *lib.* 2. *cap.* 12. *in fine, pag.* 239. Etsi oppositum iudicet verius Villalobos *tractat.* 27. *claus.* 9. §. 2. *n.* 24. Fundatur hæc sententia in quadam simili concessione facta à Pio Quinto in quodam Iubilæo concesso anno 1568. die 17. Octobris, de quo Rodriguez §. 9. *num.* 5. & in aliis Iobilæis à Gregor. XIII. & XIV. concessis. Ij enim Pontifices postquam in suis Iubilæis concesserunt facultatem absoluendi à censuris reseruatis, explicarunt talem absolutionem non prodesse in foro fori, seu contentioso, nisi parti satisfecerint, vt referunt Rodriguez. & Henriquez citati: quæ vltima verba apertè insinuant talem absolutionem, satisfacta parte, valere etiam in foro exteriori; ergo pari ratione cùm nostra Bulla concedat absolutionem à censuris, cum partis læsæ satisfactione, & non limitet talem absolutionem ad forum internum, cum maximo fundamento dici potest valere etiam in exteriori, satisfacta parte, quod insinuare videtur praxis Pontificum, dum in suis Iubilæis concedunt facultatem absoluendi à censuris reseruatis: addunt *in foro conscientiæ dumtaxat*, significantes in hoc absolutionem à censuris satisfacta parte, valere etiam pro foro exteriori, nisi limitetur pro conscientiæ tantùm, prout limitatur à Sixto Quinto in suo Iubilæo anno 1585. & habetur *tom.* 2. *bullarij pag.* 486. & à Paulo V. anno 1605. vt habetur *in bullario tom.* 3. *pag.* 173. Quo in casu nulla irrogatur iniuria iudici qui excommunicauit, eo quòd pars quæ petiit eam excommunicationem, sit iam realiter satisfacta. Expedit tamen, vt bene aduertit Medina *citat.* vt excommunicatus ratione Bullæ absolutus, parte satisfacta, habeat chirographum à confessario, quo dicat absoluisse illum satisfacta parte, ne eum iudex calumniari possit, & à diuinis officiis arcere, de quo dictum est *num. sup.* Hanc autem sententiam non admittit Diana, quando excommunicatus est ab homine, sed tantùm quando est à iure: at quia rationes absolutè procedunt, ideo idem est de vtrisque dicendum. Nostram etiam sententiam tenet Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 8. modò excommunicatio sit occulta. At non est cur adhibeatur talis limitatio; nam ratio, & authoritas *sup.* etiam de publica procedit, modò pars realiter sit satisfacta. Vide Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 9. *num.* 291. *& infr. dub. sequent. num.* 9.

D v b. X.

An nominatim excommunicatus, suspensus, vel interdictus, possit absolui virtute Bullæ.

1 DVplicem sensum potest habere hoc dubium. *Primus* est an possit fieri validè hæc absolutio; an verò etiam licitè. Et in vtroque sensu procedit quæstio de publicè, & speciatim, ac nominatim excommunicato, suspenso, vel interdicto, & de excommunicato à iure, si res deducta est ad forum contentiosum, & adhuc pendet lis. Vt cùm quis publicè percussit clericum, & res deducta est ad forum contentiosum, & lis adhuc durat. Qua in re optimum consilium est talem excommunicatum mittere ad iudicem, (si id commodè fieri potest) qui eum excommunicauit, vel coram quo pendet lis, vt nimirum accepta satisfactione, vel cautione, illum absoluat, vel det licentiam in scriptis vt à confessario absoluatur: quod vt in plurimum expedit quando quis est excommunicatus nominatim. Difficultas ergo est, an nominatim excommunicatus, suspensus, vel interdictus sine licentia iudicis possit validè & licitè absolui virtute Bullæ.

2 Dico primò, posse validè absolui, saltem in foro interiori, satisfacta tamen parte, casu quo læsa fuerit, saltem cum cautione iuris: de quo *quæstione sequenti.* Ita Couarruuias *cap. alma mater, de sententia excommunic. part.* 1. §. 11. *num.* 16. Nauar. *c.* 27. *num.* 178. Henriquez *lib.* 13. *de excommunicat. c.* 27. *num.* 5 *& lib.* 7. *de indulgent. c.* 13. *num.* 2. Nauar. *lib.* 5 *cons* 47 *num.* 2. *cons.* 48 *num.* 2. *& cons.* 49 *n.* 3. *&* 5. *de sententia excommunic.* & Auila *de censuris, part.* 2. *disput.* 3. *dub.* 10. *conclus.* 1. & alij quos citat & sequitur Saytus *in Thesauro lib.* 1. *c.* 20. *num.* 59. & Diana *tractat.* 1. *resol.* 26. & Lud. à Cruce *in exposit. Bull disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 5. & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 2. Fundamentum eius sententiæ est, quia ex eo quòd Pontifex concedit facultatem absoluendi ab omnibus peccatis, censetur etiam concedere facultatem absoluendi ab iis, quæ impediunt eorum absolutionem, vt est excommunicatio: nam cùm aliquid committitur expediendum, reliqua omnia sine quibus illud expediri nequit, commissa etiam censentur, ex *l.* 2 *ff. de iurisdict. omn iud & cap. præterea*, & ibi Gloss. *in verb. Ex eo quod causa, & cap. Suspicionis, de officio delegati.* Probatur *secundò*, quia Bulla generaliter concedit absolutionem ab excommunicatione à iure, vel ab homine; ergo debet verificari tale priuilegium, non solùm in excommunicatione ab homine in generali, sed etiam in speciali & nominatim. Solùm ergo est difficultas, an liceat, vel expediat.

3 Dico secundò. Si talis excommunicatus sit in loco distanti, vbi ignoratur eius excommunicatio, vel quòd pendeat lis de ea re, præmissa satisfactione reali; vel si non possit præstita sufficienti iuris cautione, licitè posset absolui, saltem pro foro conscientiæ per Bullæ priuilegium. Ita Rodriguez §. 9. *num.* 55. Henriquez *lib.* 13. *de excommunic. c* 28. *num.* 2. & Auila *vbi supr concl.* 3. Et ratio est, quia saltem in hoc casu nullum sequitur scandalum, nec perturbatur exterior iurisdictio, nec fit vlla iniuria parti: nam reus facit id totum quod tenetur; & ideò pars non potest iure conqueri.

4 Dico tertiò. Quando excommunicatio nominatim denuntiati publica est, vel in loco vbi litigatur, lis etiam publica est, & manifesta, probabilius est, per se loquendo, non posse licitè absolui talem excommunicatum etiam in foro conscientiæ. Ita tenet expressè Auila 2. *part. cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 10. *concl.* 4. Sentiunt etiam Syluest. *excommunicatione* 2. *dub.* 12. *& verb. Pœna* § 18. Rodrig. § 9. *num.* 58. *in fine.* Henriquez. *cap.* 13. *de indulgentiis, num.* 2. *in textu*, & Gloss. *litt. Q.* quos sequitur Iuan. Valero *verb. Absolutio, differentia* 3. *num.* 2. Lopez *cap.* 8. *de Bulla, pag.* 837. Ratio efficax est, quia, per se loquendo, talis absolutio saltem perturbaret iurisdictionem iudicis coram, quo lis pendet, & sequerentur magna scandala. Vnde hac de causa Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. non concessit Episcopis facultatem absoluendi à censuris reseruatis Papæ, iam deductis ad forum contentiosum, ne videlicet perturbaretur exterior iurisdictio.

5 Contrarium tamen sentiunt nonnulli recentiores, quia illa absolutio data in foro conscientiæ, potest esse sine scandalo, & cùm solùm valeat pro foro interiori, non perturbatur exterior iurisdictio: nam potest procedere contra illum, ac si nunquam esset absolutus, & taliter absolutus non excusatur, quin teneatur se iudici præsentare, & exteriùs tenetur se gerere vt excommunicatus; ergo nulli fit iniuria talem impertiendo absolutionem, quæ sententia etsi omnino non sit improbanda, propter supradictam rationem, nihilominus tamen prior tenenda est; quia licèt inde nullum sequatur scandalum, adhuc tamen, per se loquendo, irrogari videtur iniuria iudici habenti integrum ius procedendi contra illum, & perturbari eius iurisdictionem, nam reus eo ipso quod est absolutus, etiã pro foro interiori, tantùm minus timet iudicem, quàm antea, & minus dependet ab ipso, & solet liberiùs se gerere, & ita hoc pacto perturbatur plena iudicis iurisdictio, ideoque in hoc casu illicitum est talem excommunicatum absoluere.

6 Dixi, *per se loquendo*, nam in his casibus potest licitè absolui, saltem pro foro conscientiæ. *Primus*, si iudex & pars longè absint, posset confessarius per Bullam ex causa absoluere denuntiatum publicum, impotentem satisfacere, cum cautione iuratoria, si meliorem dare non posset; quia rationabiliter præsumere debet intentionem iudicis, aut partis fore, si adesset; aut certè Pontificis esse, ne impotens qui faciat totum quod possit, frustrà distringatur graui pœna excommunicationis, vt bene docet Henriquez *de excommunicatione, cap.* 28. *n.* 2. *litt. Q.* Rodriguez §. 9. *num.* 55. quos sequitur Valero *sup. differentia* 3. *num.* 2. *Secundus* est, si parti omnino satisfecerit, vel cum ea concordauerit, vt docent Henriq. *libr.* 7. *de indulgent cap.* 13. *n.* 5. *in fine* & alij, quos ipse. *Tertius* est, quando iudex malitiosè denegat absolutionem, pro quo est optimus text. *in cap venerabilibus, §. fanè, de sententia excommunicationis in* 6. *Quartus*, est, quando iudex etsi non deneget malitiose absolutionem, denegat tamen rigidè, vt cùm non vult illum absoluere nisi satisfaciat cum detrimento sui status, quos casus Auila *vbi sup. concl.* 4. *vers. Primus*, admittit, cum hac conditione, vt admoneatur pœnitens eam absolutionem nihil prodesse illi pro foro exteriori. Existimat enim ipse Auila *vbi sup. dub.* 12. absolutionem virtute Bullæ datam, nullo modo prodesse pro foro exteriori. Cuius contrarium diximus probabile esse *sup dub* 9. modo ibi explicato, & infrà magis constabit. Addit etiam, vt pœnitens ipse adeò sit vir timoratus, vt de eo iure præsumatur, quod exteriùs se gerer pro excommunicato, & nunquam accedet ad sacramenta, & audiendum sacrum,

sacrum, nisi secretò, & sine scandalo. Quæ limitatio solùm procedit in opinione asserentium absolutionem virtute Bullæ tantùm valere in foro interiori.

7 Dixi, *dum adhuc pendet lis, & litigatur*. nam si est finita, iam absoluit iudex, vel tenetur dare licentiam vt absoluator: quam si recusat iniustè dare, potest tunc virtute Bullæ absolui, & sic cessat difficultas. Quòd si excommunicatio erat à iure, vt propter percussionem clerici, tunc certum est liberius posse à confessario absolui per Bullam, quia iudex suo officio functus est. ita Auila *vbi suprà dub. 10. concl. 4. vers. Dixi*.

8 Quæres tamen primò, An per Bullam licitè quis absolui possit præstita cautione, vel sufficienti satisfactione, parte tamen semper reclamante. Verbi gratia percussit quis clericum, & offert sufficientem cautionem arbitrio boni viri, quam tamen pars non vult acceptare vt illum vexat. Respondeo, si res non sit deducta ad forum contentiosum, licitè posse absolui præstita sufficienti cautione. ita Medina *in Summa lib. 1. cap. 12. fol. 136. pag. 2.* Henriquez *lib. 13. de excommunicatione, cap. 18 num. 4.* & Auila *dub. 10. cit. concl. 4. vers. Ex dictis*, & nouissimè Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 4. dub. 4. num. 2.* Ratio est, quia iam non stat per ipsum quin realiter satisfaciat: ergo non est in mora culpabili. Quòd si res deducta fuerit ad forum contentiosum, licitum quoque erit illum absoluere modo explicato *dict. 2.* nimirum in loco vbi ignoratur eius excommunicatio, vel litispendentia, non verò vbi hæc publicè constant, nisi in illis casibus in tertio dicto exceptis, vt bene Auila *sup.* citatus.

9 Quæres secundò. An absolutio nominatim excommunicati, suspensi, vel interdicti prosit pro foro etiam exteriori. Lopez *cap. 8. de Bulla pag. 830. & 831.* & Auila cum aliis *2. part. cap. 7. disp. 3. q. 13.* respondent negatiuè: huic tamen quæstioni satisfactum est *hoc cap. dub. 9. in fine n. 4.* vbi dictum est valere; si tamen satisfacta est realiter, & cum effectu pars læsa, vel eum ea concordatum sit. Dixi *realiter satisfacta, vel cum ea concordatum*, quia si tantùm absoluatur cum iuris cautione ob impotentiam pœnitentis, existimo certum non valere pro exteriori, sed tantùm pro interiori; quia cùm pars non sit plenè satisfacta, læderetur eius ius, eique irrogaretur iniuria, & iuris ordo apertè perturbaretur. Vnde excommunicatus denuntiatus, & impotens ad realiter satisfaciendum, nō potest in foro exteriori absolui, nisi de licentia partis, aut nisi ea citata probet suam impotentiam coram iudice excommunicatore, vt benè docent Sot. *in 4 dist. 22. q. 1. art. 3. concl. 2.* Cou. *in c. Alma mater, 1. part. §. 11. num. 11.* Henriquez *de excommunicat. cap. 18. n. 2. in princ.* & Valero *verb. Absolutio differ. 5. num. 1.* In foro autem pœnitentiali, & interiori potest absolui virtute Bullæ impotens ad satisfaciendum, & excommunicatus denuntiatus modò latè in hoc dubio explicato. Vide Nauarr. *consil. 49. de sententia excomm. lib. 5.*

10 Maior tamen difficultas est, an absolutionem nominatim excommunicati, suspensi, vel interdicti, dato quòd valida sit etiam in foro exteriori teneatur iudex acceptare, & approbare, & liberum reputare reum excommunicatum à pœna fori exterioris. Certum est posse ex æquitate amicum & benignum iudicem dissimulare, & eam absolutionem approbare, vt dictum est hoc cap. *dub. 9.* & tenet Auila *suprà*. Dubium ergo est, an ex iuris rigore teneatur eam acceptare. Vnde iuxta opinionem eorum qui asserunt talem absolutionem parte satisfacta, realiter valere etiam pro foro externo, videtur dicendum teneri iudicem eam acceptare, & approbare, consilio ei de absolutione per testimonium confessarij modo explicato hoc cap. *dub. 9. in fine*. Si enim prodest pro foro externo; ergo tenetur eam iudex acceptare; aliàs enim nullius roboris esset, & virtutis pro foro externo, si iudex posset contra eum, ac si non esset absolutus, procedere. Et probatur, quia parte realiter satisfacta, & plenè, nulla irrogatur iniuria iudici nec parti, nec vlla perturbatio iurisdictionis sequitur; ergo tenetur iudex eam acceptare. Quod colligi potest ex declaratione Pij V. in Iubilæo à se concesso 15. Kalend. Nouembris anno 1568. vbi declarat absolutionem censuræ valere in foro etiam exteriori, parte satisfacta, si valet; ergo tenetur eam acceptare. Ita sentit Ioann. Valero *verb. Absolutio, differ. 2. n. 4.* vbi ait, quæ absolutio etiam operabitur quoad forum exterius, cùm iam pars sit satisfacta. Et addit, & sic non indiget absolutione excommunicantis; si ergo operatur quoad forum externum & non indiget absolutione excommunicantis; ergo tenetur iudex eam acceptare. Sit tamen cautus (vt aduertit Valero *cit.*) taliter absolutus vt obtineat à confessario, & à parte testimonium absolutionis, & satisfactionis, si fortè à iudice timeat inquietari. Et nota, ex dicta declaratione Pij V. quàm parum curet Summus Pontifex de absolutione iudicis excommunicantis, cùm pars ad cuius instantiam fuit lata excommunicatio, est satisfacta, & excommunicatus absolutus virtute Cruciatæ, vel Iubilæi, vt aduertit Valero *verb. Absolutio, differ. 5. num. 4. in fine*. Quod si parti, aut contumaciæ non sit realiter satisfactum, sicut talis absolutio non prodest pro foro externo, ita certum est non teneri iudicem acceptare. At quia vertitur in opinionem, an absolutio excommunicationis prosit pro foro exteriori, & multi hoc negant, etiam parte realiter satisfacta, proinde dicendum est, non teneri iudicem talem absolutionem ex rigore iuris acceptare, & approbare; quia licèt parti sit satisfactum, semper in aliquo detrahitur iurisdictioni fori exterioris, & iudicis authoritati, ac proinde potest iudex, si velit procedere contra sic absolutum. Dixi, *si velit*, nam est in eius voluntate illam absolutionem approbare, vt dictum est, & tenet Auila *dub. 12. citat.* Dixi *etiam ex rigore iuris*; nam ex benignitate, & æquitate debet iudex in partem benigniorem inclinata, quando constat ipsi ex schedula confessarij, aut aliis coniecturis, ipsum fuisse absolutum. Ita Rodriguez *1. tom. q. 61. art. 10. vers. Quantum ad secundum.*

DVB. XI.

Quid operetur absolutio virtute Bullæ, vel Iubilæi in foro tantùm conscientiæ, & interiori.

1 Absolutio in foro conscientiæ, seu in foro interiori tantùm, est quando pœnitens excommunicatus solùm est liber quoad Deum ab excommunicatione, non verò quoad homines. Vnde non obstante tali absolutione, & pœnitentia imposita in foro pœnitentiæ, potest Ecclesiasticus iudex de delicto illo cognoscere, & satisfactionem accommodatam foro publico, & contentioso imponere: quod ergo quærimus est, quos effectus habeat hæc absolutio in foro conscientiæ.

2 Primò

2 Primò ergo operatur, quia necesse eſt quòd illa abſolutio, licèt non iterum in foro contentioſo, ſaltem declaretur, & comprobetur in foro iudicis excommunicantis, vt docet Suarez *tom.5. diſput.7. ſect.5. num 30.*

Secundò operatur, quòd ſi post obtentam abſolutionem quoad forum internum torùm conſequatur abſolutus beneficium aliquod, poterit eo priuari per iudicem, & ſimiliter poterit ab alio impetrari, quia talis collatio fuit nulla quoad forum externum, iuxta *cap. poſtulaſtis, de clerico excommunicato*, & docent Nauarr. *cap.27. n.21.* Couarruuias *cap. Alma mater, part.1. §.7. num 1.* & communiter Doctores Vide Suarez *tom.5. diſp 4. ſect.7. num.28.* qui idem docet de eo, qui ab occulta irregularitate diſpenſationem impetrauit. Poteſt tamen ſic abſolutus, ſeu diſpenſatus pro foro interiori retinere prædictum beneficium tuta conſcientia dum non accuſatur, & per ſententiam eo priuatur, quia vera fuit, & valida eius collatio quoad forum internum, vt notat Suarez *tom.5. diſput.4. ſect.7. num.27.* quod eſt valde notandum pro abſolutione, & diſpenſatione quæ in foro conſcientiæ obtinentur per Trident. *ſeſſ.24. cap.6.*

3 Tertiò operatur, quòd licèt hic abſolutus quoad forum externum ſit excommunicatus, eſt tamen de illo iudicandum ac de excommunicato iniuſtè, ex defectu cauſæ, vt bene Rodriguez *de Regul. tom.1. quæſt.61. artic 10. verſ. Quantum ad ſecundum*, ac proinde in occulto, & vbi ignoratur eſſe excommunicatum, poterit ſe gerere tanquam non excommunicatus. Idem tenet Sà *verb. Abſolutio, §. 17.* dicens quòd taliter abſolutus in foro conſcientiæ, poteſt ſe gerere ac ſi eſſet abſolutus in foro exteriori, ſi res ob quam fuit excommunicatus, non eſt manifeſta, poſſet tamen hic accuſari coram iudice excommunicante, & puniri tanquam violator cenſuræ, & inobediens mandatis Eccleſiæ, vt tradit Valero *verb. Abſolutio, differ.2. num.3. verſ. poſſet.* quod intellige ſecundùm rigorem iuris; nam ex æquitate, & benignitate, amicus, & benignus iudex, ſi nullus adſit accuſator, poteſt abſolutum in iudicio admittere tanquam actorem, ſi pars contraria taceat, & nullus ei opponat dictam excommunicationem vt à iudicio arceatur: nec non poſſent alij communicare eius factis, dictis, & conuerſationi publicæ, & tractare ipſum tanquam abſolutum, etiam quoad forum externum, & ſic diſſimulare eius excommunicationem, vt docet Henriquez *lib 7. de indulgen tiis, cap.13. num.2. litt V.* vbi addit, in prædicto caſu poſſe iudicem repellere accuſantem. Quod vltimum non exiſtimo licitum: quia ſi pars aduerſa, quæ inſtauit excommunicationem eum accuſet, tunc iudex debet eum audire, nec poſſe eum repellere, quia eius intereſt vt talis excommunicatus denuntiatus, ſaltem quoad forum externum patiatur damna excommunicationis, vt ſic diligentiùs procuret ſatisfacere ſibi debitum. Si verò eſſet fiſcalis, vel alius qui habet ius accuſandi, ſimiliter non poſſet repelli, tum quia fieret illi iniuria, tum etiam, quia aliàs omnino fruſtraretur eum, & tolleret effectum excommunicationis quoad forum externum. Ita Ioan. Valero *verb. Abſolutis, differ.2. num.3. verſ. verum quidem eſt* Quòd ſi accuſans non ſit pars læſa, nec alius qui habeat ius ad accuſandum, poſſitque ſine ſcandalo ſuauiter repelli, exiſtimo licere iudici ſuauiter eum repellere, quia in hoc nulli vlla cauſatur iniuria, & ex alio capite, hic verè, & validè fuit abſolutus: ideo ſi benignus index taceat, non eget alia abſolutione pro foro exteriori, ſicut diſpenſatus ad matrimonium à pœnitentiario, non indiget alia diſpenſatione ſi taceat Ordinarius, & ſi impedimentum publicetur, ita docent citati DD. Vide Henriq *de irregul. c vlt. in princip. litt. E.* Sanchez *lib 3. de matr diſp.15. n.14. & 17.* & Barboſam *in variis, vbi de locis, loc.5. num.4. & 5.*

4 Quartus effectus eſt, quòd taliter abſolutus poterit, frui Iubilæo recipiendo publicè communionem; non tamen poterit id facere virtute Bullæ, ſi eſt publicè denuntiatus, propter ſcandalum, quod ceſſat tépore Iubilæi, niſi aliàs eius abſolutio eſſet nota, ac manifeſta. Ita Valero *ſup n.3. cit. verſ. Tertius effectus.*

5 Quintus eſt, quòd abſolutus quoad forum conſcientiæ, non ſit irregularis quoad Deum, licèt celebret publicè, & cum ſcandalo; nec etiam erit habendus pro irregulari à iudice in foro iudiciali, ex æquitate tamen, non autem de iuris rigore, vt docet Rodrig. *t.10. q 61. art. 10 verſ. Quantum ad ſecundum.* Ratio eſt, quia taliter abſolutus iam non eſt excommunicatus coram Deo: poſſet tamen iudex, ſi velit, vel diſſimulare, vel illum punire, vt dictum eſt *effectu 3.* Ita Valero *ſup. verſ Quartus.*

6 Sextus effectus eſt, quòd ſi quis excommunicatus eſt, & denunciatus ad inſtantiam partis, ſi ſe componat cum ea, poterit abſolui à confeſſario virtute Bullæ in foro interiori: quæ abſolutio etiã operabitur in foro exteriori, vt dictũ eſt *ſup. dub 9. & 10.*

7 Quæres, quid operetur abſolutio illa, quæ ponitur in impetrationibus beneficiorum Sedi Apoſtolicæ? Reſpondeo, tales abſolutiones non eſſe reales, ſed verbales, & de ſtylo, cùm iſtos impetrantes non pœniteant: & ideo expedito actu, propter quem abſoluuntur, ſtatim reincidunt, vt poſt Hoſtienſem docet Felinus *in cap Apoſtolica, poſt principium, de except.* teſte Valero *ſup. n.5.* Vide Franciſcum Leon, *in ſuo Theſauro, parte 2. cap. 2. num.32. pag.1498.* Nauarrum *lib.5. conſiliorum, n.18. & 21. & conſ.44. de ſentent excommunicationis.* Vide etiam Henriquez *lib.13. cap.13. num.3.* & Sayrum *de conſ. lib.2. c.5. num. 22.* qui exiſtimant clauſulam illam appoſitam in reſcriptis, videlicet: *Te abſoluentes ab omni excommunicatione, ad effectum duntaxat conſequendum*, non ſolùm operari, vt reſcriptum ab excommunicato impetratum ſit validum; ſed etiam vt collatio beneficij ab excommunicato facta virtute illius reſcripti, ſit etiam valida, quod etiam ſentire videtur Franciſcus Leon. *ſup. n.31.* & tenet Garcia *de benef. p 7. cap.13. à num.59.* & cum eo, & aliis Barboſa *de clauſulis, clauſula 179.* qui duo aduertunt, & bene, hoc non eſſe veram abſolutionem, & totalem ſed ſuſpenſionem effectus cenſuræ, & ſublationem impedimenti quoad hunc effectum dumtaxat, id eſt, vt valeat gratia reſcripti iuſtitiæ, ſeu gratiæ, & beneficij collatio: inde in omnibus aliis remanet in excommunicatione, ideo non facit fructus ſuos, & indiget abſolutione vt poſſit aliud beneficium recipere, & à cenſura, & peccato liberari.

DVB. XII.

Vtrùm ad validitatem abſolutionis ab excommunicatione virtute Bullæ data, requiratur neceſſariò, quòd pars ſit realiter ſatisfacta.

1 NOta primò, Excommunicatum aliquando teneri parti ſatisfacere, aliquando verò non. Tunc tenetur parti ſatisfacere, quando ea læſa eſt, eique damnum in fama, honore, vel bonis intulit. Vt

Vt quando quis excommunicatus est eo quòd clericum percusserit, vel bona iniustè ablata restituere noluerit, vel litis expensas soluere recusat. Tunc verò satisfacere parti non tenetur, quando illi nullum damnum intulit. Vt si excommunicatur quis ob perseuerantiam in concubinatu, vel adulterio: quo in casu cùm nulla sit pars læsa, nulla requiritur satisfactio, sed sufficit pœnitentia, & rem executioni mandari: v.g. concubinam eiicere, de quo vide Suarez *tom.5. sect.5. disp.7. n.46.* quæstio ergo procedit quando pars est læsa. Nomine autem personæ, seu partis, cui satisfaciendum est, intelligitur non iudex, sed ipsa persona, & pars læsa, cui damnum illatum est, vt bene Sotus *in 4. d.22. q.2. art.3. vers. de excommunicatione.* Henriquez *lib.7. cap.13. num.2.* vide Sayrum *lib.3. cap.18. num.8. & 9. de censuris.* & Diana *tract.11. resol.22.* Vnde illa satisfactio in proposito idem est, quòd restitutio, siue honoris, siue famæ, siue aliorum bonorum, vt bene Suarez *supra num.47.*

2 Nota secundò, vt ad præsens attinet satisfactionem aliam esse actualem, & realem, & omni cum effectu: vt cùm scilicet iniuria, seu damnum reuera resarcitur, & reparatur. Aliam verò virtualem, & à iure introductam, quæ appellatur satisfactio, seu cautio iuris, quando scilicet is qui restituere tenetur, impotens est ad realem satisfactionem faciendam; promittit tamen se satisfacturum cùm commodè poterit, & ad maiorem securitatem dat pignora, vel fideiussorem, vel præstat iuramentum. Vnde secundùm communem Doctorum, satisfactio, vel cautio iuris triplex est: alia pigneratitia, alia fideiussoria, alia verò iuratoria. *Prima* est, quando non potens realiter satisfacere, dat pignus. *Secunda*, quando non habens pignus dat fideiussorem. *Tertia* est, quando ob defectum pignoris, & fideiussoris, iurat se satisfacturum. Inter has autem cautiones nullus ordo necessariò seruandus reperitur, intelligendæ enim sunt disiunctiuè: vnde potest absoluendus eligere quam voluerit cautionem, & per consequens sufficere videtur iuratoria, quare præstare poterit fideiussoriam, quamuis possit dare pigneratitiam, vt contra Caiet. *excomm. cap.77.* tenet Auila *de cens. p.2. cap.7. disp.3. dub.5. concl.1.* Henriquez *lib.13. c.28. n.1.* & Diana *tract.51. resol.24.* Ita etiam tenet Ludouic. à Cruce *in exposit. Bullæ disput.1. cap.4. dub.2. n.15.* addens tamen etsi valida sit absolutio cum cautione iuratoria si potest aliam dare, non tamen satisfacere in conscientia, quia potest hoc vrgere in detrimentum partis læsæ. Nihilominus tamen, quia hæ cautiones ad maiorem debiti securitatem adhibentur, magisque parti consulitur, & debitum assecuratur, haud improbabile esse dicere seruandum esse, saltem in foro exteriori, ordinem prædictum, ob idque fortasse communiter, eo ordine proponuntur in iure, & à Doctoribus. Quare fideiussio ob defectum pignoris, & iuramentum ob fideiussionis, & pignoris tantùm adhibenda sunt: quod ipsa ratio, & æquitas postulare videtur. Relinquendum tamen existimo arbitrio prudentis, & docti Confessarij, vt ipse eligat id quod vtilius, & securius pro loci, temporis, & personæ commoditate expedire iudicauerit.

3 Nota tertiò, eum dici non posse satisfacere, qui non potest commodè, etiam si absolutè, & simpliciter posset, vt bene Nauar. *cap.26. n.7. & cap.27. n.48.* Vt si non possit satisfacere nisi notabiliter vilius vendendo bona sua, vel sine notabili damno sui honoris, vel scandalo notabili, dummodo aliàs satisfactio differri possit sine æquali detrimento creditoris, secundùm regulas restitutionis.

4 Nota quartò, absolutionem posse dari aut ab ipso excommunicante, seu habente potestatem ordinariam absoluendi, aut ab aliquo delegato ab Ordinario cui ex commissione, & delegatione, seu priuilegio, tantùm potestas absoluendi ab excommunicatione competit: quo in casu potest in duplici sensu quæstio hæc tractari. *Primus* est, an validè possit absolui sine partis satisfactione; an verò validè & licitè.

5 Dico primò. Excommunicans, seu habens potestatem ordinariam ad absoluendum excommunicatum, vt eum licitè absoluere possit in foro exteriori, tenetur excommunicatus parti læsæ satisfacere realiter, si id commodè præstare possit: sin minus, cautionem iuris saltem iuratoriam præstare. Ita ex *c. ex parte 1. de verborum significatione, c. solet, de sentent. excomm. lib.6.* glossa *in Clement.7. & c.27. n.48.* & communiter Doctores. Quod procedit etiam si offensa, vel excommunicatio sit dubia, & petat quis absolutionem ad cautelam: nam etiam in hoc casu non debet concedi nisi priùs præstita cautione competenti de parendo iuri, vt habetur *in d. c. solet.* Ratio horum est, quia cùm monitus obedire recuset, vt pareat cogendus est, & proinde vt satisfaciat prius quàm beneficium absolutionis consequatur. Sayrus *in Thesauro, c.18. n.6. & 7. lib.2.* Quòd si iudex absoluat excommunicatum parte non satisfacta realiter, vel nulla iuris cautione adhibita, peccabit quidem; absolutio tamen valida erit. Quòd peccet, patet, quia non seruat iuris ordinem cum damno partis læsæ, quæ ob illicitam absolutionem difficilius debitum recuperabit. Quòd autem teneat, & valida sit absolutio, tenent Syluest. *absolutio.3. n.3.* Caiet. *eod. verb. c.4.* Couarr. *cap. Alma mater, part.1. §.11. n.7.* Nauarr. *cap.27. n.37.* & alij, quos refert & sequitur Henriq. *de excomm. c.28. n.3.* quia satisfactio partis non est de essentia absolutionis in excommunicatione, sicut nec est præstatio iuramenti ab ipso excommunicato: solùm enim est admonitio ex præcepto, & non forma necessaria, nisi aliàs facultas absoluendi cum hac conditione concedatur, vt infrà *dicto vltimo*; ius enim non limitat illius iudicis ordinarij iurisdictionem ad hunc casum: vnde etsi illicitè faciat factum tamen tenebit: vt constat etiam ex *cap. venerabilibus, §. sanè, de sententia excommunicat. in 6.*

6 Dico secundò. In foro pœnitentiali, etiam seruandus est ordo supradictus, de iure communi, vt licitè, & sine peccato excommunicato absolutio concedi possit, siue absolutio petatur ab ipso excommunicatore, siue à confessario, siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine; siue absoluatur in articulo mortis, seu extra illum: quod procedit etiam si Papa, vel alius delegans concedat facultatem absoluendi ab excommunicatione, nulla facta mentione satisfactionis, tunc enim non nisi præmissa satisfactione saltem cum iuris cautione absolui debet, quia in hoc casu Papa ad solam iuris formam facultatem absoluendi concedere censetur. Ita cum multis Sayrus *in Thesauro, lib.2. cap.18. num.10.* Idem dic, quamuis priuilegium, vel Iubilæum non faciat mentionem de satisfactione partis, nam semper est intelligendum, & reducendum ad ius commune. Quare qui absolueret ab excommunicatione sine reali satisfactione, quando fieri potest & quando non, sine cautione iuris, peccaret mortaliter contra iustitiam, teneretur que restituere parti damna inde sequuta, quia ex iustitia, & officio tenebatur consulere bono partis, & ideo censetur causa damni. Quòd si satisfactio realis non est possibilis, sufficit iuris cautio: nam vt bene docet

Nauarrus

Nauarrus *cap.17.num.*47. omnia iura, quæ facultatem tribuunt cuilibet Sacerdoti in articulo mortis absoluendi ab excommunicatione, priùs satisfacta parte, debent intelligi dum excommunicatus satisfacere potest, si tamen non potest, sufficit quòd præbeat cautionem sufficientem, scilicet pigneratitiam, vel fideiussoriam; & si nullam istarum præstare possit, absolui potest, modò cautionem iuratoriam præbeat, proponat, atque promittat se satisfacturum. In articulo mortis, si nulla est possibilis, sine vlla absolui potest. Ita communiter Doctores, quos Sayrus *in Thesauro, lib.1.cap.18. num.*12. quia nemo obligatur ad id quod non potest. vide Nauarrum *cap.27.num.*178.& Henriquez *lib.7. de indulgentiis, cap.13. num.2. littera I, & cap.28. num.3. litt. A.* An autem istius absolutio valida sit non satisfacta parte, casu quo possibilis sit, realis satisfactio, infrà constabit. Aduerte tamen Dianam *part.1.tract.2.miscell.resol.*44. non improbabiliter tenere cum Ioanne Valero *verb. Absolutio, differem.5.n.3. & different.11.in fine*.& Henriq. *lib.7. c.13. litt. I, & cap.28. num.3. litt. A,* quando excommunicatus non potest restituere, posse absolui cum solo proposito restituendi absque cautione iuratoria, nam, inquit, processus ille cautionis pigneratitiæ, & iuratoriæ videtur intelligendus pro foro exteriori.

7 Dico tertiò. Quando alicui delegatur iurisdictio ad absoluendum ab excommunicatione absolutè, & simpliciter, non apposita hac clausula, *satisfacta parte*, valet absolutio parte non satisfacta, quamuis realiter possit satisfacere; peccabit tamen sic soluens, vt de se patet, & dictum est *suprà*, quod procedit, etiam si Ordinarius delegans dicat delegato, vt in absoluendo seruet iura. Ita Suarez *tom.5. disp.7.sect.5.num.*43. & Henriq. cum aliis, *de excommunicatione, cap.28. num.2.* & Ludouicus à Cruce *in exposit. Bull.disput.1.cap.4 dub.2 num.*12. *& dub.9. num.*4. quia quando concessio est absoluta, & peculiarem non habet limitationem, interpretanda est secundùm commune ius; sed communi iure qui simpliciter habet hanc potestatem, facit actum validum, etiam si iniustè illa vtatur, vt dictum est *supra*; ergo, &c. Idem sentit Nauarrus *in Manuali, cap.27. num.*37. vbi ait, quòd licèt in mandato, vel rescripto Papæ, quo hæc facultas absoluendi conceditur, exprimatur, vt secundùm iuris formam detur, quamuis postea detur absolutio, non seruata debita iuris forma, nihilominus absolutio tenet; quia intentio Pontificis non est inducere nouam formam, sed solùm admonere Commissarium id quod secundùm ius facere debet; ergo absolutio valida erit, etiam si malè concedatur.

8 Dico quartò. Quando facultas hæc conceditur adiecta clausula, *parte satisfacta*, vt fit in nostra Bulla, si absoluendus non potest realiter satisfacere, poterit validè, & licitè absolui si iuris cautionem pigneratitiam vel fideiussoriam, aut saltem iuratoriam præstiterit. Ita Medina *in summa lib.2. cap.12.fol.236. pag.2. & fol 237 pag.1.* Nauarrus *cap.27. num.*47. Henriquez *lib.7. de indulgentiis, cap.13. num.2. littera H, & cap 28. de excommunicatione, num 1. littera K,* Suarez *infra sect.5. num.*41. Couarruuias *cap. Alma mater, 1.parte, §.* 5a. *num.*11. & alij, quos Henriquez *locis citatis*, & tenet Ioannes Valero *verb. Absolutio, differentia* 15. *num* 6. *§. sed certè* Lopez *cap.8. de Bulla, pag.* 828. Villalobos *tract 27. clausula.9 §.2.num.*22. & se refert ad *tract.16. different.*20 *num* 8. & nouissimè Ludouicus à Cruce cum multis aliis *in expos. Bull. disput.1. cap.4. dub.2. num.*7. Quod procedit etiam si quis esset excommunicatus propter offensam publicam: quo in casu posset absolui in foro interiori cum solo proposito satisfaciendi cum iuris cautione, vt cum Nauarr. *cap.16. num.*7. docet Ioan. Valero *supra num.*3. Quod procedit, etiam si delegato dicatur, quòd non absoluat nisi secuta reali & integra satisfactione, vel aliter non possit absolui, vel absoluere: vel aliter absolutio non valeat: vel absoluas eum si satisfecerit, vel satisfacta parte absoluatur, vt cum Caiet. tenet Suarez *disputat.7. de censuris, sect.5. num.*44. quæ conclusio supposito tenore Bullæ Latinæ, & Hispanæ, quam nunc habemus nullam videtur habere difficultatem: nam in Latina sic dicitur; *Modo in casibus in quibus necessaria erit per seipsos, vel dato impedimento, per heredes aut alios satisfactio fiat.* Hispana verò ita habet: *Y en caso que sea necessaria satisfacion para conseguir la dicha absolucion, la hagan por sus personas, y auiendo impedimento, la puedan hazer por sus herederos, o otros por ellos.* Iuxta quæ verba certissimum est sufficere iuris cautionem quando non potest realiter satisfacere: atque adeò talia absolutio erit non solùm valida, sed etiam licita.

9 Difficultas ergo (si aliqua est) poterat esse, quando in Bulla non esset posita talis limitatio, & declaratio: vel in quacumque alia facultate, & priuilegio, in quo absolutè conceditur facultas absoluendi ab excommunicatione, parte satisfacta, non adhibita illa modificatione, nimirum (vt si non possit fieri per ipsum, fiat per hæredes, aut alios) Sotus *in 4. dist.22. q.2. artic.*3. post secundam conclusionem existimat non sufficere iuris cautionem, nec posse validè absolui virtute talis priuilegij, nisi realiter satisfaciat, si soluendo non sit. Nihilominus tamen Auila 1. *part.cap.7. dist.3. dub.*8. Medina, Diana, *tract.11. resolut.*24. & alij citati, in hac conclusione probabilius, & fortè verius, existimant sufficere iuris cautionem in eo qui realiter satisfacere non potest. Probatur, quia cùm Pontifex ait, *satisfacta parte*, intelligendus est, quantum pœnitens satisfacere potest; quia non est verisimile Pontificem postulare conditionem impossibilem. Nec credibile est per illam clausulam, *satisfacta parte*, voluisse excludere à beneficio absolutionis eos, qui non possunt realiter satisfacere. *Secundò* probatur, quia cùm Papa dicit in Bulla, vel alio indulto, vt absolutio detur satisfacta parte, nihil aliud vult quàm iniungere, vt absoluatur, seruata forma iuris; at in iure satisfactio non semper intelligitur facienda re ipsa, si fieri non potest; vt colligitur ex Clementina, *Multorum*, & Clementina, *Nolentes, de hæreticis*, vt notat Nauarrus *in Summa, c.27.n.47. & 48.* ergo sufficit iuris cautio, si realis satisfactio non est possibilis, moraliter loquendo. Et confirmatur, nam Trid. *sess. 24 de confirmat. c.12.* sic statuit; *Qui decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine nisi plena satisfactione sequuta, absoluantur.* quod decretum, secundum Nauar. *c.17.n.* 59.§.4. *in fine, & c 21.n.*32. & Henriq. *de excommunicatione, cap.28. num.1. litt.K,* optimè sic intelligitur, nimirum, vt si ij iam sint excommunicati, debeant re ipsa restituere, si possint; sin minus, sufficit illis præstare sufficientem cautionem, vt ab excommunicatione hac absoluantur. Et antequam excommunicentur, etiam debet intelligi, si satisfacere queant, & noluerint, excommunicentur; ergo idem dicendum est in nostro casu Bullæ, etiam si apponatur clausula illa, *satisfacta parte*, & non adderetur

supradicta

sopradicta modificatio. Vide Sayrum *in Thesauro, lib.* x.*cap.*18. *num.*11. cum Nauarr. *cap.*27.*num.*48. Caiet.*verb. Absolutio, cap.*4. Henriquez *lib.*13.*de excommunicatione, cap.*58.*num.*1. cum aliis docet, nostram conclusionem procedere etiam si præsentes essent pars, & iudex; si tamen excommunicatus moraliter impotens sit dare realem satisfactionem, (aut non nisi notabiliter viliùs vendendo bona sua, satisfaceret) quo in casu, ait, satis est in vtroque foro dare satisfactionem iuris sibi possibilem, & compellitur iudex (inuito etiam creditore) reum absoluere, quia ad impossibile nemo tenetur, *l. impossibilem, ff. de regulis iuris*, & facit *cap. Odoardus, de solution.* facienti enim quod in se est, Ecclesia mater pia beneficium absolutionis negare non intendit. Casus autem in quibus cum iuris cautione absolui possit ab excommunicatione, vide apud Sayrum citat. *n.* 12. *&* 13. Quare cùm in aliquo indulto conceditur facultas absoluendi ab excommunicatione, com hac clausula, seu conditione, *parte satisfacta*, quamuis addatur, non possit absolui, vel nullatenus absoluatur, nisi realiter satisfacta, intelligitur quando satisfactio realis est possibilis, aliter enim sufficit iuris cautio, vt cum multis docet Henriquez *de excommunicatione, c.*28.*n.*1.*litt.B, & C, & n.*4.*eodem cap. littera D, & lib.*7.*de indulgentiis, c.*13. *n.*5. & alij, quos ipse.

10 Nihilominus tamen etiam si supradicta vera sint, si reus habet debitum parti, aut offensam notoriam iudici, putà si pro notorio debito, aut pro notoria clerici percussione fuit excommunicatus, confessarius per Iubilæum, aut Bullam Cruciatæ non debet istum, quamuis impotentem, absoluere cum sola iuris cautione, ne perturbetur debitus ordo iuris; sed mittat illum ad partem: aut si pars nolit concedere licentiam absoluendi, si longissimè absit, recurrat ad iudicem qui excommunicauit; & si hic longè distet, vadat reus ad Ordinarium loci in quo habitat, cui coæquali censetur absens tacitè committere suas vices, at si iudex & pars longè absint, posset confessarius per Bullam, & priuilegium ex causa absoluere impotentem cum cautione iuratoria, si meliorem dare non potest: quia rationabiliter præsumere debet intentionem iudicis, aut partis forte, si adesset, aut certè Pontificis esse, ne impotens qui facit totum quod potest, teneatur frustrà ligatus graui, & speciali pœna excommunicationis, quòd si excommunicatio sit occulta, putà, si generaliter pro furto excommunicatus sit, non perturbatus ordo iuris, si per Bullam pro foro conscientiæ absoluatur, cum cautione saltem iuratoria. Ita Henriquez *c.*28 *de excommunicatione, num.* 1. *litt. I, & n.*5. *litt. O, & lib.*7 *de indulgentiis, cap.*13.*num.*5. & alij, quos ipse. Obiter nota quòd vt absoluatur clerici, aut Monachi percussor, teneri satisfacere non solùm percusso, sed etiam Abbati, & monasterio, cui etiam fuit facta iniuria, vt tenet Bonac. *de cens. d.*5.*quæst* 4.*punct.*5.*num.* 5. & alij. Probabile tamen est sufficere vt satisfaciat solùm clerico, aut Monacho, vt tenet Auila *de cens. p.* 2 *cap.*7.*d.*5. *dub.*11.*conclus.*2. & Diana *tract.*11.*resolut.*23. quia quando damnum infamiæ tangit principaliter infamatum, & minus principaliter bonum publicum, sufficit condonatio eius ad quem principaliter pertinet, ex *c. quamuis pactum*, iuxta gloss. *de pact. in* 6. vide Nauarr. *c.*18.*num.*46.*& in cap. inter verba, coroll. vlt. n.*376.

11 Dico quintò. Si pœnitens potest commodè parti læsæ satisfacere, nihilominus tamen Sacerdos delegatus absoluat eum virtute Bullæ, aut alterius indulti, continentis illa clausulam, *satisfacta parte*, aut aliam limitationem, vt in quarto dicto, contentus sola iuris cautione, non solùm illicita, sed etiam omnino irrita, & inualida erit absolutio censuræ. Ita Suarez citat. *num.* 42. *&* 44. Henriquez, Sayrus, *suprà* citati, & communiter Doctores. Ratio fundamentalis est quia constitutio ipsa, seu Bulla, aut alia similis concessio, limitat potestatem, & noluit illam dare nisi tali conditione; ergo ea non existente factum non tenebit: non enim credibile est Pontificem delegare suam iurisdictionem in præiudicium partis, maximè cùm apponat illam limitationem, & conditionem, *satisfacta parte*. Vnde, vt benè aduertit Caietanus *verb. Absolutio, cap.*4. attentè consideranda sunt verba Canonis, vel Bullæ, quibus satisfactio hæc postulatur, an talia sint, vt illam exigant tanquam necessariam conditionem, & limitent potestatem ad talem modum: nam quando sunt huiusmodi, irritant absolutionem aliter factam. Sunt autem huiusmodi quando expresè negant potestatem siue actiuè siue passiuè proferantur: vt cùm dicitur, aliter non possit absolui, vel aliter non possit absoluere, vel aliter absolutio non valeat; & quamuis non ita expresè dicatur, si concessio sit conditionata formaliter, vel æquipollenter, vt absoluas eum si satisfecerit vel satisfacta parte, atque ita in iis, & similibus casibus absolutio est irrita, parte non realiter satisfacta, quando commodè fieri potest, nam ille ablatiuus absolutus, *satisfacta parte*, habet vim conditionis, vt docent Henriquez *de excommunicatione, cap.*28.*num.*2. *& lib.*7.*de indulgentiis, cap.*13. *num* 2. Suarez *num.*44. *cit.* Nauarr. *cap.*27 *num.*37. *& consil.*49. *de sententia excommunicationis, num.*3. Medina *lib.*2. *cap.*12. *fol.* 236. *&* 237. Sotus *in* 4.*distinct.*26.*q.*2.*art.*3.*conclus.* 2. Caiet. *absolutio cap.*4. & alij, quos Ioann. Valero *verb. absolutio differ.*5 *num.*4. Vide Suarez *supra disput.*7.*sect.*8.*num* 24. Vide Nauarrum *lib.*5.*consil.*47. *&* 48. *de sententia excommunicationis* & Sanchez *lib.*8.*de matrim. disp.*16.*num.*11. qui nobiscum sentit, ex *l. si à testatore, ff. de conditione & demonstrat.* Dixi *si commodè potest*, nam si non, iam dictum est *dicto* 3. sufficere iuris cautionem. Vnde conditio hæc, *satisfacta parte*, intelligenda est realiter, si fieri potest, sin minus, cum iuris cautione.

12 Contrarium tamen tenet Auila citat. *disputat.*5. *dub.*9. asserit enim talem absolutionem etsi illicitam, esse tamen validam. Existimat enim illa verba, *satisfacta parte*, aut similia, non inducere nouam formam, nec limitare potestatem, sed tantùm esse iuris admonitionem, qua admonetur confessarius vt seruet iura. Quam sententiam iudicat probabilissimam Sanchez *lib.*3.*de matrimonio, disp.*33 *num.*1.3. *&* 6. & hæc magis arridet Dian. *tract.*11.*resolut.*22. & non esse improbabilem tenet Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disput.*1.*cap* 4. *dub.*9. *num.*9. Nihilominus tamen tenenda est nostra sententia; quia illa verba sic limitata, plus significant, quam iuris admonitionem, nimirum talem concessionem esse conditionalem, ac proinde, vt vera sint, & aliquid operentur, debet verificari conditio, ita vt satisfactio realiter fiat, si commodè fieri potest, sin minùs, cum aliqua iuris cautione, quæ omnino est necessaria, etiam in foro interiori; quare illa verba, *satisfacta parte*, non admonitio sed conditio necessaria dicenda sunt modo explicato. Vide Ioan. Valero *verb. Absolutio, differ.*5.*n* 6 §.*sed certè per toe.*

13 Nota, quod hactenus dictum est de excommunicato ob offensam manifestam, pari modo dicendum est de eo qui ob contumaciam manifestam est excommunicatus, putà, quia renuit vocatus ad iudicium, vel Synodum venire; vel quia excommunicatus

nicatus eſt eo quòd expenſas ad quas ſoluendas condemnatus eſt, & ſoluere recuſat: is enim abſolui non poteſt, niſi priùs aduerſario realiter ſatisfaciat, ſi id commodè poſſit, ſin minus cum iuris cautione, modo ſuprà latè explicato; vel niſi ſufficientem cautionem de ſtando iudicio præſtiterit. Ita colligitur ex *c. venerabilibus*, *§ porrò, verſ. Secùs*, *de ſent. excomm. in 6.* Gloſſ. *in c. quoniam*, *in verb. Satisfactum de immunit. Eccleſ. in 6.* habet Oſtienſis *in Summa lib. 5. tit. de ſentent. excommunic. num. 14. §. & qualiter verſ. Secundum.* Aſtenſis *part. 2. lib. 7. tit. 15. art. 2. in princip.* Couarruuias *cap. Alma mater, par. 1. §. 11. n. 11. verſ. Verum ad*, & alij, quos ſequitur Saytus *in Theſaur. lib. 2. c. 18. n. 14.*

D v b. XIII.

Vtrùm per Bullam poſſit quis abſolui ab excommunicatione extra confeſſionem ſacramentalem.

1 SVppono primò, antea in Bullis poſitam fuiſſe in hac facultate abſoluendi à reſeruatis, hanc clauſulam, *Vt auditis eorum confeſſionibus, poſſint*, &c. Nunc verò in Bullis à Gregorio XIII. vſque adhuc conceſſis, talis clauſula non reperitur, ſed abſolutè dicitur, vt poſſint eligere Confeſſarium, qui eos poſſit abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris.

2 Suppono ſecundò, Parochum, & quemlibet alium approbatum ab Ordinario, poſſe abſoluere in foro interiori tantùm ſine Bulla, ab omni excommunicatione, ſiue à iure communi, ſiue ſynodali, ſiue etiam ab homine, dummodo in communi, & non in particulari ſit lata, ſi non ſit Papæ, vel Ordinario reſeruata, vt colligunt Doctores ex *cap. nuper, de ſententia excommunicationis*, quod cap. non eſt conſuetudine abrogatum, vt latè probat Suarez *tomo 5. diſp. 7. ſect. 3. num. 31. & ſect. 4. num. 20.* & Henriquez *cap. 28. de excommunicatione, num. 5.* contra Saytum, & alios, quos ipſe *in Theſauro, lib. 2. c. 19. num. vlt.* Dixi, *ab excommunicatione ab homine ſententia generali lata*; nam ſi nominatim feratur contra certam perſonam, conueniunt omnes Doctores eſſe ipſo facto iudici reſeruatam, quamuis expreſsè eam ſibi non reſeruet, neminémque præter ipſum, aut de eius licentia, aut ſine aliquo priuilegio, poſſe ab ea abſoluere. Dixi etiam, *in foro interiori tantum*; quia Parochi iuriſdictio non ſe extendit ad forum externum. At Suar. *tom. 5. diſp. 7. ſect. 4. num. 19.* non improbabiliter exiſtimat, Parochum à non reſeruata abſoluere poſſe, etiam pro foro exteriori, quia ius abſolutè loquitur, & fauores ſunt ampliandi: Recedendum tamen non eſt à communi ſententia:

3 Suppono tertiò vt certum, Confeſſarium abſoluentem à cenſura facultate ſibi conceſſa ab eo qui habet poteſtatem ordinariam excommunicandi, & abſoluendi, poſſe abſoluere extra ſacramentum Pœnitentiæ, non ſecus ac poteſt talis iudex ordinarius, vt latiùs Syluest. *abſolutio 3.* quem ſequitur Suarez *tom. 5. diſp. 7. ſect. 5. num. 36.* qui addit, & benè, idem poſſe delegatum, ſi à delegante non limitetur. Ratio eſt, quia abſolutio à cenſura non pendet ab abſolutione à peccatis, ob idque ab iis qui habent poteſtatem ordinariam ſine ſacramento concedi ſolet eius abſolutio. Hinc fit poſſe Parochum, & quemlibet alium approbatum, abſoluere extra ſacramentum ab excommunicatione non reſeruata Papæ, vel Epiſcopo, vt habet Henriq. *c. 13. de indulgentiis, n. 2. lit. O*, quia eius iuriſdictio (intellige in foro interiori) eſt ordinaria, & à iure, nimirum ex dicto *c. nuper*. Et quamuis concedamus eſſe ipſis delegatam non eis delegatur cum limitatione ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſed abſolutè & ſimpliciter, quamuis in ordine ad ſacramentum Pœnitentiæ, id eſt, vt poſſint poſtea abſolutionem ſacramentalem peccatorum accipere. A fortiori certum exiſtimo, ab excommunicatione minori poſſe quemlibet approbatum abſoluere extra ſacramentum Pœnitentiæ, quia ſic habet communis vſus, eo quod talis excommunicatio frequenter incurratur: vide Auilam 2 *part diſp. 3 cap. 7. dub. 13.* Controuerſia ergo eſt de abſolutione ab excommunicatione maiori reſeruata, facta per Bullam, aut ſimile priuilegium. Et quæ dicemus de excommunicationis abſolutione, intelligenda etiam ſunt de abſolutione ſuſpenſionis, & interdicti data virtute Bullæ extra ſacramentum: nam de omnibus eadem eſt ratio; quia Pontifex indifferenter concedit Confeſſario per Bullam electo, abſolutionem ab omni peccato, & cenſura Papæ reſeruatis.

4 His ſuppoſitis, Nauarrus *cap. 26. num. 31.* & hoc iudicat tutius Lopez *c. 8. de Bulla, pag. 835.* Rodrig. *in Bulla, §. 9. num. 54. dicto 5.* ſequuntur partem negantem. Idem ſentit Suarez *tom. 5 diſp. 7. ſect. 5. n. 38.* Quorum argumenta, & rationes infrà proponemus, & ſoluemus. Partem autem affirmantem iudico probabiliorem, & fortè veriorem, quæ quibuſdam concluſionibus propoſitis explicabitur.

5 Dico primò. Modò cùm conſtet in noſtra Bulla non eſſe clauſulam illam, *qui audita confeſſione, poſſit abſoluere à peccatis, & cenſuris*, exiſtimo poſſe virtute illius concedi abſolutionem, excommunicationis, ſeu alterius cenſuræ, extra ſacramentum Pœnitentiæ. Ita Rodriguez *in addit. ad §. 9. num. 47.* qui mutauit ſententiam quam habuit *in Bulla, §. 9. n. 54. dict. 5.* Idem docet Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, cap. 13. num. 2. litt. O*, & Ludouic. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp. 1. cap. 4. dub. 5. num. 2. verſ. verum his.* qui pro hac ſententia refert multos Doctores Salmanticenſes de hac re conſultos, teſtatúrque ita declaraſſe Commiſſarium Cruciatæ. Et probatur, quia in primis conſtat nullam eſſe ex natura rei neceſſariam connexionem inter abſolutionem à cenſuris, & abſolutionem à peccatis. Imò non rarò occurrit caſus, in quo expedit ſtatim abſoluere ab excommunicatione: quia eſt dies feſtus ſolennis, & reus non eſt paratus vt confiteatur, præcipuè ſi eſt longa confeſſio. Ex alia verò parte Bulla indulgens id priuilegium, non dicit, *Auditis confeſſionibus*; at quando priuilegium non reſtringit expreſsè vt abſolutio excommunicationis in confeſſione exerceatur, aut in foro pœnitentiæ non eſt opus confeſſione, licèt petat vt abſoluens ſit confeſſor approbatus; quia nomen *confeſſoris* magis eſt muneris, & officij, quàm actualis exercitij. Et poteſt confirmari, quia, vt dicemus *cap. ſequenti dub. 10.* virtute Bullæ poſſunt vota commutari extra ſacramentum Pœnitentiæ: ergo & abſolui à cenſuris. Vltimò probari poteſt à ſimili, quia in Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 6.* conceditur Epiſcopis facultas abſoluendi à cenſuris in foro conſcientiæ, impoſita ſalutari pœnitentia: quo non obſtante ipſi abſoluere ab iis cenſuris Papæ reſeruatis extra ſacramentum poſſunt vt tenent Auila *2. part cap. 7. dub. 13.* & Henriq. cit. & alij; ergo ſimiliter in propoſito. Aduertit tamen Henriquez, & benè, expedire vt abſolutio cenſuræ virtute Bullæ conceſſa fiat ſi commodè poſſit in confeſſione.

6 Dico

6 Dico secundò. Etiam si in Bulla apponeretur illa clausula, *Auditis confessionibus*, posset dari absolutio excommunicationis virtute illius extra Sacramentum Pœnitentiæ: Ita Auila *de censur. 2. part. cap. 7. disp. 3. dub. 13.* Idem colligitur ex doctrina Sanchez *lib.8. de matrim. disp.16. num.11. & disp 15. num.25.* vbi asserit, posse per priuilegium commutari vota extra confessionem, etiam si in priuilegio expressè habeatur, *Confessionibus diligenter auditis.* Hanc etiam sententiam iudicat probabiliorem Villalobos *tract.27 clausf.9. num.23.* vbi se refert ad *tract.16. differ.20. vers. Lo sexto, num.15.* & Diana *tractat.11. resolut.25.* idem sentit Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disp.1. cap.4 dub.5. num.6.* Et ratio est, quia cùm adeò distent inter se absoluere à peccatis, & absoluere ab excommunicatione, neque hoc vltimum indigeat confessione Sacramentali, non est credendum Pontificem velle totum priuilegium limitatè intelligi per illum ablatiuum absolutum, *auditis confessionibus*, sed singula singulis referenda esse. Et ita illam clausulam, *auditis confessionibus*, referendam esse ad absolutionem à peccatis, non verò ad absolutionem ab excommunicatione: nam ea est regula iuris, vt clausula posita in vna parte dispositionis, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, censeatur referri ad omnia in ea clausula contenta, iuxta *cap. secundò requiris, de appellatio.* quando videlicet omnium est eadem ratio, vt latè cum multis Doctoribus tradit Menoc. *de præsumpt. lib.4. præsumpt.181. num.2.* teste Sanchez *num.11. cit.* quod in præsenti casu non contingit: nam absolutio à peccatis petit necessariò confessionem sacramentalem; secus verò absolutio excommunicationis: atque ita clausula illa, *auditis confessionibus*, refertur ad absolutionem peccatorum, non verò censurarum.

7 Sed dices primò, pro prima sententia. Quamuis modò in Bulla non apponatur illa clausula, *auditis*, &c. habetur tamen alia æquiualens, nempe, *Vt possit eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui eos absoluat semel in vita, & semel in mortis articulo ab omnibus peccatis, & censuris quouis modo reseruatis*; at si extra confessionem posset ratione Bullæ ab excommunicatione absolui, sanè non committeretur illa facultas soli approbato confessario; sed cuicumque clerico primæ tonsuræ. Et confirmatur, quia in eadem Bulla postea additur, vt à reliquis censuris, & peccatis non reseruatis Sedi Apostolicæ, possint absolui, *Tantas quantas vezes los confessaren, con penitencia saludable conforme a las culpas.* Ex quibus manifestè constat concedi facultatem absoluendi à censuris ad effectum absolutionis sacramentalis, cùm ibi præscribatur, vt confessio peccatorum præmittatur. Respondeo cum Auila *supra*, ex præmissis rectè quidem inferri solum Sacerdotem approbatum ab Ordinario posse absoluere ab excommunicatione virtute Bullæ: quod meritò decreuit Pontifex, ne eligeretur aliquis ignarus ad absoluendum ab excommunicatione, qui nesciret vtrùm excommunicatus teneretur satisfacere, nec vtrùm petendum esset iuramentum, & alia requisita à iure ad absoluendum ab excommunicatione; non tamen inde sequi, quòd approbatus teneatur hanc absolutionem intra confessionem conferre, vt dictum est *sup.* Nec obstat confirmatio: nam dicendum est singulia singula esse referenda: vt nimirum absolutio à peccatis petat necessariò eorum confessionem, non verò absolutio a censuris.

8 Dices secundò. Hæc facultas conceditur in ordine ad integram, & bonam animi dispositionem; ergo solùm potest conferri virtute illius absolutio intra Sacramentum Pœnitentiæ. Respondeo, ex hoc solùm sequi non concedi pro foro externo, sed interno.

9 Dices vltimò, Per Bullæ priuilegium tantùm absoluitur in foro conscientiæ: ergo & in foro tantùm pœnitentiæ, quod idem est. Respondeo, antecedens, regulariter, & communiter loquendo, verum esse, vt explicatum hoc cap. *dub 9.* negandum tamen est idem esse forum conscientiæ, & forum pœnitentiæ: nam pœnitentiæ forum est solum forum sacramentale; conscientiæ verò est quoduis forum, vt distinguitur contra forum externum. Ad cuius maiorem explicationem nota cum Rodriguez *quæst.61 art.10. tom.1.* vbi citat Præpositum *in cap. præterea, 2. de sponsalibus*, & D. Anton. *lib.3. tit.24. cap.77. in fine*, & tenet etiam Sanchez *lib.8. de matrimon. disput.34. num 29.* & cum iis Castro Palao *de leg. tract.3. disp.4. p 2. §.5. num.5.* forum esse triplex, nimirum contentiosum, seu externum, pœnitentiale, seu sacramentale, & medium, scilicet conscientiæ: vbi bene, & consequenter docet facultatem absoluendi in foro pœnitentiæ intelligi intra confessionem; secus verò de facultate absoluendi in foro conscientiæ: nam hæc potest fieri extra confessionem. Et probatur, quia stylus Curiæ Romanæ, habet vt aliqui pœnitentiarij absoluant sine litteris à censuris extra confessionem, per facultatem sibi factam à summo Pœnitentiario ad absoluendum in foro conscientiæ, ergo absolutio in foro pœnitentiæ distinguitur ab ea, quæ datur in foro conscientiæ, forus enim interior diuiditur in forum pœnitentiæ, & in forum conscientiæ. Sic intelligitur facultas per Trid. *sess.24. cap.6.* concessa dispensandi, & absoluendi in quibusdam in foro conscientiæ, vbi forus conscientiæ non solùm comprehendit forum Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam extra Sacramentum, forum scilicet conscientiæ prout distinguitur à foro contentioso, ita etiam Ioan. Valero *in præludio, n.2.* citans Henriquez *lib.13. num.2. litt.O.* Couarruuias *cap. Alma mater, 1. part. §.11. num.16.* & Rodriguez *sup.* vide Auilam *sup. dub.13 cit.* & Castro Palao *sup. num.6.* vbi addit cum Suar. *lib.8. de legib. cap.6. n.15.* priuilegium concessum in foro pœnitentiali, seu pœnitentiæ, non importare necessariò confessionem sacramentalem, nisi quando malum non potest auferri nisi per Sacramentum, vt sunt peccata, non verò censura, & pœna, quod nobis placet.

DVB. XIV.

An virtute Bullæ possit quis absolui ad reincidentiam.

1 Absolui ad reincidentiam, est absolui ad certum tempus, vel ad certum actum pro certo tempore, ita vt tempore, vel actu transacto, statim absque noua sententia incidat in priorem excommunicationem: quæ absolutio est vera absolutio, sed cum limitatione dicta ad certum tempus, vel actum, ita vt eo transacto, si absolutus non fecerit quod illi impositum est, reincidat in eandem excommunicationem. Vt si excommunicatus absoluitur cum conditione, quod intra mensem restituat, vel compareat, alias reincidat; si intra terminum præfixum id non fecerit, reincidet, de quo vide inter recentiores Sayr. in Thesauro *lib.2. cap.16.* Henriq. *de excommunicatione, cap.29.* & Suarez *tom.5. disp.7. sect.8. à num.16.* qui *num. 27.* existimat, non esse

neceſſariam nouam culpam ad ſic reincidendum, ſed ſufficere non adimplere conditionem intra certum tempus poſitam: exiſtimat enim hanc non eſſe nouam cenſuram, ſed eandem moraliter, ac proinde ſufficere contumaciam, quæ præceſſit tempore quo excommunicatio fuit impoſita: At Manuel Sà *verb. Excommunicationis abſolutio num.* 11. exiſtimat requiri nouam culpam. Ait enim, abſolutus cum reincidentia, ſi in termino certo non ſoluat, ſi in illo non poteſt ſoluere, non reincidit, ſaltem in foro interiori, vt bene Auila *part.5.cap.7. diſp.3. dub.*14. *verſ petis*; idem tenet Coninch *tom.* 2. *diſput.* 14. *dub.*16.*num.*516. pro certo tamen habeo non requiri ad reincidentiam, nouam ſententiam, aliàs enim abſolutio illa non eſſet limitata ad tempus, vel ad actum. ita Ludouic. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp.*1. *cap.*4.*dub.*8.*num.*10. Sed de hoc vide Doctores *ſuprà* citatos. Conueniunt Doctores, iudicem qui aliàs poteſt excommunicare, & confeſſarium, aut alium de iudicis facultate, poſſe abſoluere ad reincidentiam. Difficultas ergo eſt de eo, qui virtute Bullæ aut ſimilis indulti, ab excommunicatione, aut alia cenſura abſoluit.

2 Dico igitur, qui ſolùm poteſt abſoluere virtute Bullæ, vel ſimilis priuilegij, nequit abſoluere ad reincidentiam, niſi expreſsè in priuilegio talis facultas concedatur quæ non habetur in Bulla. Ita Sotus *diſt.*22.*quæſt* 5 *artic.*3 *col.*4 *poſt.*2.*concl.* Nauarr. c 27. *n.*278. Auila *ſup. concluſio* 2. Rodrig. §.9.*num.*57. Cenedo *quæſt.*13. *num.*4. & alij, quos ipſe Henriquez *de excommunicatione*, *cap.* 58. *num.*1. *lit. L.& M.*& Villalob. *tract.*27.*clauſ.*9.§ 2.25.*& tract.*26.*diff.*20. 23.*num.*5. Quod procedit, ſiue abſoluatur in articulo mortis, vel extra illum. Ratio fundamentalis eſt, quia ad abſoluendum ad reincidentiam requiritur iuriſdictio ſufficiens ad excommunicandum, vt docet Nauarr. c.27.*n.*15. nam elapſo tali termino, vel actu, qui erat abſolutus, reincidit in nouam, aut ſimilem excommunicationem; ſed per priuilegium Bullæ non conceditur iuriſdictio ad excommunicandum; ergo neque ad abſoluendum ad reincidentiam: maius enim eſt abſoluere ad reincidentiam, quàm abſolutè & ſimpliciter abſoluere: nam ad abſoluendum abſolutè & ſimpliciter nulla requiritur iuriſdictio ſufficiens ad excommunicandum, quæ requiritur ad abſoluendum ad reincidentiam: quare Bulla concedens facultatem ad abſoluendum ſimpliciter, non cenſetur eam concedere ad abſoluendum cum reincidentia. Et ita nobiſcum ſentit Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. diſput.*1. *cap.*4 *dub.*8. *num.*1. Ex quo

3 Colligo primò, Quando Petrus ad inſtantiam partis excommunicatus, de conſenſu ipſius partis abſoluitur virtute Bullæ, cum conditione, quòd debitum propter quod fuit excommunicatus, intra certum terminum ſoluat, aliàs, eo elapſo reincidat in eandem excommunicationem, termino elapſo, Petrus etiam, ſi poſſit, & non ſoluat, non reincidet: quia, vt dictum eſt, & docet Syluest. *excommunicatio* 2. *notabili* 1. *caſu* 13.14. *&* 15. *& excommunicatio*.1.*quæſt.*6. Nauarr *in Summ cap.*27. *n.*15. ſuſpendere, & prorogare excommunicationem, eſt actus iuriſdictionis; pars autem læſa, non habet iuriſdictionem ad excommunicandum; ergo nec ad conſentiendum abſolutioni ad reincidentiam, vt benè Rodrig. § 9.*num.*57.*& in addit. ad* § 9.*num.*54. §. *Digo lo tercero.* Quare ſi pars conſentiat vt confeſſarius abſoluat Petrum per Bullam per viginti dies, credens quòd ſi Petrus non ſatisfaciat, vel ſoluat, tranſacto termino verè reincidet; non bene confeſſarium abſoluere Petrum niſi priùs admoneat partem, abſolutum per Bullam poſtea non reincidere, quia aliàs faceret contra intentionem partis, ea enim ignorantia cauſaret inuoluntarium, vt bene Auila *ſuprà verſic. Secundò ſequitur.*

4 Colligo ſecundò, hoc dictum procedere, ſiue abſoluatur excommunicatus virtute Bullæ parte realiter ſatisfacta, vel de eius licentia; ſiue ſine partis conſenſu, & reali ſatisfactione, cum ſola iuris cautione modo latè *ſuprà dub.* 15. explicato: nam in omnibus eadem ratio ſupradicta militat. Nam dato quòd quis poſſit virtute Bullæ abſolui, eius abſolutio ſimpliciter & abſolutè conferri debet, cùm per Bullam poteſtas abſoluendi ad reincidentiam non concedatur. Quare qui impotens ad ſoluendum cum iuris cautione virtute Bullæ abſoluitur, potens factus non reincidet. Vnde non placet quod dicit Rodriguez *Bulla* §. 9. *num.* 55. *& in addit. ad* §. 9. *num.* 55. nimirum, quando nominatim excommunicatus, qui longè diſtat à iudice, & parte, non poteſt realiter ſatisfacere, abſoluitur virtute Bullæ ab excommunicatione cum ſola iuris cautione, tenetur ſe iudici præſentare, vt commodè poterit, aliàs reincidet in eandem excommunicationem. Non enim hoc videtur conſequenter dictum, abſolui virtute Bullæ, & reincidere, præſertim cum ipſe doceat locis in hoc dicto citatis, virtute Bullæ non poſſe abſolui ad reincidentiam. Dicendum ergo eſt in foro interiori eſſe verè abſolutum, in foro tamen exteriori gerendum eſſe tãquam excommunicatum, vt latè *ſup.* dictum eſt, & in hoc ſenſu fortè vult Rodriguez quòd reincidat.

5 Colligo tertiò, qui aliàs poteſt excommunicare, ſi per Bullæ priuilegium abſoluat ab aliqua excommunicatione reſeruata Papæ, non poſſe abſoluere ab illa ad reincidentiam, ita vt reincidat in aliam ſimilem reſeruatam. Verbi gratia, Archiepiſcopus Valentinus ſi per Bullam Cruciatæ abſoluit Petrum ob percuſſionem clerici ad reincidentiam, niſi ſatisfecerit intra certum terminum, non reincidit, quia Archiepiſcopus abſoluens nequit excommunicare excommunicatione reſeruata Papæ. Poſſet tamen abſoluere ad reincidentiam in hoc ſenſu, quòd nimirum Petrus reincidat in excommunicationem impoſitam ab ipſo Archiepiſcopo abſoluente, quam ex nunc pro tunc fert in Petrum, ſi ipſe Petrus non ſatisfecerit intra tale tempus: quo tempore tranſacto incurret Petrus in excommunicationem latam ab Archiepiſcopo abſoluente, non verò in excommunicationem Papæ reſeruatam. Ita Auila *ſuprà verſic. Tertiò ſequitur.*

6 Nota, quando in Iubilæis conceditur facultas, vt abſoluatur pœnitens ab excommunicatione ad reincidentiam, exiſtimat Emmanuel Sà *abſolutio*, *num.*17. non reincidere niſi quoad forum externum: attamen ſi habita poſſibilitate non ſatisfaciat, verius eſt reincidere ſtatim in eandem excommunicationem, etiam quoad Deum, & forum externum, vt bene Ioan. Valero *verb. abſolutio, differentia* 2. *num.*15.*& licet*, qui hoc modo intelligit Suarez *tom.*5.*diſp.*7.*ſect.*8.*num.*54.

Dub. XV.

Vtrùm virtute Bullæ poſſit abſolui ab omni ſuſpenſione.

1 SVppono cum communi Doctorum, ſuſpenſionem eſſe cenſuram Eccleſiaſticam, qua clericus

eus priuatur executione officij, vel beneficij Ecclesiastici, id est, non potest exercere officium Ordinis, & iurisdictionis; nec fructus beneficij percipere, quibus functionibus est priuatus, suspensus ante omnem iudicis sententiam. Deinde suspensionem aliam esse à iure, aliam verò ab homine; aliam esse perpetuam, aliam verò ad tempus: aliam esse in totum, aliam verò in partem; aliam esse ab officio Ordinis, vel iurisdictionibus, aliam verò à beneficio, id est, à receptione fructus beneficij, nam hic suspensus fructibus tantùm, & non titulo beneficij priuatus existit, de quibus vide Henriq. *lib. 3. de suspens. cap. 31.* & Sayr. *in Thesauro lib. 4. cap. 5.*

2 Dico igitur. Potest confessarius virtute Bullæ electus, absoluere ab omni suspensione, siue à iure, siue ab homine, & ab omni alia in supradicta diuisione posita, toties, quoties, si non est reseruata: si autem est reseruata, semel in vita, & iterum in articulo mortis; excepta tamen ea suspensione, quæ incurritur ob receptionem Ordinum ante legitimam ætatem de qua statim. Ratio est, quia, vt manifestè constat, bulla concedit facultatem absoluendi ab omni censura; at suspensiones supradictæ sunt censuræ, vt tenet communis Doctorum; ergo possunt absolui virtute Bullæ: quod procedit etiam si suspensio proueniat ex delicto publico, vt bene Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 13. num. 3.* quia Bulla non limitat ad delictum occultum, in quo Bullæ facultas, tum etiam & Commissarij, excedit eam, quam habet Episcopus per Trid. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* quia ibi limitatur facultas Episcopis ad suspensiones quæ ex delicto occulto proueniunt.

3 Dixi, *excepta suspensione qua incurritur ob receptionem ordinum ante legitimam ætatem*, nam aliqui, vt Rodriguez *in addit. ad §. 9. num. 59. & 2. tomo Summ. cap. 79.* existimat non posse virtute Bullæ absolui à suspensione ob promotionem ante legitimam ætatem; supponendum enim est, illum esse suspensum: de quo Nauar. *cap. 25. num. 70. & cap. 27. n. 155.* Fundamentum est, quia id non potest Commissarius, cuius potestas maior est ea, quam habet confessarius per Bullam. Veriorem tamen existimo partem affirmantem, quam amplecti videtur Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 13. num. 3. lit. T. & litt. C.* & tenet Medina *lib. 1. cap. 11. §. 8. pag. 40.* & multi alij, quos refert Henriquez, Rodrig. *in Bulla, §. 9. n. 62.* etsi in addit. mutauerit sententiam, & Auila *p. 5. cap. 6. dub. 2.* vbi absolutè tenet virtute Bullæ posse ab omni suspensione absolui, & tenet absolutè de hac & de omni Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disput. 1. cap. 4. dub. 10. num. 3.* Et ratio est quia Bulla absolutè & simpliciter concedit facultatem absoluendi ab omni censura, & ex alia parte nec explicitè nec implicitè excepit dictam suspensionem; ergo cùm illa suspensio sit censura, comprehenditur in illa generali facultate absoluendi ab omni censura. Vnde suspensus ob malam promotionem ad ordinem ante legitimam ætatem, poterit virtute Bullæ absolui, non tamen in Ordine ministrare ante ætatis complementum; quia absolutio suspensionis, non verò ætatis impedimentum tollere potest. De quo vide Henriquez *numero citato*; & Medina *vbi suprà*. Nec ex eo quòd hæc facultas non concedatur Commissario, sequitur non concedi confessario: nam hæ duæ facultates distinctæ sunt, & à diuersis non fit illatio. Quod autem hæ facultates sint distinctæ; constabit dum de facultate Commissarij agemus: plura enim potest facere Commissarius, præcipuè quoad forum externum, quæ non possumus per Bullam: nam facultas Commissarij præcipuè respicit forum externum; Bulla verò internum, ac proindè mirum non est posse per Bullam ab hac suspensione absolui, non verò Commissarium: sed de hoc *infrà l. 2. §. 3. dub. 2. n. 18.* vbi id examinatur.

4 Possumus ergo virtute Bullæ absoluere ab omni suspensione, siue in sacramento Pœnitentiæ, siue extra illud, modo quo de excommunicatione explicatum est hoc cap. *dub. 13.* siue suspensio sit à iure, siue ab homine; siue generalis, siue nominatim, dummodo pars læsa modo possibili sit satisfacta, qua realiter satisfacta, poterit absolutum acceptari pro foro externo modo latè explicato; hoc cap. *dub. 9. & 10.*

Dub. XVI.

An virtute Bullæ possit absolui ab omni interdicto.

1 Reuocandum est ad memoriam, generalem illam diuisionem interdicti, in locale, & personale. Conueniunt ergo omnes Doctores virtute Bullæ posse absolui ab omni interdicto personali, siue à iure, siue ab homine, siue in generali, siue in particulari, siue intra sacramentum, siue extra illud absolutio conferatur, dummodo pars læsa sit satisfacta, qua realiter satisfacta, proderit absolutio etiam in foro exteriori, vt latè dictum est de excommunicatione hoc cap. *dub. 9. 10. & 13.* Ratio est, quia hoc interdictum, vt omnes Doctores fatentur, est propriè censura; at Bulla concedit facultatem absoluendi ab omni censura; ergo poterit per Bullam ab hoc interdicto absolui. Villalobos *tract. 27. clausf. 9. §. 2. n. 26.* & citati *dub. antecedenti.*

Difficultas est de interdicto locali. Rodriguez *in addit. ad §. 9. num. 60. vers. Acerca*, dubitat, an hoc interdictum sit censura; & dicit, quòd si non est censura, non posse per Bullam, sed per iudicem tolli: si autem est censura, potest à confessario, satisfacta parte, virtute Bullæ etiam pro foro exteriori absolui. Cùm ergo communis Doctorum affirmet, & verè quidem, interdictum locale esse censuram, consequenter dicendum, seruatis seruandis, posse per Bullam tolli nisi contrarium ex Bulla colligi videatur. Quod ex ea colligi mihi persuadeo. Nam facultas absoluendi, siue actiuè, siue passiuè, conceditur personis, & non locis, vt colligi videtur ex illis verbis. *Qui possint eligere confessarium qui eos possit absoluere ab omnibus peccatis, & censuris*, at locus nec peccat, nec potest eligere confessarium; ergo quamuis interdictum locale sit censura, non videtur comprehendi sub illa generali facultate absoluendi ab omnibus censuris, quia nimirum pœnitentibus, & non locis concedi videtur. Ita sentire videtur Henriquez *lib. 7. de indulgentiis §. 3.* vbi ait, *Bulla concedit facultatem absoluendi ab interdicto personæ.* Et Auila *p. 5. disp. 6. dub. 2.* vbi ait, *per Bullam Cruciatæ potest confessarius absoluere ab interdicto personali:* interdictum autem locale non tollitur propriè per absolutionem, & tenet expressè Villalob. *tract. 27. clausf. 9. §. 2. n. 26.*

3 Quæres an virtute Bullæ possit absolui à cessatione à diuinis, degradatione, vel depositione. Respondeo cum communi, virtute Bullæ nullo modo absolui ab iis posse, quia hæ non sunt censuræ; & ea alia parte in Bulla nulla facultas repetitur ad has pœnas tollendas. Ita Villalobos *suprà num. 27. & tract. 20. different. 1. n. 2.* Vide Rodriguez *§. 9. n. 65.*

quod magis constabit quæstione sequenti. Vide etiam Soarez *de censur disp.29.sect.1.n.4.& num.12.* & cum aliis Lud. à Cruce *disp.1.cap.4.dub.11.*

Dub. XVII.

Utrùm per Bullam possit tolli irregularitas.

1 SUpponendum est cum communi Doctorum, irregularitatem esse impedimentum canonicum impediens receptionem ordinis vel vsum in iam susceptis. Quæ communissima & generali diuisione diuiditur in ea quæ contrahitur ex facto, seu peccato, vt ex homicidio iniusto, & mala Sacramentorum administratione, vt si excommunicatus, vel alia censura ligatus, actum Ordinis exercet: & in eam, quæ contrahitur ob defectum repræsentationis Christi, vt homicida iustus, bigamus illegitimus, &c. nam ij non repræsentant Christum, qui lenissimus fuit.

2 Conueniunt DD. per Bullam tolli non posse eam irregularitatem, quæ est pura inhabilitas, & quæ ob defectum lenitatis, & repræsentationis contrahitur, qualis est bigamia, homicidium iustum, & illegitimitas, quia omnes conueniunt, hanc irregularitatem non esse censuram. Similiter conueniunt, neque tolli posse eam irregularitatem, quæ simul est pœna & inhabilitas, qualis est illa, quæ contrahitur ex homicidio iniusto voluntario, vel mutilatione: hæc enim maxima reseruatione Papæ est reseruata, & nunquam intelligitur data potestas ab ea dispensandi, nisi expressè concedatur. Imò Pontifex difficillimè eam concedere solet, vt patet ex Trident. *sess.24.cap 6. de reformat.* vbi à concessione illa generali absoluendi, & dispensandi in occultis expressè excipit hanc irregularitatem, de quo vide Salon.2.2. *controuers.4.quæst.64.art.8.conclus.3. & 4.* Solùm ergo est dubitatio de irregularitate, quæ est pura pœna peccati, qualis est contracta ex mala administratione Sacramentorum, vt cùm excomunicatus, vel alia censura ligatus celebrat, vel alium actum Ordinis exercet.

3 Affirmant graues Doctores, Sotus *dist. 22.q.3. art.1.* Medina *in Summ.lib.1.c.11.§.9 pag.42.* & Corduba *in Sum.q.48.& 144.* Salon 2.2.*q.64 art.8.controuers. 4. conclus.1.* & aliqui, quos refert Cenedo *quæst 32.num.3.* & Diana *tract.11.resol.27.* Horum fundamentum est, quia existimant irregularitatem esse pœnam, & censuram Ecclesiasticam; ergo cùm in Bulla generaliter detur facultas absoluendi ab omnibus censuris, & in aliquibus Bullis addatur, ab omnibus pœnis, planè dispensatio ab irregularitate potest fieri per Bullam.

4 Pars autem negatiua absolutè est vera, & tenenda, nimirum secundùm tenorem Bullarum quæ post Pium Quintum conceduntur, in quibus non reperitur hæc particula, *& ab aliis pœnis*, vel secundùm illarum tenorem, in quibus posita erat, *& à pœnis*, non posse Confessarium dispensare in irregularitate. Ita Henriquez *lib.7. de indulgentiis,cap.13.numer.6. & lib.14 cap.17.num 4.* vbi citat multos Lopez *1.p. instr cap.92.* Nauarr.*in Summ. c.27.num.194.& 254.* & in consiliis multis in locis, quos citat Cenedo *infr.* Lopez *cap.8.de Bulla,pag.834* Suarez *tom.5.in 3.p disp.1 sect.3.n.5.* & communiter Doctores, quos in maximo numero refert, & sequitur Cenedo *quæst. 32 à n.6.* vbi de hoc latè Sayrus *lib.1.de censuris,c.1. n.18.* & Auila *p.7. disp.10.dub.4.* Quamuis oppositum existimet non improbabile Henriq.*d.n.6.& 4.*

5 Probatur primò, quia in iure nomine censuræ solùm comprehenduntur excommunicatio, suspensio, & interdictum, iuxta cap. *Quærenti, de verbor. signification.* vbi diffiniuit Innocentius sub nomine censuræ, prædictas tres species comprehendi, ergo inferri videtur, præter has tres nullam aliam esse censuram. Tum, quia illa responsio Pontificis est doctrinalis, & ideo æquiualet vniuersali definitioni Tum etiam, quia alias insufficienter responderet Pontifex: nam interrogatus, quid esset nomine censuræ intelligendum in rescriptis Pontificis respondet Pontifex, non solum interdictum, sed etiam suspensionem, & excommunicationem; ergo nihil aliud intelligit illa voce comprehendi iuxta Ecclesiasticam consuetudinem, & significationem, nisi has tres prædictas species. Ex quo fit, vt quoties in iure nominantur censuræ, solùm harum trium specierum mentio fiat. Ergo cùm priuilegia Pontificum contenta in Bulla, quantum fieri poterit debeant intelligi iuxta significationem nominum quæ in iure communi habentur: sane in Bulla nomine *censuræ* non intelligitur prædicta irregularitas, & in facultate Bullæ absoluendi ab omni censura, non comprehenditur hæc irregularitas.

6 Secundò, stylus Curiæ Romanæ facit ius, vt habetur *cap.ex literis,de constitutio. & cap.quàm graui, de crimine falsi*; at secundùm stylum Romanæ Curiæ nunquam censetur concedi facultas dispensandi in irregularitate, nisi de illa fiat specifica, & expressa mentio vt testatur Nauarr. *citat. numero 254.* Antonius Gomez *in Bulla Cruciata ad decimam clausulam, num.31.* Henriquez *c.13.cit.num.6.* ergo in ea generali facultate absoluendi à censuris, & pœnis non comprehenditur irregularitas. Et hæc ratio procedit, quando in Bulla apponebatur illa clausula, *& à pœnis*, vt benè Auila *sup. vers. ad argumentum.* Quare in Bullis Iubilæi, quando Pontifex vult concedere facultatem dispensandi in irregularitate, post illa generalia verba exprimitur in specie talis facultas, vt ex Bulla Iubilei concessi à Clemente VIII. anno 1593. notauit Hugolinus *lib. de censur. tab.1.c.26.n.2.*

7 Tertiò, in Iubileis amplissimis communiter id non conceditur, imo expressè prohibetur; ergo neque in Bulla per illa verba generalia conceditur: non enim credendum est voluisse Papam in Iubileis restringere, quod in Bulla concessisset.

8 Quartò, quia aliàs fieret Confessarium electum per Bullam posse dispensare in pluribus irregularitatibus, quàm generalem Commissarium Bullæ: quia dispensare non potest Commissarius in irregularitate contracta ex mala Ordinum susceptione, & simonia.

9 Quintò, per Bullam conceditur Confessario electo facultas absoluendi à censuris, & antiquitus etiam à pœnis: at irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem; ergo nunquam per Bullam fuit concessa facultas tollendi irregularitatem. Hoc eodem argumento vtitur ipse Sotus ad probandum per Bullam non concedi facultatem tollendi irregularitatem, quæ absque crimine contrahitur, quia scilicet illa non absoluitur, sed dispensatur: at secundùm communem DD. nulla irregularitas absoluitur, sed dispensatur; ergo nulla potest tolli per Bullam.

10 Ex dictis manet solutum fundamentum prioris sententiæ, quia irregularitas nulla est censura, nec comprehenditur sub nomine pœnæ Ecclesiasticæ, quando apponebatur illa clausula, *& ab aliis*

pœnis

pœnis Ecclesiasticis, vt in Bullis ante Pium V. quia quoad effectum dispensandi nunquam irregularitas comprehenditur in illa generali, nisi exprimatur, vt dictum est *suprà*.

11 Dices, quid ergo intelligitur per illa verba, *& ab aliis pœnis*, quando apponebantur in Bulla? Respondeo cum Nauar. *cap.27. num.254.§.9.* quem sequitur Henriquez *c.13 de indulgentiis, n.6. in fine*, & Auila *supr verb. Si pietas*, intelligi pœnam, quia vetuit Confessarius, ne pœnitens intra mensem communicet; aut si pœnitens promisit certam pœnam soluere, si intra mensem non confitetur, aut si in tale peccatum inciderit; aut intelligitur pœna, qua canones pœnitentiales arcent quosdam à sacra communione intra certum tempus; aut dum per constitutionem synodalem prohibetur peccatum sub pœna soluendi certam eleemosynam hospitali, quia Bulla Cruciatæ ad hoc præcisè concessa est, ad tollendum impedimenta quæ possunt impedire vsum sacramentorum. Intelligi etiam potest illa pœna, quam sibi pœnitens imposuit, si intra certum tempus non celebrauerit, vel communicauerit. Quidam, quos tacito nomine refert Henriquez *citatus*, *littera O.* & tenet expressè Auila *suprà*, aiunt dictionem, *à pœnis*, esse declarationem prioris verbi, *à censuris*, nempe quando fertur per modum sententiæ, & pœnæ. Hoc certum habe, Bullam non loqui de pœnis pecuniariis quia hæ non dicuntur pœnæ Ecclesiasticæ, vt bene Henriquez cum Nauarr. *suprà citato*, Cenedo *quæst.32.n.9.* ait virtute Bullæ quando erat apposita illa clausula, *à pœnis*, non posse absolui à pœna pecuniaria imposita per sententiam iudicis; benè tamen à pœna pecuniaria non soluta, quam quis incurrit eo quòd præcepto Episcopi non paruerit, citat pro se Sotum *in 4 dist.18.quæst vnic. art.2.pag.*140. Graffis *lib.4.c.15.n.7.* Rodr.*§.9. n.53.*

12 Sed obiicies. Priuilegium Principis amplè est interpretandum. Respondeo, hoc esse verum, si verba concessionis intra propriam significationem id patiantur, & non obstet stylus Curiæ in contrarium at Bullæ tenor, & stylus Curiæ non permittunt talem ampliationem.

13 Nihilominus tamen prior sententia ob authoritatem grauium Doctorum, & rationes probabiles, non est tanquam improbabilis reiicienda, vt docet Henriquez *vbi suprà*, & cum Ioan. de la Cruz tenet Diana *tractat.11. resolut.27.* imò admitti posset in praxi probabilis, si vrgente casu non esset facilis recursus ad Episcopum, aut Nuntium pro dispensatione supradictæ irregularitatis, de qua loquimur, quæ ab aliquibus reputatur censura. Sic vrgente necessitate baptizandus est puer moriens, in aqua dubia, si non est alia: & propinquus morti, qui non potuit aliter confiteri, quàm ostendens signum peccati in genere, est absoluendus sub conditione: nec tamen id liceret extra necessitatem: ita nec tollenda est hæc irregularitas per Bullam, dum est facilis recursus ad remedium certum Episcopi Ita Henriquez *lib.7.de indul c.13.n.6 lit.T. & lib.14 c.18 n.4.*

14 Aduerte obiter, quando per aliquod priuilegium, aut Bullam conceditur alicui facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus excepta irregularitate homicidij voluntarij, posse dispensare in irregularitate ex homicidio iusto, vt probabiliter tenet Ludouic. à Cruce *in expositio. Bullæ disputat.1. cap.4.dub.12.num.2.* cum Caiet. *verb. Irregul. in fin.* Couarruu. *clem. si furiosus, 2.part.§.3.in fine*, & aliquibus aliis, quia hæc non est propriè ex homicidio, verior tamen est opposita, & communis sententia, de qua Nauarrus *capite* 17. *numero* 200. quia hæc irregularitas verè, & propriè est ex homicidio voluntario, etsi non peccaminoso.

Dub. XVIII.

In quo aliquæ difficultates resoluuntur.

1 QVæres primò, quænam debet obseruare Cõfessarius vt absoluat ab excommunicatione virtute Bullæ. Certum est in hac re non requiri determinata verba absolutionis excommunicationis: sufficiunt enim quæcumque verba quæ significent excommunicatum esse solutum à censura; sicut ad excommunicandum sufficiunt quæcumque verba significantia esse censura ligatum, vt communiter DD.

2 Tenetur igitur primò Confessarius in quibusdam criminibus grauibus, vt si incendiarius sit aut percussor Episcopi, aut Cardinalis, aut si offensa sit notoria, & cum scandalo ante absolutionem iuramentum petere ab excommunicato, quod obediet super eo mandatis iudicis, & Ecclesiæ, quod procedit siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine, siue sit certa, siue dubia. Iurabit ergo primò, quod stabit piis Ecclesiæ mandatis, quod vitabit scandalum & quòd nunquam veniet contra illum canonem, putà quòd non percutiet clericum. A pueris autem ante pubertatem iuramentum hoc peti non debet, vt tenet Henriquez *c.29.de excommunic.n.3.* bene tamen à mulieribus post pubertatem, vt tenet Syluester *absolutio 3. n.3.* Hoc iuramentum non est de essentia absolutionis, introductum enim est ex consuetudine. Et ratio est, quia pueri, & mortui absolui possunt & tamen iurare non possunt. De quo vide Henriq. *lib.13.de excommun c 28.n.4.* & Saytum *lib.2.in Thesauro, c.18.n.5.* vbi citat multos pro nostra sententia.

4 Secundò, si pœnitens ob manifestam, & notoriam offensam, vel contumaciam est excommunicatus, eum Confessarius absoluere non debet, nisi satisfacta parte realiter, si possit; aut saltem cum cautione iuris, si alia non est possibilis, vt latè dicto hoc *cap. dub.* 15. Quòd si offensa, vel contumacia dubia fuerit, sufficit quòd pœnitens cum iuramento promittat se satisfacturum quotiescumque constiterit ad id teneri. Obiter autem nota. Cautio qualiscumque sit, fieri debet ei cui interest, si commodè, & sine scandalo, aut infamia fieri possit, & præsens sit; aut alteri, qui eius obligationem acquirat, & in in articulo mortis etiam Sacerdoti, præsentibus testibus, cautio hæc præstabitur. Vnde si pro manifesta offensa excommunicatus sit, vel contumacia; iurabit se satisfacturum, vt primum commodè poterit: si verò pro dubia, iuret se satisfacturum cùm probabitur iuste fuisse excommunicatum, vel damnum parti illatum. Vide Saytum *c.18 cit.*

4 Tertiò. Absoluens publicè, & in foro exteriori, debet vti quibusdam cæremoniis, nimirum vt excommunicatus sit extra Ecclesiam flexis genibus, & absoluens indutus sit superpellicco, & stola, & dum absoluitur, Psalmi quidam recitantur, & verberantur humeri viri excommunicati, (non verò mulieris) & alia, de quibus videnda sunt Ritualia curatorum in sua quaque diœcesi; valet tamen sine iis absolutio, vt docet Nauarr. *c.26.num.9.* Henriq *c.29. cit.n.4.* Saytus *c.18.cit n.19.* imò rarò hæ exterminiæ etiam in foro exteriori obseruantur, in foro autem interiori hæc obseruare non tenemur. Quare

in hoc foro ſine dictis cæremonils abſoluitur excommunicatus, vt habet communis, & confirmat praxis. Denium post abſolutionem abſoluens faciat illi mandata rationabilia, & iuſta, nimirum, ſi excommunicatus ſit ex clerici percuſſione, mandabit ei, ne vnquam contra hunc canonem veniat, & ſic de aliis. At ſi clerici collegialiter viuant, ne ponat hoc præceptum, propter periculum frequentis communicationis. Vide dè hoc latiùs Henriquez, & Saytum *cap. citatis.*

5 Aduerte. Quando abſoluitur excommunicatus denuntiatus, vel notorius clerici percuſſor, denuntiari, & notificari debet eſſe abſolutum in loco vbi erat denuntiatus, & vitandus. Sicut enim denuntiatio facta fuit, vt ab omnibus euitaretur, ita & notificatio abſolutionis facienda eſt, vt ab omnibus recipiatur: quia ſemel excommunicatus, pro tali ſemper habendus eſt, quoad vſque abſolutus probetur, vt benè Couarruuias *in cap. Alma mater, p.* 1. § 2. *n.* 6. *de ſement excommunic. in* 6. Probari autem poterit abſolutio *primò*, vel litteris, & inſtrumento authentico abſolutionis, *cap. ſicut nobis, de ſent. excommunicat.* & ibi Panormitan. Felin. & alij Doctores, quas litteras abſolutus apud ſe cuſtodiat, vt per eas abſolutum ſe probare poſſit. Quare abſoluens ei abſolutionis litteras dare debet, vt docent gloſſa *in cap. cùm in iure, verb. Super mandato,* & ibi Panormitan. *in fine, de offic. delegati,* & gloſſa *in c propoſuit, in verb. de abſolutione,* & ibi Panormitan. *de clerico excommunicato miniſtrante.* Vel poteſt *ſecundò* probari per teſtes, vt ex *dict. cap ſicut nobis,* & *ibi* Panormitan. & Felin. *citati* Nauarr. *cap.* 27. *num.* 178. *verſic. Septimò*, qui ad minus debent eſſe duo, ex gloſſa *in dicto cap ſicut nobis, in verb. Alio modo.* nam in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, *Matth.* 18. vnde benè monet Nauarrus *citat.* quod vbi committitur Confeſſario ſpecialis alicuius abſolutio ad cautelam (idem dic à fortiori ſi ſimpliciter abſolutio committatur) in vtroque foro debere Confeſſarium abſoluere coram Notario, teſtibus, vel ſaltem coram teſtibus, vt abſolutionem probare poſſit. Vnde denuntiatus ab Epiſcopo, ſi per litteras Nuntij Apoſtolici abſoluitur, tenetur litteras abſolutionis petere, & eas Epiſcopo, qui eum excommunicauit, coram teſtibus notificare, vt Epiſcopo plenè innoteſcat eum eſſe abſolutum, vel tertiò ſatis ſufficienter probatur abſolutio per denuntiationem authoritate Superioris factam. Vel quartò, ſi cauſa cognita, ad oſculum & communionem a Superiori fuerit admiſſus, ex Innoc. *in c. cùm olim,* & *ibi* Panormit. *n.* 9. *de priuil.* Vide Saytum *in Theſauro, l.* 1. *c.* 18. *n.* 20. & 21.

6 Dixi *quando abſoluitur denunciatus, vel manifeſtus clerici percuſſor*; nam ſi non ſit vnus ex iis, aut vitandus, ſeu prohibitus, quod idem eſt, quamuis publicus excommunicatus ſit, non eſt opus ſupradicta notificatione, ſiue intra forum, ſeu extra forum pœnitentiæ abſoluatur, vt benè Saytus *ſuprà n* 20. quia poſt Extrauag. *Ad euitanda ſcandala,* ſolùm denuntiatos, & notorios clerici percuſſores vitare tenemur: quare denuntiatio ſolùm facienda erit quando vitandus pro foro exteriori abſoluitur. Igitur cùm excommunicatus etiam denuntiatus abſoluitur in foro tantùm interiori, non requiritur talis notificatio. Similiter nec requiruntur ſupradictæ probationes quando excommunicatus in foro ſolùm pœnitentiæ abſoluitur: tunc enim per ipſum Sacerdotem ſolùm qui abſoluit, probatur, & ſoli Sacerdoti, ſine alio teſte credendum erit, vt exiſtimat Saytus *c. cit.* 21. de quo vide quæ diximus *hoc cap. dub.* 9 *in fine.*

7 Quæres ſecundò. An per vnicam abſolutionem virtute Bullæ datam plures excommunicationes & cenſuras abſoluere poſſimus. Reſpondeo affirmatiuè. Ita Rodriguez §. 9 *num.* 53. & communiter Doctores. Et ratio eſt, quia confeſſarius virtute Bullæ abſoluens, habet authoritatem à ſuperiori iudice, qui eſt Papa. Sic vno verbo multa peccata confitentur, & omnia vnica abſolutione remittuntur: quod procedit, quamuis excommunicationes ſint à diuerſis iudicibus, & propter quaſcumque cauſas, quia Papa, qui eſt ſupremus iudex, hoc expreſsè concedit confeſſario per Bullam electo Vide Saytum *in Theſauro, lib.* 2. *cap.* 21. *num* 22. & alios, quos ibi ipſe.

8 Quæres tertiò. An abſolutus virtute Bullæ teneatur ſe excommunicanti præſentare. Hæc quæſtio ſoluta manet ex iis quæ diximus *hoc cap. dub.* 5. *verbo explicatis* de qua vide Lopez *c.* 8. *de clauibus, pag.* 832. Med. *in Sum. c.* 12. *fol.* 137. *pag.* 2. abſolutè dicit non teneri. Breuiter ergo dico, ſi abſoluatur in foro interiori, nunquam teneri ſe præſentare, nec ſi abſoluatur in foro exteriori, ſatisfacta parte realiter, dummodo ceſſet ſcandalum, ad quod vitandum debet denuntiatus abſolutus iudicem certiorem facere ſe abſolutum eſſe ſatisfacta parte. Si autem pars non ſit realiter ſatisfacta, ſed fuit denunciatus abſolutus cum iuris cautione, debet certiorem facere iudicem de impoſſibilitate, non quidem ne reincidat, ſed ne reputetur in foro exteriori pro excommunicato; in foro autem interiori etiam ſi in nullo caſu ſe præſentet, non reincidet in excommunicationem, quia, vt dictum eſt hoc cap. *dub.* 14. abſolutio virtute Bullæ non eſt ad reincidentiam. Quòd ſi excommunicatus fuit denuntiatus, non ad inſtantiam partis, ſed ex officio iudicis rationi conſonum eſt, vt ei ſe præſentet, ne iudicis ſententia eludatur, & forus exterior perturbetur.

9 Quæres quartò. An inuitus poſſit abſolui ab excommunicatione ratione Bullæ. Communis tenet, inuitum abſolui poſſe ab excommunicatione, hoc tamen modo, vt ſi excommunicatio ſit ab homine, poſſit inuitus abſolui ab eo iudice, qui illam impoſuit: ſi verò à iure, ab illo tantùm, qui illud ius condidit. Ratio eſt, quia cùm excommunicatio non ſit culpa, ſed pœna, non contrahitur propria authoritate, ſed iudicis, ac proinde eſt in ipſius iudicis voluntate eam tollere quoties voluerit, etiam ſi ſit in præiudicium partis. Suar. tamen *de cenſuris, diſp.* 7. *ſect.* 7. *num.* 12. ait, aliquando id poſſe iudicem inferiorem ex cauſa vrgenti, & interpretatiua Superioris voluntate: at quamuis aliquando, etſi rarò, expediat inuitum abſolui, vt quando nihil proficit excommunicatio, abſolutio verò erit maximè vtilis, non tamen communiter eſt abſoluendus inuitus, vt alij ſcilicet teneantur, cenſuræ timeantur, & ne ſcandala ſequantur. Vide Henriq. *de excommunicatione c.* 29. *n.* 1. & Saytum *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 7. Virtute autem Bullæ inuitus validè abſolui non poteſt, quia in primis expreſsè hæc facultas non continetur in Bulla, vt de ſe patet. Tum etiam, quia vſus huius priuilegij pendet ex voluntate eligentis confeſſarium, vt docet Henriq. *ſuprà n.* 1. *citato.* & indulgentia non conceditur inuito, vt docet Nauarr. *lib. de indulg. notab.* 20. *n.* 7. vide Henriq. *ſup.*

10 Quæres quartò. An abſens poſſit virtute Bullæ abſolui ab excommunicatione, vel alia cenſura. Conueniunt communiter Doctores abſentem excommunicatum abſolui poſſe ab eo, qui habet poteſtatem excommunicandi: nam ſicut potuit abſentem excommunicare, & ligare, poterit etiam abſentem abſoluere, quia abſolutio ab excommunicatione totaliter

totaliter dependet à voluntate absoluentis. Nec requiritur necessariò præsentia eius qui absoluendus est. Sylvest. *absolutio* 3. *num.*9. de quo vide Henriq. *lib.*13.*de excommunicatione c.*29.*n.*1. & Sayrum *Thesauro lib.*2.*c.*21.*n.*12.13. *&* 14. vbi latè explicat quomodo possit fieri absolutio absentis per litteras, nuntium, aut procuratorem. At in vsu nunc est, vt absentis absolutio committatur Sacerdoti, vt sic iam præsentem absoluat. Vide Reginaldum *tom.*1. *lib.*9.*cap.*3.*dub.*2.*num.*41. vbi consequenter aduertit, sicut potest absens, & inuitus absolui, ita & ignorans absolui potest ab excommunicatione, cùm talis absolutio non magis dependeat à scientia, quàm à voluntate eius cui impendenda est. Vnde si Summus Pontifex diceret. Ego absoluo omnes excommunicatos totius mundi, omnes essent reuera absoluti, fieréntque participes omnium suffragiorum Ecclesiæ: licèt ipsi quandiu id ignorarent, tenerentur se gerere pro excommunicatis.

11 Difficultas igitur est, an qui habet facultatem absoluendi virtute Bullæ, aut alterius priuilegij, seu indulti, possit absentem absoluere. Qua in re si in priuilegio expressè dicatur, vt absolutio conferatur intra sacramentum, vel in foro pœnitentiæ, certum est non posse absentem absolui ab excommunicatione; quia absolutio sacramentalis conferri non potest absenti, prout declarauit, & tanquam falsum, temerarium & scandalosum damnauit Clemens VIII. 20. die Iunij anno 1602. in motu proprio qui incipit, *Sanctissimus*, & habetur 3. *tom. pag.*135. prohibuitque, sub excommunicatione sibi reseruata, ne ad praxim reducatur, defendatur, aut imprimatur. Cùm ergo absolutio excommunicationis in hoc casu, vt supponimus, conferri debeat intra sacramentum Pœnitentiæ, & hoc non possit exerceri inter absentes, hinc fit, vt in hoc foro pœnitentiæ nec absolutio excommunicationis possit absenti conferri.

12 Quod si in priuilegio non limitetur absolutio censuræ ad forum pœnitentiæ intra sacramentum, sed absolutè concedatur facultas absoluendi ab excommunicatione, non exprimendo vt fiat intra vel extra sacramentum Pœnitentiæ, vt contingit in nostra Bulla, qui tenent virtute Bullæ non posse extra sacramentum Pœnitentiæ absolui à censuris, consequenter tenentur asserere, virtute Bullæ non posse absolui absentem à censuris. At cum dictum sit *sup. hoc cap. dub.*13. esse probabilissimum, & in praxi tutissimum, virtute Bullæ Cruciatæ, præsertim prout modò conceditur sine illa clausula, *Auditis eorum confessionibus*, posse absolui extra sacramentum Pœnitentiæ, dicendum virtute Bullæ posse absentem à censura absolui. Ratio fundamentalis est, quia absolutio censuræ, quæ independens est ab absolutione à peccatis, ex natura sua potest conferri absenti, vt tenent communiter Doctores, nisi expressè à concedente priuilegium limitetur ad sacramentum Pœnitentiæ; at in nostra Bulla, vt probatum est *dub.cit.* absolutio censuræ non limitatur ad sacramentum Pœnitentiæ, nec limitatur, vt in præsentia conferatur; ergo virtute Bullæ potest absolui absens à censuris.

13 Nihilominus tamen, etiamsi virtute Bullæ, aut similis indulti, possit absens à censuris absolui validè, non tamen id expedit communiter fieri ob reuerentiam censuræ, & ad vitanda scandala, nisi in casu aliquo raro, puta, si valde expediat excommunicato absolutio, & non potest facile, aut sine scandalo adire confessarium, tunc existimo posse validè & licitè absolui per litteras, aut per nuntium. Quo in casu tunc censetur absolutus, quando recipit litteras, aut notificatur ei absolutio per nuntium, nisi aliter de mente absoluentis constiterit, nam si intendat vt nunc pro tunc sit absolutus, statim ac eum absoluit absentem, manet absolutus; interim tamen dum absens absolutionem ignorat, tenetur se gerere pro excommunicato.

14 Sed dices. Absolutio à censuris virtute Bullæ fit in foro interiori, & conscientiæ; ergo non potest dari absenti. Respondeo, forum internum diuidi posse in forum pœnitentiæ, & forum conscientiæ, vt dictum est *dub.*13.*hoc.cap.* forus autem pœnitentiæ requirit absolutionem in præsentia, non autem forus conscientiæ, patet, quia per Trid. conceditur Episcopis facultas absoluendi à reseruatis Papæ in foro interiori, & conscientiæ, & tamen potest ab illis censuris extra sacramentum, imò & absentem absoluere pœnitentem, vt docent Henriq. *lib.*3.*de pœnitentia.c.*14.*§.*7. & Rodriguez §.9.*n.*79. *in fine*, & alij; ergo similiter etiamsi Bulla concedat facultatem absoluendi à censuris in foro interiori & conscientiæ, poterit absolui extra sacramentum etiam absens, quia non limitatur absolutio pro foro pœnitentiæ. Vide *dub.*13. sæpè citatum, multæ enim dispensationes & absolutiones veniunt pro foro conscientiæ, & interiori, quæ non fiunt intra sacramentum, & in præsentia absoluendi, vel dispensandi.

15 Quæres quintò. An absoluendus virtute Bullæ ab excommunicatione debeat causam, vel causas exprimere. Respondeo, etsi expediens valdè sit causam exprimere, de iure tamen communi valere absolutionem ab excommunicatione, causa non expressa, si absoluens poterat, & intendebat absoluere, vt cum multis docet Henriq. *lib.*13. *de excommunicatione,n.*1.*c,*29. quia expressio causæ non est de essentia absolutionis. Attamen caso quo excommunicatus manifestat causam (vt fit communiter) ad petendam absolutionem debet veram, & non falsam manifestare, aliàs enim surreptitia, & nulla erit impetratio & absolutio, nisi aliàs iudex haberet animum absoluendi vtcumque sit. Vnde qui pluribus excommunicationibus est excommunicatus propter diuersas causas, tenetur omnes exprimere: si autem vnica excommunicatione propter multas causas diuersas sit excommunicatus, tenetur etiam omnes exprimere: si autem causæ sint eiusdem rationis, vt quia distinctis vicibus percussit clericum, vel cum concubina sæpiùs rem habuit, satis videtur exprimere causam in communi, quia potius censetur vna excommunicatio, quàm multæ. Sed de his latè Henriquez *sup.* & Sayrus *in Thesauro lib.*2.*cap.* 21. *à n.* 25. quæ doctrina procedit etiam quando datur absolutio virtute Bullæ, nisi fortè confessarius habeat animum vtcumque sit absoluendi, & pœnitens saltem virtualiter petat absolutionem. Vnde optimum consilium est, quod tradunt Nauarrus *cap.*26. *n.*13. *&* *in cap. consideret.* §.*cautus,n.*30. *vers. Illud vnum, de pœnitent. distinct.* 5. Couarr. *in cap. alma mater, part.*1.§.11.*num.*12. *de sententia excommunicationis, lib.*6. Sayrus *c.*21.*citat.n.*25. & alij, quos ipse, vt qui absolutionem impetrat à Papa, vel eius Legato, vel alio virtute Cruciatæ, aut Iubilæi, facultatem absoluendi habente, absoluere se faciat ab omnibus excommunicationibus, & peccatis, de quibus etiam non meminit, nam ea generali absolutione censetur ab omnibus absolutus. Vnde si postea de aliquibus recordatur, non tenetur iterum absolutionem impetrare, sed solùm illud peccatum propter quod fuit excommunicatus, sicut & alia nondum in confessione detecta confiteri. Quod verum est, ait Henriq. *c.*29.*cit.num.*1. quamuis pœnitens dolo, aut pudore aliquam

aliquam excommunicationem omiserit; si tamen Episcopus, aut confessarius rogatus est ab omnibus absoluere generaliter, intendatque ab omnibus absoluere. Vnde meritò probanda est praxis nostræ diœcesis Valentiæ, in qua, vt habetur in Rituali baptizandorum in forma absolutionis à peccatis præmittuntur verba generalia absolutionis à censuris, videlicet, in primis: Ego te absoluo ab omni vinculo excommunicationis maioris, & minoris suspensionis, & interdicti in quantum possum, si fortè incurristi. Per quæ verba pœnitens si habeat Bullam remanet absolutus etiam ab excommunicationibus oblitis.

16 Quæres vltimò, an absolutio excommunicationis virtute Bullæ concessa, per vim tamen & metum cadentem in virum constantem obtenta, sit valida. Respondeo negatiuè, quia talis de iure communi est irrita: imò sic absolutionem excommunicationis extorquens, est excommunicatus de nouo, vt habetur *cap. de his qua vi, vel metu in 6.* de quo vide Henriquez *cap. 30. de excommunicatione, num. 1.* Sayrum *cap. 21. cit. num. 30.* & alios quos ipsi citant.

D V B. XIX.

De indulgentia semel in vita, & iterum in articulo mortis virtute Bullæ concessa.

1 IN hoc §. Pontifex non solùm concedit vt confessarius per Bullam electus possit pœnitentem ab omnibus peccatis Papæ reseruatis, semel in vita, & iterum in articulo mortis absoluere, modo de quo latè *suprà*, sed etiam vt eidem pœnitenti semel in vita, & iterum in articulo mortis possit plenariam indulgentiam, seu remissionem omnium pœnarum applicare, patet ex illis verbis: *Plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vita, & iterum in articulo mortis*, &c. Quæ indulgentia, vt apertè constat, est totalis, plena, plenaria, aut plenissima, nimirum remissio omnium pœnarum: reliqua quæ ad huius indulgentiæ declarationem spectant, quibusdam propositis dictis explicabo.

2 Dico primò. Hæc indulgentia per vnam Bullam solùm potest consequi semel in vita, & semel in articulo mortis intra publicationis annum. Ita communiter Doctores. Vide in simili Corduban *quæst. 36. part. 1. d. 3.* patet ex Bulla, vbi Pontifex expressè limitat hanc indulgentiæ concessionem, modo dicto. *Secundò*, quia simul & eodem modo concedit Pontifex absolutionem à reseruatis Papæ, & hanc indulgentiam plenariam; sed ea absolutio solùm potest fieri semel in vita, & iterum in articulo mortis; ergo similiter & applicatio huius indulgentiæ.

3 Dico secundò. Ad consequutionem huius indulgentiæ sequitur necessario quòd applicetur pœnitenti per confessarium. Ita sentit Nauarr. *notab. 30. de indulgentiis, num. 14. & 16.* Vnde si quis etiam bene dispositus semel in vita & iterum in articulo mortis confiteatur animo lucrandi hanc indulgentiam, peraque à Confessario eam sibi applicet; si tamen confessarius eam non applicat, pœnitens hanc indulgentiam non consequitur, quamtumuis benè dispositus, & contritus moriatur. Patet, quia Pontifex concedit hanc indulgentiam pœnitenti non immediatè, sed media applicatione Confessarij, vt constat ex illis verbis, *vt possit eligere Confessarium*, &c. *& ab eo quorumcumque peccatorum, & censurarum plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vita, & iterum in articulo mortis obtinere.* Ex quibus euidenter colligitur, hanc indulgentiam conditionaliter concedi, media scilicet applicatione confessarij; at, deficiente conditione, etiam sine culpa consequentis indulgentiam, eam non consequitur, sic non manet absolutus à reseruatis Papæ, quantumuis pœnitens eam absolutionem petat, si Confessarius illam non concedat, est contra Rodriguez §. 9. *n. 43.* qui cum Curiel de Iubilæo sentit contrarium, & fundatur in concessione alterius indulgentiæ, quæ conceditur contritis in articulo mortis, de qua dubio sequenti: cuius fundamentum non est pro se, quia ibi Pontifex expressè illam concedit contritis, si fortè confiteri nequierint, quo in casu non committit applicationem Confessario, sicut in hoc paragrapho. Idem quod Rodr. sentit Diana *tract. 11. resol. 106.* vbi dicit consequi hanc indulgentiam pœnitentem, qui ex malitia Confessarij non absoluitur. Huius autem nullam reddit rationem; quare à mea sententia non recedo.

4 Dico tertiò. Hæc indulgentia, regulariter loquendo, & quando confessio actualis est possibilis, applicari debet intra Sacramentum Pœnitentiæ. Constat ex verbis illis Bullæ: *Qui possit eligere Confessarium, & non ab eo plenariam absolutionem, & remissionem obtinere.* Conceditur enim hæc indulgentia corde contritis, & ore confessis, quo in casu necessaria est actualis confessio, si possibilis sit, vt docet Nauarr. *notab. 18. de indulgentiis, num. 1.* & dictum est *sup. §. 1. dub. 15. pag. 64. num. 12.* Dixi, *regulariter*, & quando confessio est possibilis; nam si ea possibilis non est, putà quia pœnitens effectus est lethargicus, phreneticus, vel amens, aut in articulo mortis constitutus amisit loquelam, vsumque rationis, ita vt nullum signum contritionis ostendere possit, quamuis à peccatis absolui nequeat, poterit tamen absolui à censuris, & ei applicari (si adest Confessarius) indulgentia virtute Bullæ, aut aliarum Bullarum concessa, vt docent Nauarr. *cap. 26. n. 27. & notab. 30. de indulgentiis, num. 12. & 13.* Henriquez *lib. 3. de pœnitent cap. 9. num. 4. & cap. 10. num. 10. & lib. 7. de indulgent. c. 6. §. 4.* Corduba *de indulgent. quæst. 36. punct. 2. dict. 2.* Diana *tract. 11. resolut. 108.* cum Villalob. *part. 1. tract. 27. clausf. 1. num. 1.* & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 8. dub. 14. num. 6.* & alij, quia vt probabilissimè docet Nauarr. *dict. num. 12. & notab. 18. num. 14. & 16.* actualis confessio præscripta in consequutione indulgentiæ tunc necessario requiritur, quando pœnitens confiteri potest: aliter ad eius indulgentiæ assequutionem sufficit contritio, & cordis confessio. Dixi, *si adest Confessarius*; nam vt dictum est *dicto secundo*, ad consequendam hanc indulgentiam requiritur applicatio ex parte Confessarij. Et confirmari potest, quia sicut à censuris fieri absolutio extra Sacramentum, ita etiam poterit applicari indulgentia: quia sicut absolutio à censuris non dependet ab absolutione à peccatis, ita nec indulgentiæ concessio, seu applicatio. Sæpissimè enim Pontifices, & Ordinarij concedunt indulgentias extra Sacramentum Pœnitentiæ. Vnde in hoc §. verba illa, *vt possit eligere Confessarium qui eos à peccatis, & censuris absoluat, & plenariam indulgentiam, & remissionem obtineat*, sunt singula singulis referenda, ita vt absolutio à peccatis referenda sit, & danda in actuali confessione: absolutio verò censuræ, & applicatio indulgentiæ possit fieri extra Sacramentum Pœnitentiæ; quia

quia hæc ex natura sua non requirunt confessionem, sicut absolutio à peccatis requirit.

5 Dico quartò. Non est necessarium vt habens Bullam, hanc consequatur indulgentiam, quod expressè, & formaliter petat sibi eam à Confessario applicari, sed sufficit quòd reuera applicetur à Confessario, & ex parte pœnitentis virtualis petitio, seu interpretatiua voluntas petendi hanc indulgentiæ applicationem, id est, quòd si aduertisset, aut potuisset, eam postulasset. Ita Nauarr. *notab.* 30. *num.* 12. Suarez *infrà num.* 8. Imò nec est necessarium vt is, cui talis indulgentia conceditur, percipiat, & intelligat sibi concedi, vt docet Suarez 4. *tom. in tertiam partem, disp.* 56. *sect.* 1. *num* 7. Patet, quia absolui potest à peccatis, & censura etiam is, qui nihil intelligit; ergo potest ei applicari indulgentia. Est tamen differentia, vt bene notat Suarez *sup.* inter absolutionem Sacramenti, & concessionem indulgentiæ. Quod ad priorem, necesse est, vt præcedat petitio absolutionis ex parte pœnitentis: nam necesse est vt præcedat aliqua accusatio, & confessio, quia forma Sacramenti non potest proferri sine materia: at verò ad absolutionem, seu consequutionem indulgentiæ, in tali casu non est necesse vt præcedat petitio; quia ad hunc actum non requiritur determinata materia, sed sufficit habere indultum ad talem indulgentiam, & esse capacem, seu dispositum ad illam, habereque virtualem saltem voluntatem illius. Quare si quis repentè omnem sensum, & rationem amittat, constituaturque in mortis articulo, nullumque signum confessionis, vel contritionis in Ordine ad confessionem dederit, quamuis non possit sacramentaliter absolui si tamen habeat indultum Indulgentiæ, & aliquibus coniecturis constat illum esse in statu gratiæ poterit ei à ministro designato indulgentia applicari. Ita tenent Suarez *vbi suprà, num.* 7. *cit.* Corduba *de indulgentiis, quæst.* 36. *punct.* 2. & Henriquez *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 4. *litt.* Q. Vnde non oportet, vt infirmus pro indulgentiæ consequutione priùs petierit, & designauerit Sacerdotem Confessarium in particulari, sed sufficit illa interpretatiua voluntas: sic enim Eucharistia, & Extrema vnctio datur infirmo, quia eo ipso quòd Christianè vixit, censetur in eo articulo interpretatiuè petere hæc Sacramenta, & indulgentias, quæ sunt remedia salutis, vt dictum est *superiori dicto,* & tenet Henriquez *lib.* 3. *de pœnitent c.* 9. *n.* 4. vbi dicit; *nec oportet, vt infirmus pro eius indulgentia consecutione designauerit Sacerdotem in particulari.* Ita etiam sentit Nauarr. *notab.* 30. *n.* 12. *cit.* Sicque laudanda est consuetudo quorundam Confessariorum, qui post absolutionem peccatorum, etiam pœnitentibus non petentibus, addunt: Concedo tibi, & applico omnes quas possum concedere, & applicare indulgentias virtute Bullarum tuarum. Vtilius tamen est, & tutius, vt habens Bullam, si aduertat, petat sibi hanc indulgentiam applicari. Vide infrà *hoc dubio, dict.* 9. *vers. Ex his infero.*

6 Dico quintò. Applicans hanc indulgentiam extra articulum mortis necessariò debet esse Sacerdos approbatus ab Ordinario. Patet ex illis verbis: *vt possit eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, qui eum à reseruatis absoluat, & plenariam indulgentiam, & remissionem obtineat.* Ita Henriq. *lib.* 7. *de indulgentiis, cap* 9. *num* 6. *litt.* A. nam dictio illa, &, est dispositio copulatiua, quæ, vt docet Nauarr. *notab.* 18. *de indulgentiis*, vtriusque partis veritatem exigit. In articulo autem mortis conueniunt Doctores posse quemlibet simplicem Sacerdotem eam applicare, est enim verè Confessarius, & ab Ecclesia habet iurisdictionem. In absentia autem Sacerdotis in mortis articulo probabile est posse etiam simplicem tonsuratum, vt docet Nauarr. *notab.* 30. *num.* 8. 9. & 10. Henriq. *lib.* 3. *de pœnitent. c.* 9. *n.* 4. & *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 6. *num.* 4. & alij, quos ipse citat. Ratio est, quia absolutio, & remissio pœnæ, quæ fit per indulgentiam, non est absolutio à peccatis, nec ab ea dependens, nec requiritur quòd concedens indulgentiam, aut eam executioni mandans, sit Sacerdos, vt docet Nauarr. *dict. notab.* 30. *num.* 8. §. *Quinto dico,* cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 20. & communiter Doctores. Quare sicut in tali articulo potest primò tonsuratus à censuris absoluere, ita & applicare hanc indulgentiam, qui quoad hunc effectum latè dicitur Confessarius, vt cum Sylu. *indulgentia,* §. 10 *vers. Sextò, n.* 26. & 31. & aliis, tenet Henriquez *dict cap.* 9. *cit. num* 4 *litt.* Z. Quòd si in tali articulo nec clericus haberi possit, existimat Nauarr. *dict. notab.* 30. *num.* 9. & cum eo Valerus *in diff. vtriusque fori*, & Diana *tract.* 11. *resol.* 107. posse laicum hanc indulgentiam applicare, Pia quidem sententia, & propter tanti Doctoris authoritatem probabilis, & quæ si non potest prodesse, saltem obesse non poterit; in rigore autem Theologo non videtur vera, vt existimat Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 14. *num.* 2. Vide Reginald. *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 157. §. *secundum,* qui refert, & sequitur Nauarrum. Extra articulum autem mortis hoc pro certo habe, neminem, præter approbatum ab Ordinario, posse hanc indulgentiam applicare.

7 Dico sextò. Hæc indulgentia extra articulum mortis applicari non potest, nisi pœnitens sit præsens; quia extra hunc articulum debet applicari in confessione, quæ non potest, fieri inter absentes in articulo autem mortis in casu raro videtur posse applicari absenti. Verbi gratia, si Parochus postquam vnctionem extremam contulit pœnitenti ægrotanti, oblitus est huius applicationem, & infirmus iamiam moritur nec potest Parochus eum adire, poterit è domo suo infirmo tali absenti applicare indulgentiam: quia si hæc potest applicari extra confessionem infirmo, qui nullum signum dederit contritionis, nec huius applicatio dependet ab absolutione sacramentali, & ex alio cap. hic est capax indulgentiæ, eo quòd supponimus, esse in statu gratiæ constitutum per confessionem, quid mirum si in hoc tali casu possit applicari in absentia, sicut etiam absens à censuris absolui, præsertim cùm nulla scientia, nec formalis petitio requiratur ex parte eius cui est hæc indulgentia applicanda, vt dictum est hoc dub. *dicto* 4.

8 Dico sextò. Articulus mortis in quo habenti Bullam conceditur applicatio huius indulgentiæ, intelligitur verus, aut moraliter præsumptus. Ita docent Nauarr. *dicto notab.* 30. *num.* 3. & 4. Corduba *quæst.* 36. *cit. punct.* 1. *dict.* 1. Rodriguez §. 9. *num.* 38. & communiter Doctores. Quia quando Papa aliquid concedit absolutè pro articulo mortis, non restringens pro vero articulo intelligi debet de vero, vel præsumpto; talis enim præsumitur voluntas Papæ, dum aliud non constat. Et probatur à simili, quia Extrema vnctio quæ conceditur in articulo mortis, absolutè datur in vero, vel præsumpto, quia non limitatur ad verum articulum; ergo cùm Pontifex non limitet ad verum, extendetur etiam ad præsumptum. Vnde probabiliter moriturus potest vti hac indulgentia; at postquam semel eam fuerit lucratus, vel semel eam sibi applicari fecerit, siue in primo, siue in secundo, aut alio mortis articulo præsumpto, iam non poterit eam lucrari ampliùs nec illa Bulla gaudere, aut vti ad idem, quia sortita est totum effectum: vt consequenter docent

cent Nauarr. *n.* 4. & Corduba *sup. dict.* 2. Bulla enim Cruciatæ semel hanc indulgentiam concedit in articulo mortis, siue verus, siue præsumptus sit. At si habet aliam Bullam, aut similem facultatem, potest illa vti in alio articulo vero, vel præsumpto semel tantùm, quia quoad hunc effectum toties in tot articulis mortis præsumptis potest vti hac indulgentia, quot Bullas, aut facultates habet ad idem. Non tamen potest hanc Bullæ indulgentiam applicans dicere: Quòd si de hac infirmitate, vel hac vice non obieris, seruetur tibi talis indulgentia pro alio articulo mortis vero, vel præsumpto, quia tali modo applicandi indulgentiam vti non potest Confessarius, nisi quando in Bulla, aut indulto expressè continetur; vt bene Nauarr. *notab.* 30. *num.* 5. *de indulgent.* Corduba *d. punct.* 1. *dict.* 3. & Rodriguez §. 9. *num.* 56. *in fine*, & Lopez *cap.* 8. *de Bulla*, *pag.* 839. at in Bulla talis concessio non reperitur. Ita intelligendus Villalobos *tract.* 27. *claus.* 9. §. 2. *n.* 9. & *claus.* 11. *n.* 3. vbi dicit posse applicari indulgentiam cum supradicta reseruatione. Oppositum sentit Diana *tract.* 11. *resol.* 106. citans pro se Villalobos *vbi sup.* & addit Diana esse valdè notandum; nam si pœnitens incideret in alium articulum mortis, non indigeret noua Bulla ad indulgentiam consequendam: hoc autem non probat, ideo nō est recedendū à nostra sententia.

9 Obiter nota cum Corduba *dict. quæst.* 36. *dict.* 2. & 3. quando indulgentia conceditur pro vero articulo mortis, tunc non lucrari in articulo mortis præsumpto, vt de se patet; quia limitata causa limitatum producit effectum; & tunc non plus valent mille Bullæ concedentes indulgentiam plenariam pro vero articulo mortis, quàm vna eiusdem tenoris. Aduerte etiam cum Nauarr. *Miscellan.* 18 *de Rosario Beatæ Mariæ Virginis*, *num.* 4. indulgentiam datam pro mortis articulo vna tantùm vice, non acquiri in articulo mortis præsumptæ, sed tantùm mortis veræ, si concessionis formula nullum requirat ministerium Confessarij, vel alterius, per quem debeat ea in tali articulo concedi, sed Papa ipse per se eam pro tali tempore concedat, qualis est indulgentia quam Pontifex in §. sequenti huius Bullæ concedit his, qui ob repentinam mortem sine confessione contriti decedunt. Ratio est, quia intentio taliter concedentis, censetur esse, vt virtute indulgentiæ quam impartitur, is qui illam consequitur, ex hoc mundo exeat liber ab onere sustinendi in futura vita pœnas peccatis suis debitas, qui exitus non contingit in præsumptæ, sed tantum in veræ mortis articulo: vnde talis indulgentia solum prodest pro vero mortis articulo.

10 Nota secundò. Indulgentia quæ conceditur simpliciter pro mortis articulo, quæ intelligitur de vero, vel præsumpto, vt dictum est, potest lucrari toties, quoties in articulum mortis probabiliter præsumptum infirmus deuenerit, si Papa non dicat semel se eam pro eo articulo concedere. Ita Corduba *suprà punct.* 1. *dicto* 3. quia indefinita iuris æquiualet vniuersali, nisi aliud de mente Papæ constat. Sic Extrema vnctio, quæ solùm est pro articulo mortis, sortitur suum effectum in quolibet articulo mortis probabiliter occurrente: beneficium enim Principis latè est interpretandum quantum patitur proprietas verborum, maximè si est fauorabile, & in nullius præiudicium. Vide Cordubam *citatum*.

11 Dico septimò. Hæc indulgentia non solùm potest applicari in articulo mortis, sed etiam in vero mortis periculo. Hoc dictum patet ex *dict. dub.* 4. de hoc cap. vbi latè probatum est, quoad effectum absoluendi à reseruatis æquiparari articulum, & periculum mortis, & iuxta rigorosam iuris acceptionem, & significationem articulus mortis extenditur ad periculum mortis, eadem enim concessione concedit Pontifex absolutionem à reseruatis, & applicationem semel in vita, & iterum in articulo mortis huius indulgentiæ; sed potest à sic reseruatis absolui in periculo mortis virtute Bullæ: ergo & applicari hæc indulgentia. Oppositam tenet Diana *tract.* 11. *resol.* 106. illud tamen non probat; tenenda ergo est nostra sententia.

12 Dico octauò. Applicari potest hæc indulgentia habenti Bullam semel in vita, & iterum in articulo mortis, quamuis pœnitens non habeat vlla peccata reseruata: quia Pontifex non limitat hanc concessionem indulgentiæ ad confessionem in qua confitentur reseruata; sed solùm limitat, vt intra annum publicationis possit bis tantùm applicari, semel in vita, semelque in articulo mortis, siue reseruata habeat, siue non. Vnde qui solùm habet peccata venialia, potest ea confiteri, & postulare, vt sibi talis indulgentia applicetur. Vide hoc dub. *dicto* 3. Aduerte tamen Dianam *tract.* 11. *resol* 107. existimare, posse pœnitentem lucrari hanc indulgentiam absque eo quòd confiteatur, si tantùm habet peccata venialia, quia Ecclesia (inquit) non consueuit præcipere confessionem nisi de mortalibus, nisi aliud exprimatur, vt docent Suarez *in* 3. *part tom* 4. *disp* 52. *sect.* 3. Bonacina *de Sacram d.* 6. *q* 1 *p.* 3. *n.* 7. & alij, quos ipse; & in hoc casu, ait, non præscribitur confessio à Papa. Verius tamen est oppositum, quod indicant illa verba, *vt possit eligere confessarium*, &c. modo tamen confessio possibilis sit, vt dictum est *num.* 4.

13 Dico nonò. Expedit (si id commodè fieri possit) vt applicans hanc indulgentiam vtatur forma in Bulla Hispana à Commissario præscripta, præsertim si applicans sit ignarus, & inexpertus, ne applicando eam erret: non tamen est necessarium vti prædictis verbis & forma, quia, vt docet Nauarr. *dicto not.* 30. *n.* 8. Rodrig. §. 9. *n.* 40. & communiter Doctores, ad concessionem, & applicationem indulgentiæ plenariæ, nulla sunt determinata verba, ideoque sufficiunt quæcumque id explicantia, qualia sunt, Concedo tibi indulgentiam in hac Bulla contentam; vel, vt in hac Bulla continetur; vel si dicat: Concedo tibi omnes Indulgentias, & gratias, quas virtute Bullarum tuarum possum tibi concedere: vel, vt habetur in nostro Rituali curatorum: Concedo tibi, & applico indulgentiam plenariam virtute Bullæ Cruciatæ, facultate mihi commissa, & tibi concessa. Imò si infirmus iamiam moritur, estque periculum in mora, his duobus verbis, Absoluo te, potest absolui à peccatis, & applicari indulgentia & à censuris absolui, si id absoluens intendat, quod semper intendere præsumendum est, dum non habet contrariam intentionem; quia semper intendet efficere quidquid potest: nam verbum, *Absolue*, ex se indifferens est ad absolutionem à peccatis, censuris, & indulgentiis; ergo potest ad omnia hæc ea intentione absoluentis determinari, & omnia illa comprehendere. Præsertim cùm non oporteat, vt absoluens suis verbis exprimat totum effectum, & modum indulgentiæ; nam satis est, vt pœnitens practicè & humano modo intelligat voluntatem, & actionem absoluentis. Vnde si pœnitens interroget confessarium. Concedis mihi indulgentiam ex vi huius indulti? & confessor vno verbo, vel signo annuat ex intentione faciendi, sine dubio satis est; quia in omni actu iurisdictionis, qui non requirit præscriptam formam verborum, hoc sufficit. Non tamen sufficit interior actus Sacerdotis, volentis tantam pœnam remittere, quantam indulgentia concedit, quia hic actus, hæc absolutio, seu remissio fit inter homines

sensibiles,

sensibiles, & in Ecclesia sensibili, & visibili, & sic debet esse aliquo modo sensibilis, & visibilis. Nam quando priuilegium conceditur alicui, vt possit absolui, semper est sermo de absolutione sensibili, & externa. Vide Suar. *tom.4.in 3.part.disp.36.sect.1. num. 6. & 7.*

14 Ex his infero cum Suar. *sup.n.*8. posse confessarium huiusmodi indulgentiam concedere per verba absolutionis sacramentalis, etiam si nihil sciat de indulto pœnitentis, neque ipse pœnitens ex obliuione, vel inaduertentia indulgentiam petat, dummodo confessarius intendat absoluere non solùm à culpa, sed etiam à pœna quantum potest, quocumque titulo: quia, vt dictum est, absolutionis verba ad vtrumque determinari possunt. Et ex parte recipientis sufficit virtualis, imò interpretatiua voluntas consequendi quantam remissionem potest; sicut ad Extremam vnctionem recipiendam sufficit voluntas interpretatiua: quam quidem interpretatiuam voluntatem aliquis infallibiliter haberet, si animaduerteret, aut interrogaretur de huius indulgentiæ consequutione. Attamen ad tollendum omne dubium, est optimum consilium, tam in hoc opere, quàm in aliis bonis, habere intentionem lucrandi quidquid possum, siue per viam indulgentiæ, siue quocumque modo: sic enim sæpè fiet, vt aliquis lucretur indulgentiam, quam sibi esse concessam ignorat, aut non aduertit. Contingit enim sæpe, vt bene aduertit Nauarrus *notab. 30. de indulgentiis, num.*16. vt multi habentes areas Bullis plenas, quibus conceditur indulgentia plenaria, sine vllius acquisitione decedant. *Y assi importa que el confessor lo aduierta, y el penitente lo pida.* Est etiam optimum consilium, vt confessarij admoneant pœnitentes, quamuis non habeant reseruata, vt petant absolutionem ad cautelam ab omnibus reseruatis, si fortè aliqua, quæ ignorant, commiserint: nam sic absoluti si postea alicuius peccati reseruati recordantur, iam non manet reseruatum, & potest à quolibet approbato absolui, vt docet Rodriguez *in addit.ad* § 9.*n.*58 & diximus *sup.dub.....num.....*

15 Dico vndecimò. Hæc indulgentia, quæ pro articulo mortis conceditur, vtilior est quo tardiùs, & tempore mortis propinquiori applicatur: nam si antea concedatur, & infirmus postea peccet, indulgentia concessa, quæ solùm delet pœnas præteritas, non proderit ad satisfactionem peccati postea commissi, sed eam pœnam luere debet in Purgatorio: debet tamen confessarius esse solicitus ne infirmus repentè moriatur, indulgentia non concessa: tempus ergo accommodatius ad huius applicationem, communiter loquendo, & in eo qui non habet nisi vnam indulgentiam, est quando confertur Extrema vnctio: vt benè aduertit Nauarrus *dicto notab.* 30. *num.* 18. quòd si ægrotus, multas huiusmodi indulgentias distinctas habeat, vna earum vtatur statim cùm ad articulum mortis præsumptum venerit, & altera cùm iam efflare animam parat. Ita Nauarr. *citat.*

16 Dico duodecimò. Hæc indulgentia prodesse poterit pœnitenti bene disposito quamuis confidentia etiam positiua huius Bullæ & indulgentiæ negligens fuerit in recompensandis pœnis peccatis debitis. Veritas huius dicti patet ex his quæ dicta sunt *dub.*9. §.1. nimirum virtute Bullæ absolui posse à reseruatis in confidentiam etiam positiuam huius Bullæ commissis, nam in iis duobus eadem militat ratio. Nec requiritur vt Bullam in statu gratiæ acceperit, sed sufficit vt in eo existat tempore quo ei indulgentia applicatur, quia acceptio Bullæ solùm est dispositio remota præparans, & conditio requisita, vt possit hæc indulgentia applicari. Vide Sot. *in 4. dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 3. Nauarr. *de indulgent.notab.* 18 *num.* 16. 17. & 19.

17 Sed quæres an quando quis habet multa indulta, ratione quorum illi multæ & distinctæ indulgentiæ pro articulo mortis conceduntur, prosint illi magis multæ Bullæ, seu indulta quàm vnum. Respondeo, si omnes indulgentiæ concedantur pro vero mortis articulo, non plus prodesse plures, quàm vnam, quia vnicus est articulus mortis. Quòd si absolutè pro articulo mortis conceduntur, quo in casu intelligitur verus, seu præsumptus, vt diximus cum Cordub. *supr. in notab.* 2. *dicti sexti*, tunc magis prosunt plures quàm vna, quia si idem multoties incidat in articulum præsumptum mortis, poterit etiam toties applicari indulgentia, si eam habeat. Ita Rodriguez §. 9. *num.*42. vide *sup. dicto cap. in notab.* 1. & 2.

DVB. XX.

De indulgentia quæ conceditur iis, qui contriti absque confessione decedunt.

1 QVia huius indulgentiæ declaratio pendet ex dictis dubio superiori, visum est nobis aliquid de ea dicere, antequam vastam commutationem votorum aggrediamur. Concedit igitur Pontifex in §. immediatè sequenti hanc indulgentiam, his verbis: *item si dicto anno durante contingat, vel ob repentinam mortem, vel confessorum absentiam, sine confessione decedere, modò contriti decesserint, & priùs statuto tempore confessi fuerint, & neque huius concessionis fiducia negligentiores fuerint, plenariam vt suprà remissionem consequantur.* Ex quibus vltimis verbis apertè constat hanc indulgentiam esse plenariam, seu totalem, sicut est superior.

2 Ad huius autem indulgentiæ consequutionem requiritur. *Primò*, vt moriens habeat Bullam. *Secundò*, vt morte repentina sine confessione decedat: vel si subitò non moriatur, saltem absque confessione in absentia confessoris decedat. Nam si adest confessarius, & tempus confessionis suppetat, pœnitens non hac, sed superiori indulgentia frui potest. Tertiò, quòd contriti decedant: nam existenti in peccato mortali, indulgentia non prodest, vel latè *suprà* §. 1. *dub.* 16. Quod limita, si moriens habeat peccatum mortale, tunc enim requiritur actualis contritio tanquam dispositio necessaria absolutè ad statum gratiæ: nam si solùm habet venialia; existimo non teneri ad contritionem actualem, cùm iam hic sit contritus quoad hunc effectum, eo quòd sit in statu gratiæ constitutus, & habeat dispositionem ad indulgentiæ consecutionem requisitam. Ratio est, quia quando concessio indulgentiæ præscribit confessionem, habens venialia tantùm non tenetur ea confiteri ad indulgentiæ consequutionem, ergo neque hic ad contritionem; quia, vt supponimus, est in gratia, & per consequens habet dispositionem requisitam. *Quartò*, quòd sic morientes confessi fuerint tempore ab Ecclesia statuto, & si tali tempore non fuerint confessi, saltem non fuerit omissa annualis confessio ob confidentiam huius indulgentiæ, & hoc significant illa verba, *Neque huius concessionis fiducia*

negligentiores fuerint, intellige in confitendo tempore debito. Per fiduciam autem intellige non concomitantem, & negatiuam, ſed poſitiuam confidentiam, & prauam fiduciam, vt dictum eſt §. 1. *dub.* 9. & docet Rodrig. § 10 *n.* 11. v.g. ſi dicat, *Bulla tengo, a la hora de la muerte me abſoluere.*

3 Ad conſequendum hanc indulgentiam non requiritur miniſterium confeſſarij, quia Pontifex ob defectum illius ipſe per ſeipſum ſic contrito morienti illam concedit. Vnde ſi adeſt confeſſarius, requiritur eius miniſterium ad conſequendam non hanc, ſed ſuperiorem indulgentiam, vt dictum eſt *dub. ſupr. dicto* 2. quo in caſu pœnitens conſequetur non hanc, ſed ſuperiorem indulgentiam; quia Pontifex hanc indulgentiam ſolùm concedit caſu quo non adeſt confeſſarius, à quo poſſit pœnitens abſolui, & indulgentia applicari. Vide Lopez *c.* 8. *de clauibus*, *pag.* 838.

4 Addit Commiſſarius in Bulla Hiſpana, huic clauſulæ hæc verba: *Y a ſus cuerpos ſe lès pueda dar Eccleſiaſtica ſepultura, ſi no huuieren muerto deſcomulgados, non obſtante el entredicho.* quæ verba etiam ſi in hac Bullæ clauſula non repetiantur, colliguntur tamen apertè ex mente talem indulgentiam concedentis, ſic decedentibus, tum etiam ex §. 3. in quo concedit Pontifex vt Bullam habentes poſſint interdicti tempore, diuinis intereſſe, & mortuorum corpora in loco ſacro ſepeliri, niſi fortè vinculo excommunicationis innodati deceſſerint, quia iſti ſi vitandi fuerint, eccleſiaſtica ſepultura carent, vt dictum eſt §. *cit dub.* 10. & latè Doctores in materia excommunicationis. Nec poſſunt ij poſt mortem virtute Bullæ abſolui, ſed tantum ab eo, qui aliàs abſoluere viuentem poterat, quia abſolutio quæ poſt mortem datur, propriè & directè non eſt abſolutio, ſed tantùm declarare eum, qui cùm ſignis contritionis deceſſit, non obiiſſe in peccato mortali, nec cum pertinacia & inobedientia. Hæc autem declaratio ſolùm pertinet ad Superiorem, & iudicem. Ita Rodrig. §. 10. vide *ſup* §. 1. *dub.* 6. *num.* 2. & Villalob. *tract.* 27. *clauſ.* 10. *num.* 2. *&* 3. Nomine autem *interdicti*, de quo hic loquitur Commiſſarius, intelligitur locale, vt colligitur ex §. *cit.* Bullæ, quia ad tollendum perſonale interdictum requiritur abſolutio, & ad fruendum Eccleſiaſtica ſepultura tempore interdicti localis (dummodo perſona non ſit perſonaliter interdicta) ſufficit habere Bullam, vt dictum eſt *dicto* §. 3. *dub.* 10.

Capvt III.

De commutatione votorum virtute Bullæ facienda.

Dvb. I.

An voti obligatio virtute Bullæ per ſolam commutationem auferri poſſit.

1 Svppono primò cum communi Doctorum, voti obligationem tolli, abſolui, aut relaxari poſſe quinque modis, ceſſatione, ſeu deſitione materiæ, interpretatione, irritatione, diſpenſatione, & commutatione. Ceſſatio voti eſt, quando id quod erat legitima materia voti deſinit eſſe talis: verbi gratia, ſi vouiſti ieiunare Aduentum, vel ferias ſextas vnius anni, anno elapſo, ceſſat votum; vel ſi materia voti facta ſit in totum impoſſibilis, votum in totum ceſſat; ſi tantùm ex parte, votum ſimiliter ex parte ceſſabit. Vt ſi vouiſti dare mille, ſi non potes ad mille, bene autem ad centum, teneris ad centum. Similiter ceſſat votum, ſi materia maioris boni ſit impeditiua: vt ſi vouiſti ire Hieroſolymam, & poſtea voueas religionem, ceſſat prius votum: quia, vt rectè docet Caiet. *verb. Votum*, quidquid impediret votum, quando fit, ſi tempore executionis adueniat, à voti obligatione excuſat. Vide Nauarr. *cap.* 12. *num.* 47. & Sayrum *in claui Regia*, *lib.* 6. *cap.* 7.

2 Voti interpretatio, eſt declarare illud non obligare defectu alicuius circunſtantiæ, cauſæ, vel conditionis, verbi gratia, ſi defuit plenus conſenſus & deliberatio, vel factum fuit metu cadente in virum conſtantem. Votum non eſt amplè interpretandum, vt docet Syluest. *verb. Iuramentum. Tertiò*, vt periculum peccati vitetur, in quo maximè attendenda eſt intentio vouentis: quo fit, vt ea in votum minimè cadere iudicandum ſit, quæ veroſimiliter quis non vouiſſet, ſi ea tunc ſibi quando vouit, in mentem veniſſent: quia ſicut iuramentum non extenditur vltra voluntatem iurantis, ita & votum. Ad interpretandum vota, nulla Superioris authoritas, ſeu iuriſdictio Eccleſiaſtica requiritur, ſed ſufficit ſola ſcientia, & intelligentia interpretantis: vnde ipſe vouens, ſi doctus, & prudens ſit, poteſt ſuum votum interpretari. Vbi obiter nota, in æquali dubio de voto, vel iuramento; verbi gratia, ſi dubitat an habuerit animum vouendi, vel iurandi, vel an vouerit, probabile eſſe & tutum, poſſe interpretari in fauorem vouentis, vt cum Soto tenet Medina *in Summa*, *lib.* 1. *cap.* 14. §. 7. *in princip.* etſi contrarium verius exiſtimet Azor. 1. *tomo*, *lib.* 11. *cap.* 4. *quæſt* 3. *&* *cap.* 16.

3 Irritare votum eſt, non approbare votum inferioris, quod ſuperioris eget approbatione, illudque omnino irritum efficere, ad quod, ſecundùm communem nulla requiritur iuriſdictio, ſeu poteſtas Eccleſiaſtica, ſed ſolùm poteſtas dominatiua, ſeu domeſtica: nimirum vt irritans, ſit dominus perſonæ vouentis, vel ſaltem materiæ voti, qualis eſt poteſtas quæ reperitur in Pontifice, Prælato, patre, viro, & domino, quia apud hos reſidet cura, & adminiſtratio rei domeſticæ: vnde fit, vt etiam hæc poteſtas in Superioribus adhuc non Chriſtianis reperiatur. Hinc etiam eſt ad irritandum nullam requiri cauſam; quare non peccat venialiter irritans votum ſine cauſa, vt docet Syluest. *votum* 4. *quæſt.* 2. & alij, quos Sayrus *libr.* 6. *cap.* 10. *num.* 14. quia vtitur iure ſuo: nec peccat inferior manifeſtans votum ſuo Superiori, ad hoc vt ſi conſentiat, adimplere teneatur votum: ſecus autem diſſentiat. At ſi Superior votum approbauit, non poteſt illud ſine cauſa irritare, aliàs peccabit; valet tamen irritatio, & ſubditus poſtea votum non ſeruans non peccat, vt docet Syluest. *ſuprà*, & alij, quia per approbationem non ſe expoliauit iure irritandi. Vota autem ſemel irrita facta legitimè, non reuiuiſcunt: vt bene Nauarr. *cap.* 12. *num.* 66. quia obligatio ſemel extincta, non reuiuiſcit. De irritatione votorum vide Syluest. *votum* 4. Nauarr. *cap.* 12. *à num.* 66. Sayr. *cap.* 10. *cit.* Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 18. Leſſium *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 10. & alios, quos iſti citant.

4 Diſpenſare votum eſt, eius obligationem ex iuſta cauſa tollere, vel aliquem à vinculo quo per votum Deo ſe obligauit, omnino eximere: vt quando vouens religionem, aut caſtitatem omnino à

Papa

Papa ex graui causa ab hac obligatione liberatur. Commutatio autem voti est, obligationem voti ex vna materia in aliam transferre: vt si votum castitatis in ieiunia, eleemosynas, aut similia mutetur: quod si fiat cum obligatione dandi aliquas pecunias, dicitur voti redemptio. In hoc ergo dispensatio differt à commutatione; quia illa tollit omnino voti obligationem; hæc autem solùm ex parte, illam in aliam materiam commutando. Conueniunt Doctores cum S. Thom. 2. 2 *q.* 88 *à* 12. *ad* 2. ad validitatem dispensationis requiri iustam causam, quia talis potestas Ecclesiæ concessa est non ad destructionem, sed ad ædificationem. Iusta autem causa censetur Ecclesiæ vtilitas, Dei honor: item vtilitas vouentis, & magna eiusdem fragilitas, per quam timetur sæpe violaturum votum: item vouentis inconsideratio, leuitas, inconstantia, timor vel alia animi perturbatio in vouendo, de quibus vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 12. Conueniunt etiam Doctores cum eodem S. Thom. 2. 2. *q.* 88 *art.* 2. quando commutatio fit in rem non euidenter meliorem, vel euidenter æqualem, sed in minorem, & inæqualem, requiri authoritatem Ecclesiæ, & iustam causam. Causæ autem iustæ ad commutandum sunt quæ sufficiunt ad dispensandum, de quibus vide Nauarrum *cap.* 12. *n.* 76. *&* 63. Sayrum *lib.* 6. *cap.* 11. Lessium *suprà n.* 95. *dub.* 11. qui *dub.* 12. aduertit, & bene, rarò vtendum esse pura dispensatione, quia rarò subest iusta causa, vt sine vllo onere condonetur, quare admiscenda est commutatio.

5 Dari autem in Ecclesia potestatem dispensandi, & commutandi vota, fides Catholica docet, & colligitur à Doctoribus apertè ex *cap.* 16. *Matth.* ibi: *Tibi dabo claues regni cælorum*; & cap. 18. ibi: *Quæcumque ligaueris super terram.* Quæ potestas spiritualis est conueniens solis Prælatis habentibus iurisdictionem in foro externo; pertinet enim ad externam gubernationem, sicut potestas relaxandi leges, conferendi indulgentias excommunicandi, &c. quia hæc potestas non est Ordinis, sed iurisdictionis: vnde ad eam non requiritur aliquis Ordo: nam, vt docent Doctores, Prælatus religionis etiam laicus potest in votis secundùm eorum priuilegia dispensare.

6 His suppositis, certum, in hac re non requiri Bullam Cruciatæ ad tollendam voti obligationem per cessationem, interpretationem, & irritationem. Nam ad primum solùm requiritur defitio materiæ. Ad secundum scientia, & intelligentia interpretantis. Ad tertium potestas dominatiua Superioris, ac proinde in priuilegiis, & indultis communiter non conceditur facultas ad tollendam voti obligationem vno ex his tribus modis, quia ad huiusmodi voti relaxationem nulla authoritas Ecclesiastica est necessaria. Solum ergo potest esse difficultas, an virtute Bullæ vota non tantùm commutari, sed dispensari possint. Ratio dubitandi esse potest, quia vt ait Toletus *libr.* 4. *cap.* 18. *in fine*, & Syluest. *votum*, 4. *quæst.* 3. cuius est commutare est etiam dispensare; at Confessarius virtute Bullæ electus potest commutare; ergo, & dispensare.

7 Cæterùm dicendum est virtute Bullæ Cruciatæ, aut similis indulti concedentis præcisè facultatem cōmutandi vota, non posse vota per eandem facultatē dispensari. Nam etsi verissimū sit quando conceditur alicui, vel delegatur facultas dispensandi vota, posse per eandem facultatem ea commutare, vt docet Syluest. *citat. ver. Secundum*, Sotus *lib.* 7. *de iust. quæst.* 4. *art.* 3. Toletus *citat.* Sà *votum n.* 2. & alij, quos Lessius *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 94. contra Nauarr. *cap.* 12. *num.* 79. Azor. *lib.* 11. *cap.* 18. *dub.* 7. (Vide Suar. *tom.* 2. *de religion lib.* 6. *de voto, cap.* 12. *à num.* 10.) & alios apud Lud. à Cruce, quorum opinionem existimat probabiliorem, etsi nostra satis ipsis probabilis videatur *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 6. *dub.* 7. *num.* 10. quia commutare est minus quàm dispensare, & continetur cum maiori, scilicet dispensatione; at qui potest maius, poterit & minus sub maiori contentum: non tamen existimo verum, cum cui conceditur, vel delegatur facultas ad commutandum vota, posse vigore eius facultatis vota dispensare, vt rectè docent Azor. *suprà dub.* 5. Syluest. & alij, quos Sayrus *suprà num.* 120. & absolutè tenendum docet Lud. *suprà num.* 11. & diximus *in Decalogo, lib.* 2. *cap.* 2 *dub.* 47. *num.* 1. Ratio est, quia maioris facultatis est dispensare, quàm commutare votum: nam qui dispensat, omnino tollit obligationem; qui verò commutat, non tollit; sed eam in aliam materiam transfert. Quare cùm dispensatio non contineatur sub commutatione, concessa facultate ad commutandum, non censetur concedi ad dispensandum. Vnde cùm in nostra Bulla (idem in Iubilæis) solùm concedatur Confessoribus facultas commutandi vota, vt constat ex illis verbis: *Item vota omnia, vltra marino, castitatis, & religionis exceptis*, per eundem Confessarium commutari. Hinc fit per eandem facultatem non posse Confessarium virtute Bullæ vota dispensare, vti docent Couarruuias *in cap. quamuis pactum*, 1. *part.* §. 3. *num.* 4. *ver. Illud verò*, & alij, qui tenent potestatem delegatam ad commutandum non extendi ad dispensandum. Et in terminis docent Angles *in floribus*, 4. *sentent. in quæst. de voto, art.* 8. *dub. vlt. concl.* 2. Ioan. Benedict. *in Summa de peccatis, libr.* 1. *cap.* 9. *in fine*, Lopez 1. *part. inst. cap.* 47. *&* 48. quos sequitur Sayrus *suprà n.* 120. *citat.* & comprobat praxis Confessariorum, & Suarez cum aliis, *lib.* 6. *de voto, cap.* 12. *num.* 4. *tom.* 2. *de religione.*

8 Ex his manet soluta ratio dubitandi, & sententia Toleti: nam falsum est eum, qui habet facultatem ad commutandum, absque alia noua facultate posse dispensare. Quod diligenter aduertere debent Parochi, Curati, aut alij Confessarij virtute Bullæ, aut Iubilæi electi, ne errent.

9 Dixi, *eum cui delegata est potestas*, &c. nam certum est eum qui potestate ordinaria potest dispensare, posse commutare, & è contra, quia huius potestas non est limitata. Ita communiter Doctores: sicque intelligendus est Toletus *sup. cit.* vide Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 10. *q.* 4. *& cap.* 19. *quæst.* 7.

DVB. II.

An facultas commutandi vota per Bullam concessa, extendatur etiam ad iuramenta.

1 SVppono primò, iuramentum fieri posse dupliciter. *Primò*, simpliciter, & absolutè, independenter à voto, & sine vlla coniunctione cum illo, quod iuramentum simplex dici potest: vt si quis absque voto iurat abstinentiam, peregrinationem, v. g. ad sanctam Mariam de Monserrat, recitare Rosarium tali die, vel Missam auditurum. *Secundò*, potest fieri iuramentum vt simul cum voto concurrat, & cum eo sit coniunctum, quod potest fieri dupliciter. *Primò*, si iuramentum præstetur ad voti emissi

emiſſi confirmationem: vt ſi vouiſti eleemoſynam certam facere, & memor iſtius voti ad maiorem confirmationem iuris, te tale votum obſeruaturum, & talem eleemoſynam daturum. *Secundò*, ſi iuramentum non præſtetur in voti confirmationem, ſed independenter ab illo fiat, & quaſi concomitanter: vt ſi quis vouit ieiunium, & poſtea iurauit illud, non quaſi votum confirmans, ſed vel immemor voti, vel omnino independenter ab illo, ac ſi vllo modo voluiſſet. Quæſtio ergo hæc procedit de iuramento primo modo facto, ſcilicet de iuramento ſimplici nudo ſumpto. Secundus autem modus quæſtione ſequenti explicabitur.

2 Suppono ſecundò, iuramentum, vt ad præſens attinet, aliud eſſe quod cedit in honorem, & cultum Dei, quod dicitur habere modum voti, ſeu iuramentum votiuum: vt ſi iures alicui te in die feſto auditurum Miſſam, vel tali die ieiunaturum, nunquam peieraturum, nec alea luſurum, vel religionem ſuſcepturum, & ſimilia. Aliud verò eſſe, quod cedit in obſequium, lucrum & commodum alterius, vt ſi iures centum Caio daturum, vel ei librum, aut fundum venditurum, vel in ciuitatem iturum, vt illius negotia geras. Vel ducturum Catherinam pauperem, vel ei dotem daturum, vel certo pauperi eleemoſynam erogaturum, &c. Rurſus iuramentum in commodum tertij factum, aut eſt ſine aliqua iniuſtitia, & turpitudine, vt ſunt immediatè allata liberè, & ſpontaneè, ſine vi, metu, vel fraude facta; aut inuoluunt iniuſtitiam, aut turpitudinem ex parte eius cui iuramentum præſtatur, aut in cuius commodum fit: vt ſi iuraſti Petro ſoluere vſuras, aut illi ob metum mortis centum dare, de quibus latiùs dixi *in Decalog. lib. 2. c. 1. dub 22. n. 2. & dub. 23.*

3 Dico igitur primò, virtute Bullæ Cruciatæ commutari poſſunt iuramenta ſimpliciter, & nudè ſumpta, quæ fiunt ſoli Deo, vel in Dei honorem. Eſt contra Azor *lib. 11. tom. 1. cap. 10. q. 2.* Leſſium *lib. 2. c. 41. dub. 12. n. 60. & 62.* & quoſdam alios. Quorum ſententiam exiſtimat probabiliorem Ludou. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp. 1. c. 6. dub. 5. n. 2.* Noſtram tamen ſententiam, quam veriorem exiſtimo, tutiſſimámque in praxi tenent Emmanuel Sà *verb. Iuramentum, num. 32. & verb votum, num 16.* Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, c. 30. n. 5.* Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. c. 14. à num. 6. vſque ad 13.* Saytus *in Claui Regia, lib. 5. c. 8. num. 9.* Lopez *c. 9. de Bulla, pag 845. col. 1.* & alij quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 8 de matrimonio, diſput. 2. n. 18. & tom. 2. operis moralis, lib. 4. c. 53. num 8.* & probabiliorem exiſtimat Villalobos *tract. 27. clauſul 9. §. 3. n. 19.* & probabiliorem iudicat Diana *tract. 11. reſol. 41.* vbi refert alios eamque probabilem ſatis, & in praxi etiam tutam cenſet Ludou. *ſup. n. 10.* Ratio fundamentalis eſt, quia vinculum voti, & iuramenti votiui, etſi in rigore ſpeculatiuo, & metaphyſico ſpecie differant, moraliter tamen, & quoad effectum diſpenſandi, & commutandi æquiparantur, & omnino conueniunt: nam tota obligatio, & materia vtriuſque vinculi, ſcilicet voti, & iuramenti votiui ordinatur ad ſolum Deum, eiuſque honorem, & Deus ſolus eſt eius obligationis creditor, quia vtriuſque obligatio promanat ex virtute religionis, & ideo votum, & iuramentum votiuum habent eundem diſpenſationis, & commutationis modum, eundem finem, & eandem rationem, & connexionem, attento talium conceſſionum fine, & conſiderata communi fidelium exiſtimatione, qui tanquam vota reputant prædicta iuramenta votiua; at diſpoſitum in vno æquiparatorum, cenſetur diſpoſitum in altero, *lege ſumtum, ff. de ſeruo corrupto*, iuncta lege *ſi quis ſeruo, Codice de furtis*, & docet Gloſſa *cap. ſi poſtquam, verb. promiſſione, de electio. in 6.* quam commendat Abbas *cap. 2. num. 10. de mut. pet.* at quoad hæc priuilegia verè æquiparantur huiuſmodi iuramenta, & vota; ergo diſpoſitum in vno, cenſetur in alio diſpoſitum. Minor probatur, & declaratur, quia in Bullæ priuilegio conceditur facultas remittendi, vel commutandi obligationem ex virtore religionis ſoli Deo tanquam creditori acquiſitam: & ſolùm ſpectatur an etiam homini ius comparatum ſit, vt contingit in iuramentis non Deo, ſed homini præſtitis: at tam voti, quam iuramenti ſoli Deo præſtiti, obligatio ſoli Deo acquiritur; ergo facultas circa vota conceditur ad iuramenta in Dei honorem facta.

4 Ex dictis colligitur primò, hanc ſententiam eſſe veram etiamſi iuramentum non habeat incluſam promiſſionem, ſed abſque ea ſoli Deo fiat, vt docent Suarez *cit. cap. 14. num. 11.* & Sanchez *lib. 4. cit. cap. 53. num. 9.* cum Lopez *2. part inſtr. cap. 9. de clauibus colum. 5 verſ. Ad punctum denique*, quia quomodocumque ſoli Deo fiat, reputatur tanquam votum, cum ſoli Deo obligatio ex illa quæratur ex virtute religionis, & ita militat ratio ſupradicta.

5 Colligitur ſecundò è contrario, ſi poteſtas delegata per aliquam Bullam eſſet ad iuramenta ſoli Deo facta, extendendam quoque eſſe ad commutationem votorum, propter rationem dictam, quamuis iuramenta illa nullam includant promiſſionem. Ita Suarez *cap. 14. citat. numero 14.* & Sanchez *cap. 53. numero 10.* quia nimirum hæc duo æquiparantur quoad diſpenſationem, & commutationem: vt dixi *in Decalogo, lib. 2. cap. 1. dub. 23. numero 5.* & tenet Lud. à Cruce *in expoſit. Bullæ diſp. 1. c. 6. dub. 5. num. 12.*

6 Colligitur tertiò, idem eſſe dicendum, ſi generaliter concedatur facultas per aliquod priuilegium ad iuramenta ſine præiudicio tertij commutanda: nam talis facultas extendenda quoque eſt ad vota, quia per illa iuramenta præcipuè intelliguntur, quæ in ſolum Dei honorem, vel de aliquo virtutis actu fiunt; at reſpectu Dei nullum eſt præiudicium, quando ex cauſa relaxantur, vel commutantur vota per authoritatem legitimam.

7 Colligitur quartò, facultatem Bullæ ad vota commutanda extendendam eſſe ad iuramenta adiuncta contractui, in quo eſt turpitudo, & iniuſtitia in creditore, quale eſt iuramentum vi, vel metu extortum, vel ſoluendi vſuras. Eſt contra Sanchez *ſupra n. 13.* & Suar. *cap. 14. citat. num. 13. & tom. 2. de religione, tract. de iuramento, lib. 2. cap. 41. num. 13.* & Ludouic. *ſuprà num. 13. & 14.* Ita tamen docent Barthol. Ledeſma *in Summa Sacramentorum, tractat. de matrimon. dub. 13. poſt 3. concluſ.* Manuel *1. tom. Summ. in 2. editio. cap. 231. num. 4. & cap. 189. numero 9. & capit. 44. num. 4.* quia tota ratio propter quam iuramentum votiuum, & votum æquiparantur in commutando, eſt, quia per iuramenta votiua, ſed in Dei honorem facta, nullum ius homini acquiritur; ſed per prædicta iuramenta nullum ius homini paratur: ergo quamuis hæc iuramenta non ſint præcipuè in Dei honorem facta, ſed intuitu hominis, cùm per ea nullum ius homini ſit quæſitum, in commutando cum votis æquiparari debent. In tali enim iuramento duplex poteſt obligatio conſiderari: altera expreſſa facta homini, & ex hac parte iuramentum turpiter extortum non obligat, homo enim per iniuſtitiam nullum ius acquirit: altera Deo, qui in teſtem inuocatur, atque ita tenetur iurans Deo ſeruare, quod per nomen ſuum promiſit ſi,

si licitum sit: quare cùm per tale iuramentum iurans aliquo modo sit Deo obligatus, & non homini, potius induit tale iuramentum naturam voti, & iuramenti in fauorem Dei facti, quàm in hominis vtilitatem; ac per consequens in commutatione æquiparatur iuramento votiuo. Quòd si priuilegium concederet commutationem, aut relationem iuramentorum absque tertij præiudicio: absque dubio possent prædicta iuramenta relaxari, aut commutari, quia dici non potest relaxari cum præiudicio tertij, cùm per ea homini ius acquisitum non sit, & ipse iniuriam inferat exigendo, & non remittendo. Ita Suarez *cap.* 41. *citat. num* 13. Sanchez *cap* 53. *citat. num.* 15. & Lessius *lib.* 2 *cap.* 41. *dub.* 12. *num.* 63. *in fine.* Et confirmari potest, quia potest Episcopus dispensare, vel commutare omnia iuramenta, quæ potest Pontifex, si non sint ei reseruata, vt docent communiter Doctores atque, adeò poterit iuramenta vi extorta Episcopus dispensare: at ratione Bullæ possumus commutare omnia vota, vel iuramenta, quæ potest Episcopus dispensare, vt infrà *hoc cap. dub.* 6. & aliis. Cauendum tamen est, ne in huiusmodi dispensationibus adsit scandalum, vel ne cedant in Dei blasphemiam, vel Ecclesiæ contemptum. Vnde si ab infidelibus captus, cui datur facultas eundi ad suam patriam, ea conditione, vt pro redemptione mittat certam pecuniam, aut iterum illuc redire, tenetur, quamuis iniustè sit captus, etiam cum periculo vitæ pecuniam dare, vel redire; nec debet ob scandalum, & periculum blasphemiæ tale iuramentum relaxari, vt docet Sayrus *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 7.

8 Dico secundò. Iuramenta facta homini in eius vtilitatem, si acceptata sint, nullamque turpitudinem & iniustitiam contineant, virtute Bullæ commutari non possunt. Ita Lopez, *cap.* 9. *de Bulla, pag.* 182. *col.* 2. est commune. Et ratio est, quia Summus Pontifex talia iuramenta relaxare non potest sine graui & iusta causa, quas vide apud Azor. *libr.* 11. *cap.* 9 *quæst.* 10. & Lessium *libr.* 2. *cap.* 42. *dub.* 12. quia non potest Pontifex ius alterius tollere sine iusta causa.

9 Dixi, *si facta sint homini in eius vtilitatem*; nam si non cedat in vtilitatem eius cui præstatur, sed tantùm in vtilitatem iurantis, potest commutari per Bullam; quia tale iuramentum potest dispensari: vt si iurasti Petro te auditurum Missam, vel non admissurum tale peccatum, quia huiusmodi iuramenta magis inducunt rationem voti, quàm iuramenti, & per ea nullum ius homini, sed tantùm Deo paratur: ob eandem rationem virtute Bullæ potest commutari iuramentum quo iurasti daturum dotem vel eleemosynam Franciscæ, si finis iuramenti fuit tantum pietas, & Dei obsequium. Secus autem si principalis finis fuerit subleuare puellæ necessitatem, illique succurrere.

10 Dixi, *si ab homine sit acceptatum*: nam si non ab eo acceptatum fuerit, quamuis in eius vtilitatem sit factum, sicut potest dispensari ab habente facultatem, vt docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 11. *num.* 62. ita & poterit virtute Bullæ commutari. Ratio est, quia ante acceptationem, homo non habet ius acquisitum, & tale iuramentum ante acceptationem censetur quasi soli Deo factum. Imò probabile mihi est, iuramentum in solius hominis vtilitatem factum, ante validam ipsius hominis aut alterius ab eo habentis facultatem, acceptationem, non esse obligatorium in conscientia, vt docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 4 *num.* 21. & *cap.* 17. *dub.* 7. *num.* 52. quia vt docent communiter Doctores, iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit: at simplex & nuda promissio homini facta ante validam acceptationem non parit in conscientia obligationem, vt tenet communis Doctorum, teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. ergo nec iuramento firmata antequam acceptetur. Continet enim promissio hanc tacitam conditionem, nimirum si acceptetur ab eo in cuius fauorem præstatur. Hoc tamen intellige, nisi iuramentum sit tale, vt habeat vim voti: vt cùm quis iurat se fore Religiosum, hoc enim non eget acceptatione hominis ad sui obligationem, nam à Deo acceptatur. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 4. *num.* 22. & *cap.* 17. *dub.* 7.

11 Dixi tertiò, *si nullam turpitudinem & iniustitiam contineant.* nam talia iuramenta etiamsi in hominis vtilitatem sint facta, iam dictum est hoc dub. posse commutari per Bullam, & ab Episcopo dispensari, quia cum nullum ius acquisitum est homini per tale iuramentum metu, & vi extortum, perinde se habet ac si soli Deo fieret, quòd videtur confirmari *in cap. debitores, de iureiurando*, vbi de iis qui iurant soluere vsuras, sic dicitur. Si verò de ipsarum solutione iurauerint, cogendi sunt domino reddere. Vbi non dixit vsurario, quasi ipse nullum ius, sed dominus adquisiuerit. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 11. *n.* 62.

12 Sed dices contra primum dictum: quamuis iuramentum, & votum conueniant genericè in virtute religionis differunt tamen specie. *Secundò*, etiam si demus iuramentum esse minoris obligationis, quàm votum, attamen non est pars voti, neque eius species; sed concesso maiori, non censetur concedi minus, quando id neque est pars, neque species illius; ergo facultas commutandi vota non est extendenda ad iuramenta. Respondeo concedendo votum & iuramentum differre specie; hoc tamen non obstare quin facultas ad vota commutanda extendantur ad iuramenta: quia hæc duo vincula quoad effectum commutandi, & dispensandi æquiparantur. Eodem etiam modo responderi potest ad secundum, nam nos non vtimur illo argumento, vel fundamento, alio æquiparantiæ iam declarato. Quid quòd iuramentum votiuum virtualiter includitur in voto propter promissionem Deo factam, quàm in se continet. Vnde dicit D. Anton. 2. *part. tit.* 11. §. 2. iuramentum promissorium de iis quæ pertinent ad Dei honorem includere votum: nam in communi æstimatione hæc iuramenta, quocumque modo fiant, pro voto reputantur, & sub ea voce comprehenduntur, ita vt significent debitum voluntariè contractum ea religione ad Deum. Ita Suarez *tom.* 2. *de religione, lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 11. Ac proinde mirum non est vt facultas ad vota commutanda ad talia iuramenta extendatur: quare argumentum secundum solum procedit de iuramentis in hominis vtilitatem factis. Quòd si dicas, priuilegium quantumuis sit fauorabile, non posse extendi vltra proprietatem verborum, iuxta regulam *in cap. Porrò, de priuilegiis.* Respondeo id verum esse, cùm non militat eadem ratio æquiparantiæ: cùm ergo in voto & iuramento quoad effectum dispensandi, & commutandi reperiatur eadem ratio æquiparantiæ, hinc est vt facultas ad tollendum vinculum voti extendatur ad iuramenta votiua.

D V B. III.

Utrùm virtute Bullæ possint commutari vota iurata, seu votum, & iuramentum simul concurrentia.

1 SVperiori dubio explicatum est, facultatem commutandi vota virtute Bullæ concessam extendi etiam ad iuramenta seorsim sumpta, & à votis independentia. In hoc igitur dubio videndum est, an hæc facultas extendatur ad vota iurata, id est, ad votum & iuramentum simul concurrentia, modo explicato in principio superioris dubij.

2 Dico primò. Si iuramentum præstetur ad voti emissi confirmationem: vt si voueas eleemosynam, vel ieiunium, & istius voti memor iures talia vota seruaturum, potest virtute Bullæ commutari. Ita tenet Rodriguez *in addit ad §.9 num. 111.* & Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disput. 2. num. 13. & lib. 4. oper. moral. cap. 53. num. 18.* & latè Suarez *libr. 6. de voto, cap. 14. à num. 24.* Villalob. *tract. 27. clausf. 9. §. 3. n. 30.* & Lud. à Cruce *in exposit. Bull disput. 1. c. 6. dub. 6. num. 6.* Ratio est, quia in hoc casu iuramentum nulla peculiari commutatione indiget, sed cùm sit voto accessorium, sola voti commutatione extinguitur, nam sublato principali, extinguitur accessorium; ac proinde sufficit sola potestas ad tollendum voti vinculum, quo sublato tollitur iuramentum. Et confirmari potest, quia votum eo quòd iuramento sit confirmatum, non amittit naturam voti, nam iuramentum additum voto, non destruit illud; ergo si antea votum erat commutabile, vel dispensabile, similiter etiam, postquam iuramento confirmetur; in hoc enim casu iurans seruare ieiunium quod vouit, non iurat absolutè, sed dependenter à voto: sicut qui iurat audire Missam ex præcepto, non iurat eam audire, sed pro vt est affecta præcepto, ideóque sublato præcepto audiendi Missam non obligat iuramentum. Similiter in proposito, sublato voto, quod est principale tollitur iuramentum ei accessorium, nam iuramentum sequitur naturam actus, cui adiicitur: at actus seu votum quod confirmat, est dispensabile; ergo & iuramentum.

3 Maior est difficultas, si iuramentum eiusdem rei, & circa eandem materiam non præstetur in voti confirmationem, sed independenter ab illo: vt si quis priùs vouit ieiunium, & postea iurauit idem, non quasi votum confirmans, sed vel eius immemor, vel omnino independenter; nam Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, cap. 30. n. 5* Azor. *lib. 11. cap. 10. q. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 94.* Sayrus *in claui Regia lib. 5. cap 8 num 9. vers. Dixi absque priuilegio*, & alij quos sequitur Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disput. 2. num. 23 & lib. 4. per moral. cap. 53. num 10.* & Lod. à Cruce *num. 6. cit* qui *num. 13.* nostram sententiam probabilem, & piam esse existimat, existimant priuilegium Bullæ erga votum non extendi ad votum, & iuramentum simul concurrentia circa eandem rem & materiam, quòd putat probabilius Sanchez, etiam si contrarium reputet probabile. Et probant *primò*, quia tunc sunt duo vincula diuersæ speciei, neque vnum sic dependet ab alio, vt illo sublato cesset; ergo illa duo vincula maiora sunt, & fortiora vno solo, ad quod tollendum conceditur Bullæ priuilegium: duplex enim vinculum difficilius soluitur. *Secundò*, quia quando concurrunt duo impedimenta matrimonij, probabilior sententia docet esse vtrumque in dispensatione narrandum, vt ipsa valeat: & ideò si alterum esset ex illis, in quibus potest Episcopus dispensare, alterum verò in quo solus Papa, nequiter in altero Episcopus dispensare propter concomitantiam alterius simul narrandi, & tollendi; ergo licèt possit delegatus per Bullam auferre quoduis ex illis vinculis per se stans; neutrum tamen poterit, quando vtrumque simul concurrunt. Tandem confirmatur hæc sententia, quia cùm Societas Iesu haberet à Paulo III. priuilegium commutandi vota, Gregor. XIII. illud extendit ad vota iurata sine præiudicio tertij; ergo signum est prius priuilegium non extendi ad talia vota.

4 Nihilominus tamen veriorem reputo oppositam sententiam. Vnde

Dico secundò, etiam si votum & iuramentum super eandem materiam immediatè cadant, & vnumquodque per se obliget ad Dei honorem, per facultatem dispensandi, vel commutandi in votis, auferri potest vel votum, vel iuramentum, vel vtrumque simul. Ita tenet Suarez *tom. 2. de religione, libr. 6. de voto, cap. 14. à numer. 19.* & dicit esse probabile Diana *tractat. 11. resolut. 43. & tractat. 5. miscell. resolut. 24.* Quod potest intelligi, vt talis commutatio fiat per duos actus, ita vt vna commutatio directè tendat ad tollendum vinculum voti, altera verò ad tollendum etiam directè vinculum iuramenti, vel per vnum tantùm actum, seu commutationem, quæ directè feratur ad tollendum votum, & indirectè ad tollendum iuramentum, id est, vt sublato voto tanquam principali, eo ipso quasi consequenter tollatur iuramentum: In vtroque ergo sensu procedit hæc conclusio, & in priori sensu in quo magis verificatur hæc sententia. Probatur *primò*, quia in Bulla Hispana aperte, habetur, vt possint commutari vota, etiam iurata, *Podra tambien el dicho confessor comurtales qualesquier votos, aunque sean hechos con juramentos.* Probatur *secundò*, quia ille cui concessa est simpliciter potestas dispensandi, vel commutandi in votis, qualis per Bullam conceditur, potest non semel tantùm, sed sæpiùs eum eadem persona dispensare, vel commutare in obligatione religionis erga Deum contracta per vota, vel iuramenta æquipollentia, vt constat ex *dub. praced.* ergo postquam talis dispensator, vel commutator concessit dispensationem, vel commutationem in voto, poterit eam concedere in iuramento, & eadem ratione poterit vtrumque simul tollere, quasi duas dispensationes: vel duas commutationes concedendo. *Secundò*, si quis vouisset ieiunium, & deinde commutationem eiusdem voti obtinuisset, & iterum postea iurasset ieiunium, sanè hoc iuramentum posset relaxari per eandem Bullæ facultatem, non minus quàm si votum non præexistisset, quia id est omnino impertinens; ergo quamuis simul aliquando extiterint votum & iuramentum eiusdem materiæ, poterunt per duplicem, vel quasi duplicem actum illius potestatis auferri, id est, per duos, vel vnum actum, qui directè tendat ad solutionem vtriusque vinculi. *Tertiò*, si quis haberet votum recitandi Rosarium, & iuramentum non ludendi, posset vtrumque per facultatem Bullæ commutari, non minus, quàm si vtrumque esset votum, vt vidimus *dubio præcedenti*; ergo licèt vtrumque illorum cadat in eandem materiam, poterit quoque auferri ex vi eiusdem potestatis Bullæ; nam ratio æquipatantiæ eodem modo militat quando

quando votum & iuramentum cadunt ſuper eandē materiam, quam cùm ſuper diuerſam. *Quartò*, quia quamuis votum & iuramentum ſimul concurrens, ſint duo vincula diuerſæ ſpeciei, at in ordine ad diſpenſationem & commutationem reputantur quaſi vnum & idem, & eiuſdem rationis; nec vnum addit alteri nouam grauitatem intenſiuam, ſed ſolùm extenſiuam; ergo per eandem facultatem Bullæ vtrumque auferri poteſt, cùm conſtet ex *dub. ſupra* hanc ad plura ſimilia vincula tollenda ſufficere.

5 Ex dictis collige, idem prorſus dicendum eſſe de quauis alia facultate conceſſa commutandi iuramenta Deo facta, nullam votorum faciente mentionem, nimirum eam ſimiliter extendi ad vota ſimul concurrentia cum illis iuramentis; quia eadem militat ratio æquiparantiæ ſæpiùs repetita. Et ita tenent Sanchez *lib 8. de matrim. diſp.* 3. *num.* 23. & Suarez *cap.* 14. *cit. num.* 24.

6 Teneri etiam poteſt, noſtram concluſionem in ſecundo ſenſu eſſe veram, vt docet Suarez *cit. n.* 21. nam, vt communiter Doctores docent, iuramentum in hominis vtilitatem factum ideo ab ipſo poteſt relaxari, quia tale iuramentum ſemper includit conditionem tacitam, ſi aliter fuerit contentus, vel ſi ipſe non remiſerit; ergo etiam eodem modo relaxabitur iuramentum ad Deum circa eandem materiam, & quamuis non ſit voti confirmatorium, quoties conſtiterit Deo placere, id quod eſt iuratum non fieri, ſed remittere illud, vel acceptare aliud loco illius: nam quoad hoc eadem eſt ratio in Deo, quia eadem conditio includitur in iuramento facto Deo; ſed quoties votum, & iuramentum in eandem materiam cadunt, & votum per iuſtam diſpenſationem tollitur, eo ipſo declaratur Deum eſſe contentum, vt id non fiat, vel illi placere, vt aliud loco illius fiat, ergo eo ipſo deſinit iuramentum obligare circa illam eandem materiam; quia de illa iam conſtat non eſſe tam Deo gratam, vt velit illam, ideoque cenſetur illam iam non exigere in ordine ad votum, & per directam diſpenſationem, vel commutationem voti tolli conſequenter iuramentum eiuſdem materiæ, etiamſi in voti confirmationem non ſit factum. Et confirmatur, quia cauſa illius remiſſionis non eſt reſpectiua in ordine ad hoc, vel illud vinculum, ſed fundatur ſimpliciter, & abſolutè in conditionibus, & circunſtantiis materiæ ſecundùm ſe, hic & nunc ſpectatis, vt docet Diuus Thom. 2. 2. *quæſt.* 80. *artic.* 10. ergo eo ipſo quòd ceſſat conditio incluſa in voto, ceſſat etiam conditio incluſa in iuramento, & ideo per ſe ceſſat. Qui modus tollendi iuramentum probabilis eſt: probabilius tamen videtur requiri duos, vel vnum actum, qui ex intentione commutantis, & cuius in cuius fauorem fit dirigatur directè ad tollendum vtrumque vinculum; quia cùm poſſit tolli votum remanente iuramento eiuſdem materiæ, vel è contra, ideoque vt vtrumque vinculum tollatur, videtur neceſſariò quòd actus diſpenſantis, vel commutantis ad vtrumque tollendum dirigatur, præſertim cùm iuramentum (vt ſupponimus) non ſit voti confirmatiuum, nec eius acceſſorium.

7 Dixi, ſemper in hac aſſertione votum, & iuramentum eiuſdem materiæ poſſe virtute Bullæ commutari; quia ſi ſint diuerſæ materiæ, & ſeparabiliter ſe habeant, iam diximus *dub. ſup.* facultatem commutandi vota extendi ad iuramenta diuerſæ materiæ.

8 Ad argumenta autem contra ſecundam concluſionem,

Ad primum reſpondeo, votum, & iuramentum eſſe maius vinculum, non quidem intenſiuè, ſed tantùm extenſiuè, id eſt, ad plura vincula pertinere, eiuſdem tamen rationis in ordine ad commutationem, propter eandem æquiparationem, & connexionem, & ferè eandem æſtimationem quam habent: quando enim iuramentum additur voto, nulla grauitas intenſiua, accreſcit voto, ſed tantùm additur nouum vinculum, quod in ordine ad diſpenſationem, vel commutationem æquiparatur voti vinculo, ac proinde facultas commutandi vota extenditur ad prædicta iuramenta. Et quamuis demus votum in ſe accreſcere ex iuramento; grauitas tamen hæc eſt accidentalis quæ non variat in ordine ad diſpenſationem, vel commutationem. Dici etiam poteſt illa duo vincula auferri tollendo votum directè, & aliud per naturalem ſequelam, vt dictum eſt in ſecundo modo.

9 Ad ſecundum negandum eſt antecedens: exiſtimo enim in eo euentu poſſe Epiſcopum diſpenſare in illo impedimento ſibi reſeruato, nihil impediente concomitantia alterius impedimenti Papæ reſeruati: vt ſi quis habens votum non nubendi, velit ducere conſanguineam, poterit Epiſcopus diſpenſare in voto non nubendi, & Papa in conſanguinitate, vt docent multi, & graues Doctores, quos citat Sanchez. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 25. *num.* 1. quamuis, ipſe *num.* 2. contrariam teneat ſententiam. Ex quo infero cum Suarez *cap.* 14. *cit. numero* 15. habentem votum, & iuramentum, & petentem diſpenſationem voti abſolutè, non explicato iuramento, manere diſpenſatum in voto, ſi legitimam cauſam allegauerit, quia gratia non eſt ſubreptitia propter illam taciturnitatem, cùm nihil occultatum ſit, quod iure reddat difficiliorem diſpenſationem.

10 Ad tertium reſpondeo, priuilegia non ſemper operari aliquid contra, ſeu præter ius, ſed aliquando continere idem quod eſt in iure, vel illi conforme; clarius tamen quàm in iure habetur ad tollendos aliquos ſcrupulos, vt ſine dubio id fieri poſſit, quòd eſt in opinione poſitum. Sæpè enim dantur priuilegia ad dubia tollenda, quale eſt inter alia priuilegium conceſſum Societati IESV ad vota, & iuramenta tollenda. Sic idem Suarez *dicto capite* 14. *num. vltim.* & diximus ſæpe.

11 Tandem aduerte, ſi facultas diſpenſandi, vel commutandi limitata ſit ad vnicum votum, Suarez *cap.* 14. *citat. numero vltimo*, dicit eſſe probabile tunc non extendi ad votum, & iuramentum directè tollendum, quando iuramentum non ſe habet acceſſoriè, ſed conſequenter ad votum; quia hæc vincula deberent tolli per plures diſpenſationes, aut commutationes; at particularis poteſtas non extenditur ad plures actus, vnde non extenditur niſi ad votum poſtulatum. Dicit etiam eſſe probabile tolli iuramentum habens ſe ad votum concomitanter per talem facultatem, non quidem directè, ſed indirectè, & quaſi conſequenter: quia, vt dictum eſt, dubio præſenti *dicto* 2. probabile eſt per eandem diſpenſationem, qua directè tollitur votum, eo ſublato ceſſare conſequenter iuramentum de eadem materia conſequenter ſe habens ad votum, quod exiſtimat etiam probabile Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 53. *numero* 22. etſi contrarium reputet probabilius. Aduertit tamen, & bene, idem prorſus eſſe dicendum, ſi facultas illa eſſet ad vnicum iuramentum ſoli Deo factum, nulla facta mentione voti.

*

D V B. I V.

An facultas commutandi vota per Bullam, restringatur ad emissa, vel extendatur ad emittenda post illius promulgationem.

1 CErtum est quando priuilegium dispensandi, vel commutandi votum est perpetuum (qualia sunt priuilegia Religiosorum) tam ad vota præterita, quàm ad futura extendi, quia cùm priuilegia sint perpetua, respiciunt omne tempus, vt docent Suarez *tom.5. de relig de voto, lib.6 cap.13. num.2.* & Sanchez *lib.4. oper moral.cap.53. num.21.* Certum etiam est, quando priuilegia sunt temporalia; vt Bulla Cruciata, aut Iubilæum, extendi ad vota quæcumque emissa, non solùm ante concessionem Romæ factam, sed etiam postea donec publicentur. Verbi gratia, conceditur Cruciata Romæ ante duos, vel tres annos, promulgatur verò hic hodie, & conceditur pro vno anno, clarum est vota emissa ante promulgationem Bullæ, vel priuilegij, posse commutari per talem Bullam; quia simpliciter præcedunt tempus concessionis, prout incipit habere effectum à die promulgationis. Ita Sanchez *cap.53 citat.num.24.* & Suarez *sup. num.2.* Controuersia ergo est de votis emissis intra tempus, pro quo fit concessio, vt de votis factis in discursu anni pro quo conceditur Bulla, si vouens illam iam intra annum acceperit: idémque est de iubilæo, quod intra quindecim dies obtinendum, & de votis intra illud tempus emissis. Vbi obiter nota, nos agere de facultate delegata generaliter concessa, qualis, est nostræ Bullæ, vel Iubilæi: nam si determinatè, & limitatè sit concessa ad certum votum dispensandum, vel commutandum, certum est ampliùs non extendi.

2 Sotus *lib.7.de instit. quæst.4 art.3.* Cordub. *in Sum.q.149.* Graffis *1.part decis lib.2.cap.50.num.9.* Angles *in floribus, 2 part.quæst.vnica, de voto, art.8. diffic.7. proposit.3.* & Lopez *1 part. instr.c.50 col.2. vers. Aduertito tamen* quos refert Sanch. *lib.4. oper. mor.cap.13.n 25.* sentiunt priuilegium commutandi vota per Bullam intelligendum esse solùm in ordine ad ea vota quæ fuere ante Bullæ promulgationem emissa. Fundamentum horum est, quia cùm vota sint tanti momenti, absurdum videtur concedere priuilegium exemptionis ab eorum obligatione antequam emittantur.

3 Dicendum tamen est, posse per Bullam commutari vota, siue ante, siue post Bullæ promulgationem, emissa. Ita Nauarr. *in Summ.cap.12.n.80.in fin. & not.34.de indulgent n.5.vers.ex quibus.* Henriquez *lib 6.de pœnit.cap.16.n.3.litt. N, in fine, & lib.7. de indulg cap.30.num.5.* Lopez *cap.9.de clauib.fol.846.* Rodriguez *§.9.num 111.* Azor *tom.1.lib.11. cap.19. quæst.5.* Sà *verb. votum, in fin* Petr. Ledesm. *2. tom. Summ.tract.11 c.4. in fine, dub.5.* Sayr. *in Claui Regia, lib.6.c.12.n.16.* Suarez *tom.2. de relig. lib.6. de vot c.13.à num.2.* & alij, quos sequitur Sanchez *sup. num.26.* & Villalobos *tract.27.clauf.9.§.3. num.40.* & Diana *tract.11.resolut.50.*

4 Probatur primò ex tenore, & forma concessionis Bullæ, quæ est, vt, v g. Confessor possit commutare omnia vota quæ pœnitens habuerit, tribus tantùm exceptis, quæ verba generalia, & indefinitè prolata, extenduntur etiam ad futura, ex doctrina glossæ *cap.quia circa, verb.sed futuri, de priuilegiis.* vbi docet, verba indefinitè, & generaliter expressa in priuilegiis, extendi ad futura: cùm ergo verba Bullæ, seu Iubilæi, sint generalia, & indefinita, extenduntur ad vota etiam futura. Nec est cur determinanda sint ad vota ante promulgationem emissa, imò cùm ea concessio quatenus est potestas commutandi, sit gratia, beneficium, & fauor Principis, non est restringenda, sed amplianda quantum propriissimè verba intellecta patiuntur, nam etsi verba priuilegij non sint extendenda, at non sunt restringenda, ne claudant id quod sonant. Illa autem Bullæ verba propriissimè recipiunt hunc sensum, vt nimirum facultas intelligatur de omni voto, siue antè, siue post emisso; ergo est ad futura vota extendenda.

5 Secundò probatur, quia si priuilegium, vel Bulla confraternitatis concedat illam gratiam commutationis omnibus confratribus, proculdubio non conceditur pro votis tantùm emissis ante ingressum, & receptionem in confratrem: sed multo magis pro his quæ emiserit quandiu fuerit confrater; ergo idem est de Bulla Cruciatæ. Patet consequentia, quia cùm concedatur pro vno anno, eandem proportionem seruare debet ad illum annum, quam seruaret ad totam vitam, si pro tota vita concederetur; atque adeò non solùm valet tantùm ad commutationem votorum emissorum ante receptionem, vel promulgationem Bullæ, sed etiam ad omnia quæ in discursu illius anni emittuntur, si intra eundem annum commutationem petat: sicut si esset concessio pro decem annis, ad omnia vota in illis facta extenderetur; & si pro tota vita, ad omnia futura in decursu vitæ; est enim eadem proportio. Neque est ratio cur in breuiori, & non etiam in diuturno tempore sit necessaria illa restrictio.

6 Vltimò probatur. Eodem prorsus tenore conceditur in Bulla absolutio à peccatis, & censuris, quo votorum commutatio; sed illa extenditur in vniuersum ad ante, & post contracta, vt docet Nauarr. *locis sup citat.* & communiter Doctores; ergo & hæc facultas. Nec valet disparitas tradita à Soto, quòd nimirum absolutio a casibus spectet ad forum pœnitentiæ; alia verò sit facultas specialis. Non, inquam, valet, quia hæc nihil prorsus refert ad restrictionem illam in vna parte potius quàm in alia apponendam, cùm forma vtriusque concessionis sit æquè indefinita, & generalis.

Nota, circa facultatem dispensandi in votis, Rodriguez *§.9.num 116.* existimare, eam restringendam ad vota antea emissa. Sed veriùs Henriq. *lib.7. de indulgent c.30.num.5.* Suarez *sup.n.6.* & Sanchez *cit. num.28.* idem dicendum esse, eamque scilicet ad vota futura extendi, quia rationes supradictæ in potestate commutandi, idem probant in potestate dispensandi.

7 Ad rationem oppositam dicendum est, quòd homo habeat facilem viam obtinendi commutationem, si ea indiguerit, etiam pro votis futuris non esse incongruum, vel absurdum: sed esse fauorem prudenter concessum ad alliciendos homines ad opera virtutum. Maius certè inconueniens videri posset, habere similem viam obtinendi absolutionem à censuris, & à peccatis in futurum committendis, quia tunc sumi posset ansa liberiùs peccandi, quod non expedit. Quòd verò sumatur licentia faciliùs vouendi, parum refert; neutra verò occasio censetur data: & ideò licèt interdum posset malè accipi ex prauitate, vel impudentia peccatoris,

aut

aut vouentis, non ideo priuilegium est de se minus congruum, vel inconueniens. Imò ex prædicta doctrina colligitur, etiam si quis cum facilitate voueat spe, & confidentia positiua commutationis obtinendæ per priuilegium Bullæ, qua iam fruitur; adhuc hoc non obstare quominus votum sic emissum commutari possit, si causa subsit: quia videlicet priuilegium id non limitat, neque est aliqua ratio, quæ talem limitationem suadeat, quod à fortiori constat ex alia sententia communi de casibus reseruatis, quam suprà tradidimus hoc § *c.2.dub.3.& latè §.1.dub.9.* nimirum si quis peccet spe priuilegij Bullæ quod habet posse adhuc per illud absolui. Quod certius est in commutationis, vel dispensationis priuilegio, vt benè notarunt Sanchez *lib.4.oper.moral. cap.54. num.18.* & Suarez *cap.13.cit.num.6.* quia sumere licentiam ad vouendum spe obtinendi dispensationem, vel commutationem, non est per se malum, nec per se videtur contra intentionem concedentis talem facultatem: & ideo ea limitatio quatenus ad vota spectat, nunquam addi solet in huiusmodi indultis, tam Bullæ, & Iubilæi, quàm etiam cuiusuis alterius priuilegij.

8 Nota, posse Confessarium in fine anni durationis Bullæ differre commutationem, vt maturiùs deliberet post annum, si intra illum dicat: Commuto tibi hoc votum in id quod ego, vel alius existimabit commutandum. Quia iam accepit potestatem, & causam inchoauit; nec peccabit pœnitens si violat votum antequam Confessarius, vel alius dispenset; quia voti obligatio fuit extincta, & in materiam aliam saltem in genere est translata. Ita Diana *tract.11. resolut.52.* cum Sanchez *lib.4.c.54.n.3.* Lessio *lib.2.c.4.dub 16.n.109.* & aliis; sed de hoc latiùs *infrà dub 9.n.1.& seq.*

Dvb. V.

Quænam vota, & iuramenta in genere commutari possint per Bullam.

1 Svppono cum communi Doctorum, omnia vota, similiter & omnia iuramenta, quantum ad dispensationem, & commutationem Pontifici, vel Episcopo reseruata esse respectiuè, ita vt semoto priuilegio, vel speciali commissione, nullus, præter Pontificem, aut Episcopum; aut habentem Episcopalem authoritatem, vt Capitulum sede vacante, possit quodlibet votum, aut iuramentum, dispensare, vel commutare, etsi possint à peccato quo votum, vel iuramentum violatur absoluere, vt benè Nauarr. *cap.12.num.79. vers. decimo.* vide Syluest. *verb.votum 4.q.3.in fine,* & Suar. *lib.6. de voto, cap.21. à num.1.* Ratio est, quia ad dispensanda, vel commutanda iuramenta, requiritur potestas spiritualis in foro exteriori, vt dictum est *hoc cap.dub.1.* quæ iure ordinario solum residet in Papa, Episcopis, & habentibus Episcopalem authoritatem: sicque Parochus, aliúsve confessarius, non potest ordinaria potestate vota vel iuramenta dispensare, aut commutare.

2 Suppono secundò cum communi Doctorum, (quod clariùs constabit *infrà dub.15. & sequenti*) solùm quinque vota esse Pontifici reseruata, nimirum votum castitatis, religionis, votum Hierosolymitanum, Romanum, & Compostellanum, & præter hæc quinque nulla alia esse Papæ reseruata, sed esse Episcoporum potestati subiecta, eisque reseruata, & nullum ab iis inferiorem posse absque priuilegio, vel facultate ab ipsis Episcopis concessa, in illis dispensare; nec ea commutare etiam in articulo mortis. Vide Syluest. *votum 4.q.3.* & Sanch. *de quo latè lib 4.oper.moral.c.40.a n.1.vsque ad n.14.*

3 An autem Episcopus in omnibus iuramentis dispensare, vel ea commutare possit, seu an aliqua iuramenta sint Papæ reseruata, ita vt in illis prohibeatur Episcopis dispensatio, seu commutatio, variant Doctores. Tabiena *in Summa, verb.iurare quæst. 20. num.21.ad fin.* & insinuat Nauarr. *lib.2.consil.de iureiurand in priori editione, cons.3.n.4. & 5. & in posteriori edit.cons.1.n.4. & 5.* existimat nullum iuramentum, etiam si cadat supra materiam quinque votorum quæ Papæ reseruantur, esse Pontifici reseruatum, sed in omnibus iuramentis posse Episcopum dispensare, & commutare. Quod existimat probabilius Ledesma *in Summ. tom.2. tractat.13. de voto cap 4. dub.2. post quintam conclusionem*, dummodo non fiat facta in proximi vtilitatem, & fauorem. Probatur *primò*, quia in iure nullum iuramentum reperitur Pontifici reseruatum; & non sequitur, illa quinque vota sunt Pontifici reseruata; ergo etiam iuramenta de illa materia, quia obligatio voti maior est iuramenti obligatione, vt docet Sanctus Thom. 2.2. *quæst.89. art.8.* Et ex alia parte reseruatio cùm sit odiosa, restringenda est, & non amplianda, iuxta *c.odio, de regul iur.in 6 Secundò*, quia dum Pontifices per aliquod indultum concedunt facultatem relaxandi, seu commutandi omnia iuramenta, sine partis tamen præiudicio, non solent excipere aliqua iuramenta, sicut excipiunt aliqua vota, ergo signum est non esse vsu receptum aliqua iuramenta, etiam illa quinque esse Pontifici reseruata. Vnde colligit, quando Summus Pontifex in aliquo indulto concedit facultatem relaxandi iuramenta, posse sine scrupulo relaxari à confessariis illa quinque iuramenta.

4 Probabilius tamen & verius est, quinque iurata, quæ cadunt super materiam quinque votorum, quæ Papæ reseruantur, esse etiam Papæ reseruata, qualia sunt iuramenta simplicia & absoluta religionis, castitatis, iuramentum Hierosolymitanum, Romanum, & Compostellanum. Dixi, *si sint simplicia, & absoluta.* nam de votis & iuramentis conditionalibus & pœnalibus dicetur dubio sequenti. hanc tenent Caiet. 2.2. *quæst.89. artic.9. paulo post principium,* Sotus *lib.8.de iust.quæst.1.artic.9. in fine corporis* Rodriguez *2.tom.Summ. cap.100. n.3.* Toletus *lib.4.Summ cap.13.num.2.* Azor *lib.11.cap.10. q.3.* & alij quos Sanch. *lib.8. de matrimon. disp.13. num.2.& lib.3.oper.moral cap.19.num.7.* Ratio fundamentalis est, quia iuramentum Deo factum (de quo loquimur) includit votum, vt docent Sotus *sup.in solut.ad 2.* Nauarrus *c.27.num.275. versic.16.* & dictum est *hoc c.dub.2.& 3.* iuramentum namque quo aliquid Deo promittitur, nihil aliud est, quàm votum iureiurando firmatum; ergo si votum est Papæ reseruatum, similiter & iuramentum. Quod probatur, & declaratur: nam iurans Petro se daturum ei centum, id promittit Petro, confirmans promissionem testimonio diuini nominis; ergo iurans se seruaturum castitatem, aut ingressurum religionem, id promittit Deo, iuramentóque confirmat hanc promissionem, ac proinde in tali iuramento adest votum, cùm votum nihil aliud sit, quàm promissio Deo facta. Et confirmatur, quia ex eo iuramento acquiritur Deo tanquam vero creditori obligatio ab eo acceptata, faciendi aliquid in eius obsequium;

obsequium;ergo est promissio perfecta, & cùm Deo sit facta,erit votum.Deinde si quis homini promittat se ingressurum religionem, nequit homo ille remittere, quasi promissio non homini, sed Deo facta sit. Tandem probatur: nam ex eo facultas commutandi vota extenditur ad iuramenta, vt probatum est hoc cap *dub.*2. *&* 3. quia quoad vinculi solutionem est eadem ratio æquiparantiæ in vtroque: si ergo iuramentum propter rationem æquiparantiæ gaudet priuilegio voti, & sub nomine voti in fauorabilibus comprehenditur; similiter debet comprehendi in odiosis, nimirum in reseruatione; quia qui sentit commodum, sentire debet & damnum.

5 Hanc sententiam asserit Sanchez *supr. disp.* 13. *num* 4.regulariter esse veram,nimirum quando iuramentum continet promissionem; secus quando non includit promissionem, sed meram assertionem & affirmationem. Metaphysica nimis quidem distinctio, & parum, aut nihil ad rem faciens, vt pace tanti viri:nam omne iuramentum,vt docet S.Thom. 2.2. q.89. *art.*1.*in fine corporis*, aut est assertorium, aut promissorium. Assertorium est, quando inducitur ad confirmandum aliquid præsens, aut præteritum. Promissorium autem, quando ad confirmandum aliquid futurum. Conueniunt Doctores, assertorium nullam parere obligationem; sed ex eo quòd res sit, vel non, esse verum, vel falsum, eo quòd respiciat præteritum vel præsens; ac proinde in tota hac materia dispensationis, vel commutationis iuramenti non loquimur de assertorio,vt dictum est hoc *cap. dub.* 1. sed de promissorio, vtpote quia solum hoc inducat obligationem, eo quòd recipiat futurum, & contineat promissionem. Cùm ergo loquamur in præsenti de iuramento promissorio, vt ipse Sanchez fatetur, & hoc essentialiter contineat promissionem, alias enim non esset promissorium, non est admittenda distinctio Sanchez, nimirum promissorium posse induci tantùm ad asserendum. Nec obstat dicere, esse promissorium imperfectè: quia etsi imperfectè sit promissorium, cùm essentialiter non sit assertorium, necessariò debet respicere futurum, & per consequens aliquam includere promissionem, prout essentialiter distinguitur contra assertionem de re præsenti, vel præterita, ac proinde nostra sententia absolutè est vera de omni iuramento promissorio.

6 Nec obstant primæ sententiæ argumenta: nam.

Ad primum respondeo, etsi iure non reperiantur aliqua iuramenta reseruata, esse tamen reseruata propter supradictas rationes: nam etiamsi illa quinque vota non reperiantur omnia expresse in iure reseruata, vt docet Syluest. *votum* 4. *q.* 3.introductum tamen est per consuetudinem, vt solus Papa ea dispensare, vel commutare queat, de quo vide Sanchez *lib.*2.*de matrim.disput.*9. *num.*1. Suar.*tom.*2.*de relig.lib.*6. *de voto, cap.*21.*num.*1. & alios quos ipsi citant. At eadem ratio est in iuramentis promissoriis, vt explicatum est; ergo eadem consuetudine introductum est, vt illa quinque iuramenta sint etiam Papæ reseruata, cùm militet omnino eadem ratio; imò maior, propter duplex vinculum voti, & iuramenti.Nec dici potest in hoc casu fieri in odiosis extensionem de caso ad casum similem, propter solam identitatem rationis quia iuramentum promissorium in Dei honorem factum formalissimè continet votum & promissionem Deo factam, ac proinde proptie sub voto comprehenditur. Quid quòd in pœnis & odiis potest fieri extensio à caso in casum similem, quando militat eadem omnino votca, & naturalis ratio, vt docet Panormitan. *cap. quia nonnulli, vlt.de rescript.n.*11. Ibi, *tamen ex quo*, &c. *& cap. nihil, de elect. num.* 9. ibi, *quinimo*, *vbi* & Syluester *verbo lex*, *quæst.* 18. *post medium*, ibi, *& dico quòd*, &c. *& verb pœna*, §.4.ibi.*vnde dicendum*, & *verb.argumentatio*,*quæst* 1.*in fine*. Vide Nauarrum *in commen.cap pœno,de pœnitent disput.*1.*per totum*, & Sanchez *lib.*3.*de matr.disp.*42.*n.*4.*& lib.*10.*disp* 4. *num.*3.

7 Ad secundum respondeo, ex eo quòd in indulto excipiuntur vota à facultate commutandi, intelligi etiam excepta iuramenta de eadem materia propter omnimodam, vnicam, & naturalem rationem æquiparantiæ, eo quòd iuramenta promissoria in votis censeantur inclusa. At quando absolutè conceditur facultas relaxandi omnia iuramenta, admitto quidem posse etiam tolli illa quinque; non quidem, quia illa non includantur in votis, sed quia facultas generalis est, & non limitata; si in indultum concedat facultatem commutandi omnia vota, nullo excepto, absque limitatione, extenderetur etiam ad quinque vota reseruata.

8 Aduerte tamen cum Soto *lib* 8.*de iustit.quæst.*1. *artic.*9.*ad* 3.*versic. Tertium membrum*, quem sequitur Azor *lib.*11.*cap.*9.*quæst* 4. & communiter recentiores, tenentes nostram secundam sententiam,præter illa quinque iuramenta esse alia Pontifici reseruata; nimirum, iuramenta quibus confirmantur statuta Collegiorum, Academiarum, & bonorum Ecclesiasticorum ne facilè hæc bona dilapidentur,quod limitat, & benè, Sanchez *lib.*3.*operis moralis, cap.* 19.*num.*8.quando ea statuta sunt Pontificis,aut eius authoritate confirmata. Vide eundem eodem *lib.c.* 15. *n.*6. vbi disputat an vniuersitas possit statutum à se iuratum reuocare.Et resoluit cum Couarr,*de pactis*, 2. *part.* §.2. *n.*6. posse, etiamsi à Pontifice sit confirmatum; si tamen statutum principaliter concernat fauorem statuentium; secus autem si fauorem aliorum,& bonum publicum concernat, de quo vide Sanchez *c.cit.* Item reseruantur Papæ iuramenta, quibus iurantur statutum, vel statuta à Papa dimanantia. Sotus *sup. vers. Est autem hic*, Azor.& Sanchez *citatus*,ex quo colligit, & bene, secus esse vbi statutum dimanaret ab Episcopo, tunc enim Episcopus posset in eo iuramento dispensare. Addit tamen Sotus *supra citatus*, quamuis iuramenta quæ super beneficiis fiunt pertineant plenariè ad Pontificem, at si quis clericus iurauit non acceptare præbendam, posse Episcopum dispensare vbi expedire iudicauerit, imò & cogere vt accipiat, sicut.Gregor. coëgit Florentinum Archidiaconum, vt habetur *cap.Florentinum, dist.*85. Similiter solus Pontifex relaxare valet iuramenta, quibus se insignes viri astringunt, vt docet Abbas *cap.quanto, n.*8. *de iureiurando*, Azor. *sup. quæst.*4. qui bene ait huiusmodi iuramenta esse quæ Imperatores, Reges,Duces,Marchiones,Comites,supremam præsertim in temporalibus authoritatem habentes, & Episcopi præstant. Idémque Azor de iuramentis aliorum superiorum Antistitum Ecclesiarum,& eorum omnium qui proximè sunt Papæ subiecti Huiusmodi etiam est iusiurandum quod in rebus arduis, & maximè dubiis interponitur, vt tradunt Abbas, & Azor *suprà*, quale censeri potest iuramentum quo vniuersitates, ciuitates, & populi iurant se defensuros immaculatam Beatæ Mariæ Virginis conceptionem.

9 His positis facilis est huius dubij resolutio.

Dico ergo primò. Virtute Bullæ Cruciatæ commutari possunt omnia vota, tribus solum exceptis, nimirum excepto voto castitatis, voto religionis, & voto vltramarino. Ita habetur expressè in Bulla hoc

§. illis

§. illis verbis: *Et illius vota omnia (vltra marino castitatis, & religionis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium huius expeditionis per eundem confessorem commutari.* Obiter nota, in Bulla Latina anno 1607. mendosè legi vitio Typographorum, ita *Vota omnia, vltra marina (castitatis, & religionis dumtaxat exceptis)* cum deberet legi, *Vota omnia (vltra marino, castitatis, & religionis dumtaxat exceptis)* parenthesis enim quæ apponi debuerat ante votum vltramarinum, apponitur per errorem scriptorum ante votum castitatis. Quomodo autem vota sint excepta, explicabitur dum de singulis infrà agemus. Ex his euidenter colligitur, posse per Bullam commutari omnia vota Episcopo reseruata, & ex reseruatis Papæ, Compostellanum, & Romanum, quia non excipiuntur, exceptio enim firmat regulam in contrarium. Ita cum Rodriguez, Villalobos *tractat.* 27. *clauſ.* 9. §. 3. *num.* 41. & communiter Doctores.

10 Dico secundò, virtute Bullæ iuramenta absoluta religionis, castitatis, & Hierosolymitanum commutari non possunt. Ita tenent DD. asserentes iuramenta de materia votorum reseruatorum Papæ similiter esse reseruata, & docent Sanchez *lib.* 3. *c.* 54. *oper. moral. n.* 21. Probatur Bulla, vel iubileum nihil concedit expressè circa iuramentorum commutationem; sed talis potestas deducitur ex potestate circa similia vota, vt dictum est hoc cap *dub.* 2. & 3. cùm ergo nihil concedas circa vota absoluta castitatis, & religionis non est vnde colligamus potestatem hanc circa ea iuramenta commutanda. Deinde, quia iuramentum promissorium in Dei honorem factum includit votum; ergo cùm vota illa tria sint excepta, similiter excepta intelliguntur iuramenta de eadem materia.

11 Dico tertiò, virtute Bullæ possunt commutari iuramenta visitandi limina Apostolorum Petri, & Pauli, & sancti Iacobi in Compostella; tum etiam omnia alia iuramenta in quibus potest Episcopus dispensare. Ratio est, quia quoad commutationem & dispensationem eadem est ratio voti & iuramenti in Dei honorem facti; sed à facultate commutandi vota per Bullam, solùm excipiuntur illa tria; ergo similiter solùm illa tria iuramenta intelliguntur excepta: vnde in omnibus aliis poterit virtute Bullæ fieri commutatio.

12 Dubitari tamen potest an alia iuramenta, quæ cum Soto diximus esse Papæ reseruata, possint per Bullam commutari, quod dubium à nemine vidi exagitatum. Nihilominus tamen si nostram licet proferre sententiam, respondeo cum distinctione. Si loquamur de iuramentis quibus confirmatur statuta Collegiorum, Academiarum, &c. vel quibus confirmatur statutum à Papa dimanans, non possunt commutari per Bullam. Ratio est, *primò*, quia Bulla non conceditur Collegiis, & Vniuersitatibus, sed personis singularibus, quibus licet & competit posse eligere confessarium pro absolutione reseruatorum, & commutatione votorum, quod non competit communitatibus. *Secundò*, quia talia iuramenta potius vergunt in proximi vtilitatem, & commodum, quàm in Dei solius honorem, & per consequens ex eorum commutatione posset causari damnum tertio, at facultas commutandi iuramenta, non extenditur quando ex ea sequitur damnum tertio, vt latè dictum est hoc cap. *dub.* 2. *Tertiò*, quia iuramentum non mutat naturam actus cui adiicitur; sed statuta à Papa confirmata non possunt immutari absque eius speciali consensu, quia vbi Papa apponit manum, nemo alius apponere potest; ergo talia iuramenta non possunt commutati per Bullam. Imò nec quando talia statuta non sunt à Papa confirmata, videntur per Bullam posse commutari propter secundam rationem dictam; quia nimirum principaliter non concernunt Dei honorem, sed singulorum commoditatem. Tum etiam quia Bulla non conceditur communitatibus, sic videtur non posse per Bullam commutari votum quo populus vouit, vel iurauit festum alicuius Sancti. Quòd si iuramentum eo sit tantum reseruatum, quia fit à persona insigni, modo explicato, cedatque in solius Dei honorem, & non sit aliquod ex illis tribus exceptis, existimo posse virtute Bullæ commutari; quia non est ex exceptis, nec ex eius commutatione ius proximi violatur reputaturque sicut vnum ex votis non exceptis à facultate commutandi per Bullam.

13 Dico vltimò, iuxta opinionem non improbabilem asserentium nullum iuramentum esse Papę reseruatum, sed solummodo Episcopis, consequenter dici potest virtute Bullæ posse omnia iuramenta in Dei honorem facta, commutari. Ratio est, quia, vt dicemus *dub. sequenti*, quidquid potest Episcopus ordinaria potestate dispensare iam in iuramentis; quàm in votis, potest Confessarius per Bullam commutare; sed Episcopus potest in omnibus iuramentis in Dei honorem factis dispensare, vt asserunt Doctores primæ sententiæ; ergo & Confessarius virtute Bullæ commutare. Nihilominus tamen tenenda est nostra sententia vt pote probabilior, & fortioribus rationibus fulta.

14 Demum aduerte virtute Bullæ posse commutari vota Pontifici reseruata, v. g. religionis, aut castitatis, si emittantur cum expressa protestatione, ne ad illorum executionem vouens sit obligatus sub onere peccati mortalis, sed tantùm venialis, quia tale votum non est perfectum castitatis, vel religionis. Ita Bonacin. *de legib. d.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 4. *n.* 10. Diana *tractat.* 51. *resolut.* 72. consequenter poterit Episcopus in eo dispensare, Sanchez *lib.* 4. *cap.* 40. *n.* 47. similiter commutari votum non reseruatum, cum intentione efficiendi illud reseruatum, quia non est ex reseruatis, nec potest vouens præiudicare potestati Superioris. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 79. & cum aliis Diana *suprà resolut.* 75.

DVB. VI.

An virtute Bullæ commutari possint tria vota per Bullam excepta, si sint conditionalia pœnalia.

1 SVppono tanquam firmum fundamentum huius, & sequentis dubij, posse virtute Bullæ commutari omnia vota, quæ potest Episcopus potestate ordinaria dispensare, aut commutare, quia non sunt à Pontifice excepta: quod procedit etiam circa tria vota excepta, quotiescumque hæc à vera & perfecta ratione reseruatorum Papæ deficiunt, id est, quando non Papæ, sed Episcopo reseruata censentur. Hanc regulam tradunt Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 11. *à num.* 71. Medina *lib.* 1. *instr. cap.* 14. §. 6. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 30. *num.* 6. Ledesma 2. *tom. Summa tractat.* 10. *cap.* 8. *in fine tertiæ partis*, §. *Digo lo quarto.* Suarez *lib.* 6. *de voto. capite* 26. *à numer.* 16. & Sanchez *lib.* 4. *operis moralis, cap.* 54. *num.* 29. *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 15. *à num.* 1. *vsque ad* 9. Ratio est aperta, quia mens expressa Pontificia

Pontificis est, eorum solùm votorum commutationem denegare per Bullam, quæ videlicet sunt ipsi reseruata; ergo quando ea vota reseruata Pontifici non sunt, potestque Episcopus dispensare in illis, sanè potestas generaliter delegata per Bullam illa etiam complectetur. Quando autem illa tria vota à vera reseruatione Papali deficiant, & censeantur Episcopo reseruata, tractant Doctores supra citati, & constabit ex dicendis hoc, & sequenti dub.

2 Dixi, *in quibus potest Episcopus ordinaria potestate dispensare, vel commutare*, eo quòd à perfecta reseruatione deficiant, quia quoties Episcopus potest in eis dispensare ratione solius imminentis, & vrgentis necessitatis, eo quòd Papa adiri nequeat, non possunt ea per Bullam commutari, vt bene notat Suarez *suprà*, & Sanchez *cap.54. cit. num.19. & cap.34. num.7. & lib.8. de matrimon. disp.15. num* 10. qui *disp.* 1.9. retulit casus, in quibus potest Episcopus in votis Papæ reseruatis ratione solius necessitatis dispensare. Vide etiam Rodriguez 1. *tomo quæst.63. artic.6.* vide infrà *dub.15.* Et ratio est, quia in huiusmodi euentu sunt verè vota illa reseruata, & dispensatio, vel commutatio verè cadit in materiam reseruatam, & ideo casus illi non censentur Episcopales, seu iuri ordinario Episcoporum subiecti, sed potest per accidens in illis Episcopus dispensare ex benigna quadam interpretatione voluntatis Pontificis reseruantis. Sicut absolutio ab hæresi non dicitur casus Ordinario commissus, nec amittit suam rigorosam reseruationem, eo quòd per accidens ratione necessitatis imminentis possit quiuis Sacerdos in articulo mortis eam impertiri. Confirmatur etiam hoc ex quadam aperta differentia, quæ est inter potestatem delegatam, & ordinariam: nam, vt bene Suarez *sup. num.*19. potestas delegata, qualis per Bullam conceditur, non extenditur extra casus concessos, etiam si in casibus non concessis occurrat summa necessitas; quia potentia non extenditur extra suum obiectum propter quamcumque necessitatem: per priuilegium verò Bullæ solùm conceditur potestas circa commutationem votorum cum limitatione; nempe circa vota non reseruata, & excepta in eadem Bulla; & ideo nunquam extenditur ad reseruata, & excepta, etiam si maxima necessitas immineat, quia etiam in tali casu votum, per se loquendo, ac simpliciter, manet reseruatum, licèt per accidens possit Ordinarius pastor in illo dispensare ex benigna interpretatione voluntatis reseruantis. Potestas verò ordinaria per se, & quasi ex natura sua extendebatur etiam ad hos casus, nisi aliàs reseruarentur; quia hæc potestas est quasi connaturalis muneri Episcopali, & de se ad omnia vota extenditur nisi limitetur, & ideo quando occurrit casus in quo reseruatio Papæ esset in destructionem, tunc censetur casus ille relictus sub ordinaria potestate Episcoporum; quia ex vi illius epijchiæ, vel benignæ interpretationis statim ex natura rei sequitur, vt alia vota pertineant ad ordinarium pastorem, & ideo pertinent ad Episcopum, sine noua concessione ex vi suæ potestatis, quod non habet locum in facultate delegata. Vide in nostro Decalogo *lib.2. cap.1 dub.39.* vbi de hoc latè.

3 Suppono secundò, votorum reseruationem esse restringendam, & strictè interpretandam. Ita Sotus *lib.7. de iustit quæst.4. art. 3. col.5. vers. Ex his fit*, Lessius *lib. 2. de iust cap.40. dub.13. num.106. cas.7.* Sayr. *in Claui regia, lib. 6. cap. 11. num.* 48. Petrus Ledesma *tract.*10. *cap.3 dub. 7. & cap.7. in 3. parte, in 2. dicto.* Suarez *lib. 6. de voto, cap.* 21. *num.* 1. Sanchez *lib.8. de matrimon disp. 9. num.5. & lib.4. oper. moral. cap.40. num.25.* & Nauarr. *consil. 40. de voto, num. 3. lib. 3.* & Villalobos *tract. 27. claus.9. § 3. num.42.* & diximus in Decalogo *loco citat. num.*2. Est enim odiosa, & derogat ordinariæ Episcoporum potestati. Ratio est, quia reseruatio qua Papa sibi reseruat aliqua vota, non fit per concessionem, sed per ablationem iurisdictionis, & per diminutionem ordinariæ potestatis, quæ non mensuratur per affirmatiuam regulam, vt scilicet ea tantùm possint Episcopi in dispensandis votis, quæ ipsis inueniuntur concessa, sed (vt inquit Suarez *citatus*) per negatiuam, nimirum vt omnia possint quæ ipsis non inueniuntur prohibita, & ideo est propriissima, & rigorosa reseruatio. Integrum namque est Episcopis, seclusa reseruatione, dispensare in suis diœcesibus in omnibus votis, sicut Pontifici in toto orbe, quia potest Episcopus de iure diuino in suo Episcopatu facere id omne quod potest Pontifex in tota Ecclesia, vt bene Ledesma *dicta dub.7.* & multi, quos citat Sanchez *suprà disp. 9. num. 5. & cap 40. cit. num.25.* & cum pluribus Barbosa *de iure vniuerso, lib.1 cap.8. num.20. &* 21. Dispensare etenim potest Episcopus vbicumque, semper, & quando est illi expresè prohibitum, ex vrgenti causa, si casus est dispensabilis, vt inter alios docet Panorm. *in cap. at si clericum, de iud. §. 2. num.5. & 6. & gloss. ibi litt. E.* & alij. Vide Dianam *part. 2. Miscell 39. resolut.23.* & Castro Palao *tract.3. disp.6. p.4. & p.5. num. 5.* vide infra *dub.15. num.1.* & Barbosam *sup. num.22.*

4 Suppono tertiò, votum aliud esse absolutum, aliud verò conditionale. Absolutum est, quod absolutè, & simpliciter nulla adiecta conditione emittitur, vt voueo religionem, castitatem, ieiunium, eleemosynam. Conditionale verò est, quando aliquid Deo promittitur, apposita tamen aliqua conditione: vt voueo religionem, si pater meus consenserit, vel si lusero. Rursus conditionale, aliud est conditionale pœnale, aliud verò merè conditionale: conditionale pœnale est, quoties vouens minimè est affectus ad rem sub pœna in voto promissa, & illam sub conditione aliqua sibi in pœnam proponit, vt eius incurrendæ timore arceatur, & abstineatur à crimine quod cauere optat, & vitare cupit: vt si quis promittat se non lusurum sub pœna religionis, vel castitatis seruandæ. Potestque dupliciter fieri, altero modo quando vouens solùm vouit pœnæ solutionem, non verò euitationem delicti: vt voueo me daturum eleemosynam, vel ingressum religionis, si inebriatus fuero, vel si tale peccatum admisero, quod est vnum, & simplex pœnale votum: vnde quando inebriatus fuerit, non violat votum, sed adimplet conditionem, & purificat votum, & fit absolutum, hoc enim casu votum est de sola pœna, & res vitanda ponitur sub conditione. Altero verò modo quando vtrumque expresè vouetur, nempe vitatio peccati, & solutio pœnæ eo non vitiato: vt si quis voueat, vel promittat se non lusurum, aut inebriaturum sub pœna religionis, vel castitatis, vel dicendo: Voueo non ludere, & si lusero, ingrediar religionem, vel seruabo castitatem. Ex his autem votis Nauarr. *cap.11. num.* 43. quem sequitur Azor *lib.11. cap.20. quæst.13.* existimant solùm vota secundo modo facta pœnalia: verius tamen est vota vtroque modo emissa esse propriè, & verè pœnalia: sicut tenent Sotus *lib.7. de iust. quæst.2. art.1. in solut ad* 4. Toletus *in Summa, lib.4. cap.18. num.6. vers. Pœnale est.* Gomez *in Bulla Cruciata, claus* 10. *numer.99.* & alij, quos sequitur, & citat Sanchez *lib.8. de matrimon. disput.10. numer.2.* quamuis ipse *numer.3.* concordare nitatur hos authores; ac

quia

quia nimis subtilis, & metaphysica & ferè impracticabilis est talis limitatio, & de rarissime contingentibus, ideo libenter eam omitto. Ratio est, quia in vtroque casu, vouens promittit religionem, non ex affectu ad religionem, sed ad vitandum ludum, vel peccatum in conditione positum, in animo enim vouentis non eligitur res illa sub pœna promissa quasi volita, & materia suæ intentionis directè, sed quasi odiosa sibi & pœna, vt à crimine, quod cauere desiderat, se contineat.

5 Votum verò merè conditionale est, quando res promissa non promittitur quasi odiosa, & pœna vindicatiua, sed vel quasi contrahendo cum Deo, petendo ab ipso aliquid, & ad incitandum Deum offertur illi materia promissa, vt sic Deus incitetur ad rem illam optatam concedendã: vt si quis morbo oppressus, aut in alio periculo constitutus, promittit religionem si incolumis euaserit, est votum merè, & verè conditionale; quia sic vouens init quasi contractum cum Deo innominatum, faciam scilicet vt facias, id est, si hoc mihi concesseris, ingrediar religionem, & voluntas sic vouentis non fertur directè in religionem, sed in consequutionem incolumitatis, & ad impletionem conditionis, ad quam obtinendam offert Deo religionem. Hoc enim votum immediatè, & directè non amore religionis, sed sanitatis datetur.

6 Aduertendum tamen cum Ledes. 2. *tom. Summ. tract.* 10. *cap.* 8. *in* 3. *part.* §. *Para declaracion.* & Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 10. *n.* 4. *& lib* 4. *oper. moral. cap.* 40. *n.* 82. Votum conditionale aliquando esse verè conditionale; aliquando apparenter tantùm. Tunc est verè conditionale, quando particula *si*, retinet suam naturam, quæ est impedire consensum perfectum, illúmque suspendere in alicuius conditionis euentum: v. g. si Deus me ab hoc peccato præseruauerit, vel si pater consenserit, voueo religionem. Tunc autem est tantum apparenter conditionale, quando particula *si*, æquiualet particulæ *quando*, ita vt sensus sit, quando hoc, vel illud euenerit: vt si pater obierit, promitto religionem; sensus enim est, quando pater obierit, atque hic est communiter voti sensus, quando aliquis ex affectu ad rem promissam illam vouet, & ob impedimentum præsens differt voti executionem in tempus in quo illud impedimentum cessabit. Quandoque autem particula *si*, potest vtrumque sensum habere, vt si quis morbo pressus, aut in alio periculo constitutus voueat religionem, si ex eo periculo euaserit, quo in casu duplex potest esse vouentis intentio. Prior est quasi contrahendo cum Deo, ita, si incolumitatem ex hoc periculo concesseris, voueo religionem, & tunc particula *si*, retinet suam conditionis naturam, & efficit votum verè conditionale. Posterior est quando vouentis animus est affectus omnino ad religionem, at defectus salutis, aut naufragium imminens impediunt, vouetque religionem, si incolumis euaserit, ita vt sensus sit, quando euasero, & tunc est solùm apparenter conditionale, atque à principio est consensus perfectus, & absolutus. At hic posterior sensus, non est in dubio præsumendus, sed potiùs prior, ex communiter accidentibus: communiter enim in tali periculo constituti non ex affectu religionis simpliciter, & absolutè mouentur ad vouendum, sed vt salutem, aut incolumitatem consequantur, vt bene Sanch. *d. cap.* 40. *n* 82. *cit. in fine.*

7 Secundò aduerte, conditionem aliam esse de præterito, aut præsenti: vt si hoc ita se habuit, aut habet, promitto castitatem: aliã verò esse de futuro, vt si hoc euenerit, voueo religionem. Rursus hæc conditio tacitè inest quandoque aut ex iuris dispositione illam votis adiicientis, vt contingit in votis personarum subiectarum alterius potestati dominatiuæ, quæ ab ea irritari possunt, habent enim hæc vota imbibitam hanc conditionem, si Superior consenserit, aut non contradixerit: aut inest tacita conditio ex natura rei, quæ petit illam ad voti executionem, vt si vixero voueo religionem. Demum conditio de futuro alia est necessaria, vt si sol cras oriatur: alia verò contingens, vt si nauis venerit ex Asia. de quibus vide Sanch. *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 40. *n.* 85. *&* 86 Igitur his prænotatis quod quæritur est, an virtute Bullæ possint commutari vota conditionalia; & cùm hæc aliquando sint pœnalia, aliquando verò merè conditionalia, hoc dubio agemus de pœnalibus conditionalibus, dubio verò sequenti, de merè conditionalibus non pœnalibus.

8 In hac re constat primò, quando vota pœnalia sunt absolutè emissa, nulloque modo dependent ab aliqua conditione, licèt non ex ipsorum affectu emittantur, sed sint valdè odiosa, & ferè inuitè eliguntur ad vitandum dedecus, vel consequendos honores, non possunt per Bullam commutari v. g. si quis in pœnam, ac supplicium vitij admissi à se, promittat absolutè religionem, aut si quispiam eo quòd præbendam cui se opposuerat, amiserit, præ indignatione, & desperatione, ne ignominiosam vitam ducat, eandem voueat. Probatur, quia Episcopus non potest talia vota etsi pœnalia dicantur, dispensare, vt docet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 10. *num.* 9. *& lib.* 4. *oper. moral. cap.* 40. *num.* 87. & dixi *in Decalogo lib.* 2. *cap.* 2. *dub* 40. *num.* 2. nam licèt in causa impellenti ad vouendum reperiatur aliqua imperfectio; at talia vota in se absoluta sunt, & ex nullo euento pendentia, & voluntas directè tendit in materiam promissam. At quando pœnalia sunt conditionalia, voluntas non fertur directè in rem promissam: imò illius obligationem cauere intendit; nec est voluntas perfecta circa illam, sed pendens ex futuro euentu, vide Suar. *tom.* 2. *de relig. tract. de voto. lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 11. Igitur cùm talia vota sint Papæ reseruata, nec possit Episcopus ordinaria potestate dispensare, nec poterit confessarius commutare, iuxta dicta *not.* 1.

9 Constat secundò, non posse vota conditionalia pœnalia commutari per Bullam, quando conditio est de præterito, vel præsenti: vt voueo religionem in pœnam peccati, quod heri admisi: vel nunc admitto, vel nunc propono admissurum, quia vt docent Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 10. *n.* 14. *&* 1. *tomo oper. moral. lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 88 & Suarez *sup. eodem cap.* 23. *num.* 9. non potest in iis votis Episcopus dispensare, nam conditio de præterito, vel præsenti non suspendit consensum, nec impedit votum esse verè absolutum, & ita vel tunc est omnino validum, si conditio ita se habeat; vel omnino irritum, si conditio non ita se habet; ac proinde non suspenditur consensus, quapropter hic actus propriè conditionalis non dicitur, nam conditio propriè dicta est modificatio contractus, seu suspensio contractus ex incerto euentu, de quo vide Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 12. *num.* 1. & Sanchez *lib.* 5. *de matrim. disp.* 1. *num.* 1. Ex quo fit si non suspendat, in rigore non esse conditionem, nec actum conditionalem, vt habetur *L. cum ad præsens, & duplici sequent. ff. si certum petatur.* Quare licèt aliqualis imperfectio in iis votis inueniatur; quia tamen non est talis, ac tanta, qualis ac quanta in voto verè conditionali pœnali requiritur, nequit in iis Episcopus dispensare, & confessarius virtute Bullæ commutare.

10 Tota autem difficultas eſt,quando votum conditionale eſt pœnale,ac conditio eſt de futuro;vt ſi luſero, promitto religionem, me non luſurum ſub pœna religionis.

Prima ſententia docet non poſſe Epiſcopum diſpenſare,nec confeſſarium virtute Bullæ commutare,ſiue ante,ſiue poſt adimpletam conditionem. Cuius ſententiæ authores, & fundamenta refert Sanchez *lib.8 de matrim.diſp*, *10.n.6.*

11 Secunda ſententia docet poſſe diſpenſari ab Epiſcopo , & virtute Bullæ commutari ante adimpletam conditionem , non verò poſt. hanc ſententiam tenent Sotus *lib.7.de iuſt.q.2.ar.1.ad 4.& q.4. art.3.col.5.verſ.Vnum verò.* Couar. *cap. quamuis pactū.1.par §.3.n.12.de pactis in 6.* Azor.*lib.11.c.10. q. 3. & c. 10.q.13.* fauet Nauar. *cap.12.n.43.* in Summa Latina,& tenet Leſſius *lib.2.cap.40. dub.13. n. 106.caſu 7* & alij quos Sanch. *diſp.10.cit.n.7.*

12 Tertia ſententia aſſerit poſſe Epiſcopum diſpenſare,& per conſequens confeſſarium virtute Bullæ commutare ante & poſt adimpletam conditionem, ſiue pœna nondum incurſa ſit, ſiue iam incurſa ſit; ſiue vocatur ſola pœna, & non illius euitatio: vt ſi luſero,voueo religionem,ſiue vtrumque ſimul,vt voueo non ludere, & in pœnam religionem, hanc tenent.Med.*lib.1.Sum.c 14 §.6. pag.70.* Henriq. *lib. 7.de indulg.c.3.n.6.*Lop.1 *part.inſtr.c.44.col.2.verſ. Si autem ſub forma. & 2.part.* vbi *de clauibus cap. 9. pag 848.* Viuald.*in Candelab.pag. mihi 260. à n. 56.* Rodrig.(mutans ſententiam quam tenuerat in Bulla § 9.*n.124.*)*tom.1.regul q.63.art.7.* Ant.Gomez *in Bulla Cruciata,clauſ.10.n.99.*Tolet.*lib.4.Sum.c.18.n. 11.*Sà *verb.votū*,vbi de irritatione *n.11.*Sayr.*in Claui Regia,lib.6 cap.11.n.72.*Petr.Ledeſ.*2.tom. Sum.tr. 10.cap.8.in 3.part.poſt dictum quartum.* Suarez *tom. 2.de relig.tr.de voto,lib.6.cap.23. n.1. & 6.* & dicunt probabilem Leſſius *citatus*,Sotus *lib.7.de iuſt.quæſt. 4 art.3.col.5.verſ.Vnum verè dubium.*Couar.*cit.*& tenet cum aliis Sanch.*diſp.10.citat.n.8.& cap.40. cit. n.91.*& Villalob.*tr 27.clauſ.9.§.3.n.42.*Dianatr. 11. *reſ.53.*& Lud.à Cruce *in expoſit Bull. diſp. 1. cap.6. dub.9.n* 10. dicit probabile & ſecurum in praxi.

13 Quamuis omnes hæ tres ſententiæ probabiles ſint; tertiam tamen tanquam probabiliorem amplector,& amplexus ſum *in Decalogo liu.2.cap.2.dub. 40.n.3.* Ratio & fundamentum eſt , quia cùm hæc reſeruatio ſit odioſa,& per cõſequens reſtringenda, vt dictum eſt hoc dubio , vota hæc tunc reſeruata cenſeri debent,quando conditiones ſunt reſeruatæ, vt votum abſolutum religionis , caſtitatis, & votum vltramarinum , Compoſtellanum , & Romanum. At vota pœnalia conditionalia non ſunt abſolutè & ſimpliciter emiſſa; cùm enim votum ſit actus religionis , quo quis rem ſibi gratam & acceptam offert Deo in eius cultum & honorem, id ſimpliciter , abſolutè & perfectè dicetur tale, quod ex vera & directa rei promiſſæ voluntate oritur. At in votis pœnalibus nullus eſt affectus , nullaque voluntas directa rei in pœnam promiſſa , ſed potiùs hanc ſibi proponit voluntas tanquam odioſam, & non vult eam abſolutè, & ſimpliciter,imò potiùs habet propoſitum cauendi eius obligationem : quare vota abſoluta aliàs Pontifici reſeruata ſi ſint conditionalia pœnalia ; iam non cenſentur ei reſeruata , eo quòd à perfecta voti ratione deficiunt,atque ita poſſunt ab Epiſcopo diſpenſari , & per conſequens à confeſſario commutari virtute Bullæ Cruciatæ.

14 Sed dices pro prima ſententia. Ante incurſam pœna m nondum eſt caſtitatis votum , aut religionis; ergo non poteſt ab Epiſcopo diſpenſari , nec per Bullam commutari;quia diſpenſatio, vel commutatio non poteſt verſari circa id quod non eſt Reſpondeo verum eſſe ante adimpletam conditionem id votum non eſſe vndequaque perfectum,eſt tamen votum imperfectum , ſiquidem obligat imperfectè ad materiā promiſſam, nempe,vt eueniente promiſſione executioni mandetur : quare ante euentum & conditionis adimpletionem non eſt integrum vouenti reſilire ab obligatione per votum ingrediendi religionem contracta : at eo ipſo quòd non eſt perfectum,cenſetur non reſeruatum.

15 Dices ſecundò pro prima & ſecunda ſententia.Incurſa ſemel pœna, & ſic adimpleta conditione,obligatio ad religionem, vel caſtitatem eſt omnino abſoluta,& independens ab euentu futuro;ſed in iis votis , ſi abſoluta ſint, non poteſt Epiſcopus diſpenſare ; ergo nec in pœnalibus adimpleta iam conditione. Reſpondeo, etſi adimpleta conditione hæc vota quoad obligationem cenſeantur abſoluta, non tamen quoad radicem ex qua proceſſerunt,eſt enim illis imbibita ea radicis imperfectio;quia nimirum non virtutis amore directè ſunt emiſſa,ſed tanquam pœna peccati , & frænum (vt ita dicam) improbitatis,quæ imperfectio etiam manet adimpleta conditione:quod magis conſtabit *dub.ſeq.*

16 Ex dictis colligo , virtute Bullæ poſſe etiam commutari illa tria iuramenta de materia Pontifici reſeruata,ſi ſint conditionalia pœnalia.v.g. ſi luſero, vel aliud peccatum admiſero, iuro ingredi religionem , vel ſeruare caſtitatem, aut ire Hieroſolymam.Ratio eſt,quia,vt probatum eſt hoc *dub.* 2.facultas diſpenſandi,& commutandi vota,extenditur etiam ad iuramenta,& votum & iuramentum quantum ad diſpenſationem, & commutationem æquiparantur.

17 Colligo ſecundò, ſi quis, v. g. voueat abſolutè & ſimpliciter caſtitatem, & ſi eam non ſeruauerit, quaſi in pœnam voueat religionem , non poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, nec per Bullam commutari ; quia votum principale,ſcilicet caſtitatis,eſt abſolutum, & amore & affectu ipſius virtutis factum , ac proinde tale votum non cenſetur pœnale,ſed abſolutum, & Pontifici reſeruatum.

DVB. VII.

An vota merè conditionalia poſſint virtute Bullæ commutari.

1 Loquimur de votis merè conditionalibus , de materia aliàs Papæ reſeruata,& quærimus,an hæc vota merè conditionalia ſint etiam Papæ reſeruata, ita vt Epiſcopus non poſſit in eis diſpenſare;an verò deficiant à vera Papali reſeruatione , ita vt ſint iam Epiſcopalia, & poſſit in eis Epiſcopus diſpenſare , & confeſſarius virtute Bullæ commutare.

2 In qua re conſtat primò,quando vota non ſunt verè conditionalia , ſed tantùm apparenter , non poſſe Epiſcopum diſpenſare, nec confeſſarium virtute Bullæ commutare ante , aut poſt conditionis euentum. Vt ſi pater obierit , voueo religionem, quia ſunt verè abſoluta : nam illa particula ſi , non ſuſpendit euentum , ſed tantùm tollit impedimentum,& idem eſt *ſi*,ac *quando*,id eſt,quando obierit, executioni mandabitur ingreſſus religionis, quem ex nunc pro vt tunc abſolutè voueo. Ita Pett. Led. *2.tom.Sum.tract.10.c.8. concl. 2. in 3. part. poſt dictum*

dictum 4. Suarez *tom* 5. *de relig. lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 6. & Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. c.* 40. *n.* 72. *&* 93.

3 Secundò constat, non posse Episcopum dispensare quando in iis votis Papæ reseruatis conditio ibi expressa tacitè inest, vel explicatur eo modo quo inest: vt si vixero, si Deo placuerit, voueo religionem, siue ante, siue post impletam conditionem, quia huiusmodi conditio sic explicata, non reddit votum conditionale, sed est omnino absolutum, quale esset ea conditione non explicata: at si explicetur alio modo quo inest, reddit votum verè conditionale: vt si quis mortis timore ductus ob morbum præsentem, vel ob pestem grassantem, vel naufragium, promittat religionem, si viuus euaserit, ac proinde iudicandum est de his votis, sicut de aliis conditionalibus, vt statim dicemus. Vide Sanchez *lib.* 4. *cit. cap.* 40. *n.* 85. *&* 94.

4 Tertiò constat, non posse Episcopum dispensare, nec confessarium virtute Bullæ commutare, ante, aut post impletam conditionem, quando conditio est necessaria: vt promitto religionem, si sol ortus fuerit; quia cùm conditio hæc sit necessariò euentura, censetur statim sicut completa, ac proinde votum est absolutum; non secus ac si conditio esset de præterito, vel præsenti. Ita Sanchez *supr. n.* 95.

5 Quartò constat, quando conditio est de præterito, vel præsenti, non posse Episcopum dispensare; nec confessarium virtute Bullæ commutare; quia, vt probatum est *dubio supr.* conditio hæc non facit actum conditionalem, eo quòd illum ad futurum euentum non suspendat, sed verificata conditione, actus absolutè est validus & firmus. Ita Sanch. *n.* 96.

6 Difficultas ergo est, quando votum Papæ reseruatum est verè conditionale, non pœnale, & conditio est de futuro contingens, nec tacitè inest, an scilicet possit Episcopus dispensare, & confessarius virtute Bullæ commutare; in qua re triplex est sententia.

7 Prima ait, nec ante, nec post impletam conditionem posse Episcopum dispensare, nec confessarium per Bullam commutare. Ita Sotus *lib.* 7. *de iust. quæst.* 5. *art.* 1. *ad* 4. Nauarr. *in Man. Latin. cap.* 12. *n.* 43. Manuel. §. 9. *num.* 125. *& in addit ad eundem* §. 9. *num.* 116. Azor. *lib.* 11. *cap.* 20. *quæst.* 13. & alij, quos refert Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 10. *n.* 11. Fundamentum est, quia in iis votis non militat ratio quæ in pœnalibus, emittuntur enim ex affectu castitatis, aut religionis promissæ, quamuis obligatio perfecta suspendatur in euentum conditionis; at pœnalia non proficiscuntur ex amore rei promissæ.

8 Secunda sententia tenet posse Episcopum dispensare ante impletam conditionem, non tamen post. Ita tenent Lessius *libr.* 2. *de iustit. cap.* 40. *dub.* 13. *numer.* 106. *casu* 7. Sayrus *in claui Regia libr.* 6. *cap.* 11. *numer.* 77. Suarez *tomo* 2. *de religione, tract. de voto, lib.* 6 *cap.* 22. *numer.* 3. *& numer.* 13. qui eam latissimè probat. Fundamentalis tamen ratio est, quia etsi contractus fuerit à principio conditionalis, & imperfectus, at impleta conditione non minus obligat absolutè & independenter, quàm si à principio id votum omnino absolutè factum esset: ergo sicut absolutè emissum est reseruatum; ita emissum sub conditione, quando illa iam est adimpleta. Et confirmatur, quia in aliis contractibus non solùm obligatio, sed etiam contractus ipse est æquè perfectus conditione impleta, ac si absque conditione esset, vt patet in sponsalibus, & in promissione humana, & aliis; ac proinde impleta conditione pariunt eosdem effectus morales etiam odiosos, & pœnales, quos absolutè celebrati, & initi parerent. Alias probationes adducit Suarez, quarum solutio ex dicendis pro confirmatione tertiæ sententiæ constabit. Et quidem tam vota conditionalia, quàm pœnalia castitatis, & religionis ante impletam conditionem commutari posse per Bullam, & dispensari per Episcopum tanquam commune, & receptissimum asserit cum viris doctissimis Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 6. *dub.* 8. *num.* 4.

9 Tertia sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, tenet posse Episcopum in votis merè conditionalibus de materia aliàs Papæ reseruata, dispensare, siue ante, siue post impletam conditionem, & consequenter dicendum est posse confessarium virtute Bullæ similia vota commutare. Ita tenent Anton. Gomez *in Bulla Cruciata, clausula* 10. *num.* 99. Petrus Ledesma *in summ.* 2. *part. tract.* 10. *cap.* 8. *post dictum* 4. *in* 3. *part.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 10. *num.* 13. *& lib.* 4. *oper. moral. cap.* 40. *num.* 99. & sentit apertè Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 11. vbi absolutè, ac indistinctè docet, dispensationem tam in votis pœnalibus, quàm conditionalibus castitatis, ac religionis, ac reliquis reseruatis ad Episcopum pertinere. Idem tenet Diana *tract.* 11. *resol.* 54. & Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disput.* 1. *cap.* 6. *dub.* 9. *num.* 5. vbi ait esse satis probabile, & tutum in praxi, etsi *n.* 16. probabiliorem existimet oppositam saltem quoad vota conditionalia. Fundamentum huius sententiæ est, quia ad dignoscendum, an Episcopus possit in his votis dispensare, non sola obligatio expectanda est, quæ impleta conditione ex his consurgit; aliàs nec in voto pœnali rei reseruatæ posset Episcopus dispensare impleta conditione, vtpote, quia tunc instar voti absoluti obligatio. Quod est contra Suarez, & alios contrariæ sententiæ. Consideranda igitur sunt quoad hunc effectum initium, origo, & radix illius obligationis: atque ita si ea à perfecti voti reseruati natura, & perfectione deficit, poterit Episcopus dispensare, quia etsi impleta conditione, obligatio iam sit absoluta, at radix illius obligationis fuit imperfecta, hæc autem imperfectio inuenitur in voto conditionali; radix enim eius obligationis fuit imperfecta voluntas à futuro euentu pendens, quæ in ipsa obligatione quasi imbibita manet; semper enim est verum dicere, ortam esse eam obligationem ex consensu quodam imperfecto; ergo poterit in eis Episcopus dispensare: reseruatio enim tanquam valdè odiosa restringenda est ad ea vota, quæ quoad obligationem, & eius radicem sortiuntur perfectam voti castitatis ac religionis naturam. *Secundò* confirmatur. Potest Episcopus dispensare in votis pœnalibus, etiam adimpleta conditione; ergo poterit in merè conditionalibus adimpleta conditione, nam vota conditionalia pœnalia conditione adimpleta non minus quoad obligationem absoluta sunt, quàm vota conditionalia. Et tamen potest in illis Episcopus dispensare; quia in ipsis habent imbibitam radicis imperfectionem scilicet obligationem non processisse ex amore castitatis, aut religionis, sed potius ex odio: ergo similiter in conditionalibus, eo quòd in se retineant imperfectionem radicis ex qua procedunt. *Tertiò* probatur, quia, vt ipse Suarez, & multi Doctores admittunt, votum impuberis potest post pubertatem à patre irritari, quando post illam nulla noua voluntas confirmans accessit, eo quòd votum illud fuerit cum iudicij imperfectione emissum, & ea imperfectio semper durat: at idem videtur dicendum in casu præsenti, quia obligatio voti impleta conditione, non oritur ex nouo

voluntatis actu, nullus enim talis est, sed ex præterito, qui non fuit ex plena deliberatione, & consensu offerendæ illius rei Deo, sed quasi mercenariæ, & dependenter ab euentu conditionis: at hæc imperfectio, quæ in priori voluntate extitit, manet semper in radice; semper enim est verum dicere obligationem præsentem ortam esse ex illa imperfecta voluntate. *Quartò*, quia ferè semper vota hæc conditionalia non procedunt ex religionis, aut castitatis affectu, sed ex amore rei positæ sub conditione, quam vouens obtinere cupit; & vt faciliùs eam comparet, offert Deo ea vota; sicut nec vota pœnalia procedunt ex affectu rei promissæ. *Vltimò* probatur, potest Episcopus dispensare in iis votis ante impletam conditionem, vt tenet secunda sententia; ergo & pòst, nam conditionis adimpletio non mutat naturam voti conditionalis, nec tollit radicis imperfectionem, vt dictum est *suprà*. Vide in nostro Decalog. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 40. *num.* 5.

10 Ad argumenta pro secunda sententia respondeo, idem probare in voto conditionali pœnali: nam cùm sit verè conditionale, conditione impleta, est obligatio ita absoluta, ac si à principio absque conditione contracta esset. Quare respondendum est, impleta conditione vota siue pœnalia, siue purè conditionalia esse absoluta quoad vim obligandi, non tamen quoad radicem ex qua processerunt. Ad confirmationem respondeo, contractus conditionales, & vota conditionalia impleta conditione, esse perfectos quoad vim obligandi, & producendi effectus intrinsecos, qui ex natura actus proficiscuntur; non autem ad producendos effectus, qui non ex natura actus, sed ex voluntate aliena ortum habent, qualis reseruatio in votis: hæc enim cùm pœnalis sit, & odiosa respicit perfectionem voti, non tantùm quoad actualem obligationem, sed etiam quoad originem, radicem, & vim obligandi. Cum igitur huiusmodi vota etiam impleta conditione retineant radicis imperfectionem, hinc fit, quòd non censeantur Pontifici reseruata; quæ imperfectio in radice, & origine voti sufficiens est ad hoc vt talia vota non censeantur reseruata; nam si imperfectio in origine voti contingens, impertinens est ad voti reseruationem, nequiret Episcopus in votis pœnalibus dispensare, quod est contra authores secundæ sententiæ, quia illa vota impleta conditione absolutè obligant, sicut & conditionalia: dispensat autem in pœnalibus Episcopus, quia etiam adimpleta conditione retinent originis imperfectionem; cùm ergo eandem retineant vota conditionalia, etiam adimpleta conditione poterunt ab Episcopo dispensari, & virtute Bullæ commutari. Vide Sanch. *lib.* 4. *operis moralis, cap.* 40. *num.* 99. *per tot.* Ex his manet etiam soluta ratio pro prima sententia.

Dub. VIII.

An possint per Bullam commutari vota etiam quoad pœnam pecuniariam ex eorum fractione.

1 Verbi gratia, si quis vouit se non lusurum sub pœna erogandi decem aureos pauperibus quoties luserit, & sæpe fregit, & ideo est multorum aureorum debitor ex violatione illa voti, vel si quis vouit se daturum quolibet mense decem aureos pauperibus, & omisit dare decem mensibus, & sic est debitor centum aureorum: obiter aduerte eum qui vouit non ludere, aut non fornicari sub pœna centum aureorum, aut religionis, siue castitatis, non teneri ad pœnam si dum ludit, aut fornicatur, omnino est immemor pœnæ, quamuis sit memor voti, quia naturalis obliuio æquiparatur ignorantiæ inuincibili; Diana *p.* 1. *tract.* 6. *miscell. resol.* 41. *in fin.* vide Sanchez *lib.* 4. *c.* 22. *num.* 18. Quæritur ergo in huiusmodi, & similibus euentibus, an per commutationem Bullæ non solùm possint tolli huiusmodi vota quoad obligationem futuram, sed etiam quoad illam præteritam soluendæ illius pecuniæ.

2 Suppono cum ferè communi Doctorum, quos refert & sequitur Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 12. & cum multis Sanchez *lib.* 4. *oper. moralis, cap.* 52. *à num.* 7. Diana *tract.* 11. *resol.* 47. & dixi *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 39. *num.* 25. & Ludouc. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 8. *& vlt. num.* 6. posse Episcopum dispensare, & Confessarium virtute Cruciatæ commutare vota realia Deo facta, in tertij tamen vtilitatem: vt si quis vouit se daturum calicem alicui monasterio, aut Ecclesiæ, aut alicui Sancto, aut daturum dotem alicui puellæ orphanæ, aut eleemosynam alicui indigenti, nisi talia vota acceptata sint ab Ecclesia, puella, vel paupere, quia ante acceptationem nullum ius est Ecclesiæ, aut pauperi quæsitum: nam promissio, seu votum tantùm fit Deo, seu Sanctis, & non tertiæ personæ. At si acceptatum sit ab Ecclesiæ Rectore, seu paupere, commutari non poterit; quia videtur iam ius tertio esse quæsitum. Sic tenet Sayrus *suprà*, & sentit Sanchez *supra num.* 10. Nihilominus tamen si quis assereret etiam post talem acceptationem posse huiusmodi vota, iusta intercedente causa, per Bullam commutari, videtur non improbabiliter hoc dicere, quia cùm votum per se fiat Deo, & creditor obligationis ex voto procedenti sit ipse, & solus Deus, acceptatio ex parte hominis parum facit ad naturam obligationis ex voto procedentis: secus autem in iuramento, quod ex natura sua petit vt homini præstetur, ac proinde acceptatio in voto etiam facta ab eo, in cuius vtilitatem res sub voto cadens cedit, non mutat naturam voti aliàs dispensabilis, aut commutabilis.

3 Hoc supposito Nauar. *lib.* 3. *consil. tit. de voto, in priori edit. toto cons.* 35. *& in posteriori toto cons.* 21. Graffis 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 3. Sayrus *in Claui Regia, cap.* 12. *n.* 20. tenent partem negantem, idemque sentire videtur Azor. 1. *tom. lib.* 11. *cap.* 18. *quæst.* 11. *in fine.* Fundamentum huius sententiæ est, quia priuilegium Bullæ solius voti commutationem indulget: at aliud est commutare votum, & commutare pœnam ex illius fractione debitam; hanc enim pœnam non produxit votum, sed eius violatio; ergo solum votum absque alio potest per Bullam auferri.

4 Oppositum tamen existimo dicendum cum Suar. 2. *tom. de religione, lib.* 6. *cap.* 20. *n.* 18. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 15. *n.* 14. Villalobos *tract.* 27. *diff.* 9. § 3. *n.* 32. Hocque existimat probabilius Diana *tract.* 11. *resol.* 46. cum Filliuc. *tr.* 26. *cap.* 10. *num.* 255. *tom.* 1. & alijquos ipse. & tenet Lud. *in exposit. Bull disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *num.* 13. Vnde dico *primò*, qui habet generalem facultatem ad dispensandum, vel commutandum vota, siue hæc facultas sit ordinaria, siue delegata, qualis per Bullam conceditur, potest dispensare, vel commutare pœnam pecuniariam, & quamcumque aliam debitam

ex

ex fractione voti pœnalis, & eleemosynam quoque debitã ex voto absoluto, vt in exẽplis in principio dubij positis. Ratio est, quia tota illa obligatio soluendi pecuniae in vtroque casu memorato, procedit ex voto quod ab initio obligauit ad illarum solutionem, vel absolutè, vel adueniente conditione, ergo potestas commutandi in eo voto extendit se ad pecunias iam debitas, & non solùm ad eas in posterum debendas. Et confirmatur, quia quodammodo magis obligat votum ad directam materiam in quam cadit, quàm ad pœnam indirectè in talis materiæ fractione sequutam; ergo, cum possit per Bullam commutari illud votum quoad debitum iam contractum in materia directa, v.g. si quis omisit dare eleemosynam quam vouit directè, multo magis poterit quoad aliud debitum seu pœnam iam contractam ex violatione voti, v.g. quo vouit se dare decem quoties tale peccatum admiserit. Vide alias probationes apud Suarez, & Sanchez *locis citatis*. Potest etiam confirmari, quia votum absolutum, & directum dandi quotidie aliquam eleemosynam potest commutari etiam quando illud fregit vt habet communis praxis, teste Suarez *cap.* 20. *cit. n.* 19. ergo similiter votum pœnale reale etiam post illius violationem, v.g. quoties lusero, promitto dare decem hospitali. Ratio est, quia tota obligatio in vtroque pendet essentialiter à voto, in quo solus Deus est creditor, per quod votum etiam post illius fractionem nullum ius est acquisitum tertio, sed soli Deo, atque ita in vtroque euentu poterit per Bullam commutari, vt etiam diximus *in Decalogo, lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 41. *n.* 1.

5 Addo id verum esse, etiamsi Papa priùs commutasset pœnam iam debitam, vel partem remisisset, partem verò reliquisset, vt optimè notauit Suarez *num.* 10. *citat.* Et patet, tum quia licèt vouens acceptauerit Papæ commutationem, semper est illi integrum redire ad priorem obligationem, & relinquere commutationem; ergo sicut poterat priùs petere per Bullam commutationem prioris obligationis, si Papa nihil circa illam disposuisset, ita etiam postea. Tum etiam, quia absque reditu ad priorem obligationem, commutabilis manet illa pœna, quam Papa reliquit vel in quam commutationem fecit, quia nimirum illa semper est pœna debita ex vi voti, non verò specialis præcepti Pontificis: vnde non implere illam, erit sacrilegium contra votum, non autem inobedientia, vel iniustitia; ergo semper manet commutabilis per modum voti; atque adeò comprehendetur sub Bullæ generali potestate commutandi vota. Ita etiam Lud. *supr.* 15.

6 Dixi, *per generalem facultatem dispensandi, aut commutandi vota.* nam si à Pontifice concedatur limitata facultas Confessori ad commutandum id votum, relicta illa obligatione soluendæ pecuniæ iam debitæ, nequiret Confessor illam commutare; non quidem, quia illa pœna sit à Pontifice imposita, aut non debeatur ex voto; sed quia potestas fuit limitata. Ita Sanchez *cap.* 52. *citat. n.* 12. cum Suarez *supr. eo cap.* 20. *num.* 18. Ludouic. à Croce *vbi supr. num.* 12.

7 Est tamen obseruandum, petita sola commutatione voti pœnalis, vel absoluti eleemosynæ erogandæ, non extendi commutationem ad eleemosynam illam iam debitam, sed oportere eam quoque petere circa iam debitam. Ratio est, quia votum absolutè propositum de facienda eleemosyna; vel non ludendi sub tali pœna pecuniaria solùm apprehenditur vt ex nunc obligans in futurum, non verò apprehenditur obligatio præterita, ex fractione voti relicta, quoad materiam illam omissam, atque adeò vt talia vota commutentur quoad vtramque partem, nempe præteritam, & futuram oportet vtramque distinctè, & clarè proponere. Ita Suarez *citat. num.* 21. & Sanchez *cap.* 52. *citat. numer.* 13. qui *numer.* 14. docet cum Suarez *supr.* Rodriguez *eodem capit.* 20. *in fine*, & Ludouic. *supr. num.* 16. quamuis taceatur commutatio facta à Pontifice, casu quo Pontifex in parte dispensauerit, valere dispensationem, aut commutationem totius voti distinctè propositi quoad præterita, & futura, eo quòd ad hæc non referatur illa circunstantia, potest enim ille priori commutationi cedens, ita se habere, ac si illam non impetrasset.

8 Ad fundamentum Nauarri respondeo non multum vrgere; quia, vt dictum est, quando pœna debetur ex voto, non rectè distinguitur contra votum; nam est quoddam particulare votum, & connotans ordinem intrinsecum ad ipsum votum, atque adeò sublato voto, tollitur consequenter ipsa pœna.

9 Obiter nota, Nauarr. *consil.* 26. *de pænit. & remiss. libr.* 5. asserere Confessarium secundum per Cruciatam electum posse ex causa, quæ iusta videatur, pœnitentiam à primo impositam mutare, non auditis peccatis pro quibus imposita est, quod intellige de pœnitentia à superiori; Confessario: nam ad commutandam pœnitentiam ab æquali impositam, non requiritur Bulla: quia autores etiandi absolutè docent posse in confessione æqualem Confessariorum pœnitentiam commutare: vt Syluest. *confess.* 1. *quæst.* 27. Angel. *eodem verb.* 6. *numer.* 4. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 22. Viuald. *de satisfactione, pag. mihi* 119. & latè Suarez *tomo* 4. *in* 3. *part. disp.* 38. *sect.* 10. & Henriquez *lib.* 2. *de pænitent. cap.* 22. Quod procedere videtur etiam in pœnitentia conditionali pecuniaria, etiam post illius violationem, verbi gratia dandi quatuor dragmas quoties in tale peccatum reinciderit, maximè si pœnitens habeat Bullam, quia licèt prior Sacerdos sententiam tulerit, potest tamen pœnitent eandem causam in iudicium afferre, & nouam sententiam postulare, & potest confirmari iisdem fere rationibus, quibus probatum est in hoc dubio posse vota quoad pœnam pecuniariam ex illorum fractione per Bullam commutari. De pœnitentia commutanda à Confessario, latè multis citatis, Sanctius *in suis selectis disput.* 14.

DVB. IX.

An necesse sit commutationem votorum fieri tantùm intra tempus quo Bulla durat.

1 Dico primò Confessarium tempore quo Bulla durat, vel Iubileus, posse vota commutare, dicendo sic: Commuto tibi vota ea nunc in id quod ego postea, vel quidam vir doctus censuerit commutanda. Ita Rodriguez *in addit. ad §.* 9. *num.* 115. Viuald. *in suo candelabro, pag.* 258. *num.* 43. *in meis*, Sayrus *in Claui Regia: lib.* 6. *cap.* 12. *numer.* 21. *in fine*, & Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 54. *num.* 31. & Villalobos *tract.* 27. *clauf.* 9. *num.* 41. Ratio est, quia tunc verè fit commutatio intra tempus Bullæ, vel Iubilei; neque illi viro docto delegatur facultas commu-

commutandi; quia non potest eam Confessarius delegare, atque adeò iste non commutat, sed Confessarius. Nec requiritur necessariò quod determinatio materiæ in locum voti subrogandæ fiat intra tempus Bullæ, vel Iubilei: quæ materiæ determinatio potest committi cuicumque viro docto etiam laico, vt bene Sanchez citat. quia non est iurisdictionis actus, sed prudentiæ. Subdit tamen Rodriguez, fore hunc voti illius violati reum, si antequam Confessor, aut vir ille doctus materiam subrogandam præscribat, illud violet, eo quòd illa voti commutatio sit in pendenti, donec vir doctus, aut Confessarius determinet materiam. Sicut dum Pontifex dispensat, committens Ordinario, aut confessori examen veritatis precum, reus hic voti esset: illi contrauenicns antequam illi declarent. Probabilius tamen existimo oppositum: quia reuera jam facta fuit commutatio, ac proinde obligatio voti extincta circa materiam priùs promissam, est translata in materia ab ipso, vel à viro docto explicandam postea: ac proinde etiam ante illius explicationem votum non obligat. Ita Sanchez *sup. à num.* 32. & cum eo Diana *tract.* 11. *resol.* 52. Nec est simile exemplum adductum à Rodriguez, quia animus Pontificis non est omnino dispensare in eo voto, sed vel delegare Ordinario, aut confessario, vt dispenset veritate precum præcognita; vel saltem dispensationis vim suspendere vsque ad tempus; at non est ea confessarij mens; quia nec potest delegare, nec aliquod causæ examen præmitti. Nec necesse est vt ideo dicamus eam commutationem esse in pendenti, sed ipse reuera commutat, ac proinde obligationem voti extinguit circa materiam prius promissam, eam transferens ab ipso, vel à viro docto explicandam, ac proinde etiam ante illius explicationem votum non obligat.

2 Dico secundò. Si intra tempus habile Bullæ, vel Iubilei pœnitens petat à confessario commutationem votorum, & ipse velit attentiùs considerare vel quantitatem causæ, vel modum commutationis, si necessarium sit potest id facere etiam post dies Iubilei, vel tempus Cruciatæ. Ita Soarez *lib.* 6. *de voto cap.* 16. *n.* 15. & Sanchez *cap.* 54. *cit. n.* 33. quia tunc iam acceptauit potestatem, & inchoauit causam, & quodammodo concessit commutationem futuram postea quàm concessio facta fuit tempore habili, quod sufficit ad firmandam iurisdictionem, vt possit postea in particulari commutatio consummari. Hoc enim est moraliter necessarium ad conuenientem vsum potestatis delegatæ per Bullam: & qui dat potestatem, censetur dare omnia quę ad illam moraliter consequuntur, seu ad eius conuenientem vsum sunt necessaria.

3 Vnde colligo primò. Si homo recordetur se fecisse votum, non tamen speciei, seu materiæ recordatur in particulari, integrum erit confessario vti prudenti arbitrio, & modum obligationis commutare in aliquam materiam, vel maius tempus concedere ad memoriam speciei voti refricandam, etiam si terminus Bullæ, vel Iubilei transeat, quia militat eadem supradicta ratio.

4 Colligo secundò. Posse votis adstrictum petere tempore Bullæ, vel Iubilei commutari sibi omnia vota, quorum numeri non est memor; at meminit ea esse talis obiecti, & confessarium posse vti prudenti arbitrio ea commutando, atque eatenus valebit ea commutatio, vt si postea eorum meminerit, alia commutatione minimè indigeat. Ita Sanch. *sup. n.* 35. cum Sayro *in Claui Regia, lib.* 6. *c.* 12. *n* 18. tutius tamen est vti remedio explicato *dicto* 1. *& consect.* 1.

5 Colligo tertiò. Tempore quo durat Bulla posse commutari vota confusè, & generaliter, vel sub conditione, si fortè fecerit. Patet, quia modus iste generalis commutationis possibilis est, commutando nimirum ea nunc intra tempus Bullæ id omne ad quod potest se extendere facultas concessa per Bullam. Contrarium tamen sentit Suarez *lib.* 6. *de voto, c.* 16. *n* 14. Inquit enim, in commutatione votorum exigitur cognitio causæ sufficientis: petitur quoque cognitio voti & eius qualitatis; ergo in voto non habet locum iste modus commutationis generalis, vel conditionalis in quantum possum, & indiges, & ideo nulla commutatio cadere potest in vota oblita. Quæ tamen non videntur obstare; quia iam ostensum est dari modum possibilem commutationis generalis, si nimirum confessarius tempore Bullæ commutet omnia pœnitentis vota, quæ virtute illius conceduntur, quòd potest facere ea tunc in id quod ipse, vel alius iudicauerit, quando pœnitens voti emissi memor fuerit. Et confirmatur ad hominem contra Suarez, quia ipsemet *n.* 15. admittit posse cadere commutationem, etiam si pœnitens non meminerit materiæ voti, si nimirum iudicetur causa generaliter sufficiens esse, etiam si non possit æqualitas materiæ subrogatæ perpendi nisi cognita prioris voti materia; ergo idem dicendum est à Suarez in præsenti casu, dummodo adsit expressa causa generalis, qualis esset, si nimirum homo ille esset nimis aliis votis oneratus, vel ratione illorum scrupulis multum vexatus. Ita Sanch. *cap.* 54. *n.* 37. Dixi, *tempore quo durat Bulla*; quia eo elapso dicetur *dicto sequenti*.

6 Dico tertiò, Quando Bulla durante commutatio generalis, aut confusa præcessit, modo *suprà* explicato; sed aut nulla vota commutata sunt, aut ea sola quæ pœnitens commutanda detegit tempore Bullæ transacto nulla vota cõmutari poterũt. Patet, quia in Bulla expressè dicitur, finito anno cessare omnia eius priuilegia. Idem existimant aliqui, quos refert Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 15. *n.* 17. dicẽdum de Iubileo tempore illius transacto. Fundamentum est, quia ea commutandi potestas delegata confessario est ad tempus limitatum, quo iubileus durat, ergo eo transacto expirauit omnino facultas. At Sayrus *in Claui Regia lib.* 6. *c.* 12. *n.* 17. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 11. *n.* 4. Emanuel Sà *verb. indulgentia, n.* 14 quos sequitur Sanchez *disp.* 15. *cit. n.* 17. *& lib.* 4. *oper. moral. c.* 54. *n.* 39. affirmant, vota oblita; etiam nulla generali commutatione præcedente, posse transacto tempore Iubilei commutari. Fundamentum est, nam licèt opera in Iubileo præscripta alligentur tempori in eo designato, ita vt eo tempore trãsacto fieri nequeant, at iis factis eo tẽpore, consequens Iubileum comparat priuilegium, vt non solùm absoluatur ab omnibus reseruatis oblitis, vt cõmuniter docẽt Doctores, sed etiã vt quibusdam secum dispensetur, & vt cõmutentur sibi vota, vsque ad finẽ Iubilei comparari emissa, eo quòd Iubileus non alligat priuilegiũ certo tempori, vt constat ex ipsius tenore, qui vbi priùs opera facienda alligauit, descendens ad intelligentias concessas, sic ait absque vlla tẽporis determinatione: *Concedimus vt possint hac vice tantùm idoneos Presbyteros approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, licitè valeant eos absoluere, &c. necnon, & vota commutare.* Sicut si Pontifex facienti aliquid certo die, priuilegiũ aliquod indulgeat, opus alligatur tempori, non autẽ priuilegium, Confirmarique potest, quia Pontifex in Bulla Cruciatæ expressit finito anno cessare omnia eius priuilegia: cũ ergo in Iubileo id non expresserit, signũ est nõ cessare. Alias rationes vide apud Sanchez *locis citatis*.

citatis. Ex his solutum maneat fundamentum oppositæ sententiæ: nam etsi verum sit, opera præscripta in Iubileo esse tempori alligata; non tamen priuilegium illis eo tempore factis, in Iubileo concessum vt explicatum est. Ex his opinionibus tutior prima, non tamen improbanda secunda, imò tutè sequi potest ob tantorum Doctorum authoritatem & rationem satis probabilem. ideo Diana *par. 1. tract. 2. miscell. resol.* 11. reputat hanc opinionem probabilem, & tutam in praxi. Iuxta quam rationem aliquis dicere posset, adhuc transacto Bullæ tempore posse vota vsque ad finem Bullæ emissa commutari; nam sicut in Iubileo, factis operibus ibi præscriptis, acquiritur ius ad facultates ibi concessas; ita similiter dici posset, data stipe assignata pro Bulla accipienda, ea accepta acquiri ius circa absolutionem reseruatorum, & votorum commutationem, non solùm pro eo tempore, quo Bulla durat, sed etiam eo transacto; respectu tamen votorum quæ vsque ad finem Bullæ emissa sunt. Nihilominus tamen hoc verum non iudico; quia Bulla expressè limitat sua priuilegia ad annum publicationis, sæpe enim repetit, vt dicto anno durante, quod non exprimitur in Iubileo, ac proinde non est eadem ratio. Ex sua sententia infert Sanchez *Primò*, quamuis tempore Iubilei pœnitens memor voti emissi, noluerit commutationem petere, integrum ei esse transacto Iubileo eam petere; idemque existimat de dispensatione in irregul. & reliquis in Iubileo concessis; quia etsi semel noluerit eo priuilegio vti, cùm tamen sit perpetuum, nec tempori alligatum, pro casibus & votis Iubilei tempus præcedentibus, potest mutare sententiam. *Secundò* infert, retenta opinione probabili dicentium, non esse necessariam confessionem ad lucrandum Iubilæum in eo qui non habet peccatum mortale, si hic opera in Iubileo præscripta fecit, potest transacto Iubileo à peccatis reseruatis obliti absolutionem, & votorum reseruatorum commutationem, & aliorum in Iubileo concessorum obtinere: quia semel obtentus Iubileus dat ius omni tempore eligendi confessorem pro iis quæ ad finitum Iubilei tempus reseruata erant: at oppositum iudicat Sanch. *infrà* probabilius. nam ait, probabilius est illum teneri tunc confiteri venialia, si non habeat mortalia. Ita Sanchez *cap. 54. cit. num* 40. *&* 41. vide eundem *lib. 8. de matrim. disp.* 15. 18. *&* 19 *& disp.* 32 *nu.* 2. & Suarez 4. *tom. in 3. part. disp.* 31. *sect.* 4. *& c.* 2. *de relig. lib.* 6 *c.* 16.

7 Sed quæres, an vota reseruata quorum commutatio conceditur per Bullam, (idem dic de Iubileo) possint commutari durante Bulla toties quoties emissa fuerint. v. g. vouit quis peregrinationem Compostellam, impetrauit commutationem virtute Bullæ, aut Iubilei, & iterum tempore quo Iubileus, aut Bulla durat, illud votum iterum emittit, aut sæpiùs. Respondeo affirmatiuè cum Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap.* 54 *num.* 26. quia nec Bulla, nec Iubileus commutationem hanc limitauit, & quando voluit Pontifex limitare, id expressit in Bulla respectu absolutionis à peccatis Pontifici reseruatis, limitans eam, vt semel in vita, & semel in articulo mortis possit impendi. Quare cùm hanc commutandi facultatem non limitauerit, manifesta Pontificis intentio est, vt non restringatur ad primam vicem, sed intelligatur, toties quoties. Sed dices: Sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice, *l. boues, § hoc sermone, ff. de verbor. significatione*; ergo cùm in Iubileo, & Bulla simpliciter concedatur horum votorum commutatio, intelligitur de prima vice. Respondeo, hoc procedere cùm non constat contrarium de mente concedentis, vt constat ex nostra Bulla. Cùm autem in Iubileo apponuntur illa verba, *hac vice tantùm*, id est, quòd Iubileum, & indulgentia semel tantùm in vna aut altera hebdomada comparari potest, & ita virtute Iubilei semel in vnam hebdomada comparati, non possunt vota in altera hebdomada facta commutari; secus verò facta vsque ad finem Iubilei, secundùm dicta *suprà*. Vide Sanchez *cap. 54. cit. n.* 26. & Suarez *lib. 6. de voto cap. 16. n.* 17.

Dub. X.

An commutatio virtute Bullæ debeat fieri à confessario, & an audita confessione.

8 Certum est in hac re commutationem virtute Bullæ fieri debere à confessario. Constat apertè ex verbis Bullæ in hoc §. ibi: *Qui possit eligere confessarium*, &c. *& ab eo votorum commutationem obtinere*. Non tamen requiritur vt commutans vota virtute Bullæ sit confessarius vouentis, vt bene Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap. 54. nu.* 17. cum Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 10. num. vlt.* loquente de Iubileo, quia verba Bullæ solùm petunt eum esse confessarium ex approbatis ab Ordinario, teneturque confessarius vota pœnitentis commutare, supposito quòd id petat, sicut tenetur eum absoluere audita confessione, supposito quòd non adsit impedimentum Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disput. 1. cap. 6. dub. 1. num.* 1. Difficultas ergo est, an hæc votorum commutatio virtute Bullæ debeat necessario fieri in confessione.

2 Affirmant Sayrus *lib. 6. cap. 11. num. 105. in fine*. Rodriguez §. 9. *num.* 113 *regula*. 9. & aliqui, quos refert Sanchez *cap. 54. cit. num.* 14. Villalobos *tract.* 27. *claus.* 9. §. 3. *numer.* 36. & Sanctius *in suis selectis, disp.* 14. Verius tamen est posse virtute Cruciatæ vota commutari extra sacramentum Confessionis à confessore approbato per Ordinarium. Hanc tenent Henriquez *lib. 7. de indulgentiis cap. 30. num.* 6. Sanchez *lib 8. de matrimon. disput. 15. num.* 25. *& lib. 4. oper. moral cap. 54. nu.* 15. & reputat probabilem Rodriguez 2. *tomo Summ. cap. 99. num. 6. in fine* & colligitur ex Soto *lib. 7. de iustit. quæst. 4. art. 3. col. 9. vers. post hæc, de priuilegiis*, eamque reputat probabiliorem Diana *tract. 11. resolut.* 45. & Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap 6. dub. 1. numer.* 7. Et huius sententiæ censendi sunt qui existimant absolutionem à censuris posse impendi virtute Bullæ extra confessionem. Ratio est, quia Bulla id priuilegium concedens nullatenus dicit, vt auditis confessionibus commutatio fiat. Idem sentit Suarez *lib. 6. de voto. cap. 16 num.* 4. dum ait, non opus esse confessione sacramentali quando priuilegium id non explicat, vt contingit in Bullæ indulto. Dispensatio enim, vel commutatio voti, vt bene Sotus *suprà*, nihil ad forum pœnitentiæ pertinet, sed est distincta facultas, quam Pontifex suscipienti Bullam concedit. Nec ex hoc quòd Bulla petat fieri hanc commutationem à confessario approbato ab Ordinario, sequitur quòd fieri debeat intra confessionem: solùm enim vult Bulla, vt commutaturus vota sit confessor approbatus ab Ordinario, non quasi sit confessionem necessariò auditurus, sed quia præsumitur vir doctus, & prudens; nam non modica scientia ad vota commutanda, desideratur. Nec hanc facultatem concedi

in ordine ad bonam, & internam animi diſpoſitionem arguit concedi ſolùm intra confeſſionem, ſed tantùm concedi pro ſolo conſcientiæ foro, non verò pro foro externo. Forum conſcientiæ, & ſacramentale diſtingui diximus hoc §. *cap.* 1. *dub.* 13. Idem exiſtimat Sanchez, & cum eo, & aliis Diana *vbi ſupr.* & Ludou. à Cruce *ſupr. num* 8. dicendum de facultate commutandi vota ratione Iubilei, aut per Regularium priuilegia conceſſa. Vide eundem *lib.* 8. *cit. diſp.* 16. & *cap.* 54. *cit. n.* 16.

Dvb. XI.

An voti commutatio virtute Bullæ facienda ſit neceſſariò in ſubſidium temporale, an ſufficiat ſpirituale.

1 COnſtat apertè ex Bulla in hoc §. commutationem votorum virtute ipſius faciendam eſſe in aliquod belli ſubſidium. Dubitatur tamen, an hoc ſubſidium requiratur neceſſariò quòd ſit temporale, v. g. eleemoſyna pecuniaria; an verò ſufficiat ſpirituale, quale ſunt orationes, aut alia opera pia pro fœlici belli exitu. Et quæſtio hæc poteſt exagitari vel in diuitibus, aut in pauperibus.

2 Dico primò, vt voti commutatio valida ſit in diuitibus, neceſſariò requiritur quòd fiat in aliquod ſubſidium temporale, ſeu pecuniarium belli contra infideles. Ita Rodriguez *in Bulla*, §. 9. *numer.* 109. & *in addit. ad eundem*, §. *numer.* 109. Nauarr *cap.* 12. *num.* 80. *verſ. Admonemus inſuper.* Sotus *lib.* 7. *de iuſtit. quæſt.* 4. *art.* 3. *ad finem corporis. verſ. Rurſus circa eadem*, & ferè omnes Doctores, quorum multos citat, & ſequitur Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 54. *num.* 56. & 57. & *lib.* 8. *de matrimon. diſp.* 15. *num.* 1. quia praxis ipſa ita id ſatis teſtatur; atque adeò quando Bulla eſt contenta orationibus, id explicat, vt ad alias indulgentias comparandas facit. Et quamuis Bulla ſolùm dicat, in ſubſidium huius expeditionis per eundem Confeſſorem commutari, vera intentio Pontificis eſt de ſubſidio temporali, eo quòd valde conducat ad bellum, & eius finem comparandum: quod ex ſequentibus magis conſtabit. Quod procedit etiamſi in voti adimpletionem nullæ faciendæ ſint expenſæ, quale eſt votum ieiunandi, recitandi, & ſimilia; quia Bulla abſolutè, & indiſtinctè loquitur. Quare audiendi non ſunt quidam, aſſerentes indifferenter in diuitibus, & pauperibus ſufficere ſubſidium ſpirituale, quos refert Sanchez *ſuprà cap.* 54. *cit. num.* 55. nam quamuis non ſit minoris efficaciæ, quàm temporale, imò maioris, intentio tamen Pontificis, vſu communi explicata, & recepta, in diuitibus eſt in contrarium, etiamſi Bulla abſolutè de ſubſidio loquatur. Quod adeò verum reputant quidam Doctores, vt exiſtiment totam commutationem debere eſſe in belli ſubſidium, vt ſunt Sotus Aragon, Lopez, & alij relati à Sanchez *ſup. num.* 57. *cit.* & Petrus Ledeſma 2. *tomo Summ. tract.* 10. *cap.* 8 *in fine tertia partis, verſ. Digo lo quarto.* Probabilius tamen eſt, etiam in diuitibus poſſe commutari partim in temporale belli ſubſidium, & partim in alia quæuis pietatis opera. Ita tenent Henriquez *lib* 7. *de indulg. cap.* 30. *n.* 6. Suar. *tract. de voto, lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 18. Viuald. *in ſuo candelabro pag. mihi* 258. *num.* 42. & Sanchez *cap.* 54. *citat. num.* 58. & Villalobos *tract.* 27. *clauſ.* 9. §. 3. *n.* 38 & magis placet Diana *tract.* 11. *reſolut.* 21. & eam ſequitur Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 2. *numer.* 5. Ita colligitur, & non obſcurè, ex illis verbis Bullæ, ibi, *In aliquod ſubſidium huius expeditionis commutari.* Quaſi dicat, aliquam commutationis partem debere eſſe in eleemoſynam pecuniariam; aliquam verò eſſe poſſe in opera pia pro belli expeditione. Et quidem hanc eſſe intentionem Regis Hiſpaniæ Bullam impetrantis, ex eo conſtat; quia ſi tota commutatio deberet eſſe pecuniaria, eſſet grauiſſimum onus, & in eius præiudicium redundaret; quia pauci vellent tali priuilegio vti. Conſtat etiam, quia hac de cauſa conceſſit Papa vna cum Bulla Cruciatæ, aliam compoſitionis Bullam pro debitis incertis, contentis multo minori ſumma quàm ſit debitum, vt vel ſic illa remiſſione attracti, debitores contribuant partem in eiuſdem belli ſubſidium. Nihilominus tamen ſatis non eſt minimam pecuniæ quantitatem contribuere, facta reliqua commutatione in opera pia; nam hoc videtur Bullæ intentioni aduerſari, quæ potiùs ſpectauit commutationem in id belli ſubſidium. Quare prudentis Confeſſarij conſilio hoc penſandum eſt, attentis voti qualitate, & vouentis facultatibus. Ita Sanchez *nu.* 58. *cit.* & ſatis indicant Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 17. *in fine*, & *num.* 19. quia mens Pontificis eſt, vt omnes accipientes Bullam, eo priuilegio frui poſſint contributa aliqua eleemoſyna ſuis facultatibus proportionata, vt vel ſic copioſior ex multis eleemoſynis, quibuſdam minutis, aliis verò groſſioribus in belli expeditionem quantitas cogatur.

3 Dico ſecundò. Satis probabile eſt (etſi contrarium ſit probabilius) & tutum in conſcientia, in pauperibus vouentibus poſſe commutari vota omnino in aliquod ſubſidium ſpirituale, ſeu opus pium, ſi nullam aut ita paruam pecuniam erogare poſſint, vt moraliter pro nihilo reputetur. Ita Antonius Gomez *in Bulla Cruciata, clauſ.* 10. *nu.* 54. *ad finem.* Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 19. *n.* 18. Sanchez *cap.* 54. *cit. num.* 56. & ait probabile Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 95. *in fine*, & Diana *tract.* 11. *reſolut.* 21. ait ſe non iniicere illi ſcrupulum. Ratio eſt, quia quamuis Bullæ intentio, regulariter loquendo, ſit de ſubſidio temporali, tamen in pauperibus habet locum eiuſmodi interpretatio, quia illa conditio commutationis pecuniariæ debet intelligi morali modo, & quatenus fuerit poſſibilis, ac ſuauiter fieri poſſit: iuuat enim maximè hoc ſubſidium ſpirituale ad fœlicem belli exitum comparandum. Conſulendum tamen eſt, ad omnem ſcrupulum tollendum, vt pauperes ſuorum votorum commutationem ab Epiſcopis, aut Regularibus petant, qui abſque ſubſidij temporalis onere commutare poſſunt vota ſua, de quo vide Sayrum *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 12, *à num.* 19. Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 30. *num.* 6. & Rodriguez *Bulla*, §. 9. *num.* 140. & *in addit, ad* §. 9. *n.* 120. aut ab aliquo viro docto in rem æqualem, vt tenet Villalobos *tract.* 27. *clauſ.* 9. §. 3. *n.* 37.

Dvb. XII.

An votorum commutatio virtute Bullæ ſit facienda in æquale.

1 SVppono primò, ad commutandum votum in rem manifeſtè meliorem, nulla opus eſſe authoritate

authoritate Superioris, aut aliquo priuilegio, sed quemcumque posse propria authoritate sic commutare. Sic communis Doctorum, quos refert Sanchez *l.4. oper. mor. c.49. n.* 4. Constat enim Deum qui creditor est, semper malle id, quod euidenter præstantius est: hæc enim commutatio non est, actus iudicij, seu iurisdictionis, sed quædam abundantior voti solutio ea creditoris consensu facta. Quare potest quis propria authoritate commutare sua vota omnia, etiam in subsidium Tertiæ sanctæ facta in professionem religionis: imò ea hoc quod quis profiteatur, censetur hanc commutationem velle facere, vt bene Lessius *lib.2. de iustit. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 87. Item potest commutare propria authoritate votum recitandi septem Psalmos in votum faciendi sacrum, & votum peregrinandi in B.V. Mariam del Puig, in votum peregrinandi in Beatam Virginem Mariam de Monserrat. Et votum dandi tres aureos Ecclesiæ, vel pauperi, in votum dandi calicem Ecclesiæ, v. g. sancti Stephani. Et votum dandi aliquid pauperi certo, in votum dandi pauperiori. Quod intellige antequam votum reale sit acceptatum à tertio, vt docent Lessius, & Sanchez *sup.* & communiter Doctores de quo vide *sup. hoc cap. dub.* 8. *num.* 1.

2 Variant tamen Doctores, an idem liceat quando res non est manifestè melior, est tamen manifestè, & euidenter æqualis: affirmant Medina *lib.* 1. *Summ. cap.* 14. §. 7. vbi agit de commutatione votorum, *regul.* 2. *fol* 73. *pag.* 2. Henriquez *li.* 5. *de pœnitent. cap.* 20. *num.* 5. *& lib.* 7. *de indulgent. cap.* 30. *n.* 5. Suarez *tom.* 2. *de religione, lib.* 6. *de voto, cap.* 20. *n.* 4. alij autem, vt Viuald. *in suo Candelabro, pag.* 254. *num.* 17. & Lessius *suprà citatus, numer.* 91. admittunt id fieri posse authoritate Confessarij. Quia cùm vtraque materia sit æquè grata Deo, nil refert vtra illarum eligatur, vtrumque enim opus absque voto factum placeret æquè Deo, ac æquè illud acceptaret, si à principio promissum esset. Alij verò, vt Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12 *col.* 2 *& in Summ. verb. votum, cap. vlt.* Sot. *lib.* 7. *de iust. quæst.* 4. *art.* 3. *col.* 4. *vers. at verò quando.* Conar. *de pactis*, 1. *p.* §. 3. *n.* 4. *vers. Est enim Prælati.* Toletus, Ledesma. Azor. Sayr. & alij permolti, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 49. *cit. num.* 12. existimant nec propria authoritate, nec etiam Confessarij carentis facultate delegata ad commutandum, posse vota in rem manifestè æquè bonam commutari; quia non est certum acceptari à Deo eam commutationem, cùm nulla vtilitas in ea acceptatione elucescat; ergo oportet intercedere voluntatem prælati interpretantis vice Dei eam voluntatem: & ex alia parte iurisdictio ordinaria Confessoris solùm extenditur ad forum pœnitentiæ, ad quod nec dispensandi, nec commutandi potestas pertinet, sed ad Ecclesiæ gubernationem in foro externo. Ex his vltimam sicut communiorem, ita & probabiliorem existimat Sanchez *num.* 12. *citat.* Nihilominus tamen admittit (cui libenter assentio) sententiam dicentium, posse propria authoritate commutari votum in æquè bonum, quando scilicet vtriusque materiæ æqualitas esset manifestè euidens; dubium tamen est, an posterior in quam fit commutatio, sit melior, aut probabile est eam esse meliorem: quia tunc euidens est commutationem cedere in maiorem Dei honorem, siquidem potest augere, non tamen minuere Dei cultum. At quia moraliter difficillimum est vtriusque materiæ æqualitatem euidenter cognoscere, proinde tutius est in ita commutationibus authoritatem Superioris spectare, vt bene Sanch. *sup. num.* 19. Ex his infert Sanchez, promittentem certam religionem non posse propria authoritate aliam diuersam ingredi; quia difficilius est de hac qualitate iudicare in hac materia, quàm in alijs. Et vouentem tradere filium determinatum religioni, non satisfacere tradendo alterum, nisi alius, pensatis circunstantijs, sit melior religioni. Vide eundem *num.* 15. 16. & 17. & Diana *tract.* 11. *resol.* 48. & hanc sententiam sequitur Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ Cruciata, disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 3. *num.* 5. & sequuti sumus *in Decalogo, lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 45. *num.* 5.

3 Quòd si commutatio fiat in minus, vel in rem non æqualem, communis est Doctorum sententia requiri spiritualem potestatem, & Superioris authoritatem. Eademque requiritur secundùm nostram sententiam, quando fit in rem æqualem, quando non constat euidenter esse æqualem. Quo supposito, quod inquirimus est, an commutatio virtute Bullæ facienda, debeat fieri in rem æqualem priori materiæ, an verò possit fieri in minus.

4 Syluest. *votum* 4. *quæst.* 8. *in fine*, Conarr. *de pactis*, 1. *part.* §. 3. *num.* 4. *vers. Illud verò*, Sotus *lib.* 7. *de iust. quæst.* 4. *art* 3. *col.* 4. *vers. At verò quando.* Nauarr. *cap.* 12. *num.* 63. & Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 12. *num.* 6. *& cap.* 19. *num.* 7. *&* 8. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 50. *num.* 4. existimant, meram commutationem, quæ nullam dispensationem habet admixtam, qualis conceditur per Bullam Cruciatæ, & Iubileum, necessariò faciendam in bonum æquale, siue commutatio fiat ordinaria potestate, siue delegata, ac proinde virtute Bullæ non posse vota in aliquid minus commutari. Ratio est, quia commutatio est quidam contractus inter commutantem nomine Dei, & vouentem, vt docet D.Thom. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæstiunc. vlt. in corpore*, at contractus æqualitatem petunt. Sic in humanis iniustus est contractus quo res minor commutaretur cum maiori, & quamuis beneficium Principis sit largissimè interpretandum *l. beneficium. ff. de constitution. Principum*, hoc intelligendum est quatenus proprietas verborum patitur: at proprietas meræ commutationis, nullam in materia subrogata inæqualitatem patitur. nam, vt ait Sotus *suprà*, quando commutatio fit in minus, transcendit limites puræ commutationis, & non nihil habet dispensationis admixtum. Hæc autem æqualitas in materia subrogata non scrupulosè, & mathematicè accipienda est, sed moraliter, ita vt prudentis arbitrio, aut nulla, aut parua differentia esse credatur; hoc est, vt commutatio fiat in rem æqualem parum, minusve, hoc est, *poco mas, ò menos.* Est enim indiuisibilis, & mathematica æqualitas moraliter impossibilis, & si hæc seruanda esset, commutandi potestas esset vana, & scrupulis plena.

5 Medina *li.* 1. *Summ. cap.* 14 §. 7. vbi agit de commutatione, *regula* 3. *pag.* 74. Toletus *lib.* 4. *Summ. cap.* 18. *num. penult.* Emmanuel Sà *verb. votum, num.* 10. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 30. *num.* 5. Lessius *lib.* 2 *de iustit. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 95. Manuel *in Bulla* §. 9 *num.* 107. *& in addit. ad* §. 9. *num.* 10. & sentit Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 9. Viuald. *in suo Candelabro pag. mihi* 255. *num.* 22. Villalobos *tract.* 27. *claus.* 9. §. 3 *numer.* 39. & alij, quos citat Sanchez *num.* 2. *&* 3. existimant posse fieri in paulo minus æquale, siue ordinaria, siue delegata fiat potestate. Probant *primò*, quia quod est paulo minus, censetur moraliter æquale. *Secundò*, quia aliàs priuilegium nihil operaretur, nam secundùm probabilem sententiam commutatio voti in æquale, præsertim si sit euidenter æquale, & iusta

iusta adsit causa, potest fieri propria authoritate, secluso omni priuilegio; ergo vt Bullæ priuilegium alicuius sit effectus, poterit in paulo minus fieri commutatio. Propter quas rationes huic sententiæ adhæreo, modo tamen sit paulo minus secundum prudentis arbitrium, & non intersit notabilis inæqualitas. Priuilegium enim non est ita strictè interpretandum, præsertim cùm nullum, ex hoc præiudicium tertio sequatur, & vt supponimus, inæqualitas non sit notabilis. Talis enim præsumitur voluntas Dei creditoris, qui benignissimus, & liberalissimus est; & intentio Superioris concedentis facultatem commutandi. Ideo hanc sententiam existimat Diana cum aliis *tract.* 11. *resolut.* 40. probabiliorem qui *resolut.* 49. cum Sanchez *lib.*4 *cap.*50 *num.*8. ait commutantem vota virtute Cruciatæ absque debita æqualitatis inuestigatione modo explicato peccare m. quia deficit in re graui, & est causa diuini cultus minuendi; & aduertit cum Pottel *in dub. Regul. verb. comm. num.* 41. non esse scrupulosè agendum, nec requiri æqualitatem mathematicam, sed sufficere ad arbitrium boni viri seclusa fraude, & graui ignorantia, maximè si commutatio fiat virtute priuilegij. Et Suarez *tom.*2. *de religio. cap* 19. *num.*94. ait quod commutatio fieri potest in materiam de cuius æqualitate dubitatur, quod est valde notandum pro scrupulosis, ait Diana *sup.*

Consilium tamen optimum est, quando fit mera commutatio vt per Bullam commutari in aliquid melius, si commode fieri possit, aut in æquale, aut saltem in id quod videatur æquale, & fere nihil distans ab æqualitate. Vide Suarez *l.*6. *cit. c.*19. *n.*4.

D V B. XIII.

An ad commutanda vota per Bullam requiratur causa.

1 SVppono. Secluso omni priuilegio, quotiescumque commutatio indiget authoritate Prælati Ecclesiastici vt legitimè fiat, indiget quoque causa. Ita communis cum D. Thom. 2. 2 *quæst.* 88. *art.* 12. hæc enim potestas ad ædificationem, non verò ad destructionem data est, talisque censetur Dei voluntas concedentis hanc facultatem suis ministris tanquam fidelibus dispensatoribus, & œconomis. de quo tamen latiùs in nostro Decalogo *lib.*2. *cap.*2 *dub.*45. *num.*8. quod etiam tenet cum aliis Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.*4. *num.*2.

2 Hinc deducitur primò, nullam exigi causam ad commutandum votum in id quod est euidenter melius, quia potest hæc fieri propria authoritate, vt *dub. sup.* dictum est, & sic commutans offert Deo rem gratiorem, sicque solus excessus est legitima causa. Ita Syluest. *votum* 4. *quæst.*8. *in fine* Sotus *lib.*7. *de iustit. quæst.*4. *art.*3. *col.*8. *versic. Ex istis consequitur.* Lessius *lib.*2. *de iust. cap.*40. *dub.*11. *num.* 96. Sayrus *in Claui Regia, lib.*6. *cap.*12. *num.*25. Azor *tomo* 1. *lib.*11. *cap.*19. *quæst.*3. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.*6 *de voto, cap.*18. *nu.*9. & alij quos citat, & sequitur Sanchez *lib.*4. *oper. moral. cap.*50. *n.*15. Lud *sup. n.* 2. & dixi *in Decalog sup n.*9.

3 Secundò sequitur, nullam quoque desiderari causam quando Prælatus commutat votum in rem certo æqualem, iudicans probabiliter esse meliorem aut dubitans an melior sit; quia, vt dictum est *dub. sup.* hæc commutatio propria vouentis autoritate fieri potest, tum etiam, quia fideliter tractat negotium domini sui, nimirum, quia sic certus est de nulla iactura, & dubius de lucro. Ita Suar. *cap.*18. *cit. n.* 10. Quòd si commutatio fiat in rem æqualem, probabilius est requiri aliquam causam, quia, vt dictum est *dubio supr.* probabilius est hanc non posse fieri propria autoritate. Ita citati Doctores, & alij, quos citat & sequitur Sanchez *supr. n.* 17. aliter enim non censetur commutans fidelis dispensator domini sui; quia nulla vtilitate suadente offert rem æqualem domino suo. Eo enim quòd materia subrogata non est melior, est magis consentaneum fidelitati Deo debitæ soluere materiam promissam: cùm autem probabile etiam sit posse fieri commutationem propria autoritate in rem euidenter æqualem, etsi non sit dubium, an materia subroganda sit melior, vt cum multis dictum est *dub.* 12. *cit.* probabiliter etiam dici possit in hoc casu nullam, aut valde modicam requiri causam, nempe quòd vouens hilariùs, & suauiùs votum in alia materia adimplebit.

4 Tertiò deducitur à fortiori, verum esse requiri causam, quando commutatio fit in minus, aut in rem de cuius æqualitate dubitatur: in hoc enim casu indubitatum est requiri Prælati autoritatem ad vota sic commutanda, tum etiam, quia in hoc casu aliqualis admiscetur dispensatio, dispensatur namque in rigore fidelitatis soluendo rem minorem, vel de cuius æqualitate dubitatur. Ita Doctores, qui censent ad hanc commutationem requiri autoritatem Prælati, & docent Suarez *supr. cap.*18. *n.*10. Sanchez *supr. n.*18. & alij.

5 Vltimò deducitur, requiri etiam causam in commutantibus, vota per potestatē delegatam simpliciter, & absolutè absque vllo onere in gratiam delegati, in omnibus illis casibus, in quibus dictum est exigi causam vt Prælati commutent. Ita Suarez *supr. cap.* 19. *num.* 10. quia si habens potestatem ordinariam, nequit absque causa commutare, multo minus poterit habens ab eo potestatem delegatam. Variant tamen Doctores qualis causa requiratur. Syluest. *votum* 4. *quæst.*6. *ad finem*, petunt causam obstantem executioni voti: vt si vouet peregrinari, vel ieiunare, sit ad id debilis, idem sentiunt Azor *cap.*19. *citat. quæst.*3. & Sayrus *suprà cap.* 12. *num.*26. vbi pro iustis causis ad commutandum requisitis, numerant omnes quæ ad dispensandum petuntur, quæ causæ obstant voti executioni. de quibus etiam vide Coninch. *disp.* 33. *de matrimonio, dub.*5. *conclus.*2. Verius tamen est non requiri ad commutandum (etsi sufficientissimæ sint) causas ad dispensandum requisitas, & obstantes voti executioni, quia per dispensationem tollitur omnino votum; at in commutatione idem vinculum manet, translatum tamen in materiam æqualem, in quo parum, aut nihil cultus diuinus læditur. Ita docent Caiet. 2. 2. *quæst.*88. *artic.*12. *col.*2. *vers. in commutatione*, *& in Summa*, *verb. votum, cap. vlt. vers. Rationabilis.* Henriquez *lib.*6. *de indulgent. cap* 30. *num.* 5. Petrus Ledesma 2. *tomo Summ. tractat.* 10. *cap.* 8. *in* 4. *parte.* vbi agit de causis dispensationis, *versic. Hablando de la pura commutacion.* Lessius *lib.* 2 *cap* 40. *dub.*11 *num.*96. Antonius Gomez *in Bulla Cruciata, clausula* 10 *num.*105. vnde ad commutandum sufficit causa leuis, & parua, quia parua est remissio per illam facta; vt latè probat Suarez *lib.* 6. *de voto cap* 19. *num.*5. Imò pro causa sufficit, vt vouens petat commutationem, quia semper cum illa petitione concurrit promptior voluntas vouentis ad materiā subrogatam; atque ita cedit in

Christi

Christi honorem, & Ecclesiæ vtilitatem, si benigni arctio Dei vouentes experiantur, faciliusque in posterum ad vota Deo dicanda inducuntur. Ita Caiet. Lessius, Henriquez, Gomez, Ledesma *citati* & Suarez *lib.6.cap.19.num.* 10. Quare optimè ait Caiet. *quæst.*88.*cit.art.*12.*vers.In commutatione*, tunc Prælatum sine causa commutare, quando pro libito ante subditi petitionem, nec intuitu illius gratificationis commutat; & ideo optimè dicit Suarez *lib.6 citat.cap.*20.*num.*7. moraliter nunquam deesse causam. Quod verum est, etiam si dubium sit de æqualitate rei subrogandæ, sicque intelligendi sunt Doctores citati; quia hoc in casu censetur moraliter æqualis, aliàs enim frustranea esset illorum doctrina, cùm sit moraliter impossibile hanc æqualitatem nosse euidenter. At ratione eorum sententia, qui dicunt, commutationem posse fieri in paulo minus, dicendum est maiorem requiri causam, quàm supradictam, minorem tamen ea, quæ requiritur ad dispensandum: sufficiens autem censetur leuitas vouentis, inconstantia, inconsideratio, molestia in adimplendo, magna fragilitas, cum violandi periculo, repugnantia parentis, aut viri, aut quid simile. Vide Lessium *dub.*11.*cit.n.*96. & Sanchez *cap.*50.*cit.n.* 24.

6 Ex his facilis est responsio ad principale dubium. Dico igitur ad commutandum vota ratione Bullæ in rem æqualem, vel paulo minus, requiritur causa. Patet. Ad sic commutandum requiritur potestas spiritualis; & ad hanc legitimè exercendam in hac materia requiritur causa, vt probatum est *sup.* hoc cap. *dub.* 1. Et confirmatur, quia delegans, seu habens potestatem ordinariam, non potest commutare vota absque causa; ergo nec delegatus per Bullam: ad commutandum autem vota per Bullam leuis requiritur causa; vtpote, quia parua fit per commutationem remissio, sicque sufficit, quòd vouens hilariùs adimplebit votum in materia subrogata; imò sufficit habere Bullam, & voti commutationem petere, vt bene Henriquez *lib. 7. de indulgent.cap.*30. *num.* 5. quia, vt docent Suarez *lib.6.de voto,cap.* 19.*num.* 10. Rodriguez *in addit.ad* §. 9. *num.* 107.*in fine*, & Sanchez *cap.* 50. *citat.num.*19. & cum aliis Diana *tract.*11.*resolut.*39. quando potestas non delegatur simpliciter, sed cum aliquo onere ad bonum commune, vt fit per Bullam, vel Iubileum, nulla alia exigitur causa, quàm conferre eleemosynam præscriptam in Bulla in belli subsidium, & exequi opera in Iubileo præscripta, quia ob eam causam Pontifex eam facultatem concedit. Secus autem est, quando simpliciter delegatur potestas in gratiam delegati, vel quando delegatur simpliciter in fauorem priuatæ personæ, vt fit per priuilegia religionum; vel quando conceditur in fauorem, v. g. Petri, vel alicuius familiæ, tunc enim necessaria est particularis, seu specialis causa, præter priuilegium, vt votum commutetur, non secus ac si ipse delegans commutaret, quia talia priuilegia non conceduntur cum aliquo onere, & in bonum commune, vt supponimus; Bullæ autem priuilegium conceditur cum onere in bonum commune Ecclesiæ, ac proinde erogatio eleemosynæ, seu stipendij sufficiens causa est ad vosi commutationem petendam.

7 Aduerte tamen, commutationem esse irritam quando fit sine causa respectiuè proportionata, secundùm superiùs dicta, præcipuè si fiat in minus bonum. Ita docent Nauarr. *lib.3.consil.tit. de voto, in priori edit. consil.*5.*num.*1.*in posteriori, consil.*19.*num.* 1. Azor *tom.*1.*lib.*11.*cap.*19.*quæst.*1. & alij, quos citat Sanchez *lib.*4. *oper.moral.cap.*51.*num.*2.3.& 4. censetur enim talis commutatio facta sine potestate, & consensu creditoris, Deus enim qui creditor est, tali commutationi non censetur consentire, eo quòd in minus sine causa fiat. Vide Suarez *tomo* 2. *de religione, tractat. de voto, lib.*6. *cap.*18. *num.*6. & *cap.* 19. *num.*14. At Sanchez *suprà num.* 8. existimat esse validam commutationem sine causa proportionata factam in minus, cum obligatione tamen supplendi id quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa: poteritque (ait) hic defectus suppleri ab ipso vouente, etiam si votum Superioris authoritate sit commutatum: sicut quando quis viliori pretio rem emit, valet venditio cum obligatione supplendi pretij defectum. Verior tamen est sententia prior, & communior. Quando autem commutatio irrita sit, eo quòd deficiat legitimus consensus, aut metu extortus, aut dolo, tacendo veritatem, aut suggerendo falsitatem, tractat latè Sanchez, videndus cum aliis *libr.*4.*oper. moral.cap.*47.*per totum*.

8 Ex his etiam deducitur, peccare commutantem absque causa, casu quo ea requisita sit; ita tamen quòd si in minus commutat sine sufficienti causa, peccat mortaliter, abutitur enim potestate in re graui. Si autem in æquale, solùm venialiter, siue commutans sit superior, siue ipse vouens; quia abusus potestatis in re leuissima, siquidem seruatur æqualitas. Vide Sanchez *lib.* 4. *oper.mor.cap.*51. *à num.*14.

Dvb. XIV.

In quo aliqua dubia de votorum commutatione resoluuntur.

1 QVæres primò, an ipso facto maneant vota commutata accipiendo Bullam. Respondeo negatiuè: quia, vt patet ex Bulla, Pontifex solùm dat confessario à pœnitente virtute Bullæ electo, facultatem ea commutandi. Quare si pœnitens non petat, & ad eius petitionem confessarius non commutat, vota retinent suam obligandi vim; quamuis vouens acceperit Bullam (aut Iubileum obtinuerit) animo ea commutandi. Ita Nauarr. *cap.*12. *num.*79. *vers. duodecimo.* Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6.*cap.* 12.*num.*115. Manuel *Bulla.* §.9.*num.*108. & alij. Hinc fit, etsi confessor requisitus vt commutet, non commutauerit, siue ex obliuione, siue ex malitia, non manere vota commutata, vt bene Sanchez *lib.* 4.*oper.moral.cap.*54.*num.*11. cum Nauarr. *supr.* peccabit tamen confessarius requisitus per Bullam, aut Iubileum vt commutet, si non commutauerit, suadens sibi iustam ad commutandum adesse causam; quia est iudex delegatus in fauorem pœnitentis datus, qui habet ius ad eam petendam ex priuilegio sibi concesso, sicut Episcopus dicitur infidelis negans dispensationem subdito petenti ex iusta causa. Ita Sayrus *cap.* 12.*cit.num.* 18. Sanchez *sup.n.*12. cum aliis, qui addit per priuilegia Regularium nullam esse culpam nolle commutare, quia non adstringuntur vti suo priuilegio. At credo etiam peccare, præsertim cùm commutatio valde expedit pœnitenti: in hoc enim casu eam denegare videtur contra charitatem.

2 Quæres secundò. An per Bullam, aut Iubileum, & priuilegium religionis, commutari possit non tantùm votum principale, v. g. recitandi aliquas preces,

preces, sed etiam votum non petendi commutationem illius, & petita non vtendi. Respondeo affirmatiuè. Ita Manuel *Bulla* §.9.*num*.112. & Sanchez *lib.4.oper.moralis, cap* 54. *num.* 53. quia tale votum non est reseruatum Papæ, modus est, vt priùs petat commutationem huius secundi voti, & postea de priori & principali. Villalobos *tract.* 27. *claus.* 9.§.3.*num*.35. Adde, illud votum secundùm quosdam, quos sequitur Sayrus *in claui Regia, lib.6.cap.* 11.*num*.67. & alij, quos Henriquez *lib.* 7. *de indulgent.cap.* 30. *num* 6. *litt. H.* non est validum, nimirum, quia derogat Superioris potestati, ac proinde nulla eget dispensatione de quo dixi latè *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 20. vbi dixi valere posse quando additur vt non possit peti dispensatio absque iusta causa; absolutè tamen emissum, esse inualidum: at dato quòd sit validum, potest ab Episcopo dispensari, & per Bullam commutari; quia non est Papæ reseruatum. Ita etiam Lud. à Cruce *in exposit.Bull.disp.*1.*cap.*6.*dub.*13.*n.*3.

3 Quæres tertiò, An votum semel commutatum in aliquam materiam virtute Bullæ, possit per eandem iterum commutari quo ad illā materiam subrogatum: v. g. an votum ieiunandi commutatum in orationem, possit oratio iterum commutari. Respondeo affirmatiuè, quia cùm idem voti vinculum transeat in posteriorem hanc materiam, nec Bullæ priuilegium restringatur ad vnicam vicem, non est cur nequeat iterum atque iterum commutari ea materia in quam est votum commutatum. Ita Sanchez *c.*54.*cit. n.* 54. cum Corduba *in Summ. quæst.*150.

4 Quæres quartò, An commutatio virtute Bullæ facta prosit pro foro exteriori. Respondeo tantùm prodesse pro foro interiori, sicut absolutio à reseruatis. Ita Henriquez *lib.7.de indulg.cap.*30.*n.*6. cum Rodriguez *Bulla* §.9.*n.*117. secus quando fit commutatio authoritate ordinaria, vt docent citati.

5 Quæres quintò, An votum simplex paupertatis in secularibus possit virtute Bullæ commutari. Respondeo affirmatiuè, quia non est de Papæ reseruatis. Ita Henriquez *citatus*, & Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.*21.*n.* 9. tum etiam, quia ob eandem rationem potest in illo dispensare Episcopus. Vide Nauarr. *de regularibus, in cap. non dicatis, n.*18.

6 Quæres sextò. An vota disiunctiua quando in eis adest aliquod reseruatum, aliud verò minimè, possint virtute Bullæ commutari: v. g. si quis voueat vel religionem, vel ieiunium, vel clericatum. Respondeo affirmatiuè, quia potest eligere non reseruatum, v. g. clericatum, vel ieiunium, quæ non sunt Pontifici reseruata; tum etiam, quia in iis votis potest Episcopus dispensare, vt docet Sayrus *in claui Regia, lib.6.cap.*11 *num* 62. Lessius *lib.2.cap.* 40.*dubio* 13.*num.*106 *in fine*, & alij, quos Sanchez *infrà*. Diana *tract.*11.*resolut.* 63. quod procedit etiamsi pars non reseruata fiat impossibilis, vt quando quia vouit castitatem, vel peregrinationem in B. V. Mariam de Monserrat, & postea ob paupertatem fiat impotens ad peregrinandum; quia tale votum ex natura sua nunquam obligauit ad partem reseruatam. Diana *sup. resolut.*74. cum Suarez *de relig.tom.*2.*lib.6.cap* 24.*numer.* 4. & Sanchez *lib.* 4.*cap.*40.*num.*44. ita etiam Ludou. *sup.dub.*11. *numer.*6. Si autem eligat votum Papæ reseruatum, & per Bullam exceptum, v. g. religionem, nec per Bullam poterit commutari, nec ab Episcopo dispensari. Ita citati. Non tamen videtur improbabile oppositum, vt sentit Diana *supr. resolut.* 65. cum Maldero *in* 2.2. *tract.* 10 *cap.*5.*dub.* 10. modò de nouo non promittat illud quod eligit; igitur noua non accedente promissione adhuc poterit vouens variare, & per consequens, poterit tale votum per Bullam commutari. Similiter, nec quando duo vota disiunctiua sunt reseruata, vt voueo castitatem vel religionem. Vide Sanch. *lib.4.oper. mor.cap.*40. *num.*42.43. & 44.

7 Quæres septimò. An quando Papa commutat votum sibi reseruatum in materiam eidem non reseruatam, possit confessarius virtute Cruciatæ commutare rem illam in quam fuit à Papa votum commutatum. Respondeo affirmatiuè. Ita Lessius *lib.* 2. *de iustit. c.* 40. *dub.* 13. *num.* 105. & alij, quos Villalobos *tract.*27.*claus.*9.§.3.*num.*31. Diana *tract.* 11.*resol.*71. & Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1.*cap.*6.*dub.*12.*num.*8. & dixi *in Decalogo lib.* 2.*cap.* 5.*dub.*49.*num.*10. & Sanctius *in suis selectis, disp.*14. *num.*14. quia est iam nouum votum, & per se non reseruatum, vt supponimus. Nec potest dici reseruatum ratione commutationis; quia non obligatur ex vi præcepti commutantis, sed ex proprio consensu: est enim nouum votum quod suscipitur pro absolutione prioris. Ita etiam tenent Sayrus *in Claui Regia, lib.6.cap.*12.*n.*23. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.*20.*num.*15. & 16. & Sanchez *lib.8.de matr.disp.* 9.*num.*20. & *lib.4.oper.moral.cap.*40.*num.*46. Quòd si dicas subrogatum sapere naturam eius rei, cuius loco subrogatur: ergo sicut prior materia erat reseruata, ita & hæc posterior ei subrogata. Respondeo cum Sanchez, & Suarez *locis citatis*, subrogatum sapere naturam eius, cuius loco subrogatur, quantum ad id quod per se, & intrinsecè pertinet ad subrogationem; non verò quoad qualitates extrinsecas, quæ à lege, & voluntate extrinseca promanant ac proinde materia subrogata debet necessariò esse apta ad Dei cultum, & cadere sub religionis obligatione, quæ sunt intrinseca subrogationi: non autem sicut prior est reseruata, ita debet esse posterior; hoc enim est subrogationi extrinsecum, promanatque à voluntate Superioris reseruantis. Vide Sanchez *lib.8.de matrim.disp.9.num.*20.

8 Quæres octauò. An virtute Bullæ possit commutari votum non peccandi. Respondeo affirmatiuè, quia cum multis docet Sanchez *lib.4.oper.moral.cap.*40.*num.*12. potest in illo Episcopus dispensare, eo quòd non sit Pontifici reseruatum, quia per dispensationem, aut commutationem, vt bene docet Sanchez non aufertur obligatio non peccandi, nec illa commutatur, sed sola noua voti obligatio superaddita, quæ est quid supererogationis.

9 Quæres nonò, An si is cui Pontifex votum castitatis, aut religionis commutauit in confessionem menstruam (idem dic de Confessario commutante sua vota per Bullam) nec commutationem impleuit, sed multi transierunt menses absque confessione, teneatur, ad prius castitatis, aut religionis votum. Rodriguez *in addit.ad* § 9.*num.*117. & 118. & aliqui, quos citat Sanchez *lib.8.de matrim.disp.*9. *n.*52. affirmant, quia sub tali conditione videtur votum commutatum. Verius tamen est, eum qui ratam habuit, & acceptauit commutationem voti, quamuis culpa sua omiserit materiam in quam commutatum est, nullatenus teneri ad priorem voti materiam, vt castitatem, vel religionem. Ita Sanchez *lib.8.de matrim.disp* 9.*numer.* 21. *citat.* Ratio est, quia, vt docent Caiet. 2.2.*quæst.*88 *art.*10.*notab.* 2. Azor. *lib.*11.*cap.*19.*quæst.*10. & 12. Sayrus *in Claui Regia, lib.6.cap.*12.*numer.*24. Lessius *lib.*2 *de iustit.cap* 40.*dub.* 11.*numer.* 97. Ludouic. *in exposit. Bul.disp.*1.*cap.*6.*dub.* 17. *num.* 12. & communiter Doctores, per legitimam commutationem votum prorsus extinguitur circa priorem materiam, &

obligatio

obligatio voti prorsus transfertur in materiam subrogatam, vt docent Doctores communiter quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. oper. moral. cap. 55. num. 2.* & dixi latè *in Decalogo. lib. 2. cap. 1. dub.* 48. *numer.* 3. & tenet Ludou. *in exposit. Bullæ, disp. 1. cap. 6. dub. 17. num. 1. & 2.* quia per commutationem, remanente vinculo, tollitur prior materia, ea lege, vt loco illius acceptet vouens aliam sub eiusdemmet voti obligatione. Vide Suarez 2. *tom. de voto, lib. 6. cap. 20. à num. 9. vsque ad* 12. Ad rationem dubitandi respondeo; non probari vllo iure commutationem sub ea conditione fieri, nec quando commutatur votum, ea conditio apponitur: si enim apponeretur, aut tacitè inesset, nihil referret siue culpatè non mandaretur executioni materia in quam votum est commutatum, vtroque enim casu voti obligatio reuiuisceret; ergo cùm non reuiuiscat, si inculpatè omittatur, similiter nec quando adest culpa. Dixi, *si legitimè acceptata sit commutatio*; nam si eam vouens non acceptauit, vel fictè tantùm eam acceptauit, non manet votum commutatum, ac proinde tenetur ad priorem obligationem, vt bene Sanchez *num. 21. cit. in fine, & lib. 4. oper. moral. c. 55. n. 20.*

10 Quæres decimò, An vouens omissa commutatione legitimè facta, & acceptata, possit liberè redire ad priùs votum propria authoritate. Respondeo affirmatiuè. ita Azor. *lib. 11. tom. 1. cap. 19. quæst. 10.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 6. num. 21.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 6. cap. 12. num. 22.* Ratio est quia voti commutatio fieri videtur tacita conditione, vt liberum sit voventi materiam subrogatam exequi, aut priorem, in cuius locum alia materia subrogata est. Et hoc procedit etiam, si commutatio facta sit in melius, vt tenet Diana *tract. 11. resolut. 85.* cum Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 11.* contra Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 10. num. 1.* & Filliuc. *tom. 2. tract. 26. cap. 10. num. 188.* idem tenet Diana *par. 1. tract. 2. miscell. resol. 9.* & Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ, disp. 1. cap. 6. dub. 16. num. 5.* eadem enim est ratio, & dixi *in Decalogo sup. num. 6. & 7.* Quòd si dicas, ad libitum quoque statim hanc conditionem, cùm nullo iure probetur. Respondeo tamen optima ratione niti, quia tota commutatio fit in fauorem, & gratiam vouentis, vt vtilitati ipsius prospiciatur: hæc ergo ratio petit commutationem sub illa conditione intelligi, vt integrum postea voventi sit vtramuis materiam eligere. Nec inde inferas, commutationem quoque fieri cum tacita conditione, vt culpatè omittens materiam subrogatam teneatur ad priorem, nam id non cadit in vouentis fauorem, sed est ei onus. Vnde sequitur, si sæpius facta sit commutatio, posse seruari quoduis illorum, in quo facta fuit. Verbi gratia, votum peregrinationis annuæ commutatum est in menstruam confessionem; menstrua confessio in ieiunium hebdomadarium: ieiunium hebdomadarium in certas preces quotidianas: poterit vouens satisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando singulis hebdomadibus, vel confitendo singulis mensibus, vel annuam peregrinationem suscipiendo. ita Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 40. num. 97.* Quod autem limitat Sanchez, & bene, *lib. 8. de matrim. disp. 32. num. 3.* nisi prius votum, vel aliquam ex commutationibus elegerit, & aliis renunciauerit; nam tunc censetur de nouo illam rem vouere, & se ad illam de nouo obligare; ac proinde, vt ad aliam materiam subrogatam possit redire, requiritur noua commutatio. De hac quæstione vide Sanchez *lib. 4. oper. moral. cap. 55. à n. 25. vsque ad num. 30.* Cuius sententiam minus duram reputat Villalobos *tract. 27. claus. 9. §. 3. numer.* 34. sicque poterit votum, aut alterum adimplere, quia, inquit, de nouo non vouit, cum Villalobos sentit Diana *tr. 11. resol. 70.* qui *in addit. resolut. 18.* vtramque sententiam ait esse satis probabilem. Attamen non est recedendum à nostra sententia, quia per nouam electionem censetur de nouo vouisse.

DVB. XV.

Quid intelligatur nomine voti castitatis à commutatione virtute Bullæ facienda excepti.

1 Reuocandum est ad memoriam illud quod diximus *dub. 6. hic cap.* nimirum ratione Bullæ posse commutari omnia vota quæ potest Episcopus ordinaria potestate, & extra casum vrgentie necessitatis dispensare, vt docet Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 15. à num. 3. vsque ad num.* 11. Supponendum etiam est, Episcopum, & habentem Episcopalem iurisdictionem, posse, seclusa Papali reseruatione, dispensare in suis diœcesibus in omnibus votis, sicut Papa in toto orbe, quia sunt ordinarij, in suis diœcesibus, & possunt omnia illa circa dispensationes, quæ Pontifex potest in toto orbe, nisi reseruentur. de quo vide Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 9 num. 3. & lib. 4. oper. moral. cap 40. num. 25.* Sotum *lib. 7. de iustit. quæst. 4. art. 3. vers. Qui sunt autem*, Suarez *tomo 2. de religion. tract. de voto, lib. 6. cap. 21.* Lessium *lib 2. de iust. cap 40. dub. 13. n. 103.* & alios quos Sanchez *num. 25. cit.* Et nouissimè Castro Palao *tract. 3. disp. 6. punct. 4.* vbi latiùs de iis, etsi in aliquo nobis aduersetur. Vide eundem *loco cit. p. 5. n. 5.* & Barbosam *de iure vniuers. lib. 1. cap. 8. n. 20. 21. & 22.* vide etiam *sup hoc. cap. dub. 6. n* 3.

Suppono secundò, vota Pontifici reseruata secundùm iuris dispositionem, consuetudinem approbatam, & stylum Curiæ tantùm esse hæc quinque, nimirum, votum castitatis, religionis, vltramarinum, siue Hierosolymitanum, Compostellanum in diuum Iacobum, & Romanum in diuum Petrum, & Paulum. Præter hæc autem quinque nulla alia esse Pontifici reseruata, & communissimum, & verissimum est: de qua reseruatione, vide in nostro Decalogo *lib. 2. cap... dub. 39.* & Sanchez *disp 9. cit. n. 1. & lib. 4. oper. moral. cap. 40. à num. 4. vsque ad num. 14.* in quo ait, ita esse hæc quinque vota Pontifici reseruata, vt nec Nuntius, nec Legatus à Latere absque speciali Pontificis priuilegio possit dispensare; quia Legatus à Latere in solis votis Episcopo concessis dispensare potest, vt ipse probat *lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 15.* Addit *num. 15.* tantam vim habere horum quinque votorum reseruationem, vt nunquam in generali votorum omnium indulto concessa censeantur, nisi exprimantur: quod latè probat vsque ad *numer. 22.* In dubio autem, an votum sit reseruatum Papæ, necne, iudicandum est in partem benigniorem, vt reseruatum, non censeatur, vt tenet Sanchez *lib 4. operis moral. cap. 40. num. 26. & 80.* & cum aliis Castro Palao *tract. 3. disp. 6. p. 5. num. 10.*

3 Qui autem aliquod ex quinque votis Pontificis reseruatis commutare ausus fuerit, prætextu tamen, & non aliter, priuilegiorum, seu facultatum à Sixto IV. concessarum incurreret excommunicationem reseruatam ab eodem Sixto IV latā in

Extrauag. *Dominici la* 2. *de pœnitent. & remiss.* at quia facultates Sixti IV. nullæ, aut rarissimæ extant, vt docet Nauarr. *cap.*27. *num.*105. Sayrus *in Claui Regia, lib.*6. *cap.*11. *n.*38. *& lib.*3. *de censur. cap.*34. *num.*14. Sanchez *lib.*4. *oper. moral. cap.*40. *n.*13. & alij, quos isti referunt, proinde hodie nihil, aut parum confert ea communicatio.

4 Suppono tertiò, in iis quinque votis posse Episcopum etiam seruata perfecta voti reseruati materia, dispensare, non absolutè, & simpliciter, & ordinaria ac communi facultate, sed ex quodam tacito Pontificis consensu, & ratihabitione, ratione instantis necessitatis, & circunstantiæ occurrentis, quando scilicet ad Pontificem non facilis patet aditus, & est periculum incontinentiæ ex mora, aut imminet periculum scandali, aut graue damnum, quod procedit in omnibus quinque votis; at quia raro, aut nunquam euenit necessitas dispensandi in quatuor votis, excepto voto castitatis, quia necessitati eorum occurrenti potest subuenire Episcopus non dispensando, sed eorum executionem differendo, vt *infrà* dicemus, proinde in iis quatuor raro, aut nunquam poterit Episcopus dispensare. Sed de hoc latè, multis citatis Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp* 9 *à num.*22. *& lib.* 4. *oper. moral. cap.* 40. *à num.*26. Nauarr. *cap.*12. *num.* 76. Syluest. *votum* 4. *quæst.*4. Ledesma 2. *par. Summ. tract.* 10. *cap.*8. *in* 3 *part. capitu, vers. Digo lo quarto.* Suarez *lib.*6. *de voto, cap.*26 *à num.*9. Vide Castro Palao *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.*5. *num.* 7. Nec tenetur in hoc casu occurrenti vouens adire Nuntium, quamuis possit, nisi constaret habere facultatem specialem, aut priuilegium ad hæc commutanda, tunc enim non posset Episcupus dispensare, vt docent Henriquez *lib.*12. *de matrim. cap.*3. *in initio.* Suarez *suprà num.*15. & Sanchez *disp.*9. *num.*25. *& d. cap.*40. *num.*38. Vide in nostro Decalogo *lib.*2. *cap.*1. *dub.* 39.

5 Parochus autem quacumque occurrenti necessitate, & quamuis aditus ad Episcopum non pateat nullo modo dispensare, aut commutare potest vota iurisdictioni Episcopali subiecta, etiam si Papæ non reseruata sint; quia nullus qui iurisdictione quasi Episcopali præditus non sit, in votis dispensare, vel ea commutare absque priuilegio, vel consuetudine approbata, potest; at nullo iure cautũ est, nec vlla consuetudine receptum, vt id possint Parochi, imò oppositum habet consuetudo generalis, vt testatur, & probat cum multis latè Sanchez, videndus *lib.*8 *de matrim. disp.*9. *num.*27. Vide *sup. hoc cap. dub.*5. *suppos.*1. Vnde teneri non potest sententia Rodriguez 1. *tom. quæst.* 46. *art.* 9. vbi generaliter tradit occurrente necessitate, quando commodè Episcopus nequit adiri, posse Parochos dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, non ex iure ordinario ac communi, sed ea præsumpta Pontificis voluntate; quod bene refutat Sanchez *num.*27. *cit.*

6 Suppono quartò, posse Episcopum potestate sua ordinaria dispensare in quinque votis Papæ reseruatis absolutis; etiamsi necessitas non vrgeat, dummodo causa adsit, quotiescumque materia promissa deficit à natura materiæ reseruatæ, nimirum quando non promittitur tota materia reseruata, sed pars eius, aut votum non obligat præcisè ad materiam reseruatam aut dispensatio non est circa materiam reseruatam directè, sed circa aliquam circunstantiam, aut qualitatem adiunctam, quod clariùs ex infrà dicendis constabit. Ita Sanchez *lib.*4. *oper. moral. cap.* 40. *num.* 41. Ratio est, quia reseruatio cùm sit odiosa, & multum derogет potestati Episcopali, est restringenda ad vota absoluta, & ex omnibus partibus perfecta, vt docet Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*9. *n.*5. *disp.*15. *à n.*3. *vsque ad n.*9. *& lib.*4. *oper. moralis, cap.*54. *n.*19. *& cap.*40. *n.*2. & alij citati à nobis *hoc cap. dub.*6. *supposit.*2. vide, ibi *supposit.* 1. Vide in decalogo *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.*39.

7 Suppono quartò, Pontificem à facultate commutandi vota per Bullam ex quinque votis sibi reseruatis, solùm excipere tria vota nimirum castitatis, religionis, & votum vltramarinum. Quod ergo inquirimus est, quomodo castitatis votum sit ab hac facultate exceptum, & an aliquo modo factum possit virtute Bullæ commutari, Ad cuius intelligentiam nota, votum castitatis aliud esse conditionale, de quo hoc c. *dub.*6. *&* 7, aliud verò absolutum, de quo modò diximus. Deinde absolutum, aliud esse perpetuum, ad totum scilicet vitæ tempus; aliud verò temporale. v. g. ad decem, viginti, quadraginta annos: non autem ad centum, nam votum centum annorum quacumque ætate emittatur, censetur perpetuum, vt bene Lessius *lib.* 2. *cap*....*dub.*13. *num.*105. *casu* 2. vt quando quis promittit se centum, vel vsque ad centum vitæ suæ annos seruaturum castitatem, quia vita hominis non ampliùs durare præsumitur. Ita Sanchez *lib.*4. *oper. moral. c.*40 *num.*49. Ad discernendum autem, an hoc votum sit perpetuum, an verò temporale, attendenda videtur ætas vouentis: nam si ætas vouentis, & tempus voti adimplent numerum centenarium, videtur votum perpetuum, secus autem si non. Verbi gratia, si habens sexaginta annos vouet castitatem ad tempus triginta quinque, aut triginta nouem annorum, censetur temporale; si autem ad quadraginta annos censetur perpetuum. Rursus castitas sub materia voti cadens, alia est perfecta, totalis, & omnimoda, vt abstinentia totalis ab omni actu luxuriæ, interno, & externo: alia verò partialis, & imperfecta, vt abstinentia à certo luxuriæ actu, vt votum non nubendi, non petendi debitum, non adulterandi, non se polluendi, &c.

8 His positis sit conclusio. Per votum castitatis à Pontifice per Bullam exceptum intelligitur votum castitatis perpetuæ, & perfectæ, siue totalis, quia sola castitas perpetua, & perfecta Pontifici reseruatur, vt docent Lessius *lib.*7. *de iust. c.*40. *à n.*105. Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*9. *num* 6. *& lib.*4. *oper. mor. c.*40. *n.*48. Reseruatio enim vtpote odiosa, & maximè ordinariorum potestati derogans, restringenda est vt *suprà* probatum est. Tum etiam, quia, vt docent Sanchez *citatus*, Lessius *suprà*, Sayrus *in claui Regia*, *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 48. Aaot *tomo* 1. *lib.*11. *c.*20. *quæst.* 6. Ledesma 2. *tom. Sum. tract.* 10. *c.*8. *in* 3. *part. dicto* 3. & Suarez *tom.* 2. *de religio. lib.*6. *de voto, c.*22. *n.*9. & Lop. *cap.*9. *de Bulla, pag.*847. & dixi latè *in Decalogo lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 49. potest Episcopus dispensare in voto castitatis quotiescumque non est perpetuum, aut omnimodæ castitatis, seu totale, quia cum talia vota non sint perfecta, non censentur Pontifici reseruata. Hinc constat euidenter talia vota castitatis imperfecta non esse à facultate Bullæ excepta, quia nimirum, non sunt Pontifici reseruata. Mens enim Pontificis expressa, vt docet Sanchez *lib.*4. *oper. mor. cap.* 54. *num.* 19. & alij citati à nobis *dub.* 6. *hoc cap. suppos.*1. est eorũ solum votorum commutationem denegare per Bullam, quæ videlicet sunt ipsi reseruata. ergo quando ea vota Pontifici reseruata non sunt, poterit Episcopus ordinaria potestate dispensare, & confessarius virtute Bullæ commutare. Nam, vt sæpè dictum est, omnia vota quæ potest Episcopus ordinaria potestate extra casum vrgentis necessitatis dispensare, potest confessarius virtute Bullæ commutare.

Vt

Vt etiam tenet Diana cum aliis *tract.* 11. *resol.* 56. & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 15. *n.* 2. Cùm ergo Episcopis solùm sit prohibitum in castitate perfecta, & perpetua extra casum necessitatis dispensare, constat apertè solum votum castitatis perpetuæ, & perfectæ esse exceptum à facultate generali commutandi vota per Bullam Cruciatæ, & per consequens virtute illius perpetuę, & perfectæ castitatis votum non posse commutari, nec ab Episcopo dispensari.

9 Ex hac conclusione colligitur primò posse confessarium virtute Bullæ commutare votum omnimodæ castitatis, si est ad tempus, & non perpetuum. Ita Lopez *sup.* & cum aliis Diana *tract.* 11. *resol.* 57. & dixi *in Decalogo lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 49. *num.* 14. Ratio est, quia, vt docent DD. immediatè citati, potest in hoc voto Episcopus dispensare, quia non censetur Papæ reseruatum, nam cùm non sit perpetuum, sicut eius natura postulat, est imperfectum, non enim absolutè, sed cum addito dicitur votum castitatis. Censetur autem perpetuum, si est centum annorum, modo suprà explicato.

10 Secundò infertur, posse virtute Bullæ commutari votum seruandi coniugalem castitatem tantùm; quia, vt docent Lessius *sup. n.* 105. *citat.* Sanch. *disp.* 9. *cit. n.* 8. *& lib.* 4. *oper. mor. cap.* 40. *n.* 50. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *n.* 6. Diana *tract.* 11. *resol.* 62. Lud. à Cruce *in exposit Bulla, disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 10. *num.* 5. & dixi *in Decalogo. sup. num.* 15. & alij, in hoc voto potest Episcopus dispensare, quia non est perfectum, & absolutum castitatis votum: non enim est totius castitatis, sed partia tantùm; integrum enim est huic matrimonium contrahere. Limitat autem Sanch. *num.* 50. *cit.* hoc intelligendum nisi votum hoc sit annexum authoritate Pontificia statui religioso, vt est hodie statui Equitum, Militarium (excipe Equites D. Ioannis, qui absolutam castitatem vouent) quia tanquam necessariò requisitum ad statum illum religiosum, non potetit Episcopus dispensare, nec confessarius commutare in illis Equitibus in sua professione illud emittentibus.

11 Tertiò deducitur, virtute Bullæ posse commutari votum quo alter coniugatus absque alterius licentia se obligat ad non petendum debitum, quia non est votum integræ castitatis, sed partia tantùm. Ita Sylu. *votum* 5. *quæst.* 2. *num.* 5. Azor *lib.* 11. *tom.* 1. *c.* 20. *quæst.* 6. & alij, quos sequitur, & citat Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *num.* 8. Idem ob eandem rationem dicendum est, si ex licentia alterius emissum sit, imò etiam si vterque ex licentia alterius votum non petendi emisisset; quia adhuc non est votum perfectæ castitatis, cùm neuter se obligauerit ad non reddendum, & non fornicandum, & ad non nubendum soluto matrimonio. Et tandem idem dicendum est, licet vterque communi consensu voueret, nec petere, nec reddere, nec fornicari, quia adhuc non est omnimodæ castitatis, cùm vterque libertatem habeat transeundi ad alias nuptias. Ita Sanchez *num.* 8. *cit.* Diana cum aliis *tract.* 11. *resol.* 58.

12 Quartò infertur, quando alter coniunx absque alterius licentia vouit castitatem absolutè, & simpliciter, si id votum emisit matrimonio iam consummato, posse virtute Bullæ commutari: quia, vt docent Rodriguez à *tomo Summ. cap.* 90. *n.* 6. *ad finem,* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 11. *n.* 3. *& lib.* 4. *operis moralis, cap* 40. *num.* 52. Diana *supr. resolut.* 72. Lud. à Cruce *in exposit. Bull disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 14. *n.* 1. & dixi *in Decalogo lib.* 2. *cap.* 1. *dub* 39. *n.* 15. contra Sayrum *in Claui lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 52. potest in eo Episcopus dispensare; eo quòd non sit omnimodæ castitatis, cùm obligare nequiuerit se ad non reddendum. Si autem post matrimonium ratum, non tamen consummatum, sit factum, illudque emisit animo ingrediendi religionem, vt illud impleret, sciens non aliter se posse id votum implere, nisi ingrediendo religionem, nequit virtute Bullæ commutari; quia vt tenet Sanchez, non potest in illo Episcopus dispensare: quia cum censeatur velle se ad religionem obligare, quatenus est id medium necessarium, tunc ad castitatem seruandam, est votum omnimodæ castitatis, & potest, ac tenetur illud implere transeundo ad religionem. At si is animus non adfuit, vel nec de ingressu, nec de opposito cogitauit; vel etiam si habuerit tunc animum ingrediendi, religionem, voluerit tamen expressè non se obligare ad illam, aut solus fuit animus ingrediendi, ignorando id esse medium necessarium ad castitatem perfectè seruandam poterit virtute Bullæ commutari: quia vt docet Sanch. *citatus*, potest in eo Episcopus dispensare, quia cùm in nullo horum casuum teneatur hic ad religionem causa seruandi voti castitatis, solus enim animus cum ea ignorantia, aut solùm castitatis votum absque eo animo ad religionē non obligat, iuxta probabiliorem sententiam, quam semper vt talē habui, id namque votum non est omnimodæ castitatis, cùm absque culpa possit reddere debitum, ita citati.

13 Dices, poterit ne tunc Episcopus dispensare vt is petat debitum? Respondeo cum Sanchez *cap.* 40. *cit. numer.* 53. si matrimonium iam consummauit, potest Episcopus dispensare ad petendum debitum, sicut potest Episcopus dispensare ad petendum cum eo qui post votum castitatis matrimonium contraxit. Si verò matrimonium nondum consummauit, nequit Episcopus dispensare in casu quo iuxta dicta præcedenti consectario tenetur ingredi religionem, quia est votum absolutæ castitatis, & tenetur illud integrè implere ingrediendo religionem. Si verò non tenetur ingredi, potest dispensare ad petendum debitum, imò in toto voto, vt *ibidem* dictum est.

14 Quintò infertur, quando coniunx alter solus de licentia alterius vouit continentiam matrimonio non consummato, & animo ingrediendi religionem, sciendo non aliter esse in sua potestate implere perfectè votum, non potest virtute Bullæ commutari, quia, vt docet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 11. *num.* 5. *& lib.* 4. *oper. moral. cap.* 40 *num.* 54. nequit Episcopus in eo dispensare etiam ad debitum petendum; at si iam matrimonium consummauit, poterit dispensare Episcopus ad solum debitum petendum, vt dictum est *consect. superiori.* Si autem id votum est factum post matrimonium consummatum, & animo ingrediendi religionem, sciendo se non aliter posse perfectè implere, & volente altero coniuge efficere iure requisita, vt eia ingressus liceat, nequibit Episcopus etiam ad solum debitum petendum dispensare, nec confessarius per Bullam commutare, quia tacitè voluit hic se ad religionem obligare, & sic est votum perfectæ castitatis. Quòd si coniunx dans licentiam, volensque requisita facere, mutet propositum, nequit Episcopus dispensare omnino in eo voto, nec confessarius virtute Bullæ commutare, quia censetur votum absolutæ castitatis: poterit tamen Episcopus ratione periculi status ad debitum petendum dispensare. Quando verò id votum absque animo ingressus religionis est factum, siue ante consummationem matrimonij, siue post, potest Episcopus in eo voto dispensare, & confessarius virtute Bullæ cōmutare,

quia non eſt omoimodæ,& abſolutæ caſtitatis, ſed partis tantum, nam eo non obſtante renerur debitum reddere. Ita Sanchez *locis citatis.* & Lud. à Croce *in expoſit. Bull. diſp.* 1. *c.* 6. *dub.* 14. *num.* 2. & dixi *in Decalogo lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 39. *n.* 17.

15 Sextò infertur, quando vterque coniunx continentiam vouit abſque alterius liceotia, poſſe virtute Bullæ commutari, eodem modo ac ſi ſolua abſque alterius licentia vouiſſet, vt dictum eſt *conſect.* 4. quia ſimiliter non eſt votum cooſcientiæ abſolutæ, & omnimodæ, & tenetur ac poteſt reddere: quod limita vt ibi, niſi quando ante matrimonium conſummatum animo expreſſo ingrediendi religionem factum eſſet, tunc enim eſſet votum omnimodæ caſtitatis, nec poſſet Epiſcopus diſpenſare, niſi ſolùo ad petendum debitum, modo quo in dicto *conſect.* 4. dictum eſt. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 11. *num.* 7. *& lib.* 4. *oper. moralis*, *cap.* 40. *num.* 55. Diana *tract.* 11. *reſol.* 72. Lud. *ſup. num.* 3. & ego ipſe *ſup. n.* 18. Similiter dicendum, poſſe Epiſcopum diſpenſare, & confeſſarium virtute Bullæ commutare quando vterque coniux ſeorſum continentiam vouit, habita ab altero licentia, non tamen per modum contractus, & reciprocæ conuentionis, facio, vt facias, ſed independenter ab alterius voto, quia non eſt votum continentiæ totalis, ſed partis cùm teneatur alter alteri debitum reddere, ac poſſit, licèt à debiti petitione liber ſit, ob alterius adulterium. Si autem id votum animo ingrediendi religionem factum eſſet, dicendum eſt idem quod dicto *conſect.* 4. dictum eſt. Ita Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 40. *n.* 56. *& lib.* 8. *de matr. diſp.* 11. *num.* 8. & Diana *vbi ſup.* & Lud. *ſup.*

16 Septimò infertur, quando vterque coniunx communi cooſenſu, & per modum contractus, caſtitatem vouit, non poteſt virtute Bullæ commutari, nec ab Epiſcopo diſpenſari, quia eſt votum abſolutæ, & omnimodæ caſtitatis, vt docent Nauarr. *cap.* 12. *num.* 59. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 55. *num.* 8. & alij, quos citat & ſequitur Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 11. *num.* 10. & Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6. *c.* 11. *num.* 53. Diana *vbi ſup.* & Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 14. *num* 9. & dixi *in Decalog. lib.* 2 *cap.* 49. *num.* 18. nec poſſet Epiſcopus diſpenſare vt matrimonio vtantur, ſiue reddendo, ſiue petendo, niſi eſſet incontinentiæ periculum in alterutro; nec commodè Pontifex, aut habens priuilegium ab ipſo diſpenſandi in hoc caſu, aditi poſſet præ paupertate, aut quia eſſet periculum in mora. Idem docent Nauarr. & Henriquez, quos ſequitur Sanchez *num.* 10. *cita. diſp.* 8. quando ex magno timore, licèt non ſufficienti ad irritandum, id factum eſt, & vrget neceſſitas, quia id votum non eſt omnino voluntarium, & cum exigatur mutuum pactum, vt integram voti rationem habeat vbi id voluntarium omnino fuit ſed metu magno extortum, non ita Papæ reſeruatur, ac quando ſponte factum eſt, vt dixi *in Decalogo lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 39. *n.* 8. & tenet Ludou. à Cruce *in expoſ. Bull. diſp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 13. *num.* 16. Confirmatique poteſt, quia in ea neceſſitate poſſet Epiſcopus diſpenſare cum ſolutis ad ineundum matrimonium, vt latè Sanchez cum multis, *lib.* 8. *de matrimonio diſput.* 9. *n.* 22. ergo à fortiori, vt matrimonio contracto vtantur.

17 Hæc autem Epiſcopi diſpenſatio ob eam vrgentem neceſſitatem conceſſa, ſolùm poteſt eſſe ad petendum & reddendum debitum in eo matrimonio, quia ad hoc ſolum neceſſitas vrget: quare coniunx hic fornicans, aut eo matrimonio ſoluto ad aliud tranſiens, erit reus voti; at ſi ſoluto eo matrimonio, adfuerit vrgens neceſſitas, vt coniunx ſuperſtes ad alias nuptias tranſeat, nec adſit aditus ad Pontificem, nec ad alium diſpenſandi priuilegium habentem, poterit in hoc Epiſcopus diſpenſare iterum, vt docent Sanch. *diſput.* 11. *citat. n.* 11. *&* 12. *& cap.* 40. *citat. n.* 58. cum Sayro *in Claui Regia, cap.* 15. *n.* 53. Quòd ſi de facto coniunx ſuperſtes ſoluto eo matrimonio abſque aliqua diſpenſatione ad aliud tranſeat, tenebitur non petere debitum, inſtar eius qui voto caſtitatis ligatus matrimonium iniit, poterit tamen Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum, quia reſpectu huius poſterioris matrimonij ſe habet inſtar eius, qui poſt caſtitatis votum ad nuptias tranſit, in quo poſſe Epiſcopum diſpenſare, cũ multis tenet Sanch. *diſp.* 32. *n.* 4. *& c.* 40. *cit. n.* 63.

18 Dupliciter tamen limitandum eſt, vt nequeat Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis per modum contractus mutuo coniugum conſenſu emiſſo. Prius vt intelligatur quando eſt nulla exceptio in eo voto poſita, poſſet enim Epiſcopus diſpenſare tunc, Verbi gratia, ſi coniuges per modum contractus vouiſſent caſtitatem, hac lege, vt ſi ſoboles tunc habita obiret, poſſent vti matrimonio, tunc enim non eſſet votum omnimodæ caſtitatis; ac per conſequens poſſet virtute Bullæ commutari. At ſi ab initio promiſerint eam caſtitatem, ſi haberent prolem, ſi illa dictio æquiualet dictioni, *quando*, vt ſenſus ſit, ex tempore habitæ prolis promittimus continentiam, nequit Epiſcopus diſpenſare, nec ad petendum, nec reddendum, ex tempore habitæ prolis, niſi modo explicato *in conſectario ſuperiori*; quia ex eo tempore eſſet abſolutum caſtitatis votum, & tantùm apparenter conditionale. Si autem ſenſus eſſet verè conditionalis, id eſt, ſi Deus id in nos beneficium contulerit, vt habeamus prolem, promittimus caſtitatem, dicendum eſt poſſe Epiſcopum diſpenſare, & confeſſarium virtute Bullæ commutare eo modo quo dictum eſt de votis pœnalibus ſuprà hoc cap. *dub.* 6. *&* 7. ſiue ante, ſiue poſt adimpletam conditionem. Poſterius eſt, ſi coniuges illi qui per modum contractus vouerunt caſtitatem, remittant ſibi ipſis renuntiationem illam iuris petendi, & reddendi debitum, quam vouendo fecerant, conferendo ſibi iterum mutuam corporum poteſtatem, valet enim tunc prædicta remiſſio, etſi ſit ſacrilega contra votum, & tenebitur tunc vterque debitum alteri petenti reddere: quare poterit tunc Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum ſolum, etſi facilis ad Pontificem aditus ſit, vt probat Sanchez *diſp.* 11. *citat. num.* 15. *& diſput.* 12. *à n.* 4. *vſque ad* 7. *& cap.* 40. *cit. num.* 61. *&* 63. Diana *tract.* 11. *reſolu.* 82. & Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 14. *n.* 9. & dixi *in Decalogo lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 49. *num.* 18.

19 Hoc tamen pro certo habe, in iis caſibus in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto modò in hoc conſectario explicato, ratione ſolius vrgentis & imminentis neceſſitatis, non poſſe confeſſarium virtute Bullæ commutare, quia facultas hæc in hoc caſu non competit Epiſcopo modo ordinario & communi, ſed ex quodam tacito conſenſu Papæ, & benigna eius voluntate interpretatiua; at quæ in iis caſibus conceduntur Epiſcopis, non cenſentur per Bullam conceſſa, vt dictum eſt ſuprà hoc cap. *dub.* 6. & docet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 15. *n.* 10. Diana *tract.* 11. *reſol.* 56. & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi, allegat.* 37 *num.* 14. & alij. Nec poterit Confeſſarius virtute Bullæ diſpenſare ad debitum petendum, quia Bulla nullo modo concedit facultatem diſpenſandi, ſed commutãdi, & tũc Epiſcopus non diſpenſat in voto, ſed ex vrgenti cauſa

ob

ob periculum incontinentiæ solùm dat licentiam petendi ita Sanchez *lib.8. de matrimon. disp.5. n.9.* contra Viualdum in hoc non audiendum, qui in suo candelabro, *pag. mihi 258. num 45.* existimat virtute Bullæ, vel Iubilei, posse commutari votum castitatis, quando post illud est matrimonium contractum, vt possit ille vouens petere debitum, eo quòd in hoc possit Episcopus dispensare; quòd tamen nullo modo tenendum est: quia vt dictum est, Episcopus in hoc iure ordinario dispensare non potest, sed solùm ex consuetudine. Vide Sanchez *sup. citat.* & Dianam cum eo *tract. 11. resol. 66.*

20 Octauò infertur, tanquam certissimum, quando alter coniunx ante matrimonium contractum emisit votum perpetuæ, & perfectæ castitatis matrimonio iam contracto, non posse tale votum virtute Bullæ commutari, nec ab Episcopo dispensari; quia sicut antea non poterat ab Episcopo dispensari, nec per Bullam commutari, ita nec postea; quia semper est, votum perfectæ castitatis. Ita Sanch. *lib. 4 oper. moralis, c.40. n.62.* Et dixi cum aliis *in Decalogo lib. 2. cap. 1. dub. 39. num. 19.* Vota enim castitatis in coniugatis per Bullam solum commutari possunt in illis omnibus casibus, in quibus potest Episcopus dispensare, eo quòd deficiant à ratione perfecta, & absoluta voti castitatis, vt docet Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disp. 15. n.7.* quos casus retulit *disput. 11.* & sunt à nobis in consectariis explicati, & latiùs *in Decalogo, dicto dub. 39.* Poterit tamen Episcopus dispensare ad petendum debitum, siue consummatum sit matrimonium, siue non, etiam priori bimestri post initum, nec consummatum matrimonium; & quamuis ad matrimonium transisset animo ingrediendi religionem, (si tamen eam non vouerit) & quamuis ipse Pontifex, aut alius habens priuilegium dispensandi posset facilè adiri: nam consuetudo legitimè præscripta obtinet posse Episcopum in hac debiti petitione dispensare, vt latè probat Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disput. 12. à n. 3. vsque ad 9.* Cùm autem hæc dispensatio sit ad solum petendum debitum, remanet obligatio voti quoad abstinendum à venereis extra id matrimonium, & ab alio ineundo post illud: quod si aliud postea initur, opus est noua Episcopi dispensatione ad debitum petendũ, quia sicut prior nõ extendebatur ad illud matrimonium ineundum, ita nec ad eius vsum si initetur.

21 Quomodo autem dispensare possit Episcopus in eo qui ratione voti castitatis, affinitatis, & cognationis spiritualis impeditur à debiti petitione, tractat latè Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 11. & 12.*

22 Nonò infertur, posse virtute Bullæ commutari votum virginitatis seruandæ, quando constat non esse omnimodæ castitatis, sed solius corporis integritatem seruandæ, consistentem in abstinentia à primo actu luxuriæ, per quem virginitas deperditur. Ita Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disput. 15. n.4.* quia, vt docet ipse Sanchez *eodem lib. disput. 9. n.9. & lib 4. operis moralis, cap. 40. num. 65.* potest in hoc voto Episcopus dispensare; quia non est perfectæ castitatis. Dixi *quando constat expressè*, &c. nam si de tali limitatione non constat expressè, censetur votum perfectum, & absolutum castitatis, atque ita nec poterit ab Episcopo dispensari, nec virtute Bullæ commutari. Ita Sanchez *suprà*, cum aliis, & Diana *tract. 11. resol. 60.*

23 Decimò infertur, posse virtute Bullæ commutari votum non nubendi, seu non ineundi matrimonium. Ita Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disp. 15. num 4.* Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 30. num. 6.* Lopez *cap. 9. de Bulla, pag. 847.* & alij Ratio est, quia cùm sit solius partis tantùm castitatis, potest ab Episcopis dispensari, vt docet Lessius *lib. 2 de instit. c. 40 dub. 13. num. 105.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 6. c. 11. num. 47.* Azor *1. tom. inst. moral. lib. 11. c. 20. q. 5.* Suarez *tom. 2. de religione, tract. de voto, lib. 6. cap. 21. num. 9.* & alij permulti, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 8. de matrimonio, disp. 9. n. 10. & lib. 4 operis moral. cap. 40. num. 66.* Ludou à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 6. dub. 14. num. 4.* & dixi *in Decalogo lib. 2. cap. 1. dub. 49. num. 21.* Hoc tamen limita cum Sanchez *disput. 9. cit. num. 12. & cap. 40. citat. num. 66.* & Diana *tract. 11. resolut. 59.* & me ipso *loco citat.* quando esset merum votum, vel merum iuramentum Deo factum. Si enim in fauorem tertij id petentis cuius interest emissum sit, non poterit Episcopus dispensare, nec Confessarius virtute Bullæ commutare propter ius tertio acquisitum: vt si coniunx à coniuge petat sub iuramento vel voto, se obliget ad abstinendum ab alio matrimonio, tunc cum coniugis illius intersit propter filiorum bonum, & vt honor, amor, nomen amicitia cum consanguineis consementur, non poterit Episcopus dispensare, nec Confessarius virtute Bullæ commutare, quia, vt communiter Doctores tenent, non potest Episcopus dispensare in voto in fauorem tertij facto ab eo acceptato. At si ille remittat ius sibi acquisitum, poterit Episcopus dispensare, & Confessarius virtute Bullæ commutare; quia non est votum omnimodæ castitatis, & tunc cessat præiudicium tertij. Quòd si quæres an possit ille tertius remittere totam hanc abstinendi ab alio matrimonio obligationem? Respondeo cum distinctione, si id votum, vel iuramentum emissum sit non tantùm in eius fauorem, sed intuitu etiam religionis ad id offerendum Deo, non potest: secus tamen si in eius intuitu tantùm. In dubio tamen propter subiectam materiam existimat Sanchez *num. 12. citata disputat.* id iuramentum aut votum factum esse in alterius coniugis fauorem; quamuis. vbi alterius nihil interest, censetur in dubio factum in honorem Dei. Vide *in Decalogo, dict. dub. 39. n. 22.*

24 Vndecimò infertur, posse virtute Bullæ commutari votum non fornicandi, aut abstinendi à certo actu venereo: quia, vt docet, Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 14. num. 105. casu 3.* Graffis *1 part. decis. lib. 2. cap. 31. num. 30.* potest in eo Episcopus dispensare. Idem dic de voto non tangendi mulierem, vt docet Graffis *suprà num. 31.* & Nauarr. *lib. 3. cons. tit. de voto in priori editione, cons. 22. nu. vnico.* Ratio est, quia nonnullum est perfectæ castitatis votum: quia contra prius non delinquitur ineundo matrimonium; nec contra posterius se polluendo, absque desiderio coitus cum fœmina, aut habendo copulam sodomiticam cum viro. Ita Sanchez *lib. 4. oper. moral. cap. 40. n. 67.* Diana *tract. 11. resol. 61.*

Duodecimò infertur, posse virtute Bullæ commutari votum quo quis vouet se emissurum votum castitatis, quia tale votum non obligat primò, & per se ad castitatem seruandam; ideoque non est reseruatum, & potest ab Episcopo dispensari. Vide Sanchez *lib. 4 operis moralis, cap. 40. n. 70.* cum Suarez *tom 1. de relig. lib. 6. de voto, cap. 21. n. 7 & cap. 24. num. 2.* Diana *tract. 11. resolut. 76.*

25 Decimo tertiò infertur, posse virtute Bullæ commutari, quando diuersis votis varia ad castitatem sunt promissa, ita vt ex omnibus illis iunctis consurgat obligatio ad perfectam castitatem. Vt si quis semel promisit se non initurũ matrimonium, & iterum se non fornicaturum, & iterum se nullũ peccatum venereum admissurum, quia in quolibet istorum potest Episcopus dispensare, quia nullum est perfectæ castitatis; ergo potest in omnibus simul,

ſimul,nam vota priora ſe habent per accidens ad prius. Hoc autem intellige,vt bene Sanchez *c.* 40. *cit.num.* 68. & cum eo Diana *tract.* 11. *reſolut.* 67. & Ludou. à Cruce *in expoſit. Bullæ,diſp.*1. *c.*6. *dub.* 13. *num.* 2. niſi id vltimum votum quo caſtitas perfecta completur, conſultò ille fecerit, vt perfecta caſtitate ligatus maneat: tunc enim cenſetur priora cum hoc poſteriori coniungere, & velle perfecto caſtitatis voto ligari. A fortiori poterit virtute Bullæ commutari votum, quo quis pluſquam dimidiam caſtitatem vouit: vt ſi quis voueret non habere copulam fornicariam, nec pollutionem voluntariam, nec horum deſiderium, quia non eſt omnimodæ caſtitatis; & poteſt matrimonium contrahere.

26 Decimuquarto infertur, poſſe virtute Bullæ commutari votum aſſumendi Ordinem ſacrum, quia in eo poteſt diſpenſare Epiſcopus. Henriquez *lib.*7. *de indulg. cap.*30.*num.*6. Azor. 1. *tom. lib.* 11. *cap.*20. *q.* 9. & alij,quos ſequitur Sanchez *lib.*8. *de matrimonio,diſp.*9.*n.*13. Diana *tract.* 11. *reſolut.* 64. Lud à Cruce *diſp.*1.*c.*6.*dub.*10.*n.*6.& dixi *in Decal. lib.*2.*c.*1.*dub.*39.*n.*25.quia id votum non eſt caſtitatis,ſed tantùm aſſumendi ſtatum cui annexa eſt caſtitas. & ita hic vouens non eſſet ſacrilegus fornicando, & ſi matrimonium in[illegible]et, peccaret contra votum, & poſſet petere. Vide Sanchez *lib.*4. *operis moralis,cap.*40.*n.*69.& Suarez *loco ſuprà citato.*

27 Infertur decimoquintò, probabiliter dici poſſe,votum caſtitatis, aut religionis emiſſum per metum leuem poſſe per Bullam commutari; quia reſeruatio huius voti intelligenda eſt de libero, non verò de coacto,ita Diana *tract.*11 *reſol.*73.cum Leſſiu *lib.*2.*c.*40 *dub.*18.*n.*127.imò probabile etiam eſt (etſi oppoſitum ſit probabilius) tale votum eſſe irritum,vt cum Nauar. tenet Diana *vbi ſuprà.*

D V B. XVI.

Quid nomine voti Religionis comprehendatur, dum eius commutatio in Bulla excipitur.

1 EX dictis dubio ſuperiori facilis eſt huius dubij ſolutio: ea enim quæ dicta ſunt de voto caſtitatis,ferè omnia applicari poſſunt ad votum religionis. Vnde tunc ſolum cenſetur votum religionis Pontifici reſeruatum, & per Bullam exceptum, quando eſt perpetuum, perfectum, & abſolutum: quare quotieſcumque tale votum non erit perpetuum,perfectum,& abſolutum,deficit à reſeruatione Pontificia, & poterit ab Epiſcopo diſpenſari, & per Bullam commutari, vt in ſimili dictum eſt de voto caſtitatis *dub. ſuper.* & docet Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio, diſp.*9. *à n.* 13. *vſque ad num.* 19. *diſp.*15.*n.*3. *&* 4.

2 Vnde deducitur primò, votum religionis etiamſi perpetuum ſit,ſi eſt pœnale,aut verè,& propriè conditionale, poſſe virtute Bullæ commutari;quia, vt latè probatum eſt hoc cap. *dub.*6. *&* 7. poteſt in eo Epiſcopus diſpenſare, quia non cenſetur Papæ reſeruatam. Et,vt ſæpè diximus,& etiam tenet Ludou. à Cruce *in expoſit. Bull.diſp.*1.*cap.*6.*dub.*11.*n.*2. per Bullam poſſumus commutare omnia vota,quæ poteſt Epiſcopus ordinaria poteſtate diſpenſare.

3 Secundò deducitur, poſſe virtute Bullæ commutari votum religionis à Pontifice non approbatæ; quia religio non approbata non eſt verè, & propriè religio, ſicque tale votum eſt ab Epiſcopo diſpenſabile,vt docet Leſſius *lib.*2.*de iuſt.c.*40. *dub.* 13.*numero* 105. *caſu* 1. Sanchez *lib.*4.*oper.mor. cap.* 40.*num.*71.

4 Tertiò infertur, poſſe virtute Bullæ commutari votum aſſumendi habitus fœminarum,quas vulgò *Beatas* vocant, quia hic ſtatus non eſt religionis,nec eſt votum caſtitatis formaliter ſumptæ,licèt includat votum de illa emittenda, & ita in hoc voto poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt docent Sayrus *in Claui Regia,lib.*6.*cap.*11.*num.*64 Suarez 2.*tomo de religione,lib.*6.*de voto,cap.*21.*num.*8.& alij,quos ſequitur Sanchez *lib.*8. *de matrimonio, diſput.* 9. *num.*15. *& lib.*4. *operis moral. cap.* 40. *num.*71. Idem dic de voto quorundam conuerſorum, qui eligunt ſtatum perpetuum, eo quòd non ſit votum religionis,nec caſtitatis,nec aliud ex Papæ reſeruatis.

5 Quartò infertur, poſſe virtute Bullæ Cruciatæ commutari votum paupertatis,& obedientiæ, ſiue in ſeculo, ſiue in religione non approbata emiſſo, quia non ſunt religionis,nec ſtatui religioſo annexa:& ita in iis poterit diſpenſare Epiſcopus, vt docent Leſſius *n.*105.*cit.*Sanch. *lib* 4. *operis moralis, c.* 40.*n.*72. cum Suarez *eod.cap.*21.*num.*8.& 9.

6 Quintò infertur, non poſſe Epiſcopum diſpenſare in voto ingrediendi religionem Ordinis militaris diui Ioannis, nec Confeſſarium virtute Bullæ commutare, quia, hic Ordo eſt vera Religio, in qua tria vota ſolemnia emittuntur. Ita Rodriguez *in Bulla* §.9.*n.*123. votum autem ingrediendi alios Ordines militares poterit virtute Bullæ commutari, & ab Epiſcopo diſpenſari, quia ij Ordines ſecundùm veriorem ſententiam, non ſunt propriè Religiones, & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & cum additamento, id eſt, Religiones militares, vt tenet Lud. à Cruce *in expoſit. Bull.diſp.*1. *c.*6. *dub.* 11.*n.*6.& dixi *in Decalogo,lib.*2.*cap.*1.dub.18.n.2.*& dub.*49.*num.*26. ideoque id votum, vtpote à perfecta religionis natura deficiens, non reſeruatur Pontific. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio, diſput.* 9. *num.* 16. *& lib.*4. *oper. moral. cap.* 40. *num.* 73. & multi apud Dianam *tract.*11. *reſolut.* 78. & Lud. *ſup. num.*8. & dixi *dub.* 49. *cit. num.* 26. Et quamuis concedamus eſſe veras Regiones, ſatis eſt id eſſe ſub opinione, vt poſſit Epiſcopus diſpenſare, iuxta regulam traditam à Sanch. *lib* 4. *oper. moral. cap.* 40.*numero* 26.Vide eumdem *eod.lib.cap.*16.*&* Dian. *ſup.& reſol.* 77.

7 Sextò infertur, virtute Bullæ poſſe commutari votum ingrediendi ſtrictiorem religionem; vt laxiorem ingrediatur, quia tale votum poteſt ab Epiſcopo diſpenſari,vt docent Sayrus *in Claui Regia,lib.*6.*cap.*11.*n.*63. Azor. 1. *tomo lib.*11. *c.*20. *q.*8. Leſſius *lib.*2.*de iuſt.cap.*40.*dub.*13.*n.*105.*verſ.*6.Rodrig.*quæſt* 25.*art.*6.*tomo* 1.Henriquez *lib.*7. *de indul. cap.*22.*n.*7.Diana *tract.*11. *reſol.*55. Lud. *ſup.n.*9. & dixi *ſup.dub.*49.*cit.n.*26. & alij, quos citat & ſequitur Sanchez *lib.*8.*de matr. diſput.*9. *n.* 17. quia tunc non diſpenſatur in voto reſeruato, & ſubſtantia religionis: manet enim hic obligatus ad illam, ſed tantùm in quadam eius qualitate, & circunſtantia, ſeu exceſſu vnius ad alteram: qui quidem exceſſus non eſt Pontifici reſeruatus, & poterit ſuppleri per commutationem in aliquod ſubſidium belli, additis tamen aliis eleemoſynis,orationibus,ieiuniis,& aliis operibus piis. Quomodo poſſit fieri commutatio, dictum eſt hoc cap. *dub.* 11.

8 Septimò deducitur, ſi quis promittat non tantùm religionem, ſed etiam perſeuerantiam in illa, quamuis Pontifici reſeruetur diſpenſatio circa ingreſſum,

gressum, posse tamen Episcopum dispensare, & Confessarium virtute Bullæ commutare circa perseuerantiam: & ita vt hic possit tempore nouitiatus exire, si expertus religionis austeritates iusta causa ad non perseuerandum ducatur, quia votum perseuerandi est virtute diuersum à voto religionis: hoc enim obligat ad ingressum, & ad perseuerandum etiam, nisi tamen vouens iusta de causa exeat, eo quod nequeat religionis austeritates ferre. Illud verò obligat in omni euentu ad perseuerandum. Nec tunc in voto religionis dispensatur, sed in qualitate adiuncta, quæ nullibi reseruatur. Adde, quia sub opinione est, an id votum obliget præcisè ad perseuerandum, an potiùs liceat exitus ex iusta causa tempore nouitiatus, sicut quando est votum solius religionis, de quo vide Sanchez *lib. 4. oper. moral. c.* 16. & Dianam *tract.* 11. *resol.* 79. qui cum Lessio *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 3. *n.* 68. eam amplectitur opinionem, quā etiam tenet Ludou. à Cruce *in exposit. Bulla. disp.* 1. *c.* 6. *dub.* 12. *num.* 5. *&* 6. & dixi *in Decalogo lib.* 2. *dub.* 49. *n.* 25. *& dub.* 16. vbi latè de voto perseuerantiæ, & tenet cum aliis Castro Palao *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 5. *num.* 10. vbi dicit quando est æquè dubium, an casus egeat dispensatione Papali, reputandum esse non indigere dispensatione, nec esse reseruatum. Et dato quòd eo indigeat, posse tunc dispensare ab Episcopo. Vide *sup.* hoc lib. *& cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 8. quare poterit in eo Episcopus dispensare, quia, vt ipse probat *eodem lib. cap.* 40. *num.* 26. quoties de voti valore fuerit morale dubium, siue dubium sit iuris, siue facti, potest Episcopus dispensare, quam sequiam tradit etiam Suarez *lib. 6. de voto, tomo* 2. *de relig. cap.* 26. *numer.* 6. Nec refert, an vouens ingressus sit iam religionem aut ab illa exierit: potest enim Episcopus dispensare ante ingressum, non quidem ne ingredi teneatur, sed ne teneatur ad perseuerandum, si iusta causa egressus sit: & similiter post exitum, si iusta causa ductus exit, potest dispensare, ne teneatur iterum ingredi, qui iam ille satisfecit voto religionis; & si eo solo ligatus esset, non teneretur iterum ingredi: ad iteratum autem ingressum ex solo perseuerantiæ voto tenetur, in quo Episcopus dispensare potest. Si verò absque iusta causa exierit, nequit Episcopus dispensare, ne iterum ingrediatur, quia is nondum satisfecit voto religionis, & ideo esset in illo dispensare. Nec refert ad prædictam Episcopi facultatem circa id votum, siue factum sit per modum plurium, vt voueo religionem, & perseuerare in illa: siue per modum vnius, voueo me perseueraturum in religione; quia etiam in hoc posteriori modo clauditur virtute duplex votum. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *n.* 18. *& lib.* 4. *oper. moral. cap.* 40. *num.* 75. Vide Dianam *vbi sup.*

9 Octauò deducitur, posse Episcopum dispensare ex iusta causa in differenda voti religionis executione, ne scilicet intra tempus in voto præfixum impleatur; vt si quis promisit abhinc vno anno se ingressurum, potest dispensare Episcopus, vt ex iusta causa differatur: dummodo non adeò differatur, vt sit periculum in eum statum incidendi, vt fiat impotens ad votum implendum, quia hæc dispensatio non est in substantia voti, sed in qualitate. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matrim disput* 9. *num.* 19. *& lib.* 4. *oper. moral. cap.* 40. *num.* 76. consequenter dici potest, posse virtute Bullæ supradictam voti qualitatem commutari cum limitationibus supradictis, sicut dictum est de qualitate voti strictioris religionis. Diana *tract.* 13. *resolut.* 80. cum Sanchez, Molfesio & Maldero, idem etiam tenet Ludouicus à Cruce *in exposit. Bullæ disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *num.* 6. *versic. Sed quares.* & dixi *in Decalogo. libro* 2. *cap.* 1. *dub.* 49. *numero* 26.

10 Nonò deducitur, posse virtute Bullæ commutari votum tradendi se hospitali in seruum, vel faciendi ibi absolutam promissionem obedientiæ, aut seruitutis perpetuæ propter Deum; quia huiusmodi votum non est religionis, nec Papæ reseruatum. Idem dic de voto, quod continet dimidiam partem voti religionis: vt si quis vouerет obedientiam perpetuam, & simul paupertatem perpetuam, adhuc enim tale votum non est votum religionis.

DVB. XVII.

Quid intelligatur per votum vltramarinum in Bulla reseruatum.

1 CONueniunt autem Doctores per votum vltramarinum exceptum in Bulla à facultate commutandi vota, intelligi votum peregrinationis Hierosolymitanæ: nam hoc votum inter vltramarina est potissimum; ac proinde illud saltem per Bullam intelligitur exceptum. Cùm autem hoc votum duplici modo emitti possit, primò subsidium Terræ sanctæ, secundò solius deuotionis causa, visitandi scilicet loca sancta, quidam, vt Emmanuel Sà *verb. votum num.* 11. *& iuramentum, num.* 33. Graffis 1 *parte decis. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 21. & alij, quos Sanchez *lib.* 4. *operis moral. cap.* 40. *num.* 5. putant, hoc votum, & à fortiori alia duo vota, peregrinationis scilicet in diuum Petrum, & diuum Iacobum, solùm esse Papæ reseruata; quando in subsidium eorum locorum, non verò solius deuotionis causa fiunt, ac proinde dicunt valere in iis Episcopi dispensationem, quando ex sola locorum deuotione emittuntur. Verius tamen est, & vniuersali Ecclesiæ consuetudine approbatum, esse hæc tria vota Papæ reseruata, quocumque ex illis duobus modis fiant. Ita Syluest. *votum* 4. *quæst.* 3. *dicto* 4. *&* 5. Nauar. *cap.* 12. *n.* 75. Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 35. *&* 36. Azor. *lib.* 11. *tom.* 1. *cap.* 20. *quæst.* 3. *&* 4. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 40. *dub.* 13. *n.* 104. Suarez *de religion. t.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *n.* 4. *&* 3. & quamplurimi, quos sequitur & citat Sanchez *lib.* 4 *oper. mor. cap.* 40. *n.* 6. & dixi *in Decalogo lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 49. *n.* 2. *&* 27. & tenet etiam Ludouicus à Cruce *in exposit. Bulla. disp.* 1 *cap* 6 *dub.* 15 *num.* 4.

2 Sed quæres, an votum conuertendi debita incerta in subsidium Terræ sanctæ, possit virtute Bullæ commutari? Syluest. *verb. votum* 4. *quæst.* 3. *dicto* 5. Angelus *votum* 4. *quæst.* 13. Sayrus *suprà n.* 39. existimant tale votum esse Papæ reseruatum, & per consequens à commutatione per Bullam exceptum. At verius est tale votum non esse Papæ reseruatum, ideoque posse ab Episcopo dispensari, & per Bullam commutari, quia talis reseruatio nec à iure, nec à consuetudine probatur. Ita Nauarr. *in Manu. Latino, cap.* 12. *n.* 78. Suarez *eodem cap.* 21. *n.* 13. & Sanchez *cap.* 40 *cit. num.* 8. & ego ipse *in Decalogo sup. nu.* 27. Quod intellige ante acceptationem, nam si acceptatum sit, tunc à solo Papa poterit dispensari; non quia ipsi sit reseruatum, sed quia solus Papa est dispensator bonorum & iurium Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum.

3 Ex his colligitur, posse virtute Bullæ commutari qualitatem voto Hierosolymitano adiunctam: vt si quis promisit se iturum pedibus, aut mendi-

cando: vt nimirum equo vectus eat, & portans necessarias itineris expensas. Ratio est, quia in hac qualitate potest Episcopus dispensare vt docent Lessius *sup. n.* 105. & Sanchez *cap.* 40. *cit. n.* 78. quia tunc non dispensatur in voto, sed in circunstantia illi adiuncta. Diana *tract.* 11. *resol.* 83. & alij, ego ipse *vbi suprà*, & Ludouicus *n.* 1.

4 Secundò infertur, posse virtute Bullæ commutari votum Hierosolymitanum conditionale pœnale, aut merè conditionale, etiam conditione adimpleta; quia, vt latè probatum est *hoc cap. dub.* 6. *&* 7. non est Papæ reseruatum, & dixi latè *in Decalogo lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 40.

5 Tertiò deducitur, posse virtute Bullæ commutari votum visitandi limina diui Petri & Pauli in vrbe Roma, & diui Iacobi in Compostella; siue hæc sint vota conditionalia, siue omnino absoluta, & quouis modo emittantur. Ita Henriquez *lib. de indulg. cap.* 30. *n.* 6. Rodriguez §. 9. *nu.* 126. & communiter Doctores. Ratio est, quia hæc vota non sunt excepta à facultate generali per Bullam concessa: nam cùm reseruatur in priuilegio aliquod votum peregrinationis vltramarinæ, intelligi debet de stricta peregrinatione vltra mare; nempe de ea peregrinatione, quæ, absolutè loquendo, dicitur vltramarina: hæc autem solum est peregrinatio Hierosolymitana, quare alia peregrinationis vota, siue sint absoluta, siue conditionalia, siue pœnalia, comprehenduntur in generali facultate commutandi vota per Bullam, cùm omnia illa à rigorosa vltramarini voti ratione differant.

6 Denique infertur, posse virtute Bullæ commutari votum peregrinationis in templum Beatæ Virginis Lauretanæ, quia secundùm veriorem, & receptiorem sententiam, non est Papæ reseruatum, vt docent inter alios Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 20. *quæst.* 3. Suarez *eod. cap* 21. *n.* 14. Sanchez *eod. cap.* 40. *num.* 10. & dixi *dicto dub.* 39. *num.* 28. & dato quòd esset Papæ reseruatum, non tamen comprehenditur sub nomine voti vltramarini, quia, vt dictum est, per illud solum intelligitur Hierosolymitanum.

Dub. XVIII.

De praxi quam obseruare debet confessarius in commutandis votis virtute Cruciatæ

1 DE hac re latè Sanchez cum aliis *l.* 4 *oper. mor. c.* 56. *per tot.* vbi propositis quibusdam regulis & exemplis, quæstionem hanc explicare conatur.

2 Prima regula. In commutatione voti attendenda est maior dignitas materiæ subrogatæ respectu solius materiæ promissæ; nulla tamen est habenda ratio vinculi voti: quam etsi vtrumque sit attendendum in voti dispensatione, vt latè probat idem Sanchez *eod. lib. cap.* 45. *nu.* 37. & cum eo Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 2. *cap.* 7. *dub.* 1. *n.* 2. 3. 4. *&* 5. non tamen in commutatione, quia per dispensationem tollitur omnino vinculum: in commutatione autem idem prorsus vinculum manet, in materia tamen subrogata, vt ipse probat eodem *lib. cap.* 55. *numero* 2. vide Rodriguez *in addit. ad* §. 9. *numero* 105.

3 Hinc deducitur primò, votum vitandi aliquod peccatum, v.g. non fornicandi, non egere magna commutatione, quia per commutationem non aufertur obligatio præcepti, sed tantum noua obligatio per votum imposita transfertur in materiam subrogatam: vnde in subrogatione materiæ solùm attendendum est vt recompensetur obsequium diuinum: ideoque attendendum est quantum obligatio voti superaddita illi præcepto arceat vouentem ab illius præcepti transgressione: si enim valde arceret, graui quoque indigeret commutatione similiter à peccato arcenti, qualis esset perpetua confessio menstrua: si autem illi fini nihil conduceret, imò solis multiplicandis peccatis ex pœnitentis fragilitate, transferendo simplicem fornicationem in sacrilegam, contentus essem (ait Sanchez *cap.* 56 *citat nu.* 2.) recitatione calculorum virgineorum semel quolibet mense per triennium.

4 Secundò deducitur, in commutatione voti & iuramenti neutrius vinculi necessariò rationem esse habendam, sed solius materiæ promissæ, & ideo non opus esse maiori materia subrogata; quia vel vtrumque vinculum cadit in materiam subrogatam vel ablato per commutationem vno, cessat alterum. Ita Sanchez *cap.* 56. *cit. n.* 3.

5 Tertiò deducitur, quando vltra votum, aut iuramentum rei alicuius aliud adesset votum non petendi commutationem, omnia hæc attendenda esse in commutatione, ideoque materia subrogata debet esse æqualis vtrique nexui; nec sufficit æqualitas cum prioris voti, aut iuramenti materia. Sanchez *eod. cap.* 56. *n.* 4.

6 Secunda regula. Maius, aut minus bonum, aut æquale materiæ promissæ, & eius in quam commutatio fit, non est considerandum iuxta excellentiam virtutis cuius est actus, ita vt semper censeatur commutatio in melius facta, quando commutatur in opus excellentioris virtutis. Vt si commutetur ieiunium, quod est actus abstinentiæ, in orationem, quæ est actus religionis, quæ abstinentia excellentior est: non enim inquam, semper commutatio in hoc maius bonum, vel æquale est facienda, sed maximè attendenda est ratio vouentis, quia cùm vota tendunt in Dei obsequium à vouente exhibendum, nec semper sit Deo gratius, vouentem facere quod per se est excellentius, sed quod pro tempore, & loco, & vouentis dispositione magis congruit eius saluti spirituali: ideo non semper reputatur melius, aut æquale, quod ex sua natura est tale, sed quod hic & nunc est gratius, aut æquè gratum à vouente præstari. Quod euidenter colligitur ex *c.* 1. *de voto*, vbi dicitur, quòd ad diiudicandum meliorem compensationem materia promissa, ponderandas esse circunstantias personæ, loci, ac temporis quia vt optimè Suarez *to.* 2. *de religione, tract. de voto lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 8. *ad fin.* non satis est opus in specie, & secundùm se esse melius, sed oportet in indiuiduo rem expendere. Quare in votis commutandis, sunt maximè attendenda spiritualis vouentis vtilitas, & finis voto intentus. Vnde si quis ad domandas carnis illecebras vouit ieiunium; aut ad auferendam auaritiam vouit eleemosynam, non rectè fiet commutatio in opera alia excellentiora, quæ ei fini assequendo non ita apta sint, de quo vide Lessium *lib.* 2. *de iust. c.* 40. *dub* 11. *n* 87. Saytum *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 5. Suar. *eod. libr.* 6. *c.* 19. *n.* 21. & alij, quos Sanchez citat, & sequitur *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 56 *num.* 5. & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1 *cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 6 7 *&* 8. Non tamen ita hæc strictè intelligenda sunt, vt opus sit imponere similia opera, quæ proximè ad finem voti ordinentur vt si fuit opus pœnitentiæ ad domandam carnem, sit necesse alia opera pœnitentiæ iniungere: possunt enim imponi alia opera, quæ licèt non ita pro-

ximè

ximè ad eum finem ordinentur, alia tamen ratione magis ad eum finem conducunt, vt sunt frequentia sacramentorum, oratio mentalis, &c. Imò existimo cum Sanchez *sup. num.* 8. tutiorem cæteris commutationem esse in sacramentorum frequentiam, si eam pœnitens facile acceperit, spereturque fore vt impleat, quia per hæc faciliùs, & citiùs pervenitur ad rei æqualitatem, cùm per hæc communicentur maximè merita Christi, temittantur peccata, augeatur gratia, deseruiantque summopere emendandæ vitæ, & peccatis cauendis, & viribus spiritualibus augendis ad legem Dei obseruandam: ob idque Summus Pontifex communiter in votorum commutatione iniungit sacramentorum frequentiam. Insuper erit sanum consilium commutare in aliquo sacra facienda: quia cùm per illa valde augeatur cultus diuinus, sintque magni valoris, adæquabunt magnam rei promissæ quantitatem. Ita Sanchez *cap. cit.* n. 8.

7 Tertia regula. Habenda est ratio finis ad quem res promissa ordinatur: nam dignitas materiæ promissæ augetur ex digniori fine, & ita maiori commutatione indigebit. Vt si quis vouit non ludere gratia vitandi blasphemias, & periuria, maiori commutatione opus habet, quàm si finis solus esset vitare prodigam pecuniæ iacturam. Quare examinandus est vouentis finis, tum ad considerandam maiorem materiæ promissæ dignitatem; tum etiam ad perpendendum an materia subrogata conducat magis ad illum finem assequendum. Vt si quis ad assequendam castitatem promisit peregrinari, magis ad illam conducent ieiunium, & orationes. Ita Sanchez *eod. cap.* 56. *n.* 9. & Ludou. à Cruce *sup.* n. 9.

8 Quarta regula. Habenda est quoque ratio difficultatis implendi rem promissam, ac materiam subrogatam, quia difficultas auget meritum, Nauar. *c.* 12. *n.* 77. Suarez *dict. c.* 19. n. 16. Sanch. *c.* 54. *cit. n.* 10. & alij, quos ipse; & tenet Lud à Cruc. *in exposit. Bull. disp.* 1. *c.* 7. *dub.* 1. *n.* 10. Vnde votum ieiunij à paupere emissum, si in eleemosynam commutetur, potest in minorem commutari, quam si diues illud emisisset; quia pluris facit Deus paucas pauperis pecunias, quam multas diuitis, atque ita Christus D.N. *Luc.* 21 prætulit illa duo minuta viduæ pauperis aliis pinguiora offerentibus. Eadem ratione dicendum est, pauciora ieiunia posse in eiusdem voti commutatione imponi laborantibus, cholericis, & debilibus, quàm otiosis, phlegmaticis, robustis, quia pauciora in illis æquiualent pluribus horum, ratione maioris difficultatis, & laboris in illis præferendis.

9 Hinc deducitur commutatione voti peregrinationis duo esse consideranda, & laborem itineris, & expensas ratione peregrinationis faciendas: vt constat ex *cap. magnæ de voto*, & habet communis Doctorum, nam etsi expensæ illæ non sint necessariò pecuniis redimendæ, at quia augent pondus, & æstimationem voti, vtpote quæ per id votum dicatæ sunt Deo, ideo earum est habenda ratio ad materiæ subrogatæ æqualitatem. Sunt autem deducendæ à commutatione expensæ, quas domi vouens erat facturus, vt docent Sayrus *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 12. n. 20. *vers. Item consideranda.* Nauarr. *c.* 12. *nu.* 77. Suarez *lib.* 6 *de voto, cap.* 19 *n.* 19 Sanchez *lib.* 4. *oper. moral c* 56 *num.* 12. & alij. Verbi gratia, erat in itinere singulis diebus sex nummos argenteos sumpturus, & domi tantùm tres, iis tribus deductis, cæteri sunt in commutatione computandi, quia illi tantùm causantur ratione voti.

9 Variant tamen Doctores in modo computandi expensas, an scilicet sint computandæ iuxta statum vouentis, & an sint computandæ expensæ, quas in eundo, & redeundo facturus est. Quoad primum Suarez *cap.* 19. *citat. num.* 10. *in fine*, & Sanchez *cap.* 54 *cit. num.* 14. existimant, expensas computandas esse iuxta statum vouentis, & moralem ipsius consuetudinem in simili itinere, quod non causa ostentationis, sed deuotionis, aggreditur: quia quamuis in rigore non promiserit hoc, sed tantùm ire, atque ita voto satisfaceret, si solus peregrinaretur, at res æstimandæ sunt moraliter, & prout in re ipsa futuræ sunt. Præterea quia aliàs dicendum esset nullas expensas computandas, quia satisfaceret voto, si pedester, & mendicans illud exequeretur. Alij, vt Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 30. *n.* 5. & Sayrus *suprà* citatus dicunt, disiunctiuè teneri hunc ad expensas quas solus, aut cum vno, aut altero famulo erat facturus, eo quòd illæ per accidens se habent ad votum, & eundo absque aliquo comitatu, illi voto satisfaciat. Alij, vt Petrus Ledesm. 2. *tom. sua Summ. tract.* 10. *cap.* 8. *ad finem. vers. penultimo*, ait, virum nobilissimum teneri ad expensas cum duob. famulis faciendas. Denique Rodrig. 2. *tom. Summ. c.* 100. *num.* 5. *document.* 5. ait, teneri hunc ad vnius famuli expensas. Ex quibus sententiis etsi prima tutior videatur, & eam sequatur Ludou. à Cruc. *in exposit. Bull disp.* 1. *cap.* 7. *dub.* 1. *n.* 3. omnes tamen probabiles existimo, & sequutus Ledesmam dico virum nobilissimum, vt Ducem Comitem, &c. teneri adhibere duos famulos: virum autem nobilem, qui sine famulis nunquam iter facere solet, vt docet Rodriguez, ad vnum: virum autem mediocrem, quia aliquando cum famulis, aliquando verò sine illis iter facit, ad nullum, vt docent Sayrus, & Henriquez: sicque temperari posse videntur supradictæ sententiæ. Et si, vt dixi, opinio prior sit tutior, probabilior, ideoque communiter consulenda, & practicanda. Dixi *communiter*, nam aliquando poterit tutè practicari posterior opinio, quando scilicet viri nobilis facultates sunt valde exiguæ, & solum habet necessaria ad suum statum strictissime sustentandum.

10 Quoad secundum quidam solùm computant expensas eundi, & non redeundi, vt Graffius 1. *par. decis. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 10. Henriquez *sup.* & Rodriguez §. 9. *n.* 107. & alij. Ratio est, quia reditus non fuit promissus, ac proinde voto plenè satisfit, non redeundo. Alij autem, vt Sayrus *vbi sup. n.* 20. Rodriguez *in addit. ad* § 9. *num.* 108 mutans sententiam quam tenuerat §. 9. *num.* 107. Suarez *eodem cap.* 19. *num.* 20. Lopez *c.* 9. *de bulla, pag* 848. & alij, quos refert & sequitur Sanchez *cap.* 56. *cit. nn.* 15. & 16. & cum his Ludou. à Cruce *in exposit. Bulla disput.* 1. *cap.* 6. *dub.* 2. *num* 4. existimant, computandas quoque esse expensas reditus. Ratio est, quia etsi hic redire non vouerit, at cùm votum intelligatur morali modo, & prout res se habitura sit, clauditur tacitè huiusmodi reditus in voto, ac eius meritum & æstimationem auget, estque illi accessorium, & quasi consummans opus religionis eo voto Deo dicatum. Et confirmatur, quia se obligans ad eundum aliquò, computat etiam expensas reditus ad iustam itineris mercedem, quantumuis redire non teneatur redituſque sit inutilis mittenti. Tandem quia *in cap. magna, de voto*, expressè vtriusque expensæ computantur in commutatione voti Hierosolymitanæ peregrinationis. ibi. *Expensas quas fueras eundo, morando, & redeundo facturus.* Nec dici potest id esse speciale in eo voto: Pontifex enim (ait Sanchez *num.* 16. *cit.*) non intendit imponere onus quod in voto inclusum non esset. Quòd si hic peregrinaretur ad locum destinatum, & mutata voluntate nollet redire, tunc certum est nulla expensarum

ſatum reditus commutatione egere. Vtraque ſententia probabilis,etſi probabilior videatus ſecunda. Nihilominus tamen prima ſecutè teneri poteſt, nam non videntur incluſæ in voto, niſi expenſæ in eundo,& in commorando vſque ad impletionem voti peregrinationis:cæteræ autem ſunt extrinſecè, & quaſi per accidens ad votum, cum ſufficienter, illis duo conſideratis,ſit voto ſatisfactum. Nec videtur abs re dicere,diſpoſitionem capitis, *magnæ*,eſſe ſpecialem in illo caſu.

12 Sunt etiam in peregrinationis voto conſideranda itineris pericula, & damnum quod ex eius abſentia rebus ipſius erat ſequuturũ, & tributa quę ſoluturus erat Infidelibus,vt tranſitum ad exequendum peregrinationis Hieroſolymitanæ votum concedant.Ita Sanchez *cap.56.cit.n.19.*cum Rodrig. *a. rem Summ.cap.100.num.5.docum.5.*quia omnia hæc Deo obtulit,& augent meritum,ac voti æſtimationem.At quia hæc valde incerta ſunt, & parum augent, proinde exiſtimo, aut non eſſe computanda, aut ſaltem non cum omni rigore.

13 Similiter computandæ ſunt expenſæ in commorando in loco peregrinationis promiſſæ: vt ſi vouens promiſit ſe nouem diebus, aut certo aliquo tempore, ibi commoraturum. Ita Sanchez *eod.cap. 56.num.*20.cum aliis,& Lud.*ſup.nu.*10. quod libenter admitto, quia conſtat eas ad complementum voti pertinere.

14 Non tamen oportet eleemoſynam in quam illæ impenſæ ſuntè commutantur, mitti in fauorem illius loci pij, in quam peregrinatio promiſſa eſt; nulla enim ratio id cogit, ſed vt ſola maiori boni ſpiritualis vouentis,maiorisque diuini cultus, aut ſaltem æqualis,in commutatione ratio habeatur.Ob eandem etiam rationem non eſt neceſſarium,vt ratio habeatur perſonæ, vel loci,in cuius fauorem eleemoſyna voto promiſſa cedebat, ita vt in eius fauorem debeat quoque cedere commutatio.Eſt tamen rationi conſentaneum vt in iis caſibus loci, & perſonæ ratio habeatur in quantum fieri poteſt, quia ſic ſeruatur magis materia, & intentio prioris voti.Ita Suarez *tom 1.de relig.lib.6.de voto, cap. 19. n.*18.Sanch.*eod.cap.56.n.*21.& 22.& Lud.*ſup.n.*11.

15 Quòd ſi pregrinationem mendicando,quis promiſerit,nullæ expenſæ ſunt attendendæ in commutatione:nam nullis expenſis propriis vouentis erat peragenda. At habenda eſt ratio maioris illius laboris peregrinationis pedeſtris,& emendicando, & maioris illius obſequij diuini, exercendo actus paupertatis, & humilitatis. Ita Sanchez *eod.cap. 56 num.* 23.

16 Quinta regula.Optimum conſilium,& conuenientiſſima conuenientia eſt, vt opus reale,v.g expenſæ peregrinationis, aut quid ſimile, commutetur in aliquod opus reale,vt in eleemoſynas,modo *ſup.* explicato;& opus perſonale, vt labor itineris, & modus quo erat peregrinaturus : puta ſi pedeſter erat iter facturus,commutetur in aliud opus perſonale.Ita tamen, vt ſi peregrinatio pedeſtris ſit,labor vnius diei præter expenſas commutetur in vnius diei ieiunium,& duarum dierum in duo ieiunia,& ſic deinceps;ſi autem non ſit pedeſtria itineris,labor quatuor, aut quinque dierum in vnicum ieiunium vt docent Sayrus *in Claui Regia,lib.6.cap. 12.num 20.verſ. Item conſideranda*, Azor.*t.tom.lib. 11.cap.19.q.*13.& alij:non tamen talis modus commutandi eſt ſub præcepto, ſed poteſt votum perſonale commutari in reale, & è contrà. Conſtat ex *cap.1.de voto* , vbi votum perſonale peregrinationis Hieroſolymitanæ commutatur in eleemoſynam,quæ eſt quid reale, Et probat Sanchez *lib.4. oper.moral.cap.56 num.*24. cum aliis Doctoribus,& Suarez *lib.6.de voto,cap.19.num.*15.16.& 17.& Ludouic.à Cruce *in expoſit.Bullæ diſp.1.c.7.dub.1.n.*11. & 12. E ratio eſt,quia in iis commutationibus habenda eſt ratio ſolius maioris,aut æqualis obſequij diuini , quæ æqualitas poteſt reperiri in vtraque materia, ideo non eſt opus ſeruare in hac commutatione vnitatem, aut ſimilitudinem phyſicam inter vtramque , materiam , ſed proportionem , aut æſtimationem moralem in ordine ad gloriam Dei. Olim quando vrgebat neceſſitas ſuccurrendi expeditioni bellicæ in Terræ ſanctæ ſubſidium, Pontifices commutabant votum Hieroſolymitanum in eleemoſynam in eius loci ſubſidium mittendum,vt conſtat ex *cap. magnæ, cap. quod ſuper his, & cap ex multa, de voto.* cùm autem hodie talis neceſſitas prorſus ceſſarit, non eſt neceſſaria talis commutatio , ſed inſtar aliorum fieri poteſt, vt docent Suarez *eod.cap.19.nu.*16.& 17. & Sanchez *eod. cap. 56. num* 26.At quia inter ſimilia verſatur propria æqualitas, & ſoret ex facile inuenitur & accedit ur magis priori voti materiæ,& ſic,& quando prius votum fuit reale, cedebat in tertij commodum, cui etiam proſpici poteſt facta commutatione in aliquid reale,proinde conſultò dictum eſt , quamuis non ſit neceſſarium,eſſe tamen optimum conſilium & conuenientiſſima congruentia,vt opus perſonale in aliud perſonale, & reale in aliud reale commutetur.Ita Sanchez *ſup n.*15.

17 Sexta regula. Non eſt neceſſarium ad voti commutationem,vt materia ſubrogata ſit æqualis priori promiſſæ,magnitudine,duratione,aut numero,dummodo ſit æqualis in ratione obſequij diuini:quia diuturnitas,aut maior quantitas , maiorue numerus prioris operis poterit qualitate , & grauitate operis ſubrogati , minori tempore exequendi, aut minoris magnitudine, & numero compenſari. Ita Sanchez *lib.4. oper.moral.cap.56.num.*27. atque ita Suarez *eod cap.19.num.*21. tradit, non eſſe opus commutari votum perpetuum in materiam perpetuam, ſed poſſe in temporalem æqualis obſequij diuini. Et Henriquez *lib.7.de indulg.cap.*10.*num.*6. ait , votum implendum certa die,poſſe commutari in opus non eadem die , ſed in alia exequendum, quia poteſt eſſe maioris,aut æqualis obſequij diuini, exequi materiam ſubrogatam altera die. Declarare tamen debet commutans , ſuam intentionem eſſe,vt altera die poſſit ſubrogatam materiam facere, aliter enim eadem die facienda eſt, niſi aliud ex qualitate materiæ ſubrogatæ, aut ex qualitatibus eius colligatur, vt bene Sanch.*eod.c.56 n.* 29.Lud.*in expoſit.Bull.diſp.1.c.7. dub.1.n.*14 & 15.

18 Septima regula ſit circa vota conditionalia , & pœnalia, quorum modum commutandi explicat Sanchez *eod.cap.56.à num.*30.quem etiam ſequitur Lud.à Cruce *in expoſit.Bull diſp.1.c.7.dub.4.n.*4.5.6. & 7.quibuſdam dictis propoſitis.

Dicit primò , ſi votum conditionale nondum adimpleta conditione commutetur in obligationem abſolutam, ſpectandus eſt quàm dubius ſit conditionis euentus: nam quo dubius magis fuerit, eo in minorem obligationem abſolutam id votum eſt commutandum : ſicut in contractu aſſecurationis eo magis augetur pretium, quo magis dubia fuerit rei euentus. Verbi gratia, promiſit religionem, ſi pater meus incolumis euaſerit : debet hoc votum antequam pater incolumis euadat in plus,aut minus commutari,iuxta magis,aut minus paterni morbi periculum. Atque ſi illud ſit æquè vtrinque anceps, ſufficiet in dimidium cõmutatio, quàm ſi eſſet abſolutũ:& ſi magis timetur mortem

minor

minor adhuc debet esse commutatio: si autem magis promittat salutem, debet commutatio esse maior. Sanchez *sup. n 30. cit.*

19 Secundò dicit, si ante impletam conditionem commutatio fiat in aliam obligationem conditionalem, aut apponatur alia æque dubia, debet fieri commutatio in materiam priori æqualem, modo explicato *sup dub. 12. in hoc cap.* quia nulla securitas materiæ promissæ sub conditione præstatur in materia subrogata, sed simili dubio euentui, vtraque obligatio subiicitur. Si autem in commutatione apponatur conditio magis certa, debet minui materia subrogata: & è contra debet augeri si conditio apposita sit magis dubia, iuxta maioris, aut minoris incertitudinis proportionem. Sanchez *n. 31.*

20 Tertiò dicit, si post impletam conditionem fit commutatio, debere fieri in rem æqualem materiæ promissæ, perinde ac si votum esset absolutum: quia impleta conditione, obligatio iam est absoluta, & intrinseca materia bonitatis rei promissæ, v.g. peregrinationis, quæ tunc non minor est, ac si esset absolutè promissa. Et quamuis ea obligatio absoluta procedat à voto minus perfecto, hæc imperfectio efficit, vt minorem causam exigat eius dispensatio, non autem vt minorem commutationem; sicut faciliùs, & ex minori causa dispensatur in voto timore, & subito iræ motu facto, ratione imperfectionis voluntatis: at mera commutatio non ideo in minus fieri debet, quam dispensatio vinculum voti præcipuè respicit, commutatio verò præcipuè materiam. Sanchez *num. 32.*

21 Quartò dicit, idem prorsus dicendum esse de voto pœnali, quando post impletam conditionem, & subinde incursa pœna est commutandum, debet enim esse æqualis materia subrogata, perinde ac si votum esset absolutum, vt dictum est dicto tertio. Quando autem ante impletam conditionem, & ita nundum pœna incursa commutatur, considerandā est dignitas materiæ promissæ, tum etiam pœnæ impositæ: vt si ita voueat: Si lusero, voueo religionem, aut voueo non ludere sub pœna religionis: in vtroque casu est attendenda pœna, quia in vtroque casu cadit sub voto: præterea, quia etsi obligatio ad pœnam sit accessoria rei principaliter vitandæ per vouentem, & hac sublata cesset obligatio ad pœnam deinceps incurrendam, at augetur obsequium diuinum, eo quòd in eo euentu sit obligatio illius pœnæ, v.g. religionis. Insuper augetur obsequium diuinum, ex eo quòd ita arctè teneatur ille ab eo vitio se abstinere, vt non abstinens incurrat hanc pœnam. Indigent tamen hæc vota minori commutatione quoad pœnam illam incurrendam, eo quòd illius incursus pendet à futuro voluntario ipsius vouentis euentu, & à materiæ principalis transgressione, aut obligationis illius cessatione. Ita Sanch *eod. cap. 56. num. 35.* qui *nu. 36.* aduertit, & benè, si votum fuerit sub tali pœna toties incurrenda, quoties tale delictum admissum fuerit, & sola pœna iam incursa commutetur, admonendus est pœnitens iterum se ad illam pœnam teneri, si illud delictum perpetret: nam cùm sola pœna commutatur, manet eadem voti vis quoad pœnas in posterum incurrendas. Quare vt liber quoque maneat ab ea in posterum incurrenda, oportet commutari votum rei principalis, aut saltem quoad pœnas incurrendas.

22 Octaua regula. Quando non commutatur votum principale, sed sola voti explendi dilatio commutatione conceditur, potest modica commutatione suppleri, quando non multum conducit obsequio diuino impleri illa die destinata, aut in aliam diem differri, & quo maior est dilatio, eo maior debet esse commutatio. Si autem valde obsequio diuino conduceret non differri, multo maior deberet esse commutatio, sicut contingit in voto religionis, aut Ordinis sacri assumendi, differendo vltra suæ obligationis tempus; impediuntur enim multa obsequia diuina, quæ status ille secum affert. Sanchez *eod. cap. 56. numer. 37.* & Lud. à Cruce *in exposit. Bull disput. 1. cap. 7. dub. 1. n. 16.*

23 Nona regula. Maximè spectanda est vouentis fragilitas, curandumque ne nimis grauetur, ita vt maneat periculo transgrediendi materiam subrogatam expositus. Atque adeò proderit commutare in res quas ipse solitus est facere: vt si solet recitare quotidie calculos virgineos, aut sacro interesse, aut aliquibus diebus ieiunare, optimum erit in hæc opera commutare, aut in confessiones aliquas, quas frequentare soleat: sic enim faciliùs & suauiùs exequetur. Item proderit relinquere libertatem, ne teneatur die assignata exequi, sed vt possit in alterum diem transferre. Item vt imponantur diuersa opera relicta illius optioni: v.g. vt sexta feria ieiunet, vel vt certam eleemosynam largiatur, vel vt sacro intersit, &c. non tamen potest fieri commutatio in opera alio præcepto debita, vt bene Lessius *lib. 2. de iust. c. 40. dub. 11. n. 87. vers. Melius, in fine,* & Sanchez *eod. c. 56. num. 38.* quia sicut nec voto satisfit per ea opera, ita nec commutationi. Ita etiam Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. c. 7. dub. 1. n. 13.*

24 Restat ponere aliqua exempla aliquarum commutationum factarum à iure, & à viris doctis, vt inde norma aliqua commutandi vota capiatur.

Primò *in c. veniens, de voto*; commutatur votum Hierosolymitanum cuiusdam pueri, vt id votum eleemosynis redimeret, & toto vitæ curriculo vni pauperi prouideret. Et *cap. magna, eod tit.* commutatur simile votum cuiusdam Episcopi, vt expensas eundi, redeundi, & commorandi ibi, integrè mittat, & laborem itineris compenset sollicitiùs instando vigiliis, deuotiùs vacando orationibus, & fortiùs se se exercendo ieiuniis. Item labor peregrinationis à viris doctis commutatur in ieiunia vltra expensas quæ debent commutari iuxta formam supradictam. Vnde si iturus erat equester, expensæ poterunt applicari puellæ orphanæ, monasterio, vel alio loco pio, & imponi vt toto tempore quo peregrinatio duratura erat, singulis mensibus confiteatur, & communicet, & singulis hebdomadibus semel ieiunet, ter in hebdomada Rosarium Virginis recitet, & sex saltem sacrificia celebrari curet, quæ omnia debent etiam obseruari in eo, qui erat iturus pedester, & ei applicanda proportionabiliter attenta illius facultate, & possibilitate.

25 Secundò in commutatione voti religionis, v.g. Dominicanæ, ait Medina *lib. 1. Summa cap. 14. §. 7. in tract. de commut. voti, reg. 3. pag. 74* quem sequitur Sayrus *in Claui Regia, lib. 6. cap. 12. n. 21.* attendenda hæc, esse nimirum assumpto eo habitu recitandum illi esse quotidie officium diuinum, ieiunandum septem mensibus cuiuslibet anni, abstinendum perpetuò à carnibus, ac proinde dicit, id votum commutandum esse, vt ille ieiunet tota vita feriis sextis, fateatur, Eucharistiamque sumat decimoquinto quoque die, & eroget eleemosynam iuxta suam facultatem, & quotidie recitet Psalmos pœnitentiæ. At Sanchez *lib. 4 oper. moral. cap. 56. numer. 41.* existimat commutationem hanc nullo modo esse æqualem: non enim nouit (neque ego) qualiter vota religionis & castitatis absoluta possint commutari in rem æqualem. Vnde ait Sotus *lib. 7. de iust. quæst 4. artic. 3. colum. 4. vers. Ac verò,* simplex castitatis votum non posse pura commutatione tolli: quare

quate in iis admiscenda est aliqua dispensatio à potente dispensare. Tunc autem, ait Sanchez, potetuni commutatione puta tolli, quando sunt pœnalia, aut conditionalia, nec impleta est conditio; existimo tamen etiam posse conditione impleta; quia semper manet in iis radix imperfectionis, ac proinde facilius commutari possint, quàm si essent absoluta. Cæterùm melius ac tutius est in hoc, & similibus votis commutandis recurrere ad Pontificem, ad tollendos scrupulos, vt dispensando & commutando simul, vouens maneat in conscientia magis securus. Atque hic stylus obseruati solet in sacra Pœnitentiaria, teste Ludouico à Cruce *in exposit. Bullæ disp.1.c.7.dub.4.n.13.*

26 Tertiò, votum non ineundi matrimonium cómutari potest in confessionem faciendam mensibus singulis per biennium, aut triennium, & in nouem sacra. Ita Sanchez *supra n. 42.* Ita etiam Ludouic. *supr. dub.5.n.4.* vbi ait obseruari in sacra Pœnitentiaria, vt addatur etiam aliquod opus perpetuum, sicut erat votum.

27 Quarto, votum assumendi sacerdotium, attenta Sacerdotis obligatione ad castitatem solemniter promittendam, & ad pensum diuini officij quotidie persoluendum, & sæpe eum sacra facturum, posse commutari in quotidianã recitationem Psalmorum pœnitentiæ, cum Litaniis, vel Officij Beatæ Virginis, vel calculorum virgineorum, & in confessionem & communionem quolibet decimo quoque die faciendam, & in faciendo celebrari sacrum, singulis mensibus, & vt voueat ille castitatem in statu seculari, quòd si nolit ille castitatem seruare, sed ad nuptias transire censet Sanchez *suprà nu.43.* addendum ieiunium omnibus feriis sextis. Ait denique, & bene, in votis ita grauibus melius esse passim miscere dispensationem, obtenta facultate dispensandi, existente etiam iusta causa dispensandi, aliter enim non audet prædictam commutationem iudicare æqualem. Votum verò castitatis in coniugalem, in confessionem & communionem, saltem singulis mensibus in decem sacra celebranda, nec non in alia opera pia etiam quæ quotidie facere solet, tandin commutationi prædictæ locus erit, vt possit per illa meminisse pristinæ obligationis. Ita Ludouicus *suprà dicto dub.5.n.a.*

28 Tandem votum ieiunandi omnibus feriis sextis arbitrati sunt idem viri dicti, ait Sanchez *supr. n. 44.* posse commutari in confessionem, & communionem anno integro decimoquinto quoque die, & in tria sacra facienda, aut in recitationem calculorum virginaorum: & eleemosynam modicam sextis feriis perpetuò faciendam. Quam commutationem priorem Sanchez non existimat æqualem, nisi ea triennio duraret, aut adderetur recitatio quotidiana eo anno calculorum virgineorum, Addit, in hac commutatione attendendum esse, an materia subrogata deseruiat fini per ieiunia intento, iuxta regulam superiùs traditam.

29 His igitur diligenter consideratis, confessarius virtute Bullæ, aut Iubilei electus, aut quiuis alius qui facultate commutandi pollet, facilè & securè poterit vota commutare, dummodo virtute Bullæ commutans contribuere faciat vouentem in aliquam eleemosynam in subsidium belli, iuxta Bullæ tenorem erogandam modo hoc c. *dub.11.* explicato Aduertit, & bene, Med. *lib.1. Sum.c.14 p.7.reg.3 pag.* 74. confessarium si in votis commutãdis prædictam diligentiam non adhibeat, peccare mortaliter: vnde monet, ne quis hoc onus cõmutãdi vota in se suscipiat, qui in regimine animarũ nõ sit versatus. Videãt ergo quale onus in se suscipiãt. Vide *sub h.c.d.12.n.5*

§. VIII.

2 GRegor. XIII. in quodam breui particulari quod habetur in Bulla Latina Cruciatæ concessit hanc clausulam tenoris sequentis.

a *Ac vti idem omnes Christi fideles non tantum semel, sed bis singulo quoque anno quo idem summarium sumpserint, tam per se, quam per modum suffragij, pro animabus in Purgatorio detentis, indulgentias, concessiones, gratias & indulta prædicta consequi; eisque infra eundem annum, bis (vt præfertur) vti, & potiri, gaudere, ac dictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant, in Domino misericorditer concedimus, & elargimur.*

3 Huius paragraphi intelligentia ex dictis in tota hac expositione facilè constat. Concedit ergo Pontif. vt anno publicationis durante possint fideles, ij scilicet, quibus Bulla conceditur, bis Bullam accipere, & bis gratiis, indulgentiis, & indultis supradictis, & explicatis frui, & gaudere, hoc est, vt possit bis frui illis facultatibus, gratiis, & indulgentiis, quę semel tantùm in anno per vnam Bullam conceduntur: vt bene explicat Henriquez *lib.7. de indulg. cap. 20. num.7.* Aliis autem gratiis, indulgentiis, quæ absolutè & sine vlla determinatione ac limitatione conceduntur, & quibus secundùm superius explicata, non tantùm semel, sed bis, & multoties licet frui, licet etiam bis per secundam Bullam, & multoties gaudere. De quo vide Cordubam *in indulg. quæst.36. puncto 1. dicto 2. & 3.*

4 Igitur accipiens secundam Bullam potest bis in vita, & bis in articulo mortis absolui à reseruatis Papæ: & bis in vita, & bis in articulo mortis applicari indulgentia plenaria. Patet etiam ex Bulla Hispana ibi. *Otrosi su Santidad por su breue particular ha concedido a todos los fieles Christianos que tomaren esta dicha bulla dos vezes en el dicho año, que puedan otra en el articulo de la muerte, de mas de la que arriba les està concedida, ser absueltos de todos y qualesquier pecados, crimines, y excessos, por mas graues que sean &c. y que puedan gozar dos vezes de todas las gratias, indulgentias, y facultades, y perdones contenidos en esta dicha bula.* Similiter poterit hic bis consequi indulgentiam, quæ morienti morte repentina, vel in absentia confessoris conceditur, & bis in die indulgentias stationum lucrari. Denique potest bis accipi Bulla pro defuncto, & bis illi indulgentia applicari: hæc enim omnia apertè constant ex ipsis verbis Bullæ. Non tamen poterit plus quàm bis, aut plus quàm duas Bullas accipere Quod intelligendum est formaliter (vt ita dicam) id est, ad effectum fruendi plus quam bis supradictis indulgentiis, id est, quamuis plures Bullas accipiat, non potest plus quàm bis gaudere illius priuilegiis, modo explicato. Vnde si perdatur Bulla, & ea non est vsus bis in vita, &c. potest accipi toties quoties amissa fuerit, dummodo eius indultis plusquam bis non fruatur vt bene aduertit Rodrig. *in Bulla §.11.* quidquid dicat Henriq. *lib.7. de indulg. c.11. n.1. lit. C.* talis enim præsumitur Pontificis intentio: aliàs namque defraudaretur intentio sumentis Bullam.

§. IX.

IN fine Bullæ Cruciatæ, ne tantæ expeditionis effectus impediatur concedit, Pontifex generali Commissario generalem

generalem facultatem suspendendi omnes indulgentias similes iis, quæ in Bulla Cruciata conceduntur, easque iterum assumpta Bulla reualidandi, quæ facultas continetur verbis sequentibus.

ITem prædicto Commissario, & Receptori generali datur facultas vt suspendere possit, dicto anno durante, omnes similes, vel dissimiles indulgentias & facultates ab eisdem, & Sede Apostolica, vel eius authoritate, quibusuis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis, in Regnis, Insulis, terris, locis, & dominiis præfatis (etiam in fauorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vel alterius similis Cruciatæ, si quæ in regnis, insulis, terris, locis, & dominiis præfatis recepta, adhuc durent) concessas huiusmodi: etiam si clausulas aliquas contra suspensionem facientes, continerent: ita vt interim neque publicari possint, neque publicatæ cuiuis hominum communiter, vel diuisim suffragentur: exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium superioribus, quoad eorum fratres tantùm. Item, dicto Commissario etiam conceditur facultas, vt ipse per se vel alium, seu alios, quando, & quoties sibi videbitur, indulgentias & alias gratias per eum suspensas in fauorem illorum, qui præsentium gratiarum in hanc causam pro religionis defensione concessarum, participes effecti fuerint, reualidare absque aliquo pretio possit.

Cui facultati innixus generalis Commissarius, fecit suspensionem indulgentiarum, & cæterarum Bullæ facultatum; tum etiam, & earum reualidationem tenoris sequentis.

PRoinde nos præfatus Philippus à Tassis Commissarius generalis, eadem authoritate Apostolica nobis per præfatas litteras concessa, ne hoc adeo pium, & sanctum opus disturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, facultates, & concessiones, suspendimus, durante anno prædicationis & publicationis huius Cruciatæ, omnes similes, & dissimiles gratias, indulta, & facultates à præfato sanctissimo domino nostro, & aliis Summis Pontificibus, & Sede Apostolica, vel eius authoritate per dicta regna, dominia, insulas, quibuscunque Ecclesiis, hospitalibus, & locis piis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis concessas, etiam in fauorem Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, aut alterius similis Cruciatæ Quamuis omnes concessiones huiusmodi, vel quæuis illarum, clausulas aliquas contrarias huic suspensioni contineant, etiam si pro publicatione, & executione earundem facultatum emanarint. Ita vt durante anno prædicationis, & publicationis huius Bullæ, huiusmodi gratiæ ita suspensæ, neque suffragari alicui possint. Exceptis tamen quæ concessa sunt Ordinum Mendicantium superioribus quoad eorum fratres. Insuper in fauorem præsentis huius concessionis, & Cruciatæ, declaramus, vt quicunque summarium huiusmodi Bullæ, sermone, & idiomate vulgari conscriptum acceperint, ij omnes fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratiis, indulgentiis, Iubileis, peccatorum remissionibus, ipsis tam per sanctissimum dominum nostrum Gregorium XIII quam per alios Summos Pontifices, aut Sedem Apostolicam concessis. Quæ scilicet omnia nos idem Commissarius generalis, vigore facultatis, & commissionis Apostolicæ per varias, & diuersas litteras attributa, & concessa, reualidamus, & in pristinum statum reducimus, & restituimus. Cæterùm in hac nostra reualidatione minimè comprehendi volumus priuilegia, facultates, & indulta, quæ sint contraria, & expressa in præfata Bulla. Ibidem virtute facultatis prædictæ suspendimus interdictum, si forsan aliquod fuerit in loco, vbi publicatio huius concessionis facienda fuerit, per octo dies ante, & totidem post publicationem, veluti in ipsis Apostolicis litteris latius habetur.

In Bulla autem Hispana ita habetur.

YNos el dicho Commissario general Apostolico de la santa Cruzada, en fauor desta sancta Bula, por la autoridad Apostolica à nos concedida, y para que tan santa obra no se impida, ni cesse por otra indulgencia, suspendemos durante el año de la publicacion y predicacion della, todas, y qualesquier gracias, indulgencias, y facultades semejantes, a diferentes, concedidas por su Santidad, o por otros Summos Pontifices sus antecessores, o por la Sede Apostolica, o por su autoridad en todos los dichos Reynos y señorios de su Magestad a todas y qualesquier Iglesias, y monasterios, hospitales, y a otros lugares pios, Vniuersidades, Cofadrias, y singulares personas, aunque las dichas gracias y facultades sean en fauor de la fabrica de san Pedro de Roma, o de otra semejante Cruzada; y aunque todas, o qualesquier dellas tengan clausulas contrarias desta suspension. Por manera que durante el año de la publicacion desta dicha Bula, ninguna persona pueda ganar ni gozar algunas otras gracias, indulgencias, y facultades, ni se puedan publicar, excepto las concedidas a los superiores de las ordenes Mendicantes en quanto a sus frayles. Yen fauor desta dicha Bula, y por la misma autoridad Apostolica declaramos, que los que tomaren esta presente Bula puedan gozar y gozen de todas las gracias, facultades, y indulgencias, Iubileos, y perdones y remission de pecados que les ayan sido concedidas por nuestro muy santo Padre Paulo V. y por otros Sumos Pontifices passados, de felice recordacion, o por la santa Sede Apostolica, o por su autoridad comprehendidas en la dicha suspension. Las quales en virtud de la dicha Apostolica comission las reualidamos.

6 Virtute facultatis supradictæ duo facit Commissarius. Alterum est, indulgentias, & facultates Bullæ contrarias, aut ei similes, derogare respectu eius qui non accipit Bullam Cruciatæ, ita vt eas sine Bulla consequi non possit. Alterum est, easdem reualidare respectu eius qui habet Bullam Cruciatæ. Declaratio autem posterioris pendet ex priori: constito enim quæ indulgentiæ, & facultates reuocantur, & suspenduntur, constabit etiam quæ reualidantur: nam eæ quæ suspenduntur, eædem reualidantur.

7 Hoc tamen aduerte, hanc suspensionem solum habere vim in terris, & locis vbi Bulla Cruciata publicatur. Constat ex illis verbis præsentis paragraphi, nimirum, *In regnis, insulis*, &c. In aliis autem regnis, in quibus Bulla non conceditur, Commissarius Bullæ nullam habet potestatem circa præsentem materiam. Cætera autem, quæ aliquam habent difficultatem, dubiis sequentibus explicabuntur.

DVB. I.

Quænam indulgentiæ per Bullam suspenduntur, & reualidantur.

1 DIco primò, solùm per Bullam suspenduntur indulgentiæ, & facultates à Papa concessæ, quæ

sunt contrariæ intentioni Bullæ, seu similes iis, quæ in ipsa conceduntur, aut eis dissimiles,& in aliquo similes:vt bene probat,& explicat Rodriguez §.12. *num.*1. ex doctrina Felin.*in cap.nonnulli, de rescript.* Villalobos *tract.* 17.*clauf.* 12. *num.* 2. & Ludou. à Cruce *in exposit. Bull.disp.*1.*cap.*9 *dub.*1. *num.*2. Ait enim, quamuis aliquæ litteræ Apostolicæ contineant clausulas reuocatorias valde generales, non derogant tales clausulæ omnia,& singula priuilegia, nisi solùm ea, quæ sunt contra ea quæ continentur in illis litteris Apostolicis, in quibus dictæ clausulæ derogatoriæ continentur. Verbi gratia; habet quis priuilegium visitandi Terram sanctam, postea prohibetur ad illam accessus non obstantibus quibuscunque priuilegiis, solùm tunc reuocantur priuilegia quod illum finem concessa. Vnde per eam reuocationem non suspenditur priuilegium visitandi diuum Iacobum, si illud habet, quia non est illi contrarium. Colligitur apertè ex illis verbis Commissarij: *Que los que tomaren la Bula, puedan gozar de todas las indulgencias, facultades*, &c. *comprehendidas en esta suspension.* Quare non suspendit Bulla omnes gratias, indulgentias, &c. sed eas tantùm, quæ illi sunt contrariæ, eiusque intentioni, & expeditioni repugnant. Quod insinuant apertè illa verba Bullæ Latinæ. *Ne tam pium opus impediatur*, quod est finis huius suspensionis: cessante enim causa, debet cessare effectus, *cap. meminimus*, *cap. suggestum*, cum adnotatis per Panorm. *de appellationibus*,de quo vide Nauarr. *de indulgent. notab.*18. & præcipuè *notab* 25. *n.* 3. Causa autem finalis huius suspensionis est, vt fideles in Regnis Regis Philippi existentes accipiant Bullam, quam non acciperent, si possent frui similibus gratiis iis quæ conceduntur in Bulla. A causa enim finali, si explicetur in lege, aut priuilegio, limitatur intentio, & dispositio illius, ne scilicet extendatur obligatio, & derogatio vltra casum sic expressum, *cap. ex multa, de voto*, Henriquez cum aliis, *lib.* 7. *de indulgent. cap.*12.*num.*1.

2 Ex his apertè colligitur, per Bullam suspendi priuilegium assistendi diuinis tempore interdicti, si quis extra Bullam illud habet, & sepeliendi in loco sacro, lucrandi indulgentias, vel Iubileum concessum visitantibus tale templum. Suspenduntur etiam indulgentiæ concessæ in articulo mortis, tum etiam illæ, quæ conceduntur calculis benedictis,& imaginibus,quidquid Lud. *in exposit. Bulla, disp.*1. *cap.*9. *dub.*1.*n.*13.quia Commissarius generaliter loquitur de omnibus indulgentiis concessis locis, & personis,tum etiam confraternitatibus,& aliis piis locis, imò & religionibus quoad facultates tamen habetur expresse in Bulla.ibi: *Quibusuis Ecclesiis,monasteriis, hospitalibus*, &c. Talisque est expressa mens, & intentio Commissarij,dum omnino prohibet publicationem quarumcunque indulgentiarum, etiam confraternitatibus in monasteriis fundatis, & quibusuis singularibus personis concessarum,nisi exprimatur necessariam esse Bullam ad eas lucrandas. *Y assi quando se publica algun Iubileo o indulgencia en alguna Iglesia, o Monasterio, se dize, Para ganar la tal indulgencia es menester la Bula de la santa Cruzada.* Suspenduntur etiam priuilegia, si quis habet, vt absolui possit à reseruatis Papæ, sibi applicari indulgentia plenaria, quia apertè repugnant Bullæ intentioni, & eius expeditioni. Vide Rodriguez *dict.n.*1.& Henriquez *lib.*7.*de indulg.cap.*12.*n.*8. & *cap.*12. *n* 1. & 2. Suspenduntur denique omnes indulgentiæ secularibus concessæ, quæcunque illæ sint, quia hæ aliquo pacto sunt contrariæ intentioni Bullæ, quatenus impediunt, vel impedire possunt eius executionem, & omnia indulta,gratiæ, & priuilegia, quæ impediunt huius Bullæ expeditionem. Vbi nota cum Nauarr. *notab.*33. indulta plus significare quam indulgentia. Sic suspenduntur per Bullam, indulta,edendi oua, & lacticinia diebus ieiunij,& similia,quæ impediunt Bullæ executionem. Sic etiam per Bullam suspenduntur facultates componendi super bene, vel malè habitis, quia similia facultas in Bulla continetur.

3 Colligitur secundò, per Bullam non suspendi priuilegium testandi, dispensandi in impedimentis matrimonij, aut voti, nec priuilegia religionum, Vniuersitatum, aut aliarum personarum circa diuersas materias ab iis, quæ in Bulla continentur; nec priuilegia quibus fruuntur qui in generali Academia student, aut laurea, graduve sunt insigniti:vt docet Henriquez *lib.*7.*de indulg.cap.*12.*n.*1.& 2.& Rodriguez § 12.*n.*1.*cit.in princ.* quia talia priuilegia in Bulla non conceduntur, nec sunt ipsius intentioni,& expeditioni contraria.

4 Dico secundò, per illa verba, *Omnes similes vel dissimiles indulgentias,& facultates*,non intelligi indulgentias,& facultates omnino dissimiles iis, quæ in Bulla conceduntur: nam, vt dictum est *consectario secundo*, huiusmodi non suspenduntur,quia Bullæ expeditionem non impediunt;sed illæ indulgentiæ,gratiæ,& facultates quæ in aliquo sunt similes, in aliquo verò dissimiles iis,quę in Bulla conceduntur,vt explicat Rodriguez §. 12. *n.* 1. *in medio*, & Ludou.*sup.dub.*1.*n.*3. Verbi gratia, fratres Prædicatores habent priuilegium,vt tempore interdicti possint admittere ad Ecclesiasticam sepulturam in suis Ecclesiis vsque ad quindecim personas seculares, sine pompa tamen, etiam si fit moderata. Hoc priuilegium dicitur dissimile,& suspenditur per Bullam, etsi aliqua sint huiusmodi,ita etiam Ludou.à Cruce *in exposit. Bull.disp.*1.*c.*9. *dub.*2.*n.*14. vbi cum Ioan. à Cruce *de statu religios.lib.*2.*c.*7.*dub.*3.*conclus.*3.addit quoscunque seculares, etiam famulos fratrum, imò & donatos non habentes animum perseuerandi, non posse in regnis vbi Bulla conceditur interesse diuinis, nisi forsan quis eorum sit necessarius, vt Sacerdoti ministrare queat. Ob idque suspenduntur indulgentiæ non plenariæ à Papa concessæ quia sunt similes, & dissimiles. Vide Nauarr. *notab.*25. *de indulg.n.*2. Villalob.*tract.*17.*clauf.*12.*num.*1.

5 Dico tertiò, per prædictam reuocationem à Commissario in Bulla factam non auferri indulgentias concessas ab Episcopis. Patet ex ipsa Bulla, quia per eam solùm suspenduntur indulgentiæ à Papa, vel à Sede Apostolica immediatè dimanantes,quales non sunt Episcopales indulgentiæ, quas possunt Episcopi ex ordinaria iurisdictione promulgare,atque adeò vt fideles frui possint indulgentiis immediatè ab Episcopis concessis per ordinariam potestatem, non indigent Bulla. Vide Nauarr. *notab.*18.*num.*12.& 17.& *notab* 27. *num.*12. *de indulgentiis*, circa verba, *A sede Apostolica emanatas* Villalobos *sup.num.*17.

6 Nec suspenduntur per Bullam priuilegia, & facultates quæ reperiuntur iuri communi insertæ, & incorporatæ, & quæ, iuxta consuetudinem approbatam, vim obtinent: vt bene Rodriguez §. 12. *num.* 13. Villalobos *sup. num.* 14. & Diana *tract.* 12. *resolut.* 87. quia ad horum reuocationem requiritur expressa mentio, & clausula, *Non obstantibus*, &c. quod non reperitur in Bulla. Vnde initiati minoribus, possunt tempore interdicti interesse diuinis absque Bulla, iuxta ea quæ diximus §. 2. *dub.* 3. quia hoc est eis in iure concessum. Ob eandem rationem non suspenditur

facultas

facultas quia Religiosi datis litteris, quas vocant *Cartas de hermandad*) admittunt suos benefactores ad participationem bonorum communitatis, & religiosos, vt docet Rodriguez §. 7. *n.* 18. *&* §. 12. *n.* 12. & Nauar. *notab.* 31. *n.* 21. *&* 22. hoc enim eis nun ex priuilegio, sed iure communi competit. Villalobos *sup. num.* 15 *&* 16.

7 Dico quintò, per Bullam reuocari prædictas indulgentias dum promulgatur in singulis locis, & non antea, & reualidari quoque tum pro eam sumentibus. Patet, quia, vt dictum est §. 1. *dub.* 10. in ipsa Bulla disponitur vt indulgentiæ, & priuilegia illius durent per integrum annum, computandum à die publicationis in singulis oppidis; ergo iam ipsa Bulla, quam indulgentiæ per eam reualidatæ, non cessabunt donec sequens Bulla publicetur in eisdem locis finito anno prædicto. Sicut enim ad Bullæ validitatem requiritur publicatio in singulis oppidis, ita non reuocabitur donec alia finito anno publicetur in singulis oppidis. Imò si ita fuisset dispositum, vt promulgata tantùm Bulla in Curia Romana, vel alio præcipuo loco censeretur iam vbique reuocata, tunc si quis inuincibiliter ignoraret publicationem virtute antecedentis Bullæ, eligeretque Confessarium, vt eum absolueret à reseruatis, valida esset absolutio. Ratio est, quia non est Papæ voluntas vt comprehendantur ignorantes; quia hoc est peculiare in facultate absoluendi, vt censeatur de nouo concedi, vel perseuerare dum est communis error populi inuincibilis, & titulus saltem præsumptus, qualis esset in eo casu, validitatis Bullæ. Vide quæ diximus §. 1. *dub.* 3.

8 Nota, suspensionem Bullæ etiam se extendere ad gratias, & indulgentias futuras huius expeditioni contrarias, vt colligitur ex doctrina Nauarr. *notab.* 2. *de indulgent. n.* 7. nam licèt lex regulariter solùm futura respicere soleat, *c.* 2. *&* *cap. fin. de constit.* priuilegium autem præterita; tamen priuilegium aliquando futura respicit, maxime hic, cùm ad expeditionem conducat, vt per eum suspendantur etiam gratiæ, & facultates futuræ.

9 Prohibet etiam commissarius Cruciatæ prædicare indulgentias, & facultates quascunque concessas monasteriis, hospitalibus, locis piis, Confraternitatibus, & particularibus personis. Ita Rodriguez §. 12. *addit. n.* 10. & habetur in instructione a Commissario generali data, vide Alphonsum Perez *lib.* 1. *pag.* 137. Notat autem Henriquez *lib.* 7 *de indulgent. cap.* 28. *n.* 2. *litt.* O posse Prælatum regularem indulgentias Ordini, vel alicui Superiori per Papam concessas pro subditis, & familiaribus promulgare, nec reuocari talem facultatem per Bullam Cruciatæ; quia ipsa excepit facultates datas Superioribus Mendicantibus quoad suos. Similiter potest Episcopus publicare indulgentias, quas ipse iuxta iuris dispositionem concedere potest, Rodriguez §. 12. *addit. n.* 10. Vide Nauarrum *de indulgent. notab.* 25. *num* 5. & Alphonsum Perez *lib* 2. *pag.* 63. Idem Alphonsus Perez *lib.* 2. *pag.* 133. refert Commissarium generalem Cruciatæ posse examinare omnes indulgentias, & non posse indulgentias, iubileos, & alias similes facultates promulgari, nisi examinentur prius ab Ordinario, iuxta tenorem Bullæ Alexandri ann. 1403. die 27. Iulij, iuxta Trident. *sess* 21. *de reformat cap.* 9. tum etiam a Commissario generali, vel ab eius subdelegato, vt communiter practicatur.

***

Dvb. II.

An suspendantur, & reualidentur Bullæ præcedentium annorum.

1 QVidam, quos tacito nomine refert Rodriguez §. 12. *num.* 1. *vers. O de otra seme ante Cruzada*, existimant per prædictam suspensionem suspendi Bullas præcedentium annorum, & consequenter reualidari per acceptionem Bullæ præsentis anni. Id probant, quia ea reualidantur hic, quæ suspenduntur, sed suspenduntur aliæ Bullæ Cruciatæ præteritæ, vt patet ex illis verbis bullæ, *vel alterius similis Cruciata*; ergo reualidantur Bullæ præteritæ, accepta Bulla præsenti. Ex quo inferunt, si quis duabus Bullis acceptis, vt potest, ratione quarum fuit bis à reseruatis in vita absolutus, incidat in alios semel, aut pluries, posse toties in vita absolui ab eisdem, quot bullas præteritas habuerit, si Bullam præsentis anni acceperit, & præteritis quoad hoc non vsus fuerit.

2 Nihilominus tamen contraria sententia verior est, quam tenet Rodriguez §. 12. *n.* 1. *vers. O de otra*, & quidam recentiores, & nouissimè Lud. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 1. *cap* 9. *dub.* 3. *num.* 2. Ratio efficax in hac materia est; quia suspendere est priuare rem aliquam sua facultate, & vi per aliquod tempus, quo elapso recuperat eandem, vt colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *de reform.* Reuocare verò est, quando res aliqua amittit suam vim omnino, eaque derogatur, absque intentione aliqua, vt eam scilicet recuperare possit. Sed Bullæ præteritæ elapso anno nullam vim habent, & efficaciam; quia, vt sæpissime reperitur in Bulla, eius facultates solùm durant durante anno publicationis, vt explicatum passim in hoc tract. §. 1. ergo eo elapso, Bullæ præteritæ nullá vim & efficaciam habent, atque adeò non suspenduntur, sed omnino tolluntur, reuocantur, cassantur, & expirant. Quod insinuat apertè Pontifex, quando concedit per particulare priuilegium, vt possit quis accipere aliam Bullam intra annum publicationis, & bis illius priuilegiis frui. Quod non concessisset, si existimasset Bullas præteritas per acceptionem præsentis reualidari. Quare falsum est posse habentem Bullam præsentem ratione præteritarum absolui à reseruatis, vt vult prior sententia.

3 Ad fundamentum prioris sententiæ respondeo cum Rodriguez *sup.* in Bulla non suspendi gratias, & facultates, quamuis sint similes Cruciatæ, absolutè & simpliciter, sed cum limitatione; nimirum, si adhuc durent, & valeant: vt constat apertè ex illis verbis: *Si quæ in Regnis, Insulis, terris, locis, & dominiis præfatis adhuc durent.* Cùm ergo omnia Bullæ priuilegia solùm durante anno publicationis, eoque elapsu amittant suum valorem, inde fit, vt reualidari per præsentem Bullam non possint. Referenda etenim sunt illa verba, *si quæ durant*, non ad nostram Bullam, sed ad eas quæ concedebantur ante Pium Quintum: illæ nanque per concessionem, & prorogationem Cruciatæ (vt refert Rodriguez *sup.*) non amiserunt suam vim, nam concedebantur non ad vnum, sed ad plures annos, vt dictum est *dubio* 2. *præcedenti*, & refert Lopez *cap.* 10 *de Bulla*, *pag* 850. *column.* 2. Bullæ autem concessæ post Pium Quintum, solum durant per vnum annum,

atque ita eo elapſo omnino expirant, vt bene Lopez *ſupra*: atque ita Bullæ finitæ priuilegiis frui non poſſumus per nouæ Bullæ acceptionem: poterat tamen quis vti Bullis ante Pium Quintum conceſſis pro eo tempore quo durabant, in illis tamen rebus quæ non fuerint contrariæ Bullæ quæ nunc publicatur, nec Concilio Tridentino. Ita Rodriguez *citat.* videndus.

4 Nec obſtat quòd Papa dicat quando Bullam concedit, quòd eam prorogat: nam hæc prorogatio non reſpicit extenſionem anteriorem reſpectu eius quod antea fuit, ſed reſpectu eius quod de nouo conceditur, ſimile tamen præteritæ conceſſioni. Aduerte tamen Nauar. *conſ.* 17. *lib.* 5. de priuilegiis fruitione, Bullam præteritam reualidari per poſteriorem acceptatam. Quærit in hoc conſilio, an ſuſcipientes Bullam in iſto præſenti anno, gaudeant indulgentiis & gratiis per Bullam Cruciatæ in præterito anno conceſſis. Reſpondet, quòd poterit fieri priori Bulla quoad illas clauſulas, quæ non ſunt ſublatæ per bullam poſteriorem; quia gratia ſemel facta durat donec reuocetur, vel ſuſpendatur, & ſublata ſuſpenſione remanet tam efficax, quàm erat antea, & per Bullam acceptatam (inquit) tollitur ſuſpenſio priorum Bullarum, quam doctrinam, pace tanti Doctoris, non exiſtimo adeò veram. *Primò*, quia Bullæ priuilegia non ſunt perpetua, eo quòd expreſſè in ipſa limitantur ad annum publicationis: tum etiam, quia finito eo anno, Bulla non ſuſpenditur, ſed omnino caſſatur, & reuocatur, vt dictum eſt. Poteſt etiam intelligi Nauarr. de Bullis quæ concedebantur ante Pium Quintum, modo explicato. Vide Lopez *cap.* 19. *de Bulla pag.* 850. *col.* 2. & 855. *col.* 1.

5 Ex dictis hoc, & ſuperiori dubio, conſtat quæ gratiæ & facultates per Bullam reualidantur, illæ nimirum, quæ ſunt ſimiles, & aliquo modo diſſimiles iis, quæ per Bullam ſunt ſuſpenſæ. Eadem enim quæ ſuſpenduntur, eadem & reualidantur, dummodo in reualidatione non comprehendantur priuilegia, facultates, & indulta contraria expreſſis in Bulla. Vnde reualidantur priuilegia pro tempore ceſſationis, diſpenſationes in irreg. ignoranti relaxationes, vel ſi Presbyter, aut Regularis habeat ex alio priuilegio licentiam vtendi ouis aut lacticiniis in Quadrag. Quare ſi Sacerdos habeat illud priuilegium pro cibis prohibitis in Quadrageſima, & pro tempore interdicti, & ceſſationis quòd extendatur ad familiares, & commenſales ſuos, poſſent ij abſque Bulla (dummodo eam dominus habeat) frui alieno priuilegio per Bullam confirmato. Ita Henriquez *lib.* 7. *cap.* 21. *n.* 8. ſic bulla concedit domino ferre ſecum famulos ad Miſſam tempore interdicti. Ratio eſt, quia licèt Pius Quintus, & alij Pontifices, per ſuam Bullam id non concedant, non tamen tollunt alias diſpenſationes præſenti Bulla reualidatas.

Nota denique, etſi poſſit Commiſſarius indulgentias ſuſpendere, & reualidare modo explicato, non tamen eas concedere, quia talis facultas in Bulla ei non conceditur. Nec poteſt Commiſſarius durante anno publicationis Bullam ſuſpendere, quia inferior non poteſt ſuſpendere, nec reuocare, quod ſuperior diſpoſuit.

* *

D V B. III.

An ſuſpendantur indulgentiæ & facultates Religioſis conceſſæ quantum ad ſeculares.

1 SVppono tanquam certum, priuilegia, gratias, facultates, & indulgentias conceſſas Ordinibus Mendicantium quoad ipſos tantùm, per Bullam non eſſe ſuſpenſas, nec reuocatas, atque adeò ſupradicti Religioſi poſſunt ſine Bulla frui gratiis, &c. ipſis conceſſis. Conſtat ex illis verbis, *Exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium ſuperioribus quoad eorum fratres tantùm*, quibus verbis excipiuntur à generali ſuſpenſione gratiæ, facultates, &c. conceſſæ Superioribus Mendicantium, quoad ipſorum fratres tantùm. Ita etiam tenet, & latè probat Lud. à Cruce *in expoſit. Bull diſp* 1.*c.*9.*dub.*1. at quia hoc expreſſè continetur in Bulla, opus non eſt maiori probatione. Sunt autem Religioſi Mendicantes Prædicatores, Minores, Auguſtiniani, Carmelitæ, Minimi, Religioſi Societatis Ieſu, & fratres Seruorum. Vide Nauar. *cap. ſtatuimus* 19. *q* 3. *n.* 13. *in fi.* & Rodriguez *§.* 12. *num.* 5. & Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 23. *per tot.* in quo latè de Ordinibus Mendicantium:

2 Vbi nota, illa verba, *exceptis ſuperioribus Mendicantium conceſſis quoad eorum fratres*, ex quibus apertè colligitur.

Primò, ſuſpendi priuilegia, & indulta conceſſa Superioribus Ordinum non Mendicantium. Henriquez *lib.* 7. *c.* 21. *n.* 4. *litt. T.* Valerus *in dif. vtriuſque fori, verb. abſolut. n.* 45. & Rodriguez *in Bull §.* 12. *in addit. dub.* 1. quia exceptio firmat regulam in contrarium: vnde non Mendicantes non poſſunt vti hoc priuilegio, non ſuſpenſionis, ſeu exceptionis à ſuſpenſione per communicationem priuilegiorum cum Mendicantibus, quià hæc exceptio expreſsè limitatur ad Mendicantes, aliàs etiam ſequeretur iſtam ſuſpenſionem eſſe fruſtratoriam quoad Ordines non Mendicantes. Ex hac ſententia ſequitur non manere in ſuo robore quoad iſtos non Mendicantes priuilegium illud, quòd non poſſint eligere virtute Bullæ confeſſarium pro reſeruatis, oppoſitam tamen ſententiam tenet, non improbabiliter Villalobos *part.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 12. *n.* 1 r. noſtra verò ſententia verior eſt, vide Dianam *tract.* 11. *reſol.* 89.

3 Secundò infertur, priuilegia & indulgentias conceſſas alicui Regulari in particulari ex Mendicantibus ad inſtantiam Regis, aut alterius perſonæ particularis, qui non ſit Superior in dictis religionibus Mendicantium, eſſe per Bullas ſuſpenſas, etiam quoad fratres Mendicantes, quia ibi expreſsè dicitur. *Exceptis conceſſis Superio Ordinum Mendicantium.*

4 Tertiò colligitur, nouitios ſine Bulla poſſe frui priuilegiis, gratiis, indulgentiis, & facultatibus conceſſis ſuis Superioribus Mendicantium, quia in Ordine ad ipſos non ſuſpenduntur per Bullam: nam, vt latè probat Rodriguez *§.* 12. *n.* 6. *verſic. Lo primero*, Villalobos *tract.* 27. *clauſ.* 12 *n.* 12. Ludou. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp* 1. *c* 9 *d b* 5. *n.* 2. & tenent communiter Doctores, nouitij in fauorabilibus veniunt ſubnomine Religioſi, & communiter vocantur fratres, atque adeò comprehenduntur ſub illis verbis *Quoad eorum fratres tantùm.* vide *ſup. §.* 1. *dub.* 7. *diſt.* 1. & *§.* 7. *dub.* 9. *num.* 2.

5 Colligitur quartò. Moniales Ordinũ Mendicantium poſſe ſine Bulla frui indulgentiis, &c. conceſſis Superioribus Mendicantium, quia comprehendun-

tur

tur sub illis verbis, *quoad eorum fratres*. Nam, vt cum aliis docet Rodriguez §.12.*num*.7. & Villalobus *tract*.27.*clausul*.12 *n*.13. quando relinquitur aliquid fratribus, intelliguntur etiam fœminæ sorores. Et priuilegium concessum filiis (nisi addatur masculis) comprehendit filias, ex *l. iusta. l. filij. l. cognoscere de verbor. significat.* Castro Palao *tract*.3. *disp* 4. *p* 12. *n*.1. Tum etiam, quia priuilegia concessa viris, intelliguntur etiam concessa fœminis, etiam si strictè interpretentur, quando quod conceditur, ad ipsas pertinere potest, habent enim ista priuilegia extensionem à masculino in fœmininum, vt tenent multi, quos refert Tiraquellus *retractationum consang*.§.1.*gloss*.9. *n*. 221. & docet Menochius *de adipiscenda possessione, remedio* 4. *n*.61.62. *&* 63. Rebuff. *in l*. 1. *ff. de verbor. signific.* & D D. *in cap. cum plantare*, §. *Ecclesias, de priuileg* & Castro Palao *sup*.vbi ait, masculinum in fauorabilibus comprehendere fœmininum, secus in contractibus. Vnde dictio illa exclusiua, *quoad eorum fratres tantùm*, solùm excludit personas dissimiles, vt sunt seculares, & etiam Religiosi non Mendicantes, non verò similes, vt sunt Moniales Mendicantes. Vide Rod.§.12. *num*.7.*&* *sup*.§.7.*d*.9.*n*.1.*c*.1. Dian.*tr*.11.*res*.88. vbi cum Nugno tenet sub nomine fratrum in Bulla intelligi etiam nouitios, & moniales, ita etiam nouissimè tenet Ludou. à Cruce *sup.dub*.4 *n*.3. vide etiam Barbosam *lib*.1.*de iure vniuerso*, *c*.43.*n* 14. vbi tenet cum Felino *in cap de monialib. de sentent. excom.* Paulo Fusco *de visit.lib*.2.*c*.18.*num*.62.& aliis D D. nomine Monachorum, venire quoque Moniales quoad ea quæ sunt proportionabilia.

6 Addit Rodriguez *num*.8. gaudere etiam hoc priuilegio moniales tertij Ordinis Mendicantes, quæ vouerunt religionem, obedientiam, & castitatem, & sunt subditæ Superioribus Mendicantium, quamuis simul in congregatione non viuant, sufficit enim eas in manibus Superiorum promisisse virginitatem, aut vidualem castitatem, quamuis in domibus suis remaneant. Istæ nanque, ait Rodriguez in spiritualibus gaudent iisdem priuilegiis, & gratiis, quibus gaudent moniales in congregatione viuentes; secus autem in temporalibus, & quoad forum exterius: nam in iis sicut seculares habentur, & iudicantur; ac proinde supradictæ tanquam laici tenentur soluere gabellas, & impositiones, de quo vide Sorbo *in compendio priuil. Mendicant verb. Tertiarij.* Rodriguez *tom*.2.*qq.regul q*.74.*art*.11. Tertiarij autem, vel Tertiariæ coniugati in suis domibus & familiis viuentes, non connumerantur inter personas religiosas, ac si non gaudeant priuilegiis Mendicantium sine Bulla: ij enim non sunt subiecti Superioribus Mendicantium, sed remanent subiecti iurisdictioni secularium, & in omnibus vt seculares iudicantur, vt docet Rodriguez §.12.*num* 9.& Ioan. de la Cruz *lib*.2.*cap* 3 *dub*.5 *conclus*.1.*versic. Duodecimo* & nouissime Lud à Cruce *in exposit. Bull. disp*. 1. *cap*. 9. *dub* 4.*n* 9 *&* 10.& dixi in *Decalogo lib*.7. *sect*.3. *c*.8. *dub.vlt.num*.26. vide etiam de his Tertiariis Barbosa *lib* 1.*de iure vniuerso*, *c*.39 §.2.*à n*.41.*vsque ad n*.43. *&* *c*.43 *eod lib n*.78 *&* 12. Idem dic de oblatis eiusdem Ordinis, qui professionem non emiserunt: ij enim non possunt frui priuilegiis religionum sine Bulla, quia non sunt personæ religiosæ; nec viri tales militant sub iurisdictione Superiorum. Rodriguez *sup num*.10. Villalobos *sup numero* 13.

7 Difficultas ergo est, an priuilegia, gratiæ, indulgentiæ, & facultates concessæ Superioribus Mendicantium, quantum ad seculares suspendantur per Bullam, id est, an secularis non habens Bullam possit ab aliquo Regulari ex Mendicantibus, iuxta eorum priuilegia absolui à reseruatis, dispensare in votis, &c. Rodrig. *in addit. ad* §.12. *num*.1.2.3. *&* 4. (mutauit enim sententiam quam tenuit §.12. *n*.4.) *&* *quæst*.61.*art*.14. cum Henriquez *lib*. 7. *de indulgent. cap*. 28. *numero* 2. *&* 7. & frater Ioan de la Cruz *lib*.1.*c*.3. *dub*.7. *conclus*. 3. quos sequitur Villalobos *p*. 1. *tract*. 27. *clau*. 12. *num*. 6. 7. *&* 8. & Diana *tract*.11.*resol*.100. *&* *in addit*. me citato *resolut*. 13. tenent posse confessarios Regulares vti suis priuilegiis & facultatibus erga seculares, quamuis nec regularis confessarius, nec secularis pœnitens habeat Bullam; atque adeò supradicta Regularium priuilegia, erga seculares non suspendi per Bullam, nec per annum Iubilei centesimi. Fundamentum huius sententiæ est, quia bullæ priuilegia non sunt realia, concessa nimirum alicui rei, seu loco; sed personalia, concessa scilicet personis particularibus, vt dictum est *sup.dub*.4.*proœmiali*, & docet Nauar. *de indulgent. notab*. 28 *num*.13.*&* 14. Priuilegia religionum, de quibus loquimur, sunt realia, concessa nimirum religionibus, & monasteriis, non verò singularibus personis, cuius signum est: nam si Regularis è monasterio eiiciatur, illis non gaudet, ac proinde non sunt personalia, quia hæc sequuntur personam; sed Bulla Cruciatæ solùm reuocat personalia priuilegia; ergo realia priuilegia concessa monasteriis Mendicantium, etiam quoad seculares non sunt suspensa per Bullam. Hoc tamen pro certo habe, priuilegia & indulta concessa Ordinibus non Mendicantibus, tam respectu ipsorum, quàm secularium suspendi: vnde sine Bulla eis ipsi gaudere non poterunt, sed neque erga carentes Bulla eis vti, vt docet Lopez *cap*. 9. *de Bulla pag* 850.*col*.2.& dixi *num*.2.

8 Nihilominus tamen verior, & tenenda est sententia affirmans, nimirum talia priuilegia quoad seculares esse per Bullam suspensa: quod tanquam certum supponit Lopez *cap*. 10. *de Bulla pag*. 850. *col*.2. Nauar. *consil*. 16. *num*.3. *de priuilegiis*. Lopez *vbi de clauibus*, *cap*. 2. Rodriguez *Bull*. §. 15. & Acosta *Bull.quæst*.105. Probatur, & simul destruitur fundamentum contrariæ sententiæ: quia Bulla Cruciatæ expressè suspendit priuilegia, facultates, &c. concessas non solùm singularibus personis, sed etiam Ecclesiis quibuscunque & monasteriis, ac locis piis. Patet ex facultate suspendendi, quam Pontifex in Bulla Latina concedit Commissario, illis verbis: *Item prædicto Commissario datur facultas, vt suspendere possit similes, aut dissimiles indulgentias, & facultates, &c. quibusuis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis in regnis, insulis, terris, locis, & dominiis præfatis concessas.* Et in Bulla Hispana. *Y nos el dicho Commissario suspendemos todas y qualesquier Indulgencias concedidas todas y qualesquier Iglesias, y Monasterios, &c. y singulares personas* Qua suffultus authoritate Commissarius generalis suspendit omnes indulgentias, & facultates quibusuis Ecclesiis, hospitalibus, & locis piis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis concessas; ergo constat euidenter non solùm suspendi per Bullam priuilegia personalia particularibus, sed etiam priuilegia realia Ecclesiis, Monasteriis, & aliis piis locis concessa. Sed ex iis priuilegiis, quæ per Bullam conceduntur, tantùm excipiuntur concessa Superioribus Mendicantium quoad eorum fratres; ergo quoad seculares omnino suspensa remanebũt: nam particula, *tantũ*, expressè limitat illam exceptionẽ, solùm extendi ad fratres, & minimè ad seculares. Nec valet si dicas, in Bulla suspendi quidẽ priuilegia cõcessa monasteriis, non qui-

dem Religioſis: vt exiſtimat Ludou. *in expoſit. Bull. diſp* 1. *cap.* 9. *dub.* 2. *n.* 6. *&* 7. Non, inquam, valet, *Primò*, quia, vt docet Syluest. *relig.* 8. *num.* 1. monaſterium ſignificat ipſos Religioſos. Vnde ſuſpenſis priuilegiis conceſſis monaſteriis, ſuſpenduntur priuilegia conceſſa ſingularibus perſonis eorum. *Secundò*, quia Bulla expreſsè ſuſpendit priuilegia etiam particularibus perſonis conceſſa; ergo etiam ſi Regularium priuilegia ipſis monaſteriis, vel potiùs ipſis particularibus per ſonis ſint conceſſa, per Bullam ſuſpenduntur. Quare ſententiam Rodriguez non auderem admittere in praxi. Aliàs enim quaſi actum eſſet de Bulla, & nihil prodeſſent illa verba addita à Papa, *quoad eorum fratres tantùm*. Adde eum Soto *in* 4. *d.* 18 *quæſt.* 4. *art.* 3. *verſ. quo ergo*, opinionem oppoſitam non eſſe tutam, nec viu receptam, quod hodie certiſſimum exiſtimo, videlicet non poſſe Regulares per ſua priuilegia etiam maria magni abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis; quia ita declaratum à S. Congregatione refertur, & tenent Garcia *de benef. p.* 3. *cap.* x. *num.* 269. & Campanilis *in diuerſorio, rub.* 12. *cap.* 13. *num.* 63. & cum his Barboſa *de iure vniuerſo, lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 133. & Filliucius *tom.* 1. *tract.* 15. *num.* 248.

9 Ad Fundamentum Rodriguez reſpondeo, admittendo maiorem, nimirum priuilegia quæ concedit Bulla eſſe perſonalia, & particularibus perſonis conceſſa. Nego tamen minorem, videlicet, Bullam ſolùm ſuſpendere priuilegia perſonalia: hæc enim apertè falſa eſt, manifeſteque Bullæ verbis repugnans: nam, vt latè *ſup.* probatum eſt, & realia, & perſonalia priuilegia per Bullam ſuſpenduntur, Et confirmari poteſt: nam priuilegia quæ per Bullam ſuſpenduntur, non ſuſpenduntur quia realia, vel quia perſonalia ſunt, ſed quatenus Bullæ contraria ſunt, ne tam ſanctum, & pium opus impediatnt. Cùm ergo huic intentioni perinde contrarientur priuilegia realia, atque perſonalia, imò multo magis cùm multo generaliora ſint realia, quàm perſonalia, proinde hæc etiam ſuſpenſa remanebunt. Certè non video vnde inferat Rodriguez §. 12. *addit. num.* 3. & cum eo Lud. à Cruce *dict. dub.* 2. cùm ex ſuſpenſione commiſſarij expreſsè conſtet ſuſpendi omnes gratias, & indulgentias conceſſas Eccleſiis, locis piis, vniuerſitatibus, monaſteriis, & ſingularibus perſonis, ſolùm per Bullam ſuſpendi priuilegia perſonalia. Nec obſtat quod dicit idem Rodriguez *ſupra num.* 4 in generali reuocatione priuilegiorum non includuntur priuilegia conceſſa religionibus, niſi exprimantur, quia hoc intelligendum de propria reuocatione, & caſſatione priuilegij, per quam omnino amittunt ſuam vim; non verò de ſuſpenſione per quam ſolùm ad certum tempus eorum efficacia, & vis tollitur: tum, quia ad hoc quòd Regularium priuilegia reuocentur non eſt neceſſe quòd illorum fiat expreſſa mentio de verbo, ad verbum, licèt hoc in eorum conceſſionibus, aliquando poſtuletur. Sufficit nanque quod eorum fiat mentio ſub quauis forma generali, vt tenet [illegible]os Curiæ: nec in vllis ferè reuocationibus priores litteræ inſeruntur, niſi fortè aliquando ad abondantiorem cautelam, alias ſi hoc eſſet neceſſarium, manus Pontificum eſſent ligatæ ad reuocandum conceſſa à ſuis prædeceſſoribus, cùm ſit moraliter impoſſibile omnia ſcire, ad hoc quòd in litteris reuocatoris priores litteræ inſerantur. Ita Armilla *verb. priuilegium*, & frater Ioann. de la Cruz *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 4. *concluſ.* 3. Quid quòd ſufficientiſſimè à Papa in Bulla exprimuntur quoad hunc effectum, per illa verba: *Suſpendimus omnes indulgentias*, &c. *quibuſuis, Eccleſiis, & monaſteriis*, &c. *conceſſas, etiamſi clauſulas aliquas contra ſuſpenſionem continerent* Ex quibus conſtat non obſtare clauſulas aliqoas quominus priuilegia religionum per Bullam ſuſpenſa maneant, & ſicut illa verba, *Exceptis iis, quæ conceduntur Superioribus religionum quoad eorum fratres tantùm*, quamuis generalia ſint, & nullam facientia mentionem in particulari de priuilegiis religionum, ſufficiunt, ad hoc vt eorum priuilegia à generali ſuſpenſione excepta ſint. Ita ſimiliter illa verba generalia ſuſpenſionis priuilegiorum conceſſorum monaſteriis, iuncta illa particula, *etiam ſi clauſula*, &c. ſufficient ad eorundem priuilegiorum ſuſpenſionem. Et quidem negari non poteſt, Commiſſarium explicuiſſe ſuam mentem, dum omnino prohibet publicationem quarumcunque indulgentiarum, etiam confraternitatibus in monaſteriis fundatis, & quibuſuis perſonis ſingularibus conceſſarum, niſi exprimatur neceſſariam eſſe Bullam ad eas lucrandas.

10 Ex quibus apertè infertur, ſeculares non poſſe conſequi indulgentias conceſſas Regularibus, nec abſolui à reſeruatis, nec diſpenſari in votis per priuilegia religionum ſine Bulla, aut aliquo eorum priuilegio frui: quæ omnia reualidantur ei, qui Bullam acceperit. Vnde ſi in monaſterio ſit aliquod altare priuilegiatum, in quo celebrans extrahit animam è Purgatorio, non poteſt qui non habet Bullam viuorum, dicere pro ſeculari Miſſam ad conſequendam hanc indulgentiam; bene verò vt pro alio Religioſo conſequatur, vt docet Rodriguez §. 12. *numero quarto, in fine*. Sed de hoc dubio ſequenti.

11 Obiter nota, eſſe probabilius, & fortè verius, Regularem non poſſe abſoluere à reſeruatis Epiſcopo, ſiue reſeruata ſint à iure, ſiue ex voluntate Epiſcopi, vt ex Clementina, *Religioſi, de priuilegiis*, vbi abſolutè dicitur non poſſe Regulares à caſibus reſeruatis Epiſcopo abſoluere, apertè colligitur, & ita tenent Suarez *tom. de pœnitent. diſp.* 3. *ſect.* 2. *n.* 1. & alij, quos Sanctius *in ſuis ſelect. diſp.* 48. *n.* 25. à quibus enim non poſſunt abſoluere Parochi, nec Regulares, Suarez *ſuprà diſp.* 30. *ſect.* 2. *n.* 16. Hanc ſententiam ex vi iuris communis probabiliorem reputat Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 2. niſi aliàs à Sede Apoſtol. habeant ſpeciale priuilegium, & quidem quantum ad priuilegia illa Lud. refert Congregationem Regularium de viuæ vocis oraculo Clem. VIII. ann. 1601. declaraſſe, & prohibuiſſe ne Regulares cuiuſcunque Ordinis, & inſtituti etiam Societatis Ieſu, etiam prætextu cuiuſcunque priuilegij abſoluere poſſint à caſibus Sedi Apoſt. reſeruatis, aut locorum Ordinariis abſque licentia ipſius Papæ, aut Ordinarij reſpectiuè, præterquam in articulo mortis, ſub pœna excommunicationis, & priuationis officiorum. Idem confirmauit Sacra Congregatio ann. 1602. ſublata tamen inhabilitate audiendi confeſſiones. Idem etiam confirmauit S. Congregatio iuſſu Pauli V. ann. 1617. quoad omnes Confeſſarios Regulares, aut ſeculares. Et quamuis dici poſſit, vt dicit Villalob. *p.* 1 *tract.* 9. *diffic.* 67. prędicta decreta ſolùm habere vim in Italia, vt ſignificant illa verba Clem. VIII. *Sacerdotibus omnibus, tam ſecularibus, quàm regularibus per vniuerſam Italiam extra vrbem degentibus*. Eadem tamen Sacra Congregatio ad tollendam omnem difficultatem, iuſſu Vrbani VIII. ann. 1628. 17. Nouemb. declarauit dicta decreta vim habere, non tam intra, quàm extra Italiam, prohibens expreſsè ne Regulares poſſint abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ, aut Ordinariis reſeruatis. Qua declaratione extante nullo modo ſuſtineri poteſt oppoſita ſententia. Vide Ludouicum *vbi ſup.*

Dub. IV.

An bulla suspendat indulgentiam plenariam defunctis in Altari (quod vocant priuilegiatum) concessam.

1 Affirmare videtur Rodriguez §. 12. *num.* 4. quem sequitur Munte *in suo examine morali, p.* 3. *fol.* 342. *pag.* 2. *num.* 2. Diana *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 86. idemque supponere videtur Ludou. à Cruce *in exposit. Bulla disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 2. *num.* 11. Ait enim Rodriguez quando in aliquo altari priuilegiato Religiosorum ex concessa indulgentia pro defunctis, requiritur vt secularis habeat Bullam: & quamuis ipse de solo altari priuilegiato Religiosorum loquatur, idem videtur dicendum de altari priuilegiato secularium. Confirmarique potest, quia Commissarius generalis Cruciatæ expresè suspendit omnes similes, & dissimiles gratias, indulta, & facultates quibuscunque Ecclesiis, hospitalibus, & locis piis, vniuersitatibus, confraternitatibus, & singularibus personis concessas; at altare priuilegiatum, seu capella, est parua Ecclesia, & locus pius; & ex alio cap. indulgentia concessa in altari priuilegiato, est plenaria, & similia illi, quæ per modum etiam suffragij conceditur defunctis in Bulla defunctorum; ergo per Bullam altare priuilegiatum manet suspensum, ac per consequens vt reualidetur requiritur Bulla viuorum.

2 Sed dices: Quia tenetur Bullam viuorum accipere, vt talis indulgentia reualidetur, & applicari possit defuncto? Certum est non requiri quoad hunc effectum Bullam defunctorum, cùm hæc solis defunctis prosit: nec sufficit quòd Ecclesia, vniuersitas, aut confraternitas, seu locus pius, in quo situm est altare, & capella, Bullam accipiat, quia hæc non locis, & communitatibus, sed particularibus personis conceditur, vt patet ex illius contextu, & declarat Commissarius ibi: *Y. por quanto vos N. distes dos reales de plata*, & tenet Villalobos *clauf.* 12. *num* 5. *tract.* 27. Difficultas ergo est, an requiratur in Sacerdote celebrante, an verò in eo qui pro defuncto celebrare facit. Rodriguez *vbi sup.* insinuat requiri Bullam in celebrare faciente: ait enim secularem teneri Bullam viuorum accipere, vt indulgentia in altari priuilegiato Religiosorum concessa defuncto prosit; at dato quòd Bulla suspendat hanc indulgentiam, verius est requiri ad eiusdem indulgentiæ reualidationem Bullam in celebrante, vt colligitur ex verbis quibus hæc indulgentia defunctis conceditur, quæ communiter sunt tenoris sequentis: *vt quandocunque Sacerdos aliquis Missam defunctorum in dicta capella, altari, vel Ecclesia celebrauerit, anima ipsa per modum suffragij indulgentiam consequatur, & à pœnis Purgatorij liberetur*, & ita etiam sentit Lud. à Cruce *loco citat.* Ex quibus patet indulgentiam hanc applicari defunctis media actione Sacerdotis celebrantis, & per consequens in ipso celebrante, & offerente sacrificium Missæ requiri Bullam ad huiusmodi indulgentiæ reualidationem, supposito quòd per Bullam suspendatur. Quòd si altare priuilegiatum sit Religiosorum, tunc præter Bullam in celebrante requiritur Bulla in celebrare faciente, vt existimat Rodriguez *sup.* quem sequitur Villalobos *tract.* 27. *clauf.* 12. *n.* 3. quia priuilegia Regularium quoad seculares per Bullam suspenduntur, & per eam reualidantur.

3 Nihilominus tamen verius est non suspendi, vt colligitur ex ipsa Bulla: nam Pontifex solum censetur suspendere indulgentias pro viuis concessas, quia solùm suspendit eas, respectu eius cui reualidantur accepta Bulla. Quod colligitur ex verbis illis reualidationis: *Insuper in fauorem præsentis huius concessionis, & Cruciata declaramus, vt quicunque summarium huiusmodi Bulla sermone & idiomate vulgari conscriptum acceperint, ij omnes fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratiis, indulgentiis, Iubileis, peccatorum remissionibus, ipsis tam per Sanctissimum D.N. Gregor. XIII. quàm per alios Summ. Pontif. aut Sedem Apostolicam concessis*; at reualidatio hæc respicit viuos, & non defunctos, nam viui, & non defuncti participare possunt omnia, quæ in reualidatione continentur; ergo Bulla solùm suspendit indulgentias pro viuis concessas. Et potest reprobari, quia, vt docet Matt. Carrillo *in expositio Bull. defunct. p.* 2 *cap.* 9. *in fin.* indulgentiæ concessæ animabus Purgatorij, non suspenduntur per suspensiones generales, v.g. per promulgationem Iubilei in anno sancto: sicque indulgentia plenaria in altari priuilegiato pro animabus Purgatorij concessa, eo anno suspensa non manet: nam ratio ob quam illo anno Pontifex indulgentias suspendit, est, vt Christi fideles animo alacriori, & promptiori, feruentiorique deuotione Romam proficiscantur ad indulgentias comparandas, & loca sacra visitanda. Quæ ratio cessat respectu animarum Purgatorij, atque ita per generalem suspensionem non suspenduntur indulgentiæ pro defunctis concessæ, nisi de ipsis expressa fiat mentio; ergo nec per generalem Bullæ suspensionem. Deinde, quia, vt patet ex verbis suspensionis Commissarij, Bulla suspendere solùm censetur ea, per quæ tam pium opus impeditur. ibi: *Nec hoc adeò pium, & sanctum opus disturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, & concessiones*; at per hanc non suspensionem, hoc opus parum, aut nihil impeditur; nam cùm hæc indulgentia solis defunctis prosit, viui, vt ipsis Bulla prosit, eodem modo accipere eam tenentur. Ex quibus patet responsio ad priorem sententiam. Sicque non requiritur Bulla in celebrante, nec in celebrare faciente ad huiusmodi indulgentiam pro defunctis comparandam. Et hanc sententiam Diana, me citato *in addit. resolut.* 22. existimat non esse minus probabilem, quam eam quam tenuit *tract.* 11. *resolut.* 86. cum Villalobos *vbi sup. tract.* 27. *clauf.* 12. *numero* 3.



LIBER SECVNDVS DE FACVLTATE COMMISSARII BVLLÆ CRVCIATÆ.



SVPERIORI lib. actum est à nobis de priuilegiis omnibus per bullam Cruciatam viuis concessam, in eius sũmario comprehensis: restat vt ad complementum eorũ, quę ad indulta viuorum virtute huius Bullę cõcessa sũt, breuiter dicamus: nimirũ de peculiaribus potestatibus, & facultatibus, quæ generali Cruciatæ Commissario, eiusque subdelegatis à sua Sanctitate in hac Bulla Cruciatæ conceduntur.

2 Dicitur autem Commissarius ille, cui aliqua facultas, & potestas concessa, seu commissa est ad aliquem, vel aliquos effectus: & qui illam concedit, dicitur concedens, vel committens: sicut qui dat pecunias ad cambium, dicitur campsor, & qui eas accipit, dicitur campsarius: sic qui concedit, & committit potestatem, dicitur concedens, seu committens; qui verò illam acceptat ad exequendum, dicitur Commissarius. Commissarius igitur Cruciatæ ille dicitur, qui à Papa habet facultatem exequendi ea, quæ ipsi in Bulla Cruciatæ conceduntur: solum enim Commissarij facultas extenditur ad ea quæ ipsi in Bulla continentur concessa. Ideo nanque dicitur Commissarius Cruciatæ. Et quamuis præsideat in concilio Cruciatæ, non vocatur Præses, aut Præsidens sed Commissarius, propter humilitatem, sicut Papa vocatur Episcopus, & seruus seruorum Dei. Vide Alphonsum Perez *pag.* 16 & 17. Quæ facultas duo includit. *Primò* ea, quæ spectant ad beneficium fidelium, & animarum vtilitatem. *Secundò* ea, quæ ad expeditionem huius Bullæ concernunt: de quibus suo ordine agemus, propositis suis clausulis, seu paragraphis, pro vt in ipsa Bulla Latina continentur, sicut in Bullæ viuorum expositione obseruatum est: omissis tamen illis clausulis, quæ ad bonorum incertorum compositionem pertinent, remittentes eos ad Bullæ compositionis expositionem, eo quòd ij casus in ea specialiter contineantur.

§. I.

1 *ITem Reuerendo Patri Domino Episcopo Segobricensi, & Alberragiensi, Commissario, & Receptori generali huius expeditionis deputato, & constituto, vt supra ordinariorum huiusmodi pœnis inquirere, & contra eos qui in praeiudicium huius expeditionis, ad eam eunctum aliquid patrauerint, procedere.*

2 AD huius §. intelligentiam nota, Pontificem in hac Bulla Latina in §. huic superiori præcipere omnibus Ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ, vt pœnas pecuniarias in huius expeditionis subsidium applicent, & ex nunc pro tunc, ait sic applicari, & appropriari his verbis. *Item omnes ordinarij Episcopi, & Archiepiscopi dictorum Regnorum, Insularum, terrarum, oppidorum, & dominiorum praedictorum enixe rogantur, & in virtute sanctæ obedientiæ eis praecipitur, vt omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium durante dicto anno imponendas, seu exigendas, huic tam pio operi velint applicare, eaque pœnæ omnes, de quarum tamen quantitate assertioni Ordinariorum, quorum conscientia onerantur standum esse decernitur, thesauro eiusdem expeditionis contra Turcas, & alios infideles, ex tunc, prout ex nunc applicantur, & appropriantur, vna cum pœnis eorum, qui aliquid in huius expeditionis praeiudicium, vel ad eam euntium patrauerint.*

3 Circa quod nota, nomine Ordinariorum intelligi etiam Abbates, & alios quacunque dignitate fulgentes, & iurisdictionem in foro exteriori habentes: ij enim sunt qui pœnas pecuniarias imponere solent, & possunt, ita vt pœnæ ab istis omnibus impositæ, in tribunalibus, audientiis, & visitationibus contra Ecclesiasticas, aut seculares personas, sint applicandæ thesauro huius expeditionis. Alphonsus Perez *pag.* 194. aduertit supradictos Prælatos iam non teneri applicare nisi dimidietatem solùm supradictarum pœnarum, eo quòd Rex Philippus pro sua liberalitate alteram dimidietatem supradictis Prælatis concesserit.

4 Secundò nota, supradictos Prælatos teneri in conscientia, & sub peccato mortali supradictam pœnarum applicationem facere. Quod apertè indicant illa verba. *In virtute sanctæ obedientiæ præcipimus*, quæ, supposita grauitate materiæ, ad mortale obligant: tum etiam, quia verbum *præcipimus*, in materia graui obligat ad mortale, vt colligitur ex Clementina, *exiui. § cum autem, de verborum significatione*, & docet Nauarr. *de indulgentiis notab.* 32. *num.* 51. Syluester *verb. Præceptum, quæst.* 2. & communiter Summistæ, & Rodriguez §. 13. *num.* 10. qui *num.* 11. addit, Prælatos omittentes hanc applicationem, non solùm peccare mortaliter, sed etiam supradictas pœnas non applicatas teneri restituere, eo quòd Summus Pontifex de facto ex nunc pro tunc, eas in subsidium huius expeditionis applicat, & appropriat, ita etiam Villalobos *tract.* 27. *clauf.* 13. *num.* 23. cum Acosta *de Bulla, quæst.* 89. Standum tamen est consuetudini approbatæ, tam in applicatione, & modo applicandi, quàm in restitutione pœnarum non applicatarum.

5 His positis facillima est supradicti paragraphi intelligentia.

Intelligentia. Concedit igitur Pontifex Commissario generali, vt possit inquirere, an supradicti Ordinarij supradictarum pœnarum applicationem omiserint: tum etiam, an aliqui patrauerint aliquid in præiudicium huius expeditionis, aut contra euntes ad huius Bullæ expeditionem, & omnes supradictos, qui aliquid horum patrauerint, pœnis coercere, ac punire.

§. II.

1 *Item eidem Commissario datur etiam facultas ad singulas prouincias Commissarios deputandi, & eligendi, per Ordinarios locorum prauia matura deliberatione (onerando eorum conscientias) approbandos, cum simili, & limitata facultate, etiam pro collectione pecuniarum. Item eidem Commissario conceditur facultas deputandi Notarios, quorum opera vtendum erit, ab Ordinarijs tam locorum in quibus illi deputandi sunt, similiter approbandos. Nec non cogendi tabelliones, & quemlibet alium, ad exhibitionem quarumcunque scripturarum, vel instrumentorum, huic negotio pertinentium: & deinde inhibendi quibus inhibendum erit. Neque possit Commissarius generalis praedictus coram alio, quam nobis, neque ab eo deputandi possint coram alio, quam ipso Commissario pro re ad hoc munus pertinente, quamdiu istis negotiis vacauerint, in iudicium trahi. Possint tamen à locorum Ordinariis, quibus suberint, si ibi deliquerint, coerceri, & puniri. Item, quòd si in loco, vbi erit facienda publicatio, fuerit interdictum, possit huiusmodi interdictum per octo dies antea, & post suspendere. Item quod monere possit habentes pecunias, & bona in hoc opus destinata, seu instrumenta, aut scripturas hoc negotium principaliter, vel secundario concernentes, vt statim cum copiam Commissarij aut ab eo deputati habuerint, propalare teneantur sub pœnis pecuniariis in subsidium: quoad Episcopos, & alios maiores Prælatos, suspensionis à diuinis, & interdicti in Ecclesiam ingressus; quoad alios excommunicationis latæ sententiæ, à qua non nisi à Sede Apostolica absolui possint, & qui scienter aliquod prædictorum retinuerit, nullo modo possit harum litterarum, & gratiarum, in eis contentarum beneficio frui. Item declarant, quòd expirante anno, omnes supradicta facultates, & gratiæ, & indulta expirent, tantumque petorum causæ pendentes ad finem perduci.*

2 Circa intelligentiam omnium quæ in supradictis clausulis continentur remittimus lectorem ad ea, quæ in libro trium gratiarum copiosè tractat per diuersa loca Alphonsus Perez, tum quia non valdè obscura; tum etiam, quia parum faciunt ad nostrum institutum, contenti tamen aliquas notulas attigisse.

3 Nota igitur primò, circa illa verba, *Datur facultas Commissario deputandi, & eligendi Confessarios*, Subdelegatos Commissarij generalis habere eandem facultatem cum eo quantum ad causas concernentes ad expeditionem Cruciatæ, tam ciuiles, quàm criminales. Possuntque inhibere quoscunque iudices Ecclesiasticos, & seculares à cognitione causarum, & negotiorum concernentium & dependentium à Cruciata, & possunt procedere contra eos per censuras Ecclesiasticas, & pœnas, & possunt dispensare in casibus in quibus virtute Bullæ potest Commissarius generalis (nisi eis expressè à Commissario generali sit prohibitum) & io dispensationibus quas possunt concedere, debent imponere taxam iuxta formam præscriptã in instructione data Commissario subdelegato, de qua Alphonsus Perez *lib. 1. pag. 190. vsque ad 196.* Potest etiam Commissarius; tum etiam & eius subdelegatus elapso tempore publicationis Bullæ, absoluere litteras, & negotia cœpta, perinde ac si annus non fuisset elapsus. Patet ex illis verbis, *expirante anno*, &c. quia iudicium vbi cœptum est, ibi finiri debet; iudicium nanque tunc iam erat incœptum, & res non integra, vt supponimus ac proinde ab eodem iudice debet finiri, vt communiter Doctores io iudice delegato. Si autem elapso anno res est integra, & iudicium non fit cœptum, non potest Commissarius, nec eius delegatus de causis huiusmodi cognoscere; quia eius facultates solùm ad annum, & eo durante durant, vt habetur expressè in supradicta clausula, *Expirante anno*, &c.

4 Secundò, circa illa verba, *Cogendi tabelliones, & quemlibet alium ad exhibitionem quarumcunque scripturarum*, &c. notat Alphonsus Perez posse Commissarium generalem compellere quoscunque manumissores, & testamentorum executores, & tabelliones, qui testamenta receperunt, & alios quoscunque, qui testamenta, vel scripturas retinent, vt ea exhibeans per censuras compellere, de quo vide Perez *pag. 63.* Potest etiam Commissarius absoluere à censuris supradictis, quas ipse imponere potest. de quo vide Alphonsum Perez *pag. 60.*

5 Tertiò nota, Commissarium generalem præter iurisdictionem spiritualem quam ei Pontifex in §. præsenti concedit habere aliam iurisdictionem temporalem, quam ei Rex Philippus concedit, non solùm iodirectè, & in subsidium: sicut brachium sæculare subsidium præstat brachio Ecclesiastico; sed etiam directè, ita habeat suum tribunal, consilium, ac consiliarios ad causas temporales Cruciatam concernentes definiendas inter seculares: à quo Consilio, seu Commissario non potest appellari ad aliquem iudicem. De quo vide Alphonsum Perez *lib. 2. pag. 124.*

§. III.

1 *Item similiter conceditur facultas dicto Commissario dispensandi, & componendi super irregularitate cum his qui quibusuis Ecclesiasticis censuris ligati, Missas, & alia diuina officia (non tamen in contemptum clauium) celebrauerint, seu aliàs se immiscuerint, & super alia illis qualibet irregularitate, præter quam homicidij voluntary, aut simonia, vel apostasia à fide aut hæresis, vel propter malam Ordinum susceptionem, contractas, cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamia, ac inhabilitatis exinde prouenientis, abolitione, & executione Ordinum non malè susceptorum.*

Dub. I.

De irregularibus in quibus Commissarius Cruciatæ dispensare potest.

1 Dico primò, Facultas Commissarij in ordine ad irregularitatem solùm extenditur ad eas, quæ proueniunt ex delicto, non verò ad eas, quæ ex defectu

defectu lenitatis, vel repræsentationis oriuntur. Ita Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, cap. 13. num. 5.* Rodriguez *in addit. ad* §. 13. *n.* 3. & Villalobos *tract.* 27. *clausf.* 11 *num.* 7. Ratio est, quia quando Papa excepit ab hac facultate aliquas irregularitates (de quibus *dub. sequent.*) loquitur de iis, quæ ex delicto oriuntur; ergo similiter in concessione Indulgendum est.

2 Dico secundò descendendo ad particularia potest Commissarius Cruciatæ dispensare in omni irregularitate contracta ex eo quod quis censura ligatus celebrauit, v.g si excommunicatus, suspensus, vel interdictus alicuius Ordinis sacri actum exercuerit patet ex illis verbis Bullæ: *Cum his qui quibusuis Ecclesiasticis censuris, Missas, & alia diuina Officia celebrauerint.* Ita Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, cap.* 13. *num.* 5. & Rodriguez §. 13. *addit. n.* 1. Cùm igitur Bulla Latina loquatur generaliter, est intelligenda de irregularitate ex violatione cuiuscuis censuræ.

3 Ex his colligo posse Commissarium dispensare cum quibusuis Religiosis etiam exemptis, quia est delegatus Papæ, nisi aliter ex priuilegio Pontificio in aliqua religione statutum sit.

4 Dico tertiò. Potest Commissarius Cruciatæ dispensare in supradictis irregularibus, quamuis publicæ sint, & in foro exteriori. Ita Henriquez *lib. 7. de indulgent cap. 13. num.* 5. Rodriguez *in addit. ad* §. 13. *num.* 1. Auila *part. 7. disp. 10. dub.* 5. Villalobos *supr. num.* 6. & cum eo Diana *tract.* 11. *resol.* 115. Ratio est, quia Papa in huiusmodi facultate non restringit ad occultas irregularitates, sicut Trident. restringit Episcopis *sess. 24. cap. 6. de reformatione*, vbi solum datur facultas Episcopis dispensandi in foro interno, & in casibus occultis. Vnde in hac parte plus potest Commissarius generalis, quàm possint Episcopi virtute Tridentini: nam ij solùm in externo, ille verò potest quoque in interno dispensare in irregularitate, etiam si incurratur ex delicto publico. Quare si quis publicus excommunicatus, suspensus, vel interdictus, publicè celebrauerit, vel aliud diuinum Officium exercuerit, ob quod irregularitatem contraxerit, potest à Commissario generali dispensari in foro externo, etiam datis litteris in quibus talis dispensatio contineatur, sicut factum fuisse Matriti anno 1577. refert Viualdus citatus à Rodriguez *vbi suprà*. Potest Commissarius si Sacerdos sit, vti hac potestate in foro sacramentali, non tamen vt Confessor, quia sic nullam habet circa irregularem facultatem, sed vt Commissarius: quo in casu potest dare pœnitenti (si ad id licentiam concedat, vel eas petat) litteras dispensationis: vt bene notat Rodriguez *suprà num.* 2. Vt autem supradicta dispensatio valeat, debet habere admixtam aliquam compositionem pecuniariam in belli subsidium, iuxta taxam contentam in edicto facultatis Commissarij. Patet ex verbis Bullæ. ibi, *Dispensandi, & componendi*, vbi copulatiua, & expressè coniungit dispensationem cum compositione.

5 Circa illa verba, *Non tamen in contemptum clauium celebrauerunt*, notandum est, non posse validè Commissarium Cruciatæ in supradictis irregularitatibus dispensare, quando ex contemptu clauium contrahuntur. Vt si quis paruipendens censuras, vel æstimando eas esse indiscretas, & intolerabiles, nolens se subiicere iurisdictioni Ecclesiæ, illas in actu Ordinis violaret. Quotiescunque enim peccatum committitur contra obedientiam formalem Superioris Ecclesiastici, nolens eum subditus Superiorem agnoscere, nec ei se subiicere; adest expressus contemptus, & formalis Ecclesiæ, seu iurisdictionis Ecclesiasticæ, vt colligitur ex doctrina Sancti Thomæ 2. 2. *q.* 186. *art. 9. ad* 3. & *ibi* Caietanus, tenet Villalobos *suprà num.* 5. Vnde infertur incurrentem supradictam irregularitatem excitatum aliquo motiuo particulari iræ, vel tristitiæ, vel concupiscentiæ aliquid comparandi, non peccare in contemptum clauium; quia iste non mouetur præcisè animo expresso non obediendi, vel contemnendi potestatem Ecclesiasticam, eiusque censuras paruipendendi; sed ex aliquo motiuo, vel passione ex prædictis, ac proinde in istis poterit dispensare Commissarius. Quare licèt hic sæpe ira peccet, & reiteret idem peccatum, & contrahat supradictam irregularitatem, nunquam tamen per multiplicatas vices dicetur peccare in contemptum clauium, nam ad id requiritur animus expressus contemnendi claues. Vide Rodrig. §. 13. *addit. num.* 5. Ex dictis.

6 Colligitur primò non posse Commissarium dispensare cum illegitimo, neque cum eo qui habet naturale vitium corporis, aut animi; neque cum iudice, aut duce, authoritate publica occidente iustè malefactorem cum defectu lenitatis. Ratio est, quia hæ irregularitates non procedunt ex delicto, & solùm habet potestatem Commissarius dispensandi super aliquibus irregularitatibus, quæ proueniunt ex delicto, vt *suprà* dictum est *dicto* 1.

7 Colligitur secundò, non posse Commissarium dispensare in irregularitate ex bigamia vera, nec interpretatiua: vt quando quis contraxit bis matrimonium consummatum, vel quando contraxit cum iam corrupta, vel vidua à priori viro cognita. Si autem sit bigamia iuris fictione, vt quando quis viuenti priori coniuge, de facto cum alia contrahit, vel ea mortua contrahit cum ea, qua cum habet impedimentum dirimens; aut si bigamia est tantùm similitudinaria: vt quando quis post susceptionem Ordinis sacri, vel professionem, duxit vxorem, existimat Rodrig. *in addit. ad* §. 13. *n.* 3. posse Commissarium dispensare, quia procedunt ex delicto. Verius tamen est, & tenendum, non posse, vt docet Henriq. *lib. 7. de indulgent. c.* 13. *n.* 5. nam quamuis Commissarius possit dispensare in quacunque irregularitate prouenienre ex delicto, quibusdam exceptis, hoc tamen intelligendum est de iis, quæ per se proueniunt ex delicto, non autem per accidens: at bigamia iuris fictione, & similitudinaria primò, & per se non ex delicto, sed ex defectu sacramenti, & significationis procedunt: ex delicto autem per accidens oppositum non est improbabile, & tenet etiam Villalobos *sup. n.* 8. cum quo sentit Diana *tract.* 11. *resol.* 115. & nouissimè Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 1. cap. 9. dub. 7. num.* 11.

DVB. II.

De irregularitatibus, in quibus Commissarius Cruciatæ dispensare non potest.

1 POstquam Pontifex in hoc §. Commissario generali concessit facultatem dispensandi super quacunque irregularitate ex delicto proueniente, excipit ab hac generali facultate quatuor irregularitates, in quibus nec in foro externo, nec interno potest Commissarius Cruciatæ dispensare. *Prima* est illa, quæ oritur ex homicidio voluntario *Secunda* ea quæ oritur ex peccato simoniæ realis, & perfectæ. *Tertia*, quæ nascitur ad hæresi, vel apostasia. *Quarta* denique; est quæ procedit ex eo, quod quis fuerit malè promotus ad Ordines sacros.

2 Circa

2 Circa primam exceptionem certum est, nec Commissarium, nec Episcopum posse dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, nam illi in Bulla, huic verò per Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* prohibetur expresse. Per homicidium autem voluntarium intelligendum est illud quod in se directè, & formaliter est volitum, & ex composito patratur. De quo Nauarr. *cap.* 27. *n.* 240. & Sayrus *de censuris, lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 7. In mutilatione autem voluntaria existimo posse dispensare Commissarium, vt docet Rodriguez *in addit. ad* §. 13. *n.* 6. quia Pontifex solùm excipit irregularitatem ex homicidio voluntario: & quamuis homicidium voluntarium, & mutilatio in iure æquiparentur, vt patet *Clem. vnica, de homicidio*, hoc intelligendum est quoad effectum producendi irregularitatem, non verò quoad dispensationem. Sic Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* negans Episcopis dispensationem in irregularitate ex homicidio voluntario, censetur eam concedere in mutilatione voluntaria, vt docet Nauarr. *cap.* 27. *num.* 194. *versic. Septimò colligitur*; & tenet Rodriguez *in addit. ad* §. 9. *n.* 6. quidquid cursim dicat Ludou. à Cruce *in expos. Bull. disp.* 1. *c.* 9. *dub.* 7. *n.* 2. quia Trident. non excipit expresse irregularitatem ex mutilatione, quæ minor est, sed ex solo homicidio voluntario, sub quo non colligitur mutilatio membri, quæ minor est. Similiter existimo verum, posse Commissarium Cruciatæ dispensare in irregularitate ex homicidio casuali, vt docent Rodriguez *in n.* 6. *cit.* Villalobos *part.* 1. *tract.* 27. *claus.* 12. *n.* 7. Diana *tract.* 11. *resol.* 112. & alij. Homicidium autem casuale dicitur, non illud quod est omnino fortuitum, & inuoluntarium, nam hoc cum non sit peccatum; nullam inducit irregularitatem, vt docent Doctores in materia irregularitatis. Casuale ergo, vt ad præsens attinet dicitur illud, quod quamuis directè non sit intentum, est tamen aliquo modo volitum, saltem indirectè, & in sua causa: vt si dominus mandauit famulo vt Petrum verberaret, non tamen occideret, si famulus excedendo mandatum, occidit, dominus mandans est irregularis ex homicidio casuali. Item homicida casualis est, qui se defendendo, excedendo tamen modum iustæ defensionis, occidit, quamuis directè occidere non intendat: & pater, & magister, qui excedendo castigationis modum occidit, vt docet Henriquez *lib.* 14. *c.* 19. *n.* 3. Probatur igitur posse Commissarium in hac irregularitate dispensare, quia vt docet Nauarrus *cap.* 27. *n.* 140. Henriquez *suprà*, & Sayrus *lib.* 7. *c.* 7. *n.* 20. potest Episcopus in huiusmodi irregularitate dispensare per facultatem Tridentini, solùm huic rationi innixi; quia in Trident. conceditur facultas Episcopis dispensandi in irregularitatibus ex occulto delicto prouenientibus, excepta irregularitate homicidij voluntarij seu facti ex proposito. Homicidium autem casuale, cùm non sit ex proposito secundùm omnes, condistinguitur à voluntario; hæc autem ratio prorsus militat respectu Commissarij; ergo poterit dispensare, non solùm in foro interiori, sed etiam in exteriori in huiusmodi irregularitate, & in mutilatione, quia, vt dictum est, huiusmodi facultas non est limitata ad forum internum: vnde in hac parte maior est facultas Commissarij, quàm Episcopis concessa per Trid. nam ij solum possunt in irregularitate hac occulta, & in foro interno dispensare: ille verò quamuis hæ irregularitates sint publicæ, & in foro externo, dispensare valet. Vide Rodr. *lib.* 13. *addit. n.* 6. & Henriquez *lib.* 7. *de indulg. c.* 13. *num* 5.

3 Secunda irregularitas, quæ excipitur à facultate Commissarij, est illa quæ oritur ex crimine simoniæ. Ad huius intelligentiam reuocandæ sunt ad memoriam pœnæ simoniacis impositæ. Itaque simoniacus in ingressu religionis incurrit excommunicationem latam in Extrauag. Vrbani IV. quæ incipit, *Sane ne vinea Domini, de simonia*, ad quam incurrendam non sufficit ingressus inchoatus sumptione habitus, sed consummatus professionis emissione. Vide Suarez *tom.* 5. *disp.* 22. *sect.* 5. *à n.* 5. *&* *lib.* 4. *de simonia, cap.* 56. *n.* 7. Aduerte tamen hanc Extrauagantem non habere locum in Monialium dote, ex declaratione Martini V. de qua Syluest. *simonia, quæst.* 15. *in fine*, & Nauarr. *cap.* 27. *n.* 106. *vers. Quarto.* Vide etiam Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 35. *dub.* 23. *num.* 131.

4 Secundò simoniacus in Ordine si sit conferens, est excommunicatus, & suspensus à collatione cuiusuis Ordinis, etiam primæ tonsuræ: recipiens verò est etiam excommunicatus, & suspensus ab omni Ordine vt habetur *in Extrauag. Cùm detestabile, de simonia*; siue detur ordinanti pretium, siue alicui tertio; vt bene Nauarr. *cap.* 25. *numer.* 68. *versic. Secundò peccat.* Vide Lessium *suprà dub.* 24. *num.* 133. & Suarez *lib.* 4. *de simonia cap.* 56. *num.* 9. *&* *tom.* 5. *disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 22. *&* *disp.* 31. *sect.* 4. *num* 34. quæ excommunicatio est Papæ reseruata, vt *ex dicta extrauag.* constat. Differunt tamen Doctores, an simoniacus in Ordine eo præcisè, quia per simoniam recipiat Ordinem, præter excommunicationem, & suspensionem incurrat irregularitatem. Nam Angelus *irregularitas*, §. 28. Syluest. *verb crimen.* §. 2. *verb. enorme, num.* 2. Couarruuias *in Clementina, Si furiosus, p.* 2. §. 3. *n.* 4. *vers. Hoc ipsum*, & alij, quos referunt Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 13. *num.* 5. & Suarez *tom.* 5. *disp.* 43. *sect.* 4. *num.* 2. existimant talem simoniacum etiam occultum esse irregularem. Quos sequitur etiam Ludou. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 5. Verior tamen sententia est, simoniacum occultum non esse irregularem, vt tenet Henriquez *citatus*, & Suarez latè probat *sect.* 4. *cit. &* *lib.* 4. *de religione, tom.* 1. *cap.* 56. *num.* 20. quos sequitur Villalobos *tract.* 21. *diff.* 17. & Diana *tract.* 11. *resolut.* 113. vbi ait per simoniam in Ordine, vel beneficio nullam incurri irregularitatem. Ratio fundamentalis est, quia huiusmodi irregularitas non habetur expresse in iure. At si talis simoniacus aliquem actum Ordinis exerceat, fiet irregularis, non quia simoniacus est, sed quia in actu Ordinis violat censuram. Si tamen simoniacus in Ordine, & beneficio, vel in alia re sit publicus, est, infamis à iure, & in ratione infamiæ irregularis, quia est crimen graue, & dignum depositione, ad quam irregularitatem contrahendam non sufficit infamia facti, sed requiritur infamia iuris hoc est, quod per iudicis sententiam infamis declaretur: vnde ante iudicis condemnationem huiusmodi irregularis non erit. Colligitur apertè *cap. sanè* 15. *q.* 3. vbi habetur debere accusationem præcedere, & subsequi condemnationem: ex quibus Doctores colligunt, ad hanc irregularitatem contrahendam requiri iudicis condemnationem. Ita Suarez *lib.* 4. *de simonia, cap.* 56. *num.* 21. *&* *tom.* 1. *de censur. disp.* 48. *sect.* 2. & Diana *supr.*

5 Tertiò, simoniacus in beneficio, siue sit conferens, siue acquirens, aut acceptans, siue sit solùm mediator, est ipso facto excommunicatus, excommunicatione Papæ reseruata, *in dicta Extrauag. Cum detestabile, de simonia*; tum etiam præsentatio, nominatio, prouisio, collatio, & quæuis alia dispositio, actione iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinata ad conferendum officium, vel beneficium, est nulla

nullumque

nullumque ius tribuit, vt prouiſus fructus faciat ſuos: quare ſub periculo animæ, ad eorum ſestitutionem tenetur, vt expreſsè habetur *in citata Extrauaganti.* Item recipiens beneficium ſimoniacè fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum, vt habetur *cap. nobis, cap. ſicut tuis, & cap. ex inſinuatione, de ſimonia, & cap. penult. de elect.* Quòd ſi beneficium ſic acceptum ſit curatum, efficitur ſimoniacus inhabilis, non ſolùm ad illud, ſed ad omnia futura. Ita Zerola *p. 2. verb. ſimonia, q. 3.* & colligitur ex Trid. *ſeſſ. 14 cap. 8. de reform. ver. Caueantque.* Hæc autem inhabilitas non eſt propriè irregularitas, quia ſimoniacus in beneficio etiam ſi publicus ſit, non eſt irregularis, vt tenet Henriquez *cap. 37. de excom. §. 5.* quia non habetur in iure, nec eſt etiamen dignum depoſitione. Ita Conarr. *in Clement. ſi furioſus, part. 2. num. 4. verſ. Hoc ipſum.* Idem tenet Suarez *tom. 5. diſp. 43. ſect. 4. num. 3.* & cum eo Diana *ſup.* dùm dicit abſolutè per ſimoniam præcisè non contrahi irregularitatem. Tum etiam, quia irregularitas immediatè priuat receptione Ordinum, & eorum executione, & ſecundariò facit inhabilem beneficio: at ſi hic ſimoniacus abſolutus ab excommunicatione, poteſt promoueri ad Ordines, & miniſtrare in ſuſceptis manente inhabilitate ad beneficia. Conuenit tamen aliquo modo cum irregularitate, quia hæc inhabilitas eſt perpetua, & imponitur ſolùm in caſibus à iure expreſſis, & ſicut Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate ex delicto occulto, ſic in hac inhabilitate, de quo vide Henriquez *cap. 56. de excommunicatione.* Quòd ſi hic ſimoniacus in beneficio ſit à iudice condemnatus, tunc erit irregularis propter infamiam, vt dictum eſt *ſup. n. 4.* cum Suar. *lib. 4 de ſimonia, cap. 56. n. 21.*

6 Non tamen ſimoniacus in beneficio eſt propriè, formaliter, & per ſe ſuſpenſus, vt late probat Suarez *tom. 5. diſp. 31. ſect. 4. à num. 41.* & fauet Syluester *ſuſpenſio q. 7.* quia in nullo iure habetur, nam ex *can. præter diſt. 32. §. verum,* ſolum colligitur eſſe ſuſpendendum. Eſt tamen per accidens ſuſpenſus, quia cùm ſit excommunicatus, eſt ſuſpenſus ratione excommunicationis ab omnibus Ordinibus, & beneficiis.

7 Nota, pœnas ſupradictas ſolùm incurri in ſimonia in Ordine, beneficio, & ingreſſu religionis, modo explicato, non verò in aliis rebus ſacris, ad quas incurrendas requiritur ſecundum communem, quòd ſimonia ſit realis, & vtraque parte completa.

8 Obiter nota, ſimoniacum in beneficio præter abſolutionem excommunicationis, & diſpenſationem inhabilitatis indigere reualidatione tituli beneficij per nouam collationem, nam ſola abſolutio, vel diſpenſatio impedimenti non confert titulum: ſic matrimonium non reualidatur per diſpenſationem impedimenti, niſi conſenſus renouentur: quo in caſu ſi ſimonia, & inhabilitas ſit occulta, poterit Epiſcopus facere hanc reualidationem, ſi ad ipſum inſtitutio, ſeu collatio pertineat. Si verò ſimonia ſit publica, & reualidatio fieri debeat in foro exteriori, tunc à ſolo Papa fieri poterit; quòd ſi occulta ſit, & prima collatio fuit facta Papa, tunc à ſolo Papa fiet reualidatio, vt contingit in ſimonia confidentiali; ſi tamen ſcandalum ſequatur ex reualidatione, eo quo crimen eſt occultum, nec poteſt adiri Papa propter paupertatem, tunc poterit Epiſcopus diſpenſare in inhabilitate, & titulū reualidare vigore Trident. *ſeſſio. 24. cap. 6. de reformatione in foro conſcientia,* vt tenet Henriquez videndus *cap. 14. de excommunicatione, n. 2.* quem ſequitur Ioannes Valero *verb. ſimonia, differentia 2 n 2. & 3.* Poterit etiam in hoc caſu recurri ad Nuntium Apoſtolicum pro reualidatione, quam ſi faciat, credendum eſt ad id habere poteſtatem. Interim tamen dum hæc remedia parantur, ſi ſimoniacus ſit occultus, & ſequitur ſcandalum ex dimiſſione beneficij, poterit ratione Bullæ abſolui ab excommunicatione, & celebrare, dum non eſt in mora, & procurat remedium de quo vide Medinam *in Summa, lib. 1. c. 14. §. 21. fol. 103.* & Henriquez *loco ſupra citato, de reualidatione tituli beneficij.* Vide Reginaldum *lib. 32. c. 9. per totum.*

9 Nota etiam ab excommunicatione ſupradicta extra articulum mortis, & ſine aliquo priuilegio, neminem, præter Papam, poſſe abſoluere, quia eſt ei reſeruata: vt habetur in iuribus *ſupra cit.* In articulo autem mortis poteſt à quolibet Sacerdote, quia in eo nullus eſt caſus reſeruatus. Extra articulum mortis ſi occulta eſt, poterit ratione Bullæ à quolibet approbato abſolui ſemel in vita, & iterum in articulo mortis. Poterit etiam abſolui ab Epiſcopo, ſi occulta eſt, nec deducta ad forum contentioſum, toties, quoties, ex Trident. *ſeſſio. 24. c. 6 de reformatio.* Si autem publica ſit recurrendum eſt ad Papam, ſeu Nuntium pro eius abſolutione.

10 Difficultas igitur eſt, an Commiſſarius Cruciatæ poſſit tollere irregularitatem ex ſimonia contractam, tum etiam inhabilitatem ad beneficia ex illa prouenientem.

11 Dico igitur, Commiſſarius non poteſt diſpenſare in irregularitate quæ præcisè oritur ex ſimonia in Ordine, eo ſcilicet, quòd per ſimoniam quis ordinatus eſt iuxta opinionem probabilem, quæ aſſerit, talem ſimoniacum, etſi occultum eſſe irregularem; quam videtur hic Pontifex approbare. Patet, quia Pontifex excipit à facultate Commiſſarij irregularitatem ex ſimonia contractam: ſed ex nulla ſimonia contrahitur, niſi ex hac, iuxta probabilem opinionem; ergo, &c. à fortiori non poterit Commiſſarius diſpenſare in irregularitate quæ naſcitur ex ſimonia publica in Ordine, vel beneficio, propter infamiam inde ſubortam, modo explicato, quia hæc oritur præcisè ex ſimonia. Hinc fit in hoc caſu ſicut Commiſſarius non poteſt diſpenſare in hac irregularitate, ita nec poſſe reualidare titulum beneficij per ſimoniam accepti, vt bene Rodriguez *§. 13. n. 3.* Nec his obſtat Pontificem in Bulla concedere facultatem Commiſſario diſpenſandi in irregularitate cum retentione beneficiorum, & fructuum, vt *infra* conſtabit, quia hoc intelligitur, vt docet Rodriguez *in addit. ad §. 13. n. 9.* quando quis cenſura ligatus in Ordine miniſtrat, fit irregularis, & vt ſic ante abſolutionem cenſuræ, & diſpenſationem irregularitatis, ſecluſa omni fraude ſimoniæ, adeptus eſt beneficium; in hoc enim caſu poteſt Commiſſarius diſpenſare, (dummodo non ſit aliqua ex quatuor exceptis) & titulum beneficij reualidare cum fructuum retentione, facta compoſitione. At quando quis per ſimoniam adeptus eſt beneficium, etiam obtenta reualidatione à Papa, non poteſt Commiſſarius compoſitionem fructuum facere: quia hæc, inquit Rodriguez *ſup.* ſicut reualidatio tituli, ad Pontificem ſpectat. Dixi *opinionem probabilem,* &c. nam ſi ſequamur opinionem probabiliſſimam ſententium nullam incurri irregularitatem, vt dictum eſt *n. 4. & 5.* nulla requiritur diſpenſatio, vt etiam tenet Diana *tract. 11. reſol. 133.* cum Villalobos *1. part. tract. 21. diff. 17. num. 1.*

12 Sed quæres an Commiſſarius poſſit diſpenſare in irregularitate quam contraxit ſimoniacus, ex eo quòd violauit in actu Ordinis excommunicationem, quam ratione ſimoniæ, hæreſis aut apoſtaſiæ contraxit. Reſpondeo poſſe. Ita Rodriguez *in addit. ad §. 13. numero 11.* & nouiſſimè Ludou. à Cruce *in expoſit. Bull. diſp. 2. cap. 9. dub. 7. num. 7.* quia

Pontifex

Pontifex absolutè concedit facultatem Commissario dispensandi in irregularitate contracta, ex eo quòd quis censuris quibuslibet ligatus celebrauerit vel diuinis se immiscuerit, sine vlla in hac parte exceptione: non enim excipit eos, qui celebrauerint ligati censuris, quæ ex supradictis delictis oriuntur, sed solùm irregularitates quæ præcisè ex simoniæ vitio, apostasiæ, & hæresis contrahuntur: irregularitas enim quæ ex ipso crimine simoniæ, apostasiæ, & hæresis nascitur, diuersa est ab illa, quæ ex violatione censuræ oritur, ac proinde non est de vtraque eadem ratio. Pontifex enim in exceptione solùm loquitur de irregularitatibus, quæ ex dictis criminibus oriuntur, vt patet illis verbis: *Præterquam ratione homicidij voluntarij, aut simoniæ, vel apostasiæ à fide, aut hæresis, vel propter malam Ordinum suspensionem contracta.* Ex quibus patet solùm loqui in exceptione de irregularitatibus quæ præcisè ex prædictis delictis contrahuntur, non verò de illis, quæ ex violatione censuræ etiam propter delicta supradicta impositæ oriuntur.

13 Ex his consequenter colligi videtur posse Commissarium non solùm dispensare in irregularitate contracta, ex violatione censuræ supradictis delictis impositæ, sed etiam titulum beneficij post dictam irregularitatem accepti reualidare, infamiam & inhabilitatem inde ortam abolere, & fructuum compositionem facere, & executionem Ordinum non malè susceptorum concedere. Patet, nam postquam Pontifex concessit Commissario facultatem dispensandi, & componendi super quacumque irregularitate ex violatione censuræ contracta, addit, cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis inde prouenientis, abolitione, & executione Ordinum non malè susceptorum. Quod autem prohibetur Commissario, est, vt non possit dispensare in irregularitate, & inhabilitate proueniente præcisè ex simonia, &c. nec titulum beneficij sic accepti reualidare, nec super fructibus ipsius compositionem facere. Ita Villalob. *tract.* 27. *clauf.* 13. *num.* 10.

14 Colligitur secundò, non posse Commissarium dispensare in inhabilitate quæ oritur ex simonia in beneficio, adhuc vt iterum idem beneficium accipere possit; nam etsi propriè irregularitas non sit, est illi maximè affinis, & sic videtur comprehendi sub illa exceptione irregularitatis ex simonia ortæ.

15 Dices, quis ergo poterit hanc inhabilitatem tollere? Respondeo, si simonia sit publica, & deducta ad forum externum, & consentiente beneficiario commissa solus Papa poterit inhabilitatem ad beneficium simoniacè acceptum tollere. Ita Lessius *lib.* 2. *cap* 35. *dub.* 25. *num.* 140. aitque communem Doctorum, satisque colligi ex iuribus citatis. At si sit occulta, & inscio beneficiario commissa, vbi primum beneficiarius id sciuerit, tenetur beneficium resignare, & poterit tunc Episcopus dispensare, vt idem beneficium obtineat. Quòd si sciente beneficiario est commissa, Zerola *part.* 2. *vers. Simonia, dub* 15. & Reginaldus *lib* 23. *cap.* 12. *sectio* 4. *num.* 186. & alij existimant non posse Episcopum dictam inhabilitatem tollere, oppositum tamen mihi probabilissimum est (dummodo simonia non sit confidentialis, nam inhabilitas ex ea procedens reseruatur expresè Pontifici, vt videre est in Bulla Pij Quinti, quam refert Nauar. *cap.* 23. *num.* 110. de quo vide Suarez *lib.* 4. *de relig cap.* 58.) Ratio est, quia hæc inhabilitas, de qua loquimur, nullo iure reseruatur Pontifici, & ex alia parte, vbi dispensatio iuxta canones permittitur, nec Papæ reseruatur, Episcopo reliquisse videtur, vide *sup. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 6. *num* 5. Imò etsi reseruata esset, videtur Episcopo concessa per Trid. *sess.* 24 *cap.* 6. sub nomine suspensionis, vel irregularitatis, vel casus occulti, vt docet Henriquez *cap.* 56. *de excommunic. num.* 1. & Sayr. *de censur. lib* 2. *cap.* 5. *n.* 21. qui absolutè dicunt posse Episcopum hanc inhabilitatem tollere, & non distinguunt an sciente, vel ignorante beneficiario sit commissa. Et quamuis Less. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 15. *num.* 140. existimet opinionem contrariam communiorem & tutiorem, & praxi conformiorem, nostra tamen sententia potest practicari, quia potest Episcopus titulum reualidare, vt dictum est; ergo & hanc inhabilitatem tollere. At si sciente & consentiente Episcopo sit commissa simonia, Sayrus *supra num.* 22. & alij existimant tunc non posse Episcopum in illa dispensare. Contrarium tamen sentire videtur Henriq *sup.* dum absolutè loquitur; nam quamuis mereatur ob id Episcopus perdere priuilegium, non tamen illud ipso facto perdit; sicut qui peccat in Bullæ confidentiam, meretur perdere absolutionis priuilegium, non tamen ipso facto est eo priuatus.

16 Tertia irregularitas, quæ à facultate Commissarij excipitur, est quæ contrahitur ex hæresi, & apostasia. Circa quod nota, Apostatam, vel hæreticum internum, vel externum simul (nam merè interni nullam iuris pœnam incurrunt) quamuis occultus sit, præter excommunicationem Papæ reseruatam contrahere irregularitatem, eo præcisè, quia apostata, vel hæreticus est, vt docet Nauarr. *c* 27. *num.* 205. quem sequitur Sanchez *tom.* 1. *oper. moralis, lib.* 2. *c.* 25. *n.* 2. Villalob. *tract.* 21. *diff.* 5. *num.* 1. Bonacina *de censur. disp.* 7. *part.* 7. *num.* 6. & nouissimè Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ disp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 7. Probabilius tamen est solos hæreticos, vel apostatas publicos & notorios per euidentiam facti, vel iudicis sententiam, vel per propriam confessionem in iudicio quamuis non sint denuntiati, eam incurrere, ita Henriquez *lib.* 14. *cap.* 5. *num.* 2. *& lib.* 7. *de indulgent. cap.* 13. *num.* 5 *de irregul.* Sà *verb. irregularitas*, Sayrus *de censuris, lib* 7. *cap.* 12. *num.* 16. Aula *part.* 7. *disp.* 4 *dub.* 2. & cum aliis Diana *tract.* 11. *resol* 104. Ratio est, quia talis irregularitas non habetur expresè in iure, sed eo tantùm supradicti sunt irregulares, quia committunt crimen enorme dignum depositione: at hæc crimina non inducunt irregularitatem nisi publica sint, de quo Nauarr. *cap.* 27. *num.* 248. & communiter Doctores; ergo solùm publici apostatæ, & hæretici erunt irregulares.

17 Igitur Pontifex sequutus primam & probabilem opinionem, nimirum apostatam, & hæreticum occultum esse irregularem, exemit à facultate Commissarij hanc irregularitatem, ita vt in ea dispensari non possit, & a fortiori, & proprissimè vt non possit in ea dispensare quando hæresis, vel apostasia est publica, quia tunc sunt propriè irregulares ratione infamiæ ab hæresi, vel apostasia subortæ. Potest tamen dispensare in irregularitate quam de nouo contrahit hæreticus, vel apostata ex eo quod in excommunicatione manens in Ordine ministrauit, quia, vt dictum est, Commissarius habet indifferenter potestatem dispensandi in irregularitate contracta ex violatione censuræ in actu Ordinis: vt etiam sentit Rodriguez §. 13. *addit num.* 11. dictum est *hoc dub. vers Sed quæres, n.* 12. & tenet etiam Lud. *sup. num.* 6.

18 Vltima irregularitas, quæ à facultate Commis-

fatij excipitur, est illa, quæ contrahitur ob malam Ordinum susceptionem, in iis casibus, de quibus latè Henriquez *de irregularitate, cap.* 6. & Sayrus *lib.7.de censuris cap.* 10. *à num.* 12. *Primò*, qui scienter, vel per ignorantiam crassam (secus si sit probabilis) excommunicatus maiori, secus si minori) suspensus, vel interdictus existens Ordines maiores suscipit, fit irregularis. *Secundò*, qui ordinatur ab Episcopo excommunicato maiori excommunicatione, suspenso, vel interdicto, deposito, degradato, simoniaco hæretico, vel schismatico, si pro tali denuntiati sint, est irregularis, nisi illum ignorantia inuincibilis excuset. *Tertiò*, qui vno & eodem die recipit quatuor minores Ordines, & subdiaconatum (absque Episcopi dispensatione) vel duos Ordines maiores. *Quartò*, qui ab Episcopo qui loco, & dignitati renuntiauit, maioribus Ordinibus initiatur; secùs si minoribus, vel si tantùm loco Episcopus renontiauerit. *Quintò*, qui facto aliquo Ordine initiatur ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel absque litteris dimissoriis. *Sextò*, qui furtiuè, id est, ignorante Episcopo, nec examinante, vel non approbante, ordinatus est. *Septimò*, quicumque per saltum siue scienter, siue ignoranter ordinatur, siue ex laico immediatè fit Presbyter. Quicumque ergo aliquo ex supradictis modis Ordines malè susceperit, secundùm communem Doctorum, propriè, & formaliter, ac directè est suspensus, & impropriè, & aliquo modo est irregularis, secundùm aliquos, quos Henriquez, & Sayrus *suprà citati* referunt; quorum opinionem sequutus Pontifex eximit à facultate Commissarij dispensationem ab hac irregularitate. Ita Rodriguez §.13. *num.* 5. Et sicut non potest Commissarius dispensare in hac irregularitate, ita nec vt talis possit Ordinem suum exercere; hæc enim duo coincidunt, & consequenter se habent. At Henriq *lib.* 7. *de indulgentiis,cap.*13.*num.*5. tenet, non prohiberi Commissario dispensare cum eo,qui sacris initiatur per saltum, aut absque litteris dimissoriis, aut extra tempora, aut cum eo qui iam impleuit ætatem ante quam ordinatus fuerat, quia isti (iii) tantùm suspensi sunt. Cui sententiæ non repugno: nam non constat apertè in his casibus præter suspensionem incurri irregularitatem; at commune axioma est: *Nemo censendus irregularis, nisi expressè habeatur in iure.* Quare diligenter expendendi sunt casus,in quibus ob malam Ordinum susceptionem, præter suspensionem, contrahitur irregularitas, & distinguendi ab iis, in quibus non inducitur: nam solùm excipitur in hoc casu irregularitas ex mala Ordinum susceptione, de quibus vide Sayrum,& Henriquez *locu citatis*. Hoc tamen pro certo habeo,posse Commissarium dispensare in irregularitate quam ij contrahunt de nouo violando dictam suspensionem in actu Ordinis; quia hæc procedit ex violatione censuræ, quæ, vt dictum est hoc dub. *num* 12. non est excepta à facultate Commissarij. Obiter aduerte excommunicatum, vel suspensum Ordines sacros suscipientem esse valdè probabile non effici ex eo irregularem, consequenter non egere dispensatione. Diana cum Suarez *tom.*5.*disp.*42.*sect.*3.*n.*2. & Filliuc. *tom.*1.*tract.*20 *n.*7. *num.* 192.& aliis.

* * *

DVB. III.

An Commissarius Cruciatæ possit reualidare titulum beneficij malè accepti,& fructuum compositionem facere.

1 Dico primò. Commissarius Cruciatæ non potest reualidare titulum beneficij simoniacè accepti, nec eius compositionem facere. Patet ex Bulla: nam Pontifex in facultate hac, qua concedit commissario, & dispensare, & compositionem facere super quibusdam irregularitatibus, modo explicato, cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, expressè excipit irregularitatem ex simonia, homicidio voluntario, apostasia, & hæresi. Vnde si quis existens irregularis ex eo quòd commisit simoniam in Ordine,accipiat beneficium, sicut Commissarius non potest hanc irregularitatem tollere, ita nec reualidare titulum beneficij sic accepti: sic similiter, si quis simoniacè beneficium accepit, ratione cuius fit inhabilis ad idem beneficium, sicut non potest Commissarius tollere hanc inhabilitatem, ita nec beneficij titulum reualidare. Eodem igitur modò,si quis existens irregularis, eo quòd homicidium voluntarium, hæresim, aut apostasiam perpetrauit, beneficium acquirat, sicut non potest Commissarius dispensare in irregularitate, ita nec in beneficij retentione, seu eiusdem tituli reualidatione. Ita Rodriguez *in addit. ad* §.13 *n.*9. & Villalobos *tract.*17. *clauf.*13.*num.*10.

2 Dico secundò. Potest Commissarius reualidare titulum beneficij, seu potiùs dispensare, vt idem beneficium retineat ille, qui illud accepit existens irregularis, ex eo quòd excommunicationem, suspensionem, aut interdictum violauit in actu Ordinis, similiter poterit, iuxta taxam compositionem facere circa fructus ex tali beneficio malè acceptos, infamiam,& inhabilitatem inde ortam abolere, & Ordinum executionem concedere, quamuis delictum sit publicum, & in foro externo, vt *dub sup.* dictum est. Constat apertè ex Bulla: nam postquam Pontifex concessit Commissario facultatem dispensandi in supradictis irregularitatibus, quibusdam exceptis, addit: *Cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis exinde prouenientis, abolitione, & executione Ordinum non malè susceptorum*; ergo non solùm Commissarius poterit in supradictis irregularitatibus dispensare, sed etiam beneficij retentionem, & fructuum, compositione facta,concedere, etiam in foro externo. Ita Rodrig. *sup.*

§. IV.

AC (nullis datis litteris, seu per Confessores lacerates) cumbus, qui primo, & secundo affinitatis, ex fornicatione contracta, gradibus coniuncti, matrimonium contraxerunt: dummodo si post Concilium Tridentinum illius formam seruauerint, ac impedimenta huiusmodi penitus occulta sint; & alter contrahentium tempore contracto matrimonij impedimenti ignarus extiterit, vt altero, ita vt prædicitur, impedimentum ignorante, de nullitate prioris consensus priùs certificato,tacitaque si videbitur, ad euitanda scandala causa nullitatis, matrimonium inter

se etiam secretè de nouo contrahere possint, in foro conscientiæ dumtaxat, si ad euitanda grauia scandala dispensandum iudicauerit dispensare, prolemque susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernere, necnon etiam in superueniente simili affinitatis impedimento, similiter dispensare, vt debitum petere possint.

1 TRia concedit Pontifex Commissario in hoc §. *Primum*, vt matrimonio contracto possit dispensare in primo, vel secundo gradu affinitatis fornicariæ, certis tamen limitationibus seruatis. *Secundò*, vt prolem ex tali matrimonio susceptam legitimare possit. Et *tertium*, vt coniuges incestuosi debitum petere possint.

DVB. I.

Qualiter Commissarius Cruciatæ dispenset in affinitate ex copula fornicaria.

1 SVppono tanquam certum, vt constat ex isto §, quidquid sit de Bullis antiquis, modò tamen secundùm tenorem Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. prorogatæ à Paulo V. in nullo alio impedimento dirimente, vel impediente posse dispensare Commissarium, præterquam quòd in affinitate ex copula illicita, seu fornicaria. Constat ex illis verbis, *Qui primo, vel secundo affinitatis gradu ex fornicatione contracta coniunctè matrimonium contraxerunt.* Quòd autem impedimentum seu affinitas ex copula fornicaria solùm extendatur ad primum, & secundum gradum, ita vt in tertio, vel quarto, nec dirimat, nec impediat, cuiuscumque lineæ sit, vt communiter Doctores, in materia matrimonij ex Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 4. ideoque dicit Pontifex, in primo, vel secundo gradu.

2 Dico igitur, potest Commissarius dispensare in primo, vel secundo gradu affinitatis. Patet ex ipso §. & valet dispensatio, siue ille gradus sit in linea transuersali, siue in linea recta, vt docet Rodriguez §. 13. *num.* 6. *& in addit. ad* §. 13. *num.* 16. & Sanchez *lib.* 8 *de matrim. disp.* 6. *num.* 23. Et ratio est, quia, vt constat ex tenore Cruciatæ, concessio ei facta est absque distinctione, & vterque gradus est solo iure Pontificio inductus secundùm veriorem opinionem, de quo latè Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 66 *num* 6. Et cum eo Diana *tract.* 11. *resol.* 117.

3 Dico secundò, vt validè possit in hoc impedimento Commissarius dispensare, tenetur obseruare conditiones, & limitationes sibi à Pontifice in hoc §. præscriptas, aliter non valebit dispensatio aliqua ex illis deficiente.

4 Prima conditio, vt matrimonium sit iam contractum. Vnde vt contrahant tali impedimento irretiti, non potest dispensare Commissarius, sed est ad Papam recurrendum. Patet ibi: *matrimonio contracto.*

5 Secunda, vt matrimonium sit contractum bona fide, saltem ex parte alterius. Patet, ibi: *Et alter contrahentium tempore contracti matrimonij impedimenti ignarus extiterit.* Vnde si vtroque coniuge huius impedimenti conscio matrimonium contractum sit, iam non potest Commissarius dispensare: bene tamen si altero ignorante, quamuis postea impedimenti conscius fuerit: quia sufficit vt alter tempore contractus ignorauerit, quod apertè insinuat illud verbum *extiterit.*

6 Tertia est, vt tale matrimonium contractum sit seruata Trident. forma, nimirum, vt non tantùm sit seruata forma substantialis matrimonij: nempe vt contractum sit coram Parocho, & testibus, sed etiam vt præmissæ fuerint denuntiationes: vnde si hæ culpabiliter omissæ essent, non posset Commissarius dispensare, vt benè Sanchez *disp* 6. *cit. n.* 22. *lib.* 8. *de matrim.* Villalobos *p.* 1. *tractat.* 27. *clausf.* 13. *num.* 14. & Diana *tractat.* 11. *resol.* 117. quia mens Pontificis non est iniquitati fauere, & perpetuæ contrahentium audaciæ, dum contemnunt solemnitates denuntiationum; & in hoc casu decernit Trident. *sess.* 24. *cap.* 5. vt spe dispensationis obtinendæ perpetuò carere debeant; atque adeo tunc minimè poterit Commissarius dispensare. Secus autem esset, si ignoranter contractum sit matrimonium, & bona fide, aut ex Ordinarij licentia denuntiationes omissæ fuerint; quia tunc illæ non negliguntur, nec temerè contemnuntur, quod petit Concilium, vt contrahentes illi careant specie dispensationis. Vide Sanchez *lib.* 2. *de matrim disp* 40. *num.* 4.

7 Quarta est, vt hoc matrimonij impedimentum sit occultum. patet ibi, *Et impedimenta huiusmodi matrimonij penitus occulta sunt.* Sumitur autem hic *occultum*, vt distinguitur contra publicum, eo modo quo sumitur à Trident. *sess.* 24 *cap.* 6. *de reformatione*, de quo *sup* §. 7. *c.* 2. *dub.* 7. Villalobos *tract.* 27. *clausf.* 13 *num.* 15. & Diana *tract.* 11. *resol.* 118. vnde infert, & benè Rodriguez §. 3. *num.* 6. si impedimentum sit deductum ad forum externum, nisi fortè absolutus in eo foro fuerit reus, Villalobos *suprà* seu tam publicum, quòd sequeretur scandalum, si coniuges contraherent matrimonium sine legitima Papæ dispensatione, non posse Commissarium dispensare, quare huiusmodi dispensatio non est facienda publice. Vnde si post impetratam dispensationem à Commissario publicetur impedimentum istud, petenda est à Papa ratificatio huiusmodi dispensationis. At ipse Commissarius, (ait Rodriguez) qui fuit causa publicationis impedimẽti, tenetur pro ipsis curare dispensationem. nam qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Aduertit Villalobos *suprà num.* 19. si timeatur publicandum impedimentum, ad euitanda incommoda curent de nouo coram Parocho & testibus contrahere, aut alio Sacerdote de licentia Parochi, aut Ordinatij, quam (inquit) ipsi in hoc casu dare tenentur.

8 Quinta est, vt coniuux qui ignorauit impedimentum, certior fiat de prioris consensus, seu matrimonij nullitate, ita vt vtrique constet matrimonium esse nullum, & indigere nouo contractu, & reualidatione, non tamen postulat Pontifex, vt causa nullitatis in particulari exprimatur, vt vitentur scandala, sufficit enim quòd in communi nullitas constat. patet ibi: *Altero impedimentum ignorant e de nullitate prioris consensus prius certificato, tacitèque, si sibi videbitur, causa nullitatis ad euitanda scandala.* At si ignarus, adhuc in generali non potest moneri de impedimento, quia forsan deueniet in cognitionem impedimenti, & sequeretur infamia, aut scandalum, non posset tunc Commissarius in hoc impedimento dispensare; quia Commissarius non potest dispensare nisi saltem in communi, detecta prioris matrimonij nullitate: vt patet ex Bulla *loco suprà citato* & docent Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. disput.* 40. *num* 8. *& lib.* 8. *disp.* 6. *num.* 23 & Rodriguez §. 53. *num* 6. *& in addit. ad* §. 9. *num.* 14. Villalobos *par.* 1 *tract.* 27. *clausf.* 13. *num.* 18.

*num.*18. Dians *tract.*11. *resol.*119.& Ludou.à Cruce *in exposit. Bull.disp.*1.*cap.*9. *dub.*8. *num.*6. Vnde in hoc casu si contrahentes sunt pauperes, aut adest periculum in mora, aut grauis aliqua causa infamiæ, aut scandali posset Episcopus dispensare: quia, vt multi Doctores docent, potest Episcopus in tali vrgente necessitate dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus, eo iam contracto, tacita causa nullitatis ex iusta causa, de quo vide Sanchez *lib.*2. *de matrim. disp.*36. Obiter aduerte, quando vxor non potest manifestare impedimentum, optimum consilium est, vt dicat marito se non habuisse liberum consensum ad contrahendum necessarium, se séque angi, & vexari scrupulis, proinde velim de nouo contrahere, Villalob.*sup.n.*18.

9 Sexta est, quòd ex dissolutione matrimonij sequatur scandalum, quod communiter sequi præsumendum est ex reuelatione criminis occulti, patet ibi: *Si ad euitanda grauia scandala dispensandum iudicauerit.*

10 Vltima est, quòd hæc dispensatio solùm valeat pro solo conscientiæ foro, patet ibi; *In foro conscientia dumtaxat.* Ex quo infert Sanchez *lib.*8. *de matrim.disp.*6.*num* 27. cùm hæc dispensatio solùm sit pro conscientiæ foro concessa, (idem dic de Episcopo) non esse faciendam publicè cum notario, & testibus; nec explicari debent nomina eorum, cum quibus dispensatur, ne impedimentum fiat publicum; sed tacitis eorum nominibus, debent expediri litteræ, vt expediuntur litteræ in sacra Pœnitentiaria pro solo conscientiæ foro concessæ, vel absque litteris debet intimari dispensatio confessario; vel partibus ea indulgentibus. Ita etiam Rodrig.§.13.*num.*6.

11 Hinc colligo cum Sanch. *lib.*8. *de matrimon. disp.*6.*n.*24.*&* 25. facultatem hanc Commissarij esse quodammodo ampliorem ea facultate quæ conceditur Episcopis circa dispensationem impedimentorum matrimonij, (de qua latè Sanchez *lib.*2. *disp.* 40. *per tot.*) ratione vrgentis necessitatis, & quodammodo esse restrictiorem: nam est amplior quoad hoc, quia Episcopus nequit dispensare quoties est recursus ad Pontificem, vel ad Nuntium, vel ad quemcumque alium, qui habet à Papa facultatem dispensandi, vt cum aliis tenet Sanchez *lib.*2. *cit. disp.*40.*num.*8. quamuis contrarium sit probabilissimum, & tutissimum, vt tenet Henriquez *lib.* 2. *de matrim.cap.*3. *num.*1. nam iura solùm ad Pontificem videntur expresse obligare. At Commissarius potest etiam si Pontifex esset præsens, quia hæc limitatio in eius concessione non adhibetur. Est autem strictior quoad hoc, nimirum quod Commissarius in solo impedimento affinitatis ex copula fornicaria potest dispensare, & nunquam ante matrimonium initum, & coniuge altero certiore facto de prioris nullitate consensus; at Episcopus potest in omnibus impedimentis iure Pontificio dirimentibus, & aliquando etiam ante initum matrimonium, quando videlicet id vrgentissima necessitas postularet: vt existimat Sanchez *disput.*40.*n.*7. tum etiam, quia non est certum (imò contrarium est probabile) vt dispenset Episcopus desiderati alterum coniugem certiorem fieri de prioris matrimonij nullitate, vt latè idem Sanchez *lib.*2. *disp.*36. vide Henriq. *lib.*2. *de matrimon.cap.*3.

***

Dvb. II.

Qualiter possit Commissarius prolem ex matrimonio irrito legitimare.

1 Concedit Pontifex in præsenti §. Commissario, non solùm vt possit dispensare in matrimonio irrito propter impedimentum affinitatis fornicariæ, sed etiam vt prolem ex eo tantùm matrimonio irrito, & nullo habitam legitimare, patet ibi: *Prolémque susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernere.* Ex quo constat solùm posse legitimare prolem ex illo matrimonio irrito habitam, in quo poterat ipse dispensare, vt indicat illud verbum *exinde*, eamque legitimationem solùm prodesse pro solo conscientiæ foro, faciendámque esse secretò, eo modo, quo dictum est de dispensatione affinitatis fornicatæ, *dub.sup.*

2 Prodest autem hæc legitimatio à Commissario facta in foro conscientiæ, quoad omnes Ordines, & ad quæuis beneficia, quia absolutè conceditur ei potestas legitimandi. Imò sic legitimatus potest succedere in bona temporalia, vt docet Henriquez *lib.*7. *de indulgent.cap.*13. *num.* 5 Quod vltimum non admittit Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*6.*num.*2. virtute legitimationis factæ à Commissario, benè verò ex alio capite, nempe, quia est verè legitima, eo quòd habita est ex matrimonio, quamuis irrito, adsuit tamen bona fides, saltem ex parte alterius; vnde in hoc casu erit proles legitima (ait Sanchez) quoad vtrumque forum, & in omnibus, *cap. ex tenore, qui filij sint legitimi.* Quare in hoc casu Commissarius nihil aliud facit, quàm declarare prolem susceptam esse legitimam ratione bonæ fidei, similiter, & suscipiendam, quia orietur iam ex vero matrimonio; & in hoc euentu parum operatur hoc priuilegium. Potest tamen operari verè, & propriè, si postquam vterque contrahens nouit impedimentum, concepta, & nata sit proles ante huiusmodi matrimonij dispensationem, quàm potest legitimare pro foro conscientiæ solo, eo quòd verè initum fuit matrimonium, cum bona alterius fide, vt supponimus; quæ legitimatio erit tantùm quoad res spirituales, vt ait Sanchez *sup.* & cum eo Villalobos *tractat.* 17. *clausf.* 13. *num.* 12. Sed verius existimo cum Henriquez esse etiam quoad temporalia, eo quòd absolutè sit concessa.

3 Nota tamen non posse Commissarium prolem modo dicto legitimare, nisi simul dispensando in matrimonio, vt de nouo ineatur. Vnde si alter parens obiit, vel si iam nolunt contrahere, non potest prolem susceptam legitimare; quia Pontifex accessoriè, & quasi dependenter concedit hanc facultatem legitimandi à facultate dispensandi in tali matrimonio irrito, ineundo tamen, & de nouo contrahendo, vt patet ex isto §. nam postquam concessit facultatem dispensandi in tali matrimonio irrito, addit, *& prolem exinde susceptam*, & *suscipiendam legitimare.* Vnde ad huiusmodi legitimationem requiritur quòd in matrimonio dispensetur, & quòd denuo ineatur, aliter legitimatio inualida erit, Villalobos *sup.num.*13. At si Episcopus dispensaret in eo matrimonio casu quo potest, vel alius Commissarius Cruciatæ, nec eam prolem legitimasset, posset subsequens Commissarius legitimare illã prolem, subsequuto tamen inter illos parentes

vero

vero matrimonio; quia cum sit diuersa potestas à dispensatione, potest per diuersos exerceri, dummodo id matrimonium meatur, in cuius fauorem ea concessio facta est. Ita Sanchez *disputat. 6. cit. num. 26.*

D V B. III.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare ad petendum debitum cum coniuge cui id interdicitur ratione affinitatis, vel cognitionis contractæ cum altero coniuge.

1 CErtum est posse Commissarium dispensare, vt coniuges petant debitum, quando erant impediti ratione affinitatis fornicariæ, legitimo matrimonio superuenientis, verbi gratia si alter coniunx cognouit consanguineam alterius coniugis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis; nam ex ea copula fit affinis cum suo coniuge, & ratione illius impeditur à debiti petitione; quæ affinitas post Trident. *sess.24.cap 4. de reformatione*, & declarationem Pij Quinti, in constitutione, quæ incipit, *Ad Romanum*, anno 1566. *tom. 2. pag.* 594. non extenditur vltra secundum gradum, ac proinde extra illum non impedit debiti petitionem. Hæc omnia constant apertè ex Bulla in hoc §. ibi: *Nec non etiam in superuenienti simili affinitatis impedimento similiter dispensare, vt debitum petere possint*; dixerat enim antea de primo, vel secundo gradu affinitatis fornicariæ; ergo nunc de eodem loquitur. Vide Rodriguez §.13 *num.7.&* §.13. *addit. num.*16. Quo modo contrahatur affinitas, vide Sanch. *lib.7.disp* 44.*tom.*2.

2 Difficultas tamen est, an possit quoque Commissarius dispensare quando impedimentum consurgit ex cognatione spirituali, v. g. cùm mulier, vel vir extra articulum necessitatis proprium filium baptizauit. Affirmat Rodriguez §.13. *num. 16. addit.*1. quem sequitur Villalobos *tract.*27. *clausf.*13. *num.*21. quia potest Episcopus; ergo & commissarius. *Secundò*, qui potest maius, potest & minus, quando facultas versatur circa idem; sed Commissarius potest dispensare ad petendum debitum, quando prouenit impedimentum ex vera affinitate carnali; ergo multo magis quando prouenit ex affinitate spirituali. Opposita tamen sententia videtur verior, quam tenet Sanchez *lib.8 de matrim. disp.* 55. *num.*13. Ratio est, quia cùm huiusmodi impedimenta sint diuersæ rationis, neque in verbis vnius concessionis possit alterum comprehendi, non potest concessio vnius ad alterum protrahi; nam potestas dispensandi licèt sit fauorabilis, & extendenda, non tamen potest protrahi ad casus qui sub concessionis verbis nequeunt comprehendi, vt latè probat Sanchez *lib.*8. *disput.*2. *num.*2. Et confirmatur, quia quoties facultas est ex priuilegio, vel mandato, formaliter debet intelligi, & non extendi ad diuersa obiecta, quorum vnum non clauditur in alio: nam aliàs etiam posset Commissarius dispensare, vt coniunx qui post matrimonium vouit castitatem, petat debitum; quod tamen est falsum: non ergo ex eo quòd detur facultas dispensandi ad vnum, datur etiam ad aliud. Præterea, si alicui daretur ex priuilegio facultas dispensandi in secundo gradu consanguinitatis, talis facultas non extenderetur ad secundum gradum affinitatis. Et eodem modo si in nostra Bulla ex priuilegio daretur facultas dispensandi in aliqua irregularitate, non ideo posset dispensatio fieri in alia etiam minori, neque etiam ex eo quòd posses virtute illius priuilegij absoluere ab hæresi etiam externa, poteris absoluere à quocumque casu etiam minori Papæ reseruato.

3 Ad opposita respondeo. Ad *primùm* ex dictis in dubiis superioribus constare Commissarium non posse quidquid potest Episcopus: est enim amplior Episcopi facultas, quàm Commissarij in multis. Ad *secundum* dico, illam regulam iuris solùm habere locum quando id quod minus est, continetur sub maiori tanquam pars in toto; at in nostro casu non est ita, sed sunt diuersa impedimenta, diuerso modo, per diuersa iura ad matrimonium dirimendum.

4 Aduerte tamen, idem quod in hac debiti petitione potest Commissarius, posse etiam Episcopum, quamuis facilis sit aditus ad Pontificem, & hoc ex approbata consuetudine, communiter enim non ad Papam, sed Episcopum recurrit pro huiusmodi dispensatione, vt cum multis probat Sanchez *lib.8.disput.*12. *num.*13.& 14. Possunt etiam Religiosi Mendicantes per sua priuilegia dispensare, vt coniuges incestuosi petant debitum, de quo vide Sanchez *lib.8.de matrim.disp.*16. *num.*8. & Rodrig. § 9. *num.*143. & § 13.*num.*7. qui *in addit. ad* §.13. *num.*17. extendit hoc priuilegium, ita vt Regulares mendicantes possint virtute suorum priuilegiorum dispensare ad petendum debitum, cum coniugibus qui specialem cognationem contraxerunt, sicut extendi facultatem Commissarij ad dispensandum in dictis coniugibus; at quia dictum est non extendi facultatem Commissarij ad dispensandum in cognatione spirituali, ita similiter dicendum est de Religiosis, ita Sanchez *lib. 8. de matrimonio disput.*15.*num.*13. & *disput.*16.*num.*9. Habent etiam Religiosi priuilegia dispensandi ad debitum petendum cum his qui ante matrimonium, tum etiam & post matrimonium castitatem vouerant, in omnibus scilicet casibus, in quibus Episcopus in hoc dispensare potest, quos refert Sanchez *lib.8.de matrim.disputat.*11.*à num.*4. vide eundem *disp.*16.*num.*3.4.5. & 6. vbi de hoc priuilegio Religiosorum tractat. Quomodo incestuosus impediatur à debiti petitione, Sanch. *lib.*9. *disput.* 27.*tom.*3.

§. V.

ITem etiam conceditur facultas dicto Commissario, quod personis notabilibus, & quæ iuxta ipsius Commissarij arbitrium qualificata fuerint, vt Missas per horam ante lucem, & post meridiem audire, & celebrare facere valeant, indulgere possit.

1 SImile priuilegium concedit Pontifex in initio Bullæ in priuilegio celebrandi, & assistendi diuinis tempore interdicti. ibi: *Item conceditur omnibus, &c. & qui facultatem ad id à Commissario generali habuerint, etiam per horam antequam illucescat dies, & per horam post meridiem, in sua, ac familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum suorum presentia, Missas, & alia diuina officia per seipsos, si presbyteri fuerint, celebrare,*

vel per alium celebrare facere , & tempore interdicti diuinis interesse. Quæ duo priuilegia in hoc quod est posse celebrare per vnam horam ante lucem , & per horam post meridiem , coincidunt,& sunt vnum & idem. Insinuat apertè Pontifex in primo priuilegio , dum dicit , *& qui facultatem ad id à Commissario habuerint , vt per horam*,&c.Cùm antea dixisset. *item concedit omnibus, qui nec ibunt,nec mittent,si de bonis*,&c. Quasi diceret , priuilegium assistendi diuinis , vel celebrandi tempore interdicti , omnibus Bullam habentibus conceditur:celebrare autem per horam ante lucem, non omnibus habentibus Bullam , sed iis tantùm, qui facultatem habuerint specialem à Commissario, cùm limitatione sibi præscripta. Conditio autem requisita à Pontifice est, quod persona cui conceditur hæc facultas , sit nobilis , aut iuxta arbitrium ipsius Commissarij qualificata:quare nō oportet, vt sit nobilis secundùm rei veritatem , sed vel aliàs vt tales se gerant,vt dicit Lod. *in exposit. Bull. disp. 1. c.9.dub.vlt.n* 9.qua conditione obseruata,poterit talis persona ex dicta facultate celebrare,vel celebrari facere, non solùm in Ecclesiis, sed etiam in Oratoriis, etiam tempore interdicti per horam ante lucem , & per horam post meridiem , vt habetur expresè in priuilegio assistendi diuinis , vel ea celebrandi tempore interdicti , quam licentiam poterit concedere Commissarius Sacerdoti vino nobili, vt ipse per se celebret Missam per horam , &c. Nam quamuis in hoc vltimo priuilegio tantùm dicatur, vt possit Commissarius dare licentiam viris nobilibus,vt per horam ante lucem Missam audire,& celebrari facere valeant : at in primo priuilegio non solùm conceditur,vt tempore interdicti,qui habent facultatem à Commissario,possint celebrari facere per horam , &c. sed etiam vt ipsi , si Presbyteri sint possint de licentia Commissarij per horam,&c. celebrare ; cùm ergo hæc duo priuilegia coincidant, dispositum in vno , censetur in altero dispositum. Villalobos *tractat.17.clauf.13.num.21.* Potest etiam confirmari , quia , vt docet Rodriguez *in addit. ad §.13. num.*19 iuxta iuris communis dispositionem, qui potest dare facultatem aliis , potest dare facultatem sibi : & qui potest dispensare eum alia , potest etiam secum dispensare : ergo qui potest ex potestate Commissarij facere celebrari Missam ante lucem , poterit etiam ipse , si aliàs est Sacerdos, per se illam celebrare. Quod habetur expresè in edicto Commissarij , iis verbis : *Puede el Commissario general dispensar con los nobles , y otras personas que le parecieren de calidad , para que puedan celebrar , ò hazer dezirmissa , vna hora antes de la luz , y otra despues de medio dia , aunque sea en oratorio priuado en tiempo de entredicho , con sus familiares , domesticos , y parientes*, quibus verbis complexus est Commissarius summam vtriusque priuilegij. Vide Alphonsum Perez *in libr. trium gratiarum , lib. 1. pag.* 59.

3 Superest videamus quid intelligatur per horam ante lucem , & per horam post meridiem.

Quoad primum,supponendum est com communi doctrina,regulariter loquendo,nemini licere ante auroram Missam inchoare, sed incipiente aurora Missam celebrandam esse,vt docet D. Thomas *3. p. q.83 art 2.ad 4.& in 4 d.13.q.1.art.1.& ibi* Doctores,& Summistæ *verbo Missa*. Patet ex consuetudine Ecclesiæ,& regulis Missalis. Nomine autem auroræ intelligendum est initium crepusculi diei , seu prima lucis irradiatio. Vnde ait, Gabriel *lectio.14. in canonem Missæ*, licet celebrare,vel Missam inchoare vna hora,& quarta parte alterius ante ortum Solis. At quia res morales non possunt ita mathematicè definiri , quia crepusculum diei non semper est æquale, existimat Suarez *tom.3.in 3.p.q. 83. art. 2. disp* 80 *sect.4. v.Secundò inquam*,non esse peccatum inchoare Missam vna hora & dimidia ante ortum Solis Et Victoria *in Summa num* 97.ait Missam inchoari posse dimidia hora ante crepusculum, ita vt finis Missæ sit sub initium crepusculi,plus minusue, & hoc,ait Suarez, est in praxi seruandum, & pluribus allegatis tenet Barbos.*de iure vniuerso lib.1.c.11. n.15.* Dixi,*regulariter loquendo*;nam ex causa potest hoc tempus anticipari. *Primò*, Sacerdos iter facturus.*Secundò*,vt operarij ad laborem profecturi Missam audiant. *Tertiò*, ad communicandum infirmum morti proximum,quæ licent sine licentia Episcopi; si absens sit. *Quartò*, nocte Natiuitatis. Et *Quintò*, ex dispensatione Episcopi de quibus vide Ledesm. *in Summa tractat. de Eucharist. capit. 19. conclus.8.& 9.*

4 Hoc posito,potest Commissarius dare facultatem celebrandi sacrum per horam ante lucem , id est,ante primam lucis irradiationem , quæ nomine auroræ intelligitur,vt dictum est. Constat id apertè ex ipsa Bulla Latina.Est tamen aduertendum,huiusmodi priuilegium , seu facultatem esse intelligendam secundum anticipationem totius temporis, in quo sine priuilegio potest Missa inchoari : atque adeò cùm eiusmodi Commissarij priuilegium concedat vnius horæ anticipationem , poterit Missam inchoari per duas horas,& quartam, aut dimidiam partem vnius,ante ortum Solis Ratio est,quia aliàs priuilegium nihil operaretur , quòd autem debet operari quantum sonat , vide Rodriguez *in addit. ad §* 13. *num.*18.

5 Quoad secundùm suppono , Missam non posse (communiter loquendo) inchoari post meridiem, sed ante meridiem;sed sufficit quòd inchoetur ante meridiem , quamuis postea post meridiem finiatur. Ita communiter Doctores, quos citat & sequitur Suarez *tom.3.in 3.p.disp.80.sect.4. vers. Dico secundò*.Et potest confirmari ex rubricis Missalis , vbi dicitur, Missas priuatas dicendas esse ab aurora vsque ad meridiem ; & ex communi consuetudine , quæ vim legis obtinet. Dixi,*communiter*, quia in aliquibus casibus licet Missam post meridiem inchoare. *Primò*, quando Missa conuentualis propter solemnitatem finitur post meridiem , & aliquis clericus non celebrauit , & sunt aliqui qui nondum Missam audierunt , poterit, inchoare Missam vna hora , & non amplius post meridiem. *Secundò*, quando in die colendo Sacerdos iter faciens non habuit commoditatem celebrandi ante meridiem, poterit post meridiem per vnam horam celebrare. *Tertiò*,ex Episcopi dispensatione,qui etsi non possit generale priuilegium in hac re concedere , potest tamen ex iusta causa in temporis anticipatione, vel prorogatione dispensare de quibus vide Ledesm. *supr conclus.* 10.

6 His positis , constat apertè dubij secundi intelligentia. Potest igitur Commissarius concedere facultatem nobilibus , &c. vt possit Missa inchoari per vnam integram horam post meridiem. patet ex ipsa Bulla Latina.

7 Obiter nota, Alphonsum Perez *in lib. trium gratiarum fol.*59.vbi agit de facultate Commissarij, ita habere : *El Commissario general tiene facultad de dar licencia para dezir Missa en pratorio particular, siendo primero visitado por el Ordinario , y en Altar portatil.* Quæ quidem facultas non continetur saltem expresè in Bulla Latina. Attamen si Commissarius generalis vtitur hac facultate , credendum

dendum est id posse: nam, vt refert idem Alphonsus Perez *ibi suprà pag.* 60. credendum est Commissarij simplici assertioni, absque eo quòd fidem faciat de literis suæ facultatis. Ita enim habet: *Al Comissario general se le ha de creer, diziendo, que tiene facultad para la concession que hiziere, sin inserir en ellas las letras de su comission y facultad, y en todas las cosas, y casos de las dichas concessiones haze fe su assercion como si las letras de sus facultades fueran insertas de verbo ad verbum.*

8 Alphonsus Perez *in compendio trium gratiarum, libr. 2. pag.* 60. docet Commissarium circa executionem contentorum in Bulla Cruciatæ, & circa difficultates quæ super clausulas Bullæ, aut eiusdem verba insurgunt, habere facultatem decidendi, declarandi, interpretandi quoties oportuerit, cui declarationi, & interpretationi standum est, non solum respectu priuatarum personarum, sed etiam quorumcumque iudicum, & auditorum Curiæ Apostolicæ, & Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quibos omnibus aufertur facultas aliter interpretandi, & declarandi, cum clausula, *Non obstantibus*, & *Irritante.*

9 Item conceditur facultas Commissario taxandi eleemosynam pro Bulla Cruciata. ibi: *Item conceditur facultas eidem Commissario*, &c. De qua taxa dictum est *sup.* §. 3. *dub.* 1.

10 Conceditur etiam Commissario generali facultas vertendi Bullam Latinam in linguam vulgatem, seruata tamen illius substantia, vt habetur in Bulla. ibi. *Cæterum vt omnibus pateſiat, hoc præsens summarium de Latino idiomate in vulgari lingua iuxta ritus Prouinciarum, vbi publicatio facienda erit, non mutata illius substantia, ac præmisso aliquo conuenienti, ac pro præsentium temporum conditione, idoneo proæmio conuenienti, illudque de eiusdem Commissarij mandato simul, vel ad partem, additis etiam nominatim pro singulorum notitia diebus stationum totius anni, intra, & extra muros huius almæ Vrbis, ipsorum Commissarij, & deputandorum arbitrio imprimi.*

11 Nota, proœmium quod apponitur initio Bullæ Hispanæ, tum etiam summarium indulgentiarum stationum Romæ, apponi à Commissario auctoritate Apostolica, quæ ei conceditur, dum datur facultas vertendi Bullam cum summario indulgentiarum, vt patet ex concessione supradicta.

12 Demum Alphonsus Perez *libr.* 1. *fol.* 61 & 62. refert aliqua priuilegia particularia, quæ Pius IV. & Paulus III. Commissario generali Cruciatæ concesserunt Motuproprio. Vide eundem Alphonsum ibi. An autem sint in vsu, consule ipsum Commissarium.

LIBER TERTIVS DE BVLLA COMPOSITIONIS.

1 SVMMVS Pontifex in Bulla Latina Cruciatæ concedit facultatem Commissario generali Cruciatæ, vt possit compositionem facere super malè ablatis, & certis legatis, data aliqua eleemosyna, ad arbitrium ipsius Commissarij in belli subsidium. Cui facultati innixus ipse Commissarius, in Bulla Hispana, quæ vulgò *Compositionis* nuncupatur, casus in quibus talis compositio locum habet, assignat, quos ex Bulla Latina desumpsit, ex illis verbis.

Ac super illicitè habitis, necnon super medietate legatorum omnium, quæ propter malè ablata facta sunt, si legatarij per annum in exactione negligentes fuerint, ac super illis, quæ facta erunt, & quæ dicto anno durante fient, si legatarij inueniri non poterant. Necnon super malè ablatis, & per vsurariam prauitatem, aut aliter malè acquisitis: si in omnibus præmissis casibus (præterquam dicta annalis negligentia) personæ quibus restitutio, seu solutio facienda est, præstito per restituentem iuramento de diligentia per eum facta pro inueniendo legatario, seu creditore, & minime inuento non reperiantur, componere, & ita debitores liberari possint. Et infrà. *Item etiam datur facultas eidem Commissario componendi cum eis qui ad restitutionem fructuum ex omissione horarum canonicarum tenentur, ita vt quantitas compositionis, pro medietate Ecclesiis, vel aliis locis, quarum, vel quorum ratione horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in subuentionem huius negotij detur.*

Ex quibus Commissarius maioris claritatis gratia Bullam compositionis ordinauit, assignatis casibus in quibus dicta compositio locum habeat, quos explicaturi sumus. Præmittendo tamen ante eorum explicationem aliqua communia, & necessaria. De Bulla Compositionis vide Syluest. *restit.* 8. *quæst.* 8. Sotum *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 3. & *in* 4 *d.* 21. *q.* 2 *art.* 4. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 93. Couarr. *reg. peccatum, part.* 3. § 1. *num.* 3. Bannez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *dub.* 8. Petr. Nauarr. *lib.* 4. *de restitutione, cap.* 2. *n.* 62. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 138. & 139. Sayrum *in claui Regia, libr.* 10. *tractat.* 2. *cap.* 3. *num.* 22. & 23. Rodriguez §. *vnico*. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent cap.* 33. *vsque ad* 37. & nouissimè Villalubos *tractat.* 29.

DVB. I.

Qui possit Bullam Compositionis concedere.

1 SVppone, bona incerta, super quibus tantum potest cadere compositio, vt tufià, aut esse

iustè habita, vt sunt res inuentæ, & res alienæ bona fide acceptæ; aut iniustè, vt si per vsuras, aut alia via iniusta habeantur.

2 Dico primò. Summus Pontifex potest concedere Bullam Compositionis super bonis incertis, siue iustè, siue iniustè habitis. Est communis Doctorum sententia, quos refert Sayrus *in Claui Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 23. & Villalobos *tract.* 29. *à n.* 2. Ratio est, quia, vt docet S.Thom. 2.2 *q.* 100. & *ibi* Caietan. ad Papam spectat consulere conscientiis subditorum, & habet plenissimam potestatem, quando de salute spirituali animarum agitur, super personas, & bona temporalia; ergo potest bona incerta per Bullæ Compositionem consulendo saluti animarum, remittere. Et confirmatur, quia Summus Pontifex habet facultatem disponendi de bonis temporalibus in quantum concernunt ad bonum spirituale animarum, quarum est supremus pastor; sed quòd bona incerta, (præsertim illicitè habita) facta compositione dentur possessoribus, pertinet ad bonum spirituale; non solùm eorum qui componuntur, ne scilicet restitutionem negligentes damnentur; sed etiam in beneficium totius Ecclesiæ, eo quòd pecunia data pro compositione, iuuat vt ipsa Ecclesia ab infidelibus defendatur. Et *tertiò*, quia, vt docet Caiet. 2.2. *quæst.* 100. *art.* 1. Papa habet administrationem generalem omnium quæ debentur pauperibus, & ita bona incerta ipsis debita potest in alia pia opera conuertere compositione, seu condonatione facta. Denique confirmatur ex praxi Summorum Pontificum, quæ videtur ab Alexand. VI. dimanasse, vt docet Henriq. *cap.* 33. *num.* 5. *de indulgentiis*. Ex quo sequitur manere tutum in conscientia eum qui tali vtitur compositione, Villalobos *suprà num.* 3. Et patet ex dictis, & latè prosequitur, & probat Ludouic. à Cruce *in expositon. Bullæ, disp.* 3 *dub.* 1. vbi hoc tenet tanquam certissimum, & bene quidem, aliter enim dici posset in hoc vsu, & praxi errare Pontifices, quod, ait, absurdissimum esset, & periculosum in fide.

3 Dico secundò. Probabilius est Episcopum posse concedere Bullam compositionis pro sua tantùm diœcesi, vt docet Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 33. *num* 4. contra Rodriguez §. *vnico, de Bulla Compositionis, num.* 6. nobiscum tamen sentit Villalobos *tract.* 29. *num.* 11. quia, vt ait Henriquez, nec iure naturali, nec humano probatur id esse reseruatum Papæ, iustè enim credi potest voluntatem creditorum esse, vt Episcopus consulat conscientiis subditorum incerta debentium. Quòd si dicas, non esse id positum in consuetudine. Respondeo, fortè id ex eo esse, quia Pontifex concedit Bullam Compositionis, qua sufficienter prouidetur in hac re conscientiis fidelium. Vnde si aliud consuetudine introductum est, licitè absque dubio possent Episcopi facere huiusmodi compositiones, vt etiam tenet Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ, disput.* 3. *dub.* 2. *num.* 4. & si existimet posse de iure diuino Episcopos has compositiones facere sicut indulgentias concedere, de iure tamen Ecclesiastico esse ipsis prohibitum (nisi aliud consuetudine sit introductum) quia, inquit, bona incerta de iure Canonico (pauperibus sunt distribuenda; at hoc non tollit, quin possint in alia opera pia ex dispositione Prælatorum conuerti.

4 Dico tertiò. Rex, aut Respub. posset compositionem facere de bonis incertis licitè acquisitis. Ita Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 33. *num* 3. & sentit Rodriguez §. *vnico, dub.* 5. *num* 7. nam iure gentium Respub. succedit loco domini incerti, & Rex, qui est caput eius, potest remittere ista bona incerta ei qui ea inueoit, vel cum eo compositionem facere. Sic in Hispania lege cautum est, vt res inuentæ viuentes, quæ dicuntur bona *mostrenca*, applicentur vrbi, aut certæ religioni. Vnde apud Gentiles Respub. aut Rex posset etiam facere istam compositionem. At si bona incerta sint iniustè acquisita, Princeps etiam Christianus non posset facere compositionem, vt docet Rodriguez *suprà* citatus, Sotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 4. Et ratio est, quia ad conscientiam spectant, ad quam non se extendit potestas ciuilis. Oppositum tenet Henriquez *suprà*, propter eandem rationem, quæ eodem modo militare dicit in iis bonis. Attamen Princeps sæcularis circa bona incerta illicitè habita non solent (& bene quidem) facere compositionem; quia cùm hoc ad exonerationem conscientiæ fidelium pertineat, videtur accedere ad claues Ecclesiæ, & ad potestatem spiritualem: quod tanquam probabilius, & verius admitto. Et tenet Villalobos *tract.* 29. *num.* 10. & Ludou. *sup. dub.* 3. *num.* 4.

5 Dico quartò. Generalis Cruciatæ Commissarius facultate sibi à Papa in Bulla concessa, potest incertorum bonorum compositionem concedere, vt constat apertè ex § *Bulla suprà cit.* vbi Pontifex non solum concedit ei dictam facultatem, sed etiam vt possint designare quantitatem pro qua sit facienda compositio.

6 Dico quintò. Virtute Bullæ nullus alius, præter Commissarium, potest facere compositionem, quod prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt constat ex vltimo §. Bullæ Compositionis Hispaniæ, aliàs enim compositio irrita erit. Possunt tamen Confessarij declarare casus aliquos, præter in Bulla Compositionis assignatos, in quibus incertorum compositio fieri possit, vt patet ex vltimis verbis Bullæ Compositionis. ibi: *En los casos y cosas que aqui particularmente no van expressados, atento que la faculta y commission à nos dada y concedida por su Santidad es general, y comprehende otras mas cosas en que se puede hazer la dicha Composicion, lo remitimos à aluedrio de los Confessores, para que ellos, como medicos espirituales digan y declaren à sus penitentes de todo lo que en virtud desta Bula, y facultad Apostolica se podran componer para el descargo y satisfacion de sus animas y conciencias, demas de los casos en esta Bula declarados.*

Dub. II.

Quibus prosit Bulla Compositionis.

1 Dico primò. Bulla Compositionis prodest omnibus, quibus prodest, seu possunt accipere Bullam viuorum, vt docent Rodriguez hic *num.* 12. & Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 34. *num.* 3. de quo latè in Bulla viuorum §. 1. *dub.* 1. *& sequentibus*. Vnde Italus repertus Hispaniæ potest accipere Bullam Compositionis, vel se cum Commissario componere. Potest etiam Papa admittere ad compositionem Catechumenos fideles, qui se sponte subiiciunt Ecclesiæ. Henriquez *lib.* 7. *citat. cap.* 34. *num.* 3. qui etiam possunt accipere Bullam Compositionis, & se cum Commissario componere. Nam si potest eis prodesse Bulla viuorum, vt *loco citato* dictum est, cur non etiam Bulla Compositionis? cùm omnes istæ Bullæ in Latina contineantur. Prodest etiam defuncto, si ipse antequam obiret,

iussit

instit suo hæredi, aut alteri, vt sibi tot Bullas Compositionis pro exoneratione suæ conscientiæ sumeret, cum sapientum consultatione, vt docent Henriq. *cap. 34 num. 3. cit.* Quòd si defunctus id non mandauit testamentario, non poterit pro testante testamentarius Bullas Compositionis accipere, benè tamen pro se ipso etiam pro bonis incertis à testane relictis, seruatis legibus Compositionis, de quibus *infrà*. Patum enim refert quòd à testatore, aut ab alio bona acceperit, dummodo talia sunt, vt circa illa possit cadere compositio.

2 Dico secundò. Non prodest hæc Bulla his, qui praua huius Bullæ confidentia bona aliena illicitè acquisierunt. Habetur expressè in Bulla Hispana Compositionis, quod tanquam conditionem omnino requisitam requirit Commissarius, quam potuit licitè apponere, etiam si clarè in Latina non habeatur, facultate generali sibi in eadem Bulla à Pontifice concessa. Per confidentiam autem intelligi positiuam tantùm, vt quando Bulla Compositionis est immediatum motiuum, & finis principalis iniustæ acceptionis, vt benè Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 34 num 3.* & cum eo Ludou. à Cruce *in exposit. Bulla, disp. 3. dub. 3. num. 2. & 4.* Vide Rodriguez *hic num. 75.* & quæ diximus *lib. 1. §. 1. dub. 9.* Vnde non prohibetur compositio, si fiducia tantùm est negatiua, vt si iam decreuerat furta facere, aut ea diutius retinere, & tamen negligenter se habet ad restitutionem ob Bullæ confidentiam, & aufert scrupulum, aut timorem, vt faciliùs id præstet. Vide Henriquez *cit.*

3 Dico tertiò. Qui bona aliena retinet, non est in malo statu dum parat adire Commissarium, vel Bullam accipere, dummodo habeat animum restituendi, si ad Compositionem non admittatur, vel Bullam Compositionis accipere non possit. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 34. num. 7.* Sic non sunt in malo statu qui matrimonium contraxerunt cum impedimento occulto, aut beneficium impetrauerunt, si curent breui dispensationem obtinere; nec ille qui illicitè aliena obtinuit, si habet animum restituendi vbi primum commodè poterit. Alia exempla vide apud Henriquez *loco cit.*

D v b. III.

Supra quam quantitatem fieri possit compositio, & de taxa compositionis.

1 SVppono, vt patet ex ipsa Bulla Compositionis, duobus modis posse fieri compositionem per Commissarium. *Primò*, sumendo Bullam Compositionis, data stipe ab ipso Commissario designata. *Secundò* per ipsum Commissarium sine Bullæ acceptione.

2 Dico igitur, si fiat compositio per Bullæ acceptionem, quantitas de qua fieri nunc potest compositio, pro vna Bulla sunt duo mille dipondia; seu *dos mil marauedis*, quæ sunt 5. libræ 17. sol. 8. d. taxa autem, stipes, seu eleemosyna pro tali Bulla sunt duo argentei: potéstque fieri compositio per sumptionem Bullæ Compositionis vsque ad quantitatem centum mille dipondiorum, seu *marauedis*, quæ sunt 294. lib. 3. fol. 4. accipiendo quinquaginta Bullas intra annum publicationis: itaque quantitas nunc correspondens singulis Bullis; sunt bis mille dipondia, & tota quantitas correspondens omnibus quinquaginta Bullis, quæ eodem anno accipi possunt, sunt centum mille dipondia: constant omnia hæc apertè ex ipsa Bulla Compositionis de anno 1626. Dixi *nunc*, nam antea anno 1612. diuerso modo res se habebat. Quòd si quantitas, pro qua fieri debet compositio, excedat summam 294. lib. 3. fol. 4. poterit pro dicta quantitate accipere quinquaginta Bullas Compositionis, & pro excessu se componere cum Commissario, modo infrà dicendo, vt habet communis praxis, & patet ex ipsa Bulla Compositionis. ibi: *Hasta en suma y cantidad de cien mil marauedis, y no mas, porque dende arriba ha de venir, ò embiar ante nos*, &c. idem repetitur infrà, *vers. Los casos en que*, &c.

3 Dico secundò. Si fiat compositio per ipsum Commissarium, nullis acceptis Bullis, potest fieri compositio pro toto debito incerto cuiuscumque summæ, & quantitatis existat, quia ipsi non est limitata quantitas pro qua facere possit compositionem. Patet ex supradictis verbis Bullæ. ibi: *Hasta en suma de cien mil marauedis y no mas, porque dende arriba ha de venir, ò embiar ante nos*, &c. Et infrà (5. *En los casos, que*) dicitur, *si alguna persona huuiere de ser compuesta en mas cantidad de lo contenido en esta Bulla, ha de acudir ante nos.* Taxa autem pro hac compositione non est à Commissario designata: solet autem fieri solidis decem pro centum, vt refert Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 33. num. 1.*

4 Ex his duobus modis hunc secundum tutiorem existimat Henriq. *lib. 7. de indulgent. cap. 34. num. 5.* quamuis primum existimet tutum, at cùm vterque modus sit licitus, & fiat à Commissario Papæ authoritate, & primus per Bullæ acceptionem sit facilior ad maiorem summam pro Belli subsidio comparandam, non video cur vterque non sit æquè tutus & securus. Nec obstat quòd eleemosyna, seu taxa duorum argenteorum pro singulis Bullis videatur modica, nam licèt in se videatur modica, tota tamen collectio pecuniarum quæ fit per omnes Bullas Compositionis, est maximè considerabilis, & facit maximè in belli subsidium; ac proinde est causa sufficiens ad concedendam Bullam Compositionis, sicut dictum est de taxa Bullæ viuorum. Competit autem Commissario facultas designandi taxam pro Bulla Compositionis, seu pro compositione à se facienda authoritate Apostolica ipsi concessa in Bulla Latina. ibi: *Item conceditur facultas eidem Commissario, vt dictam subuentionis quantitatem à fidelibus, vt prædicitur, pro viuis, & defunctis erogando iuxta personarum qualitatem, & bonorum quantitatem arbitrari possit.*

D v b. IV.

De quibus bonis possit fieri compositio.

1 CErtum est requiri quòd bona hæc sint aliena, nam bona propria nulla egent compositione. Cùm autem bona aliena possint esse bene habita, quales sunt res inuentæ, vel aliquo iusto contractu habitæ; vel malè habitæ, vt sunt res vsuratiæ, & furtiuæ. Et rursus hæc bona, vel possunt esse certa, id est, quorum dominus est certus; vel incerta, quorum scilicet dominus facta debita diligentia ignoratur, proinde videndum est super quibus ex his cadat compositio.

2 Dico primò. Fieri potest compositio per Bullam, aut Commissarium super bonis alienis bene, vel

vel malè habitis. Ita Sotus *lib.4. iust.quæst.7.art.1. ad 3. & dist.21. quæst. 2. art.4.* Rodriguez *in Bulla Compositionis, dub.1.* & Sayrus *lib.10. tract.2. cap.5. num.23. fol.mihi 783. & fol.730. num.23.* Patet ex serie casuum in Bulla Compositionis contentorum, quod posse facere Pontificem, demonstratum est *suprà dub.1.* Est enim generalis bonorum omnium administrator in quantum concernunt bonum spirituale fidelium, vel Ecclesiæ. Nec obstat quod Bulla Latina solùm videatur facere mentionem de illicitè habitis: nam cùm maius sit concedere compositionem super illicitè habitis, videtur etiam à fortiori super licitis concessis, militat enim eadem ratio, & sic valet argumentum à maiori ad minus in eodem genere.

3 Dico secundò. Hæc bona aliena debent esse incerta, id est, debet dominus ignorari facta debita diligentia, uno casu excepto, nimirum quòd legatarius negligens fuerit in legati exactione per vnum annum. Constat ex Bulla Latina, ibi; *Si in omnibus præmissis casibus, &c. non reperiantur componere, & ita debitores liberari possint.* Constat etiam ex casibus in Bulla Compositionis contentis, & habet communis Doctorum.

4 Vnde colligunt Doctores hanc regulam: In omnibus casibus, in quibus obligat restitutio, & non inuenitur creditor certus cui fieri possit, habet locum compositio. Ita Rodrig. *§.vnico, num.34.46.* & hanc aliam. Quotiescumque aliqua cedunt pauperibus, vel locis piis, potest fieri compositio: quæ colligitur ex Bulla Latina, & Bulla Compositionis, & eam proponit Rodrig. *in Bulla Compositionis, num.12. circa finem.*

5 Colligitur secundò, si creditor sit certus, non habere locum compositionem, est commune: nam, vt docent Syluest. *restit.7. quæst.2. vers Quintum.* Nauarr. *lib.4. de restit cap.2. dub.6. num.30.* Sayrus *in Claui Regia, lib.10. tract.2. cap.3 fol 783. num.22.* quando creditor est notus debitori, seu quando debita sunt certa, non potest Concilium generale, ciuitas, aut Rex, aut Summus Pontifex contra domini voluntatem remittere absque iniuria, esset enim contra iustitiam. Nequit enim Papa priuare quemquam re sua, illive debita, nisi propter aliquam culpam, cuius punitio ad Summum Pontificem attinet, ob quam qui in illam incideret, dignus esset ea pœna; sicut solent aliqui ob hæresim, apostasiam, aut alia delicta, suis etiam regnis, & officiis priuari. Vide Sayr. *sup.* vel quando illum priuare re sua, postularet omnino spirituale bonum, quod rarò, vel nunquam euenit.

6 Quare, si facta debita diligentia, constat vnum è duobus, tribus aut quatuor esse defraudatum, non potest fieri compositio, sed inter eos pro qualitate dubij est res diuidenda: vt bene docet Henriquez *lib.7. de indulgent. cap.35. num.1.* Lopez *cap.10. de Bulla, pag 815.* & Rodrig *hic dub.7.* quia absolutè dominus non ignoratur, neque est incertus, sed ferè certus. Idem dic si creditor certus absens sit; quia eo quòd absit, non est incertus, vt bene Soto *in 4. dist. 21. quæst 2. art.4. & lib.4 de iust. quæst.7. art 1.* Vide Rodriguez *hic dub.2.* nisi res mittenda esset expensis maioribus sorte principali, in casu quo debitor quicumque non tenetur illam mittere, iuxta doctrinam Doctorum, in materia restitutionis, de quo dixi *in Decaloge lib.7. sect.3. cap.9. dub 9.* Ita cum Henriquez, & Rodriguez, Villalobos *tract.29. num.13.* & Ludou à Cruce *in exposit. Bulla disp.3. dub.7.* vbi ait, idem etiam esse dicendum quando dominus est notus, sed ignoratur debiti quantitas, dummodo aliqua pars detur huic vero domino; ita etiam Ludou. *sup. dub.1. num.1.* cùm Henriq. *lib.7. de indulg. cap.33. §.5.* diligentia autem quæ insumenda est in inquirendo vero creditore, debet esse tanta, quantam adhibere solet vir bonus & timoratus in simili casu, consideratis quantitate, & qualitate rei. Vnde non requiritur vt faciat omne id quod fieri potest, seu quod adhibeat exactissimam diligentiam, sed eam quam timorati in simili casu adhibere solent: vt bene Rodrig. *dub.7. citat.*

7 De creditore incerto, & de diligentia ad eum inquirendum, vide Doctores in materia restitutionis, agentes de eo, cui est facienda restitutio, & præcipue Sayr. *in Claui Regia, lib.10. tract.5. cap.2.*

8 Sed quæres, an si facta compositione bonorum incertorum, appareat verus dominus, teneatur ille qui super his se composuit per Commissarium, aut per Bullam, restituere rem domino comparenti. Affirmat Rodrig. *in Bulla Compositionis, dub.6.* quem sequitur Villalob. *tract.29 n 9.* & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp.3 dub.4 n.2.* asserens in conscientia ante sententiam teneri rem, si extat, sin minus, id in quo factus est ditior, restituere, nisi facta compositione legitimè præscripserit. Ratio est, quia compositio censetur facta sub conditione, si dominus non compareat: non enim Papa per compositionem intendit, imò nec præiudicare potest iuri priuatorum, quominus consequantur bona quæ ipsis debentur. Vera tamen sententia est non teneri. Ita Henriq. *lib.7. cap.34. num.6.* Bañes 2.2. *quæst.6. art.5. dub.8.* Acosta *de Bulla, q 93.* sed manere liberum in foro interiori & conscientiæ: quia, inquit, id comprobat praxis, quæ non est damnanda sine vrgente ratione. *Secundò*, quia minimè constat de supradicta conditione. *Tertio*, quia hæc compositio æquiualet præscriptioni, sed qui legitimè præscripsit, postea vero domino inuento, non tenetur restituere; ergo neque qui legitimè se composuit. Sicut enim Respub. habet facultatem dominia transferendi media præscriptione, ita & Papa media compositione, in quantum concernit bonum spirituale animarum, in quo nemini censetur Papa præiudicare, quia, vt dictum est, ipse est administrator bonorum temporalium in quantum concernunt bonum spirituale: sicut non præiudicat Princeps per legitimam præscriptionem. Deinde si hic hæc incerta distribuisset in pauperes, aut si Episcopus, aut confessarius huic possessori tanquam pauperi applicasset, non deberet restitutio domino comparenti, nec per iudicem compelleretur, si probat illa distribuisse. Ita Henriq *lib 7 de indulgent cap.34. num.6.*

9 Dixi, *in foro conscientiæ, seu interiori*; quia, vt docet Henriquez *cap.34. num.6. cit.* & communiter Doctores, hæc compositio non prodest in foro exteriori. Sicut enim absolutio Bullæ, regulariter loquendo, à peccatis, & censuris non liberat in foro exteriori, ita nec hæc compositio. Vnde si fortè inueniatur verus dominus, & conueniat istum hominem, qui se composuit, iudex compellet eum ad soluendum: ante condemnationem autem tutus est in conscientia, nec tenetur se ad soluendum offerre; sed sufficit quòd sit paratus ad obediendum iustæ sententiæ.

10 Restat igitur vt singulos casus Bullæ Compositionis & proponamus, & exponamus.

Casvs I.

1 PRimieramente *se puede componer sobre lo mal ganado, y auido, sobre lo mal lleuado, y adquirido por*

per logres, vsuras, ò otra qualquier manera, no constando de los dueños à quien se deue hazer la legitima restitution, hecha la deuida diligencia. Hic casus in Bulla Latina continetur, sub illis verbis generalibus: *At super illicitè habitis.* Et clariùs ibi: *Necnon super malè habitis, & per vsurariam prauitatem, aut aliàs malè acquisitis*, subiungendo illa verba. *Si in omnibus præmissis casibus persona quibus restitutio, seu solutio facienda est, præstito per restituentem iuramenti e de diligentia per eum facta pro inueniendo creditore, & minimè inuenta, si non reperiatur, componere, & ita debiteres liberari possint.*

Circa hunc casum solùm hæc notanda occurrunt, vt colligitur ex Bulla Latina. *Primò*, quòd hæc expositiua Bullæ confidentia sublata non fuerit. *Secundò*, vt præmittatur debita diligentia pro domino inueniendo. *Tertiò*, quòd iuret se fecisse debitam diligentiam, & minimè creditorem inuenire potuisse. Hoc autem vltimum intellige solùm requiri quando compositio fit cum Commissario, nam quando fit per Bullam compositio, sufficere videtur vt certus sit, & securus in sua conscientia se fecisse debitam diligentiam: & ita seruatur in praxi, non enim adeunt, nec commodè adire possunt Commissarium, qui se per Bullas componunt, ad præstandum ei iuramentum, neque in posse alicuius præstant.

Casvs II.

1 *Item se pueden componer sobre los frutos de beneficios y otras rentas Ecclesiasticas, mas auidas y lleuadas por defeto de no auer rezado las horas Canonicas, con que demas y allende de los dos reales que se ha de dar de limosna por la composicion de los dichos dos mil marauedis, aya de dar la persona que assi se compusiere de los dichos frutos, otros dos reales à la fabrica de la Iglesia donde fuere el tal beneficio porque hiziere la composicion. Tal mismo respeto, de lo que mas se compusiere, y por la orden suso dicha y declarada.* In Bulla autem Latina hic casus ita habetur: *Item eidem datur facultas eidem Commissario componendi cum his qui ad restitutionem fructuum ex omissione horarum Canonicarum tenentur, ita vt quantitas compositionis pro medietate Ecclesiis, vel aliis locis, quarum, vel quorum ratione horas prædictas recitare debet, & pro altera medietate in subuentionem huius negotij detur.* Ad intelligentiam nota Beneficiarios regulariter obligari ad horas Canonicas, vt docet communis sententia Doctorum, ex *c. quia ambitiosam de rescriptis in* 6. & ex Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.* 9. § *statuimus, tom.* 4 *p.* 2. *pag. mihi* 88. quia beneficium datur propter officium. Dixi, *regulariter*, quia si beneficium adeò tenue est, vt non suppeditet bonam partem sustentationis tenuis, v. g. octo aureos, vt existimat probabiliter Sot. *lib.* 10. *q.* 5. *art.* 5. *v. Dubium autem*, quem sequuntur multi recentiores: vel quindecim, aut sexdecim aureos, vt Less. non improbabiliter sentit *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 31. *n.* 169. vel nisi sit satis ad tertiam, vel quartam partem sustentationis, vt minus probabiliter existimat Aragon. 2. 2. *q.* 83. *art* 12. non tenetur beneficiarius præcisè ratione beneficij quotidie officium diuinum recitare. Addit tamen Lessius, omnes qui aliquid percipiunt, aliquoties teneri per annum, v. g. festis, & Dominicis, prout ratio dictauerit, non enim par est vt fructus aliquos percipiant, & nunquam officium recitent: neque etiam, vt ob tam exiguos fructus obligentur quotidie; sed vtendum epiicheia, & moderandum iuxta piam Ecclesiæ mentem, vt bene etiam Filliuc. *tr.* 25. *c.* 5. *n.* 180. Dixi *ratione beneficij*. nam si hic sit sacris initiatus, certum, & commune est teneri ratione Ordinis sacri, vbi primum initiatus fuerit horas Canonicas recitare, de quibus vide in nostro Decalogo *lib.* 1. *c.* 7. *dub.* 11. §. 3. vide de hoc latè.

2 Incipit autem hæc obligatio, iuxta Nau. *c.* 7. *de orat. n.* 29. ab eo tempore quo per collationem, & acceptationem, vel institutionem, aut confirmationem incipiunt habere ius in re, & beneficium incipit esse ipsorum, etiam si possessionem non acceperint, nam ex illo tempore debentur illis fructus, iuxta Flaminium *lib.* 1. *de resignatione beneficiorum, q.* 9. *n.* 15. requiritur vt sit capta possessio antequam non teneatur beneficiarius ad officium diuinum; quia ante illam multis modis potest impediri beneficium: vtrumque probabile, & tutum; hoc tamen vltimum limitandum est, dummodo per industriam non differat possessionem, vt horas non recitet, & non stet per ipsum quominus eam capiat: nam fraus nemini debet patrocinari. Vide Lessium *suprà dub.* 29. Vide Bonacinam *de horis Canonicis, disput.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. & 5. & in nostro Decalogo *sup dub.* 13.

3 Notandum secundò, Omnes beneficiarios cum cora, siue sine illa, ad horas Canonicas adstrictos, si primis sex mensibus à dia collationis, vel possessionis non recitent peccare quidem mortaliter, nisi legitimo impedimento excusentur, non tamen teneri ad fructuum restitutionem: post verò sex menses, & peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem fructuum pro rata omissionis officij, & tempotis, quia fructus non faciunt suos, eo quòd Ecclesia illos beneficiariis sub hoc onere, & conditione concedat, vt dispositum est in Concil. Lateranensi. sub Leone X. § *statuimus*, §. 9. confirmatum, & declaratum à Pio V. per suam Bullam, quam refert Nauarrus *c.* 25. *n.* 122. quæ incipit: *Ex proximo Lateranen.* & est *num.* 135. *to.* 2. *pag.* 347. Vnde, vt disponit Pius V. in sua Bulla, qui per totum diem totum officium omiserit, teneatur restituere omnes fructus illius diei: qui Matutinum tantùm omiserit, dimidiam partem, qui reliquas omnes horas, alteram dimidiam, qui harum singulas, v. g. Laudes, vel Primam, vel Tertiam, Sextam, aut Nonam, sextam partem fructuum illi diei respondentium, quæ constitutio cum toto rigore accepta non videtur, ait Henriquez *cap.* 13. *de excommunicatione, num.* 2. *litt. Z.* vbi refert praxim cum sapientum consilio hunc rigorem ita moderatam, vt Patochus, & Episcopos, quintam partem fructuum pro rata iuxta diuisionem supradictam restituant, reliquas partes quatuor ratione tituli, & onerum retineant: Canonicus quartam partem restituat; alij verò simplices beneficiarij tertiam. Similiter habentes præstimonia, & pensiones Ecclesiasticas. Teneri autem pensionarios ad restitutionem, si officium Beatæ Mariæ recitare omiserint, habetur in dicta Bulla Pij V. qui Henriquez citat pro se Bartholomæum Med. Lopez, Pennam, Cueuas, Gallo, addito eum hac moderatione Bullam Pij V. in Hispania receptam. Quæ tamen moderatio videtur Lessio *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 32. *num.* 177. iusto laxior, præsertim in Canonicis, & aliis, qui non habent aliud onus quàm precum. Vnde eam limitat ad alios beneficiarios qui alia onera habent: idque iuxta onerum proportionem: attamen probabilis, & tuta est Henriquez sententia. Huiusmodi autem restitutio facienda est fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, siue illius loci vbi beneficium situm est, siue alterius: nam Concilium Lateran. & Bulla Pij V. in genere loquuntur. Vnde si beneficiarius est pauper, potest sibi ipsi illam restitutionem applicare, nisi ex consuetudine,

suetudine, vel statuto, id quod alij amittunt, accrescat aliis qui intersunt, & recitant officium, vt distributiones, & interdum ipsum corpus fructuum, vt benè notat Nauar. *sup. n.* 123. At si res esset occulta, & restituendo distributiones, vel alios fructus, suum peccatum proderet, existimo cum Lessio *sup. n.* 177. posse in alios pios vsus expendere. vide Bonac. *de horis can. q. 5 punct. 1. disp. 3. & 4.* & in nostro Decalog. *lib. 1. cap. 7. dub. 24. & 25.*

4 Concedit igitur Pontifex in hoc casu, vt beneficiatius qui omisit recitare officium, ratione cuius omissionis, tenetur fructus restituere, modo explicato, possit sumpta Bulla Compositionis, se super his componere, & ab hac restitutione liberare, datis tamen pro singulis Bullis quatuor argenteis, ita scilicet vt duo dentur Commissario in subsidium belli; alij verò duo fabricæ Ecclesiæ vbi tale beneficium situm est. Quòd si quantitas restituenda excedit summam 294. l. 5. sol. 4. d. fiatque compositio cum Commissario, debet similiter medietas compositionis dari Commissario; altera verò fabricæ Ecclesiæ, vt dictum est, habetur expresse in Bulla Compositionis. Posse autem Pontificem dictam compositionem facere, patet; quia cùm hæc bona debeantur pauperibus, vel Ecclesiis, potest Papa tanquam pater pauperum, & bonorum Ecclesiarum, & pauperum administrator, ob iustam causam, qualis est subsidium belli, ad talem compositionem admittere, vt bene Sayrus *in Claui Regia, lib. 10. tract. 2. cap. 5. num. 23 fol.* 783. præsertim cùm obligatio restituendi fructus ob non recitationem officij diuini, oriatur ex ipso iure Canonico, vt latè probat Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 32. à n.* 178. vide Henriq. *lib 7. cap. 36. num.* 1.

5 Sed quæres, an compositio fieri possit super quotidianis distributionibus. Respondeo negatiuè. Ita Rodriguez *casu 1. dub. 2. num.* 16. Lopez *de Bulla, pag. 853. col. 2.* & Henriquez *lib. 7. cap. 36. de indulgentiis n. 3.* Villalobos *tract. 29. n.* 10 & Lud. à Cruce *in exposi. Bull disp. 2. dub. 8. n. 1.* quia hæc non debentur pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ, sed aliis accrescunt: ac proinde datur dominus certus, in cuius præiudicium Papa non potest concedere compositionem. Si Canonicus non potest componi pro grossa, seu mesada, quia aliis accrescit; nec beneficiatius, quando distributiones non interessentium, aut non recitantium ex statuto applicantur alicui pio loco, nam videtur dominus certus, vt docent Rodriguez, Lopez, & Henriquez *sup.* Vnde Clerici seminarij Corpus Christi Valentiæ, non possunt componi super distributionibus ibi malè acceptis; quia dominus fundatur applicat distributiones non interessentium ipsi Collegio. Sic non potest fieri compositio in Ecclesia in qua datutum est, vt omnes distributiones non interessentium accrescant ipsi Ecclesiæ, seruiantque ad subleuanda onera, & necessitates ipsius, vt contingit in omnibus Ecclesiis parochialibus Valentinis; quia in iis casibus datur dominus certus. Vide Nauarr. *cap. 25. num* 123.

6 Denique non potest fieri compositio de fructibus quos Parochus, vel Episcopus perceperunt non residentes vltra tempus sibi indultum à Trid. *sess. 23. de reform. cap. 1.* Ratio est, quia Trident. *vbi sup.* expresse prohibet, ne super his fructibus fiat compositio, & decernit tales non residentes absque alia declaratione in conscientia non facere fructus suos: tempore autem quo licet à suis Ecclesiis abesse, & fructus suos faciunt, & compositione non indigent: de quo vide Trident. cit. cum declarationibus, & remissionibus *ibi* Henriquez c. 36. *num. 3. lib 6. de indulgent.* & Nauar. *cap. 25. num* 121. Lopez *vbi suprà, pag. 853. col. 2.* Rodriguez *casu 1. num.* 18. & Lud. à Cruce *in exposit. Bull. disp. 2. dub. 8. n. 2.* De fructibus autem beneficiorum simplicium bene potest fieri compositio, si eos non residentes perceperunt, quia Trident. solùm loquitur de Episcopatibus, & beneficiis curam animarum habentibus. Ita Sayrus *lib. 10. tract. 2. c. 5. n. 23. in fine, fol.* 784. Hinc infertur eum qui habet duo beneficia incompatibilia contra dispositionem *cap. de multa, de prebend. & Extrauagantem Execrabilis eod. tit.* non posse componere se super fructibus beneficij in quo non fecit residentiam, iuxta dispositionem Trident. *sess. 23. c. 1.* & ita respondisse Commissarium Cruciatæ refert Lud. à Cruce *in exposit. Bullæ, disp. 3. dub. 8. n. 4.* circa fructus verò beneficij residentiæ non eget compositione eo quòd in eo resederit, & debitum seruitium præstiterit, nec videtur iis esse priuandum ante iudicis sententiam.

7 Nota tamen, quamuis in Bulla Compositionis præsentis anni 1626. in hoc casu solùm concedatur compositio in malè acceptis, eo quòd recitare omiserint, in Bulla tamen Compositionis, quam explicat Rodriguez, additum est: *Y no tener canonicamente sus beneficios, o auer lleuado los frutos dellos estando descomulgados*; atque adeò videtur nunc pro supradictis non posse fieri compositionem. Nihilominus tamen fieri posse existimo, vt infrà parebit. Nam etsi expresse non contineatur iste casus in hoc secundo casu, continetur tamen implicitè in casu primo, & clariùs in casu penultimo ibi: *Item generalmente de qualquier genero de hazienda ilicita y malamente auida.* Et dato quòd in hoc casu reperiantur omnia requisita ad legitimam compositionem, poterit Theologus, aut doctus, & prudens Confessarius declarare posse in eo fieri compositionem, facultate sibi ab ipso Commissario concessa, vt dictum est *suprà dub.* 1. & ita etiam sentit Lud. à Cruce *suprà dub 7. n. 3. & 4.* Ad cuius declarationem.

8 Nota, Collationem beneficij factam excommunicato, suspenso, interdicto, & irregulari, aut simoniaco, etiam si probabili ignorantia laboret, esse irritam, & nullam ipso iure: de quo vide Lessium *lib 2. cap. 34. dub. 22. per totum*, vbi iura, & Doctores allegat. Quare talis beneficiarius, vbi primum innaliditatis conscius fuerit, tenetur beneficium resignare in manibus eius à quo conferri potest, & fructus perceptos restituere, demptis illis, quos bona fide durante, consumpsit, nisi fortè factus fuerit ditior. Quòd si beneficium absque scandalo dimittere non possit, poterit illud dum remedium parat, retinere, & fructus tanquam depositarius custodire. Imò si beneficio debitum seruitium præstitit, retinere potest ex fructibus illos, qui fuerint necessarij strictè ad vitam, vt non opprimatur egestate, vt tenet Henriquez *lib. 13. c. 3. num. 3. lit C.* Reginald. *lib. 32. cap. 9 num.* 53. & alij, quos ipsi. Obtenta autem tituli reualidatione (de qua vide Reginald. citatum) poterit omnes fructus antea perceptos licitè retinere: quia, vt statim constabit, reseruantur legitimo successori; ipse autem per reualidationem tituli legitimè succedit, ergo facit fructus suos, vt bene Nauarr. *de spoliis clericorum §. 12. num. 4. vers. Subinfertur etiam.*

9 Notandum secundo. Fructus beneficij malè perceptos esse conuertendos in Ecclesiæ, vbi est situm beneficium, vtilitatem; vel esse reseruandos successori, vt docet Nauarr. *loco citato, num.* 3. Syluest. *beneficium 3 num. 21 in fine, & eod. verb. num.* 1. & alij, quod colligunt *ex cap præsenti, de offic. ordin. in 6. & cap quia sæpe, de electio eod. lib.* 6. quibus disponitur, vt fructus Ecclesiæ, vel beneficij vacantis à die vacationis in vtilitatem Ecclesiæ expendatur, vel successori

successori reseruentur: ita enim habetur *in cap. quia sæpè.* ibi: *Quæ in vtilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris debent successoribus fideliter reseruari.* Et *in cap. præsenti.* ibi: *Quæ in vtilitatem eorundem expendi, vel futuris debent successoribus reseruari.* Facit etiam Bulla Iulij III. quæ incipit, *Cum sicut nobis, tom.* 1. *pag.* 697. vbi disponit, beneficiorum fructus tempore obitus beneficiatorum inexactos ad successores in beneficiis spectare, casu quo non spectent ad Cameram tanquam spolia; ideoque fructus illos non transire ad hæredes. At hæc constitutio in Hispania, & in statu Mediolan. vsu recepta non est, vt referunt Bonacina *de clausura, disp.* 4. *p* 3. *num.* 7. & Barbosa *lib* 3. *de iure vniuerso, c.* 17. *num.* 79. *&* 80. Hæc autem procedunt de iure antiquo. Hodie verò secus est; nam Sixtus V. *Bulla* 90. quæ incipit, *Cùm sicut accepimus, tom.* 2. *pag.* 650. disponit fructus, & reditus quarumcumque Ecclesiarum, & beneficiorum, à die vacationis Ecclesiarum & beneficiorum vsque ad diem perfectionis, & prouisionis, seu commendæ ad retinendam Cameram Apostolicam pertinere. Vide Zerolam *in praxi* 1. *part. verb. Beneficium* §. *ad sextum, versic. Quoad secundum.* Vide etiam Bonacinam *vbi suprà.* Barbosam *cap.* 17. *citat. num.* 77. vbi cum aliis tenent ad hæredem defuncti transire fructus ante beneficiarij obitum collectos; pendentes verò ad Ecclesiam, vel successorem in beneficio pertinere; quia clerici in vita æquiparantur vsufructuariis, qui faciunt fructus suos iam collectos, & à solo separatos, & eos transmittunt in hæredes. In hac igitur varietate standum est consuetudini approbatæ, vt bene Suarez *lib* 4. *de religione, cap.* 53. *num.* 26. Quod autem communiter seruatur, præsertim in iis partibus, est, vt fructus beneficij vacantis reseruentur legitimo successori, ideoque ab Episcopis in Ecclesiis parochialibus præficiuntur œconomi ad fructus earum diligenter colligendos, & fideliter custodiendos: vnde fructus beneficij pro eo anno, quo beneficiarius mortuus fuerit, diuidendi sunt inter hæredes defuncti pro rata temporis, & beneficij successorem. Ita Couarr. *lib.* 1. *variar. c.* 15. *num.* 12. Genuens. *in praxi curiæ, cap.* 78. *numero* 9. & Garcia videndus *de beneficiis, part.* 2. *cap.* 1. *à n.* 98. *vsque à num.* 96. vbi etiam explicat quomodo diuidendi sunt fructus inter resignantes, de quo etiam Genuens. *sup. cap.* 53 & Barbosa *de clausulis, clausula* 66. *& in Synodo Valentina ann.* 1631. *c.* 49. vide eundem Barbosam *lib* 3. *de iure vniuerso, cap.* 17. *à numer.* 75. *vsque ad num.* 81. & Bonacinam *de clausura, vbi de obligatione beneficiatorum, disput.* 4 *punct.* 3. *n.* 7. *&* 8. vide etiam Felin. *tract* 43. *de spoliis clericorum, cap.* 6. & Barbosam *dict. cap.* 17. *n.* 75. *& seqq.* pensio autem mortuo pensionario ante diem solutioni præfixam soluenda est pro rata hæredibus pensionarij. Idem Couarruuias *infrà numero* 13. De spoliis autem clericorum vide nouissimè Bullam Pauli Quinti quæ incipit, *Cum eminenti, tomo* 3. *pag.* 199. & alias, quas ibi auctor Bullarij citat. & Filliuc. *sup.*

10 Sed dices, fructus malè percepti ex beneficio non canonicè obtento sunt conuertendi in Ecclesiæ vtilitatem, vel reseruari debent successori vt communiter practicatur: ergo datur dominus certus; atque adeò eorum dispensatio ad alium, quam ad Papam pertinet, ideóque non poterit fieri super his compositio. Respondeo cum Nauarr. *de spoliis* §. 12. *numer.* 2. *&* 3. posse quidem supradictos fructus conuerti in Ecclesiæ vtilitatem, vel seruari successori, non tamen hoc esse omnino necessarium: nam antequam applicentur Ecclesiæ, vel instituatur futurus successor, pertinent ad dispensationem Papæ, qui tanquam bonorum Ecclesiasticorum dispensator poterit de iis disponere: nam, vt bene Nauarr. *supr. num* 2. omnium bonorum, & fructuum Ecclesiasticorum administratio quæ non est concessa alicui, immediatè, vel mediate ad ipsum Papam spectat. Nec est eadem ratio de fructibus ex beneficio tempore veræ vacationis obuenientibus, ac de iis qui ex beneficio non canonicè obtento malè percipiuntur: nam cùm in primo casu beneficium de iure, & de facto vacet, pleno iure debentur successori, iuxta capita suprà citata, vel sunt conuertendi in Ecclesiæ vtilitatem. In nostro autem casu beneficium etiam si de iure vacet, non tamen de facto & ideo non vsque adeò, nec pleno iure ad successorem spectant, ac alij fructus beneficij de iure, & de facto vacantis, ac proinde iura citata in rigore solùm de illis sunt intelligenda, amplientur tamen ad nostrum casum ob similitudinem aliquam, & proportionem: quare non est de vtrisque eadem omnino ratio.

11 Patet igitur ex dictis, posse Pontificem compositionem facere de fructibus beneficij male acceptis, eo quòd eorum administratio ad ipsum pertinet, nec sunt certæ rei applicati. Suarez *dicto numer.* 26. Similiter eandem posse facere Commissarium, facultate sibi commissa per Bullam. ibi, *Ac super malè habitis, &c.* Item potest fieri compositio super iis per ipsam Bullam Compositionis, vt patet ex primo, & penultimo casu, bona enim hæc sunt male accepta, & dominus censetur etiam incertus atque adeò legitimè cadit super iis compositio. Limita tamen, dummodo ne titulus beneficij inualidus sit, eo quòd illud acceperit existens in irregularitate ex simonia, homicidio voluntario, hæresi, aut apostasia, aut mala Ordinum susceptione: nam sicut non potest Commissarius his casibus titulum beneficij reualidare nec irregularitatem tollere, ita nec fructuum compositionem concedere. Vide *sup. lib.* 2. §. 3 *dub* 2. *&* 3.

12 Quoad secundum nota, iustè excommunicatum, etiam occultum, ipso facto ante omnem sententiam esse priuatum beneficij fructibus, pensionibus, oblationibus, & aliis reditibus, qui intuitu Ecclesiæ illi dantur; similiter & distributionibus, quia est extra Ecclesiam, & inhabilis ad officium propter quod datur beneficium, & fructus illius. Ita communiter Doctores ex *cap. pastoralis, de appellat* §. *verùm cum glossa, in verb. subtrahuntur*; de quo latè inter recentiores Saytus *in Thesauro, lib.* 2. *cap.* 5. *à n.* 25. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 13. Suarez *de censur. disp.* 13. *per totam.* Fructibus autem patrimonij minimè priuatur, quia beneficium Ecclesiasticum non est. Sayr. *sup. num.* 26.

13 Similiter suspensus à beneficio; etsi titulum ipsius, retineat, priuatur tamen ipso facto in conscientia ante omnem iudicis sententiam fructibus beneficij, quorum nomine intelliguntur emolumenta omnia, quæ ei ratione beneficij competunt, vt pensiones ædium quæ locantur, fructus qui ex fundis beneficij percipiuntur, oblationes quæ Ecclesiæ offeruntur, tum etiam decimæ, & primitiæ, similiter & distributiones quotidianæ, vbi est consuetudo quòd nisi beneficiatis conferantur, qualis est Valentiæ: fructibus autem patrimonij non priuatur; nam hoc propriè beneficium non est: de quo vide Saytum *in Thesauro, lib.* 4. *cap.* 6. *à num.* 12. & Suarez *de censuris, disp.* 27. *sect.* 1. *num.* 29. *&* 30.

14 Quod si iustè excommunicatus non habeat vnde viuat, sumere potest ex fructibus ea quæ sunt necessaria strictæ sustentationi sui ipsius, suæque familiæ.

familiæ Rodt. *hic caſu primo, dubio vnico, num.*17. quamuis in mota & contumacia cantat, ne mendicare cogatur. At ſi excommunicatus iam pœnituit, nec eſt in mora petendi abſolutionem, ex pia matris Eccleſiæ benignitate facere videtur fructus ſuos ſicut & gaudere poteſt Eccleſiæ ſuffragiis, vt tenent Saytus *in Theſauro, lib.*2.c.5.*n.*28. Henriquez *lib.*13. *de excommunicatione, cap.*3 *n* 4. Addit tamen Saytus *n.*29. ſi excommunicatus per ſe, vel Vicarium fecit officium ſuum, & horas recitauerit, fructus reſtituere in conſcientia non teneri, antequam ſibi à Iudice repetantur: quia iam ceſſauit, quantum in ſe eſt, cauſa talis pœnæ. Similiter ſuſpenſus a beneficio, ſi non habet aliunde, poterit ex illis fructibus ſtrictè ſuſtentari, de quo vide Saytum *lib* 4. *in Theſauro cap.*6. *num.*32. Dixi *iuſtè excommunicatus, vel ſuſpenſus*; nam ſi iniuſtè fuit excommunicatus, vel ſuſpenſus non amittit fructus ſuos, & ideo illi ab iniuſtè excommunicante vel ſuſpendente ſunt reſtituendi: de quo vide Doctores citatos.

15 Reliqui igitur fructus & reditus Eccleſiaſtici qui ſuperſunt, deductis iis qui ſunt omnino neceſſarij ad excommunicati ſuſtentationem, modo dicto, (idem dic de ſuſpenſo à beneficio) in vtilitatem Eccleſiæ, ad quam beneficium ſpectat, conuerti debent, vt docent Panormit. *in cap. Paſtoralis*, §. *verum*, *num.*12. *de appellation.* & *in cap. penult. de clerico non reſidente*, *num* 1. & Saytus cum aliis, *in Theſauro*, *lib.*2. *cap.*5. *num.*28. & *lib.*4.*cap.*6. *num.*16. Vide Henriquez *lib.*13 *cap.*13. *de excommunicatione*, *num* 4. Sub vtilitate tamen Eccleſiæ intellige ſubuentionem pauperum, & egenorum, vt bene aduertit Suarez *de cenſuris, diſp.*13. *ſect.*2. *num.*15. qui exiſtimat eſſe neceſſarium, vt aliqua pars fructuum in pauperum vſos expendatur, præſertim illa, quam ipſe beneficiarius ſecundùm prudentis arbitrium, in huiuſmodi eleemuſynas erat expenſurus. Hæc autem diſtributio, ſi res ſit publica, & præſertim ſi ad forum contentioſum ſit deducta, auctoritate Superioris, aut iudicis fieri debet: ſi autem ſit occulta, ab ipſo excommunicato fieri poterit, qui ſi huiuſmodi fructus in pios vſus expendat in ſua Eccleſia, ſuæ obligationis ſatisfacit. Obiter tamen nota Bonacin. cum aliis, *diſp.*3.*de horis canon quæſt.*5. *punct.*2. §.2. & *de cenſuris*, *diſp* 2. *quæſt.*2. *punct.*4. admodum probabiliter exiſtimare, excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum, non vitandum, ſed toleratum poſſe ſibi retinere fructus & diſtributiones, modò ſui beneficij opera exequatur, & inciderit in excommunicationem poſt legitimam beneficij aſſequutionem: ait enim nullo iure probari poſſe beneficiarium qui obtento beneficio lapſus eſt in excommunicationem, ipſo facto ante iudicis ſententiam eſſe priuatum fructibus beneficij, ſed tantùm eſſe priuandum.

Ex dictis conſtat etiam in hoc ſecundo caſu poſſe fieri compoſitionem per Papam, Commiſſarium, & Bullam. Probatur iiſdem rationibus, quibus confirmauimus caſum ſuperiorem, de eo qui canonicè non obtinet beneficium: nam cum fructus malè percepti in excommunicatione poſſint applicari vel in Eccleſiæ vtilitatem, vel in vſus pauperum, & alios pios, reputantur quaſi bona incerta, quorum adminiſtratio ſpectat ad Pontificem, atque adeò potuit ſuper his compoſitionem concedere. Vide Rodriguez §. *vnico caſu* 1. *dubio vnico, num.*17. & Lopez *cap.*10. *de Bulla*, *pag.*854. *col.*1. qui hanc ſententiam admittit reſpectu beneficiorum: reſpectu autem canonicorum etiam admittit illam, niſi quando illud quod perdidit, aliis Canonicis acceſcit, vel alteri ex ſpeciali ſtatuto adiudicatum eſt.

Infertur etiam ex dictis, fieri etiam poſſe compoſitionem ſuper fructibus beneficij recepti abſque intentione aſſumendi ordinem neceſſarium tali beneficio; nam talis donec habeat dictum propoſitum, tenetur ad reſtitutionem fructuum, vt conſtat ex c.*commiſſa, de elect. in* 6 ratio huius eſt, quia in hoc caſu eadem militat ratio ac in ſupradictis: ita Lud. à Cruce *in expoſ. Bull. diſp.*3. *dub.*7. *num.*5.

Casvs III.

1 I*Tem ſe pueda componer ſobre la mitad de los legados que fueren echos en deſargo de lo mal lleuado, ſiendo las perſonas à quien ſe huuieren hecho las mandas negligentes por vn año, en la cobrança, aunque ſe ſepa quien ſon los tales legatarios y perſonas.* In Bulla autem Latina ſic. *Item ſuper medietate legatorum omnium quæ propter male ablata facta ſunt, ſi legatarij in exactione per annum negligentes fuerint.* Verbi gratia, teſtator legauit Petro pauperi, aut alteri monaſterio, aut alio loco pro centum in exonerationem ſuæ conſcientiæ, pro rebus malè ablatis: ſi Petrus, aut monaſterium in recuperando legato per annum negligens fuerit, poteſt hæres defuncti, qui talia legauit, tot Bullas ſumere, quot ſufficient ad medietatis legati compoſitionem faciendam: & ſi fortè legati medietas excedat ſummam centum mille dipondiorum, tunc de exceſſu debet fieri compoſitio cum commiſſario, vt *ſuprà* dictum eſt, altera verò medietas legatori negligenti danda eſt. Procedit autem hæc compoſitio quamuis ſciatur quiſnam ſit legatarius, vt habetur expreſſè in Bulla Compoſitionis, quod deſumpſit Commiſſarius ex illis verbis Bullæ Latinæ. ibi: *Si in omnibus præmiſſis caſibus præterquam dicta annalis negligentia, perſonæ quibus reſtitutio facienda eſt, non inueniantur.* Ex quibus conſtat intelligi hunc caſum quamuis legatarij noti ſint, vt etiam explicant Henriquez *lib* 7 *de indulgent. cap. vlt. num.*3. Rodriguez *hic num.*19. & Lud. a Cruce *in expoſit. Bullæ diſp.*3. *dub* 9. Nam quando legatarius ignoratur, agitur caſu ſequenti, & eo in caſu pro toto legato poteſt fieri compoſitio, vt dicetur.

2 Poteſt in hoc caſu licitè & validè concedere Pontifex compoſitionem, quia bona hæc, vt ſupponitur, ſunt incerta, quorum dominus ignoratur, & malè ablata, & legata in exonerationem conſcientiæ facta. Et quamuis legatarius habeat aliquod ius acquiſitum in re à morte teſtatoris, non tamen eſt omnino perfectum, ſed reuocabile à Papa, ob cauſam, nimirum ob negligentiam legatarij per vnum annum, qui computari debet à die notitiæ talis legati facta. Vide Henriquez *loco citato n.*3. Hæc autem intellige, dummodo bona ablata non ſint in prauam huius Bullæ confidentiam.

Casvs IV.

1 I*Tem ſe pueden componer ſobre los legados hechos antes de aora, o en el tiempo de la publicacion deſta Bulla ſe hizieren, cuyos legatarios no ſe hallan, hecha la deuida diligencia.* In Bulla autē Latina, ſic: *Item ſuper illis* (ſcilicet legatis) *quæ facta erunt, & quæ dicto anno durante fient ſi legatarij inueniri non poterunt.*

2 Hic caſus loquitur de omni legato, quamuis non

non sit propter malè ablata, & in animæ exonerationem. Ita Rodriguez hic § *vnico, num.* 20. & Henriquez *lib. 7. de indulgentiis, cap. vlt. num.* 4. quia Bulla indistinctè loquitur: requiritur tamen necessariò vt legatarij, facta debita diligentia, & iuramento præstito, non inueniantur, quod iuramentum non est præstandum nisi quando compositio cum Commissario fit, vt dictum est *suprà*. Fieri etiam potest hæc compositio non solum pro medietate legati, sed etiam pro toto legato, nam Bulla absolutè loquitur. Quòd si legatum excedat summam centum mille dipondiorum, de excessu fiet compositio per Commissarium, vt *suprà* dictum est. Procedit hic casus de legatis factis ante publicationem, & tempore publicationis huius Bullæ. Per tempus autem publicationis intelligit Henriq. totum annum quo Bulla durat: quod habetur expressè in Latina, ibi: *Dicto anno durante*. Aduertit Rodriguez *suprà*, quod dicitur de legatis, idem dicendum de fideicommissis, quoniam legata & fideicommissa æquiparantur. *l. à Titio ff de verborum obligat. l. illud ff. ad legem Aquiliam*. Vide Villalob. *tract.* 29. *num.* 22.

Casus V.

1 *ITem, si algun iuez ordinario, o delegado, o assessor huuieren recebido algun dinero o otra cosa, por dar mala, o iniusta, sentencia, o dilatar la causa, en prejuyzio de la parte, o por hazer algun agrauio, o otra cosa que no deuan, en tal caso se pueden y deuen componer de lo que assi recibieren, quedando saluo el daño que la parte recibio paraque se satisfaga.* Hic casus non habetur expressè in Latina, continetur tamen implicitè, & alij qui sequuntur illis verbis, *Ac super malè ablatis*, &c.

2 Huius casus, & multorum qui sequuntur, intelligentia pendet ex illa graui quæstione, an acceptum ob turpem causam, vel ob peccatum committendum, sit necessariò restituendum, & cui: de qua latè Nauarr. *cap.* 17. *à num.* 30. Nauarra *lib. 4. cap* 2. *à n.* 71. Sayrus *in Claui Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 3. Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *controu.* 3. Lessius *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 8. & alij, quos ipsi citant, & ego ipse *in Decalogo lib.* 7. *sect.* 3. *cap.* 9 *dub.* 6. Circa quam variant Doctores. Circa tamen, stando in iure naturæ, acceptum ob turpem causam, seu propter opus quod est peccatum, opere iam completo non est necessario restituendum, siue illud opus sit contra iustitiam, siue tantùm contra charitatem. Colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art* 5. *ad* 2. & *ibi* habet Caietan. & tenet Lessius *suprà num.* 52, & cum aliis dixi *in Decalogo dub* 6. *cit num.* 2. & tenet etiam Ludou. à Cruce *in Exposit. Bullæ disp.* 3. *dub.* 10. Ratio est, quia dans omnino voluntariè dat, & per consequens transfert dominium: tum etiam, quia etsi peccatum ex se non sit pretio æstimabile, est tamen aliquatenus delectabile, & vtile, & alteri detrimentosum. Dixi, *opere completo*; nam antea debet opus omitti, eo quòd sit peccatum & pretium dami restitui. Verius etiam videtur, neque iure positiuo Cæsareo id esse necessario restituendum, vt docent Caiet. *sup.* Nauarr. *num.* 30. & 36. Lessius *num* 56. cum Syluest. *restitutio* 2. & *eleemosyna q* 4. & cum aliis dixi *in Decalogo sup. n* 3. quia, vt docet Nauarr. leges illæ quæ à Doctoribus oppositæ sententiæ adducuntur, non faciunt inhabilem accipientem ad comparandum dominium rei acceptæ, nec reddunt irritam rei acceptionem ex tali causa: sed tantùm videntur decernere, vt ante opus patratum habeantur illa pacta inualida, & ne ex illis oriatur obligatio ciuilis, ob quam possit in iudicio peti promissum. Quare restituere non tenetur quis acceptum ob homicidium, sententiam iniustam, falsum testimonium, ob aliquem infamandum, nec miles iniusti belli est stipendium, nec faber pretium instrumenti fabricati ad furta, homicidia, & armorum ad bella iniqua, quæ omnia sunt contra iustitiam, vt habent Petrus Nauarra *sup. num.* 100. & Lessius *num.* 56. Nec restituere tenetur pecunias acceptas ob fornicationem, lenocinium, sortilegium, sacrilegium, vel vt in hæresim consentiat, vel ædificet templum idolo, quod est contra charitatem & religionem. Ita citati. Dixi, *acceptum ob turpem causam*: nam damnum illatum parti, aut alicui tertio, certum est omni iure esse restituendum.

3 Nihilominus tamen contraria sententia, quam tenet Salon *vbi suprà*, & alij, probabilis est: nempe datum ob turpem causam, etsi stando in iure naturæ possit retineri opere subsequuto, iure autem positiuo esse restituendum ante omnem iudicis sententiam, nec aliter posse absolui. Existimant enim reddere inhabiles, & incapaces ad recipiendum. Restitutio autem ante iudicis sententiam fiet ipsi danti, quia non à se abdicauit dominium. Ita Sotus *lib.* 4 *q.* 7 *art.* 1. *ad* 2. Couuarruuias *ad reg. peccatum, part.* 2. § 2 *n.* 6. Vide Salon. *sup.* At secundùm communiorem sententiam, de qua Couarruuias *suprà*, & tenet Rodriguez *hic num.* 22. & alij, quos Henriquez *lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 4. pauperibus est restituendum, quia, inquit, dans ob turpitudinem, in dando priuatur iure repetendi, post verò iudicis sententiam, pauperibus, vel fisco, aut illi, cui iudex applicauerit.

4 His positis facilis est huius casus explicatio; nam si sequamur primam opinionem, dicendum est in hoc casu nullam requiri compositionem; si enim accipiens nec danti, nec pauperibus restituere tenetur in conscientia, nulla igitur eget compositione. Si autem sequamur secundam sententiam, quam sequutus est Commissarius ad maiorem securitatem, tunc poterit fieri compositio per Bullam vsque ad centum mille dipondia: & pro excessu per ipsum Commissarium; quia obligat restitutio, & potest fieri pauperibus, sicque non datur dominus certus, & hoc est tutius ac securius. Vbi nota, per iudicem ordinarium, aut delegatum intelligi etiam Ecclesiasticum, & de omni causa, quia casus absolutè loquitur. Excipo tamen causam simoniæ in ordine, vel beneficio: nam accepta per simoniam restituenda sunt ipsi danti; vt existimat Petrus Nauarr. *lib.* 4. *c.* 2 *n.* 107. Sotus *lib.* 9. *q.* 8. *art.* 1. Nauarr. *c.* 17. *n.* 32. post verò sententiam ei cui iudex addixerit, seu applicauerit. Ratio est, quia qui pretium dedit, non amisit rei dominium; nec accipiens illud acquisiuit, quia est incapax ratione contractus iure diuino & Ecclesiastico prohibitos. Lessius autem *lib.* 2. *cap* 35. *dub.* 31. Reginald. *lib.* 10. *cap.* 27. *sect.* 4. *num.* 438. tenent, ante sententiam restituendum esse Ecclesiæ, ad quam pertinet beneficium, vel pauperibus, quando scilicet simonia ad nullam Ecclesiam pertinet, vt quando fit in sacramentis. At siue restituendum sit danti, siue Ecclesiæ, siue pauperibus, certum est non posse fieri compositionem de pretio simoniacè accepto; quia, vt sæpe dictum est, à Pontifice exceptus, dum prohibet Commissario compositionem, & dispensationem in irregulari propter simoniam. Ita Henriquez *cap.* 35. *num.* 4. vide *lib.* 2. *dub.* 2. & 3. & *infr. casu* 9. *vers. Nota*. Vide *in Decalogo d. dub.* 6. *num.* 5.

5 Quòd si quis timens iudicem subornandum dat ei aliquid ad redimendam vexationem, vt iustam ferat sententiam, tunc restitutio facienda est danti, & non pauperibus, quia inuoluntariè, & sine vlla turpitudine dat; ac proinde in hoc casu non habet locum Bullæ compositio. At si pecuniam dedit, non ad redimendam vexationem, sed omnino libere, & gratis, ad conseruandam iudicis beneuolentiam, & ad alliciendum eius animum ad iustitiam faciendam, non tenetur iudex acceptum restituere, nec indiget compositione, vt tenent Rodriguez §. *vnic. casu* 4. *num.* 3. Sicut enim, ait Rodriguez, precibus, & promissis licitum est inuitare aliquem ad faciendum id, ad quod aliàs tenetur, sic etiam licet pecuniis, & muneribus ad illud inuitare, vt dixi in Decalogo, *libr.* 7. *cap.* 9. *dub.* 7.

Casvs VI. VII. & VIII.

1 *Item si algun abogado recibio alguna cosa por abogar en causa injusta sabiendolo su parte, se puede dello componer, pero à la parte à quien prejudicò se ha de hazer satisfacion del daño.*

2 *Item si algun testigo por testificar falso ò algun fiscal ò acusador por acusar à alguno falsamente, ò dexarle de acusar, siendo obligado de acusarle, recibio alguna cosa, se puede componer de lo que assi recibio, y ha de satisfazer, à la parte a quien prejudicaron.*

3 *Item los officiales, escriuanos, notarios, ò secretarios, que por hazer algo injustament en su oficio recibieron alguna cosa, se pueden dello componer: pero à las partes à quien prejudicaron han de hazer satisfacion del daño.*

4 Circa hos tres casus solùm occurrit notandum, Commissarium sequutum fuisse sententiam eorum, qui dicunt, acceptum ob turpem causam esse dandum pauperibus; de quo *casu* 5. nam secundùm aliam opinionem, cùm possit ab accipiente retineri, nulla requiritur compositio. Aduertendum etiam est, quòd si dans Aduocato, testi, aut tabellioni, ignorabat causam esse iniustam, aut testimonium falsum, tunc qui accipit pro iis pretium, non potest super illo componi, sed est restituendum danti, nam propter ignorantiam non participat in turpitudine. Hoc tamen semper aduerte, damnum parti illatum ab Aduocato, teste, aut tabellione, esse ei restituendum in integrum, vt habetur in supradictis casibus, nec posse fieri super illo compositionem, quia datur dominus certus. Non enim Pontifex vult cum tertij præiudicio priuilegium concedere. Vide Henriq. *lib.* 7. *c.* 35. *n.* 4. & Villalobus *tr.* 29. *n.* 24. 25. & 26.

Casvs IX.

1 *Item se pueden componer todos los juezes seculares, y los Ecclesiasticos en causas temporales, de lo que por razon de administrar la justicia que deuian à las partes conforme à su derecho, huuieren recebido assi dineros, como en otra especie.*

2 Intelligentia huius casus pendet ex illa quæstione an acceptum ob causam honestam, quam facere, vel omittere tenebaris, tenearis restituere, & cui. Nauar. *cap.* 17. *num.* 33. & 34. Salon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *controu.* 3. *concl.* 3. Lessius *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 9. *n.* 69. Villalobos *tract.* 29. *n.* 17. & 2 *p. tract.* 14. *de restitut. diff.* 7. ego ipse *in Decalogo, lib.* 7. *sect.* 3. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 1. & 2. Ludouic. à Cruce *in exposit. Bull. disp.* 3. *dub.* 11. *num.* 2. & alij tenent, ante iudicis sententiam in conscientia esse restituendum danti: pòst verò illi cui iudex adiudicauerit. Est enim manifesta inæqualitas, si pro eo quod iam est debitum, aliquid amplius exigatur, aut accipiatur. *Secundò*, quia id quod pro iniuria vitanda, vel iniustitia obtinenda datur non censetur dari sponte, sed coactè, & metu iniuriæ: ergo necessariò est restituendum; quia censetur per quandam tacitam iniuriam extortum, quia non fuit dominium translatum in accipientem, proinde restitutio debet fieri danti.

3 Ex quo sequitur, iudicem teneri restituere danti id quod accepit, vt iustam sententiam ferret, & testis, vt verum dicat: similiter & ille, qui aliquid accipit, vt fratris odium deponat, aut vt furem qui res meas surripuit, indicet, si id sine incommodo, & labore præstare potest. Sic Doctores citati.

4 Dices ergo si datur dominus certus, scilicet, ipse dans, cui, vt dictum est, facienda est restitutio, non poterit fieri compositio per Bullam, nec per Commissarium. Respondeo, duobus modis posse aliquem donare aliquid iudici, verbi gratia, vt iustam pro se sententiam ferat. *Primò*, liberè, & gratis, sciens se non teneri dare. *Secundò*, existimans ex ignorantia se teneri ad aliquid dandum: quando igitur datur primo modo, censetur datum animo subornandi iudicem, vt pro se omnino sententiam ferat. Et sic censetur consors in pari turpitudinis causa; nam sicut iudex malè accipit, ita & dans malè dat: & cùm dictum sit, iuxta opinionem probabilem, datum ob turpem causam esse restituendum pauperibus, proinde sequutus hanc opinionem, Commissarius asserit in hoc casu posse per Bullam fieri compositionem. Quando verò datur ob ignorantiam, existimans se ad id teneri, non cooperatur turpitudini accipientis; ac proinde non amittit ius ad rem, quam dedit; quia censetur inuoluntariè dedisse, sicut ille, qui dat iudici aliquid ad redimendam vexationem, vt dictum est *casu* 5. Atque adeò in hoc casu non habet locum Bulla Compositionis, cùm restitutio ipsi danti facienda sit, vt insinuat illis verbis Commissarius in casu 6. *Sabiendolo la parte.* Vide Rodriguez §. *vnic. casu* 7. *num.* 16. & Henriquez *lib.* 7. *cap* 35. *num.* 3. Limita tamen, vt si fortè ignoretur ille qui dedit, Villalobos *vbi suprà.* potest autem fieri compositio quando litigans dedit iudici aliquid vt pro se ferat sententiam, siue iustitiam habeat, siue non, & contingat quoad iustitiam; quia fuit turpiter datum & restituendum erat pauperibus, ita Lud. à Cruc. *in exposit. Bull. disp.* 3 *dub.* 11. *n.* 3.

5 Nota circa illa verba, *Y los Ecclesiasticos en las causas temporales.* Nam casu quo iudex Ecclesiasticus possit componi pro re malè accepta, in ferenda iusta sententia, hoc solùm habere locum in causis temporalibus, in illis scilicet, quibus agitur de recuperanda re temporali, vt de soluendo debito, &c. non verò in causis spiritualibus, quia in iis committitur simonia quæ facit incapacem accipientem, & Bulla excipit casum simoniæ in dispensatione, aut compositione. Ita Henriquez *lib.* 7. *c.* 35. *n.* 4. cum Rodrig §. *vnic. n.* 17. Lud. *sup n.* 5. & Villalob. *tr.* 29. *n.* 17. qui bene colligit per causas spirituales non solùm intelligi eas, quæ committuntur per simoniam in ordine, & beneficio, sed omnes causæ spirituales in quibus simonia committi potest, quia Commissarius, absolutè & generaliter loquendo, excludit ab hac compositione omnes causas spirituales

spirituales. Vnde admittenda non videtur limitatio quam affert Henriquez *suprà*, ad causas spirituales tantùm in ordine, & beneficio. Attamen non est improbabilis sententia Henriquez: nam Pontifex solùm prohibet compositionem, & dispensationem in simoniæ ex beneficio, apostasia, hæresi, homicidio, & mala ordinum susceptione, de quibus latè *suprà*. Addit ipse Henriquez *in fine num.4. litt.S.* pretium simoniæ nisi sit completa in ordine, & beneficio, posse retineri: citat Nauarr. *cap. 23. num.103. & sequentib. cap.25. num.113. & cap. 27. num.106.* Sed de hoc *suprà casu 5.*

Casvs X.

1 *Tem se pueden componer los escriuanos, notarios, y secretarios, y los otros officiales, de iusticia, que huuieren recebido y lleuado derechos demasiados por razon de sus officios, contra las leyes y ordenanzas que les estan dadas, no sabiendo las personas à quien se deue restituyr.*

2 Circa hunc casum solùm notandum occurrit, tunc solùm posse fieri compositionem, quando supradicti vltra taxam recipientes ignorant, facta debita diligentia, à quibus acceperint: nam si id constat, danti est restituendum, nisi fortè ipsi dantes consortes fuerint in turpi acceptatione, modo in casu superiori explicato, nam tunc non ipsi, sed pauperibus, iuxta opinionem probabilem, est restituendum: atque adeò etiam tunc habet locum compositio. Vide Rodriquez, *§.vnico, n.*28. de Aduocatis, procuratoribus, & tabellionibus. Vide Sayrum *in Claui Regia lib.*12. *à cap.*22. *vsque ad cap.*25. inclusiuè Salon.2.2.*q.*71.*art.*3.& 4.& alios; quos ipsi citant: & ea quæ dixi *in Decalogo, lib.* 8. *cap.* 5. 6. & 7. De salariis autem, aut stipendiis ipsis assignatis, videndæ sunt cuiusemque Regni leges, & consuetudines approbatæ; ad quarum intelligentiam maximè iuuabit videre, eaque Sayrus, & Salon *locis citatis* tradunt: & illa quæ dixi *locis citatis.*

Casvs XI.

1 *Tem que si alguno, iniusta, ò indeuidamente, por rogar y fauorecer que no se hagu iusticia à que fuel ten à aquel que iustamente estaua preso por delitos, lleuò dineros, ò otras cosas algunas, se podra componer en lo que assi lleuò, satisfaziendo el daño de la parte à quien se hizo el agrauio.*

2 Hic casus eo modo intelligendus est, quo casu 5. 6. & 7. explicati sunt. Sequitur enim hic Commissarius opinionem eorum qui dicunt, exceptum ob turpem causam esse restituendum pauperibus; atque adeò posse fieri per Bullam compositionem. Cùm ergo in hoc casu tam in dante, quàm in accipiente reperiatur turpitudo, hinc fit posse per Bullam fieri compositionem: quod limita, vt bene Rodrig. *§. vnic. num.* 29. nisi fortè daret ad redimendam vetam vexationem: nam tunc cùm nulla ex parte dantis reperiatur turpitudo, ipsi, & non pauperibus, est restituendum. Atque adeò tunc non habet locum compositio. Ita etiam Villalobos *tractat.* 29. *num.* 29. & Ludouicus à Cruce *in exposit. Bull disp.*3. *dub.* 22. vide suprà casum 5. 6. 7.

* *

*

Casvs XII.

1 *Tem se pueden componer de lo que por iuegos fueren obligados à restituyr à pobres: pero auiendo entreuenido engaño en ellos, ò ganado à personas que no pudiessen ganar lo que perdieron, no se pueden componer, y sabiendo à quien lo ganaren, son obligados à se lo restituyr: y no lo sabiendo, se pueden componer en este caso, como en el de arriba.*

2 Aperta est huius casus intelligentia, solùm enim concedit Commissarius facultatem componendi super rebus malè partis in ludo, eo quòd per fraudes, iuxta leges ludi non permissas, aut à personæ, quæ alienare in ludo non poterat, acquisitæ sint, dummodo personæ à quibus hoc modo hæc acquisita sunt, facta debita diligentia, non inueniantur: nam si notæ sint: ipsis restituendum erit; si autem ignotæ, pauperibus: ac proinde tunc solùm habet locum compositio. Ludouic. à Cruce *in exposit. Bulla, disp.*3. *dub.* 13. Explicationem huius casus latiorem vide apud Rodrig. *§. vnic. casu* 7. *à n.* 30. & Henriq. *lib.*7.*c.*35.*§.*7. De fraudibus verò in ludo prohibitis, vel permissis, de personis, quæ in ludo possunt alienare, & de restitutione facienda à ludentibus, vide Alcocer *in suo tractatu de ludo.* Lessium *lib.*2. *c.*10. *per totum,* Salon. 2.2. *q.*5. *de dominio, art.* 6. & Summistas *verb. Ludus,* & in nostro Decalogo *lib.* 7. *cap.* 12. *per totum.* Pro nostro autem casu solùm sufficiat scire, tunc solùm habere locum compositionem, quando malè parta in ludo sunt restituenda pauperibus.

Casvs XIII.

1 *Tem si alguno dissimulando en si lo que no ay en el otra cosa semejante de lo que en este color huuiere recebido, se podra componer, y el que pide limosna fingendo se pobre no lo siendo, de lo que por esta causa huuiere recebido, se puede componer, no sabiendo en ambos destos casos à quien, como dicho es, se deue restituyr.*

2 Ad intelligentiam nota, eum qui ficta paupertate, sanctitate, aut consanguinitate eleemosynas acquirit, peccare mortaliter, vt communiter tenent Doctores pro grauitate materiæ; quia illudit, ac decipit proximum. Variant tamen an peccet contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem, Sotus *lib.* 9. *q.*7.*art.*3.*in fin,* quem sequitur Henriquez *infrà,* ait, non teneri, si eleemosynæ sint tenues, benè verò si pingues. Verius tamen est teneri absolutè, & simpliciter, si tamen causa finalis, & præcipua fuit ficta sanctitas, paupertas, aut consanguinitas. Ita Nauarr. *cap.*17.*n.*107. Nau. *lib.*3.*cap.*1.*n.*168. contra Caiet. *in summ. verb. Restitutio.* Medinam, & alios, quos sequitur Henriquez *lib.* 7. *cap.*35. *num.* 5. Ratio est, quia non subsistit in eo vna ex causis finalibus, & præcipuis dandi eleemosynam, nempe miseria, & illius subleuatio. Duplex enim est causa dandi eleemosynam, amor Dei, & miseria proximi; ergo si accipiens non indigeat, non poterit eleemosynam retinere. Hæc autem restitutio non fiet danti, vt docent vterque Nauar *suprà*; quia causa principalis donationis subsistit, nempe Dei amor, atque ita quamuis donatio respectu impostoris huius non sit valida, erit tamen respectu Dei. Cui ergo restituet? Soto, Medin. Caietan. Victoria, & alii relati ab Henriquez *lib.*7. *cap.* 35. *num.*5. *litt. X.* existimant

QQq 3 restituendum

restituendum esse veris dominis. Sed verius respondent citati, & Henriquez *suprà*. Si pauper fictus nomine pauperis extranei eleemosynam accepit, restituet veris pauperibus, vel piis operibus, nam iis defraudauit, & intentio dantis erat, vero pauperi dare. Si autem ficta consanguinitate, restituet pauperibus consanguineis ipsius dantis. Dixi, *si paupertas fuit causa finalis*; nam si tantùm fuit impulsiua, non tenetur talis pauper, aut impostor ad restitutionem, vt docet Rodrig. §. *vnico, casu* 11. *concl.* 3. *n.* 50. vide in nostro Decalog. *in* 7. *precepto, sect.* 3. *c.* 7. *dub.* 3. *& sect.* 4. *c* 1. *dub.* 9. *& cap.* 2. *dub* 14.

3 His positis, quod in casu concedit Pontifex, est, vt possit componi per Bullam, aut Commissarium, omnis ille qui eleemosynam, aut aliquid aliud (nam hic casus generaliter loquitur) acceperit, fingens, & dissimulans paupertatem, aut aliquid quod in se non habet dummodo semper ignoretur dominus, & res accepta sit obnoxia restitutioni: nam si non est: potest retineri, & nulla desideratur compositio; vt si vir doctus ficta per hypocrisim sanctitate recepit beneficium, quod dignè administrat, potest retinere, vt bene Henriquez *d. num.* 5. Rodriguez *suprà num.* 48. & Ludouic. à Cruce *in exposit. Bullæ disput.* 3. *dub.* 14. *num.* 1. quia tales dignitates dantur absolutè, & sine conditione. At quia Altisiodor. & Adrian. & & aliqui existimarunt esse restituendum, proinde ratione dubij conceditur compositio; reuera tamen non est necessaria.

4 Circa illa autem verba, *Ne sabiendo à quien se deue restituyr*, notandum occurrit, Commissarium sequutum fuisse sententiam eorum, qui existimant accepta per fictam paupertatem, vel sanctitatem, esse restituenda veris dominis, quando noti sunt, aliàs pauperibus. Vnde secundùm hanc sententiam, si domini noti fuerint, non poterit fieri compositio per Bullam: at quia probabilissimum est, restitutionem hanc faciendam esse non dominis, etsi notis, sed veris pauperibus, potest fieri securè compositio hæc, etiam si domini noti sint. Nam, vt sæpè dictum est, quotiescumque restitutio pauperibus est debita, potest fieri compositio. Quòd si habent iustam licentiam, & ius per vnum annum, verbi gratia, petendi eleemosynas per se, vel per alios, id ius alteri locauit, quidam, vt Rodriguez *suprà num.* 31. existimant, id quasi turpe lucrum reddi pauperibus, vt componantur pro ea re. At hæc sententia non est certa, quia, vt bene Henriquez *dict. num.* 5. *in fine*, expresso iure non prohibetur locare, nec fit inhabilis, vt pretium locationis recipiat.

CASVS XIV.

1 I*Tem en todas las cosas que alguno huuiere hallado, hecha primero suficiente diligencia, no pareciendo sus dueños, ni a quien competense restituidas, se puede componer.*

2 Ad intelligentiam nota, res quæ inueniri possunt, esse in triplici differentia. Aliæ quæ nunquam habuerunt dominum, vt lapilli, & gemmæ pretiosæ quæ sunt in littore maris, tum etiam mineralia, & metalla fossilia, auri, argenti, &c. Aliæ quæ à tempore immemoriali dominum habuerunt, modò tamen non habent, vt sunt thesauri absconditi in visceribus terræ, vel in communi loco occulto. Aliæ verò quæ in propinquo dominum habent, non tamen inuenitur: vt sunt res quæ passim in viis, vel aliis locis perditæ inueniuntur.

3 Quoad primum conueniunt Doctores tam de iure naturæ, quàm de iure communi, res primi generis, illas, scilicet, quæ sub nullius fuere dominio, fieri primò occupantis, vt sunt lapilli, gemmæ, ambarum, corallium, & similia, quæ in littore maris, vel in fluminibus, aut promontoriis inueniuntur. Ita Salon. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5. *fol.* 1293. & Lessius *lib.* 2 *cap.* 5. *dub.* 12. *num.* 51. & ego ipse *in Decalogo lib.* 7. *sect.* 1. *cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 1. nam quæ nunquam fuerunt sub bonis alicuius sunt primò occupantis iure naturæ, & communi, vt patet in aucupio, venatione, & piscatione, & habetur *Instit. de rerum diuision.* §. *fera*. Quòd si dicas esse prohibitum quærere res dictas per leges Hispaniæ. Resp. cum Salon. *Primò*, has esse pœnales, & non obligare in conscientia ante sententiam. *Secundò*, has leges præcipuè habere vim respectu exterorum, & gentis alterius regionis: ita vt Galli non possint de industria ire ad Hispanos, ad quærendas has res pretiosas, quia iure gentium regiones, & prouinciæ diuisæ sunt, & singulæ earum suis vicinis & incolis appropriatæ. Dixi *de industria*: nam si incola alterius regionis in hac nostra repertus, casu, & fortuito aliquid horum inuenisset, potest sibi retineri. Ita enim temperandus est legum rigor. Solùm enim prohibere videntur, ne quis consultò ad eas quærendas proficiscatur.

4 Difficultas tamen est de venis metallicis, seu de mineralibus Salon. 2. 2. *quæst.* 66. *artic.* 5. *fol.* 1307. existimat de iure naturæ pertinere ad dominum fundi, & esse in bonis ipsius, ait enim esse fructus terræ: ac proinde dicit emptorem teneri de hoc venditorem admonere, & inuenientem in proprio fundo stando in iure naturæ posse illud reseruare sibi. Si verò in agro alieno, siue casu, siue de industria, totum esse domini agri, quia est in bonis ipsius. Sed tamen Sotus *libr.* 5. *quæst.* 3. *artic.* 3. *ad* 2. Lessius *suprà dub.* 12. *num.* 51. & alij, tenet de iure naturæ sub nullius esse dominio, ac proinde fieri primò occupantis: nam Principes passim sibi reseruant ius effodiendi hæc metalla, aliquando concedunt priuatis ius effodiendi vbilibet, etiam in agro alieno, bonam partem sibi reseruant, compensato dumtaxat damno, quod infertur loco, quod non faceret, si huiusmodi metalla essent in dominio eius cuius est ager. Vnde si quis eruisset aurum, vel argentum in agro alieno, etiam inuito domino, non tenetur ad restitutionem auri domino agri, sed solùm ad æstimationem damni illati. At etsi venæ metallicæ iure naturæ sint occupantis, ius tamen effodiendi, & potestas, seclusa omni lege, & consuetudine particulari, tantum competit ei qui est dominus loci. Vnde si locus est hominis priuati, ius etiam erit priuatum: si est publicus, competit Reip. nam si ius venandi competit domino fundi à fortiori ius effodiendi metalla, quia hæc sunt fundo permixta, & inhærentia, animalia autem vaga. Ita Lessius *suprà numer.* 52.

5 Dixi de iure naturæ fieri primo occupantis: nam si aliqua sit lex scripta, quæ talia mineralia applicet Regi, vel Reip. ea est in conscientia seruanda. Vbi aduerte, in Regno Castellæ esse latam legem *libr.* 6. *ordinat. lege noua compilationis, tit.* 13. *lib.* 3. in qua statuitur omnia mineralia esse Regis vbicumque existant, nec licere alicui absque licentia & priuilegio Regis ea alicubi quærere, aut fodere. Et Philip. II. *leg.* 4. *& seqq* appropriat sibi dominiū omnium venarum, & minarū metallorum, reuocatque

omnia

omnia priuilegia priuatis concessa. In nostro autem Regno Valentino, id obtinet consuetudo, & meritò quidem, quia res sunt præstantissimæ, & fructus ac patrus terræ ad sui defensionem & decorem: defensio autem & protectio terræ ad Principem spectat; ergo iustè potuit sibi huiusmodi fructus appropriare. Vnde nemo potest illa tuta conscientia fodere sine licentia Regis, alias tenetur omne id quod accepit Regi, tanquam vero domino, restituere deductis expensis. Hoc tamen limitatem in rebus maximi ponderis, valoris & momenti. In aliis autem regnis standum est legibus, & consuetudinibus: quod si nulla lex, aut consuetudo reperiatur, erunt primò occupantis. Ita Salon *suprà pag.* 1307. 1308. & dixi *in Decalog. in 7. precep. sect.* 1. *c.* 3. *dub* 6. *n.* 2. *&* 3.

6 Quoad secundum nota, thesaurum propriè dictum esse depositionem pecuniæ seu rei pretiosæ, cuius non extat memoria, vt iam dominium non habeat Thesaurus impropriè est depositio alicuius pecuniæ vel diuitiarum in aliquo certo loco, vel lucri faciendi causa, vel metus, vel custodiæ, vel honoria vt in sepulturis defunctorum, vel alia de causa. Hic autem thesauros habet dominum, vel facile inueniri potest, nempe qui illum deposuit, vel eius successores: quare non de hoc, sed de thesauro propriè dicto est hic nobis sermo de quo multa & scitu digna tractant Doctores, vt Sayr. *in Claui Regia, lib.* 9. *capit* 8. Salon. 2. 2. *quæst.* 66 *artic.* 5. *§. de thesauris absconditis fol.* 1295. Lessius *lib.* 2. *capit.* 5. *dub.* 15. & alij, & dixi latè *in Decalogo suprà dubio* 8. proinde hic pauca, & ad rem facientia attingemus.

7 Igitur thesaurus iure naturali & gentium est inuentoris occupantis. Ita Lessius *supr. n.* 57. & dicit communem: nam quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis. Ius autem commune Cæsareum multa de iis disponit: vt patet § *Thesaurus, Instit. de rerum diuisione, & Cod. de Thesauris.* Nimirum si thesaurus inueniatur in fundo proprio, totus sit inuentoris; si in alieno, etiam si locus sit Principis, & fortuitò inueniatur, dimidium erit inuentoris, & dimidium domini fundi. Quod si de industria quæsitus sit sine consensu domini, totus erit domini: at in conscientia sufficit ei dare dimidium: vt bene Lessius *suprà num.* 59. contra Salon *sup. artic.* 5. *concl.* 4. nam quoad hoc lex videtur esse pœnalis puniens iniuriam quam inuentor domino intulit. At si dominus consenrit, vt quæreret, standum est, si quod initum est pactum: si autem nullum sit, totus est inuentoris. Ita Nauarr. *c.* 17. *n.* 172. quia tunc videtur illam partem suam condonasse, nisi fortè inuentor certò scierit ibi esse thesaurum, & simulauerit se nihil scire: tum enim dominus ita deceptus non censetur condonasse, vt bene Sylu. *verb. Inuentum, q.* 3. Quòd si fundus habeat duos dominos, nimirum directum, & vtilem dimidium erit inuentoris; & alterum dimidium est diuidendum inter dominum vtilem, & directum. Conductoris autem vsuarij, pigneratoris, aut vsufructuarij, nulla habetur ratio, quia nullo modo sunt domini. Sic vir inueniens thesaurum in loco dotali mulieris, non ipse, sed mulieris acquirit. Ita Lessius *sup. num.* 61. contra Nauarr. *cap.* 17. *n.* 173. Hoc tamen pro certo habe, scientem in tali fundo latere thesaurum, posse illum solito pretio emere, non manifestando thesaurum, vt tenent Nauarr. *cap.* 17. *num.* 175. Sotus *lib.* 5. *quæst.* 3. *art.* 3. *ad secundum*, Salon Lessius *num.* 60. & alij. Thesaurus enim nullius est domini, & ex alia parte tantùm venditor, vendit solum, & superficiem terræ.

8 Si verò thesaurus sit inuentus in loco publico, verbi gratia in flumine, in platea effossa, in via, siue fortuito, siue de industria, totus videtur inuentoris non verò Principis. Ita Couarruuias *regul. peccatum, part.* 3. *§.* 2. *numer.* 3. Lessius *lib.* 2. *caput.* 5. *dub.* 16. *num.* 63. Nam locus publicus non censetur alicuius, sed communis. Si autem ibi arte magica inuentus sit, totus est applicandus fisco, ex *l. vnica. Cod. de Thesauris.* Hæc autem lex in hoc casu est pœnalis ac proinde non obligat ante iudicis sententiam, vt rectè Nauarr. *cap.* 17. *num.* 175. At si arte magica in loco alieno sit inuentus, solùm adiudicandam per sententiam iudicis eam partem, quæ fuisset inuentoris. Ita Lessius *supr. dub.* 17. *num* 66. dominus enim loci ob maleficium alterius non debet suo iure priuari.

9 Denique si thesaurus inueniatur in loco sacro, vel religioso casu fortuito, omnino publico, & quæ sub nullius est dominio, totus est inuentoris, vt tenet Salon *dict. art.* 5. *in fine*, & ita intelligendus est Lessius *supr. dub.* 16. *num.* 64. Si verò data opera inuentus si in tali loco, dimidium cedet Ecclesiæ, vt docet ipse Lessius *num cit.* Quòd si locus sacer sit proprius, & particularis alicuius Ecclesiæ, Religionis, vel Prælati, dimidium est inuentoris, & aliud dimidium monasterij, vel Prælati, aut Ecclesiæ. Nam idem est ac si inuenerit in loco alieno alicuius particularis. At Sayrus *in Claui Regia, lib.* 9. *c.* 9. *num.* 14. cum Syluest. *verb. inuentum, quæst* 3. Nauarr *cap.* 17. *n.* 175. existimat idem esse dicendum de inueniente thesaurum in loco sacro & religioso, ac de illo, qui in non sacro inuenit, quia modo Ecclesiæ habent dominos, nempe Prælatos. Vnde si data opera sit inuentus, totus erit Ecclesiæ, vel Prælati. Si verò casu, dimidia pars Ecclesiæ, & altera inuentoris.

10 Hæc omnia quæ dicta sunt procedunt de iure communi Cæsareo. Quod si in aliqua prouincia sint aliquæ leges particulares, vel consuetudines hac de re iustæ, sunt seruandæ. In Regno Castellæ *lib.* 6. *ordinat. legal tit.* 12. *l.* 7. habetur, vt thesaurus vbiuis inuentus, siue in proprio agro, vel domo priuati, sit totus Regis, seruata tantùm quarta parte inuentori, vel domino loci in quo inuenitur, quod iustè posse facere regem probat Couarr *in regul. peccatum, parte* 2. *§.* 2. *num.* 4. & Salon 2. 2. *quæst.* 66. *artic.* 5 *conclus.* 6. *pagina* 1303. sicut potest concedere legem, vt vnusquisque ex partis proprio labore aliquod tributum soluat, si id bonum commune expostulat. In nostro autem Regno seruatur ius commune, à nobis suprà expositum: datur tamen ex consuetudine quinta pars Regi, vt docet Salon *suprà*. Hæ autem leges quæ disponunt vt totus thesaurus sit Regis reseruata tamen quarta parte inuentori, obligant in conscientia ante iudicis sententiam, vt existimant Couarr. Salon. *suprà*. & aliqui, quos ipse citat. At Syluester *inuentum, n.* 13. Sot. *lib.* 15. *de iust. q.* 3 *art.* 3. *ad* 2. & Lessius *lib.* 2. *capit.* 5. *dub.* 17. *numer* 66. existimant non obligare in conscientia: nam cùm iure naturæ thesaurus sit inuentoris modo explicato, videtur valde durum, & difficile, & iuri naturali dissonum, vt totus Regi, vel Reipub. applicetur; ac proinde ait Lopez 2. *part. instruct. c.* 2. non obligari inuentorem ad quintam, vel quartam partem restituendam antequam ab eo exigatur. Vide in nostro Decalogo *lib.* 7. *sect.* 1. *c.* 3. *dub.* 8 *n* 10.

11 Quoad tertium, nimirum cuius sint res tertij generis, illæ scilicet, quæ in propinquo habent dominum, non tamen inuenitur, vt sunt res deperditæ. Aduertendum, ex iis alias res esse animatas, & se mouentes, quæ in Hispania vocantur bona *de monstreco*, vt sunt iumenta, armenta, pecudes. Alias esse,

quæ ab aliis mouentur, huiusmodi sunt res inanimatæ, vt vestes, pecuniæ, &c. Et ex iis omnibus aliæ sunt, quæ pereunt, & deperduntur in naufragio, quæ dicuntur bona naufragantium: aliæ verò quæ in terra extra naufragium deperduntur.

12 Dico igitur, res inanimatæ extra naufragium deperditæ, si facta debita diligentia, iuxta rei qualitatem, dominus non apparet, impendendæ sunt pauperibus, vel piis operibus. Ita Syluest. *verb. inuentum, num.* 1. Caietan. *verbo furtum.* Nauarr. *c.* 17. *n.* 171. Couarr. *ad reg. peccatum, 3. p. §. 1. n. 8. & seqq.* Lessius *lib.* 2. *c.* 14 *dub.* 7. *num.* 49. & communiter Canonistæ, quia talia videtur domini voluntas, vt sic ei aliquomodo prosit res sua, & ita quisque de rebus suis perditis fieri cuperet. Quòd si inuentor ipse pauper sit, dicunt posse sibi rem in totum, aut partem retinere, iuxta consilium prudentis confessarij. Nihilominus tamen Sot. *lib. 5. quæst. 3. artic. 3. ad* 2. Medina *in Summ lib.* 1 *cap.* 14. § 33 *pag.* 133. Nauarr. *lib.* 4. *c.* 2. *n.* 39. Sà *verb. Thesaurus* Lopez 2. *p. instruct. c.* 2. *in fine.* Salon 2. 2 *q* 66. *art.* 5. *cont.* 1 *fol.* 1308. & alij quos sequutus sum *in Decal lib. 7. sect. 3. c. 9. dub. 5. n.* 3. existimant ipsum inuentorem, etiam si diues sit, facta debita diligentia, domino non apparente, posse eam sibi retinere tuta conscientia, quam sententiam existimat Salon probabiliorem. Ratio est, quia bona incerta non iure naturali & diuino, sed solo iure canonico debentur pauperibus, vt latè probant Salon 2. 2. *quæst.* 66 *art 5. controuers.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub* 6. *num* 34. Nauarr. *lib.* 4 *cap.* 3 *num.* 58. & *num.* 34. Sayrus in *Claui Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 18. & alij quos ipse. colligunt id ex *cap cum tu, de vsuris*: at ius Canonicum tantùm disponit de incertis iniustè debitis, vt patet ex d. cap. & ad canonem, *si quid* 15. *quæst.* 4. vbi dicitur: *Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti*; respondent loqui de inuentore, qui rem retinet, nulla facta diligentia, vel qui rem eo animo retinet, quòd etiamsi dominus appareret, non restitueret. Habentur enim talia bona tanquam adespota, & derelicta, Ideóque conceduntur primo occupanti, sicut thesauri: ideóque etiam interdum Respublica applicat illa pauperibus, interdum Religiosis, interdum suis necessitatibus: quod facere non posset, si essent alicuius particularis, & non communia. Quare hæc bona non ex præcepto, sed consilio tantùm sunt pauperibus eroganda.

13 Quòd si res perdita sit animata, vt sunt animalia, bos, asinus, equus, &c. stando in iure naturæ sunt inuentoris, si facta debita diligentia, dominus non inueniatur Ita Salon *supr. art.* 5. *controu.* 1 *conclus.* 1. Nauarra *lib.* 4. *cap.* 2. *numero* 64. & ego ipse *in Decalogo lib. 7. sect. 3. cap. 9 dub. 5. numero* 3. Vnde in nostro Regno cùm nulla sit lex scripta, quæ de iis bonis disponat, iudicandum est de illis, ac de aliis bonis inanimatis, & non se mouentibus. In Regno autem Castellæ *lib* 4. *fori legalis, tit.* 13. *lege* 8. & *lib.* 2. *ordin regal. titul.* 12. *leg.* 1. conditum est, vt bona se mouentia aut *monstrenca* deperdita, manifestentur iudici, vt ipse intra quatuordecim menses in diebus nundinarum, & mercatus, & aliis certis diebus publicè proponat, quibus transactis, domino, non apparente, dandæ sunt illi, cui ex priuilegio Regis hæc competunt, v. g. Commissario generali Cruciatæ in belli subsidium. Quòd si nullum esset priuilegium, dandæ essent inuentori: nam tunc seruandum esset ius commune. Variant tamen Doctores, an hæc lex obliget in conscientia ante iudicis sententiam. Affirmat Salon 2. 2. *q.* 66 *art.* 5. *controu.* 1 *concl.* 3. *pag.* 1311. & 1314. At Nauarra *lib.* 4. *c.* 2. *n.* 64. existimat in conscientia bona hæc ante iudicis sententiam non deberi dari Regi, vel Reipub. aut alteri priuilegiato, sed posse ea sibi, facta debita diligentia, retinere, antequam à iudice repetantur: ait enim has leges non obligare in conscientia ante iudicis condemnationem, & ita esse accipiendas. Ait etiam non esse improbabile hæc *monstrenca in* conscientia Regi, vel Reipub. deberi, quam sententiam sequitur Ludouic. à Cruce *in exposit. Bulla, disput. 3. dub.* 15. *num.* 7. vbi tenet inuenientem bona *monstrenca*, imò & inanimata, teneri sub p. m. ea reddere Ordini Sanctæ Mariæ de Mercede, vel Sanctissimæ Trinitatis, quibus à Regibus, & Pontificibus sunt applicata, domino non comparente, vt etiam refert Henriq. *lib. 7. cap. 36. §. 5.* consequenter asserit non posse super iis fieri compositionem eo quòd iam detur dominus certus, videlicet dictæ Religiones in quas Reges, & Pontifices suum ius transtulerunt, vide infrà *casu* 19. *num.* 2. Couarr. autem *in reg peccatum, part. 3. §. 2. n.* 5. existimat, has leges applicantes horum bonorum dominia Reipub. vel Regi, non esse iustas, existimat enim domino non apparente, conuertendas esse in pauperes, aut alios vsus pios: tenenda tamen est sententia Nauarræ, vt pote rationi, & æquitati conformior, modò aliud non habeat consuetudo recepta, & in conscientia approbata communiter à fidelibus, quo casu absque dubio procedit sententia Ludouici *vbi suprà.*

14 Aduertit tamen, & bene, Salon *sup. fol.* 1316. Sayrus *in Claui Regia, lib* 10. *tractat.* 5. *capit.* 2. *numer.* 32. cum aliis & dixi *in Decalogo, suprà numero* 4. quod licet inuenta post factam diligentem inquisitionem, sint inuentoris, si tamen postea appareat intra tempus ad præscribendum, vel vsucapiendum, necessarium tenetur illi restituere: si verò post tempus designatum ad præscribendum, minimè: quia vsque ad tempus præscriptionis dominium adhuc manet apud priorem dominum: post verò transfertur, per legem inuentorum, tituloque inuentionis acquiritur eius dominium.

15 De bonis naufragio deperditis, & illis quæ proiiciuntur in mare tempestate ingruente, prohibitum est tam iure ciuili, quam canonico, vt ab aliquo accipiantur: de quo latè Salon 2. 2. *quæst.* 66. *articul. 5. controuers.* 1. *in fine, fol.* 1316. & Dixi *in Decalogo lib. 7. sect. 1. cap. 3. dub. 9. & sect. 3. capit 9. dub.* 5. Vnde bona hæc non sunt primò occupantis, sed adhibenda est summa diligentia vt domino reddantur, quia afflicto non est danda afflictio. Quòd si ea facta dominus non appareat, deferenda sunt ad Ordinarium loci, eique tradenda, vt ex illis pro sua prudentia disponat, vt docent Sotus *lib. 5. quæst. 3 art.* 3. Caietanus *fructum.* Nauarrus *capite* 17. *numer.* 98. Couarruuias *regul. peccatum, part.* 3. §. 1. *num.* 5. Nauarr. *lib.* 4. *cap* 2 *num.* 70. ait, si facta diligentia non apparet dominus, fieri capientis, & occupantis: quod limitarem in rebus parui momenti, aliter deferenda sunt ad Ordinarium. Quare propria auctoritate talia bona retinens est ipso facto excommunicatus excommunicatione non reseruata, *capit. excommunicationi, de raptoribus*, & alia Papæ reseruata, vt habetur in Bulla Cœnæ Domini, *excommunicatione* 4. vbi excommonicantur à Papa, qui naufragantium Christianorum bona surripiunt; de qua Sayrus *in Thesauro, libro 3. capite* 8. & nouissimè Bonacina *tom. 3. disput. 1. part.* 5.

16 Excipiuntur tamen ab hac excommunicatione, qui hæc bona è nauibus infidelium, aut hæreticorum surripiunt: nec incurrit qui è nauibus fidelium si bona sint infidelium; bene verò si sint fidelium,

nec

nec qui à primo surripiente surripuit, nec qui capit animo reddendi (quo casu nec peccat) vero domino quando is ignoratur, vel absens est; seruanda tamen est tunc ipsa res sine deterioratione. Item, nec incurrunt, nec peccant, qui accipiunt ex naufragio alimenta ad succurrendum sibi, vel alicui fratri in extrema necessitate; nec qui cum probabili vitæ periculo, curarunt aliqua saluare ex naufragio, quæ reuera periissent. Demum nec incurrunt, nec peccant, qui accipiunt ea, quæ prudenter iudicantur, à propriis dominis deserta, & derelicta: quod iudicandum est, vt bene Sayrus *sup. num.9. Primò*, ex natura, & conditione rei, putà, si proiecit in mare vasa plena sacchari. *Secundò*, ex modo proiiciédi, vt si librum apertum in mare proiecit. *Tertiò*, si dominus rei post illam proiectam tacet, & neque per se, neque per alium illam quærit. *Quartò*, si res proiicitur extra periculum magnæ tempestatis. In iis tamen si appareat dominus, tenetur illa ei exhibere, deductis expensis, vel aliquo pretio, arbitrio prudentium, pro labore, & periculo, quod passi sunt in illis seruandis: quod si nullo modo appareat dominus, possunt sibi ea tanquam periculo empta retinere. Ita Salon *sup.* Vtendum tamen est consilio Confessarij, vt iudicet de illo periculo, an ita fuerit graue, & necessarium.

17 Idem dicendum de bonis, quæ proiiciuntur, & accipiuntur quando accidit aliquod incendium, vt docet Nauarr. *suprà*, & Salon *loco citato*, qui similiter idem dicendum existimat de rebus fluuialibus, quas flumina inundationibus deferunt, vt sunt ligna, trabes, arietes, & alia animalia, rum etiam & fruges. At Nauarr. *sup. num.69.* existimat, si facta debita diligentia, dominus non appareat, esse capientis. Quod limitarem in rebus parui momenti, vel quando habentur pro derelictis.

18 His positis, facilis est huius casus expositio.

Dico igitur primò, inueniens res primi generis, scilicet lapides pretiosos, gemmas, &c. nulla indiget compositione, quia vt dictum est, *n.3.* hæc bona sunt primò occupantis, ac proinde ea potest inuentor sibi retinere. Neque locum habet compositio in inuentore metallorum; nam, vt dictum est *sup. n.4. & 5.* hæ venæ aut pertinent ad dominum fundi, aut ad Regem, vbi eas sibi ex lege applicauit, aut ad ipsum inuentorem: cùm igitur in iis detur dominus certus, non poterit fieri compositio.

19 Dico secundò, inueniens thesaurum proprie dictum, non potest de illo compositionem facere: nã si pertinet ad ipsum inuentorem, est in bonis ipsius: si verò ad alium, modo *supr. num 6.* explicato, datur dominus certus, ac proinde in hoc inuentore non habet locum compositio. Dixi, *thesaurum propriè dictum*; nam de thesauro impropriè dicto idem dicendum, quod dicemus de rebus quæ passim perduntur.

20 Dico tertiò, inueniens res tertij generis, illas scilicet, quæ in propinquo habent dominum, & passim perduntur, si facta debita diligentia, dominus non appareat, si sequamur probabilissimam opinionem asserentium has esse inuentoris, & fieri primò occupantis, vt dixi *numero* 12. nulla super his desideratur compositio eo quòd tuta conscientia, & sine vlla obligatione restituendi possit eas inuentor sibi retinere. Si autem sequamur sententiam communiorem, asserentium domino non apparente, conuertendas esse in pauperes, & alios pios vsus, quam sequitur in hoc casu Commissarius, habet locum compositio verè, & propriè, sicque intelligendus est hic casus, & mens Commissarij interpretãda.

21 Dico quartò, nec habet compositio locum in bonis se mouentibus, seu de *monstrenco*, quia hæc de iure naturæ pertinent ad inuentorem, & secundùm legem scriptam ad Rempublicam, vel Regem, aut alium priuilegiatum, modo, vt *suprà*, explicato, *num.* 13.

22 Dico quintò, in bonis naufragantium, & in rebus fluuialibus, & quæ in incendio proiiciuntur, non habet locum compositio, quia hæc vel reseruantur vero domino, vel fiunt primò occupantis, modo latè explicato, *num.* 15. 16. & 17. Quare hic casus decimusquartus solùm habet locum in rebus quæ passim per vias, & plateas deperduntur, & facta debita diligentia, domino non apparente, pauperibus sunt restituendæ, insequendo hanc opinionem, vt dictum est *num.* 12.

CASVS XV.

1 *Item el que tuuiere alguna, ò algunas cosas en su poder de persona, ò personas que no pueden ser auisadas para restituyr selo, auiendose para ello hecho la deuida diligentia, se podra componer de lo que aquello montare.*

2 Verbi gratia, habet Petrus in se pecunias, aut alias res, quas deposuit Ioannes, vt eas ipsi custodiret; Ioannes verò profectus est in regionem longinquam, & facta debita diligentia, non potest haberi, nec speratur breui rediturus, tunc potest fieri per Bullam, & Commissarium super his rebus compositio. Idem dicendum de omni re, quam iustè in se quis habet, si dominus, facta debita diligentia, non inueniatur. Intelligenda tamen est sententia hæc quando is qui deposuit non apparet, & ignoratur: aut si notus est, tam longè abest, vt res ad eum sine magnis expensis mitti non possit. *Secundò*, vt etiam non appareant hæredes ipsius: nam stantibus hæredibus, domino non apparente, ipsis est facienda restitutio: hæredibus autem non stantibus, potest depositum dari pauperibus, de quo Lessius *lib.2. dub.6. num.* 34. & Doctores agentes de eo cui facienda est restitutio, & dixi latè *in Decalogo, lib.7. sect.3. cap.9. dub.4.* Et in hoc solo casu, nimirum, non apparente domino, nec ipsius hæredibus, videtur locum habere compositio, quia res in pauperes, & vsus pios erat conuertenda.

CASVS XVI.

1 *Item se puede componer de los daños que han hecho andando à caza con sus ganados, ò de otra manera assi en los panes y viñas, como en otros qualquier heredamientos, no sabiendo à quien se huuiere hecho el daño.*

2 Hic casus facilis est, solùm enim agit de damno quod quis piscando, venando, aut pascendo oues, boues, aut alia animalia, intulit alicui in bonis alterius, v.g. in agro, in vinea, in segetibus, &c Hoc enim casu, si dominus agri, aut vineæ, facta debita diligentia, ignoratur, potest per Bullam, aut Commissarium fieri compositio. Si autem notus est, ipsi est necessariò restituendum. De venatione autem, piscatione, aucupio, Inter recentiores vide Lessium *lib.2. cap 5. dub.6.7.8 9.10. & 11.* Nauarr. *cap.17. à num.126.* Couarr. *ad reg. peccatum, p.2. §.8.* & alios, quos ipsi, & Rodriguez *hic casu* 12. & ea quæ dixi *in Decalogo, lib.7. sect.1. cap.3.* vbi de his latè.

Casus XVII.

1 *Item todas las mugeres que no son publicamente deshonestas, se pueden componer de qualquier dinero, o joyas, que por causa fea huuieren recebido, y los ombres si de mugeres, que no tienen maridos, se pueden componer por la misma razon.*

2 Ad intelligentiam nota, mulieres impudicas, & inhonestas, alias esse publicas, alias verò non publicas. Dicuntur publicæ inhonestæ illæ, quæ omnibus indifferenter se exponunt. Non publicæ verò illæ, quæ non omnibus, sed alicui, vel aliquibus faciunt sui copiam. Conueniunt Doctores cum S. Thom. 2.2.*q*.32.*art*.7. publicas meretrices licitè, & sine peccato posse accipere, & apud iudicem exigere id, quod promissum ei est à viro potente alienare, dummodo non sit excessiuum aut per fraudem extortum: nec peccat ipse vir soluendo, quia talis conuentio, seu promissio nullo est iure prohibita, nec ipsa ad accipiendum à iure est inhabilis. Est enim fœmina domina vsus sui corporis, eiúsque vsus est pretio æstimabilis. Et quamuis antequam res turpis fiat, sit peccatum promittere, vel dare, quia est ob finem malum, post peccatum autem commissum exigens exigit quod sibi debetur ex iustitia, & alter soluit id quod tenetur soluere, sicque ante turpitudinem non cogitur soluere, benè verò post. Vide Nauarr. *cap*.17. *num*. 40 *&* 39. At si accipiat à non potente alienare, vt à filiofamilias, Monacho, &c. tenetur illud restituere patri, tutori, aut monasterio, de quo Sayrus *in Claui Regia lib*.10.*tractat*.2 *cap*.2.*num*.36. & alij. quos ipse, & dixi latiùs *in Decalogo, lib*.7. *sect*.3.*cap*.9. *dub* 8. *num*.1. *& seqq*.

3 Dixi, *dummodo non sit excessiuum*, nam tales fœminæ solùm possunt accipere id, quod à lege est ipsis taxatum; si autem taxa non adsit, id quod communiter aliæ eius status, & conditionis recipiunt. At si est celebris quædam fœmina, aut non exposita illo miserrimo officio, non potest taxari iustum pretium, sed tantum valet, quantum ipsa æstimare velit: in mercibus namque quæ nec ad victum, nec vestitum sunt necessariæ, nec quis ad emendum cogitur, sed tantum sunt ad ornatum, vt sunt gemmæ, & similia, iustum pretium est, quod haberi potest citra fraudem ex conuentione partium: sic in proposito; de quo Nauarr. *lib* 4.*c*.2.*num*.93. Quòd si habita ratione qualitatis, & conditionis dantis & accipientis, aliquis quid excessiuum promisit, tantum tenetur soluere, quod aliis eiusdem conditionis debetur, vt benè Lopez 1.*part.inst cap* 107 *q*.3. & Salon. 2.2 *q*.62 *art*.5.*controuers* 4. non enim seruatur æqualitas. Quod verum est etiam, si promissionem iuramento confirmauerit, vt benè Sayrus *sup n*.38. quidquid Salon *sup*. quia iuramentum fuit nullum, eo quòd finem illicitum respiciebat, vt dixi *dub*.8.*cit*.*n*.2.

4 Idem quod de fœminis dictum est, eodem modo est de viris dicendum, cùm in omnibus eadem sit ratio, & iuris dispositio: imò æquius reercipit homo, quàm fœmina, quia plus præbet. Ita Sotus *lib*.4.*q*.1. *art*.1.& alij communiter.

5 De mulieribus autem inhonestis, non publicis, sed occultis, & secretò fornicantibus, variant Doctores: nam quidam, vt Gatnica, *pag*.64 & aliqui, quos refert Henriquez *lib*.7. *cap* 35. *num*. 3. *litter*. *E*, tenent has fœminas teneri acceptum restituere, non danti ob cooperationem in turpitudine, sed pauperibus, aut piis operibus. At probabilius est posse licitè acceptum sine obligatione restituendi, retinere, dummodo non sit excessiuum, & à non potente dare acceptum, & absit vis, fraus, & dolus, quamuis fœmina sit coniugata, virgo aut monialis. Ita Nauarr. *c*.17.*num*.40. Salon etiatus *sup*. Sor. *lib*.4. *q*.7 *art* 1.*ad* 2. Couarr. *reg. peccatum p*.2 §.2.*n*.3. Henriq. *sup.cit*. Caietan & alij 2.2. *quæst* 62 *art*.5. *ad* 2. & Villalob. *tract*.19. *n*.35. & ego ipse *in Decaloga loc cit.n*.5. eadem enim est de publicis, & occultis ratio. Sola ergo differentia est, quòd meretricibus publicis datur actio in foro exteriori ad petendum pretium promissum: aliis verò denegatur, ad vitandas rixas, scandala, & maiora incommoda: imò post iudicis sententiam priuabuntur pretio: ante autem iudicis sententiam illud retinere possunt, & sine peccato petere, & viri tenentur in conscientia soluere. Vnde filia, vxor, & monialis possunt acceptum ob turpem actum sibi retinere; nec tenentur danti, aut pauperibus restituere, nisi amplam supellectilem hac via acquisiuissent, tunc enim filia patri, vxor viro, & monialis monasterio restituere tenentur: at si modicum quid lucratum fuerit, possunt sibi ipsis retinere. Quando autem acceptum esset quid notabile, ita vt pro ratione rei, & consuetudine Regni, & Prouinciæ, tenerentur istæ illud maritis reddere, sicut alia quæ labore manuum suarum acquirunt, cauere debent vt reddant occultè, ita vt propriæ famæ consulatur. Sic similiter, si aliquid istis fœminis sit promissum ob turpem actum præteritum, nondúmque solutum, communiter ipsis fœminis restituendum est ob infamiam vitandam: vt cum moltis tenet Sayrus *lib*.10.*tract*.5.*cap*.2.*num* 44.*fol*. 746. & Nauarr. *sup.num*.95. Circa nuptias verò Salon 2.2.*q*.62.*art*.5.*controuers* 4.*in fine* docet, si ipsa contraxit contractu societatis bonorum, vt in Castella, debere adducere in partitionem lucrum turpe: sin autem contractu dotali, posse illud sibi retinere; si tamen illud lucrata esset tempore quo erat otiosa, nec ob id defuit necessario seruitio, & obsequio, ac gubernationi domus: si verò defuit, id quod eo tempore lucratur, tenetur marito restituere. Vide in nostro Decalogo *lib* 7.*sec*.3.*cap*.9.*dub*.9. *num*.6. vbi cum Bonacina *disp* 1 *de restit*.*q*.3.*punct* 3. & Diana *part*.1 *tract* 3.*miscell*. *resolutio* 3. dixi esse probabile absolutè loquendo turpiter acquisita ab vxore, filia, filio, aut seruo posse ab ipsis retineri, nec teneri restituere marito, patri, aut domino, quia maritus in iis illicitè, & turpiter acquisitis nullum habent ius. Securior tamen est supradicta sententia modo explicato.

6 Quòd si vi, dolo aut fraude extorsit ab amasio, vt si fingit esse virginem, aut non esse cognitam ab alio nisi semel, solùm potest sibi retinere id quod sine fraude merebatur, tenetúrque excessum ipsi danti restituere, quia fraus & dolus nemini debet patrocinari, at si blanditiis, & verbis amatoriis illud extorsit, dicendo se ipsum valdè amare, aut solùm se ipsius gratia velle id facere, quamuis ita non sit, restituere non tenetur: nam hæc mendacia, & illecebræ sunt vsitatissimæ inter amatores, & notissimæ, ac per consequens censetur sponte datum. Ita Nauarr. *c*.17. *n*.40.*in fine*. Salon *cit*. & Sayr. *sup*. *n*.45. *vers*. *Secundum est*.

7 Quod autem dictum est de meretricibus, locum etiam habet de eo, quod promittitur, & datur scurris, mimis, parasitis, histrionibus, & ioculatoribus, vt finant vel alapis, vel verbis cædi, quibus etiam soluendum est in conscientia promissum sequuta conditione turpi, sicut in fœminis dictum est; nam etiam isti actus turpes sunt pretio æstimabiles, vt docet Sayrus *sup n*.46. cum aliis. His positis,

8 Dico

8 Dico primò. Publicæ meretrices nulla indigent compositione Bullæ, vt acceptum ob turpem actum sibi possint retinere: quia, vt dictum est, absolutè & simpliciter tanquam veræ dominæ possunt illud accipere, & retinere. Et casu quòd teneantur illud restituere, eo quòd acceperint à non potente alienare, aut aliquod excessiuum, aut per vim, & fraudem, datur dominus certus, cui facienda est restitutio, ac proinde non habet locum compositio. Quod si fortè hoc in casu, facta debita diligentia dominus non inueniretur, poterit super iis fieri compositio, non virtute huius casus, sed primi, & vltimi.

9 Dico secundò. Occultæ meretrices, si sequamur probabiliorem opinionem, dicentium, posse sibi acceptum sicut publicæ retinere, nulla indigent compositione, propter eandem rationem. Quòd si sequamur opinionem asserentium, teneri restituere pauperibus, aut piis operibus, quam in hoc casu sequitur Commissarius, ad maiorem securitatem poterit super his fieri compositio, reperiuntur enim omnia requisita ad eam.

10 Dico tertiò. Viri accipientes aliquid à fœmina coniugata, non possunt super his se componere; quia restitutio est facienda maritis, quia fœminæ coniugatæ non possunt distribuere bona. Quod intellige de bonis non paraphernalibus: nam bona paraphernalia possunt ad libitum distribuere. Et de iis possent se componere, si sequamur opinionem asserentium, acceptum ob turpem causam, pauperibus restituendum. Quòd si à fœminis non coniugatis, & sequamur probabiliorem opinionem, posse illud sibi retinere, sicut dictum est de fœminis accipientibus à viris, non indigent compositione. Si verò sequamur opinionem dicentium, acceptum teneri restituere pauperibus, sicut dictum est de occultis meretricibus, quam sequitur Commissarius, possunt super iis acceptis viri se componere, quia, vt sæpè dictum est, quotiescumque restitutio facienda est pauperibus, habet locum compositio.

Casus XVIII.

1 *Item si alguno ha vendido vino aguado por puro, o medido con falsas medidas, o huuiere vendido otra cosa alguna con menores pesos o medidas, o vendido vna cosa por otra, o mezclado, o pesado, o mal medido, no sabiendo a quien se huuiere vendido, se puede dello componer.*

2 Certum est suprà dictas personas huiusmodi fraudes committentes teneri restituere damna illata: hæc autem restitutio facienda est his, quibus damnum illatum & res accepta est, si constat quisnam ille sit. Quod si facta debita diligentia, dominus ignoratur, restituendum est pauperibus, & in hoc casu potest fieri compositio per Bullam: & si restituenda excedat summam mille dipoodiorum, cum Commissario pro illo excessu poterit componi. Hoc tamen semper intellige, vt supradictas fraudes praua & positiua confidentia huius Bullæ commiserit. Sic tabernarij, macellarij, caupones, pistores, &c. qui falsis ponderibus, vel mensuris ab emptoribus aliquid plus iusto acceperunt, & ignorant à quibus acceperint, poterunt per Bullam, aut Commissarium componi. Vide Henriq. *lib.7.cap.35.n.7. in fin.* & Rodrig. *casu 14. à n.68.* Idem dicendum est, si emptor decepit venditorem, si, facta debita diligentia, venditor deceptus ignoratur, vt benè Henriquez *suprà* Villalob. *tract.29.n.36.vers. La duda es*, existimat quando, v.g. vendens vinum scit tantum in hoc loco, & tantùm in alio defraudasse; ignorat tamen in particulari qui sint damnificati, teneri restituere communitati, vel vendere vilius eodem loco, atque ita non posse in hoc casu fieri compositionem, cui non assentior, nam in hoc casu potest fieri restitutio pauperibus, & per consequens compositio habet locum. De fraudibus quæ in emptione & venditione committuntur, & de furantibus minutim, vide Doctores in materia de furto, & emptionis, & venditionis; longum enim esset, & abs re nostra, hic eas referre. De quibus vide etiam in nostro Decalogo *lib.7. sect.2. & 3.* vbi de iis latè.

Casus XIX.

1 *Item generalmente se pueden componer de qualquier genero de hazienda ilicita, y malamente auida, mal ganada, y adquirida, assi por vsura o logro, como en otra qualquier forma o manera, oficio, o trato que sea, o ser pueda, no sabiendo el dueño a quien legitimamente se pueda, y deua hazer la restitucion, con tanto que el que assi se huuiere de componer no aya auido las cosas, o quantia de que aqui se compusiere, en confianza desta composicion, porque entonces sera obligado a lo restituyr enteramente a la santa Cruzada para ayudar a los dichos gastos de la guerra contra infieles.*

2 Ex hoc casu euidenter constat compositionem generaliter fieri posse in omni euentu, in quo constat restitutionem faciendam esse ratione rei malæ acceptæ, vel iniustæ acceptionis, secundùm regulas restitutionis, duobus concurrentibus. *Primum*, vt facta debita diligentia, dominus certus, aut eius hæres non appareat. *Secundum*, vt hæc bona ablata non sint ex confidentia huius Bullæ, praua scilicet, & positiua, vt *sup.* explicatum, *lib.1. §.1. dub.9. pag.33.* & explicat Rodriguez in hoc casu *num.75.* quas conditiones colligit Commissarius ex Bulla Latina. Quòd si ex positiua Bullæ confidentia sublata fuerint, non poterit per Bullam, aut commissarium fieri compositio, sed bona hæc integra, & sine diminutione, domino non apparente, danda sunt, non pauperibus, sed Bullæ sanctæ Cruciatæ, seu Commissario in subsidium belli contra infideles: quod posse facere Papam, nemini dubitare licet; potest enim Papa ea quæ in vsus pauperum cedunt, in Ecclesiæ vtilitatem conuertere. Posse autem id facere Commissarium, etsi apertè in Bulla Latina non contineatur, colligitur tamen ex facultate ampla, quam ei Papa concedit, vt compositionem facere, & taxam assignare super rebus malè ablatis. Ex quo etiam colligitur, potuisse apponere hanc conditionem, scilicet, vt ablata non fuerint ex praua Bullæ confidentia, aliter autem esse in Bullæ subsidium applicanda. Aduertant igitur confessarij, & curent diligenter, vt qui ex praua Bullæ confidentia aliquid surripuerint, domino non apparente, illud in Bullæ, & belli subsidium applicent. Quòd si aliter fecerint, & pauperibus applicauerint, existimo valere applicationem, quia Commissarius aliter factum non irritat, peccabit tamen applicans, quia agit contra iustum & pium præceptum, nisi fortè ignorantia, aut bona fides illum excuset. Hoc autem intellige, vbi viget consuetudo, quòd taliter accepta applicentur

centur

centur Bullæ Cruciatæ. Aliter enim nullum erit peccatum contra dispositionem Commissarij, ea pauperibus applicare.

Dices, poterit ne fieri compositio quando quis ingentem pecuniæ summam à diuersis accepit in stipendium pro Missis celebrandis, quando non recordatur pro quibus sit Missæ sacrificium applicandum. Respondeo certum esse non posse fieri; quia constat offerendum esse sacrificium, pro animabus, siue pro defunctis, & potest, & debet offerri tunc iuxta intentionem eorum qui erogarunt eleemosynam, & cùm bona hæc non sint incerta, inde fit, vt non habeat locum compositio, ita Ludouic. à Cruce *in expositione Bullæ disputat.* 3. *dub.* 16. 17. & 18. vbi fusè, incidenter, & præter nostrum institutum tractatum de valore Missæ, & vsu accipiendi stipendia pro Missarum celebratione, & de earum reductione.

LIBER QVARTVS DE EXPOSITIONE BVLLÆ DEFVNCTORVM.

Dvb. I.

Quid sit Bulla Defunctorum.

1 POSTQVAM Summus Pontifex in initio Bullæ concessit indulgentiam plenariam proficiscentibus, vel mittentibus ad bellum contra infideles, vel Bullam, data eleemosyna à Commissario assignata, accipientibus, addit, eandem indulgentiam suffragari permodum suffragij animabus Purgatorij, his verbis.

2 *Item eadem indulgentia suffragabitur per modum suffragij etiam animabus defunctorum, pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit; aut pro quibus non euntes, nec mittentes, de bonis suis iuxta taxam per Commissarium, personarum qualitate inspecta faciendam, pro religionis defensione, contulerint.*

3 Ex quibus verbis Bullæ Cruciatæ Commissarius Bullam, quam vocamus *Defunctorum*, desumpsit, composuit, & ordinauit, eamque vulgari lingua seorsim à Bulla viuorum typis mandauit.

Igitur potest Bulla defunctorum sic describi: Indulgentia plenaria fidelibus defunctis in Purgatorio existentibus à Summ. Pontifice in Bulla Cruciatæ medio aliquo opere à fideli viuo præstando concessa. Ita deducitur apertè ex verbis Bullæ *suprà* citatis.

4 Hanc indulgentiam esse plenariam, seu totalem patet: quia Pontifex in hoc §. concedit fidelibus defunctis eandem indulgentiam, quam superiori §. concedit fidelibus viuis, similem illi, quæ cōcedebatur euntibus in recuperationē Terræ sanctæ, & quæ in anno Iubilæi concedi solet: sed illa indulgentia est plenaria, seu totalis, remissio scilicet omnium pœnarum, quæ peccatis quoad culpam dimissis debentur, vt dictum est *supra libr.* 1. §. 1. *dub.* 14 *pag.* 46. ergo similiter indulgentia fidelibus defunctis concessa, erit totalis. Qualis dispositio, & quænam opera requirantur ad huiusmodi indulgentiæ consecutionem, dicetur *inf. dub.* 10. & 11.

5 Hinc fit per vnam Bullam, seu indulgentiam concessam in Bulla defunctorum, liberari animam, pro qua Bulla accipitur & applicatur, è pœnis Purgatorij, vt tenet Carrillo *in Bulla defunctorum, part.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. & 11. Et ratio est, quia cùm sit totalis, adæquat omnes pœnas, quas anima in Purgatorio erat luitura: & ex alio capite indulgentia per modum suffragij defunctis concessa, tam infallibilem habet effectum, ac ea, quæ per modum absolutionis viuis conceditur, vt dicetur *infrà dub.* 9. *dict.* 5. Atque adeò probabiliter credendum, &, moraliter loquendo, pro certo habendum, per vnam Bullam, vnam animam è pœnis Purgatorij liberari. Quòd si dicas: Quare igitur sumitur secunda & tertia Bulla, tot pro ea anima Missæ in altari priuilegiato celebrantur? Huic dubio satisfactum est *infrà dub* 9. *vers. Sed dices.*

6 Occasione ergo huius indulgentiæ defunctis concessæ, operæ pretium erit, pro illius exactiori intelligentia, aliqua de Purgatorio, & de modo quo animabus Purgatorij indulgentiæ suffragantur breuiter, & resolutoriè tractare.

Dvb. II.

An aliquæ animæ post hanc vitam in Purgatorio pœnis temporalibus expientur.

1 DIco primò. De fide est dari Purgatorium, siue locum in quo illi qui moriuntur in gratia antequam omnino pro peccatis satisfecerint, temporalibus pœnis puniuntur, & purgantur. Ita omnes Catholici, estque definitum in multis Conciliis præcipuè in Florentino, *sess. vlt. in decreto Fidei,* & Trident. *sess.* 6. *can.* 30. & *sess.* 25. *decreto de Purgatorio.* ibi: *Cum Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris litteris, & antiquorum Patrum traditione, in sacris Conciliis, & nouissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio adiuuari.*

Constat

Constat etiam hæc veritas ex variis, tum veteris, tum etiam noui Testamenti locis, & Patrum communi consensu, de quo inter recentiores latè Bellar. *lib. de Purgat.* Suar. *to. 4. in 3. p. disp. 45. sect. 1.* Ægidius Coninch. *de Sacr. disp. 11. dub. 1.* & Martinus Carrillo 2. *part. expositionis Bullæ defunctorum, c. 1.* Ratio autem est, quia, vt docent communiter Doctores, & dictum est à nobis *supr. §. 1. dub. 14.* sæpissimè contingit, vt remissa culpa per confessionē, aut contritionem, restet adhuc nobis aliqua pœna persoluenda. Et consequenter sæpe contingit, vt quis moriatur, antequam pro omni tali pœna satisfecerit; ergo tunc debet dari locus, vbi post hanc vitam possit satisfacere, vel satis pati, & à pœnis purgari temporalibus; nam in illam cœlestem Hierusalem nihil coinquinatum ingredi potest. Nulla enim est ratio cur dicamus, Deum tunc relinquere ea peccata impunita, aut omnes eas pœnas remittere. Item potest contingere, vt quia subitò moriatur cum solis peccatis venialibus, antequàm pro ipsorum pœna temporali satisfecerit: at hæc peccata post hanc vitam purgari, & puniri debent; ergo aliqui post hanc vitam temporalibus pœnis puniuntur.

2 Dico secundò, purgatorium est certus ac definitus locus sub terra, versùs eius centrum, constitutus à Deo ad animarum purgationem. Ita communis Theologorum, cum D. Th. *in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. q. 2.* Diuina namque prouidentia sicut omnibus peccatis certas pœnas determinauit, ita etiam certa loca destinauit ac præparauit, in quibus illæ pœnæ soluendæ sunt.

3 Nota cum Coninch. *vbi sup. dub. 2.* Theologos præter cœlum, quatuor animarum receptacula constituere. *Primò,* infernum damnatorum, qui locus est in centro terræ, vbi perpetuo & inextinguibili igne damnatorum animæ simul cum immundis spiritibus torquentur. *Secundo,* Purgatorium, in quo descendentes in gratia persoluunt pœnas peccatorum pro quibus hic non satisfecerunt, *Tertius locus* est Limbus puerorum, qui sine Baptismo moriuntur, & solam pœnam damni, id est, visionis beatificæ, non verò sensus, patiuntur in æternum. *Quartus locus,* in quo ante Christi Aduentum iusti ab omni peccato purgati excipiebantur, ibique sine vllo doloris sensu beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur, vt docet Catech. Pij V. *fol. 70. & 71. n. 4.* Ex quibus constat, Purgatorium esse locum certum sub terra constitutum immediatè post infernum, vt colligitur ex Catechismo, & sententia ferè communis Theologorum, de quo, & de ordine inter hæc loca late Suar. *to. 4. in 3. p. disput. 45. sect. 2.* Cùm enim de hoc ordine nihil ab Ecclesia definitum sit, datur locus Theologis variè philosophandi. Et quamuis aliqui existiment, animas Purgatorij variis in locis purgari, vbi scilicet potissima peccata commiserunt, vt constat ex aliquibus visionibus, quas refert, Carrillo 1 *part. c. 2.* Hoc tamen est præter legem, & extraordinarium, propter Dei voluntatem, & causam, quam ipse nouit: locum autem de lege ordinaria statutum, & destinatum ad animas purgandas, esse iuxta centrum terræ, ita cum aliis Suarez *sup. sect. 2. cit. num. 7.*

Dub. III.

Quas pœnas, & quanto tempore animæ in Purgatorio patiantur, & detineantur.

1 Cum hæc res valdè nobis occulta, & obscura sit, nec in omnibus ab Ecclesia definita, binc

fit, vt in eius explicatione variè sentiant Doctores: quare nos, consuetæ breuitati studentes, probabiliores sententias proponemus: fusiorem explicationem vide apud Doctores, vt D. Bonauent. *in 4. distin. 20. part. 1. artic. 1. quæst. 2. & 3.* Sot. *dist. 19 quæst. 3. art. 2.* Bellar. *lib. 2. de Purgatorio, cap. 11. 12. 13.* Suarez *tomo 4. in 3. part. disput. 46. sectione 1. & 2.* Coninch. *disputatione 11. de Purgatorio, dub. 2. & 3.*

2 Conueniunt Doctores, animas Purgatorij duplici affici pœna, nimirum pœna damni, & pœna sensus. Pœna damni appellatur, carentia diuinæ visionis, totiusque æternæ beatitudinis. Pœna verò sensus, est pœna alicuius doloris specialiter inflicti vltra priuationem cœlestium bonorum. Carere autem animas visione beatifica quamdiu sunt in Purgatorio, certissimum est, & constat ex dubio præcedenti; quia nemo videt Deum, nisi plenè purgatus ab omni reatu peccatum consequente. Conueniunt etiam doctores, dilationem, & moram beatitudinis eas aliqua molestia & dolore afficere: quia cum cognoscunt iam Deum videre esse maximum bonum, fieri naturaliter nequit, quin hoc valde desiderent: spes autem quæ differtur, affligit animam, *Prouerb.* 13. Dubitant tamen Doctores de vehementia, & magnitudine huius doloris. Diuus Thomas *in 4. distinct. 21. q. 1. art. 1. q. 3.* quem sequitur Sot. *d. 19. art. 3. conclus. 2.* & inclinat Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 46. sect. 3.* existimat hanc pœnam iis animabus esse acerbiorem, quàm sint vllæ aliæ pœnæ, tam huius vitæ, quàm Purgatorij: quia cum perfectè apprehendant beatitudinem esse summum bonum, vehementissimè eam desiderant: & consequenter vehementissimè dolent se ea priuari, cùm cognoscant sua culpa ea priuari, & ibi detineri: necessitari enim videntur à Deo ad tam vehementem tristitiam pro eo tempore, quo detinentur in Purgatorio; sicut necessitantur damnati, vt continuò vehementissimè doleant se priuari beatitudine. Diuus autem Bonauentura *in 4. dist. 20. part. 1. art. 1. q. 2.* Card. Bellarmin. *lib. 2. de Purgatorio, cap. 14.* & alij, quos sequitur Coninch *disp. 11. dub. 3. num. 21. vers. contra,* putant hunc dolorem non esse tam vehementem. Multa enim sunt (aiunt) quæ illum lenire possunt *Primò,* spes certissima beatitudinis. *Secundo,* rectitudo voluntatis, quæ se Deo in omnibus conformant, & alia, de quibus Suar. & Coninch *sup.* Hæ tamen rationes non solùm de pœna damni sed de pœna sensus possent intelligi, si aliquid probarent: vnde cum nec certitudo de diuina beatitudine, nec rectitudo voluntatis minuant pœnam sensus, sic nec pœnam damni: semper enim animæ Purgatorij apprehendunt pœnam damni, vt propter peccatum debitam; ac proinde causatur in eis vehemens tristitia, & dolor.

3 Conueniunt etiam Doctores, animas Purgatorij præter damni pœnam, & dolorem, ac tristitiam causatam ex priuatione beatitudinis, pati etiam pœnam sensus, conuersioni ad creaturas correspondentem, iuxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificauit se in delitijs, tantum date ei tormentorum.* Nam etsi hæc verba de damnatis dicta videantur, cum proportione habent locum in Purgatorio ex consimili iustitiæ æquitate: hæc autem pœna sensus causatur à vero igne corporali, & elementari, vt habet communis Doctorum, & Patrum. Colligitur apertè ex Paulo 1 Cor. 3. *Saluus erit sic tamen quasi per ignē,* vbi illud, *quasi,* non minuit, sed declarat; sicut illud: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi*

vnigeniti à Patre, Ioan. 1. Vide Suarez *diſp. 46. citat. ſect. 2. n. 1. & 2.* Vide etiam Coninch. *diſp. 11. citat. dub. 3. n. 24. & 25.* Vtrùm autem torqueantur etiam frigore, & ſimilibus aliis pœnis, non ita conſtat, probabilius tamen eſt quòd ſic; quia hoc multæ reuelationes docent: de quibus Beda *lib. 5. hiſtoria Anglica*, & alij quos Suar. *ſup.*

4 Aſſerunt etiam Doctores hunc ignem eſſe eundem cum igne inferni, & pœnam ſenſus quam hic ignis cauſat, eſſe grauiſſimam, & omnes huius vitæ pœnas longè ſuperare. D. Aug. *lib. de cura pro mor. agen* ait, Etſi æternus non ſit (vtique quoad punitionem) miro tamen modo grauis eſt, exceditque omnes pœnas quas aliquis in hac vita paſſus eſt. Vide S. Th. *3. p. q. 46. art. 6. ad 3.* & Viualdum *in ſuo candelabro de Purgatorio, tit. 10. pag. mihi* 150. *num.* 13. vide alias auctoritates apud Suar. *diſp. 46. citat. ſect. 3. n. 5.* Ratio eſt, quia conuenit vt qui ſe iniuſtè peccatis oblectantur, & tempus miſericordię huius vitę, quo facilè potuiſſent pro iis ſatisfacere, neglexerunt, pro iis poſtea iuſtè puniantur, idque ſeueriſſimè, cùm iã non ſit ampliùs miſericordiæ, ſed iuſtitiæ tẽpus.

5 An autem omnes animæ Purgatorij tam graues pœnas patiantur, controuerſum eſt apud Doctores. Nam Diuus Bonauentura *in 4. diſt. 10. art. 1. q. 2.* etſi concedat hanc pœnam ex genere ſuo eſſe grauiorem omni pœna ſenſibili huius vitæ, non tamen in indiuiduo, & reſpectu cuiuſcumque animæ; quia poteſt contingere vt anima Purgatorij ſolum habeat vnum, aut aliquod peccatum veniale leue purgandum, ſicque videtur non mereri propter illud ſummos huius vitæ cruciatus, atque ita tam grauiter torqueri, videtur incredibile. Cui ſententiæ videntur ſuffragari quædam apparitiones, de quibus Beda & alij, in quibus innuitur aliquas animas exiguas valde pœnas pati, & illas etiam quæ initio grauiores pœnas patiebantur, paulatim minores pati. Contrà verò alij, vt D. Th. *in 4. d. 21. q. 1. art. 1. q. 3.* & inclinat Suar. *diſp. 46. cit. ſect. 3. n. 7.* & Coninch. *infrà citatus*, ſentiunt omnes animas igne illo grauiſſimo torqueri, quia hoc videtur magis expedire ipſis animabus, quibus melius eſt graui tortura ignis breuiter purgari, quàm diu carere viſione beatifica, cuius accelerationem omnibus tormentis comparare vellent. Quare quando iuuantur viuorum ſuffragiis, pœnæ earum non remittuntur, ſed abbreuiantur; hoc videtur longè melius. Et huic ſententiæ valde fauent Patres antiqui *ſup.* citati, qui generatim docent eas grauiſſimo igne torqueri. Multumque fauet Apoſt. 1. *Cor.* 3. vbi etiã ſtipulam (qua leuiſſima peccata purgantur) docet igne purgari. Nec obſtant reuelationes quæ à diuerſis referuntur, vt à Beda *ſuprà* cit. & Carthuſiano *Dialog. de indic. particulari, art.* 30. & 31. quia hæ ſymbolicæ ſunt, & allegoricæ, & per metaphoram intelligendæ, vt ſentiunt Suarez *diſp. 46. cit. ſect. 4. n. 9.* & Coninch, *diſp. 11. cit. dub. 3. n. 26.* quia ſtatus animarum, vt in ſe eſt, nobis in corpore conſtitutis oſtendi non poteſt. Quòd igitur quædam animæ videbantur aliis leuiùs puniri, & pœnæ earum paulatim mitigari, non ſignificant pœnas in ſe eſſe leuiores in intenſione, ſed in extenſione, eaſque paulatim extrinſecè mitigari ob certam ſpem propinquæ liberationis: quare docet Suar. *ſup. n. 9.* non admodum probanda ſententia eorum, qui aſſerunt, animas Purgatorij priùs puniri in quodam loco vbi ignis acriùs, & intenſiùs vrit, deinde tranſire ad alium vbi mitiùs puniuntur, poſtea ad alium amœnum, vbi detinentur ſine pœna ſenſus. Et abſurdius eſt dicere, tranſire priùs ad paradiſum terreſtrem, inquit Suarez, ibique diu detineri antequam ad Dei viſionem admittantur. Nam, vt dictum eſt, pœna Purgatorij in intenſione, æqualis eſt in omnibus, & ex alia parte, animæ ſi plene purgatæ ſint, ſtatim Deum videre incipiunt. Vide Suar *ſect. 4. cit. n. 7. 8. 9.* Difficultas tamen præcipua eſt, qua ratione ignis corporeus torqueat ſpiritus, ſiue in Purgatorio ſiue in inferno. De qua variæ extant apud doctores ſententiæ. *Prima* ſententia docet, fatendum quidem eſſe ſpiritus ab igne torqueri, non tamen ſcire nullo modo poſſe quomodo hoc fiat. Ita Durand. *in 4. diſt. 44. q. vlt.* quem ſequitur Bellarm. *lib. 2. de Purgator. c. 12.* & ſentire videtur diuus Auguſt. *lib. 21. de ciuit. cap. 10.* vbi dicit; Cur enim non dicatur quamuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporali ignis affligi? & D. Gregor. *lib. 4. Dialog. cap. 29.* vocat hanc pœnam inuiſibilem, quia à nobis cognoſci nequit. Vide Coninch. *diſp. 11. cit. num. 30.* At licèt verum ſit non poſſe hunc modum perfectè explicari ſicuti eſt, licet tamen ex rebus notis, & iis quæ docent Doctores de hac quæſtione aliquid colligere. Vnde

7 Secunda ſententia, quam tenent ſanctus Thomas, *1. part. quæſt. 64. art. 4* Sotus, Gabriel, Durand. & alij *in 4. d. 44.* docent, hoc fieri ſolum, quia ſpiritus alligantur diuina virtute ipſi igni ſibi ipſis inuoluntario, tanquam carceri perpetuo vt animæ inferni; vel temporali, vt animæ Purgatorij: quæ pœna non videtur ſufficere; quia hic dolor non videtur tantus, quantum nos fides in damnatis eſſe docet. Vnde Soto *in 4. diſt. 50. art. 2. §. crediderim*, & alij, quos Suarez *diſput. 46. cit. ſect. 2. n. 7.* ſententiæ Diui Thomæ addunt, ſpiritum alligatum illi igni apprehendere ſe ab eo eodem modo torqueri, ſicut anima in corpore ab eo torquetur: qui explicandi modus etiam aliquibus inſufficiens videtur, ad explicandam acerbitatem pœnæ ſenſibilis, quam tantopere Patres exaggerant, & dicunt eſſe longè acerbiorem, quam ſit ignis combuſtio in hac vita, eſſeque alterius rationis: tum etiam, quia cum ſpiritus certò ſciant ſe ab igne non poſſe lædi, cur id apprehendant? Nec poteſt dici, ait Coninch, *diſp. 11. cit. dub. 3. n. 28.* Deum neceſſitare eos ad talem apprehenſionem, quia Deus nequit in nobis cauſare per ſe falſum iudicium.

8 Tertia igitur ſententia tenet, ignem verè & realiter, ac phyſicè efficere cruciatum in animabus, ſeu ſpiritibus inferni, aut Purgatorij, & tanquã inſtrumentum à Deo eleuatum producere in ſpiritibus aliquam qualitatem ſpiritualem iis diſconuenientem, qua grauiſſimè torquentur, eo quòd eam tanquam ſibi valde diſconuenientem eſſe intelligant. Nec implicat ignem corporeum tanquam diuinæ virtutis inſtrumentum poſſe hanc ſpiritualem qualitatem producere; ſicut nec implicat ſenſibilia ſacramenta tanquam inſtrumenta à Deo eleuata poſſe in anima gratiam, quæ ſpiritualis qualitas eſt, producere: hic ergo modus videtur valde proportionatus ad explicandam acerbitatem pœnarum inferni, & Purgatorij: de quo latè Suarez *diſp. 46. cit. ſect. 2. à n. 11. vſque ad num. 23.* Coninch. non probat aliaque incedit via, de qua vide *ibi*; pro noſtro tamen inſtituto hæc ſufficiant.

9 Sed quæres, vtrum animæ Purgatorij torqueantur à dæmonibus, Communis Theologorum cum D. Thom. *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 5.* reſpondet negatiuè, quia videtur minus decere Deum dæmonibus tanquam ordinariis miniſtris vti, vt amicos ſuos puniat, præſertim cùm illi id nunquam ſine facturi, niſi peſſima voluntate. Item videtur minus conuenire, vt qui finaliter dæmonem vicerunt, ei in altera vita in punitione ſubiiciantur. Quòd ſi

dicas

dicas conetatinm colligi ex quibusdam visionibus, quibus videtur significare animas Purgatorij ibi ministerio dæmonum torqueri. Respondeo cum Coninch. *disput.* 11.*cit.dub.* 3.*n.*35.*versi. Nota quinto*, has visiones esse ferè totas symbolicas, ac proinde non posse inde aliquid certi circa modum quo animæ in Purgatorio puniuntur, colligere.

10 Quæres secundò. Quanto tempore animæ in Purgatorio detineantur. Certum est in hac re nullam animam ex Purgatorio liberari donec sit plenè purgata, vel per propriam satisfactionem, vel per aliorum preces, & suffragia, quia coniectæ in carcerem inde non liberantur donec soluerint vltimum quadrantem, vt clarè insinuat Christus, *Matt.* 5. *vers.* 29. vbi nos suadet Christus, vt dum sumus adhuc in hac vita, aduersario, siue creditori nostro, scilicet Deo, cui debemus pœnas, pro peccatis satisfaciamus dum est locus misericordiæ; quia aliàs post hanc vitam totum debitum rigorosissimè exigetur. Certum etiam est plenè purgatas statim inde liberatas admitti ad visionem Dei; quia nihil restat quod eas possit ab hac retardare, vtrumque insinuatur à Trident. *sess.* 6. *canon.* 30. & definitur in Florent. *sess. vltima.* Ita Coninch. *disp.* 11. *cit. dub.* 4. *num.* 36.

11 Certum est tertiò, nullam ibi detineri vltra diem iudicij generalis; quia *Matth.* 25. tantùm statuuntur duo ordines iudicandorum, & omnes mittuntur, vel in cœlum, vel in infernum; & omnes Patres consentiunt post diem iudicij omnes fore aut damnatos, aut beatos.

12 Certum est quartò; multas liberandas ante diem iudicij; quia multæ habent parum purgandum, & consequenter breui tempore purgari possunt, vel per aliorum suffragia liberari: in iis supradictis communiter Doctores conueniunt.

13 Quanto tempore vnaquæque anima pro singulis peccatis siue mortalibus remissis, siue venialibus puniatur nobis omnino incognitum est. Probabile tamen est multas ob grauia peccata plurimis annis puniri, imò vsque ad diem iudicij posse ibi permanere: & Surius in vita S. Luzbergæ refert quendam Innocentium Papam fore detinendum in Purgatorio vsque ad diem iudicij, vt refert Lud. à Cruce *in exposit. Cruciat. disp.* 2. *dub.* 5. *num.* 16. quod aliquo modo nobis videtur insinuare Ecclesia, dum pro iisdem defunctis per multos annos curat anniuersaria sacra celebrari, ostendens fieri posse, vt tandiu indigeant. Quamuis fortasse (ait Suarez *disp.* 46. *citata sectio* 4. *num.* 6.) hæc consuetudo Ecclesiæ non in hoc solùm fundatur, sed in pietate eorum qui talia suffragia fieri præceperunt, non solùm propter suam vtilitatem, sed etiam vt aliis prodessent quando ipsi non indigerent. Quare quod ait Sotus *in distinct.* 19. *quæst.* 3. *art.* 2. *in fine*, nullam animam in Purgatorio puniri vltra decennium, & Ecclesiæ sensui videtur repugnare, & sine fundamento dicit: nam omnes rationes, quas pro se affert, tam probant nullam manere vltra annum, quam vltra decennium. Ex hic sequitur in fine mundi aliquas animas, quæ multa habent persoluenda, intensissimis pœnis multandas, quia breuissimo tempore debeant eas persoluere.

Vide Suarez *dicta sectione* 4. *à n.* 1. *vsque ad* 6. Coninch. *disp.* 11. *dub.* 4. Bellar. *de Purgatorio, li.* 2. *c.* 9. *ad fin.* & Henriq. *lib.* 7. *c.* 17.

DVB. IV.

Vtrùm animæ Purgatorij certæ sint omnino de sua salute, & mereri, aut demereri in eo possint, & ante plenam purgationem ex eo aliquando egredi queant.

1 Dico primò. Certissimum est animas Purgatorij esse certissimas, & omnino securas de sua salute, tam quoad præsentem iustitiam, quam quoad æternam beatitudinē post illum statum consequendam. Ita Diuus Thomas *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *artic.* 1. *quæst.* 4. & communis Theologorum. Probatur *primo*, quia, vt docet Bellarmin. *lib.* 2. *de purgatorio, c.* 4. & communiter Doctores cum sancto Thoma *in* 3. *part. quæst.* 59. *art.* 5. *ad* 1. animæ statim à suo è corpore egressu particulari iudicio iudicantur, suamque finalem sententiam accipiunt, quam sciunt esse immutabilem. Fit autem iudicium à Christo homine, quem animæ iudicandæ in humana forma vident, & credibile est animas iudicari in ipso loco, in quo è corporibus discedunt. Ita Coninch. *disput.* 11. *dub.* 5. videndus. Quod quidem iudicium, & sententiæ manifestatio fit in instanti separationis animæ à corpore. Per quam sententiam, vt docet Suarez *tomo* 4. *disput.* 47. *sect.* 3. *n.* 8. cognoscunt animæ Purgatorij reuelatione diuina, dignas esse vita æterna propter bona merita, & illam esse ipsis reddendam, In tali ac tanto gradu. Differri tamen, quia dignæ etiam sunt tali ac tanta pœna, quam in Purgatorio luituræ sunt. Vnde per hanc sententiam, & de præsenti statu & de futura beatitudine certissimæ redduntur, & non solùm certò sciunt illam pœnam esse temporalem, sed etiam quanto tempore duratura sit, per se loquendo. Ita Suarez *suprà.* Finita namque sententia iudiciali, damnati dæmonum ministerio deducuntur in infernum, animæ verò in gratia decedētes, si sint omnino puræ ab omni pœna, per Angelos in cœlum feruntur: si autem aliquid pro pœnis satisfaciendum, aut satispatiendum restat, Angelorum etiam ministerio ad locum Purgatorij deferuntur vbi ab ipsis consolantur. Vide Coninch. *disp.* 11. *dub.* 5. & 6. Castillo *in explicatione Bullæ defunctorum p.* 1. *c.* 8.

2 Probatur secundò, quia facile ex effectu, experimento discunt animæ Purgatorij se non esse in inferno, siue in æternum damnatas, nam experiuntur se Deum non blasphemare, aut odisse, sed amare, quod nullo modo conuenit damnatis. Vnde clarè colligunt se solùm esse in Purgatorio, cuius pœnas ex fide sciunt non esse æternas. Quare quod in quibusdam reuelationibus dicitur, quasdam ibi animas esse incertas, an aliquando saluabuntur; aut absolutè negandum est, aut commodè explicandum, vt scilicet ignorent, an liberabuntur ex illis pœnis ante diem iudicij. Quod fortè de quibusdam dici potest, quæ grauissimas pœnas persoluendas habent, nullo tamen modo dici potest de omnibus. Ita Coninch. *suprà dub.* 6. *num* 45. quæ suspensio, & temporis incertitudo, est maxima pœna quam Deus infligit ob grauissima peccata.

3 Dico secundò. Animæ in Purgatorio nec mereri, nec demereri possunt. Ita communis Doctorum: colligitur Ioan. 9. *vers.* 4 *venit nox quando nemo potest operari*; scilicet aliquid merendo. Et Lucæ 16. dicitur villico, *Redde rationē villicationis tuæ, iam enim non*

non poteris villicare. Et Eccleſ.14. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.* Quia ſcilicet ibi non poſſumus ampliùs aliquid mereri. Ideo namque animæ purgatorij demereri non poſſunt; quia Deus ſingulari ſua prouidentia ita obſeruat, vt in nullum peccatum poſſint incidere: & ideo ibi nullo modo poſſunt mereri, aut pro peccatis propriè ſatisfacere, quia omne tempus merendi, aut ſatisfaciendi vna cum hac vita finitur, Deo ita ſtatuente, vt patet ex teſtimoniis citatis. Ita Coninch *diſput.11.dub.6.n.46.& 47.* Vnde animæ Purgatorij non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi ſed ſatiſpatiendi, quia ſatisfactio propriè eſt, quando pœna temporalis peccati debita recompenſatur per opera pœnalia huius vitæ voluntariè aſſumpta, per quæ viator quodammodo meretur remiſſionē illius pœnæ. Hāc igitur ſatisfactionē animæ Purgatorij exhibere non poſſunt, quia ſicut tempus merendi fuit tantùm in hac vita, ita etiam ſtatus ſatisfaciendi per voluntarias pœnas & afflictiones; & licèt illa pœna ſit animæ Purgatorij voluntaria concomitanter per conformationem cum diuina voluntate, non tamen eſt voluntariè aſſumpta, nec ex tali voluntate habet valorem compenſandi debitum, ſed ex ſua acerbitate, iuxta menſuram diuinę legis. Vnde propriè ſatiſfaciunt, quia patienter ſuſtinent illam ignis pœnam, eiuſque durationem iuxta reatus qualitatem, ſeu quantitatem. Ita Suarez *tomo 4.diſput.47.ſect.2.numero 7.*

4 Dico tertiò. Iuxta communem legem Dei animæ Purgatorij ante pœnas omnino perſolutas non poſſunt è loco vbi detinentur egredi, quia ibi ſunt quaſi in carcere. Ita Chryſoſt. Auguſt. & alij quos Suarez *tom.4.diſp.46. ſect.4. n.10.* Tota ratio reducenda eſt in legem diuinæ iuſtitiæ, quæ ibi animas detinet: damnatas quidem violenter, & coactè, in Purgatorio verò voluntariè: cognoſcunt enim diuinam voluntatem, & ei ſe ſubmittunt. Huiuſmodi autem lex indiſpenſabilis non eſt, ac proinde Auguſtinus *lib.de cura pro mortuis agenda, cap.11.12.15. & 16.* & alij, quos Suarez *ſuprà* credunt ſæpè fieri apparitiones talium animarum ex diſpenſatione diuina. Conſtat enim ex multis apparitionibus animas è Purgatorio ex ſingulari Dei permiſſione egredi, & aliquibus apparere, vt eorum ſuffragia poſtulent, aut ob alias cauſas. Eiuſmodi autem apparitionibus, nec facile, nec ſine magna circumſpectione fides adhibenda eſt, quia dæmon ſæpe vt ſimpliciores decipiat, eas fingit. Quare tales numquam niſi ex prudentiorum conſilio iis debent fidere; vt bene Coninch. *diſp.11.dub.9.nu.19.* ſed de iis inter recentiores Caſtillo *in ſua Bulla defunctorum 1.part.cap.5.* & Gonzalez de Loſada è Societate IESV, *in ſuo tractatu de Purgatorio, cap.10.*

D v b. V.

Vtrùm ſuffragia viuorum proſint etiam defunctis ad remiſſionem pœnarum.

1 NOta ſuffragium, vt colligitur ex diuo Thoma *in 4. diſt. 45.* eſſe auxilium quoddam, quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remiſſionem pœnæ temporalis, vel aliquid huiuſmodi. Quod tribus modis fieri poteſt: *primò* ex opere operato: *ſecundò* per indulgentias, & *tertiò* ex opere operantis. Primus modus fit per ſacramenta, aut per ſacrificium Miſſæ: & remiſſio quæ fit per ſacramēta tantùm, in eo fit, qui ſacramēta ſuſcipit, & nō in alio vt docēt Doctores in materia ſacramentorū. Idem dicendum eſt in ſacramentalibus, ſecundum probabilem opinionem dicentium, etiam ex operato cauſare ſuum effectum, vt ſi per aquam benedictam alicui remittitur aliquis gradus pœnæ, illa remiſſio fit ei qui deuotè vtitur aqua benedicta, & non alteri: quo fit vt nullum ſuffragium poſſit aliis prodeſſe ex opere operato præter Miſſæ ſacrificium, de quo videndi ſunt Doctores cum D. Thom. *3. part. quæſt. 83.* & inter recentiores Suarez *tom. 3. diſput. 79. ſect. 9. & ſequentibus.* Quomodo indulgentiæ ſuffragentur defunctis, dicitur *infrà.* Quod modò ergo inquirimus, eſt vtrum ſuffragia viuorum opere operantis proſint defunctis.

2 Nota ſecundò ſuffragia viuorum poſſe quoad ſatisfactionem alio fideli viuo prodeſſe quoad remiſſionem pœnæ temporalis, ſi huius ſit capax: eſt communis ſenſus Theologorum, & Eccleſiæ, qui veritatem hanc contineri cenſent in Sanctorum communione, quam in Symbolo profitemur. Ita D. Th. *in 4.diſt.20.q.1.art.1.&.2.q.3.& diſt.45.q.2. art.2. & 3.* & alij, quos Suarez *4.to.diſp.48.ſect.2.n.1.* Ratio à priori eſt diuina inſtitutio; potuit Deus inſtituere vt homo pœnam in Purgatorio ſuſtineret, vel in hac vita ipſe pro ea ſatisfaceret, aut per amicos ſuos. Quod autem ſic inſtituerit, comprobat cōmunis Eccleſiæ ſenſus, & traditio; hoc enim modo videtur Eccleſia ſemper intellexiſſe quoad hanc partem Sanctorum communionem quam in Symbolo profitemur, vt Catechiſmus Roman. in fine materiæ de ſacramento Pœnitentiæ, *n.77.pag.356.* quem ſenſum comprobat vnanimis Theologorum conſenſus, qui in re tam graui non potuit eſſe ſine maximo fundamento: ſumus enim vnius corporis membra, ac proinde vnius actiones cenſentur quodammodo alterius. Deinde, ſicut in ciuitatibus vnus pro alio debitum ſoluere poteſt, ſic, &c. Ita D. Th. *3.part.in addit.quæſt.13.art.2.* vide Henriquez *lib.2. de pœnitent.cap.19 n.6.* ita etiam in debitis ſpiritualibus quæ ſatiſfactio pro alio oblata eſt de condigno, & ad æqualitatem, id eſt, tantum prodeſt alteri oblata quoad remiſſionem pœnæ, ac ſi pro ipſo offerretur, vt latè Suar. *ſup.ſect.num.5.& 6.* An autem infallibiliter à Deo acceptetur, & ex iuſtitia, variant Doctores. Nam quidam, quos refert Suar. *ſuprà n.6.* & ſequitur Coninch. *diſp.10.dub.7.n.59.* tenent non ex iuſtitia, ſed ex libera Dei acceptatione aliis poſſe prodeſſe. Alij autem, quos ſequitur Suar. *ſup.n.3.& n.10.* exiſtimāt, infallibili lege à Deo acceptari, quod inſinuant Doctores, dicentes hanc ſatisfactionem eſſe de condigno, & ad æqualitatem.

3 Hinc fit, vt quoties vnus pro alio ſatisfacit, ſe ipſum priuat fructu illius ſatisfactionis quantum ad remiſſionem pœnæ, vnde eodem opere non poteſt pro ſe ſatisfacere, quia eadem finita ſatiſfactio non poteſt adæquari duobus realibus, proprio, & alieno. Ita D. Th. *in 4.diſt.45.q.2.artic.1.quæſt.4.& d.20 quæſt.1.artic.2.quæſt.3.ad 3.* & Suarez *diſp.48. citat. ſect. 2. num. 17.* qui dicit communem, *& ſect.2.n.6.& 7.* Opus namque ſatisfactorium formaliter ſumptum, id eſt, quatenus ſolùm eſt ſatiſfactorium, nō creſcit, nec fit maioris valoris moralis, eo quòd pro altero offeratur, vt bene Suar. *dicto num.6.& 7.* quia dignitas, ſeu valor talis operis non ſumitur ex relatione ad ſe, vel ad alterum, ſed ex cōditione ipſius operis, & dignitate gratiæ, ſeu charitatis, à qua procedit. Vnde fit vt ſi pro multis offeratur,

satur, minor sit in singulis quàm si pro vno offertetur, vt communis Doctrinum cum S.Thom. *in 4. dist 45.*& Anton.3.*part.tit.vlt.cap.*2.& qui suam satisfactionem vni applicat, non potest simul eandem pro altero offerre. Ratio horum est, quia est finiti valoris. Ita Suarez *disput.*48. *sect.*2. *num.*17. *in fine.* Hinc est, quòd suffragia pro vno defuncto oblata alteri non prosint quoad pœnarum remissionem. Si quidem prodesse possint quoad aliqualem consolationem & gaudium: propter vnionem enim in charitate gaudent vehementer de suffragiis quæ pro aliis offeruntur. Et forrè ob id eis pœna minuitur, & tolerabilior fit, vt docet Carrillo 2.*parte Bullæ defunctorum, cap.*10. *in fine.* Sicque intelligendum esse inquit, id quod dicitur, scilicet suffragia pro vno defuncto oblata aliis prodesse. Vide diuum Anton. 2 *part. Sum.tit.*32.*cap.*2.§.6. Henriquez *lib.*7 *de indulgen.cap* 8 §.2. At satisfactio pro alio oblata etiam si in genere satisfactioois non crescat, crescit tamen in ratione meriti, etiam essentialis præmij; quia augetur opus charitatis, in quo meritum fundatur, & cum de nouo mereatur ille, qui suam satisfactionem alteri applicat; hinc fit vt etiam nouum gradum satisfactionis acquirat præter eam, quam alteri applicat; quia omne opus, meritorium est satisfactorium. Verbi gratia, ex eo quòd quis suam satisfactionem ieiunio, orationi, vel eleemosynæ correspondentem alicui applicat, meretur de nouo propter bonum opus, cui meritò correspondet noua satisfactio præter illam, quæ orta fuit ex ieiunio, & quia hanc per actum quasi reflexum alteri non applicat, ipsi adplicanti reseruatur. Ita Suar. *tom.* 4. *disp.*48. *sect.*3.*num.*7.*&* *sect.*2.*num.*17.

4 Vt autem satisfactio viuentis alteri prosit, requiritur quòd ambo sit in gratia, & membra viua corporis mystici, quod est. Ecclesia, vt communiter Doctores. Requiritur etiam vt specialiter ab operante alteri iusto applicetur, ita vt velit pro illo io particulari suæ satisfactionis valorem offerre; vt latè Soarez *tomo* 4.*disput.*48.*sect.vlt.num.*22. *&* *disput* 51.*sect.*2.*num.*11. atque communem Theologorum: quia quando opus satisfactorium specialiter pro alio non offertur, io operante tantùm manet: quo enim titulo alterius efficitur, si non donatur? sic Christi satisfactio nullo modo ei necessaria, non distribuitur donec singulis per determinata media iuxta ipsius Christi voluntatem applicetur. Igitur si satisfactio iusti alteri non applicatur, sibi reseruatur: si autem ea non indigeat, manet in diuina acceptatione, & in communem Ecclesiæ thesaurum transit; nec potest iustus suas superabundantes satisfactiones conseruare in thesauro, vt eas pro suis, aut aliorum pœnis applicet, vt docet Henriquez *lib.*7.*de indulgem.cap* 2.*n.*1.Suarez *disp.*48.*cit. sect.*2.*n.*7.& Coninch. *disp.*11.*dub.*7. *n.*58. dispensatio enim Thesauri Ecclesiæ non ad ipsum satisfacientem, sed ad caput illius spectat. Ex parte autem eius pro quo offertur, & applicatur satisfactio, non requiritur specialis acceptatio, imò nec vt sciat, aut cognoscat sibi applicari; sed sufficit generalis voluntas, quam vnusquisque iustus habet obtinendi remissionem pœnæ, & soluendi Deo quocunque modo possit: nam per hoc sufficienter habet implicitam voluntatem acceptandi, quamuis ignoret. Ita Suar.*tom.*4.*disp.*48.*sect.*1.*num.*7.

5 Supponendum etiam est, cum *cap.anima* 13.*q.*2. quatuor esse genera suffragiorum, quibus possumus suffragari, & auxiliari fidelibus. *Primò*, oblationes, siue sacrificia Sacerdotum. *Secundo*, preces Sanctorum, siue ij in cælo, siue in terra sint. *Tertiò*, eleemosynas quibus animæ iuuantur, non tantùm quatenus sunt opus aliquod in se satisfactorium, sed etiam quatenus eas recipientes per eas excitantur, vt pro defunctis orent. *Quartò*, ieiunia, per quæ intelliguntur alia opera pœnalia, seu pœnitentiæ.

6 His positis, fide certa tenendum est, suffragia viuentium prodesse aliquibus defunctis, nimirum animabus in Purgatorio detentis, ad remissionem pœnarum. Quod probant omnia testimonia, quibus ostenditur dari Purgatorium, & deducitur apertè ex illo celebri testimooio. 2.Machab.12. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis* (id est, pœnis) *soluantur*, & aliis locis sacræ Scripturæ, de quibus Suarez *tom.*4.*disp.*48.*sect.*4.*num.*3. & est definitum in multis Conciliis, & præcipuè in Florentino in litteris vnionis, & Trident. *sess.*25.*decret.* 1. vbi definit animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuuari. Idem probat perpetua traditio Ecclesiæ, eiusque vsus. Ratio est, qoia inter eas, & nos est communio Sanctorum: quia scilicet cùm ipsæ nobiscum sint vnius corporis membra in charitate vnita, possunt à nobis iuuari, & illis in necessitate prodesse, & alter alterius onera portare, vt monet Apost. *ad Galat.*6. Inter autem omnia suffragia præstantissimum est sacrificium Missæ, quod pro illis oblatum eis ex operato prodest, vt communiter Doctores: magis enim prodest illis Missæ sacrificium, quàm omnia alia viuentium suffragia: de quo latè Suar. 3.*part.q* 83. *art.*1 *sect.*3.& Henriquez *lib.*9.*cap.*16. ob idque semper fuit io vsu apud Patres illud tanquam præstantissimum remedium pro animabus offerre, & multæ animæ, quæ oobis apparent, petunt pro ipsis missas celebrari, de quo vide Carrillo *in expositione Bullæ defunctorum p.* 2. *cap.*12.*n.*8. qui *num.* 23. cum Henriquez *supr. c.*17. *num* 4. & aliis, plus prodesse (ait) defunctis Missam de requiem, quàm Missam viuorum. Vnde capellanus qui tenetur Missas de requiem ratione suæ capellaniæ celebrare, non satisfacit si aliam Missam celebret, nisi Missa sit de sancto duplici, aut Dominica: vt sic se conformet cum Missali, nam tunc ex deuotione Sancti suppletur directa vis impetrationis, & ex opere operato tantum illis prodest vna Missa, quàm alia. Ita Henriquez *sup. c.*23 *num.*6.*&* *cap.*17.*num.*4. *lit.V.* & Carrillo *sup. num.*25. *&* 26. qui *num.*27. ait, si priuilegium, & indulgentia pro defunctis in altari priuilegiato solùm se extendit ad Missas de requiem, seu defunctorum, non lucrari indulgentiam pro defuncto per aliam Missam. Quod limitatem, quando secundum rubricas Missalis dici potest Missa de requiem, nimirum, quando non occurrit festum duplex, aut Dominica. Sicque obseruatur in Seminario Corporis Christi, & fuit responsum à Summo Pontifice ad instantiam fundatoris dicti Seminarij, talis enim censetur Pontificis intentio, nisi aliud in priuilegio expressè statutum sit.

7 Dico secundò, nostra suffragia non possunt prodesse propriè beatis. Ita communis Doctorum cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *art.* 2. & Canonistæ *in cap. cum Martha, de celebratione Missarum.* Et quidem quoad pœnæ expiationem est certissimum; quia in beatis nihil pœnæ superest quod expiari, aut remitti possit. Nec prodesse possunt quoad gloriam essentialem; qoia hæc confertur iuxta propria merita, seu gratiam, & charitatem: possunt tamen prodesse quoad gloriam quandam accidentalem, quatenus occasionaliter Sancti gaudent de bonis operibus, quæ pro ipsis fiunt: & honorem quendam extrinsecum quatenus ille honor potiùs in nobis est, qui San-

ctos honoramus, & cedit in profectum, & vtilitatem nostram. Quare quod aliqui Patres aliquando dixerunt, nos pro iis offerre sacrificia, hoc intelligendum est ita fieri, vt non iis aliquid impetremus, sed vt gratias pro eorum gloria agamus, & vt illis ad honorem extrinsecum prosint. Vide Suar. *to.4. disp.48. sect.4. num.*10. & Coninch. *disp.* 11. *dub.* 8. *num.*60. *concl.*5.

8 Dico tertiò. Suffragia viuorum nullo modo prodesse possunt dánatis. Ita communis Catholicorum, quia sunt omnino alieni ab omni misericordia, & communione fidelium, & per immutabilem sententiam æternis pœnis addicti, & in tali termino constituti, in quo iam non conceditur pœnitentiæ locus. Vide Suarez *sup. num.* 11. 13. 14. *&* 15.

9 Restat igitur, nostra suffragia solùm prodesse posse animabus omnibus in Purgatorio existentibus, vt probatum est dicto primo. Quæ suffragia non solùm ipsis prodesse possunt ad aliquarum pœnarum mitigationem, sed etiam ad integram remissionem; quia pœna illa finita est, atque adeò potest simul, successiuè per suffragia multiplicata, & æquiualentia omnino tolli. Ita Suarez *sup. num.* 17. qui *n.* 18. cum sancto Thom. *in 4. dist.45. q.1. art.2. q.3.* ait, non prodesse nostra suffragia pueris in Limbo existentibus, in quo quoad præsens spectas, reputantur tanquam valde mali & damnati, quia reuera perpetuò puniuntur pœna damni, & in illam nullam possunt remissionem accipere; aliam verò pœnam non patiuntur, pro qua iuuari possunt: sunt ergo extra viam, & irremissibiliter extra gratiam, & ideo non sunt capaces suffragiorum, de quo etiam Nauarr. *in comm. de Iubileo, notabili* 22. *num.*46.

Dub. VI.

Qua ratione animæ quæ sunt in Purgatorio, possint nostris suffragiis adiuuari.

1 AGimus de fructu remissionis pœnæ; nam commune est & certum, nostra suffragia solùm eis prodesse in quantum sunt satisfactoria, seu ad pœnæ temporalis remissionem. Incertum tamen est, an nostra suffragia illis animabus valeant ad aliquam consolationem, vel bonum motum internum recipiendum: & dato quòd hunc effectum operentur, certum est hoc solum posse obtinere per modum impetrationis, aut meriti de congruo; non verò de condigno, nam hoc in puro homine solum habet locum, & in ordine ad se ipsum, & in ordine ad vitam æternam, vel ad ea quæ per se ad illam ordinantur, est enim valoris finiti. Quæstio ergo procedit de remissione pœnæ temporalis: nam hoc est proprium subsidum, quo per se ac maximè indigent animæ Purgatorij, & ideò hic effectus est certior, quàm reliqui, eumque maximè intendunt Ecclesia, & fideles, quando pro defunctis operantur. Hic autem effectus duobus modis fieri potest. *Primò* per modum impetrationis, seu meriti de congruo. *Secundò* per modum solutionis, & satisfactionis condignæ, vel cum pacto, & promissione acceptandi eam, vel sine illa. Vide Suarez *to.4. disp.48. sect.5. num.1. &* 2.

2 Dico primò Probabilius est nos non tantùm per modum satisfactionis, sed etiam per modum impetrationis, & meriti de congruo posse iis animabus obtinere remissionem pœnarum, quas illis impetramus remitti propter satisfactiones ac merita Christi. Ita Coninch. *disp.*11. *dub.*7. *n* 34. cum Caietano *tom.1. opusc. tra.*16. *quæst.*5. cum Durand. & Bellarm.

Probatur *Primò*, quia possumus ab homine pro nobis, vel aliis obtinere remissionem alicuius pœnæ, quam iustè posset infligere; ergo idem possumus à Deo obtinere, cùm talis petitio sit honesta, & nihil absurdi contineat. Talisque videtur esse sensus Ecclesiæ, quæ docet nos orare Deum, vt animabus illis propter merita Christi, ac piorum supplicationes, debitas pœnas remittat, vt patet in oratione, *Fidelium Deus*, &c. in officio defunctorum, & aliis similibus precibus: quod certè frustrà faceremus, nisi speraremus aliquid à Deo impetrare.

3 Confirmatur secundò. Quia sancti etiam suis orationibus prosunt defunctis: sed cùm non sint in statu satisfaciendi, non possunt illis prodesse aliter quàm impetrando iis remissionem pœnarum propter merita Christi; ergo iis ita prosunt. Quod clarè insinuat Ecclesia in vltima oratione, quæ recitatur post Litanias, vbi docet nos rogare Deum, vt intercedente Beata Virgine, ac omnibus Sanctis defunctos à pœnis absoluat. Respōdent aliqui, vt Suarez *disp.48. cit. sect.5. à n.9.* tam Sanctos, quàm ministros Ecclesiæ non impetrare defunctis immediatè remissionem pœnæ, sed vt Deus excitet aliquos, vt pro iis satisfaciant, aut vt aliorum satisfactiones pro iis acceptet. Sed contra *primò*, quia hoc apertè pugnat cum verbis orationum, quas Ecclesia in hunc finem instituit quibus expressè petimus, vt Deus per merita Christi remittat illis animabus pœnas, easque à peccatis absoluat, quæ nullo modo dictum sensum, nisi contortè, & per duros tropos admittunt. *Secundò*, quia si Ecclesia solum id, quod illi aiunt, intendat petere, quare id non exprimit propriis verbis, cùm hoc sit facillimum? aut cur id voluit petere iis verbis, quæ aliud significant? *Tertiò*, quia aliàs non deberemus rogare Sanctos, vt orarent pro defunctis; sed vt orarent pro nobis, vt Deus excitaret in nobis ingentem feruorem quo pro defunctis satisfaceremus.

4 Sed dices. Si Sancti possent suis precibus impetrare remissionem pœnarum, cùm illæ sint feruentissimæ, & Deo gratissimæ, statim euacuarent totum Purgatorium. Respondeo cum Coninch. *suprà dub.7 cit num.*59. negando sequelam; nam sicut merita Christi non applicantur nobis secundùm omnem suum valorem, sed secundùm moderationem diuinæ misericordiæ simul & iustitiæ; ita & Sanctorum preces secundùm modum diuinæ prouidentiæ, tam nobis, quàm illis animabus prodesse, quibus ita aliquarum pœnarum relaxationem impetrant, vt tamen iustitiæ etiam suus locus relinquatur.

5 Superest videamus, an nostra suffragia prosint animabus Purgatorij ex iustitia. Quod duplicem potest habere sensum. Prior est, an hæc satisfactio sit iusta quoad æqualem satisfactionem, & compensationem. In quo sensu existimo certum esse ex iustitia; nam sic satisfactio pro viuente est ex iustitia; ergo pro anima Purgatorij erit ad æqualitatem; seu condignam proportionem cum tanta pœna. Alter sensus est, an hæc satisfactio sit de iustitia, etiam quoad acceptationem Dei, ita vt teneatur Deus ex iustitia illam acceptare, vel id solum facere de misericordia. In qua re Caiet. *tom* 1. *opusc. tract* 16. *quæst.*5. Sotus *in 4 dist.*19. *quæst* 5. *artic.* 4. *ad* 1. & alij, quos refert Suarez *tomo 4. disp.48. sect.6. num.*2. existimant, hanc satisfactionem pro animabus Purgatorij solum esse ex misericordia. Nihilominus tamen idem Suarez *supr. n.*4. cum Nauarr. *in comm. de Iubileo, notab.*22. *n.*18. & alij, quos ipse sequitur, putant

tant hanc satisfactionem viuentium pro defunctis esse simpliciter de iustitia, & infallibiliter acceptari secundum totum suum valorem pro quocunque offeratur. Fundamentum est, quia suffragia ex iustitia, pacto, & promissione diuina, prosunt viuentibus, secundùm probabiliorem, ergo & animabus Purgatorij, quia etiam nobis charitate coniunctæ sunt sicut iusti viuentes. Quòd si dicas, hæc suffragia prodesse defunctis per modum suffragij, & per consequens non suffragantur infallibiliter. Respondeo cum Suarez *sup. n.* 5. hunc modum operandi non excludere infallibilem applicationē ad acceptationem ex iustitia, sed significare solùm non fieri per proprium actum iurisdictionis, & absolutionis iudiciariæ, sed per modum amicabilis communicationis, seu eleemosynæ, quæ à viuentibus fit ipsis animabus, tamen per eam ad æqualitatem, & ex iustitia soluunt debitum earum, vt magis constabit in sequentibus dum agemus de modo quo indulgentiæ ipsis suffragantur.

6 Ex quo sequitur, suffragia nostra suffragari defunctis, non solùm infallibiliter, sed etiam integrè secundùm totum valorem quem habent in viuente, sicut diximus prodesse aliis viuentibus, & non minus operari æqualem effectum in vna anima, quàm in alia, quamuis illæ inter se sanctitate, & meritis inæquales sint; quia valor satisfactionis sumitur à dignitate personæ offerentis, & satisfacientis, non verò à persona pro qua offertur. At si offeratur pro multis, non habebit in singulis æqualem effectum, ac si pro vno tantùm fieret: quia cùm sit finiti valoris, diuiditur inter illas, vt de satisfactione pro pluribus viuentibus facta dictum est dubio superiori. Suarez *sup. num.* 8.

7 Sed quæres, an omnes animæ in Purgatorio existentes, sint capaces suffragiorum. Quæstio est de fidelibus defunctis non baptizatis, vt sunt Catechumeni, nam de charactere baptismali insignitis satis constat ex superioribus, illis prodesse. Et quidem quoad Catechumenos certum videtur nostra suffragia priuata illis prodesse, quia ad hæc sufficit vnio charitatis, & intentio operantis, & indigentia recipientis. Suffragia autem Ecclesiæ, vt sacrificium Missæ, probabilius est non posse pro iis Catechumenis offerri; de quo latè Suarez *tom.* 3. *disp.* 79. *sect.* 10 Vide eundem *tom* 4 *disput.* 48. *sectio* 6. *n* 9. circa indulgentias Suarez *disp* 53. *sect.* 4 *num.* 7. etsi existimet probabile, in anima Purgatorij, vt sit capax indulgentiæ per modum suffragij non requiri characterem baptismalem, vt tenet Henriquez *lib.* 7. *de indulgent cap.* 18. *n.* 3. quia vt indulgentia per modum suffragij concedatur, non est necesse vt is cui conceditur, sit subditus Pontifici, sed tantùm ille, qui opus pro defuncto exequitur. Ipse tamen Suar. *num.* 8. contrarium existimat probabilius: ait enim verosimile videri Papam non posse concedere indulgentiam per modum suffragij ei, cui dum viueret non poterat per modum absolutionis. Quæ tamen ratio non videtur conuincere: nam amplius requiritur ad modum absolutionis quàm suffragij. Et ita nobiscum sentit Lud à Cruce *in exposit Bull. disp.* 2. *dub.* 8 *num* 3.

7 Quæres secundò, quæ conditiones requirantur ex parte eius pro quo offertur suffragium; vt infallibilem habeat effectum. Respondeo breuiter cum Suarez *tomo* 4. *disp.* 48. *sect.* 7. *num.* 1. requiri in eo, *primo*, vt culpa ratione cuius pœnam meretur, iam ei sit remissa, nam quandiu culpa manet, intrinsecè manet homo dignus pœna. *Secundo*, vt sit in statu gratiæ. Ratio est, quia qui est in peccato mortali, est omnino indignus omni remissione, tam culpæ, quàm pœnæ, & ideo non solùm est impot[ens ad] propriam satisfactionem exhibendam, sed indig[nus] etiam vt aliena ei applicetur, vel pro eo acceptetur; Secundò, quia hæc communicatio suffragiorum fundatur ex parte hominum in vnione charitatis; ergo in iis qui non sunt per charitatem vniti aliis iustis, non possunt hæc suffragia effectum habere; Vnde pactum illud & promissio Dei, quæ dicitur in hac re interuenire, intelligitur respectu amicorum quia alij non sunt digni, nec capaces huius sacramenti & communionis. Nec potest cum fundamento dici, illud suffragium acceptari à Deo, vt sublato peccati impedimento illi prosit, ad eum modum quo dicunt Theologi dari effectum sacramenti, vel satisfactionis sacramentalis recedente fictione Nullo enim testimonio, vel ratione id probari potest. *Tertiò* requiritur, vt is pro quo satisfactio offertur, ea indigeat, sic non prodest beatis, nec alicui viuenti, si fortè nullius pœnæ reatum habeat. Nec dici potest, acceptari à Deo, vt si fortasse peccet postea, & remissionem culpæ consequatur, pœna etiam propter tale suffragium remittatur: nam satisfactio propria à iusto exhibita pro se ipso, si illa non indigeat, non acceptatur pro pœna peccati futuri, sed transit in thesaurum Ecclesiæ, vt dictum est. Præter has conditiones nullæ aliæ requiruntur ex parte eius cui suffragia applicantur, vt docet Suarez *sect.* 7. *cit. num.* 6. nec requiritur ex parte eius formalis, & expressa acceptatio, & per consequens nec scientia, & notitia suffragij pro se oblati; quia, vt dictum est, sufficit generalis voluntas, quam vnusquisque habet obtinendi remissionem pœnæ, & soluendi Deo quacunque ratione posset. Vide Suarez *sup. n.* 7. vbi refert modum, quo animæ Purgatorij cognoscunt suffragia quæ pro ipsis offeruntur.

D V B. VII.

Quæ conditiones requirantur ex parte offerentis suffragium.

1 Dico primò. Si offert suffragium nomine proprio, & vt priuata persona, requiritur quòd sit in gratia eo tempore quo suam satisfactionem siue viuo, siue mortuo applicat. Ita Doctores *in* 4. *dist.* 19 20 *&* 45. vbi D. Thom. *quæst.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *&* 3. *part. quæst.* 82. *art.* 6. Sotus *in* 4. *distinct.* 19. *q.* 1. *artic.* 2. *& dist.* 45. *quæst.* 2. *artic.* 1. *conclus.* 5. Ratio à priori est quia opus in mortali peccato factum non est alicui valoris moralis apud Deum ad satisfaciendum, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

2 Dico secundò. Si offerat suffragium, non vt priuata persona, sed tanquam Ecclesiæ minister, si offerat sacrificium Missæ, certum est illud operari suum effectum, etiam si à malo ministro fiat, causat enim illum ex opere operato, & non in sua, sed Christi persona, sacrificium offert. Si autem minister offerat alia suffragia publica, vt sunt orationes, & alia diuina officia, si sit in gratia, possunt aliis prodesse quoad satisfactionem, & impetrationem, non quidem de condigno, quia hoc solis meritis Christi, vtpote infiniti valoris, est reseruatum, sed de congruo; clementia, & liberali misericordia Dei. Ita Sotus cum Diuo Thoma *locis citatis* Quòd si minister

sit in peccato mortali, tunc illa suffragia solùm possunt aliis prodesse per modum impetrationis, non verò satisfactionis, & solutionis pœnæ. Probatur, quia opus satisfactorium est pœnale, & personale, atque adeò relatum ad ipsam Ecclesiam, non habet rationem pœnalis operis, sed solùm vt procedit à b ipso qui satisfacit, & patitur; ergo si talis persona inimica est Dei, non potest illud opus esse satisfactorium quatenus est ex opere operantis. Quòd autem prosint per modum impetrationis, & meriti de congruo, patet, quia tunc non compensatur efficacia orationis ad impetrandum ex conditione proximi orantis, sed ex dignitate Ecclesiæ principalis petentis. Et ideo hunc effectum non impedit persona malitia ministri. Est nanque maxima differentia inter impetrationem, & satisfactionem; nam impetratio fundatur in oratione solùm, vt est petitio, & significatio voluntatis, & desideriorum Ecclesiæ, quæ quatenus est vnum corpus, mysticum, loqui potest per vnum, vel alium ministrum: quæ locutio vt est signum quoddam per quod Ecclesia sua desideria repræsentat Deo, accipit ab illa quandam dignitatem, & efficaciam ad impetrandum; satisfactio verò quæ per eandem orationem fieri potest, fundatur in illa, quatenus opus pœnale est, sub qua ratione non refertur ad Ecclesiam, nec nomine illius sustinetur, sed à persona satisfaciente; ergo in iis suffragiis vt sunt ab Ecclesia nihil satisfactionis, est quasi ex opere operantis ipsius Ecclesiæ; petenda igitur est huius operis satisfactio ab ipso ministro; ergo si in peccato sit, per illud satisfacere non potest. Quòd si dicas cum Nauarr. *de orat. c 19. conclus 4. n. 59. & sequentibus & c. 20. n. 39. & sequent.* has orationes habere effectum ex opere operato ex Christi institutione. Respondeo cum Suarez, cuius est tota hæc doctrina *tomo 4. disp. 48. sect. 8. num. 5.* negando antecedens, nam ex institutione Christi nullum habemus opus, vel signum satisfactorium ex opere operato præter sacrificium, & sacramenta, neque aliud nobis fingere licet sine certo testimonio, & Ecclesiæ traditione: neutrum autem habemus; Ecclesia verò non habet potestatem ad instituendo signa operantia similes effectus ex opere operato, propriè loquendo: vnde hæc suffragia Ecclesiæ impetratoria sunt non ex operato; sed opere operantis, vt fiunt nomine Ecclesiæ. Ita Suarez *supra*. Sed dices, ergo nullum est discrimen inter suffragia publica, & priuata, quia etiam oratio peccatoris vt priuata persona potest esse impetratoria, & aliquando exauditur à Deo, vt docet Diuus Thom. 2. 2. *quæst.* 83 *art.* 6. & alij quos Suarez *suprà sect.* 8. *num.* 7. quia talis oratio non in sanctitate orantis, sed in diuina misericordia fundatur. Respondeo esse maximum discrimen, nam orationes quæ fiunt nomine Ecclesiæ, adeo sunt efficaces, vt immediatè impetrent à Deo remissionem pœnæ temporalis, idque infallibiliter, & ex certa promissione, propter singularem amorem, & sanctitatem totius Ecclesiæ, vel etiam, quia in hac Ecclesia est potestas ad applicandum Christi satisfactionem, vel potiùs ad impetrandum, vt Deus eam applicet; at orationes peccatoris non habent hanc infallibilitatem, & efficaciam. Est etiam alia differentia, quia oratio facta per malos ministros, semper in conspectu Dei consideratur vt petitio sacra ab amico, & ideo semper retinet illam efficaciam, vel valorem, quem oratio potest habere ad impetrandum: oratio autem sacra à peccatore in persona propria, omnino amittit efficaciam ex parte personæ petentis, quamuis aliquando exaudiri possit ex sola benignitate, & liberalitate diuina. Ita Suarez *Sect.* 8. *cit. n.* 8.

3 Dico tertiò. Vt suffragium alteri prosit, requiritur ex parte suffragantis, vt intendat per suum opus suffragium ferre alteri: quod quidem certissimum est de suffragio ex parte qua est satisfactorium: nam, vt dictum est, & docet Suarez *sect.* 8. *cit. n.* 13. cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 4. *quæst.* 1. si satisfaciens suam satisfactionem alteri non applicet, sibi reseruatur, & vt ipsi prosit, non requiritur specialis intentio; nam ex natura rei suum opus est: vt autem alteri prosit, & alienetur, requiritur specialis voluntas & intentio formalis, vel virtualis: quòd si satisfactione non indigeat, & eam non alteri applicet, vel si is cui applicatur ea non indigeat, reponitur talis satisfactio in thesauro communi Ecclesiæ. Si autem loquamur de suffragio quatenus est impetratorium de congruo, multum etiam pendet ex intentione operantis: ideoque certum est apud omnes orationem magis esse impetratoriam pro his pro quibus funditur ex intentione orantis, quam pro aliis. Quod non solùm de orationibus priuatis, sed etiam de communibus Ecclesiæ suffragiis sentit Augusti. *lib. de cura pro mortuis agenda, cap.* 4. satisque constat ex vsu Ecclesiæ: non enim sine causa pro aliquibus in speciali orat; in hoc ergo est aliqua conuenientia inter satisfactionem, & impetrationem. Differunt tamen quod oratio pro multis facta non minus est impetratoria pro singulis, quam si pro eis tantum offerretur; quia impetratio non consistit in solutione pretij, sed solum in petitione quæ innititur liberalitati, vel promissioni Dei, quæ non est minor respectu plurium quam vnius. Ita Palud. Cordub. & alij relati à Suarez *infrà*, quamuis Scotus *quodlibet* 5. existimet hoc modo minui efficaciam orationis ad impetrandum singulis. Quas sententias conciliat Suarez *supra n.* 54. *in fine*, vt prior intelligatur quando oratio ita fit pro multis, vt distinctè & in particulari fiat pro singulis: posterior verò quanddo confusè, & generatim fit pro multitudine, opus autem satisfactorium vnius per voluntatem alterius, v. g. Prælati, applicari alteri non potest, si operans reouat. Ita remissiuè Suarez *supra n.* 56. Vide Sotum *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *artic.* 1.

DVB. VIII.

Vtrùm defunctus qui restitutionem faciendam reliquit, interim quo hæredes non restituunt, detineatur ob hanc causam in Purgatorio.

1 Loquimur in casu quo ante mortem fecit quod in se est, non potuit commodè restituere, iuxta regulas, & leges restitutionis, ob idque suo hæredi restitutionem faciendam commisit, decessitque in bono statu: nam si commodè potuit, & restituere noluit, in bono statu non discedit, atque adeò satisfactione non indiget, de quo vide Nauar. *c.* 17. *n.* 68. D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. Sot. *lib.* 4. *de iust. q.* 6. *art.* 1. & *q.* 7. *art.* 4. & *in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 6. Couar. *in reg. peccatum* 1 *part.* §. 1. *n.* 1. & alios, quos Carrilo *in fin. num.* 1.

2 Dico igitur animam non detineri in Purgatorio ob dilationem, vel omissionem restitutionis, ab hærede factam. Ita D. Anton. 3. *part. tit.* 10. *c* 3. §. 12. Sotus *lib.* 4 *de iustitia, quæst.* 9. *artic.* 1. *in fine*, Nauar. *in Manual. cap.* 17. *num.* 68. *versic. Quæsitum.* Nauarra *de restitutione, lib* 4. *cap* 4. *num.* 61. Carrillo *in expositione Bullæ defunctorum, part.* 5. *cap.* 15. Suarez *tom.* 4.

tomo 4. disput. 48. *sect.* 8. *num.* 20. Angles, Graffis, Ludouicus Lopez, Ludouicus Carbo, Michael Salon 2.2. *q.* 5. *de dominio, art.* 5. *colum.* 504. *& in q* 62. *artic.* 1. *in fine, colum.* 604. & alij multi, quos citat & sequitur Cenedo *quæst.* 31. *num.* 6. Itaque anima in Purgatorio punietur quidem iuxta mensuram negligentiæ quam in mundo habuit in non restituendo cùm posset, non verò eo quòd testamentarij, aut hæredes postea negligentes sint in restitutione facienda; ac proinde si defunctus suam negligentiam, & alias pœnas ibi plenè purgauerit, non remorabitur ampliùs in Purgatorio propter negligentiam hæredum debita non soluentium. Probatur, quia potest fieri vt moriatur martyr, aut statim post Baptismum vel cum contritione sufficienti ad omnem pœnam delendam, vel absolutus virtute Iubilei, vt bene docet Nauarr. *suprà* atque adeò sine reatu pœnæ: at anima non punitur in Purgatorio nisi sit debitrix pœnæ. Si autem cum aliqua pœna persoluenda discedat, ea expiata statim euolabit in cœlum: aliàs enim puniretur propter id quod non est in potestate ipsius, & propter culpam alterius absque reatu qui in ea durat. Denique quia aliàs dilatio beatitudinis perpetuò duraret, vel saltem vsque ad finem mũdi, vt ait Suar. *sup. n.* 20. si nunquam debita soluerentur, nec miser ille exiret è Purgatorij carcere, qua vtique ratione Purgatorium verteretur in Infernum, vt ait Cenedo *n.* 6. *citat.* sicut enim executio restitutionis quoad meritum, vel satisfactionem animæ Purgatorij non prodest, quia iam non est in statu merendi, nec propriè satisfaciendi, ita nec dilatio restitutionis ei nocere debet. Per accidens tamen, & remotè potest illi prodesse executio restitutionis, vt bene aduertit Nauar. *dict. num.* 68 quatenus occasione restitutionis, aut eleemosynæ excitantur creditores, aut fideles ad orandum pro defuncto: sicque ait intelligendum *cap. ex litteris, de raptoribus*, de quo latè Cenedo *supra n.* 8. & ea hoc cap. poterit interdum) ait Suar. *sup. n.* 21.) diuturnior fieri pœna Purgatorij propter dilationem restitutionis, & in hunc modum sunt explicandæ aliquæ reuelationes, si admittantur. Hæredes autem aut testamentorum executores peccant grauissimè, si negligentes fuerint in persoluendo debita & legata defuncti, vt docet Nauarr. *cap.* 17 *num.* 68. *citat.* & communiter Doctores, & magis *infrà* constabit. Vide Nauarra *lib.* 3. *capit.* 4. *a num.* 132.

3 Quæres tamen, an negligentia executorum testamenti, & piæ, ac vltimæ voluntatis, seu manumissorum in exequendis suffragiis, ac piis operibus, noceat defuncto. Verbi gratia, testatus est quis, vt centum, vel mille Missæ celebrentur, aut certæ eleemosynæ largiantur pro liberatione suæ animæ à pœnis Purgatorij. An anima patiatur aliquod detrimentum, & tardiùs à pœnis purgatorij liberetur propter negligentiam executorum tardè celebrare facere procurantium dictas Missas, quàm si maturius statim post mortem fierent.

4 Respondeo affirmatiuè. Ita S. Thomas *quodlibet.* 6. *quæst.* 8. *art.* 13. Gabriel *super can. Missæ, lect.* 58. Nauarr. *cons.* 32. *lib.* 5. *fol. mihi* 248. Nauarra *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 134. Carrillo *supra cap.* 15. & alij, quos Cenedo *dicta quæst.* 31. *num.* 7. *vers. Ego tamen*, non quidem vt puniatur anima defuncti propter huiusmodi tarditatem, ob hanc enim executor negligens punietur: sed quia non adhibetur expiationis remedium. Ratio huius est, quia per negligentiam executorum retardantur orationes & sacrificia, atque adeò applicatio satisfactionis quæ correspondet his suffragiis, sicque ob hanc tarditatem patitur detrimentum anima defuncti: nam si citiùs hæc facta fuerint, citiùs anima è pœnis solueretur. Patitur ergo anima detrimentum ex huiusmodi tarditate, non quidem in merito, quia iam non est in eo statu, sed in satisfactione. Quòd si dicas, negligentiam vnius non imputari alteri, atque adeò nullum detrimentum pati animam ex huiusmodi tarditate. Respondeo cum S. Thom. *sup.* negligentiam vnius non imputari alteri ad pœnam, potest tamen redundare in alterum quantum ad defectum remedij, secundùm quod vnus homo ab alio iuuari potest: sicque patitur anima defuncti ob huiusmodi tarditatem: quia scilicet remedium non adhibetur dum suffragia differuntur. Vide Nauarr. *consc. cit. num.* 4. *&* 5.

5 Ex his colligunt Doctores citati, peccare grauissimè executores testamentorum non adimplentes voluntatem testatoris, & eorum suffragia, ac opera pia executioni non mandantes, cùm commodè possint, imò potiùs cum maximo animarum detrimento ea differentes. Et ad hoc quidem in Purgatorio existentes, solent permissu diuino, aliquando viuis apparere, & suffragia ista sibi deposcere, vt tradit Sotus *in* 4. *distinct.* 45. *quæst.* 1. *art.* 4. & alij. Vnde tales dicuntur egentium peccatores, & ab Ecclesia eiiciendi, vt patet ex *cap. qui oblationes, & duobus sequentibus* 13 *quæst.* 2. Et certè videtur quodammodo sacrilegium committi. Si enim illa penitus auferre & retinere esset sacrilegium, ita similiter si mora sit restituendi, cùm eiusdem sit speciei. Ita Nauarra *sup. n.* 235. *fol.* 560. Vide Carsillo *sup. c.* 15. *cit. n.* 7. *&* 8. & Cenedo *q.* 31. *cit. n.* 7. *vers. Ego tamen. circa finem.* Vnde admittendæ non sunt excusationes huiusmodi executorum communiter enim friuolæ sunt.

6 Quòd si quæras, an possit executor differre licitè distributionem eleemosynarum, ad hoc quod res defuncti melius vendantur in posterum. Respondeo cum sancto Thoma *quodlibet.* 6. *q.* 8. *art.* 14. si mora sit modici temporis, licitè fieri posse; quia non videtur esse magnum periculum: si autem per multum tempus, minimè, nam sic absque culpa fieri non potest, quia fortè defunctus è Purgatorio liberaretur. Vide etiam Cenedo *loco proxime citato.* Quàm gratæ sint animæ Purgatorij suis benefactoribus, vide Carrillo *in exposit. Bull. defunctorum, p.* 2. *c. vltimo.*

7 Quæres vltimò, an magis prosit animabus Purgatorij statuere anniuersaria perpetua, aut certum cultum diuinum, aut eleemosynas perpetuas, certis vicibus singulis annis exequendas; an verò hæc omnia statim vna vice fieri. Huic quæstioni respondet Petrus Cenedo *quæst.* 31. *n.* 15. *&* 16. referendo opinionem Ioann. Baptist. Conradi, & Gabrielis Biel Conradus enim *in respons. casuum conscientiæ, quæst.* 189. *vers. Qui ergo pag.* 361 sentit, vtilius esse omnia statim pro vna vice facere. Tradit enim tanquam optimum consilium ad citò eruendas animas à Purgatorio, vt à pœnis illis acerbissimis liberentur, non expedire legatum facere, vt singulis annis, vel mensibus vna Missa cantetur, vel qualibet hebdomada vna Missa dicatur in perpetuũ. Quid nãq; iuuat in perpetuum, si paucis diebus fieri potest, vt illa anima à tãtis cruciatibus eruatur? Vnde (ait) optimum esse consilium, vt eadem die obitus, si fieri potest, vel crastina, incipiant suffragia in magna quantitate: vt si quis relinquat centum aureos pro salute animæ suæ, dicantur tot Missæ quæ quidem inter suffragia locum potissimum tenent) & celebrent quotidie quamplures pro illa anima tanto tempore, quanto congruum fuerit pro quantitate

titate dictæ eleemosynæ. Quod certe ex sententia huius authoris ad leuamen animarum magis proderit, vt quàm citius à grauissimis illis pœnis animæ euadant, & diuina fruitione citiùs potiantur.

8 At Gabriel *super canon Missæ, lect. 50. fol. 116. vers. Sed hic incidit*, tenet contrarium, & respondet cum distinctione, nimirum, quantum ad præmium essentiale, si vtrobique est eadem charitas, & idem conatus voluntatis, ac cætera sint paria, esse idem meritum, & per consequens non dispar præmium: nam quantum ad illud præmium voluntas pro facto habetur. At si loquamur de profectu accidentalis præmij, quod est liberatio à pœna Purgatorij, de qua loquimur, ait magis prodesse anniuersaria perpetua aut certum cultum diuinum, vel eleemosynas perpetuas, quàm si vna vice omnia illa impendantur. Fundamentum huius sententiæ est, quia quanto magis in opere quæritur diuinus honor, & proximi ædificatio, tanto magis opus est meritoriũ essentialis præmij; nam procedit ex feruentiore charitate Dei, & proximi; quia non quærit quæ sua sũt, sed quæ sunt Iesu Christi, & proximi. Et quanto opus est magis meritorium essentialis præmij, tanto etiam est magis satisfactorium pro peccato; magis autem diuinus honor quæritur in cultu perpetuo, quam in temporali, similiter & ædificatio proximorum; quia nedum præsentium, sed etiam futurorum; ergo, &c.

9 Nec obstat si dicatur, quòd suffragium futurum non prodest ad pœnæ liberationem priusquam exhibeatur; vnde fructuosius est instituere suffragia quæ statim fiant quam quæ post longa tempora explenda sunt, qualia sunt huiusmodi perpetua. Nam respondet idem Gabriel, id verum esse quando agitur de suffragio simpliciter futuro, scilicet, quòd neque in se, neque in sua radice præsens est, sed dum fiunt fundationes perpetuorum suffragiorum, iam totum simul exponitur à fundatore: vnde obligabuntur futuri ad suffragiorum opera, & sic iam in actu ponitur fundatio futurorum, in qua sicut in radice præsentia sunt omnia futura suffragia, quia iam factum est vnde fiant in futuro. Secus verò vbi non præcedit aliqua fundatio nihil etiam exponitur, sed dumtaxat committitur, vt fiat restitutio, & ita non ponitur in actu radix, & fundatio futurorum, & quia illa restitutio ad longum fit ad Dei maiorem honorem, & proximorum ædificationem acceptatur à Deo vt præuisa ad remissionem tantæ pœnæ, quantum soluerent exhibita. Sicut enim (ait) & Passio Christi Domini nostri prius contulit gratiam Patribus, quam exhiberetur à Christo Domino, & quod propter eam, vt præuisam, Patres salui facti sunt, & iustificati; imm etiam, quia, & indignum videtur quod is qui præponit diuinum honorem proprio commodo, sentiat ex hoc iacturam. Et si replicetur, quòd saltem suffragia plus valebunt exhibita præcisè ex opere operato, quàm nõ exhibita. Respõdet ipse Gabriel, quòd etsi aliquo modo minuatur pœnæ remissio, quæ respondet præcisè operi operato, tamen ex alia parte augetur, pro quanto iustificatio facta est ex maiori charitate, quæ magis quærens Deum parui pendet commodum suum. Vnde maior remissio pœnæ correspondet tantæ charitati instituentis suffragia perpetua propter diuinum cultum, quàm correspondebit suffragijs si actu simul ex maiori charitate fuissent exhibita. In hanc Gabrielis opinionem inclinare videtur Cenedo *sup. n. 16*, & certè non immeritò, ob rationes haud contemnendas. Hic enim non quærit præcipuè quæ sua sunt, sed Iesu Christi: *y assi parece el amor de Dios menos interessado.*

10 Nihilominus tamen si opus, quod legatur in perpetuum, sit parui momenti, verbi gratia quinquaginta, aut centum aurei, consulerem vt in opera statim facienda, verbi gratia in Missas, & non in opera perpetua impendantur. Quòd si testator habeat vnde, consulerem, vt partim in opera statim fienda, & partim in perpetua disponeret, verbi gratia centum in Missas statim dicendas, & alia centum in opus pium perpetuum sibi bene visum.

D v b. IX.

Quomodo indulgentiæ prosint defunctis.

a SVpponendum cum communi Catholicorum tanquam certum, ita vt contrarium sit error manifestus, animas Purgatorij esse fructus indulgentiarum capaces, posseque Summum Pontificem pro ipsis indulgentias concedere. Ita communis Theologorum *in 4. dist. 20. & 45.* quam etiam sequuntur Canonistæ, vt patet ex Felino *tract. de indulgentiis, n. 30.* Nauarr. *comm. de Iubileo, notab. 22.* Vide Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 3. n. 3. in fine, & cap. 7. n. 1.* Cordub. *de indulg. quæst. 13. art. 2.* & Suar. *to. 4. disp. 53. sect. 1. à n. 3.* & nouissime Ludouic. à Cruce *in exposit. Cruciatæ disp. 2. dub. 1 nn. 3.* Constat *primò* hæc veritas ex communi sensu, traditione, & vsu Ecclesiæ, indulgentias pro defunctis concedentis, quæ in re tanti momenti errare non potest. Probatur etiam ratione, quia indulgentiæ conceduntur ex thesauro Christi, & Sanctorum, sed satisfactio Christi quantum est ex se, non solum viuis, sed etiam defunctis indigentibus & capacibus potest prodesse. Sancti quoque cùm satisfactiones superabundantes operantur, quantum est ex se voluntatem habent implicitam saltem, vt prosint animabus etiam defunctis, ad quas non minus se extendit charitas quàm ad viuẽtes; ergo reliquit Christus modũ aliquem quo possit hic thesaurus etiam defunctis dispensari: at hic thesaurus non dispensatur extra sacramenta, & sacrificia nisi per indulgentias; ergo possunt indulgentiæ defunctis communicari. Animæ enim Purgatorij egent satisfactione, & sunt in gratia, & ex alia parte thesaurus Ecclesiæ est infinitus; ergo potest ipsis à Papa communicari. Et confirmatur, nam vt cum efficacia possint alicui aliqua bona communicari, sufficit dispensatorem habere potestatem super talia bona, & super communicationem eorum, & quod ille cui communicantur, sit dispositus vt possit ei fieri talis communicatio, ad quod nihil refert, an sit iste subditus, vel non; sed Papa habet auctoritatem communicandi valorem meritorum Christi & Sanctorum, iuxta illud Matth. 25. *Beatus seruus fidelis, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Et Ioannes 20. *Pasce oues meas*, & animæ Purgatorij ratione charitatis sunt oues Christi capaces communicationis thesauri Ecclesiæ; ergo potest illis talis thesaurus communicari. Dixi *animabus Purgatorij*, quia solùm illæ sunt capaces indulgentiæ, & ea indigent: nam beati nihil habent satisfaciendum, damnati sunt incapaces, eo quòd careant gratia: similiter & pueri cum originali peccato decedentes nec animæ quæ erant in sinu Abrahæ: quia nullum

lum erat in eis debitum personale, quod non esset persolutum prius quàm in illum locum intrarent. Vide Suarez *sect.1.cit.n.6.* De Catechumenis fidelibus in Purgatorio existentibus, iam dictum est hoc §.*dub.6.vers. Sed quares*, probabilissimum esse eis prodesse indulgentias per modum suffragij sicut aliis animabus Purgatorij. Vide Rodrig. in *expositione Bullæ defunctorum,n.6.*& Nauarr. *notab.31.n.48. de indulg.in fin.*

2 Difficultas igitur est de modo quo Papa possit animabus Purgatorij indulgentias concedere, an scilicet per modum absolutionis; an verò per modum suffragij. Ad cuius intelligentiam nota cum Nau. *not.22.de indulgentiis*, Suarez *tomo 4.disp.53.sect.3.*duobus modis posse alicui concedi indulgentiam, vel esse capacem indulgentiæ. *Primo* per modum absolutionis. *Secundò*, per modum suffragij: indulgentia per modum absolutionis est relaxatio pœnæ auctoritatiuè, & potestate iudiciaria facta immediatè, & directè in suum subditum, vt sunt omnes indulgentiæ viuis concessæ in quibus directè Pontifex absoluit à pœna suum subditum per applicationem thesauri,& opus à se iniunctum. Indulgentia verò per modum suffragij, seu auxilij,vel adiutorij, est quando conceditur alicui medio auxilio,vel opere alterius: vt si concedatur Petro vt per opus à se factum possit pro Ioanne lucrari indulgentiam,& ipsi Ioanni auxiliari,seu suffragari.

3 Dico primò,Papa non potest concedere defunctis indulgentias per modum absolutionis,sed tantùm per modum suffragij. Ita communis Theologorum cum S.Thom.*in 4.dub.45.*Nauarr.*notab.22.*& latè Suarez *suprà sect.2.num.4* & nouissimè Lud. à Cruce *in exposit. Cruciata,lib.2.dub.*...*num.*10. & sentit D.Thom. *in 4 distinct.45.quæst.2.art* 3.vt refert Suarez *cit.*quamuis non sit vsus dictis verbis, sed aliis,scilicet principaliter, & secundariò, directè,vel indirectè;dicens,indulgentias nō posse concedi directè,& principaliter defunctis,sed tãtùm secundariò,& indirectè.*Prim.pars* probatur,quia concedere indulgentias per modum absolutionis, nihil aliud est,quã remittere pœnã auctoritate iudiciaria, quæ solùm exercetur erga subditos;animæ verò Purtorij non sunt subditæ Pontifici:nam Pontifex solùm habet iurisdictionem super terram, non infra terram,iuxta notata *in cap à nobis,de sentent.excommunicat.*el 2.*& cap.quodcumque 24.quæst.*1. & colligitur apertè Matth.18.illis verbis: *Quodcunque ligaueris super terram*, &c. Ergo non poterit Pontifex, eas auctoritatiuè iudiciaria à pœnis Purgatorij liberare,& absoluere.*Secundò*,quia vt docet Nauarr.*suprà notab.22.ex cap.verbum, de pœnit. dist.*1. Dominus par ius voluit esse ligandi, & soluendi, sed Papa non potest ligare eos qui sunt in Purgatorio, ergo neque auctoritatiuè soluere.*Secunda pars* probatur:quia,vt dictum est,potest Pontifex animabus Purgatorij indulgentias concedere;sed non concedit per modum absolutionis;ergo per modum suffragij: atque ita quotiescunque pro defunctis indulgentias concedit, semper exprimit eas concedere per modũ suffragij.*Secundo* probatur,quia vnusquisque fidelis potest auctoritate priuata subuenire per modum suffragij; ergo potest etiam Papa auctoritate publica subuenire eisdem animabus per modum suffragij ex communi thesauro satisfactionem Ecclesiæ. Confirmatur, quia Petro & successoribus eius concessa est potestas dispensandi Ecclesiasticum thesaurum in vtilitatem fidelium omnibus modis conuenientibus iuxta varios illorum status; sed vnus illorum est modus suffragij, & est valde accommodatus animabus Purgatorij; quia iste modus non requirit iurisdictionem in personam quæ sit subdita suffraganti, vt patet in suffragiis priuatis quæ fiunt inter amicos; ergo ex hac parte non requiritur iurisdictio respectu personæ. Quando verò suffragium fit ex thesauro Ecclesiæ, requiritur iurisdictio, & potestas in ipsum thesaurum,seu in bona in eo reposita;quæ tamen residet apud Papam;nihil ergo illi deest ad huiusmodi indulgentiam per modum suffragij concedendum. Sicut quando amicus soluit centum pro amico in carcere detento, ob debitum huiusmodi quantitatis hic liberat eum è carcere per modum suffragij:aliter autem iudex,qui eum auctoritatiuè potest liberare. Sic in proposito vide Toletum *lib.6.c.26.vers. Secundum.*

4 Dico secundò, indulgentia defunctis concessa per modum suffragij tam infallibilem effectum habet in defunctorum indulgentia per modum absolutionis in viuo,vt tenent Sotus *distinct.* 21.*quæst.* 2.*art.*3. Nauar. *notab.*22.*num.* 18. latè Suarez *suprà sectione* 3.*n.*3.& nouissimè cum aliis Ludouic.à Cruce *in exposit. Cruciata disput.2.dub.4.n.6.* Ratio est, quia Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias defunctis, saltem indirectè,modo explicato; vt probatum est, & habetur in quadam epist. Leo X.ad Caietan.& ex alia parte animæ Purgatorij sunt capaces indulgentiæ, quia sunt in gratia,& idem thesaurus eis, & viuis applicatur;ergo si cætera sint paria (supposita potestate concedentis, & proportione causæ) tam infallibilem ac in viuis operatur effectum, & cùm in viuis operatur ad æqualitatem iustitiæ,id est, remittendo pœnam ad mensuram indulgentiæ:sic similiter quando conceditur per modum suffragij.Et confirmatur, quia effectus promissus à Christo; & propter eius merita infallibilis est; talis verò est effectus indulgentiæ, etiam in defunctis ex æquiualentia pretij oblati,& superabundantia,nam applicatur,satisfactio Christi & Sanctorum ex diuina promissione,& quasi pacto acceptandi vnam pœnam pro alia respectu defunctorum:nam hæc promissio sufficienter continetur illis verbis: *Quodcumque solueritis super terram, erit solutum & in cœlis*, vt communiter tradunt Doctores,sub solutione enim comprehẽditur quoque hæc applicatio thesauri per modum suffragij,aliter enim nec fieret potestate clauium,neque auctoritate Apostolica,vt definit Leo X. *in epist. ad Caietan.* missa contra Lutherum:sed fieret per modum alicuius deprecationis, quo pacto quilibet fideles possent Deum orare,vt propter merita Christi & Sanctorum, anima ex pœnis Purgatorij liberetur.

5 Ex his constat,indulgentiam per modum suffragij non differre ab ea; quæ est per modum absolutionis,eo quòd hæc sit certa & infallibilis,& seruans iustitiæ leges, cùm hæc omnia reperiantur in indulgentia per modum suffragij, sed tantùm differunt in modo causandi moraliter illum effectum: nam cum indulgentia est per modum absolutionis proximè, immediatè, directè, & auctoritatiuè tanquam minister Dei, & iudex locum eius tenens remittit pœnam.Quando verò est per modum suffragij concedens proximè, immediatè, directè, & auctoritatiuè,non remittit pœnam, sed offert Deo pretium æquiualens,vt ipse remittat, fundatum tamen in pacto,& promissione diuina,cum conditione quòd aliquod opus fiat à viuente pro ipso defuncto,ita etiam Lud.à Cruce *vbi supr.n.* 12. & 13. Atque ita hic est,quòd,moraliter loquendo, est necessarium vt indulgentia pro defunctis concedatur medio aliquo viuente,qui opus pro defuncto præstare possit:quia regulariter loquendo, ad lucrandam

dam indulgentiam requiritur opus iniunctum, vt cum aliis tenet Suarez *tomo 4.disput. 52. section.4. num.4.* Abſolutè autem loquendo, non repugnant rationi ſuffragij, vt poſſit concedi defunctis ſine opere præſtando à viuis, ſicut poſſunt concedi indulgentiæ ſine alicuius operis iniunctione, dummodo ſupponatur motiuum ſufficiens. Vide Suarez *suprà disput. 53. sect.3.n.13.* Imò de potentia ordinaria poſſe Pontificem concedere indulgentiam plenariam defunctis, propter aliquod opus bonum, quod in vita exercuerunt, docet latè Lud. à Cruce *in exposit. Bull.disp.2.dub.7.nu.2*, cum Nauar. *de indulg.not.11.§.33.* Cordub. *5.de indulg.quæst.2 t.posit.2.* & feciſſe aliquos Pontifices refert Nauar. *sup.* ratio eſt, quia poteſt Papa concedere indulgentiam viuo, vel defuncto; abſque eo quòd imponatur ei efficiendũ per ſe, vel per alium aliquod opus, ergo à fortiori poterit concedi propter opus præteritum: nã ad conceſſionem indulgentiæ, ſufficit auctoritas in dante, gratia in recipiente, & proprietas in cauſa, v.g. ſi fidem acerrimè defendit, vel Pontificem à morte liberauit, vide *sup. lib.1.§.1.dub. 15.num.1.* Hinc oritur etiam alia differentia, nam indulgentia per modum ſuffragij conceditur non ſubditis, ſi alioquin diſpenſator habeat poteſtatem ſupra theſaurum: indulgentia verò per modum abſolutionis, ſolùm poteſt concedi ſubditis, quia eſt actus iudiciariæ poteſtatis. Infertur etiam ex dictis, optimam eſſe definitionem indulgentiæ per modum ſuffragij, quam affert Rodriguez *in expositione Bullæ defunctorum, num.1.* & cum eo Lud. *sup. num.3.* videlicet: Communicationem theſauri Eccleſiæ ab habente poteſtatem illum diſpenſandi factam pro animabus Purgatorij, quæ non ſunt de foro Summi Pontificis, iniuncto aliquo opere à viuis pro defunctis exequendo. Demum infertur infallibiliter, & ſtatim animam liberari à pœna Purgatorij tota, ſi indulgentia plenaria ex legitima cauſa defunctis conceſſa illi applicetur, implendo opus quod præcipit Pontifex, nam cum ſit totalis, & operetur ſuum effectum infallibiliter, vt *dict.cap.n.4.* conſequantur, ſit liberari etiam animam infallibiliter, ita communiter Doctores cum Sot. *4. dist. 16. quæst.2.art.3.ad finem, & dist. 45.quæst.2.art. 3. ad finem,* Ludouic. à Cruce *sup. dub. 5.num.7.* vide *in num. seq.*

6 Dico tertiò, Indulgentia tunc ſolùm prodeſt defuncto, quando ſic in ipſa conceſſione exprimitur. Ita D.Thom. *dist.45.* Nauarr. *notab.22.de indulgent.num 19. §.sextò infertur*, & alij, quia nemo poteſt pro alio lucrari indulgentiam, niſi expreſsè habeatur in conceſſione, vt docet Suarez *suprà disput.53.sect.1.nu.7.* Rodriguez §.8. *num. 13.* & Ludouicus à Cruce *in exposit. Bulla disput.2.dub.6. n. 10.* at quando conceduntur indulgentiæ defunctis, eſt pro illis lucrari, & ipſis applicare. Vnde indulgentia abſolutè fidelibus conceſſa, non intelligitur de animabus; quia communiter nomine *fidelium*, ſolùm viatores intelliguntur; quia ij ſunt immediatè ſubditi Pontifici, ob idque in conceſſione pro defunctis communiter additur, *fidelibus viuis, & defunctis*. Ita Suar. *sup.disp.53.sect.1.n. 7.* imò quando Pontifex concedit pro defunctis indulgentias abſolutè, intelligitur per modum ſuffragij; nam intelligendus eſt eo modo, quo concedi ſolent. Ita Nauar. *d not.22.n.35.*

7 Sed dices. Indulgentia per modum ſuffragij tam infallibilem habet effectum, quàm ea quæ per modum abſolutionis; ergo comparata vna indulgentia plenaria pro vno defuncto, fruſtra aliæ pro eo lucrantur, & alia ſuffragia fiunt, cùm iam ſit liber à Purgatorio per plenam indulgentiam: ſicque ſumpta vna Bulla pro defuncto, non eſt cur alia accipiatur: & dicta vna Miſſa pro eo in altari priuilegiato, non eſt cur alia dicatur pro ipſo. Reſpondeo admittendo antecedens, & negando conſequentiam, ob multas rationes, quas affert Nauar. *notab.22.de indulgentiis, n.50.* *Prima* eſt, quia opinio Caietani *tract. 2.de indulgent. quæst. 4.* aſſerentis indulgentiam per modum ſuffragij ſolùm prodeſſe defunctis via gratiæ Dei miſericorditer acceptantis, & non infallibiliter, & ex iuſtitia, eſt probabilis, vt latè Henriq. *cap.7.de indulgentiis.* Et quia non conſtat de diuina miſericordia acceptante, (quamuis piè credendum ſit) ideo ad maiorem ſecuritatem multiplicantur indulgentiæ & ſuffragia. *Secunda*, quia etiam eſt probabilis opinio, quæ aſſerit, ad lucrandas indulgentias pro defuncto requiri, quòd viuus eas pro illo comparans ſit in gratia, de quo *infrà*; at quia hoc non conſtat, ſimiliter nec conſtat ſi fecerit legitimè omnia quæ reuera in ſe requiruntur pro lucranda indulgentia pro defuncto, ideo; &c. *Tertia*, quia indulgentia, etſi pleniſſima, non liberat animam è Purgatorio, niſi adſit rationabilis cauſa id concedendi: conceſſio enim indulgentiæ rationabilem, & proportionatam cauſam requirit, iuxta communem ſententiam cum D.Thom. *in 4.dist.45. quæstio 2.art.3.quæst.2 & d.20.quæst.1.ar.4.* Et quamuis præſumendum ſit ſemper adeſſe cauſam, atque adeò valde expedire vt vnuſquiſque curet diligenter indulgentias ſibi comparare: attamen quia poteſt contingere, quod cauſa in ſe non ſit ſufficiens & proportionata, ideo expedit multiplicare, & iterare ſuffragia: *Quarta*, quia ſuppoſito quòd anima defuncti iam ſit in gloria, ideoque non egeat ſuffragiis, nec illi poſſint quoad remiſſionem pœnarum prodeſſe, proſunt tamen quoad gloriam; ſeu gaudium accidentale: gaudent enim plurimum beati, quod amici eorum tam pia agentes pro eis, Deo gratiores fiant, & quod Deus honoretur. Sic Eccleſia offert ſuffragia, vt Miſſas, officia mortuorum, & pro pueris baptizatis, qui his non indigent; quia hoc cedit in Dei honorem, & gloriam eorum accidentalem. Si ergo pro his, inquit Rodrig. *§.vnico Bulla defunctorum, nu.5.* de quorum gloria certi ſumus, fiunt ſuffragia; quid mirum ſi de animabus Purgatorij, de quibus non eſt tanta certitudo? Miſſa tamen pro infantibus defunctis ante vſum rationis morientibus dici non debet tanquam remedium expiationum, bene verò ad agendum Deo gratias, vt docet D.Thom. *in 4.dist.45.in expositione litteræ*, aut pro aliis propinquis, ibidem *quæst.2. art.2.quæst.3.* & Panormit. *cap.fraternitatem, de sepultur. num. 4.* ita etiam Nauar. *de orat.cap.19.num.65.* cedit etiam in hoc caſo in vtilitatem aliarum animarum, quæ illo ſuffragio indigent: nam, vt ait Nauar. *suprà*, illa ſuffragia aliis animabus proſunt, & per ea maximè iuuantur. Hincque ſumunt occaſionem animæ, ſiue in cœlo, ſiue in Purgatorio exiſtant, pro benefactoribus ſuis orandi. Vide Nauar. & Rodrig. *cit.* & Carrillo *part.1.cap.7.*

8 Nec inde inferas, poſſe Papam pro libito euacuare Purgatorium, quia indulgentiæ animabus proſunt per modum ſuffragij, extra territorium Papæ, & requiritur cauſa proportionata, iuxta Chriſti intentionem, vt docet Henriquez *lib.7.de indulgent. c.4 num.1.* Vide Syluest. *verb Papa.quæst.4. §.6.* Nauar. *notab.31. de indulgent.numer. 48.* & alios, quos Martinus Carillo *in Bulla defunctorum, part.1.cap. 8 in fin.* & nouiſſimè Ludou. à Cruce *in exposit Bulla Cruciata disput.2.dub.2.num.7.* vbi non improbabiliter tenet Papam, data legitima & rationabili

cauſa

causa qualis esset vrgentissima necessitas totius Ecclesiæ posse concedere indulgentiam plenariam omnibus & singulis existentibus in purgatorio, consequenter illud euacuare.

9 Nota demum, neminem, præter Summum Pontificem, posse concedere indulgentias pro animabus Purgatorij. Colligitur *ex cap. quod autem, & cap. cum ex eo, de pœnitent. & remissio.* vbi conceditur Episcopis limitata facultas concedendi indulgentias, nulla facta mentione defunctorum: ac proinde ad solos viuos eorum facultas extenditur, vt communis vsus, & sensus Theologorum interpretatur. Vide Nauarrum *de indulgent. notab.* 22. *num.* 4. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. c.* 32. *n.* 2. *in fine*, & Catillo 2. *part. Bulla defunctorũ, c.* 8 *in principio*. Hæc autem quæ dicta sunt, procedunt de iure canonico, nam de iute diuino probabile est posse Episcopos indulgentias concedere defunctis, non quidem plenarias, nec in tanta quantitate sicut Papa, sed certas & limitatas, vt cum Gabriele tuetur Lud. à Cruce *in expos. Bull. Cruciata disp.* 2. *dub.* 9. *num.* 6. at quidquid sit de hac opinione, certum est nunc eis esse per iura prædicta prohibitum, idque potuisse facere Papam, quia potestas Episcopo tuest subordinata Papæ.

D V B. X.

An sumens Bullam pro defuncto in malo statu, compareret ipsi defuncto indulgentiam plenariam.

1 HVius quæstionis decisio pendet ab illa, in qua quæritur, An in viuo requiratur status gratiæ ad comparandas indulgentias pro defunctis. Cui respondeo negatiuè. Ita Suarez *tom.* 4. *disp.* 53. *sect.* 4. *num.* 5. Nauarrus *de indulgentiis, notab.* 22. *num.* 30. & 31. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 26. *nam.* 2. contra Rodriguez §. 8. *num.* 13. *vers. Lo tercero digo.* Henriquez *lib.* 7. *cap.* 9. & *cap.* 16. & cum aliis Ludoniens à Cruce *in expos. Bulla Cruciat. disp.* 2. *dub.* 6. *num.* 5. Probatur hæc sententia: nam etsi malus nec pro se, nec pro alio satisfacere possit, vt docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 3. & passim Doctores; in hoc tamen casu non satisfacit pro se, nec pro anima Purgatorij; sed tantùm facit pro defuncto opus aliquod, ad quod Pontifex defuncto satisfactionem Christi, & Sanctorum applicat. Ratio enim satisfactionis, seu pretium pœnarum non est opus illius qui est in peccato, sed indulgentia, & thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum: illud autem opus particulare, per quod indulgentia applicatur, sit ab illo nomine Ecclesiæ, in qua nunquam deest gratia: opus autem cùm ab aliquo fit nomine alterius, non perdit valorem, quamuis qui illud facit, immediatè non sit in gratia. Sicut qui dat eleemosynam per seruum, qui dum dat, cum vana gloria dat, non perdit valorem, si qui iussit, bene iusserit: Ecclesia autem est quæ constituit viuos, vt consequantur indulgentias pro mortuis: opera viuorum huiusmodi non perdunt valorem pro mortuis, licet instrumenta per quæ fiunt mala sint. Vnde visitans quinque altaria in diebus stationum pro anima Purgatorij, etiam si visitans sit in malo statu, comparat pro ea indulgentias stationum, vt probatum est *sup.* §. 6. *dubio vlt.* Quare in hoc casu sufficit vt sit gratia in eo, cui indulgentia applicatur, & fiat opus à Papa iniunctum. Hoc tamen certum existimo cum Suar. *tomo* 4. *disp.* 53. *sect.* 4. *n.* 9. in anima Purgatorij præter gratiam, & characterem baptismalem, nullam aliam necessariò dispositionem requiri, vt ei prosit indulgentia: nam etsi vtilissimum sit, in seculo adhibuisse diligentiam ad satisfaciendum per opera pœnalia, vel indulgentias, vt postea hæc eis in Purgatorio à viuis oblata, prosint: non tamen hoc est necessarium, vt bene Nauar. *notab.* 21. *de indulgentiis num.* 10. & *notab* 22. *n* 38. & 39. Latè Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 16. *num.* 1. 2. & 3. *cap.* 8. *num.* 3. contra Caietan *tract.* 1. *de indulgent. quæst.* 5. Vide Suarez *tome* 4. *disp.* 53. *sect.* 4. *num.* 9. & 10. Catillo *in expositio. Bullæ defunctorum, parte* 2. *cap.* 7. qui nobiscum sentiunt. Et addit Suar. *vbi supra num.* 10. Nec requiritur necessariò, vt indulgentia prosit animæ Purgatorij, notitia, & acceptatio beneficij sibi impensi.

2 His positis facilis est dubij propositi solutio. Dico igitur, si viuos in peccato mortali existens Bullam pro defuncto accipiat, nihilominus tamen indulgentia ratione Bullæ prodest ipsi defuncto. Ita Henriquez *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 9. *num.* 6. & multi, quos ipse, & Catillo *supra cap.* 10 *num.* 1. & Villaloboa *tract.* 28 *num.* 2. & Ludouic. *loco citato*. Ratio est, quia indulgentia applicatur à Pontifice medio opere fidelis viuentis; ac proinde sufficit defunctum esse in gratia, & fidelem viuum præstasse id quod præcipit Pontifex, nimirum dedisse duas drachmas. Probari etiam potest rationibus, quibus proximè probatum est, non requiri necessariò gratiam in eo, qui pro defunctis indulgentias lucratur; eadem enim est vtriusque ratio. Status namque gratiæ solùm requiritur ad tollendum obicem indulgentiæ, & ideo per se solùm est dispositio necessaria, in eo qui recepturus est effectum indulgentiæ; at in nostro casu, effectum illum non est recepturus homo viuus qui efficit opus ad indulgentiam requisitum, sed defunctus, cui indulgentiam procurat: Vnde non est simile de lucrante sibi indulgentiam, nam in hoc requiritur status gratiæ, non formaliter, quia operans est, sed quia recipiens indulgentiæ effectum. Atque hac ratione, non est inconueniens, vt existens in peccato indulgentiæ effectum alteri possit obtinere, & non sibi; quia ipse habet obicem, & non alter, maximè verò cùm hic effectus non nitatur merito operantis: sicut Sacerdos existens in peccato mortali potest per sacrificium obtinere alteri remissionem pœnæ, non vero sibi. Confirmatur etiam, quia is qui lucratur aliquam indulgentiam alteri, nullo modo priùs lucratur sibi aliquam satisfactionem, vt eam alteri præbeat: sed solùm exhibet conditionem postulatam, vt Pontifex alteri concedat indulgentiam: hæc autem conditio non est nisi executio talis operis quoad substantiam eius, quod potest sufficienter impleri causa proportionata talis indulgentiæ, ita etiam sentit Ludou. *vbi supra num.* 10.

D V B. XI.

Quæ requirantur per Bullam ad comparandam indulgentiam pro defuncto.

1 NOta in Bulla Latina triplicem indulgentiam pro defunctis concedi. *Prima* habetur statim in principio illius. ibi: *Eadem enim indulgentia suffragabitur animabus defunctorum, pro quibus*

bus in huiuſmodi ſubſidium, proficiſci, vel milites mitti contigerit, quæ indulgentia plenaria, ſeu totalis eſt; nam eſt; eadem quæ immediatè ante viuis pro ſe in bellum proficiſcentibus conceditur, & quæ in anno Iubilei centeſimi elargitur; hæc autem, vt latè probatum eſt *ſup.* §. 1. *dub.* 14. plenaria, ſeu totalis eſt.

2 Ad lucrandum autem hanc indulgentiam, requiritur vt quis ad bellum contra infideles proficiſcatur, vel ad illud aliquem mittat, vel quod ibi aliquod obſequium, & miniſterium præſtet, ea tamen intentione expreſſa, vt hæc faciat animo lucrandi hanc indulgentiam pro aliquo defuncto. Omnes enim qui lucrantur indulgentiam plenariam conceſſam proficiſcentibus ad bellum, vel mittentibus ad illud, vel aliquod ibi miniſterium præſtantibus, poſſunt pro defuncto eandem conſequi, vt conſtat ex verbis Bullæ. ibi: *Item eandem indulgentiam, &c. pro quibus in huiuſmodi ſubſidium proficiſci, vel milites mitti contigerit.* Requiritur tamen vt ſpecialiter, & particulariter proficiſcatur, vel mittatur ad bellum animo conſequendi indulgentiam pro defuncto. Vnde ſi quis proficiſcatur animo conſequendi pro ſe ipſo indulgentiam non poterit per hunc actum indulgentiam pro defuncto comparare, ſed tenetur ſpecialiter pro illo ire, aut mittere. Colligitur ex verbis Pontificis, nam poſtquam cóceſſit plenariam indulgentiam proficiſcentibus vel mittentibus ad bellum addit: *Eadem indulgentia ſuffragabitur animabus defunctorum, pro quibus in huiuſmodi ſubſidium proficiſci, vel milites mitti contigerit.* Vbi illa verba, *pro quibus*, requirunt vt ſpecialiter pro defuncto proficiſcatur, vel mittatur. Et probatur à ſimili: nam erogantes eleemoſynam ad comparandam Bullam, & indulgentiam pro viuis, per eundem actum, & eleemoſynam, non comparant Bullam, & indulgentiam pro defunctis, vt de ſe patet; ergo, &c. Hoc tamen aduerte, eum qui pro defuncto in bellum proficiſcitur, non tantùm ſemel, ſed etiam pluries poſſe hanc indulgentiam conſequi pro defuncto, ſicut poteſt pro ſe ipſo, quando per ſe in bellum profectus eſt, vt probabiliter dictum eſt *ſup. lib.* 1. §. 2 *dub.* 7. *pag.* 71. Sed de hoc modo conſequendi indulgentiam pro defunctis, ſatis, quia ferè non eſt in vſu: pauciſſimi, aut ferè nulli ſunt, qui pro defuncto in bellum proficiſcantur.

3 Secunda indulgentia, quæ pro defunctis conceditur, habetur in eadem clauſula verbis immediatè ſequentibus. ibi: *Aut pro quibus non euntes, aut mittentes de bonis ſuis, iuxta taxam per commiſſarium qualitate perſonarum inſpecta, faciendam, pro religionis defenſione contulerint.* quæ indulgentia etiam eſt plenaria, & totalis; quia eſt eadem quæ conceditur proficiſcentibus, vel mittentibus ad bellum pro ſe ipſis, aut pro defunctis, quæ, vt dictum eſt, & patet ex verbis Bullæ, plenaria, ſeu totalis eſt. Conſtat etiam ea Bulla defunctorum Hiſpana, quam occaſione dictorum verborum compoſuit, & ſeorſim typis mandauit Commiſſarius: & hanc indulgentiam communiter vocamus Bullam defunctorum.

4 Ad comparandum igitur hanc ſecundam indulgentiam in Bulla defunctorum contentam, requiritur *Primò*, dare duas drachmas, quæ ſunt à Commiſſario taxatæ. *Secundò*, quòd recepta Bulla accipiatur. *Tertiò*, quòd ea accepta, certo defuncto applicetur. Vnde vni applicata, alteri iam applicari non poterit, vt dictum eſt *ſupr. lib.* 1. § 2. *dub.* 1. *&* 3. *de Bulla viuorum*. *Quarto*, quòd hæc Bulla ſolum pro vno defuncto, & non pro duobus, aut pluribus accipiatur: Pontifex enim non concedit niſi in vnius defuncti fauorem, vt exprimit Commiſſarius in Bulla defunctorum. ibi: *Por quanto vos diſtes dos reales por el alma de N.*

5 Non tamen requiritur, quòd accipiens Bullam pro defuncto ſit in gratia, vt dictum eſt *dub. ſuperiori.* Item poteſt hæc Bulla bis in anno ſumi, & bis applicari defuncto ipſi viuenti bene viſo. Patet indulto particulari, quod conceſſit Gregor. XIII. ann. 1573 & habetur in calce Bullæ Latinæ. Poſſunt autem ſumere Bullam pro defunctis omnes illi, quibus conceditur Bulla viuorum, & pro ſeipſis eam ſumere valent, de quibus *lib.* 1. §. 1. *dub.* 1. Patet ex verbis Bullæ in clauſula prima, quæ incipit: *Item conceditur prædicto Philippo Regi.* Et infrà: *Necnon omnibus, & ſingulis, &c.* & ex illis verbis: *Item omnes qui nec ibunt, nec mittent, ſi ex bonis ſibi à Deo collatis*, &c. Vnde Italus in Hiſpania repertus ſicut pro ſe, ita pro ſuis defunctis Bullam accipere poteſt. De ſtipe danda pro hac Bulla dictum eſt *ſupr. lib.* 1. § 3. *dub.* 1.

6 Nota cum Rodriguez §. *vnico*, *de Bulla defunctorum*, *num.* 6. eſſe ſalutare conſilium, vt Chriſti fideles morti proximos, poſtquam Eccleſiæ ſacramenta ſumpſerint, & ſe in gratia Dei exiſtere probabiliter exiſtimauerint, in ſuis teſtamentis, aut aliter, mandent ſuis hæredibus, vt pro ſeipſis iam defunctis, Bullas defunctorum accipiant: hoc enim caſu plus defuncto proderunt, quam ſi ſpontaneè hæredes, aut amici pro defunctis Bullas acceperint, vt cum Rodriguez docet Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 10. *num.* 8. *in fin.* quia ſic prodeſt etiam ex opere operantis, ob bonam legantis intentionem, & affectionem ad indulgentias. Prodeſt etiam tali defuncto, quamuis poſtea fidelis viuus ſumeret pro defuncto Bullam in peccato mortali etiam ſecundùm opinionem eorum, qui exiſtimant requiri ſtatum gratiæ in accipiente Bullam pro defuncto: tunc enim ſe habet vt nudus miniſter, ſicut ſeruus qui iuſſu domini eleemoſynam confert. Vide Rodriguez *ſup.*

7 Tertia indulgentia, quæ in Bulla Latina defunctis conceditur, eſt indulgentia ſtationum, quæ habetur circa medium Bullæ Latinæ, illis verbis: *Item qui dicto anno durante in ſingulis diebus ſtationum*, &c. *tam per ſe, quàm per modum ſuffragij, pro defunctis pro quibus viſitauerint, conſequantur.* De valore autem huius indulgentiæ, & de modo quo pro defunctis comparanda ſit, dictum eſt *ſup. lib.* 1. § 6. *dub.* 3. *pag.* 167.

8 Circa quam indulgentiam nota, nos *lib.* 1. §. 6. *dub.* 1. *verſ. Sed dices*, dixiſſe, non omnibus, ſed certis diebus lucrari ſtationum indulgentias, quod intellige de plenaria, ſeu totali indulgentia; non verò de aliis partialibus, & non plenariis, vt patet ex toto illo dubio, & ſummario Bullæ Hiſpanæ. Quare non inficior, ſingulis diebus poſſe aliquas partiales indulgentias comparari. Ducor, quia Commiſſarius in Bullis ann. 1625. & 1626. in calce ſummarij indulgentiarum plenarum adiecit. *Y todos los demas dias del año ſeganan indulgencias, por auerlas en Roma.* Vbi nota, conſultò dixiſſe indulgentias abſolutè; ac ſi diceret: & ſi ſingulis diebus viſitando quinque altaria, indulgentia aliqua comparetur, indulgentia tamen plenaria non omnibus, ſed certis tantùm diebus ibi aſſignatis comparatur. At quia iam in bullis quæ ab anno 1628. expediuntur, talia verba non adiiciuntur, imò ſunt omnino deleta, exiſtimo verius ſolas indulgentias in diebus ſtationum aſſignatis lucrari.

9 Aduertit Carrillo *in expoſitione Bullæ defunctorum, part.* 2. *cap.* 9. per indulgentiam in Bulla defunctorum

ctorum concessam liberari è Pœnis Purgatorij eam animam pro qua quis accipit Bullam, & cui indulgentia, applicatur: & si fortè sufficienter dispofita talis anima non fuerit, disponitur per illam indulgentiam, vt alia accepta Bulla, vel multiplicatis alijs suffragijs, liberetur è Purgatorio. Per alias verò indulgentias etiam plenarias, quæ ordinariè defunctis conceduntur, liberatur à Purgatorio illa anima, quæ magis disposita erit, tempore quo lucratur indulgentia; & non illa anima quam vult ille, qui pro defuncto lucratur indulgentiam; talis enim, inquit, est voluntas Pontificis. Atque adeò (ait) opus magis gratum, & promptum animabus est, accipere Bullam defunctorum pro illis. Potest enim Bulla in quacunque die, & hora pro animabus sumi, & iisdem applicari. Et addit, nullum suffragium esse magis certum ad remissionem pœnatum in Purgatorio, quam est ipsa Bulla defunctorum. Si quidem per illam remittitur pœna Purgatorij, quæ indulgentia (inquit) aliis est certior; quia causa concessionis Bullæ maior est aliis causis, nimirum bonum commune Ecclesiæ, quale est belli subsidium contra infideles; ideoque certior, ac verior talis indulgentia haberi debet. Hæc ille. Attamen etsi verum sit, indulgentiam plenariam in Bulla defunctorum contentam, esse promptiorem, & certiorem, propter euidentiam causæ concessionis; non tamen videtur verum per alias indulgentias plenarias defunctis concessas, si cætera adsint, non liberari è Purgatorio eam animam quam quis exoptat. Nam sicut in indulgentia Bullæ non limitatur ad certam animam, sed hoc relinquitur electioni sumentis Bullam; ita in indulgentia stationum, v.g. & in aliis pro defunctis concessis, vt communiter videmus; ergo eadem est vtriusque ratio nisi fortè specialiter, & expressè Pontifex limitasset. Similiter limitationem illam, scilicet per indulgentiam plenariam solum liberari animam è Purgatorio, si est sufficienter disposita, non existimo adeò certam, & veram; nam dato quòd indulgentia sit totalis, & ex alio capite anima est in gratia, & effectus indulgentiæ est infallibilis, & certus modo dicto in hoc libro, *dub. 9. pag. 751.* consequenter sequitur, moraliter loquendo, certum esse, eam animam cui indulgentia applicatur, è pœnis Purgatorij liberari. Nam, vt sæpè dictum est, ex parte animæ præter statum gratiæ alia dispositio necessariò requisita non desideratur.

Dub. XII.

An sit vtilius animæ Purgatorij sumere pro ipsa Bullam defunctorum, aut dicere pro ea Missam in altari priuilegiato.

1 Nota facto sanctum Missæ sacrificium, si sumatur ratione rei oblatæ, primarij offerentis, habere valorem, & dignitatem absolutè infinitam in ratione meriti impetrationis, & satisfactionis: nam tam res oblata, quam primarius offerens est ipse Christus, cuius merita ex dignitate personæ habent infinitum moralem valorem: si verò consideretur, pro vt offertur à persona priuata, siue is sit Sacerdos, siue alij sacrificio cooperantes, semper habet actu vim limitatam producendi suum effectum finitum, & limitatum, qui effectus in plures diuisus, minus vtilis est singulis: quem effectum Christus sua institutione taxauit. Sicut enim Deus instituit, vt corpus Christi per species panis assumatur, vt physicum instrumentum, ad effectum finitum sacramenti; sic similiter vt idem corpus per oblationem, actionemque Sacerdotis sit morale instrumentum, & participatio oblationis cruentæ cum virtute finita ad effectum satisfactionis finitæ. Ita Henriquez *lib. 9. cap. 19.* Coninch. *de sacramentis, quæst. 83. art. 1. dub. 10.* & alij.

2 Nota secundò, ad hoc vt valeat indulgentiæ dispensatio, seu concessio, requiri causam piam, & honestam, & effectui ac quantitati ipsius proportionatam, aliter enim non valebit, nisi tantum iuxta causæ proportionem. Ita Diuus Thom. *q. 25. add. art. 2. ad 1.* Suar. *tom. 4. disp. 53. sect. 3.* Nauar. *de indulg. not. 15. & 14.* Henriquez *de indulg. cap. 14.* Ratio est; quia liberare aliquem à pœna per indulgentiam, est quasi dispensare in iure diuino, quo qui peccauit secundum dispositionem diuinæ prouidentiæ, si hic plenè non satisfecit tenetur in Purgatorio: at dispensatio, quæ ad ius diuinum spectat, sine causa nulla est, vt patet in voto & iuramento: datur enim hæc potestas in ædificationem, non verò in destructionem. Ex quo fit eo certiorem, & efficaciorem esse indulgentiam, quo euidentius, & certius est causam concessionis, esse indulgentiæ effectui, & quantitati proportionatam.

3 Suppono etiam indulgentiam quæ conceditur ratione Missæ in altari priuilegiato, esse plenariam, seu totalem, sicuti est illa quæ conceditur defuncto ratione Bullæ defunctorum, & per consequens has indulgentias esse æquales.

4 His positis respondeo, cæteris paribus, id est, supposita æquali causa, & certitudine vtriusque indulgentiæ, vtilius, & efficacius esse animæ Purgatorij dicere pro ea Missam in altari priuilegiato, quàm accipere pro ea Bullam defunctorum. Ratio est; nam etsi indulgentia quæ conceditur ratione Bullæ defunctorum, & illa quæ ratione Missæ in altari priuilegiato applicatur defuncto in ratione indulgentiæ; sint æquales, eo quòd omnes sint totales, differunt tamen, in hoc videlicet, quia indulgentia, quæ ratione Missæ in altari priuilegiato animæ conceditur, habet insuper coniunctum illum gradum satisfactionis sacrificio Missæ ex diuina institutione correspondentem, quæ non includit Bulla defunctorum, ac proinde ex hac parte, cæteris paribus, vtilius esse poterit Missam pro anima Purgatorij in altari priuilegiato celebrare, quàm pro ea Bullam defunctorum accipere.

5 Dixi, *cæteris paribus*, seu supposita æquali causa, & certitudine indulgentiæ: nam si causa concedendi indulgentiam in altari priuilegiato, non est tam proportionata, & certa, sicuti est illa ratione cuius conceditur Bulla defunctorum: hoc supposito vtilius esset defuncto accipere pro eo Bullam defunctorum, & hoc quidem, non quia hæc indulgentia sit maior, aut locupletior, sed quia certior est, & per consequens, vtilior, & efficacior. Quare regulariter loquendo, cum inter causas concedendi indulgentias, maior, & certior videatur illa ratione cuius Bulla conceditur, nimirum bonum commune Ecclesiæ, quale est belli subsidium contra infideles, vt bene aduertit Castillo *suprà dubio superiori, versiculo Acerca, num. 7.* ideo, regulariter loquendo, videtur vtilius ratione certitudinis indulgentiæ Bullam defunctorum pro anima accipere, quàm pro ea Missam in altari priuilegiato celebrare. Etenim communiter loquendo, causa ob quam indulgentia conceditur in altari priuilegiato, solet esse particularis, v.g. deuotio Sancti, indigentia Ecclesiæ, &c. quæ tantam certitudinem, & propor-

tionem præsceferre non videtur sicuti causa generalis, ratione coius Bulla conceditur. Attameo supposita æquali causa, & proportione, (quod in dubio præsumendom est) vtilius est animæ Missam pro ea in altari priuilegiato celebrare, quàm pro ipsa Bullam accipere defunctorum; sed qoia commoniter causa concessionis indolgentiæ in altari priuilegiato, non est iam euidens, & manifesta, sicuti est causa concessionis Bullæ, ideo consolto dictum est, loqoeodo regulariter, vtilius esse animæ Bullam defunctorum pro illa accipere, quam pro ipsa Missam in altari priuilegiato celebrare.



APPENDIX

Ad Paragraphum quartum Cruciatæ in qua de Bulla Lacticiniorum.

1 PRIMVM aduerte, in Bulla originali Latina, à Commissario generali sanctæ Cruciatæ apposita esse verba tenoris sequentis. Et in litteris S. D.N. Vrbani VIII. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, die 3. Iunij 1624. durat adquinquennium; inter alias legitur clausula sequens.

2 *Venerabilibus Patribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs inferioribus Prælatis, nec non Presbyteris secularibus prædictis dumtaxat, vt Quadragesimali tempore (hebdomada tamen maiori excepta) ouis similiter, & lacticinijs pro eorum libito vti, & vesci, Apostolica auctoritate, tenore præsentium indulgemus.*

Ex qoo indulto, concessione, & clausula Comissarius generalis S Cruciatæ D. F. Antonios à Soto Maior, auctoritate Apostolica sibi concessa, extraxit, ac composuit vulgari & Hispano sermone, ouorum, & lacticiniorum Bullam pro Sacerdotibus in forma sequenti.

BVLLA CONCEDIDA POR nuestro muy santo Patre Vrbano Octauo, para que los Patriarcas, Primados, Arzobispos, Obispos, y Clerigos presbyteros seculares, a quien estaua prohibido el comer hueuos, y cosas de leche en tiempo de Quaresma, lo puedan comer por este anno de mil y seyscientos y treynta.

DAnid elegido de Dios para Rey de su pueblo, y hallado conforme su corazon para su seruicio, con ser el maior Principe de su siglo, nunca gozo sin enemigos la Monarchia, aunque la gouerno siempre con valor, y vitorias: y si alguna vez llegò a temer; fue quando se vio en paz comun: porque es estilo de Dios assegurar con los peligros sus sieruos. Però fue siempre tanta su gloria, que amas tuuo enemigos que no lo fuessen tambien de Dios En los principios de su imperio, vrgido ya de Dios para el, llegò a tanta necessidad, que el Sumo Sacerdote, le dio en alguna ocasion el pan mismo que se ofrecia a Dios, y auia de ser vianda de los sacerdotes, y las armas solas que hallo colgados en el templo: porque en necessidad vrgente de batallas iustas, lo iuzgò no solo por licito, sino por glorioso Bien assi mismo nuestro muy santo Padre Vrbano Octauo, Sumo Sacerdote, y Pontifice de la Iglesia, viendo al Rey Catholico de las Españas, siempre en batalla con los enemigos de Dios y suyos, le ayuda con armas de la Iglesia que son las gracias y indulgencias, y no quita el pan a los pobres, antes les permite las viandas que antes les estauan prohibidas, y conociendo las necessidades a que le empeñan empresas tan santas, ha concedido esta Bula de lacticinios para que todos los Patriarchas, Primados, Arzopispos, Obispos, y Clerigos, presbyteros, seculares, puedan comer hueuos y cosas de leche en tiempo de Quaresma, excepto la semana Santa, dando de limosna por ella para la defensa de la Iglesia Catolica y propagacion de la Christiandad, lo que aqui declararemos nos el Maestro fray don Antonio de Sotomayor, Confessor de su Magestad, de su Consejo de Estado, y del de la santa y general Inquisicion, Abad de Santander, Commissario Apostolico general de la santa Cruzada, y de las demas gracias en todos los Reños, y señorios de su Magestad. Y por quanto vos N. disteys dos reales de plata, que es lo que esta assado y declarando por nos para esta santa expedicion, y empresa, y recebistes en vos esta Bula, escrito en ella vuestro nombre, os damos licencia por este año, para que podays comer en dicho tiempo de Quaresma probibido, hueuos, y cosas de leche. Dada en Madrid, a ocho dias del mes de Otubre, de mil y seyscientos y veynte y nueue años.

Fr Antonio de Sotomayor.

Idem generalis Commissarius determinauit taxam huius Bullæ, habita personarum qualitate, ac capitula, & ordinationes seqoentes condidit.

Capitulos para lo que toca a la Bula de los lacticinios que de nueuo nuestro muy santo Padre Vrbano Octauo ha concedido a los Patriarchas, Primados Arzobispos, Obispos, mas clerigos seculares, para que puedan comer hueuos y cosas de leche en tiempo de Quaresma excepto la semana Santa, que se han de predicar con esta santa Bula de Cruzada.

Primeramente las Bulas de tasse de a veynte y quatro reales, se han de dar, y han de seruir para los Patriarchas, Primados, Arzobispos, Obispos, y Abades.

Item las Bulas de tassa de a ocho reales se han de dar, y han de seruir para las Dignidades, Canonigos de las Iglesias Cathedrales y Colegiales.

Item las Bulas de tassa de a seys reales, se han de dar, y han de seruir para los tuuieren Raciones, o medias raciones, Curatos, Beneficios simples, o seruideros, cuya renta no baxe de trezientos ducados.

Item las Bulas de tassa de quatro reales se han de dar y han de seruir para los que tuuieren Beneficios, Capellanias, o pensiones, o renta que no baxe de dozientos ducados.

Item las Bulas de tassa de a dos reales, se han de dar, y han de seruir para los demas clerigos.

Las qoales dichas Bulas han de predicar en estos Reynos, y señorios de su Magestad, iuntamente con las de viuos, difuntos, y composicion, guardando cerca de las tassas lo antes desto contenido. Dada en Madrid a primero de Iunio de 1631. años.

DON DIEGO DE GVZMAN, *Patriarcha de las Indias.*

6 CVm ferè omnia quæ ad huiusmodi indulti explicationem facere possint, dicta sint in Bullæ expositione §. 1. & 4. proinde aliqua notabilia quàm breuissimè attingemus.

7 Nota primò, hoc indultum, seu Bullam contineri in Bulla Latina originali, tanquam partem in toto, patebit hoc ipsum legenti: & esse extensionem quandam illius priuilegij, quo laicis in dicta Bulla indulgetur, vt possint virtute illius in Quadragesima vti ouis, ac lacticiniis, ibi enim excipiuntur Patriarchæ, &c. hoc verò indulto illis hoc priuilegium conceditur. Vnde omnia quæ in communi diximus de Bulla viuorum, possunt proportionabiliter, & respectiue adaptari huic Bullæ, insinuat Commissarius *inf.* cit. dum præcipit hanc publicari eo tẽpore & loco, quo publicatur Cruciata.

8 Vnde fit, vt hæc Bulla solùm prosit personis & locis quibus prodest & conceditur Bulla magna viuorum, eo modo quo dictum est §. 1. *dub.* 1. & constat ex verbis Commissarij generalis in supradictis ordinationibus, ibi: *Las quales dichas Bulas se han de predicar en estos Reynos y señorios de su Magestad, con las de viuos, difunctos y composicion. Secundò*, solùm gaudere hac Bulla eam recipientes, & apud se retinentes, vt dictum est *supr. dub.* 2. *&* 4. & constat in hac Bulla. ibi: *Y por quanto vos recebistes en vos este Bula*, &c. non tamen est simpliciter necessarium, vt in ea proprium nomen scribatur, eo modo quo dictum est de Cruciata, *dub.* 4. citato. *Tertiò*, recipientes hanc Bullam debere esse intra Regna in quorum fauorem ipsa conceditur, eo modo quo dictum est *dict.* §. 1. *dub.* 5. Vnde fit, vt accipiens hanc Bullam existens intra Regna quibus Cruciata conceditur, si extra illa proficiscatur, non posse ibi vesci ouis, & lacticiniis. Et ratio est, quia hoc priuilegium est extensio priuilegij quo conceditur secularibus eis vti: at seculares ea comedere non possunt extra regna, quibus conceditur Cruciata; ergo nec Sacerdotes. Vide *in dict.* §. 1. *dub.* 5. *n.* 4. *&* §. 4. ante *dub.* 1.

9 Nota secundò, hoc indultum non prodesse Regularibus: patet ex verbis huius indulti. ibi: *Patriarchis*, &c. vbi nulla fit mentio Regularium, sed eorum qui supradictis dignitatibus sunt insigniti, & Presbyterorum secularium: & ex alio capite in Bulla Cruciata in priuilegio edendi oua & lacticinia non comprehenduntur Regulares, vt patet *ibi*, & diximus *lib.* 1. § 4. *dub.* 5. *num.* 3. Videtur tamen ei prodesse si sint Patriarchæ, Primates, Archiepiscopus, Episcopi, aut Abbates, quia Pontifex supradictis personis hoc priuilegium concedit, nulla facta restrictione ad seculares, vel Regulares. Colligere tamen quis poterit, Superiores religionum, vt Generales, Prouinciales, religionum, & Præfectos posse frui hoc indulto: quia, vt diximus *dicto dub.* 5. *num.* 2. cum Rodriguez, sub nomine inferiorum Prælatorum, illæ personæ intelliguntur. At verius existimo oppositum, nam ratione perfectionis status strictiùs ad horum abstinentiam obligantur, & si Papa voluisset, expressisset. Censeo enim in hoc indulto nomine inferiorum Prælatorum solùm intelligi Abbates: ducor quia commissarius *vbi suprà* per inferiores Prælatos solum intellexit Abbates, nam pòst Episcopus, loco illorum verborum, *& alij inferiores prelati*, posuit *Abbates*, quando assignauit taxam pro Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, ac si apertè dicat nomine inferiorum Prælatorum, in hoc casu solum intelligi Abbates.

10 Nota tertiò, Cardinales, qui excluduntur à priuilegio edendi lacticinia in Quadragesima, vt diximus § 4. *dub.* 4. *n* 3. *& dub* 5. *n.* 2. gaudere hoc priuilegio si sint Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi. Ratio est, quia illis personis secularibus hoc indultum conceditur quibus erat in Bulla Latina maiori prohibitum, sed solis Cardinalibus, Sacerdotibus, Regularibus, aut aliquam habentibus prælaturam erant prohibita lacticinia, vt *ibi* dictum est: ergo, &c. Vide de hoc dubia cit. At si Cardinales sint Presbyteri Regulares, non autem sint aliqua ex supradictis dignitate decorati, non gaudent hoc priuilegio, quia, vt dictum est *sup notab.* & constat ex verbis ipsius concessionis. ibi: *Nec non Presbyteris secularibus*, hoc indultum non conceditur Presbyteris Regularibus, sed secularibus nisi Presbyter Regularis sit Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Episcopus, vel alius inferior Prælatus, vt Abbas.

11 Nota quartò, annum publicationis huius Bullæ, non esse computandum more mathematico pro anno naturali, à momento in momentum, sed more Ecclesiastico à publicatione in publicationem eo modo quo computandam esse Bullam viuorum diximus §. 1. *dub.* 10. Et ratio est, quia hæc Bulla est quædam extensio Bullæ viuorum, & debet publicari, ac publicatur simul cum ea; ergo eadem debet esse ratio durationis vtriusque, & modus computandi, sed annus durationis Cruciatæ sumitur pro Ecclesiastico; ergo & huius Bullæ. Nec obstat priuilegium quod est contra ius, quale est, hoc esse strictè interpretandum, nam etsi sit strictè interpretandum, potest tamen extendi quantum patitur verborum proprietas; at annus absolutè sumptus, propriè adaptatur anno Ecclesiastico; ergo, &c. Roborarique potest: nam etsi Bulla viuorum solum concedat facultatem commutandi vota, hoc non obstante, talis facultas extenditur ad commutandu iuramenta, vt diximus, §. 7. *cap.* 3. *dub.* 2. *&* 3. eo quod iuramentum promissorium ratione promissionis includatur in voto, etiam si votum & iuramentum formaliter distinguatur: ergo similiter, imò à fortiori in nostro casu, cùm nomen *annus*, absolutè sumptus possit commodè, & propriè anno Ecclesiastico adaptari. Nec obstant illa verba Commissarij in hac Bulla Hispana posita. ibi: *Bulla concedida*, &c. *para que en tiempo de Quaresma puedan comer en este año* 1630. nam etiam Bulla viuorum conceditur ad annum, v. g. 1630. & tamen talis annus computatur more Ecclesiastico à publicatione in publicationem, etiam si vnus annus habeat plures, alius verò pauciores dies. Et hæc videtur Pontificis intentio: nam Pontifex concedit vt accipiens hoc indultum illius priuilegio fruatur, per singulos, & integros dies Quadragesimæ vnius anni, hebdomada maiori excepta: at si non computaretur hic annus durationis, seu tempus Quadragesimæ modo Ecclesiastico à publicatione in publicationem, talis intentio frustraretur, imò & accipientes hoc indultum aliquo modo aliquando defraudari possent. Nam demus hanc Bullam publicari vno anno die 1. Quadragesimæ, & altero anno Dominica 1. Quadragesimæ, hoc vltimo anno si non computatur duratio huius Bullæ modo Ecclesiastico eã accipientes non gauderent hoc priuilegio per integram Quadragesimam, nisi dicamus Bullã anni præteriti, seu eius publicationem extendi, & durare vsque ad publicationem anni subsequentis. Probari

bari etiam poteſt à ſimili, quia in noſtra ſententia quando Bulla Cruciatæ publicatur, v.g. vno anno die 1. Quadrageſimæ, & altero Dominica 1. aut deinceps alterius Quadrageſimæ, poteſt ſecularis veſci lacticiniis virtute Bullæ antecedentis, donec ſubſequens publicetur, vt communiter practicatur; ergo ſimiliter & Sacerdos ratione iſtius Bullæ in illo euentu, cùm eadem ſit vtriuſque ratio, præſertim cùm Bullæ priuilegia ſint conceſſa per modum contractus.

12 Nota quintò, ſupradictas perſonas virtute huius indulti non poſſe veſci lacticiniis in Dominica Palmarum. Ratio eſt, quia in hoc indulto excipiuntur dies hebdomadæ maioris. ibi: *Excepta Hebdomada maiori*; hebdomada autem ſeptem habet dies, qui incipiunt à Dominica incluſiuè. Dixi *ratione huius indulti*, nam virtute Cruciatæ bene poterunt, quia, vt diximus §.4.*dub.*7. Sacerdotibus ſecularibus licent oua, & lacticinia omnibus Dominicis Quadrageſimæ, eo quòd tantum ſint dies abſtinentiæ, non verò ieiunij; at in priuilegio Bullæ viuorum ſolùm excipiuntur dies ieiunij reſpectu ſupradictarum perſonarum, vt ibi dictum eſt.

13 Nota ſextò, quoad taxam ſex drachmarum, quam hanc Bullam accipientes dare tenentur, illi quorum redditus, fructus, & emolumenta non deſcendunt à ſumma, ſeu non attingunt ſummam trecentorum. Aduerte *Primò*, per ducatum intelligi hic ſummam vndecim drachmarum bæticarum: nam hæc taxa fit à Commiſſario in Regno Caſtellæ; ergo valor monetæ taxæ debet computari, & æſtimari, prout ibi computatur, & æſtimatur; & ducatus in Regno Caſtellæ valet vndecim drachmas; ergo, &c. in noſtro autem Regno ſumma trecentorum ducatorum conſtituet ſummam trecentarum, & triginta librarum: nam ſingulis libris correſpondent decem drachmæ. *Secundò*, aduerte, hanc ſummam trecentorum ducatorum eſſe intelligendam de bonis Eccleſiaſticis, & ratione beneficij Eccleſiaſtici acquiſitis, non verò de patrimonialibus, vel propria induſtria acquiſitis. Patet ibi: *Los que tuuieren Raciones, Curatos, Beneficios ſimples, ò ſeruideros, cuya renta*, &c. Aduerte *tertiò*, intra valorem trecentorum ducatorum computandas eſſe diſtributiones quotidianas: nam etſi diſtributiones, ſtrictè, & propriè loquendo, non veniant nomine fructuum, veniunt tamen ſub nomine reditus, & prouentus beneficij: præſertim ſi beneficium nullos habeat reditus præter diſtributiones, vt cum aliis Bonacina *de horis canonicis, diſp.*2.*quæſt.*2.*punct.*1. *num.*2. Nomen enim *reditus* eſt generale, ideoque comprehendit fructus, & diſtributiones, & alia emolumenta Eccleſiaſtica: tum etiam, quia diſtributiones dantur ratione beneficij. Aduerte *Quartò*, ſummam ſupradictam trecentorum ducatorum, computandam, & intelligendam eſſe defunctis omnibus oneribus, & expenſis dictorum beneficiorum; nam ſolùm illa quantitas quæ ab omni onere libera remanet, eſt in bonis beneficiarij, ſic quando impetratur beneficium à Papa, & ſoluitur mediata, annata, ſolùm computatur, & ſoluitur ex bonis quæ deductis expenſis remanent beneficiario. Idem dic reſpectiue de ſoluentibus taxam quatuor drachmarum. De valore autem computando in expeditione Bullarum Apoſtolicarum in beneficij impetratione, vide Zerolam *in ſua praxi, par.* 2. *verb. valor.* Franciſcum Leon. *in ſuo Theſauro p.*2. *cap.*7. *à num.*13. Couar. *lib.*3. *var. cap.*10. *num.*1. *& lib.*1. *var cap.*20. *num.*1. Gonzalez *ſup.*8. *reg. Cancel. in proœm*, §.7. *à n.* 162. & Garciam *de beneficiis*, *part.* 5. *cap.* 3. vbi de his multa.

14 Nota ſeptimò, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Canonicos teneri ad taxam ibi aſſignatam, ſiue habeant reditus, ſiue non, ſiue reditus ſint magni, ſiue exigui, quia Commiſſarius abſolutè loquitur, & ſolùm requirit vt ij habeant ſupradictas qualitates.

15 Nota octauò. Beneficiarios quorum reditus, non attingunt ſummam trecentorum ducatorum, non teneri ad ſex drachmas, etiam ſi diſtantia parua, & modica ſit ab hoc valore; ait enim Commiſſarius agens de iis qui ad ſex drachmas tenentur: *Cuya renta no baxe de trezientos ducados*, ac ſi diceret, eos non teneri ad ſex drachmas quotieſcunque eorum reditus trecentorum ducatorum valorem reuera non attigerint. Idem dic de ſoluentibus quatuor drachmas, ij enim non tenentur ad eas ſoluendas, niſi eorum reditus attingant valorem ducentorum ducatorum modo explicato, *n.* 13. aliter enim ſolùm ad duas drachmas ſoluendas obligantur.

16 Nota nonò, coadiutores Canonicorum non teneri ad eam taxam ſoluendam, quam Canonici ſoluere tenentur, idem dic de coadiutoribus dignitatum. Ratio eſt, quia coadiutor Canonici non eſt verè, & propriè Canonicus, vt cum aliis docent Garcia *de beneficiis*, *part.*4. *cap.*5. *num.* 74. *&* 76. Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcopi, allegat.* 61. *n.* 14. *& allegat.* 73. *n.* 11. *& de iure vniuerſo, lib... cap.* 10. *à num.* 48. Æſtimanda erit ergo horum ſolutio, & taxa ſecundùm illorum facultates, habito reſpectu ad alia capitula taxæ.

INDEX



INDEX RERVM
ET VERBORVM
ACCVRATISSIMVS.

PRIMVS NVMERVS INDICAT PAGINAM: secundus numerum marginalem designat.

A



Index Rerum,

Et

B

C

Duplicem

Index Rerum,

Hoc

D

E

In

F

Forma

Iuquiſitores

L

Quid

Index Rerum,

Natoralis

N

O

P

Archiepisco

Index Rerum,

Priuilegia,

Q

R

Sacer

Steriles

T

V

Index Rerum,

Vota

FINIS.

